De las filabas

Ycorpor,oris. Y los compuestos de corpus,pueruscorporis.
mãpor,oris. Y breue,iurisdictio ac largo.
decdcor,oris. Xs,atis,con vas,vadis,era largo.
murmur,ris. Ns,atis,con vas,vadis,anas breues,
Aetas,atis. Los Griegos con as,vt lampas,decas.
maieftas, aus. Ns que por estis,tis,de decima.
lampadis. Por breue lo contamos,y pes y cetes,
decadis. los compuestos de eden juntaremos,
Tegetis,ctis. A magnes,eto largo hazes,quitis,
antes,tis. Y loeuples,y meteces,y los griegos.
limes,tis. Que el genitiuo vs,tapes hazen etis,
Trames,itis. Is,inis,itis,itis,largos pongo,
obices,obstis. si en ertis,idis hazen ferán breues,
delices,delitis. A lingues que haze en,inis,saco breue,
rhimnes,etis. O,ortis,otis largo,huso a cultos,
Tapes,etis. bos,bouis,arbos,compos,impos breues.
eleu,is,inis, Y estis otis breues,do y pecus.

De la quantidad.

Adropax,abix breues los pongamos,
Ex,tenemos breue,saco largo à Rex,
Y veruex,halex,hiuex,con lex legis.
Ix,icis tiene largo su cremento,
Breue falix,farionix,coxendix,filix,
Pix,histrix,onx,varix,calix,
Nix,phrix,cilix,calix,fornix,natrix,
Vebrix,largo ó breue hazer podemos,
Mas los que en,gis,hizieren pongo breues,
Coccyx, y mastix solos serán largos,
Ox,ocis,sera largo como ferox,
Ox,fi,gis,hiziere sera breue,
Capadex,y precox puntaremos.
Vx,que haze ucis,ugis largo pongo,
Breues nux crux,lux,nux y volux,coniux,

Del cremento del plural.

A,E,O,hacemos siempre largos,
La,i,la,u, daremos siempre breues.
Ay nombres que por tener los casos del numero singular iguales en silabas como musa, dominus, y los semejantes no tienen cremento hasta el genitiuo del numero plural, y la, A, E, O, son largas como musarum, rerum. Dominorum, y la u, son breues como patribus, fratribus, verubus, portubus.

Del cremento del verbo.

El cremento del verbo es[illegible] en la

index,indicis
cortex,icis.
radix,icis.
lodix,icis.
Natrix, por la serpiente tiene el cremẽto breue, y por cosa que nace largo.
iapix:iapygis
ambiorix,gis.
atrox,ecis.
allobrox,gis.
lux,lucis.
pollux,pollucis.
frux,frugis.

para medir versos.

assi por que no hazen silaba sin vocal.

De las consonantes estas siete son semivocales. L, M, N, R, S, X, Z, Y estas ocho son mudas. B. C, D, F, G, P Q, T. De las vocales la, I, y la V. son consonantes, quando hieren en la vocal que esta despues, como iuuenis, iuuentus, iuuo, venio, ventus, venter, vena y otros muchos.

La, L, es liquida, como, recludo, y la R, como pharetra, Terebro, latebra, y esto precediendo la muda.

La, V, despues de la, Q, es liquida, como quis, qui, quæ, quod, coquo, linquo, y en otras muchas partes, y llamase liquida por que pierde algo de su pronunciacion.

Y tambien lo es despues de la .G si se le sigue. A. como lingua, o æ, como linguæ, y en la medida del verso se lee linga lingæ, perdiendo la. V. la qual no se pierde en ambiguus, a, um, irriguus, a, um, exiguus, exigua, exiguum.

[illegible]ambien la, V, despues de la S, es liqui[illegible] se pierde, si se sigue despues de ella, A[illegible]o en suadeo, suauis, y en la medida de versos se lee, sadeo, y sauis. Y lo mis.

s preteritos.

Sacarse algunos que noquar
te dize en sus lugares.

s que doblan la filaba en el
de donde qu ere.
le nos doblare.

r vna filaba mas que en la de
esete,como Morder,e mord
pone pierde la primera filaba,
remordi,pondeo,es,pop
pondi.Y assi los demas.

c.Y repugno.
ong u,no la pierden.

an la filaba,y aunque se con
n.fio,as,haze,fecti,infecti,is,
ectitio,do,das,dedi,pelundo,as
o,as,circundedi,polco,is,pe
o popolci.Repolco,repopol

De los preteritos:

En seruifertum hazen estos tales.
Los compuestos de sero que significan
sas tocantes a la agricultura:como: sembrar:
cultiuar:plantar:enxertar hazen el preterito
seui:y el supino:situm:como consero:consei
consitum:insero:inseui:insitum:y si significan
cosas diferentes:hazen el preterito serui: y el
supino sertum:como desero: desamparar: de
serûi:desertum: Dissero platicar:disserûi: Di
sertum:consero:andar a las manos:ô trauar ba
talla:conserûi:consertum:insero: haze inseui:
Insitum:ô inserûi:insertum.
Verro:verris:a de dar:
Verri:versum:por barrer:
Pero:uro:a de hazer:
usi:ustum:por quemar.
So:siui:situm:pero inuiso:incesso:
Hazen en:si:solo:y sin supino.
Pinso:pinsui:pistum:mejor.
Y pinsum:tambien:pinsitum:
peto:petiui:petitum:
Por pedir:siempre â de dar.
Plecto:herir:plexi:plexum:
Flecto:flexi:flexum:doblar:
Pecto:pexi:pexum:peinar:
Necto,enlazar,nexi,nexum,
Mitto,embiar,misi,missum,
Soluo;pagar,solui,solutum,
Voluo,boluer.volui,volutum,
Metto,segar,messui,messum,

faceſſo.
faceſsiui.
faceſsitũ,
laceſſo.
Laceſsiui
laceſsitũ.
arceſſo.
arceſsiui.
arceſsitũ.

Texo,

y supinos.

Figo,clau ,fixi,fixum.
Pango,pe egi o,actum.
Haze spargo,sparsi,sparsu
Frigo,freyr,frixi,fixum
Frango.quebrar,fregi,fract
Pango,pupugi,punctum
Y punxi,punctum teue
Tango,tocar,tetigi,tactu
Lego:leer:legi:lectum.
Prodigo:gastar.prodegi
Dego:viuir:haze degi.
Negligo:neglexi:neglec
Mergo:anegar:mersi:mer
Diligo:dilexi:dilectum.
Intelligo:intellexi:intel
Tergo:limpiar,tersi,ter
Traho:traxi por traer:
Y tractum en el supino
Veho:lleuar de contino
Vexi.:vectum à de haz
El verbo que en spicio:y
Haze en:exi:y en:ectum
Elicio:sacar:elicui:elicitu
Rapio:arrebatar:rapu
Iacio:arrojar:ieci:iact
Meio:orinar:minxi:m
Capio:tomar:cepi:captu
Fugio,huir:fugi:fugit
Cupio:desear:cupiui:
Facio:hazer:feci:fact

De los preteritos,

offendo. En di,y en,sum,haran,mas sacaremos.
offendi. A sido,rudo,strido,con scando.
offensum. carecen estos quatro de supino.
incendo. A sido,le daremos fidi,ô fissus sum.
incendi. Edo,por comer,edi:esum,vel estum.
incesum. Los compuestos de,do das,en didi,ditum.
condo. A credo,y vendo junto con aquestos.
condidi. Scindo haze scidi,scissum,
conditũ. y significa cortar.
Fundo,fudi,fusum,derramar.
Findo hender,fidi,fissum.
Tendo,tetendi,tensum.
itentum. Tundo,tutudi,tunsum,
obtundo. Sus compuestos hazen,tusum.
obtudi. Pendo,pagar,pependi,pensum.
obtusum. Pedo,pepedi ha de dar.
sin supino. Cado,caer,cecidi,casum.
opantum. Pando haze pandi,passum.
eũdo. Cædo,cæcidi,cæsum,matar.
euasi. Si,sum,hazen cudo.y plaudo
eu sum. Cedo,diuido,y trudo.
Rego. Lædo,rodo,rado,y ludo,
Regi. Vado compuesto,y claudo.
Cingo. Go,xi,ctum,ningo,fugo,y con ango.
Cinxi. Estos tres carecen sienpre de supino.
cintum. Ago,tratar,egi,actum,
pergo. Pingo,pintar,pinxi pictum.
perrexi. stringo,apretar,strinxi,strictum,
perregtum. Pango,cantar,panxi,pactum,
Fingo,fingir,finxi,fictum.

Fi:

y supinos de los verbos.

Texo,texis,por texer
Texui,textum,nos dara,
Mas verto,vertis hara.
Verti,versum,por boluer.
Sterto,stertui,roncar,
Sin supino,tiene de ir,
Viuo,vixi,victum,viuir,
Sisto,stiti,statum parar.
Los verbos que acabaremos en ŭo,
En,ûi,y en,utum,hazen como,Polluo;
Ruo rui,ruitum,haze sus compuestos.
En,utum,daran siempre,en el supino.
Fluo,fluxi,fluxum,struo,struxi,structum.
Batuo,metuo,luo,pluo,y los verbos,
Que en,gruo,nuo,acaban todos estos,
Hazen en,ûi,solo sin supino.

polluo.
pollui.
pollutum.
obruo.
obrui.
obrutum.

De la quarta conjugacion.

La quarta haze en,iui,y en,itum,
Sepelio,sepeliui,sepultum,
Singultio,singultiui,singultum,
Vincio,atar,vinxi,vinctum.
Sancio,por establecer,
Sanxi,sanctum,muy bien haze,
Amicio,cubrir,le plaze,
Amixi,amictum,hazer.
Aperio,operio,ûi;ertum,
Comperio,comperi hallar,
Y compertum,deue dar,
Reperio,reperi,repertum.

Audio.
Audiui.
Auditum.
Eo.is.
iui,itum.
Queo,is.
Quiui.
Quitum.

Ful

De los preteritos,

Antes de entrar en la quantidad d las ſilabas
es neceſario ſaber que ſea ſylaba, y quantidad,
y para eſto es neceſſer ſaber que ſylaba le dize de ſy llabin Griego que ſignifica cõ
prehender y anſi ſylaba es comprehendiõ de lo
nidoentro, que no puede diuidirſe como dos,
Eſos por que diuididos no quiere dezir al ſignificar cõ la ſegunda, Quantidad quiere dezir quanta
ſea,ſi es larga,breue,o indiferente.por que ay ſy
llabas que vnas vezes ſon largas otras breues.o
tras indiferentes.y la quantidad eſſa ſiempre en
las vocales,A.E.I.O.V.ſi fueran ſiempre largas ô breues,no era neceſſario ſaber ſu quantidad.
La ſilaba larga eſta dos tiempos en ſu pronun-

De los preteritos,

Y ſupinos.

Pronuncie,y ſe haze en,ſi,y en,xi,y en,ui,y en,ſui,y en,ſum,y en,xum,y en,itum,y en,ctum,y en,ſitum,y en,xitum,y en,uitum,y en,ſuit

De los Preteritos,
y Supinos.

Y aun ſe hallan en los Autores Latinos, Peſſimo, optimo, maximo, &c.

Habeo, es, La ſegunda en ui, y en itũ, como taceo.
habui. Los compueſtos de taceo ſin lupino,
habitum. Y conticeo, reticeo, y otros muchos,
moneo es Que en ui, hazen el preterito, ut frondeo.
monui. Areo, pateo, liteo, rumeo, arceo,
monitũ. Las compueſtos de arceo en ui, y en itum,
ximeo, es, Como, exercito, coercito. Sola mente
egeo, es, Sorbeo, lorbui, ſtrideo, ſtridi, ſin lupino.
vigeo, es, Docco, docui doctũ, teneo, tenui, tentum,
ſplendeo, es Micheo, mitſi, mitſum, terreo, torrui, ſolũ,
abſorbeo. Cenſeo, cenſui, cenſũ, frigeo, frixi, frictum
abſorpſi. Haz en di, um, video, ſedeo, prandeo,
abſortũ. Mordeo, ſpondeo, tondeo, y tondeo.

y ſupinos.

Y Los verbos que en pleo, ſe acabaren, (tum impleo.
Aboleo, aboleui, abolitũ, adoleo, adoleui, adul impleui.
Cieo, ciui, citum, ſus compueſtos de la quarta. impletũ.
Los verbos que acabaremos en, veo. mouco.
En, vi, y en, tum, nos hazen como foueo. moui.
Caueo, caui, cautũ, faueo, faui, ſautum. motum.
Flaueo, liueo, paueo, ſin ſupino. voueo.
Conniueo, conniui, connixi, del carece. voui.
Los verbos que en deo, ſe acabaren, votum.

De la tercera conjugacion.

Bibo, bibi, bibitum, glubo, glubi, glubitum,
Scabo, ſcaui, lambo, lambi, ſin ſupino.
Nubo, nupſi, nuptum, ſcribo, ſcripſi, ſcriptum acumbo.
Los verbos que en, umbo, ſe acauaren. acubui.
En, ui, y en, itum, hazen ſin la M. acubitũ
Dico, dixi, dictum, vinco, vici, victum, recũbo.
Duco, duxi, ductum, ico, ici, ictum, recubui.
Parco, peperci, parcitum, parſi, parſum, recubitũ
El verbo que en, eſco, fuere acabado, quieſco.
En, ui, y en, tum, hara, como quieſco. quieui.
Sciſco con ſus cõpueſtos, ſciui, ſcitum. quietũ.
Anoſco, noui, notum, le daremos. creſco.
Agnoſco, agnoui, agnitum, cognoſco. creui.
Cognoui, cognitum, paſco, paui, paſtum. cretum.
Compeſco, compeſcui, diſpeſco, diſpeſcui, fueſco.
Adiſco, didici, poſco, popoſci, le daremos. fueui.
Carecen eſtos quatro de ſupino. fuctum.
Conquiniſco, conquexi, del carece.
Los verbos que en do, vieres acabados

De los preteritos,
y ſupinos.

Ordior, orſus comẽçar,
Loquor, por hablar, loquutus,
Sequor, por ſeguir, ſequutus,
Nitor, nixus, o ſtribar.
Mifereor, tenga, miſertus,
Vlciſcor, vltus vengarſe,
Patiſcor, paſſus conſentirſe,
Queror, por quexarſe queſtus,
Tueor, tuitus, defenderse,
A experior, experimentar,
Expertus le fuelen dar.
Labor, lapſus por caer,
Vtor, vſus, tiene de ſi

Onitus.

Compleẽtor haze compta xus, ſum vel fui.

De los preteritos,
y ſupinos.

Icio, y farcio en, ſi, y en, tum,
Con ſepio, y ſarſio dara,
Hautio, por ſacar, hara,
A donde quiera, hauſi, hauſtum.
Sentio, ſenſi, ſenſum, ſallo, ſalui, ſaltum,
Los compueſtos de Salio, en ſilui ſultum,
Y en, ſiliui, ſilitum, hazer pueden.
Y mudan la, a, en i, en todas partes,
Venio, veni, ventum, veneo, veniui, venum.

Profilio.
Profilui.
Profultum.
ô profiliui.
Profilitum.
Exillio.
Exilui.
Exultum.
O exiliui.
Exilitum.

Regla para dar preteritos, y Supinos a los verbos deponentes.

A los verbos en, or, fingimos voz actiua,
Vt vereo, vereor, del qual formamos,
El preterito, y ſupino para ellos,
Sacanſe eſtos pocos deſta regla.
Fruor, gozar, haze fruitus,
Y proficiſcor, profectus.
Adipiſcor, haze adeptus,
Obliuiſcor dara, oblitus.
Reor, penſar, haze ratus,
Fateor, faſſus, ha de hazer,
Patior, paſſus, padecer,
Daras â nanciſcor, nactus.
Metior, menſus, por medir.
Y comminiſcor, commentus,
Expergiſcor, experrectus,
Y gradior, greſſus, por, ir.

vereo.
verui, veritũ.
De aqui ſale
Paravereos.
vereris.
veritus ſui.
Si huuiera
blandio, is,
habia de ha-
zer, blandiui.
itum. De don
de ſale blãdi-
t⁹ ſum vel fui
Para blãdior
blandiris.

De las figuras.

Exeo. La vocal que antes tiene, como, Troya,
Pharetra En la prosa la voca, ſe conuierta, y liquida,
tenebre. Sera breue, en verſo es indiferente.
Deus. Vocal ante de vocal, la damos breue,
Meus. En Eneas, ay, R, ſera larga,
Eius. continuo; y dando de la quinta,
Hebræ. Las, Eas antes de, I, la tienen larga,
Pers. En res, pes, y ades ſera breue.
Species. los genitiuos en, ius, en la prosa,
Illius. la, I es larga, y en verſo larga, o breue,
Vnius. Alius ſera largo, breue, Alterius.
Ille, Se, di compueſtas eſcan largas,
Educo. Bn ditimo, y diferus ſera breue,
deprono. Es la, Re, breue ſacan largo.
ſeduco. Refero, por importare, o uer diſtancia,
Diligo. El, A, la pro alargan los Latinos,
Repono. Los Griegos la dan breue, donde quiera,
Reclinquo

BIBLIOTECA CENTRAL DE LA RIOJA
EX-LIBRIS

ILLVSTRISSIMI

IOANNIS EPISCOPI CALAGVRRITANI

Cursus Philosophicus.

ILLVSTRISSIMI

IOANNIS EPISCOPI CALAGVRITANI

Curtis Philosophicus.


Ambiguos calles fito secura peverrat.
DIALECTICA
Materiam, et formas rerum scrutatur eorum.
PHYSICA
ILVSTRISSIMI DOMINI
D. IOANNIS IOANNIZ
et Echalaz Muruzabalēsis
In Vrbe Salmanticensi Veteris Collegij D. Bartolomæi alumni, in Academia Philosophiæ, et Theologiæ Magistri, et magnæ Logicæ Professoris, in Ecclesia ad sacras conciones Magistri, EPISCOPI Mindoniensis, ac demum CALAGVRRITANI, et CALCIATENSIS.
PHILOSOPHIA
continens Dialecticam, Physicam, Animasticam et Metaphysicam,
D. FRANCISCO XAVERIO Indorū Apostolo SACRA.
Arcanas speculatur opes, animæ que recessus
ANISMATICA
Extollat, et suprema petit fastigia rerum.
METAPHISYCA
LVGDVNI
Sumpt. Phil. Borde, L. Arnaud, & Cl. Rigaud.
MDCLIV.

R/2.464


PHYSICA
DIALECTICA

DIVO FRANCISCO XAVERIO INDORVM CLARISSIMO APOSTOLO

OPERIS DEDICATIO.

PHILOSOPHIAM noſtram BEATISSIME XAVIER aris tuis appendimus, & te cælitem, paruo licet, munere veneramur, non ignari ſuperos, quorum numerum auges, quorum cœtum ornas litantium non tam radiantem auro, & gemmis acerram, & plenam thure manum, quam animum inſpicere, & modico quandoque florum ſerto velut obſtrictos placido vultu ad vota ſupplicum deſcendere. Neque ingratum tibi munus Philoſophiam noſtram arbitratus ſum, quam Magiſtri laurea in ſcholis Pariſienſibus donatus publicè inſuper profeſſus exornaſti, & cuius non leui ope in refellendis Bonziorum apud Iapones erroribus vſus non ſemel es. Neque verendum mihi fuit ne non placide acciperes. Munera quædam ſunt, quæ debitum extinguant, alia quæ fateantur: & in ſuprema felicitate degentibus parem ex æquo gratiam referre fas non eſt mortalitati. Creditorem agnoſcere, meque tibi innumeris obſtrictum beneficiis fateri & mihi religio eſt, & tibi gloria: glorioſum ſcilicet tibi eſt tanta conferre tamque ſublimia, vt cum omnes noſtras excedant facultates opus ſit beneficia nobis conferas non recepturus, quod ſupremum eſt benefacientium decus. Mihi vero iucundum etiam eſt ita beneficiis tuis tibi eſſe aſtrictum, vt nequeam exolui. Adſtrinxiſti porrò, atque deuinxiſti me tibi arctiſſimè, ſed vt alia taceam, quæ tamen nunquam excident memoria, illud mihi gratiſſimum, mihi ſuauiſſimum DVLCISSIME XAVIER, quod iteratis argumentis luculentum mihi feceris me, reſque meas cordi tibi eſſe, gerere illarum curam, ſubque tuo ire Numine, namque quo die tibi Eccleſia ſolennes peragit ritus, quas numero felicitates? Grata, vt credo, parum tua tibi videantur gaudia, niſi in tuos effundas. O me felicem! te notantur fauſti atque mihi iucundi dies, ô vt non poterant altera meliori vnione, atque Margarita notari, ô vt felices fluant, atque candidi neceſſe eſt, quos tu nouus

orienti ſol exortus ſignas. Vehemens erat deſiderium quandoquidem opere tot donis par eſſe nequeam, verbis tamen vtcumque reſpondere, atque oportunam nactus occaſionem per tuas laudes laxo ire calamo, ſed memor te laudare, rectiſſimè eſſe, ſolem, quod aiunt, velle detegere ſatius arbitratus ſum lucem quidem tuam, atque ſplendorem non in te, ſed in tuos deriuatum detegere, vnaque denuo me tibi fateri deuinctum, non meo tantum, ſed eorum etiam qui mei ſint, nomine. Eius inquam nomine qui à te faces accepit, quibus præfulgeret ethnicis, animos quibus glorioſiſſimam ſuſciperet Prouinciam, quid moror loqui eum qui dignus ſit Cedro, Cæloque inſcribi, Religioſiſſimi inquam Patris Martini de Vrtaſun XAVIER primi germani mei, qui ſanguini in primis tibi coniunctus, profeſſione deinde ſe tibi coniunxit; namque cum è prima Nauarræ Nobilitate Pompelone natus eſſet, prædiuiteque maioratu, caduca tamen omnia eſſe, atque momentanea, quæ mundus offerre poſſit, attentiùs intuitus, eaque, vt par eſt, flocci pendens, manumiſit omnia, Societatíque IESV nomen dedit vbi ſimulatque poſuit tyrocinium, largam, longamque metam ſibi pertingendam propoſuit, ſiquidem à primis illis initiis barbaris Indorum nationibus ad Chriſtum trahendis denouit ſeſe. Parum ratus, EXCELSE XAVIER, ſi tibi & ſanguine eſſet, & profeſſione coniunctus, niſi glorioſi quoque muneris ſocius eſſet. ac comes. Ergo non ignarus quantam virtutum atque veræ ſanctitatis ſupellectilem ſuſcepta prouincia poſtularet, id ſummæ curarum illi fuit, vt aptum ſe & idoneum Euangelij Miniſtrum effingeret, id quod omnium ſanè iudicio feliciter eſt aſſecutus; ſuo tantùm nondum obtinuerat, cum voti ſui compos factus ad Paraguaienſem Prouinciam alacris ac feruens adornat iter vt iam ſuis quoque eſſet Americo Occidenti XAVIER, nec ſolùm, qui tuum geſtaret ſpiritum Illuſtris FRANCISCE, ſed etiam qui tuum auguſtum nomen, & triumphalem ſanguinem Nationibus illis, tanquam fauſtum omen oſtenderet, vt orientis & occidentis Solis ſplendor tuo auctus vbique viſeretur. Quæ non ille longa, ac pertæſa nauigatione perpeſſus? quæ non pericula, quas non mortes deuorauit? at omnibus illis maximus ille vir maior, portum tenuit demum; ſed non quietem, ſiquidem ad noua, maioraque ſuſtinenda obtulit ſe illico, id plurimum gauiſus, quod opportunum ſubſidium eſſe videretur Fratribus ſuis, qui tum temporis primo Paraguaienſem gentem Chriſto debellabant, in qua porro expeditione tum in barbaris hominibus è montibus, atque ſyluis, quas inſtar belluarum incolebant, ad politiorem vitam cogendis, tum in eorum inſigni ruditate deuaſtanda, Vrbanum & Chriſtianum in morem lenienda feritate, tum in Dæmonum, Magorumque inuidia, inſidiis, iniuriis ſuſtinendis, tum demum in veſtitus, atque victus penuria, & vitæ aſperitate toleranda, ea paſſus eſt, quæ cuiuis facilè eſt coniicere, imo quæ ſuperent coniecturam, ea demum quæ ad mortem vſque Chriſti militem ſtrenuum perduxere. Poſt ingentes ergo exanthlatos labores, & innumeras Chriſto relatas palmas incidit in fatalem morbum, qui quo pacto alleuari poſſet vbi quæ & homini valetudine vigenti neceſſaria eſſent, deſiderabantur; etiam panis fruſtulum. O bone Deus fame pereat vir in deliciis enutritus, vir delicatiſſimis in ſæculo aſſuetus cibis? Sed quem domus tuæ zelus comederat, parum humanos cibos curabat, namque in ſumma iſta rerum inopia conſtitutus quid ardens ille tui æmulator, Excelſe XAVIER, cogitabat? Pœnituit nunquid illum cœpti? putabat malè ſecum à Deo agi, qui ita illum affligeret? Reſpondeant flammata illius verba inter ſuprema numerata. O me, aiebat, ignauum atque pigrum, quem morientem delicatus excepit lectus, (erat vero ille miſellula culcitra pari ſtragulo) & non potius aut fera pro Chriſto meo diſcerptum vorat,

aut

aut barbarus impetus, aut crudus enſis abſumit, atque inter has voces, atque martyrij ardentiſſima deſideria vir Deo planè gratiſſimus; & qui, quemadmodum R. Pater Antonius Ruiz vir ſanctitate clariſſimus, qui generalem atque poſtremam illius excepit confeſſionem, atteſtatur, nunquam lætalem noxam admiſiſſet, puram animam tradidit Deo ſuo. O quam iucundo amplexu, vt par eſt credere, tuo illa excepta eſt ſinu! quaſi hæreditario iure crediderim, ALME XAVIER in lethi iſtius genus ſucceſſiſſe tibi Martinum tuum, nempe ita tu quoque obiiſti à ſolis ſupernis ſolatiis non relictus, hoc etiam vehementer dolens, quod in fidei paleſtra pro Chriſto ſanguinem non funderes; ſed hoc etiam crediderim quemadmodum tibi, quod penes te non fuit, gloriam tuam non minuit, ita neque Martini tui minuiſſe, imo inde forſan vtriuſque non mediocriter auctam: nouum enim & cruentum ſatis martyrij genus eſt, inexpletis votis torqueri, ardentiſſimis ſuſpiriis, velut lento igne abſumi. Nec me mea fallit opinio, placuit enim ſupremo Numini præter ſingularem quemdam nitorem, atque pulchritudinem, quæ in exanimi iam corpore viſa eſt, alia etiam cumulatiſſimæ illius gloriæ argumenta præbere, namque cum pauculos poſt ab ipſius obitu menſes vnus quiſpiam illius amiciſſimus Religioſus, qui Ethnicis etiam Deo conuertendis inſudabat, crebris laboribus, atque ærumnis afflictaretur, amico etiam extinctus non defuit: itaque ſeſe illi conſpiciendum dedit roſeo in lumine, ſubdiditque lætiſſimus; iſta quæ aſpicis, maioraque mi frater manent. O ſtrenuos Chriſti athletas, atque his dictis euanuit non ſine dolore illius, quem conſpectu ſuo recreauit mire, atque roborauit. Is fuit Martinus tuus ô XAVIER, quem quantus eſt noſtrates, atque ego potiſſimum tanquam eximium gentis noſtræ decus tibi acceptum perpetua recordatione referemus. Itaque vt ſingularem meum Patronum, atque beneficum muneratorem quando aliud non valeo agnoſcam ſaltem, atque atteſter, donarium hoc, quod ad manus habeo aris tuis lubens defero, atque dedico, quamuis magnitudini, atque celſitudini tuæ exiguum, quod tamen à memoratis beneficiis, & à patria mihi tecum communi, & à conſanguinitatis iure tibi debetur omnino. Priores ergo vitæ noſtræ curas prioribus tuis ſimiles tibi dicamus: ſupremæ, vt conſonent, noſtrum eſt vt precemur, quod votis facimus, tuum vt annuas, quod ſperamus.

I. EPISCOPVS CALAGVRRITANVS
& CALCIATENSIS.

RATIO OPERIS
AD LECTOREM.

EXVNDANS libris ſæculum non me terret, beneuole Lector, quominus hanc qualem qualem Philoſophiam in medium offeram, maiori ſanè amouendæ notæ ſtudio quam laudis quærendæ, quam haud aucupor, neque ſpero inanem nimis, ſolumque plenam vacuo ſuo: vt enim magnum eſſe non poteſt tot ſcribentibus adiungi, cum magna quæque paucis admodum conceſſa ſint, indecorum contra videbitur, audentibus cunctis ſi conticuerim ego ſolus: & quod maximum improbrationis argumentum eßet, qui integram ferme vitam primum diſcens, docens ſubinde in ſcholis tranſegi, iiſque Salmantinis, temporibus celebratiſſimis, quibuſque pares vix alias orbis tulerit, illuſtriores certè nullibi gentium, nulloque ſæculo.

Ergo iſta in hunc me animum pepulere, vt de hac luci publicæ tradenda Philoſophia cogitarem. Acceſſere amicorum, eorumque plurium, ac illuſtrium aſſidua vota, poſtulata frequentia, quorum duo in ſpecimen teſtimonia producimus, atque operi atteximus omni exceptione maiora, citra omnem commendationem inſignia. Acceſſit necnon recentium voluminum hoc de argumento tractantium conſideratio, diſcentibus pleriſque parum vtilium ac Magiſtris plus contentionis afferentium quam auxilij. Plura namque affectionum ac partium ſtudio, quod à Doctis, Chriſtianiſque pectoribus procul abeſſe oportebat, & plena ſunt, nec tam eo eunt vt doceant quam vt triumphent, partæ victoriæ quam detectæ veritatis cura maiori. Quid enim humanarum mentium tanto in nubilo aut inconſideratius dicitur aut incredibilius quam vel Scholam aliquam attigiſſe vbique veritatem, vel aliquam immitibus planè actam fatis ad ſcopulos ſemper impegiſſe, ac nullibi nec caſu quidem rectò direxiſſe mentis aciem. Quod qui credi volent alios adeant humanarum rerum, atque conditionis mortalium haud ita gnaros.

Quoad ſtudioſorum porro frugem attinet, eam in miſſis multi fecere, ſiue iuſto feruentior contentio eos aliò diſtraxerit, ſiue ſtyli elegantior comptus fecerit imperuios, ſiue antiquis intenti noua neglexerint, ſiue contra; quorum vtrumlibet ingens certè cum vitium ſit eò ſedulò incubuimus, vt antiquiorum memores, atque obſeruantiſſimi recens quoque nata magnorum acuminum inuenta diſſertè ac perſpicuè traderemus, cum doctus quiſque Scriba proferat de theſauro ſuo noua & vetera, vt ex Euangelio habemus.

Haud verò dubito multos futuros qui hanc de Philoſophia edenda Prouinciam non parem ſed degenerem credant & ſacris infulis, & labenti ætati, quippe quæ æuo noſtro Iunioribus tradi cœpta eſt, ſecus vero Doctiores, ac celſitudinis Philoſophiæ conſcios viros dicturos nemo non nouit, qui huius ſcientiæ magnitudinem, qui eius omni ſæculo commendationem, omnium per orbem gentium iudicium, qui demum tot, adeoque claros, ac eximios viros eos ei ex aſſe deditos haud ignorat. Argumentum hoc eſſet longioris operæ; ſed Doctis, ſed eruditis, quibus ſolum hac in parte debitores ſumus, omnino ſuperuacaneum.

Sed eſt & aliud, quo ab hoc me morſu indoctiorum liberem. Quippe conſilium eſt multa de ſacra Theologia, quæ diutino, aſſiduoque labore elucubrata domi ſuppetunt, nec parum, vt credo, Scholis vtilia continuò luci donare. Conſultius vero fuit viam primum per Philoſophiam ſternere, hocque ignobilius, ac cenſuræ patientius opus ſcholæ priùs iudicio ſubiicere, vt ſiquid in eo inconſideratius dictum eſt, nobis vt precamur deferatur, ac in ſacra Theologia ſiue corrigatur accuratius, ſiue abſtergatur. Vale.

REVEREN

REVERENDISSIMI P.
MAGISTRI
PETRI PIMENTELI
Societatis IESV, in Prouincia Caſtellana Prouincialis
EPISTOLA AD AVTHOREM.

SVBVERERI hominum iudicia, & in edendis præclaris de re Philoſophica voluminibus tandiu cunctari illuſtriſſimam Dominationem veſtram & cum dolore audio, & ex parte lætor. Quippe egregij ingenij nota eſt hominum cenſuras reuereri, & optimus quiſque ſcriptorum ea diffidentiæ cunctatione notatus eſt. Validi quique, & vigentes fœtus maximo nitenti dolore conſtitere. Sed eo vſque inualuiſſe alieni iudicij dubitationem, vt rei litterariæ periculum faceſſat vehementer doleo, & propè eſt vt accuſem. Et verendum mihi eſt, ne læſæ amicitiæ deſertæque rei literariæ reus arguar, ſi non parturienti egregios ingenij fœtus, conſilio, & precibus quaſi obſtetricantis manum commodauero. In nos periculum iſtud (ſiquod eſſe poteſt) recidat, qui illuſtriſſimam Dominationem veſtram in ſcholis Salmanticenſibus tot per annos egregia cum laude verſatam nouimus: atque illæ ipſæ in ſe recipient; quæ magnis in Academia honoribus functum ad ſacras infulas tranſmiſere. Et quotus quiſque eſt, qui earum præiudicium non ſequatur; quæ gentes non recipiant ſcripta, quæ Salmanticenſis Academia cum laude, & plauſu ſuſpexit? quamobrem illuſtriſſimam Dominationem veſtram per veteris amicitiæ iura eiuſdemque in ſcholis contubernij conſuetudinem enixe rogo, atque obteſtor ne nos inexpletis diutius votis diſcruciet, neue in tenebris patiatur luce publica digniſſimas lucubrationes. Illuſtriſſimam Dominationem veſtram Eccleſiæ ſuæ Deus ſuperſtitem, atque incolumem quam diutiſſimè, & pro votis noſtris ſeruet. Valliſoleti. 25. Iulij anno 1653.

D. D.

D. D. DOCTORIS

D. ANTONII CALDERON

OLIM E COLLEGIO

Conchenſi apud Salmanticenſes Maiori, & in Cathedrali Eccleſia apud eoſdem à ſacris Bibliis interpretandis, in alma Academia Durandi Cathedræ Anteceſſoris, poſtea Toletanæ Eccleſiæ Canonici, Capellani Maioris Regij in Cœnobio, quod Incarnationis cognomine inſignitur, & ſimul Sereniſſimæ Infantæ Magiſtri, Nunc electi Archiepiſcopi Granatenſis.

LICET Epiſtolam excribere decreueram, SAPIENTISSIME PRÆSVL, ad Epiſtolæ leges animum temperare non valeo: difficillimum enim eſt, vt ſibi quiſquam imperet, vbi & laudationis meritum vrget, & amicitiæ affectus imperat, præſertim cùm iudicij libra propendeat, vt ſaltem laudis debita perſoluat, quamuis nolit amicitiæ aliquid indulgere. Stylum igitur Epiſtolæ declinabo, ne res eximia dictionis familiaritate ſubſidat; ipſius breuitatem amplectar, ne in volumen creſcat elogium, vbi vnica tui Nominis inſcriptione ſatis ornatur. De multis, paucas attingam, quas olim ingenij tui virtutes mirari ſolebam. Exulto planè, & lætitia geſtio, quod votis meis tandem frui liceat: etenim ſæpe dolebam, tuæ doctrinæ lumina quaſi tenebris damnata ſæpe dolebam, tuæ dolebam, tuæ doctrinæ lumina quaſi tenebris damnata iacere, ſæpius optabam,

bam, vt veſtra Dominatio in publicam vtilitatem funderet, & quo Salmanticenſem Academiam afflarat, eodem reliquas orbis ſcholas ſplendore perfunderet. Etenim longa experientia didiceram, quam acris vis ingenij tuæ Dominationi affulſerat, quàm prudens eligendi opiniones iudicium, quàm idonea legenti, rebuſque cognata methodus, ita vt quid cuique loco conueniat, vnde auſpicandum, vbi exeundum, quid interſerendum, quid omittendum, natura ipſa digeſsiſſe videatur, inde ea perſpicuitatis dimanat amœnitas, vt lectorem ſine tædio detineat, ſine faſtidio dimittat, imo adhuc reguſtandi deſideria ſollicitent. Quæ omnia vt Magiſtri requiruntur ad munus, ita ad cumulum laudis ſufficiunt: ſed ne præteriſſe videar quæ in te collecta demiror, ſingu'a delibo. Prorſus ita contigit: ſiue tua defenſare, ſiue aduerſa labefactare, ſuſciperes, tam paribus ſemper auſpicijs, vt neutra actio ad periculum, vtraque vocaret ad plauſum. Sæpius tibi debita deſiderabatur inſcriptio, quam Carneadi minori iure tribuit Antiquitas. Nempe eam eſſe vim ingenij, vt nullam vmquam rem defenderit, quam non probauerit; nullam oppugnauerit, quam non euerterit. Tam verò opinionum electio tibi ſumma contigit, cui ſemper placuit meliora ſecernere, non vetuſtiores reſpuis, nouiores non faſtidis, illa, illa ſemper arriſit, quæ virtuti vicinior, nihil factioni, nihil amicitiæ dediſti, nulla te aura affectionis afflauit, ſola veritatis momenta mouerunt. Denique non rerum diſpoſitio, in qua non minus prudentiæ, quam ingenij virtus elucet, ſibi primas vendicat, quare licet ſingulæ res magnam veritatis dignitatem habere videantur omnium tamen apta connexio maiorem præferat maieſtatem neceſſe eſt; ſingulæ orbis partes mirabilem prædicant auctorem, ſed omnium apta compago probat eſſe diuinum. Hæc olim tibi pretium, nobis admirationem attulerunt, nec indigent præconio, ſed aſpectu, quia excellentium operum proprium eſt, vt externo commendatore non egeant, *inquit Ambroſ.* ſed gratiam ſuam, cum videntur, ipſa teſtentur. Plus eſt, quod probatur aſpectu, quàm quod ſermone laudatur, ſuo enim vtatur teſtimonio, non alieno ſuffragio. *Quare pluribus abſtineo, illud à Numine exoratorus intentus, vt Illuſtriſſ. Dominationem veſtram ſeruet incolumem, quem publico Eccleſiæ bono natum eſſe ſentimus. Matriti Kalend. Auguſti ann.* 1653.

Tull. lib. 2. de Orator.

Lib. 1. Exam. de Orator.

APPROBATIO DOCTORVM.

HOC opus inſcriptum, *Illuſtriſſimi Domini D.* IOANNIS, *Epiſcopi Mindonenſis, ac demum Calagurritani & Calciatenſis, Curſus integer Philoſophicus*, accuratè legimus nos infra-ſcripti almæ facultatis Pariſienſis Doctores: viſumque nobis eſt opus multæ, variæque eruditionis, & ideo impreſſione dignum cùm nihil fidei diſſonum contineat. Actum Lugduni anno ab enixa Virgine, 1654. die menſis Auguſti, 12.

F. M. MICARD
Minor.

F. CYRILLVS MOREL Facultatis Pariſienſis Doctor Theologus necnon Carmelitarum Lugd. humilis Prior.

CONSENSVS.

HVnc librum, qui inſcribitur, *Illuſtriſſimi Domini D.* IOANNIS *Epiſcopi Mindonenſis, ac demum Calagurritani & Calciatenſis, Curſus integer Philoſophicus*, typis mandari, & in lucem edi hac in vrbe, ſumptibus PHILIPPI BORDE, LAVRENTIJ ARNAVD, & CLAVDII RIGAVD, Bibliopolarum Lugdunenſium, Ego Regis in Præfectura Lugdunenſi Aduocatus non impedio, die 20. Auguſti 1654.

BOLLIOVD MERMET.

PERMISSIO.

VIſo Aduocatus Regij conſenſu hunc librum typis mandari ſupradictis Lugdunenſibus Bibliopolis concedimus, & ne quis citra facultatem denuò excudat, prohibemus. Lugduni die 20. Auguſti 1654.

SEVE.

INDEX
DISPVTATIONVM, ET CAPITVM, QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR,

NVMERVS PAGINAM INDICAT.

INTRODVCTIO IN Dialecticam Aristotelis, quam vulgus summulas appellat. pag 1

DISPVTATIO I.

De terminis in communi, & in particulari.

Cap.I. DE termino in communi disseritur. pag. 3
II. De termino mentali, vocali, & scripto. 4
III. De termino communi, & singulari, vniuoco, & æquiuoco, ac Analogo, transcendenti, & non transcendenti. ibid.
IV. De termino absoluto, & connotatiuo, concreto, & abstracto, Cathegorematico & Sincathegorematico. 5
V. Aliæ terminorũ diuisiones explicantur. 6

DISPVTATIO II.

De nomine, Verbo, Oratione, & Propositione.

Cap.I. QVid nomen, & Verbum, quid, & quotuplex oratio, ac propositio sit. 6
II. De propositione simplici & Cathegorica. 7
III. De propositione composita, & hypothetica. 8

DISPVTATIO III.

De proprietatibus quæ terminis intra propositionem conueniunt.

Cap.I. QVid sit suppositio, & quotuplex explicatur. 9
II. Resolutio per ascensum, & descensum aperitur. 10
III. Aliæ terminorum proprietates explanantur. 11

DISPVTATIO IV.

De proprietatibus logicalibus propositionum.

Cap.I. QVid & quotuplex oppositiõ sit, & quas leges obseruet. 12
II. Aduersantia argumenta proponuntur ac diluuntur. 13
III. Quid sit æquipollentia, & quomodo cognoscatur. 14
IV. Quid conuersio, & quibusnam modis fiat. 15

DISPVTATIO V.

De Propositionibus modalibus.

Cap.I. DE essentia, qualitate, & quantitate, propositionis modalis. 16
II. De æquipollentia, & oppositione moraliũ de dicto particulari. 16
III. De modalibus de dicto communi. 18
IV. De conuersione propositionum modalium. 18

DISPVTATIO VI.

De modo sciendi in communi, & in particulari.

Cap.I. QVid modus sciendi sit, & quas contineat species. 19
II. Quid & quotuplex definitio & quas leges habeat. ibid.
III. Quid & quotuplex diuisio sit, & quas conditiones petat. 20
IV. Quid sit argumentatio aperitur & varij modi argumentandi explanantur. 21

DISPVTATIO VII.

De Syllogiſmo ſpecialiter diſſeritur.

Cap.I. NOnnulla præcepta generalia præmittuntur. 21
II. Quæ & quotuplex ſit materia, forma, ac figura Syllogiſmi. 22
III. Quo pacto Syllogiſmi imperfecti ad perfectos reducantur. 23
Vlt. De Syllogiſmo expoſitorio & obliquo, ac de adinuentione medij. 24

COMMENTARII, ET DISPVTATIONES in vniuerſam Dialecticam. p.25

TRACTATVS I.

De Proœmialibus.

DISPVTATIO I.

De obiecto Logicæ.

Cap.I. DE nomine, officio, fine, & dignitate Dialecticæ. p.25
II. An Logica ſit vtilis,& conueniens. 26
III. An obiectum Logicæ ſit ens rationis. ib.
IV. An voces intrent in formale obiectum Dialecticæ. 31
V. An modus ſciendi formalis, an obiectiuus ſit obiectum Logicæ. 32
VI. Quodnam ſit obiectum attributionis Dialecticæ. 33
VII. Quid ſit diſpoſitio artificioſa quæ eſt obiectum formale Logicæ, & an ab actibus diſtinguatur. 37

DISPVTATIO II.

De Dialectica ſecundum ſe, & in ordine ad ſuum obiectum.

Cap.I. QVid Logica docens, quid vtens, & an vtraque ſcientia ſit. 38
II. An Logica ſit ſpeculatiua,anve practica. 39
III. An logica ſit vna qualitas ſimplex an ex pluribus habitibus compoſita. 46

DISPVTATIO III.

De Dialectica in ordine ad alias ſcientias.

Cap.I. AN Dialectica omnino ab aliis ſcientiis diſſideat. 50
II. An Logica neceſſaria ſit ad alias ſcientias capeſſendas. 52
III. An Dialectica phyſicum habeat influxum in actus aliarum ſcientiarum 54

TRACTATVS II.

De Vniuerſali in communi.

DISPVTATIO IV.

De natura vniuerſali à parte rei.

Cap.I. QVid vniuerſale, & quid ſingulare aperitur. 56
II. An inter gradus ſuperiores & inferiores, aliqua diſtinctio à parte rei intercedat. 57
III. Argumenta aduerſantia profligantur.60
IV. An abſolutè & ſimpliciter detur vniuerſale à parte rei. 62
V. An diſtinctione inter gradus ex natura rei admiſſa à parte rei vniuerſale ſequatur. 65

DISPVTATIO V.

De veritate naturæ vniuerſalis & eius aptitudine.

Cap.I. QVid ſit vnitas, & quotuplex illa ſit, 66
II. An detur à parte rei vnitas formalis & numerica. 67
III. Quomodo in vnoquoque indiuiduo vnitas formalis & numerica diſtinguantur. 69
IV. An detur à parte rei in natura vnitas formalis communis pluribus. 71
V. Quid ſit aptitudo naturæ vniuerſalis, & an illa, detur à parte rei. 74
VI. An à parte rei detur vniuerſalitas. ibid.
VII. In quo eſſentialiter conſiſtat vniuerſalitas. 75

DISPVTATIO VI.

Per quam præciſionem fiat natura vniuerſalis.

Cap.I. DVplex præciſio explicatur, & diuerſa placita recenſentur. 76
II. An natura humana poſſit præſcindi obiectiuè ab aliis vltimis ecce itatibus. 78
III. An natura creata poſſit obiectiuè præſcindi à differentiis ſpecificis. 80
IV. Argumenta in contrarium adducuntur, & diluuntur. 83

V. An

V. An in diuinis aliqua formalitas possit esse obiectiuè præcisa ab alia. 85
VI. An formalis præcisio in creatis admittenda sit. 86
VII. Naturam vniuersalem fieri solùm per præcisionem formalem demonstratur ac defenditur. 88

DISPVTATIO VII.

Quæ sit formalis ratio per quam natura formaliter fiat vniuersalis.

Cap.I. AN natura formaliter vniuersalis fiat per cognitionem abstractiuam, an per comparatiuam. 90
II. An etiam per actum iudicij natura formaliter fiat vniuersalis. 93
III. An per speciem impressam, natura formaliter Vniuersalis reddatur. 94
IV. An etiam ratio formalis, per quam natura fit Vniuersalis sit actus potentiæ non intellectiuæ. 95

DISPVTATIO VIII.

De Passionibus vniuersalis.

Cap.I. QValiter vniuersalia sint perpetua & æterna. 96
II. An propositiones vniuersales sint sempiternæ veritatis. 97
III. Quid & quotuplex sit prædicatio. 98
IV. An prædicabilitas sit passio vniuersalis. 99.
V. Qua ratione per terminos primæ & secundæ intentionis superiora de inferioribus prædicentur. 101

TRACTATVS III.

De vniuersalibus ac prædicabilibus in particulari.

DISPVTATIO IX.

De Genere, primo prædicabili.

Cap.I. DEfinitio generis explicatur. 103
II. An genus vt sic, sit omni generi ratio vniuoca, atque præcisa aperitur. 106
III. Quodnam sit definitum in definitione generis. 105
IV. Quomodo genus sit totum & pars in compositione Metaph. 110
V. Quædam dubiola elucidantur. 112
In cap. 2. Porphyrij de specie. 114

DISPVTATIO X.

De specie subiicibili, ac correlatiuo generis.

Cap.I. QVid species subiicibilis, & quæsita alia explicantur. 115
II. An aliqua indiuidua immediate generi subiiciantur. 117
III. An species in vnico indiuiduo & genus in vnica specie possit conseruari. 118

DISPVTATIO XI.

De specie secundo prædicabili.

Cap.I. QVænam sit formalis ratio speciei prædicabilis expenditur. 121
II. An ad speciem prædicabilem plura indiuidua possibilia requirantur. 122

DISPVTATIO XII.

De indiuiduo subiicibili correlatiuo speciei.

Cap.I. VAriæ indiuidui acceptationes explicantur. 123
II. An ratio indiuidui communis, omnibus indiuiduis dari queat. 124
III. Quid indiuiduum vagum & an ratio vniuersalis sit. 125
In caput 3. de differentia. 126

DISPVTATIO XIII.

De differentia tertio prædicabili.

Cap.I. QValis sit diuisio differentiæ in communem, propriam & propriissimam. 128
II. Vtrùm ratio differentiæ proprrissimæ sit realis vel rationis. 128
III. Vtrùm prædicta diuisio sit analoga. 129
IV. Vtrùm definitiones 3. prædicabilis differentiæ sint bonæ. 130
V. Respectu quorum differentia constituatur vniuersalis 132
VI. Vtrùm differentia infima formaliter includat superiores. 133
VII. Vtrùm differentia infima sit composita ex pluribus subalternis. 133

DISPVTATIO XIV.

De Proprio quarto Prædicabili.

Cap.I. AN proprium quarto modo acceptum constituat hoc prædicabile. 138
II. Respectu quorum proprium dicatur vniuersale. 140

DISPVTATIO XV.

De accidente, quinto prædicabili.

Cap.I. QVid & quotuplex sit accidens commune. 141
II. Respectu quorum inferiorum quintum prædicabile constituat vniuersale 142

DISPVTATIO XVI.

Qualis sit vniuersalis diuisio in quinque prædicabilium species.

Cap.I. AN diuisio vniuersalis in vulgatas species sit adæquata. 143
II. An hæc diuisio sit generis in species. 144
III. An prædicta diuisio sit in species infimas. 146

TRACTATVS IV.

De vniuocis, æquiuocis, denominatiuis, & analogis.

DISPVTATIO XVII.

Vniuoca, æquiuoca, denominatiua & analoga explicantur.

Cap.I. DE vniuocis, æquiuocis, ac denominatiuis. 147
II. De analogis, & eorum diuisione. 148
III. An ab omnibus analogis possit abstrahi vnus conceptus communis. 149

DISPVTATIO XVIII.

An ratio entis sit analoga Deo. & creaturæ substantiæ & accidenti.

Cap.I. STatus quæstionis explicatur, & ratio dubitandi proponitur. 152
II. Ratio entis non ideo est analoga, quia non possit esse à differentiis præcisa. ibid.
III. Ratio entis vt purè præcisa non est analoga propter dependentiam. 155
IV. Ratio entis vt purè præcisa non est analoga propter transcendentiam. 157
V. Quæstio resoluitur, & entis vniuocatio & analogia explanantur. ibid.

DISPVTATIO XIX.

An ratio entis ad Deum, & creaturam, substantiam & accidens sit verè genus.

Cap.I. RAtio dubitãdi proponitur, & modi dicendi aliorum refelluntur. 159
II. Tota controuersia elucidatur. 160

TRACTATVS V.

In libros de prædicamentis seu cathegoriis Aristotelis.

DISPVTATIO XX.

De prædicamento substantiæ.

Cap.I. QVid significet nomen, prædicamentum, & quæ ad illud requirantur. 162
II. An decem sint prædicamenta. 163
III. Quænam in hoc prædicamento substantiæ contineantur. 164
IV. Quæ distinctio requiratur ad distinguenda prædicamenta. 165

DISPVTATIO XXI.

De constitutiuo substantiæ.

Cap.I. AN bene diuidatur substantia in primam & secundam. 166
II. An definitiones primæ & secundæ substantiæ sint bonæ. 168
III. Quæ sit ratio formalis constitutiua primæ substantiæ. ibid.
IV. Sex proprietates substantiæ explicantur. 171

In cap.6. de quantitate. 173

DISPVTATIO XXII.

De quantitate, & eius constitutiuo.

Cap.I. DEfinitio quantitatis explicatur. 173
II. An quantitas realiter distinguatur à re quanta. 174
III. An substantia secluſa quantitate habeat partes realiter extra partes. 175
IV. In quo consistat ratio formalis & essentia quantitatis. 176

DISPVTATIO XXIII.

De speciebus quantitatis in communi.

Cap.I. QValis sit diuisio quantitatis in continuam & discretam. 178
II. An

II. An linea ſuperficies & corpus ſint veræ ſpecies quantitatis continuæ. 179
III. An locus, tempus & motus ſint veræ ſpecies quantitatis continuæ. 180

DISPVTATIO XXIV.

De ſpeciebus quantitatis diſcretæ.

Cap.I. QVid addat vnitas prædicamentalis ſupra quantitatem continuam. 181
II. An numerus ſit vera ſpecies quantitatis diſcretæ. 182
III. Quomodo vltima vnitas ſit forma numeri. 183
IV. An Oratio ſit vera ſpecies quantitatis diſcretæ. 184
V. An ſi daretur quantitas actu infinita pertineret ad hoc prædicamentum. 185
VI. Tres proprietates quantitatis explicantur. 186

In cap.7. de relatione. 187

DISPVTATIO XXV.

De Relatione.

Cap.I. EXplicatur & defenditur vera definitio relationis. 187
II. An dentur à parte rei relationes reales creatæ. 188
III. Per quem reſpectum relatio conſtituatur in ratione relationis. 190
IV. Quæ relationes pertineant ad hoc prædicamentum. ibid.
V. In quo relatio prædicamentalis differat à tranſcendentali. 191
VI. Quæ conditiones requirantur ad relationem prædicamentalem & quænam hic collocentur. 193

DISPVTATIO XXVI.

De diſtinctione relationis à fundamento, & termino.

Cap.I. QVot ſint genera relationum. 194
II. An relatio Prædicamentalis primi generis à fundamento & termino reipſa diſtinguatur. 195
III. Aduerſantia argumenta diluuntur. 197
IV. An relatio Prædicamentalis ſecundi generis à fundamento & termino reipſa diſſideat. 200
V. An relatio prædicamentalis terminetur ad abſolutum an ad relatiuum. 202
VI. Vnde ſumatur vnitas vel diſtinctio relationum. 203
VII. Quatuor proprietates relationum explicantur, 204

In cap. 8. & de qualitate. 205

DSPVTATIO XXVII.

De Qualitate.

Cap.I. QValis ſit conceptus qualitatis, & eius definitio. 205
II. In quo differant habitus & diſpoſitio. 206
III. Explicantur tres aliæ ſpecies qualitatis 207
IV. Tres proprietates qualitatis enodantur. 208

In cap.9. de ſex vltimis prædicamentis. 209

DISPVTATIO XXVIII.

De ſex vltimis prædicamentis.

Cap.I. DE prædicamento Actionis, & Paſſionis. 209
II. Explicatur prædicamentum *Vbi.* 210
III. Explicantur prædicamentum ſitus, habitus, & quando. ibid.
IV. An hæc ſex prædicamenta ſint formæ abſolutæ, vel relatiuæ, aut extrinſecæ denominationes. 211

DISPVTATIO XXIX.

De poſtprædicamentis.

Cap.I. DE oppoſitis. 211
II. De modis prioris. 212
III. De modis ſimul. 213
IV. De ſpeciebus modus. 213
V. De modis habere. ibid.

TRACTATVS VI.

In libros Perihermenias ſiue de interpretatione.

DISPVTATIO XXX.

De ſigno, & eius ſpeciebus.

Cap.I. RAtio formalis ſigni explicatur. 214
II. Præcipuæ ſigni diuiſiones aperiuntur. 215
III. An voces, res ipſas ſignificent, an conceptus. 217
IV. De nomine, verbo, & propoſitione. 219

DISPVTATIO XXXI.

In quo veritas mentalis Propoſitionis conſiſtat, & an illi eſſentialis ſit.

Cap. I. DIuerſa aliorum placita refelluntur. 220

II. Vera ſententia explicatur, & defenditur. 222
III. An propoſitio poſſit tranſire de vera in falſam. 225

DISPVTATIO XXXII.

Anveritas, aut falſitas omni ac ſoli propoſitioni conueniat.

Cap.I. AN in ſola propoſitione, an etiam in ſimplici apprehenſione veritas, aut falſitas reperiatur. 228
II. An propoſitio de futuro contingenti abſoluto ſit determinatè vera, vel determinatè falſa. 230
III. An propoſitio de futuro contingenti conditionato determinatam veritatem aut falſitatem contineat. 232

TRACTATVS V.

In libros de priori, & poſteriori reſolutione.

DISPVTATIO XXXIII.

De ſyllogiſmo in communi eiuſque partibus.

Cap.I. VID ſyllogiſmus ſit, & quibus actibus conſtet. 234
II. An cognitio de bonitate illationis ad quemuis aſſenſum ſcientificum requiratur. 236
III. An obiectum formale præmiſſarum ſit formalis ratio obiectiua intrinſeca aſſenſus concluſionis. 237

DISPVTATIO XXXIV.

De prærequiſitis ante demonſtrationem.

Cap.I. AN omnis doctrina, & diſciplina ex præexiſtente fiat cognitione. 239
II. Quæ & quot ſint principia demonſtrationis, & qualiter cognoſcantur. 241
III. An cognitio principiorum ſit diſcurſiua. 242
IV. An dentur habitus primorum principiorum ab intellectu realiter diſtincti. ibid.
V. An habitus principiorum ſit à natura inditus, an acquiſitus per proprios actus. 243

DISPVTATIO XXXV.

De præcognitis ante demonſtrationem.

Cap.I. QVid ſint præ cognita & præ cognitiones. 245
II. Quid de ſubiecto ſit prænoſcendum. 246
III. De præcognitione paſſionis, & principiorum. 246
IV. De præcognitis in progreſſu demonſtrationis, ante ipſius concluſionem. 247

DISPVTATIO XXXVI.

De eſſentia & diuiſione demonſtrationis.

Cap.I. DEfinitio demonſtrationis, & eius diuiſio traditur. 248
II. An demonſtratio procedat ex veris. 250
III. An præmiſſæ demonſtrationis ſint veriores ipſa concluſione. ibid.
IV. An de falſitate ſit idem dicendum. 252
V. An præmiſſæ demonſtrationis ſint euidentiores, & certiores concluſione. ibid.

DISPVTATIO XXXVII.

Aliæ particulæ demonſtrationis explicantur.

Cap.I. AN præmiſſæ demonſtrationis ſint primæ, immediatæ & per ſe notæ. 254
II. An & quo pacto præmiſſæ ſint cauſæ & priores concluſione. 256
III. An præmiſſis euidentibus admiſſis neceſſitetur intellectus ad aſſentiendum concluſioni. 258
IV. Examinatur dictum Philoſophi propter quod vnumquodque tale & illud magis. 259
V. Examinatur aliud Philoſophi principium quæ ſunt eadem vni tertio, &c. 260
VI. Aliæ præmiſſæ demonſtrationis, & dubiola expenduntur. 261

DISPVTATIO XXXVIII.

De prædicatis per ſe.

Cap.I. AN quatuor tantum ſint modi perfectatis. 262
II. Quæ propoſitiones ponantur in hoc primo modo dicendi per ſe. 263
III. Quæ propoſitiones collocentur in hoc ſecundo modo dicendi per ſe. 264
IV. Quæ continentur in tertio modo dicendi per ſe. 264
V. Quæ contineantur in hoc quarto modo dicendi per ſe. ibid.

DISPVTATIO XXXIX.

De demonſtratione, quia, & propter quid.

Cap.I. DIuiſiones demonſtrationis explicantur. 265
II. An

II. An demonſtratio *quia* & per cauſam remotam ſit vera demonſtratio. 265
III. An demonſtratio adæquatè diuidatur in demonſtrationem *quia* & propter *quid*. 266
IV. An demonſtratio *quia*, & propter *quid* conueniant vniuocè? 267

TRACTATVS VIII. & vlt.

De ſcientia acquiſita per demonſtrationem.

DISPVTATIO XL.

De ſcientia acquiſita per demonſtrationem.

Cap.I. AN ſcientia acquiſita ſit in nobis, an de nouo acquiratur. 268
II. Definitio ſcientiæ expenditur. 269
III. An euidentia pertineat ad eſſentiam ſcientiæ. 270
IV. An ad ſcientiam ſtrictè ſumptam euidentia in vtraque præmiſſa neceſſaria ſit. ibid.
V. An habitus ſcientiæ diſtinguatur ab habitu principiorum. 271

DISPVTATIO XLI.

De vnitate, & diſtinctione ſcientiarum.

Cap.I. A Quo ſumatur vnitas vel diſtinctio ſcientiarum. 272
II. Qua ratione ſcientiæ naturales inter ſe diſtinguantur. 273

DISPVTATIO XLII.

De ſubalternatione ſcientiarum.

Cap.I. QVid ſit ſubalternatio, explicatur. 274
II. An ſcientiæ, quarum obiecta continentur ſub obiecto alterius, ſint propriè ſubalternæ. 275
III. An ſcientia ſubalternata coniuncta ſubalternanti ſit propriè ſcientia. 275
IV. An in non habente ſubalternantem ſcientiam ſubalternata ſit propriè ſcientia. 276

DISPVTATIO XLIII.

De reliquis habitibus intellectualibus, & de eorum oppoſitione.

Cap.I. QVomodo intellectus, ſapientia, & ſcientia diſtinguantur. 277
II. Quid ſit prudentia & ars, & quomodo inter ſe diſtinguantur. 278
III. Explicantur termini horum habituum, opinionis, fidei, & ſuſpicionis. 279
IV. An formido ſit de intrinſeca ratione opinionis. ibid.
V. An ſcientia & opinio poſſint eſſe ſimul in eodem ſubiecto, circa idem & de eadem re. 280
VI. An ſcientia compatiatur cum fide humana & diuina. 282
VII. An eadem reperiatur repugnantia quantum ad habitus. ibid.
VIII. Mens D. Thomæ expenditur. 284

INDEX OMNIVM DISPVTATIONVM, & Capitum, quæ in his octo Phyſicorum libris continentur.

TRACTATVS I.

In librum primum Phyſicorum.

DISPVTATIO I.

De principiis entis naturalis in communi.

Cap.I. QVÆNAM ſint entis naturalis principia. 287
II. Quot ſint principia entis naturalis in fieri, & quot ſint in facto eſſe. 288

DISPVTATIO II.

An materia prima habeat propriam exiſtentiam ab exiſtentia formæ diſtinctam.

Cap.I. EXiſtentia materiæ primæ monſtratur, & ſtatus quæſtionis aperitur. 290
II. Materia prima propria exiſtentia gaudet diſtincta ab exiſtentia formæ. 291
III. Aduerſantia argumenta profligantur. 292

DISPVTATIO III.

An materia prima propriam habeat ſubſiſtentiam qua verè, & propriè ſubſiſtat.

Cap.I. RAtio formalis ſubſiſtentiæ declaratur, & defenditur. 294
II. Materia prima propriam habet ſubſiſtentiam, quæ verè ſubſiſtens ſit. 298

III. An

II. An forma etiam materialis ſubſtantialis, vera, licèt non ita perfectâ ſubſiſtentiâ gaudeat. 298

DISPVTATIO IV.

De dependentia materiæ primæ à forma ſubſtantiali.

Cap.I. AN materia prima valeat naturaliter exiſtere ſine forma? 300
II. An materia prima diuinitus poſſit abſque omni forma cohærere? 301
III. An abſque ſpeciali influxu poſſit materia prima ſine forma conſeruari. 302

DISPVTATIO V.

De eſſentia, & de quidditate materiæ primæ.

Cap.I. MAteriæ primæ diffinitio ponitur, & explicatur. 303
II. An potentia paſſiua formæ ſubſtantialis ſit eſſentialis materiæ primæ? 304
III. An materia prima ſit pura potentia, nullum includens actum. 306
IV. An, & quo pacto materia habeat appetitum ad formam? 307

DISPVTATIO VI.

De ſpecifica vnitate materiæ primæ.

Cap.I. AN materia ſublunaris à cæleſti ſpecie differat? 309
II. An omnis ſublunaris materia ſit vna in ſpecie? 311
III. An materia hæc ſublunaris formas alterius vniuerſi valeat naturaliter pati? 312

DISPVTATIO VII.

De proprietatibus materiæ primæ.

Cap.I. MAteria prima, ingenerabilis, & incorruptibilis ſtatuitur. 313
II. Quomodo materia prima, operatiua non ſit? 314
III. Qua ratione materia prima ſecundum ſe incognoſcibilis appelletur? 314

DISPVTATIO VIII.

De priuatione.

Cap.I. QVid priuatio formaliter includat? 315
II. Dubiola quædam de priuatione enodantur. 316

DISPVTATIO IX.

De forma ſubſtantiali.

Cap.I. FOrmæ exiſtentia, & eſſentia, & an ſit tota entis naturalis quidditas, explicatur? 317
II. An forma ſubſtantialis Phyſicè in materiam influat? 319
III. An ex materia forma ſubſtantialis educatur? 320
IV. An duæ formæ ſubſtantiales poſſint ſimul informare eandem materiam? 322

DISPVTATIO X.

De vnione ſubſtantiali inter materiam, & formam.

Cap.I. VNionis exiſtentia, & eſſentia declaratur. 325
II. An vnio materiæ, & formæ ab illis reipſa diſtincta ſit? 325
III. An vnio ab actione eductiua diſtinguatur? 327
IV. An vnio inter materiam, & formam ſit ſimplex eſſentialiter, an compoſita? 328
V. Aduerſantia argumenta diluuntur. 329

DISPVTATIO XI.

De compoſito ſubſtantiali.

Cap.I. AN compoſitum reipſa à partibus vnitis diſtinguatur. 332
II. Contraria fundamenta euertuntur, & cauſalitas extrinſeca declaratur. 334
III. An corpus completum ſimplex diuinitus dari queat? ibid.

TRACTATVS II.

In librum ſecundum Phyſicorum.

DISPVTATIO XII.

De natura, & ente reali.

Cap.I. QVid natura, & eius definitio explicatur? 337
II. Quid ens naturale ſit, & qua ratione differat à natura? 338
III. An materia prima ſit propriè natura. 339
IV. An forma ſubſtantialis materialis ſit propriè natura. 340

V. An

V. An anima rationalis sit propriè natura. 341
VI. Quo pacto ens artificiale à naturali dissideat, & quam formam artificialem includat. 342
VII. Quid sit ars, & an opera naturæ efficiat. 343

DISPVTATIO XIII.

Quid causa in communi, & quot causarum genera sint.

Cap.I. CAusæ in communi definitio expenditur. 345
II. In quo consistat essentia causæ, & quem respectum dicat ad effectum. 347
III. Qualis sit respectus causæ ad effectum. 349
IV. An detur in Deo relatio transcendentalis ad creaturas. 351
V. Causarum diuisio, & numerus explicatur. 353

DISPVTATIO XIV.

De causa efficiente in communi.

Cap.I. CAusa efficiens in communi definitur. 354
II. Primaria causæ efficientis diuisio demonstratur. 355

DISPVTATIO XV.

De causa prima influente in effectus causæ secundæ.

Cap.I. AN causa prima in effectus causæ secundæ, etiam immediatè influat. 356
II. An causa prima cum secunda, eadem actione concurrat. 358

DISPVTATIO XVI.

Quomodo causa prima applicet secundam ad agendum.

Cap.I. COmmunis Thomistarum opinio confutatur. 360
II. Ingeniosa cuiusdam Neoterici Thomistæ sententia. 363
III. Vera sententia ponitur, & quo modo cum causa secunda, causa prima concurrat, aperitur. 364
IV. Partis aduersæ argumẽta dissoluũtur. 366
V. An, & quomodo causa prima determinet secundas ad indiuiduationem effectus. 368
VI. Infertur, & defenditur Deum non esse causam peccati. 370

DISPVTATIO XVII.

De causa efficienti secunda.

Cap.I. AN substantia creata aliquid verè efficiat. 372
II. Quæ sit formalis ratio causæ principalis, & instrumentalis. 373
III. An sola substantia, an accidens attingat immediatè productionem alterius substantiæ. 375
IV. An à sola substantia, an vero ab alio accidenti accidens immediatè oriatur. 378

DISPVTATIO XVIII.

De causa, aut potentia actiua obedientiali.

Cap.I. QVænam sit potentia obedientialis actiua. 380
II. An in quauis re creata sit potentia obedientialis ad effectum quemlibet generandum. 382
III. Aduersæ partis argumenta dissoluuntur, 384

DISPVTATIO XIX.

De causa materiali.

Cap.I. QVæ sit causa materialis, & in quo formaliter eius causalitas consistat. 386
II. Obiectiones enodantur. 387
III. Quædam corollaria ponuntur. 388

DISPVTATIO XX.

De causa formali exemplari.

Cap. I. QVidnam causa formalis sit. 389
II. Definitio causæ exemplaris explicatur. 390
III. An exemplaris causa in conceptu formali, an in obiectiuo consistat. ibid.
IV. An exemplar media cognitione sui physicè in effectum influat. 392

DISPVTATIO XXI.

De causa finali.

Cap.I. DEfinitio causæ finalis exprimitur 393
II. Quæ sit causæ finali proxima ratio formalis causandi. 394
III. In quo causalitas finis formaliter sita sit. 397
IV. An causa finalis physicè in effectum influat. 398

V. Quænam sint causæ finalis effecta. 398
VI. Quæ agentia operentur propter finem, & quotuplex finis sit. 399

DISPVTATIO XXII.

De comparatione causarum in ordine ad se, & in ordine ad suos effectus.

Cap.I. AN causavt sic formaliter sit prior suo effectu. 401
II. An inter causas physicas possit mutua causalitas dari. 403
III. An à duplici causa totali efficienti idem effectus valeat naturaliter exire. 405
IV. An eiusdem effectus possit naturaliter esse duplex finalis causa totalis. 406
V. An duæ causæ totales physicæ respectu eiusdem effectus esse queant. 408

TRACTATVS III.

In librum tertium, & quintum Physicorum.

DISPVTATIO XXIII.

De motu, & actione eductiua.

Cap.I. MOTVS definitio expenditur. 410
II. An actio eductiua reipsa ab agente, & termino distinguatur. 411
III. Quomodo actio eductiua à passione formaliter differat. 413
IV. In quonam actio eductiua, siue motus subiectetur. 414
V. Vnde actio eductiua, ac motus speciem, & individuationem desumat. 415
VI. Motus diuiditur, & dubiola enodantur. 416
VII. An res aliqua motibus contrariis simul moueri queat. 418

DISPVTATIO XXIV.

De actione creatiua.

Cap.I. QVid creatio, & varia placita circa eius distinctionem ab agente, & termino. 418
II. Creatio actiua non distinguitur ab agente, & termino, sed in sola Dei volitione consistit. 420
III. Argumenta aduersantia profligantur. 421
IV. An creatura aliquid creare possit. 423
V. An idem possit producere seipsum. 426
VI. An eadem forma simul creari, & educi queat. 427

DISPVTATIO XXV.

De infinito.

Cap.I. AN infinitum naturæ viribus dari queat. 428
II. An aliquod infinitum possit diuinitus procreari. 429
III. Contraria argumenta diluuntur. 431
IV. An Deus actu infinita cognoscat. 433

TRACTATVS IV.

In librum quartum, & sextum Physicorum.

DISPVTATIO XXVI.

De loco, & vacuo.

Cap.I. LOCVS realis extrinsecus explicatur. 435
II. Quid sit spatium imaginarium ostenditur. 436
III. An vbicatio distinguatur reipsa à re vbicata, & in quo eius formalis ratio consistat. 437
IV. Quotuplex vbicatio sit, & quibus rebus conueniat. 439
V. An res aliqua possit esse, & nullibi esse. 441
VI. An idem corpus possit esse simul in duobus locis adæquatis circüscriptiuè. 442
VII. An corpus in duplici loco existens eadem vtrobique accidentia ex natura rei retineat. 445
VIII. An corpus existens in duobus locis in vno possit habere diuinitus formas, quibus in alio careat. 447
IX. Quid sit vacuum, & quæsita alia expediuntur. 448

DISPVTATIO XXVII.

De compositione continui.

Cap.I. AN continuum actualiter componatur. 451
II. An in continuo indiuisibilia inueniantur. 452
III. An continuum ex infinitis partibus proportionalibus, ac punctis indeterminatis coalescat. 453
IV. An continuum constet ex finitis solùm indiuisibilibus, quæ omnino indiuisibilia sint. 454
V. Continuum tantùm componitur ex finitis reipsa indiuisibilibus, quæ sint diuisibilia virtualiter. 458
VI. Omnia difficilia in hac sententia enodantur.

dantur. 460
VII. Quædam quæsita expediuntur. 462

DISPVTATIO XXVIII.

De duratione, ac tempore.

Cap.I. IN quo ratio formalis durationis sita sit. 463
II. An duratio à rei, quæ durat, existentia, ac tempore distinguatur. 464
III. Obiectiones diluuntur. 466
IV. An duratio sit reipsa diuisibilis, & successiua. 469
V. Quid sit tempus, & quæ ipso mensurentur. 470

TRACTATVS V.

In librum septimum Physicorum.

DISPVTATIO XXIX.

An agens possit in distans operari.

Cap.I. AN agens in distãs agere possit non agendo aliquid in medio. 472
II. An agens agendo aliquid in medio possit operari in distans. 474
III. Quædam quæsita expediuntur. 476

TRACTATVS VI.

In librum octauum Physicorum.

DISPVTATIO VIt

An mundus extiterit, essetve potuerit ab æterno.

Cap.I. AN mundus de facto fuerit necessariò ab æterno productus. 477
II. An potuerit mundus ex æternitate creari. 478

COMMENTARII, ET DISPVTATIONES in duos libros Aristotelis de ortu, & interitu, siue de generatione, & corruptione.

TRACTATVS I.

In librum primum de ortu, & interitu.

DISPVTATIO I.

Substantialis generatio, atque conuersio explanantur.

Cap.I. VID sit substantialis generatio. 481
II. Definitio generationis viuentis aperitur. 482
III. An generatio sit conuersio? & in quo hæc formaliter consistat. 484

DISPVTATIO II.

An in omni generatione fiat resolutio vsque ad materiam primam.

Cap.I. AN quantitas & alia accidentia soli materiæ, an toti composito inhæreant. 488
II. An alia accidentia materialia in quantitate, an in materia immediatè recipiantur. 490
III. An accidentia, quæ erant in corrupto, eadem numero in genito maneãt. 492

DISPVTATIO III.

De causa disponente ad generationem, & aliis ad ipsam attinentibus.

Cap.I. AN aliqua accidentia præuiè disponant ad formam genitam. 494
II. Quædam quæsita enodantur. 496

DISPVTATIO IV.

De corruptione substantiali.

Cap.I. QVid sit corruptio, & quædam de illa expediuntur. 497
II. De inceptione, ac desitione rerum. 498

DISPVTATIO V.

De augmentatione substantiali.

Cap.I. QVid, & quotuplex sit augmentatio substantialis. 500
II. An substantialis augmentatio reipsa in specie à prima generatione dissideat. ibid.
III. An augmentatio substantialis sit successiua, & continua. 502
IV. De potentia nutritiua, ac de ipsa nutritione. 504
V. De maximo, & minimo rerum naturalium. 505

DISPVTATIO VI.

De raritate, ac densitate.

Cap.I. DIuersa aliorum placita confutantur. 507
II. Quomodo raritas & densitas accidant, aperitur. 509
III. Aduersantia argumenta conuelluntur. 511

DISPVTATIO VII.

De alteratione, intensione, ac remissione.

Cap.I. QVid sit, & quotuplex alteratio? 512
II. An intensio fiat per additionem gradus ad gradum. 513
III. Aduersantia argumenta profligantur. 516
IV. An gradus intensionis homogenei, an heterogenei sint. 517
V. An alteratio sit successiua, & continua. 520
VI. De terminis intensionis, ac extensionis. 522
VII. An solæ qualitates intendantur. 523

DISPVTATIO VIII.

De dissimilitudine, & resistentia passi, ac de actione, & repassione.

Cap.I. AN agens agat in passum sibi simile. 524
II. An agens naturale possit passum sibi perfectè assimilare. 526
III. Quid sit resistentia, & quomodo passum agenti resistat. 527
IV. An passum reagat in ipsum agens, & ab ipso passo repatiatur. 528

TRACTATVS II.

In librum secundum de generatione, & corruptione.

DISPVTATIO IX.

De elementis, eorum qualitatibus, ac mixtis.

Cap.I. VÆNAM elementa sint, & an maneant formaliter in mixto. 530
II. Quæ sint primæ qualitates, & quomodo singulis elementis conueniant. 532
III. An qualitates symbolicæ sint diuersæ, an eiusdem speciei. 534
IV. Quo pacto elementa transmutentur. 535
V. Quam figuram ac situm habeant elementa. 536
VI. Enodantur dubiola circa grauitatem, ac leuitatem elementorum. 537
VII. De mixtione, ac mixtis, & eorum temperamentis. 539

INDEX OMNIVM DISPVTATIONVM, ac Capitum, quæ in iis libris de Anima continentur.

PROOEMIVM.

TRACTATVS I.

De Anima eiusque speciebus in communi.

DISPVTATIO I.

De substantia Animæ secundum se.

Cap.I. DEFINITIO animæ declaratur. 543
II. An anima indiuisibilis sit. 544
III. An partes Animæ materialis homogeneæ an ethereogeneæ sint. 547
IV. An animæ eiusdem speciei possint esse indiuidualiter inæquales. 550
V. An Animæ diuersæ speciei possint esse æquales in perfectione essentiali. 552

DISPVTATIO II.

De ratione viuentis, quæ in Anima, ac in aliis reperitur.

Cap.I. QVænam; & quotuplex sit formalis ratio viuentis. 553
II. Præcipua ratio dubitandi discutitur, & explicatur. 555
III. Aduersantia alia argumenta conueluntur. 558
IV. Quibus conueniat formaliter ratio vitæ in actu primo. 559
V. In quibusnam ratio vitæ in actu secundo formaliter reperiatur. 561
VI. Quot animarum genera, & quot viuentium sint gradus. 562

DISPVTATIO III.

De iis, quæ Anima informantur.

Cap.I. AN sanguis, & alij humores anima præditi sint. 562
II. An dentes, vngues, capilli, semen & lac animentur. 565

TRACTATVS II.

De potentiis animæ in communi.

DISPVTATIO IV.

An potentiæ Animæ ab ipsa realiter distinguantur.

Cap.I. VEra sententia proponitur, & monstratur. 566
II. Aduersantia argumenta conuelluntur. 569

DISPVTATIO V.

An ab anima immediatè ipsius potentiæ, & earum actus causentur.

Cap.I. AN potentiæ physicè causentur ab anima. 570
II. An anima proximè etiam immediatè, an tantum mediis potentiis actus vitales efficiat. 571
III. An in solis potentiis, an etiam in substantia animæ actus immediatè reperiantur. 574

DISPVTATIO VI.

A quonam potentiæ suam specificationem accipiant.

Cap.I. AN ab essentia, actibus, & obiectis potentiæ speciem desumant. 576
II. An necessariò potentia vnam rationem formalem ex parte obiecti pertingat. 577
III. Qua ratione potentiæ animæ inter se realiter distinguantur. 581

TRACTATVS III.

De speciebus impressis.

DISPVTATIO VII.

Quænam sit ratio formalis, ac munus speciei impressæ.

Cap.I. DIuersa aliorum placita conuelluntur. 582
II. Ratio formalis, ac munus speciei impressæ declaratur, ac defenditur. 585
III. An species effectiuè, an solùm formaliter ad obiecti cognitionem concurrat. 587

DISPVTATIO VIII.

In quibus potentiis, & ad quos actus dentur species impressæ.

Cap.I. AN in sensibus externis, & internis species impressæ sint. 589
II. An etiam in intellectu species impressæ debeant necessariò admitti. 591
III. Ad quosnam actus species necessariò requirantur. 592

DISPVTATIO IX.

Quorum obiectorum dentur species impressæ.

Cap.I. CViusnam obiecti creati species admittendæ sint. 593
II. An de facto detur species intelligibilis ad videndum clarè Deum. 595
III. An ad claram Dei visionem species aliqua impressa diuinitus dari queat. 598

DISPVTATIO X.

De effectibus, & causis speciei impressæ.

Cap.I. QVasnam species impressa affectiones habeat. 601
II. A quo tanquam à causa efficiente species impressa oriatur. 602
III. In quo vt in causa materiali species impressa subiectetur. 603

TRACTATVS IV.

De Anima vegetatiua, sensitiua, & rationali.

DISPVTATIO XI.

De Anima vegetante, & sentiente, & earum facultatibus.

Cap.I. ANIMÆ vegetatiuæ, atque sensitiuæ essentia, ac munera declarantur. 604
II. Nonnulla quæsita circa potentias sensitiuas expediuntur. 607
III. An de facto detur, darive possit potentia sensitiua, quæ obiectum spirituale cognoscat. 608

DISPVTATIO XII.

De sensibus internis.

Cap.I. AN detur sensus vnus communis internus pro omnibus facultati-

bus internis animæ ſenſitiuæ. 611
II. Quædam quæſita de ſenſu communi expediuntur. 612
III. An phantaſia, ſeu imaginatiua realiter diſtinguatur à ſenſu communi. 613
IV. An æſtimatiua realiter diſtinguatur à phantaſia. 615
V. An memoria realiter diſtinguatur ab æſtimatiua. 617
VI. De appetitu ſenſitiuo aliqua expediuntur. 618

DISPVTATIO XIII.

De Anima rationali coniuncta corpori.

Cap.I. AN anima rationalis ſit humani corporis forma, & alia dogmata declarantur. 619
II. An anima rationalis, ſpiritualis, an verò corporea ſit? 621
III. An anima rationalis ſit omnino indiuiſibilis? 624
IV. An, qua ratione, & quo tempore anima rationalis producatur. 627

TRACTATVS V.

De intellectu, eiuſque actibus.

DISPVTATIO XIV.

De intellectu, eiuſque obiecto.

Cap.I. QVod ſit obiectum intellectus, & quomodo cognoſcatur. 628
II. An intellectus poſſit ex parte obiecti creati præſcindere vnam formalitatẽ ab alia, quæ cũ illa identificata ſit? 631
III. An intellectus valeat in obiecto increato vnam formalitatem ab alia abſtrahere. 634

DISPVTATIO XV.

De eſſentia, ſeu ratione formali intellectionis.

Cap.I. STatus quæſtionis aperitur, & intellectionem non conſiſtere in ſola actione monſtratur? 636
II. Intellectio formaliter non conſiſtit in qualitate & actione à qualitate diſtincta? 638
III. Intellectio formaliter non conſiſtit in qualitate, & actione cum ipſa identificata? 639
IV. Ratio formalis intellectionis in ſola qualitate ſaluatur. 641
V. Argumenta aduerſantia diluuntur. 643
VI. An intellectio poſſit à ſolo Deo independenter ab intellectu producit. 646
VII. An in qualibet intellectione ſit verbum & ab ipſa realiter diſſideat. 648

DISPVTATIO XVI.

De variis intellectionibus, & earum proprietatibus.

Cap.I. DE triplici operatione intellectus, & in quo conſiſtat ratio Iudicij. 650
II. De euidentia, & certitudine cognitionis. 652
III. An cognitio euidens poſſit cum actuali eiuſdem obiecti fide & opinatione cohærere? 654
IV. Quid ſit cognitio quidditatiua, quid intuitiua, & in quo ratio comprehenſionis conſiſtat. 658

TRACTATVS VI.

De voluntate, eiuſque actibus.

DISPVTATIO XVII.

De obiecto, natura, ac munere voluntatis.

Cap.I. QVodnam ſit obiectum formale voluntatis. 662
II. An poſſit voluntas ex duobus bonis æqualibus, vel æqualiter propoſitis vnum diligere præ alio. 664
III. An poſſit voluntas ferri in incognitum. 666
IV. De oppoſitione actuum voluntatis. 668

DISPVTATIO XVIII.

De formali indifferentia, ac libertate voluntatis.

Cap.I. QVidnam, & quotuplex ſit voluntatis libertas. 669
II. An libertas in actu ſecundo, ſit eſſentialis actibus voluntatis. 671
III. An præfinitio Dei abſoluta actus in particulari tollat ſimpliciter libertatem? 674.
IV. Argumenta aduerſantia, vrgentur ac ac diluuntur. 675
V. An poſſibilis ſit pura omiſſio. 678

TRACTATVS VII.

De Habitibus.

DISPVTATIO XIX.

Quid habitus ſit, & an ab ſpeciebus impreſſis reipſa diſtinguantur.

Cap.I. RATIO formalis habitus aperitur. 680

II. Ratio formalis habitus ſupernaturalis declaratur? 682
III. An in intellectu habitus naturalis admittendus ſit? 683
IV. An admitti debeat habitus naturalis in voluntate. 686

DISPVTATIO XX.

De efficacitate, extenſione, productione, & corruptione habituum.

Cap.I. AN habitus concurrat effectiuè, an ſolùm formaliter ad actus. 691
II. An ad actus diuerſos obiectaque diuerſa, habitus naturalis extendatur? 693
III. A quonam habitus generentur, & an inter ſe diſſideant. 695
IV. Quibus modis habitus acquiſitus corrumpatur. 696

TRACTATVS VIII.

De Anima ſeparata.

DISPVTATIO VIt.

Quænam animæ rationali, vt ſeparatæ conueniant.

Cap.I. ANIMÆ rationalis immortalitas monſtratur? 698
II. An ſeparationis ſtatus ſit animæ rationali conſentaneus, an violentus? 701
III. Quædam de Anima ſeparata dubiola elucidantur. 703

COMMENTARII, AC DISPVTATIONES in Metaphyſicam.

PROOEMIVM.

DISPVTATIO I.

De obiecto, natura, ac munere Metuphyſicæ.

Cap.I. QVODNAM ſit proprium, ſubiectum, ſeu obiectum adæquatum Metaphyſicæ? 705
II. Quod in Metaphyſica ſit obiectum principale attributionis? 708
III. Natura, perfectio, ac munus Metaphyſicæ explanantur. 711

TRACTATVS I.

De ente reali in communi, ac de primâ eius diuiſione

DISPVTATIO II.

De natura, & tranſcendentia entis, ac de eius attributis in communi?

Cap.I. IN quo ratio entis realis formaliter ſita ſit. 713
II. An ens reale formaliter omnem rei formalitatem tranſcendat? 714
III. An & quæ ſint attributæ entis realis in communi. 717

DISPVTATIO III.

De entis realis attributis in particulari.

Cap.I. IN quonam ratio vnius tranſcendentalis formaliter conſiſtat? 719
II. Ex quonam principio rerum indiuiduatio ſumatur? 722
III. In quo ratio formalis veri tranſcendentalis conſiſtat. 728
IV. In quo ratio boni tranſcendentalis formaliter ſita ſit. 729

DISPVTATIO IV.

De eſſentia, & exiſtentia entis creati.

Cap.I. QVid ſit ens poſſibile, & quo ab actuali diſſideat? 731
II. An exiſtentia creata ab eſſentia eiuſdem rei actuali à parte rei diſtinguatur. 733
III. Aduerſantia argumenta inſtantur, ac diluuntur. 736
IV. Quorum pacto per rationem eſſentia & exiſtentia creata diſcriminentur. 737

TRACTATVS II.

De variis entis realis diuiſionibus.

DISPVTATIO V.

De ſubſtantia.

Cap.I. QVid ſit ſubſtantia & quotuplex? 742
II. Qualis ſit diuiſio ſubſtantiæ in primam & ſecundam ſubſtantiam? 743

III. Quod

III. Quod sit supremum genus prædicamenti substantiæ. 744

DISPVTATIO VI.

De subsistentia.

Cap.I. ALiorum placita circa formalem rationem subsistentiæ refelluntur. 745
II. Vera sententia proponitur & defensatur? 747
III. An subsistentia distinguatur à parte rei à natura? 749
IV. An subsistentia sit modus, an vero res, 752
V. An natura propriam retinens subsistentiam possit per aliam terminari. 753
VI. Quædam dubiola elucidantur. 755

DISPVTATIO VII.

De accidenti in communi.

Cap.I. IN quo ratio formalis accidentis in communi consistat. 758
II. An accidens sit vniuocum seu Analogum respectu suorum inferiorum. 739

TRACTATVS III.

De ente rationis.

DISPVTATIO VIII.

De existentia, natura, causis, & speciebus entis rationis.

Cap.I. AN detur ens rationis. 761
II. In quo consistat essentia entis rationis. 763
III. Per quas potentias, & actus conficiatur ens rationis. 766
IV. An ens rationis fabricetur, aut cognoscatur, à Deo. 769
V. Ens rationis diuiditur & quomodo fiat ostenditur. 770



INTRODVCTIO IN DIALECTICAM ARISTOTELIS,

Quam vulgus Summulas appellat.

PRÆFATIVNCVLA.

CReasse Deum hominem ad ſui imaginem, res perſpicua eſt, ex ſacra pagina,& ſanctis Patribus; vt ſummum bonum intelligeret, intelligendo amaret,& amando poſſideret,& poſſidendo frueretur;ad quod illi intellectum, & voluntatem contulit; & intellectui tres operationes, quibus bene directis, id melius aſſequi poſſet: Ad has verò operationes dirigendas, Logica fuit inuenta, cuius in præſentia Introductionem,& Summam quandam tradere aggredimur: eadem enim directione indigent, quæ bene & male fieri poſſunt: quæ verò bene vel malè ſemper fiunt, nulla egent directione. A natura exemplum habemus; nam licet facultatem exhibeat ſaltandi, pingendi, cantandi &c. indiget quadam arte, vt bene illa fiant;quæ ſi non eſſet,ineptiſſimè efficerentur:ſic noſter intellectus, vt eius operationes bene dirigantur, indiget directione Logica, ne ſicut veteres Philoſophi, in varios incidamus errores. Quia verò difficilia ſunt, quæ ab Ariſtotele in Logica traduntur, experientia docet magnum commodum & fructum colligi ex Logica, ſi antea breue quoddam ipſius Compendium tradatur; & nos Antiquorum veſtigiis inſiſtentes, præſtabimus in hac noſtra inſtructione, in qua totus ſcopus erit, tyrones docere argumentandi rationem, vt omnium facultatum ſtudiis faſces præferamus; quid autem ab vnoquoque præſtandum ſit, breuiter expono.

§. I.

Modus Arguendi proponitur.

OMnis Scholaſtica diſputatio nititur inter tres; Primus, concluſiones defendendas ſuſcipit, qui *Sustentans* vocatur: quia ipſe omnium tela & impetus ſuſtinet, & ſuſtentat concluſiones, quas in papyro ſcriptas habet, & dum primùm magiſtros & auditores conſidere videt, aſſurgens modeſto vultu,& oculis depreſſis,concluſionem defendendam iis verbis orditur: *Quæſtio hodierna die diſputanda, Illuſtriſsime & Nobiliſsime Rector, Præſes Sapientiſsime, Doctiſsimi Magiſtri atque Doctores; Concio literis & nobilitate conſpicua; ſic ſe habet: Vtrum &c.* Deinde ſedens quæſtionem dirimit, vna vel tribus concluſionibus, & paululum aſſurgens,caput detegit, & reſidens iterum ſe tegit, & argumenta contrariorum intentus ſpectat.

§. II.

SEcundus in arena eſt *Arguens*, qui poſt aliquantulum ſilentium ſurgit, & oculis, & voce demiſſa, & caput aperiens argumenta proponit de more Vniuerſitatis, in hunc modum: *Facta mihi priùs fandi venia ab Illuſtriſsimo & Nobiliſsimo Rectore, Præſide Sapientiſsimo, Doctiſsimis ac grauiſsimis Magiſtris, Concione literis & nobilitate conſpicua: Nobilis & ingenioſe Suſtentans, duo proponam argumenta aduerſus tuas ſatis eruditas concluſiones: Primum aduerſus &c. Secundum*

aduerſus &c. & illis propoſitis ait: *Iis & aliis longè difficilioribus pro tui ingenij dexteritate, quæ maxima eſt, facili, vel nullo negotio ſatisfacies.*

Loco Tertij tunc Suſtentans aſſurgit, & caput detegens ait: *Contra meam primam, vel ſecundam concluſionem Nobilis & Ingenioſus concurrens ſic argumentatur.* Hoc habito diſcrimine, quòd ſi Suſtentans fuerit Philoſophus, ſedens & coopertus integrum repetit argumentum, & vſque in finem proſequitur; ſi verò fuerit Auditor primi, vel ſecundi anni, ſtans, & capite detecto, repetit & proſequitur argumentum, dum à ſuo Magiſtro, ſolutione adhibita finitur & proceditur ad Logicum & Philoſophum: & ſic in præclara noſtra Salmanticenſi Academia, concluſiones hebdomadales, quæ *Sabbatinæ* vocantur, ad profectum audientium à tribus Magiſtris ſuſtinentibus, & fortiſſimis argumentis impugnantibus ſuſtinentur; præſidentibus ibidem Doctiſſimis ac grauiſſimis ſacræ Theologiæ & Philoſophiæ Magiſtris, binis etiam infulis condecoratis.

§. III.

Quædam alia rudimenta traduntur.

SI etymologiam nominis attendamus, Summula eſt breuis Summa eorum, quæ fuſè in Dialectica peraguntur; vnde nos in hac Summula & introductione ad Logicam otioſa & ſuperuacanea amputantes, ſolum neceſſaria & vtilia breuiter perſtringemus.

Sed quia non poſſumus niſi diſſerendo & argumentando procedere; præmitto nos duplici argumentatione vti: alia dicitur Enthymema, quod conſtat ex duabus orationibus, quarum vna ex alia infertur: exempli gratia, *Petrus currit, ergo mouetur*, Prima oratio ex qua alia infertur, dicitur Antecedens: Secunda verò oratio quæ infertur ex alia, vocatur Conſequens: illatio verò ſeu conſecutio vnius orationis ex alia, quæ ſignificatur per illam dictionem *Ergo*, appellatur Conſequentia. Inter arguendum quando antecedens eſt verum, dicitur: *Concedo antecedens.* Similiter ſi eſt bona conſequentia & vnum infertur ex aliis rectè, dicitur: *Concedo conſequentiam.* Si verò conſequentia non ſit bona, quia ſcilicet Conſequens non bene ſequitur ex Antecedenti; dicitur: *Nego conſequentiam.* Si verò conſequentia ſit ambigua & æquiuoca, hoc eſt, habet duplicem ſenſum, & in vno ſenſu eſt conſequentia bona, & in alio ſenſu mala; dicitur: *Diſtinguo Conſequens*, & ſignando verum ſenſum, in illo concedimus conſequentiam; & ſignando ſenſum falſum, in illo conſequentiam negamus: vt ſiquis v.g. ſic arguat, *Equus ſentit, ſicut ſentit homo: ergo equus eſt ſimilis homini.* Debemus ſic reſpondere: *Equus ſentit, ſicut ſentit homo, Concedo antecedens: ergo equus eſt ſimilis homini, diſtinguo conſequens: Eſt ſimilis homini in ratione ſentiendi; concedo conſequentiam; equus eſt ſimilis homini in ratione diſcurrendi & ratiocinandi, nego conſequentiam,* & ſic de aliis.

Alia argumentatio eſt quæ dicitur Syllogiſmus, qui conſtat tribus orationibus, quarum vna ex duabus prioribus deducitur, & infertur: v.g. *Omnis homo eſt animal; ſed Petrus eſt homo: ergo Petrus eſt animal.* Prima oratio dicitur Maior; Secunda dicitur Minor; Tertia quæ ex aliis duabus infertur, dicitur etiam Conſequens & concluſio: illatio verò conſequentis ex illis orationibus, ſcilicet Maiori, & Minori, (quæ etiam vocantur præmiſſæ) dicitur Conſequentia. Vnde cum Maior, vel Minor eſt vera, aut conſequentia eſt bona; dicimus, *Concedo Maiorem*, aut *Concedo minorem*, vel *Concedo conſequentiam*; Si verò maior, vel minor eſt falſa, & conſequentia non eſt bona, dicimus: *Nego maiorem*, vel *minorem*, vel *nego conſequentiam*: cùm verò conſequentia fuerit ambigua & æquiuoca, dicimus: *diſtinguo conſequens*, ad eum modum, quo nuper in Enthymemate explicatum eſt.

Iis, duo addenda ſunt. Primum, cùm arguens dicit: *Ex tua reſponſione infertur hoc* &c. Talis propoſitio vocatur Sequela: & ſi bene illud ſequatur, debes dicere: *Concedo ſequelam*: ſi autem non ſequatur, debes dicere: *Nego ſequelam.* Secundum, quando arguens aliquid obiecit quod ad intentum conuincendum non conducit, ſiue verum ſit, ſiue falſum; debemus dicere: *Tranſeat maior*, vel *Tranſeat conſequens*, vel ſi vis modeſtiùs loqui, dicas: *Omitto maiorem*, vel *Omitto minorem*, vel *Omitto conſequens*: nunquam verò dici poteſt, *Tranſeat conſequentia*, vel *Omitto conſequentiam*; quia conſequentia ſemper debet eſſe bona, aut mala.

Arguens hanc vnicam legem obtineat, quòd eam propoſitionem directè probet quæ ei negatur; ita vt ſemper in conſequenti deducat id, quod ſibi immediatè negatum eſt. Hæc pro rudi Minerua.

DISPVTA

DISPVTATIO PRIMA.

De Terminis in communi & in particulari.

QVINQVE capita continebit hæc Diſputatio : in 1. de Termino in communi: in 2. de Termino mentali, vocali, & ſcripto : in 3. de Termino communi & ſingulari, vniuoco, æquiuoco, & analogo, Tranſcendenti, & non tranſcendenti : in 4. de Termino abſoluto connotatiuo, concreto, & abſtracto, categorematico & ſyncategorematico: in 5. aliæ terminorum diuiſiones explicantur.

Communiter hunc Tractatum exordiuntur à natura terminorum : quibus penetratis, faciliùs perueniatur ad modum ſciendi: quem ordinem nos etiam in iis tradendis obſeruabimus.

CAPVT I.

De Termino in communi diſſeritur.

1 TErminus à terminando dictus, apud Antiquos ſignificat Lapidem, qui diſtinguit fines agrorum: & apud eos Deus putabatur ; ex quo ſtat antiquum illud axioma Gellij lib. 12. de Termino.

Semel, minus ne, an bis minus ſit, non ſat ſcio,
An vtrumque horum vt quondam audiui dicier,
Ioui ipſi regi noluit concedere.

Regulariter verò apud Ariſt. & Peripateticos, terminus ſignificat extremum propoſitionis corporis, vel rei cuiuſuis, extra quod, nihil illius eſt, & intra quod eiuſdem rei ſunt omnia ; quo pacto duo extrema puncta lineæ rectæ & finitæ dicuntur eſſe termini illius, quia nihil lineæ eſt extra illa puncta, & intra illa eſt tota linea, & ita communiter. Terminus dicitur finis alicuius rei ; vt Mors dicitur finis vitæ; gloria, iuſtorum ; infernus, peccatorum : & *Cadix* & *Irun* dicuntur termini Hiſpaniæ: quia inter illos tota Hiſpania continetur.

2 Per Analogiam & proportionem ad hos terminos, dicuntur à Logicis, termini propoſitionis illi, qui ſunt extrema illius ; quia intra talia extrema omnis propoſitio enunciatiua continetur : in qua tria reperiuntur, *Subiectum*, id eſt, id de quo aliud dicitur ; *Prædicatum*, id eſt, id, quod de alio affirmatur ; & *copula* ſeu vnio connectens ſubiectum cum prædicato, id eſt, *Verbum*. v.g. in hac propoſitione: *Homo eſt animal* : *homo* eſt ſubiectum, *animal* prædicatum; verbum autem ſubſtantiuum *eſt*, copula dicitur.

3 Similiter in hac propoſitione: *homo currit*; *homo* eſt ſubiectum, *curſus* eſt prædicatum; Verbum autem *eſt*, quod virtute continetur, eſt copula : nam ſi reſoluamus hanc propoſitionem, *homo currit* ; dicimus, *homo eſt currens* : in qua magis apparebunt illa tria, ſicut in definitione magis apparent prædicata quàm in definito, & in iis tribus conſiſtit eſſentia termini, ſicut eſſentia hominis in corpore, anima & vnione: & in hac acceptione inquirimus, quæ ſit eſſentia Termini.

4 Nonnulli terminum ſic definiunt : Terminus in communi eſt *Vox ſignificatiua ad placitum, ex qua ſimplex conficitur propoſitio* : ſed non placent, quia illa definitio Termini in communi, non conuenit omni termino ; nam terminus mentalis, & ſcriptus, ſunt verè termini, & nullus eſt vox, ſed conceptus, ſeu ſcriptura, vt dicam cap. ſequenti ; ergo talis definitio non eſt bona, ſed diminuta. Alij docent, Terminum eſſe *ſignum ponibile in propoſitione* : ſed etiam diſplicent, quia bona termini definitio non debet conuenire alteri rei, quæ non ſit terminus : ſed præfata definitio termini conuenit alteri, quæ non eſt terminus, conuenit enim verbo, quod etiam eſt ſignum ponibile in propoſitione, verbum autem non eſt terminus, quia non eſt terminus propoſitionis, ſed ſolum vnio & copula extremorum, ac proinde talis definitio conuenit verbo, quod non eſt teminus: ergo non eſt bona definitio.

Ego autem cum Ariſt. 1. Priorum, Terminum ſic 5
definio, Terminus eſt *extremum propoſitionis*. Ita Toletus hic cap. 10. Per ly, *extremum* conuenit terminus cum puncto vltimo cuiuſque lineæ, quod eſt extremum illius lineæ ; & ideò hæc particula ponitur loco generis : Per ly *propoſitionis*, differt terminus à puncto extremo lineæ, quod quidem non eſt extremum propoſitionis, & ita hæc particula ponitur loco differentiæ. Hanc autem eſſe bonam Termini definitionem, ſic probo : Terminus rei incommuni modo loquendi eſt, illud extremum, quo illa res ex aliqua parte concluditur, vt probaui num. 1. ergo terminus propoſitionis erit extremum, quo ex aliqua parte concluditur ipſa propoſitio: ita terminus in præſenti idem erit ac extremum propoſitionis : vnde in hac propoſitione v.g. *Petrus eſt homo*, tam Petrus quàm homo, ſunt verè termini, quia ſunt extrema talis propoſitionis, quibus ex vtraque parte ipſa propoſitio concluditur.

Verùm vt exactiùs Termini quidditas cognoſca- 6
tur, adnotare oportet quid ſit & quotuplex ſignum. Signum eſt *quod potentiæ cognoſcenti aliquid repræſentat à ſe diſtinctum* : vt hæc vox *homo*, ſignificat hominem. Hoc autem ſignum eſt duplex ; aliud naturale, quod aliud naturaliter repræſentat, vt fumus ſignificat naturaliter ignem, & gemitus animalis dolorem: aliud eſt ſignum ad placitum, quod non naturaliter ſed ex ſolo hominum placito & impoſitione aliud ſignificat, vel repræſentat; vt ſonitus tympani ſignificat tempus eſſe lectionis, & hæc vox leo ſignificat Leonem, quia impoſita eſt ab hominibus ad id ſignificandum. Rurſus ſignum diuiditur in ſignum inſtrumentale, & ſignum formale : ſignum inſtrumentale eſt id, quod cognitum facit nos venire in cognitionem alterius ; vt ramus ante tabernam pendens facit nos venire in cognitionem vini vendibilis; & hæc vox *Equus* audita & cognita facit nos venire in veri equi cognitionem : ſignum formale eſt id quod per ſe ipſum formaliter abſque cognitione ſui facit nos aliud cognoſcere ; vt conceptus & cognitio intellectus, qua v. g. concipimus hominem per ſe ipſum, abſque eo quod ipſa cognitio à nobis cognoſcatur, facit nos cognoſcere hominem.

His poſitis, cum aſſerimus terminum eſſe propoſi- 7
tionis extremum, debet intelligi per modum ſigni naturalis, vel ad placitum, inſtrumentalis, vel formalis; hoc eſt debet tale extremum eſſe aliquo modo formaliter ſignificatiuum, alioqui verè non eſſet propoſitionis etiam vocalis extremum conſtitutiuum illius : quod ſic oſtendo; Propoſitio vocalis ordinatur ſolum ad aliis manifeſtandos noſtros conceptus : ſed propoſitio vocalis non poteſt manifeſtare noſtros conceptus, niſi formaliter ſignificet res quas interiùs concipimus, vt per ſe conſtat: ergo propoſitio vocalis ſemper ſignificat res quas concipimus ; ergo terminus ſeu extremum quo ipſa propoſitio vocalis formaliter conſtituitur, debet etiam rem aliquam ſignificare ; aliàs non erit extremum illius.

Sed obiicies: Datur extremum propoſitionis, quod 8
non eſt terminus ; vt in hac, *Blytiri eſt vox* : ergo dices eſſe terminum materialem non formalem. Contra, eſſe terminum formalem eſt, eſſe ſignificatiuum; tale eſt *Blytiri* : ergo. Minor probatur, in hac propoſitione

sitione,omne *Blytiri* est vox , significat formaliter, quia prædicatur esse vocem:ergo habet significatum, quia hæc vox *Blytiri*, hoc & illud *Blytiri*,significat; sicut hæc vox *homo* hunc & illum hominem : præterea talis propositio non est identica,sicut hæc,*Petrus est Petrus* : ergo est formalis. Respondeo non esse terminum logicum formalem ; nam licèt significet *Blytiri* esse trisyllabum , non tamen significat rem aliam à se,neque se nisi materialiter,vt statim magis explico.

9. Animaduerte pro modo loquendi , quòd cùm dicimus , Terminum esse extremum propositionis, non debere intelligi actu , sed aptitudine ; vt cùm dicimus,*homo est animal*,non intelligas hominē actu existere,sed hominē essentialem connexionē habere cum animali,siue existat, siue non existat ; sic terminus erit extremum propositionis, si actualiter existat erit extremum actuale, si in potentia erit extremum in potentia,quia eius essentia etiam abstrahit ab eo, quod existat , vel non existat ; sed solùm dicit in suo conceptu formali esse extremum propositionis.

CAPVT II.

De Termino mentali,vocali,& scripto.

ESsentiam & formalem rationem Termini in communi aperuimus. Nunc incipimus varias eius diuisiones explanare.

10. Prima Termini diuisio est in mentalem , vocalem, & scriptum : Terminus mentalis est *extremum propositionis mentalis* , hoc est , eius propositionis, quæ in mente ac intellectu conficitur. Terminus vocalis est *extremum propositionis vocalis* , id est eius propositionis, quæ ore & voce profertur. Terminus scriptus est *extremum propositionis scriptæ* , scilicet, eius propositionis , quæ scripturæ mandatur. Prima ratio termini significatiui inuenitur in termino mentali, hoc est , in conceptu mentis : Terminus autem vocalis , aut scriptus substituitur ad mentalem exprimendum.

11. Obiiciet aliquis primo, Propositio non potest habere aliquod extremum , nisi sit in se composita ex partibus , quia vnum extremum dicit ordinem ad aliud,cum quo media vnione,aut copula,ipsam propositionem componat : sed propositio mentalis quæ solum est in actu iudicij,non est composita , sed simplex, vt dicam in lib. de anima:ergo propositio mentalis non habet extremum ; ergo terminus mentalis non est extremum propositionis mentalis, aut nullus terminus mentalis datur.

12. Respondeo, propositionem mentalem reipsa non esse compositam, nec habere extrema , vt argumentum conuincit , esse tamen compositam , & habere extrema æquialenter per comparationem ad similem propositionem vocalem ; quæ licèt composita sit reipsa, & habeat extrema,tota continetur in simplici propositione mentali:& ideò propositio mentalis est æquialenter composita , & habet extrema per comparationem ad propositiones vocales ; sicut vnus numus aureus per comparationem ad plures numos argenteos,quos in se æquialenter includit,potest dici continere in se plures numos æquialenter & virtualiter. Hinc autē fit,non dari realiter ac formaliter terminum mentalē,dari verò æquialenter & per cōparationem ad Terminum & propositionem vocalem.

13. Obiiciet 1. Hæc vox *Blytiri*, vt omnes admittunt non est terminus vocalis , & tamen est extremum propositionis vocalis , vt liquet in hac propositione vocali , *Blytiri est vox* , ergo terminus vocalis non est extremum propositionis vocalis , aut dicendum *Blytiri* esse vocalem terminum.

Respondeo duobus modis esse aliquid extremum propositionis vocalis. Primò formaliter,id est,vt vox significans aliud. Secundò , materialiter, hoc est, vt res significata per vocem , v. g. in hac propositione, *Petrus est homo* , vox *Petrus* , est extremum formaliter illius vocalis propositionis , quia est vox significans aliud , scilicet ipsum Petrum ; ipse verò Petrus, est extremum propositionis illius , solum materialiter , quia tantum est res significata per vocem: *Blytiri* autem in prædicta propositione , non est extremum formaliter talis propositionis vocalis , quia est vox aliud significans , vt constat ; sed tantum est extremum illius propositionis materialiter , quia est res significata per vocem:nam illa propositio *Blytiri est vox* , hunc reddit sensum , Hæc dictio *Blytiri* est vox,atque ita *Blytiri* est vox significata per particulam illam, *hæc dictio*,ac proinde *Blytiri* noc est extremum prædictæ propositionis formaliter , sed solum materialiter : cùm verò terminus sit extremum propositionis formaliter , hoc est tanquam vox aliquid verè significans , vt ostendi in numero quinto , ideò *Blytiri* non est verè & propriè Terminus.

Obiiciet 3. hæc dictio *homo* præcisè scripta , est 14.
terminus scriptus , & tamen non est extremum propositionis scriptæ : nulla enim datur tunc propositio scripta cuius sit extremum , vt suppono : ergo terminus scriptus non est extremū propositionis scriptæ.

Respondeo,verba in definitione non dicere actum, sed potentiam , iuxta commune Dialecticorum axioma;atque ita cùm dicimus, terminum esse extremum propositionis , non intendimus quòd terminus actualiter constituat propositionem , & sit actu extremum illius;sed solùm quòd possit illam constituere,& possit esse extremum illius ; cùm autem in casu arguendi,dictio illa,*homo*,præcisè scripta,possit constituere propositionem scriptam , & esse extremum illius,ideò licèt actualiter non sit extremum illius,est verè terminus scriptus.

15. Rursus terminus mentalis,qui est cognitio & conceptus mentis,Primò diuiditur in conceptum intuitiuum , qui est cognitio rei existentis ; & in conceptum abstractiuum , qui est cognitio rei secundum se , abstrahendo ab eius existentia. Secundò diuiditur in conceptum directum , qui est cognitio rei secundum esse quod habeat à parte rei in se , vt distincta est à quauis cognitione intellectus ; vt cognitio, qua cognosco hominem esse animal ; & in conceptum reflexum, qui est cognitio alterius cognitionis eiusdemmet intellectus ; vt si ego habeam cognitionem , quâ cognoscam Petrum , & postea habeam aliam cognitionem secundā, quâ cognoscam me cognouisse Petrum. Hæc secunda cognitio dicitur conceptus reflexus, quia supra primam cognitionem reuoluitur, & reflectit. Tertiò diuiditur in conceptum non vltimatum , qui est cognitio alicuius vocis aut scripturæ,quæ non callet significationem illius;& in conceptum vltimatum,qui est cognitio per quam cognoscitur vox seu scriptura,&etiam penetratur significatio illius ; vt cùm rusticus audit vocem Latinam, habet conceptum non vltimatum,quia non percipit eius significationem ; quando verò audit vocem Hispanam,habet conceptum vltimatum , quia percipit significationem vocis.

CAPVT III.

De Termino communi & singulari, Vniuoco, Æquiuoco, Analogo,Transcendenti & non Transcendenti.

IAm Terminum mentalem diuisimus ; nunc agi- 16.
mus de diuisione Termini vocalis , seu scripti, etsi

etsi omnia ferè, quæ de hoc dixerim, possunt etiam termino mentali adaptari.

Terminus vocalis (idem semper affero de Termino scripto) diuiditur in terminum communem, & singularem: Terminus communis est, qui significat vnam rationem multiplicabilem in pluribus; vt *homo* significat naturam humanam, quæ multiplicatur in Petro, Ioanne, & Francisco, & potest in illis multiplicari; vnde Sol est terminus communis, quia significat naturam Solis, quæ licèt de facto non sit multiplicata in pluribus Solibus; tamen, volente Deo, potest in pluribus Solibus multiplicari. Fit etiam, hanc vocem *Deus*, non esse terminum communem, licet enim significet naturam diuinam communicabilem tribus diuinis personis, quia tamen talis natura, non est reipsa multiplicabilis in illis, quia tres Diuinæ personæ non sunt tres Dij, sed Vnus Deus; ideò talis vox exprimens naturam Diuinam, non est terminus communis. Colligitur denique hanc vocem, *hæc Ciuitas*, non esse terminum communem; quia licèt plura significet, nempe plures Domos aggregatim sumptas, vt vnam Ciuitatem constituunt; tamen non significat plura participantia eandem rationem; atque ita non significat vnam rationem communicabilem pluribus; quod est de essentia termini communis. Terminus singularis est qui significat vnam rationem immultiplicabilem in pluribus: vt Petrus, Deus, Ciuitas. Huc spectat alia termini diuisio in terminum determinatum, qui aliquid determinatè significat, vt Petrus; & in terminum confusum, qui significat aliquid in confuso, & sub disiunctione, hoc, vel illud, vt aliquis homo.

17 Præterea terminus diuiditur in Vniuocum Æquiuocum, & Analogum: Terminus Vniuocus est, qui significat plura similia, vt *homo*: Terminus æquiuocus est, qui plura significat, vt plura & dissimilia omninò, vt canis, qui significat canem terrestrem, sydus cœleste, & piscem marinum: Terminus Analogus est, ille qui significat plura partim similia, & partim inæqualia, & dissimilia, id est, vt conueniunt in aliqua ratione inæqualiter, quia talis ratio propriè & principaliter conuenit vni, aliis verò metaphoricè & cum ordine ad illud; vt sanum, quod solum propriè conuenit animali, quod propriè sanum dicitur; metaphoricè, verò competit etiam pomo, & vrinæ, per ordinem ad sanitatem animalis, quia scilicet pomum illam causat, & vrina illam designat.

Obserua primo, Terminum Æquiuocum, si ad vnum terminum significatum restringatur, vniuocum fieri: vt cum dicimus: *Canis latrat*, ly *canis* est terminus vniuocus, quia restringitur ad significandum canes terrestres omninò similes.

Obserua secundo, Terminum Analogum simpliciter ac per se sumptum stare pro formosiori significato, hoc est, pro eo, quod propriè & principaliter significat; vt *sanum* stat simpliciter pro animali habente sanitatem; Alexander stat simpliciter pro Rege Macedoniæ, aut pro homine liberali; Nero simpliciter & absolutè prolatus non stat pro homine crudeli, sed pro Imperatore Romano.

18 Rursus terminus alius est Transcendens, qui imbibitus est in quouis ente & formalitate reali, qui sunt sex, scilicet, *Res, Ens, Verum, Bonum, Aliquid, Vnum*; omnesque literis huius dictionis REVBAV, significantur: alius est Terminus non transcendens, qui non est imbibitus in omni re, sed determinatam habet significationem; vt *homo, Petrus*: alius est terminus supratranscendens, qui non modo ad ens reale positiuum, sed etiam ad ens omne negatiuum & chimericum se extendit; vt cognoscibile, nominabile.

CAPVT IV.

De termino Absoluto, Connotatiuo, Concreto, Abstracto, Categorematico, & Syncategorematico.

TErminus alius est Absolutus, qui significat rem 19
substantiuè, id est, per modum per se stantis, & subsistentis; vt *homo*: alius est Connotatiuus, qui significat rem adiectiuè, hoc est per modum connotantis & adiacentis alteri; vt *albus*: obserua non requiri, ad rationem termini absoluti quod res per illum significata existat per se, & non adiaceat alteri; sed solùm requiri, quòd per ipsum significetur, ac si existeret per se: vnde hæc vox, *albedo*, est Terminus absolutus, quia licèt albedo per ipsum significata reipsa non existat per se, sed adiaceat subiecto; tamen per illam vocem significatur ac si existeret per se: & similiter ad rationem termini connotatiui, solum requiri, quòd res per illam vocem significetur, ac si adiaceret alteri, licèt ipsa non adiaceat re ipsa alteri, sed existat per se; vt *humanus* est terminus connotatiuus, quia licèt humanitas per illum significata non adiaceat subiecto, sed sit per se; tamen per illum terminum ita significatur, ac si alteri verè adiaceret, & nō existeret per se.

Deinde terminus diuiditur in Concretum, & Ab- 20
stractum: Terminus concretus, significat rem modo compositiuo, & quasi cum alio coniunctam, quod formaliter denominet; vt *Homo, Albus*. Terminus abstractus significat rem modo præcisiuo, & quasi separatam ab omni alio; vt *Humanitas, Albedo*.

Ad hæc, terminus est alius Categorematicus, qui 21
per se sine additamento aliquid absolutè significat, vt *homo, equus*: alius est Syncategorematicus, qui per se aliquid perfectè non significat, nisi addatur alteri, & ita absolute non significat, sed consignificat; vt *Omnis, Nullus*, & explicatur exemplo illius circuli, qui Hispane dicitur, *Zero*, qui per se ipsum nihil significat; additus verò alicui vnitati consignificat Decem: Alij addunt terminum alium Mixtum, qui aliquid ex vtroque termino categorematico, & syncategorematico participat, vt *doctè, sapienter*: Ego tamen arbitror, hunc non esse vere terminum, quia non est extremum propositionis: sed solùm se habet, ex parte copulæ ac verbi, tanquam modus illius.

Obiiciet aliquis, terminus est extremum propo- 22
sitionis, vt diximus cap. 1. Sed terminus syncategorematicus per se ipsum non est, nec esse potest propositionis extremum; quia non potest esse tale extremum nisi significet, vt ostendi num. 5. Terminus autem syncategorematicus per se ipsum non significat, atque ita per se ipsum absolute non potest esse propositionis extremum: ergo terminus syncategorematicus non est terminus.

Respondeo, ad rationem termini solum requiri, 23
quòd possit esse propositionis extremum siue per se absolute, siue simul cum alio: cùm autem terminus syncategorematicus adiūctus alteri possit significare, & esse extremū propositionis, ideò est verè terminus.

Sed inquiris, an nomina adiectiua, *Albus, Iustus* &c. sint termini categorematici, an verò syncategorematici? Communis sententia asserit terminos esse categorematicos: ego cum quibusdam recentioribus existimo, esse terminos syncategorematicos: quod sic breuiter ostendo. Terminus categorematicus est ille qui per seipsum absolute & sine alio aliquid perfecte significat: terminus verò syncategorematicus est ille, qui solus non significat, id est, per se ipsum, nisi alteri superaddatur, non significat aliquid perfecte: atqui, hæc nomina adiectiua

Albus, Iustus &c. solùm consignificant, & nisi alteri superaddantur quod formaliter denominent, per se ipsa absolutè non significant aliquid perfectè: sicut enim audita solum hac voce, *Omnis*, vel *Nullus*, aliquis non mente quiescit, donec audiat, *omnis homo*, vel *nullus equus*; ita solùm audita hac voce *Albus*, vel *Niger*, animus non quiescit, donec etiam audiat, *homo albus*, vel *equus niger*: ergo hæc adiectiua *Albus*, *Niger &c.* non sunt termini categorematici, sed syncategorematici.

Dices, *Albus* significat perfectè, quia significat albedinem: Sed contra, etiam *Omnis* significat totalitatem, & *Nullus* significat nullitatem; & tamen quia id significant petendo aliquid aliud quod denominent & determinent, sunt termini syncategorematici: ergo cùm etiam *Albus* significat albedinem petendo & connotando aliud, quod denominet, & cum quo perfectè significet, erit terminus syncategorematicus.

CAPVT V.

Aliæ terminorum diuisiones explicantur.

5 TErminus deinde diuiditur in Complexum, & Incomplexum. Terminus complexus est ille, cuius partes perse sunt significatiuæ; vt *homo iustus*. Incomplexus est ille, cuius partes perse non sunt significatiuæ, vt Petrus.

Obserua 1. ad terminum complexum requiri, quòd eius partes ita sint significatiuæ, quod communiter eandem significationem seruent, quam habent præcisè, vel separatæ, vnde hæc vox *Dominus*, non est terminus complexus, sed incomplexus; quia licèt eius partes, scilicet, *Do*, & *minus*, perse aliquid significent, tamen non habent eam significationem quam habent communiter.

Obserua 2. requiri etiam quòd partes illæ significatiuæ congruant, inter se; si non sint disparatæ, non erunt vnus terminus complexus, sed plures incomplexi: vnde *homo albus* est terminus complexus; *homo equus* non est terminus complexus, sed duo termini incomplexi.

Obserua 3. etiam requiri, quòd partes termini complexi non significent eandem omninò rem, aliàs non conficient terminum complexum, vt Marcus Tullius Cicero.

Præterea diuiditur Terminus in Copulatiuum
6 & non copulatiuum. Terminus copulatiuus est ille, qui plura in vnum aggregata significat; vt *aceruus, Ciuitas, multitudo*: Terminus non copulatiuus, qui plura aggregatim non significat, vt *Petrus*. Deinde Terminus alius est infinitus, qui aliquid determinatè negat, & aliquid indeterminatè, & indefinitè significat, vt *non homo*, negat hominem, & significat quod non est homo, & quia ad infinita indeterminatè significandum se extendit, vocatur terminus infinitus: alius est terminus non infinitus, qui aliquid determinatè & definitè significat: vt *homo*, *Petrus*. Obserua negationem *non*, aliquando cadere supra verbum, vt in hac propositione, *Petrus non est Leo*; & tunc sumitur neganter: aliquando cadere supra terminum, vt in hac propositione, *Petrus est non Leo*. & tunc, illa negatio sumitur infinitanter, & facit illum terminum, *Leo*, supra quem cadit, infinitum, quia facit illum infinita determinatè significare: illa enim propositio facit hunc sensum, *Petrus est id omne quod non est Leo*, sub quo infinita clauduntur.

Rursus terminus, alius est primæ intentionis, alius secundæ intentionis. Terminus primæ intentionis, est ille qui significat rem secundum id quod habet à parte rei independenter à consideratione intellectus, vt homo significat hominem secundum esse humanum, quod ipse à parte rei habet. Terminus secundæ intentionis est ille, qui significat rem secundum esse quod habet per actus intellectus, vt hæc vox *species*, vel *genus*, significat rem secundum vocem speciei, vel generis, quæ ei conuenit per cognitionem intellectus; vt in Dialectica latè dicemus.

Demum termini, alij sunt impertinentes, qui 27
nec se inferunt, nec sibi repugnant; vt *Albus, Iustus*; alij sunt pertinentes, qui vel se inferunt, vt *homo & animal*; & hi vocantur pertinentes sequela: vel sibi repugnant, vt *rationale & irrationale*, & hi vocantur pertinentes repugnantiâ. Pertinentes sequelâ, alij sunt conuertibiles, quia se mutuò inferunt, vt homo & rationale, valet enim; *est homo, ergo rationalis*: & etiam è contra, *est rationale, ergo est homo*. Alij non sunt conuertibiles, quia non se mutuò inferunt, sed solum non mutuò; vt *homo & animal*. valet enim, *est homo, ergo animal*: non verò valet è contra, *est animal; ergo est homo*, quia potest esse equus. Pertinentes repugnantiâ, alij sunt contrarij, qui significant duas formas positiuas directè oppositas inter se; vt *Album, & Nigrum*: alij sunt priuatiui, quorum alius significat formam, alius carentiam formæ in subiecto apto ad eam formam recipiendam; vt *videns, & cæcus*: alij sunt contradictorij, quorum alter, aliquid positiuum significat, alter negationem illius; vt *ens, & non ens*: alij sunt relatiui, qui significant res relatiuè inter se oppositas, vt *Pater & filius*.

DISPVTATIO II.

De Nomine, Verbo, Oratione, & Propositione.

TRia capita continebit. In 1. inquiro, quid Nomen & verbum; quid & quotuplex Oratio, ac Propositio sit. In 2. dissero de Propositione simplici & categorica. In 3. de Propositione composita, & hypothetica.

CAPVT I.

Quid Nomen, & Verbum; Quid & quotuplex Oratio ac Propositio sit.

CVm quæuis oratio seu propositio constet ex nomine & verbo, vt inferius dicam, priùs de Nomine & verbo, quàm de Oratione & propositione est agendum.

Nomen sic cum Arist. 1. de interpretatione c. 5. & omni Schola, definio: *est vox significatiua ad placitum sine tempore, cuius nulla pars perse significat, finita, & recta*. Cuius definitionis particulæ breuiter explicandæ sunt. *Vox*, vt excludatur à ratione nominis terminus mentalis, & terminus scriptus, qui non sunt voces ac proinde nec nomina; nomen enim est aptius & commodius instrumentum ad conceptus exprimendos, quod solum vocibus conuenit. *Significatiua ad placitum*, vt excludatur vox significans naturaliter; vt gemitus animalis significat naturaliter dolorem. *Sine tempore*, id est, non significat actionem aliquam exerceri in tempore; vt differat nomen à verbo, quod significat cum tempore, vt statim dicemus. *Cuius nulla pars perse significat*, hoc est, non requiritur per se ad rationem nominis, quod habeat partes significantes eodem numero seorsim & coniunctim, sicut hoc per

se

ſe requiritur ad rationem termini complexi, vt vidimus ſuprà diſputatione prima numero 19. Per accidens verò poteſt nomen habere partes eodem modo ſeorſim & coniunctim ſignificantes, vt liquet in hoc nomine, *Præpoſitus*. Dicitur, *Finita*, id eſt, quod aliquid determinatè & finitè ſignificat, vt excludantur terminus infinitus, vt *non homo*; & terminus ſupertranſcendens, vt *intelligibile*, quod ſolùm indeterminatè, & indefinitè ſignificant. *Et recta*, id eſt nomen eſt vox ſignificatiua in caſu recto, qui nominatiuus vocatur, qui ſolum principaliter & directè propoſitioni deſeruit, vt excludantur à ratione nominis ſtrictè accepti, caſus obliqui, qui regulariter ſolum indirectè, & minùs principaliter ad propoſitionem ſpectant. Hinc colligo plures voces eſſe Grammaticè nomina, quæ Logicè nomina dicenda non ſunt.

2 Obiiciat quis: hæ voces, *Tempus*, *dies*, *hora*, ſignificant cum tempore, & tamen ſunt nomina: ergo non eſt de ratione nominis non ſignificare cum tempore. Reſpondeo aliud eſt ſignificare tempus, aliud ſignificare cum tempore: ſignificare tempus eſt, tempus ipſum & aliquas eius partes exprimere; quod conuenit illis vocibus, *dies*, *hora*, &c. & non eſt contra rationem nominis: ſignificare verò cum tempore eſt, ſignificare aliquid in tempore fieri; quod quidem per illas voces non ſignificatur: atque ita ſunt nomina non ſignificantia cum tempore. *Sed vrgeat*, hæc nomina *prandium*, *cœna*, ſignificant aliquid quod fit in tempore: ergo aliqua nomina ſignificant cum tempore. Reſpondeo prædicta nomina connotare tempus, quia ſignificant ipſum reale prandium, & cœnam, & ſimul notant & indicant tempus meridianum, vel veſpertinum, in quo prandium vel cœna exercetur; non verò ſignificare cum tempore, quia non directe ſignificat ipſam actionem prandendi & cœnandi exerceri aliquo tempore, atque ita illas voces, *prandium*, *cœna*, eſſe verè nomina, quia de ratione ſolum nominis eſt, quod ſignificet cum tempore, non verò quod non connotet tempus.

3 Verbum ſic ex Ariſt. vbi ſuprà, capite 3. communiter definitur: *eſt vox ſignificatiua ad placitum cum tempore, cuius nulla pars per ſe ſignificat, finita, & recta, & eſt eorum quæ de altero dicuntur nota.* Priora verba iam ſuprà explicata ſunt: *cum tempore*, id eſt ſignificando aliquid fieri in tempore, vt verbum à nomine diſtinguatur: *cuius nulla pars per ſe ſignificat*, hoc eſt non requiritur neceſſariò & per ſe ad eſſentiam Verbi, quòd eius partes eodem modo ſignificent perſe ſeparatæ & coniunctæ, ſicut perſe requiritur ad eſſentiam termini complexi, & orationis, vt infrà dicemus: per accidens verò, Verbum habere poteſt partes eodem modo ſeorſim & coniunctim ſignificantes, vt patet in hoc verbo, *Satisfacio*: additur *finita*, id eſt determinatè, & definitè ſignificans, vt excludantur à ratione Verbi ſtrictè accepti, aliqua verba quæ in aliquorum ſententia infinitantur, & indeterminatè ſignificant, vt *non amo*, *non lego*: *& recta*, hoc eſt præſentis indicatiui, per quod alia verborum tempora de præterito, aut futuro regulantur: *Et eſt eorum quæ de altero dicuntur nota*, id eſt, eſt copula, & vnio, qua prædicatum vnitur cum ſubiecto, vt in hac propoſitione, *Petrus eſt homo*, ly *eſt*, eſt copula, qua vnitur homo, qui eſt prædicatum cum Petro, qui eſt ſubiectum; vt verbum differat à participio, quod etſi in aliquorum ſententia ſignificet cum tempore, non tamen eſt nota & copula prædicati cum ſubiecto.

4 Obiiciat aliquis, in hac propoſitione, *Petrus eſt animal*, & ſimilibus, illud verbum *eſt* abſoluitur à tempore: ergo non ſignificat cum tempore, ergo non eſt de ratione Verbi ſignificare cum tempore. *Reſpondeo*, verbum abſolui à tempore, non eſſe verbum non ſignificare cum tempore, ſed potiùs eſſe ſignificare pro omni tempore, & non ſolum pro aliquo tempore determinato; vt in hac propoſitione *Petrus currit*: verbum ſignificat Petrum currere ſolum pro tempore præſenti.

Oratio ſic definitur à Toleto hic lib. 1. cap. 16. 5
& à Conimbr. lib. de interpretat. cap. 4. q. 3. art. 1. *Oratio eſt vox ſignificatiua ad placitum cuius partes ſeparatim ſunt ſignificatiuæ.* Sed non placet omninò: Primò, quia hæc definitio non diſtinguit orationem à termino complexo, cuius etiam partes ſeparatæ per ſe ſignificãt, vt ſupra diximus diſputatione prima numero 19. Secundò, quia non diſtinguit orationem à verbo compoſito & complexo, hoc enim verbum *Satisfacio*, habet partes etiam ſeparatim ſignificantes per ſe: vnde ego cum Ariſtotele & Doctoribus, ſic orationem definio, *Oratio eſt cuius partes per ſe ſeparatim ſignificant, & conſtat ex nomine & verbo*; vt *Petrus diſputat: Paulus loquitur.*

Hæc autem oratio eſt duplex: alia eſt imperfecta, 6
quæ imperfectum generat ſenſum in animo audientis; v. g. *ſi Petrus veniret*: alia eſt perfecta, quæ perfectum ſenſum generat. Hæc verò alia eſt non enuntiatiua, vt *Veni huc*: *Vtinam Deum diligerem*: alia eſt enuntiatiua, quæ aliquid indicat affirmando vel negando, vt *Petrus eſt homo*: *Ioannes non eſt niger*: quæ quidem dicitur propoſitio.

Propoſitio ergo eſt *oratio perfecta iudicatiua*, hoc 7
eſt affirmans vel negans. Hæc propoſitio diuiditur in ſimplicem ſeu categoricam, & in propoſitionem compoſitam ſiue hypotheticam. Propoſitio ſimplex ſeu categorica eſt quæ conſtat præcisè ex ſubiecto, prædicato & copula: ſubiectum dicitur id de quo aliud prædicatur: prædicatum verò eſt id quod dicitur & prædicatur de alio: Copula autem eſt verbum, quo connectuntur ſubiectum & prædicatum, & vnum dicitur eſſe in alio; vt in hac propoſitione, *Petrus eſt homo*. Petrus eſt ſubiectum, quia de illo dicitur eſſe hominem; & homo eſt prædicatum, quia eſſe hominem prædicatur de Petro; & verbum *eſt*, eſt copula quâ vnum de alio affirmatur. Propoſitio compoſita ſeu hypothetica eſt ex duabus categoricis ſeu orationibus perfectis media aliqua nota, & coniunctione compoſita conſtans: vt *homo eſt rationalis*: *& equus eſt hinnibilis*: *ſi Petrus diſputat, loquitur.*

CAPVT II.

De propoſitione ſimplici, & categorica.

QVatuor in ſimplici propoſitione inueniuntur; nimirum materia, forma, quantitas, & qualitas; quæ hic breuiter explicanda ſunt.

Materia propoſitionis ſimplicis ſeu categoricæ, 8
eſt ordo & habitudo ſubiecti ad prædicatum, vel prædicati cum ſubiecto; cùm autem hæc habitudo ſit triplex, triplex etiam eſt propoſitionis materia, alia naturalis, cum ſcilicet prædicatum conuenit neceſſariò ſubiecto; vt *homo eſt rationalis*, vel *admiratiuus*, alia eſt materia impoſſibilis, cùm ſcilicet prædicatum repugnat ſubiecto, & non poteſt illi conuenire; vt *homo eſt irrationalis*: alia eſt materia contingens, cùm ſcilicet prædicatum conuenit non neceſſariò, ſed contingenter ſubiecto: vt *homo eſt albus.*

Forma propoſitionis categoricæ eſt verbum, ac co- 9.
pula, qua prædicatum dicitur de ſubiecto, & connectitur cum illo: etenim propoſitio categorica eſt quædam compoſitio prædicati cum ſubiecto: compoſitio autem conſiſtit formaliter in ipſa copula & vnione, qua vnum alteri copulatur & vnitur: atque ita propoſitio categorica formaliſſimè conſiſtit

in ipsa vnione, verbo, seu copula qua prædicatum copulatur cum subiecto, & affirmatur de illo; ac proinde forma propositionis categoricæ est ipsa copula ac verbum.

10 Quantitas propositionis simplicis est *vnitas, vel extensio principalis subiecti ad plura vel pauciora*: est autem quadruplex; Alia vniuersalis, quando scilicet subiectum principale propositionis est terminus communis affectus signo vniuersali; vt, *omnis homo est animal*. Alia particularis quando scilicet subiectũ principale propositionis est terminus communis affectus signo particulari; vt, *aliquis homo currit*. Alia indefinita, quando scilicet subiectum principale propositionis est terminus communis in se nullo signo affectus; vt *homo est risibilis*. Alia singularis, quando scilicet subiectum principale propositionis est terminus singularis; vt *Petrus disputat*: vel est terminus communis affectus signo demonstratiuo; vt *hic homo est sapiens*.

Obserua 1. quantitatem propositionis non desumi ex vniuersalitate, aut particularitate prædicati, aut subiecti minus principalis, sed solum ex subiecto minus principali: verè hæc propositio est vniuersalis, *Omnis homo est Petrus*, quia subiectum est vniuersale, licèt prædicatum sit singulare: & hæc etiam vniuersalis est, *Omnis liber Petri est inscriptus Latinè*, quia subiectum principale, *omnis liber*, est vniuersale, licèt subiectum minus principale, scilicet Petri, sit singulare.

Deinde obserua propositionem indefinitam in materia naturali æquipollere vniuersali; vnde, *homo est animal*, est idem ac, *omnis homo est animal*: in materia verò contingenti æquipollere regulariter propositioni particulari; vnde, *homo currit*, idem esse, ac *aliquis homo currit*.

11 Qualitas propositionis simplicis solet dici quòd sit affirmatiua, vel negatiua, nescio tamen quo iure; cùm affirmatio aut negatio sit essentia propositionis, & qualitas debeat esse accidens illius cuius est qualitas; nisi dicamus cum quibusdam Recentioribus esse qualitatem essentialem propositioni, eo modo, quo essentialis differentia communiter dicitur prædicabilis de suis inferioribus in *quale quid*: ergo propositio affirmatiua, est illa, cuius principalis copula affirmatur: illa verò negatiua, cuius copula principalis negatur. Verè hęc propositio est affirmatiua, *Qui nõ colligit mecum, dispergit*, quia copula principalis affirmatiua est, licèt alia copula sit negatiua. Hæc verò est negatiua, *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris*, quia copula principalis negatur, licèt alia copula minus principalis affirmetur.

Veritas etiam & falsitas propositionis est qualitas illius. Propositio vera est illa quæ conformatur obiecto, illud repræsentando sicuti est; vt *homo est animal*: illa verò propositio est falsa quæ non conformatur obiecto, sed illud repræsentat aliter quàm est in se; vt *equus est rationalis*.

Obserua in materia naturali omnem propositionem affirmatiuam esse veram, vt *homo est rationalis*, & omnem negatiuam esse falsam; vt *homo non est animal*. In materia verò impossibili omnem affirmatiuam esse falsam; vt *omnis homo est equus*: & omnem negatiuam veram; vt *homo non est equus*. In materia autem contingente, propositionem tam affirmatiuam quàm negatiuam aliquando esse veram, aliquando falsam, pro varietate & contingentia obiecti: vt currente Petro, hæc affirmatiua est vera, *Petrus currit*: & hæc negatiua est falsa, *Petrus non currit*: & è contra; si Petrus non curreret, affirmatiua esset falsa, & negatiua vera.

CAPVT III.

De propositione composita & hypothetica.

PRopositio composita seu hypothetica est quadruplex: alia est copulatiua, quæ constat ex duabus categoricis, seu orationibus vnitis, aliqua nota copulationis & coniunctionis; vt *homo est rationalis, & equus est irrationalis*: Alia est disiunctiua, quæ constat ex duabus categoricis vnitis aliqua nota disiunctionis; vt *Petrus disputat, aut Paulus loquitur*: Alia est cõditionalis quæ constat ex duabus categoricis vnitis aliqua nota conditionali; vt *si Petrus disputat, Paulus loquitur*: Alia est causalis, quæ constat ex duabus categoricis, seu orationibus vnitis, aliqua nota causali seu rationali; vt *quia Petrus est homo, est risibilis: Petrus est homo, ergo est rationalis*. 12

Materia propositionis hypotheticæ rursus est triplex, nimirum naturalis, impossibilis, & contingens. Tunc est materia naturalis in propositione hypothetica, quando id, quod per illam principaliter affirmatur, est necessarium: Tunc est materia impossibilis, quando id, quod principaliter affirmatur, est impossibile: Tunc est materia contingens, quando id, quod affirmatur, est contingens, vt suprà in simili, n. 8. docuimus. Quidautem in quauis propositione hypothetica ex prædictis principaliter affirmetur, constabit clarè ex dicendis infrà n. 17. 13

Forma propositionis hypotheticæ est illa copula seu nota, qua propositiones categoricæ, quibus constat hypothetica, connectuntur. Ratio est, quia idem facit in propositione hypothetica ista copula seu nota, quod facit in propositione categorica, propria illius copula ac verbum: sed copula ac verbum propositionis categoricæ est forma illius, vt probatum est suprà n. 9. ergo prædicta copula & nota propositionis hypotheticæ est etiam forma ipsius. 14

Quantitas propositionis hypotheticæ non est alia, nisi quantitas quæ inuenitur in propositionibus categoricis ex quibus constat: vnde si vtraque categorica sit vniuersalis, vel particularis, propositio hypothetica erit etiam vniuersalis, vel particularis: si autem vna propositio categorica fuerit vniuersalis, & alia particularis, propositio hypothetica, quæ ex illis constat, erit mixtæ quantitatis, partim vniuersalis & partim particularis. 15

Qualitas propositionis hypotheticæ est, quòd sit vera, vel falsa. Tunc propositio hypothetica copulatiua est vera, (loquor semper de propositione affirmatiua) quando vtraque propositio categorica est vera; v.g. *homo est rationalis, & equus hinnibilis*. Ratio est, quia propositio copulatiua affirmat obiectum vtriusque propositionis categoricæ esse à parte rei, atque ita requiritur quòd obiectum vtriusque propositionis categoricæ sit verè à parte rei: & quòd vtraque categorica sit vera; vt sit vera ipsa propositio hypothetica copulatiua. Tunc propositio copulatiua hypothetica est falsa, quando aliqua propositio categorica non est vera propter rationem prædictam. 16

Propositio hypothetica disiunctiua tunc est vera, quando vna categorica est vera, & altera falsa; vt *homo est rationalis, vel irrationalis*: Tunc est falsa, quando vtraque categorica est vera, vel vtraque est falsa. Ratio est quia hæc propositio disiunctiua solum affirmat obiectum vnius propositionis categoricæ tantum esse verè à parte rei: vnde si vtrumque obiectum vtriusque categoricæ sit verè, vel non sit verè à parte rei, talis propositio hypothetica enunciat rem aliter ac est; & ita est falsa.

Propositio conditionalis, tunc est vera, quando vnum ex alio bene infertur, licèt vtraque propositio catego

categorica ſit falſa: Tunc verò conditionalis eſt falſa, quando vnum ex alio non bene infertur, licèt vtraque propoſitio categorica ſit vera; vnde hæc conditionalis eſt vera: *ſi equus ſit homo, equus erit rationalis*: hæc eſt falſa, *ſi homo ſit animal, equus erit hinnibilis*. Ratio huius eſt, quia hæc propoſitio conditionalis ſolum affirmat illationem vnius ex alio. Aduerte tamen ad veritatem conditionalis, non requiri quòd vnum ex alio neceſſariò ſequatur, vt in hac, *ſi Petrus eſt rationalis, erit riſibilis*; ſed ſufficit quòd vnum ex alio ſequatur probabiliter: hæc enim conditionalis eſt vera, *ſi Petrus haberet aliquem filium, illum diligeret*.

Propoſitio cauſalis ſeu rationalis, tunc eſt vera quando vtraque categorica eſt vera, & vna bene infertur ex alia; vt, *quia homo eſt rationalis, eſt riſibilis: Petrus eſt homo: ergo Petrus eſt animal*. Tunc verò eſt falſa, quando vel vna ex categoricis eſt falſa, vel non bene vnum ex alio infertur; vt in his: *quia equus eſt homo, equus eſt animal: Petrus eſt animal: ergo eſt homo*. Ratio eſt, quia hæc propoſitio hypothetica cauſalis affirmat obiectum vtriuſque propoſitionis categoricæ, & illationem vnius ex alio; atque ita requiritur quòd vtraque categorica ſit vera, & rectè vna inferatur ex alia, vt propoſitio hypothetica cauſalis & rationalis ſit vera, & ex quouis defectu ſit falſa.

17 Affirmatio etiam & negatio, dicitur etiam qualitas propoſitionis hypotheticæ: Illa propoſitio hypothetica eſt affirmatiua, cuius nota duas propoſitiones categoricas connectens affirmatur, licèt vtraque propoſitio categorica ſit: Illa verò propoſitio hypothetica eſt negatiua, cuius principalis nota negatur, licèt vtraque propoſitio categorica ſit affirmatiua: vnde hæc propoſitio hypothetica eſt affirmans, *homo non eſt hinnibilis, & equus non eſt rationalis*. Hæc verò eſt negans, *non quia Petrus loquitur, diſputat*. Ratio eſt, quia hæc nota propoſitiones categoricas connectens eſt forma propoſitionis hypotheticæ, ſicut verbum eſt forma propoſitionis categoricæ: atque ita ſicut propoſitio categorica tunc eſt affirmatiua, quando verbum affirmatur; tunc negans, quando verbum negatur; ita propoſitio hypothetica, tunc eſt affirmatiua quando nota principalis affirmatur, & negatiua quando talis nota negata eſt.

DISPVTATIO III.

De proprietatibus, quæ terminis in propoſitione conueniunt.

TRIA capita continebit. In primo quid ſit Suppoſitio & quotuplex, explicatur. In ſecundo, reſolutio per aſcenſum & diſcenſum aperitur. In tertio aliæ terminorum proprietates explanantur.

CAPVT I.

Quid ſit Suppoſitio, & quotuplex, explicatur.

1 SVpponi aliquid in communi, eſt pro alio ſubſtitui, & ſubrogari: itaque iſta vox Logica cum ſupponi dicitur pro aliquo, pro eo ſubſtituitur & ſubrogatur. Dubium tamen eſt, an vox *homo* verbi gratia, in hac propoſitione, *homo eſt ſapiens* ſupponatur pro re quam ſignificat, nempe pro anima rationali; an verò ſupponatur, ſolùm pro conceptu interno, quem exprimit & declarat; nempe pro cognitione mentali, qua hominem interius cognoſcimus.

2 Nobiles Neoterici quidam opinantur vocem ſupponi, non pro re quam ſignificat, ſed pro conceptu quem declarat. Ratio illorum eſt, quia vox *homo* v.g. pro eo ſupponitur, pro quo ſubſtituitur & ſubrogatur in propoſitione, vt conſtat ex modò dictis; ſed hæc vox non ſubrogatur in definitione pro re quam ſignificat, ſed pro conceptu quem exprimit: ergo talis vox non ſupponitur pro re quam ſignificat, ſed pro conceptu quem exprimit. Probatur minor; Pro eo hæc vox *homo* in diſputatione ſubſtituitur, & ſubrogatur, quod non poſſumus in diſputationem adducere, aut in medium proferre, quia non eſt opus ſubſtituto, cum adeſt principale: ſed cùm diſputamus de homine, præſens eſt homo, ipſúmque hominem in diſputationem adducere, & in medium proferre poſſumus; conceptum verò internum, cùm ſpiritualis ſit, non poſſumus in medium proferre in externa diſputatione, ſed illum per vocem declaramus: ergo vox *homo* non ſubrogatur ac ſubſtituitur pro re quam ſignat, ſed pro conceptu quem declarat.

3 Arbitror tamen ego, vocem ſupponi pro re quam ſignificat; non verò pro conceptu, quem exprimit. Pro cuius elucidatione & argumenti diſſolutione aduerto dupliciter poſſe intelligi, quòd poſſimus res in diſputationem adducere. Primò, ita vt adducamus illas in diſputationem materialiter, ſcilicet res in manu tenendo, dum de ipſis diſputamus; & hoc modo verum eſt poſſe nos res in diſputationem adducere, vt argumentum conuincit. Secundò, ita vt adducamus illas in diſputationem formaliter, ſcilicet per ipſas formaliter diſputando, & aliis declarando id quod interius mente concipimus; & hoc modo non poſſumus res in diſputationem adducere; quia per res ipſas, hoc eſt per hominem ipſum non poſſumus id, quod de illo interiùs cognouimus, aliis manifeſtare; & idcirco vtimur ſignis & vocibus loco rerum, ad id, quod interiùs de ipſis rebus cognouimus, exteriùs declarandum & exprimendum; quod eſt formaliter voces ſupponi pro rebus.

4 Ratio verò noſtræ ſententiæ eſt; quia vocem ſupponi propriè & ſtrictè, eſt, accipi vel ſubſtitui pro aliquo, de quo aliquid dicatur, & prædicetur: atqui vox *homo* verbi gratia in hac propoſitione, *homo eſt animal*, non accipitur aut ſubſtituitur pro conceptu hominis, de quo conceptu aliquid in ea propoſitione prædicetur & dicatur; nihil enim in tali propoſitione prædicatur de conceptu; accipitur verò prædicta vox *homo*, & ſubſtituitur pro ipſomet homine (vt iam oſtendi) de quo aliquid in ea propoſitione prædicatur, & dicitur; nam de homine prædicatur *eſſe animal*: ergo talis vox ſolum ſupponitur pro re, ſcilicet, pro homine quem ſignificat: non verò pro illius conceptu, quem declarat, quo RR. ſententia impugnata, & illorum argumentum ſolutum manet.

5 Suppoſitio ergo, ſic definitur, *eſt acceptio, vel ſubſtitutio vocis prr re, de qua aliquid dicitur*. Ex quo fit, terminos extra propoſitionem non ſupponi pro rebus; quia extra propoſitionem non prædicatur aliquid de rebus: ſupponi autem, eſt ſupponi pro rebus de quibus aliquid prædicatur, & dicitur. Hæc autem ſuppoſitio, alia eſt materialis, alia formalis: ſuppoſitio materialis eſt acceptio vocis pro re ipſa: vt *homo eſt terminus*: iſta verò materialis ſuppoſitio eſt duplex: alia intrinſeca, quando ſcilicet terminus ſeu vox accipitur pro ſe, ſecundum id quod habet intrinſecè: vt *homo eſt ſonus*: Alia extrinſeca, quando ſcilicet, vox accipitur pro ſe, ſecundum id quod ei aduenit ab extrinſeco: vt *homo eſt ſignum*: etiam eſſe

ſignum

ſignum aduenit huic voci, *homo*, ab extrinſeca hominum impoſitione. Suppoſitio formalis eſt, acceptio termini pro re quam ſignificat. Hæc etiam eſt duplex; alia propria, quando ſcilicet terminus ſeu vox accipitur pro re quam propriè ſignificat; vt in hac propoſitione: *homo eſt ſapiens*: Alia impropria quando ſcilicet accipitur vox pro re quam impropriè & tranſlatiuè ſignificat; vt cùm Nero ſupponitur pro homine crudeli; & homo accipitur pro homine picto.

6 Formalis autem ſuppoſitio, diuiditur in ſuppoſitionem perſonalem, & in ſuppoſitionem ſimplicem. Perſonalis eſt acceptio termini pro re quam ſignificat ſecundum id quod habet à parte rei ante opus intellectus; vt, *homo eſt animal*. Suppoſitio ſimplex eſt acceptio termini pro re quam ſignificat ſecundum id quod habet per conſiderationem intellectus; vt, *homo eſt ſpecies*: non enim homo eſt in ſe ſpecies, ſed per actum intellectus; vt in Logica dicemus. Suppoſitio perſonalis, alia eſt accidentalis, alia naturalis. Suppoſitio accidentalis eſt acceptio termini pro re quam ſignificat cum determinatione ad tempus importatum per copulam propoſitionis; vt, *Petrus currit*. Suppoſitio naturalis eſt acceptio termini pro re ſine vlla determinatione ad tempus importatum per copulam propoſitionis; vt, *homo eſt animal rationale*. Rurſus perſonalis ſuppoſitio, alia eſt ſingularis, ſeu diſcreta; alia communis. Suppoſitio diſcreta; ſeu ſingularis eſt acceptio termini, ſingularis pro re quã ſignificat: vt Petrus ſupponit pro ſolo Petro. Suppoſitio communis eſt acceptio termini communis pro re quam ſignificat; vt animal ſuponit pro omnibus animalibus.

7 Suppoſitio communis eſt quadruplex, alia diſtributiua, quæ eſt acceptio termini communis pro ſingulis eius inferioribus ſeorſim copulatiuè, vt homo ſupponit pro Petro, Ioanne, & Franciſco, & aliis omnibus hominibus copulatiuè, & pro quolibet illorum ſeorſim, in hac propoſitione, *homo eſt rationalis*, quodlibet enim indiuiduum ex illis eſt verè rationale. Alia eſt determinata, quæ eſt acceptio termini communis particulariter accepti pro pluribus inferioribus ſeorſim diſiunctiuè, vt in hac propoſitione, *aliquis homo currit*, homo ſupponitur pro hoc, vel illo homine, & ſic de omnibus aliis diſiunctiuè. Alia eſt copulata quæ eſt acceptio termini communis pro omnibus ſignificatis ſimul & copulatim acceptis, vt *omnes Apoſtoli Dei ſunt duodecim*, illa vox, *omnes Apoſtoli Dei*, non ſupponit pro Petro ſeorſim, & pro Paulo ſeorſim, ſed pro Petro, Paulo, & aliis Apoſtolis ſimul ſumptis. Alia eſt confuſa, quæ eſt acceptio termini communis pro omnibus inferioribus confuſè, & pro nullo determinatè; vbi aduerte diſcrimen inter ſuppoſitionem determinatam, & ſuppoſitionem confuſam; quod cùm terminus communis determinatè ſupponitur, accipitur pro omnibus inferioribus cum diſiunctione, ita tamen quòd in aliquo inferiori determinatè illa propoſitio verificetur, vt in hac propoſitione, *aliquis homo currit*, vox *homo* ſupponitur pro hoc, vel illo homine, cum diſiunctione; propoſitio verò illa verificatur in aliquo homine determinatè, verbi gratia, in Petro de facto currente: cùm verò terminus communis confuſè ſupponitur, accipitur etiam pro omnibus inferioribus cum diſiunctione, ita tamen quòd propoſitio in nullo inferiori determinatè verificetur, ſed in omnibus diſiunctim & confuſè, vt in hac propoſitione, *equus requiritur ad equitandum*, vox illa *equus* ſupponitur pro omnibus equis cum diſiunctione, ſcilicet, pro hoc, vel illo; ita tamen quòd illa propoſitio in nullo equo determinatè verificetur: quia nullus equus determinatè ad equitandum requiritur, ſed verificatur in omnibus, vel in aliquo confuſè.

Denique ſuppoſitio diſtributiua eſt duplex; alia 8
completa, alia incompleta. Suppoſitio completa eſt acceptio termini communis pro ſingulis generum, hoc eſt pro omnibus indiuiduis generis, vel ſpeciei; vt in hac propoſitione, *animal eſt ſenſibile*; vbi vox *animal* completè ſupponitur pro omnibus indiuiduis ſpeciei hominis, & ſpeciei Leonis &c. Suppoſitio verò incompleta eſt acceptio termini communis pro generibus ſingulorum, hoc eſt pro aliquo indiuiduo cuiuſcumque generis, vel ſpeciei; vt in hac propoſitione, *omne animal fuit in arca Noë*, vox illa *omne animal* ſupponitur pro aliquo animali ſpeciei hominis, & pro aliquo animali & ſpecie Leonis &c. & ita facit hunc ſenſum: Ex qualibet ſpecie animalium aliquod animal fuit in arca Noë.

CAPVT II.

Reſolutio per Aſcenſum & Deſcenſum aperitur.

Reſolutio eſt inductio quædam, ſeu argumentatio 9
qua inferimus id quod ſignificatur per terminum communem, & conuenit rationi communi; conuenire etiam omnibus inferioribus, qui dicitur Deſcenſus, id quod conuenit omnibus inferioribus; conuenire etiam rationi communi, & ſignificari per terminum communem, qui dicitur Aſcenſus: de quibus modò diſſerimus.

Aſcenſus ſic definitur: eſt à particularibus ſuffi- 10
cienter enumeratis ad vniuerſale progreſſio; vt, *hic homo eſt animal, & ille homo eſt animal, & ſic de reliquis: ergo omnis homo eſt animal*: hoc autem aſcenſu vtimur ad cognoſcendam veritatem propoſitionis vniuerſalis, ſi non de quolibet homine in particulari eſt verum dicere quòd eſt animal, vera erit illa propoſitio vniuerſalis, *omnis homo eſt animal*. Deſcenſus eſt à termino vniuerſali, & communi, ad particularia progreſſio; vt, *omnis homo currit: ergo hic homo currit, & ille homo currit, & ſic de reliquis*. Hoc autem deſcenſu maximè vtimur ad cognoſcendas falſitates alicuius propoſitionis vniuerſalis, ſi non inuenimus aliquem ſingularem hominem qui non currat, hoc ſufficiet ad falſificandum illam propoſitionem communem: *omnis homo currit*.

Hic autem aſcenſus, ſiue deſcenſus, eſt quadruplex: 11
alius eſt deſcenſus copulatiuus, ſeu diſtributiuus, qui eſt progreſſio à termino communi ſupponente diſtributiuè ad ſingula inferiora ſeorſim, media dictione copulatiua, *Et*, *neque*; vt ſi dicas, *omnis homo eſt animal, ergo hic homo eſt animal, & ille homo eſt animal, & ſic de reliquis*: Item, *nullus homo eſt irrationalis, ergo nec iſte homo eſt irrationalis, nec ille, & ſic de aliis*. Alius eſt deſcenſus diſiunctiuus, qui eſt progreſſio à termino communi ſupponente determinatè ad inferiora, media diſiunctiua, *vel*, *aut*, & alia ſimili, vt *aliquis homo currit: ergo vel hic homo currit, vel iſte, vel ille*: ita tamen quòd in aliquo inferiori determinatè propoſitio verificetur.

Alius eſt deſcenſus copulatus, qui eſt progreſſio 12
à termino communi, ſupponente copulatè ad particularia ſimul, & collectiuè accepta: vt ſi dicas, *Euangeliſtæ ſunt quatuor: ergo Ioannes, Lucas, Marcus, & Matthæus ſunt quatuor*. Alius eſt deſcenſus diſiunctus qui eſt progreſſio à termino communi ſupponente confuſè ad omnia particularia, media diſiunctiua, *vel*, ita tamẽ vt nulli inferiori determinatè cõueniat ratio ſignificata per terminum cõmunem, nec in vllo determinatè propoſitio verificetur; vt cum dicimus, *aliquis equus requiritur ad equitandum, ergo vel hic requiritur, vel iſte requiritur, vel ille*: nullus tamen equus

determi

determinatè requiritur. Quod dictum eſt de deſcenſu, de aſcenſu etiam dictum puta, proportione ſeruata.

13 Deſcenſus autem, ſiue aſcenſus copulatiuus, ſeu diſtributiuus, eſt duplex: alius eſt complexus qui eſt progreſſio à Termino communi ſupponente diſtributiuè completè ad omnia eius indiuidua particularia per copulatiuam *Et*; vt ſi dicas, *omne animal eſt ſenſibile, ergo hoc animal eſt ſenſibile, & illud, & quoduis aliud animal eſt ſenſibile.* Alius eſt deſcenſus incomplexus qui eſt propoſitio à termino communi ſupponente diſtributiuè incompletè ad omnes eius ſpecies per copulatiuam, ad indiuidua verò cuiuſque ſpeciei, non per copulatiuam, ſed per diſiunctiuam: vt ſi dicas, *omne animal fuit in arca Noë: ergo ex ſpecie hominis, hoc vel illud animal; & ex ſpecie Leonis, hoc vel illud animal fuit in arca Noë.* Alia hic tractant ſummuliſtæ prorſus inutilia, quæ omitto.

CAPVT III.

Aliæ terminorum proprietates explicantur.

QVinque aliæ proprietates Logicæ terminis intra propoſitionem conueniunt; nimirum, Ampliatio, Reſtrictio, Diminutio, Alienatio, & Appellatio. De quibus in hoc cap. diſſerendum eſt.

14 Ampliatio eſt extenſio termini à minori ad maiorem ſuppoſitionem, cùm enim terminus in propoſitionem, cùm enim terminus in propoſitione ſupponit ſolum pro re exiſtente in tempore importato per copulam, dicitur terminus, vel propoſitio ſtatum tenere: cùm verò ſe extendit ad ſupponendum pro re non exiſtente in tempore importato per copulam, dicitur terminus ampliari, & hæc ſuppoſitionis extenſio dicitur Ampliatio; vt cum dicimus: *homo eſt animal*, vox *homo* non ſolùm ſupponit pro hominibus exiſtentibus in tempore præſenti importato per copulam; ſed etiam extenditur & ampliatur ad ſupponendum pro hominibus præteritis, futuris, & poſſibilibus.

15 Hæc autem Ampliatio eſt triplex, alia eſt extenſio & ampliatio ad plura tempora præcisè, quæ conuenit termino ſingulari, vt ſi dicas, *Petrus currit*, terminus ſingularis, *Petrus*, ampliatur ad tempus præſens, & præteritum; facit enim hunc ſenſum, *Petrus qui eſt, vel fuit, modò currit.* Alia eſt Ampliatio & extenſio ad plura tempora & ſuppoſita; vt cùm dicimus, *homines ſaluabuntur*, facit hunc ſenſum, *homines qui modò ſunt, vel alij homines, qui poſtea erunt ſaluabuntur*: & hæc Ampliatio eſt propria termini communis. Alia eſt Ampliatio & extenſio ad plura tempora & formas, quæ conuenit termino connotatiuo; vt ſi dicas, *Album eſt nigrum*, facit hunc ſenſum; *ſubiectum quod in tempore præterito habuit formam albedinis, nunc habet formam nigredinis.*

Obſerua, terminum amplum eſſe ſuperiùs, continentem ſub ſe terminum amplum, qui eſt inferiùs reſpectu illius, atque ita à termino amplo ad non amplum affirmatiuè ſemper valet conſequentia; vt ſi dicas, *homo etiam poſſibilis eſt animal*, bene valet, *ergo homo nunc exiſtens eſt animal.* A termino verò non amplo ad amplum non ſemper affirmatiuè valet conſequentia; vt ſi dicas, *homo nunc exiſtens currit*, non valet inferre: *ergo homo etiam poſſibilis, vel præteritus currit.*

16 Reſtrictio eſt coarctatio termini à maiori ad minorem ſuppoſitionem. Hæc autem quadrupliciter accidit. Primò per additionem termini inferioris ad ſuperiorem; vt *animal homo eſt rationalis*, vbi vox *animal*, quod pro omni animali rationali & irrationali ſupponebat, reſtringitur per ly, *homo*, ad ſupponendum pro ſolo animali rationali. Secundò per additionem alicuius adiectiui, vt *homo ſapiens diſputat.* Tertiò per additionem caſus obliqui, vt, *Liber Petri eſt græcè conſcriptus.* Quartò per copulam implicationis, *qui, quæ, quod*; vt, *homo qui ſpernit honores, quietè viuit.*

Obſerua, terminum non reſtrictum eſſe ſuperiùs ad terminum reſtrictum, qui eſt inferiùs reſpectu illius: & ita bene poteſt argui à termino non reſtricto ad terminum reſtrictum: vt, *omnis homo diſputat: ergo homo ſapiens diſputat*; non verò argui poteſt affirmatiuè à termino reſtricto ad non reſtrictum, vt *liber Petri eſt græcè conſcriptus: ergo omnis liber eſt græcè conſcriptus.*

Diminutio eſt alicuius dictionis additio, qua ter- 17
minus abſolutè ex ſe ſupponens, ſupponit tantum ſecundum quid, vt ſi dicas Petrum eſſe album ſecundum dentes.

Alienatio eſt tranſlatio termini à propria ad impropriam ſignificationem, vt *Leo marmoreus, homo pictus*, iſtæ enim voces, *homo, leo*, quæ verum hominem & verum leonem propriè ſignificabant, transferuntur ad ſignificandum impropriè hominem fictitium, qualis eſt pictus; & leonem tranſlatiuè, qualis eſt marmoreus. Sed tamen obſerua à termino diminuto aut alienato non poſſe argui ad terminum non diminutum, nec alienatum: non enim valet; *Petrus eſt albus ſecundum dentes: ergo eſt albus*, item, *ille eſt homo pictus, ergo eſt homo.*

Appellatio eſt applicatio formalis ſignificati vnius 18
termini ad ſignificatum alterius: vt in hac propoſitione *homo eſt ſapiens*, terminus *ſapiens* applicat ſuum formale ſignificatum ad ſignificatum illius termini *homo*, & hominem formaliter appellat ac denominat formaliter ſapientem: etenim *Appello* idem eſt ac *Denomino*, & *Appellatio* idem ac *Denominatio*, & ille terminus alium formaliter appellat, qui alium formaliter denominat. Hæc autem appellatio eſt duplex; alia formalis, alia materialis. Appellatio formalis eſt, qua vnus terminus appellat, ac denominat formaliter ſignificatum formale alterius, vt in hac propoſitione; *homo eſt riſibilis.* Appellatio materialis eſt quando vnus terminus appellat ac denominat formaliter ſignificatum materiale alterius; vt in hac, *album eſt dulce*, dulcedo non appellat formaliter dulce ſubiectum albedinis, quod eſt ſignificatum materiale.

Sed obſerua primò, quando ex parte prædicati ſunt 19
duo termini connotatiui, vnum appellare formale ſignificatum alterius, vt ſi dicas *Ioannes eſt magnus Philoſophus*, idem erit ac ſi dicas, *Ioannes eſt magnus in Philoſophia*: ſi verò ex parte ſubiecti ſint terminus abſolutus, & aliquis terminus connotatiuus, tunc terminum connotatiuum tenentem ſe ex parte prædicati, appellare formaliter terminum abſolutum ſubiecti non verò terminum connotatiuum; vt ſi dicas, *Petrus albus eſt ſapiens*, terminus *ſapiens* non appellat ſapientem Albedinem, ſed ipſum Petrum.

Obſerua ſecundò, prædicatum appellare formaliter illud ſubiecti ſignificatum cui ipſum prædicatum congruit: vnde in hac propoſitione, *Chriſtus eſt omnipotens*, terminus *omnipotens* appellat Chriſtum vt Deum: in hac verò *Chriſtus fuit mortalis*, terminus *mortalis* appellat Chriſtum vt hominem: quia omnipotentia conuenit Chriſto vt Deo; mortalitas autem propria fuit Chriſti vt hominis.

Obſerua tertiò, nomina numeralia appoſita ſubſtantiuis appellare formale & materiale ſignificatum illorum, atque ita multiplicare formas & ſuppoſita, vnde tres homines ſignificant tres perſonas habentes tres naturas humanas, & ob id non poteſt dici, ſalua

fide,

fide, eſſe tres Deos: quia licèt ſint tres perſonæ diuinæ non tamen habent tres naturas diuinas, ſed vnam tantum naturam Dei: nomina verò numeralia appoſita adiectiuis ſolùm appellare materiale, non formale ſignificatum illorum; atque ita non multiplicare formas, ſed ſubiectum tantum; vnde ſi eadem numero albedo in tribus ſubiectis diuinitùs collocaretur, eſſent vere tria alba, hoc eſt, tria ſubiecta habentia in ſe formam albedinis.

Obſerua quartò, non eſſe bonam argumentationem in qua variatur appellatio, vt ſi dicas, *Petrus eſt Philoſophus: ſed Petrus eſt magnus: ergo Petrus eſt magnus Philoſophus*; non valet, quia in primo loco *magnus* appellat *Petrum*; in ſecundo verò loco *magnus* appellat *Philoſophiam*; & ita variatur appellatio.

DISPVTATIO IV.

De proprietatibus Logicalibus propoſitionum.

QVATVOR capita continebit. In primo, inquiro quid & quotuplex oppoſitio ſit, & quas leges obſeruet? In ſecundo, aduerſantia argumenta proponuntur, ac diluuntur. In tertio quid ſit æquipollentia, & quomodo cognoſcatur? In quarto, quid conuerſio, & quibus modis fiat.

CAPVT I.

Quid, & quotuplex oppoſitio ſit, & quas leges obſeruet?

1 INter proprietates Logicales propoſitionum, principem locum obtinet Oppoſitio, quare de illa in principio diſſeram, quoſdamque imitabor ingenioſos R.R. qui bene hanc Oppoſitionem elucidarunt.

2 Oppoſitio eſt duarum propoſitionum repugnantia: vt, *omnis homo eſt albus*: *Nullus homo eſt albus*. Sed obſerua ad hanc propoſitionum repugnantiam & oppoſitionem, requiri primò, quòd eadem extrema participent, nempe idemmet ſubiectum, & idemmet prædicatum: vnde iſtæ non ſunt oppoſitæ, *homo eſt riſibilis*: *equus non eſt riſibilis*, quia habent diuerſa ſubiecta: nec iſtæ opponuntur, *homo eſt riſibilis*, *homo non eſt hinnibilis*, quia habent diuerſa prædicata.

Secundò requiritur, quòd non diuerſa tempora, aut loca, ſed idem tempus & eumdem locum reſpiciant: vnde iſtæ non opponuntur, *Petrus Romæ ſcribit*, *Petrus Vallisoleti non ſcribit*, quia reſpiciunt diuerſa loca: nec iſtæ ſunt oppoſitæ, *Petrus fuit albus*, *Petrus non eſt albus*, quia reſpiciunt diuerſa tempora.

3 Tertiò, requiritur quòd vna affirmet id, quod altera negat; vel è contra, vna neget quod altera affirmat; vnde hæ non ſunt oppoſitæ, *Petrus non currit velociter*: *Petrus currit*, quia ſecunda propoſitio non affirmat velocitatem curſus Petri, quam negat prima: nec iſtæ opponuntur, *omnes Apoſtoli Dei ſunt duodecim*, *omnes Apoſtoli Dei non ſunt duodecim*: ſi in prima propoſitione terminus communis ſupponat copulatè, & in ſecunda diſtributiuè: quia ſecunda propoſitio ſolùm negat, quemlibet Apoſtolum diuiſiuè & ſeorſim eſſe duodecim, quod non affirmat prima: nec ſecunda propoſitio negat omnes Apoſtolos Dei copulatim ſumptos eſſe duodecim, quod ſolùm affirmat prima: atque ideò non negat vna quod altera affirmat, & conſequenter non opponuntur.

4 Hæc autem Oppoſitio ſic definita, quadruplex dici poteſt; nimirum Contradictoria, Contraria, Subcontraria, & Subalterna. Puto tamen oppoſitionem ſubalternam non eſſe veram oppoſitionem; quia vna propoſitio in ſubalternis non negat quod altera affirmat, vt ſtatim videbimus. Oppoſitio contradictoria eſt, quando vna propoſitio præcisè habet negare & falſificare quod altera affirmat; vnde hæ ſunt Contradictoriæ, *Omnis homo eſt albus*, *Aliquis homo non eſt albus*: *Petrus currit*, *Petrus non currit*: quia vna propoſitio ex ſingulis prædicatis præcisè negat id quod requiritur ad falſificandum id, quod altera affirmat. Oppoſitio contraria eſt quando duæ propoſitiones oppoſitæ, ita ſe habent, vt vna mutuò inferat alterius contradictoriam, & plus neget quàm requiritur ad falſificandum id quod altera affirmat; vel è contra plus affirmet quàm requiritur ad falſificandum id quod altera negat: vnde hæ ſunt contrariæ, *Omnis homo eſt albus*, *Nullus homo eſt albus*: quia ſecunda propoſitio infert contradictoriam primæ, ſcilicet: *Aliquis homo non eſt albus*, & plus negat quàm requiritur ad primã propoſitionem falſificandam: quia ad falſificandam illam primam propoſitionem, *Omnis homo eſt albus*, ſufficeret negare omnem hominem eſſe album: illa verò propoſitio, *Nullus homo eſt albus*, non ſolum negat omnem hominem eſſe album, ſed etiam negat aliquem hominem eſſe album; & ita plus negat quàm requiritur ad primam propoſitionem falſificandam, & ita tales propoſitiones ſunt inter ſe contrariæ. Oppoſitio ſubalterna eſt quando duæ propoſitiones ita ſe habent, vt vna inferatur ex contradictoria alterius, & illa altera ex contradictoria iſtius, & quæuis minus neget vel affirmet quàm requiritur ad falſificãdum id quod altera affirmat, vel negat: vnde iſtæ ſunt Subcontrariæ, *Aliquis homo eſt albus*, *Aliquis homo non eſt albus*: quia hæc ſecunda propoſitio v. g. infertur ex contradictoria alterius, nempe, *Nullus homo eſt albus*, & minus negat quàm requiritur ad primam propoſitionem falſificandam; nam vt illa propoſitio prima, *Aliquis homo eſt albus*, falſificaretur, requirebatur quòd nullus homo eſſet albus, atque ita quòd negaretur aliquem hominem eſſe album: hæc autem ſecunda propoſitio, *Aliquis homo non eſt albus*, ſolùm negat omnem hominem eſſe album; ad quod ſufficit quòd aliquis homo non ſit albus, atque ita minus negat, quàm requiritur ad primam propoſitionem falſificãdam, & eodem modo ſe habet prima propoſitio reſpectu ſecundæ; ac proinde ſunt Subcontrariæ. Oppoſitio Subalterna, eſt quando duę propoſitiones ita ſe habent, vt vna ſequatur ex alia; vt, *Omnis homo eſt albus*, *Aliquis homo eſt albus*: *Nullus homo eſt albus*, *Aliquis homo non eſt albus*: propoſitio quæ aliam infert, dicitur Subalternans; propoſitio verò quæ ex alia infertur, dicitur Subalternata.

5 Conditiones & leges oppoſitarum propoſitionum hæ ſunt: Contradictoriæ non poſſunt eſſe ſimul veræ, nec ſimul falſæ; ſed alia neceſſariò debet eſſe vera, & altera falſa: quia cùm vna Contradictoria dicat rem eſſe, & alia dicat eandemmet rem non eſſe, & impoſſibile ſit rem eſſe, & non eſſe ſimul; impoſſibile eſt quòd vtraque ſit vera: & cùm neceſſarium omninò ſit quamlibet rem eſſe, vel non eſſe, ſequitur euidenter aliquam propoſitionem contradictoriam vel negantem, vel affirmantem rem eſſe, vnam eſſe conformem cum obiecto; atque ita impoſſibile etiam eſt quod vtraque Contradictoria ſit falſa: debet itaque neceſſariò altera eſſe vera, & altera falſa.


Contrariæ in materia neceſſaria, & impoſſibili, non poſſunt eſſe ſimul veræ, neque falſæ; vt, *omnis homo eſt animal*, *Nullus homo eſt animal*: *Omnis equus eſt rationalis*, *nullus equus eſt rationalis*. In materia

materia verò contingenti, licèt non possint esse simul veræ, possunt tamen esse simul falsæ; vt, *Omnis homo est sapiens, Nullus homo est sapiens.*

Subcontrariæ in materia naturali & impossibili, non possunt etiam simul veræ, nec simul falsæ esse; vt, *Aliquis homo est animal, Aliquis homo non est animal: Aliquis equus est rationalis, Aliquis equus non est rationalis.* In materia verò cõtingenti, licèt non possint esse simul falsæ, possunt tamen esse simul veræ, vt *Aliquis homo est sapiens, Aliquis homo non est sapiens.*

Subalternæ in materia naturali sũt necessariò veræ; vt, *Omnis homo est animal, Aliquis homo est animal.* In materia verò impossibili, sunt necessariò simul falsæ; vt, *Omnis equus est rationalis, Aliquis equus est rationalis.* In materia autẽ contingenti regulariter est vniuersalis falsa, & particularis vera; vt, *Omnis homo est albus, Aliquis homo est albus.*

6 Ex dictis colligo duas propositiones oppositas, quarum alia sit affirmans, alia negans; alia particularis, alia vniuersalis; esse contradictorias: vt, *Omnis homo est albus, Aliquis homo non est albus*, quia vna præcisè negat id quod requiritur ad aliam falsificandam: eas autẽ propositiones oppositas, quarũ vna negat, & altera affirmat, & vtraq; est vniuersalis, esse contrarias; vt, *Omnis homo est albus, Nullus homo est albus*, quia plus quæuis affirmat, vel negat, quàm requiratur ad aliã oppositam falsificandã: illas verò propositiones, quarũ vna negat, quod altera affirmat, & vtraq; est particularis, esse subcontrarias; vt, *Aliquis homo est albus, Aliquis homo non est albus*; quia quæuis minus negat quàm quod requiratur ad alteram falsificandam: eas denique propositiones, quarum vna ex alia infertur, maximè si vna vniuersalis sit, & altera particularis sub ea contẽta, esse subalternas; vt, *Omnis homo est albus, Aliquis homo est albus: Nullus homo est albus, Aliquis homo non est albus*: quę omnia clariùs in hac Tabella conspicies.



7 Hæc, quæ dicta sũt de oppositione propositionis etiã categoricæ, facilè accommodari possunt Oppositioni propositionis cõpositæ & hypotheticæ. Est ergo hæc Oppositio, repugnãtia inter duas propositiones hypotheticas: & est quadruplex, cõtradictoria, cõtraria, subcõtraria, & subalterna. In propositionibus copulatiuis & disiunctiuis, has oppositiones explicamus, si semel aduertas notã copulatiuam, *&*, aliquam vniuersalitatẽ indicare; notã verò disiunctiuam, *vel*, indicare particularitatem: atque ita in vna propositione hypothetica ex contradictoriis debet poni copulatiua *Et*: in alia verò debet poni disiunctiua *vel*, quæ hic non significabit vnum tantum extremum esse verum, sed vnum saltem esse verũ; vt optimè prædicti RR. adnotarunt.

8 Oppositio verò cõtradictoria inter has propositiones hypotheticas est, quãdo vna præcisè negat id quod requiritur ad falsificandum aliam; vt, *Omnis homo est rationalis, & omnis equus est hinnibilis; Aliquis homo nõ est rationalis, vel aliquis equus non est hinnibilis.* Oppositio contraria est, quãdo vna propositio cõposita negat, vel affirmat plusquã requiritur ad oppositam propositionẽ hypotheticam falsificandam; vt, *Omnis homo est rationalis, & omnis equus est hinnibilis; Nullus homo est rationalis, & nullus equus est hinnibilis.* Oppositio subcontraria est, quando vna propositio hypothetica minùs affirmat vel negat, quàm requiritur ad aliã oppositionem falsificãdã; vt, *Aliquis homo est albus, vel aliquis homo est niger.* Oppositio subalterna est, quando vna propositio hypothetica ex alia etiã hypothetica infertur; vt, *Omnis homo est rationalis, & omnis equus est hinnibilis: Aliquis homo est rationalis, vel aliquis equus est hinnibilis.*

Sed quærat aliquis, an in aliis hypotheticis, v.g. in cõditionalibus, possit hæc quadruplex oppositio reperiri? 9
P. Tolet. hic, l. 2. c. 13. ad finẽ, docet inter propositiones hypotheticas nullã nisi solùm contradictoriam oppositionẽ dari. Opinor ego cum prædictis Recentioribus, etiã in hypotheticis cõditionalibus omnes supra enumeratas oppositionũ species assignari posse: vnde istæ sunt contradictoriæ; *si Petrus currit Petrus mouetur, non si Petrus currit, Petrus mouetur*, quia vna præcisè negat vel affirmat id quod requiritur ad aliam oppositã falsificandã. Hæ verò sunt contrariæ, *si Petrus currit, Petrus ambulat, non si Petrus currit, Petrus mouetur*, quia vna plus negat, quàm requiratur ad aliã falsificandam, non solùm enim negat ex Petri cursu non sequi ipsũ ambulare, quòd sufficeret ad alterã propositionẽ falsificandã; sed etiã negat ex cursu Petri, sequi ipsum moueri; istæ autem sunt subcontrariæ, *non si Petrus currit, mouetur, si Petrus currit potest moueri*, quia vna minus affirmat, vel negat quàm requiritur ad alteram falsificandã, vt per se constat. Hæ denique sunt subalternæ, *si Petr. currit, Petrus ambulat, si Petr. currit, Petrus mouetur*: vel istæ, *si Petrus currit, mouetur, si Petrus currit, potest moueri*, quia vna ex alia infertur.

CAPVT II.

Aduersantia Argumenta proponuntur, ac diluuntur.

10 ADuersus contradictoriarum legem pluribus fallaciis, & cauillationibus, Summulistæ vociferantes insultant, contendentes posse dari duas cõtradictorias simul veras, aut simul falsas. Præcipua eorum argumenta in hoc cap. afferam, & enodabo.

11 Primò sic arguitur; Istæ propositiones, *Omnis homo currit, Petrus non currit*, sunt veræ contradictorię, & tamen dãtur simul falsæ: ergo duæ contradictoriæ dari possunt simul falsæ. Consequentia est euidẽs; Maior patet, quòd prædictæ propositiones sunt verè inter se oppositæ, cùm vna neget quod altera affirmat: ergo vel sunt cõtrariæ, vel subcontrariæ, vel cõtradictoriæ; non enim est aliud genus veræ oppositionis, vt supra c. 1. docuimus: atqui prædictæ propositiones nõ sunt cõtrariæ, quia non est vtraq; vniuersalis, quales sunt cõtrarię nec sunt subcõtrariæ, quia non est vtraq; particularis, quales sunt subcontrariæ: ergo sunt verè cõtradictorię. Minorẽ illam, scilicet esse simul falsas, ita ostendo: ponamus quòd Petrus currat, & Paulus nõ currat. 1. propositio, scilicet, *omnis homo currit*, est falsa, cùm aliquis homo, scilicet Paulus non currat. 2. propositio, scilicet *Petrus non currit*, etiam est falsa, cùm Petrus currat, vt supponimus; ergo ambę propositiones sunt simul falsę. Resp. illas propositiones non esse cõtradictorias; sed cõtrarias: quia vna propositio negat plus quã requiritur ad falsificandã aliam propositionẽ oppositam: etenim ad falsificandã 1. propositionẽ, scilicet, *Omnis homo currit* sufficit negare omnẽ hominẽ in confuso currere; illa autẽ 2. propositio, Petrus non currit, non solũ negat in confuso omnẽ hominem currere, sed etiã in particulari negat Petr. currere: atq; ita plus negat quam requiritur

ad aliam falſificandam: quod vt ſuprà vidimus, conſtituit propoſitiones Contrarias: vnde iſtæ propoſitiones ſunt Contrariæ, & ſimul falſæ, quod non repugnet.

12 Secundò arguitur: Iſtæ ſunt contradictoriæ, *Omnes Scholaſtici habent librum, Aliqui Scholaſtici non habent librum*, & tamen dantur ſimul falſæ, caſu quo omnes Scholaſtici habeant librum, præter vnum, qui illo careat; ergo duæ contradictoriæ dantur ſimul falſæ.

Reſpondeo non eſſe contradictorias, ſed contrarias; quia vna propoſitio plus negat, quam requiritur ad aliam falſificandam: ad hoc enim vt prima propoſitio, ſcilicet, *Omnes Scholaſtici habent librum*, falſificetur, ſufficit quòd aliquis Scholaſticus librum non habeat; ſecunda autem propoſitio, ſcilicet, *Aliqui Scholaſtici non habent librum*, non ſolùm dicit aliquem Scholaſticum non habere librum, ſed aliquos Scholaſticos librum non habere, atque ita plus dicit, vel negat, quàm requiritur ad aliam propoſitionem oppoſitam falſificandam; ac proinde iſtæ propoſitiones ſunt contrariæ, quæ rectè poſſunt eſſe ſimul falſæ.

13 Tertiò arguitur: Hæ ſunt contradictoriæ, *Petrus eſſentialiter eſt albus*, *Petrus eſſentialiter non eſt albus*, & tamen ſunt ſimul falſæ: ergo dantur contradictoriæ ſimul falſæ. Probo minorem; Petrus poteſt manere & exiſtere ſine albedine, ergo eſſe album, non conuenit eſſentialiter Petro, ergo falſa eſt illa propoſitio prima, *Petrus eſſentialiter eſt albus*, quia affirmat Petro eſſẽtialiter conuenire eſſe album, quod eſt falſum: ſimiliter Petrus manet eſſentialiter quãuis ſit albus, ergo non eſſe album non conuenit eſſentialiter Petro, ergo falſa etiam eſt illa ſecunda propoſitio, *Petrus eſſentialiter non eſt albus*; quia dicit Petro eſſentialiter conuenire non eſſe album, quod eſt falſum; ergo illæ duæ propoſitiones ſunt ſimul falſæ.

Reſpondeo, has propoſitiones non eſſe contradictorias, ſed contrarias; quia etiam plus vna propoſitio affirmat, vel negat, quàm requiratur ad aliam oppoſitam falſificandam: nam vt falſa ſit illa prima propoſitio, *homo eſſentialiter eſt albus*, tantum requiritur quod homini non ſit eſſentiale eſſe album: ſecunda autem propoſitio, ſcilicet, *homo eſſentialiter non eſt albus*, non ſolùm dicit homini non eſſe eſſentiale, eſſe album, ſed addit eſſe illi eſſentiale non eſſe albũ: atque ita plus dicit quàm requiratur ad aliam oppoſitã falſificandã; ac proinde non ſunt contradictoriæ, ſed contrariæ: eſſent verò cõtradictoriæ ſi diceretur, *homo eſſẽtialiter eſt albus, homo eſſentialiter non eſt albus*, tunc autẽ ſecũda propoſitio eſſet vera, & prima eſſet falſa.

14 Quartò arguitur, Iſtæ ſunt contradictoriæ, *promitto tibi equum, nullum equum tibi promitto*, & tamen ſunt ſimul veræ; ergo duæ contradictoriæ dãtur ſimul verę. Probo minorem, demus caſum, quòd ego tibi promittam equum aliquẽ non determinatè, ſed in confuſo; in hoc caſu, illa propoſitio prima, ſcilicet, *promitto tibi equum*, eſt vera, quia ſenſus illius eſt, *aliquem equum in confuſo dabo tibi*, quod eſt verum, vt ſupponimus: ſecunda propoſitio, ſcilicet, *nullum equũ tibi promitto*, etiã eſt vera, quia ſenſus illius eſt, *neq; hũc determinatè, neq; illum, neque alium determinatè, & in particulari equum tibi promitto*, quod eſt verũ; vt ex prædicta ſuppoſitione conſtat: ergo vtraque propoſitio eſt vera.

Reſpondeo non eſſe contradictorias, quia non negat vna quod affirmat altera; etenim prima propoſitio affirmat me promittere tibi equum aliquem in confuſo, quod non negat ſecunda propoſitio; ſed tantum negat me tibi promittere aliquem equum determinatè & in particulari; quod prima propoſitio non affirmat: non ergo ſunt contradictoriæ, ac proinde poſſunt eſſe ſimul veræ.

15 Quintò arguitur; Iſtæ ſunt contradictoriæ, *Homo ſemper eſt albus, homo aliquando non eſt albus*, & tamẽ dantur ſimul veræ; ergo duæ contradictoriæ poſſunt eſſe ſimul veræ. Probo minorẽ, Petrus, qui verè eſt homo, ſemper eſt albus; ergo verum eſt dicere, *homo ſemper eſt albus*: ſimiliter, Paulus v.g. modò eſt niger, atq; ita non eſt albus; ergo verum eſt dicere, *homo aliquando non eſt albus*.

Reſpondeo præfatas propoſitiones non eſſe contradictorias, ſed ſubcontrarias: terminus enim communis in materia contingenti particulariter & determinatè ſupponit, & reddit propoſitionẽ particularem, vt diximus ſuprà diſp. 2. n. 10. vnde propoſitiones illæ æquialẽt iſtis, *Aliquis homo ſemper eſt albus, Aliquis homo aliquando non eſt albus*, quæ tantũ Subcontrariæ ſunt; quibus non repugnat dari ſimul veras.

Sextò arguitur; Iſtæ ſunt contradictoriæ *cuiuſlibet hominis omnis equus currit*, *cuiuſlibet hominis aliquis equus non currit*; & tamen dãtur ſimul falſæ, caſu quo nullus equus Petri currat, & omnes equi aliorũ hominum currant; tunc enim falsũ eſt dicere, *Cuiuſlibet hominis omnẽ equum currere*, cũ Petrus ſit homo, & eius equi non currãt: & ſimiliter falſum eſt dicere, *Cuiuſlibet hominis equũ aliquem non currere*, quia aliorum hominum, præter Petrum, equi currunt, vt ſupponimus; ac proinde illæ duæ propoſitiones ſunt ſimul falſæ: ergo duæ contradictoriæ dantur ſimul falſæ. 16

Reſpondeo, non eſſe has propoſitiones contradictorias, ſed contrarias; quia vna plus affirmat, vel negat, quàm requiritur ad aliam falſificandã: vt enim prima propoſitio falſificetur, tantũ requiritur, quòd alicuius hominis equus nõ currat: ſecunda autẽ propoſitio non ſolum dicit alicuius hominis equum non currere, ſed cuiuſlibet hominis equum non currere; atque ita plus dicit, vel negat, quam requiritur ad aliam propoſitionem falſificandam; ac proinde hæ propoſitiones ſunt contrariæ, & ſimul falſæ.

17 Vltimò arguitur; Hæ propoſitiones, quæ falſificãtes & inſolubiles appellãtur, ſunt contradictoriæ; ſcilicet *hæc propoſitio eſt falſa, hæc propoſitio nõ eſt falſa*; ſupponendo quòd prima propoſitio eſt reflexa ſupra ſeipsã, & affirmat ſeipſam eſſe falſam: & ſecunda propoſitio cadit ſupra primã, & negat illam primam propoſitionem eſſe falsã; & tamen dantur ſimul veræ, vel ſimul falſæ: ergo duæ cõtradictoriæ dari poſſunt ſimul veræ, vel ſimul falſæ. Probo minorẽ; illa prima propoſitio, vel eſt vera, vel falſa; ſi eſt vera, ergo ſecunda propoſitio quæ negat primã propoſitionem eſſe falſam, etiam eſt vera; atq; ita dantur ſimul veræ: ſi prima ſit falſa, ergo ſecunda propoſitio quæ negat primam propoſitionem eſſe falſam, etiam eſt falſa: ergo dantur ſimul falſæ: igitur neceſſariò iſtæ contradictoriæ dantur ſimul veræ, vel ſimul falſæ.

Reſpondeo eſſe caſum omninò implicatorium, & impoſſibilem: ſi enim eademmet propoſitio caderet & reflecteret ſupra ſeipsã, affirmans ſeipſam eſſe falſam, ſequeretur quòd eadẽmet propoſitio eſſet ſimul vera, & falſa; nã talis propoſitio reflexiua ſui, vel eſſet vera, vel falſa; ſi ſit vera, ergo cùm de ſe affirmet ſe non eſſe veram, ſed falſam, erit deformis obiecto; atque ita erit etiam falſa; ac proinde erit vera, & falſa: ſi autem talis propoſitio ſit falſa, ergo eũ ipſa de ſe affirmet ſe eſſe falſam, conformabitur obiecto, atq; ita erit etiã vera, ac per conſequens erit eadẽ propoſitio ſimul vera & falſa: vnde ſicut impoſſibile eſt, eandem propoſitionẽ eſſe ſimul verã, & falſam, ita etiam impoſſibile omninò eſt dari propoſitionẽ illam, quæ ſupra ſe reflectat, & affirmet ſeipſam eſſe falsã. Hoc tamen impoſſibili admiſſo, aliud impoſſibile ſequitur, ſcilicet duas contradictorias eſſe ſimul veras, vel falſas: vt argumentũ conuincit: ſed non mirum, quia ex impoſſibili ſequitur quodlibet: vt commune fert axioma.

CAPVT III.

Quid ſit æquipollentia, & quomodo cognoſcatur.

18 ÆQuipollentia eſt duarum propoſitionum eodem extremo, & ordine participantium, eadem

eadem vis & valor à variis signis proueniens. Vtimur autem æquipollentia propositionum ad aliquas propositiones obscuras per alias clariores explicãdas, & vt cognoscatur veritas ignota vnius propositionis per claram veritatem suæ æquiualentis: pro cuius intelligentia aliqua obseruanda sunt.

19 *Obseruatio* 1. Duabus datis Contradictoriis, si vni præponatur negatio *non*, æquipollet alteri contradictoriæ. Exempli gratia, demus has Contradictorias, *Omnis homo est albus*, *Aliquis homo non est albus*: & postea quis primæ propositioni negationem præponat, dicens, *Non omnis homo est albus*, talis propositio æquipollet secundæ, nempe, *Aliquis homo non est albus*: & similiter, si secundæ negationem præponat, dicens, *Non aliquis homo non est albus*, æquipollet primæ contradictoriæ, scilicet, *Omnis homo est albus*.

20 *Obseruatio* 2. Datis duabus Contrariis, si vni postponatur negatio non æquipollet alteri; nam istæ sunt Contrariæ, *Omnis homo est albus*, *Nullus homo est albus*, si postponas primæ negationem, dicens, *Omnis homo non est albus*, æquipollet secundæ, scilicet, *Nullus homo est albus*: similiter si secundæ postponas negationem, dicens, *Nullus homo non est albus*, æquipollet primæ, nempe, *Omnis homo est albus*.

21. *Obseruatio* 3. Duabus datis Subalternis, si vni præponas, & etiam postponas negationem, *non*; æquipollet alteri: v.g. hæ sunt Subalternæ, *Omnis homo est albus*, *Aliquis homo est albus*: si primæ propositioni præponas, ac postponas simul negationem, dicens, *Non omnis homo non est albus*, æquipollet secundæ, scilicet, *Aliquis homo est albus*: similiter si secundæ propositioni præponas, & postponas simul negationem, dicens, *Non aliquis homo non est albus*, æquipollet primę, scilicet, *Omnis homo est albus*.

22 Hinc colligo primò, idem omninò valere, *non omnis*, ac *aliquis non*, & *non aliquis non*, ac *omnis*, & *non nullus*, ac *aliquis*, & *non aliquis*, ac *nullus*, & *omnis non*, ac *nullus*, & *nullus non*, ac *omnis*, & *non omnis non*, ac *aliquis*, & *non nullus non*, ac *aliquis non*; vt ex prædictis obseruationibus constat.

Secundò, Infero negationem, *non*, propositionem vniuersalem reddere particularem; & particularem reddere vniuersalem, si ipsis præponatur; & propositionem affirmatiuam reddere negatiuam; & negatiuã reddere affirmatiuam: Ex quo oritur, quòd paritas negationum affirmat; imparitas verò negationũ, negat.

Colligo tertiò, ab vna propositione æquipollenti ad aliam etiam æquipollentem bonam esse consequentiam; cùm vtraque eundem sensum & significationem obtineat.

CAPVT IV.

Quid conuersio, & quibus modis fiat.

23 COnuersio est extremorum propositionum eodem extremo & ordine participantium manente eadem qualitate transpositio; vt, *Omnis homo est animal*; *Aliquod animal est homo*. Propositio quæ in aliam transmutatur & conuertitur, dicitur conuersa: propositio verò illa, in quam alia transmutatur, & conuertitur, denominatur conuertens.

24 Hæc autem conuersio est triplex: alia est simplex, alia per accidens, alia per contrapositionem. Conuersio simplex est, quando extrema propositionum transmutantur manente eadem quantitate & qualitate; & hoc modo conuertuntur, Propositio vniuersalis negatiua, & propositio particularis affirmatiua, hac ratione, *Nullus homo est animal irrationale*, *Nullum animal irrationale est homo*: *Aliquis homo est animal*, *Aliquod animal est homo*. Conuersio per accidens est quando extrema propositionum transpo-

nuntur manente solum eadem qualitate, non verò eadem quantitate propositionum; quo pacto conuertuntur propositio vniuersalis negatiua, & etiam vniuersalis affirmatiua, hoc modo: *Nullus homo est albus*, *Aliquod album non est homo*: *Omnis homo est animal*, *Aliquod animal est homo*. Conuersio per contrapositionem est, quando extrema propositionum transponuntur & infinitantur, qua omnia conuertuntur: Propositio vniuersalis affirmatiua & particularis negatiua, hoc pacto; *Omnis homo est animal*, *Omne non animal est non homo*: *Aliquis homo non est albus*, *Aliquod non album non est non homo*: Quæ omnia his versiculis continentur.

Simpliciter fEcI, conuertitur EuA per acci.
AstO per contra, & sic fit conuersio tota.

Pro quorum explicatione aduerto in Syllabis horum 25
versuum, non esse attendendas literas consonantes, sed tantum literas vocales, A. E. I. O. ex quibus, A. significat propositionem vniuersalem affirmatiuam; vt, *Omnis homo est animal*: *E.* significat propositionem vniuersalem negatiuam; vt, *nullus homo est equus*: I. significat propositionem particularem affirmatiuam; vt, *Aliquis homo est albus*: O. significat propositionem particularem negatiuam; vt, *Aliquis homo non est albus*: quæ omnia his etiam versibus declarantur.

Asserit. A. negat. E. sed vniuersaliter ambæ.
Asserit. I. negat. O. sed particulariter ambo.

His positis iam illi versiculi suprapositi perspicui 26
fiunt, *simpliciter fEcI*. Id est propositio vniuersalis negatiua significata per literam E, & propositio particularis affirmatiua significata per literam I. conuertuntur per conuersionem simplicem. *Conuertitur EuA per acci.* id est, propositio vniuersalis negatiua, significata per literam E. & vniuersalis affirmatiua significata per literam A. conuertuntur per conuersionem per accidens. *AstO, per contra*, id est, propositio vniuersalis affirmatiua significata per literam A. & particularis negatiua significata per literam O. conuertuntur per conuersionem per Contrapositionem: *& sic fit conuersio tota*, id est, his modis, omnis conuersio concluditur.

Verùm obserua 1. ad conuersionem requiri neces- 27
sariò, quod eædem proprietates Logicales seruentur, v.g. eadem suppositio: vnde hæc non est bona conuersio, *homo est nomen*: *ergo nomen est homo*, quòd in prima propositione *homo* supponit materialiter, & in secunda supponit formaliter.

Obserua 2. in bona conuersione non partiale prædicatum, sed prædicatum directum, & totale debere necessariò transmutari, & conuerti: vnde hæc non est bona conuersio, *Ego amo Petrum*, *Petrus amat me*: sed ista est bona: *Ego amo Petrum*, *Aliquod amans Petrum est egomet*. Similiter non est bona: *Ioannes est in hoc loco*; *hic locus est in Ioanne*, *vel*, *est Ioannes*: hæc verò est bona, *Ioannes est in hoc loco*, *Aliquod existens in hoc loco est Ioannes*.

Obserua 3. à propositione conuersa ad conuertentem esse bonam consequentiam, non verò à conuertente ad conuersam: vt bene valet, *Omnis homo est albus*, *ergo aliquod album est homo*: non verò valet è contrà, *Aliquod album est homo*; *ergo omnis homo est albus*.

DISPVTATIO II.

De propositionibus modalibus.

QVATVOR capita continebit, in 1. agitur de essentia, qualitate, & quantitate propositionis modalis. In 2. de æquipollentia & oppositione

modalium de dicto particulari. In 3. de æquipollentia & oppositione modalium de dicto communi. In 4. de conuersione propositionum modalium.

CAPVT I.

De essentia, Qualitate, & Quantitate Propositionis modalis.

1. DIsseruimus de propositionibus absolutis, iam agimus de modalibus: cùm autem hæ modales propositiones aliquem modum includant, non potest bene earum essentia dignosci, nisi prius talis modus explicetur.

2. Modus itaque (vt ad præsens attinet institutum) est vox significatiua determinans propositionem ad aliquam materiã: cùm autem materia sit reipsa triplex, necessaria, impossibilis, & possibilis, seu contingens (pro eodem enim omnino possibile, & contingens hic vsurpantur;) triplex reipsa erit modus propositionum, alius determinans propositionem ad materiam necessariam, qui dicitur *modus de necessario* vt, *Petrum esse animal est necesse*: alius determinans propositionem ad materiam impossibilem, qui dicitur, *modus de impossibili*, vt, *hominem esse equum est impossibile*: alius qui determinat propositionem ad materiam possibilem, seu contingentem qui dicitur, *modus de possibili*, vel contingenti, vt *Petrum currere est contingens, vel possibile*. Dixi reipsa esse tantum tres modos propositionum, quia idem est contingens, ac possibile in præsenti: attamen voce quatuor assignantur communiter propositionum modi, alius *de necesse*, alius *de impossibili*, alius *de possibili*, alius *de contingenti*.

3. Præterea modus iste dupliciter solet accipi: Primò nominaliter, secundò aduerbialiter. Quando accipitur Nominaliter propositio absoluta, ponitur in infinitiuo, & habet rationem subiecti de quo prædicatur modus, qui in tota propositione modali habet rationẽ prædicati: vt cùm dicimus, *hominem esse animal est necesse*: *Petrum currere est contingens*: Tota illa propositio absoluta posita in infinitiuo, scilicet, *hominem esse animal*, vel *Petrum currere*, est subiectum propositionis modalis, & vocatur *Dictum*: illa verò modificatio, & determinatio quæ postea sequitur, scilicet, *est necesse*, vel, *est contingens*, habet rationem prædicati, & appellatur *modus*: quando autem modus accipitur aduerbialiter, propositio absoluta solùm illo modo afficitur, & modalis fit, in aliis manet immutata, v.g. *homo necessario est animal: Petrus contingenter currit* &c. Modò, solùm agimus de modo nominali; ad finem disputationis nonnihil etiam dicemus de modo Aduerbiali.

4. His positis, propositio modalis est illa, quæ constat aliquando illam ad aliquam materiam determinante: vnde cùm modus iste sit in re triplex; & in voce quadruplex, vt dictum est; etiam propositio modalis erit in re triplex, & quadruplex in voce; alia scilicet de modo possibili, alia de contingẽti, alia de impossibili, alia de necessario. Exempli gratia, *Petrum currere est possibile*; *Petrum currere contingens est*: *Petrum currere est impossibile*: *Petrum currere est necessarium*. Et cùm etiam modus, alius sit nominalis, alius aduerbialis; Propositio etiam modalis, alia erit de modo nominali, vt constat in exemplis adductis, de qua nunc agimus: alia erit de modo aduerbiali, vt, *homo necessariò est animal*: *Petrus impossibiliter est equus*. De qua re infra.

5. Hic adnotare oportet duplicem esse deinde propositionem modalem: alia est, quæ facit sensum diuisum ideſt quæ significat prædicatum conuenire subiecto, non pro eodem tempore in quo habet aliquam formam, sed pro alio in quo non habuit, vel non tulit illam; vt cùm dicimus, *Album esse nigrum possibile est*, non quidem pro eo tempore in quo est album, sed pro alio tempore in quo formam albedinis non habeat: alia est quæ facit sensum compositum, hoc est, quæ significat prædicatum conuenire subiecto, etiam pro eodem tempore in quo formam aliquam habet; vt si dicas, *Album esse dulce, possibile est*, quia pro eodem tempore in quo est album, potest habere simul dulcedinem: Primus sensus dicitur diuisus, quia in subiecto diuidit & separat vnam formam ab alia: Secundus verò sensus dicitur compositus, quia in subiecto componit & coniungit vnam formam cum alia: quæ distinctio sensus compositi, & diuisi, præ oculis habenda est.

6. Qualitas propositionis modalis est, quòd sit vera, vel falsa; affirmatiua, vel negatiua: illa est vera, quæ enunciat rem eo modo, quo est à parte rei: vnde hæc propositio modalis, *hominem esse animal est necesse*, est vera: quia à parte rei est necessarium quòd homo sit animal: illa est falsa propositio quæ enunciat rem alio modo, quo est à parte rei, vt *hominem currere est impossibile*, est falsa, quia à parte rei non est impossibile, sed possibile, quòd homo currat: illa propositio est affirmatiua, in qua copula *est* affirmatur ex parte modi, licet copula quæ est ex parte dicti, negata sit, v.g. ista est propositio modalis affirmatiua, *hominem non currere est possibile*: illa est modalis negatiua, in qua copula, ex parte modi negatur, licèt copula, quæ est ex parte dicti, affirmatiua sit; v. g. ista est modalis negatiua, *Petrum currere non est necesse*.

7. Denique quantitas propositionis modalis est, quod sit vniuersalis, vel particularis: duplex autem vniuersalitas, vel particularitas potest esse in propositione modali: alia ex parte dicti, cùm enim dictum habet subiectum commune & vniuersale, propositio illa modalis dicitur esse de dicto vniuersali, & communi; vt, *omnem hominem esse animal est possibile*: cùm verò dictum habet subiectum particulare, propositio modalis dicitur esse de dicto particulari; vt, *aliquem hominem currere est necesse, vel possibile*. Alia est vniuersalitas propositionis ex parte modi, ac etiam particularitas ex parte modi; cùm enim propositio modalis habet modum aliquem vniuersalem, quales sunt *necesse*, vel *impossibile*: *non possibile*, vel *non contingens*: *non possibile non*, vel *non contingens non*, propositio modalis est vniuersalis de modo; vt, *hominem currere est necesse*: *hominem esse equum est impossibile*: cùm verò propositio modalis habet modum aliquem particularem, quales sunt, *possibile*, *non impossibile*, *contingens*, *possibile non*, *contingens non*, *non necesse non*, talis propositio erit particularis de modo; vt *hominem esse animal est possibile*: *hominem esse irrationalem non est contingens*, quæ his versibus declarantur.

Omnis, Necesse, valet, Impossibile, Nullus.
Possibile, Quidam, Quidam non, Possibile non.

8. In propositionibus autem modalibus, præcipua ratio habenda est, solùm de vniuersalitate, aut particularitate de modo: vnde illa est simpliciter propositio modalis vniuersalis, quæ habet modum vniuersalem: illa simpliciter particularis, quæ habet modum particularem. Attamen etiam de propositionibus modalibus de dicto particulari, & de dicto communi, in sequentibus differemus.

CAPVT II.

De Æquipollentia, & Oppositione modalium de dicto particulari.

PRopositiones modales sicut absolutæ, aliæ sunt inter se æquiualentes, aliæ inter se oppositæ; hæ autem aliæ contradictoriæ, alia contrariæ, aliæ subcontrariæ

contrariæ, aliæ ſubalternæ: quæ autem iſtæ ſint, & quomodo cognoſcantur in hoc capite explicabimus.

9. Pro cuius elucidatione præmitto eſſe à Dialecticis adinuentas quaſdam dictiones, nimirum, *pVrpVrEA. IlIAcE. AmAbImVs. EdEntVlI.* quæ continent in ſe quatuor literas vocales, nempe A. V. E. I. per quas variæ propoſitiones modales ſignificantur. A, ſignificat propoſitionem modalem affirmatiuam de modo, & de dicto: vt *Petrum currere eſt neceſſe.* V, ſignificat propoſitionem modalem negatiuam de modo, & de dicto: vt, *hominem non currere eſt neceſſe.* E, ſignificat propoſitionem modalem negatiuam de dicto, & affirmatiuam de modo, vt, *Petrum non currere eſt poſſibile*, Ideſt, ſignificat propoſitionem modalem affirmatiuã de dicto, & negatiuam de modo: vt, *Petrum eſſe equũ non eſt contingens:* quod hoc exprimitur verſu.

E. dictum negat: I. que modum: nihil, A: ſed V. Totum.


10. Ad hæc, quælibet dictio ex prædictis, quatuor vocales literas claudit: quarum prima, in quauis dictione ſignificat propoſitionem modalem de poſſibili. Secunda, ſignificat modalem propoſitionem de contingenti. Tertia ſignificat propoſitionem de impoſſibili. Quarta ſignificat propoſitionem de neceſſario; v.g. in hac dictione *AmAbImVs: Petrum currere eſt poſſibile*, eſt propoſitio de poſſibili, & affirmatiua de dicto, & de modo: quia ſignificatur per primam literam huius dictionis quæ eſt A: Deinde *Petrum currere eſt contingens*, eſt propoſitio de contingenti, & affirmatiua etiã de dicto & modo, quia ſignificatur per ſecundam literam illius dictionis, quæ etiam eſt A: Præterea, *Petrũ currere non eſt impoſſibile*, eſt propoſitio de impoſſibili, affirmatiua de dicto & negatiua de modo; quia ſignificatur per tertiam literam illius dictionis, quæ eſt I: Demum *Petrum non currere non eſt neceſſe*, eſt propoſitio de neceſſario, & negatiua de dicto & de modo, quia ſignificatur per quartam literam illius dictionis quæ eſt V. His præmiſſis facilè quæſtionem expediã.

11. ASSERTIO I. Omnes propoſitiones modales quæ in vna dictione clauduntur ſunt Æquipollentes inter ſe: itaque omnes propoſitiones modales, quæ ſunt in *pVrpVrEA*, ſunt inter ſe æquipollentes, & omnes quæ ſunt in *AmAbImVs* æquipollent inter ſe, & omnes quæ ſunt in *EdEntVlI*, etiam inter ſe æquipollentes ſunt: exempli gratia, *Petrum currere eſt poſſibile: Petrum currere eſt contingens: Petrum currere non eſt impoſſibile: Petrum non currere non eſt neceſſe*; omnes iſtæ propoſitiones ſunt inter ſe Æquipollentes, quia ſunt in eadẽ dictione, *AmAbImVs*, & ſic de aliis.

12. ASSERTIO II. Propoſitiones modales, quæ continentur in *pVrpVrEA*, & propoſitiones quæ ſunt in *EdEntVlI*, ſunt contradictoriæ inter ſe: & propoſitiones quæ ſunt in *IlIAcE*, & propoſitiones quæ ſunt in *AmAbImVs* ſunt etiam inter ſe contradictoriæ: exempli gratia, *Petrum currere eſt neceſſe*, quæ eſt vltima de *Purpurea*; & Petrum non currere eſt poſſibile, quæ eſt prima propoſitio de *Edentuli*, contradictoriè opponuntur: Similiter *Petrum currere eſt impoſſibile*, quæ eſt tertia de *Iliace*, & *Petrum currere eſt poſſibile*, quæ eſt prima de *Amabimus*, etiam contradictoriè repugnant: & ſic de aliis.

13. ASSERTIO III. Propoſitiones modales quæ ſunt in *Purpurea*, & quæ ſunt in *Iliace*, ſunt inter ſe contrariæ; Propoſitiones verò, quæ ſunt in *Amabimus*, & quæ ſunt in *Edentuli*, ſubcontrariè inter ſe ſunt: exempli gratia, *Petrum currere eſt neceſſe*, quæ eſt vltima propoſitio de *Purpurea*, & *Petrum currere eſt impoſſibile*, quæ eſt tertia propoſitio de *Iliace*, ſunt inter ſe contrariæ; vna enim plus affirmat, vel negat, quàm requiritur ad falſificandam aliam; & ſic de aliis. At verò Petrum currere eſt poſſibile, quæ eſt prima de *Amabimus*; & *Petrum non currere eſt contingens*, quæ eſt ſecunda de *Edentuli*, ſunt propoſitiones ſubcontrariæ; minùs enim vna negat, vel affirmat, quàm requiritur ad falſificandam aliam: & ſic de aliis.

14. ASSERTIO IV. Propoſitiones modales quæ ſunt in *Purpurea*, & quæ ſunt in *Amabimus*, ſunt ſubalternæ; & propoſitiones quæ ſunt in *Iliace*, & quæ ſunt in *Edentuli*, ſunt etiam ſubalternæ: exempli gratia *Petrum currere eſt neceſſe*, quæ eſt vltima de *Purpurea*; & *Petrum currere eſt poſſibile*, quæ eſt prima de *Amabimus*, ſunt ſubalternæ; quia vna ſequitur ex alia: nam ſi neceſſarium eſt, quòd Petrus currat, bene ſequitur quòd etiam erit poſſibile Petrum currere: Similiter *Petrum currere eſt impoſſibile*, quæ eſt tertia de *Iliace*, & *Petrum non currere eſt poſſibile*, quæ eſt prima de *Edentuli*, etiam ſunt ſubalternæ, quia vna ſequitur ex alia: ſi enim in propoſitione eſt impoſſibile quòd Petrus currat, bene inde ſequitur quòd poſſibile ſit Petrum non currere. Quæ omnia clariùs in hac figura apparebunt.



CAPVT III.

De modalibus de dicto communi.

15 PRopositiones modales de dicto vniuersali, & communi, etiam sunt æquipollentes nonnullæ; aliæ oppositæ interse: hæ autem aliæ contradictoriæ, aliæ contrariæ, aliæ subcontrariæ, aliæ subalternæ, iuxta regulas assignatas cap. præcedenti, circa propositiones de dicto particulari, quæ etiam in istis propositionibus de dicto communi militant. Aliqua verò in his speciatim obseruanda sunt.

16 *Obseruatio* 1. vt omnes propositiones modales vniuscuiusque dictionis ex prædictis sint inter se æquipollentes, tres primæ quæ sunt *De Possibili, de Contingenti,* & *de Impossibili,* debent habere idem, ac æquale dictum in quantitate; id est dictum in his tribus propositionibus, vel in omnibus debet esse particulare; vel in omnibus vniuersale: vltima verò propositio de *necesse,* debet habere dictum illis inæquale in quantitate; hoc est, si dictum illarum trium propositionum sit vniuersale, dictum propositionis vltimæ, de *necesse* debet esse particulare: si verò illarum dictum sit particulare, dictum propositionis *de necesse* debet esse vniuersale. Exempli gratia, in *Anabimus:* Aliquod animal esse hominem est possibile: Aliquod animal esse hominem est contingens: Aliquod animal esse hominem non est impossibile. Hæ tres primæ propositiones sunt æquipollentes, & veræ, & habent æquale dictum in quantitate; scilicet in illis omnibus est dictum particulare. Si autem idem dictũ particulare constituas in vltima propositione *de necesse*, dicens, *Aliquod animal non esse hominem non est necesse*, talis propositio non erit illis æquipollens, sed falsa; quia necessarium est quòd aliquod animal, equus, v.g. non sit homo: debes ergo vt hæc propositio *de necesse*, aliis æquipolleat, ponere in illa dictum inæquale & vniuersale, dicens: *omne animal non esse hominem non est necesse.*

17 *Obseruatio* 2. Contradictoriæ eiusdem modi debent necessariò habere dictum æquale in quantitate; ita vt si vna Contradictoria *de possibili* habeat dictum vniuersale, altera propositio *de possibili* contradictoria respectu illius debet habere dictum vniuersale; & si illa habet dictum particulare, etiam ista debet habere dictum particulare; & sic de aliis; ne dentur simul veræ, vel simul falsæ: Exempli gratia, si dicas, *omne animal esse hominem est impossibile*, vt huius Contradictoriam assignes, non debes dicere, *Aliquod animal esse hominem non est impossibile*, quia sic vtraque contradictoria esset simul vera: sed dicere teneris, *omne animal esse hominem non est impossibile*, & ita erunt contradictoriæ, & prima erit vera, & secunda falsa.

18 *Obseruatio* 3. Contradictoriæ *de Possibili, Contingenti, vel Impossibili,* etiam si non sint eiusdem modi, debent habere æquale dictum in quantitate; ideſt in vtraque debet esse dictum vel vniuersale, vel particulare, nè dentur simul veræ, vel simul falsæ: v.g. istæ non sunt contradictoriæ, *Nullum animal esse hominem est impossibile*: *Aliquod animal non esse hominem est contingens:* vtraque enim est vera; erunt tamen contradictoriæ, si in vtraque sit dictum vniuersale, & æquale; vt si dicas, *Nullum animal esse hominem est impossibile*: *Nullum animal esse hominem est contingens*: & prima est vera, & secunda falsa.

19 *Obseruatio* 4. Contradictoriæ, quarum vna est *de necesse*, & altera de alio modo, scilicet *de possibili, Contingenti,* vel *Impossibili*, debent habere inæquale dictum in quantitate, ita vt si vna habeat dictum vniuersale, altera debeat habere dictum particulare, & è contra, ne dentur simul veræ aut simul falsæ: v.g. istæ propositiones habentes æquale dictum in quantitate, scilicet, *Aliquod animal esse hominem est necesse*: *Aliquod animal non esse hominem, est contingens*; non sunt contradictoriæ, quia sunt simul veræ: erunt tamen contradictoriæ, si in illis dictum sit inæquale in quantitate; scilicet, in alia sit vniuersale, & in altera particulare; vt si dicas, *Aliquod animal esse hominem est necesse*: *Omne animal non esse hominem est contingens*, & tunc prima propositio est vera, & secunda falsa.

Obseruatio 5. Contrariæ, Subcontrariæ, & Subalternæ *de necesse*, debent necessariò habere vtrumque, vel alterum dictum vniuersale: at verò Contrariæ, Subcontrariæ, & Subalternæ, *de possibili, Contingenti,* aut *impossibili,* debent habere vtrumque, vel alterum dictum particulare; ne plura sequantur absurda contra oppositarum leges. Hæc quidem omnia magis exercitatione quàm doctrina percipiuntur. 20

CAPVT IV.

De conuersione Propositionum modalium.

COnuersio propositionum modalium est transpositio extremorum quæ tenent se ex parte dicti: & etiam est triplex, alia simplex, alia per accidens, alia per contrapositionem; in quibus, eædem regulæ procedunt, quæ suprà, disp. 4. c. 4. de conuersione traditæ sunt: hic tamen nonnulla specialiter obserua. 21

Obseruatio 1. quando propositio, quæ conuertitur, est *de necesse*, modus *de necesse*, debet in aliam mutari, sæpè in modum de possibili: v.g. cùm dicis, *omnem Logicum esse intellectualem est necesse*, non debes sic per accidens conuertere, *Aliquod intellectuale esse Logicum est necesse*; quia propositio conuersa esset vera, & conuertens falsa: sed sic illa prima propositio per accidens conuertenda est, *Aliquod intellectuale esse Logicum est possibile*; quo casu vtraque propositio conuersa, & conuertens, est vera. 22

Obseruatio 2. Propositiones modales, quarum modus non negatur, debent ita transmutari & conuerti vt modus immutatus maneat, si talis modus (vt nuper dixi) non fuerit *de necesse*: Exempli gratia, *Nullum hominem esse lapidem est possibile*, sic conuerti debet simpliciter, *Nullum lapidẽ esse hominem est possibile*. similiter, *Aliquod animal esse hominem est contingens*, sic est conuertenda simpliciter, *Aliquem hominem esse animal est contingens*: & sic de aliis. 23

Obseruatio 3. Propositiones modales de dicto vniuersali, quarum modus negatur, non possunt per accidens conuerti: exempli gratia, hæc vniuersalis affirmatiua de dicto; *omne animal esse hominem est possibile*, non potest per accidens sic conuerti, *aliquem hominem esse animal non est possibile*, quia conuersa esset vera, & conuertens falsa: similiter hæc vniuersalis negatiua, *nullum hominem esse animal non est possibile*, non potest ita per accidens conuerti, *aliquod animal non esse hominem non est possibile*: quia etiam conuersa esset vera, & conuertens falsa. Non ergo possunt hæ propositiones vniuersales de modo negato per accidens conuerti. 24

Obseruatio 4. Propositiones vniuersales *de impossibili*, sunt virtualiter de modo negato; quia impossibile idem est, ac non possibile; atque ideò sicut propositiones vniuersales, quarum modus negatur, non possunt per accidens conuerti: ita propositiones vniuersales *De impossibili*, non possunt conuerti per accidens; vnde hæc propositio, *omne animal esse hominem est impossibile*, non bene conuertitur per accidens, *aliquem hominem esse animal est impossibile*; quia cõuersa est vera, & cõuertens falsa: & sic de aliis. 25

Hæc

Hæc omnia quæ diximus de propoſitionibus modalibus de modo nominali, poſſunt facilè accommodari propoſitionibus de modo Aduerbiali; ſi obſeruetur, modum aduerbialem alium eſſe vniuerſalem affirmatiuum, vt, *neceſſariò*: alium vniuerſalem negatiuum, vt, *impoſſibiliter*: alium particularem affirmatiuum, vt, *poſſibiliter, contingenter*: alium particularem negatiuum, vt, *poſſibiliter non, contingenter non*; ac proinde, illa eſt propoſitio vniuerſalis affirmatiua, quæ habet modum aduerbialem vniuerſalem affirmatiuum, *neceſſariò* ſcilicet, vt, *homo neceſſario eſt animal*: illa vniuerſalis negatiua, quæ habet modum vniuerſalem negatiuum, ſcilicet *impoſſibiliter*, vt *homo impoſſibiliter eſt lapis*, illa particularis affirmatiua, quæ habet modum particularem affirmatiuum, ſcilicet *poſſibiliter*, vel *contingenter*; vt, *homo contingenter*, vel *poſſibiliter currit*: illa particularis negatiua, quæ habet modum particularem negatiuum, ſcilicet, *poſſibiliter non, contingenter non*; vt, *homo poſſibiliter*, vel *contingenter non eſt animal*.

27 Ex his fit primò, propoſitionem *de neceſſariò*, & propoſitionem *de poſſibiliter non*, vel *contingenter non*, eſſe contradictorias; ac etiam propoſitionem *de impoſſibiliter*, & propoſitionem *de poſſibiliter*, vel *contingenter* contradictorie opponi. Propoſitiones verò *de neceſſariò*, & *de impoſſibiliter* eſſe contrarias: Propoſitiones autem *de poſſibiliter*, aut *contingenter*, ac *de poſſibiliter non*, & *contingenter non*, eſſe ſubcontrarias: Propoſitiones denique *de neceſſariò*, & *de poſſibiliter*, aut *contingenter*, eſſe ſubalternas: & etiam propoſitiones *de impoſſibiliter*, & *de poſſibiliter non*, & *contingenter non*, ſubalternas eſſe.

28 Secundò fit, duas contradictorias, ſi modo vnius præponatur negatio, fieri æquipollentes; vnde iſtæ æquipollent inter ſe, *homo non neceſſariò currit*: *homo contingenter non currit*: & iſtæ, *Petrus non contingenter non currit*: *Petrus neceſſariò currit*, duas verò contrarias, ſi modo vnius negatio poſtponatur, etiam æquipollentes fieri, vnde iſtæ æquipollent inter ſe; *homo neceſſariò non currit*: *homo impoſſibiliter currit*: & iſtæ, *homo impoſſibiliter non currit*: *homo neceſſariò currit*. Duas denique ſubalternas: ſi modo vnius præponatur, & poſtponatur negatio, etiam fieri æquipollentes; vnde iſtæ æquipollent inter ſe, *homo non poſſibiliter non currit*: *homo neceſſariò currit*. & iſtæ, *homo non impoſſibiliter non currit*: *homo poſſibiliter non currit*, & ſic de aliis.

29 Tertiò fit, Propoſitiones iſtas modales aduerbialiter debere conuerti iuxta regulas conuerſionis ſupra traditas diſp. 4. cap. 4. obſeruatis etiam his quæ in hoc cap. aduertimus circa conuerſionem propoſitionum modalium nominaliter, maximè quod modalis *de neceſſariò*, quando conuertitur, debeat in aliquibus caſibus mutari in modalem *de contingenter*, vel *poſſibiliter*: v. g. *Grammaticus neceſſariò eſt homo*: *homo contingenter*, vel *poſſibiliter eſt Grammaticus*. Alia diſputant hîc Summuliſtæ, quæ vt prorſus inutilia, nimiſque prolixa prætereo.

DISPVTATIO VI.

De modo ſciendi in communi & in particulari.

QVATVOR capita continebit: in primo inquiro, quid modus ſciendi ſit, & quas contineat ſpecies? in ſecundo, Quid, & quotuplex definitio, & quas leges habeat? in tertio, Quid, & quotuplex diuiſio ſit, & quas conditiones petat: in quarto, Quid ſit argumentatio, & varij modi argumentandi explanantur.

CAPVT I.

Quid modus ſciendi ſit, & quas contineat ſpecies?

MOdus ſciendi in communi eſt oratio ignoti perfectè manifeſtatiua: hoc eſt, quando aliquid confuſè & implicitè cognitum, per aliquam orationē explicitè, & perfectè manifeſtatur, & declaratur, Talis oratio dicitur modus ſciēdi: Per ly *oratio*, conuenit modus ſciendi cum aliis orationibus, quæ non ſunt modi ſciendi; vt, *Petrus eſt doctus*, *Ioannes eſt albus*. Per ly, *ignoti perfectè manifeſtatiua*, differt modus ſciendi ab aliis orationibus, quæ perfectè ignotum non manifeſtant; & ob id non habent rationem modi ſciendi. 1

Obiiciat aliquis primò. Hæc oratio, *homo eſt animal rationale*, eſt verè modus ſciendi; & tamen ſi ſolū proferatur coram aliquibus, qui ſciant hominem eſſe animal rationale, non erit oratio ignotum manifeſtans; quia quod manifeſtatur in hoc caſu, anteà cognitum eſſet: ergo modus ſciendi non eſt oratio ignotum manifeſtans. Reſpondeo, verba in definitione non dicere actum, ſed potentiam iuxta cōmune Dialecticorum axioma; atque ita ad rationē modi ſciendi ſolùm requiritur in definitione, quòd ſit oratio apta quantum ex ſe eſt, ad manifeſtandam rem, etiam ſi ignota ſit: cùm ergo in caſu argumenti, illa oratio, *homo eſt animal rationale*, ſit ex ſe apta ad manifeſtandam eſſentiam hominis, etiam ſi aliis ignota eſſet, ideò eſt modus ſciendi. 2

Obiiciat ſecundò, quando ego non ſcio an Petrus ſit albus, vel an ſit niger, & aliquis mihi dicit, *Petrus eſt albus*, talis oratio eſt ignoti manifeſtatiua, & tamen non eſt modus ſciendi: ergo modus ſciendi non eſt oratio ignoti manifeſtatiua. Reſpondeo prædictam orationem, ſcilicet *Petrus eſt albus*, non eſſe perfectè manifeſtatiuam rei ignotæ; licèt enim mihi in eo caſu manifeſtet Petrum eſſe album, hoc tamen non eſt, perfectè rem manifeſtare; quia non declarat quid ſit Petrum eſſe album, aut qua ratione, vel cauſa, ſit albus, aut aliquid huiuſmodi, quod ad perfectā rei cognitionem requiritur: ad rationem autem modi ſciendi non ſufficit, quòd ſit oratio ignoti manifeſtatiua, vtcumque; ſed requiritur quòd ſit oratio ignotū perfectè manifeſtans, atque ita illa oratio, *homo eſt albus*, licet vtcumque ſit ignoti manifeſtatiua, non eſt modus ſciendi, quia non eſt ignoti manifeſtatiua perfecte. 3

Obiiciat 3. Conceptus, quo quis concipit explicite hominem eſſe animal rationale, eſt vere modus ſciendi, & tamen non eſt oratio manifeſtatiua &c. Oratio enim includit voces, quæ non reperiūtur in conceptu: ergo modus ſciendi non eſt oratio manifeſtatiua. Reſpondeo ly, *Oratio* in definitione modi ſciendi, idem valere, ac *propoſitio*: vnde cùm duplex ſit propoſitio; alia mentalis, quæ eſt in conceptu mentis; alia vocalis, quæ inuenitur in vocibus; ita etiam duplex eſt modus ſciendi, alter mentalis in conceptibus, alius vocalis, in vocibus. 4

Modus ſciendi tres habet ſpecies; nimirum, Definitionem, Diuiſionem, & Argumentationem: de quibus ſingulis agendum eſt.

CAPVT II.

Quid, & quotuplex definitio, & quas leges habeat.

DEfinitio eſt oratio rei naturā manifeſtans; vt hęc *homo eſt animal rationale*, eſt definitio, quia manifeſtat 5

nifestat naturam hominis. Duplex est definitio; alia est definitio nominis, alia est definitio rei. Definitio nominis, est oratio explicans significationē nominis, vt si quis dicat, *Alexander significat Regem Macedoniæ insignem*, talis oratio est definitio nominis, quæ etiam etymologia, vel interpretatio vocatur: Definitio rei, est Oratio explicans & manifestās naturā alicuius rei.

6 Hæc autem realis definitio, alia est essentialis, alia descriptiua. Definitio essentialis est oratio explicans naturam rei per essentialia ipsius rei: vt, *homo est animal rationale*, est definitio essentialis hominis, quia esse animal, & esse rationale, sunt essentialia hominis. Definitio descriptiua est oratio explicans naturam rei per accidens proprium, vel per collectionem accidentium propriam illius: v.g. *homo est animal risibile*, est definitio hominis descriptiua; quia esse risibile, est accidens proprium hominis: Similiter *homo est animal rectum, bipes* &c. est definitio descriptiua hominis, quia esse rectum, bipedem, & cætera accidentia habere, est quędam accidentium collectio propria illius. Plures addunt aliā definitionem causalem à duabus prædictis distinctam; sed immeritò: nam vel explicat hæc causalis definitio naturam rei per essentialia, & tunc erit essentialis: vel manifestat illam per accidentalia, & tunc descriptiua erit.

7 Item definitio essentialis est duplex; alia physica, quæ explicat partes rei physicas; vt, *homo est quid constans ex anima & corpore*: alia metaphysica quæ declarat partes rei metaphysicas; vt, *homo est animal rationale*. Omni definitioni est commune & necessariū habere genus & differentiam: Genus est aliquid in quo definitum cum aliis conuenit: Differentia est aliquid in quo definitum ab aliis differt: vt in hac hominis definitione, *homo est animal rationale*, esse animal, est genus, quia homo qui definitur, conuenit in ratione animalis cum aliis; scilicet cum equo, leone, &c. esse verò rationale, est differentia, quia per rationalitatem homo differt à cæteris animalibus.

8 Præcepta ac leges bonæ definitionis sunt tres. Prima, quòd sit clarior definito, alioquin non posset eius naturam manifestare. Secunda quòd definitum, scilicet illa res, quæ definitur, & definitio ipsa, nempe id quod manifestatur per definitionem, conuertantur, id est de quo dicatur affirmatiuè, vel negatiuè per definitionem, debere dici eodem modo definitum; vt, *est homo, ergo animal rationale: Non est homo, ergo non est animal rationale*: etenim definitum, & definitio ex parte obiecti sunt idem. Tertia, quòd definitio non sit superflua nec diminuta, hoc est, nihil illi desit, nec aliquid in illa otiosum sit ad rei naturam explicandā.

9 Modus arguendi in definitione est duplex: Primus, de quo affirmatur, vel negatur definitum, necessariò affirmatur vel negatur definitio; & è contra, de quo affirmatur, vel negatur definitio, necessariò affirmatur, vel negatur definitum: vt, *est homo: ergo est animal rationale: non est homo, ergo non est animal rationale*: & è contra, *est animal rationale, ergo est homo: non est animal rationale, ergo non est homo*. Vnde emanat commune effatum, *A definitione ad definitum est euidens consequentia*. Secundus modus arguendi est, quod affirmatur, vel negatur de definito, necessariò negatur vel affirmatur de definitione, & è contrà; vt, *homo est risibilis, ergo animal rationale est risibile: animal rationale non est lapis, ergo homo non est lapis*.

10 Sed quærat aliquis, an definitio mentalis consistat in apprehensione, vel in actu iudicij, Ratio dubitandi est, quòd omnis definitio est composita ex genere & differentia, vt suprà diximus n. 7. sed apprehensio potest esse composita ex duplici apprehensione; alia generica, quâ apprehendatur ratio generica; v.g. *hominem esse animal*: & alia differentiali, quâ apprehendatur ratio differentiæ; v.g. *hominem esse rationalē*: at verò actus iudicij non est compositus, sed omninò simplex, atque ita non potest constare ex genere & differentia: ergo definitio consistit in sola apprehensione, & non in iudicio. Arbitror tamen ego, definitionem non consistere in apprehensione, sed in solo actu iudicij. Ratio est, quia modus sciendi est oratio ignotum perfectè manifestans, vt ostendi cap. 1. atque ita definitio, quæ est modus sciendi, debet esse oratio perfectè manifestans essentiam rei: sed sola apprehensio essentiæ non perfectè, sed inchoatiuè, & imperfectè manifestat essentiam rei; iudicium verò eiusdem essentiæ illam perfectè manifestat: ergo definitio non est in sola apprehensione, sed in iudicio. Ad oppositam rationem Respondeo in actu iudicij, quo iudico v.g. hominem esse animal rationale, esse compositionem ex genere & differentia, saltem ex modo communi concipiendi; nam ipse actus iudicij, vt præcisè manifestat hominem esse animal, habet rationē generis; & vt præcisè manifestat hominē esse rationalē habet rationem differentiæ; atq; ita ratione nostra iudiciū definiēs est compositū ex genere & differentia.

CAPVT III.

Quid & quotuplex Diuisio sit, & quas conditiones petat.

Diuisio est oratio totum in suas partes distribuens; 11
vt, *hominis alia pars est corpus, alia anima rationalis*: res quæ diuiditur, vocatur Diuisum; partes verò in quas diuiditur, dicuntur membra diuidentia. Est etiam diuisio duplex; alia est diuisio nominis, quæ nomen in varia significata distribuit: vt, *canis aliud significatum, est sidus cœleste; aliud, est animal latrabile; aliud, est piscis marinus*, quæ etiam enumeratio vocatur: alia est diuisio rei, quæ est oratio rem distribuens in suas partes.

Hæc autem realis diuisio, alia est potentialis, alia 12
actualis: diuisio potentialis distribuit totum in partes, quas non actu, sed tantùm in potentia habet; vt, animal vt sic diuiditur in varias species animalium, scilicet in hominem, Leonem &c. quas in potentia includit: diuisio actualis distribuit totū in partes quas actu habet. Hæc verò actualis diuisio, alia est metaphysica, quæ distribuit totum in partes metaphysicas sola ratione distinctas, vt *hominis alia pars animal, alia rationale*: alia diuisio est physica, quæ distribuit totum in partes physicas reipsa distinctas; vt, *hominis alia pars est corpus, alia est rationalis anima*. Hæc autem diuisio physica alia est per se, quæ diuidit totum in partes per se; vt cùm homo diuiditur in corpus & animam: alia est diuisio per accidens quæ distribuit totum in partes per accidens; vt, *Albi alia pars est corpus, alia est albedo*: Diuisio per se alia est essentialis, quæ distribuit totum in partes essentiales, vt, *hominis alia pars est corpus, alia anima*: alia est integralis, quæ distribuit totum in partes integrales, vt *hominis alia pars est pes, alia brachium &c.* Diuisio per accidens, alia est subiecti in accidentia; vt, *homo alius albus, alius niger*: alia est accidentis in subiecta; vt *album aliud est nix, aliud lac*: alia est accidentis in concreto, in alia accidentia; vt, *dulce aliud album, aliud flauum*.

Præcepta & leges bonæ diuisionis sunt quatuor. 13
Prima quòd non habeat plurima membra diuidentia, ita vt confusionem pariant. Secunda quòd vnum membrum diuidens non adæquet totum diuisum, quia si adæquat illud, non erit membrum, nec pars illius; vnde hæc non est bona diuisio, *animal aliud rationale, aliud viuens sensibile*: quia hoc secundum mēbrum, scilicet *viuens sensibile* adæquat & includit totū quòd claudit animal. Tertia, quòd omnia membra diuidentia

diuidentia adæquent totum diuiſum, nec plus includant, nec minus: vnde hæc non eſt bona diuiſio, *animal aliud eſt rationale, aliud irrationale, aliud lapis*; quia *animal* non includit Lapidem, quem membra diuidentia includunt. Quarta, vnum membrum diuidens non debet aliud includere; vnde hæc non eſt bona diuiſio, *hominis alia pars anima, alia humanitas*, quia *humanitas* animam ipſam includit.

14 Modus arguendi in diuiſione eſt quadruplex. Primus, Cui conuenit aliquod membrum diuidens, conuenit abſolutè diuiſum; & cui conuenit diuiſum, conuenit aliquod membrum diuidens: Vnde bene arguitur; *eſt rationale, ergo eſt animal: eſt animal, ergo eſt vel rationale, vel irrationale.* Secundus, De quo negatur diuiſum, negantur neceſſario omnia membra diuidentia; & è contra, de quo negantur omnia membra diuidentia, negatur neceſſario diuiſum: Vnde bene arguitur, *non eſt animal, ergo neque eſt rationale nec irrationale: non eſt rationale, nec irrationale, ergo non eſt animal.* Non vero arguitur bene, *non eſt rationale, ergo non eſt animal*: quia equus eſt animal, & nõ eſt rationalis. Tertius, De quo affirmatur diuiſum, & negatur vnum membrum diuidens, neceſſario affirmari debet aliud membrum: vt *Petrus eſt animal, & nõ eſt irrationale: ergo eſt rationale.* Quartus, De quo affirmatur aliquod membrum diuidens, aliud membrum neceſſario negatur; vt *homo eſt animal rationale, ergo non eſt irrationale.*

15 Verùm inquirat quis, an diuiſio eſſentialis à definitione diſtinguatur. Ratio dubitandi eſt, quia hęc eſt diuiſio eſſentialis hominis, *alia pars eſt animal, & altera eſt rationale*; & tamen non diſtinguitur à definitione illa, *homo eſt animal rationale.* Vtraque enim manifeſtat eſſentiam hominis per genus, & differentiam eſſentialem; vt conſtat: ergo diuiſio eſſentialis à definitione non differt. Reſpondeo definitionem, & diuiſionem eſſentialẽ inter ſe diſtingui ex parte modi manifeſtandi eſſentiam rei: definitio enim hominis eius eſſentiam manifeſtat, componendo & coniungẽdo vnam partem cum alia: cum enim dicat, *homo eſt animal rationale*, coniungit *rationale* cum *animali*: Diuiſio vero eſſentialis manifeſtat hominis eſſentiã, ſeparando & diſtinguendo vnam partem ab alia: cùm enim dicit, *hominis alia pars eſt animal, alia eſt rationale*, ſeparat & diſtinguit *animal*, à *rationali*, & ita ex parte modi manifeſtandi diſtinguntur; quod ratio dubitandi non impugnat.

CAPVT IV.

Quid ſit Argumentatio aperitur, & varij modi argumentandi explicantur.

16 ARgumentatio eſt oratio in qua vnum ex alio infertur: vt, *omnis homo eſt animal, Petrus eſt homo, ergo Petrus eſt animal.* Superiùs in Summularum exordio nonnulla de argumentatione dixi, nunc vero illa dilucidiùs explicabo.

Multi ſunt Argumentationis modi: alius eſt Syllogiſmus, alius eſt Enthymema, alius Inductio, alius Exemplum, alius Dilemma. Syllogiſmus eſt oratio, in qua ex duabus propoſitionibus rectè inter ſe diſpoſitis alia infertur: vt *omnis homo currit, Petrus eſt homo, ergo Petrus currit*; duæ priores propoſitiones quarũ 1. eſt Maior, 2. Minor, vocantur Præmiſſæ: Tertia propoſitio, quæ ex illis infertur, Cõſequens, ſiue Concluſio appellatur. Enthymema (quod ſyllogiſmus trũcatus dicitur) eſt oratio in qua ex vna propoſitione alia infertur: vt, *Petrus currit, ergo mouetur.* Prima propoſitio Antecedens, 2. Conſequens appellatur. Inductio eſt oratio in qua fit à particularibus ſufficienter enumeratis ad vniuerſale progreſſio: vt, *hic ignis calefacit, & ille ignis calefacit, & ſic de reliquis: ergo omnis ignis calefacit.* Exemplum, eſt oratio in qua ab vno, vel duobus particularibus, ad aliud particulare per ſimilitudinem fit illatio; vt, *Deus pepercit Niniuitis, quia pœnitentiam egerunt, ergo ſi Petrus pœnitentiã agat, illi etiam parcet Deus.* Dilemma (quod dicitur argumentum cornutum) eſt oratio duas partes quaſi oppoſitas complectens ad aliquid concludendum; vt ſi quis volens Petro perſuadere vtile & expediens eſſe illi literis incumbere, ſic arguat; *Petrus vel profitebitur vitam religioſam, vel ſecularem: ſi religioſam, plurimùm ei literæ proderũt, ad munera religionis exercenda: ſi verò ſecularem, valde ei literæ proficient ad dignitates & officia ſubeunda: ergo Petro expediens eſt literis incumbere.* Omnes hi arguendi modi ad duas tantùm ſpecies Argumentationis, nimirũ Syllogiſmum, & Enthymema reducuntur; vt intuenti conſtabit.

Hæc vnica ſit pro nunc Argumentationis lex, ſcilicet quòd eius illatio, & conſequentia ſit bona, id eſt 17
quòd vnum rectè inferatur ex alio, ſiue propoſitiones ſint veræ, ſiue falſæ: vnde hæc non eſt bona argumentatio, *Petrus eſt animal: ergo eſt homo*, quia licet vtraque propoſitio vera ſit; tamen non bene infertur vnũ ex alio. Hæc verò eſt bona argumentatio, *omnis homo eſt lapis, Petrus eſt homo, ergo Petrus eſt lapis*: quia licèt aliquæ propoſitiones ſunt falſæ: tamen cõſequentia, quæ eſt illatio vnius ex alio, tenet. Conſequentia autem eſt duplex, alia materialis, alia formalis: conſequentia materialis eſt, quandovnũ ſequitur ex alio, ſolùm ratione materiæ; quia ſcilicet conſequens habet ex ſe connexionem neceſſariam cum antecedenti; vt, *Petrus eſt homo, ergo eſt riſibilis*: Hæc enim valet ratione materiæ, quia ſcilicet *riſibile* ex ſe habet connexionem cum *homine*: vnde hęc argumentatio in ſimili forma, ſed in diuerſa materia, ſcilicet *Petrus eſt homo, ergo eſt albus*, non valet; quia *albedo*, non habet ex ſe ſicut *riſibilitas*, neceſſariam cum *homine* connexionẽ. Conſequentia verò formalis eſt, quãdo vnum ex alio infertur propter artificioſam formam, ac diſpoſitionẽ terminorum, in quacumque ſit materia; vnde bene valet, *omnis homo eſt albus, Petrus eſt homo, ergo Petrus eſt albus*: *Omne animal eſt lapis, Angelus eſt animal, ergo Angelus eſt lapis*: licèt enim propoſitiones ſint falſæ; propter diſpoſitionem tamen artificioſam, rectè vna ex alia infertur.

DISPVTATIO Vltima.

De Syllogiſmo ſpecialiter diſſeritur.

QVATVOR capita continebit. In 1. nonnulla præcepta generalia præmittuntur. In 2. inquiro, quæ & quotuplex ſit materia, forma, & figura Syllogiſmi. In 3. quo pacto Syllogiſmi imperfecti ad perfectos reducantur. In vltimo agitur de Syllogiſmo expoſitorio & obliquo, ac de adiunctione medij.

CAPVT I.

Nonnulla præcepta generalia præmittuntur.

DE Syllogiſmi natura in libris de priori & poſteriori reſolutione diſſeram: nunc de eius artificio oportet diſputationem intexere: prius tamen aliqua documenta communia prælibanda ſunt.

Præmitto 1. in omni ſyllogiſmo, ex Vero nunquam 1
ſequi niſi Verum: ex falſo autem aliquando ſequi verum, aliquando falſum. Quòd ex Vero ſemper ſequatur Verum, & nunquam falſum, per ſe ſatis conſpicuum eſt: non enim ex eo quòd quis aſſentiatur

Vero,

Vero,compellitur ad assentiendum falso:compelleret autem, si aliquando ex Vero necessariò sequeretur falsum.Quòd autem ex falso aliquando sequatur falsum, quis dubitet? ex eo enim quòd quis assentiat equum esse hominem, tenetur necessariò assentiri equum esse risibilem; quod vtrũque est falsum. Quod verò ex falso aliquando sequatur verum,patet in hoc syllogismo,*omnis lapis est animal,Petrus est lapis,ergo Petrus est animal*:ecce conclusio vera, quæ rectè infertur ex duplici præmissa falsa. Hinc fit,rectè valere ab affirmatione antecedentis, ad affirmationem consequentis:vt,*est verum antecedens,ergo est verum consequens*; quia ex vero antecedenti, non potest sequi nisi cõsequens verum. Deinde à negatione consequẽtis rectè argui ad negationem antecedentis,vt,*consequens non est verum, ergo antecedens non est verum*; quia consequens falsum non potest sequi ex antecedenti vero: at verò non bene argui ab affirmatione consequentis ad affirmationem antecedentis,vt,*consequens est verum, ergo & antecedens est verum*; quia consequens verum potest inferri ex antecedente falso.

2 Præmitto secundo omnem cuiuscunque syllogismi (non loquor de expositorio) vim & firmitatem fundari in aliquo ex his duobus principiis per se notis; scilicet, *dici de omni*:*dici de nullo*.Dici *de omni*,significat id quod dicitur de aliquo termino communi perfectè distributo, id est qui pro omnibus sub illo contentis distributiuè supponat,necessario etiam dici de omni particulari contento sub illo,vt cùm de homine in communi dicitur esse animal, dicitur etiam id ipsum de Petro,& Ioanne, & omni alio indiuiduo humano, contento sub homine in communi. *Dici de nullo* significat id quod negatur de aliquo termino communi perfectè distributo,necessariò etiam negari de omni contento sub illo; vt quia de homine negatur esse lapidem cùm dicitur, *homo non est lapis*, idem etiam negatur de Petro, Ioanne, & omni alio indiuiduo humano contento sub illo; quia nec Petrus est lapis,nec Ioannes est lapis &c.

3 Præmitto tertiò,ex purè particularibus nihil sequi; neque ex purè negatiuis aliquid bene inferri;hoc est, si vtraque præmissa syllogismi sit particularis, vel sit negatiua, ex illis non rectè conclusio infertur.Exempli gratia, *aliquis homo currit, Petrus est aliquis homo, ergo Petrus currit*,non valet: quia potest currere Paulus, & non currere ipse Petrus.Similiter,*nullus equus est rationalis, nullus homo est equus, ergo nullus homo est rationalis*,non valet;quia est ex puris negatiuis.

4 Præmitto quartò,conclusionem sequi debiliorem partem, hoc est si aliqua præmissa sit particularis, conclusio debet esse particularis,licèt altera præmissa sit vniuersalis:si aliqua præmissa sit negatiua,conclusio debet esse negatiua, licèt altera præmissa sit affirmatiua.Ratio est, quia bonum est ex integra causa, malum autem ex quocumque defectu: atque ita sufficit,quòd vna ex præmissis debilis sit, vt & cõclusio illata ex præmissis debilitetur. Excipitur,quòd licèt vna præmissa,imo & vtraque sit falsa, potest esse conclusio vera;vt ostendi numero 1.

5 Præmitto quintò,in quouis syllogismo tres tamen terminos necessariò reperiri;alioquin si quatuor terminos habeat, vitiosus erit, & non concludet: Vt si dicas,*omnis homo est animal,Petrus est substantia,ergo Petrus est animal*, nihil valet: ex his verò tribus terminis, qui in syllogismo inueniuntur, alius ponitur in Maiori, & reperitur in Minori, qui vocatur *Medium*:alius ponitur in Maiori cum ipso Medio,qui dicitur *maior extremitas*:alius ponitur cum eodem Medio in Minori, qui dicitur,*minor extremitas*:Medium nunquam ponitur in conclusione,sed solum maior,& minor extremitas, quæ in conclusione inter se connectuntur: Exempli gratia in hoc syllogismo, *omnis homo est animal, Petrus est homo, ergo Petrus est animal*: Homo,qui ponitur in Maiori, & in Minori reperitur, est *Medium*:Animal,quod ponitur in Maiori cum Medio est maior extremitas: Petrus verò,qui cũ Medio ponitur in Minori, est minor extremitas; & Medium, scilicet *homo*, non ponitur in conclusione, sed solum maior & minor extremitas,scilicet Petrus, & Animal, in conclusione connectuntur, id est vna de alia prædicatur.

CAPVT II.

Quæ & quotuplex sit materia, forma, & figura Syllogismi.

MAteria syllogismi est duplex: alia remota, alia proxima.Materia remota sunt termini, ex quibus conficiuntur propositiones quæ sunt intra syllogismum;materia proxima sunt ipsæ propositiones,ex quibus immediatè componitur syllogismus.Cùm autem syllogismus sit totum quoddam artificiale, non solum ex materia, sed etiam ex forma aliqua artificiosa constat.Hæc autem forma, est ordinata dispositio materiæ syllogismi in modo & figura. Figura est coordinatio extremorum secundum debitam subiectionem & prædicationem, id est quod medium in tali præmissa sit subiectum,& in alia præmissa prædicatum; vel in vtraque sit subiectum, vel in vtraque prædicatum;& alia huiusmodi. Modus syllogismi est debita propositionum dispositio secundum quantitatem & qualitatem, hoc est quod talis propositio sit vniuersalis, vel particularis; vna affirmatiua,alia negatiua &c.Ex tali ergo figura, & modo, nimirum ex tali extremorum coordinatione in ratione subiecti & prædicati,& propositionum dispositione in ratione vniuersalis, & particularis,affirmatiuæ,vel negatiuæ resultat quædam integra dispositio artificiosa, quæ est forma Syllogismi. 6

Figura syllogismorum est triplex:Prima figura est, quando medium in maiori est subiectum,& in minori prædicatum: vt in hoc syllogismo, *omnis homo est animal,Petrus est homo,ergo Petrus est animal* Secunda figura est, quando medium in maiori, & minori est prædicatum, vt patet in hoc syllogismo, *nullus lapis est homo,omne risibile est homo,ergo nullum risibile est lapis*. Tertia figura est, quando in maiori & minori medium est subiectum, vt liquet in hoc syllogismo, *omnis homo est risibilis,omnis homo est animal,ergo aliquod animal est risibile*. Varij autem syllogismorum modi,qui ad has figuras spectant,his Carminibus explicantur. 7

Barbara,Celarent,Darij,Ferio,Baralipton,
Celantes,Dabitis,Fapesmo,Frisesomorum.
Cesare Camestres,Festino,Baroco,Darapti.
Felapton,Disamis, Datisi,Bocardo,Ferison.

Pro quorum declaratione obserua primo in his dictionibus esse quatuor literas vocales, A. E. I. O. ex quibus, A. significat propositionem vniuersalem affirmatiuam: E. vniuersalem negatiuam: I. particularem affirmatiuam: O. particularem negatiuam, vt supra etiam dictum est. 8

Obserua secundò, in quauis dictione ex prædictis esse tres literas vocales, (etenim si in aliquibus plures literæ inueniantur, non faciunt ad rem, sed solùm adduntur ratione versus.)Prima ergo litera cuiusque dictionis significat primam cuiusque syllogismi propositionem,quæ est Maior. Secunda litera significat secundam syllogismi propositionem, quæ est Minor. Tertia litera significat tertiam syllogismi propositionem, quæ est Conclusio: Atque si prima litera vnius dictionis sit A. & Secunda sit I. &

tertia

tertia ſit etiam I. vt in *Darij*; denotatur ſyllogiſmum illi dictioni correſpondẽtem habiturum eſſe pro Maiori vniuerſalem affirmatiuam,& pro Minori particularem affirmatiuam,& pro concluſione aliam affirmatiuam particularem:vnde hic ſyllogiſmus, *omnis homo eſt animal, Petrus eſt homo,ergo Petrus eſt animal,* dicitur eſſe in *Darij*, & ſic de aliis.

Obſerua 3. ex his ſyllogiſmorum modis qui per prædictas dictiones diſtinguntur,nouem priores, qui in primis duobus carminibus continentur, pertinere ad primã figuram: alios verò quatuor modos ſequentes,ad ſecundam figuram : cæteros omnes ad tertiam, figuram ſpectare.

Obſerua 4. ex prædictis modis,alios concludere directè,alios indirectè:directè quidẽ concludunt in prima figura quatuor priores:indirectè verò alij quinque poſteriores eiuſdem figuræ.In 2. & 3. figura quilibet modus,cuius concluſio eſt particularis negatiua,concludit ſolùm directè;alij omnes poſſunt concludere directè,& indirectè.Concludere autem directè,eſt quòd in concluſione maior extremitas prędicetur de minori extremitate. Concludere vero indirectè, eſt quòd minor extremitas in concluſione de maiori extremitate prædicetur.

Obſerua 5.alios modos eſſe perfectos,alios imperfectos.Modus ſyllogiſmi perfectus eſt ille,cuius conſequentia & illatio concluſionis ex præmiſſis tã clara & perſpicua eſt, vt neceſſitet intellectũ admiſſa maiore,& minore,ad concluſioni aſſentiendum. Modus imperfectus eſt ille,cuius illatio non eſt ita euidens, vt admiſſis maiore,& minore,conuincatur intellectus ad aſſentiendum concluſioni. Modi perfecti ſunt tantùm quatuor priores *Barbara, Celarent, Darij, Ferio*: reliqui ſunt modi imperfecti , & ideò ad perfectos reducuntur : de quo infrà.

9 Verùm adnotare oportet aliam eſſe quartam figuram,quæ dicitur figura Galeni,iuxta quã Medium in maiori eſt prædicatũ, & in minori ſubiectum;atq; ita alius eſt diuerſus modus concludẽdi, ab aliis omnibus ſuprà enumeratis. Exempli gratia, *omnis homo eſt animal,omne animal eſt ſenſibile,ergo aliquod ſenſibile eſt homo.* Ecce in hoc ſyllogiſmo, medium eſt in Maiori prædicatum,& in minori eſt ſubiectum; & eſt nouus modus concludendi directè,qui in ſupradictis dictionibus non exprimitur:quare ſentio ibi non omnes ſyllogiſmorum figuras ac modos , ſed ſolùm vſitatiores, & principaliores exponi.

CAPVT III.

Quo pacto ſyllogiſmi imperfecti ad perfectos reducantur.

10 QVia quatuor priores ſyllogiſmorum modi ita perfecti ſunt,vt clarè intellectum cõuincant ad aſſentiendum concluſioni;reliqui verò modi, ita ſunt imperfecti,vt non conuincant intellectum ad concluſioni aſſentiendum;Summuliſtæ omnes modos imperfectos ad perfectos conantur reducere ; vt qui maiore & minore admiſſis, concluſioni non aſſentit in ſyllogiſmo imperfecto ; per reductionem huius ſyllogiſmi ad perfectum,illi cogatur aſſentiri.Hæc autẽ reductio eſt duplex:alia eſt reductio *per oſtenſionem*;alia eſt reductio *per impoſſibile*:quas in præſenti explicabimus.

11 Reductio *per oſtenſionem* eſt quando vel per conuerſionẽ alicuius propoſitionis,vel per maioris,& minoris tranſpoſitionem ad inuicem, vel per vtrumque ſimul, ſyllogiſmus qui erat imperfectus, fit perfectus, & ad vnum modum ex quatuor prioribus ſpectat.

12 Sed vt hoc clariùs appareat,obſeruo 1.quatuor modos perfectos ſcilicet, *Barbara, Celarent, Darij, Ferio,* habere quatuor literas Conſonantes , per quas incipiunt,nempe,B.C.D.F.&per eaſdẽmet literas conſonantes incipere reliquos omnes modos imperfectos; atque ita modus imperfectus ad illum modum perfectum ex quatuor debet per oſtenſionẽ reduci,qui incipit per eandẽ literam conſonantem,per quã incipit talis modus imperfectus:vnde modus imperfectus,qui incipit per literam B.vt *Baralipton*, reducitur ad *Barbara*. Modus imperfectus qui incipit per literam , C. vt *Cameſtres* reducitur ad *Celarent* : & ſic de aliis.

Obſeruo 2. intra quamlibet dictionem & modum imperfectum eſſe quatuor alias literas conſonantes, ſcilicet, S.P.M.C.ex quibus S. ſignificat propoſitionem denotatam per vocalem antecedentem eſſe conuertendã ſimpliciter. P.ſignificat propoſitionẽ denotatã per vocalem antecedentẽ,eſſe conuertendã per accidens. M.ſignificat maiorẽ & minorẽ eſſe tranſmutãdas;ita vt maior fiat minor,& minor fiat maior.C.ſignificat illos modos imperfectos,intra quos inuenitur nõ poſſe reduci per oſtenſionẽ ad perfectos, vt *Baroco, Bocardo* : Exẽpla ad hæc explicanda ſtatim afferemus.

His obſeruatis,tribus præcipuè modis reducitur per 13
oſtenſionem ſyllogiſmus imperfectus ad perfectum. Primo reducitur per conuerſionem ſimpliciter vnius propoſitionis, qua conuerſa ſyllogiſmus imperfectus manet perfectus:exẽpli gratia, *nullus lapis eſt animal, omnis homo eſt animal , ergo nullus homo eſt lapis.* Hic ſyllogiſmus eſt in *Ceſare*, & quia in hac dictione eſt litera S.habẽs ante ſe literam,E. denotat propoſitionẽ vniuerſalẽ negatiuã, (quæ eſt maior illius ſyllogiſmi) ſignificatã per illam literã E.antecedentẽ,eſſe conuertendã ſimpliciter,vt ille ſyllogiſmus imperfectus,qui eſt in *Ceſare*,ad perfectum qui eſt in *Celarent*,reducatur hoc modo : *nullum animal eſt lapis, omnis homo eſt animal, ergo nullus homo eſt lapis*:ecce per ſolam conuerſionem ſimpliciter maioris , ſyllogiſmus imperfectus factus eſt perfectus.

14 Secundò reducitur per conuerſionem per accidens alicuius propoſitionis talis ſyllogiſmi imperfecti;qua cõuerſione facta,manet ſyllogiſmus perfectus: exẽpli gratia,*omnis homo eſt rationalis,omnis homo eſt viuens: ergo aliquod viuẽs eſt rationale*, hic ſyllogiſmus eſt in *Darapti*,&quia in hoc modo & dictione eſt lit.P. habens ante ſe ſecundã literam vocalẽ A.denotat propoſitionẽ vniuerſalem affirmatiuã (quæ eſt minor illius ſyllogiſmi)ſignificatam per illam ſecundam literam A. eſſe conuertendã per accidens,vt ſyllogiſmus ille imperfectus,qui eſt in *Darapti*,ad perfectum, qui eſt in *Darij* reducatur hoc modo;*omnis homo eſt rationalis , aliquod viuens eſt homo:ergo aliquod viuens eſt rationale.* Ecce per ſolam conuerſionem per accidens minoris, ſyllogiſmus ille perfectus fit.

15 Tertiò,reducitur per conuerſionẽ ſimpliciter vnius propoſitionis, & per conuerſionẽ per accidẽs alterius propoſitionis,& per Maioris & Minoris tranſpoſitionẽ;ita vt maior fiat minor,& minor fiat maior:quibus factis ſyllogiſmus antea imperfectus manet perfectus. Exẽpli gratia, *omnis homo eſt animal , nullus lapis eſt homo:ergo aliquod animal non eſt lapis*,hic ſyllogiſmus eſt in *Fapeſmo*:quia verò in hoc modo,& dictione eſt primùm lit.P.habens ante ſe primã literam A.denotat propoſitionẽ vniuerſalem affirmatiuã (quæ eſt maior illius ſyllogiſmi)ſignificatã per lit.A.conuertendã eſſe per accidẽs:deinde quia etiã eſt in illa dictione lit. S. habens immediatè ante ſe lit.E. denotat propoſitionẽ vniuerſalẽ negatiuã (quæ eſt minor illius ſyllogiſmi) ſignificatã per illã lit.E.eſſe conuertendã ſimpliciter: deniq;quia in illa etiam dictione eſt lit.M.denotat in ſyllogiſmo,maiorem eſſe tranſmutandã in minorem, & minorẽ in maiorẽ,vt talis ſyllogiſmus imperfectus, qui eſt in *Fapeſmo*, ad perfectum qui eſt in *Ferio* reducatur,hoc modo : *nullus homo eſt lapis, aliquod animal eſt homo , ergo aliquod animal non eſt lapis.* Ecce per conuerſionem per accidens maioris,& conuerſionem ſimpliciter minoris, & tranſpoſitionẽ maioris & minoris,ſyllogiſmus antea imperfectus manet perfectus.

Reductio *per impoſſibile*,eſt quando ſyllogiſmus im- 16
perfectus

perfectus ita reducitur ad aliquem syllogismum perfectum, vt qui conclusioni dissentit in syllogismo imperfecto, conuincatur admittere simul vera duo contradictoria immediatè, vel mediatè; Cõtradictoria immediatè, sunt duæ propositiones, quarũ vna alteri per se ipsam formaliter alteri contradicit: vt, *omnis homo est animal, aliquis homo non est animal*; Contradictoria mediatè sunt duæ propositiones, quarum vna infert contradictoriã alterius; vt, *omnis homo est animal, nullus homo est animal*: nam hæc vltima infert istam, *aliquis homo non est animal*, quæ est formaliter per seipsam contradictoria alterius.

17 Sed vt hæc Reductio patefiat, obserue 1. Summulistas ad declarandũ, quis modus syllogismi imperfectus & ad quẽ modum perfectũ per impossibile debeat reduci, adinuenisse tres dictiones, nimirum; *Nesciebatis, Odiebã, Letareromanis*, quarũ 1. scilicet *nEsciEbAtIs* habet quinq; literas vocales quę suo ordine correspõdent quinq; modis imperfectis primæ figuræ: ita vt 1. litera significet 1. modum imperfectum: & 2. secundũ modũ &c. 2. dictio scilicet, *OdIEbAm* habet quatuor literas vocales quæ suo ordine correspondẽt, & denotant quaruor modos secundæ Figuræ: 1. litera 1. modũ; 2. litera 2. modum &c. Tertia dictio scilicet, *lEtArEr-OmAnIs*, habet sex literas vocales, quæ significãt sex modos 3. Figuræ suo ordine; itavt 1. litera significet 1. modum: 2. litera secundum modum, & sic de aliis.

Obseruo 2. literas vocales in illis dictionibus contentas, esse A.E.I.O. ex quibus A, denotat syllogismũ, cui correspondet, cuiuscumq; Figuræ sit, esse reducendum per impossibile ad *Barbara*. E, denotat syllogismũ cui correspondet, esse reducendum per impossibile ad *Celarent*. I. denotat syllogismũ, cui correspondet, esse reducendũ ad *Darij*. O, denotat syllogismum, cui correspondet, esse reducendũ ad *Ferio*. Vnde quia in hac dictione *Odiebam*, quæ correspondet syllogismis 2. figuræ, 1. literavocalis est, O; 2. litera est I. &c. denotat 1. syllogismum 2. figuræ esse reducendum ad *Ferio*. 2. syllogismum esse reducendũ ad *Darij*, & sic de aliis. His obseruatis, quomodò in quauis Figura reductio per impossibile fiat, his assertionibus explicabo.

18 *Assero* 1. ad reducendũ per impossibile modos imperfectos 1. figuræ (præter *Celantes*) ad modos perfectos, debet quis assumere contradictoriũ consequentis negati, in syllogismo imperfecto, & ponere illud pro maiore; & maiorem quæ anteà erat, pro minori; & sic inferet contradictoriũ mediatũ minoris iam admissæ, quam omittit: exẽpli gratia, *omne animal est sensibile, omnis homo est animal: ergo aliquod sensibile est homo*, iste syllogismus imperfectus est in *Baralipton*: & sic debet iuxta dicta ad modum perfectum, qui est in *Celarent* reduci, *nullum sensibile est homo, omne animal est sensibile, ergo nullũ animal est homo*: ex hac verò conclusione, hæc propositio infertur: *ergo aliquis homo non est animal*, quæ est, Contradictoria illius minoris omissæ, *Omnis homo est animal*.

19 *Assero* 2. ad reducendũ modum imperfectum, qui est in *Celantes*, ad modum perfectum qui est in *Darij*, in eadẽ 1. Figura, debet quis assumere contradictoriũ consequentis negati, & ponere illud pro minori, & minorẽ pro maiori, & sic inferet contradictorium mediatum maioris antea admissæ, quã modò omittit. v.g. *nullum animal est lapis, omnis homo est animal, ergo nullus lapis est homo*. Hic modus imperfectus est in *Celantes*, & debet sic iuxta dicta ad perfectum, qui est in *Darij*, per impossibile reduci; *omnis homo est animal, aliquis lapis est homo: ergo aliquis lapis est animal*: ex hac autẽ cõclusione infertur, *ergo aliquod animal est lapis*, quæ est contradictoria respectu maioris omissæ.

20 *Assero* 3. ad reducendos per impossibile modos imperfectos 2. Figuræ ad perfectos, debet quis assumere contradictoriũ consequentis negati, & ponere illud pro minori cum eadẽ maiore, quæ antea erat; & sic inferet contradictoriũ immediatũ minoris antea admissæ, quam modò omittit; v.g. *nullus lapis est animal, omnis homo est animal, ergo nullus homo est lapis*, hic modus est in *Cesare*: & sic iuxta dicta ad modũ perfectũ qui est in *Ferio* debet reduci; *nullus lapis est animal, aliquis homo est lapis, ergo aliquis homo non est animal*, hæc autem conclusio est immediatè contradictoria respectu illius minoris quæ omissa est.

Assero 4. ad reducendos per impossibile modos imperfectos 3. Figuræ ad perfectos, debet quis assumere contradictorium consequentis negati, & ponere illud pro maiori cum eadem minori quæ antea erat, & sic inferet contradictoriũ vel mediatũ, vel immediatum maioris antea admissæ, quã modò omittit: v.g. *aliquis homo est animal, omnis homo est risibilis, ergo aliquod risibile est animal*, hic modus est in *Disamis*; & sic iuxta dicta debet ad modum perfectũ, qui est in *Celarent*, per impossibile reduci: *nullum risibile est animal, omnis homo est risibilis; ergo nullus homo est animal*, Hæc autẽ conclusio est immediatè cõtradictoria respectu illius maioris omissæ, scilicet, *aliquis homo est animal*. 21

Hæc omnia qua potui claritate explicui; sed quia nimis ex memoria pendent, non tam doctrina Magistri, quàm ipsa scholasticorum exercitatione addiscuntur.

CAPVT Vltim.

De Syllogismo expositorio, & obliquo; ac de adinuentione Medij.

TRia in hoc capite breuiter expediemus. 1. quid sit syllogismus expositorius: 2. quid sit syllogismus obliquus. 3. quòd mediũ debeat assumi ad conclusionẽ inferendã, quęomnia tribus assertionib. explicabimus. 22

ASSERTIO I. syllogismus expositorius est ille, cuius medium est terminus singularis: exempli gratia, *hic homo currit, Petrus est hic homo, ergo Petrus currit*: potest autem hic syllogismus expositorius in qualibet figura fieri, vt discurrenti constabit.

ASSERTIO II. syllogismus obliquus, vel ex obliquis est ille cuius aliqua præmissa habet aliquem terminũ obliquũ: in quo hæc regula obseruanda est, vt illa præmissa quæ ex obliquo cõstat, resoluatur in aliã æquialentẽ, quæ habeat terminum rectũ: v.g. *hominum similis est facies: Petrus, & Paulus, sunt homines: ergo habent similem faciem*. Illa 1. propositio debet sic ad aliam ex recto constantem reuocari; *omnes homines habent similem faciem: Petrus & Paulus sunt homines: ergo habent similem faciem*. 24

ASSERTIO III. ad inferendã conclusionẽ affirmatiuam, debet assumi mediũ, cui vtraq; extremitas cõclusionis maior & minor conueniãt; v.g. ad inferendũ hominẽ esse risibilẽ, rectè assumitur pro medio *Admiratiuũ*; quia admiratiuo conuenit esse hominẽ, quod est vna extremitas; & conuenit etiã esse risibilẽ, quod est alia extremitas talis conclusionis: v.g. *oñe admiratiuũ est risibile, omnis homo est admiratiuus, ergo omnis homo est risibilis*, bene valet, & est in *Barbara*: ad inferendã verò conclusionẽ negatiuam, debet assumi pro medio aliquid, cui vna extremitas repugnet, & alia cõueniat; vnde ad probandũ hominem non esse lapidẽ, rectè pro medio assumitur *Rationale*, quia rationali cõuenit esse hominẽ, qui est vna extremitas; & eidem rationali repugnat esse lapidẽ, qui est alia extremitas; v.g. *nullum rationale est lapis, omnis homo est rationalis, ergo nullus homo est lapis*, bene concludit, & est in *Celarent*. 25

Hìc plures Sũmulistæ regulas tradunt ad inueniendum medium, vt quis inferat conclusionem in quauis particulari materia; quibus regulis scholastici irretiti spẽ amittunt addiscẽdi, & proposito cadunt; quare hæc ars inueniendi mediũ, *Pons Asinorũ* appellata est. Ego quidẽ illas omnes vt inextricabiles & inutiles omitto; sola enim ingenij præstantia, & notitia principiorum in quauis materia iuuant ad medium inueniẽdum. Et hæc de introductione ad Dialecticam dicta sint satis. 26

COMMEN



COMMENTARII, ET DISPVTATIONES IN VNIVERSAM ARISTOTELIS DIALECTICAM.

PRÆFATIVNCVLA HVIVS OPERIS.

INitio totius Philoſophiæ Dialecticam explicare aggredimur, cùm ipſa ſit ſcientiarum ductrix, & fideliſſima cuſtos; quæ vt inquit Philoſophus 4. Metaph. c. 12. principium, & viam aperit, & primo quaſi Philoſophiæ ingreſſu hilari nos excipit vultu: ipſa enim eſt, vt auctor eſt Auguſtinus 2. de Ordine, quæ nos docet docere, & ſola ſcientes facere. Cui conſonat, quod à Laërtio in vita Zenonis refertur, olim ſolos Dialecticos Sapientium nomine fuiſſe inſignitos: vt nobis oſtenderent veteres illi Philoſophi, nemini licere, Sapientiæ culmen attingere, niſi priùs Dialecticæ vim fuerint aſſecuti: ipſa enim eſt, quæ viam aperit omni doctrinæ. Quare ab Auguſt. & aliis, variis nominibus eſt appellata, Omnium Scientiarum Magiſtra, Clauis aurea, humanæ mentis Oculus, Oculus mundi: vt inquit Albertus Magnus lect. 2. cap. 2. talis eſt, vt ſine illa, qui videntur ſcire, neſciunt ſcire, cum neſciant modum ſciendi. Vulgò tamen Logica, ſeu Dialectica dicitur; id eſt Ars dicendi, ſeu ratiocinandi, vt optimè D. Thom. 1. perih. lect. 1. vbi Scientiam rationalem appellat, quia actus rationis dirigit, & tota poſita eſt in excolenda ratione.

TRACTATVS PRIMVS, *De Proœmialibus.*

DISPVTATIO PRIMA. *De Obiecto Logicæ.*

SEptem capita continebit. In primo, de nomine, officio, fine, & dignitate Dialecticæ diſſeritur. In ſecundo, an illa ſit in ſe vtilis, & conueniens? In tertio, an ens rationis ſit obiectum Logicæ formale, & adæquatum. In quarto, an voces intrent in hoc obiectum formale Dialecticæ? In quinto, an modus ſciendi formalis, vel obiectiuus ſit Logicæ obiectum? In ſexto, quodnam ſit obiectum attributionis Dialecticæ. In ſeptimo, quid ſit diſpoſitio artificioſa, quæ eſt obiectum formale Logicæ: & an ab actibus diſtinguatur.

CAPVT I. *De nomine, officio, fine, & dignitate Dialecticæ.*

DIalectica nomen eſt Græcum, Latinè redditur *diſceptandi Scientia*, vt appellauit Plato; Cicero verò, ſcientiarum vocat veri, & falſi: deriuaturque à verbo Διαλέγεσθαι, quod ſignificat diſſero, & diſputo, & ab Auguſt. Ars diſputatoria appellatur; ſignificatque eam partem Logicæ, quæ agit de triplici operatione intellectus: vnde Ariſt. 1. tom. cap. 1. & 1. Phyſ. cap. 2. appellauit ſolam partem Topicam: ſed iam vſus obtinuit, vt Logica, & Dialectica idem ſignificent: Logica enim à voce græca Λόγος, idem eſt ac rationalis ſcientia, ſapientia, & ſermocinalis ſcientia, vt tradit Aug. lib. 8. quæſt. q. 63. D. Th. initio periar. D. Iſidorus, & alij multi.

2 Hæc Logica in eum finem inuenta est, vt nostrum intellectum instruat, & illi methodum intelligendi tradat: cùm enim intellectus noster congenitam sibi rerum cognitionem non habeat, & rerum ignorantiam perfectè vincere non possit, Logica fuit necessaria vt sine periculo toties errandi intellectus procederet, & suas operationes in veritatis cognitionem dirigeret. Habet suum officium, & finem: finis est, diffinitionem, diuisionem &c. efficere: officium verò illas artificiosè, & iuxta regulas Logicas disponere: v.g. finis argentarij est vas efficere, officium verò illud iuxta regulas artis perficere: similiter finis Logicæ est constructio syllogismi; officium verò illum artificiosè disponere: pariter quoque finis Medicinæ est sanitas; officium præbere medicamenta.

3 De primis inuentoribus Logicæ, & à quibus primò inuenta fuerit, non est æqua ratio: nam Arist. in fine Elench. huius artis inuentionem sibi adscribit; sed putandum est multo antea apud Antiquos viguisse, licèt in methodum ab ipso fuerit redacta; & hanc scientiam, sicut & cæteras non à Chaldæis, & Græcis, sed à solo Deo manasse, vt à primo Fonte, qui eas primis nostris Parentibus tribuit, vt docet D.Th. 1.p.q.94. art.3. Eugubinus lib.1. de perenni. Philos. Eusebius de præparatione Euangel. lib.7. cap.2. August. de ciuitate Dei, cap.8. Isidorus lib.2. Etymol. cap.24. Deinde ad eorum filios; ab iis ad Noë, & Abraham; & longa annorum serie, ad Hebræos, ab iis ad Chaldæos, ad Ægyptios, & alias Orbis nationes: sed cum natura, ea quæ gratuita sunt, facilè perdat; ferè omnes scientiæ extinctæ sunt, itaut qui eas ad pristinam perfectionem redegerunt, verè Inuentores dici possunt, vt Plato & Arist.

4 De dignitate & nobilitate Dialecticæ non est mihi instituenda disputatio, adeò tamen est illa excellens, vt Christus Dominus dignatus fuerit esse Dialecticus; vt docet August. lib.1. contra Crescon. Gram. præcipuè cap.17. vbi loquens de ludæis volentibus capere Iesum in sermone, ait, *Obsecro, ne illi fuerint Dialectici: qui præsentis interrogationis mediis decipiendo superare moliti sunt,* & ex D. Hieron. super Ezechielem, *Quidquid in hoc sæculo peruersorum dogmatum est, & putatur robustum, hac arte subuertitur.* Laudent ergo, alij Dialecticam à subtilitate, alij ab antiquitate; nos illam adeò antiquam dicimus, vt non solum Apostoli, sed etiam ipse Christus Dominus dignatus fuerit appellari Dialecticus, vt nulla exinde antiquior, & nobilior appareant scientia.

CAPVT II.

An Logica sit vtilis, & conueniens.

5 LOgicam à parte rei dari, res est manifesta, cùm non repugnet ars, quæ tradat regulas ad dirigendos nostros actus, quæ est Logica; nemo enim est tam expers rationis, vt nesciat colligere ex hoc antecedenti; *Petrus currit*, illud consequens, *ergo mouetur.*

Dices quosdam antiquos Philosophos, vt refert Cicero lib.1. Academicar. quæst. ad Varrum, negasse hanc artem definiendi, &c. aiebant enim circa operationes naturales non posse dari artem, & scientiam directiuam: & ex Arist. 6. metaph. c.4. neque enim eorum est ars, quæ sunt secundum naturam: sed cognitio nostri intellectus est actio naturalis dependens ex naturalis nostra virtute; ergo non datur Logica, quæ sit directiua rationis.

Respondeo operationes naturales esse in duplici differentia: aliæ suas operationes exercent cum omnimoda potentiæ determinatione, vt externæ, visus auditus, calor, ignis, & alia; & pro his nulla ars directiua necessaria est; neque enim ad hoc vt Sol illuminet, Logica inuenta est, & de iis operationibus Aristot. intelligendus est: aliæ verò sunt operationes naturales, quæ habent quandam indifferentiam, vt benè vel malè dirigantur, & mouentur ob rationem in obiecto cognitam, vt est intellectus; quia licèt sit naturalis potentia, eius operationes sunt capaces directionis Logicæ.

Hanc Logicam naturalem & artificialem esse dis- 6
put. 3. cap.1. explico: modò, an sit vtilis, & conueniens inquiro? Quidam Philosophi antiqui apud Senecam epist. 90. Logicam tanquam pernicio sam vituperabant; & Tert. lib. de præscriptionibus hæreticorum cap.7. D. Hieronymus in cap. vltimum Nahum, & Psalm.1. cap.4. & 14. Logicam damnasse videtur, eo quòd ex illa sumebant fallacia argumenta ad alios decipiendos; immò & hæretici Donatistæ obiiciebant Augustino Dialecticam tanquam artem mentiendi; & ipsum tanquam hominem Dialecticum esse fugiendum.

Dicendum tamen est Logicam esse vtilem, & con- 7
uenientem pro omnibus scientiis, sic omnes Philosophiæ Doctores opinantur, vt refert Auersa q.1. Procem. sect.3. & 1. Logicam esse conuenientem ad sacram Scripturam intelligendam, testatur August. lib. de doctrina Christiana cap.31. Rupertus lib.7. de Operibus Spiritus sancti, asserit enim non minus Dialecticam esse necessariam ad sacram Scripturam, quàm ad prædicamenta Aristot. quia Dialectica est efficaciss ima in firmandis syllogismis, & in exordio mundi, illa fuisse vsam in illis verbis: *In principio creauit Deus.*

Secundo: est valde vtilis ad probandam fidem Ca- 8
tholicam contra hæreticos; nam August. 1. contra Crescentium à c.1. vsque ad 13. testatur de se, hæreticos refugisse cum eo disputare, quia vi suæ Dialecticæ perterriti suos errores relinquere cogebat, diuinásque litteras, & doctrinas illustrabat: & c.14. latè ostendit D. Paulum fuisse insignem Dialecticum, & Christum Dominũ ipsa Dialectica iudæos conuicisse; ergo ex tot sęculorum consuetudine constat Logicam esse vtilem. Ad Tertullianum & D. Hieronymum Respondeo eos solum damnare, qui arte Sophistica abutentes, suos, & alienos errores adstruebant, nunquam tamen damnasse Dialecticam, quæ docet methodum sciendi, & dissoluendi Sophistica argumenta.

Tertiò, est vtilis ad directionem nostræ cognitio- 9
nis; Vnde Arist.1. topic cap.2. dixit, Dialecticam esse vtilem ad exercitationes, & colloquia, & ad eas, quæ secundum Philosophum sunt, disciplinas: nam ex eodem Philosopho, 1. poster. multum iuuat ad rectè operandum, & procedendum; & vt inquit Cicero de claris Oratoribus, ad Rhetoricam, & eloquentiam, & tandem pro Iurisperitis, vt ibidem docuit dicens, quòd nunquam ad tantam iurisperitiam peruenissent, nisi Dialecticam didicissent; quia Iurisprudentia, quæ hoc tempore docetur, potius appellanda fides humana, quæ innititur auctoritati iurisperitorum, quam scientia, quæ per causam habetur; valde verò imperfecta: & eos comparauit Arist rebus inanimatis, quæ faciunt sine cognitione. Ad Mathematicas etiam Scientias, est vtilis, quia hæ regulis etiam Dialecticæ vtuntur, vt infra magis ostendo.

CAPVT III.

An obiectum Logicæ sit ens rationis.

HÆc difficultas inter omnes iam difficilior, cùm 10
nullibi tenuius mens humana, aut subtilius speculetur: alia enim scientiarum obiecta, etsi perfectio

perfectiora, faciliùs tradit: de obiecto verò Logicæ, maior est fama, aut expectatio.

Pro intelligentia præmitto primo, Obiectum generaliter illud dici, quod potentiæ cognoscenti obiicitur, & quod per suos actus attingitur, de quo scientia tractat, suam essentiam, & passiones demonstrando; & in habitibus intellectualibus pro eodem sumitur, obiectum, subiectum, & materia; non quia scientia illis inhæreat, sed quia subiiciuntur prædicatis, quæ de illis in tali scientia demonstrantur; etiamsi diuersa sint, quia subiectum est quid simplex, obiectum vero quid compositum; vt, *homo est risibilis*, dicitur obiectum, quia potentiæ, vel habitui obiicitur cognoscendum; dicitur subiectum, quia de illo aliud dicitur, seu prædicatur; dicitur materia, non in qua, vel ex qua, sed circa quam Potentia, vel habitus versantur, sumpta similitudine ab artibus, quæ sunt materia externa, circa quam versantur operationes illarum.

11 Hoc obiectum est duplex; aliud formale, aliud materiale: formale est illud quod per se, & ratione sui attingitur immediatè à potentia, vel per actus scientiæ, vel artis: materiale verò est illud quod ratione obiecti formalis attingitur; verbi gratia obiectum integrum potentiæ visiuæ, est coloratum: obiectum materiale, est corpus, quod ratione coloris attingitur, & percipitur à potentia: obiectum materiale potest ad diuersas scientias pertinere; vt Terra in ratione rotundæ pertinet ad Astrologum, & in ratione mobilis, ad Physicum. Operationes nostri intellectus, vt qualitates, pertinent ad Animasticum, vt dirigibiles ad Logicum, non verò formale, cùm sit specificatiuum scientiæ, & à quo diuersificatur.

12 Præmitto secundo, in hoc obiecto formali reperiri duas rationes formales, quæ appellantur ratio *quæ*, & ratio *sub qua*: Ratio *quæ* est illa, quæ ex pluribus rationibus quæ in obiecto materiali relucent, possunt ad differentiam aliarum attingi, v. g. in metaphysica ens sub ratione entis est obiectum formale; Deus, in Theologia. Ratio autem, *sub qua*, dicitur illa, quæ cæteras actuat, & sub se continet, & attingitur à potentia; & ideò vltima formalitas sub qua cæteræ continentur, dicitur ratio *sub qua*: exemplum sit in visu, corpus est obiectum materiale, quod videtur; formale autem, quod determinat ad visum, potius quàm ad Auditum, est color, & dicitur ratio formalis, qui rursus color actuatur & formatur à luce, & est vltima formalitas, qua obiectum redditur visibile, & dicitur ratio *sub qua*. Ex his duabus principalior, est ratio *quæ*, veluti primò intenta à scientia: verbi gratia in Physica ratio formalis *quæ*, est corpus naturale; ratio formalis *sub qua*, est abstractio à materia signata, quæ non æquè primò consideratur à Physica, sicut corpus naturale. Sic ex Caietano 1. part. quæst. 1. art. 3.

13 Hoc obiectum formale, aliud est adæquatum seu totale, aliud inadæquatum, seu partiale: obiectum adæquatum seu totale est illud, quod sub se continet in recto, & vt superius, omnia, quæ per se tractantur in tali scientia; & in obliquo, omnia quæ ad intelligentiam obiecti per se necessaria sunt, vel tanquam principia, vel tanquam passiones, partes, modi, vel affectiones: obiectum verò inadæquatum seu partiale est pars subiectiua quæcumque obiecti adæquati, seu inferiora sub eo contenta; illa verò pars quæ dicitur nobilior, dicitur obiectum partiale magis principale, vt in Metaphysica Deus; in Physica, homo; in eo tamen obiectum attributionis superat obiectum adæquatum, seu totale, quòd ad obiectum attributionis reducuntur omnia quæ in illa scientia peraguntur, & in quo cognoscendo tota scientia laborat, demonstrando de illo essentiam, effectus, & alia: verbi gratia Deus est obiectum attributionis Theologiæ, quia omnia quæ in illa tractantur, reducuntur in illum, eius essentiam, & attributa demonstrando; ita similiter obiectum attributionis Logicæ erit demonstratio, non seorsim sumpta, sed ex extrinseca intentione scientis, seu addiscentis, quia ad illam hoc modo reducuntur Definitio, Diuisio, & alia omnia quæ in Logica tractantur.

Iam ergo de obiecto formali Logicæ acris est concertatio inter Auctores, sit ne ens reale, an rationis? Conueniunt enim omnes obiectum formale Logicæ esse Definitum, Diuisum, Demonstratum, Vniuersale, Genus, & similia; hæc autem omnia alij putant esse denominationes reales extrinsecas; alij contrà censent esse entia rationis. 14

Pro dubij decisione, aduerto, ens rationis quadrupliciter vsurpari. Primò, pro ente rationis effectiuo, id est pro omni eo, quod à ratione efficitur, quo sensu omnes actus intellectus sunt entia rationis. Secundò, pro quauis denominatione, quæ ab aliquo actu intellectus formaliter tribuitur, vt, esse cognitum. Tertiò, pro ente rationis fundamentali, id est, pro fundamento entis rationis ficti, quale est, quæuis extrinseca denominatio; hæc enim aliquale fundamentum præbet, vt forma, quæ re vera extrinseca est, tanquam subiecto intrinseca cogitetur. Quartò strictè, & propriè sumitur pro ente rationis fictitio, id est pro ente ficto; definirique solet, quod aliud esse non habet, quàm esse obiectiuè in intellectu. 15

Hoc verò ens rationis propriissimum duplex est, aliud rationis ratiocinantis, id est rationis sine vllo fundamento confingentis, vt mons aureus, hircoceruus &c. aliud rationis ratiocinatæ id est, cum fundamento, & non vltrò fingentis, vt Negatio, Priuatio, & Relatio rationis; in has enim tres species hoc ens rationis Philosophi iam olim diuiserunt: estque controuersia præsens, an ea, quæ Logica formaliter considerat, vt Definitum, Diuisum, Genus, Prædicabile, & similia ad hoc genus Entium rationis attineant. 16

Duæ sunt opiniones extremè oppositæ, & vtraque probabilissima. Prima est D. Thomæ 4. Metaphysic. sect. 4. in Logica, cap. de genere, Caiet. ibidem, Soto quæst. 5. procemialium cap. 1. Complutenses, quæst. 2. Lerma, Ioannes à S. Thom. Tolet. hic, quæst. 5. Rubij, Vallij, Merinero, Molinæ 1. p. q. 1. Conimbr. 1. poster. cap. 3. q. vnica, Fassolis q. 1. art. 7. disp. 3. & aliorum multorum est, denominationes illas Cogniti, Definiti &c. esse entia rationis; atque ita obiectum formale Logicæ esse entia rationis. 17

Secunda sententia est, illas denominationes esse denominationes reales extrinsecùs à forma reali cognitionis, vel definitionis prouenientes sine vllo ente rationis, atque adeò obiectum formale Logicæ non esse ens rationis, sed reale, propriè loquendo: Ita Suarez disp. 54. Metaph. Conimbr. quæst. 5. Didacus à Iesu quæst. 3. Murcia, Fonseca, 2. Metaph. cap. 3. Hurtado disp. 1. sect. 1. Arriaga disp. 2. sect. 2. Auersa, Cabrero, Torrejon, Franciscus Alphonsus disp. vnica sect. 67. Martinez, Carleton disp. 1. Logicæ sect. 3. & alij quam plurimi. 18

Mea verò sententia ea est, quæ doctioribus fortè vtriusque partis non displiceat, nec nouitate careat; quam variis assertionibus more nostro explicabimus. 19

Assertio I. Denominatio Cogniti, & Visi,

sunt denominationes reales, nec quicquam habent de ente rationis strictè sumpto: ita Auctores secundæ sententiæ, nec fortè sine absurdo à quoquam negabitur.

20 Probatur assertio; posita diuina cognitione, & omni alio secluso, creaturæ denominantur cognitæ; & Deus ipse denominatur cognitus: at posita diuina cognitione, & omni alio secluso nullum ponitur ens rationis; ergo denominatio Cogniti non est ens rationis. Consequentia est manifesta: Minor patet, nam cognitio diuina, qua se, vel creaturas cognoscit nihil fingit, vt est certum: sine fictione autem ens rationis poni non potest, cùm per solam fictionem esse habeat: ergo posita diuina cognitione & omni alio (scilicet fingente) secluso nullum ponitur ens rationis. Maiorem primi syllogismi ostendo clarè; nam Deus & creaturæ omnes ab æterno erant à Deo cognitæ, tunc autem nihil erat, quod Deum, & creaturas cognitas denominaret; ergo posita diuina cognitione omni alio secluso, id est, omni alia forma secluſa, Deus, & creaturæ denominantur cognitæ; ergo denominatio Cogniti non est ens rationis.

21 Idem argumentum efficitur in visione animalis; nam herba videtur à boue, bos autem nullum efficit ens rationis, saltem quando quidpiam apparens non cernit; ergo herbas videri, & esse visas à boue non est ens rationis, à qua enim causa illud fingeretur, non à visu bouis, qui non fingit: non rursus ab homine, qui abest, nec de ea visione cogitat; ergo hæc denominatio non est ens rationis. Idem ostenditur de aliis denominationibus extrinsecis, vt esse à dextris, vel sinistris; infrà, vel suprà, &c. quas tamen denominationes sub hac assertione comprehendemus, & quas non comprehendamus, ex dicendis liquidò constabit.

22 Respondeat aliquis, Deum esse quidem formaliter cognoscentem, & bouem videntem per cognitionem realem, & visionem realem ipsis intrinsecas; ipsas verò res neque esse formaliter cognitas, nec visas, quia non habent formas intrinsecas, à quibus denominentur; atque adeò requirunt intellectum fingentem, qui eas formas verè extrinsecas eis applicet, & ab illis iam intrinsecis denominentur; idcircò necessarium est ens rationis.

23 Sed impugnatur Responsio, 1. Quia absurdum nimis esset creaturas verissimè non fuisse à Deo cognitas ab æterno, & Deum sibi ipsi non notum, atque adeò ignotum fuisse, donec aduenirent entia rationis: 2. Quia implicat intellectum esse verè cognoscentem obiectum, & obiectum non esse verè cognitum; sicut implicat me occidere Petrum, & Petrum non esse occisum à me; quia vtrumque est idem formalissimè, & solum differunt penes vocem actiuam, & passiuam; sed sine vllo ente rationis, & ante omne ens rationis, Deus est verè cognoscens, & animal videns: ergo sine vllo ente rationis, & ante omne ens rationis, obiectum est verè cognitum à Deo; & visum ab animali.

Confirmatur, nam à vestibulo Grammaticæ docemur omnes quamcumque orationem actiuam conuertere in passiuam, quasi nulla oratio actiua vera esse possit, quæ non habeat aliam passiuam veram, cum qua conuertatur; idque quasi lumine naturæ cuiuis notum omnes supponunt; ergo si ante omne ens rationis, & sine vllo ente rationis intellectus aliquis est cognoscens, & animal videns; sine vllo ente rationis, & independenter ab illo est obiectum cognitum & visum: vnde infero nullius roboris esse commune Thomistarum argumentum quo in præsenti vtuntur; inde enim vnicè probare solent ens rationis esse obiectum formale Logicæ, quia cogni-

tiones, & reliquæ formæ extrinsecæ non possunt suas denominationes obiectis tribuere, nisi aliquo modo intrinsecæ fiant; cúmque reuera extrinsecæ fint, oportet quòd ab intellectu fingente ad obiecta deferantur, eisque applicentur.

Hoc, inquam, argumentum nullius roboris & veritatis est. 42

Primò, propter ea, quæ in probatione nostra adduximus. 2. Principium, quod assumunt, non probat. 3. Quia denominatio Cogniti est vera & realis, & si indigeret applicatione illa intrinseca, non esset vera, & realis; ergo illa applicatione non indiget. Maior est certa, nam verè & realiter hæc papyrus à me videtur, & cognoscitur, nec hoc minus verum est, quàm verum sit has litteras à me scribi. Minorem probo efficaciter; nam si quæuis denominatio, & quasi effectus formalis applicatione, & vnione intrinseca formæ indigeret, ea vnione verè deficiente, verè non daretur denominatio; sed in præsenti vnio, & applicatio intrinseca verè non datur, sed fictè, & per fictionem, vt Aduersarij ipsi fatentur: ergo. Maior patet, quia omnis denominatio vera & realis veram, & realem formam petit; ea deficiente, denominatio quoque vera, & realis deficit, ideò à forma ficta nequit prouenire denominatio realis, & vera: item quia albedo vnionem intrinsecam petit, vt denominet, ea vnione vera deficiente verè album non facit: & si ponatur vnio eius ficta, fictè album faciet; at in re nostra, vnio intrinseca est ficta: ergo si ad omnem denominationem vnio intrinseca requiritur, denominatio Cogniti nunquam, vel ferè nunquam erit realis, & vera, sed semper ficta.

Confirmatur; quia omne totum, cuius aliqua pars 25
formaliter se habens, est ficta, totum verè est fictum; sicut hircoceruus est totum quoddam fictum, quia licet ceruus non sit quid fictum, nec etiam hircus, tamen identitas vtriusque est quid fictum: similiter album factum ab albedine distanti, est quid fictum; quiâ licet paries sit realis, & albedo etiam sit realis, vnio tamen in eo casu esset ficta; ergo esse cognitum esset quid fictum, si vnione & applicatione intrinseca opus haberet.

Confirmatur demum, quia albedo, & similes formæ subiecta sua non denominant, vt arguunt Aduersarij, neque cognitionem & similes formas denominare, nisi fiant subiectis intrinsecæ; at albedo, & similes formæ nisi verè & realiter fiant subiectis intrinsecæ, non denominant subiecta: ergo neque cognitio denominabit, nisi verè obiecto fiat intrinseca: Consequens autem est absurdum, vt patet; ergo paritas, qua Aduersarij vtuntur, est omninò abs re.

Disparitas autem est in promptu, nam vnaquæque 26
forma vnienda est in suo genere, forma intentionalis est præcisè intentionalis respectu obiecti, & nullatenus physica: ergo sat erit, si præcisè intentionaliter vniatur obiecto: at quæuis cognitio & actus vitalis seipso vnitur intentionaliter obiecto; nam omnis actus vitalis est vnio intentionalis potentiæ cum obiecto: ergo vnione physica non indiget, neq; vera, neque ficta, vt obiectum denominet: in albedine autem similibusque formis contraria est ratio, vt patet.

Alia etiam disparitas in promptu est, nam denominatio Cogniti, & similes, non respiciunt obiectum tanquam subiectum, sed tanquam terminum; at ad conceptum terminandi vnio intrinseca non desideratur, nec etiam in Physicis; nam sine vlla vnione vna albedo est terminans relationem alterius; ergo vt obiectum denominetur terminans cognitionem, nulla vnio requiritur: at esse Cognitum est esse terminans cognitionem, neque est vlla differentia nisi in vocibus: ergo esse Cognitum nullam requirit vnionem intrinsecam; nullum ergo ens rationis.

ASSERTIO II. In omni obiecto Logicæ inuoluitur 27
aliquod

aliquod ens rationis,ideſt,aliqua relatio rationis.Hęc aſſertio habet Auctores primæ ſententiæ & quin Suarez, Molina, & multi ex doctioribus paſſim aduertunt relationes Logicas eſſe relationes rationis; & ſi fortè in omni obiecto Logicæ eas inuolui non dixerint;nec dubito hanc aſſertionem pluribus vtriuſque ſententiæ Auctoribus placituram.

28 Probatur aſſertio;facta diuiſione omnium obiectorum Logicæ in primam operationem intellectus, in ſecundam & tertiam. Ad primam attinent Vniuerſalia, & Prædicabilia; de hisautem probo aſſertionem : Logicus conſiderat Vniuerſale vt Prædicabile de pluribus : at in hoc inuoluitur relatio rationis; ergo relatio rationis inuoluitur in hoc obiecto Logicæ. Conſequentia eſt legitima : Maior, certa; cùm Logicus eo pacto definiat Vniuerſale. Minorem oſtendo; cùm Vniuerſale dicitur prædicabile de pluribus, refertur ad plura; ergo interuenit relatio, & comparatio,vt patet;at hæc relatio eſt rationis; quod probo : nam eſt relatio eiuſdem ad ſe;ſed relatio eiuſdem ad ſe eſt relatio rationis,vt paſſim D.Th.& docti quique aduertunt, & conſtat;quia eiuſdem ad ſe nequit dari relatio realis, quia eiuſdem ad ſe non datur diſtinctio realis:ergo relatio Vniuerſalis ad inferiora eſt relatio rationis.Quod verò hæc relatio ſit eiuſdem ad ſe,patet; quia Vniuerſale,eſt id, quod de pluribus prædicatur, neque realiter neque virtualiter quidem intrinſecè diſtinguitur ab inferioribus : ergo eſt relatio eiuſdem ad ſe.Confirmo;diſtinctio Vniuerſalis ab inferioribus,eſt diſtinctio rationis ſolùm,vt tract. de Vniuerſalibus,cum communi ſententia oſtendam:ergo relatio eius eſt etiam rationis.

29 De Genere verò, & Specie, reliquiſque prædicabilibus,eodem modo probatur Aſſertio : nam ea omnia conſiderat, & definit Logicus vt prædicabilia de inferioribus: nec aliud continuè agit,quàm comparare rationes ſuperiores cum inferioribus; differentias, & genera cum Speciebus; & docere, quæ de quibus prædicanda ſint,ea autem omnia extrema ſunt realiter identificata, vt conſtat; ergo omnia Vniuerſalia plena ſunt relationibus,& comparationibus rationis; nec aliud ibi docemur quàm has comparationes ritè, & debitè inſtituere, & facere.

30 Iam tranſmitto vltrò prædicamenta de quibus inferiùs, & accedo ad ſecundam operationem intellectus;& probo Logicum in hoc etiam obiecto relationes rationis conſiderare : nam in hac ſecunda operatione præcipuè conſiderat Definitum, & Diuiſum:at Diuiſio ſtricta eſt rationum ſuperiorum ad inferiora, atque adeò ſemper datur iuxta dicta relatio rationis: De Definito etiam conſtat, nam Definitio fit, vt eadem res confusè per vnam cognitionem cognita,per aliam cognitionem eiuſdem rei clariorem explicetur, & quod fiat compoſitio logica, & rationis ex genere, & differentia; ergo datur relatio eiuſdem ad ſe, cùm Definitum, & Definitio obiectiuè non diſtinguantur,ſed ſolùm ratione.

31 Tandem ad tertiam operationem intellectus deuenio, in qua eſt adhuc Aſſertio noſtra manifeſtior; nam omnes illæ comparationes extremitatum cum medio, & earum inter ſe, ſunt comparationes rationis,nam extrema,& cum medio, & inter ſe ſunt idē; ergo totum artificium ſyllogiſticum plenum eſt relationibus, & comparationibus rationis : at illæ ſunt eiuſdem ad ſe; ergo ſunt rationis. Hæc breuiter, & quaſi oſtenſiuè dicta ſufficiant pro probatione noſtræ ſecundæ Aſſertionis:& breuitatis gratia ab vlteriori probatione abſtineo; ſat fuerit fundamentum iecisſe, cui aliæ confirmationes facilè poterunt inædificari : obiectiones verò ponam poſt tertiam concluſionem.

32 Assertio III. Obiectum formale adæquatum Logicæ eſt ens rationis.Pro hac ſunt Auctores primæ ſententiæ;ea verò magis lubrica eſt, quàm præcedentes;nec ea ſoliditate probari poteſt. Et ratio eſt, nam licèt certum ſit in omni obiecto Logicæ inuolui ens rationis, inuoluuntur etiam entia realia; nam licet comparationes ſuperiorum ad inferiora,rationis ſint; ea tamen,quæ comparamus,non ſunt quid fictum,ſed quid verum; neque enim ens rationis eſt,quod prædicatur,licet comparatio ipſa ens rationis ſit:cùm ergo in obiecto Logicæ aliquid verum, & aliquid fictum ingrediatur,ægrè planè dignoſcitur, cur id potius,quod rationis eſt,debeat eſſe obiectum formale; & non id, quod verum eſt : vel cur non vtrumque. Quoniam verò D.Tho. ita docuit, & adeſt ratio congruentiſſima,abſolutè Aſſertio poſita tenenda eſt.

Probatur 1. Aſſertio auctoritate Diui Thomæ 4. Metaph. lect.4. vbi inquit, quòd *ens rationis propriè dicitur de illis intentionibus, quas ratio adinuenit in rebus conſideratis; ſicut intentio Generis, Speciei, & ſimilium; & huiuſmodi ens rationis eſt proprium ſubiectum Logicæ* : quæ verba, vt patet, de obiecto formali intelligenda ſunt : & tract. de Prædicabilibus, cap. de genere, part.2.ait, *Vnde licèt ſupra dictum fuerit,quod intentiones fiant ab intellectu; tamen oportet, quòd aliquod fundamentum habeant in re* : ergo iuxta D. Thomam obiectum formale Logicæ eſt illud ens rationis, quod cum aliquo fundamento in re ratio adinuenit,ſeu potiùs fabricat. 33

Sed obiicias,D.Thomam initio poſter. aſſerere artem quamdam neceſſariam eſſe, quæ ſit directiua rationis,& hanc eſſe Logicam, quæ verſatur circa actus rationis, ſicut circa propriam materiam. *Reſpondeo*, D.Thomam nihil hic dicere contra nos, nam nos non negamus actus intellectus eſſe materiam, circa quam Logica verſatur;ſed potiùs concedimus : negamus verò eſſe obiectum formale;nam licèt argentum ſit materia artis argentariæ,non tamen eſt obiectum formale; hoc enim potius eſt artefactum, vt artefactum, quod ex illa materia effingit Argentarius, ſeu forma eius : ergo ſimiliter actus intellectus materia erunt,& non obiectum formale Logicæ. 34

Probatur 2. Aſſertio;nam Logica formaliſſimè reſpicit id, quod eſt rationis, ſeu relationem rationis, quam probauimus inuolui in omni obiecto Logicæ, id eſt,reperiri:ergo obiectum formale Logicæ eſt ens, & relatio rationis. Probatur antecedens,nam dum de tertia operatione agit Logica, cõſiderat extrema ſyllogiſmi, quatenus extrema formaliter, & medium quatenus medium;& de extremis, vt extremis; & de medio,vt de medio,regulas tradit;quæ omnia liquida ſunt cuiuis Logicæ non prorſus ignaro : at extrema vt extrema, media vt media formaliter fiunt ratione adinueniente, referente, & fingente; ergo.Probatur minor; nam extrema, & medium, reuera, & à parte rei,nec ſunt extrema,nec medium;ſed eadem indiuiſibilis, & ſimplex res, vt, *homo, rationale*, & *riſibile*, quibus demonſtratio efficitur, & in vniuerſum, omnis forma ſyllogiſtica ideò concludit, quia extrema reuera ſunt idem cum medio, atque propterea inter ſe;ergo omnia extrema ſyllogiſmi, & media reuera, & à parte rei,nec ſunt media,neque extrema, ſed ratione diſtinguente, & referente huiuſmodi fiunt. Confirmatur;extremum, vt extremum dicit relationem ad medium,& ita conſideratur à Logico; rurſus medium vt medium dicit relationem ad extrema, & ita conſideratur à Logica:at non dicit relationem realem, vt probaui, & de ſe conſtat;ergo relationem rationis : ergo dum Logica tractat de tertia Operatione intellectus, formaliter conſiderat ens rationis; ergo hoc eſt eius partis obiectum formale. 35

De ſecunda verò & prima operatione probatur ſimiliter;nam tota conſideratio vniuerſalium,& prædicabilium eſt rationum ſuperiorum, quatenus ſuperiorum 36

riorum formaliter respectu inferiorum, & inferiorum, quatenus inferiorum; hoc autem formaliter est relatio superioris ad inferius, & inferioris ad superius; at in hoc locum non habet relatio realis. cùm locum non habeat distinctio realis, ergo id formaliter est relatio rationis. De differentia similiter, quatenus vel cum genere, vel cum specie comparatur, idipsum patet: quatenus verò comparatur ad alias species, à quibus diuidit, etiam continet formaliter relationem rationis; nam hæc relatio vnius speciei ad aliam, est rationis, iuxta communem sententiam, vt constabit in Prædicamentis: ergo omnis consideratio vniuersalium, & prædicabilium, primaria saltem & directa, respicit formaliter relationem, & ens rationis.

37 Idem probatur de secunda Operatione; nam diuisio, vt diuisio considerat superius formaliter: non superius re; ergo superius ratione: nam Logica potissimum, & formaliter de diuisione logica agit, & non de physica diuisione tabulæ, licet obiter eius quoque regulas tradat: ergo pars Logicæ agens de diuisione, considerat ens rationis formaliter. Iam denique de ea parte, quæ de definitione differit, probatur manifestè conclusio, nam formaliter respicit compositionem ex genere & differentia, nam hac compositione formaliter definitio constituitur; at hæc compositio est rationis, non vera, sed instar veræ, & dicitur compositio metaphysica, seu logica, & rationis; sicut distinctio rationis dicitur distinctio rationis: ergo ea compositio formaliter est ens rationis. Confirmatur; distinctio generis, & differentiæ est rationis; ergo compositio etiam est compositio rationis: Sed distinctio rationis est ens rationis, ergo compositio rationis est ens rationis. Hanc respicit formaliter pars Logicæ agens de definitione, ergo respicit formaliter ens rationis.

38 Inferes, omne artificium Logicum esse ens rationis. Pro quo aduerte, aliud esse artificium quasi formale consistens in actibus: aliud obiectiuum, quod est obiectum eorum actiuum. His terminis hæc artificia distinguere solent Logici; vtiliùs tamen, & meliùs aliis, puto eam diuisionem sic fieri; artificium logicum aliud est subiectiuum, aliud obiectiuum: artificium subiectiuum, seu subiectiuè se habens est, quod in Syllogismo vnus actus intellectus sit primus, & alius secundus, quod subiectum formale per copulam *est* cum præterito vniatur, &c. & de hoc artificio Logicus non agit, nec eius regulæ de hoc artificio verificari possunt, nec enim ipsi illi actus, qui vniuntur cum medio, vniuntur inter se, &c. Alium artificium est obiectiuum, id scilicet, quod obiectiuè proponitur syllogizanti, & ea partitio, & collocatio obiecti, quæ formaliter repræsentatur à demonstrante; & de hoc artificio agit Logica, de hoc regulæ eius verè traduntur, de hoc probauimus esse ens rationis.

39 Iam contra assertionem obiicies primò inde sequi, omnium scientiarum obiectum esse ens rationis: Sequela autem perabsurda est: ergo. Probatur maior, nam omnes scientiæ definiunt, diuidunt, & syllogizant, ergo dum v.g. syllogizant, artificium obiectiuum respiciunt, nam comparat vnaquæque subiectũ suum cum passionibus suis, principia sua cum conclusionibus, extrema sua cum medio, & inter se, &c. hæc autem omnia obiectiuè sumpta diximus esse entia rationis; ergo omnium scientiarum obiectum formale est ens rationis.

40 Hoc argumentum, quod difficillimum videtur, dissoluo facile, & dico, ens rationis quasi in actu exercito respici à Physica v.g. non in actu signato; à Logica autem considerari in actu signato, atque ideò Logicæ obiectum formale est, & non Physicæ. Quod sic explico; omnes scientiæ, entia rationis & artificia syllogistica obiectum fabricant, nam aliter procedere non possunt, non tamen (per se loquendo) quasi reflexè cogitant ea artificia à se facta fuisse; cùm hoc sit præter institutum aliarum scientiarum: Logica verò reflexè cum reflexa quædam consideratio sit omnium scientiarum, nequit enim expresè & in actu signato earum omnium artificia considerare.

Vrges, omnis cognitio faciens ens rationis consi- 41
derat expresè illud, cum illud aliter no faciat, quàm illud expresè cognoscendo: sic cognitio fingens hircoceruum, expresè cognoscit hircoceruum, illúmque habet pro obiecto formali. At omnes scientiæ artificia obiectiua faciunt, hæcque diximus esse entia rationis; ergo omnes scientiæ expresè, & in actu signato considerãt artificium obiectiuum, illudque obiectum formale earum est. Difficilis sanè replica, cui tamen Respondeo, alias cognitiones esse purè fingẽtes, & quæ quod formaliter considerent, & cui potissimum incumbant, non habent, nisi id, quod fingunt, earumque ideo formale, & expressissimum, & potissimum obiectum est ens rationis, & id quod fingunt. Aliæ verò cognitiones sunt, quæ nonnihil fingunt circa id obiectum quod considerant, quin tamen id, quod fingunt, de obiecto, de quo tractant, affirmant: Sic Physica ens mobile considerat, huic incumbit, de hoc quæritur, hoc exprimit; id tamen præstare non potest, quin fingat nonnihil, id est, quin sæpius idem ad se comparet, neque verò eam comperationem affirmant de ente mobili. Quapropter nonnihil fingendo vera affirmat de ente mobili; scilicet esse generabile, de aliquo fieri, &c. quæ omnia verissima sunt, itaque fictio illa potiùs pertinet ad modum considerandi, quàm ad rem consideratam. Vnde breuiter, & clarè Respondeo, alias cognitiones esse, quæ fingunt rem consideratam, vel ab aliis fictam refingunt, easque respicere ens rationis in actu signato, & tanquã formale obiectũ. Alias cognitiones esse, quæ non fingunt in re consideratam, sed in modo; hasque ens rationis tantùm respicere in actu exercito. Huius secundi generis sunt scientiæ reales; primi generis Logica, quæ entia rationis ab aliis fieri solita expresè consideranda suscipit.

Aduerto huic argumento quanquam difficili om- 42
nes respondere debere, cùm negari non possit, omnes scientias relationes rationis facere, eisque abundare. Rogo ergo an eas reflexè considerent, & omnium scientiarum obiectum formale sit ens rationis, vel compositum ex reali, & rationis, quod est impossibile, cùm omnis scientia debeat esse vnius subiecti, & generis, nec possit dari aliqua ratio vna entis realis, & rationis.

Obiicies 2. denominatio Definiti v.g. (& idem est 43
de cæteris) prouenit à forma reali, ergo est realis. Probatur antecedens, nam ea denominatio formaliter prouenit ab actu definitionis: at hic est realis, ergo. Respondeo eam denominationem esse rationis, formaliter loquendo, prouenire quidem à forma subiectiuè reali; non tamen obiectiuè, id est à forma, quæ in se est realis, fingens tamen in modo considerandi obiectum per compositionem logicam ex genere, & differentia: sic esse fictum, & esse hircocerui prouenit à forma subiectiuè reali, non autem obiectiuè.

Obiicies 3. res fiunt cognitæ etiam ab actu defi- 44
nitionis sine vllo ente rationis; ergo fiunt similiter definitæ. Respondeo res intelligi formaliter cognitas sine vllo ente rationis, nam esse cognitum, vt sic, præscindit ab eo, quod per compositionem Logicam, vel sine illa fiat: at tale esse cognitum, v.g. esse definitum, quatenus tale formaliter, addit supra esse cognitum, vt sic esse cognitum per compositionem generis, & differentiæ, atque ita hæ denominationes formaliter sunt entia rationis.

45 Obiicies 4.eſſe intellectum definientem eſt denominatio realis,ergo eſſe obiectum definitum eſt denominatio realis ; nam ſolùm differunt penes actiuam & paſſiuam. Inſto , eſſe intellectum definientem eſt denominatio intrinſeca,ergo eſſe definitum eſt denominatio intrinſeca.Rurſus eſſe fingentem eſt verum eſſe,& verè eſſe,ergo eſſe fictum , eſt verum eſſe , & verè eſſe.Reſpondeo ergo,res eſſe verè & realiter definitas,& cognitas,ſicut ens rationis eſt verè, & realiter definitum & cognitum , & fictum : tamen ſicut eſſe fictum non eſt verè eſſe, nec verum eſſe ; ita neque eſſe definitum,eſſe verum eſſe,ſeu verè.Itaq; concedo antecedens,quia eſſe definientem ſubiectiuè eſt forma realis;& nego conſequentiam,quia eſſe definitum quod ad obiectum pertinet,eſt quid rationis.

46 Mitto alia argumenta quæ ex dictis ingenioſi facilè ſoluent.

Infero 1.obiectum formale Logicæ eſſe tertiã ſpeciem entis rationis,ſcilicet relationem rationis. Infero 2. vel prædicamenta ſolùm reductiuè pertinere ad Logicam,vel eorum quoque obiectum eſſe ens rationis ; eſt enim ille ordo cuiuſque categoriæ inter ſpecies ſuas,& genera.Infero 3.ens rationis logicum non reſultare ex actibus , nec Logicæ , nec aliarum ſcientiarum;nequit enim ens rationis eſſe quid poſterius actu , à quo fit,cùm aliud eſſe non habeat quàm eſſe in actu,atq; ita nec eſt poſt: nec reſultat propriè ſed fit,ſeu effingitur.Infero 4.ens rationis logicũ fieri à quouis actu aliarum ſcientiarum:à Logica conſiderari tanquam faciendum,vel factũ ab illis;quare Logica non tam illud efficit, quàm ab illis ſcientiis factum,vel faciendum quaſi reſumit, vel repetit , licet anticipatè. Quibus modum fortè excogitauimus hanc quæſtionem defendendi,trito,& vulgari Thomiſtarum veriorem,& ſecuriorem.

CAPVT IV.

An voces intrent in formale obiectum Dialecticæ.

47 NOn loquimur de vocibus nudè ſumptis , ſed vt habent in ſe aliquam artificioſam diſpoſitionem definitionis,aut diuiſionis vocalis,&c.Et inquirimus an vt ſic ſint ſaltem obiectũ formale Dialecticæ partiale.Nominales(ex eo ſic appellati)aſſeruerunt ſolas voces,& nomina eſſe obiectum formale,& adæquatũ Dialecticæ,cùm illa ſermocinalis ſcientia ſit;ſed improbabiliter ſunt locuti,cùm Logica etiam & præcipuè conſideret formaliter modum ſciendi,mentalem, vt infra videbimus ; & dicitur Ars ſermocinalis, vel à ſermone interno mentali,vel vocali & externo, vt ex obiecto partiali illius,vt infra oſtendam. Recentiores voces communiter relegant à ratione obiecti formaliter etiam inadæquati Dialecticæ,aiunt enim eſſe ſolùm obiectura materiale illius,quia in illis reſplendet ſtructura modi ſciendi mentalis,quæ formaliter,& vnicè conſideratur.

48 Præmitto pro deciſione dubij obiectum formale adæquatum alicuius actus eſſe etiam obiectum formale inadæquatum illius habitualis ſcientiæ,ad quã pertinet ille actus. Probatur:obiectum formale adæquatum ſcientiæ habitualis, non eſt aliud quam obiecta omnia formalia ſuorum actuum.Etenim habitus non reſpicit obiectum formale , niſi per actus;ergo obiectum formale adæquatum vnius actus pertinentis ad illam ſcientiam , erit obiectum inadæquatum ipſius ſcientiæ habitualis.

49 Præmitto 2.eſſe aliquem actum , qui vt obiectum formale adequatum reſpiciat voces,v.g.definitionem vocalem.Probatur apertè,ſiquis immemor definitionis mentalis eliciat actum cognitionis , qua cognoſcat eſſentiam , & quidditatem propriæ definitionis vocalis , & dicat definitionem vocalem eſſe orationem vocalem,clarè manifeſtantem vocaliter eſſentiã rei per genus & differentiam; talis actus habebit pro obiecto formali ſeu adæquato ſolam definitionem vocalem,cùm per ipſum mentalis definitio non cognoſcatur; ergo aliquis eſt actus , qui tanquam obiectum formale adæquatum reſpiciat voces , v.g. definitionem vocalem.

Præmitto 3.prædictum actum cognitionis, qui vt 50
obiectum formale adæquatum ſui reſpiceret definitionem vocalem pertinere directè ad ſcientiam habitualem Dialecticæ.Probatur;talis actus ſcientificus pertinet directè ad aliquam habitualem artem , vel ſcientiam:ſed non eſt alia ars,ſeu ſcientia , ad quam poſſit pertinere directè niſi ad Dialecticam,ergo talis actus pertinet directè ad ſcientiam habitualem Dialecticæ.Minor probatur;ſi alia eſſet ars, ad quam definitio vocalis,vt ſic formaliter pertineret , maximè, vel Grammatica,vel Rhetorica , quia non poteſt excogitari altera,ad quam ſpectet; ſed cognitio definitionis vocalis,vt ſic formaliter, non pertinet ad Grãmaticam,quæ tantùm docet emendatè loqui , neque ad Rhetoricam,cuius munus ſolum eſt ornatè,& appoſitè loqui , ſeu ſermocinari ad mouendos affectus; ad neutram autem ſpectat artificioſè explicare,etiam vocaliter,rem per genus & differentiam , qualiter fit per definitionem vocalem; ergo non eſt alia ars , aut ſcientia , ad quam poſſit pertinere talis actus cognitionis niſi ad Dialecticam.

ASSERTIO ſit;voces artificioſè ſignificantes, ni- 51
mirum definitio diuiſio,& argumentatio vocalis,&c. ſunt obiectum formale inadæquatum,quidem & minus principale Dialecticæ. Pro hac ſententia ſunt Complutenſes diſp.2.q.3.concl.1.n.31. & adducunt D.Thom.Sotum, Sanchez,Arauio, Fonſecam 2. metaph. cap.3.q.1.ſect.5.§. ſed quærat aliquis; inclinat Auerſa q.2.Logicæ ſect.2.

Probatur : obiectum formale adæquatum alicuius actus pertinẽtis directè ad aliquam ſcientiã,eſt obiectum partiale formale illius ſcientiæ,vt oſtendi Notabili 1.Sed voces,v.g.definitio vocalis,eſt obiectum formale adæquatum alicuius actus pertinẽtis directè ad Dialecticam, vt ibidem monſtraui Notabili 2. & 3.ergo definitio vocalis eſt obiectum formale ſaltem partiale,& minus principale Dialecticæ.

Explico à paritate;ideò definitio mentalis eſt obie- 52
ctum formale inadæquatum Dialecticæ, quia eſt obiectum formæ adæquatum vnius actus ſpectantis directè ad Logicam : atqui etiam definitio vocalis eſt obiectum formale adæquatum vnius actus pertinentis directè ad Logicam, vt oſtenſum eſt; ergo etiam definitio vocalis eſt obiectum formale inadæquatum Logicę.Confirmatur à priori,Logica reſpicit,vt obiectum formale,modũ ſciendi, & addiſcendi alias ſciẽtias,vt omnes admittunt;ſed per ſe, & formaliter nõ addiſcimus ſolum alias ſcientias per modum ſciendi mentalem,ſed etiam per modum ſciendi vocalem cũ aliis exteriùs definiendo,diuidendo,& argumentãdo, vt experientia teſtatur;ergo Logica non ſolũ reſpicit vt obiectum formale modum ſciendi mentalem, ſed etiam modum ſciendi vocalem; vocalis ergo modus ſciendi eſt obiectum formale ſaltem inadæquatum, & minus principale.

Recentiores quidam cum P.Suar. diſp.1. metaph. 53
ſect.4.n.27. aſſerunt Logicam has voces artificioſas conſiderare non per ſe, & formaliter;ſed tantum per accidens,& ex conſequentia:nã habitus Dialecticæ, qui per ſe,& formaliter dirigit modũ ſciẽdi mentalẽ, ex conſequẽti dirigit etiã vocalem:eo enim ipſo quod intellectus ſit per habitum Dialecticæ inſtructus ad facilè definiendum mentaliter , eſt etiam quaſi per accidens inſtructus , & expeditus ad facilè vocaliter definiendum , diuidendum, &c. atque ideo has voces artificioſas non eſſe obiectum formale , & per

se habitus Dialecticæ, sed solùm quasi materiale ex consequenti, & per accidens, vt communiter traditur à Dialecticis.

54 Sed impugnatur responsio: nam id, quod est obiectum formale & per se alicuius actus, est etiam obiectum formale per se illius habitus, ex quo talis actus per se oritur; atqui voces istæ artificiosæ v. g. definitio vocalis, est obiectum formale & per se illius actus cognitionis, quo illa vt definitio vocalis formalissimè cognoscitur, qui quidem actus oritur per se ab habitu Dialecticæ; ergo definitio vocalis est obiectum formale, & per se habitus Dialecticæ, & non solùm ex consequenti, & per accidens. Consequentia est euidens: Maior nota; quia habitus non respicit per se suum obiectum formale, nisi mediis actibus qui possunt ab illo oriri: Minor verò quoad primam partem scilicet definitionem vocalem esse obiectum formale, per se illius actus, quo quis immemor omninò definitionis mentalis penetrat essentiam definitionis vocalis; sic clarè probatur: Iste actus habet aliquod obiectum formale, & per se; sed non est aliud, quod possit esse eius obiectum formale, nisi sola definitio vocalis, cùm non ad mentalem, sed tantùm ad definitionem vocalem essentialiter terminetur: ergo definitio vocalis est obiectum formale], & per se prædicti actus: Minor etiam quoad secundam partem, videlicet istum actum, quo cognoscitur definitio vocalis oriri per se ab aliquo habitu Dialecticæ, sic monstratur; & ponamus priùs, quòd aliquis antequam cognoscat definitionem mentalem, vel legendo, vel audiendo acquirat cognitionem definitionis vocalis, vt sic formaliter; & quòd iste in hac cognitione diu se exerceat atque ita quòd per hanc cognitionem definitionis vocalis sæpè repetitam generetur aliquis habitus in ipso homine, qui verè erit habitus Dialecticæ, quia ad nullam aliam scientiam potest pertinere; respicere habitualiter definitionem vocalem, quam hic habitus respiceret, vt ostendi suprà Notab. 3. numero 27. Quo posito, arguo sic: Quiuis actus producit per se actus similes illis, ex quibus ipsemet per se genitus est: sed hic habitus Dialecticæ in dicto casu est per se genitus ex actibus cognitionis circa definitionem vocalem; non enim dantur alij actus de facto nisi isti, ex quibus in hoc casu talis habitus Dialecticæ per se oriatur: ergo iste Dialecticæ habitus per se producit actus cognitionis circa definitionem vocalem vt sic formaliter: igitur actus ille cognitionis, qui respicit vt obiectum formale, & per se, definitionem vocalem, oritur per se ab aliquo habitu Dialecticæ; ac per consequens definitio vocalis erit etiam obiectum formale, & per se ipsius habitus Dialecticæ; non quidem principale, sed minus principale, vt dictum est: vnde licèt per habitum Dialecticæ respicientem definitionen mentalem, maneat intellectus aliquo modo facilis, & expeditus ad cognoscendas, & efficiendas definitiones vocales, saltem ex consequenti; tamen non est completè expeditus, & facilis, quoad vsque habeat alium habitum, qui directè respiciat ipsam definitionem vocalem, vt ex ipsius cognitione actuali per se oriatur, & ad eius cognitionem per se inclinet; qui quidem habitus est habitus particularis Dialecticæ, vt iam ostendi; atque ita respectu totius Dialecticæ habitualis, definitio seu modus sciendi vocalis, est obiectum formale, & per se; & non ex consequenti, & per accidens, seu materialiter.

55 Obiiciat quispiam 1. Logica respicit tanquam subiectum formale modum sciendi; sed seclusis vocibus inuenitur in solis conceptibus mentis adæquatè & completè modus sciendi: ergo seclusis vocibus, inuenitur adæquatè, & completè obiectum formale Logicæ; ergo voces non sunt vllo modo obiectum formale Logicæ. Secundò, si voces essent obiectum formale Dialecticæ etiam scriptura erit obiectum formale illius: etenim sicuti est modus sciendi vocalis, ita etiam est modus sciendi scriptus, & in vtroque æquali modo resplendet Dialecticum artificium: sed admittere Scripturam esse obiectum formale Dialecticæ absurdũ videtur: ergo non debet admitti voces esse obiectum formale Dialecticæ.

Respondeo ad primum seclusis vocibus, dari adæquatè & completè modum sciendi mentalem; non verò inueniri completè modum sciendi in communi vt includit mentalem, & vocalem; quo pacto modus sciendi consideratur formaliter, & per se à Logica, cùm vterque per se necessarius sit ad aliarum scientiarum inquisitionem, vt suprà docuimus num. 27. atque ita seclusis vocibus, non inueniri adæquatè, & completè obiectum formale Logicæ, cùm vocalis modus sciendi sit partiale obiectum formale illius. Ad secundum concedo etiam scripturas artificiosè scriptas, & dispositas, hoc est definitionem, diuisionem, & argumentationem scriptam &c. esse obiectum formale inadæquatum Dialecticæ, eadem enim de illis, ac de vocibus est ratio, vt docet Suarez dicta disputatione prima sect. 4. num. 27. & innuit Fonseca loco citato circa finem; quod nullum absurdum reputamus.

CAPVT V.

An modus sciendi formalis, an obiectiuus, sit obiectum Logicæ.

MOdus sciendi formalis est ipse formalis conceptus, & actus definitionis, diuisionis &c. quo formaliter intellectus rẽ definit, vel diuidit, vt actus, quo ego concipio hominem esse animal rationale, vel hominis, aliam partem esse animalitatem, aliã rationalitatem, dicitur modus sciendi formalis; modus sciendi obiectiuus est ipsa res etiam externa, quæ terminat 56
modum sciendi formalem, definitionem scilicet, aut diuisionem, &c. & vt illi formaliter obiicitur, hoc est, res scita, vt connotans & inuoluens ipsum formalem modum sciendi, à quo formaliter talis res obiecta, modus sciendi obiectiuus denominatur; vt in præfato exemplo homo ipse, vt definitus aut diuisus, appellatur modus sciendi obiectiuus, ex quo fit, modum sciendi obiectiuum duo importare, aliud pro materiali, scilicet ipsam rem externam, quæ scitur; aliud pro formali, nempe ipsum modum sciendi formalem, definitionem videlicet, diuisionem aut argumentationem, cui subiacet, & per quem in ratione modi sciendi obiectiuè formaliter constituitur; ac proinde modus sciendi obiectiuus secundum id, quod pro formali dicitur, non distinguitur vllo modo, à modo sciendi formali, sed tantùm diffidet ab illo secundum id, quod includit pro materiali. Hoc ergo posito quærimus, vter modus sciendi formalis, an obiectiuus, sit formale obiectum Dialecticæ, & etiam cui illorum competat esse obiectum materiale.

ASSERTIO I. Modus sciendi obiectiuus, vt obiectiuus reduplicatiuè, & formaliter est obiectum formale Dialecticæ. Est communis, & probatur ex dictis disp. 1. cap. 3.

Dices!, modus sciendi obiectiuus non distinguitur à modo sciendi formali, ergo vterque erit obiectum formale. Probatur antecedens, nam modus sciendi 57
obiectiuus est, ens, seu relatio rationis, iuxta dicta eo cap. 3. sed ens rationis non distinguitur à cognitione per quam fit, quia nullum aliud esse habet, nisi quod habet in cognitione; ergo idem est esse artificij obiectiui, atque formalis; ergo.

Resp. instãdo, nam Metaphysica tractat de ente rationis, nec tamẽ illud est agere de cognitione fingente. Dico ergo ẽs rationis fictè distingui à cognitione per quam

quam fit, seu fingi quasi aliud esse habens; & propterea est ens rationis, quia cùm extra cognitionem nullum esse habeat, fingitur tamen habere; alioqui non esset ens rationis. Alia videri possunt dict. 3. cap. assert. præsertim tertia.

58 ASSERTIO II. Modus sciendi obiectiuus specificatiuè acceptus, & secundum materiale præcisè quod includit, hoc est re ipsa, quæ definitur, diuiditur, aut argumentatur, secundum se est obiectum materiale Dialecticæ. Est expressa sententia Arist. 4. metaph. text. 5. vbi clarè ostendit Logicam agere de definitione, diuisione, & argumentatione, vt subsunt secundis intentionibus: ac per consequens agere de illis vt de obiecto materiali: cui subscribunt D. Thom. & omnes Auctores adducti pro prima assertione.

Probatur, obiectum materiale scientiæ est id, quod scientia considerat, & non ratione sui, & propter se, sed propter aliud formaliter: sed scientia Dialecticæ considerat modum sciendi obiectiuum, secundum materiale præcisè quod includit, nempe rem ipsam definitam, aut diuisam, & non ratione sui, aut propter se ipsam, sed ratione alterius scilicet definitionis, aut diuisionis, & non ratione sui, aut propter seipsam, sed propter illas formaliter; ergo materiale modi sciendi obiectiui, scilicet res definita, aut diuisa, secundum se, est obiectum materiale Dialecticæ. Dialecticam autem considerare materiale modi sciendi obiectiui, scilicet rem definitam, aut diuisam, patet; nam Dialectica etiam considerat, quid sit definitum & diuisum; & docet definitum esse id, cuius essentia per genus, & differentiam explicatur, & diuisum illud esse, quod in omnes sui partes ab intellectu secatur: atqui esse hoc modo definitum, cuius essentia aperitur; & diuisum, quod in suas partes secatur, conuenit modo sciendi obiectiuo, non quidem secundum formale, quod includit, nempe secundum definitionem, aut diuisionem formalem; etenim ipsa definitio, aut diuisio non est, quæ definitur, aut diuiditur; sed solum secundùm materiale, nimirum secundum rem ipsam, quæ verè definitur, aut diuiditur: ergo Logica verè considerat modum sciendi obiectiuum secundum materiale, quod includit; h oc est, res ipsas definitas, aut diuisas. Porro non considerare Dialecticam materiale modi sciendi obiectiui, siue ipsas res definitas, aut diuisas ratione sui, sed ratione alterius, & propter aliud formaliter, etiam facilè probatur; Dialectica cùm formaliter, & per se intendat intellectum instruere, vt scientias alias acquirat, per se, & formaliter, solum respicit modum sciendi, vel artificiosam aliquam dispositionem qua ipse instruatur ad sciendum: sed materiale modi sciendi obiectiui, hoc est, res ipsa definita, aut diuisa secundum se non est modus sciendi, neque habet artificiosam aliquam dispositionem ad sciendum, nisi vt præcisè subiacet definitioni, aut diuisioni formali; ergo Dialectica non considerat materiale illud, scilicet rem definitam secundum se, ratione sui, & propter seipsam formaliter, sed solum propter definitionem, cui subiacet, & à qua res formaliter definita, ac modus sciendi obiectiuus denominatur.

59 ASSERTIO III. Modus sciendi obiectiuus vocalis secundum materiale præcisè, quod includit, id est res ipsæ, quæ definiuntur, aut diuiduntur &c. per definitionem, aut diuisionem vocalem, est obiectum materiale Logicæ. Huic etiam Assertioni debent assentiri, qui nobiscum asserunt modum sciendi etiam vocalem esse obiectum formale Dialecticæ.

Probatur, obiectum materiale est omnis res, supra quam cadit eius obiectum formale, scilicet modus sciendi, qui est obiectum formale illius: sed supra res definitas, diuisas, aut argumentatas vocaliter, cadit obiectum formale Dialecticæ, hoc est modus sciendi vocalis, qui est formale obiectum illius, vt ostendi supra cap. 4. ergo etiam res definitæ, aut diuisæ vocaliter sunt obiectum materiale Dialecticæ.

Verùm adnotare oportet, cum dicimus obiectum formale Dialecticæ esse modum sciendi, non esse sermonem de obiecto adæquato illius, sed solùm de obiecto eius excellentiori, & digniori ex genere suo; quale est solum modus sciendi, vt dictum est: etenim si de obiecto adæquato Logicæ loquamur, etiam genus, & differentia subiectum, & prædicatum, & id genus alia artificiosam quandam dispositionem habentia, sunt etiam obiectum formale Dialecticæ. 60

Quod vt ostendam, præmitto ex dicendis infrà disp. 3. cap. 3. Logicam non esse simplicem qualitatem, sed habitum, & qualitatem compositam ex pluribus partialibus habitibus, quorum alter tantùm respiciat definitionem, alter propositionem, alter genus, aut differentiam &c. Hoc ergo posito arguo sic: Sicut habitus partialis Logicæ circa definitionem respicit per se solùm ipsam definitionem, ita habitus partialis Logicæ circa genus, respicit per se solum ipsum genus; ergo sicut obiectum formale illius habitus partialis Logicæ circa definitionem, est sola definitio; etiam obiectum formale istius habitus partialis circa genus, erit tantùm ipsum genus; ergo respectu totius Logicæ habitualis, quæ ex his partialibus habitibus resultat, non solum definitio, sed etiam genus, (& idem dico de aliis,) erit obiectum formale illius.

Hinc infero 1. obiectum formale totale Logicæ esse omnem logicam rectitudinem, ac artificiosam dispositionem: tota enim hæc dispositio propter se formaliter consideratur à Logica; vt constat ex dictis. 61

Infero secundò, totale obiectum materiale Logicæ, esse omnes ens siue positiuum, siue negatiuum, siue reale, siue rationis, quod potest prædictæ artificiosæ dispositioni subesse, v.g. quod possit definiri, diuidi &c. quia totum hoc consideratur à Logica, non propter se formaliter, sed propter Logicam dispositionem, quam supra se habet, vt ostensum est, numero 35. & 36.

Infero 3. obiectum formale particulare Logicæ esse aliquam dispositionem artificiosam particularem v.g. definitionem, quæ propter se formaliter partialiter consideratur à Logica: Obiectum verò partiale materiale esse rem aliquam particularem subiectam dispositioni artificiosæ, v.g. rem aliquam, quæ definitur, quæque materialiter à Logica inadæquatè respicitur, quæ omnia ex toto hoc capite perspicua sunt. 62

CAPVT VI.

Quodnam sit obiectum attributionis Dialecticæ.

SVperiùs cap. 3. n. 9. præmisimus obiectum attributionis alicuius scientiæ esse id, ad quod omnia alia quæ in illa scientia tractantur, referuntur. Quærimus ergo nunc quodnam in nostra materia sit obiectum attributionis Logicæ, ad quod omnia alia, de quibus Logica differit, ordinentur, & referantur. 63

Tres adinuenio principales sententias. Prima asserit modum sciendi in communi, vt definitionem, diuisionem, & argumentationem comprehendit, esse obiectũ attributionis Dialecticæ. Ita Conimbr. hic q. 5. art. 3. Suarez 1. metaph. disp 1. sect. 4. à n. 26. Fonseca 2. Metaph. c. 3. q. 1. sect. 5. Masius sect. 1. q. 12. quibus fauere videtur Toletus; & Auersa q. 2. sect. 4. etsi diuersis nominibus idem indicare videtur. 64

Secunda sentẽtia docet, Syllogismum, aut demõstrationẽ respici formaliter tanquam obiectum attributionis à Logica. Hanc sententiã tuetur subtilis Doctor q. 3. vniuersalium, & eius discipuli, & Merinero q. 4. Procœmial. sect. 2. & quæst. 2. lib. priorum, & adducit Arist. tum in libris priorum, & Top. agens de partibus

bus subiectiuis syllogismi, & Arist. imitantur Græci, vt Themistius, Simplicius, Philoponus, & ex Modernis lucem attulit Doctissimus Vasquez. 1. p. disp. 4. cap. 1, & alij multi.

Tertia sententia est, nullum esse particulare, & determinatum obiectum attributionis Dialecticæ, ad quod alia omnia, de quibus illa pertractat, referuntur, & ordinantur ex extrinseca, & libera voluntate, & intentione addiscentis: Ita Recentiores Sapientissimi.

65 Præmitto primò, pro decisione dubij dupliciter considerari posse obiectum attributionis alicuius scientiæ, ad quod omnia alia, de quibus scientia disserit, referantur. Aliud est obiectum attributionis ex intrinseco ordine & intentione ipsius scientiæ, ad quod ex intentione scientiæ cætera referuntur, & ordinantur, id est, scientia illa, reliqua omnia, de quibus agit, ordinat ex natura sua ad illud principale obiectum cognoscendum. Aliud est obiectum attributionis, ad quod alia omnia referuntur solùm ex extrinseco ordine, & intentione scientis, hoc est, quod solùm addiscens talem scientiam, reliqua omnia, de quibus illa scientia disserit, extrinsecè ordinet ad tale principale obiectum cognoscendum.

66 Præmitto secundò, vt aliquid verè, & propriè sit obiectum attributionis alicuius scientiæ ex intrinseco ordine, & intentione ipsius scientiæ, non sufficere, quod scientia illa ex natura sua consideret aliqua obiecta, quæ omnia secundum se physicè ad illud principale obiectum ordinentur & referantur; sed necessariò requiri, quòd in illa scientia habitus partialis scientificus vel cognitio aliorum omnium, de quibus agit scientia, ex se, & natura sua ordinetur ad habitum scientificum, aut cognitionem illius principalis obiecti.

Probatur primò, metaphysica considerat omnia entia creata abstracta à materia quæ secundum se physicè ordinantur, & referuntur ad Deum, qui est etiam obiectum illius; & tamen Deus iuxta communem sententiam non est obiectum attributionis metaphysicæ: solùm enim Deus communiter assignatur pro obiecto attributionis Theologiæ: ergo vt aliquid sit obiectum attributionis ex intentione scientiæ, non sufficit, quod scientia illa natura sua consideret alia obiecta, quæ secundum se physicè referantur, ad tale obiectum; ergo necessariò requiritur, quod habitus, seu cognitio aliorum omnium obiectorum natura sua ordinentur ad habitum, seu cognitionem talis principalis obiecti.

Probatur 2. à simili, vt aliquid sit obiectum attributionis ex ordine & intentione scientis, requiritur, quòd ordo sit in ipso sciente, hoc est, quod sciens ordinet cognitionem aliorum omnium de quibus agit scientia ad cognitionem principalis obiecti; ergo vt aliquid sit obiectum ex ordine, & intentione scientiæ, requiritur, quòd ordo sit in ipsa scientia, id est, quòd scientia & cognitio aliorum omnium ex se, & natura sua ordinetur ad cognitionem, & scientiam principalis obiecti.

67 Præmitto tertiò, habitum seu cognitionem aliorum omnium, de quibus agit Dialectica, v.g. habitum & cognitionem Generis, non ordinari ex se, & natura sua ad habitum, aut cognitionem modi sciendi, aut demonstrationis', aut alterius particularis obiecti.

Probatur 1. res, quæ ex se & natura sua ordinatur ad aliam, ita pendet ab illa, vt possibili, vt absque illa vt possibili non possit esse; res enim ad impossibile non potest naturaliter terminari: sed habitus, aut cognitio circa genus posset esse, licèt non foret possibilis habitus, aut cognitio circa modum sciendi ad demonstrationem &c. quæ enim in hoc implicatio inuoluitur? ergo habitus aut cognitio generis ex se, & natura sua non ordinatur ad habitum aut cognitionē modi sciendi, aut demonstrationis, &c.

Probatur 2. quando vna res ex natura sua ordinatur ad aliam ex eo, quòd Angelus v.g. comprehendat vnam, necessariò cognoscit & aliam, vt omnes admittunt; sed ex eo, quòd Angelus comprehendat habitum, aut cognitionem humanam circa genus, necessariò cognoscit habitum aut cognitionem humanam circa modum sciendi aut demonstrationem, quis hoc dicat? ergo habitus aut cognitio generis natura sua non ordinatur ad habitum aut cognitionem modi sciendi, aut demonstrationis. Tertiò probatur, quando aliqua res non est pars per se, sed pars per accidens alicuius totius, neque ipsa res natura sua ordinatur ad totum, neque cognitio talis rei natura sua ordinatur ad cognitionem totius, v.g. quia lapis non est pars per se, sed tantùm pars per accidens domus, neque ipse lapis natura sua ordinatur ad cognitionem domus; sed genus v.g. non est pars per se, sed tantum per accidens modi sciendi, aut demonstrationis; sicuti enim lapis secundum se non petit constituere domū. sed est aptus cum aliis illam componere, ideò non est pars per se talis domus, sed tantùm pars per accidens; ita genus secundum se non petit componere modum sciendi, aut demonstrationem, sed est aptum illam constituere, & ideò genus est solum pars per accidens, non verò per se, modi sciendi, aut demonstrationis; ergo neque genus ex se ordinatur ad modum sciendi, aut demonstrationem, nec cognitio generis natura sua ordinatur ad cognitionem demonstrationis, aut modi sciendi; ergo scientia ac cognitio aliorum omnium, quæ agit Logica ex se, & natura sua non ordinantur ad scientiam, & cognitionem modi sciendi, aut demonstrationis.

Assertio I. Neque sola demonstratio nec 68
modus sciendi, nec obiectum aliud partiale, est verè & propriè obiectum attributionis Logicæ ex intrinseco, & natura, ordine ac intentione ipsius scientiæ: ita contra auctores secundæ sententiæ; sed hanc tuentur auctores tertiæ.

Probatur clarè ex præmissis: obiectum attributionis scientiæ ex intrinseco, & naturali ordine ac intentione ipsius scientiæ est illud, ad cuius habitum aut cognitionem, habitus, aut cognitio aliorum omnium, quæ scientia illa considerat ex se, & natura sua ordinantur: sed in Dialectica, habitus, aut cognitio aliorum omnium, quæ ipsa Logica considerat, v. g. habitus, seu cognitio generis ex se & natura sua non ordinatur ad habitum, seu cognitionem solius demonstrationis, aut modi sciendi, aut alterius obiecti particularis; ergo neque sola demonstratio, nec modus sciendi, nec obiectum aliud particulare est obiectum attributionis Dialecticæ ex intrinseco ordine, & intentione ipsius scientiæ. Consequentia est clara, & euidens: maior ostenditur num. 42. minor verò n. 43. apertè monstratur; & solum infertur esse obiectum magis principale, vt omnes debent fateri, & docent Complutenses supra q. 3 conclusione prima n. 34.

Obiiciat aliquis primò, alia obiecta quæ Logica 69
considerat, v.g. genus ex se & natura sua ordinatur ad demonstrationem: ergo etiam cognitio generis natura sua ordinatur ad cognitionem demonstrationis, ac proinde sola demonstratio erit obiectū attributionis Dialecticæ ex intentione scientiæ. Consequentia videtur tenere; quia res sicut se habet in esse, ita se habet in cognosci: antecedens sic probatur, pars natura sua ordinatur ad totum, sed genus v. g. aut definitio est pars demonstrationis; ergo genus aut definitio natura sua ordinantur ad demonstrationem.

Respondeo partem per se, quæ est illa quæ petit totum componere, naturâ suâ ordinari ad totum, &

cogni

cognitionem perfectam illius etiam ordinari ad cognitionem totius; partem verò per accidens, quæ eſt illa, quæ non petit totum componere, ſed eſt apta, vel non repugnans conſtituere illud, non ordinari natura ſua ad totum; nec cognitionem illius naturâ ſuâ ordinari ad cognitionem totius, vt oſtendi num. 43. Genus autem, aut definitio non eſt pars per ſe demonſtrationis, ſed tantum pars per accidens, vt ibidem docui, atque ita nec genus aut definitio ſecundum ſe ordinatur naturaliter ad demonſtrationē, nec cognitio generis, aut definitionis naturaliter ordinatur ad cognitionem demonſtrationis, & ideò
70 ſola demonſtratio non eſt obiectum attributionis.

Sed inſurgat; Definitio conſtituit per ſe demonſtrationem; ergo eſt pars per ſe demonſtrationis; ergo definitio ex ſe, & naturâ ſuâ ordinatur ad demõſtrationem: at etiam cognitio definitionis ex natura ſua ordinatur ad cognitionē demonſtrationis: vtraque conſequentia tenet; Probatur antecedēs, definitio eo modo cũ alia præmiſſa conſtituit demonſtrationē, quo cum alia præmiſſa infert concluſionem; ſed definitio v.g. *homo eſt animal rationale*, cum alia præmiſſa, ſcilicet, *Petrus eſt homo*, infert per ſe concluſionem, videlicet, *ergo Petrus eſt animal rationale*: nam talis definitio naturâ ſuâ tendit, & ordinatur ad talem concluſionem inferendā, ergo talis definitio cum illa altera præmiſſa per ſe etiam conſtituit demonſtrationem.

Reſpondeo, definitionem illam per ſe inferre concluſionem, quia per ſe & natura ſua petit inferre & cauſare illam, non verò per ſe conſtituere demonſtrationem, quia ad hoc non ſufficit, quòd per ſe, & naturâ ſuâ petat inferre concluſionem, ſed etiam requiritur, quòd naturâ ſuâ petat coniungi, & quaſi cõnecti cum altera præmiſſa, cum qua conſtituit demonſtrationem: cùm autem definitio non petat naturâ ſuâ coniungi, & quaſi connecti cum altera præmiſſa, ideò licèt per ſe inferat concluſionem, non conſtituit per ſe demonſtrationē, nec eſt pars per ſe illius.

Sed adhuc vrgeat, definitio ex ſe, & naturâ ſuâ ordinatur ad concluſionem, quam per ſe cauſat, & infert; ergo cognitio definitionis etiam naturâ ſuâ ordinatur ad cognitionem concluſionis: igitur ſaltem concluſio demonſtrationis erit obiectum attributionis Logicæ ex intentione ſcientiæ.

Reſpondeo cognitionem adæquatam definitionis, qua videlicet cognoſcitur definitio, etiam vt illatiua concluſionis, naturâ ſuâ ordinari ad cognitionem concluſionis; cognitionem verò inadæquatam definitionis, qua ſcilicet ſolùm definitio cognoſcitur, non vt illatiua concluſionis, ſed vt eſt oratio explicans eſſentiam rei præcisè, non ordinari naturâ ſuâ ad cognitionem concluſionis vt per ſe conſtat; & ideò concluſio non eſt obiectum attributionis Logicæ ex intentione ſcientiæ, quia ad id neceſſarium erat, quòd omnis cognitio Logicæ tam adæquata, quàm inadæquata definitionis ad cognitionem concluſionis naturâ ſuâ ordinaretur.

71 Obiiciat ſecundò principaliter, reſpectu ſolius habitus demonſtrationis, ſola demonſtratio eſt obiectum intrinſecum attributionis, quia omnis cognitio, quæ ex tali habitu oritur, ordinatur ad perfectam cognitionem demonſtrationis: ſed non eſt alius habitus in Dialectica niſi habitus, qui verſatur circa demonſtrationem: ergo reſpectu totius Dialecticæ ſola demonſtratio eſt obiectum intrinſecum attributionis. Probatur minor; habitus, qui verſatur circa demonſtrationem, cognoſcit etiam omnia alia, de quibus agit Dialectica, v.g. cognoſcit etiam definitionem; ergo in Dialectica non datur alius habitus ad definitionem, niſi ſolum habitus, qui verſatur circa demonſtrationem. Probatur antecedens; habitus demonſtrationis cognoſcit omnes partes ipſius demonſtrationis: ſed definitio eſt pars demonſtrationis; ergo talis habitus demonſtrationis etiam cognoſcit demonſtrationem.

Reſpondeo, habitum circa demonſtrationem cognoſcere etiam definitionem, quatenus eſt pars ipſius demonſtrationis, ſcilicet, quatenus eſt formaliter illatiua concluſionis, non verò cognoſcere illam, quatenus eſt totum in ſe abſolutè, ſcilicet quatenus oratio explicans eſſentiam rei per genus & differentiam; ad hoc autem cognoſcendum dari alium diſtinctum habitum definionis, qui cùm nõ ordinetur ad habitũ, aut cognitionem demonſtrationis, ideò demonſtratio non eſt obiectum attributionis illius; ac per conſequens nec reſpectu totius Dialecticæ.

Sed inſtet adhuc, habitus ille demonſtrationis cognoſcit, vel attingit definitionem vt illatiuam concluſionis: ſed definitio vt illatiua concluſionis eſt etiã oratio explicans eſſentiam rei; ideò enim eſt illatiua concluſionis, quia eſt explicatio, & cognitio eſſentiæ rei: ergo habitus ille demonſtrationis cognoſcit definitionem, vt eſt oratio explicans eſſentiam rei; ergo non datur alter habitus definitionis diſtinctus, ſed ſolus habitus demonſtrationis, & cùm reſpectu huius ſola demonſtratio ſit obiectum attributionis intrinſecum, erit etiam obiectum attributionis intrinſecum reſpectu totius Dialecticæ.

Reſpondeo diſtinguendo illam propoſitionem; ideò definitio eſt illatiua concluſionis, quia eſt explicatio, & cognitio eſſentiæ rei, ideò præſuppoſitiuè, cõcedo; ideò formaliter, nego: hoc eſt, ideò definitio eſt illatiua concluſionis, quia præſupponitur, quòd præcisè eſt cognitio explicans eſſentiam rei; in hoc verò, quod eſt eſſe illatiuam concluſionis, non includitur formaliter eſſe cognitionem explicantem eſſentiam rei, atque ideò habitus demonſtrationis, qui cognoſcit definitionem, vt illatiuam concluſionis formaliter non cognoſcit illam vt orationem explicantem eſſentiam rei per genus & differentiam, ſed præſupponit alium habitum definitionis diſtinctum, qui illã hoc modo cognoſcit abſque ordine ad demonſtrationem; ac proinde demonſtratio non eſt obiectum attributionis reſpectu talis habitus definitionis, & conſequenter nec reſpectu totius Logicæ.

Obiiciat tertiò principaliter, cognitio aliorum 72
omnium, quæ conſiderat Dialectica, v.g. cognitio generis ex ſe ordinatur ad cognitionem prædicationis, quia genus, vt ſic formaliter eſt prædicabile, cognitio autem prædicabilis vt talis ordinatur ad cognitionē prædicationis; atque ita cognitio generis vt ſic ordinatur ex ſe ad prædicationem: ſed prædicatio eſt modus ſciendi, quia eſt oratio ignotum manifeſtans; ergo cognitio generis ordinatur ad cognitionem modi ſciendi, ergo modus ſciendi eſt obiectum attributionis Dialecticæ ex intentione ſcientiæ.

Reſpondeo non quamuis prædicationem eſſe modum ſciendi, ſed illam ſolùm, quæ manifeſtat ignotum perfectè, vt dixi in introductione ad Logicam diſp. 6. cap. 1. genus autem vt prædicabile ſolùm dicit ordinē ad quamcũmque prædicationem, ſiue quæ ignotum perfectè, ſiue quæ imperfectè manifeſtet; atque ita cognitio generis vt prædicabilis ſolùm ordinatur ad cognitionem prædicationis vt abſtrahit à perfecta & imperfecta, non verò ordinatur ad cognitionem prædicationis perfectæ, qualis præcisè eſt modus ſciendi, & ideò modus ſciendi non eſt obiectum attributionis intrinſecum etiam reſpectu illius.

Sed inſurgat, genus naturâ ſuâ ordinatur ad prædicationem ſeu propoſitionem, vt abſtrahit à perfecta, & imperfecta; ergo cognitio generis ordinatur ad cognitionem talis prædicationis; ergo talis prædicatio ſeu propoſitio vt abſtrahit à perfecta, & imperfecta, erit obiectum attributionis Dialecticæ ex intentione Scientiæ.

Reſpondeo

Respondeo vt prædicatio & propositio quatenus abstrahit à perfecta, vel imperfecta, sit obiectum attributionis Logicæ ex intentione scientiæ, necessarium esse, quod omnis cognitio Logica v.g. circa genus, naturâ suâ ordinetur ad cognitionem talis prædicationis: at verò licèt cognitio logica circa genus, quatenus est prædicabilis ordinetur ad cognitionem prædicationis, ac propositionis qua prædicatur, tamen cognitio etiam logica circa genus, quatenus est vnum præcisè rationis, & etiam quatenus est in multis à parte rei non ordinatur naturâ suâ ad prædicationem, aut propositionem; genus enim vel vnum præcisè per rationem, & vt multiplex à parte rei non dicit ordinem ad prædicationem, & eapropter prædicatio, ac propositio etiam vt abstrahit à perfecta, & imperfecta, non est obiectum attributionis Logicæ ex intrinseco ordine, & intentione scientiæ.

73 Obiiciat 4. principaliter, id est obiectum attributionis Dialecticæ ex intentione scientiæ, quod ipsa Dialectica primò & per se intendit: sed Dialectica primò & per se intendit modum sciendi, cùm primò & per se solum intendat perfectè instruere intellectum ad sciendum, quod fit præcise per modum sciendi, ergo modus sciendi est obiectum attributionis Dialecticæ ex intentione scientiæ.

Respondeo Dialecticam secundum præcipuos partiales habitus, quales sunt illi, qui terminantur ad modum sciendi, intendere primò, & per se perfectè instruere intellectum ad sciendum, atque ita primò & per se per illos intendere modum sciendi; secundum verò alios ipsius Dialecticæ habitus minus præcipuos, quales sunt illi, qui solùm terminantur ad genus, differentiam, propositionem &c. non intendere instruere perfectè intellectum ad sciendum, sed aliquo modo illum dirigere, vt sciat per rationem conficere genus, differentiam, propositionem &c. atque ita per hos habitus non intendit Dialectica primò & per se modum sciendi, sed ipsum genus, aut differentiam, & idcircò modus sciendi non est obiectum attributionis intrinsecum respectu talium habituum, ac proinde nec totius Dialecticæ.

74 ASSERTIO II. Sola demonstratio est obiectum attributionis Dialecticæ ex intentione extrinseca scientis, seu addiscentis: hoc solum intendit Vasquez supra disp. 4. cap. 1. Hurtado disp. 1. Logic. sect. 9. Arriaga disput. 2. Logic. subsect. 3. Franciscus Alphonsus disputation. vnica Procem. sect. 6. parte 3. & alij forsitan Auctores primæ sententiæ.

Probatur, cùm assignatur obiectum attributionis alicuius scientiæ ex intentione scientis, seu addiscentis, illud debet assignari, quod vltimò intentum fuit, non à quocumque addiscente, vel sciente; alioquin mille vnius scientiæ obiecta attributionis darentur, sed quod vltimò intentum est ab illo, qui princeps fuit in addiscenda, & acquirenda Dialectica: sed ab Arist. qui iuxta omnes princeps fuit in addiscenda, & acquirenda illa, vltimò intenta est sola demonstratio; nam ipse in lib. de priori resolutione cap. 1. text. 1. asserit ipsius intentionem & propositum esse de demonstratione disserere, & in lib. de poster. resolut. de demonstratione se disseruisse concludit; & etiam series librorum Arist. id indicat, quia in vltimo de demonstratione disseruit, quam quidem vltimò Aristotelem intendisse, nec aduersarij, qui tenent modum sciendi in communi esse obiectum attributionis Logicæ, audent inficiari: igitur sola demonstratio est obiectum attributionis Dialecticæ ex intentione extrinseca scientis, seu addiscentis.

Confirmatur; sciens, ac addiscens Dialecticam, id solùm vltimò & principalissimè intendit, quod est modus sciendi, ac cognitio completa rei, & magis ipsi homini connaturalis, nam ipse solus intendit rem completè, & connaturaliter scire: atqui sola demonstratio, non verò definitio est cognitio completa rei, quia sola illa rei essentiam, atque passiones cognoscit, quod est esse cognitionem completam, & sola etiam demonstratio est homini maximè connaturalis, quia sola illa est cognitio discursiua, & rationalis, quæ homini vtpote discursiuo & rationali congruit: ergo sola demonstratio, non verò definitio, aut alter modus sciendi intenditur vltimò & principalissimè à sciente, seu addiscente Dialecticam; ergo sola demonstratio est obiectum attributionis Dialecticæ ex intentione scientis, seu addiscentis.

Obiiciat aliquis primo, illud est obiectum attributionis Dialecticæ ex intentione scientiæ, quod per se intenditur: sed modus sciendi vt definitionem, diuisionem, & argumentationem comprehendit, per se intenditur à Dialectica, vt constat ex dictis n. 33. ergo modus sciendi est obiectum attributionis Dialecticæ ex intentione scientis. 76 Secundo, id est obiectum attributionis Logicæ prædicto modo, quod est obiectum dignius, & excellentius ipsius: sed modus sciendi in sua latitudine est obiectum dignius, & excellentius Dialecticæ, vt vidimus suprà num. 37. ergo talis modus sciendi est obiectum attributionis Logicæ. Tertio, definitio est digna, & perfecta cognitio rei, immò perfectior, quam demonstratio, nam demonstratio agnoscit rem diuisiuè, & per aliud; definitio verò cognoscit rem in se ipsa; hoc autem perfectius est illo, cùm hoc, non illud in diuina cognitione reperiatur: ergo definitio est spectabilis, & considerabilis, propter seipsam; ergo propter seipsam aliquando consideratur ab addiscente Dialecticam; igitur est obiectum attributionis Dialecticæ ex intentione addiscentis. Quarto, Syllogismus topicus, seu probabilis nullum habet ordinem ad demonstrationem, non enim est pars causæ, aut passio illius, ergo non consideratur ab addiscente Dialecticam in ordine ad demonstrationem, sed propter seipsum: ergo non sola demonstratio, sed etiam Syllogismus probabilis est obiectum attributionis Dialecticæ, ex intentione scientis, seu addiscentis.

Respondeo ad primum non id, quod præcisè per se intenditur à Dialectica esse obiectum attributionis Logicæ, sed id, quod vltimò & principalissimè intenditur ab illo, ad quod, cætera omnia refert; hoc autem est sola demonstratio. Ad secundum dico modum sciendi esse obiectum dignius & excellentius ex genere suo, vt supra palam expressi dicto numer. 37. in specie tamen solam demonstrationem esse obiectum principalius, & excellentius, ad quod omnia alia referuntur, & ob id sola demonstratio est obiectū attributionis Dialecticæ. Ad tertium concedo definitionem esse cognitionem rei nobilem, & perfectam; immò & perfectiorem ex modo cognoscendi ipsa demonstratione, vt argumentum ostendit; & ideò potuisse spectari, & considerari propter se à præcipuo addiscente: tamen quia demonstratio est cognitio magis completa rei, & magis connaturalis homini, est solum illa de facto vltimò intenta à præcipuo sciente, seu addiscente Dialecticam, scilicet, ab Arist. vt supra ostendimus: & eapropter sola demonstratio, non verò definitio est obiectum attributionis Dialecticæ ex intentione scientis. Ad 4. Respondeo Syllogismum topicum seu probabilem esse aliquo modo demonstrationi oppositum, atque ita habere aliquem ordinem oppositionis ad ipsam demonstrationem, & idcirco addiscens logicum Syllogismum probabilem & sophisticum cognoscit in ordine ad demon

demonſtrationem, ſcilicet vt ipſam per cognitionem contrarij meliùs ac perfectiùs penetret.

CAPVT VII.

Quid ſit diſpoſitio artificioſa quæ eſt obiectum formale Logicæ & an ab actibus diſtinguatur.

77 IN ſuperioribus diximus obiectum formale Logicæ eſſe rectitudinem quandam, & diſpoſitionem artificioſam, quam Logica præcipuè in actibus intellectus, ſeu ſecundis intentionibus obiectiuis, & minus principaliter, ſeu reductiuè in vocibus conſiderat: Quærimus modò, quidnã ſit hæc artificioſa diſpoſitio & an reipſa ab actibus intellectus ſit diſtincta? & obiter in fine quomodo à vocibus diſſideat, aperiemus.

78 Artificioſa ergo & logica diſpoſitio eſt quædam rectitudo, ſeu coordinatio actus circa directionem logicam. Hæc autem eſt duplex, alia eſt actus in ordine ad ſuum obiectum, altera eſt vnius actus in ordine ad alterum, diſpoſitio actus in ordine ad ſuum obiectum eſt ipſemet actus, vt hoc vel illo modo tendens in ſuum obiectum iuxta regulas Dialecticæ, vt quando cognoſcimus animal eſſe genus, hominem eſſe ſpeciem, in quibus artificium logicum, ſeu diſpoſitio artificioſa erit, cognoſcere animal vt habet eſſe in noſtra apprehenſione, vt diſtinctum ab ſpeciebus & hominem ſine indiuiduis, & illa formalitas ſe tenens ex parte obiecti provt reſultat ex cognitione intellectus; quæ ſecunda intentio vocatur formaliter diſpoſitio artificioſa in actu in ordine ad ſuum obiectum, quæ ſuo modo inuenitur in definitione, diuiſione, & argumentatione ſyllogiſmo, demonſtratione, & aliis, quæ à Logica conſiderantur.

79 Diſpoſitio artificioſa vnius actus in ordine ad alium, eſt quod vnus actus ſit alio prior, & alius ſit illo poſterior: hæc autem diſpoſitio, alia eſt, qua vnus actus eſt prior, & alius eſt poſterior, prioritate ſolùm, & poſterioritate naturæ, & cauſalitatis, quo pacto aſſenſus præmiſſarum ſunt priores aſſenſu concluſionis, & iſte eſt ipſis poſterior naturâ, quia aliquo modo pendet ab illis, ac proinde inter hos aſſenſus hæc diſpoſitio artificioſa inuenitur: alia diſpoſitio eſt, qua actus vnus eſt prior, & alius poſterior prioritate, & poſterioritate realis durationis; quo pacto actus præmiſſæ qui dicitur maior, prior eſt in duratione alio actu alterius ſequentis præmiſſæ, qui dicitur minor & iſte eſt poſterior illo; ac proinde iſti præmiſſarum actus ſeruant hanc artificioſam diſpoſitionem inter ſe, & hoc modo in definitione diuiſione, demonſtratione, & aliis, de quibus agit Logica. Nunc videamus, qua ratione hæc artificioſa diſpoſitio ab ipſis actibus diſtinguatur.

80 ASSERTIO I. Diſpoſitio artificioſa actus ad ſuum obiectum, vt in hac, Animal eſt genus: definitio explicat eſſentiam rei, &c. non diſtinguitur reipſa ab entitate ipſius actus, ſed tantùm ratione. Eſt contra quoſdam Recentiores aſſerentes hanc diſpoſitionem artificioſam eſſe formam aliquam ab actuum entitate diſtinctã reipſa, vt impugnat Hurtado diſp. 1. Logicæ ſect. 6. & à nobis etiam facilè impugnatur, & noſtra concluſio ſtabilitur: Nam diſpoſitio artificioſa definitionis (& idem ſeruata proportione de aliis dico) eſt repræſentare rem per genus, & differentiam: ſed hoc præſtat per actum intellectus indiſtinctum ab ipſa definitione; ergo paſſim directio definitionis re ipſa non diſtinguitur à ſubſtãtia actus, ſed tantùm ratione, provt in noſtra apprehenſione habet eſſe; nã animal eſſe genus, & hominem ſpeciem, repræſentat actus intellectus vt abſtractos à ſuis inferioribus: ſed ad hoc non eget aliqua forma reali: ergo definitionem conſtare genere, & differentia, & actum repræſentare genus, ſpeciem, differentiam, demonſtrationem, & alia, habet per ſe ipſum, ergo diſpoſitio artificioſa non eſt aliquid à ſubſtantia actus reipſa diſtinctum, ſed tantũ ratione, quatenus per ſecundam intentionem ordinãtur artificioſè in ordine ad ſuum obiectum, ſecundum ſtatum, quem in noſtra apprehenſione habent eſſe.

ASSERTIO II. Diſpoſitio artificioſa vnius actus reſpectu alterius, qua vnus actus eſt prior, & alius poſterior, quaſi natura, & cauſalitate, præcisè non eſt etiam reipſa diſtincta ab entitate actuum. 81

Probatur eſſe aſſenſus præmiſſarum priores, hoc modo, aſſenſu cõcluſionis, nihil eſt aliud, quam quòd ij aſſenſus moueant ad illum, & inferant illum; & eſſe aſſenſum concluſionis, hoc modo, poſteriorem aſſenſu præmiſſarum, nihil aliud eſt, quàm quod is aſſenſus pendeat, & inferatur ex illis: atqui aſſenſus præmiſſarum præcisè, & per ſe ipſos mouent materialiter intellectum ad aſſenſum concluſionis, & illum inferunt & aſſenſus etiã concluſionis per ſe ipſum formaliter ex directione, & diſpoſitione artificioſa pendet, & infertur ex præmiſſis logicè diſpoſitis, vt longiùs dicam in tract. de priori reſolutione: ergo diſpoſitio artificioſa, qua aſſenſus præmiſſarum ſunt hoc modo priores aſſenſu concluſionis; & vt hic ſit poſterior illis, non diſtinguitur reipſa ab entitate ipſorum actuum, ſed tantùm ratione noſtra, quatenus in ipſa habent eſſe artificioſè ſubiectum, prædicatum, genus, &c. ergo hæc diſpoſitio artificioſa præmiſſarum & concluſionis, & è contra ſola ratione diſtinguitur à ſubſtantia ipſorum actuum.

ASSERTIO III. Diſpoſitio artificioſa, qua vnus actus eſt prior, & alter poſterior in duratione reali reipſa diſtinguitur ab entitate actuum tanquã modus à re, & ſi hoc intendant prima aſſertione Recentiores ibi commemorati libenter cum illis conuenio. 82

Probatur in hoc ſyllogiſmo, *Omne rationale eſt riſibile, omnis homo eſt rationalis, ergo omnis homo eſt riſibilis*, actus præmiſſæ, qui eſt maior & prior alio actu præmiſſæ, potuit eſſe poſterior, & minor, & è contra, actus præmiſſæ, qui modo eſt minor, & poſterior altero actu præmiſſæ potuit fieri maior, & eſſe prior illo, potuit enim ſic formari ſyllogiſmus, *Omnis homo eſt rationalis, omne rationale eſt riſibile, ergo omnis homo eſt riſibilis*, quo pacto maior & minor tranſmutantur; tum ſic poſſunt manere idẽmet actus quoad entitatẽ, & non manere quod diſpoſitionem artificioſã prioris & poſterioris in duratione inter illos, ergo hęc diſpoſitio prioris & poſterioris diſtinguitur reipſa ab entitate actuũ: & vrgetur, quia hæc diſpoſitio artificioſa prioris, & poſterioris in duratione non diſtinguitur ab actuum entitate, vt modus à re, vt oſtendã in Phyſica lib. 4. diſp. 3. c. 4. ergo hæc diſpoſitio artificioſa prioris & poſterioris diſtinguitur reipſa ab entitate actuum.

Hæc autem quæ diximus de artificioſa diſpoſitione conceptuũm, dictum etiam puta ſuo modo de vocum diſpoſitione; nam in illis par, ac in conceptibus diſpoſitio, & artificium reſplendet quoad logicam directionem, quamuis non ita perfectè, ſed minus principaliter, ſeu reductiuè, vt alij loquuntur, à quibus non multum diſſideo. 83

Obſeruandum tantum cum vtriſque, voces hoc vel illo modo ad obiectum formale reducentes, diſpoſitionem artificioſam vocis etiam in ordine ad ſuum obiectum, ſeu rem ſignificatam reipſa à vocis entitate diſtingui: quia talis vocis diſpoſitio in ordine ad obiectum ſeu rem ſignificatam, nihil eſt aliud, quã voces hoc vel illo modo artificioſè ſignificare talẽ rem; vocem autem quocumque modo ſignificare rem, eſt à parte rei quid diſtinctum ab ipſa entitate vocis, eſt enim ſignificatio illius extrinſeca quædam denominatio à primorum inſtitutorum impoſitione proueniens: atque ita diſpoſitio artificioſa

vocis etiam in ordine ad rem significatam, reipsa distinguitur ab entitate vocis: quapropter voces artificiosæ significantes si speculatiue sumantur secundū earum entitates sunt tantùm obiectum materiale Logicæ, sicut & res significatæ, quia non propter seipsas entitatiuè solùm, sed propter eam significationem artificiosam, quæ in illis reperitur, considerantur à Logica: si autem accipiantur, vt artificiosè significantes reduplicatiue, & formaliter, sunt obiectum formale, modo supra explicato cap. 4. num. 28. quia vt sic artificiosam dispositionem includunt.

DISPVTATIO II.

De Dialectica secundum se, & in ordine ad suum obiectum.

TRIA capita continebit; in primo inquiro, quid Logica Docens, quid Vtens, & an vtraque scientia sit. In secundo, an Logica sit speculatiua, anve practica. In tertio, an Logica sit vna qualitas simplex, an ex pluribus habitibus composita.

CAPVT I.

Quid Logica docens, quid vtens, & an vtraque scientia sit.

MAgnum dissidium authorum est in explicanda illa celebri diuisione Logicæ, in Docentem, & Vtentem, quam tradunt Arist. D. Th. 4. metaph lect. 4. Scotus q. 1. prædicabilium, & communiter omnes Recentiores: sed quia vt res ipsa leuis, & solum de voce dissensio est, aliorum placitis prætermissis, quod in hac materia verosimilius censeo, breuiter in medium proferam.

1 Dialectica docens est illa formalis directio Logicæ, quæ intellectum formaliter edocendo dirigit, & regulat actum cuiuslibet scientiæ. Dialectica verò vtens est actus cuiusuis scientiæ directus, & regulatus à Logica docente, qui vtitur, & quasi possidet obiectiuè illam formalem logicam directionem, quæ supra illum cadit, & illa quasi vestitur, & directus ac regulatus denominatur: ita P. Vasquez 1. p. disp. 8. cap. 5. n. 19. Complutenses, Conimbricenses, Hurtado, Arriaga, Franciscus Alphonsus, & plerique Recentiores.

Ex quo primò fit Logicam vtentem duo includere, alterum pro materiali; alterum pro formali: pro materiali includit actum cuiuslibet scientiæ, qui dirigitur, & regulatur à Logica: pro formali verò dicit ipsam formalem logicam directionem, qua vtitur actus scientiæ, & formaliter directus denominatur.

Fit secundò, Dialecticam vtentem solum secundum materiale, non verò secundum formale quod includit, à Dialectica docente dissidere, Probatur; Dialectica vtens dicit pro materiali actus cuiuscumque scientiæ siue Physicæ siue Metaphysicæ, directus à Logica, & pro formali ipsam formalem logicam directionem, vt nuper diximus: sed actus Physicæ aut Metaphysicæ distinguitur à Logica docente, vt omnes fatentur, formalis vero directio logica non dissidet à Dialectica docente, sed est ipsamet Dialectica docens, vt dictum est: ergo Dialectica vtens solum secundum materiale, non verò secundum formale, quod includit, dissidet à Dialectica docente.

Tertiò fit aliquando Dialecticam vtentem, etiam secundum materiale, quod includit, à Dialectica docente non distingui. Probatur, idemmet actus demonstratiuus Logicæ, quo ipsa verbi gratia tradit, & docet proprietates modi sciendi, est formalis directio Logicæ, atq; & Logica docens, & etiam est directus & regulatus ab alio actu eiusdem Logicæ, quo ipsa docet quomodo facienda sit demonstratio, ac proinde respectu illius est Logica vtens, saltem quoad materiale; ergo idemmet actus potest esse Logica docens, & Logica vtens, quoad materiale; ergo Dialectica vtens etiam secundum materiale aliquo modo non distinguitur à Dialectica docente.

Hæc autem dicta sunt de Dialectica docente, & 2
vtente actuali. Quærimus ergo nunc, an & quid sit Dialectica docens, & Dialectica vtens habitualis? arbitror sane dari à parte rei Dialecticam docentem habitualem esseq; habitum illum, qui inclinat ad formalem dirigendam actionem logicā actuum intellectus, nullam verò dari Dialecticam vtentem habitualem. Et quidem dari Dialecticam docentem habitualem, nullus est, qui dubio vertat: illum verò esse habitum illum, qui per se inclinat ad directionem formalem, patet; quia Dialectica docens habitualis est illa, quæ habitualiter docet, & dirigit logicè: sed non potest aliquid habitualiter logicè docere, & dirigere, nisi sit habitus inclinans, & efficiens ipsam actualem doctrinam, & Logicam directionem formalem, vt talis formalis directio est: ergo habitualis Dialectica docens est habitus ille, qui inclinat, & efficit logicam doctrinam ac directionem formalem, vt talis formalis directio est: nullam autem dari Logicam vtentem habitualem, sic monstro; Logica vtens habitualis est habitus physicè inclinans & efficiens actualem vsum, hoc est actum aliquem vt directum, & regulatum per directionem formalem: atqui nullus est habitus physicè inclinans & efficiens actum aliquem vt directum, & regulatum per directionem formalem: ergo nulla datur Dialectica vtens habitualis. Porro nullum dari habitum, qui per se physicè inclinet, & efficiat actum aliquem vt directum & regulatum, sic probo; Nullum principium potest efficere actum, vt actū directum & regulatum formaliter per aliquam regulam, nisi ipsum principium in actu primo, per illā regulā aliquo modo dirigatur, & reguletur; ideò homo non potest elicere actum, vt actū, & formaliter congruum legi, & regulatum per legem, nisi ipse homo in actu primo, cognoscat legem, & per illam dirigatur & reguletur: sed nullus datur habitus, qui in actu primo per directionem logicam reguletur, & dirigatur, sola enim creatura rationalis, & intellectiua capax est talis directionis, vt constat; ergo nullus datur habitus, qui per se efficiat aliquem actum, vt directum & regulatum per directionem logicam; ac per consequens nulla datur, immò nec dari potest Dialectica vt vtens habitualis.

Sed quærat quis, an de Dialectica docente, & vtente, eodem modo loquendum sit in omni parte Dialecticæ, siue demonstratiua, siue topica seu probabili, aut sophistica? Respondeo eodem modo seruata debita proportione in omni parte Dialecticæ discurrendum, & loquendum esse. 3

Pro cuius maiori explicatione aduerto tres esse Dialecticæ partes; aliā Demonstratiuam, quę docet demōstratiuè differere; de qua in libris Analyticorum: aliam esse Topicam, seu probabilem, quæ docet ex probabilibus principiis probabiliter arguere; de qua in Topicorū libris: aliam esse Sophisticam, quæ docet fallaciter arguere, & sophisticè disputare; de qua in libris Elenchorum Arist. disseruit. In Dialectica quidem demonstratiua ipse habitus, & actus docens demonstratiuè differere, erit Logica docens: actus verò cuiusuis scientiæ per hanc Dialecticæ demonstratiuæ directionem regulatus, & directus, erit Dialectica vtens: Similiter in Dialectica topica seu probabilis, ipse habitus docens probabiliter arguere, erit Logica docens, actus verò seu syllogis-

mus

mus probabilis per illam Dialecticæ topicæ directionem regulatus,& directus, erit Dialectica vtens:Denique in Dialectica sophistica ipse habirus , qui docet fallaciter disputare,erit Logica docens;actus verò aut syllogismus fallax , & sophisticus per illam Dialecticæ Sophisticæ directionem regulatus,& directus erit Logica vtens.

Ex quo colligitur, qua ratione iuxta Philosophorum axioma Logica docens sit à rebus auulsa ; & vtens rebus concreta : quia scilicet illa præcepta tradit abstrahendo ab hac , aut illa materia reali ; hæc verò illa præcepta exequiritur circa aliquam realem, & determinatam materiam , quam quiuis actus à Logica directus verè pertingit. Sic ex Arist. D. Tho. 4.metaph.lect.4.Complutenses quæst.4. numero 37. & communiter Recentiores. His præmissis circa Logicam docentem,& vtentem ; examinare oportet, an vtraque verè & propriè scientia sit.

4 ASSERTIO I. Dialectica docens est verè & propriè. Hæc est sententia Arist. D.Aug.& D.Thomæ.4. metaph lect.4. Complutensium quæst.5.numero 48. qui citant D.Isidorum,Scotum quæst.1.prædicabiliũ, Sotum,Toletum, Sanchez Masium.Hanc tenent Conimbr.quæst. 4. Procemialium articulo.... Hurtadus disp.2.sect.2.Ioannes à S.Thoma. Carleton disput.9. Logicæ sect.1. Arriaga disput.3.sect.2. Pereira, Fonseca & nouissimè Franciscus Alphonsus disp. vnica procemialium sect.4.num.47. & est communis inter omnes Recentiores aduersus Themistium & alios quosdam Philosophos qui Logicam esse scientiam inficiati sunt.

Probatur , scientia propriè & strictè , est euidens cognitio obiecti ex principiis euidentibus,ex quibus euidenter infertur:sed Logica agnoscit euidenter obiectum ex principiis euidentibus, ex quibus euidenter infertur : ergo Logica est verè, & strictè scientia. Minor probatur, Logica cognoscit euidenter v.g. definitionem esse clariorem suo definito , & euidenter deducit ex principiis euidentibus,nempe ex eo quod definitio est manifestatio & declaratio essentiæ definiti,& non potest aliqua res nisi per aliam clariorem manifestari;ex quibus euidenter infertur definitionẽ esse clariorem ipso definito , & alia hoc etiam modo cognoscit : ergo Logica cognoscit euidenter suum obiectum ex principiis euidentibus , ex quibus euidenter infertur : Et confirmatur inductione;nam Logica in lib. de diuisione , & definitione demonstrat definitionem debere esse clariorem suo definito , & membra diuidentia non debere continere totũ quod diuiditur:& in lib.priorum,probat vim & efficaciam concludendi ex illis principiis dici *de omni*,& dici *de nullo* &c. in lib de poster. resolutione , ostendit demonstrationem generare scientiam:in lib.top. Syllogismum probabilem generare opinionem ; & Sophisticum,errorem;& alia plura, quæ in eius libris inueniuntur ; ergo Logica docens,quoad omnes istas partes est verè & strictè scientia. Hanc consequentiam probo,quia Logicæ cognitio æqualem ac infallibilem connexionem habet cum suis principiis in deducenda conclusione Sophistica,& probabili, quam in demonstratiua : quia sicut est euidens syllogismum euidentem generare scientiam,ita est euidens probabilẽ generare opinionem ; & Sophisticum,errorem:ergo quoad omnes istas partes est verè, & propriè scientia.

Obiiciat aliquis,Arist.2.metaph.cap.3. qui ait,ab-
5 surdum esse simul quærere scientiam,& modum sciẽdi : atqui nomine modi sciendi , vt ibidem explicat D. Thom. intelligit Dialecticam : ergo Arist. sentit Dialecticam non esse scientiam,aliàs addiscens Dialecticam simul quæreret scientiam,& modum sciendi, quod ipse Philosophus non admittit. Deinde Logica etiã differit de syllogismo probabili,& de Sophistico, qui solum generant opinionem , & errorem : ergo Logica saltem ex hac parte non est scientia.

Respondeo dupliciter,primò,Aristotelem nomine *Scientiæ* non intellexisse scientiam in omni sua latitudine,ita vt sub illa contineretur Logica ; sed scientiam realem, quæ de rebus huius vniuersi differit, & non tradit modum sciendi;ante quam docet addiscendam esse Dialecticam, quæ cum rationalis scientia sit, rectum sciendi, & ratiocinandi modum erga regulas differendi realibus scientiis præscribit. Secundò, clariùs Respondeo Aristotelem solùm docuisse, absurdũ esse quærere simul scientiam, & modum sciendi pro ea ipsa scientia ; & ita est absurdum quærere simul Logicam,& alias scientias,ad quas Logica est modus sciendi;non verò docuisse, absurdum esse simul quærere modum sciendi, & scientiam, quæ in ipso modo sciendi imbibitur : & Logica , etsi sit modus sciendi ad alias scientias , non tamen est modus sciendi ad seipsam : & hæc videtur vera Arist. mens. Ad aliud, quod additur , dico scientiam non esse illam , qua cognoscitur actus scientificus,sed qua cognoscitur scientifice , hoc est euidenter, & per principia euidentia, quæcumque res;siue sit actus scientificus, siue probabilis siue Sophisticus:ergo cũ Dialectica siue scientificè,siue demonstratiuè cognoscat,quæ requiruntur ad syllogismum probabilem vel Sophisticum , idcircò etiam vt agit de illis,est verè & propriè scientia.

ASSERTIO II. Dialectica vtens secundum ma- 6
teriale præcisè quod includit , aliquando est scientia, aliquando non est scientia.

Probatur , Dialectica vtens pro materiali includit actum directum , & regulatum per logicam formalẽ directionem,vt dixi n.1. Sed iste actus regulatus aliquando est demonstratiuus,qui est verè scientia ; aliquãdo verò est solum probabilis,vel Sophisticus, qui non est scientia,sed opinio, vel Sophisma;ergo Dialectica vtens secundum materiale præcisè, quod includit,aliquando est scientia,aliquando non est scientia.

ASSERTIO III. Logica vtens,vt vtens secundum 7
materiale quod dicit , non est scientia, & vt denominatur per formale:est communissima.

Probatur, materiale Dialecticæ vtentis,v. g. actus aliquis Metaphysicæ solum denominatur per formale, nimirũ per directionem Logicam formaliter directus, & regulatus:sed esse actum formaliter directũ & regulatum,etiam per scientifica directionem Logicam non est formaliter esse scientiam,sed ad summũ esse scientificè cognitum,atq; ita obiectum scientiæ:ergo Dialectica vtens secundum materiale,quod dicit,vt denominatur per formale, non est scientia. Quæ quidem adeò perspicua sunt,vt non videam,quid ponderis aduersus illa obiici possit.

ASSERTIO IV. Dialectica vtens secundũ formale 8
præcisè quod includit,est verè,& propriè scientia.

Probatur , Dialectica vtens includit pro formali ipsam formalem directionem Logicam, atque ita secundũ formale præcisè non distinguitur à Dialectica docente,vt ostendi n.1.Sed Dialectica docens est verè & propriè scientia,vt ostendi num.4.ergo Dialectica vtens secundum formale præcisè quod includit , est verè & propriè scientia. Alia fusiùs in Auctoribus.

CAPVT II.

An Logica sit speculatiua,an vè practica.

9 HAbitus speculatiuus est ille , qui est principium actus speculatiui ; habitus verò practicus est ille qui est principium actus practici;habitus autem partim practicus, & partim speculatiuus , ille est, qui est principium actus practici , & principium actus speculatiui. Aliis verbis ex Arist. 2. metaph. cap. 7. & D. Thom. opusc. 70. quæst. 5. articulo 1.

1. part. quæst. 14. articulo 6. & Vasquez 1. part. disp. 8. cap. 5. habitus speculatiuus est ille, cuius finis est veritatis cognitio, quin vlteriùs progrediatur ad opus; habitus verò practicus est ille cuius finis est operatio. Quærimus nunc an Logica sit solum speculatiua, vel tantum practica, vel practica & speculatiua simul.

10 Tres adinuenio sententias: prima asserit Logicam esse simul practicam & speculatiuam: ita Vasquez 1. part. disput. 9. cap. 1. Suarez disput. 44. metaph. sect. 13. Rub. quæst. 5. Procem. Conimbr. quæst. 4. Procem. artic. 5. qui licèt videantur asserere Logicam esse purè practicam; expresse tamen admittunt habere actus speculatiuos, ac proinde ex parte esse speculatiuam, Rub. quæst. 5. Cabrero disp. 3. dub. 3. Hurtado disput. 2. sectione secunda, Murcia quæst. 3. & alij multi.

Secunda sententia absolutè docet, Logicam omninino esse practicam: ita Gabriel Ocham. Albertus, Fonseca 2. metaph. cap. 3. quæst. 2. Gregor. Aureol. Conimbr. quæst. 4 Procemialium Murcia disp. 1. quæst. 4. Raphael de Auersa quæst. 1. sect. 6. Roderic. Arriaga disp. 3. subsect. 2. Franciscus Alphonsus disput. vnica procemialium sect. 8. part. 3. Paulus Venetus, Iandunus 6. metaph. quæst. 5. Antonius Bernardus, Mirandulanus lib. 5. Apologiæ sect. 13. Aureolus apud Capreolum quæst. 2. prob. Greg. Arrimino q. 5. Antonius Andreas, Soncinas.

Tertia sententia asserit, Logicam esse scientiam speculatiuam præcisè, ita Scotus quæst. 4. Proleg. Soto quæst. 4. Procem. Toletus ibid. habet fundamentum in Arist. in D. Aug. de ciuitate Dei cap. 4. hanc tenet expresè D. Thomas variis in locis infra citandis, cui subscribunt omnes Thomistæ, Capreol. Conradus Torres, Nauarrete, Zenardus, Ioannes à S. Thoma, Masio Lerma, & Complutenses disp. 1. quæst. 6. citatis multis.

11 Præmitto 1. scientiam propriè practicam esse *cognitionem operis factibilis ab ipso sciente ad eiusdem operis effectionem dirigens per se, & immediatè.* Cuius definitionis particulæ explicandæ sunt, *cognitionem operis factibilis*, nam cognitio rei non factibilis v.g. notitia Dei, non est practica, sed purè speculatiua, cùm non possit transire ad operationem, quod est de ratione notitiæ practicæ, vt docet Arist. 2. metaph. cap. 2. dicens finem scientiæ practicæ, esse opus; sicut speculatiuæ, veritatem ab ipso sciente: id est, quòd opus, quod factibile cognoscitur fieri possit ab illo, in quo talis cognitio est; etenim licèt Physicus cognoscat modum quo progignitur Rosa, & grandines generantur, talis cognitio Philosophica, vt omnes admittunt, non est verè practica, sed speculatiua; quia nec rosa, nec grandines sunt factibiles ab ipso sciente, scilicet Philosopho, requiritur ergo ad rationem scientiæ practicæ, quòd sit cognitio operis, vel rei factibilis ab ea persona, in qua talis scientia residet: *ad eiusdem operis effectionem dirigens*, hoc est ad rationem scientiæ practicæ desideratur, quòd dirigat operantem ad actu efficiendum illud ipsum opus, quod talis scientia habet pro obiecto, & per illam vt factibile cognoscatur: quantumuis enim aliqua scientia dirigat ad opus aliquod efficiendum, si tamen illud opus per talem scientiam vt factibile non cognoscitur, talis scientia, seu cognitio erit speculatiua, non practica. Ratio est, quia omnis scientia, aut cognitio boni, seu mali, dirigit, & mouet voluntatem ad actum amoris, vel ad actum odij circa illud, etsi talis actus per illam cognitionem vt factibilis non concipiatur: & tamen non omnis cognitio boni, aut mali, est practica, vt omnes tenentur concedere; aliàs nulla esset scientia speculatiua: ergo ad rationem cognitionis, & scientiæ practicæ non sufficit, quòd quoquomodo dirigat ad opus aliquod efficiendum; sed necessariò desideratur, quòd dirigat ad efficiendum illud idem opus, quod per illam vt factibile cõcipitur per se. Duo autẽ requirũtur ad hoc vt aliqua scientia sit propriè, & per se dirigens: primùm quòd ostendat modum factibilitatis operis, quod purum cognoscitur: secundum, quòd per se ad illud opus efficiendum iuuet, & concurrat; licèt enim cognitio aliqua opus vt factibile demonstret, si ad eius operis effectionem per se non iuuet, non erit propriè, & per se cognitio dirigens ad illud: nam siquis clarè cognoscat modum, quo in ipso nutritio fit, talis cognitio monstrabit illi, modum factibilitatis ipsius nutritionis, vt constat; & tamen talis cognitio iuxta omnes non erit propriè, & per se dirigens ad nutritionem; non ob aliam rationem, nisi quia nutritio est necessaria, & omnino à tali cognitione independens; atque ideò cognitio illa per se ad nutritionem non iuuat: ergo ad rationem cognitionis propriè & per se dirigentis non solum requiritur, quod monstret factibilitatem rei, sed etiam quòd ad eius effectionem per se iuuet & concurrat. Scientia igitur vt propriè practica sit, debet esse ratio dirigens, & ad efficiendum opus, quod per illam concipitur, per se iuuare & concurrere; & hoc est, quod communiter dicitur, nempe, scientiam practicam cognoscere rem operabilem modo operabili: id est, non solum rem factibilem considerat, sed ad eius etiam operationem & effectionem per se iuuat & concurrit: similiter hoc solum sonat, quod supra ex Aristotele retuli, scilicet finem notitiæ practicæ esse opus; nimirum, quia non tantum opus ipsum contemplatur, sed etiam ad tale opus efficiendum per se dirigit: & immediatè, ad rationem quippe cognitionis practicæ non sufficit, quòd dirigat per se ad opus media alia cognitione, quæ ex illa per se inferatur; sed requiritur quod ipsa per se immediatè ad illud dirigat etiam, vt notauit Molina 1. part. quæst. 1. artic. 4. disp. 1. notitia, qua quis cognoscit, Deum esse bonum summè amabile, media ista alia cognitione, Deus est summè amandus, quæ ex illa infertur per se, dirigit mediatè & per se ad amorem Dei; & tamen talis cognitio prior non est practica, sed speculatiua: ergo ad rationem notitiæ practicæ requiritur, quod dirigat ad opus etiam immediatè. Ex hac definitione sic explicata dignoscitur, quid sit praxis: est quidem praxis Græcè, Latinè operatio, seu opus; non quodcumque, sed id, quod est factibile ab aliquo iuxta scientiam in ipso residentem, & dirigentem per se, & immediatè ad illud, hoc enim opus est obiectum scientiæ practicæ, vt vidimus, cum quo vera, & propria praxis conuertitur.

12 Hinc deprehendere licet quid scientia, ac cognitio speculatiua sit, quid etiam speculatio obiectiua. Cognitio speculatiua est, cui aliquid deest ex requisitis ad rationem scientiæ practicæ, nempe notitia illa, qua quis cognoscit obiectum seu rem non factibilem absolutè, vt cognitio Dei; vel rem non factibilem ab ipso sciente, vt cognitio rosæ factibilis à Deo, quam Physicus habere potest; vel notitia rei factibilis, quæ ad eius effectionem per se non dirigat, vt cognitio modi, quo nutritio potest fieri; vel cognitio dirigens per se ad opus, non tamen immediatè & proximè, sed remotè & mediatè, vt constat ex dictis; & hoc est, quod vulgò dicitur, cognitionem ac scientiam speculatiuam in pura obiecti contemplatione persistere, nõ cognoscere illud modo operabili, & finem illius esse tantũ veritatẽ, vt ex definitione Arist. colligitur: quia licet opus cognoscat, & aliquãdo vt factibile; ad eius tamẽ effectionẽ per se nõ dirigit, neq; cõcurrit. Ex hoc autẽ iam cõstat quid sit speculatio obiectiua, seu obiectum speculatiuum, est quidẽ vel res non factibilis,

vel

vel non factibilis ab ipſo ſciente, vel etſi factibilis ab operante, non tamen factibilis iuxta directionem ac cognitionem illius per ſe immediatè, hoc enim eſt obiectum ſcientiæ ſpeculatiuæ, vt iam probaui, quod idem eſt ac ſpeculatio obiectiua.

Præmitto ſecundò, quando aliqua potentia ſeu cauſa eſt ex ſe omninò determinata, & neceſſitata ad operandum media cognitione operis factibilis, tanquam omnino requiſita, ſiue illa neceſſitas ſit ſolum quoad ſpeciem, quia cauſa ſi actu operetur, non poſſit errare, ſiue ſit etiam quoad exercitium, quia abſolutè non poſſit non operari talem cognitionem operis factibilis, à qua cauſa illa in operando dependet, eſſe verè, & proprie practicam: ita Molina ſuprà citatus diſp. 1. ad finem, & omnis (ni fallor) ſchola Theologorum, aſſerentium cognitionem poſſibilium in Deo, qua media producit creaturas, eſſe cognitionem practicam.

13 Probatur primò, Scientia practica eſt cognitio operis factibilis à ſciente ad eiuſdem operis effectionem dirigens per ſe & immediate, vt oſtendi num. 11. atqui in caſu noſtræ propoſitionis, ſcientia illa quâ mediâ cauſa neceſſariò producit effectum, eſt cognitio operis factibilis à ſciente ad eius effectionẽ dirigens per ſe & immediatè: ergo talis ſcientia eſt vere & proprie practica. Et quidem ſcientiam iſtam eſſe cognitionem operis factibilis à ſciente, ſupponitur; dirigere verò per ſe, & immediatè ad opus efficiendum ſic oſtendo: Illa ſcientia dirigit per ſe, & immediatè ad opus efficiendum, quæ immediate oſtendit factibilitatem operis, & ad illud per ſe, & immediate concurrit, hoc eſt, non media alia cognitione; ſi enim hoc modo cognitio aliqua per ſe concurrat, & non phyſice influendo, talis concurſus non poteſt eſſe alius niſi directiuus per ſe, & immediatè: ſed in tali caſu illa ſcientia, ſeu cognitio operis factibilis monſtrat immediatè rei factibilitatem, vt conſtat; & concurrit per ſe ad opus, quia per ſe ad eius effectionẽ requiritur; & etiam concurrit immediatè, quia alia cognitio, qua media concurrit, requiritur, vt patet ex ſuppoſitione facta: ergo talis ſcientia ſeu cognitio operis factibilis ad illius effectionem ex ſe, & immediatè dirigit, ac proinde verè eſt practica.

Probatur ſecundò, Deus ex ſe determinatus, ac neceſſitatus eſt ad operandum quamlibet creaturam media cognitione illius, vt factibilis, neceſſitatus quidem ſolum, quoad ſpeciem ſcilicet; quòd ſi applicetur ad operandum hominem, Leonẽ, vel equum, verum hominem, verum Leonem, vel verum equum, neceſſariò operabitur, ita vt nunquam poſſit errare: at ſcientia creaturæ vt factibilis, qua media Deus quamlibet creaturam operatur, eſt verè, & propriè in Deo ſcientia practica, vt communis Theolog. fert aſſenſus: ergo etiam ſi cauſa ſit neceſſitata quoad ſpeciem ad operandum media cognitione operis factibilis, talis cognitio erit verè, & propriè practica: immo addit Molina ſuprà, etſi Deus eſſet neceſſitatus quoad exercitium ad operandum (quod fertur exiſtimaſſe Ariſtotelem) quia neceſſario operaretur media cognitione creaturarum, vt factibilium, talis cognitio eſſet verè directiua, & practica, ſicuti modò eſt; vt conſtat apertè ex dictis.

14 Sed quiſpiam forſan obiiciat, tametſi quis habeat ſcientiam, qua cognoſcat ipſiuſmet nutritionem vt factibilem, & de facto nutriatur, talis cognitio per ſe non erit directiua, neque propriè practica, quia nutritio eſt operatio neceſſaria: ſimiliter quamuis Beatus per viſionem beatificam, ſciat Deum eſſe ſummè amandum, & illum de facto amore beatifico amet, talis viſio non eſt vere directiua, & practica, quia iſte amor eſt neceſſarius: denique non poteſt eſſe notitia practica, qua aliquis propriè dirigatur ad cognoſcendum verum vt verum, aut amandum bonum vt bonum, quia quiuis intellectus eſt quoad ſpeciem neceſſitatus ad cognoſcendum verum, & voluntas quæuis eſt quoad ſpeciem determinata, & neceſſitata ad amandum formaliter bonum: ergo quando aliqua potentia ſeu cauſa eſt neceſſitata quoad exercitium, vel quoad ſpeciem ad efficiendum aliquod opus, non poteſt dari cognitio propriè directiua, & practica rei illius.

Reſpondeo, hæc omnia obiecta contra noſtram 15
poſitionem non militare; ſolum enim in illa aſſerimus, quando cauſa eſt neceſſaria quoad ſpeciem, vel quando ad exercitium ad operandum, media tamen cognitione operis factibilis, & dependenter ab illa, talem cognitionem eſſe verè, & propriè directiuam, & practicam: exempla verò in obiectione adducta ſolum continent cauſas & potentias neceſſitatas ad operandum independenter omnino à cognitione ipſius operis factibilis: etenim potentia nutritiua neceſſitata ad nutritionem ſine dependentia à ſcientia qua nutritio vt factibilis cognoſcitur, & voluntas Beati ex eo præcisè, quod videat clarè Beatus Deum vt ſummum Bonum, neceſſitata eſt ad illum amandum independenter omninò ab eo quod videat, vel cognoſcat illum eſſe ſummè amandum: ac demum intellectus eſt neceſſitatus quoad ſpeciem ad cognoſcendum verum, & voluntas ad amandum Bonum cognitum etiam prorſus independenter ab alia cognitione, qua talis cognitio veri, aut amor Boni vt factibilis repræſentetur, vt omnibus in confeſſo eſt, atque ideò obiectiones iſtæ non militant contra nos; fatemur enim cognitionem, quæ per ſe requiritur ad opus neceſſarium, ſi ſit de ipſo opere factibili, eſſe vere practicam, vt oſtendi num. 13. Cognitionem verò, quæ non requiritur ad opus neceſſarium, (ſed potentia independenter à tali cognitione rei factibilis ex ſe neceſſitata eſt ad tale opus efficiendum) non eſſe propriè directiuam & practicam, vt conſtat ex exemplis in argumento adductis, & magis in ſequenti poſitione elucidabitur.

Præmitto tertiò, quando aliqua cauſa, ſeu poten- 16
tia neceſſitata eſt ad operandum, non tamen media cognitione operis factibilis, vt requiſita ad tale opus, ſed independenter ab illa, ſiue neceſſitata ſit quoad exercitium, quia non poteſt non operari; ſiue ſolum quoad ſpeciem, quia ſi non operetur, non poſſit errare in illo opere efficiendo; cognitionem illius operis, vt factibilis, etiam ſi in illa cauſa dum operatur exiſtat, non eſſe verè & propriè practicam: ita idem Molina ſupra non longè à principio, Pereira lib. 1. ſuæ Philoſophiæ, & Recentiores doctiſſimi.

Probatur clarè, ſcientia propriè practica eſt cognitio operis factibilis à ſciente ad eius effectionem per ſe dirigens, vt oſtendi num. 11. Sed in noſtro caſu, quando ſcilicet cauſa neceſſitata eſt ad operandum independenter à cognitione operis factibilis, talis cognitio non eſt per ſe dirigens ad operis effectionem: ergo non eſt practica. Probatur minor, cognitio per ſe, dirigens ad operis effectionem eſt illa, quæ formaliter oſtendit factibilitatem talis operis, & ad effectum efficiendum per ſe iuuat, & concurrit vt ſæpè docuimus: atqui prædicta cognitio operis factibilis in illo caſu non concurrit, nec iuuat per ſe ad opus illud efficiendum: ergo ad operis effectionem non eſt per ſe dirigens. Probo minorem: tunc aliqua cognitio operis factibilis iuuat, & concurrit per ſe ad ipſum opus efficiendum, quando requiritur, vel ad hoc vt opus ſimpliciter fiat; vel ad hoc vt melius fiat, hoc eſt ſine periculo errandi; non enim apparet aliud, ad quod

talis cognitio possit per se iuuare & concurrere : sed in nostro casu cognitio illa operis factibilis non requiritur ad hoc vt opus simpliciter fiat : nam supponimus caussam esse potentem & determinatam ad sic operandum independenter à tali cognitione , nec etiam requiritur ad hoc , vt opus melius fiat,scilicet sine periculo errandi ; nam etiam supponimus causam etiam quoad speciem esse determinatam ad sic operandum : atque ita non posse errare absque tali cognitione: ergo talis cognitio operis factibilis non iuuat,nec concurrit per se ad illud opus efficiendum; ac proinde, neque per se dirigit , neque est practica. Confirmatur ; Angelus etsi habeat cognitionem reflexam,qua clarè cognoscat plures eius intellectiones, vt factibiles,& de facto has intellectiones eliciat,illa reflexa cognitio non erit propriè practica, vt quisque facilè admittet ; sed non ob aliam rationem, nisi quia Angelicus intellectus quoad speciem determinatus,& necessitatus est ad eas intellectiones eliciendas independenter ab illa reflexa cognitione : ergo quando causa determinata, & necessitata est , saltem quoad speciem ad opus independenter à cognitione illius operis factibilis,talis cognitio non erit propriè practica. Idem etiam argumentum fieri potest de cognitione Philosophica qua Philosophus cognoscit factibilitatem actuum sui intellectus,vt vitalium quæ quidem iuxta omnes non est practica , sed speculatiua ; quia illius intellectus est quoad speciem necessitatus ad eliciendos actus vitales,vt vitales independenter ab illa cognitione Philosophica de factibilitate illorum. Idem apertè monstratur exemplis adductis suprà n.14.

17 Sed instet quis ; cognitio prudentiæ , quæ dictabat animæ Christi Domini esse eliciendum actum bonum , v.g. voluntatem moriendi pro salute hominum,erat verè practica ; nam omnis prudentialis cognitio iuxta omnes semper est practica ; & tamen anima Christi independenter ab illa prudentiæ cognitione, & dictamine,ratione vnionis cum Verbo, erat necessitata quoad speciem ad eliciendum actum bonum ; ita vt non posset actum malum elicere, neque errare : ergo licet causa aliqua , seu potentia sit quoad speciem necessitata ad operandum independenter à cognitione operis , vt factibilis, talis cognitio operis poterit esse practica.

Respondeo,animam Christi secundum se præcisè acceptam, ac ratione sui formaliter posse actum malum elicere,& in errorem prolabi,licet ratione vnionis cum Verbo,quæ ei supernaturaliter conuenit, & à qua perfectissimè sanctificatur, sit quasi accidentaliter incapax ad errandum,aut actum malum aliquem eliciendum ; vnde cùm cognitio prudentiæ dictans actum bonum esse eliciendum , respiciat animam Christi non vt terminatam per vnionem Verbi, quo pacto est incapax erroris , sed ipsammet animam secundum se, & ratione sui præcisè,qua ratione est capax erroris,& non necessitata ad actum bonum,ideo talis cognitio prudentiæ potest per se animam Christi dirigere ad actum bonum eliciendum sine periculo erroris , atque ita talis cognitio est practica ; tunc autem anima Christi est ex duplici cap. libera ab errandi periculo, & ratione vnionis qua à Verbo diuino terminatur, & ratione etiam cognitionis prudentiæ, quam sequitur, & à qua dirigitur , & regulatur; at verò cum aliqua causa secundum se essentialiter, & ratione sui est quoad speciem determinata, & necessitata ad operandum independenter à cognitione operis factibilis , vt videre est in exemplis supra adductis n. 14. & 16. talis cognitio operis non potest per se dirigere causam illam ad opus efficiendum sine errore cum ipsa causa per se , & essentialiter omnis erroris incapax circa opus illud efficiendum supponatur , ac proinde talis cognitio non potest esse practica.

Præmitto quartò , ad rationem scientiæ practicæ 18
vt sic per se , & formaliter non requiri , quod sit cognitio operis factibilis à potentia , quæ per se possit errare in eo opere eliciendo. Ita Molina, & Theologi supra num. 13. & colligitur apertè hæc positio ex ibi dictis : Probatur,scientia practica,vt sic per se ac formaliter est cognitio operis factibilis à sciente ad eius effectionem per se dirigens, atqui hæc omnia saluari possunt , quamtumuis non sit cognitio operis factibilis à potentia,quæ possit errare,vt ostendi n.13. ergo præciso hoc potest saluari scientia practica vt sic, ergo ad rationem scientiæ practicæ vt sic non requiritur , quod sit cognitio operis factibilis à potentia, quæ in eo opere efficiendo potest errare : Confirmatur, Deus non potest errare , circa creaturas efficiendas , & tamen eius cognitio diuina circa ipsas creaturas vt factibiles est verè practica , vt omnis schola affirmat ; ergo de ratione scientiæ practicæ non est, quod respiciat opus factibile à potentia , quæ possit labi in errorem ; pro cuius maiori explicatione aduerto duplicem esse scientiam practicam , aliam omnino requisitam , vt opus simpliciter fiat , & exeat congruum regulæ, quia absque illa non potest fieri, & hæc non exigit , quod opus, quod respicit , sit factibile à potentia , quæ possit errare , vt probaui n. 13. Aliam esse scientiam practicam requisitam non vt opus simpliciter fiat , & exeat consonum regulæ , sed vt melius fiat , non potest autem explicari, quid sit illud opus melius fieri, nisi dicatur esse, quod fiat , sine periculo erroris, atque ita hæc scientia practica tendit ad præcauendos errores potentiæ, quam dirigit ad operandum , & ideo exigit , quod talis potenria possit per se errare , aliàs non poterit errores præcauere , nec ad tale opus per se dirigere, quod est de ratione scientiæ practicæ iuxta dicta n.16. cum ergo scientia practica vt sic abstrahatur ab illa scientia practica , quæ non tendit ad præcauendum errorem , nec respicit opus factibile à potentia quæ errare possit , & ab ista scientia etiam practica quæ tendit ad præcauendum errorem , & respiciat opus factibile à potentia erroris capaci , non potest dici, quod de ratione scientiæ practicæ vt sic præcisè & formaliter sit , præcauere errores , & esse cognitionem operis factibilis à potentia , quæ possit errare, quia quod non conuenit alicui inferiori , non potest conuenire rationi communi abstractæ ab illo,vt perspicuum est.

Verum obiiciat aliquis , cognitio practica vt sic 19
formaliter dirigit operans ad agendum , sed non potest cognitio aliqua dirigere operans ad agendum, nisi ipsum in agendo possit errare , ergo non potest esse cognitio practica , nisi circa opus factibile ab operante , quod in illo agendo possit errare. Consequentia tenet cum maiori , minor probatur primò, dirigere aliquam causam est illam manu ducere ne deflectat , vel in errorem labatur , sed ad hoc prærequiritur necessario , quod caussa possit deflectere , & in errorem labi , aliàs talis directio ad euitandum errorem improbabilem ordinaretur , quod est absurdum ; ergo cognitio aliqua non potest dirigere causam seu operans ad agendum,nisi ipsum in agendo possit errare. Probatur secundò eadem minor,si natura intellectualis sit in omnibus ad bene semper operandum necessitata, non posset dirigi per cognitionem prudentiæ , & Philosophiæ moralis, otiosa enim esset talis directio ; ergo vt operans per aliquam cognitionem ad agendum dirigat , requiritur, quod ipsum operans in agendo possit errare ; Respondeo causam posse dirigi ad agendum , licèt non possit in agendo errare. Deus enim est incapax erroris,

ris, & dirigitur per ſuam ſapientiam ad producendas creaturas, neque enim dirigere aliquam potentiam ad agendum, eſt illam manu dirigere, ne deflectat, vel labatur, ſed oſtendere modum factibilitatis operis, & per ſe ad illud opus concurrere, ad quod non requiritur, quod cauſa illa, ſeu potentia poſſit errare, vt oſtendi numero 13. & perſpicuè apparet in potentia & cognitione diuina circa creaturas factibiles, vt ſæpè dictum eſt, ac proinde ad hoc vt detur cognitio vere directiua, & practica, non requiritur, quod potentia, quæ dirigitur, poſſit in errorem prolabi, ex quo prima minoris probatio ſoluitur.

Ad primam probationem dico, ſi natura intellectualis neceſſitata eſſet ad ſemper operandum actum bonum, media tamen cognitione prudentiæ vel Philoſophiæ Moralis vt omnino ad tale opus bonum requiſita, talis cognitio prudentiæ eſſet etiam vere directiua, & practica, quia monſtraret factibilitatem illius actus boni, & ad eius effectum per ſe concurreret, atque ita etiam ſi cauſa neceſſitata ſit ad agendum, & erroris ſit expers, poteſt circa eius opus dari cognitio practica, nec ſequitur hanc directionem, & & cognitionem practicam fore otioſam in tali caſu, quia cauſa non eſt neceſſitata ad operandum, niſi media illa cognitione practica dirigente ad opus, ac proinde talis cognitio aliquid agit, cum ſine illa non poſſit effectus à tali cauſa quantumuis ad agendum determinata procedere.

20 Sed inſurgat; cauſa omnino ad agendum determinata, quoad ſpeciem v.g. à potentia diuina ſecundum ſe eſſentialiter, & ratione ſui præciſa cognitione diuina eſt omnino incapax ad errandum in operandis creaturis, ergo talis potentia Dei ſecundum ſe, & ratione ſui præcisè cognitione diuina rerum factibilium eſt recta eſſentiatialiter ac per conſequens eſſentialiter directa, ergo non poteſt dirigi per cognitionem diuinam rerum factibilium, ſicut homo, quia per ſe ipſum eſſentialiter rationalis eſt, non poteſt per aliud reddi formaliter rationalis, ergo quando cauſa ex ſe eſt determinata quoad ſpeciem ad agẽdum ita vt non poſſit errare, non poteſt dari cognitio practica, per quam ad agẽdum dirigatur. Reſpondeo potentiam Dei ſecundum ſe eſſentialiter, & ratione ſui præciſa diuina cognitione rerum factibilium eſſe rectam, ac directam ſolum radicaliter, quia vt ſic tantum habet petere eſſentialiter diuinam cognitionem rerum factibilium, per quam recta ſit, ac dirigatur formaliter, proximéque vltimò ſit incapax ad errandum in producendis creaturis, ac proinde dari poteſt cognitio practica, per quam cauſa, ſeu potentia incapax erroris formaliter dirigatur; homo verò eſt ſecundum ſuam eſſentiam proximè vltimò, & formaliter rationalis & idcirco non poteſt per aliam formam rationalis formaliter reddi.

21 Demum vrgeat. Scientia, qua Pater æternus producit filium, oſtendit formaliter modum, quo filius diuinus producitur, & per ſe etiam ad eius productionem concurrit, & tamen quia Pater æternus neceſſitatus eſt ad ſuum filium producendum, etiam media illa cognitione, vt omnino ad talem productionem requiſita, talis cognitio non eſt practica, ſed mere ſpeculatiua, ergo quando cauſa neceſſitata eſt ad agendum, vt non poſſit errare, etiam ſi neceſſitata ſit media cognitione operis, talis cognitio non erit practica, ſed ſpeculatiua, ergo de ratione ſcientiæ practicæ vt ſic eſt, quod præcaueat errores. Reſpondeo, cognitionem, ac ſcientiam illam qua Pater æternus filium producit, non ideo non eſt practica, quia Pater eſt neceſſitatus ad filium producendum ita vt non poſſit errare, ſed quia ad rationem ſcientiæ practicæ, requiritur, quod ſit cognitio factibilis, vt factibilis, ſicuti enim omnis ſcientia practica aut eſt factiua, aut actiua vt dicunt Philoſophi communiter, ita omnis ſcientia practica debet eſſe cognitio rei factibilis, aut agibilis cum autem filius diuinus non fiat, nec cauſatur à Patre tamquam à cauſa, ſed ſolum producitur, & gignitur ab illo tamquam à principio vt ex Theologia ſuppono, ideò ſcientia filij diuini, quæ eſt in Patre, non eſt cognitio rei factibilis, aut agibilis, & eapropter talis ſcientia, ſeu cognitio non eſt practica.

Præmitto quintò, ad rationem ſcientiæ practicæ 22
non ſufficere, quod ordinetur ad opus extrinſeca intentione ſcientiæ, qui vult illam ſcientiam acquirere in ordine ad aliquod opus; ſed requiri, quod talis ſciẽtia creata ex intrinſeca intentione ipſiuſmet ſcientiæ ad opus ordinetur, hoc eſt ad illud opus efficiendum per ſe, & immediatè dirigat. Ita omnes Recentiores communiter, & eſt per ſe notum, ſæpè enim quis plures philoſophicas veritates cognoſcit, vt alios edoceat, & ſic lucretur, atque ita ex eius extrinſeca intẽtione talis ſcientia philoſophica ordinatur ad opus; & tamen quia ſcientia illa ex ſe ad opus non ordinatur, neque per ſe dirigit, non eſt ſcientia practica, ſed ſpeculatiua, vt omnes fatentur, ex quo proportionaliter etiam fit non ſufficere ad rationem ſcientiæ ſpecalatiuæ, quod ex intentione extrinſeca ſcientis ſiſtat in contemplatione obiecti, & non ordinetur ad opus, ſed requiritur, quod ipſa ex ſe intrinſecè ad opus non ordinetur, neque per ſe dirigat ad illud; alioquin non erit ſpeculatiua, ſed practica; par enim ratio in vtroque caſu proportionaliter militat.

Tota controuerſia principalis enodatur.

His præmiſſis, quæ ad maiorem intelligentiam ad longum, & theologicè diſcuſſa ſunt, præcipuam controuerſiam aperiamus, videlicet, an Dialectica practica, an verò ſpeculatiua ſit.

Assertio I. Logica ex parte eſt verè, & propriè 23
ſcientia practica, hanc tuentur auctores ſecundæ ſententiæ, quibus adde Suarez, diſput. 44. ſect. 13. numero 54. Carleton diſp. 10. Logicæ ſect. 6. Vaſquez Molina, Valius q. 4. Logicæ c. 16. concluſione 7. citatis multis, Probatur primò, auctoritate Ariſtotelis 1. met. text. 1. & 2. Summa 3. cap. 1. qui vbicumque enumerat ſcientias ſpeculatiuas, vel habitus ſpeculatiuos, numquam inter illos ponit habitum Logicæ, & diuidens omnes ſcientias, in ſpeculatiuas, actiuas, & factiuas, affert omnes ſcientias ſpeculatiuas, earum obiecta, & rationes formles, & non numerauit habitum Logicæ, & idem repetere videtur primo top. capite 9. & 12. ergo Logica non eſt ſpeculatiua, ſed practica. Probatur ratione: ſcientia habitualis verè, & propriè practica eſt illa, cuius actus ſunt verè practici: ſed plures actus Logicæ ſunt. verè practici, ergo Logica habitualis eſt verè practica. Minor probatur, actus, qui præſcribunt regulas, quibus facienda eſt definitio, aut diuiſio, &c. ſunt actus practici; ſed ij actus ſunt actus Logicæ, ergo plures actus Logicæ, ſunt verè practici. Probatur maior, actus practicus eſt cognitio operis factibilis à ſciente ad eius effectionem per ſe, & immediatè dirigens, vt ſupra oſtendi n. 11. Sed actus, qui præſcribunt, quomodo facienda eſt definitio, aut diuiſio ſunt cognitiones operis factibilis ab ipſo ſciẽte, nimirum definitionis, aut diuiſionis, quæ ab ipſo Logico poteſt fieri, & ad eiuſdem operis effectionem per ſe, & immediatè dirigunt, vt conſtat, ergo actus, qui præſcribunt, quomodo facienda ſit definitio aut diuiſio, &c. ſunt verè & propriè actus practici; Confirmatur 1. ex D. Thom. opuſ. 70. quæſt. 4. art. 1. ad 2. vbi ait ſcientias ſpeculatiuas eſſe illas, quarum cognitio quæritur propter ſe, res autẽ (ſaltem præci-

puas) quæ cognoscuntur in Logica non quæri ad cognoscendum propter se, ex quo recte infertur in sententia D. Thomæ Logicam saltem quoad eius præcipuos actus non esse scientiã speculatiuam, sed practicã; cuius libet, in medium afferre verba q. 2. de diuisione scientiæ speculatiuæ. *Ad secundum dicendũ quod scientiæ speculatiuæ vt patet in primo met. sunt de illis, quorum cognitio quæritur propter seipsam, res autem, de quibus est Logica non quæruntur ad cognoscendum propter se ipsas, sed vt adminiculum quoddam ad alias scientias, & ideo Logica non continetur sub Philosophia speculatiua, vt pars principalis, sed quasi quoddam reductum ad eam prout ministrat speculationi sua instrumenta* Ecce aperte D. Thomas docet Logicam esse practicam; & confirmatur secundò, quia finis habitus speculatiui est speculari, cognoscere, & scire veritatem, ita vt talis habitus non dirigatur aliò, sed Logica, etsi sciat, & speculetur aliquas veritates, tradit modum sciendi, neque expetit propter se, sed propter alias scientias, ergo Logica est verè, & propriè practica.

24 Respondeat aliquis, scientiam practicam necessario respicere praxim, quæ est operatio distincta ab actione intellectus, nimirum vel operatio externa, vel actio voluntatis à ratione dirigibilis, cum autem Logica non respiciat nisi actiones intellectus, consequenter non respicit praxim, atque ideo non esse scientiam practicam. Sed impugnatur, nam praxis græce est latine operatio dirigibilis per rationem, sed tam actio intellectus, quam actio voluntatis, aut externa est operatio dirigibilis per rationem, etenim intellectus ad definiendum, & arguendum dirigitur, sicut voluntas ad bene operandum, & artifex ad rectè construendum, ergo tam actio intellectus, quam actio voluntatis aut externa est verè praxis, ergo Logica dirigens actiones intellectus respicit praxim, ac proinde est practica, dicere autẽ quod praxis sit operatio, quę non sit actio intellectus est petitio principij; de hoc enim rationẽ quærimus, quare potiùs actio voluntatis, quam actio intellectus dirigibilis debeat esse praxis, quæ ratio discriminis, cum nulla sit, dicendum est actionem intellectus dirigibilem esse praxim, & Logicam dirigentem illam esse verè scientiam practicam. Confirmatur, actio, quæ dirigitur, & respicitur à Philosophia morali est praxis, cum Philosophia moralis iuxta omnes, sit vere scientia practica, atque ita praxim respiciat, atqui actus intellectus est actio, quæ dirigitur, & respicitur à Philosophia morali, ergo actio intellectus est vere praxis, ac per cõsequens Logica respiciẽs actus intellectus respicit praxim, & erit practica. Probatur minor: Omnis actio virtutis moralis respicitur, & dirigitur à Philosophia morali, sed actio mentalis studendi cum omnibus debitis circumstantiis, est actus virtutis studiositatis, ergo talis actio mentalis studendi, quæ verè est actio intellectus dirigitur, & respicitur à Philosophia morali. Vrgeo, quia modus sciendi vocalis est actio externa dirigibilis à ratione, ergo praxis, sed Logica respicit modum sciendi vocalem vt dirigibilem, vt ostendi supra disp. 1. cap. 4. ergo Logica respicit praxim, ac proinde est verè & propriè practica.

25 Obiiciat aliquis D Thomam 2. 2. quæst. 51. art. 2. ad 3. asserentem in speculatiuis aliam esse scientiam rationalem nempe Dialecticam, & D. Augustin. 8. de ciuitate Dei, cap. 4. dicentem, Logicam esse partem Philosophiæ ac proinde cùm Philosophia speculatiua sit, etiam Dialecticam scientiam speculatiuam, & contemplatiuam esse. Respondeo, nos non negare Dialecticam esse etiam ex parte verè & propriè speculatiuam, vt dicemus 2. assertione, quod solùm D. Thomas & Augustin. dicunt, deinde addo ideo D. Thomam & August. dixisse Dialecticam esse scientiam speculatiuam potiùs, quàm practicam, quia est velut quoddam instrumentum subseruiens, & adminiculum potiùs scientiis speculatiuis, quàm practicis, quia illæ præcipuæ sunt, quamuis hoc seruitium, & adminiculum illis practico modo exhibeat, vt colligitur ex Augustin. loco citato, & ex D. Thoma expresse opus. 70. quæst. 4. art. 1. ad 2.

Obiiciat secundò, illa scientia est vere practica, cuius obiectum est praxis, sed Dialecticæ obiectum, nempe actus intellectus non sunt praxis, ergo Dialectica non est scientia practica. Minor probatur, praxis, & operatio opponuntur, sed obiectum Dialecticæ scilicet actus intellectus sunt speculatio, ergo non sunt praxis; Respondeo, non omnem actum intellectus esse speculationem, sed plures esse practicos, vt omnes tenentur asserere. Deinde gratis admitto omnem actum intellectus esse speculationem, non sequitur actus intellectus non esse praxim, nam speculatio seu scientia speculatiua non opponuntur cum praxi, sed cum scientia practica, etenim idemmet actus definitionis ratione sui obiecti, in cuius præcisè contemplatione sistit, est speculatio, ac sciẽtia speculatiua, ratione verò alterius actus rationis dirigẽtis, & præscribẽtis regulas, vt talis definitio rectè fiat, est praxis, ac proinde scientia illius vt sic dirigibilitatẽ considerans nẽpe Logica respicit praxim, & est practica. 26

Obiiciat tertiò, ars, vel scientia practica est illa, quæ respicit, ac dirigit actionem externam, vel actionem internam voluntatis, sed Dialectica non dirigit actionem externam, nec actionem voluntatis, sed solum actionem intellectus, ergo Dialectica non est ars, neque scientia practica; Probatur maior primò: scientia practica est actiua, & ars practica est effectiua, vt docet Philosophus 6. met. cap. 1. sed vt idem Arist. ibi testatur, scientia practica actiua respicit actionem voluntatis, & ars practica effectiua respicit actionẽ externã, ergo ars vel sciẽtia practica est illa, quæ respicit vel actionem externam vel actum voluntatis. Secundò, quia teste Arist. 2. met. cap. 2. finis scientiæ practicæ est opus, scientiæ verò speculatiuæ veritas, hoc est cognitio veritatis, sed scientia, quæ solùm respicit actum intellectus non verò voluntatis, aut actionem externam solùm habet pro fine ipsos actus intellectus, qui sunt veritas, seu cognitiones veritatis, ergo talis scientia erit scientia speculatiua, & non practica, ergo scientia practica est illa, quæ respicit actionem externã, vel actionem volũtatis; tertiò, quia cõmune est Philosophorum axioma intellectus fit practicus extẽsione, sed non extenditur intellectus in ordine ad proprios actus, sed in ordine ad actus voluntatis, aut actiones externas, ergo intellectus, aut scientia fit practica, vt respicit actiones voluntatis, aut actiones externas. Respondeo: scientiam, seu artem practicam non solùm actionem voluntatis, aut externam respicere, sed etiam actionem intellectus, cum hæc etiam sit verè praxis vt ostendi num. 24. Ad primam maioris probationem dico primùm, scientiam practicam actiuam esse illam, quæ dirigit actiones immanentes, cùm autem non sola prudentia, sed etiam Logica dirigat actiones immanentes, illa voluntatis, hæc intellectus, tam Logica, quàm prudentia practica scientia erit, deinde dico non semper actionem practicam esse effectiuam, hoc est respicientem operationes externas, sed aliquando artem esse actiuam, id est, dirigentem actiones externas, vt docet Arist. lib primo mag. moralium cap. vltimo, vbi sic ait, *siquidem in faciendo potiùs quàm in agendo, est artem exercere*, dum ergo dicit, *potius*, sentit Arist. non semper, sed vt plurimum; artem practicam esse effectiuam, ac proinde aliquam esse artem verè practicam actiuam, quæ dirigat actiones internas intellectus, qualis est Dialectica. 27

Ad

Ad ſecundam probationem dico, finem ſcientiæ ſpeculatinæ eſſe veritatem, hoc eſt, ipſam contemplationem primarij obiecti, quod reſpicit, finem autem ſcientiæ practicæ eſſe opus, id eſt, alia actio ab illa prima cognitione diſtincta, qnæ per illam dirigatur, ſiue ſit actio externa, qua opus exterius fiat, ſiue actio interna voluntatis, qua obiectum amet, ſiue alia actio intellectus, qua obiectum cognoſcatur iuxta illam directionem; atque ita ſcientia practica poteſt ordinari ad opus intellectus.

Ad tertiam probationem Reſpondeo illud axioma: intellectus extẽſione fit practicus (quod nullibi apud Ariſt. reperitur) hunc habere ſenſum, quod ex eo fiat practicus intellectus, quod in contemplatione prima ſui obiecti non quieſcat, ſed ad eius effectionẽ progrediatur, & extendatur, ſiue tale obiectum ſit actio alterius potentiæ, ſiue alia actio eiuſdem potentiæ intellectiuæ, quæ per illam actionem reflexam intellectus dirigatur, vt exponunt Conimbricenſes hîc q. 4. art. 5. in ſolutione ad ſecundum.

28 Obiiciat 4. in hoc ſcientia practica, & ſpeculatiua inter ſe diſſident, quod ſcientia practica tendit in ſuum obiectum modo operabili, ipſum ſcilicet operando, ſcientia verò ſpeculatiua tendit ad illud modo reſolutorio, illud ſcilicet reſoluendo, & reducendo ad ſuas cauſas, & principia, per quæ ſcientifice tale obiectum cognoſcit, ſed Logica modo reſolutorio tendit ad ſuum obiectum, nimirum ad modum ſciendi, illum per ſuas cauſas, & principia ſcientifice cognoſcendo, & reſoluendo, ac reducendo ad illa, ergo Logica eſt ſpeculatiua, & non practica. Reſpondeo ſcientiam reſpicere ſuum obiectum modo operabili, ſolum eſſe, quod ſit cognitio operis, vt operabilis, & factibilis à ſciente iuxta directionem talis ſcientiæ; ideo enim dicimus ſcientiam diuinam circa creaturas poſſibiles reſpicere illas modo operabili, quia illas cognoſcit, vt factibiles ab ipſo Deo, qui tali ſcientia dirigitur ad illas producendas, huic autem non obſtat, quod talis ſcientia reſoluat obiectum ad ſuas cauſas, & illud per ſua principia ſcientificè cognoſcat, bene enim talis modus ſcientificus cognoſcendi compatitur cum notitia practica, vt docet ipſe Ariſt. 1. Metaphyſicæ cap. 1. aliàs nulla eſſet ſcientia practica, neque Philoſophia moralis eſſet practica, cùm ſuum obiectum hac ſcientifica reſolutione ad ſua principia cognoſcat; ſcientiam autem reſpicere ſuum obiectum modo reſolutorio, qui illam ſpeculatiuam conſtituit, nihil aliud eſſe, quam ita illud attingere, & contemplari, vt tota intentio ipſius ſcientiæ quaſi reſoluatur, & finiatur in contemplando præcisè tale obiectum, ſiue illud cognoſcat per ſuas cauſas, & principia, ſiue non; cum ergo intentio Logicæ non finiatur, & reſoluatur in præciſa obiecti contemplatione, ſed illud vt factibile conſideret, dirigens ad eius effectionem, vere talis ſcientia reſpicit ſuum obiectum modo non reſolutorio, ſed operabili, & ideo eſt practica.

29 ASSERTIO II. Dialectica etiam ex parte, eſt verè, & propriè ſpeculatiua. Ita auctores tertiæ ſententiæ & D. Thomas variis in locis, & communiter omnes eius diſcipuli, & videri poteſt apud Complutenſes diſp. 1. q. 6. num. 66. Lermam, Ioannem à S. Thoma, hanc tenet Scotus quæſt. 4. Prologi, Durandus D. Auguſtinus ſuprà citatus, Paulus Vallius quæſt. 4. cap. 16. concluſione 8. habet maximum fundamentum in Ariſt. locis ſupra citatis, & 3. de anima c. 10. text. 50. citari etiam poteſt pro hac ſententia Petrus Hurtado diſp. 2. ſect. 2. Maſio, Soncinas, immò auctores ſecundæ ſententiæ, id non negant, ſed ſolùm affirmant Logicam ex parte eſſe verè, & propriè practicam, non verò abſolutè, & purè practicam, Hæc concluſio ſic intellecta, & pro ea monitis præmiſſis n. 12. & 13. ſic probatur, ſcientia ſpeculatiua eſt illa, cuius actus ſunt ſpeculatiui, ſed aliqui actus Dialecticæ ſunt ſpeculatiui, ergo Dialectica eſt ſpeculatiua Probatur minor 1. actus, ſeu cognitio ſpeculatiua eſt illa, quæ non dirigit, nec concurrit per ſe ad ſui obiecti effectionem, vt oſtendi ſupra, ſed actus, ſeu cognitio Dialecticæ, qua Logicus cognoſcit in perfecta demonſtratione ex aſſenſibus euidentibus præmiſſarum in hac, aut illa figura bene inferri aſſenſum concluſionis, hæc inquam cognitio Dialecticæ non dirigit, neque concurrit per ſe ad ſui obiecti, nimirum ad aſſenſus concluſionis illationem, & effectum, ergo talis actus Dialecticæ eſt ſpeculatiuus. Probatur hæc minor; quia quando potentia eſt neceſſitata ſaltem quoad ſpeciem, ita vt errare non poſſit in ordine ad aliquod opus independenter à cognitione ipſius operis; talis cognitio non dirigit, neque concurrit per ſe ad tale opus efficiendum, vt monſtraui n. 15. Sed poſitis euidentibus aſſenſibus præmiſſarum neceſſitatus eſt quoad ſpeciem intellectus ad inferendum, & eliciendum aſſenſum euidentem concluſionis, ita vt errare non poſſit, & hoc quidem habet independenter à cognitione Dialectica, quæ dictat rectè inferri vnum ex alio, vt nunc ſuppono, ergo talis cognitio, & actus Dialecticæ non concurrit neque dirrgit per ſe ad effectionem ſui obiecti, ſcilicet aſſenſus concluſionis. Probo illam minorem 2. actus Dialecticæ, quo Logicus iudicat perfectam demõſtrationem generare ſcientiam, non eſt actus practicus, & directiuus, ſed mere ſpeculatiuus, ergo aliqui actus Logicæ ſunt ſpeculatiui; Probo antecedens, cognitio obiecti, quod neceſſariò reſultat independenter à tali cognitione, non eſt practica, nec directiua per ſe reſpectu illius, vt oſtendi n. 15. Sed hoc quod eſt perfectam demonſtrationẽ generare ſcientiam reſultat neceſſariò ex ipſa demõſtratione independenter à Dialectica cognitione illius vt per ſe conſtat; ergo talis cognitio, & actus Dialecticæ quo cognoſcit demonſtrationem perfectam generare ſcientiã, non eſt pure practicus, nec directiuus, ſed mere ſpeculatiuus. Confirmatur, quia Logicus probat definitionem eſſe clariorem ſuo Definito, Syllogiſmum factum in Barbara concludere euidenter, ſed huiuſmodi actus ſunt ſpeculatiui, quia ex eo, quod Logicus iudicet Definitionem eſſe clariorem ſuo definito, Syllogiſmum in Barbara concludere euidenter, demonſtrationem perfectam generare ſcientiam, dici de omni, & dici de nullo, & iis ſimilia, quæ paſſim Logicus conſiderat, non ſcit, quomodo facta ſunt, nec facienda, ergo tales actus ſunt ſpeculatiui, cum non tranſeant ad effectionem ſuorum obiectorum, ſed ſiſtunt in eorum mera contemplatione, & veritate, quod eſt de ratione ſcientiæ ſpeculatiuæ.

Præterea Dialectica procedit modo reſolutiuo demonſtrando paſſiones de ſuo obiecto illudque contemplando, nam Logica ad hoc inuenta eſt, vt intellectus non procedat ignoranter, & cum errore, ergo ſolum intendit ſcire veritatem, & fugare ignorantiam, ergo eſt ſpeculatiua; vlterius etiamſi Dialectica in conſtructione ſyllogiſmorum aliquo modo procedat modo operabili; tamen omnia illa principia quibus vtitur ad talem conſtructionem ſunt ſpeculatiua, vt hæc, *quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe, dici de omni, & dici de nullo, totum eſt maius ſua parte*, & alia, quæ in Dialectica principes, & dignitates vocantur; ergo cum huiuſmodi principia ſint ſpeculatiua ratio formalis obiecti talis ſcientiæ erit ſpeculatiua, & conſequenter Logica ex hac parte verè, & propriè erit ſpeculatiua.

Obiiciat quis 1. Licet poſitis euidentibus aſſenſibus præmiſſarum intellectus ſit quoad ſpeciem determinatus ad eliciendum aſſenſum concluſionis ſine 30

errore

errore independenter ab vllo habitu, tamen habitus scientificus conclusionis per se cum illo concurrit ad talem assensum, ergo similiter licet sit ita quoad speciem determinatus ad assentiendum conclusioni sine errore independenter à cognitione Dialecticæ de bonitate illationis, talis tamen cognitio dirigit, & concurrit per se cum ipso intellectu ad assensum conclusionis. Secundò actus definitionis v. g. est incapax erroris, quia illi essentialis est dispositio artificiosa, vt monstraui disp.1.cap.7.n.55. & tamen talis actus definitionis vere dirigitur à Dialectica, vt & nos fatemur, ergo licet intellectus in prædicto casu sit incapax erroris, & necessitatus ad assensum conclusionis independenter à Dialectica, poterit ab illa dirigi, ac proinde talis cognitio Dialectica dirigens ad assensum conclusionis, erit etiam cognitio practica. Tertiò, practicum, & speculatiuum sunt differentiæ essentiales inter se oppositæ, sicut rationale, & irrationale, ergo sicut non potest eadem res esse rationalis, ita nec poterit eadem scientia esse practica & speculatiua, atqui Dialectica est scientia practica, vt constat, ergo non est speculatiua.

31 Hæc obiecta sic dissoluo. Ad secundum respondeo habitum concurrere per se cum potentia, quæ absque illo potest simpliciter operari illam inclinando, & facilitando ad exercitium operis, ad hoc autem sufficit, quod potentia sit libera quoad exercitium ita vt absolutè possit non operari, vnde cum in illo casu intellectus positis etiam præmissis euidentibus sit quoad exercitium liber, & possit absolutè non elicere assensum conclusionis, ideo potest esse habitus scientificus illum inclinans, & facilitans; cognitio verò practica, sine qua potest potentia operari, solum concurrit per se cum potentia dirigendo illam, vt melius operetur, hoc est sine errore vt supra dixi n. 17. atque ita supponit necessariò, quod potentia illa possit errare, vnde cum in prædicto casu intellectus non possit errare in assentiendo conclusioni independenter à tali cognitione Dialecticæ, ideo talis cognitio non est verè practica per se concurrens cum illo ad talem assensum.

Ad secundùm dico actus illos, quibus essentialis est artificiosa dispositio, qualis est actus ille definitionis, non dirigi à Dialectica in se ipsis immediatè, & formaliter, quia sunt incapaces erroris independenter à cognitione Logica, sed tantùm dirigi mediatè, & causaliter in potentia intellectiua quæ potest in illis eliciendis errare, à qua ipsi dirigibiles denominantur.

Ad tertium Respondeo, practicum adæquatè, & speculatiuum adæquatè esse differentias essentiales inter se oppositas, sicut rationale, & irrationale, quæ enim sunt differentiæ adæquatè essentiales intrinsecè opponuntur; practicum, verò inadæquatè, & speculatiuum inadæquatè non opponi inter se, idem enim simplex habitus fidei diuinæ est simul partim speculatiuus, & partim practicus, vt docet Suarez suprà disput.44. sect.13. num.45. & plures alij, & maximè id in Dialectica experitur, quia pluribus constat habitibus realiter distinctis, vt dicam sequēti capite, quorum vnus est speculatiuus, & alter practicus, & ob id tota Dialectica dicitur partim speculatiua, & partim practica, vnde scientia diuiditur in scientiam solum practicam & scientiam solum speculatiuam, & in scientiam tantum practicam, & in scientiam practicam & in scientiam speculatiuam simul, vt clarè ex dictis colligitur.

32 Sed petes, an Dialectica sit essentialiter, an accidentaliter practica, vel speculatiua; arbitror posse dici essentialiter practicam, vel essentialiter speculatiuam in actu primo & radicaliter; practicam verò, seu speculatiuam accidentaliter & in actu secundo: esse quidem essentialiter practicam in actu primo seu radicaliter, & similiter esse speculatiuam radicaliter & in actu primo. Probatur quia sicut ex prima assertione constat, esse scientiam aliquam practicam essentialiter per se radicaliter, & in actu primo, est essentialiter aptam esse ad dirigendum ad opus factibile ab aliquo sciente & per se petere in illo sciente esse. Ita ex prima assertione constat scientiam speculatiuam essentialiter & in actu primo esse illam, quæ per se contemplatur, veritates & principia, & proprietates, quas Logica sub se cōtinet, ergo sicut Dialectica secundùm se est apta essentialiter ad dirigendum modum sciendi factibilem ab ipso sciente nempe ab homine, & petit per se esse in homine, & ex hoc dicitur practica essentialiter radicaliter, & in actu primo, ita pariformiter potest ab aliis appellari essentialiter radicaliter, & in actu primo speculatiua, quia ex se Logica apta est contemplari veritates omnes Dialecticæ, quin vlterius progrediatur ad aliquem effectum, ergo Dialectica essentialiter, & in actu primo potest dici practica, vel speculatiua. Dicendam verò accidentaliter vel actualiter practicam, vel speculatiuam in actu secundo ex eo constat, quia esse scientiam in actu secundo seu actualiter practicam est actu dirigere ad opus, quod actu fit iuxta illius directionem, sed Dialecticam actu dirigere ad opus nimirum ad modum sciendi, qui actu fit iuxta eius directionem, est illi accidentale quia potuit talis modus sciendi, non fieri, vel fieri omnino necessariò (volente Deo) independenter ab illa, ergo Dialectica solùm accidentaliter est practica in actu secundo: pariformiter etiam debet dici, accidentaliter speculatiua in actu secundo. An autem appellanda sit Dialectica absolutè practica, vel absolutè speculatiua hoc pendet ex fine adæquato ipsius scientiæ; & si finis adæquatus dialecticæ fuerit veritas in cuius contemplatione sistit absolutè, appellanda erit speculatiua, si verò finis adæquatus Dialecticæ fuerit aliquod opus efficiendum per directionem ipsius scientiæ per se & immediatè, absolutè erit scientia practica quod iuxta diuersa placita auctorum, & sententiarum statuentium Logicam practicam, vel speculatiuam esse, intelligendum est, quia cognitio practica ab speculatiua sola ratione & fine dissidet vt docet D.Thomas 1.p.q.79. art.11. ex Arist. 3. de anima, ergo simpliciter, & absolutè accidentale est esse practicam vel speculatiuam, quid autem dicendum sit de Logica Angeli, vel de illa si poneretur in homine, non est huius loci, & nos solum loquimur de logica, quæ in homine datur.

CAPVT III.

An Logica sit vna qualitas simplex, an ex pluribus habitibus composita.

HÆc quæstio communis est omni scientiæ habituali, & ita ad libros de anima, materiam de habitibus, immo & ad libros de generatioue & corruptione de intensione qualitatum spectat, quia verò ab omnibus fere hic communiter agitatur, & plura ex his, quæ diximus ex huius resolutione pendent, idcircò tametsi breuiter rem hanc in præsenti examinare decreui.

Præmitto 1. pro decisione dubij, habitum esse qua- 33
litatem quandam ex actibus intellectus seu voluntatis genitam, ac relictam, quæ potentiam ipsam intellectiuam, aut volitiuam reddit formaliter facilem, habitualem & inclinatam ad eliciendos actus similes illis, ex quibus qualitas genita aut producta fuit, & ideò habitus (solum de naturalibus sermo est) semen

actus

actus nuncupatur, quia ſicut per ſemen naturale ab homine deciſum, alius homo illi ſimilis progignitur, ſic per habitum productum, & velut eius ſemen deciſum ab actu, aliùs actus illi ſimilis generatur.

Præmitto 2. nomine ſcientiæ habitualis non intelligi hic ſpecies intelligibiles ſimplices terminorum, quæ in intellectu relinquuntur ex frequenti earum cognitione, vt voluit Capreolus in 3. quæſt. Proleg. & Soncinas 6. Metaphyſ. qu. 4. Ratio eſt, quia huiuſmodi ſpecies diſtinguntur ab habitibus, vt latè libris de anima diſput 19 cap. 4. nam ſpecies ſe tenent ex parte obiecti, quod repræſentant potentiæ, habitus verò ex parte principij, ergo ſcientia habitualis erit qualitas in intellectui ex elicitia aſſenſuũ ſcientificorum producta tenens ſe ex parte potentiæ tamquã eius virtus inclinans ad producendos actus ſimiles illis, ex quibus ipſa producta fuit, quod ſpeciebus minimè poteſt conuenire, ergo nomine ſcientiæ habitualis non poſſunt intelligi ſpecies intelligibiles.

Præmitto 3. neque eſſe ſermonem de qualitate habituali ſcientiæ acquiſitæ per elicientiam aſſenſus circa vnam concluſionem, quia de hac manifeſtum eſt, eſſe etiam ſecundùm extenſionem ſimplicẽ qualitatem, & indiuiſibilem, ſicuti & eſt indiuiſibilis ſecundùm extenſionem veritas ſui obiecti; ſed ſermo eſt de qualitate habituali v.g. ſcientiæ logicæ acquiſitæ per elicientiam aſſenſum circa diuerſa obiecta, vel circa obiecta omnia, quæ in Logica poſſunt demonſtrari, ſeu probabiliter deduci; quærimus ergo nunc an in Dialectica ſit tantum vnus habitus, & qualitas ſimplex, ac indiuiſibilis circa definitionem, diuiſionem, argumentationem, &c. an verò ſint plures qualitates, & habitus reipſa inter ſe diſtincti, vnus ad definitionem, alter ad diuiſionem, &c. Ex quibus omnibus vnus habitus completus, aut qualitas vna compoſita, vnaque dialectica integra & totalis coaleſcat.

34 In hac controuerſia ſic explicata duplex mediat ſententia pari autoritate, & auctorum tam antiquorum, quàm recentiorum numero, & grauitate fulcita. Prima eſt D. Thomæ quem ſequuntur ferè omnes eius diſcipuli, quæ aſſerit Logicam eſſe quemdam habitum, & ſimplicem qualitatem indiuiſibilem quæ indiuiſibiliter reſpicit definitionem, diuiſionem, argumentationem, &c. & nullo modo compoſitam ex pluribus habitibus ita 1. 2. quæſt. 54. art. 4. in corp. & ad 3. & opuſc. 70. art. 1. agens de vnitate ſcientiarum, Caietanus in eiſdem locis, Conrr. Capreolus in primo, diſt. 4. 3. prologi, Sotus qu. 3. Procem. Gallego controuerſ. 4. Procem. citatis multis, Ferrara, 1. contra Gentiles c. 56. Caberus tract. diſp. 1. Ioannes à S. Thoma quæſt. 27. de vnitate ſcientiarum art. 2. Lerma quæſt. 7. Lorca, Enriquez ex Societate Ieſu, ſi eam tenent P. Vaſquez 1. p. diſp. 9. n. 1. & 2. 1. 2. diſput. 80. cap. 5. Valentia, tom. 2. diſp. 4. quæſt. 6. punct. 3. Salas, 1. 2. qu. 52. tract. 10. diſput 5. ſect. 1. Rubio quæſt. 4. Procem. Paul. Vallius, 1. tom. ſuæ logicæ diſput. 4. quæſt. 7. cap. 7. & 8. Secunda ſententia contrarium affirmat.

35 Assertio tamen ſit, Dialectica non eſt vna ſimplex qualitas, & indiuiſibilis, ſed ex pluribus habitibus reipſa inter ſe diſtinctis compoſita, hanc ſententiam tenet Scotus, quæſt. 3. Proleg. Liquetus in 3. diſt. 33. quæſt. 2. & diſt. 36. & 6. Metaphyſ. quæſt. 1. Suarez diſp. 44. Met. ſect. 11. & infrà Conimbricenſes in cap. 23. quæſt. vnica de vnitate ſcientiarum art. 2. Petrus Hurtado diſp. 2. Metaphyſ. ſect. 6. diſp. 16. de anima ſect. 4. Molina 1. part. qu. 1. art. 3. Ægidius de præſentatione lib. 11. De beatitudine quæſt. 8. artic. 5. Fonſec. 5. Metaph. quæſt. 5. ſect. 2. Aureolus, in proleg. tenent & Gregorius quæſt. 3. art. 1. Ocham, quæſt. 1. & 9. Gabriel qu. 8. & in 3. diſt. 2. quæſt. 2. Carleton diſp. 2. logicæ ſect. 5. Marſilius, Toletusq. 3. Procem. Merinero diſp. vnica Procem. quæſt. 5. ſect. 1. Rodericus de Arriaga diſp. 3. Logicæ ſubſect. 4. & nouiſſimè Franciſcus Alphonſus, diſp. vnica Procem. ſect. 7. part. 2. & plures Recentiores in manu ſcriptis.

Probatur hæc aſſertio primò, Dialectica conſtat ex habitu diuiſionis v.g. & ex habitu definitionis, & argumentationis, ſed habitus definitionis, & habitus argumentationis ſunt habitus reipſa inter ſe diſtincti, ergo Dialectica conſtat ex habitibus reipſa diſtinctis, ergo Dialectica non eſt qualitas ſimplex, & indiuiſibilis, ſed ex pluribus habitibus compoſita. Vtraque conſequentia tenet cum maiori, minorẽ autem ſic probo, habitus diuiſionis eſt inclinatio, & facilitas ad diuidendum, & habitus argumentationis eſt facilitas, & inclinatio ad argumentandum, ſed inclinatio & facilitas ad diuidendum, & inclinatio, & facilitas ad argumentandum non ſunt eadem facilitas, ſed duæ facilitates inrer ſe diſtinctæ, ergo habitus ad diuidendum, inquam, diuiſionem, & habitus ad argumentationem non ſunt idem habitus, ſed duo habitus inter ſe reipſa diſtincti. Probatur minor, ſi eadem prorſus eſſet facilitas ad diuidendum, & facilitas ad argumentandum, qui facilitatem habuerit ad diuidendum neceſſariò etiam haberet facilitatem ad argumentandum, ſicut qui eſt rationalis neceſſario eſt etiam animal, quia rationale reipſa eſt idem cum animali, atqui cum quis ſe diu exercuit in actibus diuiſionis, & numquam ſe exercuit in actibus argumentationis, habet facilitatem ad argumentandum, vt experientia docet, ergo facilitas ad diuidendum, & facilitas ad argumentandum non ſunt eadem facilitas, ſed duæ facilitates reipſa inter ſe diſtinctæ. 36

Confirmatur; cum quis in prædicto caſu, quia diu in actibus diuiſionis, & numquam in actibus argumentationis ſe exercuit, ſentit ſe facilem ad diuidendum, & non facilem, ſed difficilẽ ad argumentãdum immò maximã difficultatem experitur circa elicientiam Syllogiſmorum & plures errores; ſi poſtea ſe diu exercuerit in actibus argumentationis, & ſyllogiſmi, ſentit ſe de nouo facilem ad argumentandum, & eliciendos ſyllogiſmos, quod antea non habebat, ergo per hos actus argumentationis, & ſyllogizationis acquirit aliquam nouam entitatem, & formam, quam antea non habebat. Probatur hæc conſequentia, quia non poteſt eſſe nouus effectus formalis, qui antea non eſſet abſque eo quod ſit modò aliqua noua entitas, & forma, quæ antea non eſſet, à qua de nouo modò talis effectus formalis proueniat, ſed in prædicto caſu, cùm quis poſtea ſe exercuit in actibus argumentationis, & ſyllogiſmi, eſt in illo nouus effectus formalis, nempe facilem eſſe formaliter ad argumentandum, & ſyllogizandum, qui antea in ipſo non erat, ergo modò eſt in illo aliqua noua entitas & forma acquiſita per illos actus argumentationis, quæ antea in illo non erat, à qua talis effectus formalis proueniat. Tum ſic, ſed forma, quæ reddit potentiam facilem ad argumentandum, & ſyllogizandum, & eſt habitus, circa argumentationem, & ſyllogizationem, quæ antea non erat, vt notaui ſuprà n. 34. & omnes fatentur, ergo cùm quis habens facilitatem, & habitum diuidendi poſtea de nouo ſe exercet in actibus argumentandi, & ſyllogizandi acquirit nouum habitum, & facilitatem ad argumentandum qui antea in ipſo non erat, ergo habitus diuidendi, & habitus argumentandi non ſunt ſolùm habitus ſimplex, ſed duo habitus reipſa inter ſe diſtincti, quibus cum conſtet Dialectica, erit qualitas, non ſimplex, ſed compoſita. 37

Occurrat fortaſſe quis, dicens ſufficere, vt ille primus habitus diuidendi per nouos actus argumentationis augeatur, & magis, ac magis intendatur, vt ille, 38

ille, qui talem habitum habet, & etiam de nouo facilem sentiat ad argumentandum non quidem per nouum habitum aduenientem, sed per habitum diuidendi præexistentem magis intentum; Sed impugnatur facile, nam sicut maior, & noua intensio, actus cognitionis non versatur circa nouas partes obiecti, sed solum circa eandem obiecti partem, quam antea actus respiciebat in ordine ad quam reddit formaliter potentiam magis ac magis clarè cognoscentem, ita similiter maior, & noua intensio habitus non versatur circa nouas partes obiecti, sed circa eamdemmet obiecti partem, quam antea habitus respiciebat in ordine ad quam, potentiam reddit formaliter magis ac magis facilem ad cognoscendum, vt apud omnes in confesso est, atqui in prædicto casu habitus acquisitus per solos actus diuisionis, antequam quis se exerceret in actibus argumentationis solùm reddebat potentiam facilem ad diuidendum, non vero ad argumentandum; ergo licèt postea iste habitus intendatur, illa maior intensio reddet solum potentiam magis facilem ad diuidendum non verò ad argumentandum, quod est noua pars obiecti, igitur si posteà cum quis se de nouo in actibus argumentationis exercet, sentit potentiam facilem ad argumentandum non est, quia ille habitus diuidendi præexistens magis intenditur, sed quia nouus, & distinctus habitus, ac facilitas argumentandi per illos actus acquiritur.

39 Dicat alius cum Rubio suprà quæst. 4. Procem. ad finem, in prædicto casu, cum ille postea se exercet in actibus argumentandi habitum diuisionis, quē habebat magis intendi per nouam aliquam partem, & entitatem, quæ ei de nouo superadditur, atque ita per hanc extensionem formaliter de nouo inclinare, & facilitare potentiam ad argumentandum, quod antea habitus inextensus non præstabat, istam autem extensionem non fieri per nouum & distinctum habitum, sed per nouam partem vnius tantum habitus, quæ quidem pars non potest habitus appellari. Sed impugnatur; quia habitus est entitas quædam genita, ac relicta ex actibus quæ ad similes actus facilitat, & inclinat, vt vidimus num. 34. vt in omnium ore est, sed illa entitas, qua extenditur habitus ille diuisionis est entitas genita, ac relicta ex actibus argumẽtandi, & ad similes actus argumentandi facilitat, & inclinat, vt aduersarij fatentur, ergo talis noua entitas est nouus argumentandi habitus. Confirmatur, ideo cum quis se primò exercuit in actibus diuidendi, facilitas vt derelicta etiam in ipsorum sententia est habitus, quia est entitas genita ex actibus diuisionis, ad similes actus diuidendi facilitans, & inclinans, sed similiter illa alia extensio, & facilitas relicta ex actibus argumentationis est entitas quædam ex ipsis actibus producta ad similes actus argumentandi facilitans, & inclinans; ergo etiam est nouus habitus argumentationis; ergo Rubio cum reipsa in habituali Dialectica realem compositionem admittat, solum in vocibus à nobis dissidet.

40 Respondeat verò quispiam cum P. Vasquez suprà 1. 2. disp. 80. cap. 5. n. 27. & 28. Huiusmodi habitus extensionem fieri, non per nouam entitatem perfectam, sed per modum nouum habitus præexistentem modificantem, & extendentem, vt non solùm ad diuisionem sed etiam modo illo ad argumentationem facilitet, & inclinet, cum autem habitus non sit modus, sed res, hoc est qualitas perfecta, sequitur cùm quis in nostro casu de nouo facilitatem ad argumentandum acquirit, nouum aliquem habitum non comparare, sed nouum modum habitus præexistentis. Sed impugnatur, quia modus non potest manere sine re cuius est modus, sed illa noua entitas, & facilitas ad argumentandum potest manere sine illo habitu diuisionis præexistenti, ergo illa noua entitas non est modus habitus illius, sed nouus habitus. Consequentia tenet cum maiori, minor autem sic probatur; si quis postea quam habuerit habitum scientificum diuisionis, & illam nouam entitatem, seu facilitatem ad argumentationem incidat in errorem, circa diuisionem, amittet habitum scientificum circa diuisionem vt infrà ostendam, & sæpè contingit, tamen manebit in illo illa noua entitas, ac facilitas ad argumentandum, nam æquè se facilem experiretur ad argumentandum, ac anteà, ergo potest manere illa noua entitas, ac facilitas ad argumentationem sine habitu præexistenti diuisionis, ac proinde talis entitas de nouo aduenies non erit modus, sed noua qualitas & habitus nouus argumentationis.

Probatur secundò principaliter assertio; potest 41
quis simul habere habitum scientificum circa diuisionem, & habitum erroris circa demonstrationem; ergo potest habere reipsa habitum scientificum diuisionis, & non habere reipsa habitum scientificum demonstrationis; ergo habitus scientificus diuisionis, & habitus scientificus demonstrationis ex quibus constat Dialectica sunt re ipsa inter se distincti, ac proinde Dialectica est reipsa composita ex habitibus distinctis: hæc secunda consequentia probatur, quia realis rerum separatio ad inuicem est euidens indicium earum distinctionis; nequit enim res à seipsa realiter separari, antecedens ab omnibus debet admitti. Primam autem consequentiam sic demonstro: habitus scientificus, & habitus erroneus, circa idemmet obiectum v. g. circa demonstrationem contrariè inter se opponuntur, sicut calor, & frigus, atque ideo non possunt esse naturaliter in eodem subiecto simul, ergo cum quis habet habitum erroneum circa demonstrationem, non habet simul habitum scientificum circa demonstrationem; ergo siquis habet simul habitum scientificum circa diuisionem & habitum erroneum circa demonstrationem consequenter habebit habitum scientificum circa diuisionem, & non habebit tunc habitum scientificum circa demonstrationem, ac proinde talis habitus re ipsa sunt inter se distincti.

Probatur tertiò principaliter à priori; habitus est 42
semen actus à quo genitus est, vt suprà num. 34. ex communi omnium sententia docuimus, sed semen non producit nisi effectum similem illi principio, à quo ipsum productum vel decisum est, neque enim semen hominis producit naturaliter equu, sed alium hominem, neque semen equi producit naturaliter hominem, sed alium equum; ergo habitus naturalis non producit naturaliter, nisi actus similes illis actibus à quibus vel vt eorum semen, ipse productus est, ergo habitus solùm productus ex actibus diuisionis solùm producit naturaliter alios actus circa diuisionem, & non actus circa argumentationem, & habitus tamen productus ex actibus circa argumentationem tantùm producit actus alios circa argumentationem, & non actus circa diuisionem, atque ideo habitus isti diuisionis & argumentationis erunt habitus re ipsa distincti, & consequenter Dialectica ex illis constans erit verè composita ex pluribus habitibus distinctis.

Obiiciat aliquis primò, Dialectica habitualis si- 43
cut & quælibet alia scientia est perfectio intellectus, ergo cum illo debet proportionari, sed intellectus est simplex qualitas, ergo etiam Dialectica habitualis est etiam simplex qualitas, aliàs illi non proportionaretur.

Confirmatur, habitus supernaturalis fidei verbi gratia, vel charitas est qualitas simplex, sed habitus naturalis, & supernaturalis secluſa ratione naturalis, & supernaturalis, in qua differunt, in aliis,

æquale

æquales ſunt, & conueniunt; ergo habitus naturalis, verbi gratia, habitus dialecticæ eſt ſimplex qualitas. Reſpondeo, Dialecticam eſſe perfectionem intellectus, non omnimodam, ſed aliqualem, & aliqua ratione cum illo proportionari, quia ſicut ipſe intellectus, etiam Dialectica eſt qualitas ſpiritualis, & intellectualis, non verò in omnibus cum illo commenſurari, quia non eſt æqualis perfectionis; ac proinde licèt intellectus ſit qualitas ſimplex, & indiuiſibilis, Dialectica habitualis compoſita, & diuiſibilis eſt, ſicut etiam in aduerſariorum ſententia, intellectus non poteſt intendi, & habitus Dialecticæ verè intenſibilis eſt.

44 Ad confirmationem Reſpondeo, habitum ſupernaturalem, & habitum naturalem etiam præciſa ratione ſupernaturalis, & naturalis in hoc differre inter ſe, quod habitus ſupernaturalis eſt valde perfectus, & dat ſimpliciter poſſe ſicuti potentia, & non eſt ſemen actuum neque ex illis generatur, ſed à ſolo Deo infunditur ad ſimpliciter operandum, atque ideo ſimilatur potentiæ, vnde ſicut eadem ſimplex potentia datur ad diuerſos actus reſpicientes diuerſa obiecta formalia in ſpecie, ita etiam idem habitus ſupernaturalis datur ſimplex, & indiuiſibilis ad actus diuerſos ſpecie; at verò habitus naturalis Logicæ eſt imperfectus, veluti noſtris actibus acquiſitus non dans ſimpliciter, ſed ſolùm facilè poſſe, & generatur ex actibus, eſt ſemen eorum atque ideo cum illis proportionatur, ac proinde ſi actus ſunt ſpecie diuerſi, circa diuerſa obiecta formalia v. g. circa diuiſionem, & demonſtrationem, diuerſi etiam habitus alter ad diuidendum alter ad demonſtrandum, ex quibus dialectica componatur debent progigni.

45 Obiiciat ſecundò: ſi aliqua ratione habitus circa diuiſionem, & habitus circa demonſtrationem, quibus conſtat dialectica, eſſent reipſa diſtincti, maximè quia cum quis ſolùm ſe exercet in actibus diuiſionis, & non in actibus demonſtrationis, eſt facilis ad diuidendum, & nullam habet facilitatem ad demonſtrandum, ſed hæc ratio non eſt ſufficiens: ergo habitus illi non diſtinguuntur, atque ita dialectica non eſt compoſita ex habitibus diſtinctis. Probatur minor, ſiquis ſe exercet in actibus temperantiæ in materia cibi, & non in materia potus eſt facilis ad temperatè comedendum, & ſæpè nullam habet facilitatem ad temperatè bibendum, & tamen non dantur diſtincti re ipſa habitus temperantiæ, ſed idem ſimplex habitus ad temperatè comedendum & ad temperate bibendum: ergo licet quis ſit facilis ad diuidendum, & nullam habeat facilitatem ad demonſtrandum, non ſequitur, quod ſint diſtincti habitus reipſa, ſed idem habitus ſimplex ad diuiſionem, & demonſtrationem, ac proinde prædicta noſtra ratio non eſt ſufficiens.

46 Reſpondeo, habitum ſimplicem acquiſitum ex actibus temperantiæ comedendi ſemper ex inclinare, & facilitare aliquo modo ad temperate etiam bibendum: nam cùm habitus temperantiæ ſolum per ſe reſpiciat bonitatem motiuam temperantiæ, non vt contractam ad materiam cibi, hoc enim reſpicit ſolum materialiter, & per accidens, ſed bonitatem illam ſecundùm ſe, ad illamque amplexandam voluntatem facilitet, & inclinet in quacumque materia, hæc temperantiæ bonitas reperiatur, ſiue in materia cibi, ſiue in materia potus, ex ſe inclinabit, & facilitabit voluntatem ad illam, atque ita talis habitus ex ſe æque inclinat ad temperatè comedendum, & ad temperate bibendum, licèt propter maiorem reſiſtentiam, & difficultatem, quæ aliquando eſt in materia potus, quàm in materia cibi; non ita vehementer voluntas per illum habitum ad temperatè bibendum, quam ad temperatè comedendum inclinetur, ſi autem ille habitus per actus temperantiæ etiam in materia cibi ſæpe repetitos intendatur, magis, ac magis inclinabit, ac facilitabit magis, ac magis potentiam ad vincendas difficultates, & amandam bonitatem temperantiæ etiam in materia potus, ac proinde ad temperatè bibendum non datur habitus reipſa diſtinctus ab illo, qui datur ad temperatè comedendum: at vero habitus genitus ex actibus diuiſionis ſolum reſpicit per ſe ipſam formalem rationem diuiſionis, cum autem hæc ratio non inueniatur etiam formaliter in demonſtratione, ſed alia ratio demonſtrationis ſpecie diſtincta, idcirco ille habitus diuiſionis ſolùm facilitat potentiam ad actus circa diuiſionem, & nullam dat illi facilitatem ad actus circa demonſtrationem, & ideò ad actus iſtos verſantes, circa demonſtrationem debet dari habitus reipſa diſtinctus ab illo, qui datur ad actus circa diuiſionem, quo clarè argumentum diſſoluitur, ex quo fit, quotieſcumque eſt noua ratio formalis ſpecie diuerſa ex parte obiecti diuerſum reipſa habitum dari reſpectu illius ex parte potentiæ, atque ita diuerſus habitus datur ad diuiſionem & diuerſus ad definitionem, & diuerſus ad demonſtrationem à priori, & diuerſus ad demonſtrationem à poſteriori, & ſic de reliquis.

Obiiciat tertiò: Dialectica eſt ſcientia, & qualitas vna per ſe, cum in prædicamento qualitatis collocetur, ad prædicamentum enim ens per accidens non ſpectat, ſed ſi dialectica eſſet ex pluribus habitibus compoſita, & non ſimplex qualitas, non eſſet vna per ſe, ſed ens omnino per accidens, etenim habitus illi non vnirentur per ſe: ergo dialectica eſt ſimplex qualitas, & non ex pluribus habitibus compoſita. Et quidem quod habitus, illi non vnirentur per ſe ac ideo vnam per ſe dialecticam non conflarent, primò probatur à priori: illa vniuntur per ſe, quorum vnum ordinatur natura ſua ad aliud, alioquin quodlibet erit natura ſua ens completum actu, & ex duobus entibus in actu non fit vnum per ſe, ſed ſi dialectica conſtaret ex pluribus diſtinctis habitibus vnus natura ſua non ordinaretur ad aliud vt oſtendi ſupra diſput. 1. cap. 6. ergo tales habitus non vniuntur per ſe: Secundò probatur à ſimili, habitus ex actibus geniti idem habent habitualiter, quod habent actus actualiter, ſed duo actus definitionis v. g. & demonſtrationis, etiamſi ſimul ſint in eodem ſubiecto, non vniuntur actualiter per ſe, ergo duo habitus definiendi, & demonſtrandi non vnientur etiam habitualiter per ſe, Reſpondeo habitus, ex quibus conſtat dialectica non vniri per ſe inter ipſos, ſed ſolùm per accidens vnitate quadam aggregationis in eodem ſubiecto, non enim omnia obiecta ſcientiæ attinguntur ſub vna ratione formali, quia non eſt in omnibus obiectis ſcientiæ aliqua formalitas intrinſeca communis, quæ ſola cognoſcatur ſcientia, licet omnia conueniant in ordine ad obiectum attributionis, valde tamen differunt inter ſe, vnum enim dicit ordinem cauſæ, aliud ordinem effectus, aliud partis, quæ diuerſitas ordinum nequit cognoſci per vnum habitum ſimplicem & indiuiſibilem, ſed per multos inter ſe extrinſecè colligatos, vt enim ex pluribus qui ſub generali Duce militant aggregatim ſumptis, vnus reſultat exercitus, & ex pluribus domibus colligatis, quæ eodem vallantur muro, vna ciuitas conſurgit; ita ex pluribus habitibus circa modum ſciendi aggregatis, & colligatis in eodem ſubiecto, & per ordinem ad idem obiectum attributionis vna dialectica completa, atque totalis coaleſcit, quæ licet non ſit ens per ſe, ſed ens per accidens, ponitur in prædicamento qualitatis, quia cum aliis ſcientiis completis ad modum entis per ſe, hoc eſt, per modum generis, vel

47

speciei, partis, causæ principij, vel proprietatis pertinentis ad vnum attributionis obiectum, à nobis concipitur, quod sufficit, vt vna scientia totalis dialectica appelletur, non vnitate physica sed vnitate logica sui ordinis.

48 Sed vrgeat aliquis; habitus isti Dialecticæ non magis aggregantur, & coadunantur inter se in ordine ad modum sciendi, & obiectum attributionis, quàm cum aliis habitibus aliarum scientiarum in ordine ad scibile vt sic, siquidem omnes in vno, ac eodem subiecto sunt, ergo si omnis habitus dialecticæ in ordine ad modum sciendi constituunt vnam completam dialecticam, omnes actus aliarum scientiarum, etiam in ordine ad scibile vt sic, constituunt vnam completam scientiam, ac proinde vnica tantùm erit sciẽtia totalis, quod absurdũ videtur, cùm nullus Philosophorũ id admiserit. Arbitror sanè cum doctissimis Philosophis distinctiones, ac diuisiones scientiarum, non ex ipsarum natura intrinseca, sed dumtaxat ex extrinseca Philosophorum partitione prouenire, qui illas claritatis gratia, sic pro suo libito distinguere, ac diuidere voluerunt, sicuti enim Cosmographi omnes mundi prouincias diuiserunt, in Asiam sic nuncupantes Prouincias Orientales, & in Africam, sic appellantes Prouincias Meridionales, & in Europam sic appellantes Prouincias partim Occidentales, partim Septentrionales, quamuis Prouinciæ Orientales non maiorem connexionem, & vnitatem habeant inter se, quam cum aliis Prouinciis Meridionalibus, aut Septentrionalibus, sed causa distinctionis, & claritatis, sic illas pro suo libito partiti sunt; ita similiter Philosophi omnes habitus scientificos diuiserunt in Dialecticam sic appellantes eos habitus, qui respiciunt modũ sciendi & in philosophiã (si fortè Dialectica, & physica diuersas scientias constituant, quod modò non definio) sic vocantes illos habitus, qui ad ens naturale tendunt, & in Metaphysicam sic nuncupantes habitus illos, qui ad ens à materia abstractum feruntur, & sic de aliis; quamuis habitus dialecticæ non maiorem vnionem & connexionem habeant inter se quàm cum aliis habitibus aliarum scientiarum pro solo enim suo arbitratu maioris distinctionis, atque claritatis gratia, sic omnes illos habitus partiti sunt, vt non vnam scientiam, sed plures scientias determinatas censeantur constituere, quod postea omnium Posteriorum, qui Antiquos illos Philosophos tamquam in naturalibus scientiis Principes sunt sequuti, communi approbatione receptum est, & idcircò habitus omnes scientifici non vnam solum scientiam, sed plures scientias constituunt.

49 Oportet tamen quoad modum loquendi aduertere posse dici esse plures dialecticæ habitus, & vnum etiam habitum compositum, & completum ex pluribus collectiuè, & subordinatis inter se, & in ordine ad perfectam cognitionem vnius obiecti attributionis, vel modi sciendi, non verò vnum simplicem habitum vnitate physica sed ordinationis, & aggregationis, quia prædicta dialecticæ vnitas non est exacta, & perfecta vt Suarez ait prædicta sect. 11. n. 48. sed quasi artificialis conflans ex pluribus modo supra explicato, non tamen posse dici esse plures Dialecticas, aut Logicas, quia hæc nomina sunt collectiua, & imposita ad significandum collectionem omnium habituum, qui modum sciendi, eius partes, principia, atque passiones respiciunt, & ideò non potest hoc nomen tribui singulis partibus illius, sed aggregato; vnde sicuti non sunt plures collectiones, & aggregata horum habituum, sed vna, ita non sunt plures Dialecticæ, sed tantùm vna.

DISPVTATIO III.

De Dialectica in ordine ad alias scientias.

TRIA capita continebit; in primo inquiro, vtrùm dialectica omnino ab aliis scientiis dissideat: in secundo an Logica sit necessaria ad alias scientias capessendas? in tertio an dialectica physicum habeat influxum in aliarum scientiarum actus.

CAPVT I.

Vtrum Dialectica omnino ab aliis scientiis dissideat.

SVperius disp. 2. cap. 7. asseruimus dispositionem artificiosam, seu dialecticum artificium actuum intellectus re ipsa ab ipsis actibus non distingui artificium quidem, quod habent in ordine ad sua obiecta, vt dispositio artificiosa definitionis, diuisionis, & argumentationis, est ipsemet actus definiens, & explicans essentiam rei per genus, & differentiam & sic de aliis.

Hinc ratio insurgit, ad probandum dialecticam à 1
Physica adæquatè non distingui, sed esse partem illius: nam scientiæ in communi sententia distinguntur per obiecta diuersa, sed Physica secundùm aliquam sui partem, quæ agit de actibus intellectus in lib. de anima, habet idemmet obiectum, quod dialectica; ergo dialectica non distinguitur à Physica, quoad aliquam partem istius ac proinde erit eius pars. Probatur minor, dialectica habet pro obiecto actus intellectus, considerat enim earum dispositionem artificiosam quæ reipsa ab ipsis actibus non distinguitur, atque ita considerat, & habet pro obiecto actus ipsos, atqui Physica quæ agit de anima, eius passionibus & effectibus etiam considerat, & habet pro obiecto ipsos actus intellectus, ergo Physica secundum aliquam partem sui habet idem obiectum, quod dialectica.

Recentiores quidam asserunt Physicam, & dia- 2
lecticam habere idem obiectum materiale, cum vtraq; vt probatum est, respiciat actus intellectus, non verò habere idem obiectum formale, quod ab ipsis vocatur ratio formalis *sub qua*, vel *propter quam*, nam Physicus formaliter considerat actus intellectus secundùm eorum naturam, dialectica verò respicit formalissimè rationem modi sciendi, & dispositionis artificiosæ, quæ in ipsis relucet. Sed impugnatur apertè, quia Physica considerat formaliter, vt ipsi asserunt, actus intellectus secundùm eorum naturam, sed natura actus definitionis est esse modum sciendi, ac definitionem essentiæ rei per genus, & differentiam, quod est dispositio artificiosa talis actus essentialis ipsi, ergo Physica etiam formaliter considerat actum definitum secundùm rationem modi sciendi, & dispositionis artificiosæ, quæ in ipso relucet, igitur cum hoc etiam sit formale obiectum dialecticæ, Physica & dialectica habent idem obiectum formale, & per consequens non distinguntur.

Arbitrantur alij Physicam secundum illam par- 3
tem, & dialecticam idem etiam formale obiectum habere, vt ostensum est, illud tamen diuerso modo respicere, nimirum Physicam considerare actus intellectus in earum præcisè contemplatione sistendo, atq; ideo speculatiuè, Dialecticã verò eosdem considerare

in ordine

in ordine ad definitionem, diuiſionem, & argumentationem, vt rectè fiant, atque ita modo operabili, & practico, & ex hoc diuerſo modo reſpiciendi idem formale obiectum, Philoſophiam, & Dialecticam verè inter ſe diſtingui. Sed impugnatur, nam conſiderare obiectum modo operabili, & practico, in ordine ad opus, eſt ſolùm conſiderare illud vt poſſibile, ac factibile ab ipſo ſciente, ſcientia enim practica Dei, quâ omnia creata producit non alia ratione, aut modo tendit in ſuum obiectum, niſi conſiderando creaturas, vt poſſibiles & factibiles ab ipſo Deo ſciente, & tamen tendit ad illas modo practico, & operabili, ac in ordine ad opus, vt omnes fatentur, atqui Philoſophia conſiderat actus definitionis, aut diuiſionis vt poſſibiles & factibiles ab intellectu, cuius eſſentiam perquirit, ergo Philoſophia conſiderat etiam ſuum obiectum ipſos ſcilicet actus definitionis & diuiſionis modo practico, & operabili, & in ordine ad opus, ergo Philoſophia, & Dialectica idem formale obiectum reſpiciunt, & eodem modo. Deinde Dialectica aliqua ex parte eſt ſpeculatiua, & conſiderat actus intellectus modo ſpeculatiuo in eorũ præcisè cõtemplatione ſiſtendo, vt oſtendi ſuprà diſp. 2. c. 2. n. 29. ergo Dialectica ſaltẽ ex hac parte, & Philoſophia non diſſident, ergo Dialectica non eſt omnino diſtincta à Philoſophia ſed aliquo modo eſt pars illius.

4 Opinantur alij Philoſophiam conſiderare formaliter definitionem, & diuiſionem ſecundùm ſe vt præcisè ſunt actus definitionis, & diuiſionis, Dialecticam verò ſolùm conſiderare formaliſſimè denominationes definiti, & diuiſi, quæ ex ipſis actibus reſultant. Sed impugnantur, nam ſi velint dicere illas denominationes definiti, & diuiſi eſſe entia rationis, & ex illis actibus pullulantia, vel denominationes reales extrinſecas ab ipſis actibus definitionis & diuiſionis extrinſecè prouenientes, qui per ſe ipſos formaliter res extrinſecè denominant definitas, & diuiſas, facile conuincuntur, quia in hac ſententia impoſſibile omnino eſt cognoſcere actum vt definientem, quin etiam cognoſcatur aliqua res, quæ definiatur, & denominetur definita, ſicut impoſſibile eſt cognoſcere actionem agentem abſque eo, quod cognoſcatur aliqua res, quæ efficiatur, & denominetur acta per illam, ſicuti enim actio dicit ordinem eſſentialem ad rem actam, ita definitio ad rem definitam, ſed vt contrarij aſſerunt Philoſophia conſiderat actum vt definientem formaliter, ergo etiam conſiderat rem vt formaliter definitam, immò vt melius dicam, idem formaliſſimè eſt, actum eſſe definientem rem, & rem eſſe per actum definitam, eadem enim formalitas, modò actiuè, modò paſſiuè ſignificatur; ergo Dialectica conſiderans rem definitam conſiderat etiam actum illam formaliter definientem, & Philoſophia formaliter conſiderans actum definientem rem, conſiderat etiam ipſam formaliter per actum definitam: adde, quod Dialectica ipſam definitionem definit, & docet eſſe orationem explicantem eſſentiam rei per genus & differentiam, ſed hoc formaliter conuenit ſoli actui definienti, ergo Dialectica etiam conſiderat formaliter ipſum actum definientem, ergo in hoc à Philoſophia non differt.

5 Reſpondent denique alij Philoſophiam conſiderare actus intellectus ſecundum rationes communes vitalitatis, ac intellectionis, ſecundùm quas formaliter à potentia vitali intellectiua profluunt, Dialecticam verò illos conſiderare ſecundum rationes particulares definitionis, aut diuiſionis, aut alterius rectitudinis artificioſæ, nec enim ſcientia agens de aliquo obiecto, tractat de omni eius effectu, ſub omni ratione formali illius. Sed impugnatur etiam, quia ſicut eſt ſcientia, nempe Dialectica, quæ formaliter conſiderat, & reſpicit actus intellectus, ſecundùm diſpoſitionem quamdam artificioſam, ita etiam eſt alia ſcientia, quæ conſiderat, & reſpicit formaliter actus voluntatis ſecundùm rectitudinem quamdam moralem, ſed hæc ſcientia quæ reſpicit actus voluntatis, qui abſolutè conſiderantur à Philoſophia non eſt ſcientia omnino à Philoſophia diſtincta, ſed pars illius, & dicitur Philoſophia moralis, ergo illa etiam ſcientia nempe dialectica cum formaliter reſpiciat actus intellectus, qui abſolutè conſiderantur à Philoſophia non erit à Philoſophia omnino diſtincta, ſed pars illius, & dicetur Philoſophia artificialis, ſeu rationalis, ego quidem rationem diſparitatis non apprehendo.

Assertio ergo ſit, Dialectica non eſt omnino à 6
Philoſophia diſtincta ſed pars quædam illius, nimirum Philoſophia rationalis, ita communiter omnes antiqui Philoſophi Plato, & Ariſt. vt refert Euſebius de præparatione euangelica cap. 1. vbi Philoſophiam in tres partes diſtribuit, naturalem, moralem, & logicam, quem ſecutus eſt Auguſt. 8. de ciuitate Dei cap. 4. Hurtado diſp. 1. Metaph. ſect. 6. & Stoïci ex Laertio in vita Zenonis, quos ad longum refert, & ſequitur Paulus Vallius cap. 1. ſuæ Logicæ part. 2. q. 4. c. 19. Complutenſes diſp. 1. Procemialium qu. 6. n. 72. Fonſeca 2. Met. c. 3. q. 3. ſect. 3. Conimbr. qu. 4. Procem. art. 4. contra Pereiram & alios, Arriaga diſp. 2. Logicæ in fine aſſerit Logicam eſſe partem Philoſophiæ, & ab ea diſtingui ſolum inadæquatè vt incluſum ab includente, & partem à toto, & eſſe communiſſimam ſententiam inter Doctores. Probatur aſſertio: ſcientiæ ſolùm diſtinguntur inter ſe ex extrinſeca partitione Philoſophorum, vt oſtenſum eſt ſuprà diſp. 2. cap. 3. n. 46. atqui principaliores Philoſophi, nimirum Ariſt. Philoſophiæ Princeps, Platus, qui nimirum ſapientia floruit, ac omnes Stoïci, qui etiam valdè in Philoſophia excelluerunt, à Philoſophia non diſtinxerunt Dialecticam, ſed potiùs diuiſerunt Philoſophiam in naturalem, moralem, & rationalem, hoc eſt, Dialecticam vt videre eſt apud Tullium 1. academicarum quæſtionum, Plutarchum lib. 1. de placitis Philoſophorum cap. 1. Auguſtinum ſuprà, Euſebium, & alios, ergo Dialectica non diſtinguitur à Philoſophia, ſed eſt quædam pars illius, nempe Philoſophia realis, cum ſit verè ſcientia vt ſuprà etiam probatum eſt diſp. 2. cap. 1. n. 14. qua ratione verò eſt inſtrumentum ad alias ſcientias, non contineri ſub Philoſophia, vt principalis pars, ſed vt quid reductum ad illam vt docet D. Thomas opuſc. 70. q. 5. art. 1. ad 2.

Verùm aliquis obiiciat plura Ariſt. teſtimonia, 7
quæ congerunt Conimbricenſes qu. 4. Procem. art. 4. circa principium, quibus Philoſophus aſſerit Dialecticã eſſe addiſcẽdam ante Philoſophicas diſciplinas, atque ita videtur ſentire Dialecticam non eſſe Phyſicam diſciplinam, ſed omnino à Philoſophia diſtingui. Reſpondeo non ſemper Philoſophos eadẽ pacto Philoſophiam vſurpare, ſed aliquando Philoſophiam acçepiſſe pro illa facultate, quę attingit res per ſuas cauſas, & in hac acceptione etiã Metaphyſicam primam Philoſophiam appellarunt, interdum etiam Philoſophiam accepiſſe pro illa facultate, ſeu ſcientia, quæ purè obiectum ſpeculatur, & in hac acceptione Ariſt. in illis libris aſſeruit Dialecticã, quæ non eſt ſcientia purè ſpeculatiua, ſed etiam practica addiſcendum, eſſe ante Philoſophicas diſciplinas, hoc eſt ante ſcienomnes ſpeculatiuas, ſæpè etiam Philoſophiam accepiſſe pro illa ſcientia, quæ ens naturale, eius partes, principia, paſſiones, & actus, quauis ratione conſiderat, & iuxta hanc acceptionem quæ frequentior, & vſitatior apud Philoſophos eſt, Philoſophiam diuiſerunt, in realem, quæ ipſas naturas conſide

considerat, & in moralem, quæ dirigit actus voluntatis, & in rationalem, nempe dialecticam quæ dirigit actus rationis, atque ita iuxta communem & tritam Philosophiæ vsurpationem, Dialectica à Philosophia adæquatè non dissidet, sed tanquam pars à toto.

CAPVT II.

An Logica necessaria sit ad alias scientias capessendas.

8 PRæmitto primò, Dialecticam, aliam esse naturalem, aliam artificialem, dialectica naturalis est ipsum naturale lumen intellectus, quo quis in aliquo perficiendo syllogismo bonam esse illationem, & consequentiam vnum ex alio naturaliter, & sine discursu, & artificio cognoscit, vt si alicui hic syllogismus offeratur, omnis homo potest ridere, sed Petrus est homo, ergo Petrus potest ridere, naturaliter cognoscit bene illam conclusionem ex his præmissis inferri; Dialectica artificialis est illa, qua quis cum artificio, ac discursu bonam aliquam illationem, aut alium modum sciendi penetrat; hæc dialectica rursus diuiditur in actualem, & habitualē; dialectica actualis, est actualis illa cognitio, qua modus sciendi, vel dispositio aliqua actuum intellectus artificiosa cognoscitur, vt cognitio definitionis, aut diuisionis. Dialectica habitualis est quædam qualitas, seu habitus naturalis residens in intellectu, mediis Dialecticæ actibus acquisitus, qui ad similes alios actus circa modum sciendi versantes eliciendos, intellectum ipsum facilitat & inclinat.

9 Præmitto secundò, dupliciter posse aliquid esse necessarium ad aliud. Primò potest esse necessarium simpliciter, ita vt absolutè sine illo aliud haberi non potest, vt obseruantia mandatorum Dei est in adultis simpliciter necessaria ad vitam æternam obtinendam, hæc enim non potest absolutè & simpliciter obtineri, ab illis sine illa, & vita naturalis sine cibo & respiratione. Secundò potest esse aliquid necessarium solum secundum quid, hoc est vtile ad aliud obtinendum, quia scilicet aliud absolutè possit obtineri sine illo, ad cuius tamen assequtionem iuuat, vt impletio consiliorum Christi Domini non simpliciter requiritur, sed iuuat magnoperè ad vitam æternam adipiscendam. Quærimus ergo nunc, an, & quo pacto dialectica sit ad alias scientias addiscendas necessaria & quænam dialectica requiratur.

10 Tres narrabo sententias, prima est dialecticam naturalem omnino necessariam esse ad quamlibet scientificam cognitionem; dialecticam verò artificialem solùm ad perfectè scientias alias capessendas, ita Complutenses hic disp. 1. quæst.7. Ioannes à sancto Thoma q.1. art.1. Franciscus Alphonsus disp. vnica Procem. sect. 1. Arriaga disp.3. Logicæ sect.4. Toletus hic q.1. Rubio etiam q. 1. Sotus, Auersa, Masius hic sect.2. quæst.3. Sanchez, Didacus à Iesu, Gallego, & alij plures. Secunda sententia est Logicam non esse omnino, ac simpliciter necessariam ad perfectè, & exactè, seu in statu perfecto scientias alias comparandas, ita Scotus 1. met. q. 1. Iandunus 2. met. q.12. Araujo, Massio, Lerma. Tertia docet dialecticam naturalem non necessario requiri ad omnem scientificam cognitionem, sed aliquam posse haberi sine illa, artificialem autem solum esse necessariam, vt aliæ scientiæ ordinatè, breuiter, & sine periculo erroris, ac faciliùs addiscantur. Primam partem tenent doctissimi recentiores, & eam clarè defendit Franciscus Alphonsus suprà conclusione prima, & secundam plures ex citatis pro prima sententia, vt Complutenses, Ioannes à sancto Thoma, Auersa Conimbr. hic quæst. 6. art. 2. Fonseca 2. met. cap. 3. Carleton disp. 11. Log. sect. 1. & dum tertia sententia docet dialecticam naturalem non esse necessariam simpliciter ad aliquam cognitionem scientificam non intendit lumen seu numen naturale intellectus non esse necessarium, quia ipsum intellectum appellamus Logicam naturalem, & sine ipso intellectu nulla potest haberi cognitio, sed intelligitur de actu intellectus, qui sine ipso intellectu produci nequit. His positis claritatis gratia sit,

ASSERTIO I: Dialectica habitualis non est necessaria simpliciter ad alias scientias etiam perfectè adquirendas. 11 In hac omnes conueniunt. Probatur; habitus Dialecticæ, seu (quod idem est) dialectica habitualis eatenus solùm ad alias scientias requiritur, quatenus requiritur, vt intellectus eliciat actus dialecticæ, seu (quod idem est) dialecticam actualem, à qua aliæ scientiæ dirigantur, atqui habitus dialecticæ non requiritur simpliciter, vt intellectus actum dialecticæ eliciat, sed tantum secundùm quid, vt eum facilius eliciat: nam hoc est omni habitui naturale, non requiri ad simpliciter posse sed solum ad facile posse, vt dicam lib. de anima, ergo habitus dialecticæ, seu dialectica habitualis non est necessaria simpliciter, sed tantum secundùm quid, ad alias scientias acquirendas.

ASSERTIO II. Dialectica etiam naturalis actualis, hoc est, cognitio logica clara de bonitate illationis non est simpliciter necessaria ad omnem cognitionem scientificam comparandam, sed aliquis assensus scientificus potest haberi sine illa. 12 Ita plures recentiores pro tertia sententia commemorati. Probatur breuiter, in hoc syllogismo, omne rationale est risibile, sed omnis homo est rationalis; ergo omnis homo est risibilis, positis duabus præmissis, quibus scilicet ego euidenter assentiam, omne rationale est risibile, & omnem hominem esse rationalem, possum clarè, & euidenter assentiri conclusioni, nempe omnem hominem esse risibilem absque alia logica cognitione reflexa de bonitate illationis, sed talis assensus & cognitio conclusionis erit scentificus, quia erit clara, & euidens rei cognitio per causas, in quo consistit formaliter ratio scientiæ: ergo potest aliqua cognitio, & assensus scientificus haberi absque logica cognitione reflexa de bonitate illationis, ac per consequens absque illa dialectica naturali; Consequentia est euidens cum minori, maior probatur primò à simili; Præmissæ quibus clarè assentior, omne rationale esse risibile, & omnem hominem esse rationalem, tam clarè proponunt mihi veritatem conclusionis in ipsis inclusam nempe omnem hominem esse risibilem, quam apprehensiones veritatum præmissarum, quibus scilicet ego solùm apprehendo, omne rationale esse risibile, & omnem hominem esse rationalem, proponunt mihi ipsas præmissarum veritates, siquidem tam necessitatus maneo ad assensum conclusionis suppositis euidentibus præmissis, quam ad assentiendum veritatibus præmissarum suppositis apprehensionibus; atqui positis apprehensionibus euidentibus circa veritates præmissarum possum illis clarè, & euidenter assentiri absque alia cognitione reflexa, qua iudicem me rectè posse illis assentiri, vt omnes fatentur: ergo etiam positis euidentibus præmissis, potero clarè, & euidenter assentiri, & inferre conclusionem absque alia cognitione reflexa de bonitate illationis, qua iudicem rectè inferri conclusionem ex præmissis. Secundò eadem maior ostenditur à priori ex eo præcisè, quod intellectus clarè, & euidenter cognoscat

cognoſcat aliqua duo in creatis eſſe reipſa identificata vni tertio, manet neceſſitatus ad clarè aſſentiendum, illa duo eſſe idem reipſa inter ſe, vt omnes admittunt, ſed in prædicto caſu per illas ſolùm præmiſſas, quibus intellectus clarè cognoſcit, omne rationale eſſe riſibile, & omnem hominem eſſe rationalem, clarè, etiam euidentérque cognoſcit, hæc duo, ſcilicet, hominem & riſibile reipſa identificari in vno tertio videlicet in rationali, ergo poſitis præcisè his præmiſſis euidentibus manet intellectus neceſſitatus ad clarè aſſentiendum illa duo, hominem ſcilicet, & riſibile, eſſe idem inter ſe, ſeu quod idem eſt ad aſſentiendum hominem eſſe riſibilem, quod eſt aſſentiri concluſioni, igitur poſitis præmiſſis illis euidentibus præcisè intellectus eſt non ſolùm potens, ſed etiam neceſſitatus ad clarè aſſentiendum concluſioni, ac proinde abſque Logica cognitione reflexa de bonitate illationis hanc aſſertionem fuſius cum de ſyllogiſmo diſſeram demonſtrabo.

13 Obiiciat autem quiſpiam, ſi aliquis dubius ſit de bonitate illationis non poteſt ſcientifice aſſentiri concluſioni, vt quiſquis facilè admittet, ergo neceſſariò requiritur, quod aliquis certò ſciat bonitatem illationis ad hoc vt poſſit elicere aſſenſum ſcientificum concluſionis, ergo dialectica naturalis, hoc eſt, cognitio clara de bonitate illationis ad omnem aſſenſum ſcientificum ſimpliciter neceſſaria eſt; Reſpondeo, impoſſibile omninò eſſe, quod poſitis præmiſſis claris, & euidentibus ex quibus clarè inferatur concluſio intellectus dubius ſit de bonitate illationis, nam illæ præmiſſæ euidentes illum, quoad ſpeciem neceſſitant ad non dubitandum de tali illatione, vnde ſi intellectus ſit dubius de bonitate illationis dubius neceſſariò erit de bonitate præmiſſarum aut illam clarè & euidenter non cognoſcet; cum ergo ad aſſenſum ſcientificum concluſionis requiratur, quod quis non ſit dubius, ſed clarè, & euidenter cognoſcat veritatē præmiſſarum, requiritur conſequēter, quod non ſit dubius de bonitate illationis, cum qua dubitatione eſſe non poteſt certitudo, & euidentia præmiſſarum ad aſſenſum ſcientificum neceſſaria, vt non requiritur, quod poſitiuè ſit certus, & clarè cognoſcens bonitatem illationis, quia abſque hac certitudine, & euidentia de bonitate illationis datur claritas, & euidentia præmiſſarum, quæ tantum requiritur ad aſſenſum ſcientificum concluſionis, vt oſtenſum eſt, alia poſſent ex Ariſtotele obiici, quæ loco citato diluam.

14 Assertio III. Actualis dialectica artificialis non eſt abſolutè, & ſimpliciter neceſſaria ad alias ſcientias etiam exactè, atque completè acquirendas, ita auctores ſecundæ & tertiæ ſententiæ. Probatur primò, quando aliqua res eſt ſimpliciter neceſſaria ad habendām aliam, hæc abſolutè non poteſt obtineri ſine illa, vt vidimus num. 8. Sed poteſt quis obtinere exactè, & completè alias ſcientias abſque Dialectica artificiali, immò abſque illa plures antiqui Philoſophi eas de facto conſequuti ſunt, vt referunt Conimbricenſes Proœm. articulo 1. ergo Dialectica artificialis non eſt ſimpliciter neceſſaria ad alias ſcientias exactè acquirendas & aſſequendas. Probatur, ſecundò à priori; ad quemlibet aſſenſum ſcientificum in quauis materia, & circa quamcumque veritatem ſolùm deſiderantur, & cognitio euidens principiorum, & cognitio etiam clara de bonitate illationis concluſionis ex præmiſſis (dato quod hæc etiam neceſſaria ſit) atqui intellectus abſque Dialectica artificiali poteſt euidenter cognoſcere principia, & etiam clarè iudicare de bonitate illationis, ergo intellectus abſque Dialectica artificiali poteſt abſolutè & ſimpliciter in quauis materia, & circa quamcumque veritatem quemlibet aſſenſum ſcientificum comparare, ac per conſequens ſcientias alias perfectè & exactè acquircre. Minor probatur, & primùm quod intellectus poſſit abſque Dialectica artificiali cognoſcere euidenter prima principia patet, quia prima principia ſunt per ſe nota, ergo abſque Logicæ iuuamine per ſe ipſa immediatè ipſi intellectui clareſcunt, & ab illo euidenter cognoſcuntur. Deinde quod etiam poſſit intellectus abſque Logica cognoſcere bonitatem illationis, ſic oſtenditur: ſi bene prima principia, ac præmiſſæ euidentes, ex quibus neceſſariò concluſio ſequitur, diſponantur, neceſſitatus eſt quoad ſpeciem intellectus ad clarè cognoſcendum bonitatem illationis, vt ſuprà num. 12. tradidimus, atque ita facilè ſine præſidio Dialecticæ, poterit clarè cognoſcere bonitatem illationis, ſed intellectus ingenij acumine pollens abſque Dialectica artificiali, poteſt principia clarè, & euidenter præmiſſas, quas in ſe habet, aptè, & conuenienter diſponere in quauis materia, vt experientia, & exemplum veterum Philoſophorum teſtatur; ergo poteſt etiam intellectus abſque præſidio Dialecticæ in quauis materia euidenter cognoſcere bonitatem illationis, atque ita ſcientias exactè acquirere, quamuis ad id aſſiduus labor, atque continuum ſtudium neceſſaria ſint.

Assertio IV. Actualis dialectica artificialis neceſſaria eſt omninò ad alias ſcientiias breuiter, ordinatè, & ſine errore adiſcendas. 15 In hanc omnes conſpirant, plures ex antiquis refert, & ſequitur Paulus Vallius, parte 2. quæſt. 1. cap. 1. & 3. & ex Platone in Phædro ait, *magnæ quælibet artes exercitatione indigent*, & lib. 2. de Republica, *Dialectica, quæ mentis oculum barbarico luto obrutum ſurſum trahit, ne ignorantia, cœno merſus iaceat*; & D. Thomas in præfatione 1. Poſt. lect. 1. ibi. *Ars prima quædam neceſſaria eſt, quæ ſit directiua ipſius rationis, per quam ſcilicet, homo in ipſo actu rationis ordinatè facilitetur, & ſine errore progedat, & hæc eſt ars Logica*, &c. Et probatur breuiter; nam Philoſophi antiqui, qui abſque dialectica alias ſcientias didicerunt ſummo labore, & ſtudio illas perfectè aſſequi potuerunt, & tamen in plures errores ob dialecticæ ignorantiam delapſi ſunt, & vix poſt diuturnum ſtudium ſcientias acquirere potuerunt; ergo ad ſcientias breuiter, & ſine errore addiſcendas Dialectica abſolutè neceſſaria eſt. Probatur ſecundò à priori, ratione deſumpta ex D. Auguſt. lib. 2. de ordine cap. 13. *Nam opifex non poteſt magnum aliquod opus breuiter, ordinatè & ſine errore efficere abſque eo, quod habeat parata inſtrumenta ad tale opus conſtruendum*; Sed dialectica ad alias ſcientias acquirendas, quod maximum eſt, parat debita inſtrumenta dum docet diuerſas regulas, & formulas diſſerendi, ergo non poterit quis alias ſcientias acquirere breuiter, ordinatè, & ſine periculo erroris abſque præſidio Dialecticæ.

Obiiciat aliquis primò: Intellectus ſine Dialectica artificiali poteſt prima principia clarè cognoſcere, & illa bene diſponere in quauis materia vt oſtendi n. 13. Sed hoc ſolùm requiritur, vt clarè cognoſcat bonitatem illationis concluſionis ex præmiſſis, vt ibidem docui, ergo intellectus poteſt abſque Dialectica cognoſcere in quauis materia clarè bonitatem illationis; atqui poſitis præmiſſis euidentibus & cognitione clara bonitatis illationis, non poteſt intellectus errare, nam neceſſitatus eſt ad aſſenſum ſcientificum concluſionis, vt dixi n. 17. ergo intellectus abſq; Dialectica etiam ſine periculo erroris poteſt ſcientias comparare. Secundò, ad addiſcendam Dialecticam ordinatè, & ſine errore alia ſcietia non eſt abſolutè neceſſaria; ergo neque ad alias ſcientias acquirendas ſine errore ipſa Dialectica neceſſariò requiritur. 16

Tertiò, plures iuris prudentiam sine errore addidicerunt sine Dialectica, & quotidie hoc experimur,ergo hæc ad alias scientias nullo modo est necessaria.

17 His obiectionibus sic ocurrendum est: ad primam ex suppositione, quòd quis clarè cognoscat prima principia, & bene præmissas disponat, ita vt clarè cognoscat bonitatem illationis, fateor non posse errare in assensu scientifico conclusionis,at verò quia quando præmissæ euidentes non ita clarè ostendunt illationem conclusionis vel conclusionem ipsam,nisi hoc vel illo modo ordinatè disponantur, in quarum ordinata dispositione potest secluſa dialectica aliquis error, vel tarditas, aut difficultas adesse, idcirco ad breuiter, facilè, & sine errore scientias acquirendas dialectica necessaria est. Ad secundam Respondeo, Dialecticam tradere, & aptare instrumenta ac formulas differendi, quibus etiam vtitur Dialectica ad non errandum, atque ita vna pars dialecticæ ad aliam Logicæ partem, scilicet, partem demonstratiuam, necessaria est; Dialectica, enim cognitio ostendens, quid sit definitio, iuuat vt postea facilè, & sine errore Dialectica ipsa possit demonstrationem definire, & logica cognitio declarans quid sit demonstratio, deseruit, vt ipsa Logica postea facilè, & ordinatè passiones definitionis, aut ipsiusmet demonstret, & sic de aliis, & ideò alia scientia ad Logicam addiscendam ordinatè non requiritur, ipsa enim sibi sufficit, & necessaria est modo explicato, cum verò reliquæ scientiæ non tradant formulas differendi & instrumenta sciendi, sed sola dialectica id præstet, ad eas sine errore comparandas Logica necessaria est.

Ad tertiam dico, iurisprudentiam non esse scientiam, quia res per suas causas non cognoscit vt disput. 1. cap. 2. in fine dixi, sed iurisperitorum authoritati confidit, & etiam rudem aliquam quisque formulam arguendi addiscit, & ex dialectica vsurpat, vt facilius iurisprudentiam acquirat.

CAPVT III.

An Dialectica physicum habeat influxum in actus aliarum scientiarum.

18 ALiquid potest dirigere purè ad operis effectionem; vel dirigere influendo etiam physicè in ipsum opus; dirigere purè est solùm docere quo pacto opus faciendum sit, non verò illud effectiuè executioni mandare; vt cùm artifex docet opificem quomodo domus construenda sit, & solùm ab opifice domus illa executiuè construitur; dirigere physicè influendo in opus est docere,qua ratione opus faciendum sit, & illud etiam realiter per se ipsum exequi, vt cùm artifex docet opificem, quomodo domus sit construenda, & ipse cum illo manus etiam applicat, & domus constructionem exequitur, quærimus ergo nunc an dialectica solum dirigat ad modum sciendi in aliis scientiis construendum, & solùm ab aliis scientiis executioni mandetur, an verò ipsa dialectica, simul manus applicet, & ad eius in quauis materia effectum, & executionem concurrat.

19 Recentiores quidam asserunt dialecticam physicè influere in modum scientiæ, & dispositionem quamlibet artificiosam repertam in actibus etiam aliarum scientiarum existimantem hanc artificiosam dispositionem, seu dialecticum artificium re ipsa ab ipsis actibus condistingui, & cùm nullam aliam causam magis proportionatam inueniant, à qua possit hoc artificium profluere, quam ipsam dialecticam artificialem dicunt, sicuti intellectio prouenit physicè ab intellectu, & actus philosophicus physicè egreditur à Philosophia, ita dialectica proportione seruata, artificium dialecticum actuum intellectus physicè ab ipsa artificiali dialectica dimanare.

Præmitto pro diuisione dubij, duplicem esse dispositionem artificiosam, aliam actus in ordine ad suum obiectum, aliam vnius actus in ordine ad alium actum; dispositio artificiosa actus ad obiectum est illa, quam habet actus definitionis, v.g. respectu sui obiecti, eius essentiam declarans per genus & differentiam, quæ quidem dispositio artificiosa specificatiuè accepta ab ipsomet actu non est distincta. Dispositio artificiosa vnius actus ad aliam est illa, quam seruant præmissæ syllogismi inter se, quamuis vna sit maior, & alia dicatur minor, quæ quidem dispositio ab ipsis actibus reipsa distinguitur, & consistit in quodam durationis modo, quo formaliter vnus actus præmissæ dicitur prior in duratione altero, & alius actus alterius præmissæ posterior illo denominatur, vt fusiùs ostendi super disput. 1. cap. 7. in principio, Præmitto secundo artificiosam dispositionem duo includere, aliud pro materiali, & alterum pro formali; pro materiali includit ipsum actum, qui dirigitur, actus verbi gratia definitionis, qui quatenus declarat rem per genus, & differentiam per logicam directionem dicitur directus, pro formali verò includit ipsam artificialem Logicæ directionem, hoc est ipsum actum dialecticæ formaliter dirigentem, à quo actus definitionis v.g. formaliter regulatur, & artificiosè directus nominatur. 20

Assertio I. Dialectica habitualis non influit physicè in actus aliarum scientiarum. Est communis: probatur clarè, habitus naturalis non efficit nisi physicè actus similes illis, à quibus genitus est; sed actus aliarum scientiarum à dialectica non sunt similes illis actibus à quibus habitus dialecticæ generatur, ergo habitus dialecticæ non efficit physicè actus aliarum scientiarum. Consequentia est euidens; maior patet, quia habitus naturalis est semen actuum, à quibus est productus, vt supra diximus disput. 2. cap. 3. n. 34. sed semen non producit nisi effectus similes illi principio à quo productum vel decisum est, semen enim hominis non producit leonem, ergo habitus naturalis non producit physicè nisi actus similes illis, à quibus genitus est. Minorem etiam ostendo, habitus habentes diuersa obiecta formalia non sunt similes, sed dissimiles, cum actus specificentur per obiecta, sed actus dialecticæ ex quibus generatur habitus dialecticæ,& actus aliarum scientiarum habent diuersa obiecta formalia, ij enim tendunt formaliter ad res ipsas, illi verò respiciunt formaliter modum sciendi, ergo actus aliarum scientiarum non sunt similes illis actibus ex quibus habitus dialecticæ generatur. 21

Assertio II. Dialectica actualis solum directiuè concurrit, non verò physicè influit in actus aliarum scientiarum secundùm se; Est etiam communis. Ita Hurtado, & Arriaga. Probatur, si aliqua ratione dialectica actualis, nempe cognitio Dialecticæ dirigens non solùm dirigeret intellectum, sed etiam cum illo physicè efficeret actus alterius scientiæ v.g. naturalis Philosophiæ maximè vt intellectus esset potens simpliciter vel facilè potens ad talem actũ eliciendum;atqui intellectus præditus tali habitu Philosophiæ posita directione Dialecticæ & præciso, quouis alio physico influxu illius est potens simpliciter per se,& per habitum Philosophiæ est facilè potẽs ad eliciendos actus Philosophiæ vt per se constat, ergo Dialectica actualis solum directiuè concurrit, non verò Physicè influit in actus alterius scientiæ, Philosophiæ naturalis v. g. secundum suam entitatem. Confirmatur, magis dependet actus voluntatis ab obiecti cognitione, à qua illustratur, quam actus 22

alterius

alterius ſcientiæ pendet ab actu Dialecticæ, à quo dirigitur, etenim nullus actus voluntatis eſſe poteſt ſine obiecti cognitione, & plures actus ſcientiarum eſſe poſſunt abſque Dialecticæ directione vt cap. 2. oſt endimus;ſed cognitio,& illuſtratio intellectus ſolùm directiuè, ſeu illuminatiuè concurrit, non verò phyſicè influit in actus voluntatis;ergo cognitio, & directio Dialecticæ ſolùm concurrit directiuè non autem phyſicè influit in actus ſaliarum ſcientiarum.

23 ASSERTIO III. Dialectica actualis non etiam phyſicè influit in artificioſam diſpoſitionem actuum aliarum ſcientiarum in ordine ad ſua obiecta ſecundum materiale præcisè,quod hæc diſpoſitio artificioſa includit.Eſt peculiaris,& à paucis attingitur. Probatur,Dialectica actualis non influit phyſicè in actus aliarum ſcientiarum ſecundum ſuam entitatem vt oſtendi num. 21. Sed diſpoſitio artificioſa actuum in ordine ad obiecta ſpecificè accepta, vel (quod idem eſt) ſecundum materiale, quod includit,non diſtinguitur reipſa ab ipſa entitate actuum vt præmiſi numero 19. ergo Dialectica non etiam influit in hanc artificioſam diſpoſitionem actuum aliarum ſcientiarum ſecundùm materiale præcisè quod includit.

24 ASSERTIO IV. Dialectica actualis non influit effectiuè, & phyſicè in diſpoſitionem artificioſam actuum aliarum ſcientiarum ſecundùm formale, quod talis artificioſa diſpoſitio includit.

Probatur; diſpoſitio artificioſa, ſeu Dialecticum artificium actuum ſcientiarum includit pro formali ipſam formalem directionem Dialecticæ, (ſeu quod idem eſt) ipſius actualem Dialecticam dirigentem, à qua formaliter actus artificiosè directi denominantur, vt notaui ſupra num. 19. ſed Dialectica actualis dirigens non influit effectiuè, & phyſicè in ſe ipſam; ergo nec influit phyſicè in diſpoſitionem artificioſam actuum aliarum ſcientiarum ſecundum formale, quod talis diſpoſitio includit.

25 ASSERTIO V. Dialectica actualis non influit effectiuè,& phyſicè in diſpoſitionem illam artificioſam quam habent actus præmiſſarum inter ſe.

Probatur, diſpoſitio hæc artificioſa, quam habent actus præmiſſarum inter ſe, eſt modus ſolùm realis durationis, quo actus vnius præmiſſæ eſt prior tempore,atque ita maior propoſitio dicitur,& actus alterius præmiſſæ eſt poſterior tempore, & ſic minor propoſitio denominatur;atqui Dialectica actualis nõ efficit phyſicè talem modum realem durationis illorum actuum; ergo Dialectica non efficit phyſicè hanc diſpoſitionem artificioſam actuum inter ſe.Patet minor,quia paſſio, & proprietas rei, vel dimanat ab ipſa rei entitate,vel fit phyſicè à cauſa producente phyſicè talem rem iuxta commune axioma, qui dat formam, dat etiam conſequentia ad formam;ſed modus durationis illorum actuum eſt paſſio, & proprietas illorum, ergo talis modus durationis vel oritur phyſicè vel ex ipſis actibus vel à cauſa, quæ phyſicè actus præmiſſarum produxit, ſed Dialectica actualis non efficit phyſicè tales actus aliarum ſcientiarum ſecundum ſuam entitatem vt oſtendi numero 21. ergo Dialectica non efficit phyſicè modum durationis illorum actuum.

26 Obiiciat aliquis primò, Dialectica concurrit ad modum ſciendi repertum in aliis ſcientiis ſicut aliæ artes ad ſua artefacta concurrunt,ſed aliæ artes in ſua artefacta etiam externa realiter, ac phyſicè influunt, vt Ariſt, & D. Thomas teſtantur, maximè cùm artefacta illa omnino ab ipſa artis directione dependeant, ergo Dialectica etiam effectiuè, & phyſicè influit in modum ſciendi repertum in actibus aliarum ſcientiarum.

Secundo Dialectica poteſt influere phyſicè in omnes actus, qui ſub eius ſphæra continentur;ſed actus aliarum ſcientiarum continentur intra ſphæram Dialecticæ, nam ſphæra Dialecticæ eſt modus ſciendi,qui quidem in illis actibus continetur,ergo Dialectica phyſicè valet influere, & de facto influit in actus aliarum ſcientiarum.

Tertiò omnis effectus oritur phyſicè naturaliter ab aliqua cauſa ſibi proportionata ſed artificium Dialecticum,quod eſt v.g. in actu definitionis,eſt aliquis effectus: ergo debet phyſicè fieri ab aliqua cauſa ſibi proportionata,ſed nulla alia eſt cauſa proportionata cum Dialectico artificio,quàm Dialectica artificialis, ergo tale artificium definitionis profluit phyſicè ab ipſa Dialectica.

Quartò Dialectica actualis dirigens actus aliarum ſcientiarum eſt verè practica; ergo operatur, & efficit phyſicè illos, aliàs non eſſet practica, ſed ſpeculatiua.

Sed obiecta diluantur: Ad primum nego alias artes phyſicè influere in artefacta externa, cum ab aliis diſtent, & licèt neceſſariò dependeant ab artis directione,non pendent ab illa, vt cauſa phyſicè influente, ſed ſolùm vt à cauſa formali extrinſeca vel conditione neceſſaria, ſicut volitio pendet à cognitione, vt latè dicam lib. 2.Phyſicè diſp. 21.cap.2.vbi teſtimonia Ariſt.& D.Thom.afferam,& explanabo. 27

Ad ſecundum reſpondeo Dialecticam poſſe efficere phyſicè omnes actus, qui continenter intra ſphærã actiuitatis illius,non verò actus,qui ſolùm continentur intra ſphæram eius cognoſcibilitatis,modus ergo ſciendi repertus in actibus aliarum ſcientiarum, non continetur intra ſphæram actiuitaris Dialecticæ,non enim eſt actus illius, atque ideò Logica noc poteſt phyſicè efficere illum,aut in tales actus influere,continetur verò talis modus ſciendi intra ſphæram cognoſcibilitatis Dialecticæ cùm ſit obiectum illius, atque ideò Dialectica fertur obiectiuè ad illum, & tales actus cognoſcit,& dirigit.

Ad tertium Reſpondeo, eſſe duplex Dialecticum artificium, aliud in actu ſecundo, quod eſt ipſe actus definitionis v. g. propoſitio provt ſubeſt directioni Dialecticę à qua formaliter in actu ſecundo dirigitur; aliud eſt Dialecticum artificium in actu primo quod eſt ipſa potentia ad eliciendum actum ipſum definitionis provt ſubeſt ipſi directioni Dialecticæ, à qua in actu primo dirigitur,artificium igitur Dialecticum in actu ſecundo hoc eſt actus definitionis directus à Dialectica oritur phyſicè ab artificio Dialectico in actu primo id eſt à potentia intellectiua,& etiam per Logicam directa,ac proinde licèt Dialectica phyſicè non influat in artificium, ſed ſolum concurrat dirigendo formaliter actum, & potentiam, artificium Dialecticum à cauſa ſibi proportionata proficiſcitur.

Ad quartum dico Dialecticam ex parte eſſe practicam, non quia phyſicè influat in actus aliarum ſcientiarum,ſed quia per ſe ad illos directiuè concurrit, & etiam ex alia parte eſſe ſpeculatiuam, vt diximus ad longum diſp. 2.c.2.n.23.& 29.

Et hæc de primo Tractatu de Dialecticæ Proœmio dicta ſint ſatis.

TRACTATVS SECVNDVS,

De Vniuersali in communi.

EGIMVS in superiori tract. de ipsa Dialectica habituali, iam de eius obiecto disquirimus, cùm Dialecticæ obiectum sit triplex: Operatio intellectus, simplex scilicet apprehensio, iudicium & discursus. A prima operatione, nimirum à simplici apprehensione per quam constituitur Vniuersale, exordimur, atque ideò hunc tractatum instituimus de natura Vniuersali, in quo quidem breuitati consulentes multaque otiosa amputantes, naturæ Vniuersalis vim, quidditatem, essentiam, existentiam, siue realem siue solùm rationis, & rationem formalem constitutiuam, ac passiones sequentib. disput. explanabimus.

DISPVTATIO IV.

De natura vniuersali à parte rei.

QVINQVE capita continebit: in primo, quid sit vniuersale, quid singulare aperitur: in secundo, An inter gradus superiores, & inferiores aliqua distinctio à parte rei intercedat: in tertio, Aduersantia argumenta profligantur: in quarto, An absolutè, & simpliciter Vniuersale detur à parte rei? in quinto, An distinctione ex natura rei inter gradus admissa, à parte rei Vniuersale sequatur.

CAPVT I.

Quid vniuersale, & quid singulare aperitur.

1 VNiuersale communitatem significat ad plura, sicut singulare incommunicabile est ad illa, & trifariam potest vsurpari vniuersale, vel solùm in significando, aut repræsentando: & est illud, quod plura significat, vel repræsentat, vt vox, *homo* significat plures homines, & conceptus Leonis repræsentat plures Leones: vel in causando, & est illud, quod plures causat effectus, vt Deus optimus Maximus, à quo cuncta procedunt, & cælestes orbes, à quibus effecta plura dimanant: vel in essendo, aut prædicando & de hoc solo vniuersali agimus in præsenti, eiusque essentiam formalem, & definitionem genuinam inuestigamus.

2 Vniuersale quoad præsens attinet est *vnum aptum inesse multis*. Ita Arist. 7. metaphys. cap. 13. cui omnis Schola subscribit, *vnum* hoc est indiuisum in se, ac multiplicitatem excludens vt vnitas ordinis, vel similitudinis, quæ illam admittit, in quo conuenit cum singulari, quod etiam est indiuisum, & vnum, ac proinde talis particula ponitur loco generis *aptum inesse multis*. id est, natura habẽs aptitudinem, vt in pluribus sit, vt verè diuidatur, & plurificetur in illis. Item ad rationem vniuersalis non sufficit esse rationem aliquam, vel naturam aptam inesse multis, si in illis non plurificatur, quia natura diuina apta est esse in pluribus suppositis diuinis, anima rationalis Petri apta est esse in pluribus partibus corporis, eadem etiam albedo potest esse in pluribus simul subiectis, & tamen quia natura diuina non plurificatur in suppositis, nec anima rationalis diuiditur in partibus corporis Petri, nec illa numero albedo secaretur in pluribus illis subiectis, nulla istorum est verè vniuersalis, sed singularis, vt apud omnes constat. Ad rationem ergo vniuersalis desideratur, quòd vniuersalis natura ita sit apta esse in pluribus, vt in illis verè multiplicetur, & diuidatur ad multitudinem indiuiduorum, in quibus reperitur. Plura item, in quæ vniuersale diuiditur debent necessariò esse eiusdem nominis, & rationis cum ipsa natura vniuersali. Petrus enim est aptus diuidi in plura, scilicet in materiam, & formam, & tamen quia hæc plura non seruant idem nomen, & rationem cum Petro, Petrus non est vniuersalis, sed singularis. Requiritur ergo ad naturam propriè vniuersalem, quod apta sit esse diuisa in pluribus eiusdem nominis, & rationis, in quo differt à singulari, quod non est aptum diuidi in plura, quæ adæquatè habeant eamdem rationem cum illo, & ideo hæc vltima definitionis verba ponuntur loco differentiæ.

Notat D. Thomas lect. 13. Aristotelem dixisse. 3
Vniuersale est vnum, id est quod pluribus inesse aptum est, quia plura vniuersalia sunt, quæ de facto non existunt, nisi in vnico indiuiduo, vt sol, Phœnix, & Luna & fortè natura Michaëlis in sententia aliquorum, etsi plura non possit habere indiuidua; & Modernus quidam aduertit esse in multis dici per identitatem cum illis, nam vniuersale in essendo communicatur repræsentatiuè cuilibet singulari, & est idem cum quolibet illorum, cum essentialiter natura vniuersalis prædicatur de quolibet illorum, quod fieri non potest, nisi vniuersale identificetur cum quolibet inferiori, Alia particula, quæ addi solet, scilicet de multis, prædicabilitatem denotat, per illam enim dicitur de multis, quia nihil prædicatur de alio, quod non sit in illo. Hanc autem definitionem esse optimam, & essentialem probat omnis Schola, quia quod primò intelligitur in aliqua re est eius essentia, sed quod primò intelligitur in vniuersali est aptum esse in multis, ergo hoc erit eius essentia: quod autem posteriùs intelligitur, si tamen conuertatur cum illo, est propria passio, sed in Vniuersali prædicari est quid posterius ad esse in multis; ergo prædicari de multis erit propria passio, quia esse in multis, & prædicari de multis sunt duæ rationes per intellectum distinctæ vna prior, altera posterior, ergo aptum esse in multis erit eius essentia.

Hinc infero pro eo statu, pro quo datur verè, & 4
propriè vniuersale, dari necessariò naturam vnam aptam plurificari, atque ita si à parte rei datur vniuersale, necessariò debere dari naturam vnam, & indiuisam à parte rei, & aptam etiam à parte rei, vt diuisa sit, & multiplicata in pluribus. Si verò per rationem vniuersale datur dari necessariò debere naturam vnam & indiuisam per rationem, & aptam vt sit diuisa,

uiſa, & plurificata in pluribus etiam per rationem. Probatur clare, pro eo ſtatu, pro quo datur vniuer ale, dari debet eſſentia, & ratio formalis, vniuerſalis, ſicut pro eo ſtatu, pro quo datur homo, debet dari eſſentia, & ratio formalis hominis; atqui eſſentia, & ratio formalis naturæ vniuerſalis vt ſic, eſt eſſe talem naturã vnam & aptam plurificari, vt oſtenſum eſt numero præcedenti, ergo pro eo ſtatu, ſiue reali, ſiue per rationem, pro quo datur natura verè, & proprie vniuerſalis debet neceſſariò dari natura vna, ac indiuiſa, & apta plurificari in pluribus inferioribus.

Ex dictis deprehendere licet, quid ſit ſingulare. Singulare itaque eſt vnum non aptum eſſe diuiſum in pluribus eiuſdem nominis, & rationis. Cuius definitionis verba ſupra num. 2. ſatis explanata ſunt. Hanc autem eſſe propriam eſſentiam, & formalem quidditatem ſingularis ſic oſtenditur: ſingulare vt ſic formaliter directè opponitur vniuerſali; ſed vniuerſale eſt vnũ aptum eſſe diuiſum in pluribus eiuſdem nominis, & rationis, vt eodem num. 2. dixi; ergo ſingulare vt ſic formaliter eſt vnum non aptum eſſe diuiſum in pluribus eiuſdem nominis, & rationis, quo ſpectat illa communis ſingularis definitio, nimirum, ſingulare eſt indiuiſum in ſe, & diuiſum à quolibet alio extra ſe, quæ facilè noſtris dictis acommodatur, eſt enim ſingulare in ſe indiuiſum, non ſolùm actu, ſed etiam aptitudine, quia nec actu diuiditur in plura eiuſdem nominis, & rationis, nec in illa aptum eſt diuidi, vt monſtraui ſupra.

Ex quo bene ſequitur, quòd diuiſum ſit à quolibet alio, quia ſi in ſe omnino indiuiſum eſt nec vllo modo alia ſingularia indiuidua includit, neceſſariò infertur fore diſtinctum, ac diuiſum à quolibet alio indiuiduo ſingulari; atque ita hæc vltima definitionis verba non ſunt ſimpliciter neceſſaria, ſed ſolùm ad maiorem declarationem ſingularis apponuntur.

CAPVT II.

An inter gradus ſuperiores & inferiores aliqua diſtinctio à parte rei intercedat.

GRadus ſuperiores & inferiores appello eſſentialia prædicata magis, & minus vniuerſalia, & ipſam indiuidui ſingularitatem, ad quam vſque ad illa prædicata quaſi gradatim deſcendunt, quę quidem in Petro v.g. ſunt ens, ſubſtantia, corpus, viuens, animal, homo, Petrus; quærimus ergo nunc an iſti gradus inter ſe à parte rei diſtinguantur.

5 Pro cuius elucidatione præmitto diſtinctionem, qua duo à parte rei diſtinguuntur, nihil aliud eſſe quàm vnum non eſſe aliud à parte rei; hæc autem diſtinctio eſt duplex, alia realis, qua aliqua extrema ita diſſident inter ſe, vt quodlibet poſſit ſine alio conſiſtere, ſaltẽ virtute diuina, quo pacto Petrus & Ioannes diſtinguuntur; quia Petrus ſine Ioanne, & Ioannes ſine Petro exiſtere poteſt. Alia eſt diſtinctio ex natura rei, quæ ab aliquibus modalis, quia ſemper modum comitatur, & à pleriſque formalis ſolet appellari, qua aliqua extrema ita diſtinguntur inter ſe, quod ſaltem vnum illorum requirat etiam diuinitus conſiſtere ſine alio, qua ratione diſtinguntur Petrus, & eius ſeſſio, qua hic ſedet, quia licet Petrus poſſit eſſe ſine ſeſſione, ſeſſio tamen illa repugnat eſſe ſine Petro. Rurſus diſtinctio hæc diuiditur in diſtinctionem adæquatam & in diſtinctionem inadæquatam, diſtinctio adæquata eſt illa, qua duo ita inter ſe diſtinguntur, vt vnum non includatur in alio, tamquã pars illius, ſed ſe inuicẽ excludant, quo pacto diſſident Petrus, & Ioannes, quia nec Petrus includit in ſe Ioannem, nec Ioannes includit Petrum, & hæc vocatur diſtinctio excludentis ab exclu.o. Diſtinctio verò inadæquata eſt illa, qua duo ita diſtinguntur, vt vnum includatur in alio, & ſit pars illius, qua ratione anima rationalis Petri diſtinguitur ab ipſo Petro, quia in illo includitur tamquam pars illius, & hoc vocatur diſtinctio includentis ab inclu.o. Alia eſt diſtinctio rationis, & eſt illa quæ ex formalitatibus quæ à parte rei ſunt idem, intellectus noſter conceptibus intellectualibus concipit, ac ſi eſſent diſtincta, & ſeparata: & eſt duplex, alia rationis ratiocinatæ, & eſt illa, quæ habet à parte rei in ipſis rebus fundamentum, vt diſtinguat, & diuidat, quæ in ſe indiſtincta, & indiuiſa ſunt, v.g. in homine intellectus diſtinguit principium ſentiendi à principio ratiocinandi ex ſolis diuerſis operationibus quæ in illo experiuntur, qua diſtinctione diſtinguitur animal à rationali in homine. Alia eſt diſtinctio rationis ratiocinantis & eſt illa, quæ nullum habet fundamentum ad diſtinguenda extrema, inter quæ datur, ſed ex mera intellectus operatione reſultat, vt cùm diſtinguimus Petrum à ſeipſo, & veſtem ab indumento. Alia verò diſtinctio media inter realẽ, & rationis, quæ appellatur à Scoto *ex natura rei*, explicabitur & impugnabitur diſp. ſequenti cap. 3. His præmiſſis quærimus, quænam diſtinctio inter prædictos gradus à parte rei reperiatur, an aliqua ex dictis? vel nulla admittenda ſit, ſed tantùm rationis.

Opinio celebris eſt aſſerentium gradus omnes, ac 6
ipſam ſingularitatem in quolibet indiuiduo inter ſe ex natura rei diſtingui, ita vt licèt in Petro animalitas non ſit à parte rei eius rationalitas, nec eius rationalitas ſit eius ſingularitas, nec econtra, re tamen vera, nec animalitas illa Petri poteſt conſiſtere abſq; tali rationalitate, nec rationalitas iſta poteſt à parte rei eſſe abſque Petri ſingularitate, nec econtra: in quo formaliter conſiſtit diſtinctio ex natura rei, quã ipſi appellant formalem: ita opinatus eſt Scotus in 1. diſt. 2. quæſt. 7. & diſt. 5. q. 1. & in 2. diſt. 3. quæſt. 1. quem omnes Scotiſtæ ſequuti ſunt, quos refert, & etiam ſequitur Ioannes Merinero cap. 1. de vniuerſalibus diſp. 1. q. 2. ſect. 1. & 2. ac etiam Fonſeca 5. metaph. cap. 7. quæſt. 13. ſectione 3. idem inſinuare videtur Petrus Albertius in corollariis tom. 2. diſp. 1. q. 10. dub. 2. concl. 1.

ASSERTIO ſit: Gradus prædicti non diſtinguuntur 7
à parte rei inter ſe ſed animalitas Petri v. g. non diſſidet reipſa ab eius rationalitate, ſeu natura, nec rationalitas ſeu natura Petri diſtinguitur reipſa ab ipſius ſingularitate, ſed omnes ij gradus cum vltima hæcceitate ac ſingularitate ſunt eadem reipſa entitas ſimpliciſſima. Ira D. Thom. multis in locis 1. p. q. 50. num. 2. ad primum & q. 66. art. 3. ad 4. & opuſc. 55. & de ente & eſſentia cap. 5. & omnes Thomiſtæ & ibi Caiet. & Scoto Suarez diſp. 6. 7. metaph. ſect. 1. 2. & 9. Vaſquez 1. part. diſp. 16. cap. 4. Conimbricenſes in præſenti quæſt. 4. art. 2. Ioannes à S. Thoma quæſt. 3. art. 6. Complutenſes diſp. 3. quæſt. 4. Hurtado diſp. 5. metaph. ſect. 3. Arriaga diſp. 5. ſect. 1. Franciſcus Alphonſus diſp. 3. ſect. 2. Vallius quæſt. 3. cap. 14. Auerſa quæſt. 8. ſect. 6. Carleton diſp. 20 & 21. Logicæ & 28. Arriaga diſp. 5. Logic. ſect. 2. quibus alij Recentiores acquieſcunt, quæ concluſio modò demonſtranda eſt auctoritate, & ratione.

Probatur primò ex Philoſopho 7. metaph. text. 43. vbi D. Thomas lect. 12. & 13. & præcipuè quæſt. de Spiritualibus creaturis art. 1. ad 9. vbi ſimiliter dicit quod formæ quibus ſpecies diſtinguntur non ſunt aliud à forma generis ſecũdum rem. Ex quibus ſequitur, quod rationalitas, & animalitas, quæ ſunt prædicata generis & ſpeciei in homine realiter non diſtinguantur à parte rei.

Probatur primò principaliter, natura Petri v.g. ſe- 8
cundùm

cundùm se præcisa quauis alia formalitate seu modo ab illa ex natura rei distincto, est verè à parte rei singularis; ergo hæc Petri natura secundùm se non distinguitur ex natura rei ab eius singularitate. Consequétia est euidēs, quia si talis natura reipsa distingueretur à singularitate illa secundū se præciso quouis alio ab alio distincta non est singularis, sicut quia natura distinguitur reipsa ab albedine, illa secundū se, secluso quouis alio ab ipsa distincto, non est alba. Antecedens autē sic probo, singulare est, quod est indiuisum in se & diuisū à quolibet alio, vt omnes admittunt, sed natura Petri secundum se præciso quolibet alio modo ab ipsa ex natura rei distincto, est in seipsa indiuisa, non enim diuidi potest in plures naturas, & est diuisa à quolibet alio, non enim est natura Ioannis, nec natura Francisci &c. sed alia distincta natura ab illis, ergo natura Petri secundum se, secluso quouis alio modo ab ipsa ex natura rei distincto, est singularis. Confirmatur; eadem prorsus vnitas est, vnitas singularis, & vnitas numerica & solis vocibus distinguuntur, sed natura Petri secundùm se, præciso quouis alio modo, vel formalitate ab ipsa à parte rei distincta, est vna vnitate numerica, ergo etiam est vna vnitate singulari; ergo natura Petri secundùm se secluso quouis alio ab ipsa ex natura rei distincto, est singularis. Patet minor, illa res est vna vnitate numerica, quæ cum alia re numerum aliquem, binarium v. g. siue ternarium constituit, sed natura Petri secundùm se præciso quouis alio ab ipsa ex natura rei distincto, & natura Pauli etiam secundum se accepta conficiunt à parte rei numerum binarium, ergo natura Petri vel Pauli secundum se præciso quouis alio modo ab illa ex natura rei distincto, est vna vnitate numerica, ac proinde singularis. Vrgeo, id, quod à Deo creatur vt sic formaliter est singulare. Nam cùm creatio sit actio Dei, qui essentialiter est singularis, ipsa etiam est necessariò singularis, atque ideò eius terminus creatus debet esse singularis, atqui anima rationalis Petri secundùm se, & condistincta à quouis alio modo ab ipsa ex natura rei distincto, verè à Deo creatur, ergo anima rationalis, ac proinde natura Petri secundùm se, præciso quouis alio modo, seu formalitate ab ipsa distincto, est singularis; igitur natura Petri, secluso quouis alio modo, seu eius rationalitas non distinguitur ex natura rei ab eius singularitate.

Respondeat quispiam ex doctrina Scoti in 2. dist. 9 3. quæst. 1. §. ad qnæstionem, naturam rationalem Petri secundum se esse vnam vnitate formali; media inter vnitatem vniuersalem, & vnitatem singularem, quæ quidem formalis vnitas conuertitur, & multiplicatur essentialiter cùm qualibet natura rationali, atque ita naturam rationalem Petri secundum se distinctam esse reipsa à natura rationali Pauli secundū se, non distinctione fundata in hæcceitate, & vnitate singulari, sed distinctione solum formali fundata in vnitate formali cuiusque naturæ. Ex quo solùm sequitur naturam Petri secundùm se non esse à parte rei distinctam ab vnitate formali, non verò sequitur non esse distinctam ab vnitate singulari.

Sed impugnatur primò, singulare formaliter, & quidditatiuè est illud, quod est vnum, ac indiuisum 10 non aptum diuidi in plura eiusdem nominis, & rationis, vt monstratum est num. 4. atqui natura illa raionalis Petri secundùm se est vna ac indiuisa non apta diuidi in plures naturas rationales eiusdem nominis cum ipsa, vt aduersarij fatentur; ergo euidens est talem naturam rationalem Petri secundùm se esse singularem, ac proinde talem vnitatem formalem, quā Scotus assignat non distingui vllo modo ab vnitate singulari, cum eumdē omnino, vt visum est, effectum formalē habeant. Secundò quouis res existens ab alia reipsa distincta, distinguitur, siue per se, siue per aliam formam, seu entitatem adiunctam à tali re non solùm distinctione formali, sed etiam distinctione numerica, & singulari. Sed in sententia aduersariorum natura rationalis Petri secundùm se distincta est ab eius singularitate reipsa; ergo talis natura secundùm se, siue per se ipsam, siue per aliam entitatem distinguitur à parte rei non solùm distinctione formali, sed etiam distinctione numerica, & singulari ab eius singularitate. Tum sic, sed inter naturam rationalem Petri secundum se, & eius singularitatem non mediat alia entitas distincta, per quam natura illa distinguatur distinctione singulari, & numerica ab eius singularitate, quia daretur processus entitatum in infinitum, ergo natura Petri secundùm se per seipsam distinguitur distinctione singulari & numerica à tali singularitate, ergo ipsa secundum se habet vnitatem singularem omnino indistinctam ab vnitate formali. Tertiò natura rationalis Petri secundùm se, & natura rationalis Pauli secundùm se, præcisis earum singularitatibus non sunt dissimiles inter se, vt omnes fatentur, sed si natura Petri secundùm se, & natura Pauli secundùm se haberent vnitates reipsa præcisas, ac distinctas ab earum singularitatibus per quas vnitates formales tales naturæ secundùm se re ipsa distinguerentur, verè essent inter se dissimiles præcisis singularitatibus; ergo natura Petri, & natura Pauli secundùm se non habent vnitates formales præcisas, ac distincta re ipsa ab earum singularitatibus. Probatur minor, naturas esse dissimiles inter se, est habere aliquid essentialiter vna, quod essentialiter non habet alia, & econtra, sed natura Petri secundùm se si esset absque singularitate vna formaliter, & distincta à natura Pauli haberet præcisa singularitate aliquid essentialiter, quod natura Pauli non haberet, nam natura Petri, vt sic formaliter fundaret negationem naturæ Pauli, quàm non fundaret natura Pauli secundùm se, & similiter econtra uatura Pauli, vt vna formaliter fundaret essentialiter negationem naturæ Petri, quam ipsa Petri natura secundum se non fundaret, atque ita quælibet natura ex ipsis secundùm se præcisis singularitatibus haberent aliquid essentialiter, & formaliter, quod non haberet alia, ergo naturæ rationalis Petri & Pauli, si secundum se haberent prædictas vnitates formales, præcisis singularitatibus erunt inter se dissimiles essentialiter. Confirmo efficaciter, ideò singularitates Petri & Pauli sunt inter se dissimiles, quia singularitas numerica Petri fundat negationem numericam Pauli, quam non fundat ipsa singularitas Pauli, & econtra singularitas Pauli fundat numericè negationem Petri, quam non fundat ipsa singularitas Petri, atque eodem modo vnitas formalis naturæ rationalis Petri fundat formaliter negationem naturæ Pauli, quam non fundat ipsa vnitas formalis naturæ Pauli, & econtra vnitas formalis naturæ Pauli fundat negationem naturæ Petri, quam non fundat ipsa formalis vnitas naturæ Petri; ergo vnitas formalis naturæ rationalis Petri, & naturæ rationalis Pauli sunt etiam inter se formaliter dissimiles, ergo cum hæ vnitates formales sint idem formaliter, & essentialiter cum natura rationali Petri, & natura rationali Pauli secundum se, vt à singularitatibus distinguuntur, vt docent aduersarij, natura rationalis Petri, & natura rationalis Pauli secundùm se præcisis earum singularitatibus erunt formaliter, & essentialiter dissimiles, ac proinde diuersæ speciei, quod nullus dicit.

Rursus dicat quis ex doctrina Scotistarum, naturam Petri secundùm se vt distinctam ex natura rei ab 11 eius singularitate non esse reipsa distinctam à natura Pauli secundùm se, nec à natura Francisci, etiam se-

cundùm

cundum ſe, ſed vnam, & eamdem naturam eſſe illis omnibus communem, vnam quidem vnitate vniuerſali à parte rei, & diſtinctam reipſa ab omni ſingularitate.

Sed impugnatur, nam Petrus v. g. & Paulus abſolutè, & ſimpliciter non ſunt vnus homo, ſed duo homines, ſed ſi in Petro, & Paulo eſſet tantum vna natura humana, & non duæ naturæ humanæ inter ſe diſtinctæ, Petrus, & Paulus abſolutè, & ſimpliciter eſſent vnus homo, & non duo homines, ergo in Petro, & Paulo non eſt ſolùm vna natura humana, ſed duæ naturæ, alia diſtincta in Petro, & alia diſtincta in Paulo, ac proinde quælibet illarum ſecundum ſe eſt ſingularis. Probo maiorem, quia in Patre, Filio, & Spiritu Sancto eſt vna ſolùm natura diuina, licèt ſint plures perſonæ, non ſunt tres dij, ſed vnus Deus, ergo ſi in Petro, & Paulo ſit vna tantum natura humana, & non duæ diſtinctæ naturæ, licèt ſint duo indiuidua, non erunt duo homines, ſed vnus homo, eadem enim in vtroque militat ratio.

12 Verùm occurrat aliquis aſſerendo Petrum & Paulum eſſe vnum hominem ſpecie, non verò vnum hominem numero, quia illa natura quæ in illis eſt, eſt vna ſolum vnitate ſpecifica non verò vnitate numerica, & ſingulari, ſed potius ab omni ſingularitate præſcindit. Sed impugnatur, nam illa humana natura etiam ſi vna & eadem eſſet in omnibus hominibus eſſet ſecundum ſe verè, & propriè ſingularis, ergo omnes homines eſſent idem numero, eſſetque ſingularis homo. Conſequentia eſt euidens ex dictis, antecedens ſic oſtenditur. Natura ſingularis eſt illa quæ, licèt in multis ſit, non tamen eſt diuiſa vel diuiſibilis in plura eiuſdem nominis, & rationis vt oſtendi num. 4. ſed in iſtorum ſententia natura humana, licèt exiſtat in omnibus hominibus, non tamen eſt ſecundum ſe diuiſa nec diuiſibilis in plura eiuſdem nominis, & rationis, non enim diuiditur in plures naturas humanas, vt illi docent, ergo natura humana exiſtens in omnibus hominibus eſt vna numero & ſingularis. Confirmatur, ideò natura diuina exiſtens in tribus diuinis perſonis eſt ſingularis, quia non eſt diuiſa in plures naturas diuinas, ſed ſimiliter natura humana exiſtens in omnibus hominibus non eſt diuiſa in plures naturas humanas, ergo etiam eſſet natura ſingularis, ac proinde omnes homines eſſet vnus tantum homo ſingularis, ne ergo hoc admittatur abſurdum, dicendum eſt naturam Petri ſecundum ſe diſtinctam eſſe reipſa à natura Pauli, atque ita quamlibet illarum ſecundum ſe eſſe à parte rei ſingularem, ex quo manifeſtè infertur naturam Petri ſecundum ſe, & naturam Pauli ſecundum ſe à propriis ex natura rei ſingularitatibus non diſtingui.

13 Probatur ſecundò principaliter, ſi aliqua ratione animalitas in homine diſtingueretur reipſa ab eius rationalitate, maximè quia homo per animalitatem conuenit cum equo, & differt ab illo per rationalitatem, & per eamdem reipſa entitatem non poteſt res ſimul differre, & conuenire cum alia; atqui etiam ſi animalitas hominis diſtingueretur ex natura rei ab eius rationalitate, vt vult Scotus, homo per eamdem præcisè animalitatem conueniret ſimul, atque differret ab equo, ergo ob hanc rationem non debet ex natura rei diſtingui animalitas hominis ab eius rationalitate. Probo minorem, & inprimis, ſi animalitas ſit diſtincta ex natura rei ab eius rationalitate, hominem per talem animalitatem conuenire eſſentialiter cum equo nullus dubio vertet: oſtendo modo hominem in tali caſu ab equo per illam animalitatem etiam differre: animalitas, & rationalitas hominis ideò in ſententia Scoti, licèt diſtinguantur inter ſe reipſa, non diſtinguuntur realiter, ſed ſolum formaliter, & ex natura rei, quia talia extrema omnino ab inuicem inſeparabilia ſunt, ergo animalitas hominis ſecundum ſe, licèt non habeat identitatem, habet tamen neceſſariam connexionem cum rationalitate, ſed animalitas equi non habet eſſentialiter neceſſariam connexionem cum rationalitate, cum exiſtat ſine illa, ſed ſolùm talem connexionem habet cum irrationalitate, cum qua non habet connexionem animalitas hominis, ergo animalitas hominis, etiamſi diſtincta ſit ex natura rei à rationalitate hominis aliquid habet eſſentialiter, quod non habet animalitas equi ſecundum ſe & econtra, ac proinde animalitas hominis ſecundum ſe eſt ſpecie diuerſa ab equi animalitate etiam ſecundum ſe, igitur homo differt etiam eſſentialiter ab equo per ipſam animalitatem.

Probatur tertiò principaliter; ſi gradus in creaturis reipſa diſtinguerentur, etiam eſſentia, attributa & relationes diuinæ reipſa diſtinguerentur in diuinis, atqui in diuinis, nec attributa, nec relationes diſtinguuntur reipſa ab eſſentia diuina, ergo nec gradus in creatis diſtinguuntur inter ſe. Conſequentia eſt euidens, maior certa, quia eadem in diuinis, ac creatis ratio militat, vt ex aduerſariorum argumentis, quæ adducam capite ſequenti conſtabit. Minorem autem ſic probo. In Deo non poteſt reipſa eſſe vera compoſitio, cum hæc inxta omnes imperfectionem includat, ſed ſi attributa, ac relationes diuinæ reipſa diſtinguerentur ab eſſentia diuina, eſſet reipſa in Deo vera compoſitio, eſſet in illo vera vnio extremorum reipſa diſtinctorum nempe eſſentiæ diuinæ, & attributi, in qua ratio formalis veræ reipſa compoſitionis conſiſtit, ergo attributum, & relationes diuinæ non diſtinguuntur reipſa ab eſſentia diuina. Confirmatur efficaciter. Hæc poſitio eſt à parte rei omnino vera, *Deitas eſt reipſa Trinitas diuina*. Sed ſi tres relationes diuinæ reipſa diſtinguerentur ab eſſentia diuina, talis propoſitio non eſſet vera; ergo omnino certum eſt relationes diuinas non diſtingui reipſa ab eſſentia diuina, ac proinde nec gradus ſuperiores, & inferiores inter ſe. Minor patet primò à ſimili, ideo hæc propoſitio, *Petrus eſt eius ſeſſio*, non eſt vera, quia Petri ſeſſio diſtinguitur ex natura rei ab ipſo Petro; ergo ſi trinitas relationum in diuinis diſtinguitur ex natura rei à Deitate non erit vera hæc propoſitio, *Deitas eſt Trinitas diuina*. Patet ſecundò à priori. In his prædicationibus prædicatur identitas prædicati cum ſubiecto, ergo ſi trinitas relationum in Deo non habet reipſa identitatem cum Deitate, non erit vera prædicatio, *Deitas eſt Trinitas diuina*, quod nulla ratione admitti poteſt. 14

Probatur quartò principaliter; Si gradus omnes & ſingularitates inter ſe diſtinguerentur reipſa in omnibus hominibus eſſet vna & eadem reipſa ratio hominis, & in omnibus animalibus vna, & eadem reipſa ratio animalitatis, & in omnibus viuentibus vna & eadem reipſa ratio viuentis, vt volunt ipſi Scotiſtæ, ergo pari ratione eſſet in omnibus entibus vna, & eadem reipſa ratio entis, atqui implicat omnino eſſe in omnibus entibus vnam, & eamdem reipſa rationem entis, ergo implicat quod gradus omnes, & ſingularitas reipſa inter ſe diſtinguantur. Probo minorem, implicat omnino quod à parte rei ſit aliqua ratio entis realis, quæ non ſit creata, vel increata, quia principium eſt lumine naturali perſpicuum, *Quodlibet eſt, vel non eſt*, atque ita quodlibet ens, vel eſt creatum, vel increatum, ac proinde increatum, ſed ſi daretur aliqua ratio entis realis, vna, & eadem reipſa cum omnibus entibus, ſcilicet in Deo, & in creaturis, talis ratio entis realis nec eſſet à parte rei creata, nec increata, non quidem creata, quia eſſet in Deo, non etiam increata quia eſſet eſſentialis creaturæ, ergo implicat omnino eſſe in omnibus entibus vnam & eamdem rationem entis. Confirmo, illud, quod 15

eſt

est absolutè Deus, & ens increatum, idemmet reipsa non potest (fide magistra) esse creatura, & ens creatum, sed si vna, & eadem ratio entis reipsa esset à parte rei in omnibus entibus, scilicet in Deo, & creatura; illud, quod absolutè est Deus, & ens increatum idemmet reipsa esset creatura, & ens creatum; ergo non potest dari vna, & eadem reipsa ratio entis in omnibus entibus scilicet in Deo, & creatura. Minor probatur; Talis ratio entis, vna, & eadem reipsa existeret in Deo, & in creatura, sed vt existens in Deo, & contracta per differentias entis increati esset absolutè Deus, ac ens increatum, & eadem met vt existens in creatura, & contracta per differentias entis creati esset etiam creata, & ens creatum, ergo idemmet reipsa quod absolutè esset Deus, & ens increatum, esset etiam creatura, & ens creatum.

16 Probatur quintò principaliter, quia si gradus prædicti ita distinguerentur à parte rei, vt vna solùm natura humana secundùm se esset in omnibus hominibus, vt Scotistæ admittunt, plura sequerentur absurda. Primum sequeretur, cùm homo generat hominem non producere naturam humanam filij, sed ipsamet natura Patris creati filio communicari producta solùm eius singularitate, sicuti cum Pater æternus filium generat, non producit naturam diuinam, sed ipsa natura diuina, quæ in Patre est, filio diuino communicatur, producta solùm eius personalitate ac proinde pares esse generationē diuinam, & humanam, quo nihil absurdius. Secundò sequeretur, cum hostia in Eucharistia consecratur, non desinere esse totam naturam, & substantiam panis, sed solùm eius singularitatem, naturam verò panis consecrati eamdemmet reipsa in alio pane remanere, contra Trident. sess. 13. cap. 4. & can. 2. intellectum iuxta communem sensum Ecclesiæ. Denique sequeretur vnam, & eamdemmet naturam humanam esse in Christo Domino, & in Iuda proditore, ac per consequens ipsam naturam humanam Christi esse reipsa cum Iuda æternis cruciatam suppliciis, & ipsam naturam Iudæ esse reipsa cum Christo perenni gloria fruentem, quod horrent aures audire, & mens concipere. Propter hæc, & alia argumenta valdè mihi mirabile visum est, virum esse Philosophum, aut Theologum, qui huic possit opinioni, vel leuiter assentiri, quæ quidem ad minus prorsus improbabilis est.

CAPVT III.

Argumenta aduersantia profligantur.

SCotus ac eius assecłæ aliquibus suam sententiam rationibus comprobare, nostramque infirmare, & demoliri contendunt, quas in hoc cap. inefficaces ostendam, & perlucidè enodabo.

17 Obiiciant ergo primò Ea, quibus reipsa diuersa prædicata conueniunt reipsa distinguuntur inter se, sed animali, & rationali conueniunt reipsa diuersa prædicata, nam animali conuenit esse principium sentiendi, quod non conuenit rationali, & rationali conuenit esse principium ratiocinandi, quod non conuenit animali, ergo animal, & rationale reipsa distinguuntur inter se. Respondeo facile, animal in homine esse principium ratiocinandi reipsa, quia est identificatum à parte rei cum rationali, & rationale etiam esse principium sentiendi reipsa, quia est à parte rei identificatum cum animali, & ita non diuersa, sed eadem omnino prædicata conuenire à parte rei animali, & rationali, ac proinde animale & rationale non esse distincta inter se.

18 Obiiciant secundò, homo v. g. verè est compositus ex genere, & differentia non solùm per rationem, sed etiam à parte rei, alioquin si solùm esset per rationem, Deo talis compositio ex genere & differentia non repugnaret sicut iuxta communem sententiam illi repugnat, sed non est vera compositio realis nisi extrema componentia sint reipsa inter se distincta, ergo genus, & differentia nempe animal, & rationale, ex quibus componitur homo, sunt reipsa inter se distincta. Respondeo, cum genus & differentia non dentur formaliter à parte rei, sed tantùm per rationem, ita nec compositionem ex genere, & differentia dari à parte rei, sed solùm per rationem, atque ita non ideo hanc compositionem ex genere, & differentia Deo repugnare, quod sit compositio à parte rei petens extrema reipsa distincta, alioqui cum ipse Scotus veram à parte rei distinctionem inter diuinas etiam formalitates admittit, rectè in ipsius sententia dari posset in Deo compositio ex genere, & differentia, quod nobis opponunt, sed ideo hanc compositionem ex genere & differentia Deo iuxta communem sententiam repugnare, quia communis sententia non admittit rationem communem Deo, & creaturis, quæ sit vniuoca, sed analoga, vnde cùm genus debeat esse ratio vniuoca, non admittit in Deo proprium aliquod genus, ac per consequens nec propriam differentiam generis contractiuam, ex quibus Deus componatur.

19 Obiiciant tertiò, ea sunt reipsa distincta, ac diuersa, quæ diuersis definitionibus declarantur, & exprimuntur, definitio enim datur secundùm id, quod habet res à parte rei, sed animal, & rationale diuersis sæpe definitionibus declarantur, & exprimuntur, etenim non infrequenter dicimus animal esse principium sensationis, & rationale principium discursus, in quo duplex continetur definitio; ergo animal, & rationale inter se reipsa distincta, & diuersa sunt. Respondeo vt aliqua duo diuersis cognitionibus concipiantur non requiri, quod sint reipsa distincta inter se, atque diuersa actualiter, & formaliter; sed tantum fundamentaliter, hoc est solum requiri, quod sint principium diuersarum operationum; definitiones autem nihil aliud sunt quàm perfectæ quædam rerum cognitiones, atque ita vt aliqua duo diuersis definitionibus declarentur, & exprimantur, solum requiri quod sint inter se diuersa fundamentaliter, id est, quod sint principium diuersarum operationum: cum ergo animal, & rationale sint hoc modo diuersa fundamentaliter nempe principium diuersarum operationum, sensationis scilicet, & discursus, idcirco possunt animal, & rationale diuersis definitionibus declarari, licet reipsa non sint diuersa actualiter.

20 Obiiciant quartò, Natura hominis quæ est in Petro est reipsa in Paulo, quia Paulus à parte rei est etiam homo sicuti Petrus, & tamen singularitas Petri non est in Paulo reipsa quia Paulus à parte rei non est Petrus, ergo natura humana Petri non est idem reipsa cum eius singularitate, aliàs sicut natura Petri est in Paulo, etiam in illo esset singularitas, igitur natura humana Petri distinguitur reipsa ab eius singularitate. Respondeo, hanc naturam Petri reipsa non esse in Paulo, sed aliam naturam humanam illi similem ab eaque distinctam, ac proinde naturam humanam Petri à parte rei tam incommunicabilem esse Paulo, quàm ipsius Petri singularitas est Paulo incommunicabilis, atque ita ex hoc cap. natura Petri reipsa non distinguitur ab eius singularitate.

21 Obiiciant quintò efficacius. Eadem res per eamdemmet indiuisam entitatem non potest simul esse alteri similis, & dissimilis, sicuti v. g. eadem virga non potest alteri esse simul æqualis, & inæqualis, sed homo per animalitatem est similis equo, quia etiam

equus

equus eſt verè animal, & per rationalitatem eſt equo diſſimilis, nam equus non eſt rationalis, ſed irrationalis, ergo animalitas & rationalis non ſunt eadem entitas indiuiſa, ſed duæ entitates inter ſe reipſa diſtinctæ.

22 Quiſpiam argumento dicat, in homine inter animal & rationale non eſſe diſtinctionem realem, ſed tantùm eſſe diſtinctionem virtualem æquiualentem reali; vnde quemadmodum, ſi inter animal, & rationale eſſet diſtinctio realis actualis poſſet rectè homo eſſe ſimilis equo per animalitatem, & diſſimilis per rationalitatem; ita ſimiliter cum inter hos gradus ſit diſtinctio virtualis, quæ æquialet omnino reali, quantum ad munera diſtinctionis, homo eſt ſimilis realiter equo per animalitatem, & diſſimilis illi per rationalitatem: ſicut in diuinis, quia eſſentia diuina, & Paternitas realiter, diſtinguuntur, æquiualent diſtinctioni reali, eſſentia diuina realiter communicatur filio, & Paternitas realiter illi non communicatur tam propriè, & ſtrictè, ac ſi eſſentia diuina, & Paternitas realiter diſtinguerentur. Sed non placet hæc ſolutio, nam vt infra oſtendam diſp. 6. cap. 3. diſtinctio virtualis æqui ualens diſtinctioni reali arguit infinitatem, atque ideo eſſe non poteſt niſi inter ſimpliciter infinita, ergo non poteſt continere inter animal, & rationale diſtinctionem virtualem æquiualentem reali, igitur ſi homo eſt ſimilis equo per animalitatem, & illi diſſimilis per rationalitatem, animalitas, & rationalitas in homine non virtualiter, ſed reipſa diſtinguuntur.

23 Recentiores quidam aſſerunt hominem & equum non eſſe ſimiles, ſed omnino diſſimiles eſſentialiter in propriis entitatibus ſubſtantialibus, vt argumentum conuincit, ſed tantùm eſſe ſimiles accidentaliter in operationibus accidentibus ſentiendi. Sed non placent, quia nimis inconſequenter loquuntur, & minus verè. Inconſequenter quidem, quia tam differunt in ſpecie, ac ſunt inter ſe eſſentialiter diſſimiles operationes accidentales ſentiendi hominis, & equi, quam ipſæ entitates eorum ſubſtantiales, cum ſenſationes illæ à ſuis principiis quæ ſpecie diuerſa ſunt, diuerſam ſpeciem accipiant; ergo vel homo & equus non ſunt ſimiles in operationibus accidentalibus ſentiendi, vel etiam ſunt ſimiles in ipſis principiis, & entitatibus ſubſtantialibus; ergo qui vnum negat, & alterum affirmat, cum in vtraque eadem ratio eſſentialis diſſimilitudinis reperiatur, inconſequenter procedit. Minus etiam verè, quia ſimilitudo imperfecta non excludit, ſed potiùs neceſſariò includit perfectam extremorum diſſimilitudinem, vt ſtatim oſtendam; ergo licet homo, & equus ſint in propriis entitatibus ſubſtantialibus perfectè, ac eſſentialiter diſſimiles, poſſunt in illis eſſe ſimiles imperfectè, & ſecundum quid.

24 Præmitto ergo primò pro difficultatis enodatione ſimilitudinem vt ſic (loquor ſemper in creatis) neceſſariò includere aliquam diſſimilitudinem extremorum, quæ inter ſe ſimilia ſunt, probatur clarè; Similitudo non eſt identitas, ſed conuenientia duorum; ergo ea, quæ ſunt ſimilia non ſunt inter ſe idemmet, ſed neceſſariò diſtincta, atqui illa, quæ ſunt inter ſe diſtincta, ſunt aliquo modo diſſimilia, vt ſupra oſtendi num. 10. ergo ea, quæ ſunt ſimilia, ſunt etiam neceſſariò aliquo modo diſſimilia, ergo ſimilitudo vt ſic aliquam extremorum diſſimilitudinem neceſſariò includit. Præmitto ſecundò: ſimilitudinem perfectam, quæ eſt illa, quę datur in tota eſſentia & quidditate formali includere neceſſariò aliquam extremorum diſſimilitudinem imperfectem, & ſecundum quid. Probatur clarè, vt Petrus, & Paulus ſint perfectè ſimiles in tota eſſentia formali hominis debent neceſſariò eſſe diſtincti homines, alioqui non eſſet inter illos ſimilitudo, ſed identitas; ſed ea, quæ ſunt diſtincta ſunt neceſſariò ſaltem ſecundùm quid, ac imperfectè diſſimilia, vt iam ſuperius oſtendi; ergo ea quæ ſunt perfectè ſimilia, ſunt neceſſariò imperfectè, & ſecundùm quid diſſimilia.

Præmitto tertiò, ſimilitudinem imperfectam, & ſecundùm quid, (quæ eſt illa, quæ non datur in tota formali eſſentia, ſed in aliquo prædicato eſſentiali) includere neceſſariò diſſimilitudinem eorumdem extremorum perfectam. Probatur apertè, ea, quæ ſolùm ſunt imperfectè, & ſecundùm quid ſimilia, non ſunt ſimilia in tota eſſentia formali, alioqui eſſent etiam perfectè, & ſimpliciter ſimilia inter ſe, ſed ſi illa non eſſent perfectè diſſimilia, eſſent ſimilia in tota eſſentia, nam ſi non haberent diſſimiles eſſentias, haberent illas ſimiles quia non eſt mediũ; ergo ea, quæ ſunt ſolum ſecundùm quid, & imperfectè ſimilia, debent neceſſariò eſſe perfectè, & ſimpliciter diſſimilia, ergo imperfecta ſimilitudo perfectam diſſimilitudinem neceſſariò includit.

His poſitis ad argumentum Reſpondeo, per eam- 25
demmet entitatem animalis, ac rationalis reipſa indiuiſam hominem à parte rei eſſe ſimilem equo imperfectè, & ſecundùm quid, ac ſimul eſſe illi perfectè, & ſimpliciter diſſimilem, quia ſimilitudo imperfecta, & ſecundùm quid non excludit, ſed neceſſariò includit perfectam eorumdem extremorum diſſimilitudinem, vt oſtendi numero præcedenti notabili tertio. Ex quo fit hominem per animalitatem eſſe à parte rei, non ſolùm imperfectè ſimilem equo, ſed etiam illi perfectè diſſimilem, quia animalitas hominis à parte rei eſt idem reipſa cum rationalitate, per quam homo eſt equo perfectè diſſimilis, & ſimiliter hominem per rationalitatẽ non modò eſſe perfectè diſſimilem equo, ſed etiam eſſe illi imperfectè ſimilem, quia rationalitas eſt idem à parte rei cum animalitate, per quam homo imperfectè eſt ſimilis equo. Similiter dico Petrum, & Paulum per eaſdemmet entitates in ſe indiuiſas, ac ſingulares eſſe perfectè ſimiles, & imperfectè diſſimiles, quia perfecta diſſimilitudo non excludit, ſed potius neceſſariò includit diſſimilitudinem imperfectam, vt monſtraui n. 24. atque ita Petrum per naturam humanam eſſe à parte rei, non ſolùm perfectè ſimilem Paulo, ſed etiam illi imperfectè diſſimilem, quia talis natura Petri eſt idem à parte rei cum eius ſingularitate per quam differt à Paulo, & etiam per ſingularitatem eſſe non ſolùm diſſimilem imperfectè Paulo, ſed etiam illi perfectè ſimilem à parte rei, quia Petri ſingularitas reipſa eſt idem cum natura humana Petri, per quam conuenit perfectè cum Paulo.

Ad illud ſimile de æqualitate, & inæqualitate vir- 26
garum in argumento adductum Reſpondeo, duas virgas non poſſe eſſe ſimul æquales, & inæquales in quantitate molis, quia æqualitas inter illas non neceſſariò includit aliquam earum inæqualitatẽ quantitatiuam, ſed illam omnino excludit: item aliquam virgam eſſe alteri æqualem quantitatiuè eſt intra eoſdem, intra quos alia continetur, terminos concludi; eſſe verò inæqualem illi, eſt quod intra eoſdem cum altera virga, terminos non concludatur, ſed protendatur vltra illos. Aliquam autem virgam concludi intra eoſdem terminos cum alia & non concludi eſt aperta implicatio; atque ita apertè implicat aliquam virgam eſſe quantitatiuè alteri æqualem, & inæqualem, ſed æqualitas earum omnino inæqualitatem excludit, at eſſe res ſimiles in perfectione eſſentiali non excludit, ſed potius neceſſariò

includit aliquam dissimilitudinem inter illas, vt ostendi supra num. 24. notabili 1. & idcirco eadem res per eademmet indiuisibilem entitatem potest esse simul alteri similis, & dissimilis.

27 Verùm aliquis obiiciat, Homo per rationalitatem est similis à parte rei equo, vt concessum est, ergo etiam in equo est rationalitas; nam perfectio, in qua duo sunt formaliter similia debet necessariò in vtroque extremo requiri, & reperiri. Respondeo hominem per rationalitatem à parte rei esse similem equo non quidem simpliciter, & perfectè, sed solùm imperfectè, & secundum quid, quatenus scilicet rationalitas hominis est reipsa idem cum animalitate eiusdem, atque ita reipsa est principium sentiendi sicut equus, ex quo non sequitur debere esse in equo rationalitatem; alioqui homo per rationalitatem non imperfectè, sed perfectè, & simpliciter esset similis equo, sed solùm sequitur debere esse in equo animalitatem, per quam sit reipsa principium sentiendi, sicut homo est identicè, & reipsa principium sentiendi per rationalitatem identificatam cum eius animalitate.

CAPVT IV.

An absolutè, & simpliciter detur vniuersale à parte rei.

28 INter veteres Philosophos aliqui negarunt vniuersale in essendo. Ita de Heraclito, & Cratillo, refert Arist. 4. metaph text. 22. & vt docet D. Thom. lect. 10. dixerunt non dari scientiam rerum, eo quod omnia consistebant in continuo motu, & fluxu, eò quòd omnia ortum habebant ex sensibus fallibilibus, vt docet experientia docet; scientia autem est de necessariis.

Ex hoc delirio Plato occasionem sumpsit ponendi quasdam naturas substantiales communes genericas, aut specificas ab indiuiduis separatas, quas ideas appellabat, per quarum participationem singularia essentialiter constituantur, & vt ab illis separatas esse naturas communes, & vniuersales à parte rei ante operationem intellectus. Quam sententiam tribuit Arist. Platoni 7. metaph. text. 27. cap. 18. metaph. cap. 6. & 8. metaph. text. 28.

Nominales ex aduerso consentientes cum Platone & Cratillo singularia non esse obiecta scientiarum propter illorum contingentiam, & ex alia parte contra Platonem negantes naturas substantiales genericas, vel specificas ab indiuiduis separatas, dixerunt pro vniuersalibus solas voces significantes remanere sine rebus significatis, quos sequuti sunt Ocham. 1. p. Logicæ cap. 14. in 1. dist. 2. & quodlibeto 3. q. 2. Gabriel & alij.

Tertiò asserunt alij naturam humanam v.g intra ipsa singularia esse secundum se à parte rei vnam, & diuisam illis omnibus communem, & perfectè vniuersalem. Ita Monlorius disp. speciali de hac re cap. 5. & 6. Paulus Venetus in summa Philosophiæ in sua metaph. cap. 2. Trombeta in quæstionibus Metaphysicæ quæst. 2. & omnes Scotistæ, qui in hoc sequuti non sunt Scotum, is enim in 2. dist. 3. qu. 1. §. ad quæst. expresè asserit nullam dari à parte rei ante opus intellectus naturam communem, & vniuersalem, quia licèt natura secundum se reipsa à singularitate distinguatur, de facto verò per illas est contracta, & singularizata; atque ita à parte rei solùm est in sententia Scoti natura apta, vt per opus intellectus à singularitatibus liberetur, & vniuersalis fiat.

Quartò, Alij docent dari à parte rei ante opus intellectus naturam vniuersalem, non positiuè sed negatiuè, quatenus natura ipsa, licèt à parte rei non sit positiuè vna, & communicabilis pluribus, tamen non habet diuersitatem in se, nec repugnantiam, vt pluribus reipsa communicetur, atque ideò est negatiuè vna, in multis, ac proinde negatiuè vniuersalis. Solet hæc opinio adscribi (fortè immeritò) Caietano de ente & essentia cap. 4.

Quintò denique affirmant alij naturam in quodam statu passibilitatis priori ante statum existentiæ realis, & obiectiuæ, hoc est naturam secundum se vt possibilem præcisè antequam actu existat, vel cognoscatur esse vnam communicabilem multis, ac proinde vniuersalem, licèt in contractione ad singularia huiusmodi vnitatem, & vniuersalitatem amittat, quia in illo statu præcisionis à singularitatibus præscindit, & in statu contractionis quasi cum illis coaptatur. Ita Fonseca 5. metaph. cap. 28. q 3. sect. 2. & 3.

Vltimò communis Schola docet non dari à parte rei ante opus intellectus naturam vnam communem, & vniuersalem. Ita Arist. & D. Thom. infrà cum aliis citandis.

Assertio I. Vocibus, & conceptibus vniuersalium verè, & simpliciter correspondent naturæ. Est contra Nominales supra numero præcedenti. 29

Et primò probatur auctoritate D. Anselmi lib. de Incarnatione Verbi cap. 2. vbi ait omnino esse vitandam illorum doctrinam. *Omnes*, inquit, *vt cautissimè accedant ad sacræ paginæ quæstiones sunt commonendi, illi vtique nostri temporis dialectici, immo & Dialecticæ Hæretici, qui quidem non nisi flatum vocis putant esse vniuersales substantias.* & Arist. 4. metaph. tex. 22. reprehendit eos philosophos, & primò Periher. cap. 5. ait rerum alias esse vniuersales, alias singulares; ergo præter statum vocis dantur naturæ per eas significatæ: homo enim significat omnes homines prout in communi humanitatis natura conueniunt; ergo cum dicimus, Petrus est homo, Paulus est homo, non est sensus Petro, & Paulo nomen tantum hominis conuenire, sed rem, & naturam humanam per tale nomen significatam. Secundò, plures sunt prædicationes necessariæ, in quibus genus prædicatur de specie, & species de indiuiduis; ergo illud, de quo prædictæ prædicationes verificantur, non sunt voces, sed naturæ, de quibus est prædicatio, aliàs istæ prædicationes essent falsæ. *Petrus est homo, Homo est animal*, & facerent hunc sensum, Petrus est vox *homo* & homo est conceptus formalis animalis; ergo præter conceptus formales debent necessariò dari obiectiui; qua sunt ipsæ naturæ, de quibus voces verificantur.

Assertio II. Naturæ vniuersales, & communes non sunt à parte rei separatæ à singularibus. 30

Est contra Platonem, quem acriter impugnat Aristoteles locis num. 28. in initio citatis, & D. Thomas lect. 10. dicens. *Patet autem diligenter intuenti rationes Platonis, quod ex hoc in sua positione errauit, quia credidit quod modus rei intellectæ in suo esse est sicut modus intelligendi ipsam rem.* Ex quibus verbis colligitur Platonem non distinxisse inter modum essendi, & modum cognoscendi, & quod abstrahentium non est mendacium qui enim abstrahit naturam à singularitatibus, illam non negat singularitatibus vt v. g. qui attingit colorem in pomo, non attingendo saporem, non ideò negat saporem sed solum præscindit colorem à sapore in pomo realiter existentem. Probatur manifestè. Impossibile est,

quod

quod aliquid sit de essentia alterius, & quod non sit in illo, quia prædicatio essentialis requirit realem identitatem cum re, quæ enuntiatur, sed naturæ abstractæ à Platone ita sunt separatæ à singularibus, vt illis repugnet cum singularibus identificari; ergo non possunt esse vniuersales, nam si vniuersales essent, deberent identificari cum inferioribus, de quibus tales naturæ prædicantur, quia vniuersale est de essentia suorum inferiorum.

Confirmatur à duplici inconuenienti. Primum, quod huiusmodi naturæ separatæ, vel essent à se, vel ab alio; si primum, essent aliquid increatum & diuinum; ergo cum affirmat Plato illas naturas communicari singularibus, consequenter affirmat aliquid increatum & diuinum illis communicari, quod plusquam falsum est: si secundum; ergo sunt ab alio, & consequenter singulares cum habeant esse per actionem singularem, & quidquid existit per actionem singularem est singulare. Tertiò, quia tales naturæ essent simul vniuersales, & singulares; vniuersales, quia tales ponuntur à Platone, singulares, quia verè existunt à parte rei per actionem determinatam, quæ semper est de actione singulari. Omitto aliàs impugnationes, quæ videri possunt apud antiquos, & recentiores.

31 Sed obiiciat quispiam fundamentum Platonis; nam scientia est de necessariis, & perpetuis, & inuariabilibus, sed singularia sunt caduca, & contingentia; ergo de illis non potest dari scientia, ergo præter illa ponendæ sunt naturæ illæ communes à singularibus separatæ, quæ principia sint omnium indiuiduorum. Et confirmatur, Hæc propositio *homo est rationalis*, & similes sunt sempiternæ veritatis, ergo subiectum earum debet esse incorruptum, & perpetuum; Sed omne singulare est contingens, & fallibile; restat ergo quod subiectum earum sint naturæ illæ communes à singularibus separatæ, quas Plato ideas appellat. Respondeo primò ad fundamentum Platonis, scientias esse de vniuersalibus & perpetuis, & singularia non secundum actualem existentiam illorum, sed secundum essentialia illorum prædicamenta etiam esse æterna, & perpetua, & capacia ad terminandam scientiam, vt disp. 2. de scientia ostendam.

Et ad confirmationem dico propositiones, & essentias dici perpetuas, & inuariabiles, quia connexio talium propositionum est necessaria & æterna, etiamsi nullum maneat subiectum, & ita essentiæ dicuntur negatiuæ perpetuæ sine singularitate, quia licet cum illa oriantur, & intereant, id non habent secundùm se, sed ratione singularium, multi tamen Platonem in bonum sensum interpretantur, scilicet de ideis diuinis in diuina mente existentibus, (& nescio quo iure) Aristotel. imponit Platoni talem imposturam, à cuius infamiæ nota Platonem liberant D: August. lib. 83. quæstionum, quæst 46. lib. 7. de ciuitate Dei cap. 28. Nazianzen. & plures Patres relati à Conimbr. hic qu. 1. art. 1. Complutenses quæst. 1. vniuersalium. Auersa qu. 8. vniuersalium sect. 2. Merin. disput. 1. quæst. 1. Arriaga disput. 4. sectione 2. Vallio parte 1. vniuersalium quæst. 3. cap. 14. & plures alij auctores dicentes, idearum nomine non intellexisse Platonem substantiales naturas communes, & vniuersales separatas à singularibus, sed exemplaria quædam in mente diuina existentia ad creaturas omnes procreandas, & nihil hoc verius dici potuit, nec debuit tam acriter ab Arist. notari, qui nihil de ideis diuinis intellexit.

32 ASSERTIO III. Non datur à parte rei ante operationem intellectus vna natura communis, & positiuè vniuersalis. Est communis inter antiquos, & modernos. Ita Aristotel. 7. metaph. text. 51. primo Periherm. cap. 5. 1. Post. cap. 2. & 2. de anima cap. 2. quem sequuntur, tam Arabes, quàm Græci, D. Thomas 7. Metaphysicæ lect. 13. 1. parte quæst. 85. art. 1. 12. quæst. 29. art. 6. de ente, & essentia cap. 4. & opuscul. 55. & 56. Complutenses quæst. 1. Ioannes à S. Thoma quæstione 3. articulo 2. Albertus Magnus tract. 2. Logicæ, Durand. in 2. dist. 3. quæst. 2. Suarez primo metaph. disp. 6. sect. 2. Vasquez 1. parte disp. 71. cap. 1. Petrus Hurtado disputatione 5. metaph. sect. 7. Masius sect. 2. de vniuersalibus, Merin. disput. 1. quæst. 1. Auersa quæst. 8. sect. 2. Conimbr. hic quæst. 3. art. 2. Arriaga disput. 4. sect. 2. Paulus Vallius ad longum 1. parte Logicæ. quæst. 3. cap. 14. Franciscus Alphonsus disput. 2. sect. 2. Rubio in præsenti qu. 4. Scotus suprà, Carleton disput. 26. & 27. Logicæ sect. 1. & est communis inter omnes antiquos, & recentiores. Probatur primò auctoritate D. Damasc. lib. 1. de fide cap. 11. ibi. *In omnibus*, inquit, *rebus creatis personarum distinctio consideratur, communitas autem, & coniunctio, & vna eorum speciei ratione, & cognitione percipitur, animo enim percipimus Petrum, & Paulum eiusdem naturæ, & naturam vnam habere.* Sentit ergo secluſa nostra consideratione non dari à parte rei naturam vnam multis communem, & vniuersalem.

Probatur, natura propriè, & strictè communis, & vniuersalis est vna, ac indiuisa in se, & apta esse diuisa, & multiplicata in pluribus eiusdem nominis, & rationis, vt ostendi numero 2. sed à parte rei ante opus intellectus nulla datur natura vna ac indiuisa in se, & apta esse diuisa ac multiplicata in pluribus eiusdem nominis, & rationis; ergo à parte rei ante opus intellectus nulla datur natura vna propriè, & strictè vniuersalis. Minor probatur, natura quæuis humana verbi gratia à parte rei, vel potest sumi pro natura huius, vel illius hominis indiuidui, Ioannis, scilicet, aut Franciſci, vel pro natura omnium hominum; atqui natura huius hominis indiuidui verbi gratia Ioannis, licèt sit strictè vna, & indiuisa in se, non est apta esse diuisa, & multiplicata in plures naturas eiusdem nominis, & rationis, alioqui in Petro non esset à parte rei vna natura, sed multiplex humana natura, vt per se constat; natura autem omnium hominum, licèt sit reipsa diuisa in plures eiusdem nominis, & rationis non est vna, ac indiuisa in se, sed multiplex à parte rei, quia natura vnius hominis distincta, atque diuisa est reipsa à natura alterius, vt monstraui suprà à numero 11. ergo à parte rei ante opus intellectus nulla datur natura vna, ac indiuisa in se, & apta diuisa, & multiplicata esse in pluribus eiusdem nominis & rationis. 33

Confirmatur, quia si à parte rei natura vna communis, & vniuersalis daretur maximè, quia natura ex natura rei distincta esset à singularitatibus & gradus omnes superiores essent reipsa distincti ab inferioribus: sed nec natura à singularitatibus nec gradus superiores ab inferioribus ex parte rei distinguntur, vt fusè monstratum est, cap. 2. ergo nulla à parte rei datur natura vna communis, & vniuersalis. Vrgeo ab inconuenientibus. Primum quia si esset vna natura pro omnibus hominibus Petro peccante, & illo pereunte perirent omnes, quia natura Petri est natura omnium hominum, & annihilato Petro consequenter omnes annihilarentur. Secundum, quia eadem natura esset in cœlo, & in inferno. Tertium, 34

tium, quod in creatis daretur aliquod maius mysterium mysterio Trinitatis, quia in hoc relucet vna indiuisa natura in tribus diuinis suppositis, & in illo daretur vna natura indiuisa in infinitis ferè suppositis, quod impium, & hæreticum est, ergo non datur à parte rei vna natura communis, & vniuersalis.

34 Assertio IV. Non datur à parte rei ante opus intellectus natura aliqua vniuersalis negatiuè. Probatur; vt detur natura aliqua à parte rei sic negatiuè vniuersalis, non sufficit quòd habeat non repugnantiam, vt sit diuisa reipsa, & multiplicata in pluribus, sed etiam necessariò requiritur, quod ante opus intellectus habeat in se negationem diuisionis, aliàs non erit negatiuè vna in multis, quod necessarium est vt sit negatiuè vniuersalis; atqui natura humana, verbi gratia, ante opus intellectus non habet in se negationem diuisionis, sed est diuisa à parte rei in naturam Petri, & in naturam Pauli, & in aliorum hominum naturas, quæ inter se realiter distinguuntur, vt patet ex 3. assertione; ergo à parte rei non datur natura aliqua negatiuè vniuersalis.

35 Assertio V. Natura in priori statu possibilitatis antequam actu in singularibus re ipsa existat vel cognoscatur, non est propriè vna communis, & vniuersalis. Probatur, eademmet natura humana est, quæ modò est actu existens, & quæ fuit in illo priori statu possibilitatis; atqui natura humana modò actu existens non est aliud, quàm plura singularia existentia; ergo natura humana in illo priori statu possibilitatis non fuit aliud, quam eadem plura singularia humana possibilia; ergo natura humana in illo priori statu possibilitatis antequam actu existat, vel cognoscatur est reipsa multiplex, ac diuisa, ac per consequens non est vna communis, & vniuersalis.

Confirmo, ideo nulla natura actu existens est necessariò à parte rei singularis, vt & Contrarij fatentur; sed quæuis natura possibilis est singularis, non enim potest reipsa fieri natura communis; ergo nulla natura vt possibilis, & pro illo priori statu ante opus intellectus est vniuersalis. Vrgeo, in hoc differt ens verum ab ente ficto, & Chimerico, quod ens verum dicit ordinem ad existentiam, & potest absolutè existere, ens verò chimericum non potest reipsa existere, atqui vnitas illa communis, quam habet natura in illo statu reali præcisionis non potest reipsa existere, quia non potest reperiri talis vnitas in natura actu existenti, vt ipse Fonseca fatetur; ergo talis vnitas communis, & vniuersalis naturæ pro illo priori est vnitas chimerica, & conficta & non vnitas vera, & realis; ergo ante opus intellectus in priori aliquo statu ante actualem existentiam non datur natura verè, & strictè vna communis, & vniuersalis.

36 Obiiciat aliquis primò: natura vniuersalis est natura vna communicabilis pluribus, sed à parte rei datur natura vna communicabilis pluribus; ergo à parte rei datur natura vniuersalis. Probatur minor, & primùm naturam humanam in omnibus hominibus à parte rei esse vnam patet, quia natura humana Petri, & natura humana Pauli non habent essentialem diuersitatem à parte rei; ergo à parte rei habent vnitatem essentialem, maximè etiam, quia natura, quæ vnica definitione definitur à parte rei est vna, quia definitio datur secundùm id, quod natura habet à parte rei; natura autem humana vnius hominis vnica definitione definitur, ac proinde natura humana à parte rei est vna. Deinde, esse communicabilem pluribus à parte rei probo. Quia reipsa natura humana communicatur pluribus; ergo reipsa natura humana pluribus communicabilis est, ab actu enim ad potentiam bene valet consequentia. Respondeo naturam Petri, & naturam Pauli non habere essentialem diuersitatem, hoc est, essentialem dissimilitudinem formalem, habere tamen distinctionem & diuisionem à parte rei, ac proinde naturam omnium hominum esse à parte rei vnam non perfectè, sed imperfectè, vt infra amplius explico.

Obiiciant secundò: Scientiæ non sunt de singularibus, sed de vniuersalibus, sed scientiæ dantur de iis, quæ sunt à parte rei; ergo à parte rei datur vniuersale. Confirmo; singulare, & vniuersale sunt mutuò correlatiua; ergo sunt simul natura, & cognitione, hæc enim est omnium correlatiuorum proprietas, sed à parte rei datur in rerum natura singulare; ergo etiam à parte rei datur vniuersale. Respondeo primum, etiam de singularibus esse scientiam, vt monstro lib. de posteriori resolutione, nam de Petro passiones scientifice demonstrantur: deinde; ego gratis admisso, dico scientiam esse de vniuersalibus fundamentaliter, hoc est de pluribus indiuiduis, vt similibus in aliqua ratione naturæ, de quibus quasi per modum vnius plura scientifice possunt demonstrari, vniuersale autem fundamentaliter, seu indiuidua plura vt similia verè dantur à parte rei ante opus intellectus, quod solum argumentum concludit, non verò esse à parte rei vniuersale formaliter. Ad confirmationem Respondeo, singulare, & vniuersale secundo intentionaliter, hoc est, per rationem esse correlatiua, quia vniuersale per rationem est superius, quod dicitur de inferiori, & singulare etiam per rationem est inferius, de quo superius dicitur, superius autem & inferius sunt correlatiua, atqui vniuersale, & singulare secundò intentionaliter, seu per rationem sunt correlatiua, singulare verò, & vniuersale primò intentionaliter, hoc est à parte rei non esse correlatiua, quia singulare à parte rei non est inferius respectu alterius superioris, sed quid indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio, esse autem in se indiuisum non dicit ordinem, & respectum ad vniuersale; etenim, licèt nulla creatura esset possibilis, Deus esset omnino indiuisus, ac singularis, & tunc perspicuum est non fore aliquod vniuersale, ex quo fit non posse dari singulare secundò intentionaliter, seu per rationem, quin detur etiam secundò intentionaliter, ac per rationem vniuersale, rectè verò posse primo intentionaliter dari, & à parte rei singulare, quin à parte rei detur vniuersale. 37

Obiiciat tertiò vrgentiùs: Si aliqua ratione natura humana verbi gratia non esset à parte rei vniuersalis, maximè, quia non esset vna sed à parte rei natura humana est vna; ergo à parte rei est vniuersalis. Probo minorem, intellectus præscindens naturam humanam ab inferioribus concipit illam obiectiuè vnam sed non concipit in illa aliam vnitatem, nisi quam natura illa habet à parte rei; ergo natura à parte rei, habet vnitatem, ac per consequens est vna. Consequentia est euidens, maior patet, quia intellectus præscindens, vel debet concipere naturam humanam, vt multiplicem, ac diuisam, vel vt indiuisam, & vnam, quia vnitas, vel multiplicitas est passio entis ab illo nec ratione ratiocinata distincta; atque ita qui concipit ens, vel naturam realem debet necessariò illam concipere vt multiplicem, vel vt vnitam, atqui intellectus præscin- 38

dens

dens non concipit naturam humanam vt multiplicem, aliàs illam ab inferiorum multiplicitate non præscinderet; ergo intellectus præscindens concipit naturam humanam obiectiuè vnam. Minor verò, scilicet intellectum non cognoscere aliam in natura vnitatem, nisi quam natura ipsa habet à parte rei clarè sequenti disput. monstrabo. Arbitror quidem ingenia eorum, qui admittunt præcisiones obiectiuas per rationem naturæ vniuersalis ab inferioribus, hoc argumentum demonstratiuè conuincere, dari etiam veram naturæ vnitatem, & vniuersalitatem à parte rei. Ego verò facilè argumentum diluo negando posse etiam per rationem naturam obiectiuè vnam à suis inferioribus præscindi. De quo fusè disseremus infrà.

CAPVT V.

An distinctione inter gradus ex natura rei admissa à parte rei vniuersale sequatur.

SVperius iam definiuimus absolutè, & simpliciter vniuersale aliquod à parte rei, nunc verò supponimus cum Scoto gradus omnes inter se ex natura rei distingui, verbi gratia, naturam humanam esse distinctam reipsa à suis singularitatibus, & inquirimus, hac facta suppositione, an talis ratio à parte rei verè vniuersalis sit.

39 Tres adinuenio sententias: prima, est ex tali suppositione sequi naturam à parte rei ante opus intellectus esse verè, & propriè vniuersalem. Ita omnes Scotistæ citati capite 2. numero 6. quibus alij recentiores subscribunt. Secunda est, ex data tali dispositione naturam à parte rei non fore vniuersalem, sed singularem. Ita Scotus in 2. distinctione 3. quæst. 1. Conimbr. in præsenti quæst. 4. articulo 3. Ioann. à sancto Thoma, Complutenses & omnes citati capite 2. assertione prima num. 7. Tertia sententia est, ex tali suppositione nimirum quòd natura humana existens à parte rei reipsa à singularitatibus distinguatur, sequi duo contradictoria, scilicet & naturam esse vniuersalem, & non esse vniuersalem, sed singularem. Ita Sapientissimi Recentiores, quibus ego subscribo.

40 Præmitto primò, pro explicatione quæstionis, cum aliquod impossibile supponitur gratia disputationis alicui obiecto conuenire, tale impossibile duplex esse posse, aliud, quod essentialiter destruat essentiam, & quidditatem subiecti, cui conuenire supponitur, vt si supponamus hominem esse irrationalem, nam irrationalitas formaliter destruit essentiam rationalem hominis: aliud est, quod formaliter non destruat essentiam rei, vel subiecti, in quo supponitur, vt cum supponimus hominem naturaliter volare vsque ad cœlum, talis quidem volatus hominis est naturaliter impossibilis, sed non destruit essentiam illius. Præmitto secundò, cum supponitur aliquod impossibile alicui rei, vel subiecto conuenire, quod quidem destruat essentiam illius, duo contradictoria supponi, & duo contradictoria sequi. Probatur clarè in exemplo posito, si supponamus hominem esse rationalem, quia supponimus esse hominem, aliàs nullum remaneret impossibile, & supponimus etiam non esse rationalem, quia supponimus esse irrationalem, & irrationale idem est, quod non rationale, atqui rationale, & non rationale sunt duo contradictoria, ergo supponendo impossibile, quod destruat essentiam rei, vel subiecti, in quo supponitur, supponimus in illo duo contradictoria. Deinde ex tali suppositione sequitur hominem esse admiratiuum, cum supponitur esse hominem, & omnis homo sit admiratiuus, & sequitur etiam non esse admiratiuum, quia supponitur esse irrationalem, irrationale autem non est admiratiuum; ergo etiam ex tali suppositione destruente essentiam rei, aut subiecti etiam in ipso subiecto duo contradictoria sequuntur. Præmitto tertiò, cum supponimus naturam humanam v. g. actu à parte rei creatam, & existentem distinctam esse reipsa ab omnibus singularitatibus, tale impossibile, quod gratia disputationis admittimus, esse impossibile formaliter destruens essentiam rei, vel subiecti, in quo supponitur, scilicet ipsius naturæ creatæ existentis. Probatur apertè, natura quæuis vt actu creata existens à parte rei est essentialiter à parte rei singularis, quia vt sic existens, & creata est essentialiter à parte rei vna, & indiuisibilis in plures naturas eiusdem nominis, & rationis, alioqui si à parte rei esset diuisibilis in plures naturas, non esset à parte rei vna natura, sed aggregatio plurium, natura autem vna, ac indiuisibilis in plures eiusdem nominis, & rationis, est singularis, quia hæc est naturæ singularis definitio, vt ostendi suprà numero 4. atque ita natura quæuis, vt existens & creata à Deo est essentialiter à parte rei singularis, vt fusiùs monstrauit suprà à numero 8. sed supponimus modo naturam vt actu creatam & à parte rei existentem reipsa distinctam, & præcisam esse ab omni singularitate, ac proinde non esse secundùm se à parte rei singularem; ergo supponimus aliquod impossibile destruens essentiam rei, scilicet naturæ existentis.

ASSERTIO sit. Ex data suppositione, nimirum 41
quòd natura humana vt actu creata, & existens à parte rei, verbi gratia, distincta sit reipsa ab omni singularitate duo contradictoria sequuntur, scilicet naturam à parte rei esse vniuersalem, & non esse vniuersalem. Probatur manifestè ex dictis, cum supponitur aliquod impossibile destruens formaliter essentiam rei, vel naturæ, in qua supponitur, ex tali suppositione duo contradictoria sequuntur, vt monstraui numero præcedenti notabili secundo. Sed cum modo supponimus naturam humanam vt actu à parte rei creatam & existentem esse reipsa distinctam, & præcisam ab omni singularitate, supponimus quoddam impossibile destruens essentiam naturæ vt creatæ & existentis à parte rei, in qua supponitur, vt ostendi ibidem notabili tertio; ergo ex tali suppositione duo contradictoria sequuntur, scilicet naturam non esse vniuersalem, quia supponimus esse naturam actu à parte rei creatam, & existentem ac proinde singularem, & esse vniuersalem quia supponimus esse distinctam à parte rei, & præcisam ab omni singularitate, ac proinde non esse singularem. Explicatur, natura, quæ est in multis, si nullam in se habeat vnitatem singularem erit procùl dubio vniuersalis, sed supponimus naturam humanam, quæ verè à parte rei est in multis, nullam reipsa habere in se vnitatem singularem, cùm supponamus distingui ex natura rei ab omni singularitate: ergo natura humana ex tali suppositione est verè vniuersalis. Similiter natura singularis non est vniuersalis, quia singulare, & vniuersale opponuntur, sed supponimus naturam humanam esse

actu à parte rei creatam à Deo, & existentem ac proinde singularem, quia omnis res vt actu creata à Deo, & existens à parte rei est essentialiter singularis, ergo natura ex tali suppositione non est vniuersalis, ergo vtrumque sequitur ex data suppositione impossibili, scilicet naturam humanam esse à parte rei vniuersalem, & non esse vniuersalem, cui potest recte applicari commune effatum ex impossibili sequitur quodlibet, quod solum de impossibili formaliter destruente essentiam rei, vel subiecti, in quo supponitur, intelligendum est.

42 Ex data tamen suppositione, quod natura ex natura rei distingueretur ab omni singularitate, vel gradus superiores ab inferioribus, absolutè sequeretur naturam illam esse singularem, & non vniuersalem. Probatur, quia vt aliqua natura sit formaliter vniuersalis, debet esse vna indiuisa in omnibus identificata, vel plurificata in illis, vt ostendi num. 2. & 4. sed admissa distinctione ex natura rei inter naturam, & eius singularitatem, talis natura sic distincta non esset identificata nec plurificata in pluribus, ergo non magis esset vniuersalis, quàm vna natura pluribus subsistentiis terminata, & vnum accidens in pluribus subiectis subsistens. Secundò apposita hac distinctione inter animal, & rationale prædicti gradus se haberent tamquà partes realiter distinctæ, ex quibus vnum per se, & compositum metaphysicum resultaret, ergo animal non prædicabitur de rationali, prædicatione essentiali & quiditatiua, vt cernitur in materia prima, quæ non prædicatur quidditatiue de forma, quia ab ea realiter distinguitur, ergo si animal à rationali ex natura rei distinguitur non poterit prædicari prædicatione essẽtiali, & quidditatiua, ac per consequens, nec esse vniuersale, quia vniuersale est de essentia suorum inferiorum, de quibus prædicatur, ergo suppositа hac distinctione inter naturam & eius singularitatem & animal & rationale, simpliciter natura humana Petri v. g. erit singularis.

43 Obiiciat quispiam id, quod est omnino distinctum, & præcisum ab omni singularitate vt sic non est singulare, alioqui aliquam singularitatem includeret, & non esset distinctum & præcisum ab illa, & consequenter nec ab omni singularitate, atqui supponimus naturam esse à parte rei omnino distinctã, & præcisam ab omni singularitate, ergo ex hac suppositione natura vt sic distincta, & præcisa à parte rei non est singularis, igitur est præcisè vniuersalis. Confirmo, natura vt distincta, ac præcisa ex natura rei ab omni singularitate habet à parte rei idemmet quod habet per intellectum talis natura, vt ratione præcisa obiectiuè à suis singularitatibus, sed natura vt ratione præcisa obiectiuè ab omnibus singularitatibus non est per rationem singularis, sed vniuersalis præcisè, ergo natura vt distincta, & præcisa ex natura rei ab omni singularitate non est singularis, sed vniuersalis præcisè à parte rei.

44 Respondeo rem aliquam si omnino distincta ac præcisa sit ab omni singularitate, & aliunde non supponatur contradictoriè aliquam singularitatem habere, nulla ratione fore singularem, sed tantum vniuersalem, saltem negatiuè, si verò supponatur distincta, & præcisa secundùm se ab omni singularitate, & simul etiam supponatur implicite aliquam singularitatem habere, duo contradictoria supponi; scilicet naturam, seu rem illam non esse singularem, & esse singularem, atque ita duo contradictoria sequi, nempe naturam, siue rem illam esse vniuersalem, & non esse vniuersalem, quando ergo modò supponimus naturam secundum se à parte rei distinctam esse ab omni singularitate, & insuper talem naturam esse actu à Deo creatam, & reipsa existentem, supponimus etiam implicite naturam illam aliquam secundum se singularitatem habere, quia natura vt actu creata, & reipsa existens est essentialiter à parte rei singularis, vt ostensum est superius, & ita duo contradictoria supponimus, scilicet naturam à parte rei non esse singularem, & esse singularem, ac proinde alia duo ex tali suppositione contradictoria sequuntur, nempe naturam illam esse vniuersalem, & non esse vniuersalem, vt declaratum est.

Ad confirmationem dico etiam omnino implicare, quod natura aliqua sit per rationem obiectiuè præcisa ab omnibus singularitatibus. Vnde si supponeremus talem naturam præcisam esse obiectiuè per rationem ab omni singularitate, ex tali suppositione impossibili etiam duo illa contradictoria sequerentur, scilicet naturam illam esse per rationem obiectiuè vniuersalem, qua obiectiuè præcisa supponeretur ab omni singularitate & non esset obiectiuè vniuersalis, sed singularis, etiam per rationem, quia illa natura concipitur à ratione vt vna, & non potest verè concipi in ea alia vnitas, nisi singularis, vt sequenti disp. 6. ostendemus. Quare eadem est ratio de natura obiectiuè præcisa à singularitatibns per rationem, ac de natura distincta, ac præcisa ab omni singularitate à parte rei, eadem enim in vtroque casu contradictoria sequuntur.

DISPVTATIO V.

De vnitate naturæ vniuersalis, & eius aptitudine.

SEPTEM capita continebit. In primo inquiro quid sit vnitas? & quotuplex illa sit? In secundo an detur à parte rei vnitas formalis, & numerica. In tertio quomodo inter se distinguantur? In quarto an detur à parte rei vnitas formalis, & communis ante opus rationis? In quinto quid sit aptitudo naturæ vniuersalis? & an illa detur à parte rei? In sexto an detur vniuersalitas à parte rei? In septimo in quo consistat vniuersalitas aperitur.

CAPVT I.

Quid sit vnitas? & quotuplex illa sit.

EX dictis disp. præcedenti cap. 3. apparet manifeste non dari à parte rei ante opus rationis vniuersale formaliter, sed tantum materialiter. Scotistæ verò nimis fidentes in sua vnitate formali conantur ostendere illud dari à parte rei, quæ à nobis radicitus explicanda, & impugnanda sunt.

Præmitto primò pro tituli intelligentia, & dicendis in tota disp. vnum ex Arist. 5. metaph. cap. 6. & lib. 10. cap. 1. esse *indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio*, vt à nobis toto cap. 2. præcedentis disp. explicatum est. *Vnum* dicitur, quia ex parte entitatis dicit aliquid positiuum, & pro formali supra entitatem, carentiam diuisionis, ita vt vnitas sit res indiuisa, seu carentia diuisionis, vt docet D. Th. 1. p. q. 11. 1

articulo

articulo 2. ad 2.& in 1.diſt.9.q.4. articulo ad 2.Suarez 1. met. diſp. per varias ſectiones. Ad cognoſcendam autem quantitatem & qualitatem huius vnitatis debemus agnoſcere quantitatem, & qualitatem diuiſionis, quæ ex Caietan. de ente, & eſſentia cap. 4. quæſt. 6. duplex eſt,alia materialis, ſeu indiuidualis, & numerica, alia formalis, ſeu ſpecifica. Diuiſio materialis, ſeu indiuidualis dicitur illa, quæ cauſatur per principia materialia, hoc eſt per principia indiuiduationis, quæ materialia dicuntur, vel quia à materia ducuntur, vel quia per illa principia contrahunt naturas vniuerſales ad eſſe indiuidui: & talis eſt diuiſio, qua diuiditur quælibet ſpecies infima in ſua indiuidua. Diuiſio verò formalis, ſeu ſpecifica eſt illa, quæ cauſatur per principia formalia, hoc eſt, per differentias eſſentiales, ſiue dicantur formalia principia, quia ſumuntur à forma, ſiue quia in compoſitis methaphyſicis idem præſtant, quod formæ in compoſitis phyſicis, eo quod multum formis aſſimilantur, talis eſt diuiſio, qua genus ſcilicet animal diuiditur in ſuas ſpecies. Aduertendum tamen eſt in diuiſione formali eſſe maiorem latitudinem, quam in materiali ſeu numerica; nam Petrus à Paulo ſolum differt ratione materiæ, aut ecceitatis: & ita inter illos ſolum verſatur diſtinctio materialis, aut numerica: at vero Petrus ab equo differt non ſolum ratione materiæ, ſed etiam ratione formæ v.g.Petrus à Paulo ſolo numero differt per indiuiduationem, ſeu ecceitatem deſumptam à materia ſeu principio materiali; ab equo differt per rationalitatem deſumptam à principio formali, à planta per ſenſibile, à lapide per animatum,& ſic de aliis;ergo diuiſio formalis ex genere ſuo maiorem admittit latitudinem, quam diuiſio materialis.

2 Præmitto ſecundò ex eodem Caietano naturam in triplici ſtatu per ſe conſiderari, Primò ſecundum ſe prout præciſe dicit principia eſſentialia & entitatem ſecluſis indiuiduantibus differentiis, qui ſtatus vocatur, ſtatus indifferentiæ, & ſolitudinis, quia ſola eſt ab omni extrinſeco prædicato. Secundus ſtatus naturæ eſt ſtatus contractionis,& ſingularitatis prout habet eſſe in ſingularibus. Tertius ſtatus naturæ eſt ſtatus abſtractionis naturæ per intellectum à ſingularibus & conditionibus indiuiduantibus, qui etiam ſtatus poteſt vocari ſtatus ſolitudinis, quia natura præſcindit ab omni ſingularitate, & indiuiduatione. Huic triplici ſtatui naturæ triplex vnitas correſpondet, generica, ſpecifica, & numerica, ſeu indiuidualis. Vnitas generica eſt illa, quam habent ſpecies in genere, vt homo, & equus in animali: ſpecifica eſt illa, quam habent indiuidua in ſpecie vt Petrus, & Paulus in homine, vnitas verò indiuidualis, ſeu numerica eſt illa, quam habet quodcumque indiuiduum in ſe ipſo in quantum non eſt diſtinctum à ſeipſo & eſt diſtinctum ab illis, vt Petrus qui in ſe ipſo indiſtinctus eſt, & diſtinctus à Paulo, & aliis indiuiduis eiuſdem ſpeciei.

3 Præmitto tertiò ex his tribus vnitatibus maiorem eſſe numericam, ſeu indiuidualem, minorem ſpecificam, minimam genericam. Probatur manifeſte, illa eſt minor vnitas, quæ ſecum compatitur maiorem diuerſitatem, ſed vnitas generica maiorem compatitur diuerſitatem, minorem ſpecifica, & nullam numerica,ſeu indiuidualis, ergo hæc erit maxima vnitas, maior eſt certa, quia quæ magis differunt, minus conueniunt,quia principium differendi non eſt principium conueniendi, vt ex ſe conſtat. Minorem probo,illa, quæ ſunt vnum genere differunt per differentias ſpecificas, vt homo, & leo, & ea quæ ſunt vnum ſpecie differunt ſolum per differentias indiuiduales, vt Petrus, & Paulus, illud autem, quod eſt vnum numero nec habet in ſe diuerſitatem ſpecificam, nec genericam,ergo vnitas qua Petrus v. g. eſt hoc indiuiduum, eſt maxima vnitas, quia excludit omnem diuiſionem, & diuerſitatem, vnitas verò, qua eſt vnus homo, eſt minor præcedenti, quia non excludit vt ſit hic vel ille homo, vnitas verò qua eſt vnum animal,eſt etiam minor ſpecifica, quia ex vi illius non excludit, quod ſit homo, vel equus. & ratio eſt, quia vnitas pro formali, vt notaui numero præcedenti dicit carentiam diuiſionis, ſed carentia maior eſt,quanto minus relinquit in ſubiecto de forma, qua priuat, vt patet in obſcuritate, & ſurditate, ergo illa carentia eſt maxima, quæ in ſubiecto nihil relinquit ſuæ formę,ſed vnitas numerica,ſeu indiuidualis nihil relinquit diuiſionis,præter aliquam formalem, maximam genericam, ergo vnitas numerica,ſeu indiuidualis eſt maxima vnitatum.

CAPVT II.

An detur à parte rei vnitas formalis, & numerica?

EX præcedenti cap. conſtat, quid ſit vnitas generica, ſpecifica, & numerica,ſeu indiuidualis? nunc inquirimus, an vnitas formalis, & numerica dentur à parte rei ante opus rationis? nam de generica numquam controuertitur, cum ſolum fundamentaliter detur, ſed ſolum de vnitate formali, & numerica, ſeu indiuiduali. 4

De vnitate numerica dari à parte rei ante opus rationis apud omnes in confeſſo eſt, conſtat enim quodlibet indiuiduum eſſe indiuiſum in ſe, & diuiſum à quolibet alio & habere carentiam diuiſionis, & vnitatem numericam à parte rei; etenim quodlibet indiuiduum habet indiuiſionem inſe, & diuiſionem ab aliis per principia materialia, ergo non habet principia materialia, per quæ ipſum indiuiduum poſſit diuidi, ac proinde à parte rei, & independenter ab omni conſideratione intellectus habet vnitatem numericam, aut materialem, maior difficultas verſatur circa vnitatem formalem,an ſcilicet in Petro v.g. præter vnitatem numericam, detur à parte rei vnitas formalis? & ſenſus non eſt, an vnitas formalis, & vnitas numerica diſtinguantur à parte rei? (quomodo vero per rationem diſtinguantur cap. ſequenti enodabimus) ſed an ſicut à parte rei datur vnitas numerica,ſeu indiuidualis,vel materialis, ſic etiam detur vnitas formalis, quæ non ſit realiter diſtincta à numerica ad eum modum, quo dantur à parte rei naturæ communes, ſeu differentię indiuiduales,quę non realiter diſtinguantur ab indiuiduis? partem negantem defendunt Torrejon tract. 2. de vniuerſalibus diſput. 1. quæſt. 4. Martinius diſp. 1. q. 3. Franciſcus Alphonſus ſect. 4. diſp. 2. 5

ASSERTIO tamen ſit, à parte rei dari ante opus rationis vnitatem formalem minorem numerali, eſt communis inter omnes Dialecticos. Eam tenet Ariſtot. 5. met. text. 11. D. Thom. opuſc. de natura generis capit. 7. Caietanus de ente, & eſſentia capit. 4. quæſtiun. 6. Suarez 1. met. diſp. 6. ſect. 1. citans plures doctores vtriuſque ſententiæ, Complutenſes diſp. 3. vniuerſalium quæſt. 2.Merino cap. 1. vniuerſalium diſp. 1. quæſtion. 3. ſect. 1. citatis multis, Hurtado diſp.5. met. ſect .5. 6

Auersa q. 8. sect 6. Lerma lib. 3. q. 4. numero 6. Conimbricenses in præsenti, Paulus Vallius, Carleton disp. 27. Logicæ sect. 2. Suarez, Fonseca Arriaga. Primo probant assertionem verba Aristotelis loco citato. Vniuersaliter enim quæcumque non habent diuisionem, in quantum non habent, sic vnum dicuntur, vt si *inquantum homo non habet diuisionem vnus homo, si vero inquantum animal vnum animal.* In quibus expresse concedere videtur quandam vnitatem ratione cuius habet vnam definitionem, & vnum nomen; quod non potest esse verum nisi de vnitate formali. Clarissime Caiet. loco citato q. 4. vbi inter alia ait. *Et sicut non solum indiuidualitas Sortis est extra animam, sed etiam quodlibet eius prædicatum, ita non solum vnitas numeralis, sed quælibet eius vnitas formalis extra animam dicenda est.* quibus clare constat de vnitate formali dari à parte rei, sicut de numerica, & indiuiduali.

6 Probatur primò ratione. Vnitas formalis est carentia diuisionis formalis, seu est entitas indiuisa formaliter, sed Petrus à parte rei ante opus rationis habet carentiam diuisionis formalis, seu entitatem formalem indiuisam, & non tantum indiuisionem materialem, ergo Petrus à parte rei non solum habet vnitatem numericam sed etiam formalem. Maior est definitio vnitatis. Probatur minor, sicut Petrus à parte rei ante operationem intellectus non est diuisus in plures materias, seu indiuiduationes, quia vnitas indiuidualis dicit omnimodam communicabilitatem tam secundum rem, quam secundum rationem, ita similiter non est diuisus in plures formas, seu essentias, ergo sicut Petrus à parte rei habet carentiam diuisionis materialis, ita & habet carentiam diuisionis formalis, ergo sicut datur à parte rei vnitas numerica, ita & formalis. Primam consequentiam ostendo, quia Petrus à parte rei non solum distinguitur à Paulo, sed etiam ab equo, & leone, sed non potest distingui ante opus intellectus ab equo, & leone per differentiam numericam, quia hæc solum versatur inter indiuidua eiusdem speciei; ergo distinguitur per vnitatem formalem, cum Petrus, & equus non solum distinguantur per principia materialia, sed etiam per principia formalia, & differentias essentiales, ergo signum euidens est, quod nullo intellectu considerante datur vnitas formalis à parte rei, sicut datur vnitas numerica. Probatur secundò: à parte rei Petrus, & Paulus habent relationem similitudinis, seu identitatis in natura, cùm habeant naturas, & essentias eiusdem speciei, ergo datur inter illos vnitas formalis. Consequentia probatur, quia relatio similitudinis teste Arist. 5. met. tex. 20. fundatur in vnitate, non in numerica, cum in hac potius Petrus, & Paulus sint dissimiles, ergo illa relatio similitudinis debet fundari in vnitate formali, ergo à parte rei inter Petrum & Paulum datur vnitas formalis.

7 Dices Petrum à parte rei per vnitatem numericam præstare vtrumque & distingui à Paulo, & etiam ab equo, & leone, & consequenter superfluere vnitatem formalem à parte rei. Sed impugnatur, nam vel sumis vnitatem numericam Petri, vt secum identificat omnem vnitatem indiuisam à quacumque causa, & radice prouenientem, vel sumis illam præcise prout est materialis, & causatur per principia materialia, & indiuiduantia. Si primum, verum est Petrum à parte rei carere omni diuisione, & distingui per suam entitatem à quocumque alio, eo quod in se realiter identificat vnitatem formalem, per quam, etiam dicitur virtualiter distingui. Si secundum, non includit vnitatem formalem, sed ab ea distinguitur, & tunc non est verum Petrum per vnitatem numericam distingui essentialiter ab equo, & leone, quia principia materialia à quacumque radice sumantur, non possunt causare distinctionem essentialem, quia hæc necessario debet prouenire à principiis formalibus, quæ vel desumuntur à forma, vel ab aliquo ei affini, ergo sicut datur à parte rei, ante opus rationis vnitas numerica, & materialis, per quam Petrus differt à Paulo, ita & datur vnitas formalis per quam Petrus à parte rei ante opus rationis differt ab equo, & leone.

Sed obiiciunt quidam recentiores Aristotelem 5. 8
met. tex. 7. qui enumerans vnitates, solum meminit numericæ, significans specificam, & genericam conuenire rebus per intellectum, ergo ex Arist. sola numerica datur à parte rei. Ratione primo, sicut non datur nisi duplex ens, reale scilicet, & rationis: ita non datur nisi duplex vnitas, realis scilicet, & rationis; Sed vnitas realis est vnitas numerica, ergo vnitas formalis, & specifica solum est per rationem. Minor probatur, omnia, quæ sunt in singularibus à parte rei, sunt singularizata, & indiuiduata, ergo licet Petrus à parte rei sit homo, animal viuens, sensibile, &c. nihil tamen istorum erit à parte rei commune, sed singulare, & indiuiduum, ergo à parte rei solum datur vnitas numerica & indiuidualis, non vero formalis, & specifica. Præterea vnitas realis in actu tantum est passio entis in actu, nisi enim actu sit ens, actu vnum esse non potest, quia vnitas est passio entis, sed ens actu tantum est ens reale, & singulare, ergo vnitas realis solum est vnitas singularis, & numerica, ergo non datur vnitas formalis, & specifica à parte rei ante opus rationis, quia vnitas rationis non reperitur à parte rei, sed omnis vnitas realis est numerica, ergo hæc sola est à parte rei.

Respondeo primò, Aristotelem sub vnitate nume- 9
rica, & generica comprehendisse formalem, quia omnes dicunt carentiam diuisionis formalis, & vnitatem formalem esse proximum fundamentum ex parte naturæ respectu vnitatis specificæ, vel genericæ & ideo solet appellari fundamentaliter specifica, vel generica, quatenus intellectus habet vim ad concipiendum animal non conceptis conditionibus indiuiduantibus & ad comparandum illud ad hominem & equum, tribuendo illi intentionem generis, vel speciei, vel prædicabilis, atque ita optime vnitas numerica solet appellari fundamentaliter specifica, vel generica. Ad primam rationem, quod sicut entitas realis Petri non solum continet principia materialia, ex quibus desumitur differentia numerica, sed etiam principia formalia, ex quibus desumitur differentia essentialis formalis, vel specifica; ita similiter vnitas realis Petri, non solum continet vnitatem numericam, quæ sequitur principia materialia, sed etiam vnitatem formalem quæ sequitur principia formalia, & essentialia, & quamuis à parte rei omnia sint singularizata, & omnis vnitas realis sit numerica identice, & materialiter, hoc non impedit, quod formaliter detur vnitas formalis à parte rei identificata cum numerica, nam licet à parte rei non inueniatur in singularibus nisi vna forma realiter, in ea tamen eminenter continentur diuersi gradus entis videlicet substantiæ, corporis, viuentis, sensibilis, rationalis, &c. ab ea tamen vnica forma sumitur principium vnitatis formalis &c. & licet

omnis

omnis vnitas, quæ eſt à parte rei, ſit realiter ſingularis, eſt etiam vnitas formalis, ſecundum quod à diuerſo principio deſumitur. Ad confirmationem Reſpondeo vnitatem realem in actu non ſolum ſequi entitatem ſingularem, quæ eſt ens in actu, ſed etiam alias perfectiones, quæ in tali entitate, ſeu forma ſingulari eminenter continentur, ſicut attributa diuina etiam dicuntur realia, etiamſi non ſint diſtincta realiter à diuina eſſentia, ſed identificata cum ipſa.

CAPVT III.

Quo modo in vnoquoque indiuiduo vnitas formalis, & numerica diſtinguantur?

10 EXplicuimus diſp. præcedenti cap. 2. num. 5. diſtinctionem tam realem, quam rationis ex Suarez 1. metaph. diſp. 7. ſect. 1. & Complutenſes qu. 4. Vniuerſalium, & huc remiſimus enodandam, & impugnandam diſtinctionem formalem Scoticam quã vulgo vocant ex natura rei, mediam inter diſtinctionem realem abſolutam, & diſtinctionem rationis, quæ datur inter ea, quæ licèt realiter identificantur, habent tamen diſtinctas rationes, & definitiones, & vnum ſaltem non eſt eſſentialiter de conceptu formali alterius, & quamuis duæ formalitates in eius ſententia in eadem realitate conueniant, taliter, vt nec diuina virtute poſſint ab inuicem ſeparari, tamen formaliter non identificari inter ſe, nec vnam eſſe de conceptu formali alterius, & hanc appellant diſtinctionem formalem, ſeu ex natura rei, mediam inter realem, & rationis ante omnem operationem intellectus, & hac diſtinctione aſſerit in diuinis diſtingui eſſentiam ab attributis, & attributa inter ſe, & in creatis gradum ſpecificum à generico, naturam à ſingularitate, & in re noſtra vnitatem formalem à numerica. Princeps huius ſententiæ eſt ſubtilis Scotus multis in locis cum omni ſua Schola, excluſo vno Herrera in primò diſt. 2. qu. 7. in 2. diſt. 3. qu. 1. quos refert, & ſequitur Merin. diſp. 1. vniuerſalium quæſt. 2. & num 28. adducit Petrum Fonſecam, & Ægidium de Præſentatione, & alios.

11 ASSERTIO I. Vnitas formalis, & numerica in eodem indiuiduo realiter identificantur, eſt communis, & eam tenet D. Thomas cap. de ente, & eſſentia, & ibidem Caiet. Complut. Lerma, & omnes citati à Suarez ſupra, Auerſa quæſt. 8. ſect. 6.

Probatur primò diſcurſu D. Thomæ cap. 3. de ente & eſſentia, vbi optime pſobat, quod nec genus prædicaretur de ſpecie nec ſpecies de indiuiduo, ſi genus realiter diuideretur à differentia ſpecifica, & ſpecies à differentia indiuiduali, ſed genus per ſe prædicatur de ſpecie, & ſpecies de indiuiduis, ergo ſignum euidens eſt, quod realiter non diſtinguuntur, ſed quæ realiter non diſtinguuntur à parte rei, ante opus rationis, ſunt inter ſe identificata, ergo vnitas formalis, & numerica, cum realiter non diſtinguantur ante intellectum, ſequitur realiter inter ſe eſſe identificata.

Probatur ratione, quia ſi in eodem indiuiduo vnitas formalis, & numerica non identificarentur, ſequeretur in eodem Petro v. g. eſſe duas formas ſubſtantiales realiter entitatiue inter ſe diſtinctas, conſequens eſt falſum, vt in libris de anima late conſtabit, ergo & antecedens. Sequela probatur, quia vnitas tam formalis, quam numerica, cum ſit vnitas tranſcendentalis debet cum aliqua entitate identificari, quia vnum eſt paſſio entis cum ipſa tranſcendentaliter identificata, ergo ſi in Petro vnitas formalis, & tranſcendentalis realiter non identificaretur in Petro datur vna vnitas, & forma ſubſtantialis, cum qua eius vnitas numerica identificatur, & altera forma ſubſtantialis realiter entitatiue diſtincta, cum qua identificetur vnitas formalis, nam ſi vnitas formalis, & numerica cum eadem forma ſubſtantiali realiter identificarentur, etiam realiter ipſæ vnitates inter ſe identificarentur iuxta communẽ Philoſophi principium. *Quæ ſunt eadem vni tertio ſunt eadem inter ſe*, ergo ſi vnitas formalis, & numerica inter ſe non identificantur, ergo neque cum forma reali ſubſtantiali, ſed quælibet cum ſua forma.

Confirmatur primò, quia ſi vnitas formalis eſſet diſtincta realiter à numerica, neceſſariò haberet in ſe à parte rei propriam vnitatem realem, per quam ipſa conſtitueretur in eſſe vnius, ſed talis vnitas à parte rei eſſet vna in omnibus indiuiduis, ergo eſſet poſitiue communis, & vniuerſalis, & ſic incideremus in ſententiam Platonis. Minor probatur, quia vnitas illa per commixtionem ad indiuidua non amitteret ſuam vnitatem, & indiuiſionem, ſicut materia prima per vnionem ad formas, à quibus realiter diſtinguitur, ſemper retinet ſuam vnitatem, ergo illa vnitas eſſet vna à parte rei in pluribus indiuiduis, & conſequenter vniuerſalis, quod impugnamus contra Scotum.

Confirmatur ſecundò vrgentius, ſi daretur talis vnitas formalis identificata cum ſua forma ſubſtantiali & diſtincta ab vnitate numerica, & ſua forma ſubſtantiali, non haberet talis vnitas formalis, & forma ſpecifica aliquid, per quod multiplicaretur, ergo illa realiter immultiplicata maneret, & conſequenter vna communis pluribus. Minor eſt vera, quia multiplicatio ſemper fit per principia materialia indiuiduationis, ergo aſſerendum eſt vnitatem formalem & numericam eſſe inter ſe identificatas, & conſequenter ad multiplicationem vnitatis numericæ, neceſſario multiplicari vnitatem formalem, quia quando duo inter ſe ſunt identificata, implicat in creatis multiplicato vno alterum non multiplicari, vt conſtat in actione, & paſſione, quæ quia realiter identificantur, realiter etiam multiplicantur.

ASSERTIO II. Inter vnitatem formalem, & numericam non datur illa diſtinctio media inter realem, & rationis, quæ appellatur diſtinctio formalis, ſeu ex natura rei. Hæc eſt contra Scotum & ſuam Scholam, defendunt tamen eam D. Thomas & Thomiſtæ, quos referunt Complutenſes ſupra quæſt. 4. numero 34. & Suarez diſput. 6. metaph. ſect. 1. Hurtado diſput. 6. metaph. ſect. 3. Arriaga diſp. 5. Logicæ ſect. 2. Vallius, Franciſcus Alphonſus diſput. 3. ſect. 2. Vaſquez, Granados, Auerſa, Conimbricenſes, & nouiſſimè Lerma lib. 3. quæſt. 5. Ioannes à Sancto Thoma quæſt. 2. articulo 3. & quæſtione 6. articulo 3. Carleton ſupra, & eſt communis inter omnes Dialecticos. Et probari poteſt ex eodem teſtimonio D. Thomæ adducto aſſertione præcedenti, & ratione non efficaci: primò quia diſtinctio, ſicut & vnitas ſequitur identitatem, ergo ſicut implicat dari aliquod ens, quod non ſit reale vel rationis, & non aliquod ens mediũ, ita etiam implicabit dari etiam aliam diſtinctionem mediam inter diſtinctionem realem, & rationis, nam diuiſio diſtinctionis in realem, & rationis datur per differentias quarũ vna includit negationem alterius, ratione cuius opponuntur contradictoriè, ergo impoſſibilis eſt alia media diſtinctio. Hanc conſequen- 12

tiam

tiam probo, quia inter cõtradictoriè oppoſita nullum datur medium, vt inter lucem & tenebras: nam diſtinctio realis, & ante intellectum eſt diſtinctio & non ab intellectu; diſtinctio vero rationis eſt diſtinctio ab intellectu, ſed diſtinctio ab intellectu, & diſtinctio à non intellectu contradictoriè opponuntur: ergo inter illas alia media diſtinctio impoſſibilis eſt, quia inter contradictoriè opoſita non poteſt fingi aliquod medium. Vide Hurtado ſupra vbi latè increpat Scotiſtas.

13 Probatur ſecundò principaliter ex principiis Scoti, qui ex eo, quod aſſerat talem diſtinctionem eſſe à parte rei realem, ſeu formalem, tamen vnum non eſſe de conceptu formali alterius, etiamſi duæ formalitates in eadem realitate à parte rei conueniant, ſeu identificatæ ſint, ſumitur efficax impugnatio eius ſententiæ: nam illa non identificatio formalis nihil eſt aliud, quam negatio connexionis intrinſecæ, & formalis vnius cum alio, ſed hæc negatio non ſufficit conſtituere extrema diſtincta actualiter, & reddere ipſam diſtinctionem realem: ergo hæc diſtinctio media eſt chimerica. Maior eſt vera, quia vnum eſſe de conceptu formali alterius nihil eſt aliud, quam habere connexionem intrinſecam, & eſſentialem cum alio, vt homo cum animali rationali, & è contra, quia ad inuicem ſunt de conceptu formali alterius: ergo negatio iſtius identitatis ſolum eſt negatio iſtius habitudinis, & connexionis. Minor probatur apertè: nam poſita illa negatione habitudinis extrema non manent diſtincta, ita vt poſſint fundare relationem huius diſtinctionis, vt conſtat in diuinis attributis, in quibus licet vnum formaliter non ſit de conceptu formali alterius attributi, tamen ſunt inter ſe realiter identificata. Similiter in homine, licet animal, & rationale ſint realiter idenficata; tamen vnum non eſt de conceptu formali alterius: nam animal non conſtituitur formaliter per rationale, ſed per viuens ſenſibile, nec rationale per animal, & tamen ſunt realiter identificata, & vna formalitas, & realitas à parte rei; ergo vnum formaliter non eſſe de conceptu formali alterius non ſufficit ad conſtituendam hanc mediam diſtinctionem: ergo illa ſimpliciter eſt impoſſibilis.

14 Sed obiiciat quis Scotum ſupra, quæ diſtinguuntur definitione, diſtinguuntur ante intellectum, ſed plura diſtinguuntur definitione quæ realiter non diſtinguuntur, vt actio, & paſſio; ergo datur diſtinctio ante intellectum, quæ non ſit realis ſimpliciter, ſed tantum ex natura rei. 2. relatio ſimilitudinis, ſeu identitatis in natura quã dicit Petrus ad Paulum ratione ſingularitatis fundatur in vnitate formali, & non in vnitate numerica. E contra verò relatio diuerſitatis indiuidualis, quam idem Petrus dicit ad Paulum ratione ſingularitatis fundatur in vnitate numerica, & non in vnitate formali, ergo iſtæ vnitates diſtinguuntur ex natura rei, eo, quod fundãt relationes realiter diuerſas. 3. quia indiuiduum addit aliqaid reale ſupra naturam ſpecificam, ergo illud ſuperadditum diſtinguitur realiter, vel ſaltem ex natura rei, nam implicat aliquod additum ante intellectum, ſinè diſtinctione ante intellectum.

15 Reſpondeo ad primũ, quod ſi definitio tradatur de re prout eſt in ſe à parte rei, diſtinguũtur realiter, quæ diuerſa definitione definiuntur vt conſtat in definitione hominis, & equi, ſecundum quod ſunt à parte rei, ſi vero tradatur definitio de re non prout in ſe eſt, ſed ſecundum quod intellectus ſic, vel ſic eam accipit. Maior eſt falſa, Vel 2. Reſpondeo ea, quæ ſunt à parte rei vna forma ſubſtantialis vt vnitas formalis, & numerica poſſe habere diuerſas definitiones, quia inter ſe habent à parte rei vniuerſalem quamdam diſtinctionem, quæ præbet fundamentum vt ab intellectu actualiter diſtinguantur, & diuerſis definitionibus definiantur, vt conſtat in actione, & paſſione, vt latius conſtabit lib. 3. Phyſ. & de relatione, & fundamento cap. de relatione. Ad 2. dico quod licet eadem entitas non poſſit fundare à parte rei in vnico indiuiduo plures relationes numero ſolodiſtinctas, bene tamen poſſe fundare plures relationes ſpecie diuerſas, ad quas etiam ſufficit eadem virtualis diſtinctio, vt etiam ſufficit in quantitate, vt referatur ad diuerſos terminos cum relatione realis æqualitatis, aut inæqualitatis Ad 3. Reſpondeo eius ſolutionem petendam eſſe ex iis, quæ dici ſolent, circa indiuiduationem ſubſtantiarum. Pro nunc dico, quod licet differentia indiuidualis ſumatur à principio diſtincto realiter vel non, ipſam tamen non eſſe realiter diſtinctam à natura, ſed eſt ipſa natura facta hæc per ordinem ad principium indiuiduationis, vnde ſi additionem ſumamus per differentiam indiuidualem, nihil reale addit naturæ, licet per ipſam differentiam indiuidualem ipſa natura contrahatur, & ſingularizetur.

ASSERTIO III. Vnitas formalis & numerica in eodem indiuiduo ſolum virtualiter, & diſtinctione rationis ratiocinatæ diſtinguuntur. 16

Eſt contra Scotum, & eam probant omnia argumenta facta contra ipſum in præcedentibus concluſionibus & præcipue cap. 2. præcedentis diſp. de diſtinctione graduum. Eam tenet omnis Schola D. Tho. Complutenſes ſupra, Io. à Sancto Thoma. Lerma, Suarez ſupra numero 9. Hurtado diſp. 6. met. ſect. 6. Arriaga, Frãciſcus Alphonſus, Vallius, Auerſa, & cõmuniter omnes contra Scotum, & Scotiſtas, & efficaciter probatur ex D. Thom. de ente & eſſentia cap. 3. Vbi aperte docet, quod ſi genus realiter diſtingueretur ab ſpecie, & ſpecies ab indiuiduis, nec genus, nec ſpecies poſſent prædicari per ſe differentia ſpecifica, & indiuiduali, ergo ſentit ſaltem ratione diſtingui vt prædicatio ſit ſuperioris de inferiori. Probatur primo ratione phyſica, quia indiuiduum non addit ſupra naturam aliquid à parte rei diſtinctum ab illa, ergo differentia indiuidualis & natura non diſtinguuntur realiter, ſed ſolum ratione penes diuerſos reſpectus ad diuerſa principia materialia vel formalia, quæ cum fundamento diſtinguuntur in eadem entitate; ergo vnitas formalis, & numerica ex illis conſurgentes ſola ratione diſtinguuntur; Antecedens conſtat ex omnium doctrina, quod ſi indiuiduum, ſeu differentia numerica adderet aliquid reale ad formalem vnitatem ab illa realiter diſtingueretur, & conſequenter daretur vnitas poſitiue cõmunis pluribus, quod ab omnibus impugnatur contra Scotum, & à nobis c. ſequẽti, ergo vnitas formalis, & numerica, ſola ratione ratiocinata diſtinguuntur. Secundò probatur ratione logica, quia natura abſtracta per intellectũ ab indiuiduis fit communis, & ab illis diſtincta, aliàs de illis non poſſet prædicari, ſed vt ſic diſtincta non retinet formaliter vnitatem numericam, & indiuidualem, retinet tamen vnitatem formalem, ergo differunt ſaltem ratione huiuſmodi vnitatis. Tertiò, vnitas numerica per ſe ipſam non conuenit eſſentiæ, ſed addit aliquid ſaltem ratione, vt talis natura communis, & eſſentia fiat indiuidua, ſed vnitas formalis per ſeipſam immediate conuenit ipſi eſſentiæ communi abſque eo, quod aliquid ei addatur per rationem, ergo vnitas formalis, & numerica ſaltem ratione ratiocinata diſtinguuntur. Hanc conſequentiam probo, non poſſumus intelligere

eſſen

eſſentiam, quin illi communicetur vnitas formalis, à qua non poſſumus præſcindere, cum poſſimus præſcindere ab vnitate numerica, & indiuiduali, ſed præſcindere vnum ab alio eſt vnum ab alio diſtinguere, ſeu vnum ab alio ſecernere: ergo huiuſmodi vnitates ſunt ratione diſtinctæ ad eum modum, quo in re indiuidua eſſentia vt eſſentia, & vt talis indiuidua, ac ſingularis entitas.

17 Ex dictis infero quod ſi negationes diuiſionis formalis, & numericæ quæ ſequuntur vnitatem formalem, & numericam accipiantur formaliter, hoc eſt pro quadam forma rationis conſiderata ab intellectu ad modum formæ realis eſſe realiter diſtinctas ab ipſis, ſi verò accipiantur fundamentaliter non diſtingui realiter, ſed vnam identificari cum altera, ſicut entitas ipſarum, nec enim diuiſio negationis formalis, & numericæ magis diſtinguuntur, quam vnitas formalis & numerica. Quia etiam diuiſionis negatio identificatur cum entitate, & per eamdem entitatem, per quam aliquid in ſe eſt vnum numericè diuerſum ab alio materialiter, eſt etiam diuiſum formaliter. Petrus enim à Paulo non ſolum materialiter, ſed etiam formaliter habet diuiſionem, & per eandem entitatem habet diuiſionem formalem ab equo, ſeu leone: & ita nunquam in Petro dabitur diuiſio numerica ſine diuiſione formali. Ad realem autem diſtinctionem neceſſarium erat, quod in eodem ſubiecto vna daretur ſine altera, aut poſſet ſeparari ab altera; quod autem vnitas numerica in vno ſit diſtincta à diuiſione formali in altero non arguit diſtinctionem realem, vt animal, quod eſt in homine ſit diſtinctum ab animali, quod eſt in equo, non arguit, quod animal in homine diſtinguatur à rationali exiſtente in eodem homine, nam à rationalitate exiſtente in alio ſubiecto, quid mirum, quod diſtinguatur? vt in Angelo Michaële verbi gratia diſtinctio formalis, ſeu diuiſio formalis diſtinguitur realiter à duiſione numerica exiſtente in Petro, non vero ſequitur; quod in eodem Petro diuiſio formalis, & numerica diſtinguantur, quod ad realem diſtinctionem vnius ab alia neceſſarium erat.

CAPVT IV.

An detur à parte rei in natura vnitas formalis communis pluribus.

18 NOſtra difficultas non procedit de natura diuina quæ vna manens, eſt indiuiſa in tribus diuinis ſuppoſitis, nec de vnitate numerica, quæ incommunicabilitatem dicit eſſentialiter cum alio, & negationem communicabilitatis ad plura; ſed de natura creata, an ſcilicet in illa dari poſſit aliqua vnitas ſpecifica, quæ vna manens ſecundum gradum ſpecificum poſſit eſſe poſitiuè communis multis ante omnem conſiderationem intellectus in qua celebris eſt ſententia Scoti, & eius ſcholæ qui variis in locis aſſerit dari extra intellectum vnitatem quandam formalem communem pluribus indiuiduis, ac per conſequens vniuerſalem, præcipuè in 2. diſt. 3. quæſt. 1. lect. 5 & 9. ibi Antonius Andreas Trombeta, Gabriel Tartaretus, Paulus Venetus, Albertus Magnus libro prædicabilium, & plures, quos refert, & ſequitur Ioannes Merinero cap. 1. de vniuerſalibus diſput. 1. quæſt. 2. & 3. ſect. 1. & num. 28. adducit Petrum de Fonſeca, & Ægidium de Præſentatione, Burleum 1. Phyſic. text. 5. Monlorius diſput. de vniuerſalibus cap. 5. & 6. Rada tom. 2. controuerſia 3. artic. 1. oppoſitum aſſerit D. Thomas, & Thomiſtæ, & ferè omnes Theologi, & Dialectici.

ASSERTIO I. Natura humana ante intellectum 19
à parte rei non habet aliquam vnitatem formalem poſitiuè communem omnibus indiuiduis, ſed illam vnitatem communem accipit ab intellectu. Ita D. Thom. de ente, & eſſentia cap. 4. opuſcul. 55. & 1. part. quæſt. 85. artic. 2. ad 2. Caiet. de ente & eſſentia cap. 4. quæſt. 6. Suarez diſput. 6. meth. ſect. 1. Vaſquez 1. part. quæſt. 13. artic. 14. Complutenſes diſput. 3. Vniuerſalium quæſt. 3. citatis multis, Hurtado diſput. 5. met. ſect. 9. Herrera q. 8. ſect. 6. Toletus quæſt. 3. Vniuerſalium, Nimphus, Soncinas, Sotus quæſt. 2. Palud. 2. Capreolus, Herueus, Arriaga diſput. 4. Logicæ ſect. 4. Ioan. à ſancto Thoma quæſt. 3. vniuerſ. artic. 3. Franciſcus Alphonſus Lerma quæſt. 3. Carleton diſp. 28. Logicæ ſect. 1. & eſt communis inter Theologos, & Dialecticos. Probatur auctoritate D. Thomæ qui opuſc. 42. cap. 7. ait: *Alia eſt vnitas naturæ, quam habet ab intellectu, in quam omnia ſuppoſita conueniunt*: ſentit ergo vnitatem communem prouenire ab intellectu & conſequenter à parte rei eſſe ſingularem, ſicut & ipſam naturam. Et opuſc. 55. idem probat dicens. *Quod illa natura, quæ eſt vniuerſalis, in quantũ eſt in anima, eſt vna numero.* ergo extra animam erit multiplex: ergo à parte rei ante opus rationis, non erit poſitiuè communis pluribus indiuiduis, & conſequenter talis vnitas eſt impoſſibilis.

Probatur primò ratione, quia vnitas formalis, vel 20
eſt eadem in omnibus indiuiduis naturæ humanæ, vel eſt in quouis inferiori ſua vnitas formalis, ſicut & ſua natura: ſi primum, ſequitur non eſſe plures homines, ſed vnus tantum homo, quod non dicendum eſt, vt probant latè argumenta facta diſput. præcedenti cap. 2. à n. 8. ſiquidem natura per quam homo in eſſe hominis conſtituitur eſt vna in omnibus. Si ſecundum, ſcilicet vnitatem formalem, ſeu naturam humanam non eſſe vnam in omnibus indiuiduis, ſed in quolibet indiuiduo eſſe ſuam vnitatem, ſicut & naturam habeo intentum: nam vnitas formalis comitatur formaliter naturam, cum ſit intrinſeca, & tranſcendentalis proprietas illius, taliter, vt mutuo ſe conſequantur, & multiplicato vno multiplicetur alterum, ſed ſic eſt, quod in vnoquoque indiuiduo datur ſua propria natura diſtincta à natura alterius indiuidui: ergo & ſua vnitas formalis diſtincta ab vnitate formali alterius: ergo quot fuerint indiuidua, & naturæ ſingulares, erunt & vnitates, cum à parte rei non detur vna natura indiuiſa in omnibus: ergo ſimiliter, nec vna vnitas formalis poſitiuè communis.

Probatur ſecundò, quia vnitas formalis, & numerica à parte rei non diſtinguũtur ante intellectus operationem, ſed ſunt realiter idenficatæ inter ſe, vt ſupra num. 11. & 12. dictum eſt: ergo neceſſe eſt vnitatem formalem reipſa à parte rei multiplicari, multiplicata vnitate numerica, & indiuiduis: ſed à parte rei indiuidua multiplicantur: ergo & vnitates formales, vbi eſt vnitas communis poſitiuè pluribus? Conſequentiam primam probo, quia in creatis eſt impoſſibile, quod duo ſint inter ſe identificata, & quod multiplicato vno, alterum non multiplicetur, hoc enim eſt ſolum proprium diuinæ naturę in colẽdiſſimo Trinitatis Myſterio, quæ vna indiuiſa manet in tribus diuinis ſuppoſitis, & grauiter erraret in fide qui idſimile doceret de qualibet natura creata in ſuis indiuiduis; ergo talis vnitas formalis poſitiuè communis à parte rei ante opus rationis commentitia eſt.

Probatur tertiò principaliter, ſumo naturam 21
Petri

Petri præcisam ab eius singularitate & vnam vnitate formali ; similiter & naturam Pauli præcisam ab eius singularitate,& vnam etiam sua vnitate formali : sic argumentor. Natura Petri, vel est distincta à natura Pauli, vel non, si non est distincta, sequitur, quod est eadem in duobus, & consequenter in omnibus quod est impossibile, vt suprà etiam probatum est, & sequerentur absurda, quæ ibi adducta sunt, si est distincta ; ergo se ipsa est distincta, à natura Pauli, sed hæc distinctio non potest esse specifica, & formalis, cum sint intra eamdem speciem ; ergo erit numerica, & materialis ; ergo natura Petri,& Pauli præcisis suis singularitatibus erũt ab inuicem numero distinctæ, & diuersæ ; vbi ergo est vnitas formalis Scoti, communis possitiuè ad Petrum, & Paulum,& alia indiuidua speciei humanæ? ergo illa à parte rei est impossibilis ante omnem considerationem intellectus, & consequenter tot erunt vnitates formales, quot indiuidua,nam vnitas formalis, quantum ad realem entitatem est ipsa natura, qua multiplicata à fortiori multiplicatur vnitas formalis, sed multiplicata natura, etiam multiplicatur eius singularitas, cum qua realiter identificatur ; ergo tot erunt singularitates,quot indiuidua, & consequenter tot vnitates formales.

22 Sed obiiciunt pro Scoto Aristotelem,qui in prædicamento ad aliquid docet primum genus relationis fundari in vnitate specifica aut generica,quę si sit inter substantias,erit relatio identitatis,veluti quæ datur inter Petrum & Paulum, quæ fundatur in vnitate naturæ humanæ;si sit inter qualitates, erit relatio similitudinis,vt quæ datur inter duo alba; si sit inter duas quantitates erit relatio æqualitatis,aut inæqualitatis, vt inter duo corpora eiusdem longitudinis. Modo sic, relatio suius generis est realis, & datur ante operationem intellectus,nam duo alba etiam si non cognoscantur ab intellectu erunt similia ; ergo & eorum fundamentum, quod est vnitas formalis, erit realis,& dabitur à parte rei. Probatur ratione, natura humana à parte rei est vna,& est in multis;ergo vniuersalis.Consequentia est manifesta à definitione vniuersalis, antecedens probatur, natura humana à parte rei est indiuisa in se, & diuisa à qualibet alia vt Petrus;ergo habet carentiã diuisionis;ergo est vna,& indiuisa;aliũde est in multis,ergo vniuersalis, quia hæc desiderantur ad vniuersalitatem. Confirmo, Petrus, & Paulus à parte rei non differunt formaliter in natura ; ergo sunt vnum formaliter in natura, quia non est medium inter hæc duo. Antecedẽs probatur, quia differre formaliter in sententia Scoti, est differre per principia formalia, sed Petrus, & Paulus non differunt à parte rei per principia formalia ; ergo sunt vnum formaliter. Minorem probo, differre formaliter per principia formalia est differre per differentias essentiales, hoc est per ipsas essentias, sed Petrus, & Paulus non differunt per ipsas essentias ; ergo non differunt per principia formalia ; ergo Petrus, & Paulus sunt vnum formaliter ; ergo datur vnitas formalis communis à parte rei pluribus. Tertiò probatur, Petrus & Paulus à parte rei, & ante opus rationis sunt magis vnum, quam Petrus,& eqnus,& Petrus & equus magis quam Petrus, & planta, ergo à parte rei sunt magis vnum Petrus,& Paulus, quã Petrus & equus, & Petrus, & equus, quam Petrus, & planta. Hanc consequentiam probo ex testimonio Aristotelis,nam relatio similitudinis inter duas substantias fundatur in vnitate:ergo maior similitudo dicit maiorem vnitatem, sed hæc maior vnitas non est numerica, quia à parte rei Petrus,& Paulus non sunt similes in vnitate numerica, sed distincti, & dissimiles, ergo erit formalis ; ergo illa datur à parte rei. Maior primi syllogismi constat, quia magis conueniunt Petrus, & Paulus, quam Petrus,& equus,& Petrus,& equus quam Petrus, & planta. Ergo sicut datur distinctio formalis à parte rei diuersa à numerica, sic & dabitur vnitas formalis distincta à numerica. Quartò probatur, natura humana,quæ est in Petro,& Paulo definitur vnica definitione ; ergo in illa habent aliquam vnitatem,vt constat ex Arist.4.Metaphys.text. 10. & lib.7. text. 13. vbi docet nihil posse definiri, quod non sit vnum,sed hæc vnitas non est per intellectum,eo quod natura,non in intellectu,sed à parte rei habet quod sit definibilis ; ergo hæc vnitas est à parte rei non numerica, cum in illa non conueniant indiuidua naturæ,sed differant ; ergo est formalis,ergo datur extra intellectum vnitas formalis positiuè communis pluribus. Hæc sunt præcipua fundamenta pro sententia Scoti.

Respondeo 1. ad Aristotelem;à parte rei vnitatem formalem, & numericam esse reipsa identificatas, habere tamen quamdam distinctionem virtualem, seu fundamentalem, ratione cuius intellectus potest vnam concipere sine alia, & quodammodo facere vnam vnitatem formalem communem fundamentaliter, vt suprà n.15. diximus,immò, & habere diuersas definitiones. Ad primam rationem dico, distinguo antecedens, natura humana à parte rei est vna vnitate identitatis in omnibus nego,vnitate similitudinis, concedo.Similiter ad secundum antecedens,est vna indiuisa in se,concedo;vna indiuisa vna manens in omnibus,nego, vna indiuisa in quolibet plurificata,concedo;ergo vniuersalis, non valet. Ad secundam Respondeo, Petrum & Paulum non differre formaliter pro vt differre formaliter sonat principia formalia & essentias inæqualiter perfectas,tamẽ dici potest differre formaliter per formas numero stinctas,cum natura Petri distincta sit à natura Pauli,nec consequentia vrget;ergo sunt vnum formaliter, nam vnitas illa non appellat suprà formalem communem, sed suprà vnitatem similitudinis, aut conformitatis vt explico assertione 3.Ad tertiam rationem dico,Petrum & Paulum esse magis vnum & similes, quam Petrum & equum, & Petrũ & equum quam Petrum, & plantam,fundamentaliter non verò formaliter, eo quod natura Petri non est diuersæ speciei à natura Pauli, vt sunt natura equi,& planta, ad hoc autem vt sint magis vnum fundamentaliter sufficit conuenientia in natura eiusdem perfectionis, in vnitate verò numquam conueniunt,quia hæc non habet latitudinem sicut formalis, vt diximus suprà c.1.n.1.Ad quartum Respondeo naturam humanam esse definibilem vnica definitione vt suprà n.9.& 15. etiam diximus de vnitate formali, & numerica, ad hoc autem sufficit vnitas similitudinis, aut conformitatis, in qua plura indiuidua conueniunt,& sunt vnum vnitate fundamentali, & sufficienti, vt subsint vni definitioni, vt subesse etiam possunt vni cognitioni, nam etsi plura, vt plura hoc est vt diuersa, non possint definiri vnica definitione, nec cognosci vnica cognitione, bene tamen plura, vt similia, & conuenientia in aliqua ratione fundamentali similitudinis. 23

Assertio II. natura humana considerata secundum se, hoc est secundum suam propriam rationem ex suis principiis intrinsecis nec est vniuersalis,nec singularis sed indifferens ad vtramque vnitatem,sicut animal secundum se consideratum, nec est rationale,nec irrationale, sed indifferens ad vtrumque,& si fuerit in homine habet adiunctum rationale, sed in brutis irrationale. Similiter homo ex suis propriis principiis essentialibus nec est albus, nec niger, 24

niger, ſed vtrumque poteſt illi accidere, ita pariformiter natura ſecundum ſe ex ſuis propriis principiis intrinſecis, nec eſt ſingularis, nec vniuerſalis, ſed vtrumque poteſt illi conuenire, ſeu accidere. Eſt communis, & colligitur ex D. Thom. de ente & eſſentia cap.4. vbi ſic ait. *Natura ſecundum ſe, nec eſt vna, nec plures. Si quæratur,* inquit, *vtrum iſta natura poſſit dici vna, vel plures, neutrum concedendum erit, quia vtrumque eſt extra intellectum humanitatis, & vtrumque ſibi poteſt accidere*; ergo ſentit D. Thomas quod natura ſecundum ſe, nec eſt Vniuerſalis, nec ſingularis, ſed ſolum dici poteſt negatiuè vniuerſalis, quatenus tali naturæ non repugnat, vt per intellectum abſtrahatur à ſingularibus & per illam abſtractionem fiat pluribus communis, & vniuerſalis, ſicuti per contractionem ad ſingularia fit formaliter ſingularis. Et explicatur magis aſſertio: nam natura ſecũdum ſe ex ſe eſt indifferens ad pluralitatem, aut vnitatem realem, vt mox dixi, ſed ſi ex ſe haberet pluralitatem nunquam poſſet eſſe vna, & ſi eſſentialiter haberet vnitatem, nunquam poſſet plurificari, quia illud quod conuenit naturæ ſub illo ſtatu eſſentialiter illi conuenit: ergo natura ſecundum ſe conſiderata indifferens eſt, vt ſit determinatè vna vel determinatè plures, quia neutrum illi ex ſua eſſentia repugnat: ergo in illo ſtatu non habet vnitatem poſitiuam, ſed ſolum dicit prædicata eſſentialia præſcindendo ab vtraque vnitate, cum poſſit eſſe communis per abſtractionem intellectus à ſingularibus, & poſſit eſſe ſingularis per appropriationem, & contractionem ad proprium indiuiduum, vbi notandum eſt poſſe dici naturam ſecundum ſe conſideratam negatiuè communem, eo quod ſub illo ſtatu non ſit ſingularis, & omne quod non eſt ſingulare poteſt dici negatiuè commune, eo quod non concipiatur, vt appropriatum alicui indiuiduo, vt iam dixi.

25 Dices, natura ſecundum ſe eſt natura ſecundum ſua prædicata eſſentialia, ſed hæc natura ſecundum ſe, & hoc modo eſt, quæ prædicatur de indiuiduis, hoc eſt proprium vniuerſalitatis: ergo natura ſecundum ſe eſt vniuerſalis. Reſpondeo ex Caietano, circa tertium dubium aliud eſſe in natura res, quæ prædicatur, aliud conditio, ſeu ſtatus vt prædicetur, res quidem, quæ prædicatur eſt natura ſecundum ſe, quia eius natura & eſſentia communicatur inferioribus, conditio autem & ſtatus vt communicetur eſt ſuperioritas, aut vniuerſalitas, quæ non conuenit naturæ ſecundum ſe, ſed per intellectum, ſed ſolum conuenit, quod prædicetur de ſingularibus, & conſequenter natura ſecundum ſe non eſt vniuerſalis, ſed capax vniuerſalitatis, vt per ſuperioritatem, & vniuerſalitatem fiat vniuerſalis, & communis pluribus, & per contractionem ad indiuidua fiat ſingularis, in quibus in ſenſu compoſito, & provt in illis reduplicatiuè nunquam poteſt eſſe communis, & vniuerſalis; ſpecificatiuè verò, & in ſenſu diuiſo, natura quæ exiſtit in ſingularibus, poteſt eſſe communis, & vniuerſalis, ſicut in ſimili infra dicemus de ſpecie ſubiicibili, quæ in ſenſu compoſito ſubiicibilitatis non poteſt eſſe vniuerſalis, bene tamen in ſenſu diuiſo, & ſpecificatiuè.

26 Assertio III. Natura humana, quamuis à parte rei non habeat aliquam vnitatem formalem poſitiuè communem indiuiduis, rectè tamen dicere poſſumus habere vnitatem quamdam ſimilitudinis, ſeu conformitatis ad indiuidua, non quidem ſumendo vnitatem pro indiuiſione excludente diuiſionem rerum, ſed pro conuenientia quadam excludente diſſimilitudinem rerum. Hæc concluſio ſic explicata eſt communis, eam, ni fallor, tradit Ariſt. & 5. met. c.6. vbi plures vnitatis modos diſtinguit, vnum ſpecie, vt homo, equus, canis, vnum quid, quam omnia alia & quodam ſimili modo, ſicut materia vna, vnum ſpecie, quæ in aliquo prædicato conueniunt, vt c.9. & 15. eadem ſunt, quorum ſubſtantia ſimilis, quorũ qualitas vna, æqualia, quorum quantitas vna. Vna ſcilicet non vnitate indiuiduationis, ſed conformitatis, & conuenientiæ, & clarius 1. top. c.14. Conſiderandum quæ ſint ſub eodem genere, ſiquid ineſt omnibus, idem vt homini, equo, cani; nam ſi ineſt aliquid eis idem, in eo ſunt ſimilia. In quibus clarè oſtendit plura ſimilia à parte rei conuenire in eodem prædicato, idem docet Porphyrius cap. de ſpecie. Vbi plures homines participatione ſpeciei appellat vnus homo, quia omnes homines conſimiles ſunt in natura humana. Idem oſtendit D. Thom. opuſc. 48. c.4. Probatur explicatione: nam communiter omnes dialectici hanc vnitatem conformitatis appellant illam ſimilitudinem, & conuenientiam, quam inferiora habent à parte rei, quia in rebus ipſis reperitur conuenientia, & ſimilitudo vnius naturæ cum alia in eſſentialibus prædicatis: nam homo, & equus conueniunt genere in animali, & Petrus & Paulus ſpecie in homine: ergo datur à parte rei inter hæc aliqua ſimilitudo, & conformitas, quæ communiter appellatur vnitas, non in toto rigore pro negatione diuiſionis, ſed pro conuenientia, in qua omnes quaſi in vnum veniunt, id eſt, in vnam propoſitionem, & ſimilitudinem. Similitudo autem ex D. Th. 2. poſter. ſect. 10. nunquam eſt ad ſe, ſed ad aliud: ergo talis conuenientia, aut ſimilitudo dicit pluralitatem, quia natura vnius indiuidui eſt conformis naturæ alterius in eſſentialibus prædicatis, nõ vero quod ſit vna, & eadẽ indiuiſa in omnibus indiuiduis ad eum modũ quo duorum hominum conformiũ in facie, dicimus eſſe vnam faciem, non quia verè, & propriè in illis ſit vna facies, ſed quia facies eorum maximè inter ſe aſſimilantur, quare licet in re noſtra à parte rei non detur aliqua vnitas poſitiuè communis in omnibus indiuiduis, fatemur tamen hanc vnitatem conformitatis, & ſimilitudinis propter communem modum loquendi plurium Doctorum.

Ex iis infero duo, primum à parte rei non dari in 27
natura aliquã negationem, ſeu carentiam diuiſionis, quæ ſit eadem in omnibus indiuiduis, ſed tot eſſe negationes, quot indiuidua. Probatur manifeſtè, quia poteſt aliquis dicere priuationes, & negationes non indiuiduari ab entitate, quæ habet rationẽ ſubiecti, ſed aliunde, tamen id diceret irrationabiliter, quia priuationes, & negationes ſe habent ad modũ accidentium vt omnes fatentur: ergo per ſimilitudinem ad illa debent accipere ſuam quaſi indiuiduationem, ſed repugnat vnum accidens realiter eſſe indiuiſum in pluribus ſubiectis, quia accidentia indiuiduantur à ſubiecto: ergo & repugnat vnicam, & indiuiſam negationem eſſe in omnibus indiuiduis, ſed tot eſſe negationes quot ſubiecta. Secundum hanc ſimilitudinem, & conformitatem, in qua inferiora conueniunt, poſſe eſſe maiorem, aut minorem, quo enim res in pluribus prædicatis, ſeu prædicato magis proximo cõueniunt, ſunt ſimiliores, quo vero in paucioribus ſeu in prædicato magis remoto, minus ſimiles ſunt, v.g. Petrus, & Paulus magis conueniunt, quam Petrus, & equus, & Petrus, & equus magis quam Petrus, & planta, & ſic de aliis, vt in ſimili de vnitatibus diximus, & in ſolutione argumentorum. Nec in præſenti curamus, an talis relatio ſimilitudinis ſit realis, & realiter diſtincta ab extremis, de quo cap. de relatione ſed ſolum de entitatibus ipſarum rerum, quæ ad inuicem conformes & ſimiles ſunt.

CAPVT V.

Quid sit aptitudo naturæ vniuersalis, & an illa detur à parte rei.

EGimus huc vsque de vniuersali materialiter, & de vnitate formali Scotica; nunc inquirimus, an aptitudo naturæ ad vniuersalitatem requisita detur à parte rei ante operationem intellectus? Et sumus adhuc contra Scotum, qui ad eum modum, quo admisit à parte rei vnitatem formalem communem pluribus, etiam nunc concedit à parte rei ante intellectum aptitudinem communem multis, sed quid nomine aptitudinis intelligamus, explicandum est.

28 Præmitto, primò, quosdam nomine aptitudinis intelligere non potentiam passiuam ad agendum, vel recipiendum aliquid, sed potentiam per modum capacitatis, seu non repugnantiæ ad aliquem actum, seu ad aliquod esse, ita vt sit in multis per identitatem, seu repræsentationem, cum agamus de vniuersali in essendo, seu repræsentando, & non de vniuersali in causando. Hæc autem aptitudo duplex est, alia positiua; altera negatiua, seu proxima, vel remota: & aliis terminis, formalis vna, fundamentalis altera. Positiua & proxima est potentia libera, & expedita ad agendum, seu recipiendum, in qua datur respectus ad inferiora, negatiua, seu remota est illa, quæ impedita est, & ablato impedimento potest reduci ad actum, sicut materia prima secundùm se dicit potentiam proximam ad formam, sed vt affecta alia priori dicit potentiam remotam, ita natura humana à parte rei habet aptitudinem ad essendum in multis, remotam seu negatiuam dum singularitate impeditur; proximam verò, & formalem, dum abstrahitur, & denudatur singularitate per intellectum.

29 Præmitto secundò, nos non distinguere inter aptitudinem ad essendum in multis, & inter aptitudinem ad prædicandum de multis, nam licèt sunt duo respectus ratione distincti, vniuersalitas ad multa, & prædicabilitas de multis, cùm hæc sit passio vniuersalis tamen eadem aptitudo, & capacitas, seu non repugnantia est in natura tam proxime, quam remotè considerata ad essendum in multis, & prædicandum de multis, & ratio est, quia isti duo respectus, licèt vnus sit prior, & alter posterior, scilicet ad essendum in multis, & prædicandum de multis, ita inter se sunt connexi, & coordinantur, vt posito vno sequatur aliud, sed quando duo actus seu respectus ita essentialiter ordinantur, vt vno posito, alius necessariò sequatur, eadem sufficit potentia, & capacitas ad vtrumque, vt videre est in materia, quæ per eamdem capacitatem, & aptitudinem, per quam vnitur formæ, recipit illam, & per eamdem aptitudinem & capacitatem, per quam forma vnitur materiæ informat, & dat illi esse; ergo similiter in natura erit eadem aptitudo, & capacitas ad recipiendum vniuersalitatem, & prædicabilitatem de multis, de qua inquirimus, an detur à parte rei ante intellectum.

30 ASSERTIO sit, aptitudo, & non repugnantia ad essendum in multis non datur à parte rei ante opus rationis in natura secundùm se nec vt contracta in indiuiduis, Est communis & eam tenet Arist. 1. de anima cap. 1. tex. 8. D. Thom. opusc. 56. cap. 4. de ente, & essentia & ibi Caiet. q. 7. Suarez disp. 6. met. sect. 4 & 6. Conimbricenses q. articulo 2. & 3. Complutenses disp. 3. q. 5, Ioan. à S. Thoma q. 3. articulo 4. Lerma q. 7. Auersa q. 8. sect. 6. Masio, Rubio, Soto, Arriaga, Hurtado, Franciscus Alphonsus, & est communis, contra Scotum. Probatur manifestè inductione: aptitudo, & non repugnantia ad vniuersale est capacitas, seu non repugnantia, vt natura vna existens à parte rei plurificetur in multis, sed natura, nec vt possibilis, nec vt contracta habet hanc aptitudinem ex natura rei, ergo hæc aptitudo non conuenit naturæ vt possibili, nec vt contractæ sed vt per intellectum abstractæ à suis conditionibus indiuiduantibus. Maior est, certa; Minor probatur quoad duas partes, nam in natura possibili ad summum potest intelligi aptitudo, ad vnam singularitatem vagè sumptam, hanc, vel illam, quam aptitudinem, & indifferentiam amittit per ipsam singularitatem, cùm non possit contrahi ad aliam; ergo in natura vt possibili non datur aptitudo, & indifferentia, quæ sit proximum fundamentum susceptiuum vniuersalitatis. Hanc etiam aptitudinem non reperiri in natura vt contracta, & determinata ad vnum probatur manifestè, nam in illo statu habet essentialem repugnantiam ad multiplicationem, quia à parte rei, nihil est non singulare, & indiuiduum, & in ipsis singularibus nihil est ab eis ex natura rei distinctum; ergo in natura prout à parte rei existit contracta, & singularizata non potest esse aptitudo vlla ad essendum in multis, nec etiam illa aptitudo reperitur in natura secundùm se præcisa existentia, nam in illo statu non habet vnitatem multiplicabilem in plura, sed solum dicit prædicata essentialia inter quæ hæc aptitudo non numeratur, aliàs vbicumque reperiretur hæc natura reperiretur, & hæc capacitas, & aptitudo, quod falsum est, cum à parte rei contracta sit incapax, & habeat positiuam repugnantiam ad essendum in multis, si iam aliquam negatiuam aptitudinem ei concedamus, vt communiter loquuntur Doctores & nos insinuauimus suprà numero 24 & 26.

31 Sed obiiciat aliquis; Non repugnat naturam ex suis principiis materialibus esse singularem, & contractam, & ex principiis specificis esse indeterminatam, & consequenter aptam ad essendum in multis; ergo à parte rei natura habet hanc aptitudinem. Probatur hac paritate, materia prima etiam dum est sub vna forma, habet aptitudinem ad alias vt nunc suppono ex l. 2. Phys. ergo etiam natura vt cõtracta, & singularizata habet aptitudinem, & capacitatem ad essendum in pluribus. Respondeo, dispare esse rationem inter aptitudinem materiæ primæ, & aptitudinem naturæ ad vniuersale, materia enim ex sua intrinseca natura habet capacitatem ad omnes formas, & eius aptitudo, & capacitas, seu potentia passiua ad illas recipiendas est illi essentialis & vbicumque illa inuenitur, datur huiusmodi capacitas, & aptitudo: at verò aptitudo in natura ad essendum in multis, & prædicandum de multis, consequitur naturam ratione status, neque naturæ essentialiter conuenit, quia non est aptitudo quomodocumq; sed aptitudo vt natura vna plurificetur in multis; quæ vnitas illi non conuenit nisi beneficio intellectus; relinquitur ergo quòd aptitudo à parte rei non datur in natura nec vt contracta, nec vt possibili, nec secundum sese considerata, sed vt subest abstractioni nostri intellectus.

CAPVT VI.

An à parte rei detur vniuersalitas.

EGimus hucusque de vniuersali fundamentaliter, & materialiter sumpto, quod dari à parte rei diximus, cũ nihil aliud sit, quã conformitas, & conuenientia pluriũ in aliqua ratione præbente fundamentũ, vt intellectus cõcipiens similitudinẽ illam pluriũ 32

in

in qua conueniunt, abſtrahat naturam vnam communem & aptam ad eſſendum in multis : nunc inquirimus an independenter ab intellectu detur à parte rei vniuerſale formaliter, ſeu vniuerſalitas à qua natura formaliter vniuerſalis denominetur. In qua difficultate Scotus conſequenter ad ea, quæ docuit de vnitate formali, aſſerit vniuerſalitatem à parte rei naturæ conuenire, eſſeq; eius realem proprietatem, quamuis Merinero diſp 2.q.1. vniuerſalium oppoſitum doceat, & ſubtilem Doctorem ſolùm admittere vnitatem communem negatiuam, non poſitiuam, quæ neceſſaria erat ad vniuerſale formaliter. Alij verò interpretes hanc ſententiam tribuũt Scoto, moti ex vnitate formali diſtincta ex natura rei à numerica, quæ in communi ſententia contra ipſum eſt, communis poſitiuè pluribus, vt abundè à nobis probatum eſt in ſuperioribus, & in hoc intelligendi modo eam ſententiam aſtruunt Scoto, Monlorio, & omnibus Scotiſtis Complutenſes diſp. 3. vniuerſaliũ q. 5. Ioan. à S. Thom. q. 3. vniuerſalium art. 4. Maſio, Rubio, & alij. At cuiuſcumque fuerit hæc ſententia non placet; verior eſt oppoſita, quæ affirmat à parte rei, & ante operationem intellectus non dari vniuerſale formaliter ſed illud fieri beneficio noſtri intellectus.

33 Assertio noſtra communis eſt, A parte rei, & independenter à conſideratione noſtri intellectus non datur formaliter vniuerſale, ſed vniuerſalitas, à qua natura denominatur vniuerſalis, ſed illud fit formaliter per operationem intellectus. Eam tenent Ariſt. D. Thom. de ente, & eſſentia cap. 4. ibid Caiet. & opuſc. 56. & vt vult Merinero non ſolùm Scotus ſed omnes eius diſcipuli, vt n. 2. oſtendit multis Scoti teſtimoniis, & præcipuè in Logica q. 4. vniuerſalium, vbi ad 3. argumentum ponit hæc verba. Ad tertiũ dico, quòd vniuerſale eſt ab intellectu: cui ſubſcribit Merinero, qui n. 4. appellat hanc ſententiam veriſſimam inter diſcipulos D. Thom. & Scoti, & omnium Dialecticorum, ex antiquis Auerroës Philoponus, Ægidius, ex modernis Suarez 6. met. ſect. 6; Conimbricenſes q. 4. vniuerſalium art. 4. & 5. Maſio, Rubio, Complutenſes, Lerma, Ioan. à S. Th. Hurtado, Arriaga, Franciſcus Alphonſus, Auerſa, & omnis ferè ſchola.

34 Probatur primò ex Ariſt. 1. de anima text. 8. aduersùs Platonem dicente. *Vniuerſale autem nihil eſt, aut poſterius eſt.* Hoc eſt, aut nihil eſt, aut ſi eſt, eſt poſt res ipſas. Triplex autẽ vocatur hoc vniuerſale, ante rem, in re, & poſt rem; Vniuerſale ante rem eſt vniuerſale ante ſingularia, quale eſſet idea illa Platonica exiſtens ante omnia ſingularia, quæ à nobis latè impugnata eſt, diſp. 5. cap. 4. n. 28. & 30. ergo vniuerſale ante rem, ideſt, ante ſingularia, ſeu ſeparatum ab aliis non datur. Vniuerſale in re communiter intelligitur vniuerſale materialiter, ſeu fundamentaliter, quòd eſt natura in ſingularibus exiſtens multiplicata cum illa vnitate ſimilitudinis & conformitatis explicata ſupra cap. 4. aſſert. 3. n. 26. & hoc vniuerſale dari à parte rei ibi conceſſimus. Vniuerſale denique poſt rem eſt natura in intellectu exiſtens præciſa à ſingularibus, & omnibus conditionibus indiuiduantibus, & de hoc vniuerſali docet Philoſophus, quod nihil eſt à ſingularibus diſtinctum, aut eſſe poſterius, id eſt poſt illud, quod natura habet à parte rei; ergo in ſententia Philoſophi non datur vniuerſale formaliter niſi per opus rationis.

35 Probatur ſecundò ratione deſumpta ex definitione vniuerſalis diſp. 5. c. 1. *eſt vnum aptum ineſſe multis.* Sed à parte rei vt tota diſp. 6. præmiſimus, non datur vna natura vna manens exiſtens in pluribus quin à parte rei ad multitudinem indiuiduorum in quibus reperitur, non multiplicetur; ergo à parte rei non datur ante operationem intellectus vniuerſale formaliter. Diſcurſus legitimus eſt, maior, & conſequentia omnino certæ, minor fusè probata contra Scoticam vnitatem, & vlterius probatur minor; vt natura aliqua ſit vna in multis, à parte rei requiritur, quod ſit vna communis pluribus: ſed à parte rei non datur vna natura communis pluribus, ſed tot ſunt naturæ quot indiuidua, de quibus prædicatur, quia quælibet natura eſt appropriata ſuo indiuiduo veſtito ſuis accidentibus quibus eſt ſingularizata; ergo nulla datur natura à parte rei ante opus rationis, quod ſit vna apta eſſe communis pluribus, & conſequenter, nec vniuerſalis; ergo vniuerſale formaliter datur per intellectum. Confirmo ex ſupra dictis, natura in ſtatu ſecundùm ſe, nec eſt vniuerſalis, nec ſingularis, ſed indifferens ad vtrumque ſtatum, & ſolum dicit prædicata eſſentialia, nec etiam natura in ſecundo ſtatu ſcilicet contractionis ad ſingularia eſt vniuerſalis, quia vt contracta, non ſolùm eſt ſingularis, ſed omnino repugnat habere vniuerſalitatem, & aptitudinem ſed habet omnimodam repugnantiam : ergo reſtat, quod ſolùm in tertio ſtatu ſcilicet abſtractionis per intellectum ſit vniuerſalis, ergo vniuerſale formaliter non poteſt dari à parte rei, ſed per opus rationis.

Sed obiiciat quis Ariſt. 1. Periherm c. 4. aſſerentem, 36
rerum aliæ ſunt vniuerſales, aliæ particulares, ſed particulares dantur à parte rei : ergo & vniuerſales. Confirmatur, vniuerſale vt vniuerſale eſt correlatiuum particularis: ergo ſicut datur à parte rei particulare, ita & vniuerſale, quia correlatiua ſunt ſimul natura & cognitione. Vrgetur: vniuerſale formaliter eſt vnum in multis, ſed à parte rei natura eſt vna, & eſt in multis : ergo vniuerſalis formaliter. Reſpondeo Philoſophum loqui ibi de vniuerſali, & particulari ſecundum quod ſignificantur per nomina, hoc eſt ſecundo intentionaliter, & per rationem quatenus intellectus ſeparat à ſingularibus naturam per abſtractionem intacta reali ſeparatione, & ſeparata coniungit, ex quo non ſequitur vniuerſale, ſed tantum vniuerſale materialiter, aut fundamentaliter. Ad primam confirmationem iam ſupra diſp. 5. cap. 4. n. 37. ſolutionem dedimus, videlicet vniuerſale, & ſingulare eſſe correlatiua ſecundo intentionaliter, quia vniuerſale eſt ſuperius & ſingulare inferius, non vero primo intentionaliter eſſe correlatiua, & ita poſſe à parte rei dari ſingulare, & non vniuerſale formaliter. Ad ſecundam Reſpondeo, repugnare à parte rei naturam vnam indiuiſam in omnibus indiuiduis, ſed in quolibet indiuiduo ſuam eſſe naturam, & ſolum ſequi vniuerſale materialiter & fundamentaliter, non vero formaliter, vt ex ſupra dictis latè conſtat.

CAPVT VII

In quo eſſentialiter conſiſtat vniuerſalitas.

PLenius hæc difficultas explicabitur agentes infra diſp. 8. c. 3. de forma per quam fiat vniuerſale formaliter, & præuio modo, & breuiter explicanda eſt natura vtriuſque vniuerſalis, tam metaphyſici quam logici, ex quo maximè pendet intelligentia illius difficultatis, per quem, ſcilicet actum intellectus, & modum vtrumque vniuerſale conſtituatur. Nunc ſolum explicandum eſt in quo vtraque vniuerſalitas conſiſtat.

Vniuerſale igitur metaphyſicum ex communi ac- 37
ceptione eſt illud, quod licet inferiora aliquo modo reſpiciat ſolũ illa reſpiciat vt terminũ à quo relictũ quod negatiuũ eſt, & non abſolutum. Metaphyſicus enim

enim solùm considerat naturas denudatas à conditionibus indiuiduantibus. Vniuersale verò Logicum est illud, quod respicit inferiora, vt terminum ad quem comparatur, nam Logicus considerat respectus illorum ad easdem naturas, à quibus intellectus agens abstraxit illam rationem communem demandando illam ab accidentibus quibus à parte rei erat vestita, & dissensio solum consistit in assignanda forma, qua vniuersalitas constituatur, & in vniuersali metaphysico communis acceptio est consistere in abstractione siue positiua, sine negatiua, de quo latè auctores & Suarez disp. 6. metaph. sect. 6. de vniuersali verò Logico, & eius forma maior dissensio est, cum illud respiciat inferiora tamquam terminum ad quem comparatur cum triplici respectu 1. aptitudinis ad essendum in multis, 2. aptitudinis ad prædicandum de multis, 3. relationis ad inferiora, quam Logicus directè considerat, quare in omni vniuersali tria concurrunt, subiectum, fundamentum, & forma, de quibus breuiter.

38 ASSERTIO I. Vniuersalitas pro fundamento seu vniuersali metaphysico est ipsa natura denominata, non verò ipsa ratio denominans, & consistit in vnitate præcisionis & aptitudinis nondum relatiuè sumpta; sed pro non repugnantia ad essendum in multis, eam tenent Complutenses supra quæst. 5. Ioannes à Sancto Thoma quæst. 3. vniuersalium articulo 5. Merinero disput. 2. vniuersalium quæst. 2. Lerma quæst. 8. Soto, Suarez disp. 6. metaph. sect. 6. adductis multis, Auersa quæst. 8. sect. 9. Conimbr. quæst. 5. Hurtado disput. 5. metaph. sect. 7. Arriaga disp. 6. sect. 4. Franciscus Alphonsus disp. 5. Logicæ sect. 3. numero 22. & est communis. Probatur breuiter: vniuersale metaphysicum est natura provt repræsentatur absque omnibus suis conditionibus indiuiduantibus habens se indifferenter ad omnia singularia, & licèt positiuè illa vt terminum ad quem non respiciat, habet se tamen vt negatiuè communis ad omnia, quatenus nullum singulare in particulari respicit, vt terminum ad quem, sed solùm vt terminum à quo derelictum: & ita non est relatiuum, sed absolutum. Metaphysicus enim solum considerat naturas reales cum separatione à singularibus, hæc autem separatio, & præcisio reddit naturam vnam vnitate præcisionis, & abstractionis, & aptam ad essendum in multis, & prædicandum de multis, & natura sic considerata habet conuenientiam cum illis, à quibus præcisa, & abstracta fuit, & habet non repugnantiam ad essendum in illis, quia talis præcisio abstractionis non respicit illa plura vt terminum ad quem tendit natura cum relatione rationis, quæ constituit vniuersale Logicum, sed vt terminum à quo separatur, in quo nulla relatio interuenit, ergo vniuersalitas pro fundamento, seu pro vniuersali metaphysico erit natura cum vnitate præcisionis, non tamen relatiuè sumpta.

39 ASSERTIO II. Vniuersalitas Logica, seu secunda intentio Logicalis supposita pro fundamento vnitate præcisionis cum aptitudine ad essendum in multis addit respectum rationis sine actuali inclusione inferiorum, in quo vniuersalis Logica consistit eam sic explicatam tenent auctores citati pro prima assertione. Probatur breuiter, Vniuersale Logicum est vniuersale relatiuum respiciens positiuè sua inferiora, vt terminum ad quem talis respectus tendit, ergo talis respectus seu relatio rationis erit vniuersalitas Logica, sed ante actualem prædicationem inuenitur ista relatio rationis ad plura, siquidè ante talem prædicationem inuenitur natura sine suis singularibus, quia potentia præcedit actum prædicationis, ergo datur ratio prædicabilis ad multa ante actualem prædicationem, ergo & relatio vnius ad aliud, sicut & datur ante actualem prædicationem vnitas, & aptitudo per præcisionem, & abstractionē naturæ à suis conditionibus indiuiduantibus, ergo vniuersalitas logica quæ in respectu rationis, seu relationis rationis ad inferiora consistit, non consurgit ex prædicatione sed ex relatione illius naturæ abstractæ, cum iterum intellectus illam refert, & comparet ad eadem inferiora, à quibus fuit abstracta, non actu, sed per modum potentiæ proximæ. Hæc ampliùs infrà examinanda, pro nunc satis.

DISPVTATIO VI.

Per quam præcisionem fiat natura vniuersalis?

SEPTEM capita continebit. In primo, duplex præcisio explicatur, & diuersa placita recensentur: In secundo inquiro, an natura possit obiectiuè præscindi ab vltimis hæcceitatibus? In tertio, an natura creata possit obiectiuè abstrahi à differentiis specificis? In quarto, argumenta in contrarium afferuntur, ac diluuntur? In quinto, an aliqua formalitas in diuinis possit ab alia esse obiectiuè præcisa? In sexto an formalis præcisio in creatis admittenda sit? In septimo, naturam vniuersalem fieri solùm per præcisionem formalem demonstratur, ac defenditur.

Hanc difficultatem nonnulli Dialecticorum attigerunt, vt Petrus Hurtado disp. 6. met. sect. 6. Arriaga disp. 5. Logicæ sect. 4. & disp. 6. sect. 2. Francisc. Alph. disp. 4. vniuersalium sect. 2. Carleton disp. 24. & 25. Logic. Suar. disp. 6. met. sect. 12. Granad. 1. p. disp. 6. & alij plures. Res enim magna ex parte Theologica est pertinens ad materiā de visione, & Trinit. vt videre est apud Scotum, Aureol. in 1. dist. 1. D. Thom. Suar. lib. 2. de attributis Dei c. 24. Molin. Salas 12. qu. 3. tract. 2. disp. 3. sect. 9. & alios. Nos verò rem hanc magis ex professo, quàm alij Dialectici examinabimus: & ad faciliùs res Theologicas intelligendas lucem aliquam præstabimus.

Igitur omnes qui negant vniuersale formaliter dari à parte rei: fateri tenentur illud fieri beneficio nostri intellectus. Et modò non differo an notitia præcipua sufficiens sit vt natura abstracta in esse vniuersalis vltimò compleatur, vel an ad id alia notitia cōparatiua necessaria sit: de quo latè disp. sequenti: sed solum assero in formali vniuersalis cōstitutione aliquam præcisionem rationis necessariò interuenire, quod nullus sanè inficiabitur. Dubium ergo agitatur inter recentiores hac nostra tēpestate non leue, Quid intellectus noster per talem notitiam præcisiuā præscindat ex formalitatibus, quæ in obiecto realiter sunt identificatæ, non solùm in creatis sed etiam in diuinis: quod aliis verbis inquiri solet, An præcisiones intrinsecæ & obiectiuæ dari possint tam in creatis, quàm in diuinis?

CAPVT I.

Duplex præcisio explicatur & diuersa placita recensentur.

PRæscindere per rationem est formaliter vnum ab alio ratione nostra diuidere, vel secernere, quæ re ipsa coniuncta inter se, ac secum identificata sunt. Atq; ita præcisio rationis erit quædam mētalis, ac intellectualis diuisio, atq; discretio vnius formalitatis ab alia, cum qua re ipsa identificata est.

Hæc

Hæc autem rationis præciſio eſt duplex, alia eſt præciſio obiectiua, alia eſt præciſio ſolùm formalis; præciſio formalis obiectiua, eſt cognitio illa, qua vna obiecti formalitas cognoſcitur non cognita alia formalitate eiuſdē obiecti, vt in ſententia cōmuni quādo cognoſcitur animal in homine nō cognito formaliter rationali, tūc illa cognitio eſt præciſio obiectiua animalis à rationali, quia ex parte obiecti illi cognitioni obiicitur animalitas hominis, abſq; eo quòd eius rationalitas illi cognitioni formaliter obiiciatur: ac proinde ex vi talis cognitionis manet, iuxta ſententiam communem, animalitas obiectiuè à rationalitate præciſa. Idem etiam inuenitur quando iuxta opinionem communem natura humana in Petro cognoſcitur, non concepta formaliter Petri ſingularitate: tunc enim talis cognitio eſt obiectiua præciſio, quia ex parte obiecti diuidit, atque ſeparat naturam humanam Petri à ſingularitate, cum qua re ipſa identificata eſt.

5 Præciſio verò ſolùm formalis eſt cognitio illa, per quam formaliter, licèt ex parte obiecti, omnis eius formalitas obiiciatur, & cognoſcatur, tamen ex parte modi tendendi ad illud ita implicitè, atque confuſè cognoſcitur, vt aliqua ſolum obiecti formalitas apparere, & alia latere videatur, vt quando quis per viſionem intuitiuam à longè cognoſcit albedinem ita imperfectè, vt ſolum diſcernat eſſe colorem, non verò diſcernit eſſe albedinem, vt quotidie accidit, tunc per hanc cognitionem, ſeu viſionem entitatiuam ex parte obiecti omnis eius formalitas cognoſcitur, nempe eſt ratio coloris, & ratio albedinis: quia viſio intuitiua iuxta omnes obiectiuè non præſcindit, ex parte verò modi concipiendi tam implicitè, & confuſè illud obiectum cognoſcitur, vt ſola ratio coloris per illam cognitionem apparere, ratio verò albedinis omnino latere videatur: atque ita talis cognitio eſt præciſio coloris à differentia albedinis, non quidem obiectiua, id eſt ex parte obiecti, ſed præciſio ſolùm formalis, hoc eſt ex parte modi cognoſcendi. Alia exempla poſſunt facilè reperiri.

6 His poſitis apud omnes, qui vniuerſalia à parte rei non admitunt, certum eſt, naturam vniuerſalem fieri per præciſionem rationis. Modò non diſſero an notitia præciſiua ſufficiat vt natura in eſſe vniuerſalis vltimo compleatur? an verò ad id neceſſaria ſit alia notitia comparatiua? de quo inferius dicemus: ſed ſolùm aſſero in formali vniuerſalis conſtitutione aliquam rationis præciſionem neceſſariò interuenire, quod nullus ſanè inficiabitur.

Dubium tamen eſt per quamnam præciſionem ex prædictis natura vniuerſalis formaliter conſtituatur? per obiectiuam, an per formalem præciſionem.

7 Varias inuenio ſententias. Prima eſt intellectum noſtrum poſſe obiectiuè præſcindere naturam, tam à differentiis ſpecificis, quàm ab eius ſingularitatibus, atque ita per obiectiuam præciſionem ſemper naturam vniuerſalem fieri: itaque hæc opinio aſſerit cum homo, equus, & leo, & alia animalia conueniāt in ratione animalis, diſconueniant verò in ratione hominis, equi & leonis, &c. intellectum noſtrum illa concipere inadæquatè ſecundum illam præciſionem animalis, in qua conueniunt non concipiendo illa ſecundum alias rationes hominis, & equi, in quibus diſconueniunt: atque ita præſcindere obiectiuè naturam animalis à ſuis differentiis, & illam reddere obiectiuè vnam communem pluribus, à quibus abſtrahitur, ac proinde vniuerſalem: Ita Ariſt. 3. metaph. text. 10. D. Th. 1. p. q. 40. art. 3. q. 85. art. 1. ad 1. 3. part. q. 3. art. 3. & in 1. diſt. 2. qu. 1. ar. 3. Caiet. Heruęus, Capreolus Soncinas, Soto Suar. diſp. 6. metaph. ſect. 9. Molina 1. part. qu. 28. diſp. 3. Vaſquez 1 part. 117. c. 1. & diſp. 118. cap. 2. Granados 1. part. quæſt. 3. diſp. 6. Albertinus de prædicamento relationis diſp. vnica quæſt. 6. Tannerus 1. p. diſp. 1. quæſt. 2. dub. 4 acriter Carleton diſp. 24. Logicæ per totam, & alij plures.

Secunda ſententia eſt intellectum noſtrum non poſſe tam in creatis, quam in diuinis præſcindere obiectiuè vnam formalitatem ab alia, nec naturam à ſuis differentiis: atque ideò naturam vniuerſalem non fieri per præciſionem obiectiuam, ſed ſolùm per præciſionem formalem. Explico: videt quis Petrum Ioannem, & Franciſcum, & alia indiuidua humana conuenire in ratione hominis, quia omnia illa videt ratiocinari, hoc ergo experimento comperiens elicit cognitionem, qua cognoſcit hominem, per hanc cognitionem ex parte obiecti omnia ſingularia humana, id eſt omnes homines cognoſcit, ex parte verò modi cognoſcendi ita implicitè, indiſtinctè, ac confuſè eos cognoſcit, vt inter illos non diſtinguat, ſed ex vi talis modi imperfecti concipiendi vnus homo, ac vna natura humana, ac ſi omnes ſingularitates laterent, apparere videatur: atque ita talis cognitio confuſa, licèt non ſit præciſio obiectiua, id eſt ex parte obiecti, eſt tamen ex parte modi concipiendi, formalis præciſio naturæ humanæ ab eius ſingularitatibus, ac proinde ex vi illius manet natura humana formaliter, & ex modo concipiendi à ſingularitatibus præciſa, vna communis pluribus, ac proinde vniuerſalis: ita Nominales, & recentiores non indocti.

Tertia ſententia eſt intellectum noſtrum poſſe 8
obiectiuè præſcindere naturam aliquam ab eius differentiis ſpecificis, vt naturam animalis ab iſta differentia ſpecifica, ſcilicet rationalitate, qua eſt tale in ſpecie animal, ſcilicet homo, & ab illa differentia ſpecifica, ſcilicet equinitate, qua eſt tale in ſpecie animal, ſcilicet equus: non verò poſſe obiectiuè præſcindere naturam ab eius ſingularitatibus, quæ quidem omnem naturam, ac formalitatem tranſcendunt: v. g. naturam animalis ab hac numero ſingularitate, qua eſt hoc numero animal indiuiſum in ſe, & diuiſum à quolibet alio, & ab illa numero ſingularitate, &c. Atque ita naturam animalis fieri vniuerſalem per præciſionem obiectiuam à differentiis ſpecificis explicatam in prima ſententia, & per præciſionem ſolum formalem eiuſdem naturæ ab illius ſingularitatibus, quam in ſecunda ſententia declarauimus. Ita Neoterici ſapientiſſimi.

Quarta ſententia eſt intellectum noſtrum poſſe in diuinis præſcindere obiectiuè vnam formalitatem ab alia, in creatis verò non poſſe præſcindere obiectiuè, ſed ſolùm formaliter, naturam ab eius differentiis tam ſpecificis quàm numericis: atque ideo naturas creatas ſolùm fieri vniuerſales per præciſionem formalem, vt in ſecunda ſententia explicatum eſt; ita Nominales quorum ſententia paucis abhinc annis ſine Patrono, iam à recentioribus cōmuniter defenditur, eam tenent Ocham, Gabriel, Gregorius, & ex recentioribus. P. Hurt. diſp. 6. met. ſect. 4. Valent. lib. 2. de Trin. cap. 3. Zuniga diſput. 2. de Trin. dub. 4. memb. 2. Herice 1. part. diſp 2. cap. 3. & diſp. 4. cap. 1. Arriaga diſp. 5. Logic. ſect. 2. nu. 24. Franciſcus Alphonſus diſp. 4. Logic. ſect. 2. & plures alij recentiores non indocti, & meo iudicio hæ duæ ſententiæ, ex modo explicandi ſolùm differunt, & poſſunt explicari de præciſionibus formalibus in creatis, & de prædicationibus obiectiuis in diuinis, quas non inficior admittere, & defendere.

CAPVT II.

An natura possit obiectiuè præscindi ab vltimis ecceitatibus.

9 VLtimas ecceitates appello illas singularitates, per quas natura aliqua v. g. natura humana contrahitur ad hoc vt sit, hic homo, & ille homo Petrus, & Franciscus, inquirimus ergo vtrum intellectus noster valeat naturam humanam ex parte obiecti præscindere, ac separare ab omnibus singularitatibus, ita vt ex parte obiecti nulla singularitas obiiciatur, sed solùm natura secundum se illis omnibus denudata.

Præmitto vnitatem, vel pluralitatem realem esse de conceptu formali entis realis, ita vt non possit concipi formaliter ens reale, non concepta eius vnitate, vel pluralitate reali, hæc positio in omnium sententia est vera. Probatur. Res quæ non distinguitur ab alia nec ratione ratiocinata est de conceptu formali illius, ita vt non possit illa concipi formaliter, non concepta etiam ista vt omnes admittunt, sed vnitas, vel pluralitas realis quæ est passio entis realis ab ipso ente reali nec ratione ratiocinata distinguitur; ergo vnitas vel pluralitas realis est de formali conceptu entis realis, ita vt non possit ens reale formaliter concipi, non concepta etiam formaliter eius vnitate, vel pluralitate reali; Consequentia est euidens, cum maiori. Minor omnium Philosophorum ore admittitur, & hac ratione monstratur, id quod res habet per suam entitatem, & essentiam formalissimè, quauis alia formalitate secluſa, non distinguitur à tali re nec ratione ratiocinata, ideò enim rationalitas non distinguitur ratione ratiocinata ab homine, quia homo per suam entitatem, & essentiam formalissimè includit, & habet rationalitatẽ, sed ens reale per se ipsum formalissimè quauis alia formalitate secluſa habet vnitatem, vel pluralitatem realem, ergo vnitas, vel pluralitas realis non distinguitur ratione ratiocinata ab ipso ente reali; & quidem ens reale per se ipsum formalissimè habere vnitatem, vel pluralitatem realem sic ostendo; vnitas realis est illa ratio, quæ fundat negationem diuisionis, & pluralitas realis est illa ratio, quæ fundat negationem indiuisionis, sed ens per se ipsum formalissimè quauis alia formalitate secluſa fundat negationem diuisionis, vel, indiuisionis, ergo per se ipsum formalissimè habet vnitatem, vel pluralitatem realem.

10 ASSERTIO sit. Non potest noster intellectus naturam obiectiuè præscindere ab eius singularitatibus; ita auctores 2.3. & 4. sententiæ; Probatur efficaciter: Præscindere obiectiuè naturam ab eius singularitatibus est cognoscere naturam non cognitis illis ex parte obiecti: atqui non potest intellectus cognoscere naturam non cognitis ex parte obiecti eius singularitatibus: ergo non potest obiectiuè præscindere naturam à singularitatibus. Probatur minor. Intellectus quando concipit naturam concipit necessariò illam, vel vt vnam, vel vt plures ex parte obiecti, sed per actum præscindentem non concipit naturam humanam v.g. vt vnam ex parte obiecti, ergo concipit illam vt plures ex parte obiecti, ergo cõcipit singularitates humanas, per quas natura illa plurificatur; ergo non concipit naturam, non cognitis etiam eius singularitatibus. Probatur minor, scilicet, intellectum non concipere naturam vt vnam ex parte obiecti; si intellectus per actum præscindentem conciperet naturam vt vnam, conciperet aliquam naturæ vnitatem, vel quam haberet natura ipsa à parte rei ante actum intellectus, vel vnitatem rationis prouenientem formaliter illi ab ipso actu intellectus præscindente: atqui intellectus per actum præscindentem non concipit vnitatem naturæ conuenientem à parte rei ante actum intellectus, quia natura humana à parte rei ante opus intellectus nullam habet veram vnitatem aliàs à parte rei natura illa vniuersalis esset; nec etiam concipit intellectus vnitatem rationis prouenientem illi naturæ formaliter ab ipsomet actu præscindentem, quia sicut ille actus præscindens non concipit ipsam præcisionem naturæ, quia hæc præcisio prouenit formaliter ab ipso actu, & ille suprà se ipsum non reflectit, nec seipsum cognoscit, ita similiter ille actus præscindens non concipit vnitatem rationis talis naturæ, quia hæc vnitas prouenit naturæ formaliter ab ipso actu, & actus iste non reflectit suprà seipsum, nec seipsum cognoscit, ac proinde intellectus per actum præscindentem nullam concipit naturæ vnitatem ex parte obiecti, ergo non concipit naturam ex parte obiecti vt vnam: ac proinde concipiet illam vt plures, & ita non præscindit obiectiuè à singularitatum multiplicatione.

Respondeat aliquis primò, intellectum per actum 11
præscindentem attingere, & cognoscere naturã humanam v.g. nec vt vnam, nec vt plures ex parte obiecti, sed ipsam naturam secundùm eius prædicata formalia: vnde sicut talis actus non concipit naturam vt præcisam ex parte obiecti, & tamen illam formaliter præcisam constituet, ita similiter idem actus non concipit ex parte obiecti naturam vt vnam, sed illam formaliter vnam constituet.

Sed impugnatur, quia vnitas, vel multiplicitas realis est de conceptu formali entis realis, ita vt non possit concipi formaliter aliquod ens, non concepta etiam ex parte obiecti eius vnitate, vel multiplicitate, vt ex omnium sententia ostendi suprà n. 4. atqui natura v.g humana est aliquod ens reale, ergo vnitas, vel multiplicitas realis est de formali conceptu naturæ humanæ ita vt non possit formaliter concipi humana natura, non cognita etiam ex parte obiecti eius vnitate, aut multiplicitate reali; ergo intellectus per actum præscindentem non potest concipere naturam, quin illam concipiat vt vnam vel plures.

Respondeat secundò, vnitatem vel multiplicita- 12
tem realem duo includere, alterum formale, alterum materiale, seu fundamentale. Formale quod includit vnitas est carentia & negatio diuisionis: Materiale vero, seu fundamentale est ipsum ens reale, quod secundùm se fundat talem negationem diuisionis. Formale etiam quod includit multiplicitas est carentia indiuisionis: materiale verò seu fundamentale sunt ipsa entia realia quæ secundùm se fundant talem carentiam, & negationem indiuisionis; vnitas ergo, vel multiplicitas fundamentalis, hoc est fundamentum vnitatis, vel multiplicitatis formalis, est de formali conceptu entis, atque ita nullum ens potest concipi non concepto tali fundamento; vnitas verò, seu multiplicitas formalis, id est ipsa negatio diuisionis, vel carentia indiuisionis non est de conceptu formali entis realis, sed tanquam ens, & non ens distinguntur, atque ita per actum præscindentem benè potest concipi ens, vel natura alia absque eo quòd concipiatur ex parte obiecti vt vna, vel vt multiplex formaliter.

Sed impugnatur; intellectus per actum præscin- 13
dentem concipit necessariò ens reale seu naturam humanam v.g. vt vnam, vel vt plures saltem fundamentaliter,

mentaliter, hoc eſt concipit neceſſario talem naturam vt fundamentum indiuiſionis realis, vel vt fundamentum realis diuiſionis, vt aduerſarij in ſolutione fatentur ſed intellectus per actum præſcindentem in tali caſu non concipit ex parte obiecti naturam humanam vt fundamentum realis indiuiſionis; nam illa natura humana, quæ obiectiue concipitur eſt realiter diuiſa à parte rei in Petro, Ioanne, & Franciſco, quod quidem habere non poſſet, ſi illa ſecundum ſe eſſet fundamentum realis indiuiſionis; ergo concipit neceſſario intellectus per eum actum præſcindentem naturam illam ex parte obiecti, vt fundamentum realis diuiſionis. Hæc conſecutio eſt euidens: tunc ſic: ſed fundamentum realis diuiſionis ſunt ipſæmet ſingularitates, per quas Petrus & Paulus, & alia indiuidua humana realiter inter ſe diſtinguntur ac diuiduntur, ergo intellectus per actum illum præſcindentem neceſſario concipit ipſas naturæ ſingularitates, ac proinde non præſcindit ex parte obiecti naturam humanam ab illis.

14 Reſpondeat tertiò, intellectum per actum præſcindentem concipere naturam vt vnam ex parte obiecti non determinate, & in particulari vnam, ſed tantum vnam indeterminate, & in communi, nam ſicut à parte rei naturæ humanæ ſunt conuenientes, & differentes inter ſe, ita earum naturarum vnitates ſunt inter ſe etiam conuenientes, & differentes: vnde ſicut intellectus præſcindens concipit naturam indeterminatè, non conceptis differentiis ipſius vnitatis: ac proinde concipit ex parte obiecti naturam vt vnam indeterminatè, & eam à differentiis præſcindit. Sed impugnatur, nam licet hæc reſponſio primo aſpectu plauſibilis videatur, re tamen inſpecta difficultatem non minuit, quod ſic oſtendo: intellectus per eum actum præſcindentem concipiens realem illam vnitatem naturæ indeterminatè, neceſſario concipit illam vnitatem vel vt vnam, vel vt plures ex parte obiecti; nam cum illa vnitas naturæ ſit ens reale, & de conceptu formali entis realis, ſit realis vnitas, vel multiplicitas, vt ſupra oſtendi num. 4. etiam erit de conceptu formali illius vnitatis, quod ſit vna vel multiplex vnitas realis; ac proinde ſi talis vnitas concipitur, debet neceſſario concipi, vel vt vna, vel vt plures ex parte obiecti, atqui intellectus non concipit in dicto caſu illam naturæ vnitatē, vt vnam ex parte obiecti, vt ſupra in ſimili demonſtraui n. 7. ergo concipit illam naturę vnitatem vt plures ex parte obiecti, hoc eſt concipit neceſſario plures vnitates, ac ſingularitates naturæ atque ideo naturam à ſingularitatibus non præſcindit.

15 Reſpondeat quartò, naturam humanam v. g. eo modo eſſe vnam, quo ab ipſis ſingularitatibus eſt diſtincta, cum autem natura humana à parte rei diſtinguatur à ſingularitatibus ſaltem virtualiter, hoc eſt diſtinctione quadam virtuali æquiualenti diſtinctioni reali: idcirco natura humana à parte rei habet vnitatem virtualem, & eſt vna virtualiter; intellectus vero per actum præſcindentem conſiderat ipſam naturam vt vnam vnitate virtuali ex parte obiecti: & ita illam obiectiue à ſingularitatibus præſcindit ac conſtituit illam vnam per rationem, ac vniuerſalem formaliter. Sed impugnatur, ſicut diſtinctio virtualis eſt formalis quædam diſtinctio non realis, & formalis, ſed ſolum æquiualens diſtinctioni reali, & formali; ita ſimiliter vnitas virtualis erit quædam vnitas non realis & formalis, ſed æquualens vnitati reali & formali, ergo intellectus præſcindens quando concipit naturam vt vnam vnitate illa virtuali præcisè, concipit neceſſario eſſe in illa natura vnitatem aliquam non realem, & formalem, ſed æquiualentem vnitati reali, & formali, ergo concipit neceſſario in illa natura realem multiplicitatem; probo hanc conſequentiam euidenter: realis ac formalis multiplicitas eſt formaliſſimè carentia & negatio vnitatis realis, & formalis; ſed intellectus concipiens in illa natura eſſe vnitatem non realem & formalem; ſed æquiualentem vnitati reali, & formali, atque ita virtualem, concipit formaliter eſſe in illa natura negationem vnitatis realis; quid enim eſt aliud concipere in natura non eſſe vnitatem realem, id eſt æquiualentem reali quam concipere eſſe in natura illa negationem vnitatis realis? ergo intellectus cōcipiens talem in natura vnitatem æquiualentem, & virtualem, concipit neceſſario in illa multiplicitatem realem; ergo cum hæc multiplicitas proueniat à ſingularitatibus, talem naturam à ſingularitatibus non præſcindet. Confimatur: non poteſt quis concipere naturam vt vnam virtualiter, niſi illam concipiat vt aptam, ad habendam talem vnitatem virtualem, ſed natura vt apta ad habendam vnitatem virtualem includit formaliter multiplicitatem realem, ergo non poteſt concipi natura vt vna virtualiter, quin etiam concipiatur vt multiplex realiter, ac per conſequens non valet natura præſcindi à multiplicitate reali ſingularium. Probo minorem: ſicut ad hoc vt aliquæ formalitates ſint diſtinctæ inter ſe virtualiter & æquiualenter diſtinctioni reali requiritur neceſſario, quod non ſint inter ſe realiter diſtinctæ, ſed ſecum identificatæ realiter, etenim inter res realiter diſtinctas non poteſt inueniri diſtinctio virtualis æquiualens reali; ita ſimiliter ad hoc vt natura aliqua ſit vna virtualiter requiritur neceſſario quod non ſit realiter vna, ſed multiplex realiter, nam in natura illa, in qua eſt vnitas realis, & formalis non poteſt eſſe vnitas virtualis æquiualens reali, ergo ſicut hac ratione formalitates vt aptæ ad habendam diſtinctionem virtualem includant identitatem realem; ita eadem ratione natura vt apta ad habendam vnitatem virtualem includit formaliter multiplicitatem realem, ac proinde numquam natura poterit à multiplicitate præſcindi.

Reſpondeat quintò, intellectum quando præſcindit naturam confingere ex parte naturæ obiectæ aliquam vnitatem rationis, & illam conſiderare atque ita concipere naturam vt vnam ex parte obiecti, naturam quidem realem in ſe, vnam vero per vnitatem confictam, & rationis, & hoc ſufficere, vt poſſit illa natura per intellectum à ſingularitatibus præſcindi. Sed impugnatur facile, nam ſquidquid ſit de veritate illius fictionis, natura illa vt concepta formaliter per illum actum ſupra quem etiam cadit illa vnitas conficta, illa inquam natura realis, aut eſt vna, aut multiplex realiter ex parte obiecti, nam vnitas, aut multiplicitas realis eſt de formali conceptu entis, ſiue naturæ realis vt ſupra num. 4. oſtenſum; ſed illa natura, ſupra quam cadit vnitas conficta, vt concepta formaliter per actum præſcindentem non eſt ex parte obiecti vna realiter vt ſupra monſtraui num. 7. etenim vnitas illa conficta non conſtituit naturam vnam realiter, ſed vnam fictitiè; ergo natura illa ſupra quam cadit, vnitas conficta, vt eſt concepta per actum præſcindentem eſt realiter multiplex ex parte obiecti: ergo nulla ratione à ſingularium multiplicitate præſcindit. Hac quidem ratione aſſertio noſtra (vt opinor) demonſtratur. 16

Secundò probatur concluſio. Natura Petri exiſtens, eſt entitas ſimplex, & indiuiſibilis, metaphyſicè loquendo, ergo per quemcumque conceptum noſtri intellectus debet indiuiſibiliter attingi: ergo 17

ex parte obiecti non erit aliqua formalitas correspondens illi conceptui, & alia non correspondens, sed tota simul, & indiuisibiliter correspondet; Ergo neque præscindit inter naturam, & eius singularitatem. Consequentia est cuidens, antecedens probo, quia quilibet conceptus naturæ Petri est cognitio formalis illius, vt à parte rei existentis, sed à parte rei existit indiuisibiliter in se; ergo cognitio illa ad totam essentiam, vel ad nihil illustrabitur: consequentiam probo; quia in re simplici, & indiuisibili non est aliquid, & aliquid, ergo cognitio illa naturæ Petri à parte rei existentis, erit etiam eius singularitas, atque inde non præscindit.

18 Dices primò, naturam Petri à parte rei distingui virtualiter ab eius singularitate, quæ distinctio virtualis sufficiens est ad formalem præcisionem obiectiuam; Ergo si natura Petri virtualiter distinguitur ab eius singularitate, potest & ab illa præscindere. Sed impugnatur, quia virtualis distinctio, quæ sufficiat præcisioni obiectiuæ repugnat in natura creata, quia ratio illius distinctionis virtualis deberet de eadem re simplici, & indiuisibili opposita prædicata verificari à parte rei simul, & semel, vt verificatur in diuinis, sed hoc repugnat in natura creata Petri propter limitatam eius perfectionem, ergo in natura Petri non datur illa distinctio virtualis, quæ sufficiat ad præcisionem formalem obiectiuam: Contra. Secundò, quia virtualis distinctio à parte rei est omnino indistinctio, sed de eadem re omnino indiuisibili non possunt verificari duo prædicata opposita, quia debent esse diuersa in essentia; ergo præter distinctionem virtualem communem, & vulgarem, alia necessaria est ad præcisionem obiectiuam quæ in natura Petri non potest reperiri.

Dices secundò, quod licèt natura Petri à parte rei sit indiuisibilis (metaphysicè loquendo) tamen ratione nostra esse diuisibilem, hoc est vt obiicitur nostro intellectui, & hoc esse formaliter obiectiuè præscindere. Sed contra, quia naturam Petri obiici intellectui nostro vt diuisibilem ratione nostra non sufficit ad præcisionem formalem obiectiuam, aliàs in omnibus rebus creatis præcisio formalis obiectiua reperiretur, cum nulla res sit tam simplex, & indiuisibilis à parte rei, quæ saltem non obiiciatur intellectui nostro vt diuisa. Ergo. Secundò, quia animal & rationale ratione nostra sunt diuersa, & tamen quia animalitas in Petro est de essentia rationalis non potest cognitio Petri cognoscere animal non cognito rationali, ergo quod obiiciatur intellectui nostro vt diuisa, si illam diuisionem non habet ex parte obiecti nulla dabitur præcisio obiectiua.

19 Ex his colligo posse hac præcisè via iuxta principia sententiæ communis satis consequenter defendi naturam non posse obiectiuè ab vltimis singularitatibus præscindi, tametsi possit natura à differentiis specificis obiectiuè abstrahi, & separari, hoc est non posse intellectum nostrum naturam hominis à singularitate Petri, aut Pauli obiectiuè præscindere, quamuis possit naturam animalis à rationalitate hominis, & irrationalitate equi abstrahere, & ratio discriminis est perspicua; quia cum vnitas realis non distinguatur ratione ratiocinata ab ente reali; sed sit de conceptu formali illius etiam iuxta principia sententiæ communis, non potest concipi natura, vel ens reale quin talis natura ex parte obiecti sit vna: Cum autem ex parte naturæ vt terminantis actum, & condistinctæ ab illo non possit esse alia vnitas nisi singularis, vt suprà probatum est; ideò natura realis non potest ex parte obiecti à singularitatè præscindi: attamen natura animalis v. g. iuxta principia sententiæ communis, est virtualis, ac proinde etiam ratione ratiocinata distincta à rationalitate, & ideò rationalitas non est de conceptu formali animalis, sicut vnitas est de conceptu formali entis, sed potest natura animalis concipi, non cognita rationalitate: hoc est absque eo quod talis natura vt concepta ex parte obiecti formaliter rationalis sit, atqui ita potest obiectiuè animal à rationalitate præscindi: ecce rationem discriminis euidentem etiam iuxta principia communia propter quam natura nõ valeat obiectiuè abstrahi ab eius singularitatibus; quantumuis possit præscindi à differentiis specificis: miror equidem quosdam recentiores res omnes, & præcipuè in hac materia tam acutè perscrutantes hanc disparitatis rationem non aduertisse.

CAPVT III.

An natura creata possit obiectiuè abstrahi, à differentiis specificis?

DIfferentias specificas, appello differentias contractiuas alicuius rationis superioris, & communes aliis pluribus, & rationale est differentia specifica, quia contrahit & determinat ratione communem animalis, & pluribus hominibus est commune, quærimus; ergo vtrum ab his differentiis possit natura creata præscindi. 20

Præmitto pro decisione dubij; vt aliqua res possit inadæquatè attingi ex parte ipsius, ita vt aliquid rei tangatur, & aliud eiusdem rei non tangatur necessariò requiri, quod talis res non sit quid omnino idem indiuisibile, ac simplex, sed quod in ipsa re aliquomodo sit vnum, & aliud: hoc ex ipsis terminis est per se notum, nam res verè in se ipsa non attingitur, nisi præcisè secundum esse quod talis res habet in se; ergo si res ita inadæquatè in se attingitur, vt aliquid ipsius verè attingatur, & aliud non attingatur, erit necessariò in tali re vnum, & aliud, vnum quidem quod tangatur, & aliud quod non tangatur. Idem euidenter ostendit exemplum puncti existentis in continuo, quod in omnium sententia non potest attingi intrinsecè inadæquatè ita vt aliquid illius attingatur, & aliud non attingatur: sed vel nullo modo tangitur intrinsecè, vel totum tangitur adæquatè, & non ob aliam rationem, nisi quia tale punctum non habet in se vnum, & aliud, sed omnino simplex insectibile, & indiuisibile est: ergo vt aliqua res ita inadæquatè attingatur, vt aliquid ipsius tangatur, & aliud non attingatur, requiritur necessariò, quod non sit omnino idem, sed habeat vnum, & aliud. 21

Assertio sit. Non potest natura, seu formalitas creata à differentiis etiam specificis ex parte obiecti præscindi, ita authores 2. & 4. sententiæ: Probatur: præscindi obiectiuè naturam à differentiis specificis v.g. animal à rationali in homine est concipi entitatem hominis inadæquatè ex parte obiecti, ita vt aliquid illius scilicet animalitas cognoscatur, & attingatur, & aliud ipsiusmet entitatis. scilicet rationalitas non attingatur aut cognoscatur; atqui entitas hominis non potest ita cognosci, & attingi inadæquatè vt aliquid eius, scilicet animalitas attingatur, & aliud eiusdem, scilicet rationalitas non attingatur: ergo animal non potest obiectiuè præscindi in homine à rationali, atque ita nec natura à differentiis specificis. Probo minorem, vt aliqua res ita inadæquatè attingatur, vt aliquid ipsius tangatur, & aliud eiusdem rei non attingatur necessario requiritur, quod in tali re sit vnum & aliud, vt ostendi num. 14. sed in hominis entitate 22

animal

animal & rationale non sunt à parte rei vnum, & aliud, quia animal est re ipsa omnino idem, cum rationali, & rationale etiam omnino est idem re ipsa *cum rationali* ergo entitas hominis non potest ita inadequatè attingi, & cognosci ex parte obiecti, vt aliquid ipsius scilicet animalitas cognoscatur, & attingatur; & aliquid ipsius non attingatur aut cognoscatur. Confirmatur: non potest cognosci formaliter aliqua res, quin etiam ex parte obiecti formaliter cognoscatur id quod re vera est de essentia talis rei, ideo enim cognito homine cognoscitur necessario animal rationale, quia animal rationale est vere de essentia animalitatis, quæ est in homine; ergo non potest cognosci animalitas, quæ est in homine, quin etiam obiectiue cognoscatur rationalitas, ergo non potest animalitas à rationalitate præscindi. Probatur minor, nihil est re ipsa magis de essentia alicuius rei, quam id quod est ipsamet res, etenim ipsa res est de essentia sui ipsius; sed rationalitas reipsa est ipsamet animalitas, quæ est in homine, cum ab illa reipsa non distinguatur vt monstrabimus supra disp. 4. cap. 2. ergo rationalitas est reipsa de essentia animalitatis, quæ est in homine.

23 Occurrat quispiam primò, animal rationale non solum est de essentia hominis, sed etiam de conceptu formali illius, nec esse fundamentaliter distinctũ ab illo, & ideo non posse hominem concipi, non concepto etiam animali rationali: at vero rationalitatem licet re ipsa sit de essentia animalitatis, quæ est in homine, & formaliter non sit distincta ab illa à parte rei non esse tamen de conceptu formali illius, sed distinctam ab illa fundamentaliter & idcirco posse concipi animalitatem, quæ est in homine, non cognita eius rationalitate, ac proinde potest ex parte obiecti vnum ab alio præscindi. Sed impugnatur; nam hæc solutio est aperta petitio principij, quod sic ostendo: non esse rationalitatem de conceptu formali animalitatis nihil est aliud quam posse concipi animalitatem non concepta rationalitate, & similiter esse rationalitatem distinctam fundamentaliter ab animalitate nihil aliud est quam posse per rationem inter se distingui formaliter, hoc est cognosci animalitatem non cognita rationalitate, ergo dicere: ideo potest cognosci animalitas hominis non cognita rationalitate, quia rationalitas, non est de conceptu formali animalitatis, sed ab illa fundamentaliter distinguitur, est formaliter dicere: ideo animalitas hominis potest cognosci non cognita rationalitate quia animalitas hominis potest cognosci aut concipi non concepta, & cognita eius rationalitate: ergo est aperta petitio principij, & reddere idem per idem.

Occurrat secundò, animal & rationale licet sint re ipsa formaliter idem distingui tamen inter se distinctione virtuali, quia habent in se virtutem ad operationes diuersas, animal enim vt sic est principium sensationis, & rationale est principium discursus, & ideo potest concipi animal non concepto rationali, atque ita ex parte obiecti vnum præscindi ab alio. Sed impugnatur primò, quia potentia creatiua in Deo ad creandum Angelum, & postea creatiua ad creandum hominem, habent in se huiusmodi distinctionem virtualem, cùm sint principium diuersarum operationum, scilicet creationis Angeli, & creationis hominis, & tamen non potest cognosci potentia creatiua Dei ad creandum Angelum, quin etiam ex parte obiecti formaliter attingatur & concipiatur potentia creatiua Dei ad creandum hominem, ergo licet hæc distinctio virtualis intercedat inter animal, & rationale, non poterit concipi animal, quin ex parte obiecti etiam concipiatur rationale. Probatur minor; potentia creatiua Dei ad creandum Angelum vt sic formaliter est infinita, etenim ad quemcumque effectum creandum virtus simpliciter infinita necessaria est, vt monstrabimus in Physicis lib. 3. disp. 24. cap. 2. ergo eo ipso quod quis concipit potentiam creatiuam Dei respectu Angeli concipit formaliter virtutem creatiuam simpliciter infinitam: atqui virtus, ac potentia creatiua simpliciter infinita est potentia ad creandum Angelum, hominem, & omnes alias creaturas, vt per se constat, ergo eo ipso quod quis concipiat in Deo potentiam creatiuam respectu Angeli, concipit etiam necessario potentiam creatiuam Dei ad creandum hominem, igitur non potest cognosci & attingi ex parte obiecti potentia creatiua ad Angelum, quin etiam attingatur, & cognoscatur potentia creatiua ad hominem.

Secundò impugnatur, quia in entitate albedinis ratio coloris, & ratio albedinis non habent inter se prædictam distinctionem virtualem cum non sint principium diuersarum operationum, & similiter in entitate simplici complacentiæ ratio volitionis & ratio complacentiæ simplicis non distinguntur illo modo virtualiter, quia non habent operationes diuersas, & sic in aliis similibus; ergo saltem in his, & aliis pluribus rebus non potest vna formalitas ab alia nec natura à differentiis specificis ex parte obiecti præscindi.

Occurrat tertiò; animal, & rationale habent inter se distinctionem, aliam virtualem æquiualentem reali, quia cum entitas illa hominis in se contineat formalitatem animalis, & rationalis, quæ in aliis reipsa distinctæ, atque dispersæ sunt, nam in equo datur animalitas sine rationalitate, quæ est in alia diuersa entitate, ideo entitas hominis æquialet duabus diuersis re ipsa entitatibus, & animalitas, & rationalitas in homine habent inter se distinctionẽ virtualem æquialentem distinctioni reali quam illæ formalitates in aliis rebus dispersæ habent, vel possunt habere inter se, vnde sicut si intercederet distinctio realis, inter animal, & rationale, posset concipi animal, non concepto rationali: ita intercedente hac distinctione virtuali æquialente distinctioni reali, potest etiam non cognito rationali, animal recte cognosci; etenim in diuinis ob hanc distinctionem virtualem æquialentem reali, quam inter essentiam diuinam, & relationes Theologi admitunt; potest à nobis essentia diuina concipi non conceptis relaiionibus, quid ergo mirũ, si ob similem distinctionem repertam inter animal, & rationale possit concipi animal non concepto rationali. 24

Hæc solutio, quæ vnica quidem via est, qua ij qui obiectiuas præcisiones admittunt possint incedere sic efficaciter impugnatur. distinctio virtualis æquialens distinctioni reali non consistit in eo quod entitas aliqua habeat secum identificatas aliquas formalitates, quæ re ipsa in aliis dispersæ sunt, sed consistit in eo, quod illis formalitatibus identificatis ante opus rationis prædicata contradictoria verè cõueniant ac si realiter inter se distinguerẽtur, atqui entitas creata, v.g entitas hominis nõ habet formalitates secum identificatas v.g. animal, & rationale, quibus ante opus rationis prædicata contradictoria conueniant, ac si realiter inter se distinguerentur: ergo inter animal & rationale non est distinctio virtualis æquialens distinctioni reali: ergo ob talem distinctionem non potest cognosci animal non cognito rationali, vtraque consequentia est euiden, Maior ostenditur abstrahendo ab eo quod perfectiones diuinæ v.g. essentia, & relationes Dei possint analogicè esse dispersę in creaturis, imo etiam si 25

per

per impossibile non possent esse creaturæ, in quibus diuinæ perfectiones dispersæ essent, adhuc inter essentiam diuinam, & paternitatem esset distinctio virtualis æquialens reali, sicut modo est, aliàs defendi non posset tunc, quo pacto essentia diuina realiter communicaretur filio non communicata realiter paternitate, & tamen tunc essentia diuina, & paternitas, nec analogicè possent esse dispersæ in creaturis; sed illis prædicata contradictoria verè conuenirent, ac si realiter distinguerentur, quia essentia realiter communicaretur filio, & paternitas ei non communicaretur; ergo distinctio virtualis non consistit in eo, quod in aliqua entitate sint formalitates aliquæ identificatæ, quæ possent esse dispersæ in aliis, sed in eo, quod illis formalitatibus identificatis prædicata contradictoria conueniant, ac si reipsa inter se distinguerentur: minorem etiam illam, scilicet animali, & rationali conuenire ante opus intellectus prædicata contradictoria, sic monstro: Ideo essentiæ diuinæ, & relationi conueniunt ante opus intellectus prædicata contradictoria, quia essentia diuina à parte rei communicatur filio, & relatio paternitatis realiter non communicatur: item relatio filiationis vnitur humanitati Christi immeditate, & essentia diuina non generatur, & similia: atqui à parte rei ante opus intellectus nõ potest animalitas, quæ est in homine communicari realiter alicui suppposito, non communicata etiam necessariò eius rationalitate, nec potest alicui materiæ vniri realiter rationalitas, quin etiam necessariò talis animalitas ei vniatur, nec potest vna reipsa produci, non producta etiam alia, nec prædicatum reale vni à parte rei conuenire, quod alteri reipsa à parte rei non conueniat; ergo animali, & rationali, quæ in homine identificata sunt non conueniunt à parte rei ante opus intellectus prædicata contradictoria, ac si reipsa inter se distinguerentur.

26 Confirmo. In creatis est principium naturæ lumine notum (quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se) atqui si in creatis etiam daretur distinctio virtualis æquialens reali, aliqua possent esse eadem vni tertio, quæ non essent idem etiam in creatis, sed potiùs distincta realiter inter se; ergo in creatis non datur talis distinctio virtualis æquialens distinctioni reali: Consequentia est clara, maior ab omnibus admittitur, minor autem sic probatur. Ideò in diuinis, quæ sunt eadem vni tertio, v. g. Paternitas & filiatio diuina, quæ sunt eædem, seu identificatæ cùm diuina essentia non sunt idem, sed distinctæ realiter inter se, vt fides docet, quia inter essentiam diuinam, & relationes est distinctio virtualis æquialens reali, ratione cuius essentia realiter communicatur, & identificatur cum filio, non communicata, nec identificata cum illo diuina Paternitate: ergo etiam si in creatis potest dari talis distinctio virtualis æquialens reali, poterunt esse aliqua ita identificata cum vno tertio, à quo virtualiter distinguantur, vt non sint in creatis idem, sed distincta realiter inter se.

27 Vrgeo: mysterium Trinitatis hoc est natura realiter vna & trina in sua entitate arguit infinitatem simpliciter, ita vt non possit reperiri in re creata, & finita; atqui si distinctio virtualis æquialens reali, posset esse in creatis, posset creari à Deo aliqua natura reipsa identificata cum tribus distinctis singularitatibus, ac proinde natura creata vna, & trina in sua entitate: ergo in creatis non potest esse distinctio virtualis æquialens distinctioni reali: Probo minorem, si aliqua ratione implicaret natura creata vna, & Trina, hoc est identificata cum tribus distinctis inter se realiter singularitatibus, maximè quia quæ sunt eadem vni tertio in creatis, sunt idem inter se: atque ita illæ singularitates identificatæ cum eadem natura creata non possunt esse distinctæ inter se realiter, sed vna solùm singularitas creata; sed si in creatis etiam datur distinctio virtualis æquialens distinctioni reali, ea quæ sunt eadem vni tertio etiam in creatis non necessariò sunt idem, sed etiam distincta realiter inter se, vt ostendi numero 20. Ergo si in creatis datur talis distinctio virtualis', æquialens reali non implicabit creari à Deo aliquam naturam identificatam cum tribus distinctis singularitatibus, ac proinde naturam creatam, & finitam vnam realiter, ac trinam in sua entitate, quod est dari in creatis mysterium aliud simile Trinitatis, quapropter Pater Molina, 1. parte quæst. 28. art. 2. disput. 2. concluf. 3. §. illud est, ac etiam expresè Valen. tom. 1. disput. 2. quæst. 1. punct. 2. circa finem asserunt distinctionem virtualem æquialentem distinctioni reali arguere infinitatem, quæ quidem infinitas suadibile facit, quod ratio nostra naturaliter non pertingit; ex quibus omnibus sequitur euidenter hanc virtualem distinctionem æquialentem reali non posse reperiri in re creata, & infinita v. g. inter animal, & rationale, sed has formalitates esse etiam virtualiter idem, ac proinde non posse cognosci, & attingi animal, quin etiam cognoscatur, & attingatur rationale.

Sin autem quispiam dicat duplicem esse distinctionem virtualem æquialentem reali; alia est quæ datur inter formalitates reipsa identificatas, quibus reipsa prædicata contradictoria conueniunt; & hæc arguit infinitatem; & reperitur solum in Deo, alia est, quæ datur inter formalitates identificatas, quæ in aliis sunt, licet possunt esse realiter dispersæ, & hæc virtualis distinctio æquialens reali non arguit infinitatem, sed reperitur in homine inter animal, & rationale; & ideo potest cognosci, & attingi animal, absque eo quod rationale formaliter cognoscatur, vel attingatur. 28

Sed impugnatur aperte, quia tam contradictoria sunt inter se hæc prædicata: (cognosci & non cognosci; attingi & non attingi:) quàm prædicata ista (communicari, & non communicari; vniri, & non vniri) atqui animalitati, & rationalitati quæ in homine identificatæ sunt, licet habeant inter se illam distinctionem virtualem non possunt reipsa conuenire hæc prædicata; animalitas alicui reipsa communicatur, & rationalitas non communicatur: rationalitas alicui subiecto vnitur, & animalitas non vnitur, ideo præcisè quia hæc prædicata contradictoria sunt; ergo similiter prædicta distinctio virtualis non sufficiet vt animalitati, & rationalitati hæc prædicata conueniant, animalitas cognoscitur, & rationalitas non cognoscitur, rationalitas attingitur, & animalitas non attingitur, cum etiam æquali modo contradictoria sint. Dicere autem hæc specialiter animali, & rationali conuenire, quia ratio nostra est natura sua præcisiua vnius formalitatis ab alia, est aperta petitio principij, quia idem omnino est animalitatem per rationem posse præscindi à rationalitate, ac rationem nostram esse præscisiuam animalitatis à rationalitate: ergo dicere ideo vnam formalitatẽ posse præscindi ab alia, quia ratio nostra est præcisiua vnius formalitatis ab alia est idẽ ac dicere ideo vnam formalitatẽ posse ratione nostra obiectiuè ab alia formalitate præscindi, quia ratione nostra potest vna formalitas ab alia obiectiua præscindi; Igitur qui præcisiones obiectiuas admittũt, vel petunt apertè principium, & respondent idem per idem, vel mysterium aliud Trinitatis etiam in creatis admittunt, quæ omnia satis absurda sunt.

CAPVT

CAPVT IV.

Argumenta in contrarium afferuntur, ac diluuntur.

PRo eorum ſententia qui præciſiones ex parte obiecti defendunt, aliqua ſunt argumenta, quæ in hoc capite proponere, vrgere, & enodare decreui.

29 Arguitur primò principaliter, præſeindi obiectiuè vnam formalitatem ab alia eſt concipi vnam formalitatem non concepta alia: ſed poteſt concipi animal v. g. non concepto rationali; ergo poteſt obiectiuè præſcindi animal à rationali. Probatur minor, quando video hominem à longè venientem, & cerno illum ſe mouere, non verò ratiocinari, aut diſcurrere, in hoc caſu cognoſco animal, quia cognoſco principium motus à ſe, & non concipio rationale quia non cognoſco principium ratiocinationis, & diſcurſus; ergo poteſt concipi animal, non concepto rationali.

Reſpondeo in prædicto caſu per illum actum, quo concipio animal, concipere etiam ex parte obiecti abſolutè rationale, quia concipio ex parte obiecti, quandam entitatem, quæ indiuiſibiliter eſt animal rationale, at verò per talem actum, licèt concipiam animal formaliter vt animal, non cognoſcere rationale formaliter vt rationale; quia cognoſcere animal, vt animal formaliter, eſt ita explicitè cognoſcere illam entitatem vt cognoſcam etiam motus, aut ſenſationes illius & cognoſcere rationale formaliter vt rationale, eſt etiam ita diſtinctè cognoſcere talem entitatem, vt etiam cognoſcam eius ratiocinationem, aut diſcurſum: cùm autem in noſtro caſu ego ſolùm concipiam hominis entitatem, ita explicitè, vt cognoſcam motus illius, non verò ita diſtinctè, vt cognoſcam eius diſcurſum, idcirco cognoſco illam formaliter vt animal, non verò formaliter vt rationale, tametſi abſolutè ex parte obiecti animal & rationale concipiam, quod ſufficit vt non detur aliqua præciſio obiectiua animalis à rationali.

30 Sed quis inſtet: cognoſco animal vt animal, & non cognoſco rationale, vt rationale, ergo obiectiuè præſcindo animal vt animal à rationali vt rationali; Dices non cognoſci rationale vt rationale formaliter ratione obliqui, cognoſci verò ſecundùm totum id quod includit in recto, nam rationale formaliter includit in recto entitatem hominis, quæ eſt radix ratiocinationis, & diſcurſus, in obliquo verò dicit ipſum diſcurſum, vnde cum concipiatur entitas hominis, & non concipiatur diſcurſus, concipitur id quod in recto dicit rationale formaliter, non verò id quod connotat in obliquo, ac proinde abſolutè rationale non concipitur formaliter vt rationale, quod ſolùm arguit præciſionem animalis ab actu ratiocinationis, & diſcurſus, à quo reipſa diſtinguitur, non verò præciſionem obiectiuam ab ipſa entitate rationali, à qua animal non diſtinguitur.

Sed contra, hæc formalis denominatio, nimirum rationale vt rationale non eſt in actu ratiocinationis, & diſcurſus, ſed adæquatè conſiſtit, ac eſt eſſentialiter imbibita in ipſa hominis entitate, quæ per ſe ipſam formaliter, eſt adæquatè, ac in recto rationalis neceſſariò denominatur, actus verò diſcurſus ſolùm eſt effectus, & terminus illius: ergo tota illa denominatio formalis, ſcilicet rationale vt rationale tenet ſe eſſentialiter ex parte recti, nempe entitatis humanæ, non verò ex parte obliqui nimirum actus diſcurſus, atqui in prædicto caſu, licet cognoſcam animal formaliter, non cognoſco hanc formalem denominationem, ſcilicet rationale, vt rationale, ergo non cognoſco aliquid illius entitatis tenens ſe eſſentialiter ex parte recti: igitur tunc datur vera præciſio obiectiua animalis vt animalis formaliter à rationali vt rationali formaliter etiam ex parte obiecti.

Reſpondeo ergo: me in caſu argumenti cognoſcere animal vt animal formaliter, & rationale etiam vt rationale formaliter, formalitate ſe tenente ex parte obiecti in recto, quia tota illa entitas hominis, quæ reipſa in recto eſt animal rationale, per illum actum concipitur quatenus in ſeipſa formaliter eſt animal rationale, & omnis hæc formalitas terminat formaliter illum actum: attamen ſolum per illum actam cognoſcere animal vt animal formaliter non verò rationale formaliter vt rationale formalitate ſe tenente ex parte actus, quia ex parte modi concipiendi ita explicitè cognoſco illam entitatem hominis vt cognoſcam illam in ordine ad motum, aut ſenſationem & ita diſcernam eſſe animal, ac ideo cognoſco animal vt animal formaliter etiam ex parte ipſius actus; at verò ex parte modi concipiendi ita etiam indiſtinctè & confusè cognoſco illam hominis entitatem, vt non cognoſcam eam in ordine ad actum ratiocinationis, & diſcurſus, nec diſcernam eſſe rationalem, ac proinde non cognoſco rationale vt rationale formaliter ex parte actus, ex quo non ſequitur præciſio obiectiua animalis à rationali, ſed tantum præciſio formalis, quam capite ſexto admittam. 31

Arguitur ſecundò principaliter, cùm quis è longinquo cognoſcit colorem albedinis iudicans eſſe colorem, & non diſcernens eſſe albedinem, ſed dubius manens, an ſit albedo, vel alius color, tunc cognoſcit rationem coloris, & non cognoſcit rationem albedinis; ergo obiectiuè præſcindit rationem coloris, à ratione albedinis, ſed hæc præciſio obiectiua non eſt ex parte operationum in obliquo, quia color, & albedo non ſunt principium diuerſarum operationum ſicut animal, & rationale; ergo talis obiectiua præciſio coloris ab albedine eſt ex parte ipſius entitatis in recto. Hoc argumentum innititur in ipſa viſione intuitiua, ac ſenſitiua, quæ in omnium ſententia obiectiuè non præſcindit, etenim, ex vi viſionis ſenſitiuæ; qua à longè video colorem albedinis poſſum diſcernere eſſe colorem, & non poſſum diſcernere eſſe albedinẽ; ergo per illam viſionem ſenſitiuam video colorẽ vt ſic, & non video albedinẽ, ergo viſio illa ſenſitiua præſcindit ex parte obiecti colorem ab albedine, quod nullus admittet: omnes ergo tenentur argumento reſpondere. Reſpondeo ergo, illum in prædicto caſu cognoſcere ex parte obiecti formaliter tam albedinem, quam colorem, licèt ex parte modi concipiendi ſolùm diſcernat eſſe colorem, & non diſcernat eſſe albedinem, quia ex parte ipſius actus non omnino explicitè, & diſtincte ſed cum aliqua confuſione illam entitatem coloris, & albedinis cognoſcit, & ideo ex vi talis actus, quia aliqua ratione eſt explicitus, diſcernit formaliter eſſe colorẽ & ex vi illius, quia etiã aliqua ratione eſt cõfuſus, non diſcernit eſſe albedinem, ex parte verò obiecti omnis ratio coloris, & albedinis terminat formaliter illum actũ, ac proinde non interuenit præciſio obiectiua coloris ab albedine, id eſt ex parte obiecti, ſed ſolũ præciſio formalis, hoc eſt ex parte actus, & modi concipiendi, quemadmodum viſio, qua Beatus diſcernit, ac videt Deum eſſe potentem ad creandum hominem v. g. & non diſ- 32

cernit

cernit esse potentem ad creandum Angelum, non præscindit ex parte obiecti potentiam creatiuam hominis à potentia creatiua Angeli; sed tantum ex parte modi concipiendi, quia scilicet non omnino explicitè & distinctè, sed cum aliqua confusione diuinam omnipotentiam attingit.

33 Vrgeat aliquis, in prædicto casu quis cognoscit explicite colorem, & non cognoscit albedinem; ergo præscindit ex parte obiecti colorem ab albedine: nonnulli obiectiuas præcisiones diffitentes admittunt explicite cognosci colorem, & non explicite albedinem cognosci; non vero concedunt præscindi colorem ab albedine, quia absolute saltem implicite per illum actum, etiam albedo cognoscitur, sed in præcisiones obiectiuas, quas impugnant relabuntur; quod sic ostendo: præcisio obiectiua vnius formalitatis ab alia est per aliquem actum cognitionis concipi formaliter vnam formalitatem non concepta per illum formaliter alia, sed per vos per illam cognitionem vt explicitam formaliter, cognoscitur formaliter color, & non cognoscitur albedo formaliter, nam si per illam cognitionem formaliter vt explicitã albedo cognosceretur, etiam albedo cognosceretur explicitè sicut & color, quod diffitentur: ergo illa cognitio formaliter vt explicita est verè præcisio obiectiua coloris ab albedine quam ipsi impugnant.

34 Respondeo ergo, ex parte obiecti sicut explicitè quis concipit rationem coloris, ita explicitè cognoscere rationem albedinis, & sicut cognoscit confusè rationem, albedinis, ita confusè cognoscere rationem coloris; quia cum ratio coloris, & albedinis sit eadem entitas simplex, ac indiuisibilis, quod conuenit reipsa rationi coloris, conuenit etiam rationi albedinis, & è contra. Vnde in prædicto casu quando quis cognoscit rationem coloris, cognoscit illam aliquo modo explicitè, quia discernit esse colorem, & aliquo modo confuse, quia non discernit esse albedinem, quæ indiuisibiliter in illa ratione coloris inuenitur, & quando cognoscit rationem albedinis, cognoscit illam aliquo modo explicite, quia distinguit esse colorem, & aliquo modo confusè, quia non discernit esse albedinem, quæ indiuisibiliter etiam in illa entitate albedinis existunt, ac proinde ex parte obiecti, sicut explicite cognoscit rationem coloris, ita explicitè cognoscet rationem albedinis, & sicut confusè cognoscit rationem albedinis, ita etiam cogno cit rationem coloris, & idcirco talis cognitio vt explicita non præscindit obiectiuè rationem coloris à ratione albedinis.

35 Fateor tamen ex parte modi tendendi actus cognosci explicitè rationem coloris, & non cognosci explicite rationem albedinis; sicut enim cùm aliquis videt virgam in flumine immersam, videt quidem virgam rectam ex parte obiecti, ita tamen imperfecte ille actus tendit in illam, vt ex parte modi concipiendi virga illa solum apparere videatur, ac si non esset recta, sed tantum esset obliqua; ita similiter cum quis videt in nostro casu imperfecte entitatem illam albedinis, concipit quidem rationem coloris, & rationem albedinis, eodem modo ex parte obiecti vt monstratum est, ita tamen imperfectè, & confuse ille actus in eam entitatem tendit vt ex parte modi concipiendi illa entitas apparere videatur, ac si solum concepta esset ratio coloris, & non esset concepta ratio albedinis, & hoc est ex parte modi concipiendi, cognosci explicite rationem coloris, & non cognosci explicitè rationem albedinis sine præcisione obiectiua sed tantum formali.

36 Arguitur tertiò principaliter, cùm quis videt hominem v.g. à longè venientem & iudicat esse animal non vero discernit, & iudicat esse rationale, sed potius iudicat non esse rationale, quia existimat esse equum, in hoc casu ille conceptus iudicatiuus, & affirmatiuus formaliter attingit animal ex parte obiecti, & non attingit rationale, aliàs idem et actus iudicaret esse illum rationalem, & non esse rationalem, quod implicat; ergo conceptus ille iudicatiuus, & affirmatiuus, vt sic formaliter præscindit obiectiue animal à rationali: Respondeo in casu argumenti illum vere non concipere animalitatem hominis, sed animalitatem bruti, fingendo illud indiuiduum veniens non esse animal rationale, sed brutum; animalitas autem bruti bene potest etiam obiectiue ab hominis rationalitate præscindi, cum ab illa à parte rei distinguatur non verò talis animalitas abstrahi potest ab irrationalitate equi, cum qua re ipsa identificatur; atque ita ille, qui iudicaret illud veniens esse animal, & non esse rationale iudicaret necessariò esse irrationale, & ideo animalitatem bruti ab eius irrationalitate obiectiuè non præscinderet.

Sed insurgat quispiam, potest ille iudicare per 37
vnum actum illud veniens esse animal, & postea per aliam actum distinctum simul etiam iudicare non esse rationale; in hoc casu iste per primum actum, quo illud iudicat esse animal non fingit, sed verum dicit; ergo per illum actum veram hominis animalitatem considerat, & iudicat esse in illo, sed non considerat nec iudicat esse in illo rationalitatem; ergo iudicatiue præscindit ex parte obiecti animalitatem hominis à rationalitate: Probatur minor, non potest quis simul etiam per distinctos actus iudicare esse in aliquo subiecto rationalitaiem, & non esse rationalitatem in illo; aliàs duobus simul contradictoriis assentiret, quod repugnat, sed per secundum actum iudicat non esse in illo veniente rationalitatem, ergo per primum actum non iudicat simul esse rationalitatem in ipso. Respondeo omnino implicare aliquẽ per vnum actum formaliter, & explicitè ex parte modi concipiendi iudicare esse in aliquo indiuiduo rationalitatem, & simul per alium actum æque formaliter, & explicitè ex parte modi concipiendi iudicare non esse rationalitatem in illo, vt argumentum conuincit, non verò repugnare per vnum actum materialiter & confusè ex parte modi concipiendi iudicare esse in aliquo rationalitatem, & per alium actum simul formaliter, & explicitè iudicare non esse in illo rationalitatem: ratio est quia iudicare materialiter & confusè ex parte modi concipiendi esse in aliquo rationalitatem solùm significat quod licet quis verè ex parte obiecti iudicet esse in aliquo rationalitatem, quia iudicat esse animalitatem, cum qua est idem rationalitas, tamen ex parte modi concipiendi ita imperfectè cognoscit, & iudicat, & cum tanta confusione, vt solùm videatur cognoscere, & iudicare esse in illo animalitatem, ac si non iudicaret, & cognosceret esse etiam in illo rationalitatem, vt monstraui supra numero 29. ac proinde non repugnat quod simul per alium actum iudicet formaliter, & explicitè non esse in illo rationalitatem, ex quo fit illum qui in casu argumenti iudicat à longè veniens esse animal, & per alium actum iudicat non esse rationalem, per primum actum iudicare, imperfectè quidem, & confusè esse rationale, & ob id obiectiuè non præscindere in homine animal à rationali.

Arguitur quartò principaliter, si non posset obiectiuè præscindi vna formalitas ab alia, qui cognosceret animal vt sic, omnes differentias specificas omnium animalium cognosceret & qui cognosceret ens vt sic omnes etiam differentias essentiales omnium entium, etiam possibilium conciperet, & qui cognosceret relationem vt sic, etiam differentias 38

relatio

relationum diuinarum attingeret; atqui ille actus, qui concipit animal, vel ens vt ſic non cognoſcit omnes differentias ſpecificas omnium animalium, aut omnium entium, cùm illas exprimere, aut explicare non valeat, & qui concipit relationem, vt ſic non cognoſcit relationes diuinas ſecundum earum differentias ſpecificas, alioquinnon aliter myſterium Trinitatis attingeret, quod repugnat, vt ex Theologia ſuppono; ergo obiectiue præſcindi poteſt vna formalitas ab alia. Hoc tamen argumentum inſtatur in ſententia communi, nam poteſt naturaliter quis per vnum actum cognoſcere confusè omnes ſpecies animalis: v. g. cum dicit omnes ſpecies animalium ſubiiciuntur animali vt ſic: & etiam per vnum actũ poteſt confuſe cognoſcere omnes ſpecies entis v. g. ſi dicat: omnes ſpecies entis ſunt entitates reales, & etiam per vnum actum poteſt cognoſcere omnes ſpecies, vel quaſi ſpecies diuinarum relationum: v. g. quando dicit: omnes ſpecies, vel quaſi ſpecies relationum Dei ſunt increatæ: ergo poteſt quis naturaliter cognoſcere, & de facto cognoſcit omnes differentias ſpecificas omnium animalium, omnium entium, atque relationum Dei: Exprimat ergo illas.

Ecce tenentur omnes argumento ſatisfacere: Reſpondeo, illum in caſu argumenti concipere omnes differentias animalium, entium, ac relationum Dei, valde tamen imperfectè, implicitè & confusè, ita vt illas non diſcernat; ſed ex modo concipiendi ita ſe habeat, vt licet ex parte obiecti illas attingat quaſi ex parte actus videatur illas formaliter non attingere, vt numero 29. explicatum eſt; ac ideo licèt has omnes differentias prædicto modo ex parte obiecti cognoſcat, illas non valet exprimere: ſic autem confusè, & indiſtinctè diuinas relationes cognoſcere nullum abſurdum eſt.

39 Arguitur quinto principaliter, in diuinis poteſt vna formalitas ab alia v.g. eſſentia diuina à Paternitate etiam obiectiuè præſcindi; ergo etiam in creatis. Antecedens capite ſequenti monſtrabitur, conſequentia tenet à paritate rationis, quia tam, immo magis idem ſunt formalitates diuinæ inter ſe, quam formalitates creatæ. Cõfirmatur: quia vniuerſa ſchola etiam in creatis admittit diſtinctionem rationis ratiocinatæ; atqui ſi non datur obiectiua præciſio vnius formalitatis ab alia, non poteſt dari diſtinctio rationis ratiocinatæ, quæ quidem in hac obiectiua præciſione conſiſtit: ergo dari debet præciſio obiectiua vnius formalitatis ab alia, ne communem loquendi modum in ſcholis iam receptum, & omnium authoritate comprobatum vertamus.

Reſpondeo, poſſe in diuinis vnam formalitatem ab alia ex parte obiecti præſcindi, ſecus in creatis, vt capite ſequenti explicabo: ad confirmationem dico etiã nos admittere diſtinctionẽ rationis ratiocinatæ, vt infra c. 6. aperiemus, & diſp. 5. c. 2. oſtendimus.

CAPVT V.

An aliqua formalitas in diuinis poſsit ab alia eſſe obiectiue præciſa?

IAm diffiniuimus in creatis non poſſe vnam formalitatem ab alia ex parte obiecti præſcindi, modo inquirimus, an in diuinis aliqua præciſio obiectiua vnius formalitatis increatæ ab altera dari queat?

40 ASSERTIO ſit: in Deo aliqua, formalitas increata poteſt ab alia etiam obiectiuè præſcindi v. g. eſſentia diuina à relatione, & relatio Dei ab eius eſſentia. Hæc res Theologica eſt (licet ad exactam huius quæſtionis notitiam magnopere neceſſaria, & ideo pro eius confirmatione argumenta in præſenti non vrgebo, ſed breuiter inſinuabo. Probatur primò, actus fidei diuinæ, quo quis cognoſcit, & affirmat eſſentiã diuinam cõmunicari filio non affirmat ex parte obiecti relationẽ Paternitatis filio communicari, alioquin nõ eſſet actus fidei diuinæ, ſed hæreſis; ergo talis actus affirmatiuus vt ſic formaliter præſcindit ex parte obiecti eſſentiam diuinam à relatione Paternitatis: ſimiliter actus fidei diuinę, qui affirmat filiationem diuinam vere produci non affirmat ex parte obiecti eſſentiã Dei verè produci, alias hæreticus eſſet; ergo talis actus affirmatiuus præſcindit ex parte obiecti filiationem ab eſſentia diuina; denique actus fidei qui affirmat relationem Verbi diuini immediatè, & phyſice vniri Chriſti humanitati non affirmat ex parte obiecti eſſentiam diuinã immediate, & phyſicè tali humanitati vniri, alioquin non eſſet actus fidei, ſed omnino falſus, ergo talis actus fidei affirmatiuus præſcindit obiectiuè relationem verbi diuini ab eſſentia Dei.

Probatur ſecundò: ſi in diuinis non poſſet vna formalitas ab alia ex parte obiecti præſcindi, qui conciperet Paternitatẽ diuinã conciperet neceſſario eſſentiã Dei, quæ eſt idẽ cum omnibus relationibus diuinis, ac proinde conciperet neceſſario eſſentiã Dei, ac omnes relationes diuinas, & ſimiliter qui conciperet filiationem neceſſario conciperet eſſentiam Dei, ac omnes relationes diuinas: ergo falſa eſſet hęc propoſitio: (Paternitas diuina realiter diſtinguitur à filiatione diuina, quæ quidẽ eſt propoſitio de fide. 41

Probo conſequentiam; in aduerſariorum ſententia qui concipit Paternitatem, concipit neceſſariò formaliter ex parte obiecti eſſentiam Dei, ac omnes relationes diuinas, & qui concipit filiationem, concipit etiam neceſſario & formaliter ex parte obiecti eſſentiam Dei, ac omnes relationes diuinas; ergo in illorum ſententia qui concipit Paternitatem, & qui concipit filiationem diuinam, idem omnino concipit neceſſariò, & formaliter ex parte obiecti. Hoc eſt euidens; tunc ſic: ſed hæc eſt falſa propoſitio (idem realiter diſtinguitur à ſe ipſo:) ergo hæc etiã eſt falſa propoſitio in eorum ſententia, Paternitas diuina diſtinguitur realiter à filiatione diuina.

Probatur tertio à priori; eo ipſo quod aliqua formalitas diſtinguatur ab alia diſtinctione virtuali æquialenti diſtinctioni reali poteſt obiectiuè præſcindi ab illa, ſed eſſentia diuina diſtinguitur à relatione diuina diſtinctione virtuali, æquialenti diſtinctioni reali: ergo eſſentia Dei poteſt obiectiuè præſcindi à relatione diuina. Conſequentia eſt euidens; Maiorem probo, eo ipſo quod aliqua formalitas diſtinguatur ab alia diſtinctione virtuali æquialẽti diſtinctioni reali conuenit re ipſa aliquid illi formalitati, quod non conuenit reipſa alteri formalitati, in hoc enim conſiſtit talis diſtinctio virtualis æquialens reali, vt docent Pater Molina 1. p. q. 28. art. 2. diſp. 2. concluſ. 3. & Pater Valentia 1. p. diſp 2. q. 1. punct. 2. circa finem, & Theologi ſapientiſſimi: ergo eo ipſo quod aliqua formalitas ſit ab alia diſtincta diſtinctione virtuali æquialenti diſtinctioni reali poteſt per actum intellectus aliquid de illa formalitate realiter affirmare obiectiuè, quod obiectiuè non affirmetur de alia, quia non affirmatur per rationem de aliqua formalitate, niſi quod illi realiter conuenit ſed affirmari per actũ intellectus aliquid de vna formalitate obiectiuè quod obiectiuè non affirmetur de alia eſt præſcindi vnã formalitatẽ obiectiuè ab alia, vt per ſe conſtat: ergo eo ipſo quod aliqua formalitas ab alia formalitate diſtinguatur diſtinctione virtuali æquialenti diſtinctioni reali poteſt vna formalitas obiectiuè præſcindi ab alia. Minorẽ illã, ſcilicet eſſentiã Dei diſtingui à relatione diuina diſtinctione hac virtuali æquialente diſtinctioni reali, ſic oſtẽdo: vnã formalitatẽ ſic virtualiter, & æquialenter 42

distingui ab alia est conuenire realiter aliquid vni formalitati quod realiter nõ conueniat alteri, ac si realiter inter se distinguerentur; sed essentiæ diuinæ conuenit realiter cõmunicari filio, quod non conuenit realiter relationi Paternitatis; & relationi filiationis conuenit realiter produci, quod non conuenit realiter essentiæ diuinæ: ergo essentia Dei distinguitur à relatione diuina distinctione virtuali æquiualente distinctioni reali.

43 Hinc colligo, apertum discrimen quare non possit esse præcisio obiectiua inter formalitates finitas, & creatas, possit vero esse inter formalitates infinitas, & increatas. Ratio quidem perspicua est, nam vt possit esse hæc obiectiua præcisio inter aliquas formalitates, requiritur quod inter illas tamquam fundamentum præcedat distinctio virtualis æquiualens distinctioni reali, vt patet ex sæpe dictis; atqui inter formalitates finitas, & creatas non datur, nec potest dari talis distinctio virtualis æquiualens distinctioni reali nuper explicata, quia hæc distinctio arguit infinitatem, vt demonstrauimus supra à numero 19. potest vero dari, & de facto datur talis distinctio virtualis æquiualens reali inter aliquas formalitates infinitas, & increatas, vt ostendimus numero 36. ergo non potest dari præcisio obiectiua inter formalitates finitas, & creatas, potest verò dari inter formalitates infinitas, & increatas. Aduerto tamen hanc præcisionem obiectiuam non dari inter omnes formalitates diuinas, sed inter eas solum, inter quas est distinctio virtualis æquiualens reali, quæ autem Dei formalitates sic virtualiter distinguantur, quæ vero non, diffinire ad Theologum spectat.

44 Verùm aliquis obiiciat: cum intellectus noster concipit formalitatem diuinam ratione distinctionis virtualis, quam ipsa habet in se respectu alterius formalitatis diuinæ, non diuinizatur intellectus magis quam cum cognoscit formalitatem creatam; ergo si intellectus non valet vnam creatam formalitatem ab alia obiectiuè præscindere, nec etiam ratione prædictæ virtualis distinctionis, quæ datur in diuinis, poterit ex parte obiecti vnam formalitatem diuinam præscindere ab alia; Confirmatur, quia experimur eodem modo nos concipere formalitates diuinas, ac formalitates creatas. sicut enim quando ex operatione animalis cognoscimus animal, videtur latere rationale, ita quando ex operatione essentiæ diuinæ cognoscimus ipsam essentiam, videtur latere relatio diuina; ergo vel in creatis datur præcisio obiectiua vnius formalitatis ab alia, vel non datur in diuinis.

45 Respondeo, intellectum non reddi diuinum ratione distinctionis virtualis diuinæ formalitatis, quam considerat, neque hoc ad obiectiuam præcisionem requiritur, sed potiùs ad illam requiretur, quod intellectus non sit diuinus, cùm diuinus intellectus nequeat illa ratione præscindere; ratione verò talis distinctionis virtualis, & æquiualentis reddi formalitatem, ac essentiam diuinam ipsam, vt de illa à creato intellectu aliquid realiter affirmetur, quod non affirmetur, quod non affirmetur de alia realiter scilicet de relatione diuina vt probaui numero 36. atq; ita ratione talis distinctionis virtualis potest intellectus creatus vnam formalitatem diuinam præscindere obiectiue ab alia, quod non potest facere inter formalitatem creatam ex defectu talis distinctionis virtualis vt supra dictum est. Ad confirmationem dico, etiam nos in communi sententia experiri, eodem modo cognosci aliquam formalitatem per cognitionem intuitiuam, ac per cognitionem abstractiuam, nam quando à longè intuitiuè cognosco entitatem albedinis, confusè videtur apparere, & cognosci ratio coloris, & non apparere, sed latere ratio albedinis, sicut quando abstractiuè cognosco cõfusè entitatem hominis, videtur apparere, & cognosci animal, & latere rationale; & tamen sententia communis solùm admittit per cognitionem abstractiuam præscindi obiectiuè animal à rationali non vero per cognitionem intuitiuam præscindi obiectiuè colores, ab albedine, quia cognitio intuitiua est cognitio rei sicuti est in se, atque ita non potest obiectiuè præscindere sicut cognitio abstractiua. Eodem ergo modo in nostra sententia licet videamur experiri quando cognoscimus essentiam diuinam ex eius effectibus, apparere nobis ipsam essentiam, & latere relationes diuinas, sicut quando ex actibus sentiendi cognoscimus entitatem hominis, videtur apparere animal, & latere rationale, adhuc tamen dicimus præscindi obiectiuè essentiam diuinam à relationibus, non vero animal à rationali, quia inter animalitatem, & rationalitatem non inuenitur virtualis distinctio æquiualens reali omnino requisita ad obiectiuam præcisionem, quæ quidem inuenitur inter essentiam Dei, & relationes diuinas, & sæpe experientia errat, & per rationem corrigitur.

CAPVT VI.

An formalis præcisio in creatis admittenda sit?

SVperius numero secundo & tertio duplicem præcisionem explicuimus, aliam obiectiuam aliam formalem. Hucusque probatum est non posse dari veram præcisionem obiectiuam intes formalitates creatas, ita, vt ex parte obiecti vna formalitas concipiatur non concepta alia. Nunc quærimus an inter easdem creatas formalitates dari possit vera præcisio formalis ita, vt licet ex parte obiecti tota obiecti formalitas concipiatur, tamen ex parte actus & modi illud cognoscendi vna solum formalitas apparere, & alia latere videatur. 46

ASSERTIO sit; in creatis datur ex parte actus, ac modi concipiendi vera præcisio formalis vnius formalitatis ab alia, in hac conclusione omnes vnanimiter conueniunt. Probatur: præcisio formalis est cognitio illa, qua licèt ex parte obiecti omnis formalitas cognoscatur, tamen ex parte modi cognoscendi ita confusè concipitur, vt vna solum formalitas, & non alia apparere videatur, vt supra numero 3. explicui, atqui in creatis dari potest talis cognitio, nam actus cognitionis, quo quis concipit entitatem hominis in ordine ad sensationem, non verò in ordine ad ratiocinationem, licèt ex parte obiecti animalitatem, & rationalitatem concipiat tamen ex parte modi concipiendi ita confusè illam entitatem apprehendit, vt solum animalitas, non vero rationalitas apparere, & cognosci videatur, & similiter cognitio, qua à longè cognosco entitatem albedinis licet ex parte obiecti concipiat formalitatem coloris, & formalitatem albedinis, tamen ex parte modi cõcipiendi ita confusè illam entitatem apprehendit, vt solùm ratio coloris, non vero ratio albedinis videatur formaliter apparere, & sic de aliis: ergo in creatis ex modo concipiendi datur vera formalis præcisio vnius formalitatis ab alia. 47

Confirmatur. Non repugnat quod res aliqua ex parte obiecti secundum aliquam rationem concipiatur, & ex parte modi concipiendi secundùm illam rationem non cognosci, & apparere formaliter sed latere videatur, etenim quando virga recta flumine immersa cognoscitur ex parte obiecti, cognoscitur quidem vt recta, ex parte vero modi concipiendi videtur non apparere, aut cognosci formaliter vt recta, sed solum ac si esset obliqua, & similiter quando à nobis cõcipitur Deus per species rei corporæ ex 48

parte

parte obiecti vera Dei ſpiritualitas cognoſcitur, ex parte verò modi concipiendi videtur non apparere Dei ſpiritualitas, ſed Deus ipſe, ac ſi corporalis eſſet & idem in aliis accidit, ergo etiam non repugnat quod ex parte obiecti cognoſcatur animalitas, & rationalitas, aut ratio coloris, & ratio albedinis, & quod ex parte modi concipiendi ita confusè apprehendantur vt ſolum videatur formaliter apparere, & cognoſci animalitas, ac ſi non eſſet ibi rationalitas, vel ſolum videatur apparere formaliter, & cognoſci ratio coloris, ac ſi non eſſet ibi ratio albedinis; atqui hoc modo has formalitates cognoſcere eſt vera præciſio formalis ex modo concipiendi vnius formalitatis ab alia: ergo inter formalitates creatas vera præciſio formalis admittenda eſt.

49 Hinc infero: quo pacto in hac ſententia explicanda ſit diſtinctio rationis ratiocinatæ, ac etiam diſtinctio rationis ratiocinantis; diſtinctio ergo rationis ratiocinatæ eſt illa, qua formaliter ac ex modo concipiendi vna formalitas ab alia modo explicato præſcinditur: vnde animal ratione ratiocinata diſtinguitur à rationali, quod formaliter poteſt præſcindi ab illo, & color ratione etiam ratiocinata differt ab albedine, quia formaliter præſcinditur ab illa: diſtinctio verò rationis ratiocinantis accidit quando vna formalitas, nec ex parte modi concipiendi formaliter ab alia præſcinditur, ſed eademmet entitas, ac formalitas realis concipitur diſtinctis conceptibus, vt cùm dico Petrus eſt Petrus, duplici conceptu apprehendo Petrum, alio conceptu concipio illum vt ſubiectum, de quo aliquid prædico, & alio conceptu concipio illum vt prædicatum quod prædico de ſubiecto; per vtrumque verò conceptum obiectiuè & formaliter eundem Petrum concipio atque ideo Petrus in hoc caſu à ſe ipſo diſtinguitur ſolùm ſecundùm illos diſtinctos conceptus, quibus ipſe concipitur, quæ eſt diſtinctio rationis ratiocinantis. Dicitur autem diſtinctio rationis ratiocinatæ diſtinctio intrinſeca, & diſtinctio rationis ratiocinantis appellatur extrinſeca, non quia vtraque diſtinctio non proueniat ab actibus rationis extrinſecis, hoc enim etiam in communi ſententia obiectiuas præciſiones concedente, admittendum eſt: ſed quia ad diſtinctionem rationis ratiocinatæ, cùm formalem præciſionem includat, requiritur aliquod fundamentum intrinſecum in ipſis rebus, ad diſtinctionem vero rationis ratiocinantis cum non contineat in ſe formalem præciſionem, non requiritur fundamentum intrinſecum, ſed ſolùm extrinſecum, quid verò ſit fundamentum illud rebus intrinſecum quod ad diſtinctionem rationis ratiocinatæ, & formalem preciſionem requiritur ſtatim breuiter explicabimus.

50 Sed obiiciat aliquis aduerſus aſſertionem. Si daretur vera præciſio formalis vnius formalitatis creatæ ab alia, etiam per cognitionem intuitiuam poſſet verè vna formalitas ab alia formaliter præſcindi, ſed per cognitionem intuitiuam non poteſt vere vna formalitas præſcindi formaliter ab alia; ergo non datur vera præciſio formalis vnius creatæ formalitatis ab alia. Conſequentia eſt euiden: Maior probatur, eatenus præciſio formalis datur vnius creatæ formalitatis ab alia quatenus dum concipio entitatem hominis v.g. licèt ex parte obiecti, animal vt rationale concipiam, ex parte vero modi concipiendi non videtur formaliter cognoſci rationale, ſed ſolum animal, quia per illum actum diſcerno obiectum eſſe animal, non verò eſſe rationale; ſed ſimiliter quando cognoſco cognitione intuitiua entitatem albedinis à longè, licèt ex parte obiecti totum concipiam, ex parte verò modi cognoſcendi nõ videtur intuitiuè videri ratio albedinis, ſed ſolum ratio coloris, quia per illam intuitionem, non diſcerno illam entitatem eſſe albedinem, ſed ſolùm eſſe colorem; & ſimiliter cum Beatus videt intuitiuè Deum, ex parte modi videndi ſolum videtur illum intueri vt potentem producere Angelum v. g. non vero vt potentem producere v g. equum, quia ſolum ex vi talis viſionis diſcernit Deum potentem eſſe ad producendum Angelum, non verò diſcernit eum eſſe potentem ad producendum equum; ergo ſi datur vera præciſio formalis vnius creatæ formalitatis ab alia, etiam per cognitionem intuitiuam poterit verè vna formalitas ab alia formaliter præſcindi. Minorem illam, ſcilicet per viſionem intuitiuam non poſſe præſcindi ſic probo: viſio ſeu cognitio intuitiua eſt cognitio rei ſicuti eſt in ſe; ergo cognitio intuitiua attingit, & cognoſcit formaliter totum quod res habet, & omnem formalitatem, quam res illa includit in ſe, ergo non poteſt præſcindere vnam rei formalitatem ab alia, ad hanc enim præciſionem requiritur quod vna formalitas rei videatur, & alia non videatur, quapropter Pater Vaſquez tom. 2. in prima parte diſp. 118. cap. 2. & Pater Mol. prima parte quæſtione 28. art. 2. diſp. 3. & alij plerique negant per cognitionem intuitiuam poſſe vere ac formaliter vnum ab alio præſcindi.

51 Verùm, hi omnes doctores non loquuntur de præciſione tantum formali, ſed de præciſione obiectiua, quæ quidem præciſio non poteſt eſſe formaliter in cognitione intuitiua, quia intuitio, ſeu viſio eſt cognitio rei ſicuti eſt in ſe ex parte obiecti, vt omnes admittũt, ſi autem cognitio intuitiua obiectiuè præſcinderet vnam formalitatem ab alia non conciperet ex parte obiecti omnem illius formalitatem, ac proinde non cognoſceret rem ſicuti eſt in ſe ex parte obiecti, atque ita talis obiectiua præciſio non poteſt eſſe formaliter in cognitioue intuitiua. Poteſt vero in cognitione intuitiua inueniri vera præciſio formalis, nam per cognitionem intuitiuam poteſt ita confusè aliqua entitas cognoſci, vt ex parte modi cõcipiendi vna formalitas apparere formaliter & cognoſci & alia latere videatur, vt numero præcedenti oſtendimus, in quo quidem conſiſtit ratio præciſionis formalis, nec obſtat obiectio facta, quia viſio ac intuitio eſt cognitio rei ſicuti eſt in ſe ex parte obiecti, non verò ex parte modi concipiendi.

52 Rogas, quod intrinſecè in ipſis rebus fundamentum requiratur ad præciſionem formalem, ac diſtinctionem rationis ratiocinatæ? Putant fortaſſe aliqui requiri quod entitas re ipſa habeat diuerſas operationes, vel diuerſa connotata: ſed non bene, quia ratio coloris formaliter poteſt præſcindi à ratione albedinis, & tamen ratio coloris, & ratio albedinis nõ habent operationes diuerſas, & ſimiliter in Deo amor abſolutus alicuius boni poteſt formaliter præſcindi à gaudio de eodem bono, & tamen talis amor abſolutus, & gaudium Dei circa idem bonum non habent diuerſa connotata. Arbitror ego ad præciſionem formalem, & diſtinctionis rationis ratiocinatæ vt fundamentum requiri, quod entitas in ſe identificatas habeat formalitates, quæ in aliis ſint, vel poſſint eſſe diſperſæ, aut quod in idem recidit, habeat in ſe actu, vel aptitudine ſimilitudinem, & diſſimilitudinem cum aliis rebus, hoc enim ſufficit vt talis entitas poſſit ita confusè cognoſci, vt licet ex parte obiecti omnis eius formalitas cognoſcatur, ex parte verò modi concipiendi vna ratio, per quam v. g. eſt aliis ſimilis apparere, & alia ratio, per quã v. g. eſt aliis diſſimilis latere formaliter videatur, ac proinde tale fundamentũ ſufficit vt detur vera præciſio formalis, quod in exemplis ſæpe ſupra repetitis entitatis

hominis,quæ est similis, & dissimilis equo, & entitatis albedinis , quæ est etiam similis , & dissimilis entitati nigredinis,ratione cuius, in entitate hominis,animal à rationali,& in entitate albedinis ratio coloris à ratione albedinis formaliter præscinditur, perspicuum est.

CAPVT VII.

Naturam vniuersalem fieri solùm per præcisionem formalem demonstratur ac defenditur.

QVæ hucusque in hac disputatione discussa sunt ad hoc vnum ordinantur, scilicet vt appareat, per quam præcisionem rationis obiectiuam ne , an formalem , solùm natura formaliter vniuersalis fiat, quod quidem huius disputationis titulus exigebat,ac tandem in hoc capite diffiniemus.

53 ASSERTIO sit. Natura fit vniuersalis formaliter non per præcisionem obiectiuam naturæ à suis, differentiis , sed solum per præcisionem formalem naturæ à suis inferioribus, id est , per actum cognitionis , per quem licet ex parte obiecti plura singularia concipiantur, ac plures singulares naturæ ; ita verò imperfectè,& confusè concipiuntur,vt ex parte modi cognoscendi vna tantum natura sine differentiis cognosci formaliter videatur;explicatur ; sæpè accidit (& id ego expertus sum cum quis per interpositum vitrum tali modo speciali figuratum intuetur , ac cognoscit aliquem v. g. hominem , licet ex parte obiecti per illam cognitionem vnum tantum hominem videat;quia ei non offertur alius,eum non ita imperfectè cognoscere , vt ex parte modi cognoscendi , non vnus homo , sed plures per illum actum cognosci , ac videri videantur,sic ergo è contra contingit,cum quis cognoscit v. g. rationem hominis , & naturæ humanæ in communi , licet per eum actum cognitionis, plures ex parte obiecti homines,ac humanæ naturæ cognoscantur , ita imperfectè,atque confusè cognosci,vt ex parte modi concipiendi per illam cognitionem , non plures homines,aut naturæ , sed vnus tantùm homo,& vna tantum natura humana , sine differentiis cognosci , & apparere formaliter videatur ; hæc itaque cognitio confusa plurium ex parte obiecti per modum vnius ex parte modi cognoscendi est vera præcisio formalis naturæ à suis differentiis , per quam ipsa natura fit formaliter vniuersalis.

54 Probatur primò hæc assertio authoritate D. Thomæ, qui opusc. 55. agens de forma vniuersali , hoc est de illa cognitione, qua natura fit formaliter vniuersalis : sic ait : *Eius autem vniuersalitas non est ex hoc , quod est in anima , sed ex hoc quod comparatur ad multa singularia ; & postea expressius subnectit, est enim illa (scilicet cognitio , qua vniuersale fit) in solo intellectu singularis, & est vniuersalis in quantum habet rationem vniformem ad omnia indiuidua, quæ sunt extra animam prout æqualiter est similitudo omnium.* Deinde opusc. 56. inquit. *Vniuersale ergo est vnum, & plura ; plura in quantum in pluribus est , alioquin non posset prædicari de pluribus vt homo in re est plura, quia de pluribus prædicatur , est autem vnum in cognitione , quia licet plura secundum quod plura non constituant vnum intellectum , tamen secundum quod similia sunt,constituunt vnum intellectum , quia intellectus non potest distinguere inter similia,in quantum sunt similia.* Ecce Doctor Angelicus expressè asserit primum, cognitionem illam, qua natura fit vniuersalis formaliter tendere ad plura vt similia,atqui plura etiam formaliter vt similia multiplicitatem , & pluralitatem includunt, nam res non potest esse formaliter similis sibi ipsi sed alteri rei à se reipsa distinctæ: ergo sentit D. Thomas cognitionem , qua vniuersale consurgit cognoscere ex parte obiecti plura,hoc est multa singularia;præcisio autem obiectiua non attingit ex parte obiecti plura singularia, quin potiùs ab omni pluralitate præscindit , vt aduersarij fatentur,ergo tenet D. Thomas naturam non fieri vniuersalem per præcisionem obiectiuam. Deinde etiam expressè docet talem cognitionẽ, per quam natura fit vniuersalis non distinguere inter illa plura similia,quæ cognoscit : atqui cognoscere plura vt similia ex parte obiecti , v. g. plures naturas humanas,& non distinguere inter illas est ita eas confusè cognoscere,vt ex parte modi concipiendi vnam tantum naturam,& non plures concipere videatur,quæ quidem est formalis præcisio sæpè explicata;ergo docet D. Thom. naturam vniuersalem fieri per cognitionem , quæ ex modo concipiendi fit præcisio formalis naturæ à suis differentiis.

55 Probatur secundò ratione: natura vniuersalis est natura vna in multis,hoc est prædicabilis de multis, vt diximus suprà disp.4. c. 1. sed natura non fit vna prædicabilis de multis per præcisionem obiectiuam, sed per formalem : ergo natura non fit vniuersalis per præcisionem obiectiuam, sed tantum per præcisionem formalem. Probatur maior , si natura fieret vna prædicabilis de multis per præcisionem obiectiuam,& non formalem,natura vt vna prædicabilis de multis,non includeret plures singulares naturas,sed obiectiuè esset præcisa ab illis,sed natura vt vna prædicabilis de multis includit in se formaliter plures singulares naturas;ergo natura non fit vna prædicabilis de multis per præcisionem obiectiuam , sed solum per præcisionem formalem.Minorem,in qua est difficultas,sic monstro. Natura illa communis v. g. natura humana prædicabilis de Petro , Ioanne & Francisco non est prædicabilis de illis adæquatè , ita vt tota natura de Petro,& tota de Ioanne, & tota de Francisco , essentialiter prædicetur, vel prædicabilis sit , alioquin tota natura illa humana esset reipsa identificata , cum Petro, Ioanne, & Francisco, quia non prædicatur essentialiter de illis , nisi quod reipsa est identificatum cum ipsis, atque ideo Petrus, Ioannes,& Franciscus essent reipsa idem inter se,quia in creatis,quæ sunt eadem vni tertio,sunt re vera idem inter se:euidens ergo est totam illam naturam communem non prædicari de Petro,& totam de Ioanne, & totam de Francisco; ergo illa natura humana est prædicabilis de illis inadæquatè, ita, vt pars illius sit prædicabilis de solo Petro , & alia eius naturæ pars sit prædicabilis de solo Ioanne & alia pars talis naturæ communis sit prædicabilis de solo Francisco;ergo natura humana vt vna prædicabilis de pluribus formaliter habet partes,seu partiales quasdam naturas,quarum vna sit prædicabilis de solo Petro,& non de alio,& alia natura partialis sit prædicabilis de solo Frãcisco & non de alio,& alia natura partialis sit de solo Ioanne; tunc sic, sed natura,seu pars naturæ, quæ adæquatè est prædicabilis de solo Petro , & non de alio est natura singularis Petri , alioquin de alio posset prædicari ,& natura, seu pars naturæ , quæ est prædicabilis de solo Ioanne, & non de alio est natura singularis Ioãnis,&c.ergo natura humana,vt vna prædicabilis de pluribus formalissimè includit in se formaliter plures naturas singulares. Ego sanè nõ scio quid huic argumento possit probabiliter respõderi, si cum communi schola admittatur naturam vt communem & vniuersalem esse de pluribus prædicabilẽ.

56 Probatur tertiò,ex supradictis:natura fit formaliter vniuer

vniuerſalis per præciſionem rationis, vt ſupra numero 4. poſui ex ſententia omnium, quæ non admittunt vniuerſale à parte rei, ſed non eſt alia præciſio rationis, niſi præciſio formalis vel obiectiua, vt per ſe liquet; ergo natura fit vniuerſalis formaliter, vel per præciſionem obiectiuam, vel ſolum per præciſionem formalem; atqui non poteſt natura fieri vniuerſalis formaliter per præciſionem, cum hæc repugnet dari inter formalitates creatas, vt oſtendi ſupra cap. ſecundo, & tertio, ergo natura fit formaliter vniuerſalis tantum per præciſionem formalem, qua plura ſimilia ex parte obiecti apprehenduntur per modum vnius modo iam explicato.

57 Obiiciat autem quis primò. Natura communis animalis v.g. vt concepta per conceptum vniuerſalem eſt formaliter prędicabilis de pluribus, ſcilicet de homine, & equo, ſed ſi natura communis animalis, vt concepta per vniuerſalem conceptum includeret obiectiue differentias inferiorum ſcilicet rationalitatem, & irrationalitatem vt ſic concepta, & vniuerſalis non eſſet prædicabilis de illis, non quidem eſſet prædicabilis de homine, quia irrationalitatem includeret, nec etiam de equo, quia includeret rationalitatem: ergo natura animalis vt ſic concepta, & vniuerſalis non includit obiectiue differentias inferiorum, id eſt obiectiue pręciſa ab illis: ergo fit vniuerſalis per præciſionem obiectiuam, & non per præciſionem formalem.

Reſpondeo, naturam communem animalis vt cõceptam per conceptum vniuerſalem eſſe prædicabilem de pluribus v.g. de homine, & equo, non quidem adæquatè ita, vt tota illa natura de quolibet inferiori prædicetur, hoc quidem palam repugnat vt monſtraui numero 48. ſed tantum eſt prædicabilis de pluribus inadequate, id eſt cum natura communis animalis includat in ſe omnes particulares naturas animalium confusè cognitas, quatenus includit naturam huius animalis, ſcilicet hominis, eſt ſecundum illam prædicabilis de homine; & quatenus includit naturam particularem illius animalis, ſcilicet equi; eſt ſecundum illam prædicabilis de equo, & ſic de aliis, ac proinde natura illa communis vt concepta per conceptum vniuerſalem eſt de pluribus prædicabilis.

58 Sed inſtet: hæc prædicatio, homo eſt animal, non eſt prædicatio, aut propoſitio identica, ſed vniuerſalis, ſed ſi de homine prædicaretur non natura communis etiam aliis, ſed ſua tantum natura determinata, & particularis non eſſet prædicatio vniuerſalis, ſed identica: ergo in tali propoſitione prædicatur de homine, non quidem natura eius determinata, & particularis, ſed natura animalis omnibus animalibus communis, & vniuerſalis. Reſpondeo, ad prædicationem vniuerſalem nõ requiri quod de aliquo inferiori prædicetur aliqua natura communis ita, quod tota illa poſſet de aliis inferioribus prædicari, hoc enim omnino implicat, vt iam oſtendi, ſed ſufficere quod aliquis prædicet de inferiori v.g. de homine ſuam determinatam & particularem naturam modo prædicandi vniuerſali, nimirum quod ita prædicet de homine naturas determinatas animalis, vt eam ex modo prædicandi non diſtinguat à naturis aliorum animalium, vnde cum dicit (homo eſt animal) idem eſt ac ſi diceret, homo habet naturam aliquam animalis hanc, vel illam vel alteram in confuſo quod eſt prædicare naturam determinatam indeterminate, & naturam particularem modo vniuerſali, & hæc præciſe ad prædicationem vniuerſalem deſideratur, ſicut ad hoc vt actio ſit infinita non requiritur quod terminus ſit infinitus, cum per creationem, quæ actio infinita eſt, vel infinitam arguens virtutem terminus finitus producatur, ſed ſufficit quod modus agendi qui in ipſa relucet, ſcilicet quod ſit productio rei ex nihilo, ſit infinitus.

Vrgeat; ergo ad minus in hac ſententia non datur 59
prædicatio aliqua naturæ vniuerſalis, & ſuperioris de inferiori, quod eſt abſurdum, & contra vniuerſam ſcholam: reſpondeo vt aliqua particularis natura animalis v.g. de aliquo determinato animali confuſe prædicetur omnino requiri, quod omnes naturæ animalium confuſe & indiſtinctè apprehendantur, ſi enim illa ſolum natura particularis apprehendatur, illa ſolum non confusè, ſed determinatè de illo animali prædicabitur, in hac autem propoſitione (homo eſt animal) de hoc determinato animali, ſcilicet homine prædicatur, quædam particularis natura animalis confusè, & indiſtinctè, vt dictum eſt numero præcedenti, atque ita neceſſario, ille, qui ſic prædicat, apprehendit omnes naturas animalis indiſtincte, & confusè, vnde natura animalis, quæ ſic de homine prædicatur, licet in ipſa prædicatione ſit ex parte obiecti particularis, quia de homine non poteſt prædicari omnis natura animalis ſed talis particularis natura, quæ in ipſo eſt, tamen in apprehenſione, quæ per ſe, & neceſſario ad talem confuſam prædicationem ſupponitur; eſt ſuperior, & vniuerſalis, quia per iſtam apprehenſionem, hæc particularis natura animalis, quæ de homine prædicatur, cum aliis naturis reliquorum animalium confusè per modum vnius apprehenditur, atque ita fit ſuperior, & vniuerſalis. Ex quo fit hanc prædicationem (homo eſt animal), eſſe prædicationem naturæ vniuerſalis, ac ſuperioris de ſuo inferiori, quia ad hoc non requiritur quod natura in ipſa prædicatione actuali ſit vniuerſalis ita, vt tota natura communis de quolibet inferiori prædicetur, hoc enim implicat, vt probatum eſt, ſed ſufficit quod natura, quæ prædicatur in apprehenſione, quæ per ſe talem prædicationem præcedit, ſit vniuerſalis, & ſuperior, quod quidem in prædicta prædicatione animalis de homine reperitur, vt conſtat ex dictis.

Obiiciat ſecundò. Vt natura ſit vniuerſalis per ra- 60
tionem, requiritur quod per rationem fiat vna, ſed vt natura humana v. g. per rationem fiat vna non ſufficit, quod omnia ſingularia humana vnico conceptu apprehendantur, aliàs Deus, vel Angelus, qui vnico actu omnes homines apprehendit, efficeret naturam humanam verè, & proprie vniuerſalem, quod nullus admittit; ergo vt natura ſit vna, & vniuerſalis requiritur, quod per actum rationis obiectiuè à ſingularibus præſcindatur: Confirmatur, quia vniuoca ſunt, quorum ratio communis eſt omnino eadem; ſed ſi talis ratio communis non eſſet obiectiuè præciſa à differentiis, non eſſet omnino eadem, quia differentias includeret; ergo neceſſario requiritur quod talis ratio communis, & vniuoca ſit obiectiuè præciſa à differentiis; ergo natura fit communis, & vniuerſalis per præciſionem obiectiuam. Reſpondeo, vnitatem naturæ vniuerſalis, quæ ei aduenit per rationem, non conſiſtere ſolùm in eo, quod omnia ſingularia illius naturæ vnico conceptu apprehendantur, ſed inſuper etiam requiritur, quod omnia illa concipiantur confuſè & indiſtinctè, ac per modum vnius ita, vt licet intellectus per eum actum ex parte obiecti plures ſingulares naturas concipiat, ex parte vero concipiendi vnam ſolum naturam concipere videatur, Deus autem, vel Angelus non ita confuſè, & indiſtinctè, ſed clarè, & diſtinctè concipit ſingularia naturæ, & ideo licet

licet ea omnia vnico actu concipiat non constituit illam naturam vnam, nec vniuersalem. Ad confirmationem dico, naturam communem vniuocam, licet ex parte obiecti differentias inferiorum includat, ex parte verò actus, seu modi concipiendi ita confusè apprehendi vt sine differentiis videatur formaliter cognosci, quod sufficit, vt sit formaliter à differentiis præcisa, & omnino eadem, nec aliud ad perfectam vniuocationem requiritur.

61 Obiiciat tertiò. Intellectus per actum vniuersalem non concipit pluræ, vt plura; ergo concipit plura vt vnū; ergo obiectiuè præscindit naturam à pluralitate. Confirmatur, singulare opponitur vniuersali, sed natura concepta per actum vniuersalem est vniuersalis; ergo vt sic concepta non includit naturas singulares; ergo vt sic concepta, & vniuersalis, est obiectiuè præcisa ab omni singularitate. Respondeo intellectum per eum actum non concipere plura vt plura, hoc est vt dissimilia, sed plura vt vnum, hoc est vt similia: vt docet Diuus Thomas opusc. 56. cuius verba supra retuli n. 47. plura autem etiam formaliter vt similia pluralitatem includunt, res enim non est similis sibi ipsi; ac proinde intellectum per illum actum concipere non quidem naturam ab omni singularitate obiectiuè præcisam, sed plura singularia; Ad confirmationem dico vnicum singulare cum omnino, incommunicabile sit multis, opponi vniuersali, plura vero singularia apprehensa confusè per modum vnius, cum vt sic formaliter vnitatem, & communicabilitatem habeant, id est prædicabilitatem de pluribus, vt supra vidimus non opponi, sed potiùs constituere ipsum vniuersale.

62 Obiiciat quartò Diuum Anselmum de incarnatione verbi cap. 2. in fine, vbi hæreticos in dialectica vocat eos, qui naturam vnam communem præcisiuè non admittunt.

Respondeo Diuum Anselmum solùm inuehi in illos, qui videbantur asserere non dari substantiam, ac naturam aliquam vnam communem, & vniuersalem, sed omnem communitatem, & vniuersalitatem ad solas voces reuocabant ita, vt nulla esset natura, humana v.g. vna, & communis, sed plures homines in particulari; communitas verò, & vniuersalitas solum esset in voce *homo*; quæ vna cum sit, plures homines significat: hos ergo damnat Anselmus, dicens, *commonendi sunt nostri temporis dialectici, imò dialectici hæretici*, qui quidem non nisi flatum vocis putant esse vniuersales substantias; nos verò non ad solas voces, aut conceptus vniuersalitatem reducimus: sed asserimus substantias ipsas, ac naturas esse verè, & propriè vnas, ac præcisas per rationem, atque ita vniuersales, non quidem vnitate, & præcisione obiectiua, quæ implicatoria est; sed vnitate, & præcisione formali, quæ non manet solùm in ipsis conceptibus, sed etiam naturas ipsas vnas, atque præcisas formaliter, & vniuersales denominat, & ita Diuus Anselmus nostræ sententiæ non obstat.

63 Sed petis, quod fundamentum à parte rei requiratur, vt natura possit per rationem fieri modo dicto vniuersalis? Respondeo requiri quod à parte rei sint plura inferiora inter se similia, si enim similia non sint non poterunt vnico actu per modum vnius ab intellectu apprehendi, & consequenter nec fieri natura formaliter vna, per rationem, quod requiritur ad vniuersale, si vero non sint plura à parte rei, sed vnum tantùm singulare eius natura concepta, non erit in multis, hoc est apta de pluribus prædicari, quod etiam ad vniuersale desideratur, si autem sint à parte rei plura inferiora similia poterit intellectus illa omnia ita confusè, & indistinctè apprehendere, vt ex parte modi concipiendi vna tantum natura apparere formaliter videatur, per quem rationis actum manebit natura illa formaliter præcisa, & vna, & apta esse, ac prædicari de multis, quia hæc eadem natura communis modo confusè concepta postea potest per actus magis explicitos, ac distinctos saltem inadæquatè de singulis illis inferioribus prædicari, ac proinde supposito illo fundamento per actum rationis natura fit verè vniuersalis.

DISPVTATIO VII.

Quæ sit formalis ratio per quam natura formaliter fiat vniuersalis.

CONSTAT ex huc vsque dictis non dari à parte rei vniuersale formaliter ante operationem intellectus, sed formaliter fieri per præcisionem formalem & non obiectiuam, vt tota disputatione præcedenti ostendimus, cum autem intellectus noster habeat varias operationes videlicet intellectus agentis, & possibilis, in dubium vertitur, per quam operationem nostri intellectus, an scilicet per abstractionem præcisiuam, siue positiuam, vel negatiuam, an verò per cognitionem comparatiuam, simplicem, vel compositam vniuersale formaliter constituatur.

Quatuor capita continebit. In primo inquiro, an natura formaliter vniuersalis fiat per cognitionem directam abstractiuam, an per comparatiuam. In secundo, an etiam per actum iudicij natura vniuersalis formaliter fiat. In tertio, an per speciem impressam natura formaliter vniuersalis reddatur. In quarto, an ratio formalis, per quam natura fit vniuersalis sit etiam actus potentiæ non intellectiuæ.

CAPVT I.

An natura formaliter vniuersalis fiat per cognitionem abstractiuam, an per cognitionem comparatiuam.

DVplex est cognitio vniuersalis, & communis, alia est cognitio, qua cognoscitur natura in communi, secundum esse, quod ipsa realiter habet à parte rei, vt cum quis apprehendit hominem, quatenus est animal rationale, & hæc vocatur cognitio directa, & abstractiua, quia directè cadit suprà ipsam naturam vt illam abstrahit à differentiis formaliter, & conditionibus indiuiduantibus siue abstractio hæc appelletur negatiua, siue positiua. Alia est cognitio, qua concipitur natura etiam in communi secundùm se formaliter, quod habet per aliam primam cognitionem rationis, vt cum quis concipit naturam humanam, quatenus est præcisa à suis inferioribus & prædicabilis de illis, quod habet natura formaliter per aliam primam cognitionem, ac præcisionem rationis, & hæc dicitur cognitio reflexa, & comparatiua, quia reuoluitur, & reflectitur suprà aliā primam cognitionem, & comparat naturam ad sua inferiora, quærimus modo an natura fiat formaliter vniuersalis per cognitionem directam, & abstractiuam, an verò per cognitionem comparatiuam, & reflexam.

Tres

2 Tres inuenio ſententias. Prima aſſerit vniuerſale ſimpliciter fieri per operationẽ intellectus agentis, vt antecedit cognitionẽ producendo ſpeciem intelligibilem, de quo c. 3. ſeu vt alij loquuntur, per abſtractionem negatiuam denudantem naturam à conditionibus indiuiduantibus. Plures pro hac ſententia adducunt Suar. diſp. 6. met. ſect. 6. n. 5. Complut. diſp. 3. vniuerſalium q. 6. eam tenere videtur Zumel 1. p. q. 13. art. 7. Sotus q. 3. Vniuerſalium, & ex parte videtur eam defendere Fonſeca 5. met. c. 28. q. 6. ſect. 1. Maſius, & tribuitur D. Thom. opuſc. 55.

Secunda ſententia aſſerit vniuerſale formaliter fieri per cognitionem intellectus poſſibilis, per quam præcisè conſiderat, & cognoſcit naturam ſine conditionibus indiuiduantibus. Eoſdem citat Suarez ſupra à n. 8. pro hac ſententia Complut. ſupra n. 53. eam tenet Durandus in 1. diſt. 3. p. 2. ad 2. Toletus q. 2. vniuerſ. Conimbr. q. 4. Hurtado, Maſius diſp. 5. met. ſect. 7. Vallius adducit & plures q. 6. vniuerſ. Arriaga diſp. 6. Logicæ ſect. 4. Franciſcus Alphonſus diſp. 5. vniuerſ. ſect. 3. & etiam tribuitur D. Th. locis infra citandis.

Tertia ſententia eſt quaſi media, quæ in concordiam videtur trahere ſecundam & tertiam & primam intellectam pro cognitione abſtrahente, diſtinguit enim inter vniuerſale abſolutum, quod communiter dicitur metaphyſicum, & vniuerſale relatiuum, quod appellatur vniuerſale logicum, & aſſerit vniuerſale abſolutum, ſeu metaphyſicum fieri formaliter ſolùm per notitiam & cognitionem abſtractiuam denudantem naturam à conditionibus indiuiduantibus, vt ait ſecunda ſententia & prima in ſecunda parte. Vniuerſale verò relatiuum ſeu logicum fieri per notitiam ſeu cognitionem comparatiuam, & ita Suarez videtur concordare auctores 1. & 2. ſententiæ cum hac 3. ſupra ſect. 6. à n. 8. eam tenet Vaſquez 1. p. diſp. 115. c. 2. n. 5. Scotus multis in locis, quẽ ſequitur Merinero diſp. 2. vniuerſ. q. 3. Rubio q. 5. vniuerſ. Complut. ſupra, Ioan. à S. Thom. q. 4. vniuerſ. art. 2. Lerma q. 8. Vallius ſupra cap. 7. Carleton diſp. 31. logicæ ſect. 2. Hurtado diſp. 5. met. ſect. 8. an vero vniuerſale Logicum formaliter fiat per comparationem ſimplicium vel compoſitam, in ſecunda concluſione dicam.

3 Assertio I. vniuerſale metaphyſicum, & abſolutum, fit formaliter per abſtractionem, tam abſolutam & poſitiuam, quam per negatiuam abſtrahentem naturam à conditionibus indiuiduantibus. Ita auctores primæ & ſecundæ ſententiæ. Probatur, per abſtractionem intellectus agentis natura fit vna, & communis ad plura ſaltem negatiuè, ſed vniuerſale metaphyſicum conſtituitur præcisè per abſtractionem tam poſitiuam, quam negatiuam à ſingularibus: ergo vniuerſale metaphyſicum formaliter fit per abſtractionem tàm poſitiuam, quam negatiuam intellectus agentis, ſeu poſſibilis, maior eſt certa, quia munus intellectus agentis eſt abſtrahere naturam à conditionibus indiuiduantibus. Minor probata eſt ſupra diſp. præcedenti cap. 7. num. 38. in hoc enim diſtinguitur vniuerſale metaphyſicum à logico. Secundo probatur, ille dicitur actus poſitiuus, & abſolutus, qui attingit obiectum ſine ordine, & reſpectu ad inferiora tanquam ad terminum *ad quem*. Sed per abſtractionem intellectus agentis, ſolum reſpicit naturam factam vnam & ſeparatam à ſuis conditionibus indiuiduantibus: ergo per talem abſtractionem non cognoſcit naturam vt ordinatam ad inferiora tanquam ad terminum *ad quem*. ſed tanquam terminum derelictum, quod proprium eſt vniuerſalis metaphyſici, qui directè reſpicit naturam non vero inferiora: ergo vniuerſale metaphyſicum formaliter conſtituitur per abſtractionem & ſeparationem rationis naturæ à ſuis inferioribus & conditionibus indiuiduantibus.

Idem ſimiliter oſtenditur de abſtractione poſi- 4
tiua, ſiue ſit intellectus agentis ſeu poſſibilis: nam talis cognitio præciſiua, ſeu abſtractiua, ſeparat naturam ab inferioribus, & conſtituit vnam ſaltem negatiuè, non attingendo illa, à quibus fuit abſtracta, ſed talis cognitio abſtrahens eſt poſitiua, & abſoluta, eo quod relinquat inferiora ſine ordine, & reſpectu: ergo vniuerſale metaphyſicum abſolutè conſtituitur per vtramque abſtractionem naturæ à ſuis inferioribus, ſiue illam ſeparando, vel non attingendo, vel omittendo, & ſolum cognoſcendo terminum *à quo* derelictum, non vero terminum *ad quem* debet ordinari natura illa ab inferioribus ſeparata: ergo vniuerſale metaphyſicum conſtituitur per vtramque abſtractionem tam abſolutam, quam negatiuam, quidquid dicant Martinius, & alij Complutenſes.

Sed obiiciat quis primò, contra noſtram concluſionem D. Thom. 1. p. q. 85. art. 1. ad primum & præcipuè opuſc. 55. vbi ſic ait, eadem natura quæ ſingularis eſt, efficitur poſtea vniuerſalis per actum intellectus depurantis naturam à conditionibus quæ ſunt hic, & nunc. Deinde ratione primò; natura humana vt præciſa per abſtractionem ab omni multiplicitate, & ſingularitate inferiorum, habet formaliter vnitatem communem, & vniuerſalem, ſed natura humana per præciſionem, & abſtractionem intellectus agentis eſt formaliter præciſa ab omni multiplicitate & ſingularitate inferiorum: ergo natura humana per præciſionem rationis habet formaliter vnitatem communem & vniuerſalem: maior probatur, quia natura humana ab omni multiplicitate, & ſingularitate præciſa non habet formaliter vnitatem ſingularem, cum per abſtractionem ſupponamus præſcindere ab omni ſingularitate; ergo natura humana vt formaliter abſtracta habet formaliter vnitatem communem, & vniuerſalem. Secundò eſſe vniuerſale in actu eſt eſſe intelligibile in actu, at res fit intelligibilis in actu per abſtractionem intellectus agentis, vt docet Ariſtoteles 3. de anima text. 8. ergo per illam fit actu, & formaliter vniuerſalis. Tertiò, natura humana per contractionem ad indiuidua fit formaliter ſingularis; ergo per abſtractionem ab illis fit formaliter vniuerſalis, quia non eſt dare medium inter ſingulare, & vniuerſale. Quartò, quia vniuerſale eſt obiectum intellectus agentis, & poſſibilis, illius vt potentiæ actiuæ, iſtius vt potentiæ paſſiuæ, ſed de ratione potentiæ paſſiuæ eſt illud præſupponere, & potentiæ actiuæ, illud efficere; ergo vniuerſale vt de ſeipſo hæc omnia poſſint verificari debet fieri per abſtractionem intellectus agentis antecedentis operationem intellectus poſſibilis. 5

Obiecta ſic diluo, & primo ad D. Thomam, Reſ- 6
pondeo loqui de vniuerſali metaphyſico non ſolum in iis, ſed etiam in aliis teſtimoniis, non vero de logico, cum hoc eſſentialiter fiat per comparationem comparantis naturam ad ſua inferiora, metaphyſicum vero ſolum dicit naturam denudatam à ſuis conditionibus indiuiduantibus per abſtractionem tam poſitiuam, quam negatiuam, & ita ſolum dici poterit natura ſic abſtracta vniuerſalis metaphyſicè, & ſecundum quid non vero formaliter, & perfectè. Ad primam confirmationem dico naturam humanam præcisè per abſtractionem non habere vnitatem communem, & vniuerſalem, niſi tantùm negatiuè quatenus non habet vnitatem ſingularem

gularem, per illam verò abstractionem non habet vnitatem formalem, & communem ad inferiora, sed solùm habet esse proximum fundamentum illius: ad secundum dico obiectum intellectus solum esse fundamentaliter vniuersale, & inpotentia proxima, nam esse obiectum intellectus habet natura à sua intrinseca entitate, esse verò formaliter vniuersalem à relatione, & respectu rationis, quem fundat supra entitatem illam actu intelligibilem. Ad tertium enim Respondeo vniuersale formaliter sumptum non esse obiectum intellectus agentis, aut possibilis, sed hanc denominationem sumere seu recipere à prædicta relatione rationis referentis naturam ad sua inferiora de quibus est prædicabilis, & à quibus fuit præcisa & denudata, iis similiter fit satis argumentis secundæ sententiæ, cum vtraque tantum constituat vniuersale metaphysicum, & absolutum.

7 ASSERTIO II. Vniuersale Logicum, seu relatiuum fit per actum comparatiuum, non per modum compositionis, sed per modum simplicis apprehensionis, per quam natura cognoscatur cum ordine, & respectu ad inferiora. Hæc conclusio est communis in Schola D. Thomæ, eam tenent auctores tertiæ sententiæ, quos retulimus numero 2. adde illis Araujo 3. met. quæst. 3. art. 5. Rubio in præsenti quæst. 5. Hurtado supra sect. 8. Complutenses supra num. 54. Merino cum Scoto supra, Vallio, Lerma, & plures recentiores in manuscriptis quibus, & ego subscribo.

8 Præmitto tamen pro meliori intelligentia conclusionis, comparationem dupliciter sumi posse, primo modo vt pertinentem ad secundam & tertiam operationem intellectus, qua vnum alteri comparatur componendo, diuidendo, vel vnum ex alio colligendo, secundo modo, vt pertinentem ad primam operationem intellectus, per quam vnum non tribuitur alteri, vel deducitur ex altero, sed tamen cognoscitur vnum & ordinatum ad aliud, itaque per cognitionem secundæ operationis attribuitur aliquid subiecto, tamquam prædicatum, & per illum actum natura potest prædicari de suis inferioribus, at verò per comparationem primæ operationis non attenditur attributio prædicati ad subiectum, sed cognoscitur natura, vt respiciens terminum, ad quem ordinatur, & est terminus relationis rationis, & vniuersalis, ad terminum autem à quo non datur comparatio, sed separatio, ex hoc explicatur actus absolutus, qui dicitur per oppositum ad actum comparatiuum, quia nec comparat, nec ordinat vnum ad aliud, sed actus absolutus rem ipsam cognoscit secundum se. Potest tamen aliquis actus absolui ab ordine dupliciter, primo modo purè negatiuè accipiendo vnum omni alio separato, vel omisso, ad quod poterat ordinari, secundo modo priuatiuè, seu positiuè, quia accipit vnum separatum ab alio cum cognitione vtriusque termini, vt cum intellectus per abstractionem negatiuam concipit naturam, omissis conditionibus indiuiduantibus habendo se circa illa negatiuè, & per abstractionem positiuam separando naturam à conditionibus indiuiduantibus, non purè omittendo sed cognoscendo distinctionem inter vnum, & aliud. His positis.

9 Probatur primò conclusio auctoritate D. Thomæ 1. part. quæst. 28. art. 1. vbi sic ait, *aliquando respectus, significatus per ea, quæ dicuntur ad aliquid, est tantum in ipsa apprehensione rationis conferentis vnum alteri, & tunc est relatio rationis tantum.* Eadem fere verba habet opusc. 48. cap. 1. quia intellectus reflectitur supra seipsum, & supra ea, quæ in eo sunt, siue subiectiuè, siue obiectiuè considerat iterum hominem sic à se intellectum sine conditionibus materiæ, clarius opusc. 55. post initium ibi: eius autem vniuersalitas non est ex eo, quod est ex anima, sed ex eo quod comparatur ad multa singularia. Idem probat 7. de potentia art. 11. huiusmodi sunt relationes rationis, quæ attribuuntur ab intellectu rebus intellectis, prout sunt intellectæ, sicut relatio generis, & speciei. Et alia habent Complutenses, Lerma, Ioannes à Sancto Thoma, quibus testimoniis manifestè probatur in vniuersali logico, quod est relatio rationis, interuenire actionem seu cognitionem reflexam, & comparatiuam, non qua aliquid attribuitur alteri, vt subiecto, sed quo ordinatur ad aliquid tamquam ad terminum, quod manifestè declarauit in solutione ad primum dicens, quod propria ratio eius, quod ad aliquid dicitur, non accipitur per comparationem ad aliud, cui inest relatio, sed *per respectum ad terminum*, ergo vniuersale Logicum in hoc respectu ad inferiora consistit.

Probatur ratione: vniuersale Logicum, vt sæpius 10
dictum est dicit relationem, & concipitur per modum relationis, sed hæc relatio non est realis, quia non conuenit naturæ à parte rei, nec intercedit inter extrema realiter inter se distincta, quia natura præcisa sola ratione à singularibus distinguitur, & consequenter talis respectus, & relatio est rationis, & solùm conueniens naturæ vt habet esse in intellectu nec vt abstractæ per illum, quia ex vi abstractionis natura non refertur ad inferiora, nec vt vniuersalis Logicæ concipitur, ergo ad illud formaliter constituendum debet interuenire aliqua relatio rationis, per quam natura comparatur ad inferiora, & consequenter vniuersale Logicum essentialiter est respectiuum, & relatiuum in omnium sententia, in quo à metaphysico distinguitur, quod nullum respectum & ordinem dicit ad inferiora, vt ad terminum ad quem, sed solùm vt ad terminum à quo separatum, in quo non interuenit ordo, aut respectus sed sola natura à suis singularibus præcisa. Ttunc sic, ad inueniendum relatiuum, seu relationem, à fortiori necessaria est comparatio non composita, & attribuens prædicatum subiecto, ergo comparatio simplex ordinatiua ad terminum, ergo id, quòd constituit vniuersale Logicum formaliter erit relatio ordinatiua ad terminum. Maior est certa apud omnes, minor est definitio relationis, quia vt relatio inueniatur per intellectum necessario debet apprehendi cum comparatione ad aliud, in quo differt ab absoluto, quod abstrahit ab ordine, & respectu, ergo vniuersale Logicum necessariò requirit comparationem & ordinem facientem in natura cognita ad terminum, sed non est necessaria comparatio composita attribuens naturam cognitam in inferioribus, vel relationem ipsi naturæ cognitæ tamquam denominatæ per ipsam relationem, qui actus solùm potest facere relationem prædicati ad subiectum, quæ diuersa est à relatione vniuersalis ad inferiora, vel potest etiam facere actu prædicatum, quod essentialiter supponit prædicabile, nam priùs dicitur aliquid prædicabile, quam prædicatum, ergo illius relatio etiam antecedit comparationem compositam, & formantem compositionem, sicuti relatio prædicabilis antecedit relationem prædicati vt potentia ad actum, ergo cum vniuersale Logicum sit comparatiuum, & comparatio sit non composita, quia hæc potiùs facit prædicatum, quam prædicabile, infertur illud fieri per simplicem comparationē comparantem naturam ad sua inferiora sine illorū inclusione, sed vt in confuso cognita in illa similitudine, & conuenientia conformitatis à nobis latè explicata disp. præcedenti 6. c. 4. assertione 3. ergo vniuersale Logicum simpliciter fit per simplicem comparationem intellectus possibilis.

Sed

11 Sed obiiciat quis, actus comparatiuus non eſt neceſſarius ad vniuerſale Logicum, ergo. Antecedens probatur, poſito fundamento proximo, ſtatim reſultat relatio, ergo non indiget alio actu, ſeu relatione præter illum, quo ponitur fundamentum proximum, ſed hoc ponitur ex vi abſtractionis, per quam natura eſt vna, & apta ad eſſendum in multis, & conſequenter ad prædicandum de illis, ergo cum poſito fundamento proxima reſultet relatio vniuerſalitatis non erit neceſſarius alius actus comparatiuus. Confirmatur, ante actum comparatiuum natura abſtracta denominatur actu vniuerſalis, ergo actu habet formam vniuerſalitatis, quæ eſt relatio. Conſequentia patet, quia denominatio formæ non eſt niſi ab ipſa forma: antecedens probatur, quia ex vi abſtractionis ante actum comparatiuum natura non denominatur ſingularis, quia eſt denudata à conditionibus indiuiduantibus, ergo eſt formaliter vniuerſalis. Reſpondeo id verum eſſe in relationibus prædicamentalibus, non verò in relationibus rationis, quæ non habent eſſe per reſultantiam ſed per cognitionem, non autem cognoſcitur niſi in ordine ad ſuum terminum, quod propriè dicitur comparari, abſtractio autem numquam habet rationem comparationis.

Ad confirmationem dico, ante actum comparatiuum naturam denominari vniuerſalem fundamentaliter & metaphyſicè, quia natura ſub ſtatu præciſionis eſt fundamentum proximum vniuerſalis Logici, non verò formaliter vniuerſale Logicum, quia nondum dicit ordinem, & reſpectum ad inferiora tamquam ad terminum ad quem, neque
12 eſt ſingularis, cum à ſingularitatibus ſit præciſa.

Dices, natura humana per contractione in ad ſingularia fit formaliter ſingularis, ergo per abſtractionem ab illis fit formaliter vniuerſalis. Patet conſequentia à paritate rationis, quia non minus efficax videtur abſtractio à ſingularibus ad efficiendum vniuerſale, quam contractio ad ſingularia ad conſtituendum ſingulare, ſed contractio formaliter conſtituit ſingulare, ergo & abſtractio formaliter conſtituit vniuerſale. Reſpondeo, eodem modo per abſtractionem fieri vniuerſale ſicut per contractionem fit ſingulare: at per contractionem ſolum fit ſingulare metaphyſicum, non verò ſingulare logicum, quia ad hoc neceſſaria eſt comparatio intellectus, illud comparantis, vt inferius ad ſuperius, ſicut vniuerſale logicum comparatur vt ſuperius ad inferiora, per abſtractionem autem intellectus, licèt natura habeat vnitatem, non tamen indifferentiam, & communicabilitatem poſitiuam ad inferiora, ſed ſolùm aliquam indifferentiam negatiuam, quæ non ſufficit ad vniuerſale logicum conſtituendum.

CAPVT II.

An etiam per actum iudicij natura formaliter fiat vniuerſalis.

ACtus intellectus alius eſt ſimplex apprehenſio, qua aliquid ſimpliciter apprehenditur, non affirmando, aut negando, alius eſt iudicium, quo aliquid affirmatur, aut negatur. (omitto diſcurſum, qui quoad præſens attinet inſtitutum poteſt ad iudicium reduci) quærimus ergo nunc an non ſolùm per ſimplicem apprehenſionem, ſed etiam per iudicium natura formaliter vniuerſalis fiat.

13 Præmitto duplex eſſe poſſe iudicium, vniuerſale aliud, quo prædicetur natura communis de ſubiecto communi, vt cum dicimus, homo eſt animal rationale, aliud quo prædicetur natura communis de ſubiecto particulari, & determinato, vt cum dicimus, Petrus eſt homo, mihi quidem iuxta principia tradita euidens eſt per iudicium vniuerſale, quo natura communis de ſubiecto etiam communi enuntiatur, naturam illam formaliter fieri vniuerſalem, cum enim iudico hominem eſſe animal rationale, per tale iudicium concipio omnes naturas rationales confusè per modum vnius, ita vt ex modo concipiendi vnam tantùm rationalem naturam videar iudicatiuè concipere, ergo per hoc iudicium præſcindo formaliter ex parte modi concipiendi naturam illam humanam à ſingularibus, ergo ex vi talis iudicij manet natura formaliter præciſa, & vna, ſed manet etiam ex vi eiuſdem iudicij prædicabilis de multis, ergo manet ex vi talis iudicij perfectè ſaltem accidentaliter vniuerſalis. Dubium verò eſt, an per aliud iudicium, quo prædico naturam communem de aliquo indiuiduo particulari, natura illa formaliter præciſa ac vniuerſalis fiat.

Sit concluſio, per iudicium, quo natura communis prædicatur de aliquo indiuiduo particulari, non fit natura ipſa formaliter vniuerſalis. Probatur, per actum, qui ſolùm attingit naturam aliquam determinatam & particularem, non poteſt talis natura fieri formaliter vniuerſalis, quia natura ſolùm particularis non eſt aptum ſuſceptiuum vniuerſalitatis, ſed actus iudicij, quo (verbi gratia) prædico Petrum eſſe hominem, ſolùm prædicat, & attingit iudicatiuè naturam humanam determinatam, & particularem Petri, ergo non poteſt per tale iudicium natura illa humana fieri formaliter vniuerſalis. Probo minorem, tunc per illud iudicium prædico de Petro aliquam naturam humanam, ſed non prædico de illo naturam humanam, quæ eſt in Paulo, nec naturam humanam, quæ eſt in Ioanne aut in alio indiuiduo propter ipſum Petrum, ergo ſolùm de Petro per illud iudicium prædicatur, & iudicatiuè attingitur natura humana determinata, & particularis, quæ eſt tantum in ipſo Petro. 14

Reſpondeat quiſpiam, etiam prædicari per illud iudicium de Petro per rationem humanitas Pauli, quia prædicatur de Petro natura ipſius Petri, hæc autem natura eſt per rationem vna, & eadem met natura cum natura humana Pauli, atque ita per rationem etiam prædicatur per illud iudicium de Petro natura humana Pauli, ac proinde non attingi, aut prædicari naturam determinatam ſed communem. Sed impugnatur apertè, quando per vnum iudicium prædico Petrum eſſe hominem, & per aliud etiam iudicium prædico Paulum eſſe hominem, non prædicatur realiter, & adæquatè tota natura humana communis ſecundum quod includit de Petro, & tota etiam natura humana ſecundum totum, quod includit de Paulo, alioquin tota natura humana eſſet reipſa identificata cum Petro, & eadem tota natura humana eſſet identificata cum Paulo, quod clarè implicat, ergo ſolum per illud iudicium prædicatur de Petro natura humana vt includit præcisè naturam determinatam, & particularem Petri, & per aliud iudicium ſolùm prædicabitur de Paulo natura humana, vt includit præcisè naturam particularem Pauli, ergo per tale iudicium vt prædicatiuum formaliter ſolùm ex parte obiecti attingitur natura aliqua particularis, & determinata licèt ex parte modi concipiendi confusè, & indeterminatè prædicetur, & apprehendatur, vnde cum natura aliqua particularis non ſit apta ad recipiendum, etiam per rationem, aliquam vniuerſalitatem per illud iudicium non poterit fieri natura humana, quæ prædicatur vniuerſalis formaliter. 15

Confirma,

Confirmatur principaliter conclusio, actus cognitionis, quo natura humana v.g. redditur formaliter vniuersalis necessario illâ prę|scindit ab omni singulari, vt apud omnes constat, atqui iudicium, quo natura humana prædicatur de Petro, non præscindit ipsam naturam ab omni singulari, non enim præscindit illam ab hoc indiuiduo singulari scilicet Petro, de quo prædicatur, ergo per illud iudicium non redditur natura humana formaliter vniuersalis. Probo minorem, quidquid concipitur per iudicium concipitur iudicatiue, sicut quidquid concipitur per simplicem apprehensionem, concipitur simpliciter ac apprehensiue, ergo cum per illud iudicium, quo natura humana prædicatur de Petro, concipitur ipse Petrus, concipitur necessario iudicatiue, hoc est, iudicando Petrum esse hominem, & cum concipitur per illud iudicium natura humana concipitur etiam necessario iudicatiue, ideſt, iudicando naturam illam humanam esse in ipso Petro, ergo nunquam per illud iudicium concipitur natura humana, vt existens in hoc indiuiduo singulari scilicet, Petro, ergo per hoc iudicium numquam natura humana præscinditur ab hoc singulari Petro, ac per consequens per illud iudicium non fit formaliter vniuersalis.

17 Obiiciat aliquis primo: actus, qui præscindit naturam humanam v.g. ab omni singulari reddit illam formaliter vniuersalem, sed iudicium quo natura Petri prædicatur, præscindit naturam illam humanam ab homni singulari etiam ab ipso Petro, ergo tale iudicium reddit naturam humanam formaliter vniuersalem. Probatur minor, compositio dicit extrema, quæ componuntur, inter se distincta, res enim vna, & simplex non potest compositionem efficere, atque ita si compositio sit realis dicit necessariò inter se extrema realiter distincta, si autem compositio sit solum per rationem dicit necessario extrema solum per rationem inter se distincta, hoc est, vnum præcisum ab alio, atqui iudicium, quo prædico naturam humanam de Petro, est vera compositio per rationem naturæ humanæ cum Petro, ergo includit necessario extrema inter se distincta per rationem, hoc est vnum extremum scilicet naturam humanam præscisam per rationem ab alio, scilicet à Petro, ergo per illud iudicium natura humana præscinditur ab omni singulari, etiam ab ipso Petro. Respondeo compositionem non distinguere per se ipsam formaliter extrema composita, vel componentia, sed supponere illa inter se distincta, vnio enim realis inter materiam & formam, quæ est realis earum compositio, non distinguit perseipsam formaliter formam à materia, sed supponit illas inter se realiter distinctas. Sic ergo similiter, iudicium, quo prædico naturam humanam de Petro, quæ est compositio per rationem naturæ humanæ cum ipso Petro, non præscindit per seipsam formaliter aut distinguit per rationem naturam illam humanam à Petro, sed supponit hæc extrema in aliquo priori per rationem inter se distincta, hoc est, supponit naturam humanam esse per simplicem apprehensionem præcisam ab omni singulari, ac etiam ab ipso Petro, ac proinde non per illud indicium, sed per apprehensionem antecedentem natura humana constituitur formaliter vniuersalis.

18 Obiiciat secundò. Actus quo natura humana ita confuse concipitur, vt ex vi illius non distinguatur natura Petri à natura Pauli facit naturam humanam formaliter vniuersalem vt diximus suprà, sed prædictum iudicium, quo prædicatur natura humana de Petro, ita confuse concipit naturam humanam, vt ex vi illius non distinguatur natura Petri à natura Pauli, ergo tale iudicium constituit naturam humanam vniuersalem formaliter. Respondeo actum, qui prædicto modo confuse, & indistincte concipit naturam humanam, hoc est, omnes singulares naturas humanas, facere naturam humanam per rationem vniuersalem, quia plures naturæ singulares sunt aptæ ad concipiendum per rationem vniuersalitatem, vt supra probatum est, at verò actum, qui prædicto modo confusè, & indistinctè concipit naturam humanam, id est, naturam aliquam humanam determinatam, & particularem præcisè non facere illam per rationem vniuersalem, quia vnica particularis natura non est apta ad concipiendum in se etiam per rationem vniuersalitatem, cum omnino particularis, & incommunicabilis sit, cum ergo iudicium illud solùm concipiat, & prædicet ex parte obiecti naturam particularem, & determinatam Petri, licet illam confuse, & indistincte concipiat, non potest illam formaliter reddere vniuersalem.

Sed vrgeat: ergo nulla datur prædicatio naturæ communis, ac superioris de inferiori, cum semper natura particularis, & determinata ex parte obiecti de indiuiduo particulari prædicatur; negatur sequela, vera enim datur prædicatio naturæ superioris de inferiori vt explicatum est supra disp. 7. c. 7. n. 52. 18

CAPVT III.

An per speciem impressam natura formaliter vniuersalis reddatur.

PRæmitto primò pro maiori intelligentia, intellectum semper à sensibus exordiri suas cognitionis, cùm ex Arist. nihil sit in intellectu, quod priùs non fuerit in sensu aliquo, visu, auditu, vel alio ex quo media similitudine, quæ species impressa appellatur, & per quam potentiæ coniungitur obiectum sensibile & materiale, oritur notitia, quæ species expressa dicitur, vt statim explico, etsi intellectus vnica & simplex potentia sit, duo tamen exercet munera, & in agentem, & possibilem, seu passibilem, ex Arist. 3. de anima cap. 3. diuiditur; dicitur enim intellectus agens, non ab agendo, seu producendo cognitionem, sed ab agendo species, quæ producũtur ab intellectu agente, & recipiuntur in intellectu passibili, qui ideo dicitur passibilis, quia patitur receptionem specierum, quibus receptis operatur cognitionem, quæ semper procedit ab obiecto, & potentia, quod cum non possit secundùm suam entitatem materialem esse in potentia, est per speciem intentionalem illud repræsentantem. 19

Præmitto secundò: hanc speciem intentionalem respectu sui obiecti duplicem esse, alia est qualitas intentionalis, quæ est repræsentatio solùm virtualis obiecti, quia est veluti semen illius, qua fœcundata potentia intellectiua parit obiecti cognitionem, quę est formalis repræsentatio illius, & talis qualitas, & repræsentatio obiecti virtualis dicitur species intelligibilis, seu species impressa; & intellectus, quatenus illam agit, dicitur intellectus agens, alia est qualitas intellectualis, quæ est formalis, & expressa repræsentatio obiecti, quia est ratio formalis, per quam intellectus cognoscit formaliter suum obiectum, & hæc qualitas, ac repræsentatio formalis vocatur cognitio, seu species expressa & intellectus, quatenus recipit, & patitur illam in se, intellectus passibilis, seu possibilis appellatur, quærimus ergo nunc, an natura fiat etiam formaliter vniuersalis per speciem impressam communem, ac per intellectum agentem, an verò solùm vniuersalis fiat per cognitionem, & intellectum possibilem. 20

Plerique

Plerique opinantur naturam fieri vniuerſalem per ſpeciem impreſſam communem talis naturæ, & conſequenter per intellectum agentem, putant enim ſpeciem impreſſam communem repræſentare, aut reſpicere naturam ſecundum ſe relictis ſuis ſingularitatibus atque ideò illam conſtituere formaliter à differentiis præciſam vnam, ac vniuerſalem. Ita videtur ſentire Magiſter Soto quæſt. 3 vniuerſalium, Zumel 1. part. quæſt. 13. art. 7. concluſ. 3. Toletus quæſt. 2. vniuerſ. concluſ. vltima. Fonſeca 5. metaph. cap. 28. quæſt 6. ſect. 1. ad finem. Conimbricenſes in præſenti q. 5. art. 3. concl. 1. & alij vt Suar. diſp. 6. met. ſect. 6. num. 6. ex quadam ſuppoſitione probabilem eſſe dicit.

22 Ratio huius ſententiæ eſt, quia per id natura humana v. g. fit formaliter vniuerſalis, per quod à ſuis ſingularibus formaliter, vel obiectiue præſcinditur, vt conſtat diſp. præcedenti cap. 2. ſed per ſpeciem communem naturæ humanæ ſecundùm ſe formaliter, vel obiectiuè præſcinditur ipſa natura humana à ſingularibus, ergo per talem ſpeciem impreſſam natura humana fit formaliter vniuerſalis. Minor probatur, præſcindere naturam à ſingularibus eſt attingere, ſeu recipere naturam, relictis eius ſingularitatibus; ſed ſpecies impreſſa communis naturæ humanæ ſecundum ſe attingit, ac reſpicit naturam humanam relictis eius ſingularibus, ergo per talem ſpeciem impreſſam præſcinditur natura humana à ſuis ſingularitatibus.

Dicat aliquis, per ſpeciem illam impreſſam non repræſentari formaliter naturam ſine ſingularibus, ſed ſolùm virtualiter, atque ideò non præſcindi ab illis, nec reddi vniuerſalem naturam per ſpeciem impreſſam formaliter, ſed ſolùm virtualiter.

Sed contra, talis ſpecies impreſſa naturæ ſecundum ſe, licèt ſit ſolùm repræſentatio virtualis naturæ, tamen eſt ordo, & reſpectus formalis ad ipſam naturam, nequit enim ipſa ſpecies formaliter videri, ſeu comprehendi, quin etiam videatur talis natura, ergo illa ſpecies impreſſa, licèt virtualiter ſolum repræſentet naturam, tamen formaliter reſpicit & attingit ſuo reſpectu ipſam naturam, ſed non reſpicit formaliter, nec attingit eius ſingularia, ergo illa ſpecies formaliter attingit, ac reſpicit naturam relictis ſingularibus ergo formaliter præſcindit à ſingularibus, ergo facit illam formaliter vnam, & vniuerſalem.

23 Sit noſtra concluſio, quæ eſt communis: natura conſtitui non poteſt formaliter vniuerſalis perfectè per ſolam ſpeciem impreſſam, ac proinde nec per intellectum agentem, quatenus illam agit, ſeu producit, ſed ſolùm fundamentaliter, & metaphyſicè vt ſuprà cap. 2. concluſione prima diximus de vniuerſali metaphyſico, & vt repræſentat naturam ſine ſingularibus, ſed formaliter conſtitui per cognitionem & intellectum paſſibilem. Eſt D. Thomæ variis in locis 1. part. qu. 14. art. 11. ad 1. q. 79. art. 3. ſecundo contra gentes cap. 77. opuſc. 48. & 55. Caiet. ibidem, & omnium Thomiſtarum, & eorum, qui ſuprà cap. 1. concluſ. 1. negant vniuerſale formaliter fieri per operationem intellectus agentis denudantis naturam à ſuis conditionibus indiuiduantibus, & ex opuſc. 48. cap. 1. D. Thomæ probatur vbi ait: *quod in noſtra phantaſia forma repræſentans tunc hominem, agit tunc virtute intellectus agentis in intellectum paſſibilem, & cauſatur tunc in intellectu paſſibili quædam forma, quæ dicitur ſpecies intelligibilis, vel ſecundùm alios, actus intelligendi, vel verbum, quæ forma repræſentat hominem vt abſtractum à conditionibus materialibus & hoc dicitur vniuerſale,* ſed non Logicum, ergo fundamentale, & metaphyſicum, ergo in ſpecie impreſſa repræſentatur natura vniuerſalis initiatiuè, ſeu materialiter, & imperfectè.

Probatur ratione concluſio, natura vt vniuerſalis formaliter eſt vna formaliter prædicabilis de multis, vt ſuprà cap. 1. monſtraui, ſed natura per ſpeciem impreſſam, licèt ſit præciſa, & vna, non tamen fit formaliter prædicabilis de multis, ergo per ſpeciem impreſſam, natura non fit formaliter, & perfectè vniuerſalis; Probatur minor, natura non eſt formaliter de multis prædicabilis, niſi formaliter in communi cognoſcatur, non enim poteſt prædicari de multis natura incognita, atqui per illam ſpeciem impreſſam natura in communi formaliter non cognoſcitur, ſed tantùm virtualiter, nam in illa ſolùm velut in virtute & ſemine formalis cognitio naturæ continetur, ergo per ſpeciem impreſſam natura non fit formaliter prædicabilis, ſed tantum virtualiter, cùm ſolùm cognoſcat naturam vt præciſam & nudatam à ſingularibus tamquam à termino à quo, ergo ſolùm initiatiuè conſtituet vniuerſale, non verò formaliter. 24

Obiiciat aliquis; Natura vniuerſalis formaliter eſt natura vna in multis, vel communicabilis multis vt ſæpè dictum eſt; ſed natura vt formaliter obiicitur ſpeciei impreſſæ communi, & vniuerſali, eſt præciſa, & vna, vt conceſſum eſt, & etiam reipſa eſt in multis, ac communicabilis multis, vt per ſe conſtat, ergo natura vt formaliter obiicitur ſpeciei impreſſæ communi, & vniuerſali eſt formaliter vniuerſalis. Reſpondeo naturam vt obiicitur prædictæ ſpeciei impreſſæ eſſe quoddam vniuerſale materiale imperfectum & ſecundum quid, quia habet vnitatem communem materialiter, hoc eſt, ratione materiæ adiunctæ, quæ reipſa communis multis, & communicabilis eſt, non verò eſſe vniuerſale aliquod formale perfectum, & ſimpliciter, quia non habet vnitatem communem formaliter, hoc eſt, vnitatem, quæ in ſe formaliter communicationem, & communicabilitatem includat, quia illa vnitas præciſionis, quæ ſolùm conſiſtit formaliter in ſpecie impreſſa, non conſtituit naturam formaliter communicabilem pluribus nec prædicabilem, vt oſtenſum eſt, vniuerſale autem materiale, & ſecundum quid concedimus fieri poſſe per illam ſpeciem impreſſam, negamus verò fieri per illam vniuerſale formale, & ſimpliciter, vt ex dictis conſtat, ex quo ſatisfit rationi dubitandi in contrarium. 25

CAPVT IV.

An etiam ratio formalis per quam natura fit vniuerſalis ſit actus potentiæ non intellectiuæ.

RAtio dubitandi eſt, ille actus conſtituit vniuerſale formaliter, qui ex parte obiecti concipit, vel attingit plura, ita tamen indeterminatè confusè per modum vnius, vt ex parte modi tendendi, vel concipiendi vnum tantum attingere, aut concipere videatur, vt oſtendimus ſupra diſp. 7. c. 7. atqui per actum alterius potentiæ non intellectiuæ, plura ſæpè ex parte obiecti attinguntur, ita tamen indiſtinctè confusè & per modum vnius vt ex parte modi attingendi vnum tantùm attingere videatur; ergo etiam actus alterius potentiæ nonintellectiuæ conſtituit vniuerſale formaliter; minor probatur: per actum viſionis potentiæ ſenſitiuæ, qua nimis àlongè plures diuerſos colores videmus, ita confusè, & indiſtinctè intuemur illos, vt ex vi illius viſionis inter eos colores non diſtinguamus, ſed vnum tantùm 26

tum colorem vt sic apprehendere videamur, vt frequenter experimur. Secundò, etiam quando à longè diuersos sonitus simul eodem auditionis actu audimus, per eum actum ex parte modi ita confusè illos sonitus apprehendimus, vt ex vi illius inter eos non valeamus distinguere, & vnus sonitus vt sic solùm videatur audiri. Tertiò, actus, quo quis amat naturam humanam secundum se in communi attingit ex parte obiecti affectiuè omnes singulares naturas humanas hominum, ita tamen indistinctè, vt per modum vnius ex parte modi vt vnam tantum naturam humanam affectiuè pertingere videatur, constat igitur æquè per actum potentiæ sensitiuæ, & voluntatis, ac per actum intellectus naturam formaliter vniuersalem constitui. 27

Sin autem quispiam dicat, saltem per actum voluntatis non posse naturam fieri formaliter vniuersalem, quia iam præsupponitur formaliter vniuersalis effecta per actum intellectus, qui semper omnem actum voluntatis præcedit. Sed facilè impugnatur, quia licet natura humana per cognitionem, qua à Petro confusè, & præcisiuè concipitur, supponatur vniuersalis formaliter effecta, si rursus eadem natura humana per aliam cognitionem à Paulo etiam confusè, & præcisiuè apprehendatur, iterum per hanc cognitionem Pauli formaliter vniuersalis fiet, vt omnes facilè admittunt, ergo similiter, licèt per cognitionem communem naturæ humanæ supponatur ipsa natura iam formaliter vniuersalis effecta, si postea etiam in communi, & indistinctè per communem volitionem ametur, erit iterum per talem volitionem vniuersalis formaliter. 28

Sit tamen conclusio communis inter omnes dialecticos. Natura non potest constitui formaliter vniuersalis per actum potentiæ sensitiuæ, aut voluntatis, sed solùm per actum intellectus.

Probatur, natura vt vniuersalis formaliter est vna apta formaliter prædicari de pluribus, vt probatum est supra cap. 1. sed per actum potentiæ sensitiuæ, aut voluntatis, licet natura fiat aliquo modo vna, tamen non fit formaliter apta prædicari de pluribus, ergo per actum potentiæ sensitiuæ aut voluntatis, non fit natura formaliter, ac perfecte vniuersalis.

Probatur minor, id formaliter constituit naturam ex parte obiecti aptam formaliter de pluribus prædicari, vt probaui supra num. 8. quod formaliter ac ratione sui ex parte obiecti requiritur, vt ipsa de pluribus prædicetur, sed actus potentiæ sensitiuæ, aut voluntatis nullo modo formaliter, ac ratione sui requiritur ex parte obiecti, vt natura aliqua de pluribus prædicetur, solum enim requiritur per se ad talem prædicationem, quod natura per actum intellectus cognoscatur, ergo per actum potentiæ sensitiuæ aut voluntatis non fit natura formaliter apta de pluribus prædicari. 29

Hic adnotare oportet, per actum potentiæ sensitiuæ posse fieri aliquod vniuersale imperfectum materiale, & secundum quid, quia natura vt obiicitur tali actui, habet aliquam vnitatem, vt conuincit ratio dubitandi supraposita, vnitatem quidem non communem formaliter, quia illa vnitas proueniens ab illo actu non reddit formaliter naturam humanam communicabilem seu prædicabilem de multis, sed solum communem materialiter, quia talis vnitas cadit supra aliquam materiam, seu naturam, quæ ex se reipsa communis multis, ac communicabilis est, vt latius explicui num. 14. & iterum insinuaui cap. 3. num. 24. nobis vero semper est sermo de vniuersali perfecto, & formaliter, quo etiam satisfit rationi dubitandi in principio positæ.

DISPVTATIO VIII.

De passionibus vniuersalis.

SICVT natura realis à parte rei primo intentionaliter considerata suas habet proprietates, & passiones, ita etiam eadem natura sub alio statu ab intellectu apprehensa, & considerata secundò intentionaliter, & vt habet esse in intellectu abstracta à suis singularibus sub illo statu præcisionis per formam, seu relationem rationis habet suas passiones, & proprietates, quæ breuiter à nobis sunt examinandæ in hac disputatione.

Quinque capita continebit, in primo inquiro, an vniuersalia sint perpetua, & æterna? In secundo, an propositiones vniuersales sint sempiternæ vnitatis? In tertio, quid, & quotuplex sit prædicatio. In quarto, an prædicabilitas sit passio vniuersalis? In quinto, qua ratione per terminos primæ, & secundæ intentionis superius de inferioribus prædicetur.

CAPVT I.

Qualiter vniuersalia sint perpetua, & æterna.

PRo intelligentia sciendum est ex D. Thoma in 1. dist. 33. art. 1. esse dici tripliciter, esse essentiæ, esse existentiæ & esse secundum quod dicit veritatem, & vno modo dicitur esse ipsa quidditas vel natura rei, sicut dicitur quod definitio est oratio explicans quod est esse rei; alio modo dicitur esse ipse actus essentiæ, sicut viuere, quod est esse viuentibus: tertio modo dicitur esse, quod significat veritatem compositionis in propositionibus, quæ omnia verba sunt D. Thomæ & ex illis deduco breuiter quid dicendum de singulis. 1

ASSERTIO I. Vniuersalia quatenus illorum esse supponit existentiam non sunt perpetua, est communis, & probatur, nam si omnia singularia alicuius naturæ vniuersalis perirent, vt de facto continget infine mundi, talis natura vniuersalis nullo modo permaneret, nec existeret, sed cum ipsis singularibus interiret, ergo si omnia singularia, quæ sunt in rerum natura, perirent, consequenter ipsa vniuersalia, quoad realem illorum existentiam perirent, iuxta doctrinam Philosophi cap. de substantia vbi docet, quod destructis primis substantiis, destruerentur & secundæ, & impossibile est aliquod illarum in rerum natura permanere, ergo cum vniuersalia in primis substantiis fundentur, & ab illis abstrahantur, destructis illis, illa nullatenus possunt permanere, ergo vniuersalia, quoad illorum realem existentiam non sunt perpetua, tota ergo difficultas deuoluitur, an vniuersalia quantum ad illorum essentiam possint esse perpetua? 2

ASSERTIO II. Vniuersalia non sunt perpetua secundum essentiam positiue, ita scilicet, quod ab æterno fuerint in aliquo gradu entis extra Deum. Est communis, eam tenent Complutenses disp. 4. vniuersalium quæst. 1. Capreolus, Nazarius, Nimphus, Zumel, Masius, Vallius quæst. 5. Vniuersalium c. 5. & communiter Doctores. Probatur primo auctoritate D. Thomæ 1. part. quæst. 10. art. 3. ad 3. & de potentia q. 3. art. 5. ad secundum, vbi sic ait. *Quidditas creati, antequam habeat esse, nihil est, nisi forte in intellectu creantis, vbi non est creatura, sed creatur natura.* 3

natura. Sed ſi eſſent æterna, & perpetua, nulla daretur creatio in tempore, cum hanc præcederet eſſe reale rei extra Deum, quod falſum eſt, cum omnia per ipſum facta ſint, ipſe enim dixit, & facta ſunt, ipſe mandauit, & creata ſunt, quia omnia in principio creauit Deus cœlum & terram, ergo vniuerſalia non ſunt ab æterno, nam ſi ab æterno eſſent in tempore ſolum quoad exiſtentiam producerentur, quod eſt abſurdum, ergo & illud ex quo ſequitur. Probatur etiam ratione: implicat aliquam naturam vniuerſalē eſſe ſecundum eſſentiam aliquid reale extra Deum, & non habere realem exiſtentiam, ſed ab æterno vniuerſalia nihil ſunt quantum ad realem exiſtentiam ergo nihil etiam ſunt, quantum ad eorum exiſtentiā maior probatur, quia quidquid eſt extra Deum, habet eſſe à Deo, ſed illud eſſe debet habere per veram, & realem actionem, quæ ex conceptu ſuo ordinatur ad ponendum aliquid ſingulare extra omnes ſuas cauſas, in quo conſiſtit exiſtentia, ergo repugnat vniuerſalia ſecundum eſſentiam habere poſitiue aliquā eſſentiam extra ipſum Deum, ergo nec ſunt perpetua, nec ab æterno ſecundum eſſentiam poſitiuam.

4 Assertio III. Vniuerſalia ſunt perpetua ſecundum eſſentiam negatiue, nec habent in ſe principiū ſuæ corruptionis aut generationis, & conſequenter ſunt ingenerabilia, & incorruptibilia. ita D. Thom. 1.p.q.16.art 7. ad 2. & de veritate q.1.art.5. & ſequūtur eum auctores citati n. 3. Probatur, quod eſt negatiue incorruptibile eſt perpetuum negatiue, ſed vniuerſalia ſunt negatiue incorruptibilia, ergo ſunt perpetua negatiue. Maior eſt euidens, probatur minor, illud eſt negatiue incorruptibile quod de ſe nullum habet principium, à quo corrumpatur, ſed vniuerſalia ex ſe nullum habent principium corruptionis, ſiquidem corruptio, & generatio reperitur in ſingularibus, ergo vniuerſalia ſunt negatiue incorruptibilia. Et confirmatur, nam ſicut vniuerſalia nullum ſibi vendicant locum, ita nullum determinant tempus, ergo ſicut ex eo, quod nullum ſibi determinant locum, dicuntur eſſe vbique, & immenſa, ita ex eo, quod non determinant ſibi tempus, dicuntur eſſe negatiue æterna, quod perſpicue docuit Ariſt. 1. poſt. c. 9. & D. Thomas, & Caietanus ibidem, quia adhuc peremptis ſingularibus vniuerſalia manerent, vel in virtute ſuarum cauſarum, vel in exemplaribus, ſeu ideis, vel in intellectu creato, vel Angelico ſecundum eorum prædicata eſſentialia, ergo vniuerſalia ſecundum ſuam eſſentiam negatiue ſunt æterna & perpetua.

5 Sed obiiciat quis, hoc modo dici etiam poſſe indiuidua eſſe æterna, & perpetua quæ ab æterno ſunt poſſibilia, & habent ſuas eſſentias inuariabiles ſecundum eſſe eſſentiæ. Reſpōdeo, quoad rem id ita eſſe, tamen in modo concipiendi & loquendi eſſe maximam differentiam, quia vniuerſalia, cum abſtrahantur à tempore, & loco, ſeparantur ab omni inceptione, mutatione, & deſitione, teſte D. Thom. loco citato numero præcedenti, dicente vniuerſalia dici ſolere eſſe vbique & ſemper non poſitiue, hoc autem non conuenit indiuiduis, quia circa ipſa verſantur actiones, mutationes, inceptiones, & deſitiones, & ideo dicuntur poſitiue corruptibilia, quod & ſi animal, & homo dicuntur corrumpi, eſt per ordinem ad indiuidua.

Aduertendum tamen, quod vniuerſalia quantū ad id, quod dicunt formaliter, non eſſe incorruptibilia, & æterna, nam vniuerſalitas pro formali, eſt forma quædam, ſeu accidens rationis, & tantum perſiſtit, in quantum ab intellectu obiectiue cognoſcitur, intellectus autem non ſemper eſt in actuali conſideratione, ergo vniuerſalia ſumpta pro forma ſeu formaliter non ſunt æterna, nec perpetua, ſed ſumpta pro natura abſtracta, quæ quantum ad ſua prædicata quidditatiua, & eſſentialia, incorruptibilis, & inuariabilis, atque negatiue æterna manet.

Ex dictis infero 1. vniuerſalia quædam eſſe corpo- 6
rea, ea nimirum, quæ conueniunt rebus compoſitis ex materia & forma, vt patet in vniuerſali hominis, equi, animalis, &c. quę accommodatiſſima ſunt intellectui humano, corpori coniuncto, qui à ſenſibilibus accipit, & efficit cognitionem vt diſp. præcedenti c. 3. n. 19. monſtraui: alia vero ſunt vniuerſalia non corporea ſed ſpiritualia, quia in ſpiritualibus dantur, habentia ſingularia, ſeu ſufficientem conuenientiam ad abſtrahendam rationem genericam, nam ratio Angeli generica eſt ad Michaelem & Gabrielem, etſi ſpecifica vniuerſalis ſit difficilior, vt infra oſtendam c. de ſpecie prædicabili, & tamen in illis nulla datur ratio corporea, ergo vniuerſalia aliqua ſunt corporea, aliqua incorporea.

Infero 2. Vniuerſalia fundamentaliter ſumpta, hoc 7
eſt, provt ſignificant naturas, quæ denominantur vniuerſales, non omnia eſſe ſubſtantias, ſed eo modo debere denominari ſubſtantia vel accidens, provt fuerint fundamenta ſuſceptiua vniuerſalitatis, in naturis enim realibus vniuerſalia fundamentaliter ſumpta erunt ſubſtantia; in naturis vero accidentalibus, & entibus rationis, à quibus etiam vniuerſalia formantur, erunt vniuerſalia fundamentaliter ſumpta, accidens, quia natura, quæ denominabitur vniuerſalis, vel erit chimera, vel ens rationis, fundamentale, vel accidens, quæ omnia poſſunt eſſe ſuſceptiua vniuerſalitatis. 3. Infero naturas vniuerſales non habere cauſam niſi provt ſunt in ſuis ſingularibus, ipſam vero vniuerſalitatem habere pro materiali cauſa ipſam naturam, quatenus ſubſternitur intentioni ſeu formæ, efficiens eſt intellectus, qui facit cognitionem abſtrahentem naturam, & illam comparantem ad ſua inferiora, hoc autem non eſt intelligendum de vera, & reali cauſa, ſed tantum per imitationem ad veram cauſam.

CAPVT II.

An propoſitiones vniuerſales ſint ſempiternæ veritatis.

Diuus Bonauentura, Heruæus, & plures relati à 8
Complutenſibus diſp. 4. vniuerſalium q. 2. arbitrantur propoſitiones vniuerſales, & neceſſarias ab æterno non habuiſſe actu veritatem, ſed ſolum in potentia: v.g. hæc propoſitio homo eſt rationalis, ſolum eſt actu vera dum exiſtit homo, dicitur vero ab æterno vera, quia ab æterno potuit eſſe rationalis, & erat in potentia ad exiſtendum, & probant ex Ariſt. nam ab eo, quod res eſt, vel non eſt, propoſitio dicitur vera, vel falſa, ſed res nec ſecundum exiſtentiam nec ſecundum eſſentiam ſunt actu ab æterno, ergo propoſitio illa actu enūtians non poteſt eſſe ab æterno, ſed ſolum in potentia. Ratione etiam probatur 1. veritas harū propoſitionū non poteſt eſſe actu æterna, niſi connexio inter ſubiectum, & prædicatum ſit ab æterno, ſed illa non eſt ab æterno, quia connexio non poteſt eſſe ſine extremis, quæ ſunt in tempore, vt homo, & animal, ergo vnio inter illa extrema non eſt actu ab æterno. Secundò, hæc propoſitio, Chriſtus eſt homo, eſt eſſentialis, & tamen non habet veritatem æternam, quia Chriſtus eſt vere indiuiduum naturę humanæ, quamuis non habeat perſonalitatem humanam, quia Chriſtus in triduo mortis non fuit homo, ergo in illo triduo hæc propoſitio Chriſtus eſt homo eſt falſa, ergo non eſt ſempiternæ

veritatis, nec propositiones vniuersales habent ab æterno veritatem, sed tantum in potentia.

9 Præmitto primo pro decisione dubij ex D.Th. 1.p. qu.16. art. 1. veritatem esse conformitatem rei cum intellectu, quæ est duplex, altera transcendẽtalis, quæ ipsis rebus ineſt, altera formalis, quæ est in intellectu & à quo deriuatur ad res, & hæc est veritas, quæ in propositionibus reperitur, & habet duo, enũtiare, seu cognoscere connexionem prædicati cum subiecto, quæ semper est in intellectu: vnde si ab æterno datur intellectus cognoscens hanc connexionem dabitur in tali intellectu veritas formalis talis propositionis. Secundum est considerare fundamentum veritatis formalis, quod nihil aliud est, quam connexio, & vnio illarum rerum, inter quas fit enuntiatio seu identitas prædicati cum subiecto.

10 Præmitto, secundo, identitatem prædicati cum subiecto, quam veritatem fundamentalem, seu transcendentalem appellamus duplicem esse, aliam positiuam aliam negatiuam: identitas positiua inter aliqua extrema tunc datur, quando illa, quæ dicuntur vnum, & idem, habent eamdem realitatem, & entitatem, sicut animal, & rationale in Petro, qui dum existit, habet verè realitatem, & entitatem naturæ humanæ, quæ in ipso est, & hanc identitatem positiuam fundamentalem non fuisse ab æterno, constat ex dictis; alia est identitas negatiua, quæ cum sit negatio, sequitur legis negationem, vnde si ab æterno abest diuersitas inter aliquod subiectum & prædicatum, & in æternum aberit, negatio diuersitatis erit ab æterno, & consequenter identitas negatiua, quæ reperitur in propositionibus necessariis.

11 Præmitto tertio, veritatem positiuam seu identitatem positiuam inter subiectum & prædicatũ, in propositionibus necessariis, non fuisse ab æterno, nec vniuersalia, quantum ad hanc veritatem fundamentalem positiuam propositionum, esse verè æterna per identitatem negatiuam inter subiectum, & prædicatum in propositionibus necessariis, & hanc veritatẽ sufficere ad æternitatẽ propositionũ, nam si inter subiectum, & prædicatum harum propositionũ, nec fuit, nec erit, nec potest esse diuersitas, ergo ab æterno fuit negatio talis diuersitatis, & consequenter ab æterno sunt tales propositiones: his prælibatis.

12 Sit nostra conclusio, loquendo de veritate formali, propositiones vniuersales necessariæ habent perpetuam, firmissimã, & actualem veritatem, siue res existant, siue non, ac proinde vniuersalia, quoad istã veritatem formalem esse æterna, seu actu ab æterno. Ita Arist. 1. post. c. 9 D.Th. 1.p q 10. art. 3. ad 3. Caiet. Capreol. Banez, Soncin. Masius sect. 2. vniuers. §. 9. qui adducunt testimonia, D.Th. inquam, Aug. & Anselm. Complut. q. 2. n. 13. & est cõmunis. Probatur, veritas formalis propositionis nõ est in rebus, sed in intellectu, cognoscente connexionẽ prædicati cum subiecto; sed ab æterno intellectus diuinus actu cognoscit connexionem prædicati cum subiecto istarum propositionum, ergo ipsæ ab æterno fuerunt actu veræ veritate propria formali. Minor probatur, nã propositiones istæ sunt enuntiabiles necessariè, ac proinde non potuit intellectus diuinus non versari circa illas ab æterno. Confirmatur primo, quia huiusmodi enuntiationes necessariæ non possunt habere indeterminatã & quasi suspensam veritatẽ, cum non sint in materia contingenti, ergo fuerunt ab æterno veræ, vel falsæ, si primum habemus intentum; si secundum, ergo verũ fuit tales propositiones ab æterno fuisse falsas. Confirmatur secundo quia ex duabus contradictoriis in materia naturali & necessaria, altera necessario est determinatè & actu vera, sed istæ propositiones, homo est animal, homo non est animal sunt huiusmodi adhuc homine non existente, vt patet cap. de Oppositis, ergo etiam homine non existente, altera erit necessario, & determinatè vera, ergo ab æterno fuit vera, cum Deus ab æterno erat cognoscens connexionem talium propositionum. Hanc conclusionem, & veritatem fusius probabimus tract. & disp. de Perihermenias agentes de veritate, & falsitate propositionum & secundo poster. de præmissis demonstrationis.

Ad rationes dubitandi in contrarium adductas, 13
Respondeo 1. Arist. intelligendum esse de veritate fundamentali positiua, & de identitate positiua inter prædicatum & subiectum, si existant, vel saltem negatiuè, si non existant, hæc verò identitas negatiua sufficiens fuit, vt ab æterno intellectus diuinus cognoscceret connexionem subiecti, & prædicati, vt in intellectu diuino esset actu, & formaliter veritas talium propositionũ, quo satisfit primæ confirmationi. Ad secundam confirmationem dico in rigore loquendo Christum Dominum in triduo non fuisse, seu mãsisse hominem in quantum significat hunc hominẽ, quia in triduo dissoluta fuit vnio animæ, & corporis, quamuis verbum diuinum seorsim vnitum animæ, & seorsim corpori remanserit iuxta illud Theologorũ principium, Quod semel assumpsit, nunquã dimisit, & ob hanc rationẽ, & alias hæc propositio, Christus est homo semper est vera; quando verò Theologi dicunt Christum Dominum in triduo non esse hominem non aspiciunt hunc rigorem logicum, sed solum volunt excludere errores asserentium Christum Dominum in triduo fuisse hominem, & docere ad veritatem eius mortis, fuisse necessariam separationem vnionis animæ Christi à corpore, ex quo simpliciter desiit homo, & ita nihil sequitur, aut infertur contra nos.

CAPVT III.

Quid, & quotuplex sit prædicatio.

NOtandum primò, prædicationem pertinere ad 14
secundam operationem intellectus, in qua enuntiatur vnum de alio seu affirmatur vnum de alio, quia prædicatio nihil est aliud, quam attributio vnius ad alterum affirmando, vel negando, vt docet D.Tho. de ente, & essẽtia c. 4. in fine, & ibi Caiet. prædicatio est quoddam, quod completur per actum intellectus cõparantis, & diuidentis cum fundamento in re, hoc est habens pro fundamento ipsam identitatẽ; ex quibus verbis colligttur formalem rationem prædicationis esse ipsam attributionem, coniunctionem autẽ extremorum esse ipsam prædicationem fundamentalẽ, vt etiam docet 1.p.q.13. art.12. & recentiores cum ipso.

Notandum secundò, prædicationem actualem, quæ nihil aliud est, quam affirmatio, vel negatio vnius de alio duplicem esse, aliam essentialem, aliam accidentalem: prædicatio essentialis est, quando id, quod formaliter prædicatur, vel prædicatum secundum formale, quod includit, est de essentia subiecti, vt cum dicimus homo est rationalis, est prædicatio essentialis, quia esse rationale, quod formaliter prædicatur, vel quod includit prædicatum pro formali, est de essentia subiecti, nempe hominis, de quo prædicatur, prædicatio verò accidentalis est, quando id, quod formaliter prædicatur, vel prædicatum sumptum pro formali, non est de essentia subiecti, vt cum dicimus, *homo est albus*, est prædicatio accidentalis, quia habere formaliter albedinem, quod est formale talis prædicati, non est de essentia subiecti, nempe hominis, de quo prædicatur, sed est accidens illius.

Præmitto tertiò, ad veritatem prædicationis affir- 15
matiuæ, tam accidentalis, quam essentialis omnino requiri,

requiri,quod sit realis identitas inter subiectũ,& id, quod de ipso materialiter prædicatur, hoc est inter subiectum,& prædicatum sumptum saltẽ pro materiali ita D.Th.1.p.q.13.art.12.Probatur,ad veritatẽ prædicationis affirmatiuæ requiritur, quod sit vere id quod per copulã est, quæ in omni prædicatione inuenitur significatur,sed copula est in omni prædicatione,tã accidentali,quam essentiali,significat idẽ esse subiectũ,& prædicatum sumptum saltẽ pro materiali,vt ex ipsis terminis liquet,idẽ enim est dicere, homo est albus,ac dicere suppositũ habens humanitatẽ,& subiectum habens albedinẽ,sunt idem, ergo ad veritatem propositionis affirmatiuæ etiam accidentalis requiritur, quod sit realis identitas inter subiectum, & prædicatum sumptum pro materiali.

17 Præmitto 4. ad veritatẽ prædicationis essentialis affirmatiuæ requiri,quod etiã sit realis identitas inter subiectum & id, quod formaliter prædicatur de illo,id est, inter subiectũ & prædicatum sumptũ pro formali, v. g. vt hæc prædicatio, *homo est rationalis*, quæ est essentialis,sit vera,requiritur, quod formale prædicati,scilicet habere rationalitatem,quod quidẽ formaliter prædicatur de homine, sit identificatũ ac de essentia ipsius subiecti,nẽpe hominis,de quo prędicatur.Probatur, ad veritatẽ prædicationis affirmatiuæ requiritur,quod sit vere id,quod per talẽ prædicationẽ enuntiatur,atqui per illã prædicationẽ essentialẽ,homo est rationalis,enuntiatur formaliter,homini essentialiter, & identice conuenire habere rationalitatẽ,aliàs illa non esset prædicatio essentialis, ergo ad veritatẽ talis prædicationis essentialis affirmatiuæ requiritur,quod habere rationalitatẽ, quod formaliter de homine prædicatur conueniat illi idẽtice, & essentialiter, ergo ad veritatẽ prædicationis essentialiter requiritur,quod sit identitas inter subiectum & prædicatum etiam pro formali.

18 Præmitto quinto, ad veritatẽ prædicationis accidentalis affirmatiuæ non necessario requiri, quod sit realis identitas inter subiectũ,& id,quod formaliter prædicatur,hoc est,inter subiectũ & prædicatũ sumptum pro formali,sed solũ quod sit formalis vnio inter illa.Probatur,ad veritatẽ prædicationis affirmatiuæ solu requiritur,quod sit vere id,quod per illã prędicatur, atqui per prædicationẽ accidentalem affirmatiuã v g.homo est albus,non enuntiatur esse realẽ identitatẽ inter subiectũ,& id,quod formaliter prædicatur,vel prædicatũ sumptũ pro formali,sed solum aliquã formalẽ conuenientiam & vnionem, ergo ad veritatẽ prædicationis accidentalis affirmatiuæ non requiritur, quod sit realis identitas inter subiectũ & prędicatum secundũ formale,sed solũ aliqua formalis conuenientia,& vnio.Probo minorẽ,id,quod in prędicta prædicatione accidẽtali formaliter prædicatur, vel prædicatũ illius sumptũ pro formali, est habere formaliter albedinẽ,sed hoc,quod est habere formaliter albedinem, non prædicatur conuenire homini per identitatẽ,alioqui omnis prædicatio accidentalis esset falsa, sed illi accidentaliter conuenire per quãdam formalẽ vnionem informationis,ergo per illam prædicationẽ accidentalẽ non enuntiatur esse realem identitatẽ inter subiectũ & prædicatum sumptũ pro formali,sed solũ formalem aliquam conuenientiã & vnionẽ: maior probatur, prædicta prædicatio, *homo est albus*, non est prædicatio essentialis, sed accidentalis,& si in illa prædicaretur de homine,non quidem habere albedinem formaliter,quod illi est accidentale, sed esse subiectum, quod est sub albedine, quod est illi essentiale, etiam subiectũ albedinis est ipse homo talis prædicatio non esset accidentalis, sed essentialis,nam essentialis prædicatio est illa in qua formaliter prędicatur id,quod est de essẽtia subiecti, ergo in ea prædicatione accidentali,id, quod formaliter prædicatur,vel prædicatum sumptum pro formali est habere formaliter albedinem.

Præmitto sexto,duplicem identitatem vel distinctionem posse inrer prædicatũ, & subiectũ pensari, 19
alia est identitas, vel distinctio realis, quia reipsa sunt à parte rei idem, vt animal & rationale sunt à parte rei idẽ;vel reipsa à parte rei distinguuntur, vt Petrus & Ioannes:alia est identitas,vel distinctio rationis præcisiuæ, quando scilicet aliqua etiã per rationem non distinguuntur, nec vnum potest formaliter pręscindi ab alio,vt homo est etiam ratione idẽ, cum animali rationali, vel quando re sunt idem, & ratione præcisiua distinguuntur,vt animal,& rationale in homine;hæc identitas,vel distinctio rationis est solum secundũ quid,illa vero identitas,& distinctio realis est vera identitas,atq; distinctio simpliciter,atque ideo illa solum ad veritatem prædicationis simpliciter desideratur, vide, quæ diximus disp.5. cap. 2. & disp. 6. per totum.

Ex iis deduces alias diuisiones Prędicationis in idẽticã,disparatã, & directam, prædicatio identica alia 20
est materialiter identica,alia formaliter identica:propositio formaliter identica est, quando ex vi significationis terminorum idem significat ac altera, vt si dicas homo est homo, prædicatio vero materialiter identica est illa,quando significationes sunt diuersæ, realitas vero,& entitas est eadem, vt cum dicimus, actio est passio, album est substantia, quæ ex parte formæ significatæ est disparata;ex parte vero subiecti,si in eodem conueniant,est identica, similiter & istæ prædicationes in Deo, iustitia est misericordia, & album est dulce materialiter sunt identicæ.

Prædicatio disparata est illa in qua prædicatũ nullam habet conuenientiam & connexionem cum 21
subiecto,quia ex termininis disparate se habentibus constat,potest tamen propositio esse disparata,& esse vera,nã propositio dicit veritatẽ,prædicatio vero dicit habitudinẽ terminorũ,vt patet in hac,homo nõ est lapis,quæ est vera, & disparata, quia constat ex terminis disparate se habentibus,potest vero prædicatio esse identica,hoc est inter terminos identicos, & esse falsa,vt in hac,homo non est homo.

Prædicatio directa est illa,in qua id,quod se habet 22
per modum formæ, tenet se ex parte prædicati, indirecta vero prædicatio est illa,quando id,quod se habet per modũ subiecti, ponitur ex parte prædicati, vbi nomine subiecti, & formæ non solum intelligimus id,quod physice se habet, vt forma & materia, sed quod se habet quomodocumq;vt actuãs,& actuabile,vel vt superius,& inferius,dicitur enim superius forma inferioris,non quia gradus superior sit actualior,sed quia est contrahibilis,& omne,quod contrahitur,quasi recipitur in eo,quod contrahitur, si autẽ prædicata sint æqualia,vt homo est rationale,vel risibile tunc id,quod actuat,se habet vt forma,& quod actuatur,vt subiectũ vel materia,vnde hæc est directa prædicatio, homo est rationalis, homo est risibilis hæc vero est indirecta,hoc rationale est homo, prædicatio vero media dicitur illa, in qua prædicatum & subiectum habent sufficientem connexionem non tamen omnimodam identitatem.

CAPVT IV.

An prædicabilitas sit passio vniuersalis.

PRæmitto duplicem esse in natura vniuersali 23
formalem prædicabilitatem de pluribus, aliam remotam,seu radicalem, alteram proximam, prædicabilitas remota, seu radicalis est cognitio præcisiua naturæ secundum se, quæ per se, ac formaliter prærequiritur, vt natura illa vniuersalis de pluribus prædicetur, & ideo eius formalis prædicabilitas dicitur non vero illa cognitio sufficit,sed alia alterius

notitia comparatiua apprehendens illam naturam præcisam à suis conditionibus indiuiduantibus & referens illam ad sua inferiora, necessaria est, & idcirco cognitio illa præcisiua prædicabilitas formalis remota, seu radicalis appellatur, prædicabilitas vero formalis proxima est apprehensio illa comparatiua, qua concipitur natura, vt relata proxime per modum potentiæ sine inclusione suorum inferiorum ad eadem singularia, à quibus per rationem fuit separata, & de quibus est prædicabilis per applicationem naturæ superioris ad inferiora per respectum & relationem rationis, & aptitudo illa naturæ cum tali respectu proxima, & formalis prædicabilitas de pluribus nuncupatur; esse autem actu in multis non dicitur, nec per respectum, nec per aptitudinem, sed per contractionem ad singularia, per quam dissoluitur aptitudo ad essendum, & prædicandum, respectus vero aptitudinis manet cum ipsa natura & abstractione, vt referatur, iterum ad illa inferiora, à quibus per rationem fuit præcisa.

24 Sit prima conclusio. Prædicabilitas formalis remota, & radicalis de pluribus, non est etiam per rationem passio, sed ratio formalis, & essentia vniuersalis, ita Recentiores ingeniosi. Probatur, vniuersale vt sic formaliter claudit formalissime in se vnitatem communem & aptitudinem ad essendum, & prædicandum de multis, sicut singulare vt sic formaliter claudit vnitatem particularem, sed vniuersale vt sic formaliter continet in se prædicabilitatem de pluribus, ergo vniuersale vt sic formaliter claudit formalissime prædicabilitatem remotam, & radicalem. Maior est vera ex dictis, quia natura per intellectum abstracta, & vt claudit vnitatem præcisionis est apta essentialiter ad prædicandum de illis, à quibus fuit præcisa, & ita probatur minor; nam cognitio illa naturæ præcisæ essentialiter constituit naturam vniuersalem aptam ad suscipiendam denominationem vniuersalis logici, maxime cum in mea sententia quam supra disp.6.cap.5.numero 29.docui, non distinguatur aptitudo ad essendum in multis ab aptitudine ad prædicandum de illis, sed prædicabilitas radicalis, seu remota fundatur in ipsa natura præcisa à suis inferioribus, sicut etiam risibilitas radicalis & remota dicitur essentia hominis, quia radicatur in ipsa rationalitate, ergo cognitio præcisiua naturæ à suis inferioribus essentialiter claudit prædicabilitatem remotam seu radicalem, ex qua per respectum rationis explicatur aptitudo, & proxima prædicabilitas de illis, quæ est passio vniuersalis, ergo remota, & radicalis est essentialis.

25 Obiiciat quis, illa est passio, & non essentia, quæ illam supponit essentialiter constitutam in propria ratione, atqui formalis naturæ prædicabilitas de pluribus supponit ipsam naturam constitutam essentialiter in propria ratione vniuersalis, ergo formalis prædicabilitas de pluribus quæcumque illa sit, non est essentia, sed passio vniuersalis, minor probatur, formalis naturæ prædicabilitas de pluribus supponit saltem ratione, ac ex modo concipiendi, naturam ipsam, vt vnam per intellectum, & reipsa existentem in pluribus nam hæc est vera causalis, quia natura est vna per intellectum & reipsa existens in multis, est formaliter prædicabilis de pluribus, quæ quidem causalitas aliquam causæ prioritatem, & anteccssionem designat, atqui natura per intellectum, & reipsa existens in multis, vt sic formaliter est essentialiter constituta in ratione vniuersalis, cum vniuersale definiatur ab Aristotele, esse vnum in multis, ergo formalis prædicabilitas de pluribus supponit naturam essentialiter constitutam in propria ratione vniuersalis. Confirmatur, si natura præcisa, & vna per intellectum, & in multis à parte rei, non esset per impossibile prædicabilis de pluribus, adhuc esset formaliter vniuersalis, quia esset vna in multis, quæ est vniuersalis essentia, ergo prædicabilitas de pluribus non est de essentia, & ratione formali vniuersalis, sed solum passio illius.

Respondeo formalem naturæ prædicabilitatem 26
de pluribus ex modo nostro concipiendi supponere naturam ipsam vt vnam præcisè per intellectum, & existentem in multis à parte rei, natura autem vt vna præcise per intellectum, & multiplex à parte rei (abstrahendo ab eo, quod sit etiam per rationem quatenus vna formaliter communicabilis, ac prædicabilis formaliter de pluribus.) non est vniuersale perfectum formale, ac simpliciter, sed solum vniuersale quoddam imperfectum, materiale, & secundum quid, quia natura in illa præcisione non habet formaliter vnitatẽ communem propriam naturæ vniuersalis, vt sæpe repetitum est, ex quo solum sequitur illam prædicabilitatẽ esse propriam passionẽ vniuersalis imperfecti, & secundum quid, seu metaphysici vt conclusione sequẽti magis explico, non vero esse passionem, sed essentiam, atq; rationem formalẽ vniuersalis perfecti, & simpliciter, quod absolute & formaliter fit per intellectum. Ad confirmationem etiã dico in illo casu impossibili, quod scilicet natura & vna, ac in multis existens à parte rei non esset prædicabilis de illis fore solum vniuersale illud materiale, & secundùm quid, non verò vniuersale formale simpliciter, ac perfectũ, de cuius essentia est prædicabilitas radicalis remota à nobis explicata supra n.23.

II. Conclvsio, prædicabilitas formalis proxi- 27
ma de pluribus non est essentia, sed passio vniuersalis metaphysici, & in hoc sensu sunt intelligedi qui dicunt illã definitionẽ Arist. supra à nobis explicatã disp.9.c.1.numero 3. qua exprimitur, vniuersale esse vnũ aptũ prędicari de pluribus non esse definitionem essentialẽ, sed descriptiuam, quod sanè verum est, si exponatur de aptitudine, seu prędicabilitate proxima, quę est passio vniuersalis, falsum verò si intelligatur de aptitudine, & prędicabilitate remota, seu radicali, quę est vniuersalis essentia, vt nuper diximus, ergo prędicabilitas proxima, & formalis sumpta per modũ potentię, vt supra ostendimus d.6.c.7. n.39. est saltẽ propria passio vniuersalis metaphysici.

Probatur ratione efficaci, illa est passio alicuius 28
rei, quę supponit illam essentialiter constitutã in propria ratione & illam aliquo modo complet, ideo enim intellectus est passio animæ rationalis, quia supponit illã essentialiter constitutã in ratione animæ rationalis & illam aliquo modo complet in ratione intellectiuæ & rationalis communicando illi rationalitatem proximã, atqui hæc prædicabilitas proxima de pluribus supponit naturã essentialiter in ratione vniuersalis metaphysici constitutã, supponit enim illã vt vnã per rationẽ præcisam à singularib. & formaliter aptã saltẽ remotè prædicari de plurib. in quo consistit essentia vniuersalis metaphysici, vt sępius dictũ est, & illã insuper complet iu ratione prędicabilis communicando illi prędicabilitatẽ proximã, ergo hæc prædicabilitas proxima & formalis erit realis passio vniuersalis metaphysici, sicut risibilitas proxima est passio rationalitatis.

Hanc autẽ prædicabilitatem proximã esse passionẽ 29
realẽ vniuersalis metaphysici ab eodẽ realiter distinctã ex eo probatur manifestè, nam vt supra disp.6. c. 7. late ostendi, & alibi etiã sæpe repetitũ est, vniuersale metaphysicũ fit per abstractionẽ tam negatiuã, quàm positiuã naturæ à suis conditionibus indiuiduantib. & proximè prædicabilis redditur ipsa natura per notitiã comparatiuam, & respectũ cum aptitudine proxima, & vt superioris ad inferiora: tum sic: notitia abstractiua, & notitia comparatiua reipsa

inter

inter ſe diſtinguuntur, ergo prædicabilitas proxima de inferioribus & vniuerſale metaphyſicum, ergo prædicabilitas proxima eſt paſſio phyſica vniuerſalis metaphyſici, Diſcurſus legitimus eſt, & minor probatur manifeſtè, nam per eam cognitionem abſtractiuam natura tantùm eſt radicaliter, & remotè prædicabilis, & proximè prædicabilis de ſuis inferioribus per aliam diſtinctam comparatiuam cognitionem, ergo prædicabilitas proxima naturæ de pluribus diſtincta eſt reipſa à natura vniuerſalis metaphyſici, ergo prædicabilitas proxima eſt paſſio phyſica ipſius vniuerſalis metaphyſici.

30 Tertia concluſio: prædicabilitas proxima de pluribus per modum potentiæ proximæ ante actualem prædicationẽ, & ſine incluſione inferiorum niſi tantum in confuſo, etiam eſt paſſio ſola ratione diſtincta vniuerſalis logici, hæc concluſio à paucis traditur ſub hac expreſſione, admittenda tamen videtur ab omnibus qui nobiſcum ponunt differentiam ſupra aſſignatam inter vniuerſale metaphyſicum, & logicum.

Probatur primò ratione communi, proprietas non poteſt eſſe de eſſentia rei, quia eſsétia eſt primus conceptus, vt in homine eſſe animal rationale, proprietas verò eſt ſecundus conceptus, qui originatur à primo, ſed prædicabilitas proxima ſaltem ratione dimanat ab eſſe in multis, ſeu logicè ſupponit aptitudinem eſſendi in multis, vt primam radicem prædicabilitatis, ergo prædicabilitas ſemper concipitur vt ſecundus conceptus ſola ratione diſtinctus à primo, ergo ſemper apprehenditur vt paſſio.

31 Probatur ſecundò ratione efficaci, vniuerſale logicum, vt ſæpe repetitum eſt, in hoc differt ab vniuerſali metaphyſico, quod iſtud ſolùm dicit naturam abſtractam à ſingularibus cum vnitate præciſionis ſine habitudine, & relatione ad inferiora; logicum verò ſolùm addit reſpectum prædicabilitatis ad illa, ſed talis reſpectus, qui conſtituit vniuerſale logicum eſt aptitudo proxima, tam ad eſſendum in multis, quam ad prædicandum de multis, vt conſtat ſupra diſp. 6. cap. 7. num. 29. ergo in vniuerſali logico, licet vterque reſpectus adæquate includatur, tamen per prius apprehenditur conceptus prædicandi de multis, ad hoc autem, vt ratione noſtra prædicabilitas proxima ſit paſſio vniuerſalis logici, ſufficit, vt concipiatur, vt originatus ab alio priori conceptu, ſcilicet à conceptu eſſendi in multis, qui eſt velut radix prædicabilitatis proximæ: quod exemplis poteſt probari in intellectione, & volitione diuina, quæ licet realiter ſint vna formalitas diuina, tamen volitio concipitur vt paſſio intellectionis, quatenus ab illa emanat tamquam à radice; ſic pariformiter dici poteſt, quod licet prædicabilitas proxima non ſit realis paſſio vniuerſalis logici, erit tamen paſſio ſola ratione diſtincta, ex eo ſolùm quod ſupponat alium conceptum priorem, à quo intelligitur emanare.

CAPVT V.

Qua ratione per terminos primæ, & ſecundæ intentionis ſuperiora de inferioribus prædicentur.

32 DE concretis, & abſtractis, & eorum prædicationibus fusè Complutenſes diſp. 4. vniuerſalium quæſt. 4. & 5. Ioannes à ſancto Thoma quæſt. 5. vniuerſalium art. 4. & 5. Lerma lib. 5. de prædicationibus per ſex quæſtiones, Franciſcus Alphonſus diſput. 10. vniuerſalium per quinque ſectiones preſſius, & breuius Petrus Hurtado diſp. 3. de prædicabilibus ſect. 3. Arriaga diſp. 6. logicæ ſect. 10. & nos etiam rem breuiter definiemus ſupponendo, duobus modis aliquam rem v. g. hominem cognoſcere; primò ſecundùm eſſe reale, quod habet à parte rei, ſcilicet in quantum eſt animal rationale, & tunc talis cognitio vocatur prima intentio formalis, & res ſic cognita dicitur prima intentio obiectiua, & voces, ſeu conceptus, qui hoc modo rem declarant, appellantur termini primæ intentionis. Secundò, poſſumus rem illam cognoſcere ſecundùm eſſe, quod habet per aliquam cognitionem intellectus abſtractam à conditionibus indiuiduantibus vt quando concipitur homo, quatenus eſt ſpecies, vniuerſale, ac prædicabile, quod conuenit homini per cognitionem præciſiuam intellectus, & tunc hæc cognitio vocatur ſecunda intentio obiectiua, & voces, ac conceptus, qui hoc modo rem manifeſtant, appellantur termini ſecundæ intentionis. Quærimus ergo nunc, quo pacto ratio ſuperior de ſuo inferiori primò intẽtionaliter, hoc eſt, ſecundum eſſe, quod habet à parte rei, & ſecundò intentionaliter, id eſt, ſecundùm eſſe, quod habet per rationem, prædicari poſſit, iam ſupra c. 3. oſtendimus, quid, & quotuplex prædicatio ſit, nunc breuiter videamus, quomodo concreta, & abſtracta prædicentur, tam primò intentionaliter quam ſecundò intentionaliter.

ASSERTIO I. Concretum de concreto primò intentionaliter verè prædicatur affirmatiue, tam prædicatione accidentali, quam eſſentiali, atque ita hæ prædicationes ſunt veræ, homo eſt rationalis, homo eſt albus. Probatur, ad veritatem prædicationis affirmatiuæ, ſi eſſentialis ſit, ſolum requiritur, quod ſit realis identitas inter ſubiectum, & prædicatum etiam ſecundùm formale, vt patet ſupra cap. 3. n. 17. ſi verò prædicatio ſit accidentalis tantùm, requiritur quod ſit formalis conuenientia, & vnio inter ſubiectum, & id, quod formaliter prædicatur, vt liquet ex num. 18, atqui in hac propoſitione eſſentiali, homo eſt rationalis habere rationalitatem, quod eſt prædicatum ſecundum formale, habet identitatem cum ſubiecto, ſcilicet homine de quo prædicatur, in hac verò propoſitione homo eſt albus, habere albedinem, quod formaliter prædicatur, habet conuenientiam, & vnionem formalem cum homine, de quo enunciatur, ergo vtraque illa prædicatio eſſentialis, & accidentalis eſt vera, ergo concretum de concreto primò intentionaliter verè prædicatur tam in prædicatione accidentali, quàm eſſentiali. 33

ASSERTIO II. Abſtractum de concreto vere prædicatur, quando vnum ab alio reipſa non diſtinguitur, ſecus verò ſi vnum ab alio reipſa diſcriminatur, vnde hæ ſunt veræ enuntiationes, Deus eſt deitas, homo eſt entitas, quia in vtraque nec deitas à Deo, nec entitas ab homine diſtinguitur à parte rei, hæ autem prædicationes ſunt falſæ, homo eſt albedo, quia homo includit eſſentiam diſtinctam re ipſa ab albedine, & ſubſiſtentiam reipſa diſtinctam ab humanitate. Probatur, prædicatio in qua abſtractum prædicatur de aliquo ſubiecto ex modo enuntiandi eſt prædicatio eſſentialis, quia ſimpliciter enuntiat ſubiectum eſſe formaliter ipſummet prædicatum, atqui prædicatio eſſentialis tunc eſt vera, quando prædicatum formale non diſtinguitur reipſa à ſubiecto, & tunc falſa, quando re ipſa ab illo diſcriminatur, ergo abſtractum tunc verè prædicatur de concreto, quando ab illo reipſa non diſtinguitur, ſecus verò cum ab illo reipſa aliquo modo diſcriminatur. 34

ASSERTIO III. Abſtractum de abſtracto, quæ re diſtincta non ſunt verè affirmatiuè enuntiatur ſimpliciter, & abſolutè, vnde hæ omnes prædica-

tiones sunt simpliciter veræ, humanitas est rationalitas, animalitas, est rationalitas. Probatur; ad veritatem cuiuscumque prædicationis absolute & simpliciter solum requiritur identitas realis inter subiectum & prædicatum, quæ quidem realis identitas est solùm identitas simpliciter, nam identitas rationis est identitas tantum secundùm quid, sed inter illa omnia subiecta, & prædicata, quæ re non distinguntur, etiamsi abstracta sint, datur realis identitas, ergo illæ omnes prædicationes, in quibus abstracta de abstractis prædicantur, sunt veræ absolutè, & simpliciter; addo secundum quid, hoc est per rationem esse falsas: quia inter hæc abstracta non est vnitas rationis, quæ appellatur identitas secundum quid, & hoc tantùm videtur intendere Suarez disp. 6. met. sect. 10. numero 4. licet in voce contrariùs nobis videatur.

Dices, pars non vere prædicatur de toto, non enim verè dicimus, homo est anima rationalis, sed rationalitas est pars humanitatis, ergo non vere prædicatur rationalitas de humanitate. Respondeo de ratione partis esse quod inadæquate à toto distinguatur, rationalitas verò reipsa non distinguitur vllo modo ab humanitate, quia reipsa est omnino idem cum illa, ac proinde reipsa non est pars illius, & potest prædicari simpliciter de illa, per rationem verò hoc est secundum quid, rationalitas inadæquate ab humanitate distinguitur, atque ideo secundum quid est pars illius, & secundùm quid etiam non potest vere prædicari de illa.

36 Assertio quarta. Concretum secundò intentionaliter de concreto primò intentionaliter verè affirmatiue enuntiatur, secus verò abstractum secundæ intentionis de concreto, vel abstracto primæ intentionis, vnde hæ prædicationes sunt veræ, homo est species, animal est genus, hæ verò sunt falsæ, homo est specieitas, animalitas est genereitas. Prima pars assertionis probatur, cum concretũ secundo intentionale enuntiatur de subiecto primæ intentionis, talis prædicatio est accidentalis, ad cuius veritatem solùm requiritur, quod formale prædicati conueniat accidentaliter subiecto, vt probatum est supra cap. 3. numero 18. sed concretum secundo intentionale secundum formale, quod includit, vere conuenit accidentaliter subiecto primo intentionali, quia homini conuenit accidentaliter esse species, & animali esse genus, ergo verè prædicatur concretum secundò intentionale de cõcreto primo intentionali. Secunda pars assertionis ostenditur, nam prædicatio in qua abstractum prædicatur est prædicatio essentialis, vt notaui supra numero 34. ad cuius veritatem requiritur, quod prædicatum etiam secundum formale sit reipsa idem cum subiecto, de quo enuntiatur vt ostẽdi supra numero 17. sed abstractum secundæ intentionis non est reipsa idem, sed distinctum à concreto, vel abstracto primæ intentionis, nam specieitas distincta est omnino ab homine, & genereitas ab animalitate, ergo non vere prædicatur abstractum secundæ intentionis de concreto, vel abstracto primæ intentionis.

Assertio quinta Concretum secundæ intentionis de concreto secundæ intentionis verè applicatur tam essentiali prædicationi, quam accidentali, vnde hæ propositiones sunt veræ, genus est Vniuersale, genus formaliter est species respectu plurium generum, quæ formaliter in ratione generis solo numero distinguuntur. Probatur, quia sicut homini à parte rei conuenit essentialiter esse animal, & accidentaliter esse album, ita generi vt sic formaliter conuenit essentialiter per rationem esse vniuersale, & accidentaliter esse speciem respectu plurium generum, ergo sicut verè prædicatur primò intentionaliter de homine esse animal, & esse album, ita verè prædicatur secundò intentionaliter de genere esse vniuersale & esse speciem respectu plurium generum, item concretum secundæ intentionis de abstracto secundæ intentionis verè prædicatur, vt vniuersalitas est genus. Probatur, quia sicut à parte rei conuenit humanitati esse proxime intellectiuam, ita conuenit per rationem vniuersalitati vt sic esse genus respectu plurium vniuersalitatum particularium. Demum è contra abstractum secundæ intentionis de aliquo concreto secundæ intentionis verè prædicatur, vt aliquod genus est vniuersalitas. Probatur, quia à parte rei homo est animal, bene valet, ergo aliquod animal est homo, sed per intellectum vniuersalitas est genus, vt nuper ostendi, ergo etiam eodem modo aliquod genus est vniuersalitas. 37

Iis libet pro complemento adnotare duplicem esse prædicationem aliam formalem, aliam identicam, prædicatio formalis est, quando aliqua ratio in apprehensione communis de aliquo inferiori determinato enuntiatur, vt cum dicimus, Petrus est homo, vel quando ratio explicite concepta de subiecto æquali confusè cognito, prædicatur, vt cum dicimus homo est animal rationale, prædicatio verò identica est, quando aliqua ratio communis vel determinata cognita confusè vel explicitè de subiecto æque communi vel determinato, vel æquè confuse, vel explicitè cognito, prædicatur, vt cum dicimus. Petrus est Petrus, homo est homo, de quo supra latius cap 3. numero 20. 21. & 22. Rursus prædicatio est triplex, alia naturalis, & directa, quando scilicet prædicatum est forma subiecti, vt homo est albus, alia præternaturalis, vel contra naturam, & indirecta, quando nimirum subiectum est forma prædicati, vt album est homo, alia est inter vtrumque media, quæ aliquid participat vtriusque quia videlicet prædicatum aliquo modo est forma subiecti, & subiectum est aliqua etiam ratione forma ipsius prædicati, vt cum dicimus, album est dulce, Consulite auctores initio relatos, & Conimbricenses in præsenti q. 1. articulo 4. 38

Et hæc de secundo Tract. de vniuersali in communi dicta sint satis.

TRACTA

TRACTATVS TERTIVS,

De Vniuersalibus , ac Prædicabilibus in particulari.

LIBER Prædicabilium appellatur Isagoges,id est,introductio ad dignoscenda prædicamenta, in qua Porphyrius declarat quinque voces , id est, quinque prædicabilia , seu modos quibus vniuersale potest prædicari,vt sunt,genus, species,differentia,proprium, & accidens,quibus ipsa prædicamentorum ordinatio,& series contexitur.

Summa Textus.

IN littera huius primi capitis de genere , tria continet;primò tres acceptiones generis,secundò eam explicat,quæ propria est Philosophorum:tertiò declarat distinctionem eius à reliquis prædicabilibus. Igitur Porphyrij intentum in hoc cap. est explicare naturam,& essentiam generis, quod est primum prædicabile , & primò potest sumi pro collectione multorum ab vno habentium ordinem inter se ad vnum primum principium, à quo deriuantur, vt genus Heraclidorum ab Hercule,Romana gens à Romulo, secundò potest sumi genus pro ipso principio generationis , siue tale principium sit Pater, vel Patria,à quo talis multitudo trahit originem,in qua acceptione loquitur Poëta , dum ait. *Mantua me genuit* , sicuti communiter dicere solemus Pindarum esse genere Thebanum,Platonem Atheniensem,& non solùm patriam, sed etiam partem illam cæli , & virtutes Astrorum illum respicientium , à quibus aliquid in generatione contrahi latè comprobat Tiraquellus lib.7. Connub.num.14. sed latè appellamus genus, Patrem, aut Patriam , non enim Romulus est genus Romanorum,sed Romani dicuntur ducere genus ab illo,& ita origo , per quam homines ab illo deriuantur , propria genus dici poterit,& hæc secunda acceptio magis propria est quàm prima , quia illa collectio dicitur genus , quia ducunt originem ab vno.

Tertiò magis propriè , & vt ad nostrum attinet institutum sumitur genus logicè sub ratione prædicabilitatis,& vt sic à Porphyrio sic illud definitur, *genus est,cui supponuntur species*, animal enim dicitur genus, quia illi supponuntur homo,leo, equus, & cætera vt species , quia etiam, leo,equus ducunt originem ab animali illius naturam participando, & in hac acceptione genus excedit alias priores significationes , quia alia genera non sunt in tota collectione eorum , qui ab eo procedunt , neque enim Romulus est in omnibus Romanis , at genus in hac acceptione est in omnibus speciebus , tota enim natura animalis est in homine , in equo , in leone & aliis. Secundò quia illa superiora genera habent aliquas partes integrantes , de quibus prædicari non possint , quia singuli Romani non sunt genus, at in nostra acceptione prædicatur de omnibus illis speciebus,ergo genus in hac tertia acceptione excellentius est, & magis propriè,in qua procul dubio intendit Porphyrius naturam & essentiam generis explicare.

Ex iis docet Porphyrius in littera textus genus hoc modo acceptum habere quamdam similitudinem cum aliis acceptionibus, quia hoc genus est quoddam principium specierum, quæ sub illo continentur & in se continet quamdam similitudinem illarum,genus etiam in secunda acceptione videtur ad Oratores,Poëtas,&Historicos pertinere. In tertia verò ad metaphysicos & Logicos , vt colligitur ex Arist. 5. met. text. 33. vlterius gradum faciens ad alia tradit duplicem definitionem generis,in quibus totus est explicando naturam, & essentiam illius facta comparatione ad speciem , differentiam , proprium & accidens , ex quorum conferentia colligitur definitionem in textu assignatam esse bonam, quam explicandam esse per prædicari de pluribus specie differentibus docet , & hæc rudi Minerua in cortice litteræ textus in toto capite de genere.

DISPVTATIO I.

De Genere, primo Prædicabili.

EGIMVS superiori tract. de vniuersali in communi , nunc agere oportet de variis speciebus vniuersalis, Porphyrius quidem melior Philosophus quem Christianus libellum quemdam scripsit, quem Isagogem, seu introductionem appellat,& in illo vniuersale,ac prædicabile diuidit in quinque species prædicabilium, nimirum genus,speciem, differentiam,proprium,& accidens,de quibus acutè disserit,nos de iisdem prædicabilibus sigillatim discutientes doctrinam Porphyrij (quæ Aristotelica est) nostris disputationibus explanabimus.

Quinque capita continebit , in primo definitio generis explicatur , & nonnulla colliguntur. In secundo,an genus vt sic sit omni generi ratio vniuoca,atque præcisa aperitur. In tertio,quodnam sit definitum in prædicta definitione. In quarto , vtrum genus sit totum & pars in compositione metaphysica. In quinto,quædam dubiola elucidantur.

CAPVT I.

Definitio generis explicatur.

GEnus sic à Porphyrio in præsenti principaliter definitur: *Est id,quod de pluribus differentibus in specie in eo quod quid aptum est prædicari.* Hæc vltima definitionis verba aptum prædicari de pluribus ponuntur loco generis, quia per illa indicatur conuenientia quam habet genus,cum specie, & aliis prædicabilibus , quodlibet enim illorum aptum est de pluribus prædicari. Reliqua verba ponuntur loco differentiæ,quia per illa genus ab specie, & reliquis prædicabilibus differens est. 1

Pro cuius elucidatione obserno primò, tripliciter 2

posse aliquam rationem communem de suis inferioribus enuntiari, nempe *in quid*, *in quale* & *quale quid*: illa ratio prædicatur *in quid*, quæ est essentialis subiecto, & prædicatur de illo, absolutè & per modũ per se stãtis, quo pacto animal v.g. prędicatur de homine, & equo *in quid* quia esse animal est essentiale homini, & prædicatur de illo non vt forma adiacens, sed modo absoluto & quasi per se stans, illa ratio prædicatur in quale quæ est accidentalis subiecto, & prædicatur de illo connotatiuè, & per modum formæ adiacentis, quo pacto album prædicatur de homine *in quale*, quia esse album est accidentale homini, & prędicatur de illo non vt aliquid per se stãs, sed vt forma adiacens illi, illa ratio prædicatur *in quale quid*, quæ est essentialis subiecto, & prædicatur de illo per modum formæ adiacentis, quo pacto rationale prædicatur de homine *in quale quid*, quia esse rationale est homini essentiale, & prædicatur de illo, ac si esset vera forma adiacens ipsi.

3 Obseruo secundò, id, quod prædicatur *in quid*, aliud prædicari de pluribus quæ inter se solo numero differunt, vt homo prædicatur de Petro & Paulo, qui non specie, sed tantum numero distinguntur, aliud prædicari de pluribus, quæ etiam specie differunt, vt animal prædicatur de homine, & equo qui etiam specie differentes sunt.

Obseruo tertiò, id, quod prædicatur *in quale* aliud conuenire per se subiecto ratione alicuius connexionis, quæ est inter illa, atque ita prædicatur de illo *in quale* per se, vt homo est risibilis, aliud conuenit subiecto merè contingenter, quia nulla connexio inter illa reperitur, atque ita de tali subiecto prædicatur *in quale quid* per accidens, vt homo est albus.

4 Obseruo quartò, quod prædicari *in quid*, non solum differt à prædicatione in quale, quando accidentalis est, quod manifestum est, sed etiam quando est essentialis, absolutè enim non dicimus differentiam essentialem prædicari *in quid*, quia hoc habet genus, quia prædicatur modo substantiuo, & per se stantis & quidditatiuo, differentia verò, licèt sit essentialis prędicatur *in quale*, id est modo adiectiuo essẽtialiter, & connotatiue, & per modum adiacentis, vt notat D. Thomas opusc. 48. cap. de genere, & ita differentia dicitur prædicari *in quale quid*, siue in quale essentiale per modum adiacentis, quia non est prima ratio quidditatis, sed aduenit generi illud determinando, & constituendo in specie, vnde modus eius est determinare, & actuare aliquid prius præsuppositum, & contrahibile vt est genus.

5 Iis ergo obseruatis, genus prædicatur de pluribus differentibus *in quid*: species de pluribus solum numero distinctis dicitur *etiam in quid*, at differentia prædicatur de pluribus *in quale quid*; Proprium verò *in quale per se*, Accidens denique in quale per accidens. Ex quibus perspicue constat, quid genus sit, & quomodo ab aliis prædicabilibus differat, ab specie quidem differt, quia genus prædicatur de pluribus specie diuersis, species verò solùm de numero distinctis enunciatur: differt à differentia, quia genus prædicatur *in quid*: & differentia *in quale*, per quod etiam à proprio, & accidenti, nam illud in quale per se, vt homo est risibilis, istud in quale per accidens enunciatur, vt Petrus est albus, atque ita prædicta definitionis verba optime loco differentiæ ponuntur.

6 Hanc igitur definitionem generis esse optimam testatur omnis Dialecticorum turba. Arist. 1. Top. c. 4. & lib. 4. c. 1. & 2. & 5. quam etiam admittit D. Thomas opusc. 48. tract. 1. cap. 2. Rubio cap. de genere, Hurtado, Arriaga, Complutenses disp. 5. quæst. 1. Lerma, Carleton disp. 33. Logicæ sect. 1. & communiter omnes.

Probatur ratione, quia hæc definitio ita naturam definiti explicat, vt illam distinguat ab omnibus aliis rebus, cum quibus conuenit, quia per illam sufficienter explicatur, quid sit genus, & qualiter differat à reliquis prædicabilibus: præterea habet omnes leges bonæ definitionis, cum neque sit superflua, neque diminuta, seruatque leges speciales definiendi concreta accidentalia; ergo vndequaque est optima definitio.

Sed obiiciat aliquis; ex hac definitione sequi genus non sufficienter differre ab specie vt duo prædicabilia constituant, quod probatur sic; tam differt genus supremum ab infimo, quam differt genus ab specie, sed genus supremum & infimum non differunt sufficienter vt duo prædicabilia constituant, vnum enim prædicabile constituunt generis, ergo genus & species non sufficienter differunt, vt duo diuersa prædicabilia constituant. Maior probatur, genus supremum, & genus infimum in hoc differunt, quod supremum v.g. substantia, prædicatur de pluribus differentibus genere, scilicet de corpore, & spiritu, infimum verò v. g. animal prædicatur de pluribus differentibus specie, scilicet, homine, & equo, genus autem & species in hoc dissident, quod genus prædicetur de pluribus differentibus in specie, species verò de pluribus differentibus numero; atqui tanta differentia & distinctio est vnum prædicari de pluribus differentibus genere, & aliud de differentibus specie. quanta est prædicari vnum de differentibus specie, & aliud de differentibus numero vt per se patet, ergo tam differt genus supremum, & infimum, quam genus, & species. 7

Præmitto dupliciter posse aliquam rationem prædicari de inferioribus *in quid*. Primò vt rationem ac naturam completam ipsorum, vt talis ratio non potest enuntiari de pluribus differentibus specie, sed differentibus numero, quia cum plura inferiora diuersa specie habeant necessariò naturas specie diuersas, non potest dari aliqua vna ratio, & natura totalis, quæ de pluribus specie differentibus prædicetur, sed solùm de distinctis numero; atque ita idem est rationem aliquam vnam prædicari de pluribus, solo numero differentibus ac prædicari vt naturam illorum completam, quo pacto homo de omnibus hominibus vt natura totalis enuntiatur, quia omnes homines inter se solo numero distinguuntur. 8

Secundò, potest aliqua ratio de pluribus in *quid*, prædicari vt ratio & natura eorum incompleta, & talis ratio prædicatur de pluribus etiam specie differentibus, quia cum ratio ista inferiorum, vna, & eadem sit incompleta, possunt ipsa inferiora habere alias partiales rationes, & naturas specie diuersas, atque ita idem est in acceptione logica prædicari rationem aliquam de pluribus specie differentibus ac prædicari vt naturam eorum incompletam, quo pacto animal prædicatur de homine, & equo, vt ratio, & natura illorum incompleta, in qua conueniunt, quia in aliis rationibus incompletis, scilicet in rationalitate, & irrationalitate specie differunt. 9

Respondeo ergo, ex eo, quod genus prædicetur de pluribus differentibus specie, & species de pluribus differentibus numero palàm sequi, genus prædicari vt rationem ac naturam incompletam suorum inferiorum, speciem verò prædicari, vt rationem ac naturam completam illorum, cum autem hoc sit notabile, atque ita specificum prædicabilitatis discrimen, ideo genus, & species differunt in specie, & diuersa prædicabilia constituunt, at ex eo quod genus supremum prædicetur de pluribus differentibus genere & genus infimum de pluribus differentibus in specie, solum sequitur, quod vtrumque prædicetur, 10

tur, vt ratio & natura inferiorum incompleta, & partialis, vnum verò vt ratio magis vel minus incompleta, quam aliud; hoc autem prædicabilitatis discrimen solùm secundùm magis, aut minus non est notabile, neque specificum, atque ideo genus supremum, & genus infimum non differunt specie, neque duo diuersa prædicabilia, sed vnum tantum generis prædicabile constituunt.

11 Sed contra, genus prædicatione formali prædicatur de pluribus solo numero differentibus vt animal v.g. prædicatur de Petro, & Paulo, ergo in suprema dicta prædicatione, non explicatur adæquatus terminus generis. Antecedens probatur, quia animal de Petro, & Paulo prædicatur *in quid*, incompletè sicut de homine, ergo prædicatione generis. Respondeo, genus prædicari de pluribus differentibus numero mediatè non verò immediatè vt infra disput. de indiuiduo magis explico, quia prædicatur de illis, media specie, cum autem in specie contineantur indiuidua & quidquid prædicatur vniuersaliter de aliquo, prædicetur de omni contento sub illo iuxta axioma Philosophi, dici de omni, & dici de nullo, fit, quòd genus prædicetur de indiuiduis sub specie contentis, non verò sicut ipsa species infima, sed mediatè; prædicabilia verò non constituuntur per ordinem ad terminum mediatum, sed immediatum, quando autem reduplicas, hoc animal est animal, tunc animal non prædicatur vt genus, sed vt species dicens in exercitio totam essentiam.

12 Secundò obiiciat contra particulam *in quid*, quæ aliis à genere conuenit, quia ens prædicatur *in quid* de pluribus specie differentibus vt de homine & Angelo, & tamen non est genus; ergo. Secundò quia anima prædicatur de vegetatiua, sensitiua & rationali. Tertiò, quia definitio prædicatur *in quid* de definito, quia quærenti quid est homo, recte respondetur, quod est animal rationale. Quartò, quia cum differentia sit nobilior genere debet nobiliori modo prædicari, nobilior autem modus prædicandi est *in quid*, & substantiue. Quintò tandem quia secundæ substantiæ secundum Aristotelem significant quale quid, ergo iam genus prædicatur in quale, nam hæc prædicatio, album est coloratum, est prædicatio generis, sicut hæc, albedo est color, & tamen coloratum prædicatur per modum adiacentis, & consequenter *in quale*: ergo non est de ratione generis prædicari in quid.

13 Ad primum, respondent Caietanus, & Sotus, in prædicamentis cap. 4. ens non prædicari *in quid* de rebus creatis, quia ratio entis est illis accidentalis, sed non bene, quia ens identificatur cum suis inferioribus, & de illis prædicatur per modum essentiæ totalis. Capreolus in 1. dist. 8. quæst. 1. Ferrara 3. contra gentes cap. 25. dicunt ens sumi posse participialiter, & nominaliter, & hoc modo sumptum significare rei entitatem abstrahendo ab eo, quod existat vel non existat, participialiter verò sumptum significare exercitium existendi, & ens in prima acceptione creaturis essentialiter conuenire; in secunda verò soli Deo; in neutra verò acceptione prædicari ens vt genus: meliùs tamen respondetur, quod ens non est genus, quia non est vniuocum & simpliciter vnum sed transcendens, & imbibitum in omni re, quia est commune prædicatum præsuppositum ad prædicatum quidditatis, prædicata autem communia, vt latius in Theologia non constituunt rem in esse talis, quare cum ens sit transcendens, & plures habeat rationes, excluditur à ratione generis, quod in suo conceptu importat vnam rationem incompletam simpliciter.

14 Ad secundum & tertium Respondeo definitionem & animam non esse genus quia non sunt simpliciter vniuersalia, quia definitio non solum continet rationem *quid*, sed etiam *quale*, & ita dicit totam essentiam & prædicatur per modum speciei, similiter anima non prædicatur vt vna ratio vniuersalis, & consequenter non potest habere rationem generis. Ad quartum dico, quod licet differentia sit nobilior genere ex parte rei significatæ, non verò ex parte modi prædicandi vt infra cap. 5. quæsito 2. magis explico. Ad vltimum Respondeo, secundas substantias ex Philosopho significare *quale quid*, non respectu naturæ, & qualitatis, cum qua realiter identificantur, sed comparatione ad primas substantias quæ significant suppositum subsistens, vt Petrum, quia respectu suppositi omnis forma quantumuis essentialis se habet ad modum qualitatis cum hac differentia quod genus dicitur *in quid*; quia licet dicat formam dicit tamen illam determinabilem ad modum materiæ, & primi fundamenti, & ita quoad rem, & quoad modum prædicatur *in quid*: differentia vero, quia importat formam per modum determinantis saltem quoad modum prædicandi prædicatur *in quale*. Sic Caietanus supra cap. 5. & nos infra, illa vero prædicatio, *album est coloratum*. respectu subiecti est prædicatio denominatiua, respectu vero albi, quod est suum inferius, est essentialis, & quidditatiua ratione formæ importatæ, exemplo fit res manifesta, hæc prædicatio. *Corpus est coloratum*. est accidentalis, hæc vero, album est coloratum, est prædicatio generis, & in quid.

Sed quærat aliquis; An præfata definitio generis 15
sit essentialis, an descriptiua? Scotus asserit q. 15. prædicabilium cum sua Schola, vt refert Merinero de genere disp. vnica quæst. 3. Hurtado, citatur D. Thomas de ente, & essentia cap. 4. & ibi Caietanus: & probatur, quia illa est quidditatiua definitio, quæ explicat essentiam definiti, talis est definitio generis, ergo illa est essentialis, & non descriptiua. Confirmatur ex Arist. 1. cap. 4. & ex Porphyrio in hoc cap. qui inquirentes, quid sit genus, non per esse in multis, sed per prædicari de multis definierunt, neque credibile est homines Philosophos volentes explicare essentiam rei, solum vterentur definitione descriptiua, quasi ignorauerint essentialem, & quidditatiuam, & licet verba Porphyrij sonent definitionem descriptiuam dicendo de *3. genere apud Philosophos est sermo, quod etiam describentes assignarunt, genus esse, dicentes quod de pluribus, &c.* Boëtius, qui eius librum ex Græco in latinum transtulit loco *describentes posuit definientes*, ergo ex mente Porphyrij magis quidditatiua & essentialis quam descriptiua dicenda est. Et ratio à priori est, quia sicut se habet prædicabile de pluribus ad vniuersale, ita se habet prædicabile de pluribus differentibus specie ad genus, sed prædicabile de pluribus est essentialis vt ostendi supra disp. 9. cap. 4. ergo prædicabile de pluribus differentibus specie est essentia generis, ergo definitio supra tradita, quæ hanc generis prædicabilitatem declarat, est definitio essentialis.

Sed plures ex Thomistis cum D. Thoma, quem 16
citant opusc. 48. tract. 1. cap. 2. & 3. Rubio, Murcia, Caberus, Gallego, Complutenses disp. 4. quæst. 1. Albertus Magnus, Villap. Toletus, Soto, & quamplures existimant hanc generis definitionem esse descriptiuam, eo quod illam tradat per prædicabilitatem, quę est passio vniuersalis, & nobis magis nota, & ni fallor, vtrumque præstitit Porphyrius, quia prædicabilitas radicaliter sumpta est radix, & essentia, & formaliter sumpta est passio, vt loco citato de vniuersalibus dixi, vnde Arist. 5. met. tex. 33. in metaphysica definiuit genus per esse in multis, in Logica

vero

vero per prædicari de multis, ergo debuit & nobis Porphyrius tradere definitionem generis essentialem, cum illam non ignoraverit; & descriptiuam per prædicabilitatem formalem logico magis notam, quæ esset descriptiua, vtrumque est probabile, elige quam malueris.

CAPVT II.

An Genus vt sic, sit omni generi ratio vniuoca atque præcisa aperitur.

17 INter genera, alia sunt, quæ pro materiali, dicunt ens reale, alia, quæ pro materiali includunt ens rationis, sicuti enim aliquod ens reale v. g. animal est genus ad varias species entis realis, scilicet ad equum, & hominem, ita aliquod ens rationis in communi est genus ad varias species entis rationis in particulari v. g. ad Hypocentaurum & montem aureum, quærimus ergo an genus vt sic sit ratio vniuoca ad genus, quod est ens reale, & ad genus, quod est ens rationis, hoc est, an ens reale, & rationis vniuoce in ratione generis conueniant.

18 Communis dialecticorum opinio est, & nouissime Rodrigo de Arriaga disp. 7. logicæ sect. 2. ens reale, & ens rationis vniuoce conuenire in ratione generis, licet in ratione entis solum analogice conueniant, atque ita genus esse rationem vniuocam generi, quod est ens reale, & generi, quod est ens rationis.

Probatur primò Illa conueniunt vniuocè in aliqua ratione, quibus æqualiter competit ratio illa, sed ratio generis, æqualiter, id est, eque proprie competit enti reali, & enti rationis, ergo ens reale, & rationis vniuoce conueniunt in ratione generis. Probatur minor, ratio generis est, quod sit prædicabile *in quid* de pluribus differentibus specie, sed quemadmodum ens aliquod reale v g. animal est prædicabile *in quid*, de pluribus entibus realibus differentibus in specie, scilicet de homine, & equo, ita aliquod ens rationis est *in quid* prædicabile de pluribus entibus rationis in specie differentibus scilicet de Hypocentauro, & monte aureo, ergo ratio generis æque proprie conuenit enti reali, ac enti rationis.

19 Probatur secundò. Substantia & accidens conueniunt vniuoce in ratione generis, quia tam substantia quam accidens est prædicabile de pluribus differentibus specie, & tamen substantia & accidens iuxta communem & meam sententiam in ratione entis sunt analoga, vt infra ostendo; ergo ens reale, & rationis, licet in ratione entis sint analoga, cum tamen vtrumque prædicabile sit de pluribus differentibus in specie, & *in quid*, vere & proprie, vt iam ostendi conueniunt vniuoce in ratione generis, Tertio ea sunt vniuoca, quæ vnica definitione definiuntur, sed omnia genera, siue quæ includunt ens reale, siue quæ includunt ens rationis vnica definitione definiuntur, ergo genera tam realia quam rationis in ratione generis sunt vniuoca.

20 Præmitto primò pro decisione dubij, vt aliqua concreta sint inter se vniuoca, debere necessario conuenire, & assimilari proprie tam in eo, quod dicunt pro materiali, quam in eo, quod dicunt pro formali. Probatur aperte; vniuoca sunt, quorum nomen est commune, ratio vero substantiæ, hoc est, natura vel essentia est omnino eadem, vt dicam sequenti tract. ex omnium sententia, sed natura, vel essentia cuiuslibet concreti includit aliquid pro formali, & aliquid pro materiali, ergo illa concreta erunt vere vniuoca, quorum formale est omnino idem, & quorum materiale est omnino idem, alioquin eorum essentia non erit omnino eadem, quod necessario ad eorum vniuocationem requiritur, ergo vt aliqua concreta inter se vere conueniant debent necessario conuenire, & assimilari proprie in eo, quod dicunt pro formali: & in eo quod dicunt pro materiali.

Præmitto secundo, genus esse vere quoddam concretum includens pro materiali naturam, & pro formali prædicabilitatem, hoc est, secundam intentionem de pluribus specie differentibus *in quid*, quæ genereitas dicitur. Probatur, quòdo ratio communis est concretum, ratio particularis illam essentialiter contrahens est necessario concretum, vt v. g. animal, quod est ratio communis est concretum, etiã homo, qui est ratio particularis contrahens essentialiter rationem communem animalis est necessario concretum, atqui vniuersele in communi est quoddam concretum includens essentialiter pro materiali naturam, & pro formali secundam intentionem seu vniuersalitatem ac vnitatem in multis, vt omnes fatentur, & nos late diximus tract. de vniuersali in communi, ergo genus, quod est vniuersale quoddam particulare contrahens essentialiter rationem communem vniuersalis, erit etiam necessario concretum includens essentialiter pro materiali naturam & pro formali particularem vniuersalitatem, scilicet genereitatem. 21

Præmitto tertiò, ens reale, & ens rationis in propriis entitatibus intrinsecis nulla ratione vniuoce conuenire. Probatur manifeste, illa conueniunt vniuoce, quæ proprie in aliqua ratione conueniunt, sed ens reale, & ens rationis non conueniunt proprie in ratione intrinseca entitatis, nam ens reale est proprie ac vere entitas, ens vero rationis non est vere ac proprie entitas, sed fictitie & chymerice ac valde improprie, ergo ens reale, & ens rationis non conueniunt vniuoce in ratione intrinseca entitatis. Confirmatur, homo verus, & homo pictus non conueniunt vniuoce in ratione hominis, quia homini vero conuenit proprie ratio hominis, & homini picto conuenit improprie, & transfatitie, sed enti reali conuenit proprie ratio intrinseca entitatis, & enti rationis conuenit solum improprie & transfatitie, & fictitie. ergo ens reale, & ens rationis non conueniunt vniuoce in ratione intrinseca entitatis. 22

Assertio sit, genus non est ratio vniuoca generi, quod est pro materiali ens reale, & generi, quod est pro materiali ens rationis, sed solum analoga, atque ita ens reale, & ens rationis non conueniunt vniuoce in ratione generis. Ita Recentiores Philosophi sapientissimi. Probatur clare ex præmissis; concreta, vt vniuoce conueniant in aliqua ratione concreti, conuenire debent necessario proprie, & vniuoce in eo, quod dicunt pro materiali, & in eo, quod dicunt pro formali, vt monstraui numero 20. sed genus est vere quoddam concretum dicens pro materiali, propriam entitatem ac naturam, & pro formali genereitatem & secundam intentionem, vt etiam ostendi numero 21. ergo vt genera in ratione generis vniuoce conueniant, debent necessario proprie, & vniuoce conuenire tam in propria entitate & natura, quæ includitur pro materiali, tum in secunda intentione & genereitate, quæ includitur pro formali. Consequentia sane est euidens, tum sic, sed genus, quod est pro materiali, ens reale, & genus, quod est pro materiali, ens rationis non conueniunt vniuoce, & proprie in propria entitate, & natura, quæ includitur pro materiali, quia enti reali, & enti rationis nulla dari potest ratio intrinseca entitatis vniuoca, vt plane probaui. numero 22. ergo genus 23

quod

quod pro materiali est ens reale, & genus, quod est pro materiali ens rationis, absolute non conueniunt vniuoce in ratione generis, atque ita genus illis non est ratio vniuoca

24 Confirmatur efficaciter; si duo essent homines, quorum alius haberet animam rationalem & veram materiam primam, alius vero haberet etiam animam rationalem & non veram materiam primam sed chymericam, & confictam, isti non conuenirent vniuoce in ratione hominis, quia licet conueniant vniuoce in formali, scilicet in anima rationali, tamen non conueniunt vniuoce in materiali, scilicet materia prima, quæ etiam essentialiter includitur in ratione hominis, atqui genus entis realis, & genus entis rationis, licet vniuoce conueniant in formali, scilicet secunda intentione, & genereitate, (gratis hoc concedimus) tamen non conueniunt proprie, & vniuoce in materiali, scilicet in propria entitate, & natura, quæ etiam essentialiter includitur in ratione generis, ergo genus entis realis, & genus entis rationis non conueniunt vniuoce, in ratione generis.

25 Dicet aliquis, vt prædicta genera, entis realis & rationis simpliciter & absolute conueniant in ratione generis, sufficere, quod proprie conueniant in forma, scilicet secunda intentione genereitatis; licet proprie non conueniant in materia aut in entitate & natura, quæ sit genus, sicut vt homo sit simpliciter discursiuus. sufficit, quod discurrat ratione formæ, scilicet animæ rationalis, licet non discurrat ratione materiæ; ergo.

Sed impugnatur aperte, quia iuxta communem Philosophorum proloquium vniuoca sunt, quorum nomen est cómune, ratio vero substantiæ hoc est, natura vel essentia sit omnino eadem, atque ita vniuoca essentialia debent omnino necessario in essentia, & natura conuenire, sed ex eo, quod prædicta genera entis realis, & entis rationis non conueniant proprie in materiali generis licet conueniant in formali, non conueniunt omnino in essentia, & natura generis, quia materiale illud includitur essentialiter in ipsa generis natura vt ostendi num. 21. ergo ex eo quod prædicta genera entis rationis non conueniunt proprie, & vniuoce in materiali generis, licet conueniunt in formali, sequitur non conuenire absolute & simpliciter vniuoce in ratione generis, at vero vt homo sit simpliciter discursiuus, non requiritur quod eius natura omnino sit discursiua, sicuti ad vniuocationem requiritur, quod natura vniuocorum sit omnino eadem, sed tantum desideratur quod in natura hominis sit principium aliquod discurrendi, atque ita sufficit, quod sola anima rationalis, quæ etiam in hominis essentia includitur, sit principium discurrendi, vt homo absolute, & simpliciter sit discursiuus, non ergo simile adductum est ad rem.

26 Hinc patet solutio ad rationes sententiæ oppositæ supra adductas. Ad primam Respondeo licet gratis admittam ens reale, & ens rationis vniuoce conuenire in secunda intentione genereitatis, & prædicabilitatis de pluribus differentibus specie, quæ est formale generis, quia tamen proprie, & vniuoce non conueniunt in propria entitate, & natura, quod est materiale generis, vt ostensum est, ideo absolute non conuenire vniuoce in ratione generis. Ad secundam dico, subsantiam & accidens etiam in ratione entis aliqua ratione entis conuenire, atque ita genus subsantiæ, & genus accidentis etiam ex parte materialis aliquam vniuocationem habere, vt in ratione generis vniuoce, & absolute conueniant; si autem subsantia & accidens in ratione entitatis solum analogice conueniunt, adhuc possunt conuenire in ratione generis, vt statim dico. Ad tertiam, nego genus entis realis, & genus entis rationis eodem conceptu concipi, aut eadem definitione definiri, quia non possunt plura eodem conceptu concipi, etiam confuse, nisi ipsa sint & apprehendantur vt proprie inter se similia, hæc autem genera entis realis, & entis rationis non sunt proprie similia in ratione generis, vt probatum est, atque ita non possunt concipi vno conceptu neque vna definitione definiri, vnde per supra assignatam generis definitionem solum definitur genus entis realis, cui proprie, & essentialiter ratio generis competit.

Ex dictis num. 18. & 19. clare euincitur, quod etsi 27
genus entis realis, & genus entis rationis pro materiali vniuoce non conueniant, neque illis vt sic possit adaptari vna definitio, & consequenter, neque vna ratio vniuoca, in qua proprie, & simpliciter conueniant, tamen generi entis realis, & generi entis rationis sumptis pro materiali posse pro formali in ratione generis, & prædicabilis de suis inferioribus specie differentibus dari vnam rationem vniuocam communem omnibus generibus tam realibus quam rationis, in qua omnia genera tam realia quam rationis formaliter in vna ratione, hoc est, in secunda intentione genereitatis conueniunt, ita omnes auctores supracitati, quibus etiam alij ex modernis in manuscriptis adstipulantur.

Probatur manifeste ex ibi dicti, & confirmatur, 28
nam ratio, quæ in vtroque genere entis realis, & entis rationis importatur pro formali est ipsa secunda intentio genereitatis, & prædicabilitatis, seu ipsa genereitas, & prædicabilitas, sed eadem est secunda intentio, & genereitas pro generibus entis realis, & rationis & eodem modo prædicatur de suis speciebus, ergo illæ genereitates, & secundæ intentiones generum entis realis, & rationis vniuoce conueniunt in ratione generis pro formali. Discursus est legitimus, maior certa, minor probatur, quia sicut genus entis realis prædicatur de pluribus differentibus in specie *in quid* essentialiter; ita genus entis rationis prædicatur de pluribus specie differentibus *in quid essentialiter*, cum eumdem modum prædicandi habeant, ergo licet genera entis realis, & rationis physice, & pro materiali non conueniant, bene pamen logice & pro formali; ergo pro formali dari tot est vna ratio vniuoca, in qua formaliter conueniant in ratione generis, sicut eamdem genereitatem seu secundam intentionem habent subsantia & accidens, & genus supremum & infimum, licet in materialibus simpliciter dissideant.

CAPVT III.

Quodnam sit definitum in definitione generis.

29 Disp. 9. cap. 5. agentes de nominibus primæ & secundæ intentionis aliqua docuimus de prædicationibus concretorum, tam essentialium, quam accidentalium, quæ ibi videri possunt, modo tamen ad intelligentiam præsentis difficultatis, quę non solum omnibus prædicabilibus communis est, sed etiam satis difficilis ex Arist. sciendum est, concreta accidentium eamdem rem significare, ac eorum abstracta, sola seruata differentia ex modo significandi, quia abstractum significat solam formam puram & impermixtam, concretum vero significat eamdem formam alteri adiacentem, & connotando subiectum cui inest forma, hæc doctrina communis est, & traditur ab Arist. & D. Thoma & recentioribus.

Præmitto primò, genus esse concretum dicens de formali

formali ſecundum intentionem genereitatis:ſecundò,ipſas naturas realis vel rationis prout fuerit concretum: tertiò, totum aliud diuerſum reſultans ex partibus ad eum modum, quo album eſt concretum, de formali importans formam accidentalem albedinis, de materiali vero ipſum ſubiectum cui ineſt talis forma accidentalis: quartò, dicit illud totum quod ex tali forma,&ſubiecto reſultat,quod ſuo modo reperitur in omnibus concretis tam eſſentialibus quam accidentalibus.

31 Præmitto ſecundò, præ oculis ſemper habendum concreta accidentalia eſſe in duplici differentia,alia, quorum partes non dicunt vnam,& phyſicam vnionem,vt aceruus lapidum,de quibus verum eſt, non eſſe vnum per ſe, ſed vnum per accidens;alia vero ſunt concreta accidentalia, quorum partes habent inter ſe veram,& realem vnionem ratione cuius vere prædicantur abſtracta accidentalia, de concretis accidentalibus & concretum de concreto,vt ibidem diximus,& patet in hac prædicatione, homo eſt albus.in qua inter ſubiectum & prædicatum datur vera,& phyſica vnio,& realis conuenientia, quia habere albedinem quod formaliter prædicatur, habet vnionem formalem cum homine ſufficientem, vt albedo vere verificetur de homine, & illam illi conuenire per ſufficientem,& phyſicam vnionem:ſimiliter & in concreto albo v.g.in quo albedo vt forma accidentalis prædicatur de ſubiecto, quæ concreta, & alia accidentalia ſimpliciter vocantur vnum per ſe accidentale,quia Ariſtoteles 8.met.cap.6.tex. 15. poſtquam docuit vnum per ſe reſultare ex actu, & potentia,poſuit exemplum in quanto,& quali, quæ ſunt concreta accidentalia, cui doctrinæ fauet D. Thomas opuſc.5.& 6.dicens ex ſubiecto & accidenti,non fieri vnum per accidens, ſicut in aggregatis, & in aceruo lapidum, & ratio ex dictis eſt perſpicua,quia ad hoc,vt aliquid ſit vnum per ſe, non requiritur, quod ſit ens per ſe ſubſtantiale, alioquin albedo quantitatis non erit vnum per ſe accidentale,quod eſt falſum,ſed ſolum requiritur,vnio conuenientiæ formæ accidentalis ad ſubiectum cui ineſt, de quo talis forma prædicatur, & verificatur, vt in hac,homo eſt albus, & in omnibus concretis accidentalibus. Nec obſtat huic doctrinæ illud commune dictum,quidquid aduenit enti in actu conſtituto non facit vnum per ſe cum illo, ſed vnum per accidens,ſed quælibet forma accidentalis aduenit ſubſtantiæ in actu conſtitutæ,ergo non facit vnum per ſe cum illa, ſed vnum per accidens. Reſpondeo diſtinguendo maiorem, quidquid aduenit enti conſtituto in actu completo non conſtituit vnum per ſe ſubſtantiale,concedo;vnum per ſe accidentale, modo explicato, nego; & iſtud ens vocatur ab Ariſt. 5. met. cap.5.& 6. vnum ens per accidens, & ſic intelligitur à peritioribus Phyſicis.

32 Præmitto tertio,in genere quinque reperiri, primum ipſa natura denominata ſecundum ſuam realem entitatem.Secundum eſt cognitio, ſeu ſecunda intentio ſecundum ſe conſiderata. Tertium eſt compoſitum ex vtroque reſultans, ex æquo includens naturam & ſecundam intentionem.Quartum eſt ipſa natura, vt connotat ſecundam intentionem,vel quinto ipſa ſecunda intentio principaliter importata in recto, & natura connotata in obliquo. Et de primo & ſecundo conſtat ex omnium ſententia non poſſe eſſe definitum in definitione generis,quia animal ſecundum ſe non eſt definitum in definitione generis, nec ſecunda intentio vt à natura præciſa, nam vt ſic ſignificatur in abſtracto, at forma in abſtracto ſignificata non poteſt eſſe definitum in definitione concreti, ergo natura ſecundum ſe conſiderata, & ſecunda intentio non poteſt eſſe definitum in hac definitione.

Præmittendum quartò:in definitionibus concreti accidentalis debere diſtinguere definitum *quo* & formale,& definitum *quod*,ſeu materiale:definitum quo,ſeu formale eſt id,ratione cuius aliquid definitur,& ei conuenit definitio, definitum autem quod ſeu materiale eſt illud,pro quo ſupponit definitio,& de qua ipſa definitio verificatur,tota ergo difficultas conſiſtit in aſſignando definito *quo* & formale, & definitum quod, ſeu materiale, in qua tres exſtant ſententiæ:prima aſſerit definitum huius definitionis eſſe aggregatum, ſeu compoſitum ex natura, & ſecunda intentione, ita vt vtrumque ex æquo directe definiatur. Ita Caberus hic. tract. 3. diſp.2.dub.1.& conſentire videtur Rubio cap.de genere q.2.Secunda ſententia aſſerit definitum in definitione generis eſſe naturam vt connotat ſecundam intentionem quaſi in obliquo,quam videtur habere Toletus quem citat Oña q.2. vniuerſalium articulo primo, Auerſa q.10.Logicæ ſect.2.& tribuitur Ariſt. primo Topic.cap.4. Tertia ſententia aſſerit definitum in definitione generis eſſe ſecundam intentionem,vt connotat naturam,itaque genus pro materiali dicit ipſam naturam à parte rei exiſtentem plurificatam in pluribus: pro formali vero dicit ipſam ſecundam intentionem, per quam natura præciſa à differentiis ſpecificis redditur formaliter vna, & apta prædicari de pluribus ſpecie differentibus ſi ſit animal,vel ſolo numero diſtinctis, ſi fuerit ſpecies, & hæc genereitas vel ſpecieitas erit definitum formale & *quo*,ipſa verò natura definitum *quod* ſeu materiale. Eam tenent fere omnes Thomiſtæ,D.Thomas de ente,& eſſentia cap. 4. Scotus q. 8. vniuerſ. Antonius Andreas,Toletus,Sotus,Capreolus, Vallius c. de genere q.1.cap.15.Auerſa ſupra Arauio 3.met. q.4.art.2. Didacus a Ieſu diſp. 6. q. 1. Franciſcus Alphonſus diſp.6.de genere ſect.2.Merinero diſp. vnica de genere q.prima,Complutenſes diſp.5.degenere q.3. & plures recentiores. 33

Assertio prima. Aggregatum,ſeu compoſitum ex natura, & ſecunda intentione conſideratis ſecundum ſua eſſentialia non eſt definitum in definitione generis. Eſt contra auctores primæ ſententiæ. Probatur,compoſitum ex accidenti & ſubiecto non poteſt vnica definitione definiri, quia eſt aggregatum ex rebus diuerſorum prædicamentorum; ſed aggregatum ex rebus diuerſorum prædicamentorum non poteſt definiri vnica definitione,ergo definitum in definitione generis non eſt aggregatum ex naturis diuerſis,& diuerſorum prædicamentorum.Minor probatur, nam huiuſmodi naturæ quædam ſunt entia realia, quædam entia rationis,& ſecunda intentio ens rationis; ſed ex iis omnibus ſimul ſumptis non poteſt conflari vnum definibile adæquatum; ergo huiuſmodi aggregatum nullo modo poteſt eſſe definitum in definitione generis. Confirmatur primo, abſtracta, & materialia huius definitionis, qualia ſunt naturæ reales à parte rei exiſtentes ſecundum ſe conſiderate non pertinent adLogicum vt ex ſe conſtat, ſed ad Phyſicum& Metaphyſicum,ſed definitio generis traditur per proprietatem logicalem, id eſt per prædicari de pluribus, ergo cum abſtracta materialia non ſint ſecundum ſe prædicabilia,non poſſunt pertinere ad definitionem generis. Confirmatur ſecundo; in definitione generis,ſicut in qualibet alia non datur aliquod genus in particulari, ſed genus in communi definitur, ſed non datur aliquod genus commune omnibus abſtractis ſecundum ſe conſideratis, nam bſtracta intentionis generis ſecundum ſe ſumpta, quædam ſunt ſubſtantiæ, 34

quædam

quædam accidentia,quędam entia realia,quædã entia rationis,ſed iis omnibus ſecundũ ſuas proprietates & proprias naturas,nihil poteſt dari commune definibile vnica definitione, ergo ſubſtracta hæc ſecundum ſe conſiderata, & ſecunda intentio non poſſunt eſſe definitum adæquatum in definitione generis.

35 Dices,in iis concretis accidentalibus licet aggregata ſint in rebus diuerſorum prædicamentorum tamen non ſe habere diſparato modo, ſed vnum vt materia,alterum vt forma ac per conſequens hoc ordine poſſe definiri,& conſtituere vnum definitum generis vt contingit in anima & corpore,quæ etſi ita diuerſa ſint, veniunt in vnam definitionem, ergo ſimiliter. Sed impugnatur, nam licet partes horum concretorũ accidentalium ſub eo ordine ad illud componendum concurrant,tamen implicat per definitionem generis ea omnia ſubſtracta ſecundum ſe conſiderata explicari;cum ſint omnino diuerſa,& diuerſorum prædicamentorũ,maxime cũ non ſe habeant vt actus, & potentia vt anima,& corpus,de quo latius lib.de anima ergo hoc aggregatum conflatum ex talibus naturis ſecundum ſe conſideratis; non poteſt eſſe definitum adæquatum in definitione generis.

36 Assertio, II. definitum in definitione generis eſt ſecunda intentio in concreto, vt denominat naturã,vel ipſa natura vt ſubeſt ſecundæ intentionis ſecundũ materiale, & formale quod includit, itaq; genus pro materiali includit naturam,quæ eſt ſuſceptiua genereitatis,& ſecundæ intentionis, pro formali vero ſecundam intentionem genereitatis, & ita definitum adæquatum in definitione generis erit concretum ex natura, & ſecunda intentione definitum *materiale & quod natura,definitum formale & quo ipſa ſecunda intentio* materiale quidem nempe natura ipſa definitur *vt quod* quia eſt id, quod eſt de pluribus prædicabile,formale vero ſecunda intentio,quæ eſt forma genereitatis, definitur vt *quo* quia eſt id, quo formaliter natura redditur prædicabilis: hæc cõcluſio ſic explicata eſt communis,& eam tenent auctores tertiæ ſententiæ. Probatur, illud eſt definitum alicuius definitionis,cui competit definitio, & illud eſt definitum *vt quod* cui competit definitio *vt quod* & illud eſt definitum *vt quo* cui competit definitio *vt quo* atqui definitio generis competit formaliter ſecundæ intentioni genereitatis,& materiali ipſius,ſcilicet,naturæ competit *vt quod* & formali ſcilicet genereitati competit *vt quo* nam genus eſt prædicabile de pluribus ſpecie differentib. ſpecie *in quid* quod ſolum definitio importat,& natura eſt de illis prædicabilis *vt quod*, eſt enim id,quod prædicatur,genereitas vero ſeu ſecunda intentio eſt prædicabilis de illis *vt quo* quia eſt ratio,qua natura ipſa redditur formaliter prædicabilis,ergo genus eſt definitum huius definitionis, & materiale, ſcilicet natura eſt definium *vt quod*,& formale ſcilicet genereitas, & ſecunda intentio eſt definitum *vt quo*.

37 Sed obiiciat aliquis,genereitas,ſeu ſecunda intentio non eſt abſolutè prædicabilis de pluribus differẽtibus ſpecie, de quibus ipſũ genus prædicatur, ergo neq; eſt de illis prædicabilis *vt quo*, ergo neq; *vt quo* eſt definitum definitionis generis, prima conſequentia probatur,quia albedo eſt diſgregatiua viſus *vt quo* eſt abſolute,& ſimpliciter diſgregatiua viſus, ergo ſi genereitas,ſeu ſecunda intẽtio eſt prædicabilis *vt quo* eſt etiam abſolute & ſimpliciter prædicabilis,ergo ſi genereitas ſeu ſecunda intẽtio nõ eſt abſolutè & ſimpliciter prædicabilis de pluribus differentibus ſpecie, nec erit prædicabilis *vt quo*. Reſpondeo inter formas alias eſſe,quæ effectũ formalẽ, quem aliis communicant,ſibi etiã formaliter præſtant,vt vnio reddit partes vnitas,& etiã ſe ipſam formaliter vnitã reddit, & hoc modo albedo reddit ſubiectũ formaliter diſgregatiuũ viſus,& ipſa etiam formaliter eſt viſus diſgregatiua;alias eſſe formas,quæ effectum formalem,quæ aliis communicant ſibi formaliter nõ exhibent,vt viſio coloris reddit formaliter colorem viſum, & ipſa non eſt viſa;ſed ratio formalis, qua color viſus formaliter dicitur,albedo reddit parietem album, & ipſa nõ eſt alba,ſed ratio formalis,qua paries denominatur albus,& hoc modo genereitas,ſeu ſecunda intentio reddit formaliter naturam prædicabilem de pluribus ſpecie differentibus & ipſa non eſt de illis ſimpliciter prædicabilis,ſed ſolum ratio formalis, à qua natura prædicabilis dicitur:at ſicut viſio coloris dicitur viſio *vt quo* quia eſt ratio, qua color eſt viſus, & albedo alba *vt quo* quia eſt ratio,qua paries eſt albus, ita ſimiliter genereitas,ſeu ſecunda intentio eſt prædicabilis de pluribus differentibus ſpecie,*vt quo* quia eſt ratio,qua natura eſt de illis prædicabilis.

Probatur ſecundo aſſertio, illud dicitur definitum 38
formale, *&* *quo* cuius ratio principaliter intenditur explicari in definitione, & ratione illius definitum materiale,*quod* definitur,& conuenit ei definitio, ſed in definitione generis principaliter intenditur explicari natura ſecundæ intentionis, ſeu ipſa genereitas, & ratione illius materiale *quod* talis intentionis, ergo definitũ *quo* formale in definitione generis erit ipſum genus pro formali,id eſt,ſecunda intentio importans pro materiali *quod* ipſam naturam: minor conſtat,quia per hanc definitionem ratione ſecundæ intentionis, ſeu cognitionis præciſiuæ ſubſtracta materialia denominantur definita per eamdẽ definitionem, ergo vtrumque erit definitum adæquatum, vnum ſcilicet ſecunda intentio,ſeu genereitas, vt definitum *quo*;formale, aliud vt definitum *quod* & materiale vt natura, vt ſubeſt ſecundæ intentioni.

Probatur principaliter eadem concluſio, res defi- 39
niuntur ſecundum quod ſignificantur per nomina, ſed nomen concretum in accidentibus ſignificat ſolã formam, & connotat ſubiectum pro quo ſupponit, ergo quando definitur accidens ſignificatum in concreto ſola forma eſt definitum, quia vero fit connotatio ad ſubiectum, in quo definitio exercetur, ideo totum complectitur,vnum vt definitum formale, *quo* qualis eſt ſecunda intentio,alterum vt materiale *quod* qualis eſt natura, vt ſubeſt ipſi ſecundæ intentioni. Confirmaturprimo.Logica agit de ſecundis intentionibus adiunctis primis,ſed materialia ſecundarum intentionũ ſunt primæ intentiones, videlicet ipſæ naturæ reales à parte rei exiſtentes,vt ſubſtant ſecundis intentionibus à quibus denominantur,ergo prædicta generis definitio vtrumque claudit,vnum vt definitũ formale *quo*,aliud vt definitum materiale *quod* modo nuper explicato. Confirmatur ſecundo, definitum quod in definitione alicuius concreti accidentalis eſt conſtitutum ex definito formali *quo* eo, quod definitum formale *quo* eſt ratio definiendi, & definitum quod materiale eſt conſtitutum ex natura, quæ eſt, quæ definitur,& prædicatur, & de qua talis definitio generis verificatur, & in qua ex modo ſignificandi exercetur,ergo in concretis accidentalibus definitum *quod* erit ſubſtractum generis,vt ſubſtat ipſi intentioni generis tamquam rationi formali definiendi & prædicandi de pluribus ſpecie differentibus.

Obiiciat quis primò, illud eſt definitum *quod* ſeu 40
materiale alicuius definitionis, cui eſſentialiter conuenit talis definitio,ſed ſubſtracto materiali intẽtionis generis etiã ab ipſa denominato, non cõuenit eſſentialiter,ſed accidẽtaliter talis definitio,quia illi nõ eſſẽtialiter,ſed accidẽtaliter conuenit,quod ab intentione denominetur, & per illam definiatur; immo & prædicetur de pluribus ſpecie differentibus, ergo definitum *quod* huius definitionis non eſt ſubſtractum, ſeu natura realis vt ſubſtat ſecundæ intentioni. Reſ-

pondeo in concretis accidentaiibus in quibus forma sub qua substracta definiuntur, solum accidentaliter illis competat, non est inconueniens, quod illis etiam definitio accidẽtaliter conueniat, & ratio est, quia nomen concretũ significat vnã rem, & supponit pro alia atque ideo tota definitio non potest cõpetere vt quod, rei definitæ, nec hoc necessarium est in concretis accidentalibus quod sit aliquod definitum *quod*, seu materiale, cui essentialiter competat talis definitio: nam in hoc degenerant definitiones concretorum à perfectione definitionis essentialis, quia in istis explicatur essentialiter natura rei definitæ, in definitionibus concretor um præter rem definitam, quæ est secunda intentio vt definitum formale *quo* connotat aliam ex modo signi ficandi, scilicet substractum, & natura, in qua talis de finitio verificatur: ergo non est necessariũ quod definitum materiale sit essentialiter requisitum, seu cui essentialiter talis definitio conueniat,
41 sed solum accidentaliter.

Obiiciat secundo: secunda intentio generis non est id, quod prædicatur de pluribus differentibus specie essentialiter, sed ipsa natura, & non secunda intentio est ratio prædicandi; ergo non secundæ intentioni, sed naturæ conuenit prædicta generis definitio: nam illi competit definitio generis, cui conuenit de pluribus differentibus specie prædicari. Resp. secundam intentionem non prædicari vt suppositum sed vt forma prędicandi: nam licet ex parte rei prædicatæ sit ipsa natura, quæ essentialiter prædicatur, tamen prædicabilitas, & status vniuersalitatis, quo natura prædicatur essentialiter de pluribus specie differentibus essentialiter conuenit naturæ à secunda intentione, quando autem dicitur, Petrus est albus, ly albus significat habens albedinem, & non solum albedinem in abstracto, cum hac tamen differentia, quod albedinem dicit de formali, de materiali vero, & de connotato ipsum subiectum, in quo verificatur prædicta propositio, quam doctrinam docuit Philosophus 7.met.text.42.dicens, *si accidentia in concreto definiantur debere definiri per formam in recto, & subiectum in obliquo.* Quia in illo verificantur definitiones, & exercentur propositiones & accidentia ab illo dependent, licet illud subiectum sit extra conceptum, & essentiam definitionis, vt multoties à nobis supra explicatum est.

CAPVT IV.

Quomodo genus sit totum & pars in compositione metaphysica.

42 COmpositum est duplex, vnum physicum, alterum metaphysicũ, seu logicum; primũ constat ex partibus physicis inter se realiter distinctis, vt homo constat ex materia, & forma, ex anima, & corpore; compositum metaphysicum seu logicum est illud, quod constat ex partibus per rationẽ distinctis, & vnitis inter se à parte rei per vnionem identitatis, vel per rationẽ, per actum iudicij, quo vnum componitur cum alio, vt homo ex animali, & rationali, quæ compositio logica, & metaphysica appellatur, quia resultat beneficio intellectus ex formalitatibus quæ realiter sunt idem, primum compositum est, & appellatur reale, quia à parte rei componitur ex partibus inter se realiter distinctis. Secundum compositum appellatur rationis, seu compositio rationis, & metaphysica, quia constat ex partibus seu gradibus sola ratione inter se d stinctis, vt in homine animal & rationale, nomen vero compositio totã essentiam hominis significat, quæ à parte rei est vna entitas constans ex materia & forma, & in composito metaphysico constat duobus conceptibus qui ratione nostra de eodẽ homine formantur, vt animal & rationale, ex quibus resultat species, & metaphysica compositio cum hac differentia, quod animal & rationale simul sumpta clarè, & explicitè manifestãt, quod oculte, & confusè cõtinebatur in quolibet seorsim sumpto, vt cum conceptus animalis formatur ex operationibus sentiẽdi directè repræsentat illud principium, scilicet animal, rationalitatẽ verò in confuso, cum in mea sententia quam exposui supra disp.7.c.6. non admittam obiectiuam præcisionem inter animal, & rationale in homine, similiter conceptus rationalis explicite dicit rationalitatem, & animalitatem in cõfuso, & ex iis conceptibus inter se vnitis per actum iudicij resultat conceptus specificus, & dicitur compositio metaphysica: nam hic conceptus repræsentatur per animal, & rationale clarè & explicitè, quod in confuso in quolibet seorsim sumpto repræsentabatur confusè, & ita conceptus specificus dicitur quasi metaphysicè cõpositus ex generico, & differentiali, & in hoc, ni fallor, metaphysica compositio consistit.

ASSERTIO I. Compositio ex genere & differen- 43
tia non est realis actualis, hæc est communis, & à nobis abundè disp.2. & disp.7.c.8. probata, dum negauimus obiectiuas præcisiones inter gradus superiores, in homine, vel in quolibet indiuiduo, & Carleton supra sect. 8. Arriaga & alij. Et probatur manifestè ex D.Th.c.3. de ente, & essentia, vbi sic ait, *ex hac parte, quod hac compositio non est, sicut ex duabus rebus tertia res, sed sicut ex duobus intellectis tertius intellectus.* In quibus D.Th. negat realem compositionem, & in eo, quod dicit ex duobus intellectis, tertius intellectus indicat talem compositionem esse rationis, vt omnes interpretantur, ergo compositio ex genere & differẽtia non fit ex partibus realiter inter se distinctis.

Probatur etiam ratione: implicat compositionem 44
esse realem, nisi inter extrema realia, & realiter distincta, sed genus, & differentia non distinguntur realiter à parte rei: ergo compositio ex illis resultans non est realis actualis, omnia sunt manifesta in argumento, & in minori nulla apparet difficultas, quia ad realem cõpositionem requiritur quod vnũ se habeat vt actus realiter, & alterum realiter vt potentia, & vnũ actuetur realiter per aliud, vt contingit inter materiam & formam, sed genus & differentia non se habent hoc modo in homine à parte rei: ergo cõpositio ex genere, & differentia non est realis actualis, cum compositio realis actualis petat essentialiter extrema realiter inter se distincta. Et confirmatur: si genus à parte rei actualiter distingueretur realiter, & formaliter à differentia, non posset formaliter prædicari de illa nec de specie, sed genus formaliter prædicatur de differentia & specie prædicatione directa, & formali, ergo genus non distinguitur realiter actualiter à differentia. Maior non eget probatione: probatur minor: in prædicatione formali, & essentiali prædicatum includit totum, quod est in subiecto, licet non omnino explicitè, & debet cum illo realiter identificari à parte rei, sed prædicatio generis de differentia, & specie est prædicatio essentialis vt constat ex dictis, ergo genus, & differentia non distinguuntur realiter actualiter à parte rei, & consequenter compositio, quæ resultat ex genere & differentia non est realis.

ASSERTIO II. Compositio ex genere, & differen- 45
tia est tantum compositio rationis cum fundamento in re, per rationẽ vero est appellanda vera compositio, minor omni cõpositione reali. Est etiã communis. Probatur primo ratione cõmuni: nam cõpositio metaph. qualis est quæ constat ex genere, & differẽtia in proprio rigore loquendo, non cõstat ex partibus sicut cõpositio physica, quæ cõponitur ex partib. separabilib. vt ex materia & forma, sed cõstat ex gradibus metaph. generis, scilicet & differentiæ, sed huiusmodi gradus solũ differunt secundum rationẽ magis, vel minus determinatã, non vero realiter vt partes: ergo sunt idẽ in homine, vel in Petro, secundũ magis, vel minus determinatũ, vnde eadẽ res, vt designat rationem animalis

minus

minus determinatam, & vt deſignat rationale vt magis determinatam, componit hominem ergo compoſitio metaphyſica in homine ex genere, & differentia reſultat tanquam ex gradibus eſſentialibus in ipſo repertis ſola ratione diſtinctis ſecundum maiorem, vel minorem deſignationē, vel determinationē.

46 Probatur ſecundo: genus, & differentia concipiuntur à noſtro intellectu diuerſis conceptibus formalibus per ordinem ad diuerſas operationes cum fundamento in re, ergo diſtinguntur ad minus ratione; antecedens probatur, quia intellectus noſter videns hominem à longe noueri, cognoſcit illum ex operationibus ſentiēdi, nullo modo illum cognoſcit ex operationibus ratiocinandi, ergo intellectus præbet fundamentum, vt poſſit præſcindere formaliter gradum genericum à gradu rationali, ergo compoſitio, quæ ex iis gradibus reſultat, erit compoſitio rationis, non tāquam ex partibus ſed tamquam ex gradibus ſecundum maiorem vel minorem deſignationem, ſeu determinationem.

47 Secunda etiā pars aſſertionis ſcilicet compoſitionē metaphyſicam rationis eſſe verā compoſitionē actualē, probatur: genus, & differentia non ſolum per intellectū cum fundamēto in rebus ipſis actualiter diſtinguuntur per noſtros conceptus formales vt numero præcedenti probaui, ſed etiam cum eodem fundamēto concipiuntur, genus vt determinabile per differentiā, & differentia vt determinans genus, quin genus includatur formaliter in conceptu formali differentiæ, nec differentia in conceptu formali generis; ergo licet compoſitio ex genere, & differentia ſit ſolum cōpoſitio rationis eſt tamen vera compoſitio, nam vere ex genere & differentia conſtituitur ſpecies, ſcilicet homo. Et vrgetur, nam talis cōpoſitio rationis ex genere, & differentia repugnat Deo qui non poteſt denominari, nec ab intentione generis, vel ſpeciei compoſitus, nec in prædicamento poteſt collocari, ergo talis compoſitio ex genere & differentia eſt vera compoſitio, & ex hoc capite repugnat Deo, alias ſi vera compoſitio non eſſet, non repugnaret ſimplicitati diuinæ, maneat ergo quod licet compoſitio ex genere, & differentia ſit tantum per rationem eſſe veram, & actualem compoſitionem metaphyſicam.

48 Dices, in omni vera compoſitione debet ſe habere aliquid, vt determinabile, & aliud vt determinans, ſed in hac compoſitione metaphyſica ex genere, & differentia id non reperitur, nam genus, & differentia ſunt realiter idem & idē ſeipſum non poteſt determinare, ergo talis compoſitio non eſt vera. Ad hoc argumentū iam ſupra n. 45. dedimus ſolutionē & amplius explico, quamuis enim genus, & differentia realiter non habeant determinare, vel determinari, quia vero per noſtros conceptus tam genus, quam differentia concipiuntur ſecundū diuerſas rationes, & conſiderationes, bene poſſe ſecundum vnam concipi genus per modum determinabilis, & differentiam per modum determinantis, & contrahentis, nam licet à parte rei ſint formaliter identificata cum reliquis prædicatis, per rationem tamen cum fundamento diſtinguntur, vt diximus numero 45. quod ſufficit vt compoſitio ex illis reſultans ſit actualis vera, & metaphyſica.

49 ASSERTIO III. genus in compoſitione metaphyſica prædicatur de ſpecie, vt pars actualis conſtitutiua ſpeciei, & vt totum potentiale continens in ſua potentialitate omnes differentias ad quas aptum eſt contrahi per eſſentialem prædicationem, itaque genus, ſcilicet animal non ſolum eſt pars actualis metaphyſica, quæ cum differentia componit totū actuale metaphyſicum, ſed etiam eſt totum quoddam poteſtatiuum ſeu potentiale continens in potentia, & in confuſo differentias, per quas ad ſpeciem contrahitur, & de illa prædicatur, nā genus prædicatur, de pluribus differentibus ſpecie tamquā ratio eſſentialis, & incompleta communis eorum; ergo genus prædicatur vt totū potentiale continens in potentia aliquam rationē communē contrahibilem per additionem alicuius differentiæ, ſed ratio metaphyſice incōpleta incōpoſitione metaphyſica eſt etiam pars actualis metaphyſica eiuſdem ſpeciei, ergo genus in compoſitione metaphyſica prædicatur vt pars actualis ſpeciei, quam cum differentia, quæ eſt alia compars metaphyſica cōponit ſpeciē, ergo genus ſcilicet animal, quando prædicatur de homine, & eſt totum potentiale continens in potentia, & vt ratio communis ipſam ſpeciē & ſimul eſt pars actualis; quæ ſimul cū differentia conſtituit ipſam ſpeciē videlicet hominem cum hac differentia, quod genus dum eſt in potentia ad prædicationem, non ſolum habet rationem totius potentialis, ſed etiam rationem partis potentialis cōtrahibilis per differentiam; in ipſa vero prædicatione actuali habet rationem partis actualis, ſicut differentia, quæ vt alia compars actualis conſtituit ipſam ſpeciem, ergo genus verè dicitur prædicari non ſolū vt totum metaphyſicum & logicum, ſeu potentiale, verum etiam vt pars tam in potentia, quam in actu.

Dices, genus & differentia non ſe habent vt partes reſpectu ſpeciei, ergo illam nullo modo poſſunt componere, nam in omni vera compoſitione tā phyſica, quam metaphyſica, cōponentia ſe habent vt partes, reſpectu totius, quod componūt, antecedens probatur ex dictis numero præcedenti; quia genus eſt totū quoddā potentiale, continens in potentia, & in cōfuſo omnes ſpecies, ſed totū & pars inter ſe opponuntur, ergo genus, cum prædicetur de ſpecie, vt totū potentiale, & vt ratio communis non poteſt habere rationem partis actualis nec potentialis, nam pars non poteſt prædicari de toto. 50

Reſponſio huius argumenti explicabit difficultatem: Totū eſt duplex, vnum actuale, quod ex partibus actualibus conſtat actu illas continendo, vt homo, qui eſt totū actuale, actu continet animal, & rationale, tāquā partes actuales ex quibus actu componitur: aliud eſt totum potentiale quod ſuas partes continet in potentia, & non actu, vt genus, quod eſt totum potētiale ſpecierum, quas ſolum implicitè, & in confuſo cōtinet in potentia, quatenus poteſt contrahi, vt natura perfectibilis per differentias, & conſtitui in ſpecie atoma, pars ergo phyſica actualis non poteſt prædicari de toto actuali, quia ab illo realiter diſtinguitur, vt conſtat in anima, & prędicatio eſſentialis petit idētitatē inter ſubiectum, & prædicatum vt diximus d. 9. c. 5. nec enim pars actualis per identitatem eſt totū actuale, anima enim non eſt totus homo, pars vero actualis ſeu potentialis metaphyſica ſimul eſt totum potentiale licet actu, & explicite non includat quidquid eſt in toto, includit tamen illud implicite & in confuſo ſeu in potentia, quod ſufficit, vt poſſit prædicari de toto quod componit, prædicatio enim eſſentialis, licet requirat identitatē in extremis ſcilicet inter ſubiectum, & prædicatū, non tamen ſemper petit, quod explicite & formaliter prædicatum contineat, quidquid eſt in ſubiecto, ſed ſufficit, quod implicitè, & in potentia dicat quidquid in illo eſt, v.g. animal præciſū à rationali per rationem eſt pars actualis, & potentialis metaphyſica hominis, & ſimul eſt totum potentiale continens in potētia tamquā ratio cōmunis, & ſuperior omnes ſpecies animalis, ad quas contrahi poteſt per differentias, & de illis prædicari non ſolum vt totū ſed etiā vt pars metaphyſica, & ita eſt intelligendus D. Thom. opuſc. de ente, & eſſentia c. 3. dum dicit, ſi animal non eſſet totū, quod eſt homo, nō prædicaretur de eo, cum nulla pars prædicetur de ſuo toto, id eſt, quæ ſimul non eſt totum vt animal, quod reſpectu ſpeciei quam conſtituit eſt pars metaphyſica 51

potentialis,& actualis, & simul est totum potentiale respectu aliarum specierum,quas continet in potẽtia.

52 Rem amplius explicemus pro modo loquendi,genus cõsiderari potest tã ex parte modi concipiendi,quã ex parte rei cõceptæ:primo modo omne vniuersale dicit rationẽ totius respectu suorũ inferiorũ,quia tali modo concipi debet vt possit prædicari de quolibet inferiori,& tunc prædicatur vt totum potentiale,si autem concipiatur vt solum pars respectu illorũ non potest prædicari de illis, quia omne totum debet esse maius sua parte,& omnis pars minor suo toto,& ita ex modo concipiendi genus prædicatur vt totum potẽtiale suorum inferiorum,ex p rte vero rei conceptæ,genus in actu,vt speciem constituit,habet vtrumq; videlicet esse totum potentiale,vt implicitè dicit totum, quod est in inferiori de quo prædicatur, & simul esse partẽ actualem , quatenus designat vnum tantum constitutiuum quidditatis specificæ, & non totam quidditatẽ: exemplum est in animali,quod ex parte rei significatæ solum designat rationem sensitiuã,in qua non explicatur omne,quod pertinet ad totam essentiã hominis,implicite vero quatenus est totum potentiale,dicit totũ, quod est in homine:nam licet explicitè dicat solam formam sensitiuam, non tamen excludit aliud, quod tali formæ sensitiuæ potest conuenire, videlicet illud implicitè dicere,seu importare,& sic ratio totius potentialis, & partis metaphysicæ potentialis seu actualis non incongruè explicantur.

53 Dices secundo ratio generica animalis, vt particularizata,& determinata ad vnam speciem,non est totum potentiale,nam sic determinata non habet indifferentiam ad alias species, quod est de ratione totius potentialis,sed animal cum prædicatur de homine est determinatum ad solum hominẽ : nam per talis prædicationis actum solũ attingitur rationalitas, quæ est in homine , ergo in hac prædicatione:homo est animal:animal non prædicatur,vt totũ potentiale,sed tãtum vt pars.Resp.quod cum animal prædicatur de rationali, vel homine, considerari per rationem, vt est vnitum,& cõpositum cum rationali,& vt determinatum ad solam speciem hominis,& vtrumq;requiritur, vt animal per rationẽ sit pars metaphysica componẽs speciem hominis scilicet quod sit distinctum,ac præcisum à differentia,nempè rationali, & quod sit vnitũ & compositum cum illa,quæ duo munera etsi diuersa præstãtur à nostro intellectu,ita tamen quod per præcisionem,qua animal præscindit à differentia rationali,habet esse totum potentiale, quia est indifferens ad plures species, & habet etiam rationem partis metaphysicæ,quia cũ hac præcisione rationis habet à parte rei coniunctionẽ identitatis cum illo,ergo per talem præcisionem apprehensiuã animal absq; alio actu fit pars metaphysica speciei, scilicet hominis, cum vero dicimus genus v.g.animal prædicari de homine,vt totum potentiale debet intelligi,quod prædicatur vt totũ potentiale,vt est in nostra apprehensione,quæ per se ad prædicationem supponitur , non vero genus, id est , animal in ipsa actuali prædicatione.

54 Pariformiter idẽ dici debet de altera comparte metaph. scilicet differentia, quæ simul cum genere speciem constituit,rationale enim fit pars metaph.actualis,scilicet hominis per illam cognitionẽ præcisiuam, per quam rationale formaliter præscindit ab animali, quia vt rationale sit pars metaph.actualis speciei, requiritur,vt ratione distinguatur, ab animali , sed per illã cognitionem , qua animal manet præcisum à rationali,non manet rationale præcisũ ab animali,quia aliquãdo vna formalitas præscinditur ratione ab alia, & alia non manet ratione præcisa ab illa,vt videre est in ente,quod præscindit à substantia & substantia non manet præcisa,immo imbibita, & inclusa in ente:ergo ex eo, quod vna formalitas ratione præscindatur à rationali , non eo præcisè rationale manet præcisum ab animali,sed alia cognitio præcisiua desideratur,per quam & præscindat rationale ratione nostra ab animali,& in esse partis metaphysicæ actu constituatur.

55 Sed adhuc obseruandum est discrimen inter distinctionem physicã, & distinctionẽ metaph.nam distinctio physica est relatio vnius ad aliud correlatiuum, atq; ita ex eo præcisè quod vna res sit physicè distincta ab alia,alia necessariò debet esse distincta physicè ab illa vt videre est in anima & corpore,in materia,& forma, at distinctio metaph. vnius ab alio non est relatio,sed absolutè quædam cognitio , qua concipitur formalitas non cognita , seu concepta alia , licet per quamlibet cognitionem totum obiectũ cognoscatur à parte rei,vt fusè probatũ reliquimus disp.7.de præcisionibus c.6. quãuis non eodem modo cognoscatur vna formalitas obiecti, ac altera ex parte modi cõcipiendi,aut cognoscendi,cum sæpe accidat,quod cõcipiatur animal non cõcepto rationali,& è cõtra fit quod animal sit pars metaph.potentialis,& actualis in cõpositione metaph.distinctum ratione à rationali,quin rationale sit distinctũ ab animali,sit pars metaphysica speciei scilicet hominis,& similiter differẽtia tanquã alia compars: ergo vt differentia speciem simul cum genere constituat tamquam pars metaph. alia cognitio præcisiua rationalis ab animali necessaria est.

56 Vltimo tandem contra prædicta sic obiici potest destruendo cõpositionem metaph.quia ad illã non sufficit rationis distinctio huc vsq; à nobis explicata:nam ens ratione ratiocinata distinguitur ab omnibus entibus particularibus, similiter in Deo attributa ratione ratiocinata distinguũtur ab eius essentia,& tamen ex illis non resultat in Deo vera cõpositio metaph. neq; in differentiis entis : ergo sola rationis distinctio non sufficit ad astruendã veram cõpositionem metaphysicã & actualẽ inter animal,& rationale,siue inter genus, & differentiã,& consequenter ex genere,& differẽtia non potest resultare in homine cõpositio metaph.speciei,sed alia maior adhibenda est. Resp.ad primũ non quamlibet distinctionẽ rationis ratiocinatæ sufficere ad veram cõpositionem metaphysicam sed ad eam desiderari , vt vnus conceptus non includatur in altero nec sit de essentia illius , & è contra , vt contingit in ente respectu suarũ differẽtiarum,ac proinde ens cum nullius rei conceptu facere potest veram & metaph. compositionẽ,genus vero quamuis sola ratione ratiocinata distinguatur à differentiis est tamen formaliter extra conceptum differentiarum , quia nec genus est de essentia differentiarũ,nec differẽtiæ generis,& ideo ratione nostra possunt efficere veram metaphysicã,& actualem compositionem , maximè cum tam genus, quã differentia respectu speciei quam cõstituunt, habeant rationem actus,& potentiæ. Ad secundum Respondeo disparé esse rationẽ in Deo,& diuinis attributis,quę etsi ratione ratiocinata à diuina essẽtia distinguantur propter imperfectũ modũ concipiendi nostri intellectus,tamen propter summã diuinæ naturæ simplicitatẽ & rationẽ purissimi actus relegamus ab illa omnẽ metaph.cõpositionẽ,quæ inter animal,& rationale nõ repugnat in cõpositione speciei,scil.hominis.

CAPVT Vltim.

Quædam dubiola elucidantur.

57 PRimo quæritur an genus sit prius specie,Respondeo quod genus est prius specie in subsistendi cõsequentia:Probatur manifestè,quia illud est prius alio in subsistendi consequẽtia,à quo non valet consequẽtia ad illud,ab alio autẽ valet consequentia ad illud,vt rationale est homo,medio priusPetro,quia bene valet est Petrus,ergo est rationalis,non vero è contra est rationalis, ergo est Petrus, quia potest esse Paulus, eodem modo genus est prius specie , & valet à specie

ad

ad genus conſequentia, non vero valet à genere ad ſpeciem,bene enim valet eſt homo,ergo eſt animal, non è contra, eſt animal, ergo eſt homo, quia poteſt eſſe equus,qui etiam eſt animal,ergo genus eſt prius ſpecie in ſubſiſtendi conſequentia.

58 Secundo quæritur, an genus ſit nobilius ac perfectius differentia. Reſpondeo genus in modo prædicandi eſt nobilius differentia, in modo autem eſſendi differentia eſt perfectior genere, prima pars probatur, quia illud eſt in modo prædicandi perfectius alio, quod prædicatur in quid & per modum per ſe ſtantis,& abſoluti, aliud vero vel non prædicatur in quid, ſed ſolum in quale, vel ſi partim prædicatur in quid, eſſentialiter habet admixtam qualitatem, & prædicatur per modum alteri adiacentis, ſed genus prædicatur in quid & per modum per ſe ſtantis;differentia vno prædicatur in quale quid, & per modum alteri adiacentis, ergo in modo prædicandi genus eſt perfectius differentia.

59 Secunda etiam pars concluſionis probatur, quia perfectius eſt in modo eſſendi id,quod eſt forma, & actus quam id,quod eſt materia,& potentia, vt apud omnes eſt in confeſſo,ſed differentia eſt metaph.forma & actus generis,genus vero metaph. eſt materia & potentia reſpectu differentiæ,ergo in modo eſſendi differentia eſt perfectior genere, vnde animal in modo prædicandi eſt perfectius rationali,& rationale in modo eſſendi eſt perfectius animali.

60 Tertio quæritur,an genus ſit ratio tranſcendens? Reſp.ratio tranſcendens,v.g.ratio entis reſpectu ſubſtantiæ,& accidentis non poteſt eſſe genus, quia genus debet eſſe pars metaph.ſpeciei ſcilicet hominis, ſed ratio tranſcendens non eſt pars ſpeciei, cum in quauis formalitate ſpeciei intime, & formaliter imbibatur, ergo ratio tranſcẽdens non eſt genus.Dices, ratio entis poteſt concipi, non concepta formaliter ratione ſubſtantiæ,ergo ratio ſubſtãtiæ aliquid aliud importat propter rationem entis,ergo ratio entis nõ eſt tranſcendens,neque ex hoc bene excluditur à ratione partis metaph.hoc argumentum ſoluitur ex iis, quæ in vltima obiectione n.56. ſupra dicta ſunt, & Reſp. ad rationem partis neceſſario deſiderari aliam compartem, vnde ratio tranſcendens v.g. ratio entis eſſet genus,& metaph.pars ſpeciei,ſcilicet ſubſtãtiæ deberet habere ſub ſe aliquam differẽtiam quæ etiam eſſet pars metaph. illius ſpeciei, ſed ratio tranſcendens non habet ſub ſe aliquam differentiam, quæ ſit pars metaph.ſpeciei,quia quæuis differentia ipsã rationẽ entis includit,& ita nõ eſt pars ſpeciei,ſed tota ſpecies,ergo ratio trãſcendens non poteſt eſſe genus.

61 Quarto quæritur & explicatione diſoluitur illud Axioma Ariſt.genus ſumitur à materia,differẽtia vero à forma, quod non eodẽ modo adaptari poteſt omnibus naturis,quæ generis intentionẽ ſubire poſſunt, quare illud ſic breuiter explicandum duxi tã de ſubſtantiis ſpir itualibus quam corporeis,& ſuppono pro omnibus fundamentum(à quo ſumuntur tam gradus generici,quam differentiales) eſſe duplex, vnum remotum,& radicale,alterum vero formale, & proximum,nam gradus genericus dicit aliquid de potentialitate,differentialis vero aliquid de actualitate; in ſpiritualibus vero creaturis quales ſunt naturæ intellectuales,& Angelicæ,cum careant materia non poteſt genus ſumi à materia neque proxime,neque remote, ſed debet ſumi ab aliquo, quod ſuo modo ſit potentialius, & quaſi materia vt modo explico ex mente D.Thomæ.

62 Dico 1.in ſubſtantiis ſpiritualibus tota eſſentia eſt fundamentum non ſolum proximum,ſed etiam radicale,à quo ſumuntur genus,& differentia,licet diuerſimodè, nam gradus genericus ſignificat eſſentiã vt eſt radix perfectionis communis, in qua omnes Angeli conueniunt,vt eſt gradus immaterialitatis,& intellectualitatis, gradus vero differentialis ſignificat eamdem eſſentiam, vt eſt radix perfectionis particularis propriæ cuiuſlibet Angeli,quod manifeſte probat 1.p.q.56.art.2.ad primum iis verbis:*Sed in rebus materialibus non eſt aliud determinans & determinatum,ſed vnaquæque earum ſecundum ſeipſam tenet determinatum gradum in entibus,& ideo genus,& differentia in eis non accipitur ſecundum aliud, & aliud, ſed ſecundum vnum, & idem*; idem tenet expreſſum opuſc.42.c.5.de ente,& eſſentia c.6.vnde ipſa intellectualitas, ſeu immaterialitas præciſe, vel indeterminate ſumpta eſt quaſi materia in entibus ſpiritualibus ideſt,quatenus eſt intellectualitas finita, & limitata, & vt eſt quaſi in potentia, vt per maiorem participationem actus puri ſit perfectior, & per minorem inperfectior,ex quo ſumitur ratio differentię, & gradualis perfectionis,quatenus vniformius vnus intellectus intelligit,quam alius.Hanc cõcluſionem ſic explicatã breuiter ſic probo quia in Angelis nulla alia inuenitur compoſitio realis præter compoſitionem ex eſſentia, & exiſtentia, ſed exiſtentia non poteſt eſſe radix compoſitionis, quam ex genere, & differẽtia format intellectus,quia omnino repugnat differentiam ſumi, ſeu fundari ſupra id, quod non pertinet ad eſſentiam eius, cuius eſt differentia, ergo exiſtentia quæ eſt diſtincta realiter ab eſſentia Angeli non poteſt eſſe radix, ex qua ſumatur differentia, ſed tota eſſentia Angeli erit modo explicato.

Dico 2.in ſubſtantiis corporeis, tam genus, quam differentia ſumuntur à materia, & forma non cũ rigore,& proprietate phyſica, ſed per quamdam analogiam ad res phyſicas, quatenus in eis inuenimus vnam radicem generis,& aliam differentiæ licet ſimpliciter & abſolute tam genus, quam differentia ſumantur ab vtroque principio proportione ſeruata,nã neq; ſola materia prima eſt integra radix gradus generici,ſi ab ea præſcindatur omnis forma,neque ſola forma continet potentialitatem,quam materia,atque ita tam materia,quam forma ſunt principium completum,à quo ſumuntur genus & differentia:cuiſententiæ aſſentiri debent præciſiones obiectiuas negãtes inter formalitates generis, & differentiæ, quas ego ſupra diſp.7 c.6. negaui inter formalitates creatas.Hanc ſententiam communiter defendunt omnes vt Complutenſes diſp.5.de genere q.5. Ioan.à S.Th. q.7.art.3.Lerma l.4.Prædic.q.3.Soto,& omnes fere. 63

Probatur 1.auctoritate Ariſt.1.Phyſic. vbi inquit, *quod materia prima eſt primũ quod in cõpoſitione ineſt vt potentia ſubſtantialis naturæ ex ſe indifferẽs ad formas,aliunde forma eſt actus ſubſtantialis determinans materiam iuxta eumdem Philoſophum,actus eſt,qui diſtinguit*, ergo Ariſt.tam genus, quam differentia ſumuntur à materia,& forma: 2.ex D.Thom.q. de ſpiritualibus creaturis art.1.ad 24.aſſerente,quod *genus ſumitur à materia & differentia à forma, ita tamen quod per materiã non intelligatur materia prima, ſed ſecũdum quod per formam recipit quoddam eſſe imperfectum,& materiale reſpectu eſſe ſpecifici, ſicut eſſe animalis, eſt imperfectum, & materiale reſpectu hominis*, quod ſic debet intelligi, quod genus non ſumitur à ſola materia nuda,ſed à materia habente eſſe imperfectum per formam, quia materia non dat gradum, ſed recipit, & materia ſic habens eſſe imperfectum dicitur materiale requiſitum reſpectu gradus perfectioris, genus enim dicit aliquam naturam licet nõdum perfectam omni perfectione, quia dato quod materia prima habeat aliquam actualitatem ſubſtãtialem,& entitatiuam,tamen cõſtat manifeſte quod à forma recipit non tantum vltimam actualitatem & gradum, ſed etiam alias perfectiones magis vel minus determinatas, atque ita in rebus compoſitis 64

genus remote sumi potest à materia, quatenus est principium omnis potentialitatis, & differentia à forma, quatenus est principium vlterioris perfectionis, quia gradus genericus dicit aliquam actualitatem, cuius materia non potest esse radix, sed necessario petit formam, & consequenter materia prima ex se sola non potest esse integra radix gradus generici sine forma.

65 Ratione probatur, quia gradus genericus ex conceptu suo est quid potentiale sicut gradus differentialis est quid actuatiuum & perfectiuum, ergo licèt fundamentum proximum, & completum horum graduum sit tota essentia vt perfectibilis, tamen radices, à quibus sumuntur tales gradus erunt illæ res, à quibus primo oritur talis potentialitas, & actualitas, sed prima radix potentialitatis est materia, & actualitatis est forma, ergo materia, & forma sunt primæ radices, à quibus sumuntur gradus genericus, & differentialis, sic Caiet. de ente, & essentia cap. 6. Conrad. Nazarius & alij.

66 Dices ex D. Thoma opusc. 42. cap. 2. & 1. part. qu. 50. art. 2. ad 1. *Quod in rebus materialibus aliud est, quod determinat specialem gradum scilicet forma, & aliud, quod determinatur scilicet materia*, in quibus verbis affirmare videtur, quod genus à sola materia sumatur, & differentia à sola forma. Respondeo quod D. Thomas in prædictis verbis nihil aliud velit dicere, quam quod in rebus compositis materiam esse primam rationem potentialitatis, & sic licèt gradus genericus sumatur à forma pro ea parte, qua gradus dicit actualitatem, tamen potentialitas generis ad materiam, vt ad primam radicem deuoluitur, licèt proximè desumatur, non à materia nuda, sed ab eo, quod materiale est respectu vlterioris perfectionis, quæ est differentia, hoc autem materiale vocat D. Th. materiã, & illud formalius formam.

67 Dices, vltimo, gradus genericus, scilicet animal non solùm dicit potentialitatem, sed etiam aliquod esse actuale, & consequenter non solum dicit materiam sed etiam formam, ergo similiter gradus differentialis, nempe rationale non dicit solum actualitatem, sed etiam materiam, nam rationale, quod est differentia hominis non significat quamcumque naturam intellectualem, sed etiam eam, quæ simul est materialis, ergo sicut sola materia non est integra radix gradus generici, ita neque forma hominis erit integra radix gradus differentialis. Respondeo quod licèt rationale connotet materiam, & animal formam, esse tamen magnum discrimen, ex eo quod gradus generici sint compositi ex gradu superiori, & proprio constitutiuo; differentiæ verò sunt conceptus simplices, & ita gradus genericus connotat vtramque partem, differentia verò non sic connotat materiam, sed quasi extrinsecè & illatiuè eo modo, quo ex differentia colligitur genus.

68 Ex dictis colligo genus, & differentiam accidentium radicaliter non sumi à materia, & forma, sed primum genus sumi à proprio modo essendi talis accidentis, differentiam verò ex diuersitate principiorum à quibus causatur. Probatur, quia essentia accidentis non componitur ex materia, & forma, neque ex aliqua alia reali compositione actus & potentiæ, ergo in illo non est alia radix generis, & alia differentiæ, sed vtrumque fundatur supra eamdem simplicem essentiam accidentis ad eum modum, quo de substantiis spiritualibus diximus, atque ita tota essentia, vt indeterminata & perfectibilis fundabit gradum genericum accidentis, & eadem tota essentia vt determinata & perfecta fundabit gradum differentialem cum hac tamen differentia, quod cum illæ substantiæ sint completæ, habent ex se integram definitionem, & sic integra earum differentia sumitur à propria essentia, & non ab aliquo extrinseco, ista verò cum sint entia secundum quid habent definitionem incompletam, quæ complet per ordinem ad subiectum extrinsecum, & ita sola essentia non erit integra radix, vnde sumatur differentia, sed supplebitur in esse radicis per extrinsecum subiectum.

In caput 2. Porphyrij de specie.

Summa Textus.

SPecies est correlatiua generis, quia genus immediatè prædicatur de specie, & ipsa de indiuiduis, & ideo includit duplicem respectum, primum subiicibilitatis ad genus, secundum superioritatis ad indiuidua, de quibus prædicatur, & ad exactam notitiam huius prædicabilis vterque respectus explicandus est.

Et licèt Porphyrius in tradendis vniuersalibus ordinem naturæ sequutus, anteposuerit differentiam speciei, ordine tamen doctrinæ optimè speciem prætulit differentiæ duplici de causa: prima, quia cum species per genus explicetur commodè post ipsum, posuit speciem. Secunda, quia cum species habeat modum prædicandi *in quid* sicut ipsum genus, propinquior est, quam ipsa differentia, quia sicut per genus explicatur species, ita per speciem explicatur genus, hinc ipse assignat varias acceptiones speciei, primo enim illam appellat formam, seu pulchritudinem, qua ratione forma in composito physico dicitur illius pulchritudo, & homines etiam specioſi, ac pulchri dicuntur, vt Regius Vates canit de Christo, Speciosus forma præ filiis hominum, & in nostra materia species dicitur pulchritudo indiuiduorum.

Deinde Porphyrius tradit varias definitiones speciei in hunc modum, species est, quæ sub assignato genere collocatur, cui immediatè subiicitur, & de qua genus prędicatur. Ex quibus duplex speciei consideratio oritur videlicet subiicibilitatis, & prædicabilitatis fundans duplicem respectum ad superius, cui subiicitur, & ad inferiora, quæ respicit, cum hoc tamen stat, quod sicut genus summum ex eo, quod sit tale, non est species, quia supra illud, non est aliud genus, ita aliqua species, ita est species, vt non sit genus neque infra illam, alia species, in quam diuidatur, & contrahatur, bene tamen de generibus intermediis, & speciebus subalternis sub diuersis considerationibus genera, & species esse possunt.

Statuit præterea in litera numerum eorũ, quæ sunt in prædicamentis, & affirmat summa genera esse decem, species vero infimas certo numero cõprehendi, licèt nobis ignoto, indiuidua vero esse fere infinita, qua de causa Plato præcipit, vt ille, quia scientiã scrutaturus est, diuidat suprema genera, sed vsque ad species infimas, & indiuidua non excurrat quia cum fere infinita sint sub scientiam cadere non possunt.

Ex iis gradum faciens, ad prædicationis modum, eorum quæ in prædicamẽtis continentur, hoc documẽtum assignat, genera prædicari de speciebus & vltra, scilicet de iis, quibus ipsę species, siue immediatè, siue mediatè, cuius propositionis ratio est, quia vniuersaliora de inferioribus, maiora de minorib. & ad minus paria de paribus prædicãtur, maiora de minoribus, vt animal de homine, paria de paribus vt hinnibile de equo, nunquã verò minora de maioribus, vt Plato de animali, ita vt animal, hominẽ esse dicas, sed ecõtra.

Tandem in vltima parte litteræ agit Porphyrius de indiuiduis, & non incongruè, cum omnibus subiiciantur vniuersalibus, & quia natura speciei per indiuidua explicatur, sic illud definit, indiuiduum est, quod de vno tantùm prædicatur, de quo tria breuiter proponit, primo enim trifariã nominari vt Petrus

trus:ſecundo periphraſi pronominis demõſtratiui, vt hic homo,hoc albũ,tertiò,nomine alicuius orationis quę ex hypotheſi alicuius vnitatis accommodatur,vt filius.Petri. 2. Tradit indiuidua talia dici ex proprietatibus, quæ vt in vno aggregatæ, numquam in alio erunt eædem,ſub qua ratione in hunc modum aliter definitur; indiuiduum eſt, cuius collectio proprietatum quæ eſt in vno,numquam in alio erit eadem. Huiuſmodi autẽ proprietates aſſignantur ab Alberto Magno hoc verſu; *forma,figurã,locus,tempus cum nomine ſanguis Patria ſunt ſeptem, quæ non habet vnus ac alter.* Tertio tandem comparat indiuiduum in ordine ad ſubiecta,& affirmat eſſe partem ſpeciei,ſpeciem vero pattem generis,totum vero reſpectu indiuidui,quod de ſolo potentiali,& parte potentiali intelligendum eſt, & hæc in cortice litteræ textus.

DISPVTATIO X.

De ſpecie ſubiicibili, ac correlatiuo generis.

TRIA capita continebit.In primo,quid ſpecies ſubiicibilis, & quæſita alia explicantur. In ſecundo inquiro, an aliqua indiuidua mediate generi ſubiiciantur ? In tertio an ſpecies poſſit conſeruari in vnico indiuiduo, & genus in vnica ſpecie.

CAPVT I.

Quid ſpecies ſubiicibilis, & quæſita alia explicantur.

1 SPeciem ſubiicibilem, quæ etiam correlatiuum generis appellatur ex doctrina Porphyrij, hic c. de genere,ſic definio. *Eſt illa,quæ apta eſt generi ſubiici.* Non aliter ac genus eſt id, quod aptum eſt de ſpeciebus prædicari, vt diximus diſp.10.cap.1. ſicuti enim id,quod de alio prędicatur,dicitur prædicatum, & id de quo aliud dicitur, ſubiectum dicitur, ita id, quod aptũ eſt, de alio prædicari dicitur prædicabile. & id, quod eſt aptum vt de illo aliud prædicetur,dicitur ſubiicibile, vnde cum genus ſit aptũ prædicari de quacumque ſpecie contenta ſub illo idcirco genus dicitur ptædicabile reſpectu ſpeciei, quia vero ſpecies eſt apta ſubiici,& ſupponi generi,vt de illa genus actu prædicetur, idcirco vocatur ſpecies ſubiicibilis reſpectu generis. Obſeruãdum tamen eſt in hac ſpeciei definitione eſſentialiter & neceſſario ſubintelligi hanc particulam *immediatè* ita vt de ratione ſpeciei ſubiicibilis ſit,quod generi immediatè ſubiiciatur,quia quemadmodum genus definitur,eſſe aptum prædicari de ſpeciebus ibi ſubintelligitur *immediatè*. Nam mediate ſaltem genus etiam eſt prædicabile de indiuiduis,ſic ſimiliter cum ſpecies ſubiicibilis definitur, eſt apta ſubiici generi, debet ſubintelligi immediatè:nam mediatè ſaltem, etiam indiuiduum generi ſubiicitur.

2 Sed primo quæritur vtrum prædicta definitio ſit eſſentialis, an deſcriptiua. Plerique tenent eſſe deſcriptiuam,alij putant eſſe eſſentialem, pro cuius tamen elucidatione obſerua,ſicut formalis prædicabilitas cuiuſque vniuerſalis v.g.generis eſt duplex;alia eſt prædicabilitas remota ſeu radicalis, qua genus animal v.g.eſt formaliter prædicabile remotè de ſuis ſpeciebus,quę quidem prædicabilitas non diſtinguitur ab apprehenſione abſtractiua, qua animal ab ſpeciebus præſcinditur; alia eſt prædicabilitas formalis proxima,qua genus ſcilicet animal eſt formaliter de proximo prædicabile de ſpeciebus quæ non diſtinguitur ab apprehenſione comparatiua, qua cõcipitur animal,reipſa in ſpeciebus exiſtere, vt explicui ſupra diſp.6.c.2.& diſp.9.c.4.n.1.ita ſimiliter duplicem eſſe ſpeciei ſubiicibilitatem formalem reſpectu generis,aliam eſſe ſubiicibilitatem formalem remotam,ſeu radicalem,qua talis ſpecies eſt formaliter ſolum remotè apta ſubiici generi,aliam eſſe ſubiicibilitatem formalem proximam qua ſpecies eſt formaliter & proximè apta vt generi ſubiiciatur.

Hoc ergo obſeruato, ſi præfata definitio,qua ſpecies ſubiicibilis dicitur eſſe apta generi ſubiici, formalem eius ſubiicibilitatem remotam ſeu radicalem declaret,erit definitio eſſentialis,ſi autẽ eius formalem ac proximam ſubiicibilitatem exprimat,erit definitio deſcriptiua,quod ſic oſtendo:ita ſe habet ſubiicibilitas ad hanc ſpeciem,ſicut ſe habet prædicabilitas ad vniuerſale, hoc eſt ad genus,atqui prædicabilitas formalis remota, ſeu radicalis,eſt de eſſentia vniuerſalis,ac generis, prædicabilitas vero proxima eſt paſſio ſolum illius,vt oſtendi ſupra diſp.9.c 4.per totum, ergo ſubiicibilitas formalis remota ſeu radicalis eſt de eſſentia ſpeciei ſubiicibilis, & prædicabilitas proxima formalis eſt paſſio ſolum illius: ergo prædicta ſpeciei definitio,ſi explicat prædicabilitatẽ remotam formalem, erit eſſentialis, ſi autem exprimat ſolum formalem proximam,erit deſcriptiua. 3

Secundo quæritur, per quemnam actum rationis ſpecies conſtituatur ſubiicibilis: aliqui dicunt ſpeciem fieri formaliter ſubiicibilem per cognitionẽ abſtractiuam,qua genus ab ſpeciebus abſtrahitur,quia per talem cognitionem,genus v.g.animal fit formaliter prædicabile de ſpecie,ſcilicet,homine,ac proinde per eam cognitionem ſpecies hæc fit ſubiicibilis reſpectu generis, nequit enim eſſe prædicabile ſine ſubiicibili,cum ſint mutuo correlatiua inter ſe. Alij opinantur ſpeciem non fieri ſubiicibilem formaliter niſi per cognitionem comparatiuam,qua genus v.g. animal concipitur eſſe reipſa incluſum in ſpecie, à qua abſtractum fuit, quia niſi accedat hæc cognitio,qua quis concipiet animal eſſe in homine, animal non poteſt prædicari de homine, & conſequenter neque homo poteſt ſubiici animali, neque conſtituitur ſpecies formaliter ſubiicibilis. 4

Ego autem cenſeo ſub prædicta diſtinctione ſubiicibilitatis formalis remotæ & proximæ dubio reſpõdendum eſſe, ſpecies quidem fit formaliter ſubiicibilis remotè per cognitionem abſtractiuam,qua genus,v.g.animal à tali ſpecie præſcinditur,fit vero formaliter ſubiicibilis proximè per apprehẽſionem cõparatiuam,qua animal iam præciſum apprehenditur eſſe incluſum in ſpecie v.g.in homine.Probatur,per illam cognitionem fit ſpecies formaliter remotè, vel proximè ſubiicibilis generi, per quam formaliter genus fit remotè,vel proximè prædicabile de ſpecie, quia idem formaliſſimè eſt,genus eſſe prædicabile de ſpecie,ac ſpeciem ſubiicibilem, ſeu aptam,vt de illa prædicetur genus, ſicut idem formaliſſimè eſt ignem agere calorem in ligno, & lignum pati calorem ab igne, vt ex Phyſica ſuppono,atqui genus per cognitionem abſtractiuã fit formaliter remotè prædicabile de ſpecie,& per cognitionem prædictam comparatiuam fit formaliter & proximè prædicabile de eadem ſpecie vt oſtendi ſupra diſp.9.c.4. ergo ſpecies etiam per cognitionem abſtractiuam generis ab ipſa ſpecie fit formaliter remotè ſubiicibilis generi, & per apprehenſionem comparatiuam qua concipitur,genus eſſe in ipſa ſpecie,fit ſpecies formaliter, & proximè ſubiicibilis eidem generi,& in hoc tantum rationes vtriuſque ſententiæ relatæ conuincunt. 5

Obiiciat aliquis primo, cognitio non denominat formaliter niſi id,quod reſpicit,ſed cognitio illa ab- 6

ſtractiua,qua genus,animal v.g.præſcinditur ab ſpecie hominis, non reſpicit ſpeciem ipſam hominis, cum non cognoſcat hominem, ſed præcisè animal: ergo illa cognitio abſtractiua generis non denominat formaliter,ſpeciem:ergo per talem cognitionem non poteſt ſpecies denominari formaliter ſubiicibilis. Secundo vt homo fiat ſpecies ſubiicibilis reſpectu animalis,neceſſario requiritur,quod præſcindatur ratio hominis à Petro & Paulo,& aliis, alioqui homo non eſſet ſpecies ſubiicibilis, ſed plura indiuidua ſubiicibilia,ſed ratio hominis eſt ratio ſpecifica non generica,ergo homo fit ſpecies ſubiicibilis formaliter per abſtractionem ſpeciei ab indiuiduis,non vero per abſtractionem generis ab ſpecieb.

7 Reſpondeo ad primum,cognitionem abſtractiuã, qua animal ab ſpecie hominis præſcinditur,directe, & tamquã obiectum reſpicere ſolum animal, quod præciſe cognoſcit,indirecte vero tamquam terminũ, reſpicere etiam ſpeciẽ ipſam hominis quia cum talis cognitio reddat animal formaliter prædicabile de ſpecie hominis, atque ita reſpiciens *vt quod* ipſam hominis ſpeciem, ideo ipſa cognitio ſaltem *vt quo*, reſpicit etiam ſpeciem hominis tamquã terminum de quo animal poteſt prædicari,quod ſufficit vt talẽ ſpeciem formaliter ſubiicibilem cõſtituat,quia ſpeciẽ eſſe formaliter ſubiicibilem animali,nihil eſt aliud,quã eſſe terminum de quo animal poſſit prædicari. Ad ſecundum dico hominem non fieri ſpeciẽ ſubiicibilem formaliter per cognitionem abſtractiuam naturæ humanæ à ſuis indiuiduis,quia per hãc cognitionem non fit genus, ſcilicet animal prædicabile formaliter de ſpecie hominis, non poteſt enim ſpecies eſſe ſubiicibilis generi abſque eo, quod genus ſit ſimul prædicabile, vnde, cum per abſtractionem animalis ab ſpecie hominis genus vt animal fiat formaliter prædicabile de ſpecie hominis,etiam per illam homo fit formaliter ſpecies ſubiicibilis reſpectu animalis vt dictum eſt, abſtractio vero naturæ humanæ ab indiuiduis prærequiritur vt conditio,quod ſolum argumentum conuincit.

8 Tertio quæritur,an Species vt ſubiicibilis formaliter ſit formaliter prædicabilis ac vniuerſalis.Tolet. in hoc cap.de ſpecie diſp.4. q. vnica §. ſed pace, expreſſe docet ſpeciem vt ſubiicibilem formaliter eſſe vniuerſalem, ac prædicabilem, arbitror tamen ego cum Caiet.in hoc cap. quem ſequitur Araujo lib. 3. met.q.4.art.3. Auicenna, Albertus magnus, Rubio, Ioannes à ſancto Thoma,Complutenſes diſp.6.q. 3. de ſpecie,ſpeciem ſubiicibilem,& ſpeciem prædicabilem ſolo fere nomine conuenire, atque ita reipſa neque ſpeciem vt ſubiicibilem eſſe formaliter prædicabilem,neque ſpeciem vt prædicabilẽ eſſe formaliter ſubiicibilem,quæ ſententia receptiſſima eſt inter omnes Dialecticos.

9 Ratio autem à priori eſt,quia ſpecies vt ſubiicibilis formaliter dicit reſpectum ad genus, cui ſubiicitur,ſpecies vero prædicabilis formaliter dicit reſpectum ad indiuidua, de quibus prædicatur, atqui reſpectus ſpeciei ad genus non eſt reſpectus ſpeciei ad inferiora, neque è contra reſpectus ſpeciei ad indiuidua eſt reſpectus ſpeciei ad genus, ſed ſunt duo reſpectus formaliter diuerſi, cum termini ſcilicet, genus,& indiuidua diuerſi ſint, & modus etiam reſpiciendi ſit diuerſus,ergo ſpecies vt formaliter ſubiicibilis non eſt formaliter prædicabilis, neq; vt prædicabilis formaliter, eſt formaliter ſubiicibilis.

10 Obiiciat quidã,ſpecies ſubiicibilis vt ſic formaliter, & vt immediate ſubiicitur generi, vel eſt natura ſingularis, vel vniuerſalis,ſed ſpecies ſubiicibilis vt immediate ſubiicitur generi,nõ eſt natura ſingularis, nam etiã ſingularis natura, hoc eſt,indiuiduũ non immediate, ſed ſolum mediate generi ſubiicitur, vt ſtatim dicam, ergo ſpecies ſubiicibilis vt ſic formaliter,& vt immediate ſubiicitur generi,eſt natura vniuerſalis,ac proinde prædicabilis.Confirmatur, natura humana vt ſit ſpecies ſubiicibilis debet eſſe abſtracta à ſuis indiuiduis ſed natura humana abſtracta à ſuis indiuiduis eſt ſpecies prædicabilis, ergo ſpecies ſubiicibilis eſt etiam prædicabilis. Reſpondeo,dupliciter poſſe concipi naturam ſpecificã eſſe prædicabilem, primo eſſe prædicabilem ſolum materialiter, quia ſolum concipitur vt abſtracta à ſuis indiuiduis,non vero concipitur cum connotatione,& reſpectu prædicabilitatis ad illa. Secundo eſſe prædicabilem formaliter, quia concipitur talis natura,non ſolum vt abſtracta, ſed etiam cum connotatione & reſpectu prædicabilitatis ad ſua indiuidua,ſpecies ergo vt ſubiicibilis non eſt ſpecies prædicabilis formaliter,ſed ſolum ſpecificatiue, & materialiter,quia licet vt ſit ſubiicibilis, debeat cõcipi, vt abſtracta ab indiuiduis, tamen vt ſubiicibilis non concipitur cum connotatione,& ordine prædicabilitatis ad ſua indiuidua,ſed ſolum cum reſpectu ſubiicibilitatis ad genus, atque ita ſpecies vt ſubiicibilis ſolum eſt vniuerſalis,ac prædicabilis materialiter nõ formaliter,quod tantum argumentum & confirmatio probant. Addo ſi vera ſit ſententiaD. Thomæ quæ in quauis ſpecie Angelica vnicum tantum indiuiduum Angelicum etiam poſſibile admittit ſpeciem ſubiicibilem non eſſe neceſſario etiam materialiter vniuerſalem,aut prædicabilem,quia ſpecies ſubiicibilis Michaelis v. g. nõn habet plura indiuidua ſub ſe,à quibus eſſet abſtracta,quod neceſſarium erat, vt eſſet aliquo modo vniuerſalis.

Quarto quæritur, vtrum aliqua indiuidua completa eſſe poſſent ſubiicibilia immediata generi. 11
Ratio dubitandi eſt, quia in iis prædicationibus Petrus eſt animal, Ioannes eſt animal, nihil aliud prædicatur immediatius de illis indiuiduis, quam ratio generica animalis, ergo genus ſcilicet animal eſt prædicabile immediate de indiuiduis,ergo indiuidua ſũt etiam ſubiicibilia immediata ipſi generi. Aſſertio tamen ſit cum communi ſchola indiuidua completa non eſſe ſubiicibilia immediata,ſed mediata tantum reſpectu generis,ratio eſt, quia illud eſt ſubiicibile mediatum generis, de quo licet genus tãtum prædicetur,poteſt alia ratio immediatius prædicari, ſed in præfatis prædicationibus licet de illis indiuiduis ſolum prædicetur genus,ſcilicet animal poteſt alia ratio,ſcilicet rationale de illis immediatius prædicari, ergo talia indiuidua ſunt ſubiicibilia ſolum mediata generis,quo ratio facta diluitur.

Hic aduerte ſpeciem ſubiicibilem ſubalternã, & 12
ſpeciem ſubiicibilem infimam eſſe eiuſdem rationis omnino in ratione ſpeciei ſubiicibilis.Probatur, quia ſpecies ſubiicibilis ſubalterna eſt illa,quæ ſubiicitur alicui generi, vt habet ſub ſe plura ſpecie diuerſa, vt animal ſubiicitur viuenti, & habet ſub ſe hominem,& equum qui ſpecie differunt,ſpecies vero infima eſt illa, qnæ ſubiicitur alicui generi, & ſolum habet ſub ſe indiuidua numero diſtincta, vt homo ſubiicitur animali & ſub ſe habet Petrum & Paulum,qui ſolum numero diſtinguuntur, hæc ergo ſpecies ſcilicet infima, & ſubalterna omnino conueniunt in ratione ſpeciei ſubiicibilis,quia vtraque ſubiiciturgeneri,& de illa tamquam eius pars prędicatur, vt intuenti conſtabit.

CAPVT II.

An aliqua indiuidua immediatè generi ſubiiciantur.

IAm ſupra num. 11. aſſerui non poſſe indiuiduum 13
completum immediate ſubiici generi, ſed ſolum
mediate

mediate, nunc autem quæstio procedit de indiuiduis incompletis, seu incomplete cognitis, vt ex dicendis constabit, indiuiduum itaque subiici immediate generi, nihil aliud est quam genus de illo indiuiduo ita cognito prædicari, vt de illo sic concepto ratio alia specifica immediatius prædicari non possit: quæstio ergo nunc est an possit quis hoc indiuiduum v.g. Petrum ita incomplete concipere, quatenus est hoc numero animal præcisa omni rationalitate, & de illo prædicari rationem genericam animalis, vt de eo indiuiduo vt sic concepto non valeat aliam rationem specificam immediatius prædicare, hoc enim si detur, tale indiuiduum erit immediatum generi, & immediate generi subiicietur.

14 Præmitto hanc præcipue exagitari quæstionem in sententia eorum, qui admittunt præcisiones obiectiuas inter formalitates reipsa identificatas, nam qui has præcisiones negant debent consequenter negare posse concipi indiuiduum v.g. Petrum quatenus est hoc animal absque eo, quod concipiatur etiam quatenus est rationale, ac proinde non posse de eo indiuiduo vt concepto rationem genericam animalis prædicari, quin etiam immediatius possit prædicari de illo ratio specifica rationalis à qua præscinditur, & cõsequenter in hac sententia numquam indiuiduum immediate sed solum mediate subiici generi ex parte obiecti, admittamus ergo gratis præcisiones obiectiuas, vt melius hanc controuersiam ventilemus: ad finem vero quæstionis resolutionem etiam nostræ sententiæ formalis solum præcisiones admittenti accommodabimus.

15 Assertio sit, aliqua indiuidua incompleta formaliter dari possunt generi immediata, quæ ipsi immediate subiiciantur, & quod idem est de quibus genus ipsum immediate prædicetur insinuat Sanctus Thomas hanc sententiam opusc. 55. Molina 1.p.q.3. art.4. disp.2. §. gradus autem: eam probabilem dicit Suarez disp.6. met. sect. 8. Rubio cap. de specie q.5. acriter P. Hurtado disp.4. logicæ sect.5. Carleton disput. 3. logicæ sect.6. & alij etiam non desunt qui in oppositum opinentur, & nouissime Rodericus de Arriaga disp.7. logicæ, sect.6. & probatur primo ex verbis sancti Thomæ opusc. 55. ad medium his verbis. *Cum habemus hoc animal intellectus considerans, antequam deueniamus ad formam hominis, apprehendit formam vniuersalem in hoc indiuiduo scilicet animal.* Ecce admittit D. Thomas indiuiduum animal, quin sit formaliter homo, aut leo, & ait animal apprehendi ab intellectu in homine animali priusquam apprehendat hominem, ergo cognoscit genus immediate prædicari de hoc indiuiduo animali, non cognita, aut apprehensa rationalitate, ergo indiuiduum incomplete cognitum generi immediate non repugnat.

16 Secundo probatur ratione, id formaliter generi immediate subiicitur, quod ita concipitur, quo de eo genus prædicatur, vt de illo sic concepto, non possit alia ratio specifica immediatius prædicari, atqui hoc indiuiduum v.g. Petrus, ita aliquando incomplete concipitur, ergo de eo genus scilicet animal prædicatur, vt de illo vt sic concepto non possit alia ratio specifica, scilicet rationale immediatius prædicari, ergo tale indiuiduum immediate generi subiicitur. Probo minorem, non potest de aliquo indiuiduo rationalitas prædicari, nisi prius apprehendatur esse rationale, nullus enim prædicari potest de alio nisi quod in illo apprehendatur, sed potest quis hoc indiuiduum scilicet Petrum sic præcisiue, & incomplete apprehendere vt solum concipiat esse hoc numero animal, non vero apprehendat esse rationale, ergo potest quis ita incomplete concipere, & de facto aliquando concipit hoc indiuiduum, scilicet hoc numero animal præciso rationali, vt de illo sic concepto prædicetur ratio generica animalis, & ratio specifica scilicet rationalitas non potest immediatius prædicari: probatur minor, ideo potest in homine concipi in cõmuni, esse animal & non concipi esse rationale, quia homo est in communi principiũ sensationis, & ratiocinationis, quæ specie realiter differunt, sed etiam hic homo in particulari est principium huius singularis sensationis, & huius singularis ratiocinationis, quæ numero distinguntur realiter, ergo etiam potest concipi in particulari in hoc homine, esse hoc numero singulare animal & non cõcipi hoc singulare rationale.

Vrgeo efficaciter, quia in Deo ratione nostra præ- 17
scinditur ex parte obiecti intellectus à voluntate, prescinditur etiam hic numero intellectus ab hac numero voluntate, sed in hoc homine iuxta communem sententiam præscinditur obiectiue animal à rationali, ergo etiam præscinditur eodem modo hoc numero animal ab hoc numero rationali, ergo poterit quis in hoc numero indiuiduo concipere esse hoc numero animal, & non concipere, esse hoc rationale; ex quo fit, quod si de illo indiuiduo animali sic præcisè concepto prædicetur ratio generica animalis, non poterit de illo sic præciso prædicari immediatius ratio specifica rationalis, quæ in illo non apprehenditur, ac proinde tale indiuiduum immediate generi subiicitur.

Obiiciat autem quis primò, hoc numero animal, 18
quod est in Petro nulla ratione est, aut potest esse indifferens, vt contrahatur ad varias species equi, hominis, &c. sed si hoc numero animal quod est in Petro posset à rationalitate, & ab omni differentia specifica esse obiectiue præcisum, esset etiam indifferens vt contrahentur ad varias species equi leonis, &c. ergo hoc numero animal in Petro non potest obiectiue esse præcisum à rationalitate, ac proinde neque subiici immediate generi, scilicet animali vt sic. Probo minorem, ideo animal vt sic est indifferens, vt contrahatur ad varias species Equi, Leonis, &c. quia præcisum est à rationalitate, & ab omni alia differentia specifica, ergo etiam erit indifferẽs vt contrahatur ad varias species equi, leonis, &c. Respondeo naturam præcisam solum esse indifferentem, vt contrahatur ad illas rationes, à quibus præscinditur, vnde cum animal vt sic præcisum sit ab omni specie animalis, hominis, scilicet equi, leonis, &c. ideo animal vt sic est indifferens, vt contrahatur ad speciem hominis leonis, &c. cum vero hoc numero animal, quod est in Petro solum sit ratione præcisum ab hac numero rationalitate, quæ est in Petro, cum qua est reipsa idẽtificatum, ab aliis, vero differentiis specificis, equi, & hominis, non sit ratione præcisum, quia cum ipsis re ipsa identificatum non est, idcirco hoc numero animal quod est in Petro, licet sit ratione præcisum ab hoc numero rationali non est indifferens, vt contrahatur per differentiam equi, vel leonis ad eorum species, sed solum est aptum vt contrahatur per hanc numero differentiam rationalem Petri ad hanc numero speciem huius hominis, scilicet Petri, quod nullum est inconueniens.

Obiiciat secundò, si quis præscinderet immediatè 19
rationem genericam animalis de hoc indiuiduo animali, scilicet Petro, mentiretur, & fingeret, ergo sine mendacio, & fictè non potest genus immediatè de indiuiduo prædicari, & consequenter neque indiuiduum generi immediatè subiici: probatur antecedẽs, tunc aliquis mentitur, & fingit, quando ostendit aliquid alicui conuenire aliquo modo, quo ei non conuenit, sed si quis immediatè prædicaret rationem genericam animalis de hoc indiuiduo animali, ostenderet tali indiuiduo immediatè cõuenire esse animal, quod ei immediatè non conuenit, sed medio rationali, ergo si quis immediatè prædicaret rationem genericam

nericam animalis de hoc indiuiduo animali, v.g. Petro mentiretur, & fingeret. Respondeo, cum quis immediatè prædicaret rationem genericam animalis de hoc indiuiduo animali incompletè sic concepto non ostendere negatiuè animal immediatè tali indiuiduo conuenire, hoc est, affirmando esse animal, & negando esse rationale, hoc enim esset fingere, & mentiri, vt argumentum conuincit, sed tantum id ostendere præciuè, id est affirmando esse animal, & omnino præscindendo ab eo, quod sit rationale, hoc autem non est fingere, aut mentiri, nam abstrahentium non est mendacium, atque ita absque mendacio, & fictione genus de indiuiduo incompleto prædicatur immediatè & indiuiduum immediatè generi subiicitur.

20 Obiiciat tertiò, genus & species prædicabilis in hoc generaliter differunt, quòd genus est tantum prædicabile de pluribus differentibus specie, hoc est, de pluribus speciebus immediatè, species verò est solùm prædicabilis, immediatè de pluribus differentibus numero, id est de pluribus indiuiduis, atqui si indiuidua aliqua immediatè generi subiiciantur, genus erit etiam prædicabile immediatè de pluribus indiuiduis differentibus numero, ergo non possunt dari indiuidua, quæ immediatè generi subiiciantur. Respondeo, genus retinens rationem generis non esse prædicabile immediatè de pluribus indiuiduis, genus verò habens rationem speciei posse etiam de pluribus indiuiduis immediatè prædicari, species autem alia est completa alia incompleta, species completa est illa, quæ est tota ratio essentialis cuiusque indiuidui completi, vt homo, qui est tota ratio essentialis Petri, & Pauli, quæ sunt indiuidua completa, species verò incompleta est illa, quæ est tota ratio essentialis cuiusque indiuidui incompleti, vt animal, quod est tota ratio huius, & illius animalis vt præcisi à rationali, quæ vt sic sunt indiuidua incõpleta: genus ergo v.g. animal, cum de hoc & illo indiuiduo incompleto scilicet de hoc & illo animali vt à rationali præciso prædicetur, prædicatur de illis vt species incompleta, non verò vt genus, atque ita non mirum si de pluribus indiuiduis differentibus numero immediatè prædicetur, ita docent Suarez & Rubio vbi suprà.

21 Obiiciat quartò, si genus v.g. animal posset per modũ speciei immediatè prædicari de hoc & illo animali, vt præciso à rationali, etiam differentia v.g. rationale posset per modum speciei prædicari immediatè de hoc, & illo rationali, vt præciso ab animali, sed differentia non potest esse tota species cum sit essentialiter pars speciei, ergo genus, scilicet animal non potest per modum speciei de hoc & illo indiuiduo animali immediatè prædicari. Respondeo differentiam v.g. rationale esse partem speciei completæ, scilicet hominis ac respectu indiuidui completi, scilicet Petri, & Pauli, esse verò speciem incompletam respectu indiuidui incompleti, scilicet respectu huius, vel illius numero rationalis, vt ab animali præcisi, vt nuper de genere explicuimus. Ita Suarez.

22 Hæc omnia, quæ diximus in opinione admittente præcisiones obiectiuas possunt etiam nostræ sententiæ admittenti solum præcisiones formales accommodari, itaque aliquando quis hoc numero animal ita confusè apprehendit, vt licèt ex parte obiecti etiam concipiat esse hoc rationale, tamen formaliter & ex parte modi concipiendi esse tantum hoc animal, non verò esse hoc rationale, concipere videtur. Vnde de hoc indiuiduo animali vt sic concepto potest ille prædicare esse animal, non verò potest ex parte modi concipiendi immediatius prædicare de illo esse rationale, atque ita in tali prædicatione formaliter, & ex modo nostro concipiendi, genus, scilicet animal immediatè prædicatur de hoc & illo indiuiduo à tationali vt rationali præciso solum formaliter est hoc indiuiduum, vel etiam ex modo concipiendi immediatè generi subiicitur.

CAPVT III.

An species in vnico indiuiduo & genus in vnica specie possit conseruari.

COnstat ex dictis in superioribus ad rationem vniuersalis requiri multitudinem inferiorum, de quibus possit prædicari, & nunc merito ad exactam naturæ genericæ, & specificæ intelligentiam, inquirimus an genus in vna specie & species in vnico indiuiduo possit saluari.

Pro decisione dubij præmitto tam genus, quam 23
speciem dupliciter posse considerari, primo materialiter, & secundum suas physicas entitates, & vt sunt quædam tota actualia actualiter & essentialiter includentia, non solum omnia prædicata essentialia, sed etiam omnem realem perfectionem, quam à parte rei dicunt tam genus quam species; illa enim entitas quæ in animali à parte rei est principium sentiendi est etiam realiter perfectio vitæ, substantiæ, corporis, & aliorum, quæ in animali à parte rei reperiuntur, identificata, & in homine, & quolibet indiuiduo, & tam genus, quam species considerata vt sunt, quædam tota actualia, apud omnes certum est tam genus in vnica specie, quam species in vnico indiuiduo posse saluari; & ratio est manifesta, nam genus à parte rei, & species totam suam essentiam communicat cuilibet inferiori, in quo omnia prædicata essentialia reperiuntur, vt videre est in Petro, in quo omnia prædicata substantiæ viuentis, sensibilis, rationalis, & huius numero indiuidui realiter identificata reperiuntur, ergo tam genus in vnica specie, quam species in vnico indiuiduo realiter à parte rei, possunt conseruari, & de facto post generalem resurrectionem natura animalis in vnica specie reperietur, sicut in initio mundi etsi pauco tempore, ipsa species humana fuit in vnico Adam, quæ positio est de mente D. Thomæ 1. part. quæst. 77. art 1. ad primum, in illis verbis: *Quod totum vniuersale adest cuilibet parti secundum totam suam essentiam, & virtutem sicut animal homini, & equo*, igitur tota essentia generis in vnica specie saluatur, & tota essentia speciei in vnico indiuiduo.

Secundo modo possunt considerari tam genus, quam species metaphysicæ & logicæ, id est secundò intentionaliter, & per rationem, quatenus formaliter sunt quidam gradus præcisi, & diuersi, vnus generic-us, vt animal, quod est totum potentiale continens in potentia omnes suas species, alter specificus, vt homo, qui consideratus formaliter, & vt vniuersalis, habet quamdam potentialitatem, seu indifferentiam ad plura indiuidua, quia omnis natura vniuersalis respicit vt terminum adæquatum plura indiuidua, cum hac tamen differentia, quod potentialitas generis ad diuersas species est illi intrinseca, quia per illas contrahitur, & in specie atoma constituitur, sicuti & potentialitas materiæ est illi intrinseca, & essentialis ad omnes formas physicas, vt dicemus lib. 1. Physicorum potentialitas vero, seu vt melius loquar multiplicitas speciei ad indiuidua est illi omnino extrinseca, quia cum species sit vltimo contracta, non est vlterius contrahibilis per differentias essentiales, sed solum multiplicabilis ab extrinseco per indiuiduationes, quæ sunt extra essentiam speciei, & vt inquit Auicenna, hoc non est proprie diuidi, sed multiplicari in indiuiduis tamquam ratio vniuersalis, & logica, & in hoc sensu procedit nostra difficultas an videlicet genus secundum suam potentialitatem metaphysicam

phyſicam ad omnes ſpecies, & ſpecies ad omnia indiuidua poſſit genus ſaluari in vnica ſpecie, & ſpecies in vnico indiuiduo.

25 Circa hanc difficultatem variant Auctores, ſed eorum placita, ad tres ſententias reducuntur, prima aſſerit genus abſolute poſſe conſeruari in vnica ſpecie, & ſpecies in vnico indiuiduo, citant Complutenſes c.de ſpecie quæſt.2.5otum in hoc c. quæſt.18. quem pro contraria refert Merinero diſp. vnica de genere dubio ſecundo, Louanienſes, Ioannes Angelus. Secunda ſententia ex oppoſito aſſerit, nec genus in vnica ſpecie, nec ſpeciem in vnico indiuiduo ſaluari, ſic defendit Oña. Tertia aſſerit genus requirere plures ſpecies ſecundum ſuam potentialitatem non ſolum poſſibiles, ſed etiam exiſtentes, ſpeciem vero non requirere plura indiuidua, ſed ſufficere vnicum indiuiduum exiſtens, quas ſententias fusè enumerat Paulus Vallius c.de ſpecie diſp.1.q.4. per varia capita.

26 ASSERTIO I. ad formandum conceptum genericum ſufficit vna ſpecies actu exiſtens cum potentia logica aliarum ſpecierum poſſibilium. Eſt Ariſt. multis in locis, Porphyrij, & D.Thomæ quos ſequuti ſunt tam Antiqui quam Recentiores. Probatur manifeſte ex definitione generis, de ratione generis eſt eſſe aptum prædicari de pluribus ſpecie differentibus, ſed vt genus poſſit prædicari de pluribus ſpecie differentibus, non requirit plures ſpecies actu exiſtentes, ergo ad formandum conceptum genericum ſufficit vna ſpecies actu exiſtens, cum potentia logica aliarum ſpecierum poſſibilium. Conſequentia legitime infertur, maior eſt definitio generis, minor probatur, prædicatio generis de ſpeciebus eſt prædicatio eſſentialis, ſed prædicatio in qua ſolum prædicatur connexio eſſentialis prædicati cum ſubiecto abſoluitur à tempore, hoc eſt ab actuali exiſtentia, ergo ad rationem generis non ſunt neceſſariæ ſpecies actu exiſtentes cum potentia logica aliarum, in iis enim prædicationibus homo eſt animal, equus eſt animal, etſi tam equus, quam homo non cognoſcerentur, ſemper prædicaretur eſſentialis connexio prædicati cum ſubiecto, ergo etiam ſi non exiſterent, ſemper eſſet vera, & eſſentialis prædicatio generis, ergo ad rationem generis hoc eſt ad formandum conceptum genericum ſufficit vna ſpecies actu exiſtens cum potentia logica aliorum.

27 Dices, Supponamus in rerum natura, non permanere niſi ſpeciem hominis, & fieri impoſſibiles reliquas ſpecies animalis, in tali caſu natura realis animalis eodem modo reſpiceret indiuidua hominis, ac nunc reſpicit, quando ſunt poſſibiles reliquæ ſpecies, ſed nunc natura animalis reſpicit indiuidua hominis relatione generis; ergo in caſu impoſſibilitatis aliarum ſpecierum prædicaretur ſimiliter vt genus, minor probatur, quia in tali caſu remaneret eadem natura animalis, quæ nunc datur, & prædicaretur eodem modo vt pars incompleta materialis extra eſſentiam, ergo prædicaretur vt genus, & conſequenter poteſt genus conſeruari in vnica ſpecie cum impoſſibilitate aliarum. Reſpondeo genus vt tale ſemper reſpicere plures ſpecies ſaltem poſſibiles, in illo vero caſu, etſi reſpiceret plura indiuidua non concipi, vt genus comparatione illorum præciſe, ſed quatenus coniunctam habet prædicabilitatem de aliis ſpeciebus animalis, aliàs non prædicaretur vt pars materialis eſſentiæ, ſed vt tota, atque ita natura animalis in tali caſu non poſſet habere rationem generis in his prædicationibus: Petrus eſt animal, Paulus eſt animal, ſed eſſet prædicatio irregularis, vel foret prædicatio ſpeciei, vt ait Arriaga diſp.7.Logicæ ſect.1. quia animal in illis prædicationibus prædicaretur, vt tota eſſentia illorum indiuiduorum, vel vt alij volunt reduci ad prædicationem generis propter ſimilitudinem, quam habet in modo prædicandi.

ASSERTIO II genus vt eſt totum potentiale plures exigit ſpecies ad ſui perfectionem & conſeruationem, hanc tenent Ariſtoteles ſecundo Phyſicorum 4.topic. cap.3. primo de cœlo tex.32. & 7.met. tex.55. Porphyrius expreſſe cap.de genere, D.Thomas 1. poſt. lect. 12. & 2. Phyſicorum lect. 5. Auerſa q.10.de genere ſect.2. Hurtado diſp.1.ſect.5. Franciſcus Alphonſus diſp. 6. de genere ſect.4. Lerma lib.6. de prædicabilibus quæſt.9. adde Toletum cap.de ſpecie, Rubium, Merinero diſp.vnica de genere, dubio ſecundo, Vallius de ſpecie q.4. per varia capita citatis multis, Ioannes à S.Thoma quæſt. 8.art 4. Complutenſes diſp.6.de ſpecie q.2.n.21. & plures Recentiores in manuſcriptis, & eſt communis inter omnes. Probatur primo, auctoritate Ariſtot. 4. topic. cap.3. vbi ait, *omne genus habere plures ſpecies, etſi contingat alteram ſpeciem, non eſſe dicti generis, id non eſſe genus omnino*, idem Porphyrius docet genus *non de vna ſola ſpecie, ſed de pluribus ſpeciebus debere dici.* Clarius D.Thomas 1.poſt.lect.12.vbi inquit *quod non eſt poſſibile inuenire aliquod genus, cuius vna tantum ſit ſpecies, genus enim diuiditur in ſpecies per oppoſitas differẽtias, oportet autem ſi vnum contrariorum inuenitur in natura, & reliquum inueniri, vt patet per Philoſophum ſecundo de cœlo, & ideo ſi vna ſpecies inuenitur in natura, inuenitur & alia.* Hæc teſtimonia euidenter oſtendunt genus vt eſt totum potentiale ad ſui perfectionem, etſi non exigat omnes ſpecies ad minus requirere, plures maxime, cum quælibet ſpecies habeat perfectionem inæqualiter perfectam ab alia, & illas contineat genus in ſua potentialitate logica, ſeu metaphyſica ſecundò intentionaliter conſiderata, ſpecies enim vt inquit Porphyrius, etſi finitæ ſint, tamen intra genus ſubſtantiæ ſpiritualis angelicæ, dantur fere infinitæ ſpecies Angelorum, & intra genus ſubſtantiæ materialis, & accidentis, etiam fere infinitæ ſpecies ſubſtantiæ, & accidentis, quæ omnes clauduntur intra potentialitatem generis. 28

Probatur ratione: genus vt eſt totum potentiale perficitur, & conſtituitur in ſpecie per oppoſitas differentias, ſed ſpecies inter ſe ſunt eſſentialiter diuerſæ, ita vt perfectio vnius non contineatur formaliter, nec virtualiter in alia, ergo cum genus vt eſt totum potentiale contineat omnes illas ſpecies, & illis omnibus perficiatur, ſequitur, quod ad maiorem ſui perfectionem requirantur omnes, vel plures ſpecies, ergo genus ſecundum ſuam potentialitatem non poteſt ſaluari in vnica ſpecie. Conſequentiam probo, quia vt nf a dicam, genus magis perficitur ſpeciebus quam ſpecies indiuiduis, ergo. Secundo probatur; potentialitas generis ad diuerſas ſpecies eſt illi intrinſeca, & ſecundum ſuam eſſentiam conueniens, ſed hæc potentialitas non perficitur adæquate niſi per adæquatum actum, ergo niſi genus ad omnes ſpecies, quas poteſt habere contrahatur, non erit adæquatè perfectum, vt contingit in potentialitate phyſica materiæ primæ ad formas, ergo ad hoc vt genus ſecundum ſuam potentialitatem exiſtat debet habere omnes ſpecies ſeu plures, quibus eius potentialitas explicatur. Tertio probatur, de ratione communi vniuerſalis eſt per ſe ineſſe pluribus vt ſæpius repetitum eſt, ſed genus eſt prima ſpecies vniuerſalis in communi, & aliàs eſt vniuerſale, ergo petit plures ſpecies, in quibus poteſt eſſe, nam ſi non eſſet in pluribus ſpeciebus ſed in pluribus indiuiduis non eſſet genus, ſed ſpecies, ergo vt genus diſtinguatur ab ſpecie petit ſaltem plures ſpecies, quibus genus perficiatur, & actuetur. 29

ASSERTIO III. ſpecies metaphyſicè conſiderata, & ſecundum potentialitatem logicam poteſt conſeruari in vna ſpecie ſecundũ totam ſuam perfectionem eſſentialem, etſi vt vniuerſalis petat plura indiuidua, de quibus poſſit prædicari; hæc aſſertio affinis 30

eſt

est præcedenti , & eam tenent omnes auctores ibi commemorati. Probatur ex verbis D. Thomæ supra sectione 12. in quibus loquens de specie prosequitur , vna autem species diuiditur in diuersa indiuidua per diuisionem materiæ ; contingit autem totam materiam alicui speciei proportionatam ab vno indiuiduo comprehendi,similiter B.Albertus tract.4. cap 6. differens de genere & specie postquam de genere dixit requirere plures species sic prosequitur ad nostram rem. *Species verò non diuiditur per ea,quæ sunt in ipsa , nec secundum suam substantialem potestatem, sed potius multiplicatur,& numeratur quam diuiditur.* Ex quibus verbis collatis cum illis , quæ de genere loquuntur assertione præcedenti facilè colligitur discrimen,& explicatio inter genus,& speciem,nam genus secundum sibi intrinseca dicit potentialitatem ad diuersas species , sicuti materia prima ad formas oppositas,& incompossibiles, quæ nequit exhauriri, nisi per omnes,aut plures formas,species autem secundum sibi intrinseca nullam dicit potentialitatem ad plura indiuidua, nisi solum materialiter non verò ab intrinseco,sicuti materia prima ad formas,& ideo species secundum suam potentialitatem potest saluari in vnico indiuiduo,in quo relucet tota perfectio essentialis speciei,quod vero species reperiatur in pluribus indiuiduis potius est multiplicatio , & numeratio, quam diuisio per diuersas differentias , quod solum proprium est generis.genus enim vt totum potentiale respicit species , in eius potentialitate intrinsecè contetas,species verò non respicit indiuidua vt in aliqua sua intrinseca potentialitate contenta sed vt quędam extrinseca naturæ specificæ additamenta,per quæ ipsa natura specifica potest ab intrinseco determinari, multiplicari,& numerari,ergo relinquitur vt certum speciem posse in vnico indiuiduo conseruari.

31 Probatur ratione eadem prima pars assertionis, species considerata secundum suam perfectionem non habet rationem potentiæ , sed est totum quoddam actuale in sua essentia vltimo completa, & perfecta,ergo species non respicit vt actum sibi essentialem , differentias indiuiduales , de quibus prædicatur vt tota ratio completa,vt statim dicam,& cap. de genere insinuauimus , ergo vt species concipiatur cum tota sua perfectione essentiali non sunt necessaria plura indiuidua , cum sine illis sit vltimo contracta, & per illa solùm sit ab extrinseco contrahibilis materialiter,seu potius multiplicabilis,seu numerabilis,vt supra diximus numero 24. cum sint omnino extra essentiam speciei,quam solum multiplicant.non verò diuidunt,ergo similiter species potest saluari in vnico indiuiduo.

32 Sed obiiciat quis , sicut genus respicit plures species , ita species plura indiuidua , ergo æqualiter de vtroque philosophandum est, ergo sicut genus vt totum potentiale requirit ad sui conseruationem plures species , ita species ad sui conseruationem petit plura indiuidua, vel sicut species vt totum potentiale potest saluari in vnico indiuiduo , ita & genus vt totum potentiale poterit conseruari in vnica specie, in hoc enim genus, & species inter se æquiparatur, nam sicut genus vt totum potentiale non distinguitur ab specie,ita neque species ab indiuiduo,nam potentialitas generis ab ipso genere non dissidet , ergo sicut species potest conseruari in vnico indiuiduo,ita genus in vnica specie. Respondeo ex dictis numero 30.& ad confirmationem dico,quod potentialitas generis formaliter sumpta non conuenit illi à parte rei sed vt præcisa per rationem ab omnibus speciebus, & vt sic indifferenter se habet ad omnes differentias, & per illas omnes est contrahibilis , cum illi intrinseca, & essentialis sit potentialitas ad omnes species, sicut est intrinseca materiæ primæ potentialitas ad omnes formas physicas , vt verò natura generica à parte rei contracta & constituta in vna specie atoma non habet potentialitatem ad plures differentias,sed ad vnum tantum , & solum habet potentialitatem materialem,& extrinsecam,seu ab extrinseco per indiuiduationes , sicut & ipsa species vt possit potius multiplicari, & numerari , quam diuidi per intrinsecas , & oppositas differentias , & consequenter non est par ratio.

Secunda pars assertionis non habet particularem 33
difficultatem , nam sicut genus vt vniuersale habet habitudinem ad plures species, de quibus prædicatur essentialiter tamquam pars materialis essentiæ , ita etiam species,esto secundum suam perfectionē possit conseruari in vnico indiuiduo,& est ratio communis & vniuersalis,habet habitudinem ad sua inferiora indiuidua,de quibus vt ratio completa,& tota essentia prædicatur, vt disp. sequenti cap. 2. latius constabit, ergo species vt vniuersalis , siue hoc , vel illo modo prædicetur , requirit plura indiuidua , ad quæ possit contrahi per differentias indiuiduales, siue eceitates, quæ sunt extra essentiam ergo licèt species possit conseruari in vnico indiuiduo non tollit,quod vt vniuersalis & prædicabilis plura requirat indiuidua , respectu quorum indicat rationem vniuersalitatis, non vt actu existant,sed solum quod possibilia sint,cum prædicatio essentialis absoluatur à tempore,& solum respiciat connexionem essentialem prædicati cum subiecto, ergo species vt vniuersalis, & prædicabilis requirit plura indiuidua solum possibilia.

Sed obiiciat quis contra primam assertionem fun- 34
damentum oppositæ partis in hunc modum,non minus materia prima est in potentia ad plures formas sicut genus ad plures species , nec minus essentialis est potentialitas ad formas ipsi materiæ,quam generi potentialitas ad species per diuersas differentias , sed materiæ primæ capacitas seu potentialitas sufficienter satiatur per vnam formam,etsi alias appetat,ergo similiter potentialitas generis ad suas species,sufficiēter actuatur in vna specie per vnam differentiam.Secundo, nam si genus non saluaretur in vnica specie, non esset maior ratio cur actuaretur pluribus , ergo peteret ad sui perfectionem omnes species,quę syncathegorematice sunt infinitæ.Tertio supposita potentialitate generis ad suas species , videtur quod Deus non possit illud de potentia absoluta conseruare in vnica specie,quod falsum est,ergo illud ex quo sequitur. Respondeo ad primum sufficienter æquiparari potentialitatem materiæ primæ ad formas,& generis species , & sicut materia vt est sub vna forma appetit alias, sic & genus vt actuatum per vnam speciem dicit habitudinem & ordinem ad alias , numquam tamen à materia vt actuata per vnam formam aufertur potentialitas ad alias,cum hæc illi ab intrinseco conueniat. Ad secundum dico ex Porphyrio species esse finitas,indiuidua verò quasi infinita,nec posse petere plures,quā sunt differentiæ diuisiuæ, per quas genus ad species descendit , nec posse assignari numerum specierum, per quas adæquatè exhauriatur potentialitas materiæ,plures tamen requirere ad sui maiorem perfectionem. Ad tertium Respondeo Deum posse physicè conseruare genus in vnica specie , metaphysicè verò eius potentialitatem essentialem habitudinem dicere ad omnes species , quas per differentias oppositas potest habere, & ita metaphysicè non posse conseruare genus in vnica specie, aliàs vnus actus esset adæquatus & non adæquatus,quod est implicatio.

* * *

DISPV

DISPVTATIO XI.

De specie secundo Prædicabili.

DVo capita continebit: in primo quænam sit ratio formalis speciei prædicabilis expenditur: in secundo an ad speciem prædicabilem plura indiuidua possibilia requirantur.

CAPVT I.

Quænam sit formalis ratio speciei prædicabilis, expenditur.

1 SPecies logice accepta, alia est subiicibilis, alia prędicabilis, illa dat decorem, & pulchritudinē generi, cui subiicitur, hæc vero confert decorē & pulchritudinem indiuiduis, de quibus prædicatur, atque ideo species subiicibilis & prædicabilis anologice conueniunt, vt docent Conimbricenses hic cap. de specie q. 1. articulo primo, iam de specie subiicibili egimus, nunc de prædicabili disseramus.

2 Hęc itaque species sic ex doctrina Porphyrij in præsenti definitur, Est, quę de pluribus solo numero differentibus apta est prædicari in quid, verba illa, apta prædicari in quid de pluribus, supra circa definitionē generis explicuit, solo numero differentibus hæc ponuntur ad distinguendam speciem prædicabilem à genere, nam genus licet prædicetur de pluribus numero differentibus non tamen prædicatur de differentibus solo numero, sed etiam specie, species vero de solo numero distinctis essentialiter enunciatur.

3 Obiiciat aliquis primo, risibile prædicatur de hoc, & illo risibili solo numero distinctis, & album prædicatur de hoc, & illo albo solo numero differentibus & tamen nullum prædicabile ex iis est species, sed risibile & proprium quartum prædicabile, & album est accidens, quintum prædicabile, ergo non bene definitur, species est id, quod de pluribus solo numero differentibus prædicatur. Respondeo risibile, vt prædicatur de hoc & illo homine, quibus per se competit risibilitas esse proprium quartum prædicabile, quia prædicatur de suis inferioribus *in quale per se*, & albū, vt prædicatur de hoc & illo subiecto, cui accidit esse album, esse accidens quintum prædicabile, quia prædicatur *in quale per accidens*, at vero tam risibile quā album, vt prædicatur de hoc, & illo risibili ab omni alio præciso, & de hoc & illo albo, habere rationem speciei, quia de pluribus solo numero differentibus prædicatur *in quid* vt in simili disp. 10. de genere c. 1. n. 1. diximus.

4 Secundo obiiciat, Deus prædicatur *in quid* de Patre, filio & spiritu Sancto numero inter se distinctis, & tamen Deus non est species vniuersalis ac prædicabilis, ergo species prædicabilis non est illa, quæ de pluribus numero distinctis prædicatur in quid. Respondeo Patrem, filium & spiritum sanctum non distingui numero in ratione Dei, & naturæ diuinæ, quæ prædicatur de illis, & ob id non esse speciem prædicabilem, & vniuersalem ad cuius rationem naturæ realis multiplicatio in suis inferioribus requiritur vt ostendi disp. 4 c 1. Sed instat, tres diuinæ personę numero realiter distinguuntur, ergo saltem ratio personæ diuinæ in Deo est species prædicabilis, si numero solū personę diuinæ distinguerentur, concederē rationē personæ diuinæ esse rationem specificā, puto tamen personas in ratione incompleta personæ diuinæ, hoc est personalitatis diuinæ distingui specie, & idcirco potius dicerem rationem personæ diuinæ vt sic esse rationem genericam, si tamen aliqua non obstet analogia, de quo alibi.

5 Tertio obiiciat, bona speciei definitio debet specie essentialiter distinguere à genere, sed prædicta definitio speciei illā essentialiter à genere non distinguit, ergo non est bona. Probatur minor, prædicta speciei definitio in eo solū specie distinguit à genere, quod species prædicatur de solo numero distinctis, genus vero de differentibus specie, atqui hæc non est distinctio, ac differentia essentialis, nā differentia infirma v.g. rationale prædicatur de pluribus numero differentibus & differentia subalterna v.g. sensibile prædicatur de specie differentibus & tamen differentia infima, & subalterna non differunt essentialiter, cum idem prædicabile constituant, ergo prædicta definitio speciei illam non distinguit essentialiter à genere.

6 Resp. genus, & specie in eo essentialiter, ac formaliter differre, quod genus prædicatur vt ratio incompleta inferiorum, species vero prædicatur vt ratio cōpleta, vt explicui sup. d. 11. c. 1. n. 5. ex eo autem quod genus de differentib. specie, species vero de differentibus solo numero prædicetur, sequitur, quod genus prædicetur vt ratio incompleta, species vero vt ratio cōpleta, vt ibidē ostēdi, atq; ita prædicta definitio quæ tradit speciē prædicari *in quid* de solo numero distinctis essentialiter distinguit speciē à genere, ratio autē essentialis ac specifica differentiæ est solum, quod de plurib. prædicetur *in quale quid*, vnde cū tā differētia infima, quā subalterna modo de solo numero distinctis modo de specie differentib enuncietur, semper prædicetur *in quale quid* idcirco differentia infima, & subalterna non differunt essentialiter ac specifice.

7 Sed quis vrgeat, sicut ex eo, quod genus prædicetur de differentib. specie sequitur quod genus sit ratio inferiorum incōpleta, ita ex eo, quod species prædicetur de differentib. solo numero sequitur quod species sit etiā ratio incompleta inferiorum, ergo ex hac parte prædicta speciei definitio genus, & speciem essentialiter non distinguet. Probo antecedens, ideo ex eo quod genus prædicetur de differentibus specie, sequitur, quod sit ratio incompleta inferiorum quia inde sequitur, quod ratio generica non sola, sed simul cum differentia essentiali quodlibet inferius constituat, sed similiter ex eo, quod species prædicetur de differentibus solo numero sequitur; quod ratio specifica non sola sed simul cum ecceitate indiuiduali quodlibet indiuiduum inferius constituat, ergo sicut ex prædicatione generis sequitur, quod genus sit ratio inferiorū incompleta, ita etiam ex prædicatione speciei sequitur, quod species sit ratio incompleta inferiorum.

8 Resp. id, quod in quauis essentia rei dicit aliquam nouam, & notabilem perfectionem esse metaph. complete vel incomplete rationem formalem essentialem talis rei, id vero, quod in tali essentia non dicit aliquā nouam, & notabilem perfectionē non esse metaph. complete nec incomplete rationem formalē essentialē ipsius rei, sed solū materiale complementum illius, species autem hominis v.g. dicit aliquam nouam, & notabilem perfectionem scilicet esse animal rationale atq; ideo est ratio formalis essentialis hominis, ecceitas vero huius hominis Petri v.g. non dicit nouam aliquam, & notabilem perfectionem sed solum esse *hunc* & idcirco talis ecceitas metaph. non est ratio formalis vllo modo talis hominis, sed solum materiale complementum illius, cum autem ex eo, quod species, natura humana v.g. prædicetur de hominib. solo numero differētib. sequatur, quod ipsa species, ac natura humana, vt ratio formalis cū sola ecceitate, quæ non est ratio formalis, sed materialis quālibet hominē cōstituat, sequitur, quod species v.g. natura humana sit ratio formalis cōpleta suorū inferiorum, at vero genus, scilicet animal cum differentia essentiali, scilicet rationali hominem constituit, vnde cum differētia, scilicet rationale sit ratio formalis incompleta hominis, quia dicit nouam ac notabilem perfectionē supra genus illud determinans ad esse rationale, ideo genus scilicet animal non est ratio formalis completa hominis, vel alicuius inferioris, sed solum incompleta, quare genus, & species essentialiter differunt.

CAPVT II.

An ad speciem prædicabilem plura individua possibilia requirantur.

9 S. Thomæ & Thomist. sententia est sub quauis specie Angeli vnicum tantũ possibile esse individuũ Angelicum, v.g. sub specie Michaëlis vnũ tantum individuũ Michaelis, & sub specie Gabrielis vnum tantum individuũ Gabrielis, & sic de aliis, quærimus ergo nũc an species Angelica v.g. natura Michaëlis quæ vnũ tantũ individuum possibile habet, sit verè & propriè species vniuersalis, & prædicabilis, an vero quia plura sub se individua non habet, saltem possibilia vniuersalis non sit. Aliqui affirmant, cõmunis schola negat.

10 Assertio sit, natura Michaëlis & quæuis alia, quæ plura sub se individua possibilia non continet vniuersalis ac prædicabilis non est.

Probatur primò: natura, quæ intrinsecè, & essentialiter est singularis non potest vlla ratione esse vniuersalis, sed natura Angelica Michaëlis in prædicta opinione est intrinsece, & essentialiter singularis; ergo nulla ratione potest esse vniuersalis, & prædicabilis. Cõsequentia est euidens, maior probatur, quia natura essentialiter singularis est essentialiter incommunicabilis pluribus; natura vero vniuersalis est pluribus communicabilis, sed natura essentialiter incommunicabilis nulla ratione potest fieri cõmunicabilis, ergo natura essentialiter singularis non potest esse vniuersalis. Minor probatur, illa natura essentialiter est incõmunicabilis pluribus quæ essentialiter repugnat in pluribus reipsa multiplicari, sed natura Michaëlis essentialiter repugnat in pluribus reipsa multiplicari, ergo essentialiter est singularis.

11 Secundò probatur, vt aliqua natura sit vniuersalis, ac prædicabilis debet necessariò esse præcisa à singularitate, sed natura Gabrielis non potest esse ratione præcisa à singularitate sua ergo natura Gabrielis non potest esse vniuersalis, ac prædicabilis. Consequentia tenet cum maiori, minor autem sic probatur, ad præcisionem naturæ vt sic omnino necessarium requiritur, quod plura à parte rei sint similia in illa natura, ac etiam dissimilia, & distincta v. g. ideo natura humana potest per rationem præscindi à singularitate, quia à parte rei sunt plura individua similia, ac distincta inter se in ipsa natura humana, atqui non dantur plura individua à parte rei similia, & distincta in natura Angeli Gabrielis, cum vnicum tantũ individuum sit possibile sub natura Gabrielis; ergo natura Gabrielis non potest esse præcisa à sua singularitate.

12 Confirmatur, natura singularis formaliter est illa, quæ non est apta multiplicari in pluribus, sed natura Gabrielis, vt subest cuicumq; conceptui rationis non est apta, sed potius repugnat multiplicari in pluribus; ergo natura Gabrielis, vt subest cuicumq; cõceptui rationis est singularis; ergo talis natura per nullũ conceptũ rationis est à singularitate præcisa, ac proinde nec vniuersalis. Vrgeo, ideo natura diuina nõ potest esse à singularitate præcisa, nec vniuersalis, quia vnicũ tantum singulare continet individuum Dei, & repugnat essentialiter in pluribus multiplicari, sed natura Gabrielis vnicum tantũ singulare continet individuum Gabrielis, & essentialiter repugnat in pluribus multiplicari; ergo natura Gabrielis non potest esse à singularitate præcisa, nec vniuersalis.

13 Tertiò probatur, species vniuersalis ac prædicabilis est illa natura, quæ apta est prædicari de plurib. id est, sub ea cõtentis, sed natura Michaëlis non est apta etiã per rationem prædicari de plurib. Angelis sub ea contentis; ergo natura Michaëlis nõ est species prædicabilis, ac vniuersalis. Minor probatur, natura Michaëlis licet per rationẽ apta prædicari de pluribus Angelis sub ea contentis veris, & realibus, vel de pluribus Angelis confictis per rationẽ, sed non est apta prædicari de pluribus Angelis sub ea contentis veris, & realib. vt supponimus, quia vnicus tantũ Angelus verus, & realis, id est, Michaël sub natura Michaëlis continetur, neq; etiam est apta prædicari de plurib. Angelis confictis per rationẽ, quia natura realis, qualis est natura Michaëlis non potest prædicari de ente cõficto, & rationis; ergo natura Michaëlis etiam per rationem non est apta prædicari de pluribus sub ea contentis.

Sed obiiciat aliquis primo, natura Michaëlis potest 14
à nobis concipi, & de facto concipitur per modũ naturæ indifferẽtis, & cõmunicabilis; ergo natura Michaëlis fit per rationẽ vniuersalis. Probatur consequentia non minus requiritur ad naturam vniuersalẽ, quod sit vna, quam quod sit indifferens, & cõmunicabilis multis, sed natura hominis v.g. ex se multiplex concipitur à nobis per modum vnius, fit per rationem vna, & vniuersalis: ergo si natura Michaëlis ex se determinata, & incommunicabilis concipitur à nobis per modum indifferentis, & communicabilis, fit natura per rationem indifferens, & vniuersalis.

Respondeo, ad rationem vniuersalis requiri, quod sit 15
vna apta prædicari de pluribus, ex eo autẽ quod natura humana ex se à parte rei multiplex concipiatur per modum vnius, fit vna apta prędicari de plurib. quia per rationẽ est præcisa à differentiis, & à parte rei existit in pluribus, & idcirco per rationẽ fit vniuersalis, ex eo autem quod natura Michaëlis cõcipiatur à nobis per modum indifferẽtis non fit apta prędicari de pluribus, quia neque verè existit, neque potest existere in pluribus à parte rei, atque ideò talis natura non fit per rationem vniuersalis.

Obiicies 2. natura Michaelis potest esse per rationẽ 16
præcisa à singularitate; ergo & vniuersalis, consequẽtia patet, quia illa natura præcisa à singularitate non erit singularis; ergo erit vniuersalis: antecedẽs probatur, potest quis cõcipere naturã Michaelis, & dubitate, an plura individua sub illa cõtineantur, sed si concepta natura Michaelis necessariò conciperetur etiam eius singularitas vnica & essentialis, qui cõciperet naturam Michaelis, nõ dubitaret an plura individua singularia essent sub tali natura, sed sciret optimè vnicũ tantũ esse illius naturę individuũ singulare, ergo potest quis cõcipere naturã Michaëlis non cõcepta eius singularitate, ac proinde talẽ naturã à singularitate præscindere. Cõfirmatur, quia alioqui hoc individ. Michael esset immediatè subiicibile generi, scil. Angelo vt sic, quod nõ cõuenit individuo, sed est propriũ soli speciei

Resp. eum, qui concipit clarè vel confusè naturã Mi- 17
chaëlis cognoscere eodẽmodo, clarè vel confusè vnicã eius singularitatẽ, tamen qui clarè cognoscit illã non dubitat, an plura individua sub illa natura contineantur, sed scit vnicũ tantũ sub ea individuum contineri, qui verò eã confusè cognoscit, potest dubitare, an plura individua sint sub illa natura, non quidem, quia eius vnicam singularitatẽ formaliter non cognoscat, sed quia eam confusè cognoscit, atque ita nunquam natura Michaëlis datur à singularitate præcisa.

Ad confirmationẽ Resp. quãdo natura specifica potest 18
ab individuo prescindi individuũ nõ esse immediatum generis subiicibile, quia de illo potest species immediatius prędicari, quãdo vero natura specifica nõ potest ab individuo præscindi, sed individuũ est omnino formaliter conuertibile cum ipsa, vt accidit in prędicti tunc individuum est immediatè generis subiicibile, ac proinde Michael immediatè Angelo vt sic subiicitur.

Cæterum propter auct. D. Th. 1. p. q. 13. a. 9. q. 50. a. 4. 19
præcipuè q. de spiritualib. creatur. c. 8. & opusc. 42. c. 5. Thomist. cũ Caiet. de ente & essentia c. 5. q. 9. ad 2. Capreol. in 2. d. 3. q. 1. ad 2. Scoti arbitrabantur naturã Angelicã Michaëlis v.g. esse vniuersalẽ, non positiuè, sed negatiue, putant enim talem naturam posse ratione nostra à sua singularitate præscindi, & sic præcisam non esse singularem, & secundum quod à nobis pro

hoc

hoc ſtatu cognoſcitur, concipi ad modum rerum materialium, & communium, & eſſe vniuerſalem, & ſpeciē prædicabilem, quia licet natura Michaelis reipſa includat ſuam ſingularitatē, tamen ex conceptu ſuo, & formalitate illā non explicat, ſed dicit reſpectum poſitiue ad vnum indiuiduum, & negatiue ad plura, ſi non repugnaſſent, & cum hæc repugnantia non oriatur ex ipſa natura Angelica, ſed ex eius indiuiduatione, à qua poteſt præſcindi, hinc exiſtimant poſſe concipi vt vniuerſalem, & ſpeciem prædicabilē de vno indiuiduo poſitiue, de aliis vero negatiue, ſeu per non repugnantiam. Eſt optimum exemplum ad hoc explicandum in ſententia D. Thomæ 3.p.q. 53. articulo... vbi docet, quod Pater vnica relatione reſpicit pluresfilios ſi ſint actu, & ſi tantum ſit vnicus, illū attingit poſitiue, cæteros vero negatiue, ſiue per non repugnantiam, quia talis relatio ita ſe habet vt ſi eſſent plures filij, per illam Pater eos reſpiceret, ſic ſimiliter in natura Angelica Michaelis dici poteſt, & illam poſſe eſſe vniuerſalem, & ſpeciem prædicabilem prædicto modo, ſed ſemper mihi difficultatem ingerit, quia vt natura Michaelis etiam hoc modo ſit vniuerſalis debet eſſe à ſua ſingularitate præciſa, ſed natura Michaelis nulla ratione poteſt eſſe à ſua ſingularitate præciſa, cum per eamdē formalitatem, & ſimplicem entitatem in eſſe naturæ Angelicæ, & talis naturæ Angelicæ & indiuidualis conſtituatur, ergo neque negatiue, neque per non repugnantiam poteſt eſſe vniuerſalis, & ſpecies prædicabilis.

DISPVTATIO XII.

De indiuiduo ſubiicibili, ac correlatiuo ſpeciei.

TRIA capita continebit in primo, variæ indiuidui acceptiones explicantur: in ſecundo, an ratio indiuidui communis omnibus indiuiduis dari queat? in tertio, quid indiuiduum vagum, & an ratio vniuerſalis ſit.

CAPVT I.

Variæ indiuidui acceptiones explicantur.

1 INdiuiduum dupliciter vſurpatur, nimirum primo intentionaliter, hoc eſt ſecundum id, quod habet à parte rei, & ſecundo intentionaliter, id eſt ſecundū quod habet per actionem intellectus, hoc autem indiuiduum ſecundo intentionaliter ſumptum, aliud eſt ſubiicibile aliud prædicabile de quibus omnibus in hoc capite breuiter diſſeremus.

2 Primo igitur indiuiduum primo intentionaliter ſumptum à D. Thoma 1.p.q.29.articulo 4. ſic definitur, *Eſt indiuiſum in ſe & diuiſum à quolibet alio*, hoc eſt, eſt natura repugnans diuidi in plures eiuſdem omnino rationis, ac diſtincta per ſe ipſam vltimo à quauis alia, vt Petrus v.g. eſt indiuiduum, quia repugnat reipſa diuidi in plures Petros, & per ſe ipſum eſt vltimo diſtinctus à Paulo, & quouis alio indiuiduo, Porphyrius autem ita in præſenti hoc indiuiduum præſcripſit, eſt cuius collectio proprietatum & accidentium in nullo alio reperitur, cum enim experimēto compertum ſit duo indiuidua diſtincta eaſdem omnino proprietates, & accidentia ſimilia non habere ex natura rei, bene definitur indiuiduum eſſe id, cuius proprietates, & accidentia collectiue accepta in nullo alio collecta reperiuntur, vnde prima definitio D. Thomæ eſt eſſentialis, quia datur per eſſētialia indiuidui. Secunda vero definitio Porphyrij eſt deſcriptiua, quia datur per accidentia indiuidui, hęc autē accidentia ſunt ſeptem, quæ his carminibus declarantur.

Forma figura, locus, ſtirps, nomen, patria, Tempus,
Vnum perpetua reddere lege ſolent.

3 Secundo indiuiduum ſecundò intentionaliter acceptum & ſubiicibile ſic appoſite definitur, *Eſt quid aptum ſubiici ſpeciei*, ſiue enim ſpecies ſubiicibilis eſt illa, quæ ſubiicitur generi, vel de qua genus prædicatur, ita indiuiduum ſubiicibile eſt id, quod ſubiicitur ſpeciei, vel de quo prædicatur ſpecies, vnde ſicut genus & ſpecies prædicabilis in eo eſſentialiter differunt, quod genus prædicatur vt ratio incompleta, atque ita prædicabilitas eius eſt incompleta, ſpecies vero prædicatur vt ratio completa, atque ita prædicabilitas eius eſt completa, ſic ſimiliter indiuiduum ſubiicibile, & ſpecies ſubiicibilis in eo differunt eſſentialiter, quod ſpecies incomplete ſubiicitur generi, quæ eſt ratio eius incompleta, atque ideo eius ſubiicibilitas eſt incompleta, indiuiduum vero complete ſubiicitur ſpeciei, quæ eſt eius ratio completa, atque ideo eius ſubiicibilitas eſt completa, eadem ergo in vtroque ratio diſcriminis reperitur.

Sed obſerua indiuiduum ſubiicibile eſſe quoddam 4
concretum intentionale includens pro materiali naturam indiuiſam in ſe, & diuiſam à quolibet alio, pro formali vero aliquā intentionem, & cognitionē rationis per quam formaliter indiuiduum fiat ſubiicibile ſpeciei hanc autem intentionem puro eſſe cognitionē illā, qua natura ſpecifica ab indiuiduis abſtrahitur, per hanc enim ipſa ſpecies fit formaliter prædicabilis de indiuiduis, ac proinde per eandem etiam cognitionem indiuidua fiunt formaliter ſubiicibilia ſpeciei, nequit enim ſpecies eſſe prædicabilis, quin etiā indiuiduū ſit eius ſubiicibile, cū nec inter ſe correlatiua ſint, vnde ſicut ſpecies fit formaliter ſubiicibilis per abſtractionem generis ab ſpeciebus vt oſtēdi cap. de genere, ita indiuiduū fit formaliter ſubiicibile per abſtractionem ſpeciei ab indiuiduis, omnia etiam alia, quæ eo capite primo de ſpecie ſubiicibili diximus, proportione ſeruata indiuiduo ſubiicibili applicanda ſunt.

Secundo, indiuiduum ſecundò etiam intentionaliter ſumptum ac prædicabile ſic à Porphyrio definitur, 5
Eſt quod de vno ſolo prædicatur. Scilicet de ſe ipſo, ſed aduerte quod quando indiuiduum de ſe ipſo ita prædicatur, vt eodem modo concipiatur ex parte prædicati, & ex parte ſubiecti, talis propoſitio & prædicatio eſt identica, vt cū dicitur, Petrus eſt Petrus, cum vero ipſummet indiuiduū diuerſo modo concipitur ex parte ſubiecti, & ex parte prædicati, ſcilicet magis diſtincte & explicite, talis prædicatio eſt formalis, vt ſi dicas, Petrus eſt hic homo, eſt formalis prædicatio, quia magis diſtincte concipio naturam ſingularem Petri per terminū cōpletum, qui eſt ex parte prædicati, quā per terminū incompletum, qui eſt ex parte ſubiecti: ſimiliter hæc predicatio, Petrus eſt tale indiuiduum eſt formalis, ſicut iſta, homo eſt rationalis, ſicut enim in hac prædicatione magis diſtincte exprimitur ex parte prædicati ſcilicet hominis, rationalitas, quā ex parte ſubiecti, & ob id formalis dicitur, ita in illa prędicatione magis diſtincte exprimitur ex parte prædicati indiuiſio indiuidui, quam ex parte ſubiecti, & ideo neceſſario debet prædicatio formalis appellari.

Obiiciat aliquis Ariſtot. in anteprædicamentis c. 2. 6
aſſerentē indiuiduū de nullo prædicari, ergo falſo aſſignatur indiuiduum prædicabile, quod poſſit de vno prædicari: præterea indiuiduū ſolū eſt ſubiicibile generis, & differentiæ, & principaliter ſpeciei, ſi autē indiuiduum eſſet prædicabile de vno ſcilicet de ſe ipſo, etiam indiuiduū eſſet ſubiicibile reſpectu ſui ipſius, quod nullus admittit. Reſpondeo cum Conimbricenſibus cap. de ſpecie q.2.art.2.ad 4. Arriaga, Hurtado, & aliis indiuiduum prædicari tantū de vno ſcilicet de ſe ipſo non tamen de inferiori, nā idē ſibi ipſi inferius nō eſt, quapropter Ariſtoteles loco citato dixit indiuiduū de nullo eſſe prędicabile, ſcilicet vt de inferiori, & ideo etiā indiuiduum reſpectu ſui ipſius non eſt ſubiicibile, quia ſubiicibile ſemper inferius eſt illo, cui ſubiicitur.

CAPVT II.

An ratio indiuidui communis omnibus indiuiduis dari queat?

7 IN qualibet re creata triplex formalitas reperitur, v.g. in Petro reperitur ratio generica, scilicet animal, & ratio specifica, scilicet esse hominem, & ratio indiuidualis, scilicet esse indiuiduum, quærimus ergo nunc, an sicuti datur ratio animalis communis omnibus hominibus detur etiam ratio indiuidui communis omnibus indiuiduis, & procedit quæstio de indiuiduo primo intentionaliter sumpto, vt est quid indiuiduum in se, & diuisum à quolibet alio.

8 Præmitto, omnibus indiuiduis in generali non dari proprie rationem indiuidui communé, est communis, & probatur aperte, non datur, dariue potest ratio communis proprie, nisi illis tantum, qui proprie in illa ratione conueniunt, sed homini vero, & homini picto non datur proprie ratio communis hominis, quia proprie in ratione hominis non conueniunt, cū homo pictus proprie non sit homo, atqui omnia indiuidua in generali nimirum indiuidua entis realis & indiuidua entis rationis proprie non conueniunt in ratione indiuidui, quia indiuiduum entis rationis proprie nō est indiuiduum, cum enim proprie non sit ens neque proprie est vnum, quod est passio entis, neque proprie est indiuiduum, ergo dari non potest ratio communis proprie omnibus vniuersim indiuiduis; controuersia, ergo solum procedit de indiuiduis realibus maximè de indiuiduis substantiæ, quibus nonnulli negant dari communem rationem indiuidui, vt Soto c. de specie, Albertus Magnus, & aliqui Recentiores.

9 Sed communis, & vera sententia est vere per rationem dari rationem indiuidui cōmunem omnibus indiuiduis substantiæ ita D. Th. 1. p. q. 30. art. 4. & q. 9. de potentia ad 2. Suarez tom. 1. met. disp. 6. sect. 8 n. 13. Rubio in præsēti c. de specie q. 6. §. resoluitur quæstio. Conimbr. ibidem q. 3. art. 2. Arriaga c. de specie subsect. 2. Carleton disp. 5. sect. 1. & 2. Merinero, Hurtado c. de specie sect. 7. Complut. de specie q. 6 n. 53. Ioan. à S. Th. q. 9. de specie art. 2. Lerma, Massio, Carleton disput. 35. Logicæ sect. 1. & 2. & plures alij ex recentioribus. Probatur 1. ex verbis D. Th. q. 30. art. 4. ibi: Dicēdum est, quod etiam in rebus humanis nomen personæ est commune communitate rationis, non sicut genus, aut species, sed sicut indiuiduum. Et idem q. 9. de potentia art. 2. ad primū ibi: sicut nomen, quod significat naturam est commune, ita nomen quod significat naturam cum tali modo existendi, vt hypostasis, vel persona, sed persona est indiuiduum, ergo ratio indiuidui ad indiuidua substantiæ non repugnat.

10 Probatur efficaciter, quando plura proprie conueniunt reipsa in aliqua ratione talis ratio per intellectum fit proprie communis illis, sed omnia indiuidua substantię proprie conueniunt reipsa in ratione indiuidui, quodlibet enim illorum à parte rei est vere & proprie indiuiduum, ergo indiuidui per intellectum fit ratio communis omnibus indiuiduis substantiæ. Confirmatur, omnes homines sicuti proprie conueniunt in ratione hominis, ita proprie conueniunt in ratione indiuidui, nam sicut cuilibet illorum competit proprie esse hominem, sic cuilibet illorum competit proprie esse indiuiduum, sed quia proprie conueniunt in ratione hominis, datur illis ratio communis hominis omnibus hominibus, ergo quia etiam conueniunt proprie in ratione indiuidui, dabitur etiam illis ratio communis indiuidui.

11 Respondeat aliquis, vt daretur ratio communis omnibus indiuiduis, necessarium fore, quod eorum indiuiduationes essent similes, & conuenirent reipsa inter se, indiuiduorum autem indiuiduationes non sunt similes, neque conueniunt inter se, sed potius disconueniunt, nam Paulus per suam indiuiduationem est distinctus à Petro, ac proinde dari non posse rationem indiuidui communem omnibus indiuiduis.

Sed impugnatur, dissimilitudo, qua album est formaliter dissimile nigro, ac differt ab illo, & dissimilitudo etiam, qua nigrum formaliter est dissimile albo, & differt ab illo, sunt veræ similes, & conueniunt in ratione dissimilitudinis, ergo indiuiduatio, qua Petrus est indiuidualiter distinctus à Paulo, sunt veræ similes, & conueniunt in ratione indiuiduationis. Patet Consequentia, sicut Petrus & Paulus indiuidualiter differūt per suas indiuiduationes, ita album & nigrum formaliter dissimilantur, ac differunt per prædictas dissimilitudines, ergo si adhuc hæ dissimilitudines sunt similes, & conueniunt in ratione dissimilitudinis, etiam illæ indiuiduationes erunt similes, & conuenient in ratione indiuiduationis. 12

Cōfirmatur, ideo illæ dissimilitudines, licet per illas differant formaliter album, & nigrum, sunt similes, & conueniunt in ratione dissimilitudinis, quia quælibet illatum est vere, & propriè dissimilitudo, sed etiā quælibet illarum indiuiduationū Petri, & Pauli est vere, & proprie indiuiduatio, ergo tales indiuiduationes licet per illas differāt indiuidualiter Petr. & Paulus sunt etiā similes, & conueniunt in ratione indiuiduationis. 13

Vrgetur amplius, Petr. & Paul. habent similes entitates in ratione entitatis, ergo similes vnitates reales transcendētales, ergo habent similes indiuiduationes, antecedens est certum, primò consequentia probatur: res, quæ habent similes entitates & essentias, habent similes passiones, quia passio sequitur essentiam, cuius est passio, sed vnitas realis transcendentalis est passio entis, seu entitatis, ergo si Pet. & Paul. habent similes entitates, habent etiā similes vnitates reales transcēdentales. Secundò, etiā consequentia probatur, vnitas realis transcendentalis est indiuiduatio rei, quia talis vnitas est ratio per quam res est vna in se, & diuisa à qualibet alia, quæ est definitio indiuiduationis, ergo si Petrus, & Paulus habent similes vnitates reales transcendentales habent etiam similes indiuiduationes. 14

Obiiciat aliquis primo, res non conueniunt in eo quod est ratio differendi, sed indiuiduatio est ratio differendi inter Petrum, & Paulum, ergo Petrus & Paul. non cōueniunt in indiuiduatione. Cōfirmatur primò, in eo, in quo res vltimo differunt, non conueniunt, nā si in illo conuenirent, non vltimo in eo differrent, sed in alia vlteriori differentia, sed res differunt vltimo in indiuiduationibus, ergo non conueniūt in indiuiduationibus. Confirmatur secundò, Petrus per suam indiuiduationem habet non esse Paulum, sed in hoc non potest ei Paul. assimilari in sua indiuiduatione, quia Paul. non potest non esse Paul. ergo Paulus non potest esse similis Petro in indiuiduatione, ergo ab indiuiduatione Petri, & ab indiuiduatione Pauli non potest abstrahi ratio communis indiuiduationis. 15

Resp. indiuiduationē Petri, & Pauli posse dupliciter concipi, primò explicite, & adæquate vt talis indiuiduatio est Petri, scilicet Petreitas, secundò, confusè, & inadæquate vt indiuiduatio est præcisè, si indiuiduatio Petri primo modo explicite, & adæquate cōcipiatur, est ratio differendi, & differendi vltimo à Paulo, atq; ita talis indiuiduatio Petri vt sic concepta non est similis indiuiduationi Pauli, nā indiuiduatio Pauli nō est Petreitas, sed Pauleitas, si vero Petri indiuiduatio secundo modo confusè, & inadæquatè concipiatur, quatenus indiuiduatio est precisè non est ratio differēdi vltimo, neque vltimo modo sed ratio conueniendi, atque ita indiuiduatio Petri vt sic concepta est similis & communis cum indiuiduatione Pauli, quia indiuiduatio Pauli est etiam vera indiuiduatio sicuti indiuiduatio Petri, ac proinde dari potest ratio communis indiuiduationis, quo etiam prima argumenti confirmatio diluta manet. Ad secundam confirmationem eodem modo Respondeo, Petrum per eius in- 16

diuiduationem adæquatè & explicitè conceptam, vt Petreitas eſt, habere formaliter non eſſe Paulũ, & ita talem indiuiduationẽ vt ſic conceptam non eſſe ſimilem indiuiduationi Pauli, ſcilicet Pauleitati, vt argumentum conuincit, Petrum vero per eius indiuiduationem confusè & inadæquatè conceptã non habere formaliter non eſſe Paulũ, ſed tamen habere eſſe vnũ indiuiduũ in confuſo, atq; ita talem indiuiduationem ſic conceptam eſſe ſimilem indiuiduationi, per quam etiam Paulus vnum indiuiduum conſtituitur.

17 Obiiciat ſecundò, res non conueniunt in eo, in quo differunt, ſed Petrus, & Paulus primo differunt in indiuiduationib. ergo nullo modo cõueniunt in indiuiduationibus. Confirmatur: ideo homo & equus nullo modo conueniunt in rationalitate, & irrationalitate, quia primo differunt ſpecificè, & eſſentialiter in ipſis, ſed Petrus & Paulus primo differunt indiuidualiter in indiuiduationibus: ergo non poteſt dari ratio communis indiuiduationis, neq; indiuidui. Reſp. in ea ratione, in qua res primo differunt, non conuenire, ſi talis ratio explicitè, & adæquatè concipiatur, & ita rationalitas, & irrationalitas vt ſic formaliter nullo modo ſunt ſimiles, neq; Petreitas, & Pauleitas, vt ſic formaliter vlla ratione conueniunt, in ea vero ratione, in qua res primo differunt, poſſe conuenire, ſi talis ratio confusè ſolum & inadæquatè concipiatur, vnde rationalitas, & irrationalitas confusè conceptæ conueniũt in ratione differentiæ eſſentialis, & indiuiduatio Petri & indiuiduatio Pauli cõfusè etiã conceptæ cõueniunt in ratione indiuiduationis ſuæ, ſeu differentiæ indiuidualis, quo argumentũ cum confirmatione diſſoluitur.

18 Obiiciat tertiò: ſi indiuiduatio Petri ſcilicet Petreitas, & indiuiduatio Pauli, ſcilicet Pauleitas ita inter ſe cõueniunt, vt abſtraheretur ab illis ratio communis indiuiduationis illæ differentiæ indiuiduales, ac indiuiduationes, quę remanerent, etiã conuenirent in ratione inadæquationis, quæ ab illis abſtrahi poſſet, & illæ aliæ differentiæ indiuiduales, ac indiuiduationes, quæ remanerent, etiam conuenirent in ratione indiuiduationis, quæ ab illis abſtrahi poſſet, & ſic de aliis ſine termino: ergo datur proceſſus indiuiduorum in infinitum, quod eſt abſurdum.

19 Reſpondeo differẽtias indiuiduales, ac indiuiduationes particulares non eſſe infinitas tantum v.g. Petreitatem & Pauleitatem, quia vero ratio indiuiduationis eſt ratio tranſcendens in illis, licet ſemel iterum, atq; iterum ab eis per rationẽ abſtrahatur, ſemper manet eademmet ratio intimè imbibita in ipſis, in qua cõueniunt, & quæ iterum abſtrahi poſſet, quod non arguit infinitas eſſe indiuiduationes, ſed rationẽ indiuiduationis eſſe tranſcendentẽ, & intimè imbibitam in illis hoc etiam idem de ratione entis reſpectu ſubſtantiæ & accidentis, & de quauis alia ratione tranſcendenti reſpectu ſuorum inferiorum quiſque fateri tenetur.

20 Obiiciat quartò, indiuiduum ex ſe eſt incõmunicabile, ſed quæuis ratio cõmunis eſt cõmunicabilis pluribus: ergo non datur ratio communis indiuidui. Confirmatur, quoduis indiuiduum particulare eſt immediatũ ſpeciei, vt omnes admittunt, ſed ſi daretur ratio cõmunis indiuidui, indiuiduum particulare non eſſet immediatũ ſpeciei: nam ratio cõmunis indiuidui poſſet de illo immediatius prædicari, ergo nõ datur ratio cõmunis indiuidui. Reſp. indiuiduũm eſſe incõmunicabile pluribus ſecundum rationem particularẽ indiuidui explicitè & adæquatè conceptam, non verò ſecundum rationem cõmunem indiuidui confusè, & inadæquatè cognitam atq; ita non implicare dari aliquã rationem indiuidui cõmunem, quæ pluribus communicabilis ſit. Ad confirmationẽ Reſp. indiuiduum particulare, & immediatum ſpeciei formaliter, quia ſpecies eſt prima ratio formalis, ac eſſentialis, quæ de ipſo indiuiduo prædicatur, ratio enim cõmunis indiuidui, quæ immediatius de illo prædicatur, non eſt ratio eius formalis, ſed materialis.

Hinc poteſt inquiri, ad quod prædicabile pertineat 21
indiuiduum in communi, quod prædicabile eſt de pluribus indiuiduis in particulari, Reſpondeo ſpectare ad quartum prædicabile proprij, quia ratio indiuidui metaphyſicè nõ eſt eſſẽtia rei, ſed proprietas illius.

CAPVT III.

Quid indiuiduum vagum & an ratio vniuerſalis ſit?

INdiuiduum vagum eſt quoddam indiuiduum in- 22
certum & indeterminatum, quod deſignari non poteſt, vt in hac propoſitione, aliquis equus requiritur ad equitandum, ille aliquis equus ad equitandũ requiſitus eſt incertus, & indeterminatus, & deſignari non poteſt, vt Petrus; ex quo infero indiuiduum vagum vt ſic formaliter, non dari à parte rei ante cognitionem intellectus, quia quidquid exiſtit à parte rei ante cognitionem intellectus eſt determinatum, cum actione determinata à Deo producatur, ſed indiuiduũ vagum vt ſic formaliter non eſt determinatum, ergo indiuiduum vagum vt ſic formaliter non exiſtit à parte rei ante cognitionem intellectus noſtri.

Hoc ergo indiuiduum vagum duo includit, aliud 23
pro materiali, aliud pro formali, pro materiali quidem includit omnia indiuidua alicuius generis, vel ſpeciei, pro formali vero includit ſecundam intentionem, aut cognitionem, qua omnia illa indiuidua diſiunctiue, & confuſe, hoc eſt indeterminate concipiuntur, vt in prædicta propoſitione aliquis equus requiritur ad equitandum, aliquis equus, qui eſt indiuiduum vagum, dicit pro materiali omnes equos, & pro formali dicit ſecundam intentionem ſeu cognitionem, qua quis omnes illos equos diſiunctiue, & indeterminate apprehendit, ſcilicet hunc equum, vel illum vel alium in confuſo eſſe requiſitum ad equitandũ, ac proinde indiuiduum vagum datur per cognitionem noſtri intellectus, in qua talis indeterminatio inuenitur.

Sed quæritur, vtrum per cognitionem intellectus 24
diuini dari poſſit indiuiduum vagum? negant aliqui, ratio eorum eſt, quia ad indiuiduum vagum requiritur cognitio, qua plura indiuidua diſiunctiue, & confuſe cognoſcantur, ſed cognitio intellectus diuini nõ poteſt plura confuſe cognoſcere, confuſio enim vt pote imperfectio aliqua cognitioni Dei repugnat, ergo per cognitionem intellectus diuini non poteſt dari indiuiduum vagum.

Opinor ego cum pluribus recentioribus per diui- 25
nam etiam cognitionem dari poſſe iudiuiduum vagum, quod ſic ex dictis oſtendo: ad indiuiduum vagũ ſolũ requiritur cognitio, qua plura indiuidua diſiuncte, & indeterminate concipiantur, ſed per diuinã cognitionem plura indiuidua diſiunctiue, & indeterminate cognoſcuntur, ergo per diuinã cognitionẽ datur indiuiduum vagum. Conſequentia eſt euidens, maior tenet ex dictis, minor autem ſic monſtratur. Deus per diuinam cognitionẽ cognoſcit aliquẽ equum ad equitandum requiri diſiunctiue, ſcilicet hunc vel illum, ſed per talem cognitionẽ non cognoſcit Deus aliquẽ equum determinatè requiri ad equitandum, quia verè nullus determinatè requiritur, ergo Deus per diuinam cognitionem cognoſcit ad equitandum requiri aliquem equum diſiunctiuè, & indeterminatè, ſcilicet hunc vel illum, vel iſtum: ergo per diuinam cognitionem plures equi, atque ita plura indiuidua diſiunctè, & indeterminatè cognoſcuntur.

Ad rationem oppoſitam Reſp. diuinã cognitionem 26
nõ poſſe plura cognoſcere cõfusè, hoc eſt indiſtinctè, & obſcurè, quia hæc indiſtinctio, & obſcuritas tenet ſe intrinſecè ex parte cognitionis, & eſt imperfectio quæ

cognitioni repugnat, posse tamen cognoscere plura indeterminate, vt probatum est, quia talis indeterminatio tenet se ex parte obiecti extrinsece, & à diuina cognitione perfectè, & clarè cognoscitur, quod nullam imperfectionem includit, hæc autem cognitio, qua plura disiunctiuè, & indeterminate cognoscuntur à Deo, sufficit ad indiuiduum vagum vt constat ex dictis.

27 Præcipua vero huius capitis quæstio est, an indiuiduum vagum hoc modo explicatū, sit ratio vniuersalis proprie, & stricte. Recentiores quidam tenent esse rationē vniuersalem. Probatur eorū sententia primo, quia vniuersale est vnū prædicabile de multis, sed indiuiduum vagum vt aliquis homo, est vnum prædicabile de multis, scilicet de Petro, Ioanne, Francisco, & aliis, quorum quilibet est aliquis homo, ergo indiuiduum vagum est proprie, & stricte vniuersale. Secundo probatur, quia vniuersale in nostra & omnium sententia includit pro materiali plura indiuidua, & pro formali secundam intentionem, & cognitionem, qua illa confusè concipiuntur, vt est dictum tract. 2. disp. 5. cap. 7. Sed indiuiduum vagum etiam pro materiali includit plura indiuidua, & pro formali cognitionem, qua illa confusè concipiuntur vt diximus supra num. 5. ergo indiuiduum vagum, est vere, & proprie vniuersale. Tertia, quia sicut omnes homines cōueniunt in ratione hominis, quia quilibet illorum est verus homo, & ideo homo vt sic est ratio ab eis præcisa, & vniuersalis, ita omnes homines conueniunt in ratione alicuius hominis, quia quilibet illorum est vere aliquis homo, ergo aliquis homo vt sic formaliter erit ratio præcisa, & vniuersalis, & prædicabilis de illis omnibus.

28 Arbitror tamen ego cum pluribus Recentioribus, & nouissime cum Roderico de Arriaga cap. de specie, & q. 6. Logicæ sub sect. secunda indiuiduum vagum proprie non esse rationem vniuersalem, & probatur ratione, quia vniuersale proprie est vnum commune per rationem, sed indiuiduum vagum non est vnum commune per rationem, ergo indiuiduum vagum non est vniuersale. Consequentia est euidens, maior certa ex dictis disp. 4. & 5. minor autem sic probatur, vnum commune per rationem dicit plura ita confusè concepta, vt intellectus ex modo concipiendi vnum ab alio non distinguat, vt dicta disp. 5. cap. 7. ostendi. Sed indiuiduum vagum dicit plura ita concepta, vt intellectus vnum ab alio aliquo modo distinguat, ergo indiuiduum vagum nō est vnum commune per rationem, Probatur minor, quando intellectus plura indiuidua cognoscens ex modo concipiendi vnum ab alio disiūgit, etiam ex modo concipiendi vnum ab alio distinguit, vt per se constat, sed indiuiduum vagum dicit plura indiuidua ita concepta, vt intellectus ex modo concipiēdi vnum ab alio distinguat, nam illa disiunctiue cognoscit, scilicet hoc indiuiduum, vel illud, vel istud ad aliquod munus requiri, ergo indiuiduum vagum dicit plura ita concepta, vt intellectus ex modo concipiendi vnum ab alio distinguat, ac proinde non dicit plura concepta per modum vnius, & consequenter non est vnum per rationem, neque vniuersale.

29 Vrgetur efficaciter: actus qui distinguit inferiora inter se non efficit vniuersale, quia actus efficiēs vniuersale per rationem ex modo tendendi ad inferiora non dicit vnum magis quam aliud, sed omnes in cōfuso, sed actus disiunctiuus eo, quod sit disiunctiuus debet distinguere sua obiecta, ergo actus disiunctiuus non facit vniuersale. Probatur minor, quia actus disiunctiuus est, qui dicit hoc, vel illud, sed qui hoc dicit, necessario distinguit inter hoc & illud, inter quæ ponit disiunctionem *vel*, ergo ille actus disiunctiuus non confundit plura ita, vt ea faciat per rationem extra se vnum, quod adv niuersale necessario desideratur, ergo indiuiduum vagum per rationem non est proprie vniuersale.

Sed dicit Hurtado, quod hæc propositio, Petrus est homo, sola voce differt ab hac, Petrus est aliquis homo, quia in vtraque tam subiectum, quam prædicatum eodem modo concipitur, quia in vtraque percipitur clare ratio humanitatis, & confusè cognoscuntur omnia indiuidua, & nullum explicite, ergo sicut prima propositio est vniuersalis, ita & secunda. Sed impugnatur, quia prima propositio est absoluta, & ex modo concipiendi intellectus inter inferiora non distinguit, at secunda est disiunctiua, quæ distinguit vnum ab alio, vt modo dixi, quo fit satis argumento Hurtado. 30

Ad rationem Recentiorum in contrarium Respondeo indiuiduum vagum non esse proprie vnum per rationem vt modo ostendi, & ideo non esse vniuersale. Ad confirmationem dico plura cognita fuisse hoc est, indeterminate esse vere vniuersale, plura vero cognita confusè, hoc est, indeterminate distinctè aliquo modo, vt accidit in indiuiduo vago, non esse vniuersale, & ideo indiuiduum vagum non est vere ratio vniuersalis. Deus enim plura indeterminate cognoscit, vt monstraui num. 16. & tamen eius cognitio in omnium sententia non conficit rationem aliquam vniuersalem. Ad tertiam confirmationem iam supra dedi disparitatem. 31

Sed pro modo loquendi aduerto posse indiuiduum vagum esse rationem præcisam, sicut enim omnes homines conueniunt in ratione hominis, quia quilibet eorum est verus homo & ideo *homo vt sic* est ratio ab illis præcisa, ita omnes homines conueniunt in ratione alicuius hominis, quia quilibet illorum vere est aliquis homo, & ideo aliquis homo potest esse ratio præcisa ab illis, tunc enim tale indiuiduum vagum, scilicet aliquis homo erit vere vniuersalis, quia erit vnum prædicabile de pluribus in quo formaliter ratio vniuersalis consistit, vnum in tali casu *aliquis homo*, scilicet quando est ratio præcisa, idem valet, *quod vnus homo*, & ita videtur à propria, & stricta ratione indiuidui vagi recedere. 32

Ad quod autem prædicabile reducatur prædicatio indiuidui, non est facile, sed reducenda ad speciem nō quia prædicatur *in quid*, sicuti ipsa species, sed quia prædicat modū naturæ specificæ, qui est indiuiduatio, modus autem reducitur ad rem, cuius est modus, sicuti subsistentia ad subsiātiam, & hæc de indiuiduo satis. 33

In caput 3. de differentia.

INtendit Porphyrius in hoc tertio capite post generis, & speciei explicationem nobis tradere partem illam, quæ in compositionem speciei venit cum genere, quæ est differentia, quam licet Porphyrius secūdo loco numerauerit, eo quod genus, & differentia sunt rationes constitutiuæ speciei, tamen recte in hoc tertio capite agit de differentia, Primo, quia genus & species sunt correlatiua. Secundò quia genus per differentias descendit ad species, ergo prius videtur agēdum de speciebus, ad quas genus descēdit, quam de differentia per quam descendit. Tertiò, quia vniuersalia, quæ prædicantur *in quid*: præcedere debent ea quæ prædicantur in *quale*, ergo iure optimo ordo doctrinæ prætulit speciem differentiæ & consequenter in hoc tertio cap. post tractatum de specie instituit disputationem de differentia tertio, prædicabili.

Summa textus.

DIfferentia igitur in latissima sui acceptione accipitur pro entitate & gradu faciente differre vnam rationem ab alia, quia est quasi segregatio & 1

separatio

ſeparatio eo quod habet ſubiectum quod ſegregat & terminum à quo ſeparat, & ita duplex reſpectus inuenitur in differẽtia, vnus ad ſubiectum ſeu rem quã facit differre, alter ad terminum ad quem facit differre: primus conſtituit differentiam prædicabilem, & coniungitur generi & ſpeciei, ſecundus conſtituit differentiam quantum ad munus differentiæ ſegregandi & ſeparandi, de primo reſpectu & prædicabilitate vt hoc tertium prædicabile conſtituit infra agemus.

De differentia vero quantũ ad ſecundũ reſpectũ & vt eſt forma faciẽs differre, primo intẽditur & à parte rei varie accipitur, primo enim ſumitur pro quacumque diſtinctione aut diuerſitate qua ratione quæ ſunt primo diuerſa vt genera generaliſſima, vt creatum & increatum, corruptibile & incorruptibile, dicimus genere differre, & hæc ex Ariſt. 10. met. tex. 12. & D. Thoma ibid. ſect. 4. nullam habent conuenientiam. Secundo ſumitur differentia magis proprie pro diuerſitate eorum quæ in aliqua ratione ſiue generica ſiue ſpecifica vniuoce conueniunt, vt homo & animal. Tertio ſumitur differentia magis proprie non pro diſtinctione & diuerſitate ſed pro radice diuerſitatis quæ in compoſito phyſico erit forma, in compoſito vero metaphyſico, in homine v.g. erit rationale, in animali ſenſibile.

2 Differentia igitur in magis propria acceptione diuiditur à Porphyrio in communem, propriam & propriiſſimam: differentia communis eſt accidens ſeparabile per quod ſubiectum differt, vel à ſe ipſo vel ab alio vt ſedere & currere, nam ſedens per ſeſſionem & ſeparatur à ſe ipſo, & ab alio non ſedente, eſt tamen accidens ſeparabile, cum ſtatim euaneſcat à ſubiecto: differentia propria eſt accidens inſeparabile ratione cuius res habens illud ſeparatur ab altera non habente, vt cicatrix, curuitas naſi &c. differentia vero maxime propria vocatur illa quæ vna cum genere ſpeciem conſtituit, ſeparatque illam ab aliis ſpeciebus contentis ſub eodem genere, qualis eſt rationalis differentia. Ex iis differentiis communis & propria faciunt alterum & non conſtituunt hoc tertium prædicabile ſed ad quartum & quintum ſpectant, quia ſubiectum per illas differentias ſuſcipit mutationem accidentalem, hoc eſt eſſe alterum: maxime vero propria facit aliud in eſſentia, hoc eſt per illam valet dicere hoc eſt aliud ab illo, de cuius ratione eſt primo genus contrahere tamquam forma & actus illius, ſecundo illud diuidere, qua ratione dicitur contractiua & diuiſiua generis, tertio ſpeciem conſtituere & illam ab aliis diſtinguere, qua ratione dicitur conſtitutiua ſpeciei, tandem hoc prædicabile conſtituit dum pluribus differentiis communis eſt, & de illis omnibus prædicatur, quod ſolum propriiſſimæ differentiæ conuenire apud omnes ita manifeſtum eſt vt non ſit opus illud probare.

Huius differentiæ primo intentionaliter acceptæ & vt eſt forma realis faciens differre, tres definitiones communiter aſſignantur, quas Pophyrius tradit in litera, tex. Prima eſt *qua differentia* ſuperat genus, quia, homo per rationale ſuperat animal, cuius eſt ſpecies, quia præter animal includit rationalitatem quam non includit actu genus, bene ergo ſpecies ratione differentiæ ſuperat genus.

3 Sed huic definitioni obſtare videtur: nam ſi ſpecies ratione differentiæ ſuperat genus, ergo ſpecies ratione differentiæ erunt perfectiores ipſo genere, quod videtur abſurdum, hanc ſequelam ſequi probo, nam ſpecies ratione differentiæ continent actu aliquam perfectionem quam non dicit genus, quia ſpecies actu continet genus & differẽtiam, ſed genus ſecundum ſuam rationem formalem generis neque ſpeciẽ neque differentiam actu includit, ergo ſpecies ratione differentiæ perfectior eſt ipſo genere, aliũnde teſte Porphyrio cap. de genere, genus nobilius eſt ipſius ſpeciebus cum ſit principium illarum; principium autem nobilius eſt eo quod ab eo ortum habet, ergo ſi omnes ſpecies ortum habent à genere nobilius erit illis omnibus. Reſp. ex Porphyrio ea ſolum ratione dici ſpeciem ſuperare genus ratione differentiæ, quia genus non continet actu ſpeciem neq; differentiam; ſed ſolum poteſtate, & quia differentia actu à ſpecie continetur, ideo ratione illius ſuperat genus: in definitione autem animalis ſolum relucet ſubſtantia animata ſenſibilis, ſpecies vero præter animal dicit rationalitatem quæ excedit animal, ſi vero cõſideratur genus metaph. & vt totum potentiale abſtrahens ab ſpeciebus & differentiis, eſt perfectius illis, cum contineat in ſe plures & oppoſitas ſpecies & differentias, quarum perfectiones inter ſe ſunt oppoſitæ, vnde ſi ſpecies ratione differentiæ actu ſuperat genus, genus in potentia ſuperat ſpecies & differentias, & hoc intendit Porphyrius.

Secunda definitio eſt, differentia eſt quæ diuidit 4
genus, & ea quæ ſub genere ſunt, rationale enim diuidit hominem ab equo & aliis ſpeciebus cum quibus conueniebat: alia eſt huic ſimilis, qua ſcilicet ſingula differũt inter ſe, id eſt ſingulæ ſpecies, cum quælibet ſit inęqualis: tertia definitio eſt quę magis videtur placuiſſe Porph. in text. eſt hęc: Differentia eſt quę conducit ad eſſe genus, & eius quæ eſt rei pars, id eſt clarius & breuius ex ipſo, differentia eſt id, quod diuerſam facit ſpeciem. In qua definitione tria exprimuntur, primum eſſentialis exceſſus ſpeciei, à genere: ſecundum actualis incluſio differentię tamquam partis conſtitutiuæ illius in ſpecie: tertium diſtinctio & diuerſitas à quauis alia ſpecie.

Sed huic vltimæ definitioni differentiæ obſtare 5
videtur cõmuni obiectio, quod non ſit accurata, quia conuenit aliis à definito, quia aptitudo ad nauigandũ non eſt differentia hominis maxime propria, cum ſit accidens illius, ſed hæc ſeparat hominem ab aliis animalibus: ergo illę definitiones competunt aliis à definito & ſuntmalæ. Huic obiectioni ſatisfacit Porphyrius dicens in propoſitis definitionibus addendas eſſe particulas vt ſit pars & de eſſentia rei, ita vt ſenſus ſit, differentia ſeparat ea quæ continentur ſub eodem genere, & eſt pars, & de eſſentia rei, aptitudo autem ad nauigandũ quamuis per illam ſeparetur homo ab omnibus aliis animalibus, quia tamen neque eſt pars neque de eſſentia ipſius hominis non erit contenta ſub ratione differentiarum quæ ſunt maxime propriæ neque illi poterunt noſtræ definitiones adaptari, definitionem vero differentiæ vt prædicabilis ſuo loco explicabimus.

Tandem in calce literæ tex. Porph. docet differen- 6
tiam maxime propriam nec poſſe intendi neque remitti, bene tamen communem & propriam, intenſionem autem in præſenti ſumit pro eo quod eſt ſuſcipere magis & minus, neque curat Porph. an hæc intenſio ſit, qualem gradus requirit, ſed eam quæ ſufficit, vt forma ſecundum magis & minus affirmetur cũ sũmitas figura ſit cui nemo intenſionem concedit, illam autem non poſſe intendi & remitti, probatur quia illud dicitur intendi & remitti, quod cum aduerbiis magis & minus dici potuit magis vel minus album, ſed eſſentia alicuius rei cum iis aduerbiis enuntiari non poteſt, cum eadem perpetuo duret teſte Ariſt. 8. met. cap. 5. ergo differentia maxime propria cum ad eſſentiam rei maxime pertineat, eiuſque ſit eſſentialis pars, intendi, & remitti non poterit. Secundo quia genus non admittit magis vel minus in ſpecie quam conſtituit, ergo neque differentia, cum ad conſtitutionem eſſentiæ pertineat, differentiam vero per accidens intendi & remitti poſſe probat

Porphyrius exemplis quia aliquis magis vel minus, ſimus vel coloratus eſſe poteſt, & hæc in tota littera textus de differentia.

DISPVTATIO XIII.

De differentia tertio Prædicabili.

7 SEptem capita continebit, in primo inquiro qualis ſit diuiſio differentiæ in communem propriam & propriiſſimã: in ſecundo, an ratio differentiæ propriiſſimæ ſit realis, vel rationis: in tertio, an prædicta diuiſio ſit analoga. In quarto, an definitiones tertij prædicabilis ſint bonæ, & infimis differentiis conueniant: in quinto, reſpectu quorum differentia vniuerſalis conſtituatur: in ſexto, an differentia infima formaliter includat ſuperiores: in ſeptimo, an differentia infima ſit compoſita ex pluribus ſubalternis.

CAPVT I.

Qualis ſit diuiſio differentiæ in communem, propriam, & propriiſsimam.

8 COmmunis ferè apud omnes ſententia eſt, prædictam diuiſionem eſſe adæquatam & ratio eſt efficax quia illa diuiſio eſt adæquata quæ fit per membra diuidentia adæquantia & exhaurientia totum diuiſum, ſed talis eſt prædicta diuiſio: ergo eſt adæquata. Minor probatur, quia omnis forma faciens differre vel eſt eſſentialis & intrinſeca vel accidentalis, ſi eſt accidentalis vel illud accidens eſt inſeparabile, & ſic eſt proprium & facit differre propriè, vel eſt accidens ſeparabile, & ſic eſt commune aliis & facit differre communiter, ideò enim dicitur differentia communis quia non eſt affixa vni ſed poteſt in alio eſſe, vt motus, calor, frigus, &c.

9 Sed contra hanc veritatem ſic obiicies primò, quia Deus differt à creaturis & non per aliquam ex illis tribus differentiis, ergo: ſecundo, quia differentia indiuidualis eſt vera differentia per quam Petrus & Paulus differunt inter ſe, & tamen non eſt eſſentialis, quia non facit differre in eſſentia neque eſt communis & propria, quia Petrus & Paulus non differunt accidentaliter ſed ſubſtantialiter: tertio, quia propria paſſio facit differre eſſentialiter, quia homo per riſibilitatem ſeu per eſſe admiratiuum vel diſcurſiuum differt ab equo, ergo prædicta diuiſio non eſt adæquata cum non contineat propriam paſſionem.

10 Reſpondeo ad primum, Deum propriè non differre à creaturis quia non differunt propriè niſi ea quæ in aliqua ratione vniuoce conueniunt, ſed dicitur omnino diuerſus ſicut & dicuntur primo diuerſa, prima genera, vt creatum & increatum, corruptibile & incorruptibile. Ad ſecundum Reſpondeo, differentiam indiuidualem in prædicta diuiſione formaliter, non contineri, quia nomine differentiæ propriiſſimæ intelligimus differentiam ſpecificam quæ ſecundum Porphyrium ſubit intentionem vniuerſalis & prædicabilis quod differentiæ indiuiduali repugnat, reducitur tamen ad differentiam propriiſſimam ex ea parte qua facit differre ſubſtantialiter, quia ſumitur radicaliter ab vna parte ſubſtantiæ in quo aſſimilatur differentiæ propriiſſimæ, & optime ſtat quod differentia indiuidualis faciat differre ſubſtantialiter & non ſit eſſentialis ſed accidentalis non accidentalitate prædicamentali ſed accidentalitate quinti prædicabilis, quia etſi differentia indiuidualis diuidat ſubſtantiam non formaliter & eſſentialiter ſed materialiter. Ad tertiam Reſpondeo propriam paſſionem facere differre eſſentialiter virtualiter & illatiuè, quia eſt effectus conſecutus ad differentiam propriiſſimam quia ex propria paſſione colligitur optimè differentia eſſentialis formaliter tamen ſolùm facit differre accidentaliter.

11 Hic aduerto differentiam propriiſſimam conſtitutiuam ſpeciei hominis conſtitui per cognitionẽ præciſiuam per quam rationale præſcindit ab animali ſicut in ſimili diximus de animali reſpectu eiuſdem ſpeciei, probatur, quia per talem cognitionem rationale formaliter fit pars metaphyſica ſpeciei humanæ, & condiſtinguitur ab animali & per illam etiã conſtituitur apta prædicari de pluribus ſicut animal per cognitionem per quam à rationali præſcindit conſtituitur formaliter aptum vt de ipſo formaliter ſumpto prædicetur rationale, ergo per hanc cognitionem præciſiuam per quam rationale præſcindit ab animali conſtituitur pars metaphyſica conſtitutiua ſpeciei & contractiua & diuiſiua generis.

CAPVT II.

An ratio differentiæ propriiſsimæ ſit realis vel rationis.

12 NOn ſumimus differentiam quæ eſt diuiſum huius diuiſionis quatenus conſtituit hoc tertium prædicabile & eſt vnum ex membris diuidentibus, & eſt vniuerſale prædicabile de multis, neque eſſe ſecundam intentionem complectentem quinque prædicabilia cum diuerſimodè differãt, ſed ſumemus differentiam vt eſt diuiſum in prædicta diuiſione, & inquirimus an ratio illa differentiæ propriiſſimæ per quam facit differre ab alio ſit realis vel rationis.

13 Toletus in præſenti conatur probare rationem formalem differentiæ propriiſſimæ eſſe rationis, primò, quia differentia propriiſſima intrinſece & eſſentialiter eſt pars metaphyſica ſimul cum genere ſpeciem conſtituens, ſed hæc compoſitio eſt rationis, ergo. ſecundo quia licèt à parte rei detur differentia indiuidualis & eſſentialis, tamen à parte rei non datur principium diſtinctiuum vnius ab alio: ergo per intellectum: tertiò, quia nulla differentia datur à parte rei quæ non ſit ſingularis, ſed differentia propriiſſima non eſt ſingularis ſed vniuerſalis, nam rationale diuidit genus, componit ſpeciem & illam facit differre ab aliis, ſed hoc totum habet per rationem, ergo ratio formalis differentiæ propriiſſimæ non eſt realis ſed rationis.

14 Dicendum tamen eſt, quod in formis realibus & quæ realiter faciunt differre hanc formalitatem ſumptam primo intentionaliter pro munere faciendi differre eſſe realem formalitatem includentem relationem rationis ſecundæ intentionis. Probatur primo, quia à parte rei datur effectus realis diuerſitatis realis, ergo & forma à qua realiter proueniat, ſed hæc forma eſt rationale per quod àparte rei datur diſtinctio & ſegregatio inter ea quæ non ſunt omnino diuerſa & retinent aliquam ſimilitudinem & conuenientiam, vt Petrus & Paulus qui retenta ſimilitudine in natura ſunt diſtincti & diuerſi, ergo ſicut ſimilitudo & conuenientia quam retinent in natura eſt realis, ita differentia & diſtinctio quam in re habent erit realis. Confirmatur, quia ideò diuerſitas inter hominem, & equum eſt realis quia principium conſtituens talem diuerſitatem eſt reale, ideò etiam calor & lux ſunt entia realia quia principium vtriuſque eſt reale, ſed rationale eſt principium formale diuerſitatis inter hominem & equum, ergo erit forma realis licèt fundet relationem ad terminum, quæ licèt ſit formaliter aliquid rationis ſupponit tamen formam realem à qua deſumatur realis diſtinctio & differentia.

15 Ad fundamentum Tolet. Reſpondeo differentiam propriiſſi

propriiſſimam eſſe partem ſpeciei non formaliter ſed fundamentaliter, quia eſt gradus eſſentialis qui rem vnam ab alia facit differre & ſicut in compoſito phyſico forma phyſica eſt actus qui diſtinguit, materiam exornat & alia, ita in compoſito metaphyſico differentia propriiſſima eſt forma perficiens ſpeciem non per inhæſionē ſed per realem identitatem per quam eſt fundamentaliter pars ſpeciei quin ab ea realiter diſtinguatur quia eadem realitas eſt principium riſibilitatis & tamen realiter ab ea non diſtinguitur. Ad alia quæ dicuntur in argumēto dico à parte rei dari fundamentum diuerſitatis & conuenientiæ quod ſufficit ad hoc vt differentia ſecundum munus faciendi differre ſit realis licet formaliter includat ſecundam intentionem relationis rationis quatenus formaliter conſtituit ſpeciem, diuerſitatem & compoſitionem, ſed Toletus non diſtinxit inter conuenientiam & vnitatem, quia Petrus & Paulus ſunt vnum per rationem, ſed habent à parte rei conuenientiā & ſimilitudinem fundamentalem, licet non per modum actualis relationis ſed per modum conuenientiæ fundamentalis quæ ſufficit vt talis forma faciens differre ſit realis.

CAPVT III.

Vtrùm prædicta diuiſio ſit analoga.

16 Diuiſum huius diuiſionis, quæ eſt differentia propriiſſima per excellentiam quæ facit differre eſſentialiter à ſubiecto diſtincto, & communis & propria quæ faciunt differre accidentaliter ſumpta differentia pro forma faciendi differre ſeu pro effectu differendi & ratione faciendi differre pertinet, ad differentiam primo intentionaliter & phyſicè ſumptam quia verò naturæ diuerſæ ſeu ſeparatæ ab aliis, denominantur à ſecunda intentione, & hoc tertium prædicabile conſtituunt, important ſecundam intentionem, ſicut genus, ſpecies, & alia quæ quia ad logicam ſpectant, quæ agit de ſecundis intentionibus, ideo diuiſum huius diuiſionis vtrumque importat, & in vtraque acceptione Porphyrium tradidiſſe definitiones & diuiſiones differentiæ probabiliter cenſent ipſius interpretes, neque in hoc difficultas cōſiſtit ſed in eo, an diuiſio in communem, propriam & propriiſſimam differentiam ſit vniuoca vel analoga.

17 Vt certum ſuppono, differentiam primò intentionaliter acceptam pro ipſis ſubſtractis & naturis materialiter ſumptis in eſſe entis ad omnes differentias eſſe analogam, probatur manifeſtè, quia omnes differentiæ materialiter ſumptæ poſſunt eſſe in eſſe entis, aliæ ſubſtantiæ, aliæ accidentia, aliæ entia realia, aliæ entia rationis ſed iis omnibus in genere entis non poteſt dari aliquid commune vniuocum neque hoc eſt peculiare in differentia, cum genus propter eamdem rationem primò intentionaliter non eſt vniuocum ad omnia genera in eſſe entis, vt dixi diſp. 12. c. 2. ergo diuiſio prædicta primò intentionaliter ſumpta & materialiter in tota latitudine entis non eſt vniuoca ſed analoga. Difficultas verò eſt, an ipſa differentia vt etiam dicit ſecundam intentionem quæ facit differre eſſentialiter iam communiter & propriè ſit vniuoca vel analoga.

18 Secundò etiam ſuppono, differentiam ſumptā magis ſtrictè & formaliter pro ipſa ratione faciendi differre ſiue denominetur à ſecunda intentione ſiue non ſimpliciter eſſe appellandā analogam provt diuiditur in communem, propriam & propriiſſimam, probatur etiam manifeſtè quia facere differre, in quo eſſentia differentiæ conſiſtit ſimpliciter & per excellentiam competit differētiæ propriiſſimæ & ſolum ſecundum quid propriæ & communi, ergo diuiſio in illas eſt analoga. Probo conſequentiam, quia quę differunt per differentiam propriiſſimam dicuntur ſimpliciter differre, quæ vero per communem & propriam ſecundum quid & per dependentiam & participationem à differentia propriiſſima; ſed diuiſio analoga eſt illa quæ perpriùs competit vni & eſſentialiter, aliis verò ſecundum quid & per dependentiam ab illo; ergo cum ratio differentiæ per priùs & eſſentialiter conueniat propriiſſimæ, aliis verò ſecundum quid, fit prædictam diuiſionem in communem, propriam & propriiſſimam eſſe analogam, quia verò in cōmuni modo loquendi nomen differentia ſumitur ſecundò intentionaliter ſeu pro termino ſecundæ intentionis vt nomen genus & alia in noſtra diuiſione triplex erit ſecunda intentio, vna quæ facit differre communiter, alia propriè, & alia propriiſſimè, & dubitatur an prædicta diuiſio etiam hoc modo & ſupponente pro ſecunda intentione ſit vniuoca vel analoga ſicut præcedens.

Arbitror dicendum diuiſionem iſtam ſecundo in- 19
tentionaliter ſumptam eſſe analogam. Eſt communis & probatur primo, quia ſecundæ intentiones rationis quæ ſunt relationes ſunt proportionatæ ſuis fundamentis vt formaliter ſunt fundamenta talium relationum, ſed talia fundamenta non ſolum in eſſe entis ſed logice ſumpta provt faciunt differre analogice conueniunt; ergo. Probatur minor, quia ſola ſecunda intentio differentiæ propriiſſimæ participat rationem differentiæ quia ſola illa facit differre eſſentialiter & ſola illa conſtituit hoc tertium prædicabile; ergo cōmunis & propria ſolum poſſunt conuenire analogicè cum illa in munere faciendi differre: minor probatur iterum, quia ſolæ intentioni propriiſſimæ differentiæ poteſt conuenire vniuerſalitas de multis, in *quale quid* ſecundum conceptum differentialitatis: conſequentiam probo quia licet differentia communis & propria quatenus dicunt aliquid accidentaliter cōmune pluribus ſubindicent intentionem accidentis quinti prædicabilis & ſub hac ratione ſint ſimpliciter vniuerſalia & prædicabilia tamen formaliter & vt faciunt differre propriè vel communiter ſunt extra conceptum tertij prædicabilis, & ſolum reductiue & ſecundum quid ad illud reducuntur; ergo differentia ſecundo intentionaliter accepta analogicè diuiditur in differentiam communem, propriam & propriiſſimam, ſiquidem effectus faciendi differre non ſit vniuoce communis ad omnes illas differentias cum prima faciat differre *in quale quid* eſſentialiter, aliæ vero duæ *in quale* accidentaliter; ergo in ratione conſtituendi tertium prædicabile non poſſunt vniuoce conuenire.

Sed obiicies quia etiam ſi genus primo intentio- 20
naliter ſumptum pro ſubſtracto & naturis materialiter ſumptis ſit analogum ad omnia ſubſtracta generis ſubſtantiæ accidentis entis realis & rationis, tamē ſecundo intentionaliter ſumptū pro ſecunda intentione. & relatione rationis vniuoce diuiditur in omnia illa quamuis vniuerſalitas eſſentialiter prædicetur de tribus prioribus, & accidentaliter de poſterioribus ſcilicet de proprio & accidenti; ergo ſimiliter licet ex intentionibus harum differentiarū vna faciat differre communiter, alia proprie, & altera propriiſſime, id eſt hæc eſſentialiter, alia vero accidētaliter, tamen ſecunda intētiō differentiæ erit vniuoca. & genus reſpectu illarum, conſequentiam probo à paritate rationis, quia ſicut quinque prædicabilia conueniunt in eo quod eſt eſſe rationes vniuerſales & communes prædicandi licet differant in modo prædicandi, ita omnes differentiæ conueniunt in eo quod omnes ſunt rationes differendi; ergo ſicut quinque prædicabilibus datur vna intentio communis vniuoca, ita & differentiis.

Reſpondeo diſparem eſſe rationem, quia prædi- 21
cabilitas non conſequitur rem ipſam ſecundum

quod

quod in ſe eſt ; ſicut facere differre , ſed vt eſt in intellectu , qui eodem modo applicat prædicatum ad ſubiectum ſiue prædicatum ſit eſſentiale vel accidentale , quia eodem modo abſtrahit vnum à multis ſiue eſſentialiter conueniánt ſiue accidentaliter,præterquam quod ſubſtractum proximum vniuerſalitatis in communi ſententia eſt vniuocum ad omnia vniuerſalia,licèt remotum ſit analogum,quia omnia genera quantumuis in genere entis ſint analogicè diſtincta,tamen vniuoce conueniunt , quatenus æqualiter dicunt omnes , rationem eſſentialiter contrahibilem , at verò facere differre, non eſt effectus ſolùm conueniens per intellectum,ſed in re facit vnum ab alio differre , cum autem hoc omnibus illis differentiis æqualiter non conueniát, quia forma faciens eſſentialiter differre tollit identitatem quæ ſimpliciter eſt in eſſentia,accidentalis autem non tollit ſed relinquit, vt cum Petrus ſanus differt à ſeipſo ægroto & facit differre ſecundum quid, ideo non eſt par ratio.

CAPVT IV.

An definitiones tertij Prædicabilis differentiæ ſint bonæ.

22 EXplicata natura differentiæ pro munere faciendi differre , reſtat agere de ea quatenus conſtituit hoc tertium prædicabile , quod ſolum competit differentiæ propriiſſimæ quæ eſſentialiter prædicatur de ſuis inferioribus , reliquæ autem differentiæ non prædicantur *in quale* eſſentialiter,neque conſtituunt prædicabile ſub ratione differentiæ , ſed ſub ratione proprij vel accidentis,& in hunc modum definit differentiam vt prædicabilem,*differentia eſt quæ de pluribus ſpecie differentibus in quale quid prædicatur*,quæ definitio ex generali ratione eſt optima, in qua loco generis ponuntur illa verba, quæ de pluribus prædicatur , in quo conuenit cum reliquis prædicabilibus; reliqua vero loco differentiæ vt latius explicata manent in definitione generis, alias autem differentiæ definitiones in tex. ſatis expoſuimus.

23 Dices,repugnat definitio differentiæ vt vniuerſalis; nam differentia eſt gradus quidam eſſentialis incompoſitus & ſimplex cum genere ſpeciem conſtituens, at ſi eſſet vniuerſalis debet conſtare partibus,ex quibus conſtaret definitio , ſcilicet genus & differentia; ergo ſi eſt gradus ſimplex non poteſt definiri vt vniuerſalis, reſpondetur dupliciter conſiderari differentiam , primo fundamentaliter & vt eſt gradus ſimplex carens partibus & ſic non definitur,ſed eſt principium faciendi differre , ſecundo conſideratur formaliter & ſub ratione prædicabilis & ſic eſt concretum reſultans ex ſecunda intentione ex partibus, & ſic poteſt definiri.

24 Dices,prædicari in *quid* & *in quale*,ſunt tam oppoſita quam ſubſiſtere & inhærere , ergo non poſſunt verificari de eadem re: præterea datur differentia quæ non prædicatur in *quale* , quia prædicari in *quale* eſt prædicari per modum partis formalis contrahentis, ſed datur differentia quæ non contrahit , ſed eſt contrahibilis vt eſt ſenſibile quando prædicatur de homine & equo,quod contrahitur per differentiam hominis vel equi ; ergo non eſt de ratione differentiæ eſſe fomam contrahentem neque in *quale* prædicari. Ad primum Reſpondeo res pertinẽtes ad quidditatem compoſiti , termino quidditatiuo & adiectiuo ſignificari poſſe, & differentia vtrumque habet quia prædicatur in *quid* quatenus ſpeciem conſtituit, & prædicatur in *quale* , quia ex modo ſignificandi innititur alteri,illud afficiendo determinando & qualificando & contrahendo. Ad ſecundum Reſpondeo, ſenſibile dupliciter conſiderari poſſe, primo materialiter quatenus eſt idem quod animal & ſic non eſt differentia ſed forma contrahibilis : ſecundo poteſt conſiderari formaliter & vt eſt forma ſenſibilis contrahens viuens & conſtituens animal in eſſe animalis,& ſic eſt differentia contrahens, quæ duo non ſunt oppoſita reſpectu diuerſorum.

Sed iis breuiter prælibatis in dubium vertimus,an 25
prædicta differentiæ definitio omnibus differentiis tam infimis & athomis,quam ſubalternis conueniat, & ad examẽ dubij ſuppono cum ferè omnibus recentioribus dari de facto differentias athomas & infimas, vt latè probant Compluten es cap. de differentia quæſtione tertia , & quidem Porphyrium differentiam ſubalternam definiſſe,conſtat ex eius definitione, cũ dicat prædicari de pluribus differentibus ſpecie,immò vt plures exiſtimant , Porphyrius ſolum differentias ſubalternas definiuit , vel quia ignorauerit vltimas differentias, vel quia exiſtimauit illas non eſſe veras differentias,& cum de re conſtet,ſubalternas definiſſe, quæritur an prædicta definitio infimis & athomis differentiis adaptari poſſit.

Celebris eſt in hac re ſententia Caiet. ſuper hoc 26
cap. 3. Porphyrij,quem ſecuti fuerunt Tolet. Sotus, & alij , qui exiſtimauit hanc definitionem per ſe directè conuenire differentiis ſubalternis , infimis verò & vltimis non poſitiuè ſed negatiuè , & per non repugnantiam ita vt ſenſus definitionis ſit iſte , quod differentia in quantum differentia non repugnat prædicari de pluribus differentibus ſpecie,& definitio ſic intellecta omni differentiæ conuenit,quod ſi differentiæ infimæ & vt athomæ & vt tali repugnet prædicari de pluribus differentibus ſpecie non tamen in quantum differentia eſt , plurimæ etiam ſunt definitiones quæ explicandæ ſunt per non repugnantiam, vt patet in quanto minimo & naturali ergo hæc ita poterit explicari.

Sed miror certè tantos Philoſophos huic ſubſcri- 27
pſiſſe ſententiæ quæ omnino falſa eſt,primo quia definitiones dantur ad explicandas eſſentias rerum cum explicent vltimum gradum quidditatis & quomodo vnum differat ab alio, ergo non debent tradi per non repugnantiam,quia id quod conuenit rei per non repugnantiam commune eſt omnibus aliis ſpeciebus ſiquidem non explicet quid illi conueniat ſed quid illi non repugnet per quod non bene explicatur natura & eſſentia rei , ſicut per hoc quod homini non repugnet eſſe album , non innoteſcit nobis quid ſit homo,ergo cum definitiones dentur ad explicandam naturam & eſſentiam rei non debent tradi per non repugnantiam:ſecundo ex ſententia Caietani ſequitur hanc definitionem eſſe rectam,equus eſt ſubſtantia ſenſibilis rationalis,quia licèt , equo in quantum equus,repugnet rationalitas , non tamen per non repugnantiam & quatenus animal eſt : tertio quia ex prædicta definitione ſequitur ſpeciem definiri in genere,quia quamuis hoc illi repugnet inquantum ſpecies non verò quatenus vniuerſale:quarto ſequitur ex prædicta definitione differentiam ſubalternam per non repugnantiam poſſe prædicari de pluribus differentibus numero, quia hoc illi non repugnat ſecundum rationem differentiæ:vltimo tandem quia iuxta hunc dicendi modum differentia vt differentia non potius dicit prædicari de pluribus differentibus ſpecie quam de pluribus differentibus numero ; ergo non debuit definiri per vnum potiùs quam per aliud, quo ergo fundamento affirmat Caietanus vltimas differentias definiri in hac dfinitione per non repugnantiam.

Sed obiiciet nobis Caiet. pro ſua ſententia Ariſt. 5. 28
metaph. capite de quanto dicentem quantum eſſe diuiſibile cathegorematicè in infinitum in ea quæ inſunt,quæ definitio licèt poſitiuè conueniat ligno, lapidi

pidi, & aliis, tamen non niſi per non repugnantiam adaptari poteſt, vt quantitati cœli & minimo naturali, quia cœlum cum ſit incorruptibile, diuidi non poteſt, ſimiliter minimum naturale vt tale diuidi non poteſt, tamen vt quantum eſt diuiſio ei non repugnat: ergo ſimiliter licèt differentia vltima quatenus talis non poſſit prædicari de pluribus differentibus ſpecie, id tamen abſolutè vt differentia eſt non repugnat, ſed explico Ariſt. in hunc modum quod licet qualitati cœli, & idem dico de minimo naturali vt naturali vt in tali ſubiecto eſt, repugnet actualis diuiſio eo quod ad eius diuiſionem deberet cœlum diuidi quod repugnat corpori cœleſti indiuiſibili & incorruptibili, at diuiſibilitas ſeu aptitudo ad diuiſionẽ quæ eſt aliquid poſitiuum per ſe illi conuenit, ergo licet actualis diuiſio ab extrinſeco impediatur, ſemper tamen illi conuenit poſitiue poſſe diuidi vt contingeret caſu quo cœli deſinerent eſſe vt continget in fine ſæculi iuxta Pſalm. 1. Ipſi autem peribunt, tu autem idem es, &c.

29 Secundò, alij dicunt, Porphyrium in ſua definitione comprehendiſſe omnem differentiam, cum omnes differentiæ prædicentur de pluribus differentibus ſpecie, non inter ſe ſed ab aliis à quibus ſpecifice diſtinguntur, rationale enim quæ eſt differẽtia infima prædicata de Petro, & Paulo, qui licet inter ſe non differant ſpecie, ab equo tamen & leone ſpecie differunt quod ſufficit vt de pluribus ſpecie differentibus prædicetur Porph. definitio. Subtilis cogitatio, ſed extorta & non vera, quia abſolutè non dicuntur ſpecie differre plura niſi inter ſe ſpecie differant. ſecundo quia etiam eadem ratio ne poſſit dici genericè differre, quia ſicut differunt ſpecie ab aliis à quibus ſpecie diſtinguntur, ita genere different ab aliis quæ genere diſtinguntur, vt à lapide & planta, ergo in hac ſententia differentia poſſet prædicari de pluribus differentibus genere quod eſt abſurdum.

30 Tertiò, tandem alij probabilius multo loquuntur dicentes Porphyrium ſua definitione ſolùm definiſſe differentiã ſubalternam. Ita Complut. q. 3. n. 35. citatis multis, & probatur primò, quia vltimæ differentiæ ſunt minus notæ & magis occultæ, ergo non fuerunt definitæ: ſecundò, quia definita differentia ſubalterna non erat difficile infimam definire: tertio, quia præfatam definitionem quæ prædicatur de pluribus differentibus ſpecie fatetur accepiſſe ab auctoribus, cùm dicat, has autem definiunt hoc modo, ergo cum differentiæ infimæ, & atomæ non prædicentur de pluribus differentibus ſpecie non fuerunt à Porphyrio definitæ, verum, neque rectè iſti procedunt, quia non eſt cauſa ob quam infimæ, & atomæ differentiæ à ratione definitionis excludantur, neque multum curandum erat de auctoritate hominis blaſphemi cum de reipſa conſtet, nam differentia infima eſt vere & propriè differentia exercétque propria munera talis differentiæ quia rationale, v.g. vere genus contrahit, ſpeciem conſtituit, illamque ab aliis diſtinguit, ergo eſt vera differentia, ergo debuit à Porphyrio definiri.

31 In gratiam tamen Porphyrij dicendum cenſeo per ſuam definitionem definiſſe, etiam differentias infimas ſicut & ſubalternas & aliam in tex. tradere definitionem quæ pro omnibus ſufficiens ſit quæ eſt huius modi, *Differentia eſt quæ prædicatur de pluribus, & de differentibus ſpecie.* Durum enim erat hominem Philoſophũ ignoraſſe infimas differentias, cũ ipſe homo ſit ſicut & ego, & ſi non ignorauit, inepte procedebat tradendo definitionem pro ſubalternis, & non pro infimis, cum hæc ſint multo perfectiores in qua definitione expendo particulam, *& ſpecie differentibus*, prius enim dixit differentiam prædicari de pluribus, in quo infima communicat cùm ſubalterna cum ſit *vniuerſalis*, & habet plures vnitates, vt quid enim interpoſuit illam particulam, & niſi vt diſtingueret inter prædicari de pluribus abſolutè, & prædicari de ſpecie differentibus, quare in illa particula de pluribus, includit omnes differentias prædicabiles atomas ſiue ſubalternas, & in illa, *& ſpecie differentibus* ſubalternas ſpecialiter nominauit, ſic plures doctiſſimi Magiſtri interpretantur Porphyrium maximè cum nihil aſperitatis, aut difficultatis habeat ſed plurimum ſubtilitatis & ſedulò ad mentem Porphyrij ſe accommodat.

Et probatur ratione, primò quia vniuerſalitas differentiæ ſubalternæ, & infimæ eſt eiuſdem ſpeciei logicæ, ergo potuit & debuit vtraque differentia eadem definitione definiri. Conſequentia legitime infertur, quia licet plura, vt plura ſeu vt diuerſa ſubeſſe non poſſint vni definitioni, bene tamen plura, vt ſimilia, & in aliqua ratione vniuoce conuenientia: antecedens autem probatur manifeſtè, quia ratio formalis eſſentialiter conſtitutiua differentiæ in eſſe talis, eſt prædicari per modum partis formalis; *in quale quid* contrahendo, determinando, ſpeciem conſtituendo, & illam ab aliis diſtinguendo, ſed quamuis differentia ſubalterna, & infima magis & minus differant, tam vna quam altera prædicantur de ſuis inferioribus *in quale quid*, id eſt per modum partis formalis contrahentis & conſtituentis ſpeciem, & illam ab aliis diſtinguentis, ergo vtraque conuenit in conceptu eſſentiali conſtitutiuo differentiæ, quod autem ſubalterna prędicetur de pluribus differentibus ſpecie, & infima de pluribus differentibus numero, per accidens ſe habet ad rationem eſſentialem differentiæ, & ſolum ſequitur vnam prædicari, vt rationem magis amplam, non tamen variantem ſpeciem, quod ad hominem ſic vrgeo argumento deſumpto ex genere ſupremo, & infimo, quia tam differt genus ſupremum ab infimo, quam differentia ſubalterna ab infima, quia ſupremum prædicatur de pluribus differentibus genere vt ſubſtantia de corpore, & ſpiritu & tamen non conſtituunt duo prædicabilia generis eo precisè quod vtrumque genus prædicatur tamquam pars materialis & incompleta de ſuis inferioribus, quamuis genus ſupremum prædicetur, vt ratio ſuperior; & magis ampla, quia hoc per accidens reputatur ad eſſentialem rationem conſtitutiuam generis, & cum tam genus ſupremum quàm infimum eodem modo prædicentur, de ſuis inferioribus videlicet *in quid*, & incomplete, & per modum partis materialis perfectibilis per formam, ideo non conſtituunt duo prædicabilia generis ſed vnum tantum: ſic ſimiliter differentia ſubalterna, & infima ſpecie logica non different, neque duo prędicabilia differentiæ, conſtituent ſed vnum tantum licet ſubalterna, vt ratio magis ſuperior de ſuis inferioribus prædicetur quod per accidens ſe habet ad rationem eſſentialem differentiæ. 32

Sed obiicies: quia prædicari de pluribus differentibus ſpecie *in quid*, & prædicari de pluribus differentibus numero *in quid*, conſtituunt diuerſa prædicabilia vt genus & ſpecies, ergo prædicari de pluribus differẽtibus ſpecie *in quale quid*, vt prædicari de pluribus differentibus numero, *in quale quid*, etiã conſtituunt diuerſa prædicabilia differentiæ. Conſequẽtia videtur legitima quia non munus differũt ſpecies ſubalterna, & infima quã ſpecies, & genus infimũ, ergo ſi hęc conſtituunt diuerſa prædicabilia, ergo & illa, Reſp. non ideo præcisè genus & ſpeciem conſtituere duo prædicabilia eſſentialiter diuerſa quia genus prædicatur de pluribus ſpecie differentibus *in quid*, ſpeciem verò de pluribus differentibus numero, ſed inſuper quia genus prædicatur *in quid* incompletè, ſpecies verò cõpletè, & vt tota eſſentia inferiorum vt ex dictis cap. de genere conſtat, in noſtro verò caſu tam differentia ſubalterna quam infima prædicatur *in quale quid*, & 33

eodem

eodem modo, & ideo non constituunt diuersa prædicabilia differentiæ.

34 Nota tamen pro modo loquendi particulas *in quale* & *in quid*, quæ inueniuntur in differentia, sic esse intelligendas, nam particula *in quid*, id est, quod essentialiter seu quidditatiue & ex parte rei significatæ rationem essentialem & quidditatiuam significat, ex parte verò modi significandi non significare eamdē rationem substantiuè sed adiectiuè, quare differentia duos habet respectus, vnum ad genus quod actuat & de cuius potestate educitur, eductione metaphysica sicut ratio determinata & actuans ab indeterminata & actuabili, alterum respectum dicit ad speciem tamquam ad totum quod constituit, vnde differentia respectu generis se habet *in quale* quia determinat eius potentialitatem, respectu verò speciei, non dicitur *in quale* sed *in quid*, quia vt pars essentialis & actualiter & magis determinata essentialiter constituit illam & ab omnibus aliis distinguit.

35 Noto secundo, prædictam differentiæ definitionem differentiis indiuidualibus non cōpetere, primo, quia hic definitur differentia quæ constituit tertium prædicabile, quod est vniuersale, differentia autem constitutiua indiuidui non est vniuersalis, ergo non fuit hic definita: secundo, quia differentiæ quæ in præsenti definiuntur sunt essentiales, sed differentiæ indiuiduales non sunt essentiales, sed extra essentiam, nam licet reipsa indiuiduatio Petri sit eius intrinseca entitas, non tamen dicitur essentialis ipsi, quia in conceptu specifico essentialiter non relucet sicut rationale in conceptu specifico hominis, ergo definitio differentiæ essentialis non potest competere differentiis indiuidualibus.

CAPVT V.

Respectu quorum differentia constituatur vniuersalis.

36 Differentia quæ essentialiter conuertitur cum specie est vniuersalis, ex eo autem quod dicantur ad conuertentiam, videtur differentiam debere esse vniuersalem sicut speciem, difficultas est de differentia subalterna vel infima, v.g. rationale an sit vniuersalis respectu speciei quam constituit nempe hominem, ita vt hęc prædicatio sit huius prædicabilis, *homo est rationalis*, vel respectu indiuiduorum eiusdem speciei, hæc autem differentia dupliciter potest cōsiderari respectu indiuiduorum eiusdem differentiæ: primo modo quatenus sunt illi immediata & mediata respectu speciei: secundo, quatenus sunt immediata speciei & mediata ipsi differentiæ, v.g. rationale & potest prædicari de Petro & Paulo tamquam de inferioribus, & potest prædicari de hoc & illo rationali tamquam de inferioribus sibi immediatis, & modo est difficultas respectu quorum inferiorum differentia constituatur vniuersalis, & in ratione tertij prædicabilis.

37 Assertio I. Differentia in esse vniuersalis non constituitur per ordinem & respectum ad speciem quam constituit ipsa differentia. Ita Arist. Poph. D. Thomas, Hurtado disp. 6. sect. 2. Complutenses disp 7. quæst. 2. Ioan. à S. Thoma, qu. 10. art. 3. Arriaga disp. 8. Logic. subs. 3. Masius, Auersa, Toletus in hoc capite, & est communis.

Probatur primò, ex Aristotele, quia vniuersale est natura dicens ordinem ad plura inferiora, & species non est quid inferius ad differentiam, ergo differentia non est vniuersalis per respectum ad speciem. Minor probatur, quia superiùs ex Aristotele est illud à quo non valet mutua subsistendi consequentia & à differentia ad speciem & è contra valet consequentia, ergo differentia non est superior respectu speciei, nec vniuersalis.

Probatur secundò, quia formalitas vniuersalitatis sumitur per ordinem ad suum correlatiuum, sed correlatiuum vniuersalis non est species sed inferiora, quia vniuersale se habet vt contrahibile ad inferiora, sed differentia respectu speciei neque est contrahibilis ab ipsa cum sit illi æqualis, neque superior quia quod superius est per contractionem amittit vniuersalitatem, sed differentia per hoc quod speciei communicetur non amittit sed conseruat suam vniuersalitatē ergo respectu illius neque est contrahibilis, neque superior, quare etsi æqualitas supponat vniuersalitatem non tamen formaliter, sed concomitantur sicuti ex eo quod aliquis dicatur æqualis Regi, nō dicetur Rex, sed ex eo quod habeat regnum & imperet aliis, sic similiter vniuersale dicetur non illud quod est æquale, sed quod est superius & habet inferiora, species verò non est inferior respectu differentiæ, ergo nullo modo potest dici vniuersalis respectu illius.

Assertio II. Differentia formaliter constituitur 38
vniuersalis per ordinem ad inferiora speciei humanæ non verò per ordinem ad hoc & illud rationale, est etiam cōmunis, & eam tenent auctores citati numero præcedenti. Probatur manifestè, quia differentia prædicatur essentialiter in *quale quid*, sed rationale non prædicatur in quale quid de hoc & illo rationali, sed omnino in quid, ergo respectu illorum non habet rationem differentiæ. Minor probatur, quia vt ex dictis constat, quando animal prædicatur de indiuiduis genericis vt de hoc & illo animali, tunc prædicatur vt species, & vt tota essentia suorum inferiorum, sed quando rationale prædicatur de hoc & illo rationali prædicatur vt tota essentia talium inferiorum, ergo prædicatur vt species & non vt differentia licèt in se differentia sit, quare inferiora illius solum erunt indiuidua speciei humanæ respectu quorum prædicatur *in quale quid*, quatenus differentia tunc qualificat naturam talium indiuiduorum, ergo inferiora contenta sub specie quam constituit, erunt quæ differentia immediatè respicit.

Dices vniuersale in esse talis constituitur per ordi- 39
nem ad ea de quibus immediatè prædicatur, sed differentia immediatè prædicatur de specie, & media illa de indiuiduis, ergo differentia per ordinem ad speciem in esse vniuersalis constituitur; constat autem genus non constitui in esse vniuersalis per ordinem ad indiuidua, sed per ordinem ad species de quibus, immediatè prædicatur, & mediis illis de indiuiduis, ergo magis dicetur vniuersale per ordinem ad species quam per ordinem ad indiuidua, quia relatio magis denominatur per ordinem ad immediatum quā mediatum. Et vrgetur quia hæc prædicatio, homo est rationalis, est directa & formalis, ergo pertinet ad aliquod prædicabile non aliud nisi ad tertium, ergo iam differentia constituitur vniuersalis per ordinē ad speciem quam constituit. Ad primum dico, differentiam respicere vt immediatum constitutum ipsam speciem quatenus per differentiam in esse talis constituitur, non verò immediatè respicere in ratione vniuersalis, quia qua ratione est vniuersalis non prædicatur immediatè de specie sed de indiuiduis quæ sunt immediatum correlatiuum differentiæ vt vniuersalis; neque est inconueniens quòd in differentia alia sit habitudo ad speciem in ratione constitutiui, & alia vniuersalis ad inferiora. Ad secundum Respondeo, illam prædicationem esse tertij prædicabilis materialiter non verò formaliter quia prædicatur res illa de homine, quæ est tertium prædicabile, non tamen sub formalitate & relatione tertij prædicabilis, & sic est magis tertium prædicatum quam tertium prædicabile, licèt concomitanter,

retineat vniuerſalitatem non reſpectu ſpeciei, ſed indiuiduorum, & ita potius dicenda eſt prædicatio tertij, & quarti prædicati, quæ tertij prædicabilis.

CAPVT VI.

An differentia infima formaliter includat ſuperiores.

40 DIfferentia ſuperior ac ſubalterna dicitur illa ſub qua eſt alia inferior, vt ſenſibile, infima vero quæ ſub ſe non habet aliam inferiorem vt rationale, & conſtat ex diſp. 5. cap. 2. huiuſmodi gradus metaphyſicos inter ſe eſſe identificatos, & vnum alios, & è contra includere, & continere, cum realiter non diſtinguantur ſed ſenſus noſtræ difficultatis eſt formalis, & quærimus an rationale v. g. ſecundum gradum rationalitatis, & vt diſtinguitur ab aliis animalibus, & excedit genus, ſcilicet animal contineat formaliter differentias ſuperiores, & ipſum genus ſicut ſpecies includit formaliter genus, & differentiam.

41 Dicendum breuiter cenſeo cum communi ſchola, neque genus in differentia inferioris, neque viuens in ſenſibili, neque animal in rationali formaliter contineri. Ita Ariſtoteles, Diuus Thomas, Rubio, Complutenſes citatis multis diſputat. 7. quæſtion. 4. numero 41. Arriaga capite de differentia ſubſectio prima, Hurtado diſp. 6. ſectio tertia, Ioannes à Sancto Thoma, quæſtion. 10. articulo quarto, Cabero, Vallius, Merinero de differentia quæſtione tertia, Maſius, & Franciſcus Alphonſus, & communiter omnes. Probatur primo, quia non poteſt concipi res aliqua quin concipiatur id quod in ſe formaliter includit vt patet in homine qui concipi non poteſt non concepto animali rationali, eo quod animal rationale includitur formaliter in homine, ſed rationale formaliter, & ex modo noſtro concipiendi poteſt concipi non concepto formaliter animali, ergo animal formaliter non includitur in rationali, quod ex eo patet, quia aliquando intellectus cognoſcit hominem in ordine ad ſenſationem, & non in ordine ad ratiocinationem, & è contra, ergo ſignum euidens eſt quod poteſt concipi animal non concepto rationali, & è contra, ergo animal formaliter non includitur in differentia rationalis.

42 Probatur ſecundo, quia ſi animal quod eſt vere genus formaliter includeretur in differentia rationalis animal non eſſet genus, ergo animal non includitur formaliter in rationali, Minor probatur, genus eſt pars metaphyſica ſpeciei requirens neceſſario aliam compartem hoc eſt quod ipſa differentia ſit pars eiuſdem ſpeciei, ſed ſi animal formaliter includeretur in rationali non poſſet eſſe vere pars ſpeciei, quia non haberet aliam compartem: nam in tali caſu differentia rationalis non eſſet pars ſpeciei humanæ, ſed tota eſſentia, & ſpecies, quia formaliter includeret animal, & rationale, ergo ex eo quod animal formaliter in rationali includeretur non eſſet genus, cum eſſentialiter petat eſſe extra differentias, alias non poteſt per illas contrahi ad ſpecies, neque differentia eſſet actus, ſi genus, & potentia, ſed omnia confunderentur.

43 Sed obiicies, rationale formaliter in ſe eſt aliqua ſubſtantia non incorporea, ergo corporea, ergo formaliter eſt corpus non inanimatum, ergo animatum, non inſenſibile, ergo ſenſibile, ergo formaliter eſt animal, ergo differentia rationalis omnia genera formaliter includit: ſecundo hic eſt bonus ſyllogiſmus in *darapti, omnis homo eſſentialiter, & formaliter eſt animal*, omnis homo eſſentialiter eſt rationalis, ergo aliquod rationale eſſentialiter, & formaliter eſt animal, ſed in iis præmiſſis, Maior & minor extremitas includuntur, & prædicantur formaliter de medio, ergo in concluſione, maior extremitas ſcilicet ſenſibile includitur, & prædicatur formaliter de rationali. Ad primum dico, ſubſtantiam aliam eſſe completam, & prædicamentalem quæ vere in prædicamento contrahitur per omnia illa prædicata corporis viuentis, &c. aliam eſſe tranſcendentalem, & abſtrahentem à completa, & incompleta quæ quidem neque eſt genus quia eſt tranſcendens neque per illa prædicata in prædicamento contrahitur ſed ab illis præſcindit, hæc ergo differentia rationalis eſt formaliſſimè ſubſtantia non prædicamentalis ſed tranſcendentalis, ac proinde genus nullum ex prædictis formaliter includit, ſed formaliter præſcindit ab illo. Ad ſecundum Reſpondeo, in illo ſyllogiſmo, qui eſt in darapti non rectè illam concluſionem inferri, ſcilicet, ergo aliquid rationale eſt animal, ſed iſtam rectè inferri, ergo aliquod quod eſt eſſentialiter rationale eſt etiam eſſentialiter animal, quod verè dicitur de homine, quod patet in hoc ſimili ſyllogiſmo *omnis homo eſſentialiter includit corpus, ſed omnis homo eſſentialiter includit animam, ergo aliqua anima eſſentialiter includit corpus*, non rectè infertur ſed ita debet colligi, ergo *aliquid eſſentialiter includens animam, includit etiam eſſentialiter corpus*, quia in iis prædicationibus quæ veræ, & formales ſunt, maior extremitas quæ eſt rationale in ſitu prædicationis non tam ſupponit pro ipſa formali ſimplici differentia quam pro ſuppoſito, quod de materiali importat: ſic ſimiliter in noſtro caſu.

CAPVT VII.

An differentia infima ſit compoſita ex pluribus ſubalternis.

HAnc difficultatem nonnulli Dialecticorum attigerunt, ſed ex profeſſo nullus examinauit, ea eſt an differentiæ vltimæ coalescant ex pluribus differentiis quarum quælibet vniuerſalior ſit quam ſpecies, & æque latepatens quam genus quin genus ad ſpeciem contrahatur per aliquod prædicatum quod in plures differentias ſpecie patentiores, diuiſibile non ſit, ſed cum ad obtinendam cathedram propriam Logicæ Magnæ, vulgo, & in Apoſtolicis conſtitutionibus ſic appellatam, mihi ſors, ſpatio 24. horarum eam (vt mos Academicus eſt) explicandam obtulerit, ita feliciter laboratum fuit, vt deuictis plurimis doctiſſimis Magiſtris inter Salamanticenſes magni nominis ſupremus Caſtellæ Senatus, communi voto, & maxima cum lauro eam mihi Anno ſalutis 1632. faliciter adſcripſerit, & quam tunc ex ſuggeſtu contra acerrimos Academicos magna cum gloria tutatus fui, modo paucis fere additis typis mandandam putaui. 44

In hac difficultate partem affirmantem tuentur plerique antiquorum apud Albertum Magnum, qui videntur eſſe Themiſtius, Philoponus, Alexander 7. met. tex. 43. eiuſdem ſententiæ fuiſſe Porphyr. docet Tolet. cap. de differentia dub. 2. & accedere videtur Auerſa quæſt. 12. de differentia ſect. 3. & veriorem eſſe illam magni huius Academiæ Salmanticenſis Profeſ- 45

fores tutati sunt, nouissimè Rodericus Arriagadisp. 8. Log. subsect. 2.

Prima probatio huius sententiæ sumitur ex definitione differentiæ quam tradit Porph. quippe prædicabilẽ esse de pluribus differentib. specieat, si daretur differentia infima omnino simplex, hæc definitio non esset bona cum illa non esset prædicabilis de pluribus differentibus specie sed de pluribus differentibus numero, ergo ideo est prædicabilis de pluribus differentibus specie quia nulla est adeò simplex quæ non coalescat ex pluribus differentiis, quæ de pluribus differentibus specie prædicabiles non sint.

Secunda probatio sumitur ex Arist. tum secundo post cap. 14. 7. met. tex. 43. primo top. cap. 3. & 7. & lib. 1. de partibus animalium cap. 2. in quibus existimat genera constitui per differentias simplices quæ verè differentiæ sint, vt animatum, sensitiuum, &c. species vero infimas non habere simplices differentias quibus constituantur, sed differre per complicationes communium qua ratione dicitur hominem distingui à cæteris animalibus quia est rationalis, mortalis, quarum quælibet latius patet quam homo, nam rationale conuenit Deo & Angelis, mortale vero aliis animalibus, ergo negat Arist. dari differentias vltimas sed omnes fore subalternas, cum solum affirmet differentiam reuocari ad genus eo quod generalius sit & de pluribus quam species prædicetur ac proinde solum genericas complexus fuit, non ergo dantur differentiæ simplices.

Tertia probatio sumitur à ratione ex quęstione tertia de differentia apud Complutenses in hunc modum quia per solas differentias subalternas simul sumptas sufficiẽter constituitur species & distinguitur ab aliis ergo superfluunt aliæ differentiæ simplices & vltimæ: antecedens probatur exemplo quod adducit Arist. 2. post cap. 14. vbi agens de definitionibus specierum sic ait, *Talia eo vsque sumenda sunt quousque tot fuerint sumpra, vt vnumquodque illorum quidem pluribus competat, cuncta autem simul non ad plura se extendant.* Ex quibus verbis sequitur Arist. non admittere tot differentias vltimas quot sunt species, sed differentias subalternas simul sumptas sufficere ad constituendam speciem & eam distinguendam ab aliis, nam mortale & rationale sufficienter hominem distingunt à leone & equo, & tamen neque rationale neque mortale habent rationem vltimæ differentiæ, ac per consequens istæ non sunt necessariæ ad distinguendas species cum subalternæ simul sumptæ illis in munere sufficienter æquiualeant.

46 His probationibus addo quartam aliam non incongruam desumptam ab inductione plurium differentiarum quæ videntur esse compositæ ex pluribus subalternis: prima sit, dari potest habitus reipsa simplex qui simul essentialiter sit practicus & speculatiuus, vt communiter dici solet tractatu de obiecto logicæ, sed talis habitus habet differentiam infimam compositam ratione nostra ex duplici partiali differentia quarum quælibet latius pateat quam illa species habitus quam constituit; ergo dari potest differentia infima diuisibilis & composita: probo minorem, quia differentia infima illius habitus constat ex ratione speculatiua tamquam differentia partiali per quam ille habitus differt ab habitu pure practico, sed ratio speculatiui, latius patet quam species infima prædicti habitus; extenditur enim ad alios omnes actus pure speculatiuos & ratio practici latius etiam patet quam species infima eius habitus quia extenditur ad omnes alias species actus practici; ergo talis actus habet differentiam infimam compositam ratione nostra ex duplici partiali differentia, quarum quælibet latius patet quam illa species habitus quam constituit. Secunda sit quia actus voluntatis quo quis vellet temperate comedere propter bonitatem temperantiæ & propter bonitatem obedientiæ tamquam propter obiectum vnum adæquatum & totale, est vere & essentialiter actus temperantiæ & actus obedientiæ; ergo differentia infima huius actus constat & componitur essentialiter ex ratione temperantiæ propter quam ille actus differt ab alio actu, qui sit pure actus obedientiæ, & etiam constat ex ratione obedientiæ, per quam ille actus differt ab alio actu, qui sit etiam pure actus temperantiæ; ergo tota illa differentia infima talis actus est ratione nostra composita ex duplici differentia partiali. Tertia sit quia differentia dilectionis supernaturalis Dei coalescit ex ratione dilectionis, communi dilectioni naturali, & ex supernaturalitate communi actibus spei & fidei ergo componi potest differentia infima ex duplici subalterna.

Secunda sententia communis inter Dialecticos & Philosophos negat differentiam infimam posse componi ex duplici subalterna, sed necessario esse simplicem & ratione nostra indiuisibilem. Ita Conimbricenses capite 3. de differentia quæstione 2. articulo primo, vbi plures referunt frater, Ioan. à sancto Thoma quæstione 10. articulo 4. de differentia, Complutenses disputat. septima quæstione tertia, Rubius de differentia quæstione quinta, Vallius Rom. quæstione prima de differentia capite 9. Toletus dubitatione secunda, Fonseca quinto metaph. capite 8. quæstione 7. sectione secunda, Scotus secundo posteriorum quæstione 52. Diuus Thomas secundo posteriorum lectione 13. ibidem Caietanus & omnes recentiores quorum autoritati quæ nobis satis idonea visa fuit, plures addidimus & Auctoritates ex Aristotele & Angelica præceptore desumptas, & rationes efficaces quibus difficultas præsens tunc ac modo præstantior, verior & conformior menti Philosophorum & Dialecticorum semper mihi visa fuit. 47

Hanc sententiam probo ex triplici Testim. Arist. quæ adducit D. Thomas 2. post. lect. 13. vbi docet possibile esse quod definitio ex duobus constituatur, quorum vnum sit genus & aliud differentia, quod explicans Boetius in lib. de diuisionibus constanter affirmat quod si non esset penuria nominum nulla definitio haberet plures quam duos terminos & tex. 43. sequenti, inquit Arist. *Et sic semper vult procedere donec vtique veniat ad non differentia, tunc autem erunt tot species pedis; quot differentiæ, quod explicans Diuus Thomas ait, & ita semper procedendum est in diuisione differentiarum, donec diuidens veniat ad non differentia, id est ad vltimas differentias, quæ non diuiduntur vlterius in alias differentias, & tunc tot erunt species pedis, quot differentiæ.* Ex quibus testimoniis clare constare videtur vltimas differentias non esse compositas: secundum c. 7. met. tex. 43. vbi dicit Arist. *quod quando peruenitur ad vltimas differentias, erunt æquales differentiæ speciebus, non ergo oportet quod differentia sit in plus quam species*: tertium colligitur ex 8. met. tex. 9. *Vbi dicit differentiam correspondere formæ*, ex quo loco hæc ratio conficitur, quia in rebus materialibus differentia sumitur à forma sicut genus à materia, sed in qualibet re materiali est propria forma specifica proxime speciem rei naturalis constituens, & cum qua conuertitur, quæ omnino vnica est, cum nulla res naturalis in suo esse constituatur per duas formas naturales, ergo in qualibet re materiali etiam debet esse differentia 48

per

per quam vltimo conſtituatur ſimplex, & incompoſita correſpondens tali formæ, ergo ſicut forma eſt vnica, & ſimplex, & non compoſita ex pluribus, ita & in compoſito metaphyſico in quo differentia correſpondet formę phyſicæ debet eſſe ſimplex, & incompoſita; tandem ex lib. 1. de partibus animalium c. 2. nō enim inquit, de ſunt (ſubintelligendus eſt) ſpecies quarum vna tantum, ſit differentia, cætera autem ſuperuacanea ſunt: & Porphyr. de communitatibus cap. 2. idem docet, & in reſponſionibus ad Catheg. cap. 38. ita interrogat, cum dixeris differentiam de pluribus ſpeciebus efferri, numquid rem ita vt ſe habet explicaſti? Reſpondet non ita plane, ſed vt plerumque eſſe conſtituit, reperiuntur enim aliquæ, quæ ſpeciebus adæquantur ſicuti eſt leuitas, & grauitas quarum altera ignis, altera terra eſt, ex quibus locis colligere poſſumus iuxta mentem Ariſt. D. Thomæ, & Porphyrij, & fere omnium Dialecticorum dari differentias vltimas ſimplices quæ cum ſpecie infima conuertantur.

59 Probo etiam hanc ſententiam validiſſimis rationibus: prima ſit, eademmet differentia non poteſt ſub duobus generibus non ſubordinatis collocari, vt tradit Ariſtotel. in prædicamentis c. 3. ſed ſi daretur differentia infima compoſita ex duplici partiali differentia eademmet differentia vltima collocaretur ſub duobus generibus non ſubordinatis, ergo differentia infima non eſt compoſita, Minor probatur, quia differentia illa habitus practici, & ſpeculatiui poſſet collocari ſub genere habitus practici, & etiam ſub genere habitus ſpeculatiui, ſed genus practici, & genus ſpeculatiui, non ſunt inter ſe ſubalternata, ergo poſſet eadem differentia collocari ſub iis generibus quod repugnat, ergo non poteſt dari differentia compoſita ex duplici differentia partiali.

50 Secunda ratio ſit, vna differentia non valet niſi vnam tantum ſpeciem conſtituere, ſicuti vna forma vnum compoſitum, diffentia enim eſt forma compoſitiua ſpeciei, ſed ſi forma eſſet compoſita ex duplici partiali differentia, vna differentia plures ſpecies conſtitueret; nam ratio virtutis temperantiæ conſtitueret vnam ſpeciem actus, qui ſimul eſſet temperantiæ, & obedientiæ, & conſtitueret aliam ſpeciem actus, qui ſimul eſſet actus temperantiæ, & charitatis, ſed hoc eſt abſurdum affirmare, ergo differentia infima non poteſt eſſe compoſita ex duplici partiali differentia.

51 Tertia. Ratio eſt vrgentior quia forma metaphyſica ſimplicior ac perfectior eſt, quæ eſt differentia quam forma phyſica, ſed hæc non eſt phyſicè, & eſſentialiter compoſita ex duplici forma partiali, ergo neque differentia metaphyſica erit ratione noſtra, & eſſentialiter ex duplici differentia partiali metaphyſica compoſita, formam autem phyſicam non eſſe compoſitam atteſtatur omnis philoſophia, cum nulla res naturalis detur conſtituta per duplicem formam, de metaphyſica vero forma ſic probo, differentia ſubalterna eſt quid ſimplex, ergo & infima, de antecedenti non eſt dubium. Conſequentia probatur, quia eadem ratio eſt omnium generum quæ in linea prædicamentali ponuntur, & diuiduntur per differentias, ergo ſi genera ſubalterna diuiduntur, & conſtituuntur per ſimplices differentias debet etiam eodem modo diuidi genus vltimum per differentiam ſimplicem; nam ſi à gradu imperfecto, & potentiali quem tribuit forma, ſumitur vera differentia ſimplex, potiori iure à gradu perfecto, & actuali ſumetur vera, & ſimplex differentia quæ ſit vltima, & ſpecifica, ergo concluditur vt certum differentias metaphyſicas, & vltimas non eſſe compoſitas ſed ſimplices, & incompoſitas, ſed ne rem pluſquam par eſt dilatemus, vide alias rationes, & confirmationes huius ſententiæ apud Vallium cap. 9. Maſium, q. 6. Conimbricenſes q. 2. art. 1.

Tertia, ſententia media inter vtramque aſſerit aliquas differentias infimas eſſe compoſitas, & aliquas eſſe ſimplices atque adeo non eſſe veram primam ſententiam, quæ aſſerit omnes differentias eſſe compoſitas, neque eſſe veram ſecundam ſententiam quæ aſſerit omnes differentias eſſe ſimplices. Ita plures recentiores non indocti. Priorem partem probant argumenta facta pro prima, ſententia ex inductione plurium differentiarum quæ videntur compoſitæ ex aliis, vt habitus qui ſimul practicus, & ſpeculatiuus adſtruitur Dilectio Dei ſupernaturalis, & actus reſpiciens inadæquate duplex motiuum virtutum moralium, poſteriorem partem oſtendunt ex aliis differentiis, quæ nullam compoſitionem admittunt nam rationalitas, quæ eſt differentia hominis non eſt diuiſibilis in duas differentias ſubalternas hinnibilitas, & aliæ multæ vt modo ſupra probauimus, ergo media ſententia de vtraque participans melior eſt. 52

Verum propter hoc non eſt recedendum à communi ſententia, eſt tamen altius, & ſingulari modo enucleanda, quare annotare libet ante probationem noſtræ concluſionis rationem practici, & ſpeculatiui repertas in habitu intellectuali non ſortiri rationem propriæ differentiæ ſi non addatur hæc particula *tantum*, quæ habitum coarctet, ad hoc vt ſit practicus, *tantum*, vel ſpeculatiuus *tantum*, quod ita probo, ſi ratio practici, & ſpeculatiui reperiantur in eodem habitu ſimul, non habent id quod requiritur ad rationem differentiæ, ergo neceſſarium eſt, vt vna vel altera ſeorſim reperiatur, ita vt addatur ei particula *tantum*. Antecedens probo, de ratione differentiæ eſt, vt diuidat genus, & illud multiplicet ita, vt poſita vna differentia, maneat adhuc alia quæ pariter genus diuidat atque multiplicet, ſed ſi ratio practici, & ſpeculatiui reperiantur ſimul in eodem habitu non diuident neque multiplicabunt rationem genericam habitus intellectualis, ergo ſi ſimul reperiantur non habent id quod requiritur ad rationem differentiæ, etenim ratio practici, & ſpeculatiui ſimul reperta in eodem habitu non relinquunt aliam rationem quæ diuidere, & multiplicare poſſit genus habitus intellectualis, cum rationes illæ practici, & ſpeculatiui ſint differentiæ adæquatæ illius vltra quas nulla maneat potens diuidere, & multiplicare genus habitus intellectualis, eſſe autem de ratione differentiæ diuidere, & multiplicare genus tam notum eſt, adeoque inter omnes Philoſophos certum, vt in eo probando non liceat immorari. 53

Confirmatur, & explicatur magis noſtra poſitio, quia ſi ratio rationalis, & ratio irrationalis in vna eademque entitate reperirentur vel reperiri poſſint, ſanè non eſſent differentiæ huius generis animal ſed hoc ideo præcisè eſſet quia differentia debet genus diuidere, & multiplicare ita, vt oppoſita differentia æque diuidat, & multiplicet illud & in eo caſu differentia rationalis, & irrationalis non diuiderent neque multiplicarent genus animalis ſed potius eſſent æquales omnino illi, ergo de ratione differentiæ eſt, vt diuidat, & multiplicet genus cum autem ratio ſpeculatiui, & practici ſimul reperta in eodem habitu non diuidat neque multiplicet genus inde eſt, vt ibi non ſortiatur rationem propriæ, differentiæ, & aduerto amplius quod ſi vnicuique differentiæ practici, & ſpeculatiui addatur illa particula *tantum*, non poſſe in eodem habitu reperiri rationem practici, & ſpeculatiui ſimul, quod manifeſtè conſtat ex eo, quod ratio ſpeculatiui tantum excludat rationem practici dicat- 54

que negationem illius in eo habitu, in quo ipsa reperitur & è conuerso, ratio practici *Tantum*, excludat rationem speculatiui, dicatque negationem illius in eo habitu in quo ipsa reperitur, ad eundem modum quo ratio rationalis excludit rationem irrationalis, & ratio irrationalis rationem rationalis ab eo subiecto in quo vna vel altera dantur, quod equidem ex eo prouenit, quia ratio rationalis absolute sumpta est idem formaliter ac ratio rationalis *tantum*, & econtra, ratio irrationalis est idem formaliter ac differentia irrationalis *tantum*, omnino excludens differentiam rationalem, &c.

55 His prælibatis probo meam conclusionem, quia ratio practici & speculatiui ad hoc vt sortiantur veram rationem differentiæ debet illis superaddi hæc particula *Tantum*, atque addita hac particula *Tantum*, nequeunt ratio practici *Tantum*, & ratio speculatiui. Tantum in eodem habitu reperiri, ergo nequeunt duæ differentiæ subalternæ in eadem entitate dari, ergo neque eadem differentia infima potest includere differentias subalternas, cum enim vna & eadem differentia infima in vna eademque entitate reperiantur, & in hac includi nequeunt duæ differentiæ subalternæ, equidem consequenter neque in vna differentia infima duæ subalternæ dari poterunt, totus noster discursus legitimus est: consequentia optime ex præmissis illata, maior nempe rationem practici & speculatiui non sortiri rationem differentiæ nisi vnicuique addatur particula *Tantum*, constat ex prima obseruatione iam probata, minor vero, scilicet rationem practici & speculatiui si cuique addatur particula *Tantum*, non posse in eodem habitu reperiri simul liquet etiam ex secunda annotatione quam iametiam ostendimus, igitur asserendum est differentias infimas non posse includere differentias subalternas neque ex eis componi.

56 Antequam secundam probationem nostræ conclusionis proponamus primo notãdum est rationem practici & speculatiui quando in eodem habitu reperiuntur distingui ratione nostra, quod quidem liquet primo, quia ratio practici & speculatiui possunt in diuersis habitibus reperiri, in illisque diuersas species constituere, illa autem quæ in diuersis subiectis dantur & in illis diuersas componunt species, si in eadem entitate inueniantur distinguntur in illa ratione nostra, ergo ratio practici, & speculatiui reperta in eodem habitu distinguitur ratione nostra: etenim certum est rationem practici solitarie repertam in vno habitu distinctam constituere speciem à ratione practici solitarie inuentam in alio habitu.

57 Liquet secundo idem assumptum ea namque quæ diuersa habent connotata ratione nostra distinguntur cum distinguantur secundum conotata quæ respiciunt, at ratio practici & speculatiui reperta simul in eodem habitu diuersa respiciunt connotata, ergo distinguntur ratione nostra, minor sola eget probatione, eam patefacio, ratio practici reperta in habitu respicit actus practicos ad quos eliciendos concurrit tam efficaciter & effectiue quam facile reddendo potentiam intellectiuam: item ratio speculatiui in illomet habitu reperta respicit actus speculatiuos in quos concursum præstat tam simpliciter quam promptiorem faciendo intellectum, atqui actus practici & actus speculatiui sunt diuersa connotata cum sint diuersæ species actuum, ergo rationes practici & speculatiui inuentæ in eodẽ habitu respiciũt diuersa cõnotata & per consequens, ratione nostra distinguntur.

58 Rursus obseruo secundò, rationẽ practici & speculatiui repertas simul in eodem habitu non contrahi vnam per aliam, quod sic probo, quia vt aliqua ratio contrahatur per aliam debet comparari vt superior ad illam sed neque ratio practici respectu speculatiui neque ratio speculatiui respectu practici cõparantur vt superior, ergo nulla per aliam contrahitur; Consequentia est legitima, maior ab omnibus admissa & inductione omnium quæ per alia contrahuntur manifesta, sic enim genus superius respectu specierum à quibus contrahitur & species respectu indiuiduorum superior omnino est & ita de reliquis: minorem probo, nam ratio speculatiui neque est genus neq; species neque differentia superior neque alia ratio communior respectu practici, neque ratio practici neque ratio speculatiui ad inuicem comparantur vt superior & superior, quare neque ratio practici neq; ratio speculatiui quæ in illo habitu reperiuntur, identificatæ comparantur vt differentiæ infimæ per contractũ alterius, nam ij neque ratio practici ibi inclusa habent rationem differentiæ infimæ per inclusionem rationis speculatiui secum identificata & è contra, ratio speculatiui non sortitur rationem differentiæ infimæ per inclusionem rationis practici, cum vna per aliam neutiquam contrahatur.

Vt autem ratio nostra firmius consistat oportet ex- 59
plicare quod nam sit prædicatum per quod ratio habitus practici vt condistincta à ratione habitus speculatiui contrahatur ad speciem infimam habitus practici & speculatiui simul quin latius pateat quam habitus practicus & speculatiuus simul. Ad quod explicandum suppono, rationem habitus practici repertam in habitu practico & speculatiuo simul vt distinctam ratione nostra à ratione habitus speculatiui cõtinere capacitatem identificandi sibi rationem habitus speculatiui, ergo ratio practici vt ratione distincta à ratione speculatiui capax est identificare realiter rationem speculatiui. Probatur consequentia, quia ab actu ad potentiam recta est consequentia, sed ratio practici realiter identificatur cum ratione speculatiui; ergo vt distincta ratione à ratione speculatiui capax est identificare rationem speculatiui.

Explicatur magis, quia natura diuina quamuis ra- 60
tione nostra distinguatur ab attributis, tamẽvt distincta continet capacitatem identificandi realiter attributa, & ideo est infinita in ratione naturæ, quia tali capacitate potest sibi vnire per identitatem omnes perfectiones attributorũ, & ratione talis capacitatis, natura diuina distinguitur à natura finita & creata quæ talis identitatis incapax est, ecce igitur vobis per quod prædicatum contrahatur ad speciem infimam habitus practici, & speculatiui simul quin ratio practici sit vniuersalior quam species, videlicet per istam capacitatem identificandi secum aliam rationem, nam per istam capacitatem distinctam ratione nostra à ratione speculatiui sufficienter distinguitur ab specie infima habitus practici *Tantum*, & speculatiui *Tantum*, ergo per tale prædicatum sufficienter contrahitur ad differentiam infimam. Probatur antecedens quia habitus practicus, tantum est incapax identificare secum rationem habitus speculatiui *Tantum*, ergo capacitas identificandi rationem habitus speculatiui est prædicatum contractiuum sufficiens ad differentiam habitus practici & speculatiui simul quæ ab specie infima habitus practici *Tantum*, & speculatiui *Tantum*, distinguatur.

Sed nunc vrget grauis difficultas: ex dictis enim 61
sequitur in eodem habitu intellectuali dari duas differentias vltimas; sequela probatur quia in illo habitu datur ratio practici capax identificandi secum rationem speculatiui, & datur ratio speculatiui capax identificandi secum rationem practici, at væ rationes sunt differentiæ infimæ, ergo in eodem habitu reperiuntur duæ differentiæ infimæ, hoc autem absurdum esse quis non videat, maior est nostra doctrina, minor probatur, quia ratio speculatiui capax identificandi secum rationem practici,

est

eſt differentia diſtincta à ratione practici *Tantum*, & ratione ſpeculatiui *Tantum*. Deinde ratio practici capax identificandi ſecum rationem ſpeculatiui, eſt differentia diuerſa à ratione ſpeculatiui *Tantum*, & à ratione practici *Tantum*, deinde eæ differentiæ ſunt infimæ, cum iuxta tradita duæ differentiæ ſubalternæ, nequeant in eadem entitate reperiri, ergo ratio ſpeculatiui & practici identificatæ in eodem habitu ſunt differentiæ infimæ. Ad hoc argumẽtum Reſpondeo, conceſſa maiori, diſtinguẽdo minorem; ratio practici capax identificandi ſecum rationem ſpeculatiui, & ratio ſpeculatiui capax identificandi ſecum rationem practici ſunt differentiæ infimæ inadæquate cõcedo, ſunt differentiæ infimæ adæquate nego minorem, cuius probatione, *Tantum* conuincitur illas formalitates eſſe differentias infimas inadæquatas non vero adæquatas, itaque inconueniens non eſt in eo quod in eadem entitate duæ differentiæ infimæ inadæquatæ reperiantur; eſſet tamen in eo quod duæ differentiæ adæquatæ inueniantur, quod equidem in illo habitu ſimul practico & ſpeculatiuo nequaquam admittimus.

62 Secunda obiectio contra hunc dicendi modum intendit non poſſe conſtitui differentiam habitus intellectualis per excluſionem habitus practici, neque per excluſionem habitus ſpeculatiui, atque adeo rationem differentiæ non conſtitui per practicum, *tantum*, neque per ſpeculatiuum *tantum*: nam differentia habitus intellectualis eſt poſitiua, & non negatiua ſed habitus practicus. *Tantum*, continet eſſentialiter negationem habitus ſpeculatiui, ergo non conſtituitur in ratione differentiæ per practicum, *Tantum*, ſed hoc facile explicatur ſi dicamus non conſtitui per negationem formalem ſed per radicalem quæ eſt entitas poſitiua repugnans identificari cum ratione ſpeculatiui, ſicut irrationale eſt differentia animalis quamuis importet negationem rationalitatis quia non importat negationem formalem ſed radicalem, nempe entitatem repugnantem rationalitati, itaque differentia habitus practici *Tantum*, ab habitu practico, & ſpeculatiuo ſimul diſtinguitur per entitatem poſitiuam incapacem identitatis cum ratione habitus ſpeculatiui, differentia verò habitus ſpeculatiui, & practici ſimul conſtituitur per entitatem capacem identificandi duas iſtas rationes habitus intellectualis, ſicut planta continet rationem vitæ vegetatiuæ, diſtinctam ſpecie à vita vegetatiua leonis, quia planta, eſt vegetatiua *Tantum*, leo vero eſt vegetatiuus, & ſenſitiuus ſimul.

63 Tertia obiectio, ſi in eodem habitu intellectuali darentur duæ differentiæ infimæ inadæquatæ, quarum vna eſſet ratio practici capax identificandi ſecum rationem ſpeculatiui, & alia ratio ſpeculatiui capax identificandi ſecum rationem practici ſequeretur poſſe fieri hanc prædicationem, practicum in hoc habitu eſt ſpeculatiuum, & ſpeculatiuum eſt practicum atqui hæc prædicatio fieri non poteſt, ergo nequeunt in illo habitu dari duæ differentiæ infimæ inadæquatæ practici, & ſpeculatiui: maior eſt manifeſta, quando enim duo prædicata inter ſe identificantur poteſt vnum de alio prædicari, minorem verò ſic probo, illa prædicatio ad nullum ex prædicabilibus pertinet, ergo fieri non poteſt, omnis quippe prædicatio ad aliquod prædicabile pertinere neceſſe eſt, etenim illa prædicatio non eſt generis de ſpecie, rationes practici, & ſpeculatiui capaces identificandi, non comparantur ad inuicem, vt genus ad ſpecies, vna quippe alias non diuidit neque multiplicat, neque inferior, aut ſuperior eſt reſpectu alterius, de indiuiduo, cum illæ rationes practici, & ſpeculatiui ſimul repertæ non comparentur inter ſe vt indiuiduum contrahens ſpeciem, neque vt ſpecies ſuperior reſpectu alterius aliqua indiuidua poſſibilia ſub ſe continens; rurſus illa eadem prædicatio non pertinet ad tertium prædicabile differentiæ, poſſumus namque vnam ex illis rationibus non cõtrahere per aliam neque eſſe differentiam per incluſionem alterius; item non poſſet reduci ad prædicabile proprium, neutra enim ex illis rationibus prædicaretur de alia in quale tamquam de eſſentia, nam cur potius ratio practici eſſet eſſentia reſpectu rationis ſpeculatiui, quam ratio ſpeculatiui reſpectu rationis practici, & è contra, neque quælibet poſſet eſſe eſſentia reſpectu alterius, & proprietas reſpectu eiuſdem, cum hoc manifeſtam inuoluat implicationem; demum illa prædicatio non eſſet accidentis, cuius eſſentia eſt poſſe, adeſſe, & abeſſe, illæ autem rationes practici, & ſpeculatiui inter ſe identificantur, vnde neutra ab alia abeſſe poteſt, neque contingenter adeſſe, ſed eſſentialiter omnino idem ſunt, ergo prædicatio practici, & ſpeculatiui, & è contra ad nullum ex quinque prædicabilibus pertinet, hoc autem dici non poteſt, ergo neque illud ex quo liquido ſequitur; ſed preſſura huius argumenti, & prædicationis facilè vitatur diſtinctione appoſita de habitu ſpeculatiuo *Tantum*, & de habitu practico *Tantum*, in quo habitu ad inuicem reperitur repugnantia identificationis ſine qua non poteſt dari prædicatio eſſentialis, neque practicum de ſpeculatiuo neque è contra prædicabitur, in habitu vero qui ſimul identificat vtrumque verificabitur prædicatio per realem identificationem practici, & cum ſpeculatiuo vel è contra: ſecundæ, etiam ſubſtantiæ prædicantur de primis, & eadem ratione dato vero caſu, Talis habitus conſtituitur ex duplici differentia inadæquata non vero ex duplici differentia adæquata.

64 Sed ex ſolutione tradita ſic argumentor ad hominem: ſi in illo habitu intellectuali practico, & ſpeculatiuo darentur duæ differentiæ infimæ inadæquatæ darentur in homine ante differentiam infimam rationalis alia differentia infima inadæquata, hoc autem à nullo Philoſopho conceditur, ergo nequeunt dari in eodem habitu duæ differentię infimæ inadæquatæ: probo minorẽ, ideo per nos dantur in illo habitu duæ differentiæ infimæ inadæquatæ, quia datur ratio practici capax identificandi ſecum rationem ſpeculatiui, & ratio ſpeculatiui capax identificandi ſecum rationem practici, quarum ſingulæ in nullo alio reperiri queunt niſi in habitu ſimul practico, & ſpeculatiuo, ſed etiam in homine datur ratio animalis capax identificandi ſecum rationem rationalis, & ratio rationalis capax identificandi ſecum rationem animalis, quarum ſingulæ in nullo alio niſi in homine dari poſſunt, ergo ſi in illo habitu reperiuntur duæ differentiæ infimæ inadæquatæ etiam in homine duæ reperiuntur quarum vna ante differentiam rationalis detur, quod quam ſit abſurdum, ex eo patet quod homo per omnia ea quæ dantur in ipſo ante differentiam rationalis conuenit cum brutis, conuenire autem non poſſet ſi ante, differentiam rationalis daretur alia differentia infima inadæquata, quæ in nullo alio præterquam in homine poſſit reperiri, ergo vt in has implicationes non eamus dicendum eſt, in habitu practico, & ſpeculatiuo ſimul non dari differentias infimas ſimul inadæquatas.

65 Reſpondeo, ad argumentum concedendo antecedens, & negando conſequentiam, & ratio diſcriminis ſtat in hoc quod in habitu intellectuali identificante ſecum practicum, & ſpeculatiuum neutrũ eſſet ſuperius, neq; contrahibile per aliud, neque diuiſiuum generis, ſed ex æquo vtrumq; diceret tamquam rationes realiter idẽtificatas ſicut actus charitatis ex æquo dicit ſupernaturalitatem, & vitalitatem, differentia vero rationalis nõ ſic dicit rationem viuentis, & ſenſibilis

quæ formaliter non sunt differentiæ hominis, sed presuppositiuè se habent, tamquã rationes communes in homine identificatæ, non vero habent rationem differentiæ, vltimæ contractiuæ, constitutiuæ, & diuisiuæ generis formaliter loquendo, sed tantum materialiter, & entitatiuè, & ita sola differentia rationalis est quæ constituit speciem, & diuidit & contrahit genus, & sic est omnino simplex & incomposita, licet respectu speciei quam constituit admittat compartem scilicet genus, hoc autem non arguit compositionem in ipsa differentia secundum conceptum formalem differentiæ, sed secundum quod est pars metaphysica essentialiter exigens aliam compartem.

66 Ex obiectis contra nostram doctrinam facilè liquet solutio ad argumenta contrariæ sententiæ, & primò, constat definitionem Porphyr. esse optimam illamque vltimis differentiis adaptari vt ostendi supra c. 4. n. 31. & 32. & ad testimonia Aristotel. Respondeo, nomine differentiæ intelligere multoties vt in secundo poster. accidentia quædam quibus in describendo vtimur ad declarandam vltimam, & essentialem differentiam vel differentiis communibus, quæ diuiduntur in alias non formaliter sed materialiter, quia non potest diuidi genus per differentias inferiores nisi etiam ipsæ differentiæ constitutiuæ generis diuidantur, communes vero differentiæ tunc non prædicabuntur de inferioribus formaliter sed materialiter & identicè quia tales differentiæ re vera sunt accidentales & de iis loquitur Aristotel. neque enim per mortale & rationale sufficienter homo distinguitur ab Angelo & ab equo nisi per quandam descriptionem accidentalem vt discurrenti patebit. Ad alias rationes desumptas ex habitu practico, & speculatiuo simul & ex actu virtutis temperantiæ iam abunde constat ex dictis in tota prælectione, ne iterum actum, agamus.

In caput 4. de Proprio.

EXplicatis prædicabilibus quæ essentiam rei ratione nostra constituunt duo alia remanent discutienda, quæ licet ratione nostra essentiam rei non constituant, illam tamen consequuntur tamquam conceptus accidentales, alij vt proprij, alij vt communes, de quibus breuiter in præsenti.

Summa textus.

1 SOlum continet quatuor, modos quibus proprium sumitur, primo modo proprium dicitur illud quod conuenit soli, & non omni, vt esse geometram, & musicum conuenit homini, sed non omni: secundo modo proprium est illud quod conuenit omni sed non soli vt esse bipedem quod non solum conuenit omni homini sed etiam gallo: Proprium tertio modo est illud quod conuenit omni, & soli, sed non semper & omni tempore vt canescere, quod cõuenit omni, & soli homini, sed non omni tempore, sed tantum, in tempore senectutis: Proprium quarto modo est illud quod conuenit omni & soli, & omni tempore, vt esse risibilem, quod omni homini, & semper conuenit, & hoc proprium est omnium perfectissimum.

DISPVT. XIV.

De Proprio quarto Prædicabili.

DVo capita continebit, in primo, inquiro an proprium quarto modo acceptum constituat hoc prædicabile: in secundò, respectu quorum proprium dicatur vniuersale.

CAPVT I.

An proprium quarto modo acceptum constituat hoc prædicabile.

2 NOnnulli affirmant omnia hæc propria ad hoc prædicabile spectare, consequenterque diuisionem proprij esse vniuocam de quorum numero sunt Albert. tract 6. de proprio, cap. 1. Carleton disp. 37. Logic. sect. 1. Louanenses, Cant. Murcia, Hurtado, Arriaga, disp. 7. sect. 2. Auersa q. 10. sect. 3. Complutenses disp. 8. q. 1. Ioan à S. Thoma, q. 11. art. 1. Ioan. à Merinero cap. de proprio q. 1. Conimbricenses Rubio, Lerma, & Franc. Alphonsus, disp. 3. de differentia; Plerique tamen docent solum proprium quarto modo ad hoc prædicabile spectare, cætera vero propria pertinere ad quintum, & per reductionem ad hoc quartum sicut supra de differentia communi propria, & propriissima, diximus atque ita prædictam diuisionem esse analogam, sic docent Porphyr. Arist. D. Th. opusc. 48. quibus vno ore subscribunt omnes recentiores vt Louanenses, Complutenses, & alij.

3 Præmitto tamen pro intelligentia, omnia propria esse in triplici differentia, alia sunt quæ secundum se habent naturalem connexionem non mutuam cum essentia rei quia reipsa non habent connexionem cũ illis qualia sunt propria primo, & tertio, modo à Porphyrio assignata vt esse musicum vel canescere quæ in se habent connexionem cum homine, homo vero ex se non habet connexionem naturalem cum illis, alia sũt propria cum quibus essentia rei habet naturalem connexionem non mutuam, quia ipsa accidentia non habent naturalem cõnexionem cum tali re, qualia sunt propria secundo modo, vt esse bipedem cum quo homo habet naturalem connexionem, illud vero non est cum homine naturaliter connexum cum etiã competat gallo, alia vero sunt propria quæ habent cũ essentia rei naturalem connexionem mutuam, quia ipsa res etiam habet naturalem connexionem cum illis qualia sunt accidentia propria perfectissima quarto modo assignata, vt risibile quod habet connexionẽ cum homine, & homo habet etiam naturalem connexionem cum illo, nam omnis homo necessario est risibilis sicut omne risibile necessario est homo.

4 ASSERTIO I. accidentia quæ tantum habent connexionem non mutuam cum essentia subiecti qualia sunt propria primo, & tertio modo directè, & simpliciter ad hoc prædicabile non pertinent: probatur, ad hoc prædicabile de proprio solummodo attinent illa propria quæ omnino distinguuntur ab accidenti communi quod spectat ad quintum prædicabile, sed accidentia quæ habent tantùm connexionem non mutuam cum esse subiecti, non distinguntur omnino ab accidenti communi pertinenti ad quintum, prædicabile, ergo talia accidentia ad hoc quartum prædicabile non attinent: minor probatur, quia hæc accidentia albedo & nigredo, & alia iis similia in omnium sententia sunt accidentia communia pertinentia ad quintum prædicabile, & tamen non habent secundum se naturalem cõnexionem cum essentia subiecti, scilicet quantitatis in qua recipiuntur, petunt enim naturaliter recipi in illa, ergo accidentia illa quæ habent tantum connexionem non mutuam cum essentia subiecti, non omnino condistinguntur ab accidenti communi pertinenti ad quintum prædicabile.

5 ASSERTIO II. Accidentia cum quibus essentia subiecti habet tantum connexionem nõ mutuam qualia sunt propria secundo modo non spectant simpliciter, & directè ad hoc quartum prædicabile. Probatur quia hoc accidẽs v.g. esse bipedem secundũ se & ex natura sua non est magis naturaliter debitũ homini quã gallo sed tã naturaliter competit gallo quam homini, ergo

tale

tale accidens non eſt proprium homini,& gallo, ſed eſt accidens commune homini & gallo, ſed quod eſt accidens commune,ad quartum prædicabile ſpectare non poteſt, ſed ad quintum, ergo tale accidens & ſimilia ad hoc prædicabile non ſpectant.

6 Sed obiicies, illa propria primo & tertio modo,diuerſo modo prædicãtur de ſubiecto,ac accidentia communia,illa enim prædicantur de ſubiecto per ſe, cum aliquam habeant connexionem cum illo, iſta verò prædicantur de ſubiecto omnino per accidens cum nullam cum ſubiecto habeant connexionem, ergo hæc propria diuerſum prædicabile conſtituunt, ab eo quod conſtituunt accidentia communia.Sed accidentia communia attinent ad quintum prædicabile,ergo iſta ad quartum. Confirmatur primo, quia genus & differentia ideò diuerſa prædicabilia conſtituunt, quia licèt vtrumque prædicetur,in quid,diuerſo tamẽ modo prædicantur, genus per modum per ſe ſtantis & differentia per modum alteri adiacentis, ſed hoc proprium 1.2.& tertio modo eſt accidens commune, licèt vtrumque prædicetur accidentaliter, diuerſo tamen modo prædicantur,quia proprium prædicatur per ſe, accidens verò commune prædicatur per accidens, ergo diuerſa etiam prædicabilia conſtituent,proprium quidem conſtituit quartum prædicabile,accidens verò commune,quintum.Confirmaturſecundò,quia etiam ſi albedo conueniret homini & non aliis, non eſſet accidens proprium illius ſed commune, quare homo naturaliter non peteret eſſe albus, ergo econtra licèt eſſe bipedem non ſolum conueniat homini, ſed etiam aliis, cum homo naturaliter petat eſſe bipedem, hoc accidens non erit commune ſed proprium illius.

7 Reſpondetur,accidens proprium,ſecundo & tertio modo non prædicari de ſubiecto perfectè & per ſe ſed imperfectè quare non habet cum illo naturalem connexionem mutuam,ſed non mutuam,prædicari autem per ſe imperfectè de ſubiecto etiam reperitur in accidenti communi cum etiam habeat ſecundum ſe naturalem connexionem cum ſubiecto, atque ita illud proprium,& hoc accidens commune non prædicantur diuerſo modo de ſubiecto,etſi aliqua diuerſitas adeſt, eſt valde exigua & ſolum ſecundum magis & minus, quod non ſufficit diuerſa prædicabilia conſtituere.Ad primam confirmationem Reſpondeo genus prædicari per modum per ſe ſtantis perfectè & ſimpliciter, differentiam verò per modum alteri adiacentis perfectè & ſimpliciter,& ideò perfectè differũt in modo prædicandi,diuerſaque prædicabilia conſtituunt,illud verò proprium imperfectum & accidens commune non differunt perfectè & ſimpliciter, & ideò non conſtituunt diuerſa prædicabilia ſed vnum tantum. Ad ſecundam confirmationem: Reſpondeo accidens commune eſſe illud, quod non eſt naturaliter debitũ alicui ſubiecto,magis quam alteri,licèt per accidens in vno tantum ſubiecto ſit, proprium verò eſt illud quod eſt ſpecialiter debitũ naturaliter, & per ſe alicui ſubiecto potius quam alteri,licèt de facto in aliis ſubiectis, per accidens reperiatur,vnde in caſu argumenti albedo & accidens commune, quia non eſſet per ſe, & naturaliter debita homini, licèt in ſolo illo eſſet,& eſſe bipedem etiam eſt accidens commune& non proprium hominis, quare non eſt ſpecialiter debitum per ſe, & connaturaliter ipſi homini magis quam gallo.

8 Assertio III. Accidentia propria,quæ habent mutuam connexionem naturalem,cum ſubiecto quàlia ſunt propria perfectiſſima:quarto,modo directè & ſimpliciter ad hoc prædicabile ſpectant. Ita D. Tho. Ariſt.& Porph.citati pro ſecunda ſententia:& primò probatur,ex definitione Porph.dum dicit:*quarto modo proprium eſſe illud quod conuenit omni ſoli & ſemper*, & Ariſt.1. Top.c.4. proprium quarto modo illud eſt quod non indicat eſſe rei,ſolum,autem ineſt,& conuerſim prædicatur;ex quibus definitionibus rectè exluduntur ab hoc prædicabilia propria:primo, ſecundo, & tertio modo accepta, ergo ſolum proprium quarto modo conſtituit hoc prædicabile.

Probatur ratione primo,quia proprium huius prædicabilis eſt,quod perfectè prædicatur de ſubiecto,nõ enim ſufficit quod imperfectè prædicetur, ſed ſolum proprium:quarto modo perfectè prædicatur de ſubiecto, quia ſolum hoc proprium quarto modo eſt naturaliter connexum cum ſubiecto ad conuertentiam & ſubiectum cum illo,ergo ſolum proprium,quarto modo conſtituet hoc quartum prædicabile,ſiquidem hoc ſolũdimanat à propriis eſsẽtialibus ſubiecti,ergo ſicuti ſupra diximus differentiam propriiſſimam conſtituere tertium prædicabile, ſic modo dicimus proprium quarto modo quod eſt perfectiſſimum conſtituere,hoc quartum prædicabile. 9

Confirmatur:primo, quia proprium ad hoc prædicabile attinens eſt illud per quod res perfectè differt accidentaliter,ab omnibus aliis,ſicuti enim quælibet res habet differentiam eſſentialem,per quam differat eſſentialiter ab omnibus aliis rebus, ita habet aliquã differentiam accidentalem, per quam differat ab aliis rebus accidentaliter, & hæc differentia eſt proprium huius prædicabilis, nam ſi res per tale proprium non differt ab aliis rebus, ſed cum aliquibus conueniret non eſſet tale accidens proprium ſed commune & nõ conſtitueret,quartum prædicabile,ſed quintum:ergo, riſibile quod eſt proprium,quarto modo per ſe differt ab aliis tribus hocque conſtituet prædicabile,nam de ſolo hoc proprio ex principiis Ariſt.propriè & perfectè demõſtratur ſubiectũ,& de ſubiecto paſſio ſeu proprium,valet enim demonſtratiuè,eſt riſibilis,ergo eſt homo:eſt homo ergo riſibilis, quare omnis homo eſt riſibilis,& omne riſibile eſt homo,quod quidem aliis propriis imperfectis non conuenit,ergo ſolum perfectiſſimum quarto modo conſtituit hoc prædicabile. 10

Verum aliquis obiiciat: calor ignis & frigiditas aquæ ſunt propria huius quarti prædicabilis,& tamẽ non ſunt propria, quarto modo,quia non conueniunt omni & ſoli,calor enim ignis etiam reperitur in aqua & frigiditas, aquæ etiam in homine inuenitur, ergo non tantum proprium quarto modo ſed alia etiam propriè ad hoc prædicabile ſpectant. Reſpondeo,calorem conuenire omni & ſoli igni per ſe,licèt in aliis etiam per accidens reperiatur, etiam igni conuenit calor,vt ſummè intenſus ex illius viſceribus naturaliter dimanans, illique naturaliter debitus:aliis verò rebus,v.g.aquæ non conuenit calor vt ſummè intenſus,at illi connaturalis ſed vt magis remiſſus deforis aduenies,illique non connaturaliter debitus, atque ita calor omni ac ſoli igni conuenit per ſe, licèt in aqua & aliis rebus per accidens inueniatur,& idcirco calor reſpectu ignis eſt proprium quarto modo ad hoc prædicabile ſpectans, & idem dico de frigiditate & aliis ſimilibus. 11

Sed inſtet ſicuti ignis petit naturaliter,calorem ita homo petit naturaliter eſſe bipedem,& ſicut eſſe bipedem conuenit ac eſt commune homini, ac etiam gallo, ita habere calorem conuenit, & eſt commune igni ac etiam aquæ,ergo ſicut calor reſpectu ignis eſt proprium pertinens ad hoc prædicabile, ita ſimiliter eſſe bipedem reſpectu hominis erit proprium ſpectans ad hoc prædicabile. Reſpondeo calorem licèt conueniat igni & aquæ, eſſe tamen ſpecialiter debitũ connaturaliter igni potius quam aquæ, & ideò eſſe proprium huius prædicabilis,eſſe verò bipedem quod conuenit homini & gallo, non eſt ſpecialius aut magis debitum connaturaliter homini, quam gallo & ideo non eſt proprium quarti prædicabilis ſed accidens commune,quinti prædicabilis. 12

13 Vrgeat, habere intellectū est respectu hominis proprium perfectissimū pertinens ad hoc prædicabile, intellectio enim est perfectissime passio & proprietas hominis & tamen habere intellectum non est specialius aut magis debitum connaturaliter homini quam Angelo; ergo licet esse bipedem non sit specialius aut magis debitum homini quam gallo, cum homini connaturale sit, erit verè proprium spectans ad hoc prædicabile, Resp. intellectū non esse proprium respectu hominis vt homo est, sicut neq; esse bipedem, quia eodem modo conuenit & debetur Angelo, vt ostendit argumentum, esse tamen habere intellectum proprium perfectissimum respectu hominis vt creatura intellectualis est, in quo conuenit cum Angelo, nam habere intellectum creatum homini & soli creaturæ intellectuali conuenit, & ideo pertinet ad hoc prædicabile; at verò esse bipedem non conuenit per se soli homini sed etiam aliis, & ita ad hoc prædicabile non attinet.

14 Hic adueftere licet hæc accidentia ratiocinari, ridere & similia saltem secundum quid esse propria spectantia ad hoc quartum prædicabile, ratio est quia accidens quod habet naturalem connexionem mutuam cum essentia subiecti pertinet ad hoc prædicabile vt ostendi n. 7. sed hæc accidentia habent saltem secundum quid mutuam connexionem cum essentia hominis; ergo saltem secundum quid sunt propria attinētia ad hoc prædicabiler. Probatur minor, ratiocinari, & ridere in primis habent secundum se necessariam connexionem cum homine, non enim possunt nisi soli homini conuenire, deinde cum homo essentialiter sit rationalis ac etiam sit risibilis & vt sic ordinetur per se primo ad ratiocinationem & ridendum petit aliquo modo naturaliter aliquando, ratiocinari, & ridere, ergo essentia hominis habet saltem aliquo modo & secundum quid connexionem naturalem cum homine, quod est ratiocinari & ridere; ergo hæc accidentia propria habent saltem secundum quid connexionem mutuam naturalem cum essentia hominis.

15 Ex dictis colligo prædictam diuisionem proprij in quatuor illos modos n. 2. explicatos esse analogam & ratio est quia solum proprium quarto modo participat simpliciter & per se rationem huius prædicabilis quia solum proprium quarto modo dicitur ad conuertentiam, propria verò 1. 2. & 3. modo declinant à ratione 4. prædicabilis, nam licet aliqualem connexionem cum subiecto habeant non vero talem qualem requirimus ad proprium perfectissimū & quarto modo, & ita potius dicerem illa propria pertinere ad quintum prædicabile accidentis, licet aliqualiter ad quartum spectent, ergo prædicta diuisio simpliciter analoga dicenda est.

CAPVT II.

Respectu quorum proprium dicatur vniuersale.

16 PRoprium quarto modo solum, & non alia tria posse induere rationem vniuersalis & constituere quartum prædicabile quod sit vnum vniuersale ex quinque à Porphyrio assignatis satis liquet ex hucvsque dictis, & in præsenti solum difficultas est respectu quorum habeat hanc vniuersalitatem, an respectu speciei, cum qua passio conuertitur, an verò respectu inferiorum de quibus dicitur.

17 Primò, sic Porphyrius definiuit proprium vt prædicabile, *proprium est quod prædicatur de pluribus in quale per se*, illa verba: prædicatur de pluribus: ponuntur loco generis, in quo proprium conuenit cum aliis prædicabilibus, alia verò verba v. g. in quale, ponuntur loco differentiæ, quia per illa differt à tribus prioribus, quæ prædicantur in quid, & essentialiter & per ly per se, differt proprium ab accidente communi quod licet accidentaliter prædicetur non tamen vt habens mutuam connexionem cum subiecto sicut proprium quarto modo.

Aduerto deinde pro intelligentia, risibilitatem in 18
abstracto non esse proprium quarti prædicabilis sed risibilitatem in concreto, & ratio est quia risibilitas in abstracto solum potest prædicari essentialiter de hac numero vel illa risibilitate & tunc prædicabitur prædicatione secundi prædicabilis, non verò prædicabitur accidentaliter de hoc & illo subiecto habente risibilitatem, non enim dicimus, Petrus est risibilitas, sed Petrus est risibilis, ergo non risibilitas in abstracto sumpta sed risibile in concreto est proprium huius quarti prædicabilis.

Nonnulli censent proprium quarto modo nullate- 19
nus posse constitui vniuersale respectu inferiorum sed respectu speciei cum qua passio conuertitur, primò, quia proprium quarto modo non conuenit indiuiduis neque de illis dicitur ad conuertentiam; ergo respectu illorum non est prædicabile vt proprium. Secundò antecedens probatur ex D. Thoma qui asserit quod proprium conuenit indiuiduis ratione speciei, accidens verò commune conuenit speciei ratione indiuiduorum, nam ideo homo est albus quia Petrus est albus, ideo vero Petrus est risibilis, quia homo est risibilis; ergo proprium perprius prædicatur de specie quam de indiuiduis; ergo potius constituetur vniuersale per ordinem ad speciem quam per ordinem ad indiuidua, alias quamplures omitto rationes quæ videri possunt apud recentiores.

Dicendum est cum concordi consensu Dialecticorum, proprium quarto modo vt constituit hoc prædicabile constitui in esse vniuersalis non per ordinem ad speciem à qua dimanat sed per ordinem ad indiuidua eiusdem speciei vt similiter diximus disput. 14. cap. 5. num. 37. De differentia hanc conclusionem probant argumenta quæ ibi facta sunt, & specialiter in re nostra, sic probatur, quia vniuersale in ratione vniuersalis formaliter constituitur per ordinem ad plura quæ sibi vt inferiora respicit, sed speciem à qua proprium dimanat, non respicit proprium vt sibi inferiorem sed vt omnino æqualem, quia illa tantum est vna & non plures, indiuidua autem quæ respicit vt sibi inferiora debent esse plura; ergo proprium non in ordine ad speciem sed in ordine ad indiuidua eiusdem speciei constituetur in esse vniuersalis. Omnia liquent in syllogismo cum proprium conuertatur cum specie, & sit æqualis, valet enim est risibilis; ergo est homo & è contra, sed vniuersale debet esse superius; ergo non poterit esse vniuersale, respectu speciei à qua dimanat sed per ordinem ad inferiora eiusdem speciei. 20

Neque fundamentum oppositum aliquid con- 21
uincit, quia proprium verè dicitur habere connexionem cum indiuiduis non immediatam sed mediatam ratione naturæ à qua dimanant, non verò ratione indiuiduationis cui communicatur & cum quibus etiam ratione naturæ conuertitur non ratione indiuiduationis, illa vero differentia proprij & accidentis communis procedit de illis realiter sumptis & sic risibilitas prius conuenit homini quā Petro, non verò logicè, quia vt sic non prius prædicabitur de homine quam de Petro, & quamuis differentia constitutiua proprij, in esse quarti prædicabilis sumatur per ordinem ad speciem à qua dimanat, tamen non ideo est vniuersale per ordinem ad illam: sed per ordinem ad speciem à qua dimanat, & cum qua conuertitur, sortitur rationem proprij quarti prædicabilis,

prædicabilis,& per ordinem ad inferiora,in concreto sumpta eiusdem speciei sortitur rationem vniuersalis & prædicabilis,an autem proprium subalternum pertineat ad hoc prædicabile,quidam negarunt :quia videtur hic solum definiri proprium infimum , tamen cum Arist.& D.Thoma communiter sentiunt Doctores pertinere ad hoc prædicabile , sicut in simili diximus de differentia infima & subalterna.

In caput 5. De Accidente.

Summa Textus.

TRes definitiones accidentis proponit Porphyrius & aliquas eius differentias , præcipua est ; quæ datur inter accidens prædicamentale & prædicabile, nam illud contraponitur substantiæ, quæ est primum prædicamentum,& supponit pro accidente inhærente,vt de frigore aut quantitate, istud verò contraponitur prædicato essentiali;in quo sensu,quidquid non prædicatur essentialiter aut necessario , dicitur accidens prædicabile siue sit reale, siue rationis, siue inhærens,siue subsistens.

DISPVTATIO XV.

De Accidente, quinto Prædicabili.

DVo capita continebit,in primo inquiro, quid sit Accidens quintum prædicabile,& eius definitio explicatur : in secundo,respectu quorum quintum prædicabile vniuersale constituatur.

CAPVT I.

Quid sit Accidens, quintum Prædicabile & eius definitio explicatur.

1 HOc autem Accidens,aliud est verbale,aliud nominale , Accidens nominale est illud quod non est substantia,sed aduenit substantiæ constitutæ iam in suo esse,vt albedo hominis:dicitur autem accidens nominale quia exprimitur per aliquod nomen , qua ratione albedo dicitur accidens hominis , Accidens verò verbale dicitur illud quod non est essentia rei, sed aduenit illi iam constitutæ in suo esse , vt vas est deauratum,quod licèt sit substantia vocatur accidens, quia non est de essentia vasis esse deauratum, dicitur autem accidens verbale,quia frequentius exprimitur per verbum aliquod quam per nomen , rectius enim dicimus, esse deauratum accidit vasi, quam esse accidens illius. Rursus accidens aliud est physicum, aliud metaphysicum : accidens physicum est illud quod reipsa distinguitur à substantia rei,& illam reipsa supponit,vt albedo respectu hominis,accidens metaphysicum est illud quod sola relatione ab essentia distinguitur,illamque ratione solum supponit, vt rationale dicitur,accidens metaphysicum respectu animalis, & sub aliis verbis,accidens separabile & inseparabile dici solent;illud vt dormire & alia,istud vt nigredo in coruo,& albedo in cygno.

2 Porphyrius igitur in præsenti tres tradit definitiones accidentis in communi,prima *accidens est quod adest & abest,sine subiecti corruptione.* Secunda *Accides est,quod eidem inesse & non inesse potest.* Tertia *Accidens est quod neque est genus,neque species,neque differentia, neque proprium, semper autem inest in subiecto,* Iis similis est alia Arist.primo Top.cap.4. *Accidens est quod potest eidem inesse & non inesse sine corruptione subiecti,* de quibus variant interpretes , an primo an secundo intentionaliter sint intelligendæ , hoc est an de reali separatione an per intellectum,sed definitio vtrumque cõplectitur,nam multoties accidens primo intentionaliter realiter sumptum separatur à subiecto sine illius corruptione , vt quando calor adest aquæ, quando est calida,& abest quando est frigida,Porphyrius enim accidens quod definiuit,diuisit in accidens separabile & inseparabile , iure ergo quæritur quæ accidentia ad hoc quintum prædicabile attineant, an solum quæ realiter separantur, vt calor,albedo , dormire,& alia,an etiam illa quæ sunt inseparabilia sine subiecti corruptione,vt mors,actualis existentia,quæ accidunt homini,nigredo in coruo&albedo in cygno, &iis similia.Plura de hac re apud Complut.disp.9.de accidente quæst.1.Vallius de Accidente quæst.vnica, Conimbr. Ioan.à S. Thoma, Lerma,Rubius, Auersa, Masius, Arriaga,sect.5.Hurtado, Merinero,Francisc. Alphonsus,disp.9.Logicæ & alij permulti.

3 Censeo cum omnibus illis & ferè cum omni schola præcipuè patrocinante D. Thoma de spiritualibus creaturis art.vltim.ad 7.quæst.2.de anima art.12.ad 7. cum Caietano,Soto, Sanchez, & aliis omnia supra à nobis enumerata accidentia , ad hoc quintum prædicabile pertinere. Et probatur manifestè , quia ad hoc quintum prædicabile spectat illud accidens quod accidentaliter prædicatur , non quidem accidentaliter per se , sed accidentaliter contingenter , id est quod non habet mutuam connexionem naturalem cum subiecto,de quo prædicatur, albedo enim non habet mutuam connexionem,cum homo possit esse non albus , neque esse deauratum habet connexionem mutuam cum vase cum possit deauratum non esse,neque rationale habet mutuam connexionem cum animali, cum animal possit non esse rationale, ergo hæc omnia accidentia spectant ad hoc quintum prædicabile,cum omnia illa dicant contingentiam cum subiecto,quando de illo prædicantur.

4 Verùm primò obstare videtur secundæ definitioni, nam rationale quod est accidens metaphysicum respectu animalis non potest abesse à tali subiecto,scilicet animali sine animalis corruptione,nam cum rationale sit identificatum cum animali corrupto rationali necessarium est vt animal etiam corrumpatur , ergo accidens metaphysicum non est accidens huius quinti prædicabilis.Respondeo cum communi sententia quã illustrat Cardin.Bellarmin.3.lib.de amissione gratiæ, c.3. obiec.6. prædictam accidentis definitionem non esse intelligendam de separatione & abstractione accidentis physica & reali , sed tantum de separatione logica & intentionali, ita vt accidens sit illud quod etsi ratione nostra separetur à subiecto & præscindatur,tam en illæsa maneat essentia subiecti, vnde cum essentia animalis illæsa maneat, licèt ab illo per rationem accidens metaphysicum , scilicet *rationale* præscindatur & separetur , ideo tali accidenti metaphysico conuenit definitio accidentis quinti prædicabilis.

5 Sed contra , nam si prædicta definitio intelligitur de separatione intellectuali & intentionali sequitur illam conuenire quarto prædicabili quarto modo sumpto, nam risibili & rationali præciso , hominis essentia illæsa manet,ergo vel.4.predicabile coincidit cum quinto,vel hoc est intelligendum de reali separatione. Respondeo cum D. Thoma locis modo citatis Caiet. Soto, & Toledo , duplicem esse separationem ratione nostra accidentis à subiecto , aliam solum apprehensiuam pertinentem ad simplicè apprehensionem apprehendentem essentiam subiecti non apprehenso accidente,aliam judicatiuampertinentem ad secundam operationem intellectus iudicantem tale

accidens

accidens non conuenire subiecto, definitio ergo Porphyrij non debet intelligi de separatione rationis solum apprehensiua sed de separatione accidentis à subiecto iudicatiua ita vt accidens sit quod etsi iudicetur, accidens non conuenire subiecto adhuc illæsa manet essentia subiecti, licet enim iudicem non inesse homini albedinem seu hominem non esse album, illæsa manebit essentia hominis, & ideo album accidens est quinti prædicabilis, hoc autē modo non potest illæsa manere essentia hominis separato risibili à subiecto scilicet homine, quia si quis iudicet aliquod subiectum non esse risibile, saltem secundario & ex consequenti iudicaret non esse hominem atque ita destrueret ac læderet essentiam hominis, quia risibilitas est necessariò connexa cum essentia hominis atq; ideo illa definitio Porphyrij non conuenit proprio quarto modo sumpto.

6 Sed vrgeat quis adhuc contra prædictam Porphyrij definitionem, quia sunt aliqua accidentia communia quæ neque ratione nostra possunt abesse seu adesse subiecto sine subiecti corruptione vt sunt mortuum respectu hominis, conbustum respectu domus, quia neque homo sine sui, corruptione moritur, neq; domus absque sui corruptione comburitur & tamen neque mortuum oritur ex principiis essentialibus hominis neque combustum ex principiis essentialibus domus; ergo hæc accidentia cum non possint abesse & adesse sine subiecti corruptione non erunt communia neque ad hoc quintum prædicabile pertinebunt, similiter de nigredine corui, & albedine cygni, in argumētum induci potest. Respondeo ad primum, mortuum & combustum dupliciter accipi posse, primò, vt significat mortuum & combustum in fieri vel in facto esse: primo modo accepta sunt accidentia communia respectu hominis & domus, & accidentaliter prædicantur quia quando moritur homo & domus comburitur est verum dicere quod est homo, & quod est domus, vel quod sit possibilis homo & possibilis domus, & ita verificantur illa sine subiecti corruptione, si vero mortuum, & combustum concipiantur in facto esse, sic mortuum & combustum sunt prædicata repugnantia homini & domui, quia implicat esse hominem & esse mortuum in facto esse, & esse domum & esse combustam in facto esse. Ad secundum, Respondeo nigredinem esse separabilem à coruo abstractione negatiua non destruente eius essentiam quia etiam si coruus non esset niger saluaretur naturaliter & perfectè eins essentia, quia nec nigredo ad illius pertineret essentiam neque ex principiis essentialibus dimanat sicuti propria passio quæ conuertibiliter dicitur de subiecto.

7 Dices non bene explicari naturam accidentis quinti prædicabiiis per particulas diuisiuas, adesse vel abesse quia cum definitio sit ad declarandam essentiam rei non potest indeterminate per disiunctionem explicari. Deinde definitio non potest dari per opposita vt sunt adesse & abesse, conuenire & non cōuenire subiecto; ergo per hoc non potest accidens recte explicari, Respondeo quod licet definitio detur disiunctiue, vna tamen & determinata essentia accidentis prædicabilis per illam explicatur in differentia accidentis ad coniunctum. Ad confirmationem Respondeo quod licet definitio non possit dari per opposita copulatiue, bene tamen per opposita disiunctiue vt denotetur quod idem accidens habet potentiam vt successiue & diuersis temporibus possit adesse & abesse à subiecto. Alia argumenta vide apud Lermam & alios.

CAPVT II.

Respectu quorum inferiorum quintum prædicabile constituat vniuersale.

ACcidens quintum prædicabile & logicum sic definitur à Porphyrio: *Est quod de pluribus in quale per accidens prædicatur.* Quæ definitio perspicua manet ex dictis in aliis definitionibus vniuersalium & pro maiori illius & difficultatis intelligentia aduertendum est, accidens & posse comparari ad subiecta in quibus inhæret vt album ad hominem & parietem, & similiter ad inferiora propria v. g. album ad hoc & illud album, coloratum ad album & nigrum & quidem si accidens comparetur ad sua inferiora propria conueniunt omnes per ordinem & habitudinem ad illa non constituere quintum prædicabile sed primū, si fuerint inferiora specie differentia, vel secūdum si tantum fuerint inferiora numero differentia quia de propriis inferioribus nequit in quale contingenter prædicari quia est modus prædicandi huius quinti prædicabilis, sed in eo quod quid, qui est proprius modus quinti prædicabilis; ergo solum restat difficultas an constituat accidens quintum prædicabile per ordinem & relationem prædicabilitatis ad subiecta in quibus accidens potest inhærere. 8

Et ratio dubitandi desumitur ex eo quod ad rationem vniuersalis desideratur non solum nomen commune, sed etiam res per illud significata vt ex se patet sed quando accidens v. g. album de lapide & homine enunciatur non enunciatur de illis aliqua ratio communis significata per tale nomen; nequit ergo accidens respectu suorum subiectorum rationem vniuersalis accipere. Minor est Arist. in cathegoricis cap. 5. ibi, *eorum vero quæ in subiecto sunt*, nomen quidem de subiecto nihil prohibet prædicari, rationem vero impossibile est prædicari; ergo tale accidens non erit vniuersale: secundo quia vniuersale dicitur esse in multis, & prædicari de multis etiam si illa multa non sint actu existentia, sed solum in potentia vt patet de sole & luna, sed accidens non potest prædicari nisi de subiectis actu existentibus quia nullo homine existente in rerum natura, falsum est dicere homo est albus, Petrus est albus; ergo accidens per ordinem ad subiecta non est vniuersale neque prædicabile. 9

Communis tamen & vera sententia est accidens esse vniuersale & prædicabile, & hoc quintum prædicabile constituere per ordinem & relationem prædicabilitatis ad subiecta in quibus inhæret vel potest inhærere, ita communis schola cum Arist. D. Thoma, Conimbricenses hic q. 3. art. 3. Complutenses supra Petr. Hurtado sect. 3. Arriaga, Auersa, Vallius, Lerma, Masius, Carleton disp. 38. sect. 1. & 2. Arriaga, Sanchez, & alij citati supra disp. præcedenti c. 2. n. 19. Probatur manifeste, istę prædicationes, lapis est albus, paries est albus, Petrus est albus, & similes, sunt prædicationes vniuersales, quia non solum nomen albus sed etiam res per ipsum significata accidentaliter & denominatiue de illis omnibus prædicatur, quis hoc non videat? tum sic: hoc vniuersale non est genus, species aut differentia, quia ista non accidentaliter sed essentialiter in quid prædicantur de multis, neque etiam est proprium, quia licet hoc simpliciter accidentaliter prædicetur quia est extra essentiam, non tamen prædicatur omnino contingenter vt albedo de lapide & homine, sed vt necessario connexum cum subiecto; ergo accidens est vniuersale ab omnibus aliis distinctum: & confirmatur primo, quia accidens vt probatum est, in esse vniuersalis per hoc distinguitur à reliquis quod est 10

prædicabile

prædicabile de multis in quale contingenter, ſed ſolum de ſubiectis, in quibus accidens inhæret vel inhærere poteſt, hoc pacto poteſt prædicari, ergo ſolùm per ordiné ad illa poteſt conſtitui vniuerſale, quintum prędicabile, quia ſolum illis accidentaliter competit forma accidentalis vt actuans & qualificans, reſpectu enim propriorum inferiorum iam diximus non accidentaliter ſed eſſentialiter prædicari tale accidens. Confirmatur ſecundo, & eſt ratio à priori, quia eſſentia Vniuerſalis non eſt quod actu ſit vel prædicetur actu de pluribus, ſed licèt plura ſubiecta alba actu nõ exiſtant, ſi tamen poſſibilia ſunt, album ab illis præciſum eſt de illis prædicabile formaliter, nam illud album poteſt, & eſt aptum prædicari de illis ſubiectis ſi actu exiſtant, ſed quia poſſibilia ſunt poſſunt actu exiſtere, ergo etiam ſi plura ſubiecta alba actu non exiſtant, ſi tamen poſſibilia ſint, aptum ab illis præciſum erit verè vniuerſale & formaliter poterit de omnibus illis ſubiectis albis prædicatione quinti prædicabilis prædicari.

11 Dices, in prædicationibus contingentibus verbum eſt, non abſoluitur à tempore, ergo deſideratur exiſtentia ſubiectorum ad prædicationem, & verificationem illarum, quia reſpectu ſubiectorum non exiſtentium prædicatio redderetur impoſſibilis, cum ſit contingens, quæ ſaltem vt conditionem requirit exiſtentiam ſui ſubiecti, cui inhæret, vt in exercitio propoſitio contingens ſit vera, ergo vniuerſalitas quinti prædicabilis non reſpicit ſubiecta poſſibilia. Reſpondeo non exiſtentiam ſubiectorum non deſtruere vniuerſalitatem, quinti prædicabilis, quia hæc quantum eſt ex parte naturæ in aptitudine conſiſtit, quod vero illa multa de facto non dentur, non eſt impedimentum intrinſecum illius aptitudinis, ſed ſolum opponitur exercitio prædicationis, quia ex parte applicationis exiſtentia deſideratur vt conditio ex parte rei prædicabilis, & accidens in communi, remota hac exiſtentia ſubiectorum habet aptitudinem vt prædicetur de illis contingenter non prædicando ipſam poſſibilitatem ſed formam quæ contingenter poteſt conuenire illis ſubiectis albis, licèt exercitium talium prædicationum, eo quod ſit in materia omnino contingenti ſine exiſtentia ſubiectorum fieri non poſſit; quod tamen non tollit ſimpliciter vniuerſalitatem quinti prædicabilis, quamuis in hoc à cæteris prædicabilibus diſtinguatur,

12 Neque oppoſitum fundamentum aliquid probat, in illis enim prædicationibus, lapis eſt albus, &c. Solum nomen prædicatur, non ratio ſignificata per illud: aliàs tales prædicationes erunt falſæ, quia facerent hunc ſenſum, lapis eſt verè albus, & non iſtũ, lapis eſt habens albedinem, neque Ariſt. aliquid dicit aduerſum nos, ibi enim ſolum contendit concreta accidentalia non poſſe eſſentialiter prædicari de ſuis ſubiectis ſicut prædicantur ſecundæ ſubſtantiæ de primis, & ad rationem iam modo diximus qualiter exiſtentia ſubiectorum deſideretur ad exercitium prædicationum accidentalium licèt non officiat eius naturæ.

DISPVTATIO XVI.

Qualis ſit Vniuerſalis diuiſio in quinque Prædicabilium ſpecies.

EXplicatis Vniuerſali in communi, & eius ſpeciebus in particulari, videlicet quæ ſingulis prædicabilibus ſunt propria, progredimur ad explicanda, quæ eis ſunt communia, & qualiter inter ſe comparentur.

Tria capita continebit: in primo inquiro, an diuiſio vniuerſalis in vulgatas ſpecies ſit adæquata? In ſecundo, an hæc diuiſio ſit generis in ſpecies? In tertio, an prædicta diuiſio ſit in ſpecies infimas.

CAPVT I.

An diuiſio Vniuerſalis in vulgatas ſpecies ſit adæquata.

DIuiſionem aliquam eſſe adæquatam nihil aliud eſt quam quod mẽbra diuidentia adæquent diuiſum, id eſt quod nõ plura, vel pauciora membra diuidẽtia aſſignari poſſint, quã ea quæ aſſignata ſunt; vnde cum modo quærimus, an diuiſio vniuerſalis in has vulgatas ſpecies, nempe genus, peciem, differentiam, proprium, & accidens ſit diuiſio adæquata, idem eſt, ac inquirere an plures, pauciores vẽ ſint prædicabilium ſpecies, quam hæ quinque, quæ vulgaliter aſſignantur, & ad præſentem difficultatem enucleandam recolenda eſt definitio vniuerſalis à nobis tradita ſupra diſp. 5. cap. 1. n. 2. ſcilicet. Quod ſit vnum in multis, non quomodocumque, ſed cum conditionibus ibidem aſſignatis; nam ſi vniuerſale ſumeretur pro quolibet ſuperiori, plura certè quam quinque eſſent ſpecies vniuerſalis, cum verò Porphyrius principaliter attendat ad modum, quo comparantur ad inferiora, & ipſa inferiora ad ſuperiora, & iſti modi communiter ab ipſo aſſignentur, quinque ideo ſpecies vniuerſalis in communi ſunt quinque vulgatæ ſpecies, ad quas reducentur ſi forſan dentur aliqui modi regulares prædicandi ſuperiora de inferioribus vt videre eſt in ente, ſubſtantia, & aliis, vt ex ſolutione argumentorum conſtabit. 1

Sit vnica Aſſertio, non dantur plures nec pauciores prædicabilium ſpecies, quam illæ quinque vulgatæ, atque ita diuiſio vniuerſalis in illas eſt adæquata. Eſt communis Dialecticorum quam ex Porphyrio omnes didicerunt. D. Thomas, primo contra gentes, capite 32. Complutenſes diſput. 4. vniuerſalium quæſtio. 6. Merinero, diſput. 4. vniuerſalium quæſtio. 3. Lerma, libro 4. de prædicabilibus quæſtio prima, Auerſa, quæſtio 8. vniuerſalium ſectione 16. Franciſcus Alphonſus, diſput. 10. vniuerſalium ſectione prima. P. Hurtado diſput. 7. Logicæ ſectione prima & ſecunda. Arriaga, diſput. 9 vniuerſalium ſectione prima, Carleton diſput. 38. ſectione 2. & omnes tam Antiqui quam Moderni. Probatur communi calculo Dialecticorum; & ratio eſt: quia quodlibet prædicabile, vel prædicatur eſſentialiter, vel accidentaliter, ſi eſſentialiter, vel prædicatur vt ratio completa, & eſt ſpecies, vel prædicatur, vt ratio incompleta per modum partis materialis, ſeu materiæ ſubſiſtentis, & eſt genus, vel prædicatur, vt ratio incompleta per modum formæ adiacentis, & eſt differentiam, ſi accidentaliter vel prædicatur, vt aliquod mutuo connexum cum ſubiecto, & eſt proprium, vel prædicatur vt aliquod nullo modo connexum cum ſubiecto, & eſt accidens commune, nulluſque alius reſtat prædicandi modus, ergo quinque tantum modi, ac ſpecies prædicabilium reſultant, ſcilicet ſpecies genus, differentia, proprium, & acccidens, non plures, pauciores ve; igitur diuiſio vniuerſalis in has quinque prædicabilium ſpecies eſt adæquata. 2

Obiiciat aliquis primò, hæc prædicatio hoc animal eſt animal ad aliquod prædicabile ſpectat, cum ſit directa, & formalis, ſed non pertinet ad proprium, nec ad accidens, quia eſt prædicatio eſſentialis, nec ſpectat ad genus, quiaeſt prędicatio immediata de indiuiduo, nec ad ſpeciem, quia prædicatũ non eſt ratio 3

completa,

completa, sed incompleta, nec ad differentiam quia non prædicatur per modum formæ adiacentis sed per modum per se stantis; ergo spectat ad aliud sextum prædicabile, quod ab illis quinque distinguatur: idem argumentum potest fieri de iis prædicationibus hoc rationale est rationale, hoc risibile est risibile, & aliis similibus: secũdo hæc prædicatio, homo est materialis non pertinet ad aliquod prædicabile ex quinque vulgatis; ergo ad aliud sextum; antecedens probatur: quia si ad aliud pertineret maximè ad differentiam; sed non pertinet ad illam; esse enim materiale non est differentia hominis, cum in eo conueniat cum aliis: ergo non pertinet ad aliquod prædicabile ex quinque vulgatis; Tertiò hæc prædicatio Petrus est humanus non spectat ad aliquod ex quinque prædicabilibus quia si ad aliquod spectaret maximè vel ad prædicabile differentiæ, ad hoc autem non attinet, cum esse humanum non prædicetur vt ratio in completa sed vt ratio completa Petri: vel ad prædicabile speciei; ad hoc vero etiam non attinet, quia prædicatur per modum formæ adiacentis, ergo spectat ad aliud nouum, ac distinctum prædicabile, quod constituit. Quartò ratio transcendens, v. g. ratio entis prædicatur essentialiter de pluribus & tamen ad nullum ex iis prædicabilibus pertinet, nam si ad aliquod spectaret, maximè ad genus ad genus autem non spectat vt ostendi supra disp. 10. c. 3. n.... ergo aliud est diuersum prædicabile ad quod pertinet. Quinto hæc prædicatio Petrus est indiuiduum, vel Petrus vt Petrus est indiuiduum ad aliquod attinet prædicabile, sed non attinet ad aliquod ex quinque vt per se constat; ergo ad aliud nouum prædicabile.

4 Hæc ita diluenda sunt: ad primum Respondeo illas prædicationes pertinere vel reduci ad prædicabile speciei, quia animal siue rationale immediatè prædicatur de indiuiduo incõpleto, scilicet, de hoc num. animali præciso à rationali vel de hoc num. rationali præciso ab animali, vt ratio adæquata illius vt diximus supra, disp. 12. n. 19. & 20. Ad secundum Respondeo illam prædicationem spectare ad tertium prædicabile de differentia, quia esse materiale & corporeum est differentia hominis quatenus substantia completa est per quam formaliter diuiditur, & differt ab omni alia substantia completa immateriali, & incorporea. Ad tertium Respondeo, illam prædicationem (licet non ita strictè) reduci ad prædicabile de differentia, quia licet esse humanum sit ratio adæquata hominis reipsa; tamen ex modo enuntiandi, ita prædicatur ac si tantum esset forma & ratio essentialis inadæquata illius. Ad quartum Respondeo, Porphyrium in hac diuisione prædicabilium solum egisse de prædicabilibus, quæ intrant prædicamenta, ac ipsis prædicamentis deseruiunt; at verò ratio transcendens, v.g. ratio entis in communi sententia non ingreditur prædicamenta, nec ipsis prædicamentis deseruit, ac proinde ratio transcendés licet prædicabilis sit, ad istam non attinet diuisionem. Ad quintum Respondeo primam illam prædicationem scilicet Petrus est indiuiduũ pertinere ad quartum prædicabile de proprio, vt probaui supra disp. 12. c. 2. n. 13. illam vero secundam prædicationem scilicet Petrus vt Petrus est indiuiduum si res benè inspiciatur similem esse istis, hoc risibile est risibile, hoc album est album, hoc indiuiduum est indiuiduum, atque ita prædicationem talem pertinere vel reduci ad 2. prædicabile de specie, iuxta dicta supra disp. 12. c. 1. n. 3.

5 Sed quærat quis, hic homo est persona ad quodnam prædicabile pertineat, Pater Suarez disput. 6. Meth. sect. 8. n. 14. & alij recentiores opinantur prædicationem istam esse accidentalem & ad quartum prædicabile de proprio pertinere vel reduci: ego tamen censeo talem prædicationem esse essentialem, & ita non pertinere ad Proprium quod sic ostendo; homini, quatenus homo est formaliter, conuenit essentialiter esse personam; ergo hæc prædicatio, homo est persona, est prædicatio essentialis. Consequentia est euidens, antecedens probo, concretum vt sic formaliter includit essentialiter tam materiale quam formale, vt hoc concretum album includit essentialiter subiectum & albedinem, sed homo est quoddam concretum includens pro formali humanitatem & pro materiali personam; ergo homini quatenus homo est formaliter conuenit essentialiter esse personam, prædicatio autem prædicta, licet essentialis sit, non attinet ad hanc diuisionem prædicabilium, de quibus hic agit Porphyrius, quia talis prædicatio est indirecta & materialis, Porphyrius vero in præsenti solum agit de prædicationibus formalibus & directis quæ prædicamentis inseruiunt. Aliæ obiectiones videri possunt apud Lerman, Complutenses & Franciscum Alphonsum, quæ eamdem aut similem habent solutionem.

CAPVT II.

An hæc diuisio sit generis in species.

SEnsus quæstionis est, an vniuersale vt sic sit verè & proprie genus ad hæc quinque prædicabilia assignata, nam si sit verè genus, talis diuisio erit generis in species, secus si genus non sit. In hac controuersia prima sententia est vniuersale non esse genus ad quinque prædicabilia, hanc sententiam tenent graues auctores, Boetius, Albertus Magnus, Simplicius, & plures qui citantur à Masio, Complutensibus & Conimbricensibus in præfationem Porphyrij, qu. 8 art. 2. quos iidem Conimbricenses quoad vniuersale absolutum sequuntur, & Fonseca, 5. Metaph. c. 28. qu. 12. sect. 2. eam probabilem reputat Toletus hic de subiecto huius lib. Porphyrij q. 2. Secunda sententia est: vniuersale esse genus ad quinque prædicabilia, ita sensit Scotus hîc qu. 8. D. Thomas 1. contra gent. c. 32. & opusc. 56. Lerma, suprà qu. 2. Complutenses disp. 4. vniuersalium quæst. vltima, Auersa, qu. 8. vniuersalium sect. 16. in fine, P. Hurtado, Arriaga, Franciscus Alphonsus sect. 2. Ioan. à S. Thoma, qu. 6. art. 2. & est communissima inter antiquos & modernos. 6

Præmitto pro dubij decisione dupliciter posse comparari vniuersale in cõmuni ad quinque prędicabilia in particulari; primo modo, ita vt comparetur vniuersale in communi, in omni sua latitudine ad omnia prędicabilia tam quæ sunt entia realia, quam quæ sunt entia rationis; secundo modo ita vt solum vniuersale reale comparetur ad sola prædicabilia quæ sunt entia realia siue sint substantia vel accidens non vero ad ea quæ sunt entia rationis. 7

Sit prima conclusio: vniuersale vt sic non est verè & propriè genus ad quinque prædicabilia entis realis, & entis rationis, ac proinde talis diuisio vniuersalis in prædicabilia ista non est diuisio generis in species. Eam tenent authores primæ sententiæ. Probatur ratione manifesta, genus est ratio vniuoca vt omnes fatentur, sed vniuersale vt sic non est ratio vniuoca ad quinque prædicabilia entis realis & entis rationis; ergo vniuersale vt sic non est genus. Minor probatur, vt aliqua concreta conueniant inter se, ita vt illis ratio communis vniuoca detur, deberent conuenire vniuoce in materiali, & formali, quia debent vniuoce conuenire in essentia & natura concreti, essentia autem & natura concreti includit materiale, & formale, sed quodlibet prædicabile est concretum quoddam includens

pro

pro formali prædicabilitatem & vniuerſalitatem, pro materiali vero ipſam entitatem ac naturam; ergo vt quinque prædicabilia ita conueniant inter ſe vt illis detur ratio communis vniuoca, debent vniuoce conuenire tum in prædicabilitate tum in ipſa entitate & natura; atqui prædicabilia entis realis, & entis rationis non poſſunt vniuoce conuenire in ipſa entitate, & natura, quia ens rationale & ens rationis non poſſunt vniuoce conuenire in ratione entitatis vt omnes fatentur; ergo prædicabilia entis realis & rationis non ita conueniunt vt eis detur aliqua ratio communis vniuoca; ergo vniuerſale vt ſic non eſt ratio communis vniuoca ad quinque prædicabilia entis realis & rationis ac proinde non eſt genus ad illa; hoc eſt in ſimili caſu fuſius probatum & explicatum ſupra diſp. 10. c. 2.

9 Obiiciat aliquis, vt duobus concretis detur ratio communis vniuoca ſufficit, quod ipſa concreta vniuoce conueniant in formali, licet non conueniant vniuoce ſed analogice in materiali, Petrus enim & Chriſtus conueniunt vniuoce in ratione hominis qui eſt quoddam concretum cum ſolum conueniant vniuoce in formali ſcilicet in humana natura non vero in materiali ſcilicet in perſonalitate, quia perſonalitas Petri eſt creata, Chriſti vero perſonalitas eſt increata, & diuina; atqui omnia prædicabilia entis realis rationis conueniunt vniuoce in formali, ſcilicet in prædicabilitate de pluribus vt conſtat; ergo licet non conueniant vniuoce in materiali, ratio vniuerſalitatis ſeu prædicabilitatis vt ſic erit illis communis & vniuoca; Reſpondeo duo concreta non poſſe vniuoce conuenire niſi conueniant in materiali, & formali, quia vniuoca ſunt quorum nomen eſt commune & ratio ſubſtantiæ id eſt natura & eſſentia ſi ſint eſſentialiter vniuoca, qualia ſunt duo concreta in ratione concreti eſt ratio eadem, natura autem & eſſentia concretorum non eſſet omnino eadem niſi conuenirent & eſſent idem in formali, & materiali, cum vtrumque eorum naturam eſſentialiter conſtituat, atque ita concreta non poſſunt eſſe vniuoca, nec conuenire vniuoce in ratione concreti niſi conueniant in ratione materiali & formali, ex quo fit Petrum & Chriſtum Dominum conuenire vniuoce in ratione hominis non præcisè quia conueniant vniuoce in natura humana, quod eſt formale, ſed quia etiam conueniãt vniuoce in perſonalitate quod eſt materiale, licet enim vna perſonalitas ſit creata & alia increata, & diuina, adhuc vniuoce conueniunt in ratione perſonalitatis vt ſequenti tractatu demonſtrabo, quo tota huius obiectionis vis corruit.

10 Sit ſecunda concluſio, vniuerſale in communi ſumptum ad prædicta quinque prædicabilia præcisè eſt verè, & propriè genus, atque ita diuiſio vniuerſalis ſic ſumpti in illa quinque prædicabilia ſic accepta eſt diuiſio generis in ſpecies, ita auctores ſecundæ ſententiæ; & probatur ex verbis D. Thomæ primo cõtra gentes c. 33. vbi dicit; quod omne quod vniuoce prædicatur, aut eſt genus, vel ſpecies, vel differentia, vel proprium, vel accidens; ergo omnia illa quinque prædicabilia fundant vniuocam prædicationem; ergo eamdem, cum omnia æqualiter conueniant in ratione vniuerſalitatis, & ratione probatur, genus eſt vniuocum aptum prædicari de pluribus ſpeciebus eſſentialiter & *in quid*, atqui vniuerſale reſpectu quinque prædicabilium eſt vnum vniuocum aptum prædicari eſſentialiter de pluribus ſpeciebus; ergo vniuerſale eſt verè genus ad quinque prædicabilia. Cõſequentia eſt euidens. Maior certa. Minor Syllogiſmi eſt probanda, & primum, vniuerſale ſeu prædicabile vt ſic eſſe vnũ patet, quia eſt ratione præciſum ab omni prædicabilium diuerſitate. Deinde vt ſic eſſe vniuocum ex eo liquet, quod ratio vniuerſalis non eſt tranſcendens differentias omnium prædicabilium, vt dicam ad obiectionem ſecundam; nec improprie ſed propriiſſimè ab omnib. prædicabilibus participatur, ex quibus ſolum capitibus poterat illi analogia conuenire, & vniuocatio deſtrui vt ſequenti tractatu explicabo, igitur vniuerſale vt ſic ad iſta prædicabilia eſt ratio vniuoca. Denique eſſe etiam aptum prædicari eſſentialiter de pluribus ſpeciebus conſtat, quia ratio præciſa à pluribus ſpeciebus in quibus ineſt eſſentialiter eſt apta prædicari eſſentialiter de pluribus ſpeciebus; ſed vniuerſale vt ſic eſt ratio præciſa ab iis quinque prædicabilium ſpeciebus in quibus ineſt eſſentialiter, cum quodlibet prædicabile ex iis eſſentialiter ſit vniuerſale, ergo vniuerſale vt ſic eſt etiam aptum prædicari de pluribus ſpeciebus eſſentialiter.

Obiiciat autem quis primo, prædicabilia entis realis non conueniunt in materiali & formali, quia alia ſunt pro materiali ſubſtantia, & alia accidens: ſubſtantia vero & accidens non vniuoce, ſed ſolum analogice conueniunt, ergo non datur ratio formalis vniuoca communis prædicabilibus entis realis, ſubſtantiæ ſcilicet & accidentis, ſicuti non datur ratio vniuoca prædicabilibus entis realis, & entis rationis. Reſpondeo rationem entis vt præciſam & ſolum in ordine ad conceptum communem præſcindentem bene poſſe eſſe vniuocam ſubſtantiæ & accidenti in ſententia probabili vt dicemus tractatu ſequenti, & in hoc ſenſu etiam vniuerſale vt ſic erit ratio vniuoca prædicabilibus ſubſtantiæ, & prædicabilibus accidentis; quando vero in alia acceptione & ſenſu, ratio entis eſt analoga ad ſubſtantiam & accidens, etiam in eodem ſenſu vniuerſale vt ſic non erit ratio vniuoca, ac proinde nec genus ad prædicabilia ſubſtantiæ & accidentis, in qua autem acceptione ratio entis ſit analoga ad ſubſtantiam & accidens, dicam in loco citato. 11

Obiiciat ſecundo, ratio tranſcendens differentias inferiores non eſt genus vt oſtendi ſupra diſp. 10. c. 3. n. 27. ſed vniuerſale vt ſic eſt tranſcendens differentias omnium inferiorum prædicabilium, nam quælibet differentia illorum eſt prædicabilis, & vniuerſalis pertinens ad prædicabile tertium de differentia; ergo vniuerſale vt ſic non eſt genus ad quinque prædicabilia. Reſpondeo differentiam eſſentialem cuiuſlibet prædicabilis v. g. differentiam ſpeciei quæ ipſam ſpeciem conſtituit in ratione talis prædicabilis diuerſi ab aliis vt ſic formaliter eſſe differentiam conſtitutiuam, non vero prædicabilem ac vniuerſalem, quia licet eademmet differentia ſit conſtitutiua ſpeciei & prædicabilis ce indiuiduis, tamen vt conſtitutiua formaliter non eſt prædicabilis formaliter vt oſtendi ſuprà diſp. 14. cap. 1. num. 1. ac proinde differentia cuiuſcumque prædicabilis in particulari, per quam ipſum in propria ſpecie prædicabilis conſtituitur, vt ſic formaliter conſtitutiua illius, non eſt prædicabilis, ac vniuerſalis; & idcirco vniuerſale ac prædicabile vt ſic non eſt ratio tranſcendens differentias conſtitutiuas ſuorum prædicabilium quare nihil impedit quominus ſit ratio generica. 12

Obiicies tertio, ratio quę inęqualiter participatur à ſuis inferioribus non eſt vniuoca, ſed analoga, ideo enim ratio entis eſt analoga Deo & creaturæ, quia inæqualiter ab illis participatur: nam à Deo participatur prius, & independenter à creatura, à creatura vero poſterius, & dependenter à Deo. Sed ratio vniuerſalis in communi inæqualiter participatur à prædicabilibus ſubſtantiæ, & accidentis: nam ſubſtantia participat rationem prædicabilis ac vniuerſalis prius, & independenter ab accidenti; accidens vero illam participat poſterius, & dependenter à ſubſtantia cui ineſt: ergo ratio vniuerſalis vt ſic in ordine ad prædicabilia ſubſtãtiæ & accidentis non eſt vniuoca ſed analoga; 13

loga ; Respondeo negando assumptum etenim ratio quæ inæqualiter ab inferioribus participatur, v.g. ratio entis respectu Dei, & creaturæ si ab illis præcisa sit, & ex alio capite non impeditur, erit non analoga sed vniuoca, nec prædicta inæqualitas inferiorum valet in ratione præcisa veram analogiam inducere, vt sequenti tract. ostendam: atque ita licet ratio vniuersalis inæqualiter participaretur ab inferioribus esset vniuoca, & verum genus ad illa.

14 Obiiciat quarto, eadem res non potest esse simul superior, & inferior rei eiusdem : sed si vniuersale vt sic esset ratio cómunis ac genus ad quinq; prædicabilia, eadem res scilicet vniuersale, vt sic respectu eiusdem scilicet respectu primi prędicabilis generis esset simul superius & inferius: ergo vniuersale vt sic nõ est ratio communis, ac genus ad quinque prædicabilia. Probatur minor, in primis, vniuersale vt sic contineret sub se (tanquam ratio communis continet omnia inferiora) omnia prædicabilia in particulari, ac proinde etiam contineret primum prædicabile, scilicet genus : ergo vniuersale vt sic esset superius respectu prædicabilis nempe generis. Deinde vniuersale vt sic, per te etiam est quoddam genus respectu quinq, prædicabilium, ergo continetur sub genere vt sic quod est primum prædicabile, sub quo omnia genera tanquam eius inferiora continentur : ergo etiam vniuersale, vt sic esset inferius respectu primi prædicabilis nempe generis; igitur esset superius, & inferius simul respectu eiusdem ; Respondeo idem sub eadem ratione non posse esse superius & inferius respectu eiusdẽ; posse tamen sub diuersis rationibus, ita vt vna res sit superior alia sub vna ratione, & sub alia ratione eademmet inferior sit; homo enim sub ratione viuentis est superior, ac perfectior cœlo, & sub ratione corruptibilis est inferior, ac imperfectior illo ; vniuersale ergo in communi sub vna ratione est superius respectu generis vt sic, & sub alia ratione inferius contentum sub illo; quod vt melius intelligatur aduerto vniuersale in communi aliquid includere essentialiter, & aliquid includere accidentaliter, essentialiter quidem includit esse prædicabile de pluribus quia vniuersale in quolibet prædicabili habet esse aptum prædicari de pluribus independenter à cognitione reflexa, qua accidentaliter à suis prædicabilibus abstrahitur ; accidentaliter vero habet esse prædicabile de pluribus prædicabilium speciebus quod aduenit vniuersali per reflexam cognitionem, seu secundam intentionem illi accidentalem, qua ab omnibus prædicabilibus in particulari præscinditur : igitur vniuersale secundum id quod includit essentialiter scilicet quatenus est prædicabile de pluribus est quid commune, & superius ad quinque prædicabilia ; ac proinde est superius ad genus, & sub hac ratione non est inferius respectu illius, quia vt sic non continetur sub illo ; idem vero vniuersale vt sic secundum id quod includit accidentaliter scilicet quatenus est quid prædicabile de pluribus specie diuersis est inferius genere vt sic, quia est quoddam genus contẽtum sub illo, & sub hac ratione vniuersale non est commune superius ad quinque prædicabilia, ac per consequens nec ad ipsum genus, quia esse prædicabile de pluribus specie diuersis non conuenit omnibus prædicabilibus ; ratio autem communis superior debet omnibus superioribus conuenire; atque ita vniuersale vt sic sub vna ratione est superius genere, & sub alia ratione est inferius illo, quod non repugnat; nec ex eo quod vniuersale sit genus ad quinque prædicabilia sequitur quod omnia prædicabilia respectu illius sint species essentialiter; sed solum accidentaliter, v.g. quamuis homo, & equus essentialiter sub animali contineantur, tamen accidentaliter denominantur species, ita vt istæ sint accidentales, homo est species, equus est species, & idem pariformiter dicitur de prædicabilibus respectu vniuersalis vt sic, & in communi.

CAPVT III.

An prædicta diuisio sit in species infimas.

SVppono quinque prædicabilia superius enumerata esse omnia inter se specie diuersa. Ratio est quia prædicabilia illa sunt specie diuersa quæ habent diuersum modum prædicandi, sed omnia, ac singula prædicabilia inter se habent diuersum modum prædicandi : vt constat ex supra dictis : ergo omnia ac singula prædicabilia inter se sunt specie diuersa. Quæritur tamen an differant specie infima, an subalternæ quod est inquirere an vulgatæ prædicabilium species sint infimæ, an subalternæ ? 15

Sit conclusio : præfata prædicabilia sunt tantùm species infimæ vniuersalis vt sic; ac proinde prædicta diuisio est generis in species infimas. Ita communis Schola, vt necesse non sit aliquos recensere. Probatur, species infima est quæ non habet alias species sub se, sed nullum prædicabile ex quinque vulgatis habet alias species prædicabilium sub se, omnia enim genera conueniunt specie in ratione generis quia omnia eodem modo prædicantur, licet suprema genera magis extendantur quam infimum, & differentia subalterna magis extendatur quam differentia vltima : tamen eundem habent modum prædicandi tam genus supremum, quam infimum, & differentia subalterna, quam infima, & omnes species conueniunt in ratione speciei prædicabilis, quia eodem modo prædicantur: similiter omnes differentiæ, omnia propria, & omnia accidentia ; ergo prædicta omnia vulgata prædicabilia sunt tantum species infimæ vniuersalis vt sic. 16

Obiiciat quispiam primo: genus, & species diuersa sunt species, quia genus prædicatur de specie diuersis, species vero de differentibus solo modo; sed genus supremum prædicatur de differentibus genere ; genus vero infimum de differentibus sola specie, quę est longe maior diuersitas ; ergo genus supremum, & genus infimum etiam diuersa sunt in specie : ergo genus vt sic continet sub se diuersas species generum, ac per consequens non erit eiuisio generis in species infimas. Secundo; species v. g. vt sic formaliter includit tanquam rationem formalem cognitionem precisiuam naturę à suis indiuiduis, sed species hominis, & species equi includunt diuersas specie cognitiones precisiuas: nempe cognitionem hominis, & equi, quę specie differunt: ergo species hominis, & species equi formaliter in ratione speciei specie differunt : ergo species vt sic est species subalterna, & non infima. Tertio, differentia subalterna prædicatur de inferioribus vt ratib & forma non vltimo complens ipsa inferiora in suo esse essentiali, & specifico; ergo differentia subalterna & differentia infima diuersum modum habent prædicandi, ergo sunt species diuersæ: ergo differentia prædicabilis vt sic non est species infima: ergo nec prædicta diuisio generalis erit in species infimas; sed in subalternas. 17

Hæc ferè omnia diluta sunt iam supra : ad primum Respondi supra disput. 10. cap. 1. num. 5. & 6. Ad secundũ Resp. illas cognitiones præcisiuas equi, & leonis physice esse species diuersas ; non vero logice, quia Logica de illa diuersitate obiectiua non curat, atque ita speciem hominis, & speciem equi logicè in ratione speciei prædicabilis specificè non differre, vt explicui supra disput. 7. cap. 6. num. 47. Ad tertium Respondeo differentiam infimam, & subalternam, siue sit forma vltimo complens rem in suo esse specifico 18

fico, qualis est differentia infima, siue sit forma non complens vltimo rem in suo esse specifico qualis est differentia subalterna, semper prædicari vt formam, & rationem incompletã suorum inferiorum *in quale quid*, quod est formalis essentia, & ratio differentiæ prædicabilis: atque ideò semper eodem modo per se prædicari, & alia diuersitas est per accidens, seu secũdum maiorem extensionem ad rationem talis differentiæ sicuti illi per accidens est quod de diuersis specie vel de solo numero differentibus prædicetur, vt diximus supra disp. 14. cap. 1. num. 6. ex quo fit differentiam infimam, & subalternam non esse diuersæ speciei; ac proinde differentiam prædicabilem esse tantum speciem infimam vniuersalis vt sic, & in communi.

19 Hic etiam quæri potest, an prædicta diuisio vniuersalis in quinque prædicabilium species, supra enumeratas sit diuisio immediata; an solum mediata. Respondeo esse solum diuisionem mediatam, quia vniuersale vt sic prius diuiditur in prædicabile essentialiter & in prædicabile accidentaliter. Postea prædicabile essentialiter diuiditur in id quod est prædicabile essentialiter vt ratio incompleta subsistens, quod est genus, & in id quod est essentialiter prædicabile vt ratio adæquata, & completa, qualis est species, & in id quod est prædicabile essentialiter vt ratio incompleta adiacẽs alteri, quod est differentia: similiter prædicabile accidentaliter diuiditur, in id quod est prædicabile accidentaliter per se, quod est proprium, & in id quod est proprium prædicabile accidentaliter omnino per accidens quod est accidens, ergo mediatè solum, & non immediatè diuiditur vniuersale vt sic in has quinque vulgatas prædicabilium species; scilicet genus, speciem, differentiam, proprium, & accidens; ac per consequens talis vniuersalis diuisio erit mediata.

Dices, tria priora prædicabilia prædicantur essentialiter, duo posteriora accidentaliter, ergo non conueniunt æqualiter in ratione prædicandi, & consequenter vniuersale non potest esse genus respectu horum omnium, cum genus æqualiter debeat omnibus conuenire, maximè cùm sit vniuocum; Consequẽtia probatur, quia essentia, & accidẽs non conueniunt æqualiter in vna ratione; ergo neque prædicari essentialiter, & accidentaliter possunt conuenire æqualiter in ratione prædicandi. Respondeo, prædicationem illam per quam aliquid affirmatur accidentaliter prædicari de inferioribus tã verè & propriè esse prædicationem, quam prędicationem illãm per quam affirmatur aliquid essentialiter prædicari de suis inferioribus & ita æqualiter conuenire in ratione prædicandi de pluribus, sicut æqualiter conueniunt in aptitudine ad essendum in pluribus essentialiter quam ad essendum in pluribus accidentaliter, & per differentias habere quod tria priora prædicentur essentialiter, & duo posteriora accidentaliter, vt sæpè dictũ est, & hæc de tertio Tractatu de Vniuersalibus in cõmuni, & prædicabilibus in particulari dicta sint satis.

TRACTATVS QVARTVS,

De Vniuocis, Æquiuocis, Denominatiuis, & Analogis.

ARistoteles in cathegoriarum libris, cap. 1. agit de æquiuocis, vniuocis, & denominatiuis, tanquam de quibusdam præuiis, ad prædicamẽta, & ideò solent illa communiter anteprædicamenta vocari, inter vniuoca verò & æquiuoca mediam viam petunt analoga, quapropter etiam de illis in præsenti disceptatur, quæ forsitan hic Philosophus sub æquiuocorum nomine comprehendit, expressius tamen de iis disserit secundo Post. cap. 16. & 17. Philosophus cap. 4. text. 31, & 4. metaph. cap. 2. hæc autem omnia, atque doctrinam Philosophi nostris disputationibus explicabimus.

DISPVTATIO XVII.

Vniuoca, æquiuoca, denominatiua, & analoga explicantur.

TRia capita continebit. In primo, agitur de vniuocis, æquiuocis, ac denominatiuis. In secundo de analogis, & eorum diuisionibus. In tertio, an ab omnibus analogatis possit abstrahi vnus conceptus communis.

CAPVT I.

De Vniuocis, æquiuocis, ac denominatiuis.

1 VNiuoca sunt, quorum nomen est commune, & ratio substantiæ significata per nomen est omnino eadem, includunt ergo essentialiter vniuoca aliquid pro materiali, & aliquid pro formali, pro materiali quidem plura eiusdem nominis, quæ vniuoca dicuntur, pro formali vero includunt rationem aliquam, quæ vno nomine significetur, & vt sic significata sit vna, & omnino eadem, saltem per rationem in omnibus illis, quæ ratio vniuoca appellatur, v. g. animal dicit pro materiali plura animalia, pro formali vero dicit rationem animalis, quæ vno nomine significatur, & est in omnibus animalibus vna, & eadem per rationem, & ideo animal vniuocum est.

Sed obseruare oportet illa definitionis verba, *& ratio substantiæ* si strictè accipiantur, significare naturam aliquam essentialem vniuocatis, quo pacto solum sub prædicta definitione cõprehenduntur vniuoca essentialia, vt animal ratione hominis, & equi, & homo ratione Ioannis, & Pauli; excluduntur autem à ratione vniuocorũ omnes rationes accidentales, vt eas excluserit Philosophus in prædicamentis cap. de substantia & Topic. c. 2. docens, prædicationem accidentalẽ, & substantialem non esse vniuocã, sed nimis strictè, & per se de vniuocatione loquutus est, si tamen non ita strictè, sed latè quantũuis propriè præfata definitionis verba sumantur, significare rationem aliquam formalem, ac principalem in qua vniuocata conueniunt, quo pacto sub illa definitione comprehenduntur tam vniuoca essentialia, vt homo ratione Petri, & Pauli, & animal ratione hominis, & equi, quam vniuoca accidentalia, vt album ratione hominis, & Cigni, sicut enim Petrus, & Paulus in ratione hominis essentialiter conueniunt vniuoce, ita homo & cignus in ratione albi essentialiter vniuoce conueniunt. 3

Æquiuoca sunt, quorum nomen est commune, &

ratio significata per nomen est omnino diuersa, hoc est, æquiuoca includunt pro materiali plura diuersæ rationis, pro formali vero includunt rationem, seu naturam, quæ vno nomine, ac voce significatur, & vt sic significata est multiplex, & diuersa in illis, v.g. Gallus significat hominem Francum, & auem non quatenus in ratione animalis conueniunt, sed quatenus diuersas rationes induit hominis Franci, & auis, & ideo ista, aut vno illo nomine significata æquiuoca dicuntur, nomina, seu vocabula plura significantia æquiuoce, æquiuoca dicuntur, res vero diuersæ æquiuoce significatæ, æquiuoca appellantur; æquiuoca directe, & formaliter vniuocis opponuntur.

4 Sed aduersus definitionem æquiuocorum obiicies iuxta Aristotelem 6. Topic.c. 2. & 5. æquiuoca prius esse diuidenda, quam definienda; ergo æquiuoca vt sic formaliter definiri non possunt; incongruè ergo æquiuoca à nobis definiuntur. Respondeo æquiuoca non posse definiri primo intentionaliter, hoc est, secundum esse reale, quod habent à parte rei, in quo sunt omnino diuersa, intellectus enim noster diuersa formaliter vt diuersa non potest vna cognitione, & definitione complecti, & hoc sentit Aristot. citato loco, æquiuoca vero definiri posse secundo intentionaliter, id est quatenus æquiuoca sunt formaliter, & hæc æquiuoca cum illis aliis æquiuocis in ratione æquiuocorum vniuoce conueniunt, quo pacto ab Aristot. in præsenti definita sunt.

5 Solent æquiuoca diuidi in æquiuoca à casu, & æquiuoca à consilio, æquiuoca à casu sunt, quando idem nomen ad res diuersas significandas impositum est temere, & sine subordinatione vnius ad aliam, vt gallus, quod nomen impositum est ad significandum hominem francum, & auem, absque vlla habitudine & ordine vnius ad aliud, & ideo est æquiuocum à casu: æquiuoca à consilio sunt, quando idem nomen impositum est ad res diuersas significandas ex industria, & ob aliquam similitudinem vnius cum alia, vt hoc nomen homo, quod impositum est ad significandum hominem verum, & hominem pictum, quia licet diuersa sint inter se, habent tamen similitudinem aliquam in exteriori figura, & ob id tale nomen ex industria, & consilio ad hominem etiam pictum significandum impositum est, & idcirco est æquiuocum à consilio; hæc tamen æquiuoca cum analogis conuertuntur, vt ex infra dicendis constabit.

6 Verum aliquis inquirat, an dari possit æquiuocatio in mente, hoc est, an esse possit in intellectu aliquis actus, qui plura æquiuoce repræsentet, sicut datur vox, quæ plura æquiuoce significet; censeo quidem æquiuocationem non posse dari in intellectu nostro, posse vero dari in intellectu Angelico, ratio est, quia conceptus æquiuocus, qui plura æquiuocè repræsentet, erit formaliter ille, qui repræsentet plura diuersa formaliter, vt diuersa, etenim iste conceptus non erit vniuocus, nec analogus, atq; ita erit necessario æquiuocus, sed in intellectu nostro pro hac vita non potest dari actus cognitionis, qui plura diuersa, vt diuersa formaliter repræsentet, nequit enim intellectus noster ob sui imperfectionem, & limitationem plura nisi, vt similia concipere, potest tamen in intellectu Angeli esse cognitio aliqua plura vt diuisa repræsentans, Angelus enim ob sui intellectus perfectionem, & excellentiã valet vnico actu plura etiam vt dissimilia concipere: ergo in nostro intellectu non potest dari æquiuocatio, potest vero dari in intellectu Angelico.

7 Denominatiua sunt, quæ habent appellationem ab aliquo, & ab illo sunt solo casu differentia, hoc est, sunt ea, quæ accipiunt denominationẽ ab aliqua forma denominante, & cum illa, quoad nomen conueniunt in initio vocis, differunt vero ab illa in cadẽtia, & terminatione distinctionis v.g. album denominatur tale ab albedine, & ipsum denominatiuum album, & albedo illud denominans, habent idem initium in voce, quia per easdem litteras incipiũt, differunt vero casu, seu cadentia vocis, quia per diuersas syllabas terminantur, vt Grammaticus à grammatica, fortis, à fortitudine, hæc tamen differentia in cadentia, & terminatione vocis inter denominationem, & denominans eatenus solum requiritur, quatenus regulariter designat, aliam principalem, & necessariam differentiã, quę inter illa reperitur, scilicet, quod denominatiuum dicat formam in concreto, denominans vero secundum se dicat formam in abstracto, vnde si aliquando denominatiuum dicat formam in concreto, & denominans secundum se dicat formam in abstracto, absq; eo quod differant in cadentia vocis, erit ibi vera, & stricta ratio denominatiui, vt cum mulier, quæ grammaticę operam dedit, denominatur grammatica, à grammatica quæ secundum se potest in abstracto considerari.

Ergo denominatiuum includit pro materiali subiectum, quod denominatur, & pro formali ipsam denominationem seu formam denominantem, & ex vtroque, scilicet, ex subiecto, & denominatione formali, ipsum denominatiuum essentialiter coalescit; sed obseruo ad veram, & propriam rationem denominatiui requiri, quod forma denominans non sit subiecto essentialis, sed tantum accidentalis, atque ita album, quod denominatur ab albedine ipsi accidentali, est verè & propriè denominatiuum; rationale vero, quod tale denominatur à rationalitate ipsi essentiali, non est proprie denominatiuum, ratio est, quia vt notauit hic Caietanus, denominatiuum est, quasi datiuum solius nominis, non essentiæ, forma autẽ essentialis v.g. rationalitas dat etiam essentiam, ac proinde ad rationem denominatiui propriè non spectat, vnde hæc prædicata seu nomina sapiens, iustus &c. non sunt denominatiua respectu Dei, sed essentialia, vt docet D. Thomas 1. p. q. 13. art. 2. 8

Hæc autem denominatiua, alia sunt denominatiua in voce solum, & nomine, quia scilicet in voce conueniũt, & diuersa habent significata, vt officiosum ab officio, alia sunt denominatiua in re, sed non in voce, quia in re significata conueniũt, denominatiuũ & denominans; differunt tamen in voce, vt studiosus à virtute, quando, scilicet denominatiuũ, & forma denominans in re, & in voce conueniũt modo superius explicato, vt sapiens à sapientia, vnde aduertere oportet, quod quando denominatiuum, & denominans in re idem sunt, & essentialia, denominatiua esse vniuoca, vbi vero distincta sunt, esse materialiter vniuoca. Est exemplum in albo, quod respectu formæ, quam denominat dicitur denominatiuum, quia à tali forma accipit nominis appellationem, potest tamen album habere esse vniuocum in ordine ad subiecta alba in quibus æqualiter reperitur, vt constat etiã in specie subiicibili, & prædicabili; alia vero denominatiua, vt esse humanũ respectu hominis, & esse corporeũ respectu corporis, & alia iis similia, esse denominatiua secundum nomen, non vero denominatiua secundum rem, quia non significant formam, quæ sit extra essentiam subiecti, atque ita illis non conuenit definitio denominatorum, vt ex Caietano ostendi numero præcedenti. 9

CAPVT II.

De analogis, & eorum diuisione.

10 REm difficilem explicandã aggredimur, sed valde vtilẽ, tam ad doctrinas Physicas & metaph. quam Theologicas addiscendas, cum vix sit aliqua, quæ ad Analogiam non spectet, illamque dari plusquam certum est, eam tradiderunt cum Arist. omnes antiqui, & cum D. Thomà, tam Theologi, quam Dialectici, quibus

quibus acceſſerunt Recentiores Doctores, Caietan. opuſc.de nominum Analogia, Conimbricenſes hic quæſt.1.& 2.Suarez diſp.2.met.& pluribus aliis infra citandis,Vaſquez 1.part.diſp.22.& 114. Complutenſes diſp.13. Logicæ per varias quæſtiones, Ioannes à Sancto Thoma,quæſt.13.per varios articulos, Paulus Vallius quæſt.1.& 2. de Analogis,Arriaga diſput.10. Logicæ & 11.per varias ſect. Franciſcus Alphonſus, diſp.13.per varias ſectiones,Merinero diſp.1.& 2.de Analogia,Carleton diſp.39.& 40.Logicæ,Hurtado, diſp.9.Logicæ, & diſp.2.metaph.ſect.5. copioſiſſimè Lerma lib. 6. de anteprædicamentis per varias quæſtiones, Auerſa quæſt.15. per multas ſect. qui omnes referunt alios, qui apud citatos auctores videri poſſunt; nos verò breuitati conſulentes claritate ſolita rem hanc explicabimus.

11 Nomen Analogum græcum, latinè proportionem ſignificat inter diuerſa, & cum ſit mediũ inter vniuoca, & æquiuoca ſic analoga in communi acceptione ſumpta definiuntur ab Ariſt. Analoga ſunt, quorum nomen eſt commune, & ratio ſubſtantiæ per nomen ſignificata,nec eſt omnino eadẽ,nec omnino diuerſa id eſt,analoga dicuntur illa,quorum ratio ſignificata, per nomen, non ſit in inferioribus, omnino eadem ſicut ratio vniuoca, nec omnino diuerſa, ſicut ratio æquiuoca,ſed medium inter vtramque tenẽt, ita vt ex parte vnitatem,& ex parte diuerſitatẽ includat, vt in exemplis infra afferendis patebit,hanc definitionem tradit D.Th.1.p.q.13.art.5.& omnes Philoſophi cõmuniter;includunt ergo analoga pro materiali plura, quę aliquam rationẽ participant,pro formali vero rationem ipſam participatã,quæ vno nomine ſignificetur,& vt ſic ſignificata,non ſit in inferioribus omnino eadem,nec omnino diuerſa,modo explicato.

12 Communiter diuidunt analoga in analoga propria, & analoga impropria:analoga propria dicuntur,quãdo ratio communis,quæ ratione analoga dicitur propriè cõuenit omnibus inferioribus quæ analogata vocantur,vt ratio entis propriè cõuenit Deo,& creaturæ, ſubſtantiæ,& accidenti, & ideò ens eſt analagogum ad Deum,& creaturam,ſubſtantiam & accidens,iuxta communẽ ſententiam;analoga impropria ſunt,quando ratio analoga conuenit vni principali analogato propriè;aliis verò analogatis conuenit tranſlatiuè,& impropriè,vt ſanum reſpectu animalis,medicinæ, & pulſus eſt analogum improprium, quia ſanitas ſolum propriè conuenit animali, in quo eſt debita humorũ temperies,quę propriè ſanitas dicitur,medicinæ verò & pulſui ſolũ impropriè ſanitas adaptatur, medicinæ quidem,quia ſanitatẽ cauſat,pulſui autem quia ſanitatem indicat, atque ita impropriè ſana dicuntur.

13 Analoga impropria propriiſſimè analoga ſunt,non enim ideò vocãtur impropria,quia verè & propriè rationem,& eſſentiã Analagorum non habeãt,ſed quia ratio illa,quæ analoga dicitur, non conuenit propriè omnib.analogatis,hoc tamẽ maximè iuuat,vt talis ratio ſit partim eadẽ,& partim diuerſa in illis, ac proinde iuuat etiã vt propriè analoga ſit,item analoga propria non ideo propria dicuntur, quia propriè eſſentiã analogorũ participent,(quamuis id etiam fortaſſe habeant)ſed quia ratio cõmunis analoga propriè,&metaphyſicè conuenit omnibus analogatis, vnde nonnulli tenent ens reſpectu Dei,& creaturæ,ſubſtantiæ & accidentis eſſe analogum propriũ,quia ratio entis, quæ analoga dicitur, conuenit propriè omnibus illis analogatis,non verò eſſe analogum propriè, quia talis ratio entis non eſt propriè partim eadem, & partim diuerſa in Deo, & creaturis, ſubſtantia & accidenti,de quo fusè diſſeram diſp.ſequenti.

14 Rurſus analoga impropria diuidũntur in analoga attributionis,& in analoga proportionis,analoga attributionis ſunt ea,quorũ nomen eſt cõmune,& ratio ſignificata eſt partim eadem ſecundum terminũ,diuerſa verò ſecundũ varias habitudines,& ordines ad terminum,v.g,ſanũ reſpectu animalis,medicinæ,& pulſus eſt,analogum attributionis,quia ratio ſignificata, ſcilicet ſanitas eſt eadẽ in illis ſecundum terminũ,hoc eſt,eadẽmet ſanitas reſpicitur ab animali,à medicina & pulſu,& per eadẽmet ſanitatem animalis,quã reſpiciunt,omnia illa ſana denominantur,talis etiam ratio ſcilicet ſanitas;eſt etiã diuerſa ſecundum varias habitudines,&ordines,quos illa analogata habent ad ipsã, nam medicina reſpicit ſanitatẽ animalis,vt cauſã quę illã cauſat,&ideò medicina ab ipſa ſanitate impropriè vocatur ſana,pulſus verò reſpicit ſanitatem,vt index qui illam indicat,& ideò etiã impropriè ab eadem ſanitate pulſus appellatur ſanus;animal autem reſpicit ſuam ſanitatem, tamquam ſubiectum, quod illam in ſe habet,ac reſpicit, & ab illa propriè ſanũ denominatur;vnde in analogis attributionis,ratio analoga vni principali analogato propriè,& per ſe conuenit, aliis verè impropriè, & in ordine ad illud, vt animal propriè dicitur ſanum,medicina autem, & pulſus ſolum impropriè, & per ordinem, & habitudinem ad ſanitatem animalis ſana denominantur.

Analoga verò proportionis ſunt ea,quorum nomẽ 15
eſt commune,& ratio ſignificata eſt diuerſa,tum proportionaliter eadẽ,v.g.riſus reſpectu riſus hominis,& riſus prati,eſt analogũ proportionis, quia ratio ſignificata, ſcilicet riſus eſt diuerſa in homine, & in prato,nam riſus hominis eſt propriè riſus, riſus autem, atque viriditas prati eſt proportionaliter eadem,riſus enim prati proportionem quamdã ſeruat cum riſu hominis,nam pratũ herbarum virore,& florũ amœnitate verum riſum,ac vultus hilaritatem æmulatur, vnde in analogis proportionis ratio analoga ſolum per ſe, & propriè conuenit vni analogato principali,aliis verò impropriè,& per proportionem ad illud,vt riſus conuenit propriè homini, prato verò impropriè, & per proportionẽ ad verum hominis riſum;nonnulli analoga.quæ nos vocamus attributionis,vocant analoga proportionis,&analoga,quę nos vocamus proportionis,vocant analoga proportionalitatis,ſed modus loquendi,quẽ explicui,facilior &congruentior eſt,alias verò analogorum diuiſiones,vide apud Caiet. in illo opuſc.de nominum analogia,Lerm.Conimbr. & aliis.

Hinc vnica lex in analogis ſeruatur, vt analogũ per 16
ſe, ac ſimpliciter prolatũ ſignificet ſolum principale analogatum,cui ratio analoga per ſe conuenit,vt hoc nomẽ Alexander prolatum abſolutè ſignificat ſolum Regem Macedon.non verò hominẽ alium liberalem; ſanum ſimiliter ſignificat animal ſanũ,non verò medicinã,aut pulſum ſanum,&c.ex quo manauit cõmune illud Dialecticorum effatum *Analogum per ſe ſumptum,ſtat pro famoſiori ſuo ſignificato* quod ſolũ intelligendum eſt,de analogiis impropriis,quæ vni analogato principali propriè, aliis impropriè conueniunt, non verò eſt extendendum ad analoga propria, hæc enim cum omnibus ſuis analogatis propriè conueniãt abſolutè,& ſimpliciter prolata non eſt cur potius pro vno,quã pro alio analogato accipiantur,vnde ens non ſtat ſimpliciter pro ſolo Deo, vel pro ſola ſubſtantia ſed pro Deo,aut creatura,ſubſtantia vel accidenti quia omnibus illis propria conuenit ratio entis.

CAPVT III.

An ab omnibus analogatis poſsit abſtrahi vnus conceptus communis.

DE conceptu formali, & obiectiuo præſens con- 17
trouerſia procedit, conceptus formalis eſt quædam cognitio intellectus repræſentans obiectum, & res ſignficatas per voces; conceptus vero obiectiuus eſt ipſum obiectum, quod per cognitionem cognoſcitur, & repræſentatur, cum autem

autem analoga non habent omnimodam vnitatem, vt vniuoca, nec omnimodam diuersitatē, vt pure æquiuoca, sed habeant quamdam vnitatem conuenientiæ, & secundum quid, secundum diuersos modos, & terminationes ad eumdem terminum, oportet illa sigillatim distinguere, & suum modum vnitatis cuique tribuere, & breuitatis, ac claritatis gratia,

18 Assertio I. Analoga attributionis, & analoga metaphorica, seu impropria non habent vnum conceptum formalem, vltimatum nec obiectiuum, sed plures conceptus cum vnitate quadam proportionis, seu connotationis, vt n. 14. explicui. Est communis, & probatur primo, ex Arist. 4. met. cap. 2. vbi ait, *quod ens multipliciter dicitur, ergo non vno modo, nec per vnum conceptum, sed per plures, quia ens statim est, substantia statim est accidens*. Scilicet, quantitas, & cætera, cum ad illa statim; & immediatè descendat, ergo non est vnus conceptus formalis, nec obiectiuus, sed plures: secundo ex D. Thoma 1. p. quæst. 13. art. 5. vbi ait sic, nec *enim ita, qua analogice dicuntur est vna ratio sicut in vniocis, nec totaliter diuersa, vt in æquiuocis, sed nomen quod sic multipliciter significat diuersas proportiones in ordine ad vnum*, quæ verba D. Thomæ sic intelligo, quod conceptus entis significat diuersas proportiones in ordine ad vnum, vt ostendi num. 15. sed non potest significare diuersas proportiones in ordine ad vnum, nisi simul significet diuersa illa, quæ participant talem proportionem quod per vnum conceptum fieri non potest, ergo vnus conceptus vltimatus, tam formalis, quam obiectiuus præcisus ab aliis analogatis est repugnans.

19 Probatur etiam ratione à priori, & desumitur ex dictis num. 14. de analogis attributionis, nam ratio analoga solum reperitur in principali analogato proprie, & per se, in aliis vero improprie, & quasi per extrinsecam denominationem, vt sanum respectu animalis, medicinæ, & pulsus, in analogis vero proportionis, seu proportionalitatis, licet ratio analoga intrinsece sit in omnibus analogatis, tamen in vno proprie, & in aliis metaphysice, & per similitudinem, vt qui per similitudinem ad verum hominis risum tribuitur prato, sed huiusmodi analogatis, repugnat vna ratio communis præcisa ab omnibus illis, eo quod consistat in ordine vnius, vel plurium ad vnum terminum, à quo recipiunt denominationem per habitudinem ad vnum terminum, sed huiusmodi vnitas ordinis, vel habitudinis vnius, vel plurium ad aliud necessario petit plures conceptus ad exercendam talem habitudinem, & ordinem plurium ad vnum terminum, ergo omnino repugnat vnus conceptus tam formalis vltimatus, ac perfectus, quam obiectiuus præcisus ab iis analogatis.

20 Probatur secundo eadem assertio, in analogis proportionis, seu proportionalitatis, nam huiusmodi analoga propria, & impropria non possunt habere hunc conceptum præcisum ab illis, nam conceptus leonis, v. g. nec directè, nec indirectè significat Christum Dominum, nomen enim, ex sua propria impositione vniuocum est, & per solam translationem metaphoricam applicatur Christo Domino, sed hæc analoga reduci non possunt ad vnum conceptum, quia solum habent vnitatem comparationis, seu similitudinis ad vnum terminum, ergo ex iis analogis non potest præscindi vnus conceptus formalis, nec obiectiuus communis omnibus illis analogatis, nomen enim analogum implicat cum hoc conceptu præciso ab illis; nam ratio substantiæ est conceptus obiectiuus, & tamen non est omnino idem, nec omnino diuersa, sed diuersus simpliciter, & secundum quid, idem, propter proportionem, & ordinem ad vnum terminum, ergo non potest abstrahi ab hac substantia quæ dicit diuersitatem simpliciter, & vnitatem, seu conuenientiam secundum quid in ordine ad vnum terminum, vnus conceptus communis, nam si talis esset, non diceret nec deberet dicere talem diuersitatem.

Assertio II. hæc analoga proportionis, seu proportionalitatis, vt condistincta ab analogis attributionis, possunt habere vnum conceptum communem omnibus analogatis cōfusum, & imperfectum includentem in actu, licet non explicite, omnes rationes Analogorum. Est contra quosdam recentiores, sed est de mente Dominici Caiet. supra opusc. citato cap 4. & plurium Dialecticorum, & Theologorum, D. Thomæ quæst. 1. de veritate art. 1. Scoti cum suis, tenet eam Suarez 1. met. disp. 2. sect. 1. & 2. Hurtado disp. 9. Logicæ sect. 4. & disp. 2. met. sect. 5. Arriaga disput. 11. Logicæ sect. 1. Carleton disp. 40. Logicæ sect. 1. assertio habet duas partes, & quoad primā probatur, in iis analogatis reperitur sufficiens fundamentum ad formandum vnum conceptum, quia habent sufficientem vnitatem, & conuenientiam, quia quodcumque analogatorum habet modum habendi intrinsece suam formam proportionabiliter, vt patet in risu respectu hominis, & prati, ergo in illis aliquid est, quod terminare possit vnum conceptum, eo quod habeant aliquam vnitatem proportionalitatis, quæ non consistit in habitudine ad vnum terminum, sed in modo habendi suam formam; sed hoc analogum non habet conceptum diuersum omnino, sicut æquiuoca, ergo debet habere aliquam vnitatem conuenientiæ, quæ sufficiat ad vnum conceptum; Et à posteriori probatur experientia, nam audito aliquo analogo proportionis v. g. sanum, risus, & ens, intellectus se colligit ad vnū conceptum saltem imperfectum, quin in illo repræsententur, & explicentur omnes rationes particulares analogatorum, non enim audito conceptu entis formamus statim aliquem particularem cōceptum entis creati, vel increati, substantię vel accidentis, sed entis vt sic, quatenus commune est, ad omnia entia, quia cum omnia illa saltim similia sint in ratione entis, quid repugnantię apparet, vt ab omnibus illis in confuso cognitis, vnus conceptus communis præscindatur, ergo possunt omnia illa entia vt sic in confuso repræsentari, & consequenter ab omnibus præscindi vnus conceptus communis saltem imperfectus, & confusus, in quo omnia illa entia conueniant. 21

Secunda etiam pars assertionis, videlicet, quod ex prædictis analogatis conceptus communis, confusus, & imperfectus omnibus analogatis non sit omnino præcisus ab illis nec illa solum contineat in potentia, sed in actu, licet non explicite, sicut analogata continent explicite suas rationes; probatur manifeste, nam alias talis conceptus esset omnino vniuocus, quia in actu nullam diceret diuersitatem, & solum esset in potentia ad diuersos modos, quibus explicari, & contrahi posset ens ad suas differentias, ex eo enim ratio animalis præcisa ab homine, & æquo est vniuoca, quia ratio illa sic præcisa non includit in actu differentias hominis, & equi, & est in potentia, vt per illas contrahatur, ergo si ratio entis, sic præscinderetur ab inferioribus; ita vt ratio præcisa nullatenus includeret in actu rationes differentiales, seu modos diuersos inferiorum, esset illis ratio omnino eadem, & vniuoca, sed huiusmodi analoga debent distingui ab vniuocis, ergo non debet illis correspondere vnus conceptus ab analogatis præcisus vniuocus, sed confusus, & imperfectus in quo omnia illa analogata conueniant. 22

Dices, difficile explicari, quod ex vna parte ens præscindat à suis analogatis, & quod illa actu contineat, nam ex Philosopho præscindere nihil aliud est, quam vnum sine altero cognoscere, si ergo mens nostra valet præscindere rationem communissimam entis à suis analogatis, poterit consequenter, & illam 23

rationem

rationem præciſam cognoſcere non cognitis differentiis analogorum; ergo illa ratio erit, vel per ſe equiuoca, vel omnino vniuoca, vt ratio animalis præciſa ab homine, & equo, difficile enim eſt explicare qualiter conceptus ille implicite ſolum contineat diuerſitatem inferiorum, cum actu illa contineat.

24 Præmitto ad plenam huius difficultatis ſatisfactionem, varios modos præciſionis, ſeu abſtractionis, vt late diſp. 7. cap. 7. de vniuerſalibus oſtendi, quædam enim præciſio appellatur obiectiua, quæ ex formalibus quę à parte rei ſunt idem in homine v.g. concipit vnam, non concepta alia, vt animal ſine rationali, & vocatur etiam poſitiua, eo, quod vnum prædicatum attingitur expreſſe, vt diſtinctum ab alio, altera præciſio eſt formalis, & ſolum ex parte modi concipiendi, qua vnũ prædicatum expreſſe attingitur, nulla facta expreſſa mentione alterius, non per excluſionem vnius rationis ab alia, ſed penes magis confuſum vel explicitum, quod non variat res ipſas conceptas, ſed modos concipiendi ipſius intellectus, & appellatur præciſio negatiua, ſeu inadæquata, eo quod poteſt entitas expreſſe concipi in ordine ad vnum, quin expreſſe concipiatur in ordine ad aliud, vt contingit inter animal, & rationale, in ſententia negante obiectiuas præciſiones, vt ibidem late oſtendi; certum eſt modo rationem entis non poſſe præſcindere à ſuis inferioribus præciſione poſitiua, quia quælibet differentia inuoluit rationem entis, nec præciſione negatiua adæquata propter eamdem rationem, ſolum eſt difficultas an poſſit præſcindere ab inferioribus præciſione formali ex parte modi concipiendi, & inadæquata negatiua, nam talis conceptus præciſus non indiget ad ſui contractionem additione alicuius extranei ab ipſo ente, cum omnes rationes differentiales ſint illi eſſentiales, & ſolum poſſunt differre ab ipſo ente penes implicitum, & explicitum, atque ita talis præciſio entis à ſuis inferioribus ſolum fieri poteſt per non explicationem illorum includendo illos, actu in confuſo, cum nihil præſcindi poteſt ab ente, quod ſit illi extraneum, ſicut eſt animal reſpectu rationalis; dicitur tamen quoad nos ens contrahi per modos explicantes, & exprimentes aliquid, quod nomine entis non cognoſcebatur vt expreſſe docet D. Thomas quæſt. 1. de veritate articulo primo in hæc verba. *Enti non poteſt addi aliquid, quaſi extranea natura per modum, quo differentia additur generi, vel accidens ſubſtantiæ, quia quælibet natura eſſentialiter eſt ens, vnde etiam probat Philoſop. 3 Met. quod ens non poteſt eſſe genus, ſed ſecundum hoc aliqua dicuntur addere ſupra ens, in quantum exprimunt ipſius modum, qui nomine ipſius entis non exprimitur*, & idem fere docet in 2. diſt. 22. q. 5. & 8. met. tex. 16. lect. vltima, vbi dicit, *quod ens non ſpectat aliquid additum, vt fiat hoc, ideſt, ſubſtantia vel quantum vel quale, ſed ſtatim à principio eſt ſubſtantia vel quantitas, vel qualitas, nã omnis modus, per quem ens fit ſubſtantia, albedo, corpus &c. non eſt aliquid extraneum ipſi enti, ſed actu eſt intra ipſum ens, ſolum diſtinctum ab illo penes implicitum, & explicitum*; quo ſufficienter ſatisfit rationi dubitandi numero 23. cum hoc modo non repugnet conceptus communis entis præciſus à ſuis analogatis proportionis, ſeu proportionalitatis, & attributionis.

25 Aliud ſimile exemplum habemus in diuinis attributis accommodatiſſimum ad hanc rem explicandam, vnum enim attributum ob maximam ſimplicitatem Dei, & immenſitatem non poteſt à ſuo conceptu excludere aliud attributum taliter, vt in potentia remaneat ad ipſum, & ſit quaſi per additionem alicuius perfectionis, perfectibile, item ſit actus purus excludens omnem potentialitatem, etſi ipſa attributa quiditatiue, & vt ſunt in ſe concipiantur; conceptus enim miſericordiæ, inquantum diuina miſericordia, neceſſario includit actu diuinam iuſtitiam, ſed quia mens noſtra non explicat pro hoc ſtatu, in illo conceptu totum quod eſt diuinum, vt miſericordia virtualiter diſtinguatur à iuſtitia diuina, ideo non per ſeparationem, ſed per non explicationem, ſeu penes implicitum, & explicitum, talia attributa diuina diſtinguntur cum hac differentia, quod ab analogis proportionis poteſt præſcindi aliqua ratio ſuperior modo explicato, quæ repugnet in diuinis attributis propter mutuam tranſcendentiam vnius prædicati cum alio, & propter ſummam actualitatem, quæ omnem potentialitatem excludit.

Obiiciat quis, analoga attributionis poſſunt habere vnum conceptum, ſicut analoga proportionis, in quibus reperitur ſimilitudo, & conuenientia plurium in ordine ad vnum terminum, vt ſanum, aut ritus, ergo: ſecundo omnia entia eſſentialiter conueniunt in ratione entis, ſed illis, quæ eſſentialiter conueniunt poteſt dari vna ratio communis eſſentialis, ergo ab omnibus analogatis entis poteſt præſcindi vna ratio communis ſubſtantiæ vel accidentis. Reſpondeo ad eum modum, quo fuerit ſimilitudo, & vnitas, erit conceptus formalis, ſi ſimilitudo fuerit ſimpliciter, vnitas conceptus erit ſimpliciter, ſi ſimilitudo fuerit ſecundum quid, & proportionis, vnitas conceptus erit partim idem, & partim diuerſus, in analogis vero attributionis inuenitur minor vnitas, eo, quod non habent conuenientiam in forma, & ideo conceptum habebunt ſecundum quid, ſicut ſecundum quid eſt vniuerſale, ſecundum illos modos implicitos, & explicitos. Ad ſecundum dico, illis, qui eſſentialiter conueniunt poſſe dari vnam rationem communem eſſentialem, ens autem non habet hanc rationem communem reſpectu analogatorum proportionis, ſed tantum ſecundum quid, quare omnia entia non conueniunt in ratione entis conuenientia eſſentiali, & eiuſdem rationis, ſed ſecundum quid, quæ ſimul ſit conuenientia, & diuerſitas, & hoc modo conueniunt analoga proportionis, ſeu proportionalitatis. 26

Sed inſtabis, ſi ens creatum non poſſet præſcindi à ſuis differentiis, ſin illas actu dicat, ergo ens nullatenus potetit de illis prædicari, conſequens eſt abſurdum, ergo illud, ex quo ſequitur. Probatur, ſi ens actu includit v. g. ſubſtantiam idem eſſet dicere, ſubſtantia eſt ens, ac dicere, ſubſtantia eſt ſubſtantia & accidens, ſed hæc prædicatio eſt falſa, ergo ens non poterit prædicari de ſubſtantia & accidenti, prædicatione ſuperioris de inferiori; Reſp. ens vera prædicatione prædicari de ſuis differentiis, quas licet actu implicite contineat, non vero explicite, & tunc non eſt idem dicere, ſubſtantia eſt ens, ac dicere, ſubſtantia eſt ſubſtantia & accidens, quia non exprimuntur nomine entis, vt conſtat in hac prædicatione, Pater eſt Deus, quia ly Deus non in potentia, ſed actu includit omnia, quæ ſunt in Deo, & tamen quia non explicite illa dicit, ſed implicite, ideo non prædicat omnia de Patre, ſed ſolam deitatem, in qua continetur, ita ſimiliter dici debet de ente in iis, & ſimilibus prædicationibus. 27

DISPVTATIO XVIII.

An ratio entis ſit analoga Deo, & creaturæ, ſubſtantiæ, & accidenti.

QVINQVE capita continebit: in primo ſtatus quæſtionis explicatur, & ratio dubitandi proponitur: in ſecundo ratio entis non ideo eſt analoga, quia nõ poſſit eſſe à differentiis præciſa: in

tertio ratio entis vt pure præcisa non est analoga propter dependentiamin :quarto,ratio entis, vt pure præcisa non est analoga propter transcendentiam:in quinto, quæstio resoluitur, & entis vniuocatio, & analogia explicantur.

CAPVT I.

Status quæstionis explicatur, & ratio dubitandi proponitur.

1 RAtio entis potest dupliciter vsurpari, primo, in omni sua latitudine, vt communis est ad entia realia,& entia rationis, & in hac acceptione certum est rationem entis esse analogam ad ens reale, & ad ens rationis, sicut homo est analogus ad hominem verum,& hominem pictum, quia ratio entis proprie conuenit enti reali, improprie vero, & translatiue conuenit enti rationis.Secundo, ratio entis sumi potest non ita late,sed magis stricte, nempe ad Deum, & creaturam,ad substantiam, & accidens, & in hoc sensu, & acceptione inquirimus, an ratio entis sit analoga, vel vniuoca.

2 Argumentum quo probaui potest rationi entis realis ad Deum,& creaturam,vel ad substantiam,& accidens non esse analogam,sed vniuocam, sic conficitur, vniuoca sunt, quorum nomen est commune, & ratio substantiæ est omnino eadem, sed ratio entis in communi hoc solo nomine ens significatur, & est omnino eadem,ergo ratio entis in communi est proprie,& stricte ratio vniuoca.Consequentia est euidens,maior certa ex dictis disp. 18. cap.1. n.1. Minor autem sic ostenditur,illa ratio est omnino eadem, & nullo modo diuersa,quæ nullam in se continet diuersitatem,ac differentiam,sed ratio entis in communi nullam in se continet diuersitatem, ergo ratio entis in communi est omnino eadem,& nullo modo diuersa : minorem probo, ratio præcisa à differentiis non continet in se differentias, si enim illas in se contineret, non esset præcisa ab illis v. g. ratio animalis in communi non continet in se rationalitatem, aut irrationalitatem, quia ab illis est præcisa per rationem, sed ratio entis in communi est præcisa à differentiis,ergo ratio entis in communi nullam continet diuersitatem, ac differentiam,ac per consequens est omnino eadem,& vniuoca. Confirmatur, ratio analoga est illa, quæ vni principali analogato proprie conuenit,aliis vero improprie,& per ordinem,aut proportionem ad illud,vt ratio sanitatis proprie conuenit animali,medicinę vere, & pulsui solum conuenit improprie, & per ordinem ad sanitatem illius,& risus proprie conuenit risui hominis, prati vero amœnitati improprie solum, & per proportionem ad hominis risum, & ob id hæc vere analoga sunt, atqui ratio entis non conuenit vni proprie,& alteri improprie,ac solum per ordinem ad illud, sed propriissime conuenit omnibus scilicet Deo,& creaturæ, substantiæ, & accidenti;ergo ratio entis ad Deum,& creaturam, vel ad substantiam, & accidens non est ratio analoga, ac proinde erit vniuoca:Vrgeo à simili, ideo ratio animalis v. g. est vere & stricte vniuoca,& non analoga,quia vt præcisa est omnino eadem,& conuenit proprie omnibus suis inferioribus,licet homini perfectiori modo conueniat, quam equo; sed ratio entis in communi vt præcisa, est omnino eadem,& conuenit proprie omnibus eius inferioribus, licet perfectiori modo conueniat Deo, quam creaturæ, & substantiæ perfectius quam accidenti, ergo ratio entis in communi etiam non erit analoga, sed vniuoca.

3 Hæc ratio aduersus communem sententiam, quæ asserit rationem entis ad Deum, & creaturam, & ad substantiam, & accidens esse analogam, & non vniuocam,adeo difficilis est, vt in plures cogat auctores, sententias, ac solutiones abire eas fideliter,ac breuitate,qua potuero, referam, & impugnabo, & meam in hac re proferam, & totam hanc controuersiam (quæ fere est de nomine)paucis aperiã, & explicabo.

CAPVT II.

Ratio entis non ideo est analoga quia non possit esse à differentiis præcisa.

GRaues auctores, qui alias admittunt præcisionem obiectiuam naturæ communis ab omnibus suis differentiis, sentiunt in præsenti rationem entis non posse à differentiis præscindi,sed illas in se essentialiter continere,atque ita rationem entis nihil aliud esse formaliter,quam Deum,vel creaturam, substantiam,vel accidens,vt sic defendant rationem entis in communi,non esse omnino vnam, sed etiam esse diuersam,cum differentias includat,ac proinde non esse vniuocam,sed analogam. Hanc sententiam tenent Caietanus,Hispalensis, Herbeus, Soncinas, Flandria citati à Suarez,disp.2.met.sect.2.Complutenses Ioan. à Sancto Thoma, Lerma, & plerique recentiores ex Thomistis, quos sequuntur Vasquez, 1.p. disp.121. cap.2.Fonseca 4.met. c.2. quæst.2. Pereira 2. Physic. cap.2.eamdem,vt probabiliorem indicant Conimbricenses, hic q.1.art. 2. Petrus Hurtado disp.9. Logicæ per varias sectiones,Franciscus, Alphonsus disp. 13. Logicæ sect.8.Auersa quæst.15. sect.2. Suarez 1.met. disp.2.& 18.sect.3.Carleton supra sect.3.& 4. & plures,quos longum esse recensere. 4

Arbitror tamen,sententia eorum admissa,qui concedunt in aliis rebus præcisiones obiectiuas etiam rationem entis posse ratione nostra esse à suis differentiis præcisam,atque ita ex hoc præcise capite non esse analogam sed vniuocam, ita Scotus multis in locis, sed præcipue in 1.dist.3.q.2.& dist.8.q.3. quẽ sequuti sunt omnes eius discipuli, quos refert,& sequitur Merinero hic disp.2. quæst.2.Iauellus,Sotus in prædicamentis cap.4.quæst.1.Zumel 1.p.q.13.art.... Suarez disp.2.met.sect.2.Didacus à Iesu disp.11.q.5.Caberus tract.4. disp.3. Hurtado disp.9. Logicæ sect. 3. & in met.disp.2.sect.3. Capreolus,quem, & alios sequitur Vazquez supra, nouissime Arriaga disp.11. Logicæ sect.3.Hæc autem opinio primo probatur sic, ratio illa, in qua plura à parte rei conueniunt proprie, per rationem potest ab illis præscindi', atqui Deus, & creatura vel substantia, & accidens à parte rei proprie conueniunt in ratione entis, ergo per rationem ratio entis potest ab illis præscindi. Confirmatur,ideo ratio animalis v.g.potest præscindi ab homine, equo & leone,quia homo, equus, & Leo conueniunt proprie à parte rei in ratione animalis, quilibet enim illorũ est proprie animal, & differunt etiam in ratione hominis,equi,& leonis, atqui Deus, & creatura vel substãtia,& accidens,etiã proprie conueniunt à parte rei in ratione entis, quodlibet enim illorum est proprie ens,& differunt in propriis rationibus Dei, & creaturæ, substantiæ & accidentis; ergo similiter ratio entis poterit rectè præscindi à Deo, & creatura, substantia & accidenti. 5

Dicant aliqui, accidens non esse proprie, & absolute ens, sed improprie, & per ordinem ad substantiam, quia vt docet Aristotel.7. met. cap.1. accidens non est ens,sed entis ens,atque ita substantia,& accidens non conuenire proprie à parte rei, in ratione entis,& ideo rationem entis non posse per rationem saltim à substantia,& accidenti præscindi.Sed impugnatur aperte,illud est proprie,&stricte ens reale,quod 6

proprie,

propriè, & ſtrictè opponitur enti chimerico, ſed accidens proprie, & directe opponitur enti chimerico, ergo accidens proprie,& ſtrictè eſt ens reale, probatur minor,ens chimericum eſt illud, quod non habet ordinē ad exiſtendum vere à parte rei,id eſt,quod non poteſt vere à parte rei exiſtere, quia in ſe prædicata contradictoria includit, ergo illud ens opponitur proprie,& directe enti chimerico, quod habet ordinem ad exiſtendumvere à parte rei,id eſt,quod poteſt à parte rei exiſtere,& nulla prædicata contradictoria in ſe includit,ſed accidens v.g.albedo habet ordinē ad exiſtendum,hoc eſt vere poteſt exiſtere à parte rei,& nulla in ſe prædicata contradictoria includit, ergo accidens proprie,& directe opponitur enti chimerico,ac per conſequens vere, & proprie eſt ens reale, cum vero Ariſt. loco citato docet accidens non eſſe ens, ſed entis ens, ſolum intendit accidens non eſſe ens per ſe exiſtens ſicut ſubſtantia,ſed eſſe ens alteri inhærens,& in alio exiſtens,ſcilicet in ipſa ſubſtantia: vel loqui reſpectiue propter magnum exceſſum,quem habet ſubſtantia & idem proportionaliter dici debet inter Deum, & creaturas, cum iſtæ vere entia realia ſint,de quo infra cap. 5. vbi analogiam entis explicabimus.

7 Pater Vazquez ſupra aſſerit rationem entis eſſe tranſcendentem differentias omnes ſuorum inferiorum, in quauis enim differentia includitur ratio entis,atque ideo non poſſe à differentiis præſcindi,quia vt vna res ab aliqua præſcindatur, requiritur, quod non imbibatur formaliter in illa. Sed impugnatur, licet ratio entis tranſcendens ſit,& imbibatur in differentiis v.g.in ſubſtantia,tamen ipſa differentia ſcilicet ratio ſubſtantiæ non eſt tranſcendens, & imbibita formaliter in ratione entis;ergo licet ſubſtantia non poſſit præſcindi à ratione entis,quia tranſcendit ipſam ſubſtantiam, ratio tamen entis poteſt ratione præſcindi à ſubſtantia cum hæc non tranſcendat illam rationem entis, vt ſupra oſtendi diſp. præcedenti n. 27.Confirmatur,quæuis res poteſt præſcindi ratione, ab eo,quod non eſt de formali eſſentia illius, ſed licet ratio entis ſit tranſcendens omnes differentias v. gratia differentias ſubſtantiæ,& accidentis, ipſæ differentiæ, ſcilicet ſubſtantia & accidens non ſunt de eſſentia,ac ratione formali entis, ergo licet ratio entis ſit tranſcendens differentias,poterit ratione præſcindi à differentiis ſubſtantiæ,& accidentis. Vrgeo, ratio entis per ſe eſt tranſcendens omnes inferiorum differentias, ſed ſi ratio entis non eſſet à differentiis præciſa, non eſſet tranſcendens omnes differentias, ergo ratio entis poteſt eſſe præciſa à differentiis:probo minorem, ſi ratio entis non poſſet eſſe præciſa à differentiis, ens ſecundum ſe immediate diceret ſubſtantiam & accidens, ſed hoc aggregatum ſcilicet ſubſtantia & accidens, non tranſcendit omnia inferiora entis,quia ſubſtantia præciſe ſecundum ſe non eſt ſubſtantia & accidens, nec accidens ſecundum ſe eſt ſimul accidens,& ſubſtantia;ergo ſi ratio entis non poteſt eſſe à differentiis præciſa, non eſſet ratio tranſcendens. Dices, ens dicere immediate ſubſtantiam vel accidens diſiunctiue, hoc autem diſiunctum tranſcendere omnes differentias entis, quælibet enim eſt ſubſtantia vel accidens. Sed contra,quia etiam eodem modo animal eſſet ratio tranſcendens omnes differentias inferiorum, ſicut ens,quod nullus admittet, patet,quia animal poteſt etiam ſignificare hoc diſiūctum ſcilicet rationale,vel irrationale,hoc autem diſiunctum tranſcendit vere omnes differentias animalis, quodlibet enim animal, vel eſt rationale, vel irrationale, ſicut quodlibet ens eſt ſubſtantia vel accidens, ergo eodem modo ratio animalis eſſet tranſcendens,ſicut eſt ratio tranſcendens ratio entis, igitur ſi ratio entis eſt tranſcendens ſpecialiter, poteſt etiam eſſe à differentiis præciſa,vt ratio entis,vt præſcindet à ſubſtantia & accidenti in quauis differentia inferiorum formaliter imbibatur.

Recentiores ingenioſi opinantur de formali eſſentia, & conceptu cuiuſcumque rationis, & formalitatis, quæ ſit in ente crato eſſe ipſam differentiam creaturæ, & dependentiam à Deo, nam cum actio Dei,qua tale ens creatum fuit,ac dependet à Deo,non præſcindat in tali ente vnam formalitatem ab alia, ſed omnes entis formales rationes, & formalitates immediate, ac formaliter attingat,colligunt quamlibet formalem rationem, ſeu formalitatem talis entis creati,etiam vt ab illa præciſam includere neceſſario & formaliter differentias creaturæ, & dependentiam à Deo, ac proinde non poſſe rationem entis à differentia entis crati, & dependentis præſcindi.Sed impugnatur primo:eſſe aliquid directe, ac formaliter oppoſitum enti chimerico, & fundare negationem illius non includit formaliter differentias creaturæ,& dependentiam à Deo, ſed hoc quod eſt eſſe oppoſitum enti chimerico, reperitur in ente creato, ergo aliqua ratio,& formalitas eſt in ente creato,quæ formaliter non includat ratione noſtra differentiam creaturæ,& dependentiā à Deo.Conſequentia eſt euidens maior certa,quia eſſe increatum Dei, eſt oppoſitum enti chimerico,& fundat negationē illius, & tamen eſſe Dei non includit formaliter differentiam creaturæ,&dependentię à Deo,vt conſtat,ergo hoc quodeſt eſſe oppoſitum enti chimerico,& fundare negationē illius non includit differentiam creaturæ, ac dependētiam à Deo.Minorem etiam,ſcilicet in ente creato inueniri hoc,quod eſt eſſe oppoſitum enti chimerico ſic oſtenditur;ens reale opponitur enti chimerico,ſed ens creatum eſt ens reale,ergo in ente creato inuenitur hoc,quod eſt oppoſitum enti chimerico. Secundo impugnatur:ponamus quod aliquis clare cognoſcat, & iudicet rem aliqvam eſſe à parte rei, & dubitet an ſit illa Deus,an creatura,cum vere talis res creata ſit, in hoc caſu poſſibili,homo ille iudicatiue cognoſcit rationem entis illius, quia iudicat actu eſſe à parte rei, & tamen iudicatiue non cognoſcit eſſe creaturam ac dependentem à Deo,cum dubitet an illa res ſit Deus,ergo ratio & formalitas entis, quæ reperitur in ente creato,vt ſic formaliter, non includit in ſuo formali conceptu differentiam creaturæ,& dependētiam à Deo.Impugnatur tertio:ſi in ente creato nulla eſſet ratio & formalitas, quæ in ſuo formali conceptu non includeret dependentiam; & in ente increato nulla etiam eſſet formalitas, & ratio, quæ in ſuo formali conceptu non includeret dependentiam,ens increatum,& ens creatum,ſcilicet Deus,& creatura, in nulla ratione,aut formalitate etiam per rationem cōuenirent, ſed in omni ratione, & formalitate etiam per rationem formaliſſime differrent,ergo ratio entis reſpectu Dei, & creaturæ non eſſet ratio analoga, ſed æquiuoca. Patet conſequentia, quia æquiuoca ſunt, quorum nomen eſt commune,& ratio ſubſtantiæ eſt omnino diuerſa,vt diximus ſupra diſp.18.cap. 1. n.3. ergo ratio,quæ fuerit in pluribus omnino diuerſa,erit vereratio æquiuoca;ſed per te ratio entis eſt omnino diuerſa in Deo,& creatura, cum Deus & creatura in omni ratione,& formalitate entis differāt,ergo ratio entis reſpectu Dei & creaturæ non eſt analoga, ſed æquiuoca. Quarto impugnatur:accidens ſecundum omnem ſuam formalitatem, & rationem pendet re ipſa à ſubiecto,& tamen poteſt præſcindi, ratio entis vt ſic à ratione accidentis, & dependentis à ſubiecto: ſimiliter actus vitalis intellectus ſecundum ſuam omnem formalitatem,& rationem pendet à potentia vitali,& tamen poteſt prę ſcindi ratio qualitatis, vt ſic, à ratione actus vitalis dependentis à potentia vitali. Denique forma materialis ſecundum omnem ſuam

8

rationem

rationem, & formalitatem pendet à materia, & tamen potest præscindi ratio formæ, vt sic à ratione formæ materialis dependentis à materia, vt in hoc, & pluribus aliis exemplis omnes admittunt, ergo licet ens creatum secundum omnem suam rationem, & formalitatem pendeat à Deo poterit ratione nostra, præscindi ratio entis, vt sic à ratione entis creati, & dependentis à Deo.

9 Sed obiiciat quispiam primo, ratio, quæ ab alia etiam per rationem præscinditur debet necessario ab illa aliquo modo distinguiised ratio entis non distinguitur à differentia substantiæ v.g.nam ipsa differentia substantiæ, vt sic formaliter est vere ens, ergo ratio entis non potest præscindi etiam per rationem à differentia substantiæ. Respondeo, duobus modis posse res aliqua distingui, primo adæquate, ita vt quælibet illarum aliam excludat omnino: secundo, inadæquate, ita vt vna res ex illis aliam intra se includat, & aliquid amplius, ens ergo & differentia substantiæ nõ distingũtur inter se adæquate, quia differẽtia substantiæ non includit, sed excludit ipsum ens, distinguntur vero inadæquate, quia differentia substantiæ includit intra se ens, & aliquid amplius, quæ distinctio inadæquata licet non sufficiat, vt differẽtia substantię possit præscindi ab ente, quia ens includitur formaliter in tali differentia, sufficit tamen, vt ratio entis possit præscindi à differentia substantiæ, quia hæc differentia non includitur formaliter, & essentialiter in ratione entis.

10 Verum instet, vt aliqua res ab alia distinguatur inadæquate debet illam in se includere, & aliquid superaddere, à quo illa alia res omnino distinguatur, v.g.homo inadæquate distinguitur ab anima rationali, quia illã in se includit, & aliquid superaddit, scilicet corpus, à quo omnino distinguitur ipsa anima rationalis, sed differentia substantiæ cum includat in se rationem entis non superaddit aliquid aliud, à quo ratio entis distinguatur omnino, nam in quacumque formalitate superaddita includitur ratio entis, cum quæcumque formalitas sit vere ens, ergo ratio entis, nec inadæquate distinguitur à differentia substantiæ, igitur non potest præscindi ab illa. Respondeo, duobus modis posse vnam rem ab alia distingui inadæquate, primo, vt partem à toto, & ad hoc requiritur, quod totum illam partem in se includat, & aliam compartem superaddat, à qua illa alia pars omnino distinguatur, nam de ratione partium componentium aliquod totum est, quod vna non includatur formaliter in alia, aliàs pars illa, quæ aliam includeret, non esset pars, sed totum, & hoc modo anima rationalis distinguitur inadæquate ab homine, scilicet vt pars à toto, & ideo homo aliam partem scilicet corpus superaddit, in quo anima non includitur, sed distinguitur omnino ab illo. Secundo potest vna res ab alia inadæquate distingui, tamquam ratio indeterminata, & communis à ratione determinata, & particulari, & ad hoc solum requiritur, quod res confuse, & in communi concipiatur inadæquate, & implicite, hoc est, secundum rationem communem, non vero secundum particularem modum essendi explicitum, quem habet à parte rei, & hoc modo ratio entis inadæquate distinguitur à differentia substantiæ, quia ens confusè, & inadæquate, & implicite cognoscitur secundum rationem communem entis, hoc est, vt est quid oppositum enti chimerico, non vero secundum modum particularem essendi per se, & explicitum, quem habet à parte rei ab ipsa differentia substantiæ vide quæ diximus supra disp.præscendenti c.3.n.24.& 27.

11 Sed vrgeat; res nullo modo etiam inadæquate posse distingui à se ipsa, sed differentia substantiæ, & quæuis eius formalitas est ipsummet ens, ergo ens nullo modo inadæquate distinguitur à differentia substantiæ, ac per consequens, nec potest ab illa præscindi. Respondeo rem aliquam, si semper secundum eumdem modum adæquate concipiatur, non posse vlla ratione à se etiam inadæquate distingui, si vero res concipiatur inadæquate secundum rationem communem distingui inadæquate à se ipsa, vt includente etiam modum aliquem essendi particularem, cum ergo ens inadæquate concipiatur secundum rationem communem entis, & differentia, substantiæ licet sit ipsummet ens etiam includat modum essendi per se particularem, ideo ratio entis vt sic inadæquate distinguitur à differentia substantiæ.

12 Obiiciat secundo, principaliter; si ratio entis posset à differentiis præscindi, v.g. à differentia substantiæ posset postea contrahi per talem differentiam substantiæ, sed ratio entis non potest contrahi per differentiam substantiæ, ergo non potest ab illa præscindi. Probo minorem, cum aliqua ratio communis per differentiam contrahitur, componit cum illa aliquod totum metaphysicum, sed ratio entis non potest componere totum aliquod metaphysicum cum, differentia substantiæ, quia hæc differentia cum includat formaliter in se ipsam rationem entis, non est pars metaphysica, sed totum, atque ita non potest in compositionem intrare, ergo ratio entis non potest contrahi per differentiam substantiæ. Respondeo, rationem entis præcisam non posse contrahi per differentiam substantię per modum compositionis, vt cum ipsa differentia aliquod totum componat, hoc enim repugnat, vt argumentum conuincit, posse tamen rationem entis contrahi per differentiam substantiæ per modum adæquationis, & expressionis, ita vt ens antea inadæquate solum cõceptum secundum rationẽ communem, & in cõfuso concipiatur, iam adæquate, etiã secundum modum essendi per se particularem, & explicitum, quem habet per differentiam substantiæ.

13 Obiiciat tertio principaliter, ratio, & formalitas, entis quæ datur in ente creato. quatenus ratio entis formaliter, creatur, & dependet à Deo, ergo quatenus ratio entis formaliter includit differentiam creaturæ, & dependentiam à Deo, ergo ratio entis non potest formaliter à tali differentia, & dependentia præscindi. Probo antecedens, in ente creato dantur hæ duæ rationes, & formalitates, nimirum ratio, & formalitas entis, & ratio, & formalitas creati, ac dependentis; Arguo sic; actio creatiua Dei non præscindit vnam formalitatem ab alia in suo effectu, vt omnes admittunt, ergo non solum attingit formaliter in se ipsa rationem, & formalitatem entis creati, sed etiam talis creatio attingit formaliter in se ipsa rationem, & formalitatem entis, ergo ratio, & formalitas entis vt sic formaliter creatur, & dependet à Deo. Confirmatur, ratio entis non creatur solum identice, quia creatur alia formalitas entis creati, cum qua ipsa à parte rei identificata sit, sicut essentia diuina solum identice est vnita humanitati Christi, quia vnitur illi filiatio verbi diuini, cum qua essentia ipsa à parte rei identificata est, sed si ratio entis, vt sic formaliter non crearetur, ac dependeret à Deo, solum identice esset à Deo creata, & dependens, sicut essentia diuina solum identice est vnita humanitati Christi, ergo ratio entis vt sic formaliter creatur, & dependet à Deo, ac proinde ratio entis non potest ab hac differentia creaturæ, & dependentia præscindi.

14 Respondeo, rationem, & formalitatem entis esse intime inclusam essentialiter in formalitate, ac differentia entis creati, ac dependentis, cum ratio entis sit ratio transcendens omnes differentias, formalitatem vero, ac differentiam entis creati, & dependentis non esse intime, ac essentialiter imbibitam in ratione, & formalitate entis; non enim est ratio transcendens respectu illius, vt supra probatum est, à num.quinto,

vnde

vnde cum actio creatiua, attingat formaliter rationem, & formalitatem entis creati, attingit neceſſario etiam formaliter rationem, & formalitatem entis, quæ in illa formaliter, ac eſſentialiter includitur, & ideo ratio entis formaliter à Deo dependet, & creatur; cognitio vero communis entis, cum attingat rationem & formalitatem entis vt ſic, in qua non imbibitur formaliter, & eſſentialiter differentia, & formalitas entis creati, ſed ſolum ratio entis, eamque præſcindit à differentia creaturæ, & dependentia à Deo; ergo ſaluantur hæc duo, ſcilicet quod ratio entis formaliter creatur, atque dependet à Deo, & quod præſcindi poſſit à differentia creaturæ. Ad confirmationem Reſpondeo, non ideo eſſentiam diuinam eſſe tantum identice vnitam humanitati Chriſti, quia eſſentia ipſa ſecundum ſe formaliter non ſit vnita, ſed quia eſſentia Dei non includitur formaliter in filiatione, quæ immediate vnitur, ſed ab illa diſtinguitur diſtinctione virtuali, quæ æquiualet diſtinctioni reali, ratione cuius vnio hypoſtatica attingit filiationem, & non attingit immediate eſſentiam diuinam, at ratio entis licet præſcindi poſſit per rationem à differentia creaturæ, tamen non diſtinguitur à differentia creaturæ diſtinctione virtuali, quæ æquiualet reali, ſed in illa formaliter includitur, ac proinde actio creatiua, quæ attingit differentias creaturæ, etiam formaliter attingit, & producit rationem entis, & ideo ratio entis non identice, ſed formaliter creatur, & dependet à Deo, licet eſſentia Dei identice ſolum humanitati Chriſti vniatur.

15 Igitur oſtenſum eſt rationem entis eſſe poſſe à differentiis præciſam, nimirum à Deo, & creatura, ſubſtantia & accidenti; atque ita ex hoc cap. non eſſe analogam, vt auctores ſupra citati n. 4. intendebant, vnde ratio dubitandi cap. 1. poſita, adhuc manet in ſua vi.

CAPVT III.

Ratio entis vt pure præciſa non eſt analoga propter dependentiam.

16 ALij permulti ſupponentes rationem entis poſſe præſcindi à ſuis differentiis, aſſerunt ipſam rationem entis vt ſic præciſam non eſſe vniuocam, ſed analogam propter dependentiam, & inæqualitatem, hoc eſt, quia participatur inæqualiter à ſuis inferioribus; ratio enim entis à Deo participatur independenter, à natura vero participatur dependenter à Deo, cū ipſa creatura à Deo vere dependeat, ſimiliter ratio entis participatur à ſubſtantia independenter ab accidenti, cum ſit ens exiſtens in ſe, ab accidente vero participatur dependenter à ſubſtantia, cum ab illa accidens pendeat tamquā à ſubiecto, hanc opinionem tenet, & fuſe explicat Suarez diſp. 28. met. ſ. 3. & diſp. 32. ſect. 2. n. 11. quem plures recentiores ſequuntur, & videri etiam poſſunt ſupra apud citatos auctores.

17 Arbitror etiam rationem entis vt pure præciſam propter ſolam inæqualitatem, & dependentiam iam explicatam, non eſſe analogam, ita plures neoterici ſapientiſſimi, & Hurtado ſupra, Arriaga, & Carleton ſect. 7. n. 3. & aduerto ſermonem eſſe de propria & ſtricta, & ſpeciali analogia ab vniuocatione diſtincta, hæc autem noſtra ſententia probatur, primo à priori; ratio entis vt præciſa non includit formaliter prædictam dependentiam & inæqualitatem, ergo ratio entis præciſa ratione talis dependentiæ non eſt inæqualis, & diuerſa, ergo ratio entis vt præciſa ratione dependentiæ non eſt analoga, ſed manet abſolute, & ſimpliciter eadem omnino, ac per conſequens vniuoca: vtraque conſequentia eſt euidens, nam ſi ratio entis præciſa eſſet analoga propter dependentiam, eſſet propter talem dependentiam aliquo modo diuerſa, ſi autem ratio entis, vt præciſa eſſet propter dependentiam aliquo modo diuerſa, vt præciſa includeret in ſe formaliter talem dependentiam, ac diuerſitatem, ergo ſi ratio entis vt præciſa non includit in ſe formaliter talem dependentiam, ac diuerſitatem, ratio entis vt præciſa non erit aliquo modo diuerſa, nec analoga propter prædictam dependentiam: antecedens autem ſcilicet rationem entis vt præciſam non includere in ſe actu, & formaliter ipſam dependentiam, & inæqualitatem, ſic oſtendo; illa dependentia, & inæqualitas ſcilicet quod creatura participet ens, dependenter à Deo, Deus autem ens participet independenter à creatura, conuenit rationi entis ratione differentiarum entis creati, & increati, vt perſpicue conſtat, ſed ratio entis, vt præciſa non includit actu, & formaliter in ſe differentias entis creati, & increati, cum præciſa ſit ab illis, ergo ratio entis vt præciſa non includit in ſe actu, & formaliter prædictam dependentiam, & inæqualitatem, ſed præſcindit ab illa.

Dicat aliquis, rationem entis, vt præciſam eſſe 18
participabilē inæqualiter à ſuis inferioribus ſcilicet à Deo, & creatura, ſubſtantia & accidenti, atque ita vt præciſam includere illam participabilitatem inæqualem, & eſſe aliquo modo inæqualem, & diuerſam quod ſufficit, vt talis ratio entis præciſa non vniuoca, ſed analoga ſit; ſed contra eſſe rationem entis participabilem inæqualiter ab inferioribus nihil aliud eſt, quam eſſe aptam ſecundum ſe ad prædictam participabilitatem inæqualem inferiorum, ergo ratio entis præciſa ſecundum ſe non habet actu, & formaliter, ſed tantum aptitudine, & in potentia diuerſitatem illam, ac inæqualitatem participationis, ergo ratio entis præciſa ſecundum ſe actu, & formaliter eſt omnino eadem, ac per conſequens non eſt analoga actu, & formaliter, ſed vniuoca.

Probatur, ſecundo à poſteriori, datur aliqua ratio 19
communis, quæ inæqualiter participatur ab inferioribus modo explicato, quæ tamen eſt omnino vniuoca; non vero analoga, ergo talis inæqualitas, & dependentia non conſtituit rationem analogam: antecedens oſtendo, & aduerto prius, cum ſol lucet, & calefacit, lux illa non dependet, nec producitur à calore calor vero dependet & producitur à luce, hoc poſito, arguo ſic; in hoc caſu ratio communis qualitatis participatur inæqualiter à qualitate lucis, & à qualitate caloris, nam à luce participatur independenter à calore, & à calore participatur dependenter à luce, & tamen ratio communis qualitatis illi calori, & illi luci non eſt analoga, ſed vniuoca, vt omnes communiter fatentur, ergo datur aliqua ratio communis, quæ inæqualiter participetur ab inferioribus, quæ tamen non ſit analoga, ſed vniuoca.

Reſpondeat quiſpiam primo, duplicem eſſe depen- 20
dentiam: aliam realem, & phyſicam, aliam logicam, & formalem: dependentia realis, & phyſica eſt, quando vna res ab alia cauſatur, & dependet à parte rei, nō vero per rationem, quia concipi poteſt ſine ordine & dependentia ab illa: dependentia vero formalis, & logica eſt, quando vna res etiam per rationem ab alia dependet, i tavt non poſſit accipi ſine ordine ad illam ratio ergo communis ſolum conſtituitur analoga propter dependentiam formalem, non vero propter dependentiam pure phyſicam, vnde cum in caſu argumenti calor phyſice pure dependeat à luce, non vero formaliter, & per rationem, ideo ratio qualitatis ad calorem, & ad lucem, eſt ratio vniuoca, cum vero creatura etiam formaliter, & per rationem dependeat à Deo, & accidens à ſubſtantia idcirco ratio entis ad Deum, & creaturam, ad ſubſtantiam & accidens eſt analoga propter dependentiam. Sed contra, ratio qualitatis ad potentiam vitalem, & ad actum vitalē, eſt ratio non analoga, ſed vniuoca, & tamen actus

vitalis,

vitalis,etiam formaliter, & per rationem dependet à potentia vitali, nequit enim concipi per rationem actus vitalis sine ordine ad potentiam vitalem,à qua oritur, ergo ratio communis non constituitur analoga propter dependentiam formalem, ergo ratio entis licet hanc habeat dependentiam in inferioribus non erit analoga,sed vniuoca.

21 Respondeat secundo, ad rationem analogam non sufficere dependentiam formalem inferiorum, sed requiri dependentiam formalem, inæqualem, ita vt vnum ab alio dependeat formaliter quod non dependeat ab alio formaliter, si enim mutuo vnum ab alio formaliter dependeat, non erit dependentia formalis inæqualis,sed dependentia æqualis, quæ non causat diuersitatem,& analogiam,cum ergo actus vitalis ita formaliter pendeat, & dicat ordinem ad potentiam vitalem,quod etiam potentia vitalis pendeat,& dicat ordinem ad ipsum actum vitalem,saltem vt possibilẽ, talis dependentia non est inæqualis, sed æqualis formaliter,ac proinde rationem qualitatis ad actum, & potentiam analogam non constituit.Sed contra, etiã creatura,ita dicit ordinem formaliter ad Deum,quod Deus etiam vt omnipotens dicat formaliter ordinem ad creaturam saltem vt possibilem, & accidens ita formaliter dicit ordinem ad subsstantiam, quod subsstantia etiam formaliter dicat ordinem ad accidens, cui subsstare potest,ergo inter Deum,& creaturam,& inter subsstantiã,& accidens datur æqualis dependentia,seu ordo formalis ac per rationem,sicuti datur inter actum,& potentiam vitalem, ergo ratio entis ad Deum,& creaturam,&c.est ratio vniuoca,sicut ratio qualitatis est ratio vniuoca ad potentiam, & actum vitalem. Deinde, qualitas vitalis vt sic est ratio vniuoca,& non analoga ad actum intellectus, & ad actũ voluntatis, & tamen datur hîc dependentia inæqualis inferiorum, nam actus vitalis voluntatis pendet formaliter ab actu vitali intellectus,actus vero intellectus non pendet formaliter ab actu voluntatis,ergo inæqualis dependentia formalis non constituit rationem analogam; denique ratio qualitatis est vniuoca visioni albedinis, & ipsi albedini, & tamen visio albedinis formaliter pendet ab albedine, albedo vero non pendet formaliter à visione, ac proinde datur dependentia formalis inæqualis,ergo cum dependentia formali inæquali datur vera ratio vniuoca, ergo licet ratio entis hanc inæqualem dependentiam haberet,non esset ratio,analoga,sed vniuoca.

22 Respondeat tertio, dependentiam formalem ac inæqualem inferiorum, quæ constituit analogiam esse præcise illam, qua vna res dependeat ab alia, quæ à nullo alio in eo genere dependeat, licèt dependeat in alio genere causæ, cum ergo creatura dependeat à Deo omnino independenter ab alio, & accidens in genere causæ materialis dependeat à subsstantia quæ ab alio in genere causæ materialis non pendet, ideo ratio entis ad Deum, & creaturam, subsstantiam, & accidens est ratio analoga propter talem dependentiam. Sed contra, pars physica est ratio communis non analoga, sed vniuoca ad materiam,& formam subsstantialem materialem, & tamen forma subsstantialis materialis pendet materialiter à materia quæ materialiter ab alio non pendet, ergo cum dependentia ab alio independenti in eo genere causæ inuenitur ratio vniuoca, ergo talis dependentia rationem proprie analogam non constituit. Confirmo, visio albedinis pendet obiectiue ab ipsa albedine,quæ obiectiue ab alio non pendet, & tamen ratio qualitatis non est ratio analoga, sed vniuoca ad visionem,& ad albedinem, ergo dependentia vnius ab alio independenti in eo genere causæ non facit rationem analogam. Vrgeo,potentia sensitiua accidentalis equi v. g. pendet à forma subsstantiali eiusdem equi in genere causæ materialis, & ipsa forma subsstantialis in eodem genere causæ materialis pendet ab alio, scilicet à materia prima equi, ergo inter hoc accidens,scilicet potentiam sensitiuam, & hanc subsstantiam scilicet formam subsstantialem in qua illa sustentatur non datur dependentia vnius ab alio independenti in eo genere causæ, ergo ratio entis ad hoc accidens, & hanc subsstantiam non erit analoga, sed vniuoca,quod renuis admittere.

Sed obiiciat aliquis primo Arist.4.met.cap.2.& 7. 23
met.cap.1. Asserentem rationem entis ad subsstantiã & accidens esse analogam, quia accidens non est ens nisi cum dependentia, & ordine ad subsstantiam, & D.Th.1.p.q.13.art.5.in corpore docentem, rationes omnes communes Deo, & creaturis esse analogas, propter dependentiam, & ordinem, quem habent creaturæ ad Deum, ergo in sententia Arist. & D.Th. ratio entis est analoga propter dependentiam. Secundo, cum alicua ratio alicui inferiori conuenit proprie,aliis vero improprie,& cum ordine ad aliud, talis ratio est vere analoga,vt ostendimus supra disp.10. cap. 2. Sed propter summam dependentiam quam creatura habet à Deo,& independentiam ipsius Dei, ratio entis conuenit proprie,& simpliciter Deo,creaturæ vero improprie,& cum ordine ad ipsum Deum, ergo ratio entis propter talem dependentiam est analoga ad Deum, & creaturam. Minor constare videtur ex illo Exod.tertio *ego sum,qui sum*,veliuxta LXX.*ego sum ipsum ens*,ac si Deus ipse diceret, rationem entis solam ipsimet Deo proprie,& simpliciter competere, & non creaturæ, vnde Patres communiter hunc locum interpretantes,omnia creata comparatione Dei, quasi non entia esse dicunt,quia ab eo,qui est per essentiam,totum suum esse perceperunt,ergo ratio entis Deo competit proprie,& simpliciter, creaturæ vero improprie,& per dependentiam ab ipso Deo:Tertio,ratio entis vt præcisa non solum est vna, sed etiã aliquo modo est inæqualis,& diuersa ratione dependentiæ, ergo ratio entis præcisa ratione dependentiæ est analoga:probatur antecedens, ratio entis præcisa, eo modo est participabilis ab aliis inferioribus quo inferiora illam participant, sed inferiora, scilicet Deus, & creatura ratione dependentiæ iam explicatæ,participant inæqualiter rationem entis, ergo ratio entis præcisa est inæqualiter participabilis ab inferioribus scilicet à Deo,& creatura, ergo ratio entis vt præcisa est aliquo modo inæqualis, & diuersa.

Hæc autem obiecta facile diluo. Ad primum Res- 24
pondeo,Aristotelem,& D.Thomam non loqui de analogia stricta,& speciali, sed de analogia lata, & communi, quam verum est, conuenire rationi entis respectu Dei,& creaturæ, subsstantiæ, & accidentis ob prædictam dependentiam,vt dicam cap.5.n.35.at nos in præsenti disputamus de analogia speciali, & stricta, quæ vere non competit rationi entis ob illam inæqualem dependentiam, vt monstratum est.Ad secundum Respondeo, solum colligi Deum esse solum ens à se,& per essentiam,creaturam vero non esse hoc modo, sed tantum habere esse participatum ab ipso Deo,quod etiam Patres præcisè intendunt, nec enim negant, ens creatum esse vere, & proprie ens, cum vere,& proprie enti chimerico opponatur,sed dicunt non esse ens à se, sed per participationem, & palam exponit D.Hieronymus in illud Pauli ad Philip.3.*ex quo omnis paternitas in cœlo,& in terra nominatur*.Ad tertium Respondeo, rationem entis præcisam esse inæqualiter participabilem ab inferioribus;hinc vero solum inferri habere aptitudine, & in potentia talem inæqualitatem participationis,non vero actu,& formaliter,ac proinde actu, & formaliter ratione illius dependentiæ non esse inæqualem, & analogam, sed omnino vnam,& vniuocam, vt dixi n.18.

Igitur

Igitur oſtenſum eſt, prædictam inferiorum inæqualitatem, & dependentiam non ſufficere ad conſtituendam ſtrictè, & propriè analogiam; atque ita rationem entis ob talem dependentiam inferiorum, & inæqualem participationem non eſſe ſtrictè analogiam; ſed ad ſummum latè, & in communi, vt infra oſtendo ex D. Thom. & Caietano; vnde ratio dubitandi poſita ſupra cap. 1. qua probatur rationem entis non eſſe analogam, ſed vniuocam non eneruatur.

CAPVT IV.

Ratio entis vt purè præciſa non eſt analoga propter tranſcendentiam.

26 NOnnulli alij, vt entis explicent analogiam ad tranſcendentiam recurrunt dicentes, ratione entis etiã vt purè præciſam eſſe partim vnam, cum à differentiis præſcindat, & partim eſſe diuerſam, quia talis ratio entis ipſas inferiorũ differentias formaliſſimè conſtituit, cum tranſcendens ſit, & imbibita intimè in omnibus illis, & ita non ſolum ſit ratio conueniendi, ſed etiam differendi, ex quo infero rationem entis ob prædictam tranſcendentiam eſſe verè & ſtrictè analogam, etiamſi vt purè præciſa conſideretur, ita Suarez ſupra diſp. 28. ſect. 3. num. 25. & diſp. 32. ſect. 2. num. 15. Conimbricenſes hic quæſt. 5. art. 2. & plures recentiores initio commemorati.

27 Arbitror tamen rationẽ entis præciſam vt purè præciſam hoc eſt, ſi tantum conſideratur ſecundũ id, quod habet, vt ſubeſt conceptui cõmuni præciſiuo non eſſe analogã propter tranſcendentiam. Probatur, ratio analoga debet eſſe neceſſario aliquo modo diuerſa, ſed ratio entis vt purè præciſa, & vt præcisè ſubeſt cõceptui cõmuni præciſiuo non eſt aliquo modo diuerſa propter tranſcendentiã, ergo ratio entis vt purè præciſa non eſt analoga propter tranſcendentiam: probo minorem, ratio entis vt purè præciſa non tranſcendit, nec conſtituit differentias formaliter, ſed potius ab illis ſeparatur, & præſcinditur: ergo ratio entis vt purè præciſa non eſt aliquo modo diuerſa propter tranſcendentiam.

28 Reſpondeat aliquis rationẽ entis vt purè præciſam tranſcendere & conſtituere differentias non quidẽ in actu exercito cum ab illis abſtrahatur, ſed ſolũ in actu ſignato, quatenus apta eſt, ipſas differẽtias formaliter tranſcendere, & conſtituere & hoc ſufficere, vt ratio entis vt purè præciſa ſit aliquo modo diuerſa & analoga, propter tranſcendentiã. Sed cõtra, ratio entis vt præciſa non trãſcendit, & cõſtituit differentias in actu exercito, ſed ſolũ in actu ſignato, id eſt, non conſtituit differẽtias actualiter, ſed tantũ eſt apta illas cõſtituere ergo ratio entis vt præciſa actu, & formaliter non eſt diuerſa, ſed ſolũ in potentia, & aptitudine: Probatur hęc cõſequentia, ratio entis præciſa eatenus eſt diuerſa, quatenus tranſcendit, & conſtituit differentias, ſed ratio entis vt præciſa non tranſcendit nec conſtituit actu & formaliter differẽtias, ſed ſolum in potentia, & aptitudine, ergo ratio entis vt pure præciſa non eſt actu, & formaliter aliquo modo diuerſa, ſed ſolum aptitudine, ergo ratio entis vt pure præciſa, licet ſit apta tranſcendere, & conſtituere differentias non eſt actu, & formaliter analoga, ſed ſolum vniuoca.

29 Igitur etiam oſtenſum eſt rationẽ entis vt purè præciſam, & vt ſubeſt præcisè conceptui communi præciſiuo non eſſe analogã ratione tranſcendentiæ, ac proinde ratio entis vt purè præciſa erit vniuoca, & ratio à nobis ſupra poſita in principio ad probandum rationem entis, vt purè præciſam non eſſe analogam, ſed vniuocam, ſuum ſeruat robur, ac firmitatem: modo reſoluendum quam vniuocationem, & analogiam habeat ens reſpectu ſuorum inferiorum, quin à communi modo loquendi recedamus.

CAPVT V.

Quæſtio reſoluitur, & entis vniuocatio & analogia explanatur.

PRo maiori, & faciliori intelligentia eorum, quæ dicenda ſunt; præmitto triplicem conceptum poſſe quemlibet conficere de quauis re, alium genericum, vel alium quaſi genericum, alium pecificum, vel quaſi ſpecificum, alium differentialem: conceptus generic. 31
cus eſt illa cognitio, qua ratio aliqua communis à ſuis ſpeciebus vel quaſi ſpecieb. præſcinditur, vt cum ratio entis conſideratur ſecundum ſe; & præſcinditur à Deo, & creatura, talis cõceptus precíſus, genericus, vel quaſi genericus dicitur; conceptus ſpecificus eſt cognitio, qua concipitur aliqua ratio generica, vt iam contracta per differentiam ad aliquid eſſe ſpecificum, vt cum conſideratur ratio entis vt contracta iam ad eſſe Dei, vel adeſſe creaturæ, talis cõceptus ſpecificus, vel quaſi ſpecificus appellatur; Conceptus differentialis eſt cognitio, qua ſolum cognoſcitur differentia, per quam poteſt contrahi genus adeſſe ſpecificum, vt cum conſideratur differentia Dei, vel differentia creaturæ, talis conceptus differentialis vocatur.

Hoc ſuppoſito cum quærimus, an ratio entis ſit analoga, vel vniuoca poteſt talis ratio entis tribus modis ſpectari. Primo vt præcisè ſubeſt conceptui generico præciſiuo, quo ratio entis ſolum ſecundum ſe concipitur, & ab omni alio præſcinditur. Secundò vt ſubeſt conceptui generico præciſiuo, quo cognoſcitur ratio entis ſecundum ſe, & vt ſubeſt etiam conceptui ſpecifico, quo concipitur ratio entis vt contracta ad eſſe, vel ad eſſe creaturæ, quaſi ſpecificum. Tertio vt ſubeſt conceptui generico præciſiuo, quo concipitur ratio entis ſecundum ſe & vt ſubeſt conceptui differentiali quo formaliter concipitur differentia Dei, & differentia creaturæ, per quas contrahi poteſt ratio entis, & in hac triplici acceptione examinandum eſt, an ratio entis ſit analoga, an vniuoca. 32

ASSERTIO I. ratio entis primo modo accepta, hoc eſt, vt præcisè ſubeſt cõceptui generico præciſiuo, quo purè ſecundum ſe concipitur, & præſcindit à ſuis differentiis, non eſt analoga ad Deum, & creaturam, aut ad ſubſtantiam & accidens, ſed omnino vniuoca. Ita auctores citati ſupra cap. 2. in principio. Probatur manifeſta ratione; Analoga ſunt quorum nomen eſt cõmune, & ratio ſubſtantiæ eſt partim eadem, & partim diuerſa, vniuoca vero ſunt, quorum ratio ſubſtantiæ eſt omnino eadem, vt diximus diſp. 28 c. 1. & 2. ſed reſpectu entis, vt purè præciſa, & vt præcisè ſubeſt conceptui quaſi generico præciſiuo non eſt partim diuerſa, ſed eſt omnino eadem, quia vt ſic ab omni differentia & diuerſitate præſcindit, ergo ratio entis, vt ſubeſt præcisè tali conceptui non eſt analoga, ſed vniuoca. Confirmatur, ſi aliqua ratione ratio entis vt ſic præciſa eſſet diuerſa, & analoga maximè propter dependentiam, vel propter tranſcendentiam, ſed ratio entis vt purè præciſa, & vt ſubeſt tantum conceptui præciſiuo non eſt actu, & formaliter diuerſa, & analoga propter dependentiam, vt oſtendi c. 3 nec etiã propter tranſcendentiã, vt oſtendi c. 4. ergo ratio entis vt purè præciſa, & vt ſubeſt tantũ conceptui quaſi generico præciſiuo nõ eſt diuerſa, & analoga, ſed vniuoca. 33

Sed obiiciat quis, ſi ratio entis vt purè præciſa eſſet ratio vniuoca, ad Deũ, & creaturam, etiam eſſet genus ad Deum, & creaturam; ſed ratio entis non eſt genus ad Deum, & creaturam, Deus enim ſub nullo genere cõſtituitur: ergo ratio entis vt purè præciſa nõ eſt vniuoca Deo, & creaturæ, igitur eſt analoga. Reſpõdeo ad hoc vt aliqua ratio communis ſit genus, non ſufficere quod ſit ratio vniuoca, ſed inſuper etiam requiri, quod in conceptu differentiali formaliter non includatur, vt oſtendi ſupra diſp. 10. cap. 3. num. 27. &

docent expræsse Aristoteles 11. met .c.1.& D.Thom. 3.met.lect. 8. asserentes, quod si genus includeretur formaliter in conceptu differentiæ non esset proprie genus, cum ergo ratio entis vt pure præcisa licet sit omnino vna,& vniuoca, talis vero sit, quod nullus possit esse conceptus differentiæ Dei vel creaturæ, in quo illa formaliter non includatur, ideo ratio entis vt pure præcisa licet sit omnino vniuoca non est genus ad Deum,& creaturam.Oppositum acriter defendit Arriaga disp.11 Logica sect.4.à n.44.vsque 47.& disp 7.de genere sect.1. subsect.5.n.25.

34 Assertio II. Ratio entis secundo modo accepta,hoc est, vt subest conceptui quasi generico præcisiuo quo est præcisa à differentiis, & conceptu etiam quasi specifico, quo est contracta ad esse specificum Dei, & creaturæ,&c.est analoga non quidem stricta, & speciali analogia, sed analogia lata & communi. Ita Arist.& D.Thomas 1.n.23. & expresse Caietanus 1.de nominum analogia c.3.& 4.de analogia inæqualitatis,Carleton disp.40.Logicæ s.5.Prior assertionis pars scilicet ratione entis,vt subest illis duob.conceptibus esse analogam probatur:Analoga sunt,quorum nomen est cõmune,& ratio substantiæ nõ est omnino eadẽ,sed partim est eadẽ,& partim est diuersa, atqui ratio entis, vt subest conceptui præcisiuo quasi generico est eadẽ in Deo,& creatura,substantia & accidẽti; vt subest vero conceptui specifico est diuersa,quia ab illis inferioribus inæqualiter participatur,scilicet à Deo longe perfectiori modo,& magis absolute,quã à creatura,& à substãtia magis perfecte,ac simpliciter quã ab accidẽti,vt per se constat,atq;ita ratio entis,vt subest his duobus conceptib. generico,& specifico est partim eadẽ &partim diuersa,ergo ratio entis vt subest illis duobus conceptib.est analoga; Posterior pars assertionis scilicet ratione entis vt subest illis duobus conceptib.generico,&specifico non esse analogã,speciali,& stricta analogia,sed tantum analogia lata, & communi sic ostenditur,analogia specialis, & stricta est illa,quæ non conuenit rationi vniuocæ, analogia vero cõmunis,vel lata est illa,quæ etiã in ratione vniuoca aliquo modo inuenitur,atqui analogia entis modo explicata,etiã in ratione vniuoca aliquo modo inuenitur,etiã ratio generica animalis,quæ simpliciter vniuoca est, vt subest cõceptui generico præcisiuo est vna, & vt subest cõceptui specifico,est etiã diuersa cũ longe perfectiori ac diuerso modo participetur ab homine,quã ab equo,atq;ita ratio animalis vt subest illis duob.conceptib.generico scilicet & specifico, est partim eadẽ,& partim diuersa; ac proinde est aliquo modo analoga modo prędicto,ergo hęc analogia, qua dicitur in præsẽti analoga ratio entis,nõ est analogia stricta,& specialis.sed solum lata,&communis.

35 Sed obseruare oportet,vt tota hæc doctrina perspicua fiat,& mens Arist.& D.Thomæ & aliorũ grauiũ doctorum intelligatur,analogiã istã cõmunem modo explicatã, licet cuiuis rationi genericæ aliquo modo cõueniat,rationi vero entis respectu Dei,& creaturæ substantiæ & accidẽtis specialiter attribui,quia Deus, & creatura,substantia,& accidẽs cũ speciali inæqualitate,& diuersitate participant in conceptu specifico rationẽ entis,quæ in aliis rationib.genericis nõ inuenitur,nã Deus participat rationem entis, vt ens à se omnino indepẽdens,creatura vero,vt ens participatũ & omnino dependens ab ipso Deo,substãtia etiã participat rationẽ entis vt ens per se existens non inhęrens alteri,accidens vero vt ens existens in substãtia & inhærẽs ipsi substãtiæ:quę quidẽ magna & specialis diuersitas,ac inæqualitas est,vnde Arist.& D.Tho. locis cit. Caietanus, & alij graues Doctores appellant rationem entis respectu Dei, & creaturæ substantiæ & accidentis, analogã specialiter inæqualitatis,non quidẽ, quia ratio entis præcisa habeat strictã aliquam analogiam,quæ rationi simpliciter vniuocæ aliquo modo non conueniat,sed quia ratio entis, vt subest illis cõceptibus habet analogiã communẽ ipsi specialiter attributam respectu Dei,& creaturæ,substantiæ &accidentis propter prędictã rationem,quam analogiam inæqualitatis reperiri in generib.respectu specierum docet expresse Caietanus illo aureo libello de nominum analogia c.2.& 3.& D.Thom.1.p.13. art.5.& in 1.dist.19.q.5.art.2. ad primum;nam si de analogia stricta, & speciali sermo est, sola indiuidua eiusdẽ speciei vocari deberent rigorose vniuoca, quia sola illa præter nomen commune rationem eãdem;& omnimodã,& æqualiter ab omnibus participatam,illa vero lata & communis,quæ à nobis adstruitur improprie & abusiua appellatur à recentioribus vt à Complutensibus,Lerma Arriaga, & aliis.

Assertio III. ratio entis tertio modo accepta, 36
hoc est, vt subest conceptui generico præcisiuo, quo concipitur ratio entis secundum se, & præscinditur à differentiis, & vt subest etiam conceptui differentiali,quo concipiuntur differentiæ Dei, & creaturæ, substantiæ & accidentis est stricte,& proprie ac simpliciter analoga. Ita auctores citati c.4.in principio, & est communis inter omnes.Probatur,analoga sunt quorũ nomen est cõmune,& ratio substantiæ est partim eadẽ,& partim diuersa,sed ratio entis, vt subest illis duob. conceptib.est partim eadẽ,& partim diuersa, nã vt subest conceptui generico præcisiuo est eadẽ cũ à differentiis præscindat, vt subest vero cõceptui differentiali est differens,ac diuersa,cũ ipsas differentias Dei,& creaturæ,substantiæ & accidentis transcendat formaliter, & constituat, ergo ratio entis, vt subest iis duobus conceptibus est proprie analoga.

Dicat quispiam cum Scoto in 1.dist.3.q.3. & dist. 37
8.q.2.& in 2.dist.3 q.6.cum suis discipulis rationem entis non transcendere, nec includi formaliter in cõceptu vltimæ differentiæ,quia differentia v.g.Dei,& differentia creaturæ vt differentiæ formaliter omnino inter se differunt,conueniunt autẽ secundũ rationẽ,atq;ita secundũ rationẽ entis non sunt formaliter differentiæ:sequitur ergo rationem entis non includi formaliter in conceptu differentiæ Dei v.g.aut creaturæ,vnde cum talis ratio entis differẽtias formaliter non transcendat aut constituat,nõ erit partim diuersa,& analoga sed omnino eadem, & stricte vniuoca.

Sed impugnatur,ens reale, & verum est id, quod 38
directe,& formaliter opponitur enti chimerico, sed differentia Dei v. g. ex suo formali conceptu est aliquid directe, & formaliter oppositum enti chimerico, ergo differentia Dei ex suo formali conceptu est ens reale & verum, ergo ratio entis realis includitur in formali conceptu talis differentiæ: minor probatur,illud directe, & formaliter opponitur enti chimerico,quod est à parte rei sine fictione intellectus, sed differentia ipsa Dei, qua Deus in ratione Dei constituitur est à parte rei sine fictione intellectus,ergo differentia Dei opponitur directe, & formaliter enti chimerico. Ad rationem vero Scoti Respondeo differentias Dei v.g.& creaturæ si explicite, & adæquate concipiantur secundum rationes particulares vere inter se differre,si vero confuse, & inadæquate concipiantur solum secundum rationem entis, vel substantiæ &c.formaliter inter se etiam conuenire,ex quo solum sequitur rationem entis vel substantiæ non esse adæquatum formale constitutiuum differentiarum,non vero sequitur rationem entis,aut substantiæ inadæquate & formaliter in ipsis differentiis includi.

Dicat præterea aliquis,licet ratio entis in differẽtiis 39
Dei v.g.& creaturæ per se & formaliter includatur, ipsam tamen rationem entis non esse rationem differendi,sed solum conueniendi,quia non constituit formaliter

maliter differentias, quatenus inter ſe differunt, ſed quatenus inter ſe conueniunt, cum prædictę differentiæ in ratione entis ſemper conueniant, & nunquam differant, ex quo fit rationem non eſſe aliquo modo diuerſam, & analogam ſtricte, ſed ſolam vniuocam. Sed impugnatur: differentia Dei, & differentia creata differunt inter ſe realiter, ergo tales differentiæ quatenus inter ſe differunt formaliſſime ſunt entitates reales, alias realiter non differrent, ſed entitas quæuis realis conſtituitur formaliſſime per rationem entis, nulla enim eſt entitas realis, quę includit in ſe formaliter, & per ſe ens, ergo ratio entis formaliter conſtituit prædictas differẽtias etiã quatenus inter ſe differunt, ac proinde ratio entis eſt etiam ratio differendi, vnde dicendum eſt differentias Dei, & creaturæ in ratione entis confuſe, & inadæquate conceptæ ſecundum formalitatem entis præciſam ſemper continere, in ratione vero entis explicite, & adæquate cognitæ ſecundum particulares modos eſſendi, in quibus ipſa formaliter includitur, etiam differre vt numero præcedenti docuimus, & diſp. 18 cap. 3. n. 24. 25. & 27.

40 Ex dictis infero primo rationem quamlibet tranſcendentem v. g. rationem ſubſtantiæ, rationem accidentis &c. à ſuis inferioribus præciſam ſi conſideretur ſolum vt ſubeſt conceptui quaſi generico præciſiuo eſſe vniuocam, ſi autem conſideretur, vt ſubeſt conceptui quaſi generico præciſiuo, ac etiam conceptui differentiali proprie, & ſtrictè eſſe analogam. Probatur, quia talis ratio tranſcendens primo modo accepta eſt omnino eadem, ſecundo autem modo conſiderata eſt eadem partim, & diuerſa partim, vt conſtat ex his, quæ diximus ſupra aſſertione 1. & 3. ergo primo modo accepta eſt vniuoca, & ſecundo modo conſiderata eſt ſtricte analoga.

41 Infero ſecundo, aliquas eſſe rationes communes in perfectionibus creatis, & increatis, quæ non ſint analogæ, analogia ſtricta, & ſpeciali, ſed analogia ſolum lata & communi; ipſis tamen ſpecialiter attributa. Prima pars probatur, analogia ſpecialis, & ſtricta ſolum prouenit ex tranſcendentia rationis communis in differentiis inferiorum, vt ex tota hac diſputatione conſtat, ſed aliquæ dantur rationes communes perfectionibus increatis, & creatis, quæ non tranſcendunt differentias inferiorum, v. g. ratio miſericordiæ ad miſericordiam creatam, & increatam ratio iuſtitiæ ad iuſtitiam increatam & creatam, & aliæ ſimiles, ergo aliquæ ſunt rationes communes perfectionibus increatis, & creatis, quæ non ſint analogæ analogia ſpeciali, & ſtricta.

42 Addo etiam ſi ſtricta analogia ex illa inæquali dependentia colligeretur, quã ponunt auctores ſupra, citati cap. 3. adhuc non omnis ratio communis perfectioni increatæ, & perfectioni creatæ eſſet ſtricte analoga, nam viſio intuitiua, v. g vt communis eſt viſioni intuitiuæ creatæ, & increatæ eſſet ſtricte vniuoca, cum nec viſio creata pendeat à viſione increata, nec è contra, viſio increata pendeat à viſione creata, nã Deus non agit per ſcientiã viſionis vt in Theologia ſuppono; ſecundaet iam pars ſcilicet dictas rationes communes Deo, & creaturis eſſe analogas analogia lata, & communi, ipſis tamen ſpecialiter attributa patet; ratio miſericordiæ infinitæ perfectius participatur à miſericordia increata, quam à miſericordia creata ac proinde cũ inæqualitate infinita, quę hic tãtũ, & ſpecialiter reperitur, & ideo analogia lata, & cõmunis, quę ex inęqualitate inferiorũ oritur, his rationib. cõmunib. Deo, & creaturis ſpecialiter attribuitur.

43 Infero tertio, aliquam eſſe rationem communem ad ſubſtantiam & accidens, quæ nullo modo ſit ſtrictè analoga, ſed ſolum late & communiter. Probatur eodem modo, quo prędcedens corollarium probatum eſt, nam ratio principij vt ſic cõmunis ad principiũ ſubſtantiale, & ad principiũ accidentale non eſt ratio trãſcendens eorũ differentias, ergo non eſt ſtricte analoga. Patet, quia ſtricta analogia ſolum ex tranſcendentia conſurgit, vt oſtenſum eſt, at talis ratio principij inæqualiter participatur à principio ſubſtantiali, & à principio accidentali, nã principiu ſubſtantiale eſt per ſe exiſtens & non pẽdens à ſubiecto inhæſionis, principiũ vero accidentale eſt inhærens alteri, ab eoq; vt à ſubiecto inhæſionis dependẽs, ergo talis ratio principij eſt late, & cõmuniter analoga. quia hæc cõmunis & lata analogia ex inæqualitate reſultat, vt ex Caietano & aliis docui n. 34. & diſp. præcedenti per totam.

Hinc ad rationem dubitandi ſupra poſitam cap. primo occaſione cuius hæc omnia dicta ſunt, ſolutio patet ex dictis, ſolum enim probat rationẽ entis vt pure præciſam eſſe vniuocam ſecundum quid, quod nos fatemur n. 32. ad primam cõfirmationem dico, ad analoga impropria requiri, quod ratio conueniat vni proprie, aliis vero improprie, & metaphorice, non vero ad analoga propria qualis eſt ratio entis, ſufficit enim quod ſit ratio tranſcendens differentias, quod non habet ratio animalis, & ideo non eſt analoga, quo ſecunda confirmatio diluitur. 44

DISPVTATIO XIX

An ratio entis ad Deum & creaturam, ſubſtantiam & accidens ſit verè genus?

DVo capita continebit, In primo ratio dubitandi proponitur, & modi dicendi aliorum refelluntur; in ſecundo tota controuerſia elucidatur.

CAPVT I.

Ratio dubitandi proponitur, & modi dicendi aliorum refelluntur.

NOnnulli diuidunt ens, in ens completũ, & incõpletũ, & docent rationẽ entis, vt præſcindit ab ente cõpleto, & incompleto tranſcẽdere omnes differentias, in quib. formaliter imbibitur ratio entis, ac proinde non eſſe genus, quia de ratione generis eſt, quod nõ ſit ratio tranſcẽdens differẽtias, vt ſæpe ſuperius diximus, rationẽ vero entis cõpleti nõ eſſe rationẽ tranſcendentẽ differentias entiũ completorũ, quia differẽtia nõ eſt ens completũ, ſed incompletũ, ac proinde rationẽ entis cõpleti; cũ aliunde etiã ſit ratio vniuoca, eſſe vere & proprie gen. ad omnia entia cõpleta. 1

Sed aduerſus hanc doctrinã (quã libens infra amplexabor) hæc ratio dubitandi cõſurgit, etiã ens completũ eſt ratio tranſcendens omnes differentias, ergo etiã ens completũ non eſt genus. Probo antecedẽs, ens cõpletũ eſt quoddã totũ coaleſcens ex ratione cõmuni, & ex ratione alia particulari, ſed quæuis differẽtia v. g. differẽtia Dei, aut differẽtia creaturæ eſt totũ quoddã coaleſcens ex ratione communi ſcilicet ex ratione entis, quæ in illa formaliter includitur, & ex ratione alia particulari ſcilicet ex ipſa ratione differẽtiæ Dei, & creaturæ, ergo quæuis differentia eſt formaliter ens cõpletum, ergo ratio entis cõpleti eſt etiã ratio tranſcendẽs omnes differẽtias. Confirmatur, quia vel poteſt eſſe ſermo de ente cõpleto phyſico, quod eſt conſtãs ex materia & forma phyſica vel de ente cõpleto metaph. quod eſt conſtans ex ratione communi, & ratione particulari: ſi de phyſico ſermo ſit, differentiã eſt formaliter ens completum phyſicè, rationale enim, quę eſt differentia hominis includit materiam, & formam, quatenus ſunt principium ratiocinandi, ſi autem ſit ſermo de ente completo metaphyſico, etiam quæuis differentia eſt ens metaphyſice completum, cum conſtet ex ratione communi, & particulari, vt 2

nuper ostendi, ergo ens completum, quodcumque sit, semper est transcendens differentias, ac per consequens ratio entis completi non est genus.

3 Dicat aliquis primo; solum hic esse sermonem de ente completo metaphysico, quod quidē non est illud, quod constat præcisè ex ratione aliqua communi, & ratione aliqua particulari, vt ratio dubitādi supponit, sed ens metaphysicè, seu logicè completū, esse totum quoddam constat ex genere, & differentia, differentia autem Dei v.g. aut creaturæ non est constans ex genere, & differentia, atq; ita differentia formaliter non est ens completum, nec ens completum transcendit ipsas differētias, & idcirco ratio entis completi est verè genus; Sed contra: ens completum, vt sic non est aliquid constans ex genere & differētia; ergo ens metaphysicè completū non est necessariò id, quod constat genere, & differentia: consequentia est euidens, antecedēs patet ens completum, vt sic solum constat ex ratione cōmuni entis, vt abstrahit ab ente cōpleto, & incompleto, ac etiā ex ratione particulari entis completi, sed ratio communis entis vt abstrahit ab ente completo & incompleto, non est verè genus, cum sit ratio transcēdens, vt aduersarij fatentur, nec ratio etiam particularis entis vt completi est propriè differentia, cum differentia supponat genus, quod hic non reperitur; ergo ens completum non est propriè aliquid constans ex genere, & differentia.

4 Dicat secundo ex doct. Suar. disp. 33. met. sect. 1. n. 22. ad hoc vt aliquid sit ens metaphysicè cōpletum requiritur, quòd concipiatur à ratione per modū totius per se stantis, ad rationem vero entis metaphysicè incompleti sufficere, quod à ratione cōcipiatur per modum formæ adiacentis; ratio ergo entis, de qua loquimur, concipitur à ratione per modum per se stantis, & ita ens est metaphysicè completū, differētia vero Dei v.g. aut creaturæ concipitur à ratione per modum formæ adiacentis, & ideo talis differentia non est ens metaphysicè completū, sed incompletum, ac proinde ratio entis completi non transcendit, nec includitur in differentiis, & ita est vnum genus. Sed contra, quod ratio entis cōcipiatur per modum per se stantis, & differentia Dei v.g. aut creaturæ cōcipiatur per modum adiacentis, non se tenet ex parte obiecti, sed ex parte modi concipiendi, ergo ex parte obiecti præcisè ratio entis non est magis ens cōpletum, quā ratio differentię, ergo ratio entis cōpleti, quatenus se tenet præcisè ex parte obiecti transcendit formaliter differentiā, sed ratio cōmunis, quæ vt se tenet ex parte obiecti transcēdit formaliter differentias non est verè, & propriè genus, vt ostensum est sup. c. de genere disp. 10. c. 3. n. 27. & disp. 18. c. 5. n. 31. ergo ratio entis cōpleti non est genus. Vrgeo, ratio entis, vt sic præcisa ab ente cōpleto, & incōpleto est ratio transcendens differentias inferiorū, vt aduersarij ipsi admittunt, & tamen talis ratio entis vt sic concipitur etiam à nobis per modum per se stātis, igitur, & differentiæ cōcipiuntur per modū formæ adiacētis, ergo ex eo præcisè, quod ratio entis cōpleti cōcipiatur à nobis per modū per se stantis, & differentiæ cōcipiantur per modū adiacētis, non tollitur, quod ratio entis cōpleti sit ratio transcendens ipsas differētias ac proinde talis ratio entis completi non erit genus.

5 Dicat tertio cum quibusdā neotericis ingeniosis, ens cōpletum creatū esse id, quod terminat actionē Dei sub ratione actionis, ens vero incōpletum esse illud, quod tantū terminat actionē Dei, vt talem, hoc est terminat solum differentiā actionis, ens autē vt abstrahit à cōpleto, & incōpleto esse id, quod teminat actionē Dei sumptā, vel pro subsstantia actionis, vel pro differentia actionis, ex quo inferunt ens, vt abstrahit à cōpleto, & incōpleto esse transcendens differentias subsstantiæ & accidentis, quia quæuis differentia hoc modo est formaliter ens, cum terminet actionē Dei, vel secundum rationē actionis, vel secundum differentiā ipsius actionis; ens vero cōpletum, quod solum terminat actionem Dei sub ratione actionis non esse transcēdens differētias, quia differentia subsstantię v.g. vel accidentis non est hoc modo ens cōpletum: nam licet terminet actionem vt talē, hoc est differentiam actionis, non tamen terminat actionē quoad subsstantiā & sub ratione actionis, quod ad rationē entis cōpleti desideratur, ac proinde ens cōpletum creatū esse genus. Sed cōtra: differentia subsstantiæ, v.g. absolutè, & simpliciter, & sine vllo additamento creatur à Deo, ergo talis differētia terminat actionē absolutè, & non tantū differentiā actionis, ac per consequens erit etiam differentia ens cōpletum sicuti ipsa ratio entis: probo hanc consequentiā: differētia actionis Dei absolutè, & simpliciter non est actio sed differentia, & determinatio actionis, sicut differentia rationalis v.g. rationalitas non est simpliciter animal, sed differentia & determinatio animalis: ergo si differentia subsstātiæ absolutè, & simpliciter terminat actionē creatiuā Dei, absolutè determinabit terminationē actionis, & non tantum differentiā actionis, antecedēs autē scilicet differentiā subsstantiæ absolutè, & simpliciter creari à Deo, sic ostendo, differētia illa subsstātię est aliqua creatura realis & vera absolutè, & simpliciter, cum secundū se enti chimerico directè & formaliter opponatur, sed omnis entitas realis, & vera creaturæ eo modo, quo illa in se ipsa est, creatur à Deo, vt fides docet, ergo differentia subsstantiæ absolutè, & simpliciter creatur à Deo, his ergo modis nō rectè explicatur, quomodo ens cōpletum non sit ratio trāscendens differentias inferiorum, & qua ratione sit genus.

CAPVT II.

Tota controuersia elucidatur.

6 SI semel rectè explicetur quę sit ratio formalis entis cōpleti, & incōpleti, facilè quæstio diluitur, ens ergo verum, & reale, vt abstrahit à cōpleto, & incōpleto est id, quod directè, & formaliter opponitur enti chymerico, ens vero cōpletum est illud ens, quod claudit in se formaliter omnia prædicata essentialia vsque ad differentiam specificam infimam, ens autem incompletum est ens illud, quod non continet in se formaliter omnia prædicata essentialia vsque ad speciem infimam, sed ab aliquo prædicato præscindit; & aduerto hic semper esse sermonem de ente solum completo, aut incompleto metaphysicè; certum ergo est rationem entis incompleti, vel rationem entis, vt abstrahit à cōpleto, & incompleto esse rationē transcendentem, vt dixi disp. 19 c. 5. n. 37. ac proinde non esse genus; dubium tamen est an ratio entis completi cōmunis ad omnia entia completa increata, & creata subsstantialia, & accidētalia, verè & propriè genus sit.

7 ASSERTIO sit, ratio entis completi communis ad omnia entia completa in particulari est propriè, & strictè genus. Ita recentiores non indocti. Probatur, si aliqua ratione ens completum non esset genus, maximè quia vel esset ratio transcendens differentias, vel alia ratione esset analoga, sed ens completum, nec est ratio transcendens differentias, nec alia ratione est analoga, ergo ens completum est vere genus: consequentia est euidēs: maior certa, minor quoad primam partem, scilicet ens completum non esse rationem transcendentem differentias inferiorum sic ostenditur; ens completum est quoddam ens claudens in se formaliter omnia prædicata essentialia vsque ad speciē infimam, sed differentia v.g. rationale licet sit verū ens non tamen est ens claudēs in se formaliter omnia prædicata essentialia vsque ad speciē infimam, sed solum prædicatū aliquod differentiale, ergo differentia, vt differentia formaliter non est ens completum, sed incompletum, ergo ens completum non est ratio trāscendens ipsas differentias: minor etiam quod secundam

dam partem, videlicet ens completum non esse alia ratione, & via, rationem analogam, sic probatur, ens completum, si alia ratione præter transcendentiam esset ratio analoga, maximè ratione inæqualitatis, & dependentiæ, non enim est alia via vnde possit illi analogia prouenire, sed inæqualis dependentia non est sufficiens, vt reddat rationem aliquam proprie, & strictè analogam vt ostendi disp. 10. cap. 3. & 5. ergo ens completum non est etiam alia ratione & via ratio analoga, nihil ergo quod impediat rationem entis completi esse vere, & proprie genus.

8 Sed obiiciat quis, si ratio entis completi esset vere, & propriè genus esset in aliquo prædicamento, immo, & Deus etiam, qui sub tali genere esset, sub aliquo prædicamento collocaretur, at nec ratio entis completi, nec Deus sub illa contentus in prædicamẽto aliquo constituitur, ergo ratio entis completi non est vere, & proprie genus. Respondeo decem prædicamenta ex hominum libito fuisse destinata, & designata ad particularia omnia, & formalia prædicata de quolibet creato indiuiduo declaranda, atque ita prædicamenta esse diuisiones quasdam, ac rationes particulares entis creati, vnde rationes entis communes non collocantur in prædicamento, sed rationes particulares, nec indiuiduum, ac singulare increatum sub prædicamento ponitur, sed solum indiuiduum, & singulare creatum, cum ergo ratio entis completi non sit ratio particularis entis, sed communis, & Deus non sit indiuiduum creatum, sed increatum, ideo nec ratio entis completi, quamuis sit proprie genus, nec Deus licet sub genere aliquo sit, vere, & proprie in prædicamento aliquo collocantur.

9 Hinc colligitur, quid de substantia completa, vel incompleta, vel vt abstrahit à completa, & incompleta dicendum sit, substantia itaque vt abstrahit à completa, & incompleta, est radix subsistentiæ, substantia vero completa est substantia illa, quæ claudit omnia prædicata substantialia, & formalia vsque ad speciem infimam substantiæ; substantia autem incompleta est illa substantia quæ omnia hæc prædicata substantialia, ac essentialia non claudit, sed ab aliquo præscindit, ratio ergo substantiæ incompletæ, vel quæ abstrahit à completa, & incompleta est ratio transcendens, atque ita non est genus, ratio vero substantiæ completæ non est ratio transcendens, nec alia via est analoga, ac proinde est verum genus, quod eadem ratione ostenditur, qua idem in simili supra de ratione entis completi probatum est.

Obiiciat fortasse quis, substantia quatenus constituit genus supremum in prædicamento substantiæ est ens completum, nihil enim quod non est ens cõpletum directè in prædicamento ponitur, alioquin ratio illa substantiæ, si completa non esset, esset ratio transcendens, & ita non esset genus, nec ad prædicamentum substantiæ pertineret, sed substantia vt sic, quatenus secundum genus constituitur in prædicamento substantiæ non claudit in se formaliter omnia prædicata essentialia substantialia vsque ad speciem infimam substantiæ, quin potius ab eis præscindit, ergo substantia completa non est illa, quæ claudit in se omnia prædicata substantialia, & formalia prædicata vsque ad speciem infimam substantiæ. Respondeo, sicut non omnes rationes vniuocæ, quæ sunt vere genus, ad prædicamenta attinent, vt dictum est n. 9. ita nec omnes rationes communes, quæ ad prædicamenta spectant, (quidquid communis sententia dicat) esse vere vniuocas, & proprie genera, sed aliquas esse analogas inter quas est substantia in communi, quæ incohat prædicamentũ substantiæ, cum enim substantia vt sic non includat omnia substantialia, & formalia prædicata vsque ad speciem infimam substantiæ, non est substantia completa, sed ratio substantiæ abstrahens à completa, & incompleta, & ita est vere ratio transcendens omnes differentias substantiæ & proprie analoga, ac proinde non est genus, quod nullum incõueniens reputamus, vt latius in metaph. ostẽdemus, quod etiã de ratione substantię diximus, de ratione accidentis etiam proportionaliter dicẽdum est. 18

Ad rationem dubitandi in primo cap. positam solutio patet ex dictis, iam enim superius explicatum est, quomodo ratio entis cõpleti non sit transcendens, sed verã rationẽ generis obtineat; cætera remittimus tum ad prædicamentum substantiæ & ad metaphysicã, vbi longiori calamo, de iis tractatum instituimus. 11

Et hæc de Toto tract. quarto de vniuocis, æquiuocis, denominatiuis, & analogis dicta sint satis.

TRACTATVS QVINTVS,

In libros de prædicamentis, seu cathegoriis Aristotelis.

PHILOSOPHVS in his libris intendens eamdem primam nostri intellectus operationem, scilicet simplicem apprehensionem, (de qua hucusque loquuti sumus) dirigere; series quasdam prædicatorum, quas prædicamenta seu cathegorias vocat, constituit, vt quispiam cuiusque rei essentiam, & accidentia facile, & ordinate cognoscat, & primo agit de substantia quæ est præcipuum membrum, in quod ens secundum totam suam latitudinem diuiditur, quæ alia, non solum nobilitate, & perfectione, sed etiam notitia, & tempore antecellit, cuius nos doctrinam in sequentibus explanabimus.

Summa textus Aristotelis.

HÆc de prædicamentis disceptatio directe ad metaphysicam spectat, sed iam in dialectica communiter de illis peragitur, & nos mentem Philosophi in capite de substantia sic exordimur totam litteram in tres partes diuidit, in: prima supposita diuisione substantiæ in primam & secundam substantiam, illas definit, prima substantia est, quæ nec in subiecto, nec de aliquo subiecto dicitur, secundæ vero substantiæ sunt, quæ substant primis, prima substantia est singularis, vt Petrus; secundæ vero substantiæ sunt vniuersales, vt genera, & species: in secunda parte comparat primas substantias cum secundis, & singulas inter se, & dicit primas substantias esse magis substantias quã secundas eo, quod magis substant, & sustentant accidentia, ideo enim homo sustentat accidentia, quia Petrus illa sustentat: secundo quia prima substantia substat secundis substantiis & accidentibus: secundæ vero solis primis. Inter primas autem substantias vna non dicitur magis substantia quam altera.

De secũdis vero substãtiis docet Arist. non manere destructis primis quod iuxta varia authorum placita intelligi debet, & illas cõparat inter se, & ait, genera & species esse substantias completas, non vero differẽtias, & species esse magis substantias quam genera, eo quod species est nobis magis nota, nam si quis 12

vellet assignare primam substantiam videlicet Petrum, melius illum demonstraret afferendo speciem, scilicet hominem, quam afferendo genus scilicet animal, quia species magis nota est, & indiuidua, quam genus; differentiæ vero non sunt secundæ substantiæ completæ, quia adiacent aliis. In tertia parte enumerat sex proprietates substantiæ quæ semper pertinent ad litteræ Philosophi explicationem, vt de more est in Academiis, in lectionibus quæ fiunt 24. horarum spatio, ad obtinendas cathedras, ego vero nunc illas remitto ad finem huius capitis de substantia.

Hinc colliges, quare Aristoteles prius egerit de substantia, quam de aliis prædicamentis, quia scilicet 7. Metaphys. cap. 41. text. 1. docet, *Quod substantia omnium primum est, ratione, notitia, & tempore, aliorum autem nullum est separabile*; hæc autem sola est natura prior, quia substantia est causa accidentium independens ab illis, omnis vero causa realis ad minus est prior suo effectu, est cognitione, seu definitione prior, quia accidentia definiuntur per ordinem ad substantiam, non vero è contra, & id, quod prior est realiter, cognoscitur, & prius, iuxta illud eiusdem Arist. proloquium, *sicut res se habet ad esse, ita & ad cognosci.* Tertio est prior tempore, quia vt docet D. Thomas super locum Arist. sect. 1. intra latitudinem substantiæ datur aliqua substantia, quæ vllis substet accidentibus vt Deus; intra latitudinem vero accidentis non datur accidens sine substantia secluso miraculo: secundo quia Pater est tempore prior filio, Auus nepote, & alia; ergo verè substantia est prior iis tribus modis cæteris prædicamentis.

Dices, cognitionem accidentis antecedere cognitionem substantiæ quæ mediis accidentibus cognoscitur, cum per illa deueniamus in cognitionem substantiæ: secundo quia vt inquit Arist. 7. Meth. cap. 4. *quæ sunt minus entia, prius cognoscuntur*, nam substantiæ materiales prius cognoscuntur, quam spirituales, & immateriales; sed accidentia sunt minus entia, quam substantia; ergo prius cognoscuntur. Respondeo accidentia multum conducere ad cognitionem confusam substantiæ, quia substantia corporea ex se inuisibilis est, non vero ad cognitionem substantiæ distinctam à priori, quia ad hanc cognitionem potius conducit cognitio substantiæ ad cognoscenda accidentia. Vel secundo Respondeo cognitione sensus accidentia esse priora substantia non vero cognitione intellectus, quod aliis terminis dici solet cognitione perfecta substantiam esse priorem accidentibus, cognitione vero imperfecta, accidentia esse priora substantiis, & his breuiter claudit Arist. litteram textus totius capitis de substantia.

DISPVTATIO XX.

De Prædicamento substantiæ.

QVATVOR capita continebit. In primo inquiro, quid sint prædicamenta, & quid ad eorum essentiam requiratur. In secundo, an decem sint prædicamenta. In tertio quænam in hoc prædicamento collocentur. In quarto quæ distinctio necessaria sit ad constituenda prædicamenta.

CAPVT I.

Quid significet nomen prædicamentum, & quæ ad illud requirantur.

1 DE hac re, & prædicamentis agunt cum Arist. & D. Thoma omnes Physici, & Dialectici, qui ipsos sunt sequuti, ex recentioribus Suarez disp. 32. & 39. met. in variis locis, Conimbricenses c. 5. de substantia & cap. 4. per varias quæstiones, & articulos, Complutenses disp. 12. de substantia per plures quæstiones, Auersa qu. 15. & 16. de prædicamentis, & de substantia, Hurtado, disp. 10. & 11. meth. per varias sectiones, Arriaga disp. 3. & 4. Metaphysicæ. Lerma lib. 7. de prædicamentis per plures quæstiones, Merinero disp. vnica de substantia. Vallius tom. 1. Logicæ, fusissimè de prædicamentis & de substantia per plures quæstiones Franciscus Alphonsus disp. 15. & 16. Logicæ, Ioan. à S. Thoma q. 15. Logicæ, Carleton disp. 7. Met. sect. 1. & 2. apud quos videri possunt innumerabiles tam ex antiquis, quam recentioribus, qui perlucide rem hanc perlustrant, ad rem igitur nostram deueniendum.

2 Prædicamenta sunt superiores quædam entis creati diuisiones, quibus prædicatorũ series ordinatè collocantur, pro cuius elucidatione, aduerte ens creatum immediatè diuidi in substantiam & accidens. Deinde accidens diuidi in quantitatem, qualitatem, relationem, &c. atque ita mediatè, vel immediatè substantia, quantitas, qualitas, relatio, &c. sunt superiores quædam entis creati diuisiones; rursus in quauis diuisione ex prædictis intellectus noster inuenit plura prædicata subordinata inter se, quæ ab vno prædicato supremo vsque ad aliud infimum quasi gradatim descendunt, v. g. in substantia Petri inuenit intellectus esse substantiam, deinde corpus, deinde viuens, deinde animal, deinde hominem, tandem Petrum, & etiam in quantitate alia prædicata inter se eodem modo subordinata reperiuntur; & alia in qualitate, relatione, &c. quæ quidem prædicata subordinata inter se series prędicatorum appellantur, ac proinde in quauis entis creati diuisione, ex illis prædicatis aliqua prædicatorum series, & dispositio inuenitur, istæ ergo entis creati diuisiones in quibus hæ prædicatorum dispositiones, ac series per intellectum præfato ordine collocantur, prædicamenta, seu cathegoriæ dicuntur.

3 Hinc infero, prædicamentum aliquid includere pro materiali, & aliquid pro formali, pro materiali quidem includit ipsa prædicata realia quæ à parte rei verè dantur, v. g. in Petro esse substantiam corpus, viuens, animal, hominem, Petrum: pro formali vero includit ipsam intentionem, & cognitionem rationis quæ ipsa prædicata seriatim, & ordinatè disponit, concipiendo scilicet in Petro, tamquam prædicatum supremum substantiam & isti quasi succedere aliud inferius, scilicet corpus, & isti aliud inferius scilicet viuens, & isti aliud inferius scilicet animal, & isti aliud inferius, scilicet hominem vsque ad vltimum indiuiduum, scilicet ipsum Petrum; cum autem ad Dialecticam spectet disputare de secundis intentionibus, ideo ad illam attinet, etsi res ad Metaphysicam pertineant, de prædicamentis differere tam pro formali, quam etiam pro materiali.

4 Sunt autem in quouis prædicamento duæ series prædicatorum, alia vocatur recta, alia dicitur lateralis, in linea recta ponuntur ea, quæ directè, & subordinatè de indiuiduo prædicantur, vt in Prædicamento esse hominem, esse animal, viuens, &c. De Petro etiam ita directè dicitur, quod sit homo, vt etiam de homine directè dicatur, quod sit animal, & de animali etiam dicatur directe, quod sit viuens, &c. & ideo hæc directa prædicata in recta linea prædicamentali constituuntur, in linea vero laterali ponuntur ea, quæ non directè, & subordinatè, sed quasi indirectè, & à latere prædicantur de indiuiduo, quales sunt omnes differentiæ essentiales, v. g. in eodem Petro rationale, & sensibile, rationale enim non ita directè de Petro dicitur, vt etiam de ipso rationali directè prædicetur, & dicatur esse sensibile, sed solum quasi indirectè, & à latere, & ideo

ideo hæc prædicata in linea laterali collocantur, alia ſolum reductiuè ad prædicamentum ſpectant, illa ſcilicet, quæ ex ſe non poſſunt in aliqua linea prædicamentali conſtitui, tamen attinent per ſe ad aliquid, quod verè & propriè in prædicamento ponitur, vt inferius conſtabit.

5 Aduertere tamen oportet, plura requiri, vt aliquod ens directè in prædicamento ponatur: primo, quod non ſit ens in communi, ſed ens particulare, & determinatum, quia cum prædicamenta ſint entis diuiſiones, vt dixi numero ſecundo, requiritur quod ſit ens iam diuiſum, & determinatum, vt ad prædicamentum ſpectet: ſecundo, quod ſit ens creatum, quia cum prædicamenta ſint diuiſiones entis creati, vt ibidem oſtendi, & fatetur omnis Philoſophorum & Theologorum ſchola requiritur neceſſario, quod ens creatum ſit, vt ad prædicamentum attineat: tertio non requiritur, quod ſit verè ens per ſe, ſed ſolum, quod licèt ſit ens per accidens, concipiatur admodum entis per ſe; ratio eſt, quia ſcientia quæuis completa pertinet ad prædicamentum qualitatis, vt omnes admittunt, & tamen non eſt verè ens per ſe, ſed ſolum ens per accidens ex plurium habituum aggregatione reſultans, conceptum tamen à nobis ad modum entis per ſe vt oſtenſum eſt ſupra Tract. 1. diſp. 2. cap. 3. ergo vt aliquid ſit in prædicamento non requiritur, quod ſit verè ens per ſe, ſed ſolum quod concipiatur à nobis per modum entis per ſe: quarto non requiritur, quod aliquid ſit verè ens metaphyſicè completum, aut verè genus, ſed ſolum quod per modum generis, aut entis metaphyſicè completi à nobis intelligatur. Probatur; ſupremum prædicamentum ſubſtantiæ pertinet directè ad aliquod prædicamentum ſubſtantiæ vt eſt apud omnes in confeſſo, & tamen talis ſuprema ſubſtantia non eſt ens metaphyſicè completum, nec verè genus, ſed ad ſummum per modum entis completi, & generis à nobis concipitur, vt conſtat ex dictis ſupra diſp. 20. cap. 2. num. 9. & 10. ergo vt aliquid directè in prædicamento ſit, non requiritur, quod ſit verè ens metaphyſicè completum, aut propriè genus, ſed ſolum quod ad modum entis completi, & generis concipiatur.

CAPVT II.

An decem ſint prædicamenta.

6 TRes in hac re auctores inueniunt ſententias: prima tenet prædicamenta eſſe plura, quam decem. Ita Simplicius hic, Plotinus lib. 1. c. 19. Secunda aſſerit eſſe pauciora, & vnicum tantum, vt exiſtimauit Plato. Tertia communis, quę aſſerit, prædicamenta tantum eſſe decem, nec plura, nec pauciora. Ita Ariſt. D. Thomas 3. Phyſic. lect. 5. 5. metaph. lect. 9. Fonſeca hic cap. 7. quæſt. 2. Rubio in prædicamentis, Vallius quæſt. 5. Hurtado ſupra ſect. 2. & ferè omnes Philoſophi commemorati numero primo.

7 Probatur primo inductione, & auctoritate Philoſophi, qui in præſenti decem prædicamenta numerauit, ſcilicet ſubſtantia, quantitas, qualitas, relatio, ſeu ad aliquid, actio, paſſio, vbi, quando, ſeu duratio, ſitus, habitus, ſeu habere; ſubſtantia quidem eſt illa entitas, quæ exiſtit per ſe independenter ab alio, cui inhæreat; quantitas eſt illa moles, qua vnum corpus eſt naturaliter impenetrabile cum alio corpore, hoc eſt non poteſt realiter eſſe in eodem loco cum illo, qualitas eſt accidens quoddam natura ſua inſtitutum, vt perficiat ſubſtantiam vel in ratione eſſentiæ, vel in ratione operādi, vt albedo, intellectus. Relatio, ſeu ad aliquid eſt illa ratio per quam vna res reſpicit aliam, vt Paternitas, qua Pater reſpicit filium, actio eſt illa ratio, per quam res aliqua aliam afficit, ac producit, vt calefactio, qua ignis calorem efficit; Paſſio eſt illa ratio, per quam ſubiectum aliquam in ſe formam ſuſtentat, vel patitur, vt cum quis patitur calorem aut frigus; Vbi eſt illa ratio, per quam res eſt præſens loco; Quando, vel duratio, eſt illa ratio, per quam res eſt præſens tempori. Situs eſt illa ratio, per quam res eſt in loco aliquo modo, ſcilicet, vel ſedendo, vel ſtando, vel cubando, &c. habitus, ſeu habere eſt aliquem eſſe veſtitum, armatum, &c. hæc autem prædicamenta, non ideo decem dicuntur, quia rationi ſtando, non poſſunt eſſe plura pauciora ve, nulla enim eſt ratio, quæ id probabiliter contineat, imò plures ſunt rationes, quæ vel plura prædicamenta, quam illa decem, vel pauciora eſſe oſtendant, quas congerunt plures auctores, & præcipuè Suar. diſp. 39. met. ſect. 2. & Conimbr. ſed ideò præcisè decem prædicamenta communiter numerantur, quia tot, & non plura, nec pauciora ab Ariſt. Dialecticæ inuentore, ac Philoſophiæ Principe recenſentur.

Poteſt, & hac efficaci ratione amplius probari; nam 8
omnes Philoſophi & Dialectici ex Ariſt. ens diuidunt in ſubſtantiam, & accidens, & hoc in nouem prædicamenta accidentium ſupra à nobis enumerata, ex qua diuiſione communiter ab omnibus recepta, D. Thomas opuſc. 48. Tract. 2. cap. 1. ſic argumentatur, ens, vel eſt in ſe, vel eſt in alio, ſi eſt ens in ſe, eſt ſubſtantia, ſi eſt ens in alio eſt accidens, & hoc vel eſt ad ſe, vel eſt ad aliud, ſi eſt ad ſe ſunt tria prædicamenta abſoluta, & ſunt ſubſtantia, quantitas, & qualitas, ſi eſt ad aliud, ſunt alia ſeptem ſupra enumerata, ſcilicet relatio, actio, paſſio, vbi, quando, ſitus, habitus, ſeu habere, nec alia nobis innotuerunt, ergo prædicamenta ſunt decem, nec plura, nec pauciora.

Dices, prædicamenta ſunt inſtituta, vt habeamus 9
veluti communes locos, ſeu ſeries omnium rerum, de quibus poſſit diſputari, ſed non ſolum poſſumus diſputare de entibus, ſed etiam de non entibus, & de entibus per accidens vt de ferro ignito, & de aliis entibus infinitis rationis, vt de vacuo, & ſicut nos ſumus in loco, & tempore, ita intelligentiæ ſunt in duratione, quæ eſt *æuum*, hæc autem non præcontinentur in vulgatis prædicamentis, ergo. Confirmatur, actio, & paſſio conſtituunt diuerſa prædicamenta ex eo, quod agens, & patiens diuerſo modo concurrunt ad effectum, ſed finalizatio, & finalizare etiam diuerſo modo concurrunt, ad effectum, ergo etiam diuerſum conſtituit prædicamentum. Reſpondeo, prædicamenta fuiſſe inſtituta pro entibus completis, vt oſtendi num. 5. non entia verò, & priuationes reduci ad illa, quatenus ſunt quædam imitationes eorum, quæ in decem prædicamentis collocantur, Ariſt. verò pro rebus ſpiritualibus has ſeries non conſtituit, ſed capite ſequenti de illis erit ſermo. Ad confirmationem Reſpondeo, res omnes non poſſe in diſputationem adduci, ſicut mare vt docuit Philoſophus, cum res ad ſcholas adducere non poſſimus, vtimur terminis loco rerum, ideo illas ad certas ſeries, & capita reduxit, ſub quibus omnes comprehenderentur aliquo modo, quæ fuerunt decem vt oſtendi numero 7. vnde eſſe veſtitum, eſſe armatum, amicum, vxoratum, & plura alia, ſaltem reductiuè, comprehenduntur.

Obiiciat quis, ex aduerſo, vnicum tantum prædi- 10
camentum eſſe, ſcilicet ens, ſecundum totam ſuam latitudinem, quod ſub ſe continet omnia entia, nam ens reale complexum, & incomplexum vniuoce prædicatur de decem prædicamentis maximè ſi ens vniuocum conſtitueretur reſpectu ſuorum omnium inferiorum, quia tunc æqualiter participaretur ab omnibus illis. Confirmatur, actio, & paſſio, & motus ex Ariſt. 3. Phyſicis ſunt idem realiter, ſed motus in nullo prædicamento directè ponitur, ſed reducitur ad

prædicamentum suorum terminorum, ergo nec actio, & passio constituunt prædicamenta distincta, sed reducentur, sicut motus, ergo non erunt decem; Respondeo ens simpliciter non esse vniuocum, sed analogum vt docui disp. præcedenti cap. 1. & præcipue 5. & ex hoc capite non posse constitui vnicum prædicamentum entis, sub quo cætera continerentur. Ad confirmationem dico actionem, passionem, & motum esse idem realiter, non vero formaliter, cum motus sit via ad terminum, & ideo reducitur ad passionem, actio vero, & passio sunt entia completa, & idcirco poni possunt, per se in prædicamento vt infra cap. 4. magis ostendo; sed rogabis an accidentia disponenda sint in suis prædicamentis in concreto physico, vel in abstracto physico? Respondeo, breuiter vtroque modo disponi posse, nam Philosophus in diuersis locis ea in concreto, & in abstracto numerauit, excipienda tamen actio & passio, nam sumpta in abstracto non possunt diuersa prædicamenta constituere, vt dicemus 3. Physic. tex. 19. atque ideo semper Arist. illa numerauit in concreto; nec valet si dicas, accidens in concreto continere subiectum, & formam quæ pertinent ad diuersa prædicamenta; nam hoc verum est sumendo seorsim subiectum, quod est substantia, & forma, non vero sumendo, vt constituit vnum totum, & sic pertinent ad prædicamentum proprium formæ constituentis tale totum, quia non solum datur coordinatio generum, & specierum circa formas in abstracto, sed etiam circa ipsa concreta, quia sicut qualitas est genus respectu coloris, & color respectu albedinis, sic etiam quale est etiam genus respectu colorati, & hoc respectu albi.

CAPVT III.

Quænam in hoc prædicamento substantiæ contineantur.

11 EX numero quinto constat, quid requiratur, vt res sit in prædicamento; ens enim in communi ad prædicamentum non pertinet, quia non est ens diuisum, ac determinatum, nec entia rationis, quia non sunt entia creata, sed conficta, prædicamenta autem sunt diuisiones entis creati, vt diximus numero primo, debet esse ergo substantia completa creata illa, quæ debeat poni in hoc prædicamento substantiæ, siue illa sit substantia materialis, siue spiritualis, quid autem dicendum sit de substantiis incompletis, & an directè ad hoc prædicamentum pertineant, ad finem capitis expono: modo breuiter rem dissoluo.

12 ASSERTIO I. In hoc prædicamento directè ponuntur omnes substantiæ completæ, corporeæ, & incorporeæ, & corruptibiles, vt sunt elementa, mixta plantæ, & alia, & similiter incorruptibilia, vt sunt corpora scilicet cælestia, vtraque pars apud omnes est certa, & sine vlla dubitatione, & prima pars probatur, nam omnes illæ substantiæ sunt completæ creatæ, & compositæ ex genere, & differentia, & radices subsistentiæ, ergo nulla suppetit ratio, vt ab hoc prædicamento excludantur. Secundo, etiam est eodem modo communis, etsi contra Auerroem, Nimphum, & Gandauo. Sed probatur, nam huiusmodi substantiæ sunt finitæ, & constant ex genere, & differentia, aliunde dicunt compositionem ex materia, & forma, siue sit eiusdem, vel diuersæ speciei, ergo debent directè poni in hoc prædicamento; nec valet dictum Philosophi, *quod corruptibile & incorruptibile genere differant*, nam licet verum sit de genere physico non vero in genere metaphysico, & logico, & solum voluit Arist. materiam corruptibilium diuersam esse à materia incorruptibilium, quod non efficit, vt in aliquo gradu ab omnibus præciso non conueniant, videlicet in ratione substantiæ finitæ, completæ, & compositæ, quod constituit formaliter hoc prædicamentum, nam tales substantiæ clauduntur sub diuisione aliqua entis creati, & de talibus substantiis directè, & subordinate plura prædicata dicuntur, vt ex dictis constat, ergo omnis substantia creata completa, v.g. Petrus, vel Bucephalus directe in hoc prædicamento constituitur, siue sit corporea, siue incorruptibilis, & incorporea.

ASSERTIO II. Substantiæ Angelicæ directe, & per se collocantur in prædicamento substantiæ. Est Arist. D. Thom. 10. met. lect. 12. & communis, vt notat Auersa in hac sect. 3. etsi contrariam teneant alij ab ipso relati. Probatur aperte; Angeli, etsi non sint compositi ex genere, & differentia, sunt tamen compositi ex actu, & potentia, ex essentia, & existentia, ex alia parte sunt substantiæ creatæ, & limitatæ, & completæ, & includunt etiam denominationem generis, & differentiæ, ergo debent absolute collocari in hoc prædicamento. Quam assertionem clarè ostendit Arist. 5. met. tex. 15. & lib. 7. tex. 15. vbi inter species substantiæ enumerat demonia, cælos, & astra, & Simplicius enumerat pro hac sententia. Platonem; nec obstat ipse Arist. 10 met. cap. vltimo tex. 30. & alibi *dicens Angelos esse substantias simplices*, quod verum est physice loquendo, cum sint puræ formæ, nec habeant potentiam contradictoriam ad essendum, & non essendum, non vero metaphysice seu logice, cum constent ex actu, & potentia, ex essentia, & existentia, ergo non sunt relegandi ab hoc prædicamento. 13

ASSERTIO III. Deus non ponitur in prædicamento substantiæ directè, & per se; est communis inter Theologos, & Philosophos, quos referunt Comp utenses, Conimbricenses, Auersa, Hurtado, Suarez, Arriaga, Franciscus Alphonsus, Lerma, Carleton supra disp. 6. sect. 2.

Probatur manifestè, quod ponitur in prædicamento substantiæ est ens creatum, sed Deus non est ens creatum, sed increatum, ergo Deus non ponitur in prædicamento. Secundo in Deo nulla datur compositio ex genere, & differentia, ex actu, & potentia, ex essentia, & existentia, sed est per se subsistens tamquam purissimus actus excludens omnem potentialitatem, sed nulla substantia potest collocari in hoc prædicamento quæ non sit capax alicuius ex his compositionibus; ergo non potest Deus poni in hoc prædicamento. Tertio Deus continet in se perfectiones omnium prædicamentorum, cum sit secundum essentiam infinitus, ergo non potest claudi à prædicamento quod est ens creatum. Consequentia certè probatur, nam id, quod continet perfectiones omnium generum non potest contineri sub aliquo particulari genere, aliàs si ipse Deus esset genus generalissimum substantiæ, omnes substantiæ prædicamentales participarent illud genus, & consequenter omnes essent infinitæ: aliunde si esset genus, essentialiter participaret rationem potentialitatis, quæ est de intrinseco conceptu generis, ergo propter hæc, & alia multa quæ adducuntur ab auctoribus non potest Deus, poni in prædicamento. 14

Dices infinitatem Dei non obstare, vt ponatur in prædicamento substantiæ, ergo. Antecedens probatur, si daretur linea infinitę quantitatis poneretur in prædicamento quantitatis, de quo infra, ergo etiam si detur substantia infinita potest poni in prædicamento. Respondeo, illam lineam in tali hypothesi fore infinitam secundum quid, seu syncathegorematice, Deum vero esse infinitum simpliciter secundum essentiam, & non esse parem rationem. 15

Dices secundo, saltem reductiue Deum poni in prædicamento substantiæ, quatenus est principium efficiens 16

ciens omnium substantiarum, sicut dicitur de materia & forma, quæ quia sunt principia substantiarum materialium reductiuè pertinent ad hoc prædicamentum. Respondeo materiam & formam ad minus reductiue, vt principia substantiarum materialium pertinere ad hoc prædicamentum, non vero Deum, vt asserunt Theologi 1.p.q.3. art.5.quæst.4. art.3. ad 2.& q.6.art.2.ad 3.nam id,quod reductiue ponitur in prædicamento participat saltem imperfecte rationem illius, sed in Deo nulla est admittenda imperfectio,ergo.Secundo si pertinet reductiue,vt principium ad genus prædicamenti non poterit se extendere vltra illud,vt contingit in puncto,vltra quod non progreditur quantitas, sed Deus non potest coarctari ad aliquod genus, cum sit principium totius esse; ergo melius cum Caietano dicemus Deum esse in omnibus prædicamentis tamquam continentem illa omnia, non vero tamquam aliquid ab eis contentum, vel Deum esse extra omnia genera,non autem in genere ob conceptum potentialitatis,ergo Deus nec reductiue pertinet ad prædicamentum substantiæ.

17 Assertio IV. Christus Dominus in quantum homo,& ex humana carne, & anima rationali subsistens, vere ponitur in hoc prædicamento. Est etiam communis contra Scotum,& probatur,nam Christus est vniuoce homo,sicut Petrus, & Paulus, ergo sicut Petrus ponitur in prædicamẽto,ita & Christus ratione naturæ assumptæ:antecedens probatur 3.p.q.2.Sed homo prædicatione in *quid*,& prædicatione speciei prædicatur de Christo,sicut de Petro,& Paulo,& sicut de aliis indiuiduis naturæ humanæ,ergo sicut Petrus, & Paulus, & alia indiuidua naturæ humanæ ponuntur in hoc prædicamento,ita & Christus Dominus, quod amplius probatur cap. cum Christus de Hæreticis; sicuti enim Christus est verus Deus, ita est verus homo.Tertiò,vt ostendi supra num.10.concreta ponuntur in prædicamento ratione formæ, sed humanitas significata per hoc nomen Christus, est vere composita ex genere,& differentia, imo & realiter ex materia,& forma,ergo ratione humanitatis, Christus,vere est in prædicamento.

18 Dices, solum ens creatum ponitur in prædicamento vt constat ex dictis, sed Christus est suppositum diuinum,vt docet fides,& omnis bona Theologia,in 3. p.q.16. art.3. & in 3.dist.6. ergo Christus Dominus non ponitur in prædicamento. Respondeo,esse disparem rationem; nam nomen est indifferens ad significandum suppositum,vel naturam; esse vero in prædicamento solum conuenit naturæ, quæ in Christo in quantum homo, est creata, sicut ambulare, & mori conuenit etiam ei ratione naturæ humanæ.Secundo, hoc, quod est poni in prædicamento appellat supra significatum formale subiecti, quod Christo conuenit ratione naturæ humanæ, nec valet dicere Christus est Deus, ergo Deus ponitur in prædicamento, nam variatur appellatio, nam in prima appellat supra Deum ratione naturæ diuinæ;in secunda vero supra Christum ratione naturæ humanæ secundum quam solum ponitur in hoc prædicamento.

19 Sed rogas,an differentiæ directè pertineant ad hoc prædicamentum; communiter dicitur differentias reductiue pertinere ad hoc prædicamentum primo, quia sunt substantiæ incompletæ, nam Aristotel. nomine substantiæ intellexit substantiam completam, & in *quid*,cui debetur subsistentia, & subsistere, & per se; secundo quia differentiæ excludunt compositionem ex genere, & differentia, quia vna pars metaphysica est extra aliam, ergo solum possunt pertinere ad latus. Petrus Hurtado disp.9.met.sect.3.n.31. Arriaga disp.3.met.sect.1.num.5. putant differentias debere collocari directe in recta linea prædicamenti substantiæ,quia per illas species pertinet ad hoc prædicamentum, & hanc prædicationem, Petrus est rationalis,tam directam esse,sicut istam, Petrus est animal; & Arriaga asserit substantiam non ita esse maioratum, in quam non succedat filius primogenitus, cum differentiæ sint de legitimo matrimonio nec obstat, quod differentiæ sint substantiæ incompletæ, vt à recta linea substantiæ excludantur,nam etiam materia, & forma sunt incompletæ, & docet Franciscus Alphonsus disp.16. de substantia sect 3.num.24. ponuntur in recta linea, nam in sententia Aristotelicorum linea,superficies,& corpus sunt tres species quãtitatis continuæ directæ, contentæ sub genere supremo quantitatis,& tamen linea, superficies, & corpus sunt quantitates physicę incompletæ,cum linea ordinetur ad superficiem, & hæc ad componendum corpus, ergo nec differentiæ, nec materia, & forma eo, quod sint substantiæ incompletæ debent extrahi à recta linea prædicamenti substantiæ, ergo multa cum probabilitate affirmari potest illas posse collocari in recta linea prædicamenti substantiæ directe,& per se.

CAPVT IV.

Quæ distinctio requiratur ad distinguenda prædicamenta.

PLura de distinctione diximus disp.4. de vniuersalibus cap.2. & de præsenti difficultate varia sunt auctorum placita, etsi non multum interfit hoc vel illo modo de hac re sentire, tres adinuenio sententias: prima asserit prædicamenta inter se realiter distingui,vt Paulus, Venetus, Nimphus, Caietanus 1. p.quæst.28.art.1.qui ex eo, quod relatio sit in vno genere,& substantia in alio, infert distingui realiter, & idem supponere videtur quæst. 54.art. 2. agens de distinctione reali inter esse Angeli, & eius intellectionem. Secunda sententia tenet non omnia prædicamenta debere distingui realiter, sed sufficere formalem distinctionem, ita Iandun.3. Physicæ q.5. art.6. & plures ex recentioribus.Tertia, sententia docet distingui prædicamenta per diuersos modos essendi, & prædicandi de prima substantia vt Fonseca 5. met. cap.7.Soncinas 5.met. quæst.13. Alensis, Capreolus, & plures, qui citantur à Suarez, Complutensibus, Auersa. Sit pro maiori claritate 20

Assertio I. Inter aliqua prædicamenta datur realis distinctio,non tamen illa inter omnia necessaria est, pro prima parte assertionis stant auctores prima sententiæ quibus fauet Caietan.supra, & D.Thomas 1.p.quæst.28.art.2.& 4.contra gentes cap.14. & & ibidem Ferrara maxime sumendo prædicamenta pro diuersitate rerum,& naturarum, quæ realiter distinguuntur. Probatur manifeste de substantia, & quantitate, quæ realiter distinguuntur, vt constat in Eucharistiæ Sacramento,& tamen diuersa constituũt prædicamenta; ergo aliqua prædicamenta inter se realiter distinguuntur:secunda etiam pars constat manifeste à posterioti, nam ex Aristotel.3. met.tex.19. asserente actionem, & passionem esse idem realiter cum motu, & eamdem entitatem, & tamen ex communi Philosophorum consensu,actio,& passio constituunt diuersa prædicamenta,ergo non ad omnia prædicamenta requiritur realis distinctio; & confirmatur, nam sex vltima prædicamenta non possunt vllo modo realiter distingui, non enim habent propriam existentiam nec per Dei potentiam possunt separata existere, cum sessio non possit esse sine sedente, nec vbi,sine eo quod sit in loco, & sic de aliis, ergo non est necessaria pro omnibus prædicamentis realis distinctio. 21

Assertio II. Ad prædicamẽtorum distinctionem ex 22

ex genere suo sufficit distinctio rationis, seu formalis ex modo nostro concipiendi. Ita Suarez cum pluribus ab ipso relatis disput. 39. met. sect. 2. num. 21. Vasquez 1. part. disp. 138. & 177. Toletus, Auersa, quæst. 16. de prædicamentis, sect. 4. Ocham dist. 24. quæst. 2. ad primum quodlibeto 5. quæst. 22. Durand. in 1. distinct. 30. quæst. 2. num. 20. Capreolus in primo dist. 8. qu. 2. Soncinas 5. met. quæst. 13. Iauellus quæst. 16. Herueus quodlibeto primo quæst. 9. Ferrara 3. Phys. quæst. 5. Hurtado supra sect. 2. & est communis; & D. Thomæ locis citatis num. præcedenti. Probatur primò à posteriori, nam actio, & passio diuersa constituunt prædicamenta, & tamen solum inter se distinguuntur ex modo nostro concipiendi, vt constat ex 3. Phys. ergo. Secundo probatur à priori, nam prædicamentum est quædam coordinatio prædicatorum, quam intellectus ac ratio nostra inuenit in aliqua re, sed in eadem reipsa entitate diuerso modo concepta inuenit sæpè intellectus, diuersas coordinationes prædicatorum, vt exemplum actionis, & passionis, quæ inter se reipsa non distinguuntur, & etiam exemplum vbi, & situs, quæ etiam inter se reipsa non dissident, id manifestè declarant ergo possunt esse distincta, & diuersa prædicamenta in eadem reipsa entitate diuerso modo concepta, ergo distinctio ex modo concipiendi sufficit ad prædicamentorum distinctionem.

23 Multum laborant auctores in assignanda peculiari ratione huius distinctionis prædicamentorum inter se, etiam per verum modum concipiendi, alij enim censent differentiam esse sumendam ex diuersis modis essendi prædicamentorum, alij verò ex diuerso modo prædicandi de primis substantiis, ego tamen arbitror cum D. Thoma, 5. metaph lect. 9. & 3. Phys. lect. 5. & de veritate quæst. 1. art. 1. prædicamenta etiã per rationem non solum distingui per varios modos essendi, sed etiam per varios modos prædicandi, ita vt primo etiam per rationem concipiamus distingui per modos essendi, tamquam per causam, & à priori, & per modos prædicandi tamquam per effectum, & à posteriori, & ratio desumitur ex communi modo loquendi Aristotelicorum, qui sufficientiam decem prædicamẽtorum colligunt, ex diuersis modis, quibus prædicamenta sunt in primis substantiis, prædicamenta enim sunt suprema genera, quæ non habent aliquid vniuocum proprie, & commune, in quo conueniant, scilicet, aliquid analogum, scilicet communissimum ens, vt supra explicui disp. 18. cap. 5. sed decem prædicamenta habent diuersum modum essendi in primis substantiis, vt ex se cernere licet, & dictis in duplici assertione constat, prædicata enim superiora substantiæ, & cuiuscumque alterius prædicamenti diuerso modo sunt, & prædicantur de prima substantia, ergo per vtrumque modum tam essendi, quam prædicandi debent distingui prædicamenta, quia modus prædicandi sequitur semper modum essendi.

24 Sed obiiciat quis, ens reale, & res idem sunt, sed prædicamenta sunt entia realia, & distincta, nã ens, quod diuiditur, est ens reale, ergo & eius membra debent esse realia, ergo realiter distincta; Confirmatur, superiora genera sunt primo diuersa ex Arist. 8. met. text. 16. sed quæ sunt primo diuersa, non possunt esse idem realiter, ergo cum prædicamenta sunt primo diuersa, debent inter se esse realiter distincta. Respondeo Caietanum non esse intelligendum absolutè de omnibus prædicamentis, sed de aliquibus, vt docet prima assertio, nec negamus decem prædicamenta sumpta pro diuersitate naturarum omnia esse entia realia, siue vniuocè, siue analogicè conueniant in ente, prout autem distinguuntur ab ente, non sunt formalitates reales, sed rationes conceptæ per intellectum, quatenus sunt coordinationes prædicatorum in serie prædicamentali, ad quod sufficit distinctio formalis etiam pro illis prædicamentis quæ secundum suas physicas entitates realiter distinguuntur, vt sunt substantia & quantitas; hæc rudi minerua dicta sufficiant.

DISPVTATIO XXI.

De constitutiuo substantiæ.

QVatuor capita continebit. In primo inquiro, an bene diuidatur substantia, in primam & secundam substantiam. In secundo, an sint bonæ definitiones Arist. tam de prima quam de secunda substantia. In tertio, quæ sit ratio formalis constitutiua substantiæ prædicamentalis. In quarto, sex proprietates substantiæ explicantur.

CAPVT I.

An bene diuidatur substantia in primam & secundam.

IN explicatione text. initio statui Aristotelem distinxisse, duplicem substantiam, vnam appellauit propriè principaliter, & maximè substantiam, quam sic definit, *quæ nec in aliquo subiecto est, neque de aliquo subiecto dicitur*; vt Petrus, Bucephalus, &c. & hæc vocatur prima substantia: aliam vocauit ipse Arist. secundam substantiam, quam duplici descriptione declarauit: vna est. *Secundæ substantiæ sunt genera, & species, in quibus insunt primæ*, vt homo, animal, leo &c. secunda est, *secundæ sunt, quæ non sunt in subiecto, de subiecto tamen dicuntur*; quas sic expono: prima substantia dicitur substantia propriè, ad excludendam substantiã sumptam secundum latitudinẽ pro quacumque essentia, seu pro eo, quod est præcipuum in aliquo negocio, quo pacto dicere solemus hanc esse rei substantiam, vel huius negotij, vel argumenti, & provt extenditur ad accidentia, hæc enim impropriè dicuntur substantia, dicitur principaliter substantia, quia per se ipsam immediatè exercet munera propria substantiæ, quæ sunt subsistere in se, & substare accidentibus, maximè verò propria dicitur, quia præter hæc munera substat aliis substantiis, & accidentibus, per illam verò particulam *non esse in subiecto*, etsi negatiuã, explicatur positiuus substantiæ, scilicet esse in se & per se, & sustentare accidentia, & ex hac vltima excluditur à ratione primæ substantiæ increata substantia, quia etsi in se & per se, & independenter ab omni alio existat, nullis tamen substat accidentibus, vt amplius infra patebit. 1

Secundæ verò substantiæ in multis communicant cum primis substantiis, & differunt in aliquibus: conueniunt in eo, quod etiam illis repugnat esse in subiecto, vt colligitur ex illis verbis prioribus, *quæ in subiecto*, & conuenit etiam illis substare accidentibus, propriè enim dicitur hominem substare accidentibus sicut & Petrum, etsi non ita propriè; differunt verò à primis substantiis per secundam particulam videlicet, *de subiecto tamen dicuntur*, per quam denotatur primas substantias prædicatione directa, & essentiali prædicari de primis substantiis, vt sunt genera, & species vt homo est animal, Petrus est homo, &c. quæ semper essentialiter prædicantur, vt docuimus Tract. de genere, & specie, & prima substantia cum illis verè & realiter substat accidentibus, vt mox dixi; dicuntur tamen secundas substantias esse in primis non inhæsiue vt accidentia, sed tamquam partes subiectiuæ, quia subiectantur in primis, vt denotat secunda particula, *de subiecto tamen dicuntur*, primæ verò substantiæ 2

dicun

dicuntur eſſe in ſecundis tamquam in quodam toto vniuerſali, & potentiali, vt infra amplius explico, & ex iis colliges ſolas ſubſtantias ſingulares phyſicè completas eſſe proprie, & in rigore primas, ſubſtantias, quia non ſunt in ſubiecto, nec de aliquo ſubiecto prædicantur, incompletas vero potius reducendas ad ſecundas, nam etſi non ſint in ſubiecto, prædicantur tamen de ſubiecto, prædicatione directa, & formali, vt conſtat de materia, & forma, nam hæ ſunt prædicationes formales, Petrus, eſt materialis, & Petrus eſt animatus, ergo debent reduci ad ſecundas, non vero ad primas ſubſtantias.

3 His poſitis Amonius exiſtimauit hanc non eſſe, tam diuiſionem quam enumerationem, vt ſi quis enumerando diceret in oratione reperiri dictiones, ſyllabas, & litteras, Ariſtotel. enim non diuidendo loquutus eſt, ſed ſtatim cœpit explicare primam ſubſtantiam, & immediate ſecundam, ſed quia vtraque ſubſtantia contineatur ſub eodem genere ſubſtantiæ, negari non debet habere propriam rationem diuiſionis, qualis autem illa ſit, nunc diſquirimus; ad quã tria ſuppono breuiter, diuiſum in præſenti non eſſe ſubſtantiam ſecundum eam rationem, ſecundum quam eſt ſupremum genus, quia ſecundum hanc pertinet ad ſecundas ſubſtantias quæ ſunt vnum membrum ex diuidentibus, ſecundum non eſſe aliquam rationem ſubſtantiæ vniuocam reſpectu primæ, & ſecundæ, nam ratio vniuoca æque debet participari ab vniuocatis, at ratio ſubſtantiæ æque non participatur à prima, ac ſecunda, nam Ariſtotel. docet primam ſubſtantiam eſſe magis ſubſtantiam quam ſecundam: tertium, ſuppono diuiſum non eſſe ſubſtantiam provt actu ſubſtat accidentibus, quia hoc potius videtur eſſe accidens, quam ſubſtantia, cum ſit ſecundus conceptus illius, vt infra dicemus, ſubſtantia vero ſignificat id, quod per ſe ſubſtat non vero actum ſubſtandi.

4 Assertio I. diuiſum huius diuiſionis non eſt ſubſtantia vt abſtrahit à completa, & incompleta, nec vt dicit ſupremum genus. Probatur manifeſte, illud eſt diuiſum, quod participatur ab vtroque membro diuidente, ſed ſupremum genus ſolum inuenitur in vno membro ſcilicet in ſecunda ſubſtantia quæ eſt ſupremum genus, ergo diuiſum non eſt commune ad primam, & ſecundam ſubſtantiam, nam genus per ſuas ſpecies deſcendit vſque ad indiuidua, ergo non diuiditur in ſubſtantiam indiuiduam quæ eſt prima, & genericam, quæ eſt ſecunda, ergo genus ſupremum non eſt diuiſum. Confirmatur, ſubſtantia incompleta, neque eſt prima, neque ſecunda, eo præciſe quod incompleta eſt pars, ſed pars, vt pars non eſt per ſe, ſed in alio ſaltem componendo, ergo non eſt totum, nec primum ſubſtans, quia datur aliud, quod prius ſubſtat, ſcilicet totum, nec ſecundo ſubſtans, quia non eſt totum, quod prædicatur de primo ſubſtante, quod eſt prima ſubſtantia, ergo diuiſum in hac diuiſione non eſt ſubſtantia incompleta, nec ſupremum genus ſubſtantiæ quod pertinet ad ſecundam ſubſtantiam.

5 Assertio II. diuiſum prædictæ diuiſionis eſt ſubſtantia provt apta, & in ſe realiter ſubſiſtere, & accidentibus realiter in exercitio ſubſtare, vel ſecundum diuerſos modos eſſendi. Eſt Ariſt. in præſenti, cuius mentem explicant D. Thomas q. de potentia artic. 2. ad 6. Boetus lib. 1. de duabus naturis, Albertus Magnus, tract. 2. cap. 3. Conimbricenſes hic q 2. art. 2. Franciſcus Alphonſus diſp. 16. ſect. 4. num. 39. Lerma lib. 7. q. 2. Auerſa q. 17. ſect. 2. Complutenſes diſp. 12. de Subſtantia q. 2. citatis multis Ioan. à Sancto Thoma q. 15. Logicę art. 2. Suarez diſp. 33. met. ſect. 2. Hurtado diſp 10. met. Arriaga diſp. 4. met. Carleton diſp. 7. met. & eſt communis inter antiquos, & recentiores prima pars probatur, nam ea ratio ſubſtantiæ diuiditur ab Ariſt. quæ principaliter conuenit primæ ſubſtantiæ, ipſa enim eſt magis ſubſtantia, quam ſecunda, vt ſæpe inculcat Ariſt. Sed aptitudo ſubſiſtendi in ſe, & ſubſtandi accidentibus in actu exercito conuenit principaliter primæ ſubſtantiæ præ ſecunda, ergo illa ratio eſt, quæ ab Ariſtot. in præſenti diuiditur, nam exercitium ſubſiſtendi in ſe, & ſubſtandi accidentibus ſiue explicatur per negationem, ſeu per conceptum poſitiuum, primario conuenit primæ, ſubſtantiæ ſcilicet ſubſtantiæ ſingulari, actiones enim ſecundum Philoſophum ſunt ſingularium: & deinde conuenit ſecunda ratione primæ ſubſtantiæ; ideo enim homo ſuſtentat accidentia, quia Petrus illa ſuſtentat, nec enim ſecundæ ſubſtantiæ ſuſtinerent in ſe, nec ſuſtentarent accidentia in actu exercito, niſi continerentur in primis, ergo aptitudo ſubſiſtendi accidentibus in actu exercito principaliter conuenit primæ ſubſtantiæ, ergo illa eſt, quæ diuiditur.

Secunda etiam pars eſt de mente D. Thomæ opuſc. 48. cap. 3. & 9. de potentia art. 2. ad 6. vbi ſic ait. *Quod cum diuiditur ſubſtantia in primam, & ſecundam non eſt diuiſio generis in ſpecies, cum nihil contineatur ſub ſecunda ſubſtantia, quod non ſit in prima, ſed eſt diuiſio generis ſecundum diuerſos modos eſſendi, nam ſecunda, ſubſtantia ſignificat naturam generis ſecundum ſe abſolutam; prima vero ſubſtantia ſignificat eam indiuidualiter ſubſiſtentem, vnde magis eſt diuiſio Analogi, quam generis*, & clarius expreſſit 1. p. q. 30. art. 1. ad 2. quod in definitione perſonæ cum dicitur, *quod eſt indiuidua ſubſtantia* ly *ſubſtantia non ſignificat determinate primam ſubſtantiam ſed quod communiter diuiditur in primam, & ſecundam, & per hoc, quod additur indiuidua, trahitur ad ſtãdum, pro prima.* Ex quibus teſtimoniis, colligitur diuiſum huius diuiſionis in primam, & ſecundam ſubſtantiam eſſe id, quod nomine ſubſtantiæ ponitur in definitione perſonæ cum munere ſubſtantiæ, & ſubſtandi accidentibus, quod primario, & principaliter conuenit primæ, ſubſtantiæ; ſecundo vero denominatiue à prima, ex quo clare infertur hanc diuiſionem magis accedere ad analogam, quam ad genericam, tum ex teſtimonio D. Thomæ, tum ex ratione ipſa, nam res ſignificata per diuiſum in hac diuiſione, quod eſt ſubſtantia ex ſe apta ſubſiſtere in ſe & realiter, & in actu exercito ſubſtare accidentibus primario, & proprie conuenit primæ ſubſtantiæ, & improprie, & per attributionem ſecundæ ſubſtantiæ, ergo hæc diuiſio eſt analoga, analogia impropria, & attributionis. 6

Sed obiiciat quis primo, membra diuidentia debent eſſe inter ſe diſtincta, & oppoſita, & non includi in diuerſo, ſed prima, & ſecunda ſubſtantia, provt sũt apta realiter ſubſiſtere, & in exercitio ſubſtare, nec ſunt diſtincta nec oppoſita, cum ſecundæ ſint in primis, ergo non poſſunt eſſe membra diuidentia. Reſpõdeo, debent eſſe oppoſita à parte rei, nego, ſufficit, quod formaliter, & per rationem diſtinguantur, & ſint oppoſita, vnde hæc eſt falſa, prima ſubſtantia, eſt ſecunda ſubſtantia, & ita ſecundum quid ſunt membra diuidentia huius diuiſi, nec ſecundæ ſubſtantiæ prædicantur de prima, nec formaliter opponuntur. 7

Obiiciat ſecundo: prima, & ſecunda ſubſtantia debent eſſe membra diuidentia huius diuiſi ſecundum eam rationem, ſecundum quam ab Ariſtotele definiũtur, ſed non definiuntur ab Ariſtotele ſecundum aptitudinem ſubſtandi, ſed potius ſecundum actum, & in exercitio, ergo non ſunt membra diuidentia ſecundum aptitudinem, & ſecundum actum ſubſtandi. Reſpondeo, ex Philoſopho in omni bona definitione verba non dicere actum, ſed potentiam, & aptitudinem, & ideo Ariſtot. vſus eſt prædictis verbis in definitionibus primæ, & ſecundæ ſubſtantiæ ad ſignificandam aptitudinem ſubſiſtendi, & ſubſtandi accidentibus non vero ad ſignificandum actum. Sed inſtabis in prędictis 8

dictis definitionibus primæ, & secundæ substantiæ non solum meminit Aristot. muneris subsistendi, & substandi accidentibus sed etiam prædicati, & subiecti prædicationis, ergo prima, & secunda substantia non solum sunt membra diuidentia, ratione aptitudinis subsistendi, & substandi, sed etiam ratione denominationis subiecti, & prædicati. Respondeo, Aristotelem commemorasse denominationes subiecti, & prædicati, non tamquam rationes diuidendi substantiam sed tam quam proprietates, per quas vtcumque explicantur membra diuidentia modo à nobis supra explicata, & inferius amplius explicanda toto cap. 3.

CAPVT II.

An definitiones primæ, & secundæ substantiæ sint bonæ.

9 EX num. 1. constat Arist. duplicem nobis tradidisse substantiam quarum primam appellauit primã, & singularem, alteram secundam, quas ibidem definiuit, & modo inuestigamus, quales sint prædictæ definitiones, cum enim vtraque substantia sit, discrimen solum potest versari penes modum particularem vtriusque substantiæ siue explicetur per negationem, siue per conceptum positiuum, nam per non esse in subiecto communiter intelligimus non inhærere, & dici de subiecto communiter intelligimus prædicari de subiecto tamquam superius de inferiori, quo pacto genera, & species prædicantur de primis substantiis tamquam de sibi inferioribus.

10 Difficultas modo est, quid definiatur per primam definitionem substantiæ, & certum est duplex esse posse definitum, alterum formale, & *quo*, alterum materiale, & *quod*. Definitum *quod* in prima substantia esse vnam rationem analogice communem omnibus primis substantiis, hoc est ipsa aptitudo subsistendi in se, & substandi accidentibus in actu exercito, & definitum *quo*, erit ipse modus substantiæ, & indiuidua, & singularis: substantia igitur pertinens ad hoc prædicamentum non est substantia sub statu præcisionis, nã vt sic nec est genus, nec species, nec indiuiduum, de quo ipsa prædicatur, sed provt substantia habet statum contractionis, quia vt sic est prima indiuidua, & singularis, similiter in secundis substantiis, erit definitum, quidquid est essentialiter prædicabile, vt præcisum ab inferioribus, definitum vero *quo*, erit secunda intentio, per quam tam genera, quam species habent prædicare de primis substantiis, & ipsa substantia, vt inducit modum existendi, & prædicandi vniuersaliter de illis habebit rationẽ definiti, *quod*. His sic explicatis,

11 Arbitror prædictas definitiones esse optimas, & cõmuniter ab omnibus receptas, vt non sit necesse recensere auctores, sed illas explicare. Prima enim substãtia, & vt pertinet ad hoc prædicamentũ addit supra se, seu dicit modum quemdam particularem existendi in se cum aptitudine substandi accidentibus, & simul subiicitur suis prædicatis, atque ita dici potest definitionem primæ substantiæ conuenire vt *quo*, tali modo particulari subsistendi, & substandi accidentibus, & talem definitionem exerceri in ipsa substantia prima, & singulari, quæ habet rationem subiecti respectu talis modi, supra quem cadit formaliter definitio primę substantiæ, & per quem non solum in seipso constituitur, sed etiam ab accidente distinguitur, quia sub nullo accidente substantia continetur essentialiter tãquã sub genere, vel specie, sed è contra; hæc in prima substantia continentur; pariter debet explicari definitio secundæ substantiæ quæ pro materiali, seu vt *quod*, dicit ipsam substantiam sub statu præcisionis à primis substantiis, licet realiter identificatæ sint cum illis, pro formali vero ipsam secundam intentionem, per quam substantiæ ipsæ habent esse vniuersaliter in quibus continentur primæ substantiæ tamquam in quodam toto potentiali, quam potentialitatem recipiunt ab ipsa secunda intentione vniuersali generis, & speciei, quæ sunt prædicata superiora, & essentialia respectu primarum substantiarum.

12 Sed obiiciat quis contra definitionem primæ substantiæ; illa est vitiosa, quæ datur per negationem: secundo prima substantia est singularis, ergo non potest definiri. Tertio, substantia prima dicitur de hac & illa substantia, ergo male dicitur primam substantiam nõ dici de subiecto. Respondeo ad primum, in definitione descriptiua, qualis est tradita ab Aristot. de prima, & secunda substantia, non esse vitium ponere pro differentia aliquas negationes, maxime cum definitiones primæ, & secundæ sint termini complexi, & potius explicationes, & encomia primæ, & secundæ substantiæ quam rigorosæ definitiones constantes proprio genere, & differentia. Ad secundum dico, quod licet prima substantia in particulari non possit definiri, sicut in simili diximus, disp. 11. de indiuiduo, bene tamen ratio communis huic, & illi substantiæ, & hanc rationem communem substantiæ definit Aristotel. in præsenti, sicut, & de persona docet D. Thomas q. 9. de potentia art. 2. ad 3. & ad tertiam rationem similiter rationem communem substantiæ posse vt *quo*, prædicari non vero vt *quod*, seu aliis terminis dicit tolet primam substantiam non dici de aliquo in actu exercito, sed in actu signato, seu de aliquo sibi essentialiter inferiori, & hoc modo nulla prima substantia dicitur de aliquo, quia nullum sibi habet essentialiter inferius.

13 Obiicies contra definitionem secundæ substantiæ: non est de ratione secundæ substantiæ esse genus, aut species, sed sufficit, quod sit vniuersalis, nam esse genus, vel speciem esse talem, vel talem, substantiam, non est de ratione secundæ substantiæ, vt abstrahit ab omnibus substantiis secundis. Secundo secundæ substantiæ prædicantur de primis, ergo sunt in illis, ergo primæ substantiæ non possunt esse in secundis. Respondeo ad primum, quod licet de conceptu secundæ substantiæ non sit esse determinate genus, vel determinate speciem, nec quodcumque vniuersale, sed illud, quod potest esse superius essentiale respectu primæ substantiæ, quod necessario debet esse genus, vel species. Ad secundum dico secundas substantias actu esse in primis, has vero in secundis in potentia tamquã partes subiectiuæ. Hic aduertere oportet, cum Aristot. 8. met. cap. 1 secundas substantias posse in hoc sensu dici esse priores, & magis substantias quam primas substantias, eo quod sunt incorruptibiles, & immutabiles, & dici etiam posse priores prioritate consequentiæ, quia vniuersalia supponunt singularia, non vero esse priores prioritate causalitatis, nam singularia causant vniuersalia, & ab illis accipiunt existentiam & pluribus substant quam secundæ, & ideo Aristotel. supra appellauit primas substantias magis substantias quam secundas.

CAPVT III.

Quæ sit ratio formalis constitutiua primæ substantiæ.

14 SVbstantia potest tripliciter vsurpari, primo pro quauis essentia rei, & hoc modo ratio substantiæ etiam conuenit accidenti, cum veram essentiam habeat: secundo pro eo quod accidentibus substat, ideſt, quod stat per se, & sustentat accidentia, à quo munere Augustinus lib. 7. de Trinitate c. 4. appellauit substantiam *sicut ab eo, quod esse, appellatur essentia, ita ab eo, quod est substare, appellatur substantia*. Tertio vsurpatur magis proprie, quasi à principaliori munere illius, quod est in se existere, & subsistere indepẽdenter

ab

ab omni alio , & in hac acceptione videtur definiſſe Ariſt. 5.met.c.8.his verbis. *Hæc autem omnia ex eo dicuntur ſubſtantia , quod non de ſubiecto dicuntur , ſed de eis cætera* , clarius D.Iſidorus lib.2. etymolog. cap. 26. & lib. 1. differentiarum cap. 1. *Subſtantia eſt id , quod non ab alio , ſed ſemper ex ſe eſt , id eſt propria in ſe virtute ſubſiſtit* , ergo præcipuum munus in ſubſtantia erit ſubſiſtere , & exiſtere per ſe independenter ab alio , ſubſtare vero accidentibus ſecundario illi conuenit.

15 Hæc ſubſtantia diuiditur in completam,& in incompletam,ſubſtantia completa eſt illa, quæ eſt adæquatè apta ſuppoſitari,vt natura Angelica,humanitas, & id genus alia,ſubſtantia incompleta eſt illa, quæ licèt ſit in ſuppoſito,non tamen eſt adęquatè apta ſuppoſitari, ſed vel tantum eſt apta inadæquatè,vt ſola materia vel ſola forma,vel ſola vnio,aut eſt ipſa ratio, qua natura ſuppoſitatur vt ipſa ſubſiſtentia vel vnio ſubſiſtentiæ. Hæc autem ſubſiſtentia plures habet diuiſiones vſq; ad indiuiduum;completa vero ſubſtantia alia eſt phyſica vt Angelus,Petrus;alia metaphyſica,vt genera,& ſpecies , quæ ſimpliciter totales vocantur , differentiæ verò incompletæ, & per rationem noſtram tamquam partes concipiuntur, & per modum alteri adiacentis, nos vero in hac diſp.loquimur de ſubſtantia prout ſubſiſtit in ſe, & opponitur accidenti, cuius nunc rationem formalem inueſtigamus.

16 In hac difficultate tres extant ſententiæ,prima aſſerit ſubſtantiam in eſſe ſubſtantiæ prædicamentalis cõſtitui formaliter per negationẽ,hoc eſt per non eſſe in alio,citantur pro hac ſententia Porphyr.in interrogat. Soncinas 5.met.q.14. Scotus in 3.diſt.1.q.1.& 8.in 2. diſt.1.vbi defendit ſuppoſitũ ſolum addere ſupra naturam negationem dependentiæ actualis,& aptitudinalis ab alio.Secunda ſententia tenet conceptum formalem ſubſtantiæ non eſſe ſubſiſtere in ſe,& per ſe exiſtere,ſed ſubſtare accidentibus:& ſubiici ſuis prædicatis,quam ſententiam ex antiquis defenduntSeuerinus Boëtius , & plures ex latinis , vt aduertunt Maſius, Didacus à Ieſu. Tertia ſententia docet rationem formalem conſtitutiuam ſubſtantiæ prædicamentalis eſſe illam rationem,per quam ſubſtantia eſt in ſe,& per ſe exiſtens independenter à ſubiecto inhæſionis , &eſt radix ſubſiſtentię.Hanc ſententiã docet Ariſt.variis in locis D.Th.in 1.diſt.23.q.1.art.1.p.q.75.art.2.ad 1. in 4 diſt.12.q.1.art.1. & opuſc.42.c.10. Conimbr. c. de ſubſtantia art.1. P.Hurtado diſp.10.met.ſect.2. Complut.diſp.12.de ſubſtantia q.1.Arriaga diſp.4.met.ſect. 6.Franciſc.Alph.diſp.16.de ſubſtantia ſect.1. Lerma, lib.7.q.1.Io.à S.Th.q.15.art.1.Merinero diſp.vnica de ſubſtantia q.1.Auerſa q.17.Logicæ ſect.1.Vallius cap. de ſubſtantia,Carleton diſp.7.met.ſect.2. quibus omnibus infra libenter ſubſcribam.

7 Assertio I. Subſtantia in eſſe ſubſtantiæ prædicamentalis formaliter non conſtituitur per non eſſe in alio,ſeu per negationem;eſt contra auctores primæ ſententiæ:probatur ex muneribus ſubſtantiæ, cui primario conuenit in ſe ſubſiſtere, & exiſtere, & ex hoc non eſſe in aliis,nam hoc colligit Ariſt. ex illo primo munere, ergo prædicatũ eſſendi in alio non eſt eſſentia ſubſtantiæ,cum hæc debeat eſſe eius prmus conceptus;multoties enim Ariſt. per proprietatem explicat ſubſtantias rerum,& per negationes,vt eſſentiam Angeli per negationem materiæ,imo, & Theologi eſſentiam Dei,dicendo quod,Deus non eſt,nec quando,nec lapis,homo &c.& tamen per tales negationes eſſentia Dei non conſtituitur,ergo nec ſubſtantia prædicamẽtalis creata:confirmatur;ratio conſtitutiua ſubſtantiæ, ſicut cuiuſlibet alterius rei debet eſſe prima, & perfectior ex iis,quæ ſunt ipſius rei, ſed non eſſe in alio nõ eſt prima & perfectior ex iis , quæ in ſubſtantia reperiuntur,ergo non conſtituitur per non eſſe in alio:minor probatur,prædicatum illud non eſſendi in alio formaliter eſt negatio , ſed negatio eſſentialiter cauſatur ab aliqua affirmatione,in qua fundatur,ergo hoc prædicatũ non poteſt eſſe conſtitutiuum ſubſtantię.Vrgetur à contrario;conſtitutiuum proprium alterius entis poſitiui debet eſſe poſitiuũ,ſed ſubſtantia prædicamẽtalis eſt ſimpliciter ens poſitiuum,ergo & eius conſtitutiuum : maior eſt certa , quia quod eſt ſimpliciter ens, conſtitui non poteſt per id quod ſimpliciter non eſt ens,ſed non eſſe in alio eſt negatio, ergo per illam non poteſt ſubſtantia conſtitui.

Sed obiiciat quis contra hanc aſſertionem:conſtitutiuum ſubſtantiæ in communi debet eſſe eſſentialiter diuerſum à conſtitutiuo accidentis in communi ; ſed accidens in cõmuni conſtituitur eſſentialiter per eſſe in alio, ergo ſubſtantia quæ eſſentialiter eſt oppoſita accidenti,debet eſſentialiter conſtitui per non eſſe in alio,hoc eſt negatiuum,ergo conſtituitur per negationem;Confirmatur,ſubſtantia eſſentialiter non eſt accidens , ergo eſſentialiter non eſt in ſubiecto. Conſequentia tenet, quia accidens eſſentialiter eſt in ſubiecto, ergo ſi ſubſiſtentia eſſentialiter non eſt accidens; ergo eſſentialiter non eſt in alio,ergo eſſentialiter cõſtituitur per non eſſe in alio, & conſequenter per negationem. Reſpondeo ſubſtantiam primo & per ſe nõ dicere negationem,ſed poſitiuam entitatem,quamuis hæc entitas poſitiua,& realis multoties explicetur per negationem ſicut eſſentia Angeli per negationẽ materiæ,& tamen intellectione reali conſtituitur, ita ſimiliter in præſenti,ſubſtantia explicatur per negationem , licet conſtituatur per aliquid poſitiuum : & ad confirmationem Reſpondeo eodem modo. 18

Dices,eſſe in alio dicit imperfectionem,& dependẽtiam,ergo non eſſe in alio erit non imperfectio,& independẽtia,ergo erit ſimpliciter perfectio, & ſufficiẽs vt conſtituat ſubſtantiam.Sed contra,eſſe in alio,dicit aliquid poſitiuum reale, ſcilicet entitatem accidentalem in alio exiſtentem ſaltim aptitudinaliter , ergo accidens in ratione accidentis per aliquid reale poſitiuum conſtituitur,ergo non eſſe in alio, quod eſt illi eſſentialiter oppoſitum debet eſſe aliquid negatiuum, & conſequenter per aliquid negatiuum ſubſtantia conſtituitur,quod eſt abſurdum. 19

Assertio II.Subſtantia non cõſtituitur in eſſe ſubſtantiæ prædicamẽtalis per conceptum ſubſtandi accidẽtibus.Eſt de mente Ariſt.ſupra, D.Aug.& Iſid.n.24. eſt contra auctores ſecundæ ſententiæ, & probatur ex ipſo Ariſt.in hoc cap.qui ſemper aſſerit proprium eſſe ſubſtantiæ ſuſcipere,&ſuſtentare accidentia,ergo ſubſtare accidentibus erit proprietas non eſſentia, nam ſi eſſet eſſentia,& non proprietas ſubſtare accidentibus, ſequeretur ſubſtantiam debere definiri per ordinem ad accidentia,& non econtra,quod eſt contra Ariſt.5. met.cap.8. *Hæc autem omnia ex eo dicuntur ſubſtantia, quod non de ſubiecto dicuntur,ſed de iis cætera.* ex quibus manifeſtè conſtat ſubſtantiam non definiri cum dependentia ab accidentibus ſed accidentia per ordinem ad ſubſtantiam , ergo ſubſtare accidentibus non poteſt eſſe primarius conceptus conſtitutiuus ſubſtantiæ , cum intra latitudinem ſubſtantiæ detur aliqua ſubſtantia , vt Deus qui nullis ſubſtet accidentibus; Vrgetur nam , etſi nulla eſſet ſubſtantia prædicamentalis , quæ non ſubſtaret accidentibus , hoc tamen illi non ita primario conueniret , vt aliam rationem priorem in illa non inueniamus , nempe ſubſiſtere in ſe , & exiſtere per ſe independenter à ſubiecto inhæſionis , à quo oritur tamquam à prima radice ſubſtare , vel ſuſtentare accidentia , ergo ſubſtare accidentibus , non eſt primarius conceptus conſtitutiuus ſubſtantiæ. 20

Sed obiiciat quis contra prædictam aſſertionem, ex verbis D.Auguſtini,& Iſidori, *ſicut ab eo,quod eſt eſſe,* 21

appellatur essentia, ita ab eo, quod est sustentare accidentia, appellatur substantia. Secundò, ideo substantia inter omnia prædicamenta primum obtinet locũ, quia est basis, & fundamentum omnium:ergo quia sustentat accidentia,denominatur substãtia. Tertiò ex Arist. secundæ substantiæ, sunt veræ substantiæ, etsi primæ sint magis substantiæ quam secundæ,sed iste excessus consistit in eo,quod primæ substantiæ magis substant eo, quod substant secundis substantiis, & simul accidentibus:ergo ab eo,quod est substare accidẽtibus appellabitur substantia,Resp.vt supra n.24. etymologiã substantiæ non tam desumi à substare accidentibus quam à subsistere in se,& existere per se independenter à subiecto inhæsionis,illud enim secundarium,hoc primarium, etsi magis substãtia dicatur prima quam secunda eo,quod magis substet, hoc autem constituit substantiam tanquã per rationem formalem primariã & perfectiorem,qualis est esse per se,& radicem subsistẽtię,sed tanquã per rationẽ secundariam,vt sæpius dictũ est,neq;aliud voluntArist.August.& D.Isidorus.

23 Assertio III. Conceptus proprius constitutiuus substantiæ vt constituit hoc prædicamentũ est formaliter conceptus subsistendi in se,& existendi per se,& quatenus est radix subsistentiæ independenter à subiecto inhæsionis.Hanc conclusionem tenent auctores tertiæ sententiæ,& est communis inter omnes Philosoph.& Dialecticos;cæterum hęc communissima sententia desiderare videtur maiorem explicationem,implicitum enim est, quid sit in substantia hoc, quod est esse per se, & ideo accuratè explicandum est, quid sit esse per se, & existere,seu subsistere in se.

24 Ratio dubitandi desumi potest ex variis argumentis quæ confici possunt contra illã,primum est,quia forma equi est substantia, & tamen est in alio,scilicet in materia in qua recipitur,& ex qua educitur:ergo forma equi non est substantia,sed accidens. Dices, accidens esse in alio per inhæsionem, formam vero equi esse per adhæsionem;sed contra,ideo accidens non est per se,quia depẽdet ab alio subiecto,& est in illo tanquam in causa materiali,sed forma equi est hoc modo in materia: ergo etiam est vt accidens, & non vt substantia.Secunda ratio dubitandi est,quia etiam aliquod accidens est per se, vt quantitas,facta consecratione Eucharistiæ, quæ sine subiecto conseruatur, & tamen non est substãtia.Tertio,materia prima in omnium sententia, est vera substantia, & tamen est in alio scilicet in composito: ergo substantia non bene constituitur per esse per se. Quarto secundæ sententiæ non minus sunt substantiæ, quam primæ,sed secundæ substantiæ sunt in primis: nam superiora actu continentur in inferioribus: ergo non est contra rationem substantiæ esse in alio,vel esse per se,& in se, ergo altior ratio danda, pro constitutiuo substantiæ prædicamentalis.

24 Fateor equidẽ hæc argumenta merito desiderare maiorem explicationem nostræ assertionis, pro qua notandum est variè vsurpari posse existentiam rei in se, & per se.Primo enim dicitur res esse per se, quia est independens ab omni subiecto, & hoc pacto non sumitur à me ratio substantiæ:nã vt bene concludit primum argumẽtum, forma substantialis equi hoc pacto non est per se,siquidẽ realiter dependet à materia tanquam à subiecto sustentante. Secunda dicitur esse per se,quatenus importat negationem inhęsionis actualis in alio, quo pacto quantitas in Eucharistia quodammodo dici potest esse per se,quatenus importat negationem existendi in alio, & hoc modo non est explicanda ratio per se, vt cõuincit secundum argumentũ. Tertiò, sumitur rem existere per se,pro re, quæ in suo esse completo non est constitutiua alterius,quo modo pars alicuius cõpositi non dicitur esse, per se & in se, sed in cõposito,&hoc modo explicata ratio per se non constituit substantiam, siquidem materia prima,est in cõposito,cum propriè sit substãtia.Quartò deniq; esse per se sumi potest metaphys.&logicè,quomodo intẽdebat quartum argumentum,scilicet secundã substantiã non esse per se,sed in prima tanquã ratio superior in inferiori, nec credendum est me hoc pacto intelligere conceptum per se constitutiuum substantiæ, siquidẽ prædicata superiora sunt propriè substantialia, quamuis non habeant hanc rationem existendi per se.

Igitur esse per se,quod constituit substantiam distinctam ab accidente explicandum est per hoc,quod existat tanquam quid constitutiuum alterius naturæ subsistentis,ita vt essentialiter sit radix subsistentiæ taliter vt illam naturaliter exigat, sicuti è contra,quando ratio essentialis accidentis dicitur esse in alio,non intelligitur de inhærentia actuali,sed de radicali,& aptitudinali, petens, & exigens ex natura sua inhærentiam actualem,& hæc est propria,& genuina explicatio illius particulæ existendi in se, & per se sub qua acceptione assertio est D.Thom.locis supra citat.n.26.& in 4.dist.12.q.1.art.1.Damasc.c.38.& 42.Dialecticæ D. Athan. in quadam disp. habita in concilio Nicæno, contra Arrium, vbi definiens substantiam dixit, *substantia dicitur tantum res illa,vnde aliquid habeat,quod subsistat*:ergo primarius conceptus substantiæ prædicamentalis erit esse radicem subsistẽtiæ, & hoc modo explicata est cõmunis inter omnes,&probatur à nobis. 24

Primo ratio substantiæ sic explicata conuenit omnibus rebus quæ substantia sunt,& nullo modo iis,quæ non sunt substantia,sed illa ratio est constitutiua substantiæ quæ omnibus æque conuenit, quæ substantia sunt,ergo ratio per se à nobis explicata erit illius constitutiua:minor,&consequentia constant,maior inductione probatur,cum omnis substantia ex se,& ex cõceptu suo debeat esse constitutiua,necessario debet esse alicuius naturæ subsistentis,ita vt id illi conueniat secundum illius primarium conceptum. Secundo ratione D.Th. opusc.42. c.10. illud est de essentia alicuius rei,quod primo & per se conuenit,etiam præcisis per rationem omnibus accidentibus, sed esse per se modo explicato,cõuenit substãtiæ primo,&per se,quia nulla alia ratio potest excogitari prior illa,ergo. Tertio probatur esse per se, & esse in alio sunt duo modi generales contrahentes ens secundum totam suam latitudinem in substantiã & accidens,ergo per istos modos, quibus ens contrahitur, debent constitui, cum ratio constitutiua alicuius rei sit etiam illius contractiua,vt videre est in rationalitate, sed accidens constituitur per esse in alio:ergo substantia per esse per se,cum sint modi, quibus constituuntur, inter se essentialiter oppositi,ita vt constitutiuum vnius nequeat esse constitutium alterius: ergo esse per se modo explicato erit essentia substantiæ prædicamentalis. 26

Sed hæc cõmunis doctrina impugnatur primo,ratio cõstitutiua essentialis alicuius rei,non potest cõmunicari alteri rei,nec per se,nec per accidens,vt cõstat in omni constitutiuo, rationale enim,quod est constitutiuũ essentiale hominis nec per accidens potest cõmunicari constitutiuo essentiali equi,sed esse per se,quod est constitutiuũ substantiæ cõmunicatur accidẽti:ergo non est essentialiter constitutiuũ substãtię:minor constat,in Eucharistiæ Sacramento,vbi post consecrationem quantitas conseruatur,& existit per se: ergo esse per se cõmune est ad substantiã &accidẽs:ergo esse per se nullius erit constitutiuũ,quia vnũ constitutiuũ non potest esse cõmune rebus diuersorũ prædicamentorũ: Respondent nonnulli,accidentibus Eucharistiæ cõuenire modũ essẽdi per se supernaturaliter,&miraculosè non vero naturaliter:nã naturaliter essentia vnius rei nõ potest alteri cõuenire;sed impugnatur,implicat etiã inspecta omnipotẽtia Dei,quod ratio formalis cõstitut. essẽtialiter vnius essentię cõiungatur alteri etiã supernaturaliter 27

turaliter, repugnat enim omnino, quod rationalitas, quæ essentialiter est constitutiua hominis conueniat Leoni, etiam de potentia Dei absoluta, male ergo respondent; ideò alij dicunt modum illum essendi per se communicatum accidentibus Eucharistiæ, diuersum esse à modo essendi per se substantiæ, nam modus essendi per se substantiæ est positiuus, modus vero essendi accidentium est negatiuus, & ideo accidenti conuenit negatiuè esse per se, scilicet per negationem subiecti, quod supernaturaliter deficit esse loco illius, per manutenentiam supplet Deus dependentiam à subiecto; sed non placet hæc solutio, nam accidentia dum erant in substantia habebant modum intrinsecum positiuum; per quem inhærebant substantiæ, sed huiusmodi modus positiuus auferri non potest, nisi per modum positiuum, nam illa manutenentia Dei, cum sit noua actio supernaturalis debet terminari ad aliquem terminum positiuum; male ergo.

28 Pro vera solutione iterum præmitto esse per se adhuc stare dupliciter primo pro esse per se radicaliter, & aptitudinaliter. Secundo, pro esse per se actualiter; esse per se radicaliter, & aptitudinaliter est de essentia substantiæ, non verò esse per se actu, vnde in forma. Resp. esse per se aptitudinale, seu radicale, quod est essentia substantiæ potest cõmunicari accidentib. Eucharistiæ nego: esse per se actuale potest cõmunicari accidentibus concedo, hoc autem non est de essentia substantiæ.

29 Sed contra hanc solutionem sic argumentor, implicat non solum naturaliter, sed etiam supernaturaliter, & de potentia Dei absoluta, quod detur substãtia actu inhærens, ergo etiam implicat de potentia Dei absoluta, quod detur accidens actu existens per se. Consequentia patet à paritate rationis, nam si talis modus posset communicari accidentibus posset etiã substantiæ cõmunicari actualiter inhærẽtia, sed hoc implicat, ergo illud; præterea, cui repugnat per se principium formale alicuius actus, repugnat, & actus ortus à tali principio, sed de potentia Dei repugnat accidenti principium formale existendi per se, ergo & esse actu per se repugnabit. vel econtra; ergo si accidenti per se communicatur, debet etiam communicari esse per se radicaliter, & aptitudinaliter, consequentiam probo, nam actus dicit intrinsecum, & essentialem ordinem ad potentiam, & principium formale.

30 Vt huic argumento respondeant multa inuoluuntur ab auctoribus, primo respondent, concesso antecedenti negando consequentiam, & assignant differentiam, quia inhærentia actualis accidẽtis includit intrinsecè aliquid repugnans cum substantia, quia res inhærens non potest per potentiam naturalẽ esse per se à subiecto separata, & ita implicat, quod detur substantia inhærens, modus verò substantiæ nihil includit repugnans accidenti, quia non includit illam negationem, scilicet quod res, quæ existit actu per se, non possit per naturalem potentiam inhærere: alij respondent non implicare dari substantias actu inhærentes, quales sunt formæ substantiales materiales, quia cũ inhærere nihil aliud sit, quã informare subiectum à quo sustentatur, vt docetur à D. Th. 1. part. q. 75. art. 2. ad primum, & forma materialis vtrumque habeat, videlicet dependere à materia & recipi in illa, sequitur proprie inhærere, vnde negant antecedens prioris argumenti num. 37.

31 Sed omissis iis, & aliis solutionibus respondeo substantiis materialibus repugnare actualem inhærentiã, cum sit propria accidentium, & in forma, distinguo antecedens, repugnat substantiæ materiali esse in alio tamquam in subiecto alterius rationis, cum quo vnum per se substantiale non constituat, concedo antecedẽs, repugnat substantiæ materiali esse in alio subiecto eiusdem rationis, cum quo vnum per se constituat, & à quo educitur, nego antecedens primo modo est accidens in materia, cum qua non potest esse per se pars efficiens vnum per se, & ideo dicitur esse in subiecto alterius rationis, & inhæsionis, formæ verò materiales quamuis sint in materia & educantur de illius potentia, sunt tamquam pars essentialis quæ simul cum materia constituunt vnum per se completum, & hoc non est inhærere propriè, vt colligitur ex Aristotele in prædicamentis cap. 2. vbi ad nostram mentem explicuit substantiã *dicens in subiecto esse duo, quod in aliquo est, & non vt pars, quasi diceret*, quod in subiecto est, & non vt pars, accidens est, & non substantia, ergo ex mente Arist. constat substantię materali solum repugnare esse in subiecto, quin simul cum illo sit pars essentialis compositi, non verò repugnare esse, vt partem cum altera comparte constituente vnam essentiam completam, & hoc non habet rationem inhærentiæ, nec substantiæ materiali repugnat.

Quantum verò attinet ad accidentia Eucharistiæ, 32
disparitas est manifesta, quia modus essendi per se quãtitatis Eucharistiæ non tribuit illi modum proprium essendi per se naturæ substantialis, sed alium modum habentem se instar illius, quantum ad hoc, quod sicut substantia per se existit sine actuali inhærentia, ita quantitas existit separata à suo subiecto, & sine actuali inhærentia, semper tamen retinet radicalem, & aptitudinalem inhærentiam ad subiectum informationis, in quo eius essentia consistit, cuius ordinis, & radicalis inhærentiæ non est capax substantia, & hæc est generica differentia inter substantiam & accidentia Eucharistiæ, ad alias tamen rationes dubitandi initio positas constat ex dictis.

CAPVT IV.

Sex proprietates substantiæ explicantur.

IN fine huius capitis sex assignat Arist. proprietates 33
substantiæ, primam text. 5. scilicet in subiecto non esse, quod commune est omni substantiæ in text. 6. ponit secundam proprietatẽ substantiæ, scilicet vniuoce prædicari, quod etiam commune est omni substantiæ in text. 7. ponit tertiam proprietatem substantiæ, videlicet hoc aliquid significare, quod proprium est primæ substantiæ in text. 8. ponit quartam proprietatem substantiæ, videlicet non habere contrariũ in text. 9 ponit quintã proprietatem substantiæ, videlicet substantiam non suscipere magis, & minus, in text. 10. ponit sextam proprietatem substantiæ videlicet substantiam esse susceptiuam contrariorum, quæ proprietas quarto modo substantiæ, vt pote omni, & soli, & semper competit, quas breuiter sic expono.

Circa primam proprietatem, duo consideranda sunt 34
in substantia, nempe conceptum positiuum, per quem in esse substantiæ constituitur, prout distinguitur cõtra accidens: secundum carentiam, seu negationẽ existendi in ipso subiecto, quæ est proprietas illam consequẽs, & ita non solum conuenit primæ substantiæ & secundæ, sed etiam cuilibet rei, quæ est de complemento & integritate substantiæ vt sunt partes integrales, & physicæ essentiales, & secundæ substantiæ & differentiæ, quæ sunt partes componentes essentialiter, & sunt in subiecto sicut secundæ substantiæ non tamquam in subiecto inhæsionis, sed tamquam partes essentiales subiectiuæ, quæ de primis prædicatione directa prædicãtur, & hæc proprietas intellecta de negatione debita ex natura rei substãtiæ est proprietas quarto modo, cum illi, & soli, & semper conueniat, si verò intelligatur de negatione, vtcumque non est proprietas substantiæ, quarto modo, quia de facto conuenit quantitati in Eucharistia, quæ miraculosè non est in subiecto.

Secunda proprietas substantiæ est vniuoce prædi- 35
cari de suis inferioribus prædicatione formali, & directa secundum nomen, & rationem, quæ proprietas hoc modo intelligenda est; nam genera, & species accidentium prædicantur vniuoce de inferioribus quæ

essentialia sunt, vt color de albedine & nigredine, & albedo de hac, & illa albedine. Primæ vero substantię, nullo modo vniuocè prædicantur de aliquo subiecto, cum sit in supposito, vt omnibus manifestum est, secundæ vero substantiæ vt genera, & species, imo, & differentiæ prædicatione directa, & essentiali prædicantur de suis inferioribus: nihil enim deest iis differentiis essentialibus, vt non dicantur vniuocè prædicari, vt ex dictis satis constat.

36 Tertia proprietas substantiæ est significare hoc aliquid, quod in phrasi Arist. primæ substantiæ conuenit, illa enim est, quæ significat naturam per se subsistentem, & determinatam, vt Petrus, qui per se subsistit incommunicabilis alteri substantiæ in actu exercito. Secundę vero substantiæ non sunt incommunicabiles, cum communicentur primis substantiis, eo quod sint in illis, & prædicentur de illis, & ideo significant quale aliquid, id est, naturam cõmunem, cum qualitas etiã cõmunicetur subiecto, vnde dixit Arist. vnum est, quod subiectum est, quemadmodum prima substantia, sed de multis homo dicitur, & animal, quare secunda substantia non significat absolutè sicut prima, quia secundæ substantiæ existunt per primas, distinguũntur vero ab accidentibus, quia significant quale essentiale, illa vero quale accidentale.

37 Quarta proprietas est, substantiam non habere contrarium, quę communis est non solum primis substantiis, sed etiam secundis & differentiis, hæc tamen proprietas ita intelligenda est: nam duplex est contrarietas, vna lata, provt extenditur ad quamlibet oppositionem contradictoriam, relatiuam, seu priuatiuam: altera propria, & stricta, quæ inuenitur inter ea, quæ sub eodem genere maximè distant, & ab eodẽ subiecto mutuo se expellunt, priorem contrarietatem non excludit Arist. à substantia cum primo Phys. dixerit principia esse contraria, imo, & à quantitate, homo enim contradictoriè opponitur non homini; album, & non album; visus, & carentia visus, & relatiuè Pater cum filio; vel contrariè oppositа, quia vna substantia potest esse similis alteri substantiæ vel diuersa, vel æqualis; ad propriam, & strictam contrarietatẽ requiritur primo quod extrema, inter quæ datur, sint positiua, vt album, & nigrum. Secundo quod ea, quæ sunt contraria, sint in eodem genere. Tertio quod maximè distent sub illo genere, vt album, & nigrum. Quartò quod mutuo se expellant ab eodem subiecto, vt calor, & frigus; ratio est: nam illa dicuntur propriè, & strictè contraria, quæ mutuo se expellunt ab eodem subiecto, sed quælibet substantia est in se & per se, & non in subiecto: ergo non potest expelli à subiecto, ergo talis contrarietas non potest vlli substantiæ competere, maximè cum sit commune subiectum omnium accidentium, inter formam autem, & illius carentiam datur contrarietas priuata, elementa autem dicuntur radicaliter opposita ratione qualitatum, quæ sunt principia diuersarum qualitatum.

38 Quinta proprietas substãtiæ est, non suscipere magis, & minus, quæ non est intelligẽda de substantia, vt substat accidentibus: nam in hac acceptione prima substãtia est magis substantia quam secunda; quia pluribus substat secundis substantiis, & simul accidentibus. Sed provt dicit essentiã, cui debetur esse per se, & existere, & in hac acceptione dixit Arist. quod substantia non dicitur magis, & minus, & cæterorum quidquã omnino, quæ substantiæ subeunt rationem, & idem demonstrat D. Th. multis in locis, & ratio à priori suadet: nam in vniuersum nullius rei essentiæ suscipiunt magis, & minus secundum intentionem, nec enim vnus homo est magis homo quã alter, nec idem Petrus modo est magis homo, quam erit postea, nisi tantum secundum partes augmentatiuas secundum extẽsionem, quas adquirit per nutritionẽ, Arist. enim docuit essentias rerũ cõsistere in indiuisibili, illasq; numeris cõparauit, nam sicut addito, vel ablato numero aufertur essentia numeri, ita similiter addita, vel ablata quacumque entitate, aufertur de medio essentia talis rei: ergo certũ est substantiam secundum hanc acceptionẽ non suscipere magis aut minus, & solum possumus dicere vnam essentiam esse alia perfectiorem, eo quod habeat perfectiora prædicata, quibus in sua essentia constituitur, non vero, quod in illa intendatur, hoc enim proprium est qualitatum.

Sexta & vltima proprietas substantiæ est, quod vna 39
numero manens sit susceptiua contrariorum; & dum dicitur susceptiua contrariorum, intelligitur de stricta contrarietate, non simul, sed successiuè, propriè enim contraria non possunt esse simul in eodem subiecto, & hæc proprietas est proprietas quarto modo vt pote omni, & soli substantiæ, & semper competens, homo enim v. g. Petrus modo est albus, modo niger, modo calidus, modo frigidus, & hoc voluit Arist. in istis verbis maximè substantiæ proprium est, cum vnum numero idem sit, contrariorum susceptiuum esse; transeundo ab vno in aliud cum intrinseca subiecti mutatione: repugnat enim, quod vnum numero subiectum abiiciat vnum contrarium, & recipiat alterum, quin intrinsecè mutetur, vt contingit in exemplis adductis, hoc autem subiectum susceptiuum contrariorum potest esse duplex, vnum quod ita recipiat contraria, vt ipsum sustentetur in alio, & hoc dicitur subiectum *quo*, quale est cõmuniter quantitas: aliud subiectum est, quod ita recipit cõtraria vt illud nunquã sustentetur in alio, & dicitur subiectũ *quod*, & est prima substantia cõpleta.

Sed obiiciat quis contra prædictam proprietatẽ, hæc 40
non conuenit secundis substãtiis: nam primæ non suscipiunt realiter accidentia, sed si esset proprietas quarto modo illis competeret, ergo. Secundo non cõuenit Angelis, nec elementis esse susceptiuas contrariorum, alias deberent esse corporeæ, & corruptibiles. Tertiò, quia quantitas suscipit contraria, vt calorem, frigus, & alia. Quarto qualitas recipit contraria, vt potentia intellectiua recipit scientiam, & errorem: ergo susceptiuum contrariorum non est proprietas, quarto modo substantiæ. Obiecta sic diluo. Ad primũ Resp. secundis substantiis immediatè, & in exercitio non conuenire suscipere accidentia, sed mediatè & identicè, scilicet quatenus identificantur cum primis substantiis, quod cõpetere non potest accidentibus, quæ non identificãtur cum illis, nec habent rationẽ sustentandi accidẽtia identicè, seu materialiter. Ad secundũ dico cœlos suscipere cõtraria non sui corruptiua, sed contrarios motus locales, vt patet in motu naturali, & rapto Planetarum, Angelos etiam suscipere scientiam, & errorem, & diuersos affectus spirituales. Ad tertium Resp. quantitatẽ ex suis meritis non habere esse subiectũ susceptiuum *quod*, accidentiũ, hoc enim solum propriũ est, solius primæ substantiæ cõpletæ, sed solum per diuinã potentiã consecrantẽ quantitatem in Eucharistia sine substantia, & sine subiecto, & in tali casu habet modũ substantiæ, & immediatè recipit accidentia, sed non mirum, quod hoc miraculosè, & supernaturaliter contingat, vt autẽ proprietas hæc sit quarto modo debita substantiæ, sufficit, quod id ei ex natura rei, & legibus naturæ conueniat. Ad quartum Resp. qualitates etiam posse recipere cõtraria, scilicet modos oppositos intẽsionis, & remissionis, non vt subiectũ sustentãs, sed vt medium suscipiẽdi, quia sunt modi illarũ qualitatum.

Ex iis omnibus infero; propriè suscipere contraria debere intelligi respectu accidentium communium: nam licet substantia recipiat accidẽtia propria, illa tamen non sunt contraria, omnes enim propriæ passiones conueniunt eidem subiecto sine aliqua contrarietate, quia vna propria passio non expellit aliam; risibile enim non excludit admiratiuum,

nec

nec è contra, ergo quæ habent contrarietatem, & recipiuntur in ſubiecto ſunt accidentia communia, quare ſubſtantiam eſſe ſuſceptiuam contrariorũ, quarto modo non conuenit illi tamquam medium recipiẽdi, cum etiam accidentibus poſſit competere, ſed tamquã prima ratio, & ſubiectum *quod* ſuſtentatiuum accidentium per realem illorum ſuſceptionem, quod proprium eſt ſolius primæ ſubſtantiæ completæ, vide Lermam, Franciſcum Alphonſum, Ioannem à S. Thoma, & Complutenſes.

In Caput 6. de Quantitate.

IVre Ariſt. poſt prædicamentum ſubſtantiæ agit de quantitate licet habeat rationem communem cum cæteris accidentibus, quia quãtitas præ ceteris ſimilitudinem habet cum ſubſtantia, cum magis participet de ratione ſubiecti, nam ſaltim diuina virtute poteſt ſuſtentare accidentia: ſecundo quia vt inquit Boetius, quantitas eſt coæua materiæ, nam ſimul, ac aliquid eſt in rerum natura, vel eſt vnum, vel multa, quod habet per quantitatem ante omnem qualitatem. Tertio, quia quantitas eſt accidens medium inter ſubſtantiam, & reliqua accidentia, cum media quantitate vniantur ſubiecto, hac ergo de cauſa prius egit de quantitate quam de aliis accidentibus.

Summa textus.

TOtam litteram diuidit Ariſt. in tres partes, in prima ſuppoſita definitione quantitatis, diuidit illam in continuam, & diſcretam; in ſecunda varias eius ſpecies enumerat: in tertia tres eius proprietates explicat, quas nos in finem huius diſputationis remittimus. Quantitas ergo continua illa dicitur, cuius partes copulantur termino aliquo communi; dicitur autem terminus communis, quia indiuiſibilis eſt, vt punctum, nã ſi terminus communis diuiſibilis eſſet, poſſet ſecundũ vnam ſui partem coniungi parti continui, & ſecundũ aliam partem, alteri, & ita non eſſet terminus communis, ergo vt ſit terminus communis, debet eſſe indiuiſibilis, vt punctum, terminus enim nihil eſt aliud, quã id, in quo res deſinit eſſe, ita vt terminus corporis ſit ſuperficies, ſuperficiei linea, lineæ vero punctum.

Quantitas diſcreta eſt multitudo rerum numerabilium, ſeu vnitatum permanentium, ſiue ſucceſſiuarum cuius ſpecies ſunt numerus, & oratio, numerus ſignificat collectionem quatuor vnitatum; oratio dicit multitudinem, ſeu coniunctionem plurium ſyllabarum, ſiue ſint ſignificatiuæ, ſiue non, quia ad quantitatis orationem ſolũ requiritur, quod poſſit metiri, oratio enim vocalis hoc habet ratione ſyllabarum, vt longa vel, breuis eſſe poſſit, & quia numerus, & oratio non habent poſitionem in continuo, ſeu terminum communem, quo copulentur, ideo dicuntur ſpecies quantitatis diſcretæ.

Docet præterea Ariſt. ex iis ſpeciebus quantitatis, quaſdam conſtare ex partibus habentibus poſitionem, id eſt, ſitum, quaſdam vero conſtare ex partibus illam poſitionem non habentibus: ad primum tria requiruntur, primo quod illæ partes ſint alicubi. Secundo, vt permaneant. Tertio, vt ſint inter ſe coniunctæ: ex iis linea, ſuperficies, & corpus conſtant partibus habentibus poſitionem, cum habeant tres illas conditiones, quia vero numerus, locus, & oratio illas non habent, non conſtant partibus habentibus poſitionem, oratio enim, & tempus non conſtant ex partibus permanentibus, numerus vero conſtat partibus quæ inter ſe non vniuntur, ergo ex ſpeciebus quantitatis, quædam conſtant ex partibus habentibus poſitionem, quædam vero ex partibus non habentibus poſitionem.

Vltimo loco diuidit quantitatem, vel quantum in ea, quæ ſunt quanta per ſe, & quanta peraccidens, quanta per ſe ſunt ſpecies enumeratæ, quanta verò per accidens dicuntur illa, quæ ſunt quanta per aliud; vnde præter has ſpecies quantitatis multa alia ſunt quanta per accidens, quia ſunt quanta per aliud, ſcilicet per illas ſpecies, actio enim dicitur quanta per accidens, quia multum temporis in illa conſumitur, ſimiliter motus, & albedo dicuntur quanta ratione ſubiecti, & ſic de aliis, & hoc colligitur ex eo, quod in quantitate duplex ratio inueniatur, & eſſe menſuram aliarum rerum, & menſurabilem per aliam, vt docet D. Thomas q. 3. de potentia art. 17. ad 24. & in eodem ſenſu, dicitur quantitas, & quanta, ſicut albedo, quæ facit album ipſa eſt alba.

Tandem quantitas, vna eſt molis quæ conſtituitur per partes materiæ, quæ ſunt extra alias, & vnione copulantur ad inuicem; altera eſt quantitas perfectionis, quæ gradibus, & prædicatis perfectis conſtituitur, & in hac acceptione idem eſt, eſſe magnum, & perfectũ, vt eleganter docuit D. Auguſt. 6. de Trinitate c. 8. *in ijs, quæ virtute, magna ſunt, idem eſt maius eſſe*, ac melius eſſe, quam differentiam afferunt Theologi, vt Durand. in primo diſt. 19. q. 1. §. 4. & plerique cum D. Thoma nos verò cum Ariſt. in præſenti ſolum de quantitate molis differimus; & hæc de littera textus.

DISPVTATIO XXII.

De quantitate, & eius conſtitutiuo.

QVATVOR capita continebit. In primo inquiro, qualis ſit definitio quantitatis, & illa explicatur: in ſecundo, an quantitas realiter diſtinguatur à re quanta? in tertio, an ſubſtantia ſecluſa quantitate habeat partes extra partes? in quarto, in quo conſiſtat ratio formalis, & eſſentia quantitatis.

CAPVT I.

Definitio quantitatis explicatur.

SIcut Ariſtot. inchoauit prædicamentum ſubſtantiæ ab eius diuiſione in primam, & ſecundam ſubſtantiam, ſic etiam exorſus eſt in hoc prædicamento quantitatis abſolutè ab eius diuiſione in quantitatem continuam, & diſcretam; dicens quantum partim eſt continuum, & partim diſcretum, nec Ariſt. in præſenti multum curauit de definitione quantitatis, quia non erat logici inſtituti naturas rerum perſcrutari, ſed eas ſolum in ſeriem diſponere; cum vero metaphyſicus verſetur circa rerum naturas, illas à ſingularibus per rationem ſeparando 5. met. c. 7. tex. 18. ſic nobis quãtitatis tradidit definitionem dicẽs; *quantum eſt, quod eſt diuiſibile in eas, quæ in ſunt, quorum vtrumque, aut vnumquodque vnum quid, & hoc aliquid aptum eſt eſſe*, quæ definitio, & obſcura eſt, & accidentalis, vt notat Hurtado diſp. 13. met. ſect. 3. illam tamen ſic explicat D. Thomas ſuper illum locum lect. 15. *quantum, id eſt diuiſibile in partes, ex quibus componitur, ad differentiam accidentium ſpiritualiũ*, quæ indiuiſibilia ſunt, debet tamen intelligi ſecundum vires naturales, non recurrendo ad Dei potentiam abſolutam, nam in qualitate intenſa gradus intenſionis poſſunt à Deo ſeparari, licet id repugnet per facultatem naturalem.

Similiter diuiſibile in partes non phyſicas videlicet materiam, & formam nec in partes potentiales, vt genus, & differentiam, ſiue anima in intellectiuum, & ſenſitiuum, nec in partes ſubiectiuas, vt vniuerſale in inferiora, ſed in partes integrantes, & quantitatiuas, quæ ita ſunt compoſitæ, vt facta diuiſione vnaquæque pars, maneat aliquid vnum, vt pars ligni ſeparata à ligno, manet vnum completũ, ſicut aqua, quæ eſt in amphora ſeparata, eſt totum, & retinet eamdem denominationem, quam antea in toto retinebat.

3 Ab hac definitione excluditur primo materia prima, & forma materialis, nam licèt vtraque sit diuisibilis, & separabilis, vt contingit in morte hominis, tamen neque materia neq; forma separata est aliquod totum; in quantitate verò singula sunt totum: secundo excluditur mixtum constans ex elementis, nam licèt mixtum diuidatur, seu resoluatur in elementa, tamen hæc solum virtualiter manent in mixto. Dices, cœlum est quantum, & tamen non est diuisibile propter incorruptionem, id enim contingit in minimo rationali, quod etiam est quantum, & tamen nullo modo diuisibile, ergo materiale definitur quantum: Respondeo cœlum simpliciter esse diuisibile, per accidens verò esse indiuisibile propter incorruptibilitatem, similiter minimum naturale, licèt reipsa, & in executione non sit indiuisibile, tamen consideratione nostra est diuisibile quod sufficit ad rationem quantitatis.

4 Ex his colliges, quare Arist. definierit quantum, & non quantitatē, quare potius vsus fuerit nomine concreti, quam abstracti. Respondeo id egisse duplici ex causa, primo quia cōcreta sunt magis nobis nota, quibus cognitis facilè cognoscuntur abstracta, nam semel dicto, quantum esse diuisibile, facilè deducitur, quantitatem esse formam, à qua res quanta habet esse diuisibilem: secundo vt ostendat quantitatem non solū esse formam, à qua aliud est quantum, sed etiam ipsam in se esse quantā, & extensam, quia non solū est ratio, quare alia sunt extensa, sed etiā ipsa est extensa, sicut albedo non solum est ratio dealbandi alia, sed etiam ipsa in se est alba, nec proprie qualitates comprehēdit Arist. sua definitione, nam licèt albedo separata à quantitate sit diuisibilis in duas albedines, nō tamen est aliquid vnū, imò neque ipsa quantitas in Eucharistia existens sine subiecto, etsi diuisibilis sit, propriè non est quanta, quia propriè non est vnum quid, quia non est substantia completa, quæ essentialiter includit subiectum, & suppositum, quare definitio Aristotelis æquiualet huic, quantitas est, qua subiectum est diuisibile.

Tandem accidens primo diuiditur in accidens reale, & perfectum, quod subiecto inhæret per inhæsionem à se distinctam & in accidens modale & imperfectum, quod inhæret subiecto per seipsum essentialiter. Deinde accidens perfectum in quantitatem, qualitatem, & alia, nunc agimus de quantitate, & suo ordine de aliis in sequentibus disseremus.

CAPVT II.

An quantitas realiter distinguatur à re quanta.

5 NOminales constanter tenent quantitatem realiter non distingui à re quanta, eos refert Suarez disp 40. metaph. sect. 2. Merinero de quantitate qu. 4. Complutenses quæst. 1. in hanc sententiam inclinat Arriaga disp. 5 metaph. sect. 2. probabilem reputat Aureolus apud Capreolum in 2. dist. 18. art. 2. Ocham in 4 dist. 4. & quodlibeto 4. quæst. 29 vsque ad 33. & quodlibeto 7. quæst. 25. latissimè in Tractatu de Corpore Christi cap. 17. & plures alij.

6 Sed opposita sententia vt magis communis tenenda est, eam tenet Arist. D. Thomas, 3. part quæst. 77. art. 2. & in 4. dist. 12. quæst. 1. art. 1. & est omnium Thomistarū, Complutenses quæst. 1. de quantitate, Lerma, quæst. 9. Ioannes à Sancto Thoma, Auersa, Suarez, supra num. 7. citatis multis, Franciscus Alphonsus disp. 16. de quantitate sect. 2. Merinero de quātitate disp. 1. quæst. 4. Scotus in 4 dist. 12. quæst. 2. Carleton disp. 9. metaph. sect. 3. Lichetus cum omnibus Scotistis, Durand. Maior, Richard. & manifestè deducitur ex Arist. 7. met. text. 8. in iis verbis, *longitudo, latitudo, & profunditas, quantitates quædam sunt, sed non substantia, quantitas enim non est substantia sed magis, cui hæc primo insunt,* & primo Phys. text. 15. ait, si substantia & quantū sunt, duo sunt, & ibidem text. 13. *Si substantia & quantum, & quale sunt, non vnum sunt, sed multa sunt,* quibus verbis clarè ostendit quantitatem realiter distingui à materia prima, nam cum Arist. absolutè, & sine addito asserat esse duo, aut multa, maiorem quam formalem distinctionem intelligit, intercedere inter illa, ergo realis, ergo quantitas realiter est distincta, à materia prima quæ est res quanta, idem Aug. 5. de Trinit. c. 10. *in his, quæ magnitudinis participatione magna sunt, aliud est magnitudo, aliud quod ab ea magnum est.*

Probatur ratione ex eodem Aristotele, qui non minus distinguit quantitatem à substantia quam qualitatem, & cætera accidentia communia, sed certum est qualitatem realiter distingui à substantia, nam res catholica est qualitatem substantiæ panis manere realiter in Eucharistia nulla manente substantia panis, imò secundum fidem catholicam ipsa substantia panis destructa, ergo si ex mente Arist. qualitas realiter distinguatur à substantia etiam quantitas realiter distinguitur. Confirmatur hoc etiam philos. argumento, nullum accidens reale potest esse idem realiter cum substantia, cum substantia & accidens constituant genera diuersa, sed quantitas est accidens reale, ergo non potest esse idem realiter cum substantia: maior est certa, quia nulla res potest esse in se & per se, & in alio, vt latè ostendi disp. præcedenti cap. 3. num. 41. 7

Sed probatio efficacior huius sententiæ depromitur ex Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento in quo quantitas panis, & vini separata manent ab illis substantiis nam per verba consecrationis desinunt esse tales substantiæ panis & vini, vt ipsa fides docet, & perseuerat quantitas panis, & vini, ergo signum est euidens ante consecrationem, quantitatem realiter distingui à substantia, nam realis separatio est euidens signum realis distinctionis, nec de antecedenti dubitandum est, etiā si non sit de fide, cum sine aliqua specie temeritatis negari non possit. Confirmatur, nam experientia docet post consecrationem accidentia, quæ remanent seruare partes impenetrabiles inter se, & agentia naturalia producere ibi calorem, frigiditatèm, humiditatem, & alia accidentia corrumpendo qualitates contrarias, quę antea ibi erant, ergo signum euidens est ibi dari commune subiectum, in quo has qualitates de nouo producant, nullum enim agens naturale potest producere aliquē effectum nisi in subiectum, sed ibi nullum aliud subiectum potest assignari præter quantitatem ad recipiendas illas qualitates de nouo, ergo fateri tenentur ibi permanere quantitatem non permanente substantia panis, & vini, ergo quantitas realiter distinguitur à substantia. 8

Sed nominales Respondent, quantitatem panis, & vini non manere post consecrationem, sed simul cum substantia panis, & vini periisse, manere vero quantitates coloris, saporis, & aliorum accidentium identificatas cum suis qualitatibus quæ realiter distinguebantur à substantia. Sed impugnatur primo, nam vt sumitur ex Concilio Lateranensi sub Innoc. III. cap. 1. & ex Concilio Tridentino sessione 13. can. 2. *fit conuersio totius substantiæ panis, & totius substantiæ vini in corpus, & Sanguinem Christi, manentibus dumtaxat illius accidentibus.* Sed quantitas etiam in sententia nominalium est accidens de prædicamento accidentis, ergo debet manere post consecrationem cum cæteris accidentibus. Impugnatur secundo, nam si non maneret quantitas substantiæ panis post consecrationem, non solum substantia panis, sed etiam sua quantitas identificata cum illa conuerteretur, in substantiam, & quantitatem corporis Christi, ergo talis conuersio non diceretur transubstantiatio, vt illam appellant 9

Patres

Patres,& Concilia,ſed diceretur trãſaccidentatio,cum illa quantitas, quæ eſt vnum accidens conuerteretur in corpus Chriſti. Impugnatur tertio,nam poſt conſecrationem plura remanent accidentia, vt caloris, frigoris,ſiccitatis,& alia, tum ſic;vel vnumquodq; accidens habet ſuam quantitatem, per quam extendatur, vel habet quantitatem illis omnibus accidentibus communem. Si dicatur primum,ſequitur omnes illas quantitates penetrari,cum omnia ſint in eodem loco, quod falſum eſt, cum penetratio naturaliter fieri non poſſit,& implicet ſupernaturaliter, cum illa accidentia habeant eamdẽ quantitatem antea, ac poſt conſecrationem. Si dicatur ſecundum, videtur dari quantitatem communem omnibus illis accidentibus;ergo erit realiter diſtincta à ſubſtantia,cum hæc non remaneat poſt conſecrationem illa perſeuerante, quaſi ſubiectum illorum accidentium,& ſi illa quantitas non remaneret, illa accidentia non poſſent inter ſe vniri, cum non ſe haberent, vt actus & potentia,nec ad hoc eſſet maior ratio in vno,quam in altero accidente.

10 Sed obiiciat quis,poteſt Deus ſua potentia abſoluta ſeparare ſubſtantiam materialem ab omni accidente abſoluto ab ea realiter diſtincto, ergo ſi quantitas eſt accidens abſolutum poterit ſeparari à ſubſtantia cum ab illa realiter diſtinguatur:tum ſic, iſta ſubſtantia ſeparata,& conſeruata ſine quantitate,vel habet partes extenſas,vt antea, vel non, ſi primum iam ſubſtantia & quantitas eſt eadem res, ſiquidem ſubſtantia naturalis ſecluſo quocumque extrinſeco haberet partes extenſas. Si ſecundum, ſequitur in inſtanti ſeparationis quantitatis,partes ſubſtantiæ quæ antea erant extenſæ, manere loco coniunctas,quod eſt impoſſibile, ergo quantitas realiter non diſtinguitur à ſubſtantia. Reſpondeo poſſe Deum ſua potentia abſoluta ſeparare ſubſtantiam à quantitate,cum realiter diſtinguatur ab illa, in illo tamen caſu partes ſubſtantiæ manere coniunctas, & inter ſe vnitas cum capacitate ad recipiendam partium ordinationem, ſeu dilatationem in ordine ad locum per quantitatem,vt mox explico.

CAPVT III.

An ſubſtantia ſecluſa quantitate habeat partes realiter extra partes.

11 SVppoſita reali diſtinctione quantitatis à ſubſtantia duplex extat ſententia æque hiſce temporibus communis etiam in ſchola D. Thomæ de diſtinctione partium in ſubſtantia ſecluſa quantitate. Complutenſes vero diſp 13.de quantitate q.3.exiſtimant ſubſtantiam corpoream ſecluſa quantitate non habere extenſionem partium entitatiuarum,& n. 3. adducunt plures auctores, & auctoritates D. Thomæ quæ probabiliſſimam reddunt hanc ſententiam,plures tamen graues Doctores præter nominales tenẽt oppoſitam ſententiam Scotus 5.met. q. 9. Antonius Andreas q. 10. Durand.in 1.diſt.34.q. 1.Nimph.5.met. diſp.9. Louanienſes, Scotus etiam in prædicamentis, Fonſeca 5. met.c.13.q.1.ſect.2.& 3.Suarez diſp.40 met. ſect.4. à n. 7. Carleton ſupra ſect. 6. Petrus Hurtado diſp. 13. met.ſect 4.n.28.Arriaga diſp. 5. met. ſect.1. Conimbricenſes 1.Phyſicæ c.2.q. 2.art.3. Rubio ibidem c.3. Oña,Caberus, nouiſſime Franciſcus Alphonſus diſp. 17.de quantitate ſect.3.Merinero de quantitate diſp. 1.q.2.n. 13.citatis multis,nouiſſime Lerma ex Dominicana familia l.7.de prædicamentis q. 8.

12 Pro intelligentia huius difficultatis præmitto, illam non procedere de partibus eſſentialibus tam phyſicis quam metaphyſicis ſubſtantiæ corporeæ,cum iſtę eſſentialiter illam comitentur, & conſtituant, nec procedere de extenſione partium in ordine ad locum, cum hæc ſemper à quantitate proueniat,ſed de partibus integrantibus & extenſione entitatiua in ordine ad ſe;an ſcilicet caſu, quo Deus conſeruaret ſubſtantiam materialem corpoream ſine quantitate, haberet in ſua entitate aliquam actualem extenſionem partium in ordine ad ſe,ita vt ibi eſſent partes,& vna alteri vniretur ſine permixtione vnius ad alteram; & partes integrantes voco illas,quæ concurrunt ad conſtituendum compoſitum ex illis, quales ſunt brachia, manus,pectus,caput in homine,&c.& guttæ aquæ in aqua,vel illam extenſionem,& diſtinctionem partium integralium accipiat ſubſtantia corporea ab ipſa quantitate.

Arbitror dicendum ſubſtantiam corpoream ex materia prima & forma conſtitutam, habere ratione ſui partes integrantes inter ſe diſtinctas,& vnitas per indiuiſibilia ſubſtantialia;à quantitate vero tales partes habere extenſionem proximam in ordine ad locum determinatum & diuerſum occupandum,quod eſt eſſe per quantitatem impenetrabiles proxime,& determinate; eam tenent auctores ſecundæ ſententiæ,& alij plures & eſt communis; & primo probari poteſt auctoritate D. Thomæ qui in 2.diſt.3.art. 1. admittit in materia prima extenſionem partium entitatiuarum & 1. p. q. 92. art. 1. ad primum,docet quod quando Deus creauit Euam ex Adami coſta, addidiſſe materiam per creationem, quod probabilius eſt, vel per conuerſionem,tum ſic; illa materia de nouo producta erat diſtincta ab illa,quæ antea erat,& non per quantitatem cum D. Thomas dicat ſolam materiam fuiſſe creatam, ergo ſubſtantia corporea ſecluſa quantitate habet partes inter ſe diſtinctas. 13

Probatur hæc ſententia ratione à priori, poſita quantitate in homine v.g. non ſolum pars quantitatis,quæ eſt in capite,eſt diſtincta realiter à parte quãtitatis,quæ eſt in pede,ſed etiam pars ſubſtantiæ quæ eſt in capite,eſt reipſa diſtincta à parte ſubſtantię quæ eſt in pede,tum quia illæ partes ſubſtantiæ poſſunt ad inuicem ſeparari ratione materiæ,tum quia aliàs ſubſtantia materialis non haberet partes, ſed tantum accidens, quod erit in illa, ſcilicet quantitas partes haberet, imo non poſſet quantitas recipi in ſubſtantia materiali, cum plures partes quantitatis non poſſint in eodem ſubiecto ſecundum ſe indiuiſibili naturaliter exiſtere,ſed ſi ſubſtantia capitis, & ſubſtantia pedis præciſa quantitate non eſſent inter ſe realiter diſtinctæ.nec etiam diſtinctæ eſſent inter ſe poſita quantitate,ergo ſubſtantia capitis,& ſubſtantia pedis ſunt inter ſe realiter diſtinctæ, etiam præciſa quantitate, ergo ſubſtantia corporea hominis non ab ipſa quantitate,ſed à ſe ipſa habet partes realiter diſtinctas;minor probatur,quãdo aliquę ſubſtantię ſunt identificatæ ſimul inter ſe non poſſunt vllo accidente inter ſe realiter diſtingui, ideo enim nullum accidens poteſt in homine diſtinguere re ipſa animal, & rationale inter ſe,quia ipſa ſimul inter ſe identificantur,ſed ſi præciſa quantitate ſubſtantia capitis, & ſubſtantia pedis non eſſent reipſa inter ſe diſtinctæ,eſſent reipſa idem,nam diſtinctio realis eſt negatio identitatis realis inter res aliquas,deficiente autem negatione formæ,eſt neceſſaria ipſa forma v g.deficiẽte negatione lucis, eſt neceſſaria ipſa lux, ac proinde deficiente negatione identitatis realis(ſeu quod idem eſt)diſtinctione reali inter res aliquas eſt neceſſaria realis identitas inter illas,atque ideo ſi præciſa quantitate, ſubſtantia capitis,& ſubſtantia pedis non eſſent realiter diſtinctæ inter ſe, eſſent neceſſario inter ſe identificatæ, atque idem, ergo ſi præciſa quantitate ſubſtantia capitis, & ſubſtantia pedis non eſſent reipſa inter ſe diſtinctæ, neque poſita quantitate inter ſe diſtinguerentur reipſa. 14

Confirmatur, de facto ſubſtantia capitis ſecundum 15

suam entitatem,& essentiam non est realiter substantia pedis, alioquin illa non posset realiter separari ab ista,sicut absciso pede separatur,nam ideo in homine animal non potest realiter separari à rationali, quia animal hominis per suam entitatem, & essentiam est rationale, ergo de facto substantia capitis secundum suam entitatem, & essentiam est realiter distincta à substantia pedis, atqui præcisa omni quantitate manet in homine tota substantia capitis secundum suam entitatem, & essentiam, & tota substantia pedis secundum totam suam entitatem,& essentiam, quantitas enim non est essentialis, sed accidentalis ipsi substantiæ vt ostendi n.7.& 8. ergo præcisa omni quantitate manet substantia capitis distincta realiter à substantia pedis, ac proinde substantia hominis habet partes realiter distinctas per se ipsum formaliter, & non per quantitatem.

16 Secundo probatur principaliter,in substantia affecta quantitate potest realiter separari vna pars substantiæ ab altera parte substantiæ manente omnino realiter inseparata ipsa quantitate, ergo per distinctionem accidentalem partialem, quam ipsa substantia habet à quantitate actuali,habet distinctionem actualem partialem entitatiuam,& substantialem independenter à quantitate. Consequentia tenet, nam si substantia nullam distinctionem actualem substantialem entitatiuam partium haberet, nisi à quantitate, non possent partes illæ substantiales integrantes realiter inter se separari,nisi ad separationem realem partium quantitatis, ergo si tales partes realiter inter se separantur, vt ostendi numero præcedenti, non separata quantitate, certum est independenter à quantitate realiter inter se distingui; antecedens primum probatur, casu, quo quis intenderet consecrare dimidiam partem hostiæ,ab ipso signatam, tunc desineret esse dimidia pars substantiæ panis altera dimidia parte panis permanente, ergo tunc illa pars, quæ desinit esse, separatur ab ista,quæ permanet manentibus omnibus partibus quantitatis,ergo illæ partes substantiales panis independenter à quantitate realiter distinguuntur

17 Tertio probatur efficaciter, substantia est ita adæquatum subiectum susceptiuum quantitatis,vt in illa quantitas, & omnes illius partes distinctæ, & partialiter recipiantur, ita vt vna pars quantitatis non sit in tota substantia sed vna pars quantitatis in vna parte substantiæ,& alia in alia proportionabiliter,nam aliàs quantitas esset indiuisibiliter in substantia sicut est anima rationalis in materia tota in toto, & tota in qualibet parte,quod est impossibile,cum quantitas extensiuo modo & extendens ipsas partes substantiæ accidentaliter in ordine ad locum,sitin ipsa substantia: ergo antecedenter ad ipsam quantitatem præsupponuntur in ipsa substantia vt in subiecto proportionato diuersæ partes substantiales actuales entitatiuæ distinctæ, in quibus possent recipi diuersæ partes quantitatis. Hanc consequentiam probo, nam subiectum debet proportionari formæ, & substantia nullam habens distinctionem actualem substantialem partium, non esset subiectum proportionatum ad recipiendas diuersas partes actuales distinctas quantitatis, nam quidquid recipitur,ad modum recipientis recipitur,ergo substantia corporea materialis independenter à quantitate habet in se partes entitatiuas substantialiter integrales inter se realiter distinctas,per quas constituitur subiectum proportionatum ad recipiendas partes quantitatis, per quas quantitatiue accidentaliter substantia habet esse in loco impenetrabiliter cum alia corporea substantia completa. Alia etiam plura argumenta videri possunt apud Lermam, Franciscum Alphonsum & alios, quæ breuitatis causa omitto.

18 Sed obiiciat quis, substantiam corpoream secundum Aristotelem, & D. Thomam ablata quantitate manere omnino indiuisibilem, & consequenter sine distinctione, cum in indiuisibili nequeat dari distinctio:antecedens autem est.D.Thomæ 4.contra gentes c.65. Vbi ait *remota quantitate substantia omnis indiuisibilis est,vt patet per Philosophum* 1.*Phys. idem* 1.*p. q* 50.*art.*2.*materiam diuidi in partes,non conuenit, nisi secundum quid intelligitur sub quantitate, qua remota remanet substantia indiuisibilis, vt dicitur primo Physicorum.*Idem docet, quodlibeto 9.q.4.a.1.ergo secundum Arist. & D. Thomam substantia corporea materialis secluſa quantitate, remanet omnino indiuisibilis, & consequenter non habet distinctionem actualem partium entitatiuarum. Respondeo,ex prædictis locis solum conuinci per quantitatem habere distinctionem quantitatiuam in ordine ad locum, ratione cuius partes substantiæ sunt quantitatiuæ seu commensuraturæ in loco, & tota substantia constituitur impenetrabilis cum alia substantia corporea completa in eodem loco; non vero conuinci substantiam corpoream secluſa quantitate non habere distinctionem partium in ordine ad se, etsi illam nos non cognoscamus,nisi ratione quantitatis.per quam eius partes determinantur ad occupandas diuersas partes spatij.

Obiiciat secundo,ablata quantitate à materia nulla remanet in ea actualis distinctio, nec in loco, quia omnis distinctio prouenit ab aliquo actu,ergo vtrumque illi prouenit à quantitate:secundo si antecedenter ad quantitatem partes materiæ haberent inter se distinctionem,vnirentur inter se,sed vniri non possunt, cum non se habeant,vt actus,& potentia,ergo vel non dantur tales partes distinctæ substantiales,vel illæ non sunt inter se vnitæ. Respondeo materiam & quamlibet substantiam corpoream antecedenter ad quantitatem habere partes entitatiuas, seu integrantes distinctas in ordine ad se,& in tali casu talem substantiam, & illius partes esse præsentes loco per suas præsentias,quas conseruant,etiam separata quantitate,vt in physica longius dicetur lib 4. Ad confirmationem Respondeo prædictas partes substantiæ vniri inter se per indiuisibilia substantialia,sicut etiam partes quantitatis vniuntur per indiuisibilia quantitatis, nec ad hanc distinctionem requiritur in materia aliquis actus,sed ipsa materia per suam entitatem habet talem distinctionem partium sine aliquo superaddito, sicut per se ipsam, & sine aliquo superaddito distinguitur à quolibet ente, sicut à forma, & ab ipsa quantitate, 19

CAPVT IV.

In quo consistat ratio formalis & essentia quantitatis.

20 REsolutio huius difficultatis,quæ maxima est,multum pendet ex iis,quæ cap. præcedenti diximus, & loquimur de quantitate molis, in qua quatuor extant auctorum sententię:prima asserit essentiam quantitatis consistere in extensione actuali. Ita Fonseca 5. met.cap.13.q.1.sect.3.Secunda docet essentiam quantitatis consistere in ratione mensuræ actiuæ, non quidem actualis,sed aptitudinalis, tribuitur D. Thomæ opus.52.circa finem,& 1.p.q. 28. art.2. Caietano, & Alb.magno tract.8.c.1.3.Tertia sententia tenet essentiam quantitatis consistere in diuisibilitate,hæc communis est inter plures Thomistas, eam tenet Capreolus in 2.dist.13.art.3.ad 11.Scoti,& dist. 19. q. vnica, Soncinas 5.met. q. 21. Iauellus, Zanardus, & plures, quos citant Suarez disp. 40. met. sect:4. n.2.& Compluten.d.13.de quantitate q.2.Quarta sententia docet essentiam quantitatis consistere in extensione aptitudinali partium in ordine ad locum,quam tenent Suarez supra n.15.Conimbricenses in præsenti q.1.art. 2.

pro

pro qua refert plures, & graues auctores, aliam addunt Moderni,& quidem sapientissimi essentiam quãtitatis in impenetrabilitate,qua substãtia redditur proxime repugnans secundum naturæ leges cum alia substantia corporea consistere,ita Petrus Hurtado in met. disp.13.sect.4.num.39.Arriaga disp.5.met.sect.1. subsect.2. Franciscus Alphonsus disput. 17. de quantitate sect.1.num.7.Carleton disp.9. sect.2. & alij recentiores sapientissimi in manuscriptis.

21 ASSERTIO I. essentia quantitatis non consistit in actuali extensione. Est contra primam sententiam,sed communis inter omnes,Probatur breuiter, duplex est actualis extensio substantiæ, alia extensio partium in loco per quam distinctæ partes substantiæ copulantur cum distinctis partibus loci, alia est extensio partium in toto, per quam diuersæ partes substantiæ hominis v.g. talem seruant ordinem inter se, vt caput sit primum,post illud sequatur collum, postea pectus, & sic de reliquis,sed neutra extensio actualis est ratio formalis quantitatis, ergo actualis extensio absolute non est ratio formalis quantitatis, ac primum extensionem partium in loco non esse rationem formalem quantitatis,patet ex eo, quod Christus in Eucharistia habet quantitatem,vt omnes Theologi admittunt, & tamen ibi non habet hanc extensionem actualem, & coaptationem cum loco, neque Christus Dominus nascens ex virgine, & ingrediens clausis ianuis ad discipulos in cœnaculum, ergo hæc actualis extensio nullatenus potest esse ratio formalis,& essentia quantitatis.

22 Præterea, non dare quantitatem formaliter substãtiæ extensionem illam partium in toto sic monstro; ex eo præcisè,quod maneat vnio colli cum capite,& vnio pectoris cum collo,& sic de reliquis:manet,quod primum sit caput, & post illud immediate sequatur collum,& post collum pectus, &c. & ita manet extensio illa partium in toto;atqui præcisa omni quantitate potest manere in homine vnio ista colli cum capite, & pectoris cum collo, quia vniuntur inter se huiusmodi partes per indiuisibilia substantialia, vt ostendi supra num.19.nam talis vnio est substantialis, ac distincta à quantitate quæ est accidentalis, ergo absque quantitate est talis extensio, atque ita hæc non est ratio formalis,& essentia quantitatis.

23 ASSERTIO II.ratio formalis, & essentia quantitatis non subsistit in ratione mensuræ actiuæ actualis, nec aptitudinalis, id est, vt fundamentaliter apta, vt assumatur ab intellectu ad res materiales mensurandus; Est contra auctores secundæ:sententiæ,probatur ratione manifesta,ratio formalis quantitatis debet esse prima ratio,quæ in ipso inuenitur,cum essentia, ac ratio formalis rei sit primus conceptus illius,sed ratio mensuræ actiuæ aptitudinalis non est prima ratio, quæ inuenitur in quantitate, ergo ista ratio mensuræ non est essentia & formalis ratio illius:minor probatur,quãtitatem esse mensuram aptitudinalẽ actiuam,nihil aliud est,quam esse secundum se aptam,vt assumatur,vel designetur ab intellectu nostro ad alteras res metiendas,seu aptam,vt sit æqualis, vel inæqualis aliis rebus ad illas mensurandas, atque ideo quantitas secundum se est apta, vt assumatur ab intellectu ad alias res metiendas,seu apta vt sit æqualis, vel inæqualis aliis rebus ad illas mensurandas, quia ipsa est actualiter extensa,& habet partes extra partes, alioquin si extensa non esset, talem aptitudinem non haberet, ergo ideo quantitas prædicto modo est mensura, quia est extensa actualiter, ergo prior est in quantitate ratio extensionis, quàm ratio mensuræ, ac proinde ratio mensuræ non est prima ratio illius; deinde in Eucharistia in quouis puncto indiuisibili hostiæ est tota quantitas corporis Christi,vt fides docet,& tamen ibi talis quãtitas non habet rationem mensuræ actiuæ aptitudinalis,quia ibi quantitas non est apta ad res materiales,& extensas mensurandas, cum ipsa extensionem non habeat, ergo ratio mensuræ actiuæ aptitudinalis separatur à quantitate,ac proinde ratio mensuræ non est ratio formalis quantitatis.

Sed obiiciunt nobis D.Thomam opusc.52. circa finem asserẽtem hæc verba,*propria ratio quantitatis,quæ competit quantitati,quatenus quantitas,est ratio mẽsuræ*, & 1.p.q.28.art.2.definit quantitatem per hoc,quod sit mensura substantiæ.idem docet 5. met. lect.15. agens de magnitudine, & multitudine, & 10. met. tex.2. & ratione, nam quædam species quantitatis, vt sunt locus,tempus, & superficies distinguntur præcisè per rationem mensuræ,cum in extensione sint æquales,& ex ratione mensuræ colligit Arist. orationem esse speciem quantitatis directæ,quia mensuratur syllaba longa,& breui,ergo mensura erit ratio formalis, & essentia quantitatis;Respondeo,ad testimonium D.Thomæ ibi mensuram sumere radicaliter,& sic posse ad essentiam quantitatis pertinere, sicut risibilis in homine potest radicaliter sumpta ad eius essentiam spectare; sed melius alij respondent, quantitatem ibi non sumi secundum se,& secundum suam essentiam,sed vt à logico consideratur,à quo consideratur sub ratione mensuræ quasi sub alia specie accidentali,sicut superficies, tempus,& locus,quæ sub ratione mensuræ sunt quasi species accidentales quantitatis, oratio similiter à posteriori per mensuram dignoscitur, atque ideo ratio mensuræ potius proprietas,quã essentia quãtitatis erit. 24

ASSERTIO III. ratio formalis, & essentia quantitatis,non est diuisibilitas;Est contra plures Thomistas, & auctores tertiæ sententiæ.Probatur breuiter, diuisibilitas non est prima ratio quantitatis, ideo enim quantitas habet talem diuisibilitatem,quia habet partium extensionem in ordine ad se, atque ita prior est in quantitate ratio intensionis partium in ordine ad se,quam ratio diuisibilitatis, quæ in illa fundatur, sed ratio formalis quantitatis debet esse prima,ergo diuisibilitas non est ratio formalis quantitatis. Secundo, substantia per se ipsam præcisa omni quantitate est, vere in suas partes substantiales diuisibilis,cum per se ipsam præcisa quantitate habeat partes distinctas substantiales, quibus componatur, vt ostendi supra n 13. & 14.ergo à quantitate non accipit talem diuisibilitatem, ac proinde diuisibilitas substantiæ non est ratio formalis quantitatis. Tertio, in mysterio Eucharistiæ datur tota essentia quantitatis, & tamen ibi quantitas non est diuisibilis, cum indiuisibiliter sub speciebus sit; ergo sicut extensio actualis non pertinet ad essentiam quantitatis, ita nec diuisibilitas. Dices saltem diuisibilitas radicalis erit essentia quantitatis.Sed impugnatur, nam licet diuisibilitas radicalis ad extensionem radicalem reducatur inepte tamen per illam essentia quantitatis explicatur, sicut inepte explicatur essentia hominis per risibilitatem radicalem, etsi risibilitas radicalis ad essentiam hominis spectet, sed per rationabilitatem, quæ radix est risibilitatis. 25

ASSERTIO IV. ratio formalis, & essentia quantitatis non consistit in impetrabilitate.Est contra auctores quartæ sententiæ, sed probatur efficaciter impenetrabilitas, quæ est repugnantia duorum corporum in eodem loco supponit extensionem, nam talem repugnantiam non haberent, si extensa non essent in loco,ergo prior est extensio impenetrabilitate, ergo impenetrabilitas non potest esse essentia quantitatis, sed potius illius effectus:secundo id,quod est de essentia,& natura rei non potest ab illa auferri etiam diuina virtute manente tali re, etenim si homo maneat,debet necessario esse rationalis,quia rationalitas est de natura, essentia hominis,sed manente tota natura, & essentia quantitatis potest diuina virtute ab illa auferri impenetrabilitas,nam in Eucharistia est quantitas corporis Christi,& tamen ibi non est impenetrabilis,sed potius 26

penetra

penetrabilis, cum omnes eius partes sint penetratæ, ergo impenetrabilitas non est natura & essentia quantitatis, vt videre est apud D. Thomam 3.p. q. 57. art. 4. similiter corpus Christi fuit penetratum cum sepulchro & nascens de Virgine, & ingrediens ad discipulos, ergo impenetrabilitas non est essentia quantitatis, nam si illius essentia esset, vbicumque daretur quantitas à fortiori reperiretur impenetrabilitas, quod falsum esse ostenditur prædictis argumentis.

27 ASSERTIO, & sententia nostra; ratio formalis, & essentia quantitatis est extensio partium in ordine ad se, & accidentalis extensio quantitatiua partium substantiæ, quæ ex se, & sua natura distinctionem partialem entitatiuam habentes, capaces sunt remotę extensionis in ordine ad locum per accidentalem extensionem, quam accipiunt à quantitate; hæc assertio sic explicata est de mente D. Thomæ & Thomistarum, quos referunt, & sequuntur Complutenses supra disp. 13. de quantitate q. 2. Suarez disp. 4. met. sect. 4. n. 5. Conimbricenses in præsenti art. Lerma lib. 7. q. 7. n. 15. Merinero disp. 1. de quantitate q. 1. n. 23. citatis multis. Probatur ex D. Thom. 1. p. q. 14. art. 12. ad 1. vbi ait, quod de ratione quantitatis est ordo partium, & 4. contra gentes cap. 56. ait, positio, quæ est ordo partium in toto, in eius, scilicet quantitatis ratione includitur, quibus verbis ostendere videtur D. Thomas extensionem partium esse rationem formalem constitutiuam quantitatis non actualem, ergo aptitudinalem.

28 Probatur ratione à sufficienti partium enumeratione, non enim restat, in quo ratio formalis, & essentia quantitatis consistat nisi in prædicta extensione aptitudinali modò explicata, vt ex assertionibus à nobis positis constat, ergo hæc extensio partium erit ratio formalis, & essentia quantitatis: & confirmatur, illud est ratio formalis, & essentia alicuius rei, quæ est prima & in quam omnes eius proprietates resoluuntur, sed extensio hæc est prima in quantitate, & ad illam reducuntur omnes eius proprietates, ergo illa extensio partium erit essentia quantitatis, maior est certa apud omnes, minor probatur, ideo quantitas potest esse æqualis, vel inæqualis, quia est extensa, ideo diuisibilis in partes, quia illas habet, & non è contra, aliunde non est assignabilis alia ratio prior, ad quam tales proprietates reduci possint, ergo prædicta extensio erit ratio formalis, & essentia quantitatis. Confirmatur secundo: sine hac extensione aptitudinali quantitas etiã in Eucharistia intelligi non potest, ibi enim habet suã quantitatem, etsi ratione præsentiæ sacramentalis careat actuali extensione partium in ordine ad locum, non tamen caret aptitudinali potentia ad habendam illam, nam si talis sacramentalis præsentia deficeret, quælibet pars quantitatis occuparet suum locum, sicut modo occupat in cœlo, ergo de facto etiam in sacramento Eucharistiæ quantitas intelligi non potest sine hac extensione aptitudini partium in ordine ad se, & in ordine ad occupandum locum, ergo in illa consistit ratio formalis, & essentia quantitatis.

29 Dices extensionem aptitudinalem partium non posse esse rationem formalem, & essentiam quantitatis, eo, quod hæc aptitudo, seu extensio aptitudinalis est potentia proxima, vt res affecta quantitate possit occupare locum, sed essentia quantitatis est actualis, & formalis tribuens effectum formalem subiecto, sicut effectus formalis albedinis non est tribuere potentiam ad dealbandum, sed actu facere album, ergo &c. Respondeo quod sicut effectus formalis albedinis est reddere subiectum album, ita effectus formalis quantitatis est reddere subiectum quantum, & extensum, seu habens molem, effectus autem si non sit primarius, non est essentia quantitatis, extensio vero est duplex, actualis vna, & aptitudinalis altera, quæ est essentia, & ratio formalis quantitatis, quæ per modum potentiæ proximæ, seu radicalis, & effectus primarij percipitur.

Dices secundo, Aristotelem, quantum *definisse per diuisibilitatem in ea quæ insunt*, ergo sentit illam esse eius essentiam, alias non per diuisibilitatem, sed per aliud, quod est eius essentia definiret. Confirmatur, Arist. communiter per diuisibilitatem distinguit species quantitatis, vt constat de superficie & loco, ergo. Respondeo Aristotelem per diuisibilitatem tamquam per propriam passionem ostendisse quantum, seu quãtitatem non vero tamquam per rationem formalem, nam de subiecto non potest demonstrari essentia, sicut Arist. de quanto demonstrat esse diuisibile in semper diuisibilia, nam in subiecto esse diuisibile supponit extensionem, vt sæpe dictum est; Ad confirmationem primã supra dictum est, & disp. sequẽti longius de speciebus quantitatis nobis erit sermo, huiusmodi autem species diuerso modo, seu sub diuersa ratione considerantur à logico, quam à metaphysico qui rerum naturas contemplatur, logicus vero illas respicit sub ratione solum mensuræ, sed quomodocumque diuisibilitas consideretur, numquam erit ratio formalis, & essentia quantitatis. 30

DISPVTATIO XXIII.

De speciebus quantitatis in communi.

QVANTITATIS species, aliæ sunt continuæ, vt linea, superficies, & corpus, tempus, locus, & motus; aliæ sunt species quantitatis discretæ, vt numerus, & oratio, de prioribus in præsenti, de posterioribus in sequenti disp. breuiter agemus.

Tria capita continebit: in primo inquiro, qualis sit diuisio quantitatis in continuam & discretam: in secundo, an linea, superficies & corpus sint veræ species quantitatis continuæ: in tertio, an locus tempus, & motus, sint veræ species quantitatis continuæ.

CAPVT I.

Qualis sit diuisio quantitatis in continuam & discretam.

PRæmitto Aristotelem in hoc cap. quantitatem diuisisse in continuam, & discretam, quantitas continua est, cuius partes copulantur termino communi, vt linea, superficies, corpus &c. quantitas vero discreta est illa, cuius partes non copulantur termino aliquo communi, vt numerus, & oratio, & vtramque tam continuam quam discretam in permanentem, & successiuam; quantitas continua permanens est illa, cuius partes termino communi copulantur, & sunt simul duratione, vt linea, superficies & corpus &c. continua successiua est illa, cuius partes copulatæ termino communi, non sunt simul omnes duratione sed vna fluit immediate post aliam; vt tempus: discreta permanens vocatur numerus, discreta successiua vocatur oratio. Continua permanens diuiditur in lineam, superficiem corpus, & locum, discreta vero in varias species numerorum. Modo quæritur, qualis sit diuisio quantitatis in continuam, & discretam. 1

Arbitror absolute dicendum, hanc diuisionem, quantitatis in continuam, & discretam esse generis in species subalternas, nam quantitas continua diuiditur diuisione essentiali in lineam, superficiem, corpus, locum, & tempus, tamquam in species atomas. Ita 2

Arist.

Ariſt.in hoc cap.D.Thomas 1.p.q.30.art.3. quodlibeto 10.art.1. de potentia q.9. art.7. Complutenſes diſput.13. quæſt.4. Caietanus, Lerma ſupra q.10.& plures recentiores. Primo probatur ex mente Ariſtot.qui poſt enumeratas ſpecies ſubdit, propriæ *autem quantitates hæ ſunt,quas diximus,& numerauit continuas, & diſcretas, & concludit, alia vero omnia ſecundum accidens ſunt*,ſentit,ergo quantitates continuas, & diſcretas per ſe eſſe quantitates,ergo diuiſio in illas, erit eſſentialis, ergo generis in ſpecies, non atomas, nam vtraque quantitas tam continua, quam diſcreta ſuas ſpecies habent in quas atomæ diuidi poſſint.

3 Probatur ratione; continuum, & diſcretum diuidunt quantitatem ſecundum totam ſuam latitudinem, ergo continuum,& diſcretū ſunt differentię eſſentiales contrahentes quantitatē in varias ſpecies quantitatis: antecedens eſt manifeſtum, nam habere partes, quod eſt de eſſentia quantitatis,diuiditur, vt oſtendi num.1. per hoc quod eſt habere partes vnitas, & copulatas termino communi,vt linea,ſuperficies,&c.& per hoc, quod eſt habere partes non copulatas termino communi,vt numerus,& oratio; ergo prædictæ ſpecies directè, & eſſentialiter ſpectant ad rationem formalem quantitatis in communi, ergo erit genus reſpectu illarum, eo quod quantitas in *quid*, & vt pars eſſentiæ prædicetur de illis omnibus ſpeciebus, nam quælibet ſpecies eſſentialiter participat rationem quantitatis, ſola conſiderata differentia continuæ, & diſcretæ,quæ ſufficit ad vniuocationem, vt diſp.17. diximus de vniuerſali in communi reſpectu ſpecierum quinque prædicabilium; igitur quantitas,vt præſcindit à continua, & diſcreta, erit genus generaliſſimum reſpectu quantitatis continuæ, & diſcretæ, & quantitas tam continua, quam diſcreta erunt genera intermedia reſpectu ſuarum ſpecierum infimarum, ergo prædicta diuiſio quantitatis in communi, in continuam, & diſcretam erit generis in ſpecies ſubalternas.

4 Sed obiiciat quis, vna ſpecies non fit ex alia, ſicut homo non fit ex equo,nec è contra, ſed quantitas diſcreta fit ex continua,ergo quantitas continua, & diſcreta non ſunt ſpecies eiuſdem generis. Secundo vna ſpecies non eſt prior alia,ſed quātitas cōtinua eſt prior quantitate diſcreta,quia hæc fit ex illa.Tertio vna ſpecies non prædicatur de alia,vt ex ſe conſtat,ſed diſcreta prædicatur de,continua, vt in hac, hæ lineæ ſunt tres, ergo non ſunt ſpecies vnius generis, nec diuiſio eſt bona. Reſpondeo ad primum, vnam ſpeciem non fieri ex alia formaliter,non vero repugnare vnam ſpeciem fieri ex materia alterius, ſicut non repugnat vnū principium fieri ex materia alterius principij in alio genere,vt forma materialis, quæ eſt principium compoſiti ſubſtantialis,fit ex materia,& tamen vnum principium formaliter non fit ex alio principio. Ad ſecundum dico vnam ſpeciem non eſſe priorem alia in participando,& exiſtendo. Ad tertium Reſpondeo, maiorem eſſe veram de prædicatione eſſentiali,non vero de prædicatione accidentali,& denominatiua, qualis eſt illa prædicatio,eæ lineæ ſunt tres?

CAPVT II.

An linea, ſuperficies, & corpus ſint veræ ſpecies quantitatis continuæ.

5 CErtum eſt, in corpore triplicem reperiri à parte rei extenſionem, prima quæ ſumitur ab vno puncto in aliud,ſcilicet à ſurſum vſque ad deorſum, vel, è contra,non conſiderando latera, & dicitur longitudo, quæ eſt proprie linea.Secunda extenſio, quæ ſumitur ab vno latere in aliud latus, & dicitur latitudo, & ſuperficies,eo,quod tantum apparet extra, & ſuperficialiter; Tertia extenſio dicitur profunditas,eo quod corporis profunda, & ima petit, & proprie dicitur corpus,& licet quælibet ſpecies vnicam dimenſionem includat, tamen ſuperficies ſupponit aliam, ſcilicet lineam,& corpus præter propriam dimenſionem, ſcilicet profunditatem includit duas ſcilicet lineam, & ſuperficiem, quæ ordinātur ad corpus,vnde rectè Ariſtotel.5.met.cap.13.dixit, quod linea eſt quantitas continuata punctis ad vnum: ſuperficies, quantitas continuata ad duo, corpus vero eſt quantitas continuata ad tria,corpus vero in præſenti non ſumitur,vt pars compoſiti phyſici, ſed neque vt genus quoddam ex intermediis in recta linea,prædicamenti ſubſtantiæ contentum, ſed ſumitur in præſenti pro extenſione continuata ſuperficiebus.

ASSERTIO I. corpus eſt vera ſpecies quantitatis continuæ,docet eam Ariſt.in hoc cap.D.Thomas Caietanus, & vniuerſa ſchola Peripateticorum, & omnium recentiorum,vt neceſſarium non ſit aliquem pro ea adducere. Probatur manifeſte, nam ſi aliqua ſpecies quantitatis datur ſine controuerſia, eſt corpus, quod non ſolum eſt completum, ſed diuiſibile ſecundum omnem dimenſionem,& extenſum,& ab illo habet ſubſtantia materialis molem corpoream, & impenetrabilitatem cum cæteris corporibus, ergo corpus ſecundum totum rigorem ſermonis, eſt vera, & propria ſpecies quantitatis continuæ, cum ſit ens completum non ordinatum ad vlteriorem quantitatem conſtituendam. Confirmatur,in corpore, quod nullo negante eſt ens poſitiuum,& ſpecies, vel genus quantitatis,vt oſtendi numero quinto,poſſumus hæc conſiderare, primo habere partes extra partes, quod eſt de eſſentia quantitatis, vt quantitas eſt. Secundo habere partes copulatas termino communi,quod eſt de eſſentia quantitatis continuæ, quatenus talis quantitas eſt. Tertio habere huiuſmodi partes tali modo, id eſt ſecundum tres dimenſiones, quod eſt proprium corporis,quatenus corpus eſt,ſed nihil aliud poteſt ab auctoribus deſiderari ad propriam ſpeciem quantitatis continuæ,ergo corpus in omni ſententia,& ſine vlla controuerſia,eſt vera ſpecies quantitatis continuæ. Maior difficultas de linea,& ſuperficie,ſed ſit. 6

ASSERTIO II. Linea, & ſuperficies ſunt ſpecies vere,& proprie quantitatis continuæ,eam docent Ariſtotel. D.Thomas, & omnes Philoſophi tam antiqui quam Moderni.Probatur verbis D.Thom.in 4.diſt.40. art.2.ad 3.Vbi dicit,*quod linea aliquando accipitur proprie pro ipſa dimenſione, quæ eſt prima ſpecies quantitatis continuæ*,& ratione à priori, nam tam linea, quam ſuperficies independenter à corpore ſecundum ſuas rationes formales,ſunt propriæ ſpecies quantitatis continuæ,quia ſunt extenſæ,& diuiſibiles in partes, nam linea habet longitudinem, quam non habet à corpore,ſed potius corpus à linea;ſimiliter ſunt diuerſæ, eo quod habent diuerſas poſitiones, nam linea copulatur punctis, ſuperficies lineis, ergo habent omnes partes ad ſpeciem quantitatis requiſitas; præterea,linea, & ſuperficies habent diuerſas proprietates,nam linea habet productum,& breue,ſuperficies latus, & ſtrictum corpus celſum, & humile, ergo habent diuerſas dimenſiones,quibus diuerſæ ſpecies conſtituuntur, ergo linea, & ſuperficies ſunt propriæ ſpecies quantitatis inter ſe,ac à corpore diſtinctæ. 7

Sed obiiciat quis linea,& ſuperficies ſunt quid incompletum in genere quantitatis continuæ, ergo non conſtituunt proprias ſpecies, ſed reducuntur ad quantitatem ſicut punctum,antecedens conſtat, quia linea, & ſuperficies ſunt quædam indiuiſibilia ordinata ad conſtituendum, & terminandum partes quantitatis. Secundo lineam,& ſuperficies includuntur in corpore, ergo non poſſunt eſſe ſpecies diſtinctæ ab ipſo corpore. Conſequentia tenet, quia vna ſpecies non poteſt contineri in alia, antecedens probatur, nam corpus 8

diſtinguitur

distinguitur à linea, & superficie per trinam dimensionem, sed hęc trina dimensio continet lineam, & superficiem, ergo non distinguuntur ab illo maxime, cum corpus à linea, & superficies per negationem distinguatur, & negatio non sat sit ad constituendam speciem distinctam. Respondeo ad primum negando antecedens, & paritatem; nam punctum omnino est indiuisibile, & incompletum, & ideo solum reductiue pertinet ad quantitatem, linea vero, & superficies licet dici possint aliquid incompletũ quatenus linea continet partes superficiei, & hæc quatenus continuat partes corporis, quia tamen linea habet suam propriam diuisibilitatem secundum longitudinem, & superficies secundum latitudinem, secundum has proprias suas diuisibilitates, linea, & superficies non sunt aliquid incompletum, sed quid completum, & constituens diuersam speciem quantitatis, & solum materialiter, seu præsuppositiue supponuntur ad corpus. Ad secundum Respondeo, quod linea vt diuisibilis secundum latitudinem ingreditur formaliter compositionem superficiei, non vt partem illius, sed vt continuatiuum partium superficiei, & hæc respectu corporis, linea vero, vt diuisibilis secundum longitudinem, & superficies secundum latitudinem non continentur in corpore formaliter, sed materialiter, & præsuppositiue, hæc autem continentia lineæ, & superficiei in corpore non obstat distinctioni specificæ illarum à corpore, nec euincitur per solam negationem distingui, sed per suas proprias diuisibilitates, & extẽsiones

CAPVT III.

An locus, tempus, & motus sint veræ species quantitatis continuæ.

9 PEr locum intelligimus, vltimam superficiem corporis continentis immobilis, vt definit Arist. 4. Physicæ; in corpore vero duplex continetur superficies, vna secundum quam continet locatum, & appellatur superficies concaua, altera secundum quam continetur ab alio corpore, & appellatur superficies conuexa, Arist. vero in præsenti appellat locum, illam superficiem concauam, quæ inhæret in corpore locante, & de ea superficie inquirimus, an sit vera species quãtitatis continuæ; locus duo dicit, vnum pro materiali, scilicet superficiem vltimam corporis continentis, pro formali vero dicit habitudinem continentiæ, vel actualem, vt quando actu continet, vel aptitudinalem, vt quando actu non continet, sed est vacuus, & potest continere: Arbitrantur quidam, locum esse veram speciem quantitatis continuæ, quia illum Arist. numerauit inter species quantitatis & quia est quantus, & æqualis locato, & extensus cum sibi mutuo correspondeant locus, & locatum.

10 ASSERTIO tamen sit, locus non est vera species quantitatis continuæ essentialiter distincta à superficie. Ita Arist. D. Thom. 5. met. lect. 15. Conimbricenses, Complutenses, citatis multis Suarez disp. 20. met. sect. 7. Auerroes Scotus, Magister Soto, Lerma, Auersa, Merinero, citatis multis disp. 2. de quantitate q. 2 & communiter recentiores. Probatur, nam locus, quatenus talis non habet de quantitate, nisi vel superficiẽ, vel rationem ambientis, & circundantis locatum, primum non est distinctum à superficie, secundum est ordo continentiæ quæ non est quantitas, sed relatio, ergo cum non habeat distinctam extensionem à superficie, non potest constituere diuersam speciem ab illa, nisi per accidens, ratione mensuræ, quæ est proprietas quantitatis, alia autem quæ inueniuntur in loco pertinent ad alia prædicamenta, vt esse præsentem locato ad prædicamentum *Vbi*, haberẽ dispositionem in loco, ad prædicamentum *situs*; ratione commensurationis loci cum locato pertinet ad prædicamentum *relationis* præter hæc nihil datur in loco, ratione cuius, posset constituere specialem speciem quantitatis distinctam à superficie, ergo locus non est vera species quantitatis distincta essentialiter à superficie.

Dices, locus habet rationem mensuræ extrinsecæ, 11
quam addit supra superficiem, sed mensura est proprietas quantitatis ab illa dimanans, ergo locus habet diuersam quantitatem & extensionem, sicut, & rationem mensurę. Secundo locus non solum est mensura secundum latitudinem, sed etiam secundum longitudinem, & tamen in linea non distinguuntur duę species mensuræ, altera intrinseca subiecti, altera extrinseca corporis contenti, ergo nec in superficie debet constitui duplex species in ratione mensuræ, quarum altera dicatur locus, altera superficies. Respondeo in proprietatibus quæ communicantur, & conueniunt alicui naturæ, sine aliquo ordine ad aliquid non posse multiplicari, non multiplicata essentia, cuius est talis passio; in proprietatibus vero, quæ alicui naturæ, seu essentiæ conueniunt cum ordine ad aliquid extrinsecum, posse multiplicari, non multiplicata essentia; mensura vero inpræsenti dicit ordinem ad extrinsecum locatum, & ita inuariata seu non multiplicata essentia quantitatis, potest ratio mensuræ extrinsece multiplicari. Ad secundum Respondeo, non esse inconueniens in linea duplicem rationem mensuræ assignare, quia tamen vt ambit corpus, continetur in superficie, ideo in superficie; non vero in linea distinguimus illam duplicem rationem mensuræ, & secundum vnam, quia est propria ipsius, dicitur superficies, & secundum aliam, quia continet locatum dicitur locus.

Tempus sic definitur ab Arist. 4. Physic. Tempus 12
est mensura motus secundum prius, & posterius, hoc est duratio, seu distinctio partium motus secundum prius, & posterius, itaque ad hoc, vt detur tempus, nihil aliud requiritur, nisi quod partes successiuæ motus sibi succedant perenni fluxu sine interruptione, aliud tempus est imaginarium, cui nos imaginamur res, siue successiuas, siue præsentes, correspondere per suas durationes; sed nos de tempore reali agimus, & inquirimus, an sit vera species quantitatis continuæ distincta à motu; aliqui ex recentioribus etiam Thomistis, vt Complutenses disp. 13. de quantitate q. 4. Merinero disput. 2. de quantitate quæst. 3. sect. 2. existimant tempus esse speciem quantitatis, etsi imperfectissimam. Sit tamen.

ASSERTIO II. tempus non est vera species quan- 13
titatis continuæ. Ita Arist. 5. met. D. Thom. 5. met. lect. 15. Lerma q. 12. Ioannes à S. Thom. q. 16. Logicæ art. 3. Suarez disp. 40. met. sect. 9. Caietanus, Soncinas Frãciscus Alphonsus disp. 17. sect. 5. Auersa q. 18. sect. 5. Conimbricenses in præsenti q. 2. art. 2. Carleton disp. 9. met. sect. 4. Arriaga disp. 5. met. sect. 1. & disp. 16. Phys. & communiter recentiores, & probatur manifeste ex D. Thom. loco citato, in quo clare demonstrat tempus, nec motum esse quanta per se, sed per accidens, ergo non poterit constituere propriam speciem quantitatis nisi per aliud, quod est esse speciem imperfectissimam, vt asserunt Complutenses, & ni fallor in idem coincidunt illi interpretes D. Thomæ dum ex vna parte asserunt motum, & tempus esse quanta per accidens, vt Ioannes à S. Tho. & Lerma, & ex alia parte, Complutenses asserunt esse speciem imperfectissimam quantitatis.

Probatur etiam ratione breuiter, essentia quanti- 14
tatis, vt supra disp. præcedenti assertione 5. n. 27. ostendi consistit in extensione, ergo quælibet illius propria species debet habere propriam extensionem, sed tempus non habet extensionem propriam distinctam ab extensione quantitatis continuæ permanentis, ergo.

antece

antecedens primum cum ſua conſequentia ſunt certa in noſtra opinione, minor probatur, nã tẽpus non habet aliã extenſionẽ, niſi extenſionem motus, & motus non habet aliã extenſionem, niſi extenſionẽ ſpatij, ſuper quod fit, ergo, nec Tempus, nec motus ſunt ſpecies quantitatis continuæ. Confirmatur; extenſio & continuitas temporis dimanat à motu, vt paſſio ab eſſentia, vt docet D. Th. 1. p. q. 53. art. 3. ergo vel motus eſt vere ſpecies quantitatis, vel tempus non poteſt eſſe vera ſpecies quantitatis. Conſequentia probatur, quia paſſio non poteſt eſſe perfectior ſubiecto, cuius eſt paſſio, ſed motus, vt mox dico, nõ eſt vera ſpecies quãtitatis, ergo multo minus tẽpus, quod per motũ habet extenſionẽ, per quã debebat cõſtituere propriã ſpeciẽ quantitatis.

15 Motus ex Ariſt. 3. Phyſic. c. 2. ſic definitur, *eſt actus entis in potentia ſecundum quod in potentia*, id eſt, actus ſucceſſiue tranſiens habens aliquid in actu, & aliquid in potentia, in quo reperiuntur, actio, paſſio, terminus ipſius motus, & fluxus, & tendentia in ipſum terminũ, & ſic ad varia poſſunt pertinere prędicamẽta, vt actio, & paſſio, terminus vero motus iam ad *vbi*, qualitatem ſitum, & alia, quare de motu ſolũ dupliciter poſſumus loqui, primo ſumẽdo motũ pro ipſo fluxu, ſeu duratione ſucceſſiua, quę cõſumitur in ipſo fieri alicuius formæ: ſecundo motum pro ipſa forma fluente, & tendentia ad terminum, & in iſto ſenſu inquirimus, an motus ſit vera ſpecies quantitatis continuæ permanentis diſtincta ab aliis.

16 Assertio III. Motus non eſt vera ſpecies quantitatis continuæ. Ita Ariſt. 5. met. c. 13. D. Th. 11. met. lect. 9. Suar. d. 40. met. ſ. 8. Complut. ſupra q. 5. Caiet. Maſius Araujo, Franc. Alphon. d. 17. ſ. 5. Ioan. à S. Tho. q. 16. a. 3. Auerſa, Lerma l. 7. q. 12. Carlet. & eſt communior inter recentiores. Primo probatur ex modo loquendi Ariſt. loco citato, vbi numerauit motum inter quanta per accidens, & 2. de generatione tex. 2. dixit motum eſſe continuum propter id, quod mouetur, & 6. Phyſ. ait motũ diuidi ſecundũ diuiſionem mobilis totumque motum eſſe totius mobilis, & partem partis, ergo ſicut accidentia, quæ extenduntur per corpus, ſunt quanta per accidẽs ex ſubiecti quantitate, ſic etiã motus erit quantus per accidẽs ratione, & extenſione ſubiecti, idẽ probat D. Th. in prædicto teſtimonio præcedẽtis aſſertionis 5. met. lect. 15. ad longum adducto à Lerma & S. Tho. vbi inter alia ait, tempus eſt diuiſibile per motum, motus autem propter magnitudinem non quidẽ propter magnitudinẽ eius, quod mouetur, ſed propter magnitudinem eius, in quo aliquid mouetur, ergo eſt diuiſibilis ad diuiſibilitatem ſubiecti, & non propter diuſibilitateem, quam motus per ſe habet, ergo per ſe non eſt vera ſpecies quantitatis continuæ.

17 Probatur etiã ratione manifeſta, nam motus eſt quidam fluxus, & trãſitus de vno in aliud, id eſt, e fieri ad factum eſſe, ergo motus eſt aliquid incompletum, & imperfectum; ergo nõ poterit directe pertinere ad aliquod prędicamentũ, cũ ex genere ſuo ſit via, & tendentia ad terminũ ad quẽ ordinatur, vt in ratione entis cõpleatur; ergo motus ex ſe non erit vera ſpecies quãtitatis cõtinuæ. Confirmatur, motus nõ habet aliã extẽſionẽ præter illã quã accipit ab ipſo ſpatio, & eius extẽſione, ergo cũ vera ſpecies quãtitatis debeat habere propriãextenſionẽ, ſicut corp. linea, & ſuperficies, ideo motus deficit à ratione propria ſpeciei quãtitatis cõtinuę.

18 Sed obiiciat quis contra duas prędcdẽtes aſſertiones, extenſio motus, & tẽporis, etſi dependeat ab extẽſione corporis, eſt tamẽ formaliter diſtincta ab illa, ergo ſufficiens, vt cõſtituat verã ſpeciẽ, quantitatis. Antecedẽs probatur, nam motus, & tempus habent diſtinctas partes, continuationẽ, & continuatiua, ac habet corpus, nã partes corporis ſunt permanentes, & eius continuatiua ſunt ſuperficies permanentes, partes vero motus, & temporis ſunt tranſeuntes, cõtinuata motus, ſunt, mutata eſſe, continuatiua vero temporis ſunt inſtãtia, quæ etiam fluunt, ergo ſunt omnino diſtinctæ, ergo diſtinctam ſpeciem conſtituunt, ſecundo etiam datur motus localis proprie extenſus, vt motus alterationis, & augmentationis, ergo cum tales motus non poſſint habere extenſionem à corpore, per quod fiat motus, ſequitur ex ſe habere talem extenſionem, ergo &c.

Reſpondeo ad primum conuincere continuatiũa, & 19
partes motus materialiter, & entitatiue eſſe diſtincta à continuatiuis, & partibus corporis, cum iis realiter permanentibus illa realiter tranſeant, & deſinant eſſe, tamen hæc diſtinctio non facit diſtinctionẽ formalem extenſionis, quia tantam & non maiorem extenſionem tranſeuntem habet motus, & tempus quãtam habet corpus, ſuper quod fit motus, cuius extenſio commenſurantur extenſioni, & magnitudini corporis & ſolum differunt penes permanentiam, vel nõ permanentiã, quod eſt omnino materiale, & accidentale, & non eſt generis in ſpecies, ſed ſubiecti in accidẽtia Ad ſecundũ Reſp. motũ localem eſſe quantũ per accidens, ſeu per aliud, ſcilicet per magnitudinem ſpatij, & conſequenter non habere extenſionem diſtinctam, per quam poſſit conſtituere propriam ſpeciem quantitatis diſtinctam ab aliis.

DISPVTATIO XXIV.

De ſpeciebus quantitatis diſcretæ.

ARIST. in hoc prædicamento quantitatis duas ſpecies aſſignauit, numerum ſcilicet, & orationem, prima dicitur permanens, ſecunda ſucceſſiua: quãtitas permanens diſcreta eſt multitudo rerum, ſeu vnitatum numerabiliũ permanentium, ſic multitudo lapidum, ſeu hominum dicitur permanens, ad quod non eſt neceſſaria actualis coexiſtentia omnium, ſed ſufficit, quod vnus poſt aliud ſuccedat, quia perinde exiſtimatur numerus ternarius hominum ſi vnus poſt aliũ exiſtat, ac ſi ſimul omnes exiſterent, dummodo quilibet in ſuo eſſe, ſuã habeat permanentiam: quantitas vero diſcreta ſucceſſiua eſt multitudo ſucceſſiua motuũ, vt oratio, quæ conſtat ſyllabis, quæ ſucceſſiue proferũtur.

Sex capita cõtinebit. In primo inquiro, quid addat vnitas prædicamentalis ſupra quantitatẽ continuã. In ſecundo, an numerus prædicamentalis ſit vera ſpecies quantitatis diſcretæ, In tertio, an & quomodo vltima vnitas ſit forma numeri. In quarto an oratio ſit vera ſpecies quantitatis diſcretę. In quinto, an ſi daretur quantitas aliqua actu infinita pertineret ad hoc prędicamentum quantitatis. In ſexto tres proprietates quantitatis enodantur.

CAPVT I.

Quid addat vnitas prædicamentalis ſupra quantitatem continuam.

VNitas ex Philoſopho eſt duplex, vna trãſcendentalis, altera prædicamẽtalis, tranſcendẽtalis eſt paſſio entis, & reperitur in omnib. reb. quęentitatẽ habẽt, vnitas prædicamentalis eſt propria quãtitas; ſimiliter numerus eſt duplex, vnus tranſcendẽtalis qui reperitur in omnib. rebus, qua ratione numerum Angelorum, ſeu ordines vocamus nouẽ, Perſonas ſanctiſſimę Trinitatis tres. Aliuseſt numerus tranſcendentalis, ſeu multitudo prædicamentaliũ, de qua vnitate inquirimus quid addat ſupra quantitatem continuam, res perplexaeſt, ſed parui momenti, in qua duæ extremæ ſententiæ extant circa mentem D. Thom. prima Complutenſium d. 13. de quantitate q. 6. aſſerentiũ cũ pluribus Doctor. vnitatẽ prædicamentalẽ ſupra quantitatẽ addere aliquid poſitiuũ reale, & incõpletum pertinẽs ad prædicamentum. 1

Sed arbitror dicendum vnitatem prædicamentalem, 2
quæ eſt principium numeri addere ſupra ſubſtantiam corpoream qualitates corporeas, quæ numerant quantitatem continuam ab ipſa ſubſtantia, & qualitatibus realiter

realiter entitatiue distinctã, vt supra ostendi disp. 24. c.2.n.6.non tamen addere aliquid reale supra quantitatem continuã, sed ipsam quantitatẽ realiter diuisam & separatã ab alia quantitate continua, & absque aliqua alia entitate completa,vel incõpleta, & superaddita esse vnitatẽ prædicamentalem,& principium numeri,& speciẽ quantitatis discretæ,licet ipsamet quãtitas continua secundum se considerata ratione,distinguatur à semetipsa,vt est principiũ numeri,hanc sententiã defendit Suar.disp.4.met.s.9.Durand.in 1. dist. 24.q.2.Gregorius ibidem,Fonseca 5.met.c.13.q.3.s.3. & alij plures asserentes vnitatem prædicamentalem esse eodem modo explicandam sicut transcendentalem , & nouissime eam tenet Lerma q.13.de quantitate ad mentem sui Magistri , & Angelici præceptoris 1.p.q.11.art.1.ad primum,vt infra clare constabit.

3 Assertio sic explicata probatur primo, quælibet res,eo ipso,quod est ens,est vna,& ex eo vnitas transcendentalis nihil addit supra quãlibet entitatem accidentalem,vel substantiã corpoream vel spiritualẽ, ergo quantitas continua per suammet entitatem est vna in genere quantitatis, & facit substantiã vel qualitatẽ corporeã,quam afficit,& principiũ numeri , & species quantitatis.Secundo probatur, quantitas continua intra genus quantitatis est diuisibilis,& quid completũ, in genere tamen quantitatis discretæ,est indiuisibilis, & secundũ eam diuisionẽ,vt quid indiuisibile,& principium numeri est quid incompletũ,ergo sine alia entitate superaddita est vnitas,& principiũ numeri,Cõsequentia est manifesta,nã si propter aliquam rationẽ debeat concedi aliquid superadditũ quantitati continuæ vt esset vnitas,& principiũ numeri,maximè,quia debebat ad id esse aliquid indiuisibile, & incompletũ; atqui quantitas continua est ex se indiuisibilis secundum propriam diuisionem quantitatis discretæ,& sub ea ratione absq;aliquo superaddito est vnitas, quæ est principium numeri,ergo vnitas,quæ est principiũ numeri nõ addit aliquid reale ad quantitatem continuã. Tertio probatur,nam linea licet secundum longitudinem sit diuisibilis , & sub ea ratione quid completum constituens propriam speciem quantitatis continuæ, tamen considerata secundum latitudinem est indiuisibilis,& quid incompletum,& principium superficiei, ita similiter quantitas continua , quamuis diuisibilis sit diuisione propria quantitatis continuæ,tamen erit indiuisibilis secundum diuisionem numeri,& consequẽter non requiritur aliquid superadditum ad quantitatem continuam,vt sit vnitas & principium numeri.

4 Sed obiiciunt nobis Complut. supra. n.65. D.Th. quodlibeto 1.art.1.in hæc verba *Respondeo,dicendum quod vnum , quod est principium numeri de necessitate aliquid positiue dicit in eo cui attribuitur, quia cum ex vnitatibus numerus constituatur , nisi vnitas res aliqua esset numerus esse non posset, & sic non posset poni in aliquo genere tamquam species*,idem docet 1.p.q.11.art.1. ad primum nam post relatas Platonis, & Pythagoræ, & Auicennæ,sententias , media via inter illas procedens concludit,dicens *sic igitur dicendum est,quod vnũ, quod conuertitur cum ente,non addit aliquam rem supra ens,sed vnum quod est principium numeri addit aliquid supra ens ad genus quantitatis pertinens.* Sentit ergo S. Doctor. vnum , quod est principium numeri addere aliquid supra quantitatem continuam.

5 Sed ad hæc, & similia testimonia Respondetur facile dicendo mentem D. Thomæ esse assignare differentiam inter vnitatem transcendentalem , quæ cum ente conuertitur, & prædicamentalem vnitatem,quæ est principium numeri , & asserit cum omni Schola vnitatem transcendentalem conuerti cum ente, supra quod ens nihil reale addit positiuũ , sed est ipsum ens dicens indiuisionẽ in se,& diuisionem à quolibet alio; vnitatẽ vero prædicamentalẽ,quę est principiũ numeri addere aliquid suprà genus quantitatis pertinẽs,scilicet ipsam quantitatem continuam,non verò aliquid positiuum addere supra ipsam quantitatem cõtinuam, sed supra ens,vel supra substantiam entis,sic interpretatur prædicta testimonia D. Thomæ Lerma ex Dominicana familia quæst. illa 13.de quantitate num.7.

Obiiciunt secundo efficaciter, à paritate puncti:vnitas , quæ est principiũ numeri,est aliquid indiuisibile, & incõpletum, ergo vnitas, quæ est principiũ numeri tantum reductiue pertinebit ad genus quantitatis cõtinuæ,sed quantitas cõtinua est diuisibilis,& quid cõpletum directè pertinens ad genus quantitatis , cuius propriã speciẽ constituit, ergo vnitas prædicamẽtalis, quæ est principiũ numeri non solũ superaddit aliquid supra substantiã corporeã,& qualitates,sed etiã supra ipsam quantitatẽ continuã addit aliquid reale positiuũ.Primũ antecedẽs probatur,ex eo præcisè quod punctum sit principiũ quantitatis,est quid indiuisibile,& incõpletum solum reductiue pertinens ad genus quãtitatis,sed vnitas prædicamentalis est similiter principiũ numeri,quæ est quantitas discreta,ergo etiam hęc vnitas erit indiuisibilis,& quid incõpletum reductiue pertinẽs ad genus quantitatis cõtinuæ, Resp.maximã versari differentiã inter vnitatẽ prædicamentalẽ, quæ est principiũ numeri,& inter punctũ,quod est principium quantitatis,nã punctũ sub omni consideratione est indiuisibile,& incõpletum reductiue pertinens ad genus quantitatis;quantitas autẽ continua, licet diuisibilis sit in partes,quæ in ipso sunt copulatæ,non tamen est diuisibilis in aliquas partes,quæ in ipso non sunt copulatæ aliquo termino communi,quæ est diuisio propria quantitatis discretæ, & ita talis quantitas continua est indiuisibilis secundũ diuisionẽ quãtitatis discretæ,& quid incompletum reductiuè pertinens ad genus quantitatis discretæ vt supra ostendi n.3.exẽplo lineæ,quę secundum longitudinem est quid cõpletum constituens veram speciẽ quantitatis continuæ,& secundũ latitudinem est quid incõpletum,& indiuisibilis,vt est principiũ superficiei,& sic reductiue pertinet ad speciẽ superficiei , & sic desuperficie respectu corporis , inter quæ sola versatur distincto formalis per rationẽ considerando quantitatem secũdum se, vel vt principium aliorum,& idem contingit in vnitate cõsiderata secundum se, & vt est principium numeri.

CAPVT II.

An numerus sit vera species quantitatis discretæ.

7 Controuersia procedit de numero prædicamentali in abstracto, scilicet de multitudine vnitatum, vt præscindit à quantitatibus continuis, quarum sunt vnitas, & numerus, in hoc sensu appellatur ab Arist. numerus numeratus , & de illo inquirimus an sit vera species quantitatis discretæ ab aliis distincta , plures graues Doctores tenent non esse propriam speciem quantitatis discretæ,ita Durand.in 1.dist.43.q.2.art.1. Gabriel,Greg.Ochan.Conimbric.hic art 1.Fonseca 5. met.c.7.q.5.sect.2.c.13.q.4. Suar.disp.41. met sect.1. Vallius c.de quantitate q.6.c.4. Hurtado disp.13.s.6. Vasq.1.p.disp.26.c.3.Auersa q.18.s.2. Franciscus Alphonsus disp.17.de quantitate sect.5.n.55.

8 Arbitror tamen dicendum numerum quantitatiuum,& prædicamentalem esse veram speciem quantitatis discretæ ita Arist.D.Thomas, Caietan.Complut. disp.13.de quantitate q.7.citatis multis Scotus in met. lect.8.tex.10.& lib.5.q.4.& in 3. dist.22.q. vnica:sequuntur Scotum eius discipuli, quos refert , & etiam sequitur Merinero disp.13.de quantitate quæst.1. n.8. Nazian.lib.de historia sex dierum D.Damasc.49.suæ dialecticæ , & est communis inter Mathematicos, & inter Thomistas Albertus Magnus in prædicamentis titul.8.Iauellus Capreolus, Magister, Soto, & Lerma, quæst.14.de quantitate,& clarissime probatur, verbis D.Th.

D.Th.7.met.lect.3.vbi ſic ait, *eſt enim per ſe vnum numerus, inquantum vltima vnitas dat numero ſpeciem, & vnitatem, ſicut etiam ex rebus ex materia & forma, per formam eſt aliquid vnum, & vnitatem, & ſpeciem ſortitur*, & paulò inferius, *ſi numerus non eſſet ſimpliciter vnum, ſed per modum coaceruationis non eſſet aliqua ſpecies entis*, idem oſtendit 7.met.lect. vltima, ex quibus manifeſtè conſtat numerum prædicamentalem eſſe verum ens & ſpeciem quantitatis diſcretæ.

9 Probatur etiam ex Ariſt. qui in hoc cap. numerum ponit inter ſpeciem quantitatis, ſed quantitatem in communi diuiſit diuiſione generis in ſpecies quantitatis continuæ,& diſcretæ, vt nos etiam diſp. præced. cap.1.n.2.oſtendimus prædictam diuiſionem eſſe generis in ſpecies,ergo eius membra æqualiter debent participare ratione diuiſi,ergo numerus,qui eſt quantitas diſcreta eſt vera ſpecies:ſecundo multoties idem Ariſt. ſupponit numeros eſſe entia per ſe, & vnum numerũ ſpecie differre ab illo,v.g binariũ à ternario,& 8.met. text.10.dicit ſpecies ſe habere,ſicut numeros,&ex vnitate,& diuerſitate ſpecifica numerorum infert, & explicat vnitatem,& diuerſitatem ſpecificam eſſentiarũ: ſentit ergo Ariſt.numerum eſſe entia per ſe,ſeu vnum per ſe ſufficiens ad conſtituendam propriam ſpeciem quantitatis diſcretæ, ſaltem in gradu infimo, quod ſi numeri non eſſent entia per ſe omnino corrueret diſcurſus Ariſt.ergo ex eius mente numerus eſt vna ſpecies quantitatis diſcretæ ſaltem in gradu infimo.

10 Probatur etiam ratione, vt aliquid ſit vnum ens per ſe in aliquo infimo gradu perfeitatis nõ eſt neceſſarium,quod partes eius ſint realiter vnitæ, ſed ſufficit, quod ſint eſſentialiter ordinatæ ad componendum aliquid tertium ſeu totũ habendo aliquam vnitatem cõpoſitionis,vel ordinis;ſed huiuſmodi sũt partes numeri,ergo quãuis non ſint realiter vnitæ poſſunt eſſe vnũ ens ſimpliciter:maior,in qua eſt difficultas, conſtat in entibus artificialibus,quæ appellantur entia per ſe ratione vnius figurę,vt domus,cathedra &c.neque enim ratio vnius in indiuiſibili cõſiſtit,nam Deus eſt magis vnus quã Angelus,& Angelus magis quam ſubſtantia materialis corporea,&hæc magis,quã quantitas,ergo nõ repugnat aliquid per ſe vnũ in aliquo infimo gradu perfeitatis,etiamſi eius partes non vniantur,ſicut materia & forma, vt clarè colligi videtur ex illis verbis, D.Th.7.met.lect.vltima, *compoſitum quandoque ſortitur ſpeciem ab aliquo vno, quod eſt vel forma, vt patet in corpore, mixto, vel compoſito*, vt patet *in domo*; *vel ordo*, vt patet in ſyllaba,& numero,& tunc oportet, quod totum compoſitum ſit vnum ſimpliciter, quid clarius dici poteſt pro hac aſſertione.

11 Probatur ſecundo:numerus eſt propriũ obiectum per ſe Arithmeticæ, ergo non poteſt eſſe ens per accidẽs, nã de ente per accidens,vt paſſim docet Philoſ.6.met. non poteſt eſſe ſciẽtia,nec definitio, nec paſſiones demonſtrari:nã eæ ſequũtur ad eſſentiã:ergo cum Arithmetica vera ſit ſciẽtia,& de ſuo obiecto paſſiones demonſtret,& numerus ſit illius propriũ obiectũ, à fortiori numerus erit vnum per ſe ſaltem in gradu infimo perfeitatis, & conſequenter vera ſpecies quantitatis diſcretæ. Confirmatur,primo,numerus verã habet extenſionem,& diuiſibilitatẽ in ea, quæ inſunt,ſpecialẽ diſtinctã à quantitate continua,cum illius partes non copulentur termino communi,ſicut partes quantitatis continuæ, quæ copulantur termino communi : ergo erit numerus vera ſpecies diſtincta à quantitate continua. Confirmatur ſecundo, quia numerus non eſt quantus per accidens,nec per aliud,ſed per ſe eſt quãtus,& per propriam extenſionem diſtinctam ab omni alia extenſione:ergo numerus per ſe ipſum habet eſſe propriã ſpeciem quãtitatis diſcretæ diſtinctæ ab aliis.

12 Sed obiiciunt Ariſt.Phyſ.c.3.Met.c.3.aſſerentem numerũ eſſe plures vnitates &8.Met.c.3.numerum non eſſe vnum,ſed ſicut cumulum,illa autẽ,quæ ſunt plura,non ſunt vnũ:ergo ex Ariſt.numerus non eſt vnum ſimpliciter.Reſp. Ariſt.ſolum intendere numerũ prædicamentalẽ non eſſe vnũ vnitate ſimplicitatis,ſed vnitate ordinis,id eſt,ſint plures vnitates ordinatæ,nõ verõ quaſi cumulũ in quo nulla datur ordinatio,ſicut datur in numero in quo vnitates per vltimã vnitatẽ inter ſe ordinãtur,quod ad ens per ſe ingradu infimo ſufficit.

13 Obiiciant ſecundo, ex pluribus entibus completis in actu non poteſt fieri vnum ens per ſe,eo quod vnũ ens completum non ordinatur ad componendũ aliud ens completum;ſed numerus componitur ex pluribus quantitatibus continuis completis, ergo numerus ex illis reſultãs nõ poteſt eſſe vnũ ens per ſe:maior eſt certa,Confirmatur,ens per ſe debet habere partes inter ſe vnitas,quas non habet numerus, nec phyſice nec alia vnione ſufficienti ad conſtituendum vnum per ſe: ergo numerus prædicamẽtalis non eſt ſpecies quãtitatis diſcretæ diſtincta ab aliis. Reſp. quantitates continuæ ſecundũ quod ſunt indiuiſibiles diuiſione propria quantitatis diſcretæ eſſe aliquid incompletũ, vt ſupra oſtẽdimus n.3.licet ſecundũ ſe,& vt diuiſibiles ſecundum proprias extenſiones ſint entia cõpleta,vt de linea, & ſuperficie diximus; quãdo autẽ numerus cõponitur ex quãtitatib.continuis,vt pertinẽt ad genus quantitatis diſcretæ cõponitur ex illis,vt ſunt aliquid incõpletũ,& ideo numerus nõ reſultat ex plurib.entib.cõpletis formaliter ſed incõpletis. Ad confirmationẽ Reſp. inter vnitates prædicamentales non reperiri vnionẽ phyſicã ſicut inter materiã,& formã,ſed vnionẽ ordinationis,quæ in æſtimatione hominum ſufficiens ſit ad cõſtituendum vnũ per ſe,ſaltem in gradu infimo perfeitatis,ita vt ratione illius ordinis vnitates illæ inter ſe vniantur, ſeu ordinentur inter ſe ad componendũ vnũ totum quod etſi non ſit vnum ens per ſe, erit tamen vnum ſimpliciter, quod ſufficit,vt numerus ſit vera ſpecies quantitatis diſcretæ.

CAPVT III.

Quomodo vltima vnitas ſit forma numeri.

14 RAtio dubitandi deſumitur ex eo,quod omnis forma alicuius cõpoſiti phyſici,vel artificialis debet eſſe realis,ſed vltima vnitas numeri non eſt realis; ergo non poteſt eſſe forma illius numeri, maior conſtat experientia,minor probatur, nam vltimã vnitatẽ eſſe formam habet ab intellectu, nam ex ſe quælibet vnitas capax eſt,vt ſit vltima,& conſequenter formalitas numeri,ſed deſignatio talis vnitatis,vt in exercitio ſit vltima pendet ab intellectu,ergo quod ſit vltima non eſt quid reale,cum habeat eſſe per rationem,ergo non poteſt eſſe forma numeri, nam eſſe formam numeri, debet eſſe aliquid reale phyſicum vel quid ſimile ad phyſicam compoſitionem.

15 Arbitror dicendum cum Ariſt.D.Thom.& pluribus Doctoribus vltimam vnitatem eſſe formam numeri in quolibet numero,ſiue binario,ternario, vel quaternario,& pro faciliori intelligentia præmitto in numero, ſicut in qualibet entitate phyſica dari duplicem formam,vnam quaſi totalem,alteram quaſi partialem, & phyſicam v.g.in homine vna eſt forma totalis ſcilicet humanitas, altera eſt partialis, & phyſica quæ materiam determinat, ſcilicet anima rationalis, ita in numero quaternario v.g.forma totalis eſt quaternitas,& eſt illa formalitas quatuor vnitatibus conſtans,quibus ſimul ſumptis, numerus quaternarius componitur, alia eſt forma phyſica,ſeu quaſi phyſica numeri, quæ actuat,&determinat partes numeri,vt hunc numerum quaternarium, vel alium ſimilem conſtituat, & hæc forma eſt vltima vnitas in quolibet numero, & quæ illi dat ſpeciem,nam illa ablata,vel altera vltima vnitate ſuperaddita mutatur ſpecies numeri.

16 Probatur ratione,quælibet vnitas ex natura rei poteſt

teſt eſſe vltima, nã omnes vnitates, quę capaces ſunt ad componendum aliquem numerũ aſſumi poſſunt, vt vltimæ, vel nõ vltimæ, vel vt determinabilis, velvt determinãtes alias ad ſpeciem talis numeri; ergo illa vltima vnitas, quę ab intellectu deſignatur, vltima inter plures vnitates eiuſdẽ rationis erit forma talis numeri. Conſeq. probo, quia talis vnitas vltima dat eſſe tali ſpeciei, & determinat alias vnitates, vt cõſtituant numerũ quaternarium, ergo talis vltima vnitas erit forma phyſica, vel quaſi phyſica conſtituens talem ſpeciem, ſiquidem talis vnitas per ſuam entitatem realem apta erat, vt aſſumeretur, vt vltima, & vt determinatiua aliarũ, etſi deſignatio talis vltimæ vnitatis hic, & nunc, & in exercitio pendeat ab intellectu tamquam à conditione, ipſa verò vnitas per ſuam realitatem conſtituit talem numerum, vt diſtinctum in ſpecie ab alio, ergo vltima vnitas erit ſimpliciter forma numeri.

17 Probatur ſecundo, ſicut forma aduenies materię determinat illam ad talem ſpeciem phyſicam, ita hæc vltima vnitas aduenies aliis vnitatibus determinat illas ad talem ſpeciem numeri; ergo ſicut forma illa phyſica eſt id quod vltimo aduenit, & materiam primam indifferentem determinat ad hanc potius, quam ad illam ſpeciem conſtituẽdo hominem, vel equum, ita vltima vnitas aduenies aliis vnitatibus quæ ex natura ſua capaces erant, vt aſſumerentur, vt vltimæ, illas contrahit, & determinat ad hanc ſpeciem conſtituendo numerum quaternariũ, ergo hæc vltima vnitas ab intellectu deſignata erit forma huius numeri quaternarij. Confirmatur à ſimili, ſicut in Phyſ. motus ſumit ſpeciẽ à termino, quia eſt vltimum, in quem reſoluitur, & finitur, ita numerus dicitur ſumere ſpeciem ab hac vltima vnitate, quia illa eſt vltimum, in quam determinatur, & finitur numerus, quod ſufficiens eſt ad aſſerendum vltimam vnitatem eſſe formam numeri, & vrget amplius ex D. Th. 3. met. lect. 3. vbi compoſitionẽ, quæ fit in numero ex pluribus vnitatibus explicat per ſimilitudinem ad compoſitionem phyſicam ex materia & forma, nam ſicut forma determinat materiam ita contingit in vnitatibus, numerus eſt vnum per ſe ait D. Tho. ex eo, quod vna pars eſt, vt forma alterius cũ hac differentia, quod materia prima & forma ſunt primo diuerſa, ita vt vna eſſentialiter ſit actus, altera eſſentialiter ſit potentia, vnitates vero prædicamentales, cũ ſint eiuſdem ordinis, & rationis, nulla eſſentialiter eſt actus, nec potentia, quod autem ſit vltima determinatiua aliarum habet per intellectum, cum à parte rei nullus ordo ſit, & quælibet vnitas per ſuam eſſentiam poteſt eſſe vel prima vel media, vel vltima, aſſumpta verò vt talis, vel deſignata erit forma conſtituens talẽ numerũ, quo fit ſatis rationi dubitandi in initio poſitæ nã etſi deſignatio pendeat ab intellectu, vt in exercitio hic, & nunc talis vnitas ſit vltima, ipſa tamẽ vnitas per ſuam entitatẽ realem conſtituit talem numerũ realem.

CAPVT IV.

An oratio ſit vera ſpecies quantitatis diſcretæ.

18 ORatio non ſumitur vt à Theologis ſecunda ſecundæ quæſtione 83. pro actu virtutis religionis, quo mens eleuatur in Deum, nec vt à Dialecticis, vt eſt vox ſignificatiua ad placitum, ſed pro quacumque voce articulata pluribus ſyllabis conſtante, ſiue ſit ſignificatiua ſiue non, ſemper tamen oratio dicit quamdam corpulentiam ſyllabarum, ſeu ſonorum prouenientem, ſiue à ſubiecto, in quo, vel a tempore, quo durat, nam omnis oratio ex ſyllabis, vel ſonis componitur, quam Ariſt. definiuit in hoc cap. *Oratio eſt breuis, aut longa*, ex qua definitione, Oratio mentalis excluditur, eo quod actus intellectus non ſunt ſucceſſiui, ſed inſtantanei, nec pro aliquo tempore permanent, & quia oratio diſcreta eſt vocalis, & dum exe profertur inueniuntur in illa plures ſyllabæ, & motus, qui in mentali non innoteſcunt; ergo oratio mentalis excluditur ab oratione, quæ eſt ſpecies quantitatis diſcretæ, & loquimur de oratione, quæ reperitur in vocibus & quæ conſtat ex ſonis, & motibus ordinatè ſibi ſuccedentibus, & de illa inquirimus, an ſit propriè ſpecies quantitatis diſcretæ diſtincta à numero.

Duæ in hac re extant ſententiæ, prima aſſerit ora- 19
tionem non eſſe ſpeciem quantitatis diſcretæ diſtinctam à numero: eam tenent Suarez diſp. 41. met. ſect. 3. Conimbr. hic quæſt. 2. art. 2. Albertus Magnus, Caiet. & plures, qui referuntur à Merinero diſp. 3. de quantitate quæſt. 2. Complutenſibus diſp. 13. de quantitate quæſt. vltima, Vallio ſupra quæſt vltima. Secunda ſententia tenet oppoſitum quare arbitror dicendum orationem eſſe veram ſpeciem quantitatis diſcretæ diſtinctam à numero: eam tenet Ariſt. in hoc cap. D. Thom. 2. de anima lect. 18. Complutenſes ſupra numero 96. citatis multis, Merinero ſupra num. 5. Vallius, Lerma, ſupra quæſt. 15. & alij plures Doctores; & primo probatur auctoritate Ariſt. qui in hoc cap. ex propria mẽte ſic ait, *Quod autem oratio quantitas ſit, manifeſtum eſt*, & aliis verbis de oratione loquens ait, *perſpicuum eſt, ſermonem eſſe quantum, quoniam eum metimur ſyllaba breui, & longa, ſermonem inquam voce prolatũ*: qui enim manifeſtum aliquid decernit, non ex aliorum ſententia ſed ex propria mente loquitur, ergo ex mente Ariſt. oratio eſt vera ſpecies quantitatis diſcretæ.

Probationi præmitto; orationem eſſe vnum per ſe, 20
ſicut & numerum, nam etſi pro materiali oratio dicat plures ſyllabas, vel plures morulas, ſeu motus, ita vt vnus non ſe habeat, vt per ſe actus ad per ſe potentiam nec econtra, ſicut, & numerus includit plures vnitates pro materiali, pro formali vero dicit diſcretionẽ harmonicam, & ſonoram eorũ, quæ & eſt forma realis, & vnũ per ſe ſufficiens compoſitum ex genere, & differentia in genere quãtitatis, ſicut & aliæ formæ accidentales.

Probatur ratione aſſertio; oratio habet ſuam exten- 21
ſionem, & partes extra partes, nempe durationes illas, ſeu morulas ſyllabarum ſibi ſuccedẽtes formaliter diſtinctas à numero, ergo oratio eſt vera ſpecies quantitatis diſcretę diſtincta à numero. Conſequẽtia legitime infertur, antecedens probatur, oratio formaliter in ſuo conceptu dicit multitudinẽ ſyllabarum, & multitudinẽ harmonicam, & ſonoram morularum, ſeu temporũ & motuum; ergo oratio dicit multitudinẽ harmonicam quantitatum continuarum ſucceſſiuarum, ac per conſequens extenſionem ſecundum multitudinẽ partium quantitatiue extenſarum, quæ aliquo termino cõmuni non copulãtur; ergo oratio habet, quidquid requiritur, vt ſit vera ſpecies quantitatis diſcretæ. Confirmatur primo, oratio habet rationem menſuræ tam actiuæ, quã paſſiuæ, nam tota illa extenſio orationis verè menſurat probationes ſyllabarum, & ſimiliter ipſa menſuratur, quia conſtat ſyllaba longa, & breui, ac nihil aliud deſideratur ad veram ſpeciem quantitatis diſcretæ, ergo oratio eſt vera ſpecies quantitatis diſcretæ, maior eſt certa, nam orationẽ eſſe longam aut breuem conuenit quantitati, vt quantitas eſt, nam partes orationis, quæ ſunt ſyllabæ ſunt longæ, & breues ex natura ſua, & ex eo præcisè menſurantur, ergo ex vtroque cap. oratio eſt vera ſpecies quantitatis diſcretæ. Confirmatur ſecundo à ſimili, ideo numerus eſt vera ſpecies quantitatis diſcretæ, quia licèt partes eius non vniantur termino aliquo communi, tamen ſunt inter ſe ordinatæ ex natura ſua, vt vnum ſimpliciter conſtituant, ſecundum quod petunt ex ſe numerari vnam poſt aliam; ſed ſimiliter partes orationis in ipſa ſucceſſione ſibi correſpondent ſecundum conſenſum in ordine ad vnam conſonantiam; ergo partes orationis, ſcilicet ſyllabæ ſufficienter vniuntur, vt vnum ſimpliciter reſultet ex illis, & vera ſpecies quantitatis diſcretę conſtituatur. Ex quibus argumẽtis ſatis conſtat

differen

differentia orationis à numero: nam & ſi materialiter conueniant in multitudine vnitatum ſyllabarum mẽſuræ,& extenſionis,differunt tamen formaliter in illa harmonia,& ſonoritate, quã formaliter includit oratio,quæ, etſi non ſit differentia nobis nota, eſt tamen ſignum euidens, quod in numero,& oratione ſunt differentię intrinſecæ,& ſpecificæ nos latentes, attamen ſufficienter diſtinguentes vnam ſpeciem ab alia.

22 Sed obiiciant aduerſarij,in oratione hæc poſſumus cõſiderare:primo,ſonũ,quo oratio profertur.Secundo, motus,quo ſonus efficitur.Tertiò,morula tẽporis,quæ in oratione conſumitur. Quartò, ordinatio ſyllabarũ; ſed nihil horũ eſt quantitas : nam ſonus eſt quantitas motus,morula non poteſt facere ſpeciẽ diſtinctã à tempore,cum ſint partes ipſius ſecundũ prius,&poſterius, ordo ſyllabarũ eſt ad placitum,&non ex natura rei,& pendet ab intellectu:ergo ex nullo capite oratio poteſt eſſe ſpecies quantitatis diſcretæ,Reſp.quantitatẽ orationis,vel eſſe quantitatẽ aëris ſubiectantis ſonũ, qui ordinabilis eſt ex natura ſua,vel eſſe durationes illarũ ſyllabarum : nam vox,& oratio dicitur tanta,eo quod quando profertur, tantã habet extenſionem,& durationem,& ita eſt quãtitas ſufficiens adhoc,vt oratio ſit propria ſpecies quantitatis diſcretæ.Ad ſecundum Reſpondeo,duplicem eſſe breuitatem,vel longitudinem ſyllabarum;altera pertinẽs quoad Rhetores,ſeu rhetoricam,ad quam ſpectat metiri pedes ſpondeos, &c.in pangendis carminibus : altera quoad durationem, & prolationem ſyllabæ,quæ ex ſe quomodocumque proferatur,ſeu cum magna, ſeu cum breui duratione ab intrinſeco habet durationẽ,& extenſionem ſufficientẽ,vt oratio dicatur vera ſpecies quantitatis diſcretæ.

23 Hinc colliges;Orationem differre in primis à linea, ſuperficie, & corpore,quia hæ ſunt ſpecies quãtitatis continuæ termino cõmuni copulatæ,differt à numero formaliter,vt mox dixi non ſolũ in eo,quod numerus eſt permanens,oratio vero conſtat ex quãtitatibus ſucceſſiuis,ſed ſecundum harmonicã conſonantiã,&concentum,quẽ non dicit numerus.Infero ſecundo,genus generaliſſimũ quantitatis ſic eſſe ordinandũ, nam genus generaliſſimum quantitatis in communi immediate diuiditur tanquam per differentias formales in has duas ſpecies ſubalternas, ſcilicet in quantitatem continuam, & in quantitatem diſcretam , & diſcreta rurſus diuiditur in numerum & orationem,quæ adhuc non ſunt ſpecies infimæ,ſed ſubalternæ:nam numerus ſub ſe continet numerum binarium,ternarium &alios, qui ſpecie diſtinguntur,& oratio plures orationes ſpecie diuerſas penes diuerſas harmonias,& extenſiones; continua ſimiliter in ſpecies ſupra enumeratas, &c.

CAPVT V.

An ſi daretur quantitas actu infinita pertineret ad hoc prædicamentum.

24 RAtio dubitandi deſumitur ex dictis, oſtendimus enim c.2.n.8.numerum eſſentialiter conſtitui per numerabilitatem,& menſurabilitatem,taliter quod ſi poſſibilis eſſet numerus infinitus, non eſſet ſpecies quantitatis diſcretæ, eo,quod multitudo infinita non eſſet numerabilis,& menſurabilis:ſimiliter,ſi daretur quantitas infinita non poſſet collocari in genere quãtitatis continuæ:nam ſicut ſe habet quantitas diſcreta ad multum,& paucum,ita quantitas continua ad magnum,& paruum.Secunda ratio dubitandi eſt,quia de eſſentia ſubſtantiæ prædicamentalis eſt eſſe ſubſtantiã creatam finitam,& cõpletam, vt oſtendimus diſp.21. c.3.n.12. ob quã rationem excluſimus Deum à prædicamento ſubſtantiæ, quia Deus eſt ſecundum eſſentiã infinitus ſimpliciter:ergo ſi daretur quãtitas actu infinita,illa deberet excludi ab hoc prędicamẽtoquãtitatis

25 Dices diſparẽ eſſe rationem:nã ſi ſubſtantia eſſet ſimpliciter infinita ſicut Deus, contineret omnes perfectiones omnium prædicamentorum,& ideo ſub nullo genere cõtineretur tanquã propria ſpecies ſubſtantiæ incõmuni,at ſi daretur quantitas actu infinita, ſolum eſſet quantitas,& non contineret perfectiones ſubſtãtiæ,& aliorum prædicamentorũ ſicut Deus,& ideo nõ poſſet cõſtitui ſub genere quantitatis.Re p. quod ſicut accepimus quantitatem infinitam in genere ſolum quantitatis, ita poſſumus accipere ſubſtantiam infinitam ſolum in genere ſubſtantiæ quin contineat perfectiones aliorum prædicamentorum, & tunc talis ſubſtantia non eſſet in prædicamento:ergo neq; quantitas,vt ex Ariſt.colligi videtur 5 met.tex 10. aſſerente multum eſſe quid quantum , ſi ſit numerabile,& magnum ſi ſit menſurabile, ſed ſi daretur quantitas infinita non eſſet menſurabilis, nec numerabilis : ergo nec collocabilis in hoc prædicamento quantitatis.

Arbitror tamen dicendum, quod ſi per impoſſibile 26
daretur aliqua quantitas actu infinita, ſiue linea ſiue alia &c.illam eſſe collocandam in hoc prædicamento quantitatis tanquã illius veram ſpeciẽ,& eiuſdem rationis.Eſt expreſſa Ariſt.6.topic.tex.37. Vbi ait *lineam finitam,& infinitam eſſe eiuſdem ſpeciei,& definitionis*, & D.Th.1.p q.85.a.8. ad ſecundũ,vbi ait,*quamuis linea finita,& recta per extrema puncta à Mathematicis definiatur, ad eſſentiam tamen lineæ,non pertinere extrema puncta,nam in linea circulari, & infinita huiuſmodi puncta non dantur* : ergo ex Ariſtot. & D.Thom. colligitur lineam finitam , & infinitam eſſe eiuſdem ſpeciei, & per conſequens poſſe poni lineam infinitam (ſi daretur) in hoc prædicamento quantitatis.

Probatur ratione,tota ratio quantitatis ſaluatur,ſiue 27
linea finita,ſiue infinita:nã de ratione quantitatis cõtinuæ incõmuni ſolũ eſt habere partes extra partes copulatas termino cõmuni,ſed hoc totum cõpetit quãtitati,etiãſi infinita ſit;ergo.Secundo de ratione lineę, vt talis ſolũ eſt longitudo ſecundum vnã dimenſionẽ; ſed hęc eodem modo cõpetit,ſiue linea ſit finita,vel infinita:nam eſſe finitũ,vel infinitum accidentariè cõparantur ad quantitatẽ:nam linea quantũ ad ſuam entitatem eodẽ modo dicitur,ſiue ſit magna,ſiue parua,cũ ſit eiuſdẽ ſpeciei : ergo ſicut multiplicatio non vãriat ſpeciẽ;ita nec linea infinita ; ergo ſi daretur quantitas actuinfinita illa cõtineretur ſubhoc genere quãtitatis.

Sed quid dicendũ,ſi daretur numerus infinitus, po- 28
neretur ne ſub hoc genere quãtitatis diſcretæ? Si cum plurib.Doctoribus dicamus omnes numeros eſſe eiuſdem ſpeciei inter ſe,& ſolũ differre,vt plura indiuidua intra eamdẽ ſpeciẽ,aſſeri poteſt,quod ſi talis numerus infinitus daretur, poſſe collocari in recta linea prædicamenti quantitatis,vt vera illius ſpecies:nam ex additione,vel detractione vnitatũ non mutaretur ſpecies numeri,ſed tunc finitum,& infinitum ſe haberent per accidens,vt ſupra de linea,& aliis ſpeciebus quãtitatis diximus,& hãc ſententiã defendit Soncin.5.met.q.10.

Cum vero probabilius cum Ariſt. docuimus ſupra 29
c.3.& 4.numerum v.g.binariũ,ternarium &c.eſſe ſpecie diuerſos,conſequenter dico, quod ſi daretur multitudo actu infinita illã nõ eſſe ponendã directe,& per ſe in hoc prædicamẽto quãtitatis diſcretæ,vt manifeſte oſtẽdit Ariſt. ſupra adductus,vbi docet *multitudinẽ, quæ numerari non poteſt,non eſſe veram ſpeciẽ quantitatis diſcretæ*; nã multitudo infinita,ſi actu daretur, numerari,nec mẽſurari poſſet; & ratio poſitionis eſt manifeſta,nã nihil ponitur directe,&per ſe ſub aliquo genere,quod nõ ſit ſub aliqua ſpecie,vt cõſtat in omnib. rebus,ſed multitudo actu infinita,ſi daretur,ſub nulla ſpecie numeri collocari poſſet;ergo nec ſub genere illius erit:minor probatur,ſpecies quælibet determinata numeri dicit numerabilitatẽ,& menſurabilitatem determinatã,ſeu tot vnitates ſimul vnitas,multitudo vero infinita hoc non habet , quia nullus eſt terminus vnitatum illius,ergo ſi daretur multitudo actu infinita non poneretur ſub genere quantitatis diſcretæ.

Ex iis ad rationem dubitandi positam in principio Resp. negando esse eandē rationē quātitatis continuę, & discretæ: nam continua, siue sit parua, siue magna semper est eiusdem speciei in ratione quantitatis, numerus vero siue crescat, siue minuatur variat speciem. Arist. enim rerum essentias numeris comparauit, nam sicut addita, vel ablata qualibet vnitate numeri auferetur numerus, ita essentia, addita vel ablata qualibet entitate, vel prædicato aufertur tota essentia, & ita numerus, qui constat ex vnitatibus prædicamentalibus mutatur, & variat speciem.

31 De substantia vero, & quantitate continua est dispar ratio, nam substantia crescit in prædicatis essentialibus seu in perfectione essentiali, quæ essentiam mutat, quantitas vero continua hoc modo non crescit, sed semper est eiusdem rationis, quia quantitas quamuis crescat, semper retinet rationem quantitatis, & eadem prædicata essentialia, nam crescendo solum acquirit partes integrantes, ex quibus solum fit maior extensiue, cum partes integrantes sint eiusdem rationis, aut speciei, etsi omogeneæ, sicut partes aquæ, & partes corporis humani, substantia vero crescit in prædicatis essentialibus, quarum vna est perfectior alia, & differentiæ aduenientes mutant speciem; quantitas autem hoc habet speciale, quod præter prædicata quidditatiua, & essentialia habet partes integrantes, ex quibus augetur, quod maxime proprium est illius, & ob hanc rationem, finitas, & infinitas sunt veluti passiones quantitatis continuæ. Vnde substantia crescit in quidditate, quantitas in proprietate.

CAPVT VI.

Tres proprietates quantitatis explicantur.

32 IN finem huius capitis de quantitate remisimus explicandas tres proprietates, quas Physicus in hoc cap. assignat. Prima proprietas quantitatis est, quod quantitati nihil est contrarium, quam proprietatem vniformiter explicant omnes eius interpretes de propria contrarietate, vt in simili diximus disp. 21. de substantia cap. 4. num. 47. neque enim esse, bicubitum, vel tricubitum habet contrarium, hanc autem proprietatem non esse proprietatem quarto modo docet Physicus, cum etiam substantiæ competat non habere contrarium, etiam si competat omni quantitati; sed dices cum Philosopho quod magnum, & paruum multum, & paruum sunt quanta, & illius species, & tamen magnum, & paruum videntur contraria, ergo etiam quantitati aliquid contrariatur. Secundo ex Suarez disput. 41. sect. 5. num. 2. motus augmentationis, & diminutionis dicuntur motus contrarij; ergo terminantur ad terminos contrarios, nam augmentatio terminatur ad magnitudinem, & diminutio ad paruitatem; ergo magnum, & paruum ad inuicem sunt contraria.

33 Ad primum Respondeo magnum, & paruum formaliter non esse species quantitatis, sed potius ad relationem pertinere, magnum enim dicitur in ordine ad paruum, & è contra. Resp. secundo dato quod magnū, & paruum sint quantitates non esse contraria contrarietate propria mutuo se expellentia ab eodē subiecto, idem enim mons, respectu diuersorum dicitur magnus, & paruus, & quod respectu vnius est magnum, potest esse paruum respectu alterius, sicuti, & idem potest dici respectu diuersorum esse sursum, aut deorsum. Ad confirmationem Respondeo, augmentationem, & diminutionem dici late esse motus contrarios, & quatenus sunt oppositi, & incompossibiles in eodem subiecto, & ita magis opponi priuatiue, quam contrarie contrarietate propria, cum intra genus quantitatis non detur aliqua quantitas, quæ ab eodem subiecto mutuo de expellant.

34 Secunda proprietas quantitatis est, quod quantitas non suscipiat magis, & minus, quæ proprietas etiam competit substantiæ, & ideo non est proprietas quarto modo ipsius quantitatis, & intelligenda est non secundum intensionem, qualitas enim intenditur, non vero quantitas, nec enim vnum bicubitum est magis bicubitum alio bicubito, & vnus numerus ternarius alio numero ternario, nec vnum tempus magis tempus quam aliud. Dices, quantitas augetur, & minuitur, ergo suscipit magis, & minus, non enim alia ratione intelligimus qualitatem suscipere magis, & minus, nisi quia augetur, & minuitur. Respondeo discrimen esse sumendum ex ratione formali qualitatis, cuius non solum est qualificare subiectum, & denominare quale; sed suscipere magis, & minus per productionem noui gradus, vt diximus lib. de generatione; in quantitate autem res aliter se habet, cum augeatur per partes integrantes, quæ sunt extra illius essentiam, & ita licet per illas partes quantitas augeatur, seu extendatur, seu protendatur, aut fiat magis longa, vt in rarefactione, numquam tamen intenditur secundum gradus, aut intensionem sicut qualitas.

35 Tertia proprietas quantitatis est, vt ratione illius dicātur res æquales, vel inæquales; intellige secundū extēsionem; hæc proprietas conuenit quantitati omni, & soli, & semper, & ideo dicitur proprietas quarto modo, proprium enim est quantitatis, quod secundum eam aliquid dicatur æquale, vel inæquale alteri, illa einm quæ conueniunt, vel differunt secundum qualitatem potius dicuntur similia, quam æqualia, vel inæqualia, & ita corpus, superficies, & linea dicuntur æquales, vel inæquales, cætera vero dicuntur similia, vt vna actio dicitur similis alteri actioni.

36 Sed obiiciat quis, si in rerum natura non daretur nisi vna sola quantitas, illa esset vera quantitas non minus ac si à parte rei darentur plures quantitates actu existentes; sed in illo casu talis quantitas non posset esse æqualis, vel inæqualis alteri quantitati, quia nulla talis quantitas daretur, cui esset æqualis, vel inæqualis, ergo esse æqualem, vel inæqualem non est proprietas quarto modo in ipsa quantitate. Confirmatur, tempus est vera species quantitatis, vt supra ostendi disp. 24. cap. 3. n. 13. & tamen illud non est æquale, vel inæquale, nam in rerum natura non datur nisi vnicum tempus, vt docet D. Augustt. lib. 1. de summo bono c. 20. *dicens, neque id, quod futurum est esse iam, neque id, quod præteritum est, pauca enim sunt, quæ proprie loquimur*; ergo non est nisi vnicum tempus, sed illud non potest esse æquale, & inæquale alteri, ergo de ratione quantitatis non est esse æquale, vel inæquale, nec hoc potest esse proprietas quarto modo.

37 Respondeo ad primum, in illo casu, quo in rerum natura vna sola quantitas daretur, illi competere æqualitatem, vel inæqualitatem non actualem, sed aptitudinalem, & in potentia, nam quod actu sit æqualis, vel inæqualis quantitas, valde hoc illi accidentale est, quia si alia esset possibilis, dicerentur æquales, vel inæquales non actu, sed in potentia proxima, quæ est proprietas quarto modo ipsius quantitatis, cum illi, & soli, & semper conueniat.

38 Ad confirmationem Respondeo, hanc proprietatem non esse intelligendam de æqualitate, quæ sit relatio realis petens vtrumque extremum, seu terminum actu existentem, nam cum tempus sit vnicum, vt conuincit argumentum, & quantum sit tempus per motum, vt loco citato n. 13. ostendimus, non potest habere hanc relationem in ordine ad aliud tempus, quod non datur, nec in ordine ad partes eiusdem temporis, nam illæ partes numquam simul existunt, sed vna existente, alia non existit, nec in ordine ad motum, quem mensurat, quia non est eiusdem generis, & speciei, sed intelligendam esse de æqualitate, quæ sit relatio rationis, ratione cuius intelligimus æqualitatem fluentem ex motu, & ita tot essent tempora,

pora, quot ſunt motus, & inter hæc tempora poteſt dari vera, & realis æqualitas, vel inæqualitas, quin neceſſarium ſit recurrere ad æqualitatem ipſarum rerum, quia ſtando in doctrina D. Auguſt. ſupra addita, ſcilicet, quod vnicum ſit tempus, illud dicitur æquale ad eum modum, quo n. 38. diximus de quantitate ſi ſola in rerum natura daretur.

39 Quare abſolute dicendum eſt hanc proprietatem, ſcilicet eſſe æquale, vel inæquale eſſe proprietatem quarto modo, & quantitati ſoli, & ſemper conuenire, ſic Ariſt. docuit in præſenti cap. his verbis, *ſed maxime proprium eſt quantitatis dici æqualem, vel inæquale*; & pro meliori intelligentia ſupponendum eſt ex Caietano in præſenti æqualitatem duobus modis ſumi poſſe: primo vt condiſtinguitur contra ſimilitudinem, & nihil aliud eſt, quam relatio vnius quantitatis ad aliud quãtum ſecundum negationem exceſſus hinc, & inde; ſecundo metaphyſice, & tranſumptiue, quatenus eſt idem, quod perfecta ſimilitudo, quam Burleus poſuit ſub iis terminis, vt æqualitas alia ſit quantitatiua, alia qualitatiua, prima eſt æqualitas molis, ſeu extenſionis; ſecunda eſt æqualitas virtutis, ſeu perfectionis gradualis, & de qualitate quantitatiua ſeu molis Ariſt. loquitur, dum *dicit proprium eſſe quantitatis, vt ratione illius res ſint æquales, vel inæquales*, vt conſtat in vna ſubſtantia quanta, quia per illam quantitatem eſt æqualis alteri ſubſtantiæ quantæ.

40 Probatur modo aſſertio, nam huiuſmodi æqualitas per ſe, & ratione ſui intelligitur in quantitate in ratione menſuræ, nam illa dicuntur æqualia inter ſe, quæ eadem menſura menſurantur; ſed menſurari proprie conuenit omni, & ſoli quantitati, & per illam omnibus aliis, ergo eſſe æquale, vel inæquale conuenit omni, & ſoli quantitati per ſe, & propriè, aliis autem per ipſam quantitatem, ergo æqualitas, vel inæqualitas conuenit quantitati, vt maxime propria. Confirmatur in duratione, nam vna linea (& idem dico de aliis ſpeciebus quantitatis) eſt æqualis, vel inæqualis alteri lineæ, ſed non alia ratione eſt æqualis, vel inæqualis, niſi ratione quantitatis; ergo hæc æqualitas conuenit quantitati, vt proprietas quarto modo, & vt maxime propria, vt loquitur Ariſt. & omnes eius interpretes.

41 Sed obiiciat adhuc quis, alia præter quantitatem dicuntur æqualia, vel inæqualia, vt duæ differentiæ ſubſtantiales, vt rationalitas, & hinnibilitas dicuntur eſſentialiter inæquales imperfectione eſſentiali; ergo non eſt proprietas quarto modo eſſe æquale vel inæquale, cum id etiam competat differentiis ſubſtantialibus: ſecundo quia eſſe æquale vel inæquale pertinet ad relationem, cum nihil dicatur æquale, vel inæquale niſi comparatione ad alterum. Reſpondeo nihil æquale, vel inæquale dici de altero, niſi æquali, vel inæquali menſura menſuretur, menſura autem proprie eſt quantitatis, & propria eius paſſio, ſub qua ratione ad Logicum ſpectat agere de quantitate; ſecundum ſuam autem eſſentiam propriè ad metaphyſicum ſpectat & conſequenter inæqualitas proprie in ſola quantitate reperitur, in aliis autem tranſlatiue, & impropriè, ſeu per ſimilitudinem, vt in ſubſtantiis, qualitatibus & relationibus. Ad confirmationem dico, æquale, vel inæquale dici formaliter relatiua, quantitatem vero eſſe fundamentum proximum talis relationis æqualitatis, & inæqualitatis, & conſequenter ratione illius res dici æquales, vel inæquales.

Et hæc de quantitate, & eius ſpeciebus dicta ſint ſatis.

In caput 7. De Relatione.

ARiſtot. in præſenti capite promiſcue egit de relationibus tam prædicamentalibus, quam tranſcendentalibus intendens explicare naturam, & eſſentiam prædicamenti ad aliquid, cuius notitia apprime neceſſaria eſt non ſolum ad ſcientias naturales, ſed etiam ad ſacram Theologiam addiſcendam, cuius eſſentiam, varias eius diuiſiones, & proprietates breuiter explicare conabor.

Et in limine ſupponimus, quod quamuis Ariſt. 5. met. cap. 13. 14. & 15. prius egerit de qualitate, cum non ſit minus fundamentum relationis, quam ſubſtantia, & quantitas, entitaſque perfectior, & quæ primo afficit ſubſtantiam, merito tamen non ſolum ordine doctrinæ, ſed etiam ordine naturæ, poſt tractatum de quantitate inſtituit Ariſt. agere de relatione: nam vt docuerunt Amonius, & Louanienſes in tractatu de quantitate fecit mentionem relationis, cũ dixit, *magnum, & paruum*: & licet relatio communiter fundata in qualitate, plures ſunt relationes, quæ fundantur in ſubſtantia, & quantitate, quæ ſunt priores qualitate, duæ enim quantitates per relationem dicuntur æquales, vel inæquales, ergo, ſicut ſubſtantia, & quantitas priores ſunt qualitate, ita & relationes quę fundantur in ipſis, licet de facto poſſit dari aliqua relatio poſterior ad qualitatem: tandem in litera refutat definitionem antiquorum, ſuam ſtatuit & enumerat proprietates relationis, quas nos ad finem capitis remittimus.

De relatione agunt Ariſt. in præſenti & 5. met. c. 13. D. Thom. ibidem, & de potentia q. 7. opuſ. 48. tract. 5. de prædicamento ad aliquid, cap. 2. 1. p. q. 28. art. 1. & q. 13. art. 7. & multis locis infra, citandis, Suarez diſp. 47. per totam, Conimbrenſes in cap. de relatione, Toletus, Rubius ibidem 7. de relatione, Complutenſes c. de relatione per 8. quæſtiones Ioan. à S. Thom. q. 17. de relatione per varios articulos, Auerſa q. 19. de relatione, Arriag. d. 12. Logic. Carlet. diſp. 11. met. Merinero cap. de relatione per tres diſputationes Petrus Hurtado diſp. 15. met. Franciſc. Alphonſus diſp. 19. Logicæ cap. de relatione, latiſſime Paulus Vallius capite de relatione tomo 1. ſuæ Logicæ, & nouiſſime Lerma capite de relatione q. 17. & plures qui adducuntur ab illis, & alij recentiores in manuſcriptis.

DISPVTATIO XXV.

De relatione.

SEx capita continebit. In primo explicatur definitio relationis, & defenditur: in ſecundo an dentur relationes reales creatæ à parte rei: in tertio per quem reſpectum, *in*, vel reſpectum, *ad*, relatio conſtituatur: in quarto de diuiſione relationum pertinentium ad hoc prædicamentum: in quinto in quo relatio prædicamentalis differat à tranſcendentali: in ſexto quæ conditiones requirantur ad relationem prædicamentalem?

CAPVT I.

Explicatur & defenditur vera definitio relationis.

1 RElatio in communi dicitur illa ratio formalis, per quam vnum reſpicit aliud, vel eſt illa entitas, quæ eſt ad aliud, & quæ non poteſt concipi, & explicari ſine alio, & ideo dicitur reſpectu, vel tendentia vnius rei ad aliam, & in hoc capite refert Ariſt. difinitionem antiquorum quæ ſuo tempore circumferebatur quæ eſt huiuſmodi, *ea dicuntur ad aliquid quæ id quod ſunt aliorum eſſe aut ad aliquid aliquo modo dicuntur*; quam ex Platone, deſumptam eſſe, &

veram putarunt nonnulli ex antiquis ; merito tamen eam reiicit ipse Arist. 1. quia illa cõuenit substantiæ, & quantitati : nam substantia materialis, eo quod partes habeat, tales partes sunt aliorum , caput enim est alicuius capitis caput, quod de quanto potest idem argumentum formari; cum per relationes sint æquales, vel inæquales pertineretque definitio ad triplex prædicamentum , secundo quia talis definitio conuenit accidenti ; nam albedini conuenit esse album , nam etiam albedo alicuius albi est albedo , ergo hæc diffinitio est reicienda vt insufficiens.

2 Pro explicatione tamen veræ definitionis præmitto relatiua esse in duplici differẽtia; quædam sunt quibus essentiale est referri ad aliud , vt Paternitas, & filiatio, quædam quibus accidentale est referri ad aliud, vt album, & albedo , quæ etsi mutuo referantur , quia dicimus; album albedine est album , & albedo est albi albedo ; non tamen est de eorum essentia referri , cum vtrumque significet rem absolutam , vt clare D. Thomas 1. p. q. 13. art. 7. ad primum , sed accidentaliter solum illis conuenit referre , vel referri ratione relationum realium , vel rationis, quæ illis sunt annexæ nam albedo habet annexam relationem causiæ formalis, & album relationem effectus; vt autem definitio illa antiquitus tradita esset vera, debebat intelligi de relationibus quibus accidentale est referri ad aliud , vt album, & albedo; falsa vero de relatiuis, quibus essentiale est referri ad aliud, vt Paternitas, & filiatio, & cum prædicta definitio solum possit adaptari relatiuis primo modo , non vero relatiuis secundo modo , ideo ab omnibus vt insufficiens reiicitur.

3 Quare Arist. 5. met. c. 15. ex propria sententia sic deffinit relationem, *Relatiua sũt, quorum totum suum esse, est ad aliud se habere*, in qua definitione affirmant omnes in illis verbis *relatiua sunt* , subintelligi accidentia realia, vt totum esse Patris est ad filium, totum esse generis ad species. Hic annotare licet, Arist. non solum definiuisse relatiua , quæ in hoc prædicamento collocantur; sed etiam omnia relatiua secundum se, siue illa sint intrinsecus aduenientia, siue extrinsecus, vt agens, & passum: hanc definitionem esse exactam ostendunt omnes , nam per illa verba, *accidentia realia* , quæ in definitione subintelliguntur , & loco generis ponuntur, excluduntur transcendentia diuina, & rationis quę non sunt accidentia realia, sed alia sunt substantia, alia entia rationis, vt totum esse generis est ad species , per reliquas vero particulas scilicet, *quorum totum suum esse est ad aliud se habere*, distinguntur relatiua , quæ in hoc capite definiuntur , à relatiuis accidentalibus , & secundum *dici*, quæ absoluta sunt , & accidentaliter referuntur ad aliquid, id est ad aliud, vt Pater ad filium, & è contra.

4 Ex hac definitione colligitur primo illum , qui definite cognoscit vnum relatiuum, necessario debere cognocere aliud relatiuum iuxta illud commune Arist. pronuntiatum, relatiua sunt simul natura, & cognitione, qui enim definite cognoscit Patrem , definite, id est, à fortiori cognoscit filium, vel è contra. Colligitur. secundo relatiua triplici nomine specificari , seu cognosci. Primo nomine relatiuorum. Secundo , dicendo relatiua sunt , quæ conferantur cum alio. Tertio, cum nominantur ad aliud. Colligitur tertio , relatiua inter omnia entia esse minutissimæ entitatis , & omnium entiũ imperfectiora, quod occasio fuit aliquibus Stoicis illa negandi , esse vero minutissima entia , probatur nam præterquam quod multi censent relationes mere pendere, ab intellectu, & esse entia rationis , quod falsum iudico, pendent saltem à fundamento, & termino , ergo sunt entia minutissima: antecedens probatur nam stante eodem subiecto, in quo est relatio adquiri, & deperdi potest per solam terminationem noui termini ; quod illustratur in duobus albis , quorum relatio similitudinis deperdi potest ex sola termini mutatione v. g. si paries, qui antea erat albus, fiat niger, relatio similitudinis deperditur manente eodem fundamẽto, ergo entitas relationis est minutissima entitatis.

Colligitur quarto, relatiua secundum esse, & relatiua secundum dici non esse differentias relationum; sed relatiuorum ; Probatur , nam licet inter relatiua, quædam sint secundum esse , quædam secundum dici, non dicimus relationes esse in duplici differentia , sed vnam tantum esse naturam relationum ; nam eo ipso quod sit relatio necessario est relatio secundum esse, ergo potius dicentur differentiæ relatiuorum , quam relationum. Colligitur vltimo in relationibus omnia hæc reperiri, relationem, relatiuum, correlatium, subiectum relationis, fundamentum proximum, & remotum, & rationem fundandi quod idem est, *relatio* dicitur respectus, comparatio, seu tendentia inter duo extrema, v. g similitudo, quæ reperitur inter duo alba; *relatiuum* dicit extremũ , quod refertur ad aliud; *correlatiuum* vero, quod vni relato ex altera parte correspondet, v. g. filius dicitur correlatiuum Patris; *subiectum relationis* dicitur substantia , in qua inhæret relationis fundamentum , vt paries in exemplo adducto, *fundamentum remotum* , est ratio remota , propter quam aliqua referuntur, vt albedo; *fundamentum proximum, seu ratio fundandi* dicitur ratio proxima propter quam aliqua referuntur, v. g. vnitas in qualitate dicitur fundamentum proximum , seu ratio fundandi relationem similitudinis inter duo alba.

CAPVT II.

An dentur à parte rei relationes reales creatæ.

6 ANtiquorum opinio fuit nullas dari in creatis relationes reales sed omnes esse relationes rationis, vel extrinsecas denominationes de sumptas ex duorum absolutorum coexistentia, quam sententiam sustinuerunt Amonius, Simplicius, Zeno Antiquus Philosophus, Auerroes 12. met. cõmento 29. Auicenna lib. 3. suæ Philosophiæ cap. 10. Ocan. in 1. dist. 3. q. 1. Aureolus apud Capreolum dist. 30. quæst. 1. & antiqui Stoici, & nominales. Secunda sententia: iam Philosophorum axioma est dari à parte rei relationes reales proprium ac speciale prædicamentum relationis constituentes; hanc sententiam primo sequutus est Plato quem postea Arist. & hunc omnes eius interpretes tam Græci, quam Latini: & postea Theologi in 1. dist. 3. & D. Thomas 1. p. q. 13. art. 7. q. 28. art. 1. & multis aliis locis infra citandis, Scotus in 1. dist. 31. Suarez, disp. 47. met. sect. 1. num. 10. Capr. Gregor. Complutenses cap. de relatione q. 1. Merinero de relatione disp. 1. q. 1. Lerma de relatione, Carleton 5. sect. 2. q. 18. Valius , Petrus Hurtado, disp. 15. met. sect. 2. Arriaga disp. 12. de relatione sect. 2. Franciscus Alphonsus q. 19. de relatione sect. 2. Auersa q. 19. de relatione sect. 3. & plures ex recentioribus & Theologis in manuscriptis.

7 ASSERTIO I. Dantur in creatis relationes reales prædicamentales: ita auctores secundæ sententiæ. Probatur argumento Theologico à simili ; in diuinis personis dantur secundum fidem relationes reales, vt sunt Paternitas , & filiatio, & spiratio passiua : ergo etiam dantur in creatis relationes reales prædicamentales; antecedens probatur ex D. Thoma quæst. 8. de potentia art. 2. iis verbis. *Respondeo dicendum quod sententiam Catholicæ fidei sequentes oportet dicere in diuinis esse relationes reales*, ergo salua fide antecedens negari non potest ; Consequentia vero probatur primo; ideo Pater æternus habet relationem realem Paternitatis ad filium, quia vere generat filium , & est principium eius per veram, & realem generationem, sed idem contingit in creatis, homo enim, & equus vere generant, & sunt principia alterius per veram, & realem generationem

tionem,ergo etiam in creatis dantur relationes reales. Secundo probatur idem antecedens:si propter aliquam rationem repugnarent prædictæ relationes reales in creatis, vel repugnarent propter perfectionem, vel propter imperfectionem; non propter perfectionem, quia ob hanc non repugnant diuinæ relationes; non propter imperfectionem:nam licet creatæ relationes sint accidentales,& minutissimæ entitatis,tamen non sunt extraperfectionem creatam:ergo ob hanc imperfectionem non debent negari à parte rei relationes creatæ:ergo reipsa dantur.

8 Dices: ex relationibus diuinis minimè colligi dari creatas relationes,nam diuina relatio, scilicet, Paternitas non est resultans,sed principium constituens diuinam personam, & est substantia, quod non habet creata relatio;ergo cum creatæ relationes non sint in illo genere relatiuorum, videtur ex diuinis relationibus non colligi sufficiens argumentum ad creatas relationes constituendas,sed impugnatur; nam licet relationes creatæ non sint substantiales, sicut diuinæ, sunt tamen habitudines,& tendentiæ seu respectus accidentales creati ad alterum; sed hoc formaliter constituit creatam realem relationem:ergo independenter ab operatione nostri intellectus dantur à parte rei tales relationes creatæ,sicut enim præciso quouis opere intellectus vna quantitas est æqualis, vel inæqualis alteri,& vna albedo similis alteri albedini,ita pari formiter vna res respicit, & dicit ordinem ad aliam, iis enim nominibus significamus res relatiuas & habitudines vnius ad alterum: ergo sicut dantur à parte rei ante operationem intellectus res absolutæ creatæ, dantur res relatiuæ, & creatæ relationes reales Patris ad filium, & contra:ergo de facto dantur.

9 Dices secundo, dari in creatis istas relationes reales,non tamen per modum formæ intrinsecæ, sed per modum denominationis extrinsecæ, & ita in creatis non esse appellandas reales relationes, sed extrinsecas denominotiones,sed impugnatur:omnis extrinseca denominatio debet prouenire ab aliqua forma reali in aliquo subiecto existente,vt esse visum, aut cognitum ergo si relatio creata est denominatio extrinseca, debet prouenire ab aliqua forma in subiecto existente; tum sic, vel illa forma est realis, vel absoluta entitas, vel res relatiua;si est relatio, ergo iam datur forma relatiua intrinseca, & habemus intentum, si est entitas absoluta, extrinsece tamen informans, quomodo potest ab illa prouenire denominatio relatiua, nam à forma absoluta non manat effectus formalis relatiuus:ergo prædictæ relationes creatæ non possunt esse extrinsecæ denominationes, nam si relationes sunt extrinsecæ denominationes,quomodo sunt tres diuinæ personæ realiter constitutæ,& inter se distinctæ? ergo si in diuinis non sunt extrinsecæ denominationes, sed intrinsecæ formæ substantiales, cur in creatis tale genus relationis repugnabit,ergo de facto in creatis dantur relationes reales creatæ accidentales.

10 Sed obiiciunt aduersarij contra nostram assertionem,primo,nulla relatio ponit aliquid reale in re absoluta, quæ referri dicitur,v. g. similitudo nihil reale ponit in parietibus albis coexistentibus, ergo vel dicendum est relationem nihil reale ponere,vel esse extrinsecam denominationem;antecedens probatur;nam relatio, vt relatio solum est ad aliud; sed esse ad aliud nihil reale ponit in subiecto, ergo nec relatio est aliquid reale,cum omnis relatio, seu comparatio fiat per intellectum,si sint extrinsecæ denominationes, etiam aduenirent subiecto sine illius mutatione; ergo non essent reales; nam omne ens reale aduenies alicui subiecto illud immutat,ergo denominationes relatiuæ non sunt aliquid reale, nam ex Arist. 5. Physic. tex. 12. *ad relationē per se non datur motus*, eo quod relatio aduenit subiecto sine illius mutatione. Secundo, quia omne ens reale præter Deum habet aliquam causam sui;sed relatio nullam habet causam;ergo non est realis,sed rationis:minor probatur, nam existente in rerum natura aliquo albo, etiam si aliud in magna distantia producatur, resultat quædam relatio similitudinis, vt in Patre respectu filij, etiam si sit apud Indos; & tamen agens de nouo producens album distans non potest esse causa talis relationis; cum possit illud primum agens quod produxit primo album non esse in mundo: ergo nulla est assignabilis causa talis relationis realis, & in tali casu illa duo alba essent inter se similia:ergo relatio non erit realis;sed solum extrinseca denominatio.

Respondeo ad primum siue relatio sit entitas realiter à fundamento distincta,siue cum illo identificata, de quo disp. seqq. cap. 2. illam relationem non sequi per se ad aliquã actionem primario ad ipsam relationem terminatam,& sic verificatur dictum Philos. *scilicet quod ad relationem non detur per se motus*; sed resultare mediatè, seu tanquam terminus secundarius ad actionem productiuam sui fundamenti,dependenter tamen à positione sui termini, sicut ad actionem productiuam hominis dimanat risibilitas,sic etiam ad productionē albi, producitur similitudo ad aliud albū; etiamsi actio,& agens non existant,cum in effectu,scilicet albo, permaneant virtualiter,ad quam tanquam ad terminum secundarium sequatur ipsa relatio,neq; enim ab ipso termino quando producitur per aliquam emissionem virtutis producitur relatio similitudinis in altero extremo;sed positio termini est conditio, vt ex fundamento antea posito resultet relatio ex vi primæ generationis,qua positum est album v.g.in rerum natura, vt petens respicere quemcumq; terminum talis fundamenti. Ad secundum Resp.quod sicut ad relationem non datur per se motus, ita neq; causa per se,sed secundario,&mediatè:vnde positis duobus albis secluso quouis alio resultare realem relationem;cum inter illa alba detur sufficiens vnitas & conuenientia, nec deficiat fundamentum scilicet albedo, & ratio fundandi & coëxistentia vtriusque,imo si per diuinã potentiam talis relatio secluderetur aut non resultaret, talia duo alba dicerentur eiusdem intensionis & fundamentaliter similia, quare aliqua sunt in rerum natura,vt secluso quouis opere, & beneficio intellectus in illis resultat relatio realis,quia datur inter illa ordo & relatio realis:in aliis autem rebus solum est fundamentum,vt vnam rem intellectus comparet alteri,vt animal ad hominem,scilicet ad rationale; quia intellectus habet fundamentum ad distinguendum vnum ab alio per rationem,& ad comparandum vnum alteri & tunc erit relatio rationis,in aliis vero ex se resultat relatio realis, vt dixi. 11

Assertio II. Relationes reales creatæ proprium genus relationis constituunt;ita auctores primæ & secundæ sententiæ:probatur manifestè,&breuiter:ex eo præcisè quod relatio sit ordo vnius ad aliud habet specialem, & proprium modum essendi distinctũ ab aliis entibus absolutis quorum essentia non potest similiter existere in tali respectu, relatio vero habet diuersos modos referendi, vt ex dicendis constabit: ergo relationes creatæ verè constituunt speciale genus relationis vnicum,& ab aliis distinctum:nam vt optimè probat Porphyrius, cap. de specie,in vnoquoq; prædicamento tantum datur vnicũ genus supremum sub quo, omnia illius prædicamenti continentur, & ratio est manifesta:nam si in hoc prædicamento essent duo genera suprema non vnicum, sed duo essent genera relationum intrinsecus aduenientia, ac per consequens non decem, sed vndecim essent prædicamenta: ergo vnicum tantum est genus supremum prædicamenti relationis sub quo omnes relationes continentur:ergo omnes relationes reales creatæ, siue secundum esse, 12

siue

siue secundum dici ad hoc prædicamentum relationis spectant.

CAPVT III.

Per quem respectum relatio constituatur in ratione relationis.

13 Diuus Thomas prima parte quæst. 28. art. 2. docet in quolibet accidentum genere considerari posse rationem communem omnibus accidentibus scilicet inhærere subiecto, & rationem propriam cuiuscumque accidentis, vt quantitas ineſt, vt mensura, qualitas vt dispositio, ita similiter in relatione duo intercedunt, & ratio communis accidentis & ratio particularis, & propria per quam hoc prædicamentum constituitur, quæ duæ rationes tam à Theologis quam Physicis ratio *in*, & ratio *ad*, appellantur in eadem entitate relationis, esse *in*, est quod relatio vere sit in aliquo subiecto, quod referat; esse *Ad*, est quod talis relatio referat, seu referatur ad aliud tamquam ad terminum; relatio per esse *in*, conuenit cum quouis alio accidenti, quod etiam habet inhærere ac esse in subiecto, atque ita esse *in* habet rationem generis, eadem vero relatio per esse *Ad*, differt ab aliis accidentibus quæ non habent referre vel referri ad aliud tamquam ad terminum, & ita esse *Ad*, gerit rationem differentiæ; quærimus modo per quem respectum istorum relatio in ratione relationis prædicamentalis constituatur; & an vtraque ratio *in*, & ratio *Ad*, sit realis nec ne.

14 Etsi omnes communiter concedant conceptum *in*, relationis vtpote communem omnibus accidentibus realibus, tamen conceptum. *Ad* qui est peculiaris, & constituens hoc prædicamẽtum sensit Bartholomæus, Medina esse ens rationis, cui suffragatur eius discipulus Sanchez lib. 5. Logicæ quæst. 32. quam sententiam vt falsam deserunt ipsi Thomistæ, quare alij vt Cajetanus, Cancer. 1. p. q 28. art. 1. & Bañez existimant hoc prædicamentum secundum conceptum *Ad*, præscindere ab vtroque, & ita neque esse ens reale neque ens rationis, ita etiam Capreolus in 1. dist. 33. q. 1. Soncinas 5. met. q. 26.

15 Sed hic modus dicendi impugnatur primo, nam admittit conceptum communem enti reali, & rationis, qui non minus implicat quam conceptus hominis ad hominem verum, & pictum, vt fuse impugnaui disp. 10. de genere c 2. Impugnatur secundo. Conceptus *in* est communis nouem prædicamentis accidentium, sed conceptui communi relationis ad nouem prædicamenta accidentium dant differentiam fictam denominantem illam rationem realem, & communem, & componunt relationem ex ente reali, & rationis, quod absurdum est, cum ratio communis realis non possit contrahi per differentiam fictam, ergo in relatione tam respectus, *in*, quam respectus, *ad*, debet esse realis. Impugnatur tertio, ratio *in*, est transcendens ad nouem prædicamenta accidentium, ergo ratio *in*, imbibitur in vltimis differentiis; aliunde respectum *ad*, præscindunt ad respectum *in*, cum dicant neque esse ens reale, nec rationis, sed ab vtroque præscindere, ergo in consequenter procedunt, ergo relatio secundum vtrumque respectum est realis.

16 Vltimo impugnatur efficaciter ad hominem argumento Theologico, omnes diuinæ relationes conueniunt in conceptu *in*, quia omnes sunt substantiales, & cum diuina natura identificantur, ergo quoad conceptum *in*, diuinæ relationes non habent oppositionem realem, nec distinctionem, ergo habent oppositionem, & distinctionem realem secundum conceptum *Ad*. & vt aliud respiciunt, sub qua ratione diuinæ relationes realiter secundum fidem distinguntur: tum sic: non possunt realiter distingui per conceptum, seu respectum *Ad*, quin talis respectus sit realis, ergo qui ab hoc conceptu, & respectu *Ad*, tollit rationem entis realis, repellit consequenter à diuinis relationibus oppositionem realem, & distinctionem. Hanc Cõsequẽtiam probo, sicut impossibile est relationem realem constitui per ens rationis, ita est impossibile dari realem oppositionem, & distinctionem per ens rationis; sed dicere diuinas personas non distingui realiter est hæreticum Sabelianum, ergo cum euidenter constet illas distingui per respectum *Ad*, cum respectus *in*, sit communis omnibus accidentibus, necessario fatendum est respectum *Ad*, in relatione prædicamentali esse aliquid reale.

17 Arbitror igitur dicendum relationem prædicamentalem secundum conceptum seu respectum *in*, & respectum *Ad*, esse realem, ita D. Thomas, q. 8. de potentia art. 2. Vasq. 1. p. disp. 114. cap. 3. Granados Controuers. 5. tract. 3. disp. 1. Ferrar. Araujo, Bañez, Vasarius, Ripa, Complutenses q. 1. de relatione, & communiter Theologi. Probatur breuiter, relatio quæ constituit hoc prædicamentum formaliter secundum conceptum & respectum *Ad*, derminat ens, & accidens reale vt sit speciale genus entis realis, ergo non solum ratio communis accidentis significata per conceptum *in*, sed etiam propria, & specialis significata per conceptum & respectum *ad*, est realis; Consequentiam probo; hæc determinatio entis, seu accidentis ad prædicamentum fit per realem transcendentiam, & essentialem inclusionem in illis: sed implicat proprium modum accidentis includi in ratione reali, & ipsum non esse realem: ergo si ratio *Ad*, includit rationem *in*, & hæc secundum omnes est realis, à fortiori ratio *Ad*, realis erit; ergo secundum vtrumque respectum tam *in*, quam, *ad*, relatio erit realis. vide Lermam lib. 7. suæ Logicæ, q. 18. col. 2. n. 7.

18 Sed obiiciunt nobis D. Thom. 1. p. q. 28. art. 1. vbi sic ait, *solum in iis, quæ dicuntur ad aliquid, inueniri entia aliqua secundum rationem tantum, & non secundum rem, quod non est in aliis generibus*, ergo relatio secundum respectum *Ad*, qui est ad aliud erit aliquid rationis; Respondeo sensum D. Thomæ esse, quod modus prædicamenti ad aliquid non secundum rationem detractam, quæ est modus proprius huius prædicamenti sed secundum rationem magis communem, & abstractam continere relatiua realia, & rationis, ita vt simpliciter relatio rationis dicatur relatio, quod non contingit in aliis prædicamentis, & generibus, v. g. substãtiæ, quantitatis, qualitatis, &c. quæ etiam secundum rationem magis communem, & abstractam non continet entia rationis, quamuis interdum formemus entia rationis ad modum substantiæ, vt cum concipimus chimeram, vel ad modum quantitatis, vt cum apprehendimus priuationes esse vt negationes, tamen huiusmodi entia rationis non dicuntur absolute, & simpliciter substantia, quantitas, aut qualitas, nisi cum addito rationis, ergo licet relatio, quæ est constitutiua huius prædicamenti contineat relationes reales, & rationis, non tamen secundum illam rationem formalem constitutiuam huius prædicamenti continet relationes rationis, sed secundum aliam rationem magis abstractam, & communem, & hoc non aduersatur nostræ doctrinæ, & sufficienter explicatur D. Th. vide etiam Lermam supra à num. 16. qui rem hanc longius explicat.

CAPVT IV.

Quæ relationes pertineant ad hoc prædicamentum.

19 VT explicentur relationes pertinentes ad hoc prædicamentum præmittenda est diuisio relationis in

in duplicem lineam:prima eſt,ſecundum conditiones accidentales:ſecunda penes ſpecies,&differẽtias eſſentiales illius,primo modo relatio diuiditur in varias relationes,ſecundo modo in varias ſpecies penes fundamẽta relationũ,&de iis diſp.ſeq.nunc autem de primo. Relatio igitur prima ſui diuiſionediuiditur in relationem realem, & relationem rationis, relatio realis eſt illa,quæ re vera datur inter extrema realiter diſtincta ſine vlla intellectus operatione illam confingente, vt inter Patrem & filium:relatio rationis eſt illa, quæ cũ re vera non ſit in re,fingitur à nobis, vt relatio, quæ datur inter ſubiectum, & prædicatum,inter animal, & rationale, inter ſuperius,& inferius,& in communi ſententia relatio Dei ad creaturas,quivt creator per ſolam relationem rationis illas reſpicit.

20 Secundo diuiditur ex D. Thoma in 2.diſt.1. quæſt. art.5.ad 8.relatio in relationem *ſecundum dici*, & in relationem *ſecundum eſſe*,relatio *ſecundum dici*,dicitur illa,quæ directè,& per ſe dicit rem abſolutam phyſicè non ordinatam ad aliud, & quæ connotatiue & indirecte dicit relationem realem, vel rationis vt *albedo*, & *album*, quæ etſi res abſoluta ſit, non tamen explicata à nobis ſine alio, ad quem dicit ordinem, quia cognoſcitur cõparatiue ad illud, vt caput alicuius capitis eſt caput;ſimiliter Dei omnipotentiam,quæ ſimpliciter res abſoluta eſt,explicamus per comparationẽ ad creaturas;relatio verò *ſecundum eſſe* eſt illa,quæ re vera datur in rebus phyſicis & per ſe dicit ordinem, & reſpectum ad aliud, vt Pater ad filium, & econtra cauſa ad effectum. Aduerte tamen quod relatiua *ſecundum dici* directe,& in recto dicunt rem abſolutam, & de connotato relationem cauſſæ formalis, & effectus; relatiua verò *ſecundum eſſe* in recto dicunt relationem & in obliquo,& de connotato rem abſolutam vt Pater directè dicit relationem, in obliquo verò, ſeu de connotato rem abſolutam,quæ determinatur Pater.

21 Tertio relatio diuiditur in relationem phyſicam,& intentionalem, relatio phyſica eſt illa, quæ reſpicit phyſicè, vel exercet munus phyſicum circa aliud, vt actio phyſica quæ phyſicè reſpicit terminum, qui per illam phyſicè fit;relatio intentionalis eſt illa, quæ ſolum intẽtionaliter reſpicit,ſeu exercet munus aliquod intentionale circa ſuum terminum vt cognitio ſeu amor reſpicit ſolum intentionaliter obiectum, quod per illum actum cognoſcitur ſeu amaturintentionaliter. Quarto relatio diuiditur in relationẽ quoad entitatem,& in relationem ſolum quoad denominationem relatio quoad entitatem eſt illa entitas,quæ ſecundum ſe eſſentialiter reſpicit aliud,vt actio ſecundũ ſe eſſentialiter,& ſecundum ſuam entitatem reſpicit terminũ, relatio ſolum quoad denominationem eſt illa entitas, quæ ſecundum ſe præcisè non reſpicit aliud,ſed eſt abſoluta,vt tamen veſtita aliqua denominatione,quæ ex connotatione termini in illa reſultat, reſpicit realiter aliud,& eſt verè relatiua,vt entitas albedinis ſecundũ ſe eſt abſoluta vt inueſtita denominatione ſimilis, quæ denominatio ex poſitione,& mutatione alterius albedinis in illa reſultat, verè reſpicit illam alteram albedinem,& eſt relatiua quoad realem denominationem.

22 Quinto relatio diuiditur in relationem mutuam, & non mutuam; relatio mutua eſt quando vnum extremum reſpicit aliud,& aliud etiam viciſſim refertur ad aliud, vt Pater refertur ad filium, & filius ad Patrem, & ideo inter illos datur mutua relatio; relatio non mutua eſt, quando vnum extremum refertur ad aliud, quod viciſſim non refertur ad ipſum, vt cognitio refertur ad ſuum obiectum;obiectum verò non refertur ad cognitionem, & ideo talis relatio eſt non mutua. Sexto relatio mutua diuiditur in relationem æquiparantiæ,& in relationem diſquiparantiæ; relatio æquiparantiæ eſt,quando vtraq; relatio,quæ eſt in vtroque extremo eſt eiuſdem rationis, ſeu denominationis vt quando vnum album eſt ſimile alteri albo,relatio,quę eſt in vno albo reſpectu alterius, & relatio,quæ eſt in alio albo reſpectu illius, ſunt eiuſdem rationis; quia vtraque eſt relatio ſimilitudinis, & ideo eſt relatio æquiparantiæ inter illa extrema alba; Relatio diſquiparantiæ eſt quando relationes exiſtentes in extremis, quæ inuicem referuntur, ſunt diuerſæ rationis, vt in Patre eſt relatio Paternitatis reſpectu filij, & in filio eſt relatio filiationis ad Patrem, quæ ſunt relationes diuerſæ rationis,& ideo inter Patrem, & filium datur relatio diſquiparantiæ,quæ omnes diuiſiones dicuntur accidentales; quia non ſumuntur penes fundamenta, & terminos, ſed conſequuntur relationem ſecundum modum attingendi talem terminum,& fundamentum à quibus ſpecies relationum ſumuntur.

CAPVT V.

In quo relatio prædicamentalis differat à tranſcendentali.

CElebris eſt diuiſio relationis,in relationem tranſcendentalem,& prædicamentalem,quarum nũc proprias eſſentias,& definitiones inueſtigabimus;Prædicamentalis conſtituit hoc prędicamentum:tranſcendentalis percurrit omnia prædicamenta:vtramque definiuit Ariſt.per concretum,prædicamentalem per illa verba, *cuius totum ſuum eſſe eſt ad aliud ſe habere*,trãſcendentalem vero per illa, *cuius eſſe eſt ad aliud quomodolibet ſe habere*,id eſt, eſſentia relationis prædicamentalis erit abſolute tendere in aliud,ſeu ordinari ad aliud,relationis vero trãſcendentalis,tota eſſentia non eſt eſſe ad aliud,cum exerceat aliud munus;circa hanc differentiam relationis prædicamentalis, & tranſcendentalis plures ſunt opiniones,& dicendi modi, vt videri poſſunt apudCaietanum de ente,& eſſentia cap.5. q.15.P. Suar. diſp.47.met.ſect.4.n.22.P.Hurtado diſp. 15.met.ſect. 8.Arriag.diſp.12.ſuæ logic.ſ.3. Conimbr. hic art.2.& 3 Carleton ſupra ſect.2. Franciſcum Alphonſum diſp.19. de relatione ſect.1. Vallium,Auerſam & alios qui citantur ab illis, quos dicendi modos breuiter perſtringemus.

24 Nonnulli autumant relationem tranſcendentalem in eo à prædicamentali diſtingui, quod tranſcendentalis relatio non neceſſario dependeat ab exiſtentia ſui termini; relatio vero prædicamentalis à ſuo termino exiſtenti dependeat. Sed impugnatur facilè, quia actio phyſica eſt verè relatio tranſcendentalis, & tamen pendet neceſſario ab exiſtentia termini, qui per illum fit; ergo ſimiliter vnio eſt relatio tranſcendentalis,& pendet etiam ab exiſtentia ſui termini,vel extremi,cui aliud etiam extremum vnit, ac etiam viſio ſenſitiua coloris eſt relatio tranſcendentalis,& pendet ab exiſtentia coloris, quem reſpicit: ergo non eſt proprium ſolius relationis prædicamentalis pendere ab exiſtentia termini.

25 Opinantur alij relationem tranſcendentalem, & prædicamentalem in eo inter ſe diſtingui, quod relatio tranſcendentalis eſt eſſentialis fundamento proximo ſeu entitati,in qua eſt;relatio vero prædicamentalis eſt fundamento proximo accidentalis. Sed impugnatur,primo,quia viſio Dei reſpectu rei creatæ eſt relatio accidentalis fundamento proximo,ſeu entitati;in qua eſt:nam ſi res illa non eſſet creata maneret in Deo tota illa entitas cognitionis, & non eſſet in Deo formaliter talis relatio viſionis reſpectu creaturæ, quæ non eſſet; & tamen viſio illa Dei non eſſet relatio prædicamentalis nec quaſi prædicamentalis,vt aduerſarij etiam fatentur:ergo relatio prædicamentalis non eſt abſolutè illa, quæ eſt accidentalis fundamento proximo.

26 Dices, viſionem diuinam reſpectu rei creatæ non eſſe

esse vere relationem, atque ita neque esse transcendentalem nec prædicamentalem. Fateor quidem visionem istam Dei quoad entitatem præcisè non esse relationem, quia entitas Dei secundum se præcisè non est relativa, sed absoluta; at hoc modo, scilicet, quoad entitatem præcisè nec similitudo vnius albi cum alio est vere relatio, quia entitas albedinis quæ est entitas relationis, non est relativa, sed absoluta; sed tamen visio illa Dei quoad formalem denominationem similitudinis est relatio vere, & proprie; quod sic ostendo: sicut implicat concipi dictam similitudinem quoad formalem denominationem similitudinis non concepto etiam termino similitudinis, ita implicat concipi visionem rei creatæ quo ad formalem denominationem visionis non concepto etiam termino illius visionis; sed hac ratione similitudinis illa quoad formalem denominationem similitudinis est vere & proprie relatio: ergo eadem etiam ratione visio diuina respectu rei creatæ quoad formalem denominationem visionis erit relatio proprie, & stricte.

27 Secundo impugnatur hic modus dicendi, relatio Paternitatis etiam si à fundamento & termino esset reipsa distincta, esset vere relatio prædicamentalis, & tamen tunc talis relatio esset essentialis fundamento proximo, ac entitati modali Paternitatis, in qua talis relatio esset: ergo non est de ratione relationis prædicamentalis, quod non sit essentialis, sed accidentalis fundamento proximo, ac entitati, in qua est. Dices, etiã in eo casu fundamentum proximum relationis Paternitatis non fore entitatem ipsius Paternitatis, sed ipsum principium substantiale generans, ex quo talis Paternitas resultat: sed contra, ergo etiam fundamentum proximum actionis physicæ non erit ipsa entitas actionis, sed substantiale principium, ex quo talis actio oritur, vel resultat; vnde cum actio sit accidentalis tali principio substantiali, erit etiam accidentalis fundamento proximo; & tamen actio physica est relatio transcendentalis, ergo non est de ratione relationis transcendentalis quod non sit accidentalis, sed essentialis fundamento proximo.

28 Arbitror ergo, relationes transcendentales, & prædicamentales sic inter se distinguendas, ac definiendas esse; relatio transcendentalis est illa, quę respicit aliud, aliquod munus exercendo circa illud, vt subiecti, causæ, effectus, finis &c. relatio vero prædicamentalis est illa, quæ solum respicit aliud vt pure terminum, pro cuius declaratione obseruo relationem esse in duplici differentia, aliam esse, quæ non gratis respicit terminum, ita vt illum solum respiciat, sed ita vt aliquod munus vere exerceat in ordine ad illum, scilicet, illum amando, vt amor respectu obiecti creati, vel illum cognoscendo, vt cognitio respectu obiecti cogniti, vel illum agendo, vt actio respectu effectus, & sic de aliis, atque ideo hæc relatio transcendentalis dicitur proficua ipsi naturæ, & ab ipsa natura intenta, aliam esse relationem quæ gratis respicit terminum, scilicet pure illum respicit non vero circa illum aliquod munus exercet, vt Paternitas solum habet pure respicere filiationem, & filiatio pure respicere Patrem & similitudo vnius albi pure respicit aliud album & sic de aliis: relatio ergo quæ non pure respicit terminum, sed aliquod munus exercet circa illum, transcendit res cuiuscumque prædicamenti, imo & omnes res creatas, cum omnis creatura respiciat essentialiter Deum recipiendo suum esse ab illo; & ideo talis relatio vocatur transcendentalis: relatio vero quæ solum respicit pure terminum, solum inuenitur in quibusdam relationibus accidẽtalibus, quæ ex placito Philosophorũ ad quartum prædicamentum spectant, vt magis inferius explicabimus, & ideo ista relatio dicitur prædicamentalis, ita Caietanus de ente & essentia cap. 7. q. 15. Suarez disp. 47. met. sect. 4. art. 9. Conimbrenses hic q. 1. art. 2. & 3. & alij permulti ex peritioribus tam Theologis, quam Philosophis.

Obiiciat aliquis, vnio hypostatica respicit verbum diuinum vt pure terminum vt omnes fatentur Theologi, & tamen est relatio transcendentalis, ergo non soli relationi prædicamentali conuenit respicere aliud vt pure terminum. Confirmatur: cognitio obiecti v.g. habet esse relationem vt sic, & esse etiam talem relationem particularem, scilicet cognitionem, sed cognitio quatenus est relatio præcisè respicit suum terminum, quatenus vero est talis relatio præcisè respicit terminum seu obiectum exercendo munus aliquod circa illud, scilicet cognoscendo illud; ergo cognitio quatenus est relatio vt sic præcisè est relatio prædicamentalis; & quatenus est talis relatio, scilicet cognitio est relatio transcendentalis, quod nullus dixit; Respondeo vnionem hypostaticam respicere verbum diuinum vt pure terminum hoc est ita illud respicere vt non respiciat ipsum verbum vt subiectum in quo recipiatur, non vero respicere verbum diuinum vt pure terminum, id est quod ita illud respiciat vt nullum munus exerceat circa ipsum vere enim vnio illa exercet circa verbum munus vniendi, cum ipsi verbo diuino humanitatem coniungat, & ideo vnio illa non est relatio prædicamentalis, sed transcendentalis, quia ad rationem relationis prædicamentalis requiritur quod ita pure terminum respiciat, vt nullum munus exerceat circa ipsum. Ad confirmationem dico, relationem prædicamentalem esse illam quæ secundum conceptum particularem adæquatum relationis respicit pure terminum; cognitio autem secundum conceptum particularem adæquatum talis relationis, scilicet cognitionis non respicit pure terminum, quia illum cognoscit, atque ita cùm secundum conceptum communem & inadæquatum relationis terminum pure non respiciat, talis cognitio non est relatio prædicamentalis, sed transcendentalis. 29

Sed instet, Paternitas est reipsa identificata cum substantia generatiua vt dicam disp. sequenti cap. 4. assert. 2. sed substantia generatiua non respicit pure terminum, sed aliquod munus generandi exercet circa illam, ergo Paternitas etiam secundum conceptum adæquatum sui, cum ab ipsa substantia generatiua non distinguatur non respicit filium vt pure terminum, igitur non erit Paternitas prædicamentalis relatio, quod est contra communem scholam. Respondeo quãdo in aliqua entitate identificatæ inueniuntur duæ rationes relationis, quarum vna est superior, & alia inferior & vna contrahitur per aliam, tunc illæ duæ rationes vnam relationem constituunt particularem & adæquatam; cum vero dantur duæ rationes relationis in aliqua entitate, quarum vna non est superior, & altera inferior, nec vna contrahitur per aliam tunc illæ duæ rationes relationis, duas formaliter diuersas relationes adæquatas & particulares constituunt in cognitione, ergo dantur duæ rationes relationis nempe relatio vt sic quæ est ratio superior, & talis relatio, scilicet cognitio quæ est ratio inferior, & vna omnino contrahitur per aliam, atque ideo istæ duæ rationes vnam solum particularem & adæquatam relationem scilicet vnam cognitionem constituunt, & cum hæc vna relatio secundum conceptum adæquatum nó pure respiciat terminum vt per se constat, non est relatio prædicamentalis sed transcendentalis; in substantia vero Patris, dantur duæ rationes relationis nimirum ratio principij seu substãtiæ generatiuæ, & paternitatis, vna tamen non est superior, & alia inferior, nec vna contrahitur per aliam vt per se notum est, atque ita hę duę rationes, duas formaliter diuersas relationes particulares & adæquatas relationum scilicet principij generatiui, & relationem aliam Paternitatis 30

consti

conſtituunt, cum autem Paternitas (quidquid ſit de alia relatione ſubſtantiæ generatiuæ) ſecundum conceptum adæquatum Paternitatis pure terminum reſpiciat videlicet filium, ideo eſt vere relatio prædicamentalis.

32 Verum vrgeat ad huc, etiã in Patre æterno poſſumus ex modo concipiendi duas rationes relationis particulares & adæquatas diſtinguere, videlicet rationẽ principij generantis ſeu ipſius generationis,& rationẽ Paternitatis diuinæ, atqui diuina Paternitas vt ratione noſtra diſtincta à primo generante ſeu generatione diuina,etiam ſecundũ conceptum adæquatũ & formalẽ Paternitatis reſpicit filiũ diuinũ vt pure terminum, cũ vt ſic nullũ munus exerceat circa illũ, ergo etiã Paternitas diuina erit relatio prædimentalis, & idẽ cõſequenter erit dicendũ de filiatione,& ſpiratione contra id quod omnes cõmuniter ſentiunt de diuinis relationibus. Reſpõdeo vt aliquid in prędicamẽto ponatur & vere prædicamentale ſit requiri,quod ſit ens creatũ quia prædicamẽta ſunt diuiſiones entis creati vt diximus ſupra diſp.20. cap.4. cum autẽ Paternitas & aliæ relationes diuinæ non ſint entia creata ſed increata, ideo tales relationes non ponũtur in prædicamẽto nec vere prædicamentales ſunt;dicuntur vero quaſi prædicamentales quia in modo pure reſpiciendi ſuũ terminum relationes prædicamentales imitantur vt argumentum oſtendit.

CAPVT VI.

Quæ conditiones requirantur ad relationem prædicamentalem & quænam hic collocentur.

33 EXplicata differentia inter relationẽ prædicamentalẽ & tranſcendentalem facilius explicantur conditiones ad relationem prædicamentalem requiſitæ,ex quibus clare conſtabit quæ ſint relationes ad hoc prædicamentũ pertinentes, quænam vero non, cum vero relatio ſit minutiſſimæ entitatis aliquas exigit conditiones,præcipue prędicamẽtalis vt melius dignoſcatur, & ab aliis ſecernatur; quinque cõmuniter aſſignãtur à D.Th.opuſc.illo 48. de relatiuis cap.1. duæ ex parte ſubiecti, duæ ex parte termini,altera ex parte relationũ,prima requiſita ex parte ſubiecti eſt,quod ſubiectũ ſit reale, accidens enim reale neceſſario petit ſubiectũ reale realiter exiſtens, cui relatio inhæreat, vnde non ens,ens rationis accidens nondum exiſtens nõ poſſunt fundare relationem realẽ,ergo neceſſario requiritur ad fundandam relationem realem prędicamentalem quod ſubiectum ſit reale.

34 Secũda conditio ex parte ſubiecti requiſita ad fundãdam prædictam relationem prædicamentalẽ eſt quod ratio illa fundans talẽ relationẽ ſit ratio realis,qua referatur & fundet talẽ relationẽ, probatur manifeſte, relatio eſſentialiter eſt ordo vnius ad aliud, ſed huiuſmodi ordo ſeu reſpectus realis non ſumitur à termino, ſed fundamento, ergo debet in ipſo dari realitas quæ ſit radix ſeu ratio reſpiciendi terminũ,& conſequenter talis reſpectus tenebit ex parte ſubiecti & fundamẽti, in relatione vero rationis hoc non requiritur, nam vt ſupra aduertit D.Th. res intellecta non refertur realiter ad intelligentem,quia eſſe intellectam nihil reale ponit in re,nota tamen quod ſubiectũ,ratio fundandi, & fundamentũ ſe habẽt ſicut corpus,albedo & album, in hoc corpore albo,quia ſubiectũ relationis ſignificat rem materialem cui relatio inhæret, ratio fundandi rationem illam per quam inhæret, fundamentum vero compoſitum ex vtroque reſultans.

35 Similiter ex parte termini duæ conditiones aſſignantur pro relatione prædicamentali, prima eſt quod ſit realis & realiter exiſtens,ita docet D.Th. 1.p.qu.13. art.2.& 2. contragentes c.2.& in relationibus,mutuis facilis eſt probatio,cum vtrique extremo inhæreat relatio vera & realis,ergo in relationibus mutuis requiritur vera vtriuſque termini & extremi exiſtentia & ſi ad omnes terminos poſſibiles eſſent relationes fere infinitæ deberent dari, quod abſurdum eſt:ſecunda cõditio ex parte termini neceſſaria ad relationem prædicamentalem eſt, quod vtraque extrema realiter diſtinguãtur ſecundum omnes rationes formales ſecundum quas attenditur relatio, eo enim præciſe quod relatio ſit realis, eſt verus ordo vnius ad aliud,& realis oppoſitio inter duo, ergo ante opus intellectus, terminus abſolute eſt, aliquid à fundamento diſtinctum realiter ſecundum rationem formalem cauſantem ipſam relationem realem.

Defectu huius conditionis D. Th.1.p. q.142. art.1. 36
ad 4. docuit relationes ſimilitudinis,& æqualitatis inter diuinas perſonas non eſſe relationes reales, nam licet diuinæ perſonæ realiter diſtinguãtur,tamen ratio formalis, ſecundum quã attenditur talis ſimilitudo & æqualitas,quę eſt ipſa eſſentia diuina eſt eadẽ numero, in illis ergo relatio ſimilitudinis aut æqualitatis quæ à natura diuina deſumitur, non eſt realis, præterea ſi per impoſſibile eadem numero albedo poneretur in duobus hominibus non eſſet inter eos relatio realis ſimilitudinis, quia tunc relationes formales fundantes talem ſimilitudinem non diſtinguerentur realiter,ergo quotieſcumque ratio fundandi ſimilitudinem eſt eadem in extremis,ſimilitudo inde reſultans non eſt realis ſed rationis.

Quinta conditio deſiderata ex parte ipſorum relatiuorum videlicet quod relatiua ſint eiuſdem ordinis 37
quod de relationibus mutuis intelligendum eſt vt diximus cap.4. num.24. defectu cuius Dei ad creaturas non eſt relatio realis, nec menſuræ, ad menſuratum, tota autem differentia inter relationem realẽ & rationis conſiſtit in hoc, quod relatio realis fundamentum reale habet cum coexiſtentia termini, relatio vero rationis caret fundamento, in quo & ſecernitur à relatione tranſcendentali,quia non reſpicit pure terminum, nec requirit ſubiectũ reale,hoc eſt fundamentum,quia reſpectus materiæ ad formam qui eſt tranſcendentalis includitur in ipſa materia, nec requirit terminũ realẽ realiter exiſtentem, ſicut prædicamentalis quia poteſt eſſe ad ens fictum & terminum non exiſtentem,neque habere realem diſtinctionem à fundamento vt bene Suarez diſp.47. met. ſect.4. & alij plures.

Colligo ex dictis,illas ſolas relationes pertinere ad 38
hoc prædicamentum directe & per ſe, quæ ſunt relationes ſecundũ eſſe.Sententia eſt Ariſt. in hoc cap.qui ideo inſufficientem iudicauit definitionem Platonis quia ex illa inferebatur relatiua ſecundum dici ad hoc prædicamentum pertinere, quod etiam docuit D.Th. 1.p.q.28. art.1.ad 2. qui inter hoc relationis prædicamentum & alia prædicamenta hoc ſtatuit diſcrimen, quod relatio ſecundum eſſe, aliquid ponit in ſubiecto, relatio vero ſecundũ dici nihil ponit, ergo relatio ſecundũ dici directe nõ attinet ad hoc prædicamentum, ſed tantum relatio ſecundum eſſe, ratio eſt manifeſta quia ad prædicamentũ quantitatis ſolũ pertinent quæ ſunt verę quantitates,& ad prædicamentum qualitatis quæ ſunt veræ qualitates,ergo ad prædicamentũ relationis quæ fuerint veræ relationes reales creatæ, ſed tales ſunt omnes & ſolæ relationes ſecundũ eſſe, ergo eæ ſolũ pertinent directe ad prædicamentũ. An autem relationes ſecundũ dici ſecundum aliquam conſiderationem poſſent pertinere ſeu reductiue, vide ſuprà c.3. num. 20. excluduntur etiam ab hoc prædicamento diuinæ relationes quæ ſunt identificatæ eam natura diuina & ſunt ſubſtantiales & infinitæ, & in hoc prædicamento relationis ſolum collocantur accidentia.

DISPVTATIO XXVI.

De distinctione relationis, à fundamento, & termino.

SEPTEM capita continebit. In primo, inquiro, quot sint genera relationum. In secundo, an relatio prædicamentalis primi generis à fundamento, & termino à parte rei distinguatur. In tertio, aduersantia argumēta diluuntur. In quarto, an relatio prædicamentalis secundi generis à fundamento, & termino reipsa dissideat. In quinto, an relatio prædicamentalis terminetur ad absolutum, an ad relatiuum. In sexto, vnde sumatur vnitas, vel distinctio relationum. In septimo, tres proprietates relationis examinantur.

CAPVT I.

Quot sint genera relationum.

1 DIsput. superiori cap. 4. tradidimus diuisiones relationis secundum eius lineam accidentalem, hic tradit Philosophus relationem penes species, & differentias essentiales quæ sunt fundamenta ipsarum relationum, & 5. met. c. 15. assignat tria genera relationū prædicamentalium, quæ sequitur D. Th. ibi lect. 17. & cæteri Philosophi vno calamo; relatio primi generis est illa quæ fundatur in vnitate, & multitudine, v.g. relatio idētitatis quæ datur inter duas substātias eiusdem rationis, & relatio diuersitatis quæ est inter duas substantias diuersas, relatio æqualitatis vel inæqualitatis quæ datur inter duas quantitates eiusdem vel diuersę extensionis, relatio similitudinis vel dissimilitudinis, quæ datur inter duas qualitates eiusdem vel diuersæ rationis, relatio superioris, & inferioris, relatio distantiæ, & indistantiæ, relatio dupli, & semidupli, & aliæ similes relationes, quæ omnes verè prædicamentales sunt, quia respiciunt pure terminum existētem, vt intuenti patebit, ad hanc autem vnitatem primi generis non est necessaria vnitas quantitatiua, & multitudo illi opposita sed sufficit quælibet conuenientia duarum rerum, & multitudo illi opposita seu disconuenientia duarum rerum, quod sufficiet ad constituendum hoc primum genus relationis.

2 Relatio secundi generis est illa quæ fundatur in actione vel passione, v.g. relatio causæ ad effectum, & effectus ad causam, relatio Patris ad filium, & filij ad Patrem, relatio Domini ad seruum, & serui ad Dominū, relatio Magistri ad discipulum, & discipuli ad Magistrum, quæ omnes relationes vere sunt prædicamentales, quia respiciunt terminum existentem, vt pure terminum vt per se constat: relatio tertij generis est illa quę fundatur in ratione mensuræ, & mensurabilis (vel quod idem est) in ratione scientiæ seu cognitionis, & obiecti scibilis, quia scientia seu cognitio est mensurabilis per obiectum scibile, & obiectum scibile est mensura cognitionis, quoniam ab ipso obiecto veritas & perfectio scientiæ, & cognitionis desumitur, hæc tamen tertij generis relatio, scilicet, scientia in ordine ad scibile, & cognitio in ordine ad obiectum cognitum non est verè, & strictè relatio prædicamentalis tum quia cognitio seu scientia non respicit pure terminum, sed aliquod munus exercet circa illū, videlicèt illam cognoscere, & scire, quod est alienum à relatione prædicamentali, & proprium relationis transcendentalis, vt ostendi disp. præcedenti c. 5 n 30. tum etiam quia relatio prædicamentalis requirit terminū existentem, vt omnes communiter admittunt, & nos ostendimus suprà n. 36. & amplius ostendam n. sequēti, scientia autem seu cognitio non requirit obiectum seu terminum existentem: nam res futura vel possibilis cognoscitur, & scitur, atq; ita cognitio, & sciētia in ordine ad scibile quæ est relatio tertij generis nō est vere prædicamentalis, communiter enim dici solet, quod Deus est extra ordinem creaturæ, sensibile extra sensū & intelligibile extra intellectū: igitur duo tantū sunt genera relationum vere prædicamentalium, nimirum relationes quæ in vnitate, aut multitudine, & etiam quæ in actione atque passione fundantur quarum illæ primi generis, istæ secundi generis dicuntur.

Passiones, & proprietates relationis prædicamentalis plures recēsentur: prima quod relationes mutuę sint simul natura, & cognitione, in eodem enim priori in quo resultat Paternitas, resultat filiatio necessario, & in eodē priori in quo cognoscitur Paternitas cognoscitur necessario filiatio, & sic de aliis: secunda est quod relatio prædicamentalis solū resultat posito prius fundamento, & termino, quia relatio prædicamentalis non est relatio quoad entitatem sed solum quoad denominationem vt constat ex dictis disp. præcedēti c. 5. n. 36. relatio autem quoad denominationē non resultat nisi positis prius fundamento, & termino, non enim resultabit relatio similitudinis inter duo alba nisi prius ponatur vnum albū quod sit fundamētum, & aliud quod sit terminus, atq; ita relatio prædicamentalis non resultat nisi positis prius fundamento, & termino: tertia est, quod ad prædicamentalem relationem non datur per se motus, generans enim, v.g. solum intendit per se substantiam filij generare, ex qua resultat filiatio, quæ est prædicamentalis relatio, & ideo non intendit per se relationem prædicamentalē: quarta est, quod requirit terminum actu existentem, vt supra cap. 6. etiam ostendi, & ratio est, quia relatio prædicamētalis est ad aliud simpliciter, vt omnes admittunt, terminus autē si actu non sit existens sicut non est simpliciter ens, ita non est aliud simpliciter ac proinde, relatio prædicamentalis non est ad terminum non existentem, sed solum terminum actu existentem respicit, & requirit.

Hic adnotare eo portet, relationem eo modo respicere necessario terminum distinctum quo ipsa respicit illum, scilicet si relatio sit ficta, & rationis debet respicere terminum ficte, & per rationem distinctum; si vero relatio sit intentionalis debet respicere terminum intentionaliter distinctum à se saltim per modū actus & obiecti; si autem, (& hoc potissime intendo) relatio sit realis, & physico debet necessario respicere terminum realiter distinctum, monstratur primo, à priori; relatio vt sic formaliter est ad aliud, ergo relatio realis est ad aliud realiter, sed idem est formalissime esse ad aliud realiter, ac respicere terminum distinctū realiter, ergo relatio realis respicit terminum distinctum realiter; monstratur secundò à posteriori, filius vt filius formaliter in diuinis est distinctus realiter à Paternitate, sed non alia ratione ab illa distinguitur nisi quia Paternitas est relatio realis respiciens filium vt filium tanquam terminum, ergo relatio realis respicit necessario terminum distinctum realiter. 4

Recentiores quidam censent relationem realem respicere necessario terminum distinctum realiter à fundamento non vero necessario respicere terminum distinctum realiter à se ipsa, quia fundamentum refertur vt *quod* ad terminum, & ita debet realiter distingui ab illo, relatio vero solum vt *quo*, ad terminum refertur, & ideo non necessario debet distingui ab eo, sed potest esse re ipsa identificata cum ipso, sed impugnatur primo: res quæ vere, & proprie refertur realiter ad aliquid quocumque modo referatur, necessario respicit illud vt à se realiter distinctum, sed relatio realis licet solum referatur vt quo, vere, & proprie refertur ad terminum realiter, ergo relatio realis respicit necessario terminum à se realiter distinctum. Consequentia est euidens, maior patet, 5

quia

quia rem referri ad aliquid est tendere & ordinari ad illud, sed res vere & proprie non ordinatur nec tendit realiter ad se ipsam se ad aliud à se realiter distinctũ, minorem etiam sic probo, vnio licet solum vniatur vt *quo* partibus quas vnit, tamen vere & proprie illis vnitur, & actio licet solum agat vt *quo*, tamen vere & proprie agit, & cognitio licet tantum cognoscat vt *quo*, tamen actu & proprie cognoscit, ergo relatio realis licet solum vt *quo* referatur ad terminũ, vere tamen & proprie refertur ad illum, ratio etiam à priori est quia entitatem aliquã vere & proprie referri ad aliquid est habere totũ suum esse in ordine ad terminum, sed relatio est quædam entitas habens totũ suũ esse in ordine ad terminũ, ergo relatio vere & proprie refertur ad terminum; secundo impugnatur, quia via & tendentia vt sic formaliter, realiter distinguitur à termino, quia via & tendentia est id vltra quod aliquid est, scilicet, ipse terminus viæ, terminus vero est id vltra quod aliud non est, sed relatio realis vt sic formaliter est realis via & tendentia ad terminũ, ergo relatio realis necessario distinguitur realiter ab ipso termino.

CAPVT II.

An relatio prædicamentalis primi generis à fundamento & termino re ipsa distinguatur.

6 FVndamentum relationis prædicamentalis est illa entitas ex qua relatio resultat manens intrinsece in ipsa illamque referens ad aliud, terminus vero relationis est illa entitas ad quam relatio tendit, vel quam respicit ipsa relatio v. gratia, quando datur relatio similitudinis huius albi, respectu alterius albi, entitas hnius albi est fundamentum talis relationis, quia ex tali entitate posito termino, resultat illa similitudinis relatio, & in ipsa entitate manet, eamque refert ad entitatem alterius albi, entitas vero alterius albi est terminus illius relationis, quia est id quod respicit & ad quod tendit & tractatur ipsa relatio; quærimus ergo nunc, an relatio similitudinis hoc est, an talis similitudo & relatio primi generis à præfato fundamento & termino reipsa dissideat hoc est an talis relatio similitudinis inter duo alba, sit entitas media re ipsa distincta ab entitatibus vtriusque extremi albi, an vero cum illis identificata sit.

7 Tres adinuenio sententias, prima est relationem prædicamentalem distingui à fundamento & termino realiter, scilicet tamquam rem à re, eam tenet D. Tho. 1.p q.28.à n.2.in solutione ad secundum in 1.dist.33. q.1.art.1.dist.4.q.1.art.ad tertium & 2.contra gent. c. 14.quẽ sequuntur Thomistæ, Caietanus, Ferrara, Capreolus in 1.dist.30.q.1.Deça, Masius, Sanchez, Gallego, Didacus à Iesu M. Soto q.2.super hoc cap. Fonseca 5.met cap 15.q.2.sect.5.Molina 1.p.q.13.art.7.Valencia ibidem disp.2.q.2.punct.1.Rubio hic q. 14. & alij relati à Suarez disp.47.met.sect.2. n. 2. Scotus in 3.dist.3.q.1.Duran. in 1.dist.30 q.2.Complut.d.14.de relat.q.5.Carlet.d 11.met.s.8.à Io.S.Th.q.17.Logicæ a.4.nouissime Lerma l.7.Logicæ q.22. Merinero d.2. de relatione q 3. Paulus Valius de relatione q. 3. per varia capita, Gonçalez, Araujo, Bañez & fere omnes Thomistæ; Secunda sententia est, relationem à fundamento & termino distingui ex natura rei, hoc est tanquam modus à re. Ita Iauellus, 5. met.q. 22 Sotus q. 2. Molina, Rubio, Bañez, Araujo, Scotus in 1.dist.5.q.5. adhæret Merinero imo & Complutenses iam relati; Tertia iis duabus opposita asserit relationem prædicamentalem non distingui realiter à suo fundamento & termino nisi tantum ratione: ita plures autores & Ecclesiæ Patres, eam tenet D.Th. locis infra citatis, Suar. d.47.met.sect.2.n.12.Pater Vasq.1.p.d.116.c.1. n. 17. Nominales, Gabriel in 1.dist.3.q.4 citatur Scotus in 3. dist.1 q.1 Ocan.in 1.dist.30. q.4. Durandus in 1. dist. 30. Gregorius, Petrus Hurtado disp.15.met.sect 2. Arriaga d.12.Logicæ s.5.Franciscus Alphon.disp.19 de relatione s.2.Herueus, Sylvester, & D. Augustinus & Damas. Anselmus quos adducit Petr. Hurtado, supra, Conimbricenses hic q.1. art. 4. Cumel, 1.p.q 28 art.2.q.6. Oña hic q.1.art.6.Pereira l.6.Physic. c. 16.& est satis communis inter recentiores; quarta sententia solet esse aliorum quasi media inter primam & tertiam, scilicet relationem prædicamentalem esse extrinsecam denominationem, quam sequi videtur Durandus, Basilius Pontius in suis disputatis q.8. Auersa q. 19. s. 4. propter varietatem enim sententiarum & quia inter primam & secundam dissensio est inter Thomistas adhæreo tertiæ, quæ asserit relationem prædicamentalem sola ratione distingui à fundamento & termino, pro qua etiam aperte videtur stare Angelicus Doctor & claritatis gratia,

ASSERTIO sit, Relatio primi generis non distinguitur reipsa sed tantum ratione à fundamento & termino, ita auctores tertiæ sententiæ: probatur primo auctoritate D.Thomæ, qui opus.48 tract. 5 de prædicamento ad aliquid cap.2. nostram assertionem expressis verbis statuit, cum autem (inquit sanctus Doctor) dico *quod similitudo sortis habet albedinem eius vt fundamentum non est intelligendum, quod similitudo sortis sit aliqua res in sorte, alia ab ipsa albedine, sed solum est ipsa albedo, vt se habet ad albedinem Platonis vt ad terminum, si enim similitudo adderet supra albedinem sortis aliquam rem, nullo modo posset aliquis alicui fieri similis sine sui mutatione, vt patet, nam si quis in India fieret modo albus, fieret similis mihi; & ego sibi nulla in me facta mutatione, similitudo enim in me, nullam rẽ addit supra albedinem, quæ realiter sit in me vt patet* quid clarius & expresins dici potest, clare etiam q.7. de potentia, art. 8. vbi agens de simplicitate Dei, ait, *relationem non facere compositionem cum subiecto, eo quod relatio fit sine mutatione, quod inquit non esset, si relatio significaret aliquid in subiecto manens,* sed si relatio distingueretur realiter à fundamento & termino, non posset esse aliquid intrinsece in subiecto manens, & quod refertur ad terminum: idem etiam docet hic. cap.3.& 1.secundæ q.7.art.2.ad primum. 8

Eamdẽ assertionem probat Arist.3.Phys.tex.10.vbi 9
ait *ad relationem per se non dari motum*; his verbis, *contigit autem altero mutationem patiente vere dici alterum nihil mutationis subire* quasi diceret, sæpe contigit, Petrum referri ad aliud sine sui mutatione ex eo solum quod illud mutetur, v.g. Petrus qui antea habebat albedinem sine vlla sui mutatione, refertur ad alium qui de nouo per albedinem mutatur, illam in se recipiendo, si autem relatio prædicamentalis esset re ipsa distincta à fundamento & termino, mutatio intrinsece deberet fieri in vtroq; quotiescumque vnum ad aliud referretur quod est cõtra mentem Philosophi, ergo iuxta eius mentem relatio prædicamentalis sola ratione distinguitur à fundamento & termino.

Aduersarij 1.respondent ad locũ Arist. illam mutationem esse metaphysicam & imperceptibilem, cum relatio sit minutissimæ entitatis & vix possit inter formas physicas numerari, non vero esse mutationem veram & physicam nec per nouam actionem albedinem in subiecto produci, quod sufficit ad mentẽ Philosophi & illam mutationem metaphysicam resultare in fũdamento seu in albedine præexistente ex sola positione noui termini, ex quo resultat noua relatio; sed contra primo: nam etsi relatio sit forma physica minutissimæ entitatis, tamen esset realis forma inhærens tam fundamento quam termino, ergo sicut per illam relationem intrinsece mutaretur terminus, ita & fundamentum, cũ tam terminus quã fundamentũ aliter realiter se haberẽt ac entia, ergo nõ imperceptibilis & metaphysica sed physica & realis & perceptibilis esset mutatio quę fieret tã in fundamento quã in termino, dato 10

casu quod relatio prædicamentalis reipsa ab vtroque distnguatur. Impugnatur secundo; productioalbedinis non est actualis productio relationis aduenientis postea ipsi albedini ergo debet dari noua actio per, quam talis relatio producatur, actualis enim productio alicuius effectus non potest dari sine tali effectu & actione, de quo latius in 2. l. physic. ergo debet dari noua actio ad relationem per quam realiter mutetur tam fundamentum quam terminus ergo &c.

11 Respondent secundo Aduersarij; D. Thomam in illis verbis opus. 48. cap. 2. solum asserere relationem similitudinis non distingui realiter à fundamento tamquam rem à re cum solum dicit, relationem non super addere rem distinctam ab albedine, non vero affirmare relationem similitudinis non esse modũ distinctũ ex natura rei ab ipso fundamento vt volunt Io. à S. Tho. art. 4. conclusio. 2. & Complutenses supra q. 5. & plures ex Thomistis adductis pro 2. sententia n. 7. sed impugnatur aperte primo, quia si relatio similitudinis inter albedinem Sortis & albedinem Platonis esset modus ex natura rei distinctus ab vtraque albedine, talis relatio ac similitudo non esset solum ipsa albedo, sed D. Tho. verbis relatis expresse asserit quod similitudo & relatio illa Sortis solum est ipsa albedo, ergo talis similitudo & relatio in sententia D. Thomæ non est modus ex natura rei distinctus ab ipsa albedine; secũdo D. Th. ibidem palam fatetur siquis modo albus nascatur inuidia me fieri similem illi nulla in me facta mutatione, sed si relatio similitudinis qua sum illi de nouo similis, esset modus ex natura rei distinctus non fierem illi albo similis, sine vlla mutatione, sed potius cum aliqua mutatione ergo iuxta D. Tho. relatio similitudinis non est modus ab vtroque extremo ex natura rei distinctus: probo minorem, me recipere de nouo aliquem modum intrinsecum à me ipso ex natura rei distinctum, aliqua mutatio est, ideo cum moueor localiter, intrinsece mutor, quia recipio de nouo modũ intrinsecum vbicationis distinctum, & ea etiã de causa in Deo, nõ admittitur intrinsece aliquis modus etiã relationis ab eo distinctus, quia alioquin Deus mutaretur, vt traditur communiter in Theologia, sed si relatio similitudinis quo fio de nouo similis, esset modus à me ipso ex natura rei distinctus, cum ego fierem de nouo alteri similis, reciperem intrinsece aliquem modum à me ex natura rei distinctum, scilicet ipsam relationem similitudinis ergo cum fierem alteri similis de nouo, aliqua in me vera mutatio esset, igitur si relatio similitudinis est modus ex natura rei distinctus, non fio alteri de nouo similis nulla in me facta mutatione, vt loquitur D. Tho. sed potius cum aliqua vera & physica mutatione quod est expresse contra eius adductum testimonium n. 8.

12 Probatur ratione primo, ex eo quod quis concipiat duo alba præcisa per rationem quauis alia entitate vel modo ab ipsis reipsa distincto, concipit illa vt similia, ergo similitudo ac relatio inter duo alba nõ est entitas aut modus reipsa distinctus ab illis: consequentia est euidens, quia si talis similitudo esset entitas reipsa distincta ab illis albis præcisa quauis entitate & modo reipsa distincto illa extrema non remanerent similia, quia præscinderetur ab illis similitudo, sicut præcisa omni entitate reipsa distincta à subsũtia hominis homo non manet nec concipitur vt albus, quia eius albedo est entitas ab illo re ipsa distincta & præcisa quauis entitate à subsũtia hominis distincta præscinditur etiã albedo per quã solũ erat albus; antecedẽs autẽ sic probo, similia sunt illa quorũ qualitas est vna id est eiusdẽ rationis vt docet Arist. in præsenti, sed ex eo quod quis cõcipiat duo alba, præcisa quauis entitate & modo ab ipsis reipsa distincto, cõcipit duo, quorũ qualitas est vna, scilicet eiusdem rationis, cum in vtroque concipiat esse æqualitatem albedinis ergo ex eo præcisè concipit illa alba vt similia.

Confirmatur: duo dissimilia esse, solũ est habere vnũ 13
aliquã qualitatẽ quã non habeat aliud, & è contra, sed eo præcisè quod ego concipiã Petrũ esse albũ & Paulũ esse nigrũ, concipio vnũ habere vnã qualitatem quã non habeat alius & è contra; ergo ex eo præcisè quod concipiã Petrum esse albũ & Paulum nigrum, concipio illos vt dissimiles, ergo hæc dissimilitudo & relatio nõ est entitas aliqua ab illis reipsa distincta. Vrgeo, vnam quantitatẽ esse inæqualem alteri, est solũ habere plures partes quã illa, sed ex eo præcisè quod concipiatur hãc quantitatẽ esse vnius palmi, & illã quantitatẽ esse semipalmi secluso quouis alio concipitur vnã quãtitatẽ plures partes habere quã alia, ergo ex eo præcisè quod quantitas vnius palmi & quãtitas alia semipalmi concipiantur, concipitur illas quantitates esse inæquales, ergo talis inæqualitas ac relatio non est entitas reipsa ab ipsis quantitatibus distincta.

Occurrat aliquis, asserendo duo alba v.g. per se ipsa præciso quouis alio modo esse inter se similia fundamentaliter, per modũ vero distinctũ similitudinis ex ipsis reipsa resultantẽ, esse similia formaliter; sed impugnatur, esse duo similia formaliter, nihil est aliud quã vnũ formaliter habere eamdẽ formam & qualitatẽ quã habet aliud, sed ex eo præcisè quod quis concipiat duo extrema alba præciso quouis alio modo distincto, concipit vnũ habere formaliter eamdẽ formam & qualitatẽ albedinis quã habet aliud, ergo ex eo præcisè seclu o quouis alio modo cõcipit illa extrema vt similia formaliter, ergo relatio formalis similitudinis nõ est modus ab illis reipsa distinctus: similiter vnã quãtitatẽ esse formaliter inæqualem alteri est habere in se formaliter aliquas partes extensionis quas non habet alia, sed ex eo præcisè quod ego concipiã vnã quantitatẽ vnius palmi, & aliam quantitatẽ semipalmi, concipio habere vnã formaliter aliquas partes extensionis quas non habet alia, vt per se constat; ergo ex eo præcisè quouis alio modo secluso, concipio illas quãtitates à parte rei vt inæquales formaliter, ergo relatio formalis inæqualitatis ab ipsis quantitatibus à parte rei non distinguitur. 14

Probatur 3. principaliter, aliqua res per suã entitatẽ 15
formaliter acpræcisè est dissimilis alteri, ergo hęc dissimilitudo ac relatio à parte rei nõ distinguitur ab entitate ipsa rei. Cõsequentia tenet, antecedens sic ostẽdo, in tua sententia quãdo Petrus fit de nouo similis Paulo, resultat in Petro quidã modus distinctus relationis per quem est similis illi: arguo sic, Petrus per suã met entitatẽ formaliter, acpræcisè est dissimilis illi modo distincto relationis qui in illo de nouo resultat, ergo res aliqua per suam entitatem formaliter ac præcisè est dissimilis alteri. probo antecedẽs, Perrus in dicto casu est vere dissimilis illi modo relationis cum Petrus non sit modus nec relatio sicut ille, atque ita Petrus vel est dissimilis tali modo relationis per aliũ relationis modũ intermediũ ac distinctũ, vel est illi dissimilis per ipsiusmet Petri entitatem formaliter ac præcisè, sed Petrus nõ est dissimilis illi modo relationis qui in ipso resultauit per aliũ modũ relationis intermediũ & distinctũ, quia de isto idẽ inquiram, an Petr. sit illi dissimilis per aliũ modũ relationis distinctũ, & ita dabitur processus in infinitũ, ergo Petr. est formaliter dissimilis illi modo relationis per solam entitatẽ ipsius Petri præcisè ac formaliter, ac proinde res aliqua erit alteri dissimilis per se ipsam formaliter ac præcisè.

Respondeat fortasse quispiam, Petrum esse formaliter dissimilẽ illi modo relationis per ipsũ modũ ac relationẽ formaliter; sed impugnatur, quia relatio realis semper necessario respicit terminũ à se realiter distinctum vt notauimus supra c. 4. n. 4. & 5. sed relatio dissimilitudinis qua Petrus est realiter dissimilis illi modo relationis qui in ipso resultauit respectu Pauli est relatio realis vt per se constat, ergo talis dissimilitudo ac relatio necessario habet terminum à 16

se

se realiter distinctum, atqui ille modus relationis, qui in Petro resultauit, est terminus dissimilitudinis, ac relationis realis per quam Petrus est realiter dissimilis ipsi modo; ergo talis modus relationis qui resultauit in Petro est realiter distinctus à relatione dissimilitudinis, per quam Petrus est dissimilis illi modo, ergo Petrus non est dissimilis illi modo ac relationi quæ in ipso resultauit, per ipsummet modum ac relationem formaliter.

17 Dicat præterea quis, Petrum per suam entitatem formaliter esse dissimilem illi relationi seu modo qui in ipso resultat quia talis modus & relatio per se ipsam formaliter refertur ad Petrum & est dissimilis illi, Petrum vero non esse per suam entitatem similem vel dissimilem Paulo, quia Paulus cum ipse relatio non sit non per suam entitatem sed per aliam relationem distinctam refertur ad Petrum, & est similis vel dissimilis illi, in quo solum controuersia consistit. Sed impugnatur si aliqua ratio probat Petrum non esse per suam entitatem dissimilem Paulo, sed per relationem ab ipso distinctam, etiam probat Petrum non esse per se ipsum formaliter dissimilem prædicto modo relationis qui in ipso resultat, sed per aliam relationem ab ipso distinctam, sed hoc non obstante asseris Petrũ per suam entitatem præcisè, & non per relationem distinctam esse formaliter dissimilem illi modo relationis, qui in illo resultauit, ergo etiam debes dicere Petrum per suam entitatem præcise, & non per relationem distinctam esse formaliter similem vel dissimilem Paulo, Consequentia tenet, minor iam admissa est, maiorem autem sic probo, in aduersariorum sententia ratio potissima quæ probat Petrum non per suam entitatem præcise, sed per relationem distinctam, esse similem formaliter Paulo, ea est, quia scilicet destructo Paulo, manet tota entitas Petri, & non manet relatio similitudinis illius cũ Paulo, sed similiter destructo illo modo relationis, qui resultauit in Petro, manebit tota entitas Petri, & non manebit relatio similitudinis ipsius Petri, cum illo modo relationis, ergo si aliqua ratio probat Petrum non esse per suam entitatem præcise, sed per relationem distinctam similem vel dissimilem Paulo, etiam probat eodem modo Petrum non esse per suã entitatem præcise, sed per aliam relationem distinctam similem formaliter illi modo relationis, qui in ipso resultauit.

18 Sed petis, an hæc relatio similitudinis, v. g. qua vnum album est simile alteri albo, consistat solum formaliter in entitate vnius albi, connotata in obliquo entitate alterius albi, an vero talis relatio consistat formaliter in illis duabus entitatibus vtriusque albi; Arbitror breuiter dicendum quidquid alij dicant prædictam relationem similitudinis non includere formaliter, & in recto entitatem vtriusque albi, sed solum in recto includere entitatem vnius albi tamquam rationem formalem, & connotare in obliquo entitatem alterius albi, tamquam terminum atque ita formaliter & adæquatè consistere in entitate sola vnius albi, connotata solum, vt termino entitate alterius albi, ita docet expresse D. Thomas supra n. 8. dicens *quod similitudo Sortis est ipsa albedo (scilicet Sortis) vt se habet ad albedinem Platonis, vt ad terminum*, quem sequuntur Suarez, Arriaga, Franciscus Alphonsus, Petrus Hurtado, & plures alij.

19 Probatur efficaciter, terminus relationis realis est necessario extra rationem formalem adæquatam talis relationis, debet enim esse, re ipsa ab illa relatione distinctus, nam relatio realis, vt monstratum est supra, c. 1. n. 4. & 5. semper necessario respicit terminum re ipsa ab illa distinctum, sed entitas alterius albi est terminus relationis realis similitudinis, qua hoc album est realiter simile illi, ergo entitas alterius albi est extra rationem formalem adæquatam talis relationis ac similitudinis realis, ergo relatio ac similitudo realis qua hoc album est simile alteri albo non includit entitatem huius albi, & etiam entitatem alterius albi, tanquam rationem formalem, sed solum includit tamquam rationem formalem adæquatam entitatem huius albi, & connotat tamquam terminum entitatem alterius albi; Confirmo, ideo in diuinis filiatio non intrat formaliter in rationem adæquatam Paternitatis, quia est terminus ipsius relationis Paternitatis, vt in Theologia dici solet communiter, sed similiter in nostro casu entitas alterius albi est vere terminus relationis realis similitudinis quam habet hoc album cum illo, ergo entitas alterius albi non intrat formaliter in rationem formalem huius relationis ac similitudinis realis, ergo relatio similitudinis huius albi cum illo solum consistit formaliter in entitate huius albi, connotata tamen extrinsece tantum, & in obliquo vt termino entitate alterius albi, res enim Theologica est pertinens ad materiam de Trinitate circa constitutiuum primi productiui.

CAPVT III.

Aduersantia argumenta diluuntur.

20 ADuersus nostram sententiam, quam præcedenti cap. statuimus, difficilia quædam extant argumenta quæ in hoc cap. proponam, & enodare conabor, & primo testimonia D. Thomæ, quæ ex diametro videntur illi, & auctoritatibus ab eodem adductis opponi, quæ debent explicari, ne Sanctus Doctor sibi cõtrarius existat, aut æquè vtrisque fauere videatur, primo igitur nobis obiiciunt D. Thomam 1. p. q. 28. art. 2. vbi asserit *quod relatio in creatis habet esse accidentale in subiecto*, & ad secundum ait, *quod propter id quod continetur sub significatione nominis relatiui est alia res*; secundo 8. de potentia art. 2. ait, *relationem in creatis esse accidens, & consequenter distinctum à fundamento, & termino*, & quarto contra gentes c. 14 ad 9. asserit, *relationem in creatis comparari ad absolutum, sicut accidens ad subiectum*, sed *multoties relationes in substantia fundatæ realiter à fundamento distinguntur*, tandē 1. q. 13. a. 7. ait, *creaturas referri realiter ad Deum, ipsum vero non referri ad creaturas, nisi per rationem*, ergo sentit relationem esse aliquid intrinsece superadditum fundamento, alioquin non esset ratio cur Deo negaret relationem ad creaturas.

21 Sed hæc testimonia D. Thomæ sic explicanda sunt, ad primum, ex 1. p. q. 28. art. 2. dico loqui sanctum Doctorem de relationibus quæ conueniunt substantiæ ratione alicuius accidentis absoluti in illa existentis, quales sunt relationes similitudinis, & æqualitatis, nam istæ conueniunt substantiæ, ratione quantitatis, illæ vero ratione qualitatis, & tam qualitas quam quantitas, sunt accidens absolutum realiter inhærens substantiæ, facienſque cum illa compositionem, & de hoc accidenti intelligendus est D. Th. non vero de ipsis relationibus secundum conceptum proprium relationis, nam vt sic non sunt accidens inhærens intrinsece subiecto, sed respectus rationis & accidens logicũ, & prædicabile ratione à fundamento, & termino distinctum, de relatione vero prædicamentali realiter nõ distingui à fundamento, & termino satis clare ostẽdit S. Doctor. supra n. 8. ex illo opusc. 48. dum vero ibidem ad secundum, ait relationẽ esse aliam rem à fundamẽto, intelligit terminum quem dicit relatio vt explicat opusc. 48. c. 3. & Ferrara ad 2. & 3. eodem fere modo Respondetur ad vlt. ex 1. p. q. 13. a. 7. Resp. S. Doctorem agere de relatione intrinseca rei relatæ, & hoc constituit discrimẽ inter Deum, & creaturas, nam creaturæ referuntur ad Deum per relationem illis intrinsecam & transcendentalem, Deus vero nullam relationem intrinsecam realem dicit ad creaturas, cum non sit in eodem genere cum illis, sed omnino absolutus tam ab ordine transcendẽtali essentiali, quam prædicamentali

imo potius ibi docere videtur, Deum referri ad creaturam relatione creatoris per mutationem extrinſecam creaturæ, ad eum modum quo columna fit dextera vel ſiniſtra per mutationem extrinſecam animalis.

22 Ratione arguitur primo ſic, relatio ſimilitudinis, qua hoc album eſt ſimile alteri albo poteſt reipſa ſeparari ab entitate huius albi, ergo talis relatio eſt entitas repſa diſtincta ab entitate huius albi, conſequētia tenet; quia realis ſeparatio eſt euidens indicium diſtinctionis realis, nec enim vna res à ſeipſa ſeparari poteſt, antecedens autem ſic probo: ſi hoc album maneat, & alterum album deſtruatur manebit tota entitas huius albi, & non manebit relatio ſimilitudinis, qua hoc album eſt ſimile alteri albo, hæc enim relatio & ſimilitudo requirit terminum exiſtentem vt ſupra oſtendi cap. 1. num. 4. & 5. ergo relatio ſimilitudinis huius albi cum illo alio poteſt reipſa ſeparari ab entitate huius albi; confirmo, quando adæquata ratio formalis ſeu forma eſt communicata ſubiecto, neceſſario dat illi ſuum effectum ac denominationē formalem, quia effectus ac denominatio formalis nihil aliud eſt quam ipſa ratio ſeu forma communicata ſubiecto; ſed in prædicto caſu, cum ſcilicet hoc album manet, & aliud album deſtruitur, tota entitas huius albi eſt cōmunicata ſubiecto, ſcilicet ipſi albo, & non dat illi effectum formalē ac denominationem ſimilis, & relati ad aliud album, cum aliud album iam non exiſtat; ergo entitas huius albi nō eſt adæquata forma & ratio formalis relationis ſimilitudinis cum alio albo: ergo hæc relatio ac ſimilitudo eſt formaliter entitas aliqua reipſa ſuperaddita & diſtincta ab entitate huius albi; vrgeo amplius, quia entitas viſionis creatæ eſt adæquata forma, & ratio formalis videndi implicat, quod ſit entitas viſionis cōmunicata ſubiecto, & non denominet illum formaliter videntem: ergo ſi entitas huius albi eſt adæquata forma, & ratio formalis illud referendi, & aſſimilandi cum alio albo, implicabit quod ſit entitas huius albi, & non denominet illud ſimile & relatum ad aliud albū, atqui in præfato caſu ſcilicet, quādo alterum album deſtruitur, eſt tota entitas huius albi, ipſi albo communicata, & non denominat illud formaliter relatum aut ſimile alteri albo cum nō exiſtat: ergo entitas huius albi, non eſt adæquata forma, aut ratio formalis relationis ac ſimilitudinis cum alio albo, igitur talis ſimilitudo, ac relatio huius albi ad aliud album, diſtinguitur reipſa ab entitate huius albi.

23 Sed in primis argumentum hoc inſtabo in communi ſentētia, duplici quidē exemplo, altero ſumpto à creatis, altero ex rebus diuinis, primo, aduerſarij dum dicūt Petrū v.g. eſſe ſimilem Paulo per modum relationis à ſe reipſa diſtinctum neceſſario admittere tenentur Petrū eſſe diſſimilē tali modo relationis per ſolam ipſiuſmet Petri entitatē præcisè ac formaliter, & non per alium modum relationis diſtinctū ne detur proceſſus in infinitum vt monſtraui ſupra n. 16. atq; ita tenentur neceſſario fateri talē relationē diſſimilitudinis, qua Petrus eſt formaliter diſſimilis prædicto modo relationis non eſſe reipſa diſtinctū ab ipſa entitate Petri: inſto ergo argumentū hoc modo, ſi Petrus maneat, & modus ille relationis ab eo diſtinctus cui modo Petrus eſt diſſimilis deſtruatur, manebit tota entitas Petri, & tamen non manebit relatio diſſimilitudinis Petri cum tali modo, quia tūc modus ille non exiſtit: ergo talis relatio diſſimilitudinis quā habet Petrus, cum modo illo relationis poteſt reipſa ſeparari ab entitate Petri: ergo etiā diſtinguitur reipſa talis relatio ac diſſimilitudo ab entitate Petri. Similiter in eorumdem ſententia, vnio non diſtinguitur à materia, & forma, & tamen poteſt ſeparari ab eis, vt conſtat in homine, cuius vnio anima & corpore perſeuerantibus poſt obiectū non perſeuerat: ergo hoc argumentum deſumptum à ſeparatione non probat, & contra ipſos aduerſarios procedit. Secundò omnes tenentur concedere rationem formalē viſionis diuinæ circa rem futuram non eſſe diſtinctam reipſa ab ipſa entitate diuina: nam Deus per ſuam entitatem formaliter ac præcisè videt omnes res futuras: inſto ergo pariter argumentū, ſi res quæ in Deo eſt futura & videtur formaliter à Deo non eſſet futura, (vt potuit accidere volente Deo) eſſet in Deo tota entitas diuina quæ modo eſt, & tamen non eſſet in illo ratio formalis viſionis rei futuræ, quia tunc futura non eſſet: ergo ratio formalis viſionis, circa rem futuram poteſt reipſa ſeparari ab entitate diuina: ergo etiā diſtinguitur reipſa formalis ratio viſionis ab entitate diuina, quod nullus affirmabit: hoc ergo modo omnia argumenta, quæ contra noſtrā aſſertionē obiiciuntur facilè poſſunt inſtari, & reddi cōmunia quibus omnes Philoſophi ac Theologi teneantur reſpondere.

Reſp. tamen in prædicto caſu quando, ſcilicet, hoc 24
album manet, & aliud album cui erat ſimile deſtructū eſt, totā relationē ac ſimilitudinē vnius albi cum alio manere quoad entitatem, non vero quoad denominationem, hoc eſt, manet tota entitas vnius albi quæ eſt formaliter tota entitas illius ſimilitudinis, & relationis non vero denominat illud album relatū formaliter, ac ſimile alteri albo, quia cum aliud album deſtructum ſit non exiſtit terminus relationis, cuius quidem termini exiſtentia ad formalem denominationē ſimilitudinis vel relati deſideratur; ad confirmationē dico, vt aliqua forma adæquata det aliquem effectū, ac denominationem formalem abſolutā ſufficere, quod talis forma adæquata, ſit cōmunicata ſubiecto ex ſe apto ad illam, vt probat argumentū; at vero vt aliqua forma adæquata det effectum formalem ac denominationem relatiuam non ſufficere, quod talis forma ſit cōmunicata ſubiecto ſed inſuper etiam requiri, quod terminus verè exiſtat, etenim denominatio relatiua ſeu formalis relatio duo dicit, aliud in recto, ſcilicet entitatē, & formam ipſam relationis, alterū de connotato. & in obliquo nempe exiſtentiā termini, quē reſpicit: vnde licet ſit in ſubiecto adæquata forma, & entitas relationis ſi in obliquo non ſit terminus non erit formaliter relatio, ac denominatio relatiua: in noſtro igitur caſu verè exiſtit tota forma & entitas relationis in recto, quæ non eſt alia quā entitas huius albi, non tamen dat illi effectū ac denominationē formalē relatiuam, nec ipſum albū reddit formaliter ſimile alteri albo, quia cū aliud albū deſtructū ſit non exiſtit terminus in obliquo, qui neceſſario ad talem relatiuam denominationem requiritur.

Ad alteram confirmationē Reſp. non ideo præcisè en- 25
titatem viſionis creatæ eo ipſo quod in ſubiecto ſit, reddere illud formaliter videns, quia ſit adæquata forma, & ratio formalis videndi, ſed etiā, quia etiam ſecundū ſe eſſentialiter habet neceſſariam connexionē cum termino, ac obiecto viſo, & non poteſt ſine illo eſſe, vnde entitas viſionis diuinæ circa rem futurā, quia nō habet eſſentialē connexionem cum ipſa ſeu termino viſo, ſed potuerit eſſe ſine tali re futura, ideo tota entitas viſionis diuinę potuit eſſe in Deo, & ex defectu termini, ſcilicet rei futuræ non denominare formaliter Deū vidētem rem futuram; cum ergo entitas relationis ſimilitudinis non habeat connexionē neceſſariam cum termino, ſed potuit eſſe ſine illo, idcirco, licet ſit adęquata forma, & ratio formalis relationis ſimilitudinis poteſt actu eſſe in extremo albo, & ex defectu termini non denominare illud ſimile ac relatum ad aliud album.

Arguitur ſecundo, quando hoc album eſt ſimile for- 26
maliter alteri albo tota hæc formalis denominatio ſimilitudinis ſe tenet ex parte huius albi in recto, etſi reſpiciat aliud album in obliquo, ſed in caſu ſupra poſito, cū ſcilicet manet hoc album, & aliud albū deſtruitur, perit tota hæc realis ac formalis denominatio ſimilitudinis, vt conceditis; ergo perit aliqua realitas & entitas ex parte recti, & tamen non perit entitas huius albi, ergo iſta relatio ſeu denominatio relatiua eſt aliqua entitas in recto, diſtincta ab entitate huius albi. Confirmatur

matur, quia hæc formalis denominatio, ſcilicet rationale vt rationale tenet ſe ex parte hominis in recto ſi non cognoſceretur obiectiuè hæc formalis denominatio, obiectiuè non cognoſceretur aliqua entitas recti, ſed ſimiliter hæc formalis denominatio, ſimile vt ſimile tenet ſe ex parte huius albi in recto, ergo ſi non cognoſcitur hæc ſimilis denominatio, non cognoſcitur aliqua entitas ex parte recti, ergo eodem modo ſi in caſu poſito non manet hæc formalis denominatio, ſcilicet ſimile vt ſimile, non manebit aliqua entitas relationis in recto, ac proinde cum tota entitas huius albi maneat, entitas relationis quæ non manet erit in recto diſtincta reipſa ab entitate huius albi: vtraque conſequentia tenet cum minori, maior à nobis conceſſa.

27 Reſpondeo totam illam formalem denominationẽ ſimilitudinis tenere ſe ex parte huius albi in recto, reſpicere verò neceſſario entitatem alterius albi tanquã terminum qui eſt requiſitus in obliquo, vnde ſufficit quod entitas termini in obliquo pereat, licet tota entitas relationis in recto maneat, vt formalis denominatio relatiua quæ vtrumq; rectum, ſcilicet, & obliquum neceſſario requirit, cenſeatur periiſſe, ad confirmationem dico non ideo præcisè, ille qui non cognoſceret formalem denominationem rationalis, non cognoſceret aliquam entitatem hominis in recto, quia talis denominatio teneat ſe ex parte recti, ſed quia etiã eſt eſſentialiter imbibita in ipſa hominis entitate ex parte recti, vnde ſicut entitas hominis non poteſt eſſe re vera ſine tali denominatione rationalitatis, ita nec poteſt cognoſci ſine illa, atque ita ſi obiectiuè non cognoſcitur hæc denominatio, ſcilicet, rationale vt rationale, aliqua entitas hominis in recto obiectiuè etiam non cognoſcitur, hæc vero denominatio formalis, ſcilicet, ſimile vt ſimile, licet tota ſe teneat ex parte huius albi in recto, tamen non eſt eſſentialiter imbibita in ipſa entitate albi, poteſt enim eſſe hoc album, & non eſſe ſimile formaliter alreri albo, vnde cum tota entitas huius albi eſſe poſſit eſſentialiter abſque denominatione ſimilis poterit etiam cognoſci abſq; illa, & poterit etiam manere à parte rei ſine illa, entitas autem relationis ſimilitudinis in hoc albo reſpectu alterius non eſt alia quam entitas huius albi, vt ſupra oſtenſum eſt, ac proinde poterit tota entitas relationis in recto cognoſci per rationem & manere à parte rei abſque eo quod cognoſcatur vel maneat ipſa formalis denominatio ſimilitudinis quæ ex defectu ſolius termini in obliquo poteſt deperdi, quapropter ex eo quod non cognoſcatur vel maneat denominatio ſimilis, quæ ſe tenet ex parte recti non ſequitur quod non cognoſcatur, aut maneat aliqua entitas relationis in recto, ſed ſolum ſequitur quod non ſit nec maneat à parte rei terminus in obliquo.

28 Arguitur tertiò, quando perit aliqua res perit neceſſario aliquid, quod ſit de conceptu formali illius, vt quando perit homo neceſſario perit ſaltem vnio inter animã & corpus, quę eſt de conceptu formali hominis; ergo quando perit formalis denominatio ſimilitudinis huius albi cũ alio perit neceſſario aliqua entitas quæ ſit de conceptu formali talis denominationis, ſed ſola entitas recti eſt de conceptu formali huius denominationis formalis ſimilitudinis, cum hæc denominatio tota ſe teneat formaliter ex parte recti, ergo quando perit hæc formalis denominatio ſimilitudinis huius albi, cum illo perit neceſſario aliqua entitas in recto, igitur cum in noſtro caſu, cum perit denominatio ſimilitudinis, maneat tota entitas huius albi, talis denominatio ac relatio erit entitas diſtincta ab entitate huius albi. Confirmo, ab inferiori ad ſuperius affirmatiue bene valet conſequentia v. g. eſt homo, ergo eſt animal, perit homo, ergo perit animal, ſed entitas relationis in recto eſt ratio ſuperior ad realem denominationem ſimilitudinis quæ eſt in hoc albo reſpectu alterius, ergo bene valet deſtructo alio albo, perit in hoc albo realis denominatio ſimilitudinis, ergo perit in illo aliqua entitas in recto, ergo talis entitas denominationis ac relationis ſimilitudinis, quæ perit diſtincta eſt reipſa ab entitate huius albi, quæ ſeper manet.

Reſpondeo quando aliqua res vel denominatio realis perit in creatis, neceſſario perire aliquid quod ſit de conceptu formali illius vel in recto, vel ſaltem in obliquo, ſi res vel denominatio realis quæ perit ſit abſoluta quæ nullum terminum reſpiciat vel connotet in obliquo debet neceſſario perire aliquid quod ſit de conceptu formali eius in recto, & ideo quando perit homo, quæ eſt ratio abſoluta perit neceſſario eius vnio, ſi vero res vel denominatio quæ perit ſit relatiua quæ terminum aliquem connotet in obliquo, ſufficit quod pereat aliqua entitas quæ eſt de cõceptu formali illius in obliquo, nimirum entitas termini atque ita vt pereat denominatio ſimilitudinis relatiuæ ſaltẽ in obliquo; Ad confirmationem Reſpondeo ab inferiori ad ſuperius in recto affirmatiue valere ſemper conſequentiam in rebus abſolutis, non vero ſemper valere in relatiuis, nam vt aliqua res vel denominatio inferior ſi relatiua ſit, pereat non requirit, quod aliqua entitas, ac ratio ſuperior pereat in recto, ſed ſufficit quod pereat entitas termini ipſius in obliquo vt ſæpe à nobis explicatum eſt. 29

Arguitur quarto, omnis relatio prædicamentalis eſt accidens, quia ſubſtantia ſolum conſtituit primũ prædicamentum, accidens vero in alia nouem prædicamenta diuiditur, inter quę annumeratur relatio, ſed relatio qua ſubſtantia Petri eſt eadem vel ſimilis cum ſubſtantia Pauli eſt relatio prædicamentalis vt ſupra diximus n. 2. ergo talis relatio ſimilitudinis vel diſſimilitudinis eſt accidens, ergo relatio hæc qua ſubſtantia Petri eſt eaſdem vel ſimilis cum ſubſtantia Pauli reipſa diſtinguitur ab omni ſubſtantia, Reſpondeo accidens aliud eſſe phyſicum quod vere non eſt ſubſtantia ſed inhæret ſubſtantiæ, vt albedo; aliud metaphyſicum ſeu logicum, quod licet reuera ſubſtantia ſit, tamen per rationem aduenit rei vt conſtitutæ iã in propria ratione eſſentiali & hoc modo ſimilitudo aut idẽtitas quam habet ſubſtantia Petri, cum ſubſtantia Pauli eſt accidens, quia licet re ipſa ſubſtantia ſit, & à ſubſtantia Petri & Pauli non diſtinguatur, tamen per rationem talis ſimilitudo, & relatio aduenit ſubſtantiæ Petri vt conſtitutæ iam in propria ratione eſſentiali Petri, & ideo eſt accidens metaphyſicum illius, quod ſufficit vt relatio prædicamentalis ſit, nam in illis nouem prædicamentis ſolum ponitur accidens vt abſtrahit à Phyſico & Metaphyſico. 38

Arguitur quinto, ſi album per ſuammet entitatem præcisè eſt formaliter diſſimile nigro, etiam Deus per ſuammet entitatem diuinam præcise eſſet formaliter diſſimilis creaturæ, ſed Deus per ſuammet entitatem diuinam præcisè non eſt formaliter diſſimilis rei creatæ, ergo nec album per ſuammet entitatem præcisè eſt formaliter diſſimile nigro, ergo eſt diſſimile illi per relationem reipſa diſtinctam. Vtraque conſequentia eſt euidens, patet maior, quia ideo album per ſuammet entitatẽ præcisè eſſet formaliter diſſimile nigro, quia per ſuam entitatem præcisè habet aliquam perfectionem aut qualitatem quam non habet nigrum, ſed ſimiliter Deus per ſuam entitatem diuinã præcisè habet aliquam perfectionẽ quam non habet res creata; ergo ſi albũ eſt per ſeipſum diſſimile formaliter nigro, etiam Deus per ſeipſum erit formaliter diſſimilis rei creatæ: minorem etiam ſic probo, ſi Deus per ſuammet entitatem diuinam eſſet intrinſecè ac formaliter diſſimilis rei creatæ, eſſet intrinſecè in Deo aliqua relatio realis ad creaturas, ſed in Deo non poteſt eſſe intrinſecè aliqua realis relatio ad creaturas, vt Theologi communiter admittunt putantes oppoſitum non eſſe tutum in fide, quia alioquin Deus mutaretur, ergo Deus per 31

suammet entitatem præcisè non est formaliter dissimilis rei creatæ.

52 Respondeo in sententia eorum qui relationem similitudinis & vnitatis reipsa distinguunt à fundamento non esse tutum in fide ponere talem relationem intrinsece in Deo respectu rei creatæ, quia Deus verè mutaretur, & hoc Theologi solum dicunt, in sententia verò aliorum qui docent relationem vnitatis aut similitudinis reipsa non distingui à fundamẽto,sed esse identificatam cum illo,tutissimum ac probabilissimum esse ponere in Deo intrinsecè relationem dissimilitudinis cum re creata, quæ non est aliud quam ipsamet entitas diuina per quam Deus est formaliter dissimilis illi, ex quo in Deo nulla mutatio sequitur vt docet & explicat Suarez disp.47.sect.15.num.17.& seqq. quæ est expressa sentẽtia,D.Anselm.in monologio cap. 24. vbi docens Deum non posse in se recipere aliquod accidens sibi opponit, *Quomodo non est particeps accidentis, cum & hoc ipsum, quod maior est omnibus aliis naturis, & illis dissimilis est, illi videatur accidere,* vbi vt certum supponit Anselmus Deum habere in se intrinsecè relationem inæqualitatis & dissimilitudinis cum creaturis, postea vero respondet his verbis, *Sed quid repugnat quorumdam,quæ accidentia dicuntur susceptibilitas, & naturalis incommutabilitas si ex eorum assumptione nulla substantia sequitur variabilitas.* Hanc ergo D. Anselmi & aliorum Doctorum opinionem ego sequor, & assero Deum per suammet entitatem intrinsecè ac formaliter esse dissimilem rei creatæ,sicut album per seipsum formaliter est dissimile nigro,atque ita relationem dissimilitudinis esse intrinsece realiter in Deo identificatam cum ipso,in quo nullum inconueniens reperitur ac proinde relatio similitudinis aut vnitatis vel dissimilitudinis,tam in Deo quã in creaturis non est reipsa distincta ab entitate fundamentali.

CAPVT IV.

An relatio prædicamentalis secundi generis à fundamento & termino reipsa dißideat.

33 RElatio secundi generis est illa quæ fundatur in actione vel passione, ad hanc autem relationem datur fundamentum,terminus & ratio fundandi, fundamentum est entitas principij seu causæ ex qua relatio resultat in ipsa manens & illam intrinsece referens ad effectum,terminus est entitas effectus quam ipsa relatio respicit,ratio fundãdi est illa ratio proxima ad quam necessario sequitur relatio,in illa tamen ipsa relatio non manet,nec illam refert ad terminum,qualis est physica actio & productio effectus v. gratia, in relatione Paternitatis fundamentum est substantia Patris generantis, terminus est substãtia filij geniti;ratio fundandi est ipsa generatio;quærimus ergo an relatio quæ in actione fundatur,v.g.Paternitas sit entitas reipsa distincta à substantia Patris quæ est fundamentũ, & à substantia Filij,quæ est terminus & ab ipsa generatione quæ est eius ratio fundandi.

34 Tres recenseri possunt sententiæ,prima est relationẽ esse entitatem quandam seu modum ex natura rei distinctum à fundamento,termino,& ratione fundandi. Ita auctores secundæ sententiæ adducti,cap.2.num.7. Secunda sententia relationem istam à parte rei non distingui ab ipsa generatione,ita vt Petrum esse Patrẽ Pauli,sit formaliter solum genuisse Paulum,& Paternitas illius sit tantum eius generatio, ita recentiores ingeniosi. Tertia sententia est hãc relationem,scilicet Paternitatem solum formaliter esse ipsam substantiã illius qui genauit vt existentem connotata etiã existentia substantiæ genitæ, pro hac sententia sunt auctores relati supra eodem num.7.pro tertia sententia& in terminis eam tradũt Petrus Hurtado supra disp.15. met.sect.2.5.& 6. Arriaga disp.12.Logicæ sect.8.Franciscus Alphonsus disp.19.de relatione sect.5.& plures neoterici sapientissimi.

Assertio I. sit, relatio quæ fundatur in actione 35
aut passione nõ est entitas aut modus reipsa distinctus à fundamento,termino & ratione fundandi, atque ita Paternitas à substantia generantis,& à substantia genita ac ipsa generatione à parte rei non distinguitur. Probatur primo à priori ex eo præcisè quod quis concipiat Petrum qui genauit Franciscum nunc existere, & Franciscum etiam existere, concipit formaliter Petrum esse Patrẽ Franciſci, nam quilibet si tantum audiat Petrum genuisse Franciscum, & vtrumque modo existere,licèt immemor sit alterius modi distincti à generatione inde resultantis, cognoscit clarè Petrũ esse Patrem Franciſci, ergo talis relatio Paternitatis non est entitas aut modus ex natura rei distinctus à substantia Petri,& à substantia Franciſci existentibus & ab ipsa generatione, sine causa enim modi multiplicandi non sunt.

Probatur secundo ab inconuenienti,quia si relatio 36
ista quæ fundatur in actione esset modus aliquis reipsa distinctus à fundamento,termino &ratione fundandi, daretur processus relationum in infinitum, sed talis processus relationum in infinitum in Physica non est admittẽdus, ergo relatio hæc non est modus distinctus reipsa à fundamento,termino & ratione fundandi.Probatur maior,si tal relatio esset modus distinctus vera actione ab aliqua causa produceretur, cum omnis entitas creata,siue res sit siue modus,ab alio vera actione producatur necessario & causetur,ergo resultabit alius secundus relationis modus per quem illa prima relatio referatur ad suam causam, iste autem secundus modus relationis etiam vera aliqua actione ab aliqua causa fiet, ergo resultabit alius tertius relationis modus per quem illa secunda relatio refertur ad suam causam & de isto tertio modo relationis,idem argumentum fieri potest, atque ita dabitur processus relationum in infinitum, igitur si relatio ista esset modus aliquis reipsa distinctus à fundamento,termino & ratione fundandi daretur processus relationum in infinitum.

Dicat aliquis, vt illa secunda relatio referatur ad 37
suam causam non dari alium modum relationis ab illa reipsa distinctum,nam relatio per suam essentiam refertur, sicut vnio per se ipsam essentialiter vnitur & actio per se ipsam fit. Sed impugnatur, hac enim via non vitatur processus in infinitum, nam licèt relatio illa prima per se ipsam essentialiter referatur ad suam causam,quia ipsa secundum se est essentialiter relatio, tamen causa illius nõ refertur per seipsam essentialiter ad ipsam relationem,quia causa relationis secundum se non est relatio essentialiter,nec etiam causa relationis refertur ad illam per ipsammet relationem formaliter, nam relatio per quam aliquid refertur ad aliud tamquã ad terminum debet necessario esse distincta reipsa ab ipso termino vt ostensum est supra c.1.n.4. & 5. ergo causa relationis refertur ad illam primam relationem per alium secundum modum relationis reipsa distinctum;hic autem secundus modus relationis fiet etiam ab aliqua causa quæ referetur ad illum tamquã ad terminũ & effectum, ergo resultabit alius tertius modus relationis per quẽ talis causa ad illam secundã relationem referatur & sic in infinitũ,ergo hac solutione & via non vitatur processus relationum in infinitum.

Assertio II.sit, relatio quæ in actione fundatur, 38
v.g. Paternitas non est formaliter ipsamet generatio, sed solum substantia genitoris vt existens, connotata existentia substantiæ genitæ. Probatur, Paternitas est relatio prædicamentalis,vt omnes admittunt, sed generatio non est relatio prædicamentalis,ergo ipsa generatio non est Paternitas. Probatur minor primo, in generatione solum reperiuntur hæc duo, nempe quod sit respectus vt sic, nec quatenus talis respectus, scilicet quatenus est actio est relatio prędicamentalis,

ergo

ergo generatio nulla ratione eſt relatio prædicamẽtalis & primã generationẽ quatenus eſt reſpectus vt ſic non eſſe relationem prædicamentalem, patet quia alioquin etiam vnio, philoſoph. cognitio & amor, qui verè etiã ſunt reſpectus vt ſic, eſſent relationes prædicamentales, quod nullus admittet, deinde generationem quatenus eſt actio non eſſe relationem prædicamentalem: probatur, res aliqua vt formaliter pertinet ad vnum prædicamentuũ, non pertinet ad aliud prædicamẽtum; nam prædicamẽta ſaltem formaliter diſtinguũtur, ſed generatio qnatenus eſt actio pertinet formaliter ad prædicamentum actionis: ergo quatenus eſt actio formaliter non pertinet ad prædicamẽtum relationis, igitur generatio, quatenus eſt actio non eſt relatio prædicamentalis: probatur ſecundò eadem minor à priori; prædicamentalis relatio eſt illa quæ reſpicit purè terminum nullum ſcilicet munus exercendo circa illud vt oſtendi ſupra diſp. præcedenti c. 5. ſed generatio non reſpicit purè terminum, ſed aliquod munus exercet circa illum videlicet, generare ipſum: ergo generatio non eſt prędicamentalis relatio. Vrgeo principaliter Paternitas ſemper manet, ſed generatio non ſemper manet, ſed tranſit: ergo generatio non eſt Paternitas, nec valet dicere generationem etiam formaliter manere: nam Petrus v.g. modo de præſenti eſt, non ſolum moraliter ſed phyſicè Pater Franciſci: ergo non ſolum moraliter, ſed etiam phyſicè eſt modo de præſenti eius Paternitas, atque modo non eſt phyſicè præſens generatio vt iam cõcedis: ergo Paternitas non eſt generatio formaliter, ſed ſolum ſubſtantia genitoris exiſtens, connotata exiſtentia ſubſtantiæ genitæ.

39 Obiiciat autem quis primo D. Th. 4. contra gentes c. 14. circa finem, & in 1. diſt. 33. q. 1. a. 1. in fine corporis & 1. p. q. 28. a. 2. ad 2. cuius verba refert Rub. hic q. 13. n. 168. vbi S. Doctor, ait relationem creatam eſſe accidens diſtinctum à ſubſtantia realémq; cum eo cõpoſitionem facere, & in eo aſſignat diſcrimen inter relationem diuinã, & creatam, quod relatio diuina non eſt aliud à ſubſtantia quæ refertur, relatio vero creata eſt aliud re ipſa diſtinctum ab ipſa ſubſtantia: ergo in ſententia D. Thom. relatio creata eſt modus accidentalis ſeu entitas aliqua reipſa diſtincta à fundamento, Reſp. duplicẽ eſſe relationẽ, aliam prædicamentalem vt Paternitas, ſimilitudo, aliã tranſcendentalẽ, vt actio, cognitio, &c. vt ſupra explicuimus diſp. præced. c. 5. D. Th. cum loquitur de relatione prædicamentali expreſsè docuit, ipſam à fundamento à parte rei non diſtingui, nec illud reipſa immutare, nec facere realem cõpoſitionem cum illo, vt monſtratũ eſt ſupra c. 2. n. 8. vnde cum modò aſſerit in locis citat. D. Thom. relationem creatã eſſe accidens à ſubſtantia diſtinctum, & cum ea realem cõpoſitionem faciens, ne ſibi Doct. Angelic. contrarius exiſtat, intelligendus eſt ſolum de relatione tranſcendentali, quæ licet in diuinis cum ſubſtantia verè identificata ſit, in creatis vero in ſententia D. Th. ſemper eſt accidens, & diſtinguitur à ſubſtantia, & cum illa reipſa cõpoſitionem efficit, quæ loca D. Th. conciliantur, & nobis qui tantùm loquuti ſumus de relationibus prædicamentalibus S. Doctor non contradicit, quibus etiam teſtimoniis ſupra num. 21. ſatisfactum eſt.

40 Obiiciat ſecundò, Paternitas qua Pater v.g. eſt Pater Franciſci, poteſt reipſa ſeparari à ſubſtantia Petri, & à ſubſtantia Franciſci etiam, vt exiſtentibus, potuit enim Franciſcus qui modo generatur à Petro, volente Deo, licet Petrus exiſteret non generari ab illo, ſed ab alio homine gigni, & tunc Petrus non eſſet Pater Franc. ſicut modo eſt, licet ſubſtãtia Petri, & ſubſtantia Franciſci verè coëxiſterent, ergo Paternitas qua modo Petrus eſt Pater Franciſci diſtinguitur reipſa à ſubſtant. Petri, & Franciſci etiam vt exiſtentibus, Reſp. Paternitatem Petri reſpectu Franciſci non eſſe ſeparabilem quoad entitatẽ à ſubſtantia Petri, & ſubſtantia Frãciſci vt exiſtentibus, quia entitas talis Paternitatis non eſt alia quam entitas actualis ſubſtantiæ Petri connotans entitatẽ actualem ſubſtantiæ Franciſci, ipſam vero Paternitatẽ eſſe ſeparabilem quoad denominationem ab actuali ſubſtantia Petri, & ab actuali ſubſtãtia Franc. quia vt entitas ſubſtantiæ Petri denominet Petrũ formaliter Patrem Franciſci requiritur in obliquo, quod Franciſcus ſit genitus à Petro, cum autẽ potuerit Franciſcus non eſſe genitus à Petro, etiamſi vterq; exiſtat, ideo potuit ſubſtantia, ſeu entitas actualis Petri ipſum non denominare formaliter Patrẽ Franciſci, ac percõſequens talis Paternitas potuit quoad denominationẽ formalem ſeparari ab actuali ſubſtantia Petri, & ab actuali ſubſtantia Franciſci, hoc autẽ non arguit quod formalis denominatio Paternitatis ſit aliqua entitas diſtincta reipſa à Petro & Franciſco, ſed ſolum quod etiam connotet neceſſario generationẽ Petri, reſpectu Franciſci quæ potuit abeſſe ab illis, & ex defectu huius connotati, præcisè potuit etiam abeſſe denominatio Patris.

41 Obiiciat 3. ſi relatio quæ fundatur in actione non diſtingueretur reipſa à fundamẽto, eſſet in Deo intrinſecè relatio creatoris, & domini reſpectu creaturæ, ſed in Deo intrinſecè non eſt relatio creatoris, & domini reſpectu creaturę, alioquin Deus mutaretur intrinſecè, quia in tempore quo v.g. Petrus naſceretur, haberet Deus intrinſecam denominationẽ creatoris, & domini reſpectu ipſius Petri quam antea intrinſecè non haberet, quod intrinſecè eſt mutari: ergo relatio quæ fundatur in actione verè diſtinguitur re ipſa à ſubſtãtia fundamenti. Reſp. concedendo relationẽ creatoris & Domini eſſe intrinſecam & realem in Deo, non vero diſtinctam, ſed identificatam cum ipſo Deo ſicut relatio cauſæ in creatis eſt identificata cum ipſa cauſa, eadem enim in vtroq; militat ratio, nec inde ſequitur Deum mutari: nam vt aliquid intrinſecè mutetur, requiritur quod habeat de nouo aliquam denominationẽ intrinſecam ratione alicuius formæ intrinſecæ, quam modo intrinſecè de nouo recipiat, Deus autẽ in tẽpore habet denominationẽ intrinſecam creatoris & Domini, non vero ratione alicuius formæ quam nunc de nouo recipiat, ſed per ſuammet entitatem ex eò ſolũ quod ponatur de nouo aliquod connotatum extrinſecum ſcilicet creatura cuius ſit creator & Dominus, & ideo Deus non mutaretur.

42 Hinc infero, quando vnus Pater reſpicit duos filios non habere duas Paternitates diuerſas quoad entitatẽ, quia Paternitas ad quemlibet filiũ ex illis non diſtinguitur entitatiue à ſubſtantia & entitate ipſius Patris habere tamen in tali caſu duas diuerſas Paternitates quoad formales denominationes, quia denominatio formalis relatiua propter diuerſum terminũ eſt diuerſa, denominatio autẽ formalis Patris eſt relatiua atq; ita propter diuerſos terminos, hoc eſt propter diuerſos filios debet eſſe diuerſa, & idcirco ſi vnus Pater reſpiciat duos diuerſos filios, debet neceſſario habere duas denominationes Patris diuerſas, ſeu (quod idẽ eſt) habere debet duas Paternitates diuerſas quoad denominationes formales.

43 Sed quærat quis, in ſententia cõmuni aſſerente relationem Patris eſſe modum ex natura rei diſtinctum, Pater qui modo per modum aliquem Paternitatis reſpicit primum filium, reſpicit ne poſtea ſecundum filium per eundemmet modum Paternitatis per quem reſpiciebat primum, an per aliam Paternitatẽ diſtinctam. Aduerſarij cenſent Patrem per eundemmet modum Paternitatis reſpicere primum & ſecundum filium; Arbitror tamen dicendum hoc implicare, Primo quia à ſimili per eamdemmet actionem per quã modo agẽs efficit aliquem effectũ non poteſt poſtea efficere aliquem effectum; ergo per eamdemmet Paternitatem per quã Pater reſpicit modo aliquẽ filium, non poteſt poſtea reſpicere alium filium: antecedens eſt omnino certum apud omnes, conſequentia patet à paritate rationis

tionis,quia tam Paternitas quam actio est solum modus vt supponimus,secundo à priori,modus solũ consistit in actuali exercitio,atq; ita totũ quod potest exercet,& extra id quod actu exercet, nihil aliud exercere potest,sed iste modus Paternitatis per quẽ Pater respicit vnum filium quẽ tantum habet solum actu exercet, hoc quod est referre Patrem ad istum præcisè filium quem habet, ergo iste modus Paternitatis non potest referre Patrem ad alterum filium qui postea nascatur, ergo Pater per Paternitatis modum per quem nunc respicit primum filium,non potest postea respicere secundum filium,sed per alium modum Paternitatis distinctum. Vide Suarez supra disp.47.sect 17.n.16.

CAPVT V.

An ratio Prædicamentalis terminetur ad absolutum an ad relatiuum.

44 IN termino relationis, v. g. in filio qui est terminus relationis Paternitatis,duo inueniuntur,alterum absolutum,alterum relatiuum,videlicet substantia genita,& relatio filiationis, quærimus ergo an relatio respiciat formaliter ex parte termini absolutum an relatiuum,hoc est an relatio Paternitatis,v.g. respiciat, & terminetur formaliter ad substantiam genitam an ad relationem filiationis quæ, est in filio, tres ad inuenio sententias:prima est, omnem relationem tam mutuam quam non mutuam terminari non ad absolutum sed ad relatiuum, quam communiter defendunt Thomistæ,Caietanus in hoc cap.& 1.p.q.13.art.7.Bannez ibidem dub. vnico,Nazarius, Zumel, Flandria Araujo Sanch. Complut.disp.14.de relatione q.6. ad longum, Lerma,q.23 suæ Logicæ Ioan.à S.Thom. quoad relationes mutuas q.17.a.5.secunda sent.est relationem non mutuam communiter terminari ad absolutum;relationem vero mutuam terminari ad relatiuum : ita Ferrera 2 contra gentes c.11.Deça,in 1.dist.3.q.1.Gallego,controuers.29. Valen.1 p.q.13. disp.1. punct.4. nouiter Arriaga disp.12.Logicæ s.11.n.56. Nimph.5. met.disp.14.Rubius hic q.7.Tertia sententia est omnem relationem prædicamentalem tam mutuam quã nõ mutuam terminari ad absolutum,eam tenet Scotus cum suis discipulis in 1. dist.30. q.1. Suarez disp.47. met.s.16.Petr.Hurtado disp.15.met.s.7.Vasq.1.p.q.13. Carleton disp.11.met.sect.19.disp.159.c.6. Paul. Vallius,hic q.12.c.9.Franciscus Alphonsus disp.19. de relatione sect.5.n.43.Merinero disp.3. de relatione q.1. n.8. & citatur pro hac sententia D.Thomas 3.p.q.35. art.5. Vbi clare ostendit relationem maternitatis non terminari ad relatiuum,quare in eius sententia aliqua relatiua primi, & secundi generis terminantur ad absolutum. Sequuntur sanctum Doctorem, Capreolus q.1.art.2.ad 3 Soncinas 5 met.q.30.art.2.

45 ASSERTIO vnica , omnis relatio prædicamentalis siue mutua siue non mutua terminatur non ad relatiuum sed ad absolutum:ita auctores tertiæ sententię & est communis:probatur primo ratione,terminus est prior relatione prædicamentali , nam talis relatio resultat ex fundamento, & termino,atque ita sicut fundamentum est prius relatione, ita etiam terminus debet esse prior ipsa relatione,sed altera relatio,v.g.filiatio non est prior relatione Paternitatis ; nam correlatiua vt sic formaliter sunt simul natura,& cognitione vt omnes fatentur,ergo relatio filiationis non est terminus relationis Paternitatis , sed solum substantia genita erit terminus illius, cum ipsam Paternitatem antecedat , ergo relatio non terminatur ad relatiuum sed solum ad absolutum. Consequentiam probo,nam Pater vt talis debet terminari ad id cuius est Pater,sed non est Pater filiationis sed entitatis filiationis , ergo ad entitatem absolutam filiationis,& non ad ipsam filiationem formaliter terminatur relatio Patris.

Probatur secundo efficaciter , relatio Paternitatis, 46
quæ est in Patre id formaliter respicit,quod Pater ipsa generatione genuit, & relatio similitudinis quæ est in hoc albo , id formaliter respicit cui hoc album est simile,sed Pater non genauit relationem filiationis, hæc enim ex filio resultat,sed solum genauit substãtiam absolutam filij:& hoc album non est simile relationi similitudinis quæ est in altero albo , sed potius est dissimile illi,solum autem est simile formaliter alteri extremo absoluto albo,vt per se constat,ergo relatio Paternitatis non terminatur ad relationem filiationis sed solum ad substantiam filij, & relatio similitudinis huius albi non terminatur formaliter ad relationem similitudinis quę est in altero albo,sed tantum ad aliud extremum absolutam quatenus album, ergo absolute relatio non terminatur ad relatiuum sed solum ad absolutum.

Probatur tertio principaliter,causa etiam creata per 47
suam entitatem absolutam per quam causat suum effectum est formaliter apta terminare relationem ipsius effectus,ergo relatio effectus terminatur formaliter ad entitatem absolutam causæ, igitur talis relatio non terminatur ad relatiuum sed solum ad absolutum. Vtraque consequentia tenet,quia si semel entitas absoluta causæ est apta formaliter ad terminandum talem relationem non est cur dicamus relationem istam non terminari ad absolutum sed ad relatiuum , antecedens autem sic probo:sicuti Deus vere , & proprie causat, & producit effectum,ita causa creata vere etiã & proprie causat,& producit suum effectum,sed Deus per suam entitatem absolutam est formaliter aptus terminare , & de facto terminat relationem effectus, ergo etiam causa creata per suam entitatem absolutam per quam producit effectum, erit apta formaliter terminare relationem ipsius effectus:probo minorem, & prius suppono contrariæ sententiæ sectatores concedere in Deo quatenus creatore,& causa non esse relationem realem intrinsecam ad effectus creatos, sed solum relationem rationis,alias Deus intrinsece mutaretur vt iam etiam constat ex dictis , arguo sic , Deus realiter , & non ficte terminat relationem effectus creati,qui ipsum realiter respicit tamquam causam,ergo Deus terminat talem relationem effectus per aliquid reale,sed non terminat talem relationem per aliquid reale relatiuum,quia in Deo , intrinsece nullum reale relatiuum est ad creaturas vt supponimus ex eorum sententia, ergo Deus per suam entitatem realem absolutã est aptus terminare, & de facto terminat relationem sui effectus, ergo & similiter causa creata.

Vltimo probatur,iuxta D.Thom.3. p.q. 35. art.5. 48
Humanitas Christi Domini non habuit relationem realem filiationis ad matrem , ergo Christi humanitas non terminauit relationem maternitatis quæ erat in Virgine per aliquid relatiuum sed solum per suam entitatem,& substantiam absolutam.Patet,consequẽtia, relatio maternitatis quæ est in B.Virgine realiter respicit Christi humanitatem,& terminatur ad illam, ergo humanitas Christi talem maternitatis relationẽ terminat per aliquid reale , sed non terminat per aliquid reale relatiuum cum in ipsa non sit relatio aliqua filiationis vera, & realis vt asserit D.Th.ergo terminat illam relationem per aliquid absolutum hoc est per suam absolutam substantiam ac entitatem , si autem semel substantia absoluta humanitatis Christi Domini est apta terminare formaliter relationem realem maternitatis, etiam quæuis alia humanitas absoluta ac substantia genita erit per seipsam formaliter apta ad terminandam relationem patris vel matris ac per consequens omnis relatio terminabitur formaliter ad absolutum, & non ad relatiuum.

Obiiciat aliquis primo,correlatiua,v.g. Pater & fi- 49
lius vt sic formaliter sunt simul natura,& cognitione vt omnes cum Arist.docent,sed si vna relatio non terminatur

minaretur formaliter ad aliam, Paternitas, v.g. ad filiationem, & è contra, correlatiua vt ſic formaliter ſcilicet Pater, & filius non eſſent ſimul natura, & cognitione, ſed vnum poſſet eſſe & cognoſci ſine alio, quia nullam in ſe connexionem haberent, ergo vna relatio formaliter terminatur ad aliam, atque ita relatio non terminatur ad abſolutũ ſed ad relatiuum; Confirmatur: ſubſtantia genita eſt prior natura ipſa relatione filiationis, ſed per te Paternitas terminatur ſolum ad ſubſtantiam genitã, quæ eſt prior, ergo etiam ipſa Paternitas erit prior filiatione, igitur ſi vna relatio non poteſt eſſe prior alia, Paternitas non terminatur ad ſubſtantiam genitam, quæ eſt quid abſolutũ ſed ad relatiuum, ſcilicet ad ipſam filiationem. Reſpondeo, correlatiua vt ſic formaliter hoc eſt ipſaſmet relationes, v. g. Paternitatem & filiationẽ eſſe ſimul natura & cognitione, non quidem, quia vna relatio formaliter terminatur ad aliam, ſed quia poſito fundamento vnius ponitur neceſſario fundamentum alterius, ex quo vtraq; relatio ſimul realiter reſultat, vnde quia nõ poteſt eſſe vna relatio, ſcilicet Paternitas abſque eo quod ponatur eius fundamẽtum, quo poſito, quia etiam ponitur fundamentum alterius relationis, neceſſario altera relatio, ſcilicet filiatio reſultat, ideo nõ poteſt eſſe relatio Paternitatis abſque eo quod ſimul ſit relatio filiationis, & ita ſunt ſimul natura, & quia non poteſt à nobis cognoſci vna relatio; ſcilicet Paternitas quin cognoſcatur eius fundamentum, quo cognito, quia etiam neceſſario cognoſcitur fundamentum alterius relationis, cognoſcitur ſimul alia relatio, ſcilicet, filiatio, ideo non poteſt cognoſci à nobis relatio Paternitatis abſq; eo quod ſimul neceſſario cognoſcatur etiam relatio filiationis & ita hæ relationes ſunt ſimul cognitione. Cõſtat igitur correlatiuaſeu relationes ipſas eſſe ſimul natura & cognitione, licèt vna relatio non ad alteram relationem, ſed ſolum ad abſolutũ terminetur; Ad confirmationem Reſpondeo ſubſtantiã genitam filij eſſe priorem filiatione, quia eſt fundamentum illius, eſſe verò etiam priorẽ Paternitate, quia eſt terminus ipſius, vnde in illo priori in quo ſubſtantia genita antecedit filiationem, non terminat Paternitatem, ſed in poſteriori in quo etiam eſt filiatio, ac proinde Paternitas non eſt prior filiatione, quamuis ſolum terminetur ad ſubſtantiam genitam.

50 Obiiciat ſecundo, relationes diuinæ ſunt quaſi prædicamentales, quia prædicamentales imitantur; ſed vna relatio diuina ad aliam relationẽ terminatur, ergo vna relatio prædicamentalis terminatur ad aliam prædicamentalem. Confirmatur, vna relatio tranſcendentalis terminatur ad aliam tranſcendentalem, item materia prima terminatur ad formã, quatenus eſt actus materię reſpiciens ipſam materiã, & forma terminatur ad materiam, quatenus eſt ſubiectum formæ reſpiciens ipsãmet formam, ergo vna etiam relatio prædicamentalis terminatur formaliter ad aliam relationem prædicamentalem. Reſpondeo relationes diuinas non in omnibus imitari relationes prædicamẽtales creatas, & in hoc maximopere diſſidere, nam relatio tranſcendẽtalis debet referri ad aliquid à ſeipſa realiter diſtinctum, vnde cũ in Deo, relatio Paternitatis, v.g. non inueniat in filio aliquid ab illa reipſa diſtinctum, niſi ſolam relationem filiationis, ideo relatio Paternitatis terminatur formaliter ad relationem filiationis: in creatis verò, relatio Paternitatis inuenit in filio ſubſtantiam genitam reipſa à Paternitate diſtinctam, etiam ſecluſa filiatione, & ideò relatio Paternitatis in creatis terminatur formaliter ad ſubſtantiam genitam abſolutam & non ad relationẽ filiationis. Ad confirmationẽ Reſpondeo, relationem tranſcendentalẽ eſſe ſæpè eſſentialiter imbibitam in ipſa entitate rei, & ideò non poteſt entitas rei terminare formaliter aliam relationem tranſcendentalem, quin etiam hæc tranſcendentalis relatio in ipſa entitate imbibita illã formaliter terminet, relatio vero prædicamentalis non eſt eſſentialiter imbibita in entitate fundamenti vel termini, ſed ad illam ſaltem quoad formalem denominationem conſequitur, & eſt quaſi accidentaria ipſi, & eapropter vna relatio prædicamentalis reſpicit formaliter entitatem abſolutam ſui termini abſque eo quod ad alteram relationem prædicamentalem formaliter terminetur.

51 Hinc infero, dari vnicum tantum conceptum, & rationem communẽ relationis prædicamentalis, quod in ſententia aſſerente vnã relationem prædicamentalem ad aliam prædicamentalem relationem formaliter terminari, non ita facilè explicaretur, nam relatio particularis in prædicta ſententia terminatur ad aliam relationem particularem à ſe reipſa diſtinctã, & ideo non poteſt dari vnica ſolã relatio particularis, quin ſit etiã alia particularis relatio ab ea diſtincta, ad quam illa terminetur, ergo eodem modo relatio in communi terminatur neceſſario ad aliam diſtinctam relationem in communi, atq; ita non poterit eſſe vnus tantum conceptus, & ratio cõmunis relationis, quin etiã ſit alia ratio relationis in communi ad quam illa formaliter terminetur; nos vero facilè dicimus, relationẽ non terminari ad aliã relationem, ſed ad terminum abſolutum, & relationem in communi terminari ad terminum abſolutum in communi, atq; ita vnicum tantum eſſe conceptum & rationem communem relationis prædicamẽtalis, & vnicũ etiam à conceptum communem termini abſoluti talis relationis, vt ſic, quæ doctrina eſt Ariſt. & Doctorum etiam in contraria ſententia cum in vtraquevnicum prædicamentum relationis aſſerendum ſit, ſiue hoc ſiue illo modo explicetur.

CAPVT VI.

Vnde ſumatur vnitas vel diſtinctio relationum.

52 HÆc difficultas pendet ex aliis de ſpecificatione à propriis extrinſecis & obiectis & de indiuiduatione accidentium quæ ad alium locum ſpectant, ex D. enim Th. 1.p.q.77.art.3. potentiæ & actus ſpecificantur ab obiectis formaliter ſumptis vt pertinent ad formalitatẽ & ordinem rei, quę ſpecificatur, cum ergo ex dictis manifeſtum ſit relationem prædicamentalem pendere à fundamento & termino, tamquam à principio & fine formaliter ſumptis pro ratione fundandi & terminãdi, quærimus nunc qualiter ab illis ſpecificatio relationis ſumenda ſit. Prima ſententia eſt relationem non ſpecificari à termino ſed à fundamento, ita Flandria 5.met.q.16. Nazarius, 1.p.q.32. art.2. & tribuitur Caiet. in præſenti, & 1.p.q.13.art.7. Bannez. Secunda ſententia eſt relationem prædicamentalem ſpecificari à terminis totalibus non vero à fundamẽto. Ita Soncin. 5.met.q.32. Araujo ibidem q.5.art.7. Tertia ſententia docet relationem prædicamentalem ſumere ſuam ſpecificationem, tam à fundamento quã à termino, à fundamento tamquam à principio ſpecificante, à termino verò formaliter & tamquam à complẽte & terminante talem ſpecificationem, eam tenet Ariſt. 5.met.c.15. & 6.Topic.c.3. D.Th. locis citandis, Scotus in 4.diſt.12. quæſt.1. Suar. diſp.47.ſect.17. num.15. Didacus à Ieſu, Complutenſes, diſp.14 q.7. Bannez, & Caiet. Albertus Magnus, vt refert Soto qu.1. de relatione ad 8. etiam ſtant pro hac ſententia Rubius, Vallius, & eſt communis inter recentiores.

53 ASSERTIO ſit, Relatio prædicamentalis ſumit ſuam ſpecificationem, tam à termino quam à fundamento formaliter ſumptis, à fundamento extrinſece tamquam à principio, à termino verò tamquam à complente ſeu terminante: Ita auctores tertiæ ſententiæ. Probatur primo ex Ariſt. qui 5.met.c.15. diuerſa genera vel ſpecies ſubalternas relationum diſtinxit ex diuerſis fundamentis, & loco Topic. docet relatiua eſſe definienda penes terminum ad quem dicunt ordinem eſſentialem, ergo ſpecificatio adæquata relationis ab vtroque ſumenda eſt. Secundo ex Thoma, nam 3.part.q.35.art.5.

aſſeris

asserit hanc specificationem sumendam esse ex fundamentis his verbis,vnitas relationis vel eius pluralitas non attenditur secundum terminos sed secundum causam vel subiectum, vbi nomine, causæ intelligit fundamentum & 1.p q.32.a.2.& 1.2.q.54.art.4.aperte ostendit illam etiam esse sumendam à termino, his verbis, *omnia quæ dicuntur secundum ordinem ad aliquid distinguuntur secundum distinctionem eorum ad quæ dicuntur*, ergo ex sentent D.Thomæ ex vtroq;sumit relatio suã specificationẽ,& in 1.dist.26.q.2.ad 4.

54 Probatur primo ratione, nam tota realitas relationis oritur ex fundamento tanquam ex via ad terminũ & ideo fundamentum appellatur principium siue extrinseca causa illius, & est essentialis ordo ad illum, ergo relatio in suo conceptu vtrumque dicit, alterum tanquam id à quo emanat,alterũ tanquam id in quod tendit,ergo cum relatio sit essentialiter ordo vnius ad aliud non debet eius ratio formalis ita præcisè sumi ab vno quod nõ sumatur ab alio, ergo relatio specificatur tam à fundamento quam à termino. Confirmatur secundo à simili,nã in cõposito physico, duo concurrunt ad intrinsecam eius specificationem,materia, scilicet & forma,materia vt initiũ illius entitatis,forma vero vt complens & perficiens,ita similiter in habitudinibus partialibus quæ ad intrinsecam specificationẽ relationis cõcurrunt,fundamentũ erit quasi initium eius entitatis,terminus vero vt cõplens & perficiens,ergo relatio non sumet suã specificationẽ nec à solo fundamento nec à solo termino, sed ab vtroq; simul;Confirmatur3.nam licet tam fundamẽtũ quã terminus concurrant ad hanc specificationem nõ ita intelligendũ est quod æqualiter dent relationi hanc specificationem,ita vt partem specificationis det fundamentum, & alteram partem det terminus, sed quod vnumquodq; dat totã specificationem in diuerso genere causæ vt explicant recentiores, quidam enim dicũt fundamentum concurrere initiatiue, terminum completiue,alij, fundamentum concurrere in genere causæ efficientis extrinsecæ, terminũ vero in genere causæ formalis extrinsecæ,alij,quod fundamentum specificat vt virtualiter præhabet terminum; tandem alij, hanc specificationem sumi à fundamento extrinsece & radicaliter, à termino vero formaliter & completiue, omnes vero conueniunt siue hoc siue illo modo specificationem relationis sumendam esse tam à termino quam à fundamento.

55 Sed obiiciat quis,relatio nõ potest specificari à termino,cũ ab eo accipiat specificationem à quo accipit esse,sed non accepit esse à termino ergo nec specificationem:antecedens probatur,specificatiuum debet esse prius suo specificato,sed terminus relationis formaliterin ratione termini,non est prius natura relatione, cum ex Arist.relatiua sint simul natura & cognitione,ergo à termino non poterit desumi ipsa relationis specificatio: secundo terminus est oppositusrelationi, sed ab oppositio non sumitur specificatio, ergo relatio non specificatur à termino; Respondeo primo,terminum formaliter sumptũ & vt terminat non esse prius relatione, sed materialiter tantum & vt potens est illam terminare;Resp.secundo,etiam terminum specificatiue sumptum & vt specificat relationem & quatenus ab eo specificationem acipit relatio,seu suam vnitatem aut diuersitatem formalem non antecedere ipsam relationem, nam relatio non respicit terminum tamquam causam, sed tanquam purum terminum sine aliqua dependentia seu prioritate aut oppositione, & consequenter optime sumi posse specificationem relationis à termino vel per ordinem ad terminum.

56 Quantum ad vnitatem numericam relationis, non est in præsenti statuenda quæstio, cum maxime pendeat eius resolutio ex indiuiduatione accidentium,quę nunc alibi disputanda supponitur,& breuiter arbitror dicendum,cum D.Tho.& Doctoribus vnitatem seu distinctionem numericam relationum sumendã esse ex vnitate vel distinctione numerica subiecti, cui inhærent,probatur breuiter,accidentia sumunt suam vnitatem,vel,diuersitatem numericã, ab vnitate vel diuersitate subiecti,cui inhærent,vt alibi probãdum suppono,sed relationes prædicamentales sunt vere accidentia & vere inhærent subiecto, ergo ab illo debent accipere suam vnitatem vel distinctionem numericam aduertendum tamen est quod etiam supra n 42.ostendimus, quod in quolibet subiecto possunt esse diuersæ potentialitates ad diuersæ speciei accidentia,quæ vero sunt eiusdem speciei recipit secundum eandem potẽtialitatem,licet illa simul recipere non possit,quæ vero sunt diuersæ speciei secundum diuersã potentialitatem,potest recipere vt pote relationem Paternitatis & similitudinis,nũquam verò duas relationes Paternitatis, aut duas relationes similitudinis:nam duo accidentia solo numero differentia numquam possunt esse in eodem subiecto simul;vt clarè ostẽdit D.Th.3.p. q. 35.a.5. vbi sic ait, *& quia plures formæ eiusdem speciei non possunt simul esse in eodem subiecto, non est possibile quod sint plures Paternitates,in eo qui est Pater plurium filiorum generatione naturali*, idem repetit q. vnic. de virtutibus art.11.quomodo autem idemPater respiciat plures filios iam supra n. 42.& 43.ostendimus.

CAPVT VII.

Quatuor proprietates relationum explicantur.

QVatuor relatiuorum proprietates recensuit Arist. 57
in hoc cap.prima est habere contrariũ,quæ si intelligatur de propria contrarietate non conuenit relationi ratione sui formaliter,quia relatio,vt talis solum est coëxistentia duorum extremorum, sed coëxistentia duorum extremorum non ita comparatur cum coexistentia aliorum duorum extremorum, vt mutuo se expellãt ab eodem subiecto: ergo relatiua non sunt contraria contrarietate propria. 2.ex Philosopho ad relationem non datur per se motus, sed motus datur inter contraria,ergo relationi non est contrarium.3.quę sũt contraria possunt considerari vnũ sine altero vt calor nihil cogitando de frigore & è contra,sed relatiua nõ possunt esse nec intelligi vnum sine altero. 4. quæ sunt contraria non possunt esse in eodem subiecto,sed similitudo & dissimilitudo, æqualitas & inæqualitas possunt esse simul in eodem subiectp, nã idẽ respectu diuersorum potest esse simul simile & dissimile,æquale & inæquale,ergo relationi secundum se non datur aliquid proprie contrarium, & in hoc sensu negauit Arist.c.de quãtitate relatiua habere contrariũ;dici tamen possunt relatiua habere contrarium ratione fundamenti quia plures sunt relationes quæ fundãtur in qualitatib.habentibus contrariũ vt patet in virtute & vitio quæ sunt contraria non ratione sui cũ ad inuicẽ non referãtur,sed ratione fundamenti scilicet hominis qui potest habere vtrumq;si vero sermo sit de cõtrarietate late sumpta, datur in nonnullis relatiuis formaliter vt talib vt inter Patrem & filium,inter causam & effectum,inter duplum & semiduplum.

Secunda Proprietas est,relationem suscipere magis 58
& minus, aliqua enim sunt relatiua magis aut minus similia,magis aut minus æqualia vel inæqualia, hæc autem proprietas non conuenit ratione sui relationi, sed improprie ratione alicuius variationis in fundamento aut termino,quod non competat relationi secundum se huiusmodi contrarietas,sed ratione variationis in fundamento:probatur, quia vt id proprie & ratione sui cõpeteret relationi necessarium erat,quod existentibus eodem fundamẽto & termino acciperet nouã intensionẽ aut remissionẽ,sed id nunquã contingit, nam si duæ albedines omnino inuariatæ perseuerent eodem modo cõparantur inter se, ergo relatio

secun

secundum se, & ratione sui proprie non suscipit magis, aut minus, vulgo tamen dicitur suscipere magis, & minus ratione variationis in fundamento, aut termino, nam recedentibus vel aduenientibus nouis partibus in fundamento, aut termino dicuntur magis, aut minus similia, dissimilia, inæqualia aut diuersa; proprie tamen loquendo non possunt dici magis vel minus similia, quia æqualitas aut dissimilitudo consistit, quod vnum non excedatur ab alio secundum intensionem, aut extensioné quod in indiuisibili consistit, ergo proprie loquendo relatio similitudinis, aut æqualitatis non suscipit magis aut minus, sed solum ratione variationis fundamenti aut termini, relationes vero semper manent inter se æquales cum eodem modo comparentur.

59 Tertia proprietas est, relationem dici ad conuertentiam, quæ conuertentia in eo consistit quod correlatiua mutuo exprimantur vnum in ordine ad aliud, videlicet quod illud dicatur illius, & è contra quod interdum fit in eodem casu, vt Pater semper exprimitur in ordine ad filium, Dominus ad seruum, & è contra quia explicatur relatiuum per ordinem ad suum terminum sub ea ratione qua est terminus, & prout est terminus illius secundum esse absolutum vt supra c. 5. ostendimus, ergo rectè explicatur per ordinem ad terminum secundum esse absolutum ratione cuius terminat relationem; aliquando vero relatio dicitur ad conuertentiam in diuerso casu, quę etsi mutua non sint significantur tamen vt talia, vt scientia, & obiectum scibile, sensus & sensibile, hæc autem proprietas promiscue conuenit omnibus relationibus tam secundum esse quam secundum dici, cum dici ad conuertentiam in præsenti solum sit, quod vnum relatiuum explicetur per aliud, quomodolibet dicatur esse illius, vt cum dicimus caput, alicuius capitis est caput; filius est Patris filius, nam licet hæc re vera mutuo non referantur cum obiectum non dicat relationem ad scientiam, & sensibile, ad sensum, nihilominus illud significatur per hoc nomen, obiectum, aut sensibile secundum quod habet aliquam denominationem à scientia per ordinem ad quam explicamus, propriè tamen non dicuntur ad conuertentiam, nam si auferatur scibile, aufertur scientia non vero è contra, quia quadratura est scibilis, & tamen non est scientia: similiter si auferatur sensibile aufertur sensus, non vero è contra, quia sensus est in capite, & ablato omni animali, aufertur sensus, non tamen aufertur sensibile, quia adhuc dulce, amarum, calidum, & alia sunt sensibilia, & sunt sine sensu, ergo aliqua sunt relatiua, vt scientia, & scibile sensus, & sensibile, quæ propriè non dicuntur ad conuertentiã sed late, & improprie modo supra explicato.

60 Quarto proprietas relationis seu relatiuorum quæ assignatur vt proprietas quarto modo est, quod sint simul natura, & cognitione, quod solum propriè, & in rigore competit mutuis relatiuis, & secundum esse, Probatur ex Arist. in capite de simul: illa dicuntur simul natura quæ mutuo se inferunt, & vnum non est causa alterius, & ab vno valet consequentia ad alterum quoad existentiam, v. g. est Pater, ergo filius est filius, ergo Pater quia Pater vt talis non est causa filij vt talis, nec è contra, etiam si entitas Patris causa sit filij, & prior, tamen relatio Paternitatis non est prior natura relatione filiationis in munere respiciendi cum mutuo, & pure se respiciant, & vnum alterum inferat, ergo relatiua mutua cum propriè dicantur ad conuertentiam sunt simul natura, esse etiam simul cognitione, constat ex eo, quia cum huiusmodi relatiua mutua secundum esse essentialiter sint in ordine ad alterum, scilicet ad terminum non potest adæquate cognosci vnum nisi cognito formaliter illius termino, ergo relatiua mutua, & secundum esse sicut sunt simul natura, ita & sunt simul in cognitione, materiale autem relationis, & specificatiuum termini etiam materialiter sicut non repugnat, quod sit causa, & consequenter prius altero, non repugnat quod etiam prius cognoscatur, non vero quatenus formaliter est relatio vnius ad aliud vt dictum est.

In cap. 8. de qualitate.

ARist. in Metaphysica prius egit de qualitate quam de relatione cu sit perfectior relatione: in Logica vero prius egit de relatione, cuius ordinē nos imitati sumus, & ideo nunc post tractatum de relatione instituimus disputationem de qualitate, in quo capite Arist. tria facit, primo definit qualitatem: secundo, enumerat quatuor eius species: tertio, tres eius proprietates, ac tandem in fine sibi obiicit, quod habitus constituitur in prædicamento relationis, & consequenter non esse ponendum in hoc prædicamento qualitatis, ad quod facile respondetur, quod habitus est relatiuum secundum dici, & ita propriè non pertinere ad prædicamentum relationis, sed potius ad prædicamentum qualitatis.

DISPVTATIO XXVII.

De qualitate.

QVATVOR capita continebit. In primo inquiro, qualis sit conceptus qualitatis, & eius definitio. In secundo, Prima species qualitatis enodatur. In tertio, tres aliæ species qualitatis explicantur. In quarto, tres eius proprietates traduntur.

CAPVT I.

Qualis sit conceptus qualitatis, & eius definitio.

QValitas secundum quam quales sumus tria dicit, primo modificare, & determinare substantiam, in quo sensu differentiæ essentiales sæpe appellantur qualitates eo quod determinent, & qualificent substantiam constituendo illam in specie atoma, secundo significat qualitas quamcumque formam accidentalem quæ suo modo modificat substantiam, & illam determinat: tertio sumitur qualitas propriissime pro vera qualitate quæ est forma accidentalis propriè qualificãs subiectum quod informat, & à qua denominatur quale, nam qualitas inter omnia accidentia nobilitat subiectum, quantitas enim quantificat seu materializat subiectum, illius partes materiales extendendo, sola qualitas datur in ordine ad informandum, qualificandum, & nobilitandum subiectum; qualificare autem proprie est per modum formæ determinare in quo differentiæ essentiali assimilatur, nam sicut illa contrahit, & determinat genus ad speciem, & illam actuat, ita qualitas accidentalis actuat, & qualificat suo modo, cætera vero accidentia non qualificant; nam quantitas extendit partes, relatio ordinat, vel ab aliquo extrinseco ordinante dependet vt constat in sex vltimis prædicamentis, ergo sola qualitas dicitur qua quales sumus, id est formati, qualificati, & nobilitati.

Difficile tamen est naturam, & essentiam qualitatis inuestigare, cum illa minus materialis sit quã quãtitas, & non habeat terminum per quem cognoscatur, sicut relatio, cum sit accidens absolutum, quare eius essentia varie à Philosophis explicatur, 1. Arist. sic eam in prædicamento qualitatis definit seu potius describit *Qualitas, est qua quales dicimur*, sed multis recentioribus vel insufficiens, & vitiosa visa est, cum rem ignotam per aliam ignotam manifestet, etenim nobis tam ignotum est, quid sit quale, quam quid sit, qualitas: præterea talis definitio continet duas rationes

formaliter oppoſita s, ſcilicet eſſe quales vel,noneſſe quales quæ in vnico cõceptu generico qualis eſt conceptus qualitatis reſpectu omnium qualitatum cadere non poſſunt, ergo definitio phyſici eſt inſufficiens & vitioſa, alij cenſent qualitatẽ eſſe accidens abſolutum natura ſua ordinatum ad perficiendum ſubſtantiam in ratione eſſendi,vel in ratione operandi vt Suar.d.42. met. ſect.1.num.5. & Conimbricenſes cap.de qualitate quæſt.1 art.1. ſed non bene, cum totũ hoc etiam conueniat quantitati, quæ etiam eſt accidens abſolutum, & ordinatum ad perficiendam ſubſtantiam in ratione eſſendi, vel in ratione operandi,nam ſubſtantia materialis ſine perfectione impenetrabilitatis quæ ei aduenit à quantitate, nec poteſt connaturaliter eſſe, nec connaturaliter operari.

3 Alij dicunt qualitatem eſſe accidens abſolutũ quod conſequitur ad formam ſubſtantialẽ,ſed male,nam ſpecies Angelicæ ſunt qualitates & tamen ad formã ſubſtantialem non conſequuntur: quarto alij dicunt qualitatem eſſe accidens quod ex ſe eſt penetrabile realiter cum corpore quanto, & hanc definitionẽ eſſe magis accommodatã, nam per priora verba,ſcilicet,accidens abſolutũ excluduntur omnes modi à ratione qualitatis, quia non ſunt accidentia abſoluta & perfecta ſed modalia & imperfecta,per alia vero poſteriora verba,excluditur etiam quantitas quæ ex ſe impenetrabilis eſt naturaliter cum alio corpore quanto, ſed nec per hanc ſufficienter ratio propria qualitatis explicatur,nam per accidens abſolutũ non diſtinguitur à quãtitate, & ratio penetrationis qualitatis cum ſubſtantia non eſt ratio principalior in qualitate ſed qualificatio & actuatio, cum autem res hæc tã ignota ſit,vnuſquiſque ſuam tradit definitionem, vt videri poſſunt apud authores Complutenſes, quæſt.1.& 2. de qualitate P. Hurtado diſp. 14. met. ſect.1. Arriaga diſp.5. met.ſect.1.de qualitate,Ioan.à S.Th. Franciſ.Alphonſus d.18.de qualitate & plures alij qui videri poſſunt.

4 Nihilominus in tanta varietate definitionum cum nulla inueniatur quæ adæquet, non eſt recedendum à ſententia Ariſt. maxime cum illã amplectatur D.Th. opuſc.48.tract.41.cap.1.& 1.part.quæſt.28.art.2. *Vbi dicit quod qualitas eſt diſpoſitio ſubſtantiæ.* Et 1.2.q.49. art. 2. *dicit quod qualitas dicit quemdam modum ſubſtantiæ.* Sentit ergo D.Th.quod qualitas modum & diſpoſitionem tribuit ſubſtantiæ, diſpoſitio vero ex Ariſt. eſt ordo habentis partes non materiales & extenſas ſed virtutis & perfectionis quas à qualitate, habet ſubſtantia:ergo hoc erit illius præcipuum munus,cum autẽ ex alio capite,non appareat aliquid,in quo cõueniant omnes ſpecies qualitatis ab Ariſt.aſſignatæ, vix illa cõmodius potuit explicari quã per hunc effectum formalem; præterea quia ſuprema genera carent proprio genere & differentia, nõ poteſt aſſignari propria definitio,ſed datur deſcriptio eius per notiores effectus; vt ſunt qualificare, informare, actuare,& nobilitare, ex quibus effectibus deſcribi poterit proprium munus qualitatis,nobis magis notum,per quod congruentius nobis exprimitur natura & eſſentia qualitatis.

5 Sed objiciat quis contra traditã definitionem primo, quia talis definitio non eſt notior definito,nam ad cognoſcendum quid ſit quale, oportet ſcire quid ſit qualitas, ergo male definitur qualitas per quale : ſecundo quia in hac definitione committitur circulus,nã Ariſt. per qualitatem definit quale & per quale ipſam qualitatem, ergo committit circulum : tertio quia ipſum definitum ingreditur definitionem, quia non eſt definitio qualitatis ſine qualitate,Reſpondeo ad primum, quod quale, quoad nos, eſt notius ipſa qualitate. Ad ſecundum dico,quod tunc proprie circulus committitur quando vnum definitur per aliud eodem modo:hoc autem non contingit in qualitate,cum non ſit propria definitio ſed deſcriptio,& vna eſt in abſtracto, alia vero in concreto,& abſtractum & concretũ ſe habent in diuerſo genere cauſæ, abſtractum enim explicat formam,concretum vero materiam,non ergo in hac definitione proprie circulus committitur. Ad tertium reſpondetur quod cum definitur quale per qualitatẽ, definitum non ingreditur definitionem, quia definitum eſt quid concretum,qualitas vero eſt quid abſtractum, quæ differentia ſufficit vt definitum non ingrediatur ſuam definitionem.

Hanc qualitatem ſic explicatam diuidit Ariſt.in quatuor ſpecies qualitatis,videlicet, in habitum & diſpoſitionem naturalẽ,potentiã & impotentiam,paſſionem & paſſibilem qualitatem, formam & figuram; quam diuiſionẽ late explicat ſupra Suarez ſect.2. & ſequentibus,quæ quidem diuiſio à nobis breuiter ſic explicatur. In prima ſpecie ſunt habitus, & diſpoſitio, habitus proyt ad præſens attinet, eſt illa qualitas quæ concurrit cum potentia vitali ad ſuos actus ſupponendo illam completã ſimpliciter in ratione potentiæ, & inſuper talis qualitas eſt in ſtatu intenſo & perfecto,diſpoſitio vero eſt ipſamet qualitas dum eſt in ſtatu remiſſo & imperfecto, & eſt facile mobilis à ſubiecto, vt calor & ægritudo. Ad hanc ſpeciem ſpectant ſpecies omnes impreſſæ de quibus in lib. de anima, & ſimiliter habitus naturales intellectus & voluntatis etiam ſi ab ſpeciebus diſtinguantur, de quibus etiam ibidem lib 3. de anima agendum eſt. 6

In ſecunda ſpecie ſunt potentia & impotentia, potẽtia eſt qualitas natura ſua ordinata primario ad reddendam ſubſtantiam proxime actiuã alicuius effectus non ſupponẽdo aliam potentiam completã in ratione potentiæ tam ad agendum quã ad reſiſtendum agentibus : impotentia vero eſt eadem potentia debilis & infirma quæ ob exiguam eius virtutẽ impotentiæ aſſimilatur : vnde ad hanc ſpeciem pertinent grauitas & leuitas ſi à ſubſtantiis diſtinguantur,de quibus agendũ eſt libris de generatione & corruptione d.9.c.6. item potentię vitales ſi etiam à ſubſtantia diſſideant de quibus late diſſeram in lib.de anima:itẽ habitus ſupernaturales qui non ſupponunt potentiam completam ſed illam complent ad ſuos actus, de quibus etiam libris de anima diſp.18.cap.1. & alia huiuſmodi. 7

In tertia ſpecie ſunt paſſio, & paſſibilis qualitas, paſſio eſt qualitas primario ordinata non quidem ad operandum (licet ſecundario id habeat) ſed ad conſeruandam aut perficiendam ſubſtantiã quæ tamen qualitas cito tranſit, & quaſi in fieri conſiſtit, & ideo paſſioappellatur vt rubor expudore,& pallor ex iracundia ſeu timore:qualitas vero paſſibilis eſt ipſamet qualitas explicata diu permanens, quia primario nata eſt vt eam ſubſtantia recipiat & patiatur, ideo paſſibilis dicitur, vnde ad hanc ſpeciẽ pectant omnes actus vitales de quibus in libris de anima tract.5. à diſp.14. & omnes primæ & ſecundæ qualitates de quibus in libris de generatione d.9.c.2.in quarta ſpecie ſunt forma & figura,forma eſt pulchritudo aut deformitas quę licet reipſa ſit tantũ quoddã aggregatum ex pluribus qualitatibus aliarum ſpecierum, tamen à noſtro intellectu concipitur per modum vnius, atque ita ex modo ſaltẽ concipiendi conſtituit quartam qualitatis ſpeciem ab aliis tribus diſtinctam & diuerſam: figura vero eſt diſpoſitio partium quantitatis quę ab vbicatione à parte rei non diſtinguitur, & ideo non ſpectat ad prædicamentum qualitatis ſed ad prædicamentũ vbi.Vt cõſtabit latius ex dicendis infra & 6.lib.phyſic.d.12.cap.3. 8

CAPVT II.

In quo differant habitus & diſpoſitio.

NVm.6. propoſui hãc primã ſpecie qualitatis quæ eſt habitus & diſpoſitio,in hoc c.magis explicãda& in quo differãt,& qualis ſit talis differẽtia ſcilicet ſpecifica; 9

ſpecifica, an ve ſolum accidentalis, Ariſt. enim hanc ſpeciem qualitatis vocauit habitum, & diſpoſitionem, vocat habitum cum difficile mobilis eſt à ſubiecto,& in illo diuturnior, & permanens, eſt diſpoſitio quando propter debilitatem facile remouetur à ſubiecto, vnde ex duplici capite oriri poteſt quod qualitas ſit facile, aut difficile mobilis à ſubiecto, primo ex maiori,& minori intenſione ipſius qualitatis, ſecundo ex ipſa natura qualitatis, aliquæ enim qualitates, tales ſunt,vt ex ſe petant cõſeruari à cauſis,vt ſunt ſpecies impreſſæ ſenſuum externorum,& ſpecies impreſſæ,& memoriæ ſenſitiuæ,habitus ſcientiarum, & virtutum,cum ad magnam perueniant intenſionem,quæ petunt à Deo conſeruari,iis poſitis.

10 Arbitror dicendum cum Ariſt.in præſenti,& D.Th. 1.2.quæſt.49.art.2.ad tertium,habitum, & diſpoſitionem ſpecie diſtingui,quando facile, aut difficile mobilis eſt à ſubiecto. Eſt communis inter omnes dialecticos vt videre eſt apud Suarez diſp.42. ſect.6. n.13. Complutenſes q.3.de qualitate,Ioan.à S.Thom.q.18. art.5. Franciſcum Alphonſum, diſp.18. logicæ ſect.2. n.18.Vallium de qualitate q.3. Arriagam diſp.5. met. ſect.2. Hurtadum,Carleton, & alios:primo probatur verbis D.Th.ſupra,non enim ſolum habitus,& diſpoſitio differunt ſicut perfectum, & imperfectum,ſed ſicut diuerſæ ſpecies vnius generis,ergo habitus,& diſpoſitio differũt eſſentialiter.Ratione etiam probatur, nam qualitates quæ ex natura ſua ſunt facile mobiles ex accidenti redduntur difficile mobiles, & tunc appellantur habitus:ſimiliter è contra,qualitates quæ ex natura ſua ſunt difficile mobiles cum facile amittantur,vt patet in ſcientia quam quis imperfecte acquirit, illam iterum cito amittit dicuntur diſpoſitio; qualitates vero quæ debent diu à ſuis cauſis conſeruari, & quæ non poſſunt ita conſeruari neceſſario debent ſpecie diſtingui,tales ſunt habitus,& diſpoſitio; ergo diſtinguũtur ſpecie,ideo enim ſanitas,& ægritudo ſunt qualitates facile mobiles, quia ex natura ſua habent cauſas tranſmutabiles,ergo quia habitus,& diſpoſitio habent cauſas diuerſas erunt ſpecie diuerſæ.

11 Sed obiiciat quis:vna, & eadem ſpecies qualitatis eſt habitus, & diſpoſitio,ſed ſi diſtinguerentur eſſentialiter non eſſent vna ſpecies: ſecũdò,eadem diſpoſitio currente tempore fit habitus,ſicut puer fit vir, & idem calor ſi facile remoueatur à ſubiecto eſt diſpoſitio,ſi difficile eſt habitus, ergo calori accidentale eſt eſſe habitum vel diſpoſitionem:tertio facile,& difficile mobile à ſubiecto non ſunt differentiæ eſſentiales qualitatis,vt eſſe diuturniorem,eſſe intenſiorem, &c. calore: im febrilis in principio eſt diſpoſitio,& currẽte tem| ore fit habitus,ſed ſi eſſent ſpecie diuerſæ hoc non co itingeret,ergo habitus,& diſpoſitio nullo modo ſpecie differunt.Reſp.Ariſt.vocare habitum, & diſpoſitionem vnam ſpeciem ſubalternam quæ eſt genus ſub ſe continens alias ſpecies.Ad 2.dico veram diſpoſitionem numquam fieri habitum nec è contra,diſpoſitio enim diuturnitate temporis ſolum quoad modum poteſt fieri habitus.Ad 3.Reſp.difficultatem illam aut facilitatem ſi oriãtur ex natura habitus,& diſpoſitionis non eſſe abſolute accidentale ſed ſufficere ſiue procedat ex cauſis extrinſecis illas conſeruantibus ſiue ex aliis capitibus conſtituere ſpecies diuerſas.

12 An autem habitus ſit operatiuus,pertinet ad tractatum de habitibus de quo fuſe Suarez diſp.44. met.per plures ſect.Vallius 2.tit.ſuæ logicæ ſed breuiter dicendum eſt cum Ariſt.D.Th.Theolog ac philoſophis habitum non eſſe operatiuum ſed determinare poteſt ad bene vel male operandum:nam vt ait Philoſophus 7. phyſicor.tex. 17. habitus tam animæ quam corporis ſunt diſpoſitiones perfecti ad optimum,ergo ex ſe non ſunt operatiui,cum nullam vim conferant potẽtiis ad efficiendos ſuos actus ſed ſolum illam determinare ad bene vel male operandum diſponendo ipſam potentiã: probatur primo,nam reliquæ qualitates huius ſpeciei non ſunt operatiuæ vt ſanitas; pulchritudo;ſimiliter ſcientia,& error;virtus,& vitium:nam virtus,& vitiũ diſponunt intellectum, & voluntatem conuenienter ad ſuam naturam;error vero, & vitium diſconuenienter, ergo huiuſmodi qualitates non ſunt operatiuæ ſed ſolum ſecundum ſe ordinantur ad bene vel male diſponendum ad operationem ſuarum potentiarum: prẽterea etiam ſi habitus vt operatiuus non eſſet primum principium operandi per ſe primo ſed bene vel male diſponendi potentiam cum habitus tam animæ quam corporis ex Ariſtot. ſint diſpoſitiones perfecti ad optimum, ergo ſimpliciter non dantur ad operandum maxime habitus adquiſiti, ſed ad conuenienter hoc eſt bene vel male operandum, ergo licet influant in operationem potentiæ, ſupponunt illius actiuitatem, ergo ſimpliciter non ſunt operatiui habitus acquiſiti tam animæ quam corporis.

CAPVT III.

Explicantur tres aliæ ſpecies Qualitatis.

NVmero ſeptimo,propoſui hanc ſecũdam ſpeciem qualitatis videlicet naturalis potentia, & impotentia quæ magis explicanda eſt, nomen potentiæ late ſumi ſolet,vt videre eſt apud Suarez,diſp.42 ſect.4. n.9.& 10. ſed in præſenti nomine potentiæ ſignificatur facultus firma,& robuſta ad operationem ſeu principium proximum ad operandum ſeu primum quod conſtituit ſubiectum ad operandum ſimpliciter, non vero ad bene vel male operandum, v.g.in homine ruſtico eſt principium operandi per intellectum quia habet facultatem,& potentiam intellectiuam non vero ſunt habitus ſcientiæ ſicut in homine docto ad bene vel male operandum: hæc vero potentia vna eſt actiua,alia paſſiua,actiua eſt principium actionis quæ vere eſt productio alicuius effectus,paſſiua autem non eſt productiua alicuius effectus,ſed receptiua,vt materia 1. ſeu potentiæ immanentes quæ recipiunt actiones quas eliciunt vt conſtat in potentia intellectiua vitali,& volitiua;in grauibus,& leuibus,& aliis. 13

Nomine vero impotentiæ non intelligimus puram potentiæ carentiam,aut priuationem quatenus impotens caret potentia ad operandũ, ſed intelligimus facultatem ſeu potentiam debilem, & infirmam in ſuo genere ad operandum,vt potentia viſiua in ſene,potẽtia ad generandum in eodẽ,hebetudo ingenij, non ergo cæcutiens ideo non videt quia non habeat potentiam viſiuam,ſed quia illam habet ita debilem,& imbecillem,vt vix aut difficile videat, ad hanc ſpeciem ſpectant tam qualitates actiuæ quam paſſiuæ enumeratæ n.7.Hinc infero naturalem potentiam, & impotentiam non differre ſpecie,& ratio eſt quia ex vi potentiæ præcisè ſeu impotentiæ eadem potentia eſt diuerſo modo conſiderata. Conſtat ex verbis Chriſti ad Petrum Ioan.21.*Cum eſſes iunior eingebas te,& ambulabas quo volebas,cum autem ſenueris,alius cinget te,& ducet te quo tu non vis*, ſignificans eius potentiam in etate iuuenili fuiſſe actiuam, in ſenectute vero debilem,vnde eadem potentia imperfecta ablata imperfectione redit actiua, & cum illa ita debilis manet vt vix poſſit operari vt mille exemplis conſtat, ergo naturalis potentia, & impotentia ſpecie non differunt, prima vero ſpecies qualitatis differt à ſecunda, in eo quod prima, non eſt ſimpliciter principium operandi ſed conuenienter diſponendi naturam, potentia vero naturalis ſiue actiua ſiue paſſiua eſt principium ſimpliciter operandi vel patiendi. 14

In num.8. propoſuimus tertiam, ſpeciem qualitatis quæ appellatur paſſio, & paſſibilis qualitas quæ amplius 15

amplius in præsenti enodanda est,& passio non sumitur hic pro proprietate quæ ab anima dimanat, quomodo risibilitas dicitur passio hominis;& calor,ignis, neque pro quacumque receptione media qua passum recipit effectum agentis, nec pro receptione alicuius effectus nociui, & disconuenientis, & sic quanto qualitas recepta est magis nociua & disconuenientior, tanto passio est maior, in quo sensu passio Christi est maxima, imo & appetitus sensitiui dici possunt passiones, quando sunt cum aliquo nocumento vt docet D. Thomas 1.2.quæst.22. art.1. Conimbricenses in præsenti q. 1.a.2.qui pro se adducũt, Scot. Simplicium, Amonium,qui docent passionẽ consistere in eo quod sit qualitas perceptibilis per aliquem sensum externum, & idem docere videtur D. Tho.3.p.q.63.art.1.ad 2.alij dicunt hanc qualitatem scilicet passionem, cognosci in eo quod causat passionem in sensu,sed melius dignoscitur hæc qualitas passionis seu passibilis qualitas vel quia ex aliqua passione causatur,vel quia passionem causat in aliquo sensu externo,cui explicationi fauet D.Tho.opus.48.de qualitate c.5.& 5.met.lect.16.& 1.2.q.50.a. 1. ad 3. quæ omnes explicationes probabiles sunt,passio enim proprie causat alterationem,vt dulce & amarum,causant alterationem in gustu,calidum & frigidum in tactu,si vero aliquis effectus causetur ab aliqua qualitate; scito transeunte,non dicitur passibilis qualitas,sed solum passio,vt pallor,ex iracundia;& timore;rubedo ex verecundia;si autem sint à natura cum aliqua diuturnitate,dici possunt passibilis qualitas,vt in pallore causato ex morbo longo, & in rubore prouenient ab ipsa natura,qualiter autem passio & passibilis qualitas, inter se distinguantur,breuiter dicẽdum est,solum accidentaliter differre penes extrinsecas causas durationis,nam eiusdem speciei sunt,rubor causatus ex verecundia qui cito transit, & rubor causatus ex bono tẽperamẽto qui diu durat, & quia passio cito trãsit dixit Arist.ab ea nos nõ denominari quales,nã à transeunte non fit denominatio simpliciter quæ statum requirit.

16 Eodem n. 8. proposuimus quartam speciem qualitatis quæ est forma & figura, forma primo sumi potest pro forma compositi substantialis,secundo pro quocũque actu informante etiam accidentali, tertio pro illa conuenienti dispositione quantitatis qua aliqui dicũtur in se bene formati aut formosi, & ita forma sumitur pro pulchritudine iuxta illud Psal.44.*speciosus forma præ filiis hominum*;proprie tamen forma hic sumitur,pro figura,ornatu,& recta partium dispositione,& coloribus recte inter se dispositis, figura vero primo sumitur pro signo,vt primo Corinth. 10. omnia *in figura contingebant*,& alibi sæpe, & trãsfiguratio Christi quæ ad tẽpus assumpsit claritatem in signum futuræ claritatis,figura vero quæ est quarta species qualitatis sumitur,pro figuratione quantitatis ratione cuius dicitur ipsaquãtitas,rotunda,plena,curua,recta,triangularis,quadrangularis disponendo partes hominis ita vt hæc pars vniatur illi,& non alteri, & hæc figurari est proprie species qualitatis,nam nihil aliud dicit nisi certam dispositionem partium quantitatis in loco, quæ potius pertinet ad situm, forma vero supra figuram solum addit delineamenta seu rectam colorum dispositionem quæ constat ex pluribus, & efficit vnum aggregatum, & ideo improprie & methaphorice appellatur species qualitatis, propter similitudinem quam cum vera qualitate habet,vt in artificialibus figura domus,vel turris dicitur forma. Videatur D. Th. 7.physicæ lect.5.

CAPVT IV.

Tres proprietates Qualitatis enodantur.

17 POstquam Arist. explicuit species qualitatis,descendit ad earum effectus,& in fine ponit tres proprietates qualitatis quas breuiter declarabimus, , prima *proprietas est habere contrarium* : contraria dicuntur *quæ sub eodem genere mutuo se expellunt & maxime distant*, hæc autem verba breuiter sic explano *sub eodem genere tam physico scilicet sub eodem subiecto,quam logico* scilicet sub ratione cõmuni prædicabili de pluribus specie diuersis ; non vero requiritur necessario quod contraria sint sub eodem genere infimo sed sufficit quod contineantur sub eodem genere subalterno vel saltem sub eodem prædicamento mutuo se expellant id est quodlibet illorum vt sit in subiecto petit naturaliter quod expellatur aliud & ita mutuo naturaliter se expellunt seu expugnant, non tantum effectiue hoc enim non sufficit ad contrarietatem, lux enim effectiue expellit frigus efficiendo in subiecto calorem & tamen lux non contrariatur frigori,sed debent se mutuo debellare formaliter vt calor& frigus. *& maxime distant* scilicet,negatiue in propria ratione hoc est quod in eo genere proximo sub quo contrariãtur, non possint inter alia extrema maior alia positiua distantia reperiri:habere contrarium competit primo & per se solis qualitatibus,actiones enim & passiones tantum secundario contrariantur ratione qualitatum contrariarum ad quas terminantur,non vero conuenit omnibus qualitatibus, nam lux, habitus supernaturales, species, potentiæ vitales, gratia & alia huiusmodi non habent contraria, plura docte vt solet de iis contrarietatibus Suarez, disp. 45. met. sect. 2.3.& 4.

Secunda Proprietas qualitatis est,esse intensibilem, 18
aut remissibilem,id est suscipere magis & minus,quæ iuxta varias sententias auctorum in libris de generatione & corruptione,de intensione, & remissionequalitatis,& nos Deo dante dicemus disp.7. de alteratione,intẽsione,ac remissione cap.2.& 3.hæc autem proprietas ita intelligenda est,vt primo & per se conueniat qualitatibus & ratione illarum actioni, informationi,& aliis : tertia Proprietas qualitatis est, esse similem,vel dissimilem alteri,id est,quod substantia ratione qualitatis,sit proprie similis vel dissimilis alteri, seu quod sit fundamentum proximum similitudinis, aut dissimilitudinis, & hoc ait Arist. esse proprium quarto modo qualitatis,sicut supra dixerat de quantitate,quod ratione illius res dicantur æquales, aut inæquales, & si videatur aliis à qualitate, hanc similitudinem vel dissimilitudinem cõuenire, nam vnus lapis similis est alteri lapidi, & vnum ouum alteri ouo, & sic de aliis, tamen in rigore sermonis similitudo per se primo, conuenit qualitatibus, nam similitudo propria non solum consistit in vnitate specifica,sed in vnitate, graduum intensione, & cum soli qualitati, proprie conueniat intensio vel remissio, soli qualitati conuenit per se similitudo, aliis autem lato modo, sumpta similitudine pro conuenientia & disconueniẽtia duorum, an autem formalis similitudo sit re ipsa distincta,vel idem cum ipsa qualitate abunde diximus disp.27.cap.2.& 3.

Ex dictis infero primo, qualitatem esse genus su- 19
premum ad omnes species qualitatis,& in hoc prædicamento collocari,primo omnes qualitates corporeas, & sensibiles, siue sint à natura siue ex alia prima qualitate oriantur, cum omnes in eo conueniant, quod subiectum efficiant quale per modum habitus, si permaneant, vel per modum dispositionis potentiæ naturalis, formæ, aut figuræ, ergo omnes hæ qualitates pertinent, & continentur sub supremo genere qualitatis, vt sic ; præterea pertinent ad hoc prædicamentum qualitatis, omnes qualitates naturales, vt intellectus, voluntatis, scientiæ, & habitus virtutum, nam Aristoteles etiam posuit passibiles qualitates in anima : similiter pertinent ad hoc prædicamentum, ordinis omnes qualitates,

ordinis

ordinis supernaturalis, vt gratia, charitas & omnes aliæ qualitates virtutum infusarum, & morales, & Theologicæ virtutes, quæ omnes cum sint finitæ & limitatæ vitutis, vniuoce conueniunt cum qualitatibus naturalibus & ideo proprie pertinent ad hoc prædicamentum qualitatis.

20 Infero secundo prædictã diuisionẽ qualitatis, in illas quatuor species supra à nobis explicatas, esse exactã & sufficientẽ, imo & generis in species; prima pars est manifesta, nam omnes qualitates quas huc vsq; nouimus, continẽtur sub illis quatuor speciebus qualitatis, ergo est adæquata; secundo cum qualitas sit modus substantiæ potest modus sumi in ordine ad subiectum, & naturam, & tunc qualitas modificat naturam subiecti, bene vel male disponendo, & sic constituit primã speciem qualitatis, si modificet in ordine ad operationẽ, constituit secundam speciem scilicet naturalem potentiam, si pertineat ad terminũ actionis constituet tertiam speciem qualitatis scilicet passionem, & passibilẽ qualitatẽ, si denique perficiat subiectum quoad partes quantitatiuas, constituit quartam speciem, videlicet formã, aut figurã, nec aliud videtur posse excogitari in qualitate in ordine ad perficiendũ & modificandũ naturam sui subiecti; ergo talis diuisio est exacta & adæquata, esse vero generis in species prædictã diuisionẽ, cõmunior fert sententia, cũ ratio qualitatis ab omnibus abstracta, vniuoce & in quid prædicetur de omnibus mẽbris diuidẽtibus, nã hę prędicationes sunt verę, habitus est qualitas, naturalis, potentia est qualitas, & sic de tertia & quarta specie, ergo omnes cõueniunt vniuoce in ratione qualitatis, siue qualitates sint naturales, siue supernaturales, ergo prædicta diuisio, non solum est exacta, sed etiam generis in suas species, siue infimas siue subalternas; aduerto tamen pro coronide eamdem qualitatẽ, posse pertinere ad duas vel ad omnes species qualitatis, secundum diuersas formalitates, nã calor vt est forma data igni ad producendũ in proximo passo, calorem, pertinet, ad speciem naturalis potentiæ, & quatenus disponit potentiã vitalem corporeã visiuam v.g. in ordine ad suã operationẽ, pertinet ad speciem habitus, & quatenus perceptibilis per tactum, ad passionem & passibilem qualitatem, ergo vna & eadem qualitas sub diuersa consideratione potest pertinere ad diuersas species qualitatis.

In cap. 9. De sex vltimis prædicamentis.

IN cap. 9. explicat Arist. sex vltima prædicamenta & in prima eius parte, præmissa descriptione actionis & passionis, assignat eius duas proprietates, scilicet habere contrarium & suscipere magis & minus, in secunda parte breuiter explicat quatuor vltima prædicamenta vel quia ea quæ de eis tractari possunt, sunt valde difficilia vel quia eorum cognitio non tam Logico est necessaria quam Physico, vel quia tandem ex dictis in aliis prædicamentis facile possumus in eorum cognitionem deuenire, quid autem de singulis in præsenti dicendum sit breuiter explano.

DISPVTATIO XXVIII.

De sex vltimis prædicamentis.

HABET quatuor capita. In primo inquiro de Prædicamento actionis & passionis. In secũdo, de prædicamento Vbi. In tertio, de prædicamẽto situs, habitus, & quando. In quarto, an sex vltima prædicamenta sint formæ absolutæ, vel relatiuæ, vel extrinsecæ denominationes.

CAPVT I.

De Prædicamento Actionis & Passionis.

DE actione & passione late differit Arist. 3. lib. Physicæ, & in prædicamento substantiæ ostendimus, qualiter actio, & passio distinguãtur, ideo breuiter percurram, quæ ad logicum institutum spectant. Actio varie vsurpatur, primo pro sola operatione libera à nostra voluntate dependente, vt sunt actiones quibus efficiuntur tam actus boni, quam mali voluntatis: secundo pro qualibet actione immanenti intellectus, seu voluntatis, seu sensuum, tam internorum, quam externorum, sed propriè actio in præsenti sumitur, pro illa entitate per quã principium effectiuũ constituitur actu producens suum effectum, v.g. principium effectiuum & entitas effectus sæpe dantur in rerum natura quin iste de facto ab illo producatur, vt contingit, quando ignis producens calorem in ligno, inde alio remouetur; tunc enim calor perseuerat in ligno, & non datur tunc ignis actu illum calorẽ producens, ergo quando ignis illum calorem producebat actu, dabatur aliquid ab vtroq; distinctum, ratione cuius ignis cõstitueretur actu producẽs calorẽ, & calor actu productus ab igne, & id per quod ignis produceret actu calorem, & calor per veram causalitatem produceretur ab agente, vocamus actionem; & amplius explicari potest, dicendo esse accidens per quod principium effectiuum constituitur actu producens effectum.

Hic tria adnotanda sunt, primum principium effectiuum formaliter vt tale non constitui sola egressione actionis, media qua operatur, sed ex egressione effectus qui mediante actione producitur, quãdiu autẽ effectus non egreditur, sola actio non denominat agens producens suũeffectũ, neq; Deus denominatur agẽs seu principiũ producens nisi quãdo actu producit; Aduerto secundo quod actio immanens, vt immanens non est actio formaliter huius prædicamenti, sed virtualiter tantum, quatenus virtualiter importat productionem, quod non conuenit omni actioni immanenti, saluatur enim intelligere sine productione visus, & tactus sine termini productione, & de beata visione probabiliter asserunt, similiter de actionibus quæ sunt simplices emanationes, vt sunt propriæ passiones, potius dicuntur connexiones inter essentiam & proprias passiones, quam proprię actiones. Aduerto tertio agens seu principium effectiuum producere posse suum effectum, vel extra subiectũ, vel in subiecto: si illum producat extra subiectum, dicitur creatio, vt actio per quam actu producit talẽ effectũ, dicitur creatio, vt actio qua creatur Angelus, anima rationalis, & materia prima, de quo etiam late lib. 3. physicæ, si verò effectum producat in subiecto, actio per quam illam producit dicitur eductio & de hac semper loquitur Arist. quia non cognouit creationem vel si cognouit, tam confuse, vt illam non explicarit.

Passum seu passio eodem modo est explicanda & diuidenda, passio igitur vt hoc prædicamentum constituit, non consistit solum in receptione formæ in subiecto, sed etiam in illatione agentis producentis effectum ex præsuppositio subiecto, quia receptio propriæ passionis in propria natura, non est passio, nec subiectum per illam dicitur proprie pati, vt colligitur ex definitione passionis ex D. Th opusc. 48. c. 1. de actione, vbi ait quod passio est effectus, illatioque actionis, seu vt alij, volunt *est forma qua media passum recipit aliquid ab agente*, ergo sola receptio formæ in subiecto non denominat proprie passum, dum media actione ab agente non recipiat formam per actionem eductiuam, sed ne iterum repetamus eadem, de passione intelligenda sunt passiue, quæ actiue de actione, & de principio effectiuo numero præcedenti.

4 Sed objiciat quis,actio & passio conueniunt in aliquo vniuoco,scilicet,in ratione motus & viæ;ergo nõ sunt diuersa prædicamenta,quia hæc in nullo vniuoco conueniũt;nec valet dicere cõuenire identicè, & physicè,non vero formaliter in aliquo superiori prædicabili,nã ea quæ sunt idẽ realiter non possunt constituere diuersa prædicamenta,quæ etiam sunt primò diuersa;Quidã respondent hæc duo prædicamẽta conuenire in illa ratione superiori motus aut viæ;alij,conuenire in illa tanquam in quodam transcendentali,alij denique non reputantes inconueniens, dixerunt vniuoce conuenire, etsi actio, & passio ad diuersa pertineant prædicamenta. Respondeo,iis relictis motum non esse prædicamentum commune per modum gradus superioris,sed per modum postprædicamenti, denominans rem motam,non agentem,&non repugnat quod aliqua formalitas identificetur cum aliquo à quo sub diuersa ratione in prædicamento non dependeat, imo distinguatur,vt contingit in *vbi*, & re locata, in modo,& subiecto, in sessione,& sedente,& tamẽ modus est in vno prædicamento, & res in alio, nam ad constituenda diuersa prædicamenta sufficit quod formaliter, & quidditatiue sint primo diuersa, quamuis materialiter,& entitatiue sint idem realiter.

CAPVT II.

Explicatur Prædicamentum vbi.

5 VEra intelligentia prædicamenti *vbi*, maxime pendet ex iis,quæ ad 4.lib.physicorum spectant: in præsenti breuiter adnotabimus, quæ ad eius intelligentiam necessaria sunt,alia remittentes ad dictum 4. Physic. & ad materiam de Angelis; igitur à Gilberto sic definitur, *Vbi est circumscriptio corporis, à circumscriptione loci prouenies*, id est, est accidens quodam in re locata resultans, quod communiter dici solet *vbi*, seu præsentia in loco, seu modus quidam se habendi respectu loci, qui sequitur ipsam rem quatenus est in loco,differt vero à loco,quia locus est extra rem locatam, quia est superficies illius corporis quod circunstat,*vbi* vero est in ipsa re locata, quia est forma per quam res in loco approximãtur,& sunt simul,& ideo dicit proportionem cum illo, quia ab eo continetur vt docet D.Th.in 4. dist.16.q.3. a.1. *vbi* appellat proportionem loci ad locatum, quia est quid relictum in corpore ex loco, vnde si annihilato vniuerso,Deus crearet hominem, vanum esset quærere de illo vbi esset,nam etsi tunc existeret extra causas,tamen non esset in loco, & consequenter nullibi esset, ita docet D.Aug. 11. de ciuitate Dei c.5. *inanes hominum cogitationes quibus infinita imaginatur loca*, cum locus nullus sit *præter mundum*,ergo sicut est certum Deum actu non esse in locis aut spatiis imaginariis,nec esse vbique,non existentibus creaturis, ita est certum,hoc prædicamentum optime explicari per definitionem à nobis supra traditam.

6 Hoc *vbi*,multiplex est, aliud est circumscriptiuum, & est illud,per quod res ita in loco determinato constituũtur,vt tota sit in toto loco,& singulæ partes correspondeant singulis partibus loci,& tale *vbi*,est quãtitatis,& rerum corporearum diuisibilium;alterum est *vbi* definitiuum, & est illud, quo res ita est in loco seu spatio diuisibili,vt tota sit in toto spatio, & tota sit in singulis partibus,&punctis eiusdem spatij:tale est *vbi* corporis Christi Domini in Eucharistia, de quo plura in materia de Eucharistia, quæ ad præsens non attinẽt institutum,cum sit alterius ordinis,& rationis ab *vbi*, prædicamentali;rursus aliud est spirituale, vt vbi Angelorum,animæ rationalis,& aliorum, quod etiã spectat ad materiam de Angelis 1.p.q.52. art.2.an autem quodlibet accidens suum habeat vbi distinctum à substantia?Respondeo, quod sicut omnia quantificantur eadem quantitate, ita etiam vbicantur eodem *vbi*,quia continentur in eodem loco,ergo sicuti eadem quantitate extenduntur partes subitantiæ in ordine ad locum,ita& eodem *vbi*,vbicantur siue commensurantur eidem loco,nec obstat quod post consecrationem non mane at substantia panis,nam loco illius manet quantitas commensurata loco, & *vbi* illam continens, & reliqua accidentia cum proportione ad locum.

CAPVT III.

Explicantur Prædicamenta .situs, habitus, & quando.

SItus est,dispositio partium alicuius rei in ordine ad locum,vt sessio,cubatio,& alia:vnde duo considerari possunt in re corporea ac diuisibili,primum quod sit in loco, secundum quod partes eius tali modo disponantur secundum locum,vt dicatur sedere, iacere, cubare, & alia, & hoc est proprium *situs*; sed est difficultas an talis modus *situs* distinctus sit ab vbicatione;Respondeo breuiter quod non est modus reipsa distinctus ab vbicatione rei;ratio est,quia posita vbicatione, quam habent partes Petri sedentis quouis alio modo præciso,Petrus necessario erit sedens,ergo sessio Petri,quæ est eius situs,non distinguitur à parte rei ab vbicatione eiusdem Petri. Dices cum Petrus sedens in aliqua sella, simul cum illa mouetur ad alium locum, manet idem situs, scilicet eadem sessio, & tamen non manet eadem vbicatio,cum locus varietur, ergo situs ab vbicatione distinguitur reipsa.Respondeo non manere eundem situm physice, quia etiam situs à loco pendet,manere tamen eundem situm moraliter, quia in vtroque loco habet Petrus similes dispositiones locales partium inter se, quod præsertim attenditur in ratione situs,vnde ex modo concipiendi, situs ab vbicatione differt,quia vbicatio concipitur, vt ratio reddens partes rei, vel rem ipsam præsentem loco, situs vero cõcipitur,vt ratio localiter disponens partes ipsas inter se, ex quo fit Angelum licet habeat *vbi* diuisibile, non habere situm,quia non habet partes substantiæ quæ localiter disponantur inter se; conuenit ergo situs rebus materialibus præsertim animatis ob mirabilem partium diuersitatem, quæ in eis elucet, ac etiam rebus inanimatis, maxime illis quæ partes habent diuersas,vt per se constat. 7

Habere,seu *habitus*,est ratio illa qua quis dicitur armatus,vestitus,vel alio simili modo ab alia re sibi proxima denominatur;non est accidens aut modus distinctus à parte rei ab homine, v.g. ab ipsa veste approximata illi,nam ex eo præcisè quod vestis homini localiter applicetur,& aptetur, quouis alio accidenti, vel modo præciso,homo vere erit vestitus, vel armatus;est ergo habitus,seu habere,v.g. hominem esse vestitum, vel armatum,quædam denominatio complexa partim intrinseca,partim extrinseca, desumpta formaliter tũ ab homine localiter approximato vesti, vel armaturæ, tum ab ipsa veste localiter approximata, & adiacenti ipsi homini, & idem pariter dico de homine armato aqua circumdato, vel habente alteram quamlibet rem sibi applicatam circumpositam, aut propinquam; omnia enim ista ad hoc habitus seu habere spectant prædicamentum. 8

Prædicamentum *quando* sic definitur à Gilberto *quãdo, est id quod ex adiacentia temporis, reliquitur in re temporali*, id est res ipsas in tempore collocare, nam quod ex adiacentia temporis relinquitur, tempori adiacet,& ab illo mensurari dicitur, hoc autem dicitur *quando*,& est id per quod res tempori correspondent, qualis est duratio per quam res dicuntur in tempore existere, & tempori respondere, hoc ergo prædicamentum *quando*, dicemus etiam consistere in illa denominatione, seu relatione extrinsecus aduenien- 9

niente coëxiſtentiæ ſeu durationi temporali, quæ ad tempus terminatur, quod in abſtracto dicitur *quando* & in concreto *eſſe in tempore*, hoc autem propriè pertinet ad 4.lib. phyſ. *Quando* verò ſic ſumptum diuiditur in quando ſeu durationem ſucceſſiuam & permanentem: duratio ſucceſſiua diuiditur in tẽpus præſens, præteritum & futurum, duratio permanens in æternitatẽ, æuum, & temporaneam durationem, æternitas non increata Dei, qua dicitur æternus, ſed durationem quam haberet creatura ab æterno creata & in æternum permanſura, vt latè dicetur 8.lib. phyſicor. *æuum* dicitur duratio rerum quæ inceperũt in tempore, & nullo tempore deficient, niſi annihilẽtur, vt Angelorum, & animæ realis duratio; Duratio temporanea dicitur duratio rerum, quæ in tempore incipiunt, & cum illo deſinunt eſſe, vt duratio hominis, equi, & aliorum corruptibiliũ. Videantur hæc longius apud Suar. Auerſ. Complut. & alios, ſed quia illa omnia propriam ſedem habent in variis libris phyſicis, ideò nunc ſuperſedemus ab illis.

CAPVT IV.

An hæc Prædicamenta ſint formæ abſolutæ, vel relatiuæ, aut extrinſecæ denominationes.

10 LAtè de hac difficultate Gilbert. lib. de ſex principiis, & poſt illum Compl. diſp. 16. q. 1. Io. à S. Th. quæſt. 19. art. 1. Merin. diſp. vnica, de poſtprædicamẽtis, q. 1. Lerma, q. 30. Logic. & alij recentiores, ſed nos breuiſſimè rem hanc expediamus, cum iam in ſuperioribus circa illam multa ſint dicta; quidã enim dixerũt hæc ſex prædicamenta ſignificare aliquid abſolutum cum reſpectu, vt *vbi* ſignificat locum cum ordine ad locatum, alij dixerunt conſiſtere in mera extrinſeca denominatione, & ita à loco denominatur locatum: alij exiſtimant conſiſtere in reſpectiuo tantum, quod difficilius eſt, cum ab iis ſex prædicamentis diſtinguatur prædicamentum relationis, ad quod non poteſt pertinere res alterius prædicamenti, nec aliud prædicamentum; iis animaduerſis.

11 ASSERTIO I. Hæc ſex prædicamenta non ſunt puræ extrinſecæ denominationes, ſed formæ quædam & accidẽtia intrinſeca relicta in ſubiecto ex aliquo extrinſeco. Ita D. Th. 3. phyſ. lect. 5. & 5. met. lect. 15. vbi generaliter docet hæc ſex prædicamenta eſſe quoſdam reſpectus relictos ex aliquo extrinſeco vt de ſex prædicamentis ſupra oſtendimus, & generaliter docent omnes citati auctores, & alij adducti à Complut. ſupra n. 4. Probatur ratione, denominationes extrinſecę non conſtituunt ſpecialia genera aut prædicamenta diſtincta ab illis ad quæ pertinent formæ, à quibus tales denominationes extrinſecæ ſumãtur, ſed ſex vltima prædicamenta conſtituunt ſpecialia genera diſtincta à rebus extrinſecis quas reſpiciunt, vt videre eſt in loco & tempore, ſitu, vbi, & aliis: ergo hæc ſex vltima prædicamenta non conſiſtunt præcisè in aliqua mera extrinſeca denominatione, ſed in formis intrinſecis cauſatis ab aliquo extrinſeco. Maior probatur, nam formæ quę intrinſece inhærent alicui, & aliud extrinſece denominant, vt viſio, exiſtens intrinſece in potentia viſiua, & extrinſece denominans parietem viſum, non poteſt cõſtituere duplex genus entis, ergo nec vbi, nec quando, cum extrinſeca denominatio nihil ponat, & addat ratione cuius poſſit conſtituere diſtinctum prædicamentum, cum non habeat realem aliquam inhærentiã ſed ſolum denominationem aliquã à forma in illo inhærente, ergo ſi hæc ſex vltima prædicamẽta ſunt extrinſecæ denominationes & non formæ intrinſecæ,
12 nun poſſent conſtituere diuerſa prædicamenta.

ASSERTIO II. Hæc ſex prædicamenta non ſunt relationes ſecundũ eſſe, ſed ſecundum dici, hoc eſt ſunt, aliquid abſolutum, per accidens ad aliquid relata. Ita D. Th. ſupra, & enumerati auctores numero præcedẽti; Prima pars probatur, relatio ſecundum eſſe eſt illa, cuius totum ſuum eſſe eſt ad aliud ſe habere, vt toto cap. de relatione oſtendimus, tamquam ad purum terminũ nullum munus circa illum exercendo, ſed hæc ſex prædicamenta non ſic ſe habent, ergo non ſunt propriè relationes ſecundum eſſe. Minor probatur, nam nullũ illorum eſt ad aliud per ſe, quia actio eſt ab alio, paſſio in aliquo, vbi in loco, ſitus in eodem cum debita partium diſpoſitione, & ſic de aliis, ergo nullum iſtorum reſpicit terminum ſub ratione termini, ſed eſſentialiter ab aliquo extrinſeco dependent, à quo talia denominantur, ergo prædicta ſex prædicamenta non ſunt relationes ſecundum eſſe. Secunda etiam pars facilè probatur ex D. Thoma locis ſupra citatis, nam hæc ſex prædicamenta non conſiſtunt in aliquo reſpectu, alioquin pertinerent ad prædicamentum relationis, ergo hæc prædicamenta in recto dicunt aliquid abſolutum, ſcilicet formam intrinſece inhærentem cuilibet prædicamento, & de connotato reſpectum extrinſecum deſumptũ à modis res ipſas modificantibus, ergo cũ ex Ariſt. & communi ſententia ſex iſta prædicamenta, ſua propria genera & prædicamenta conſtituant, nullo modo poſſunt eſſe relationes ſed entia abſoluta.

Sed obiiciat quis varia teſtimonia D. Th. 3. phyſ. lect. 13
5. & 1. p. q. 110. art. 3. & 1. contra gentes cap. 3. vbi ait, *aliquando denominatur aliquid ab eo, quod eſt extra ipſum, vt actio dicitur aliquid eſſe alicubi*, ex quo & aliis videtur docere Sanctus D. hæc ſex vltima prædicamenta eſſe extrinſecus denominationes, nam id quod informat, in iis ſex prædicamentis, eſt aliquid extrinſecum, vt locus in vbi, & tempus in quando, quæ ſolũ poſſunt concurrere in genere cauſæ formalis. Reſpondeo D. Tho. in prædictis teſtimoniis & aliis ſimilibus non intendere huiuſmodi denominationes ſex prædicamentorum, eſſe meras extrinſecas denominationes, ſed eſſe intrinſecas formas, ſubiectũ intrinſecè denominantes, ſed ſolum intendit illas denominationes deſumi ab aliquo extrinſeco, vt denominatio *vbicati* ab *vbi*, quod eſt aliquid intrinſecum in locato, atq; ita formam denominantem non eſſe ſolum extrinſecam denominationem ſed ipſam formam, vt ex ſua adiacẽtia relinquat in re aliquam mutationem, ex quo euincitur in his ſex prædicamentis non eſſe ſolas extrinſecas denominationes, ſed ipſas ſe habere vt conditiones demonſtrantes aliquid relinqui ex illis, quod conſtituat & formaliter denominet quodlibet prædicamentum, vt videre eſt in vnoquoque illorum, & hæc de decem prædicamentis; modo ad complementum totius operis addenda breuiter quæ Ariſt. docuit in poſtprædicamentis vſque ad decimum quartum caput.

DISPVTATIO XXIX.

De poſtprædicamentis.

PRoſt Tractatum de Prædicamentis agit Ariſt. de 14
poſtprædicamentis, quæ ſunt quidam modi imperfecti, qui diuagantur per omnia prædicamenta, ſed apprime neceſſarij, ad plenam notitiam prædicamentorum, illi autem ſunt quinque modi, *videlicet, oppoſitio, Prioritas, ſimultas, motus, & habitus*, de quibus breuiter agemus & claudemus hoc opus, valde difficile, & prolixum cathegoriarum.

CAPVT I.

De Oppoſitis.

TExtus Ariſt. *De Oppoſitis autem quot modis ſolent* 15
opponi, dicendum eſt, ſuper quæ verba plura, tam in introductione ad Logicam, quam inter explicanda prædicamenta dicta ſunt, propria tamen ſedes ad oppoſitionem & eius radices, ſeu ſpecies explicãdas, hæc eſt; nec in præſenti fuit intentum Ariſt. agere de oppo-

sitione vocum seu propositionum,de hoc enim abundè in Summulis, sed de oppositione ipsarum rerum, quæ quadruplex est,oppositio contradictoria,contraria,priuatiua, & relatiua , & generaliter oppositio est repugnantia determinata aliquorum inter se circa idem subiectum, ad quam non sufficit distinctio , sed vltra addit repugnantiam : nam Petrus & Paulus distinguuntur,& non opponuntur.

16 Oppositio contradictoria est illa , quæ dicit repugnantiam duorum extremorũ circa quodlibet subiectũ: ita vt neq; in vllo possint simul existere,aut simul verificari,sed necessario vna debet esse vera,& altera falsa , & vna affirmare quod altera negat , vt Petrus est animal,Petrus non est animal,contraria vero Arist.10. met.c.6.sic definiuit *contraria sunt quæ sub eodẽ genere maximè distant*,vt bonum,& malum,albedo,& nigredo,iustitia,& iniustitia, quæ etsi contraria genera videantur,tamen conueniunt in esse qualitatis & habitus; contrariè tamen opponuntur , quia adinuicẽ non ordinantur,& sunt formę repugnantes,vt calor,frigus, 3. est oppositio priuatiua,quæ versatur circa idem subiectum , vt inter habitum & priuationem, vt visus & cæcitas.4.est relatiua,quæ mutuam inter se relationem habẽt,vt Pater & filius;ex iis quatuor oppositionibus, Maior est contradictoria. 2. priuatiua. 3.contraria. 4. relatiua;Dices oppositionem contradictoriã non posse esse maiorem priuatiua : nam in vtraq; vnum extremũ est negatio quæ totaliter tollit oppositionem.Resp.esse differentiam : nam oppositio contradictoria omnino tollit non solum formam , sed capacitatem, priuatiua vero non tollit aptitudinem ad formam,qua est priuata cum illam possit habere , & ideo semper est maior oppositio contradictoria.

17 Ex dictis colligo duo,1.hanc diuisionem oppositionis,esse sufficientem. 2. esse analogam,primum probat D.Thom 5. met. lect.12. cuius ratio ad hanc formam reduci potest,omnis oppositio,vel est inter ens,& simpliciter non ens,& sic est oppositio cõtradictoria quæ est omnium maxima,vel est oppositio inter ens & non ens, in subiecto tamẽ apto ad habendum tale ens,seu formam, & sic est oppositio priuatiua , quæ maior est contraria, & relatiua,cum illa sit inter ens & non ens, istæ vero inter ens & ens,& si mutuo se expellũt,sunt contraria,vt calor & frigus,vel denique est inter ens, & ens quæ mutuo se respiciunt,& est relatiua, vt Pater,& filius,sed non est excogitabilis,alius modus oppositionis qui in his quatuor speciebus non contineatur;ergo prædicta diuisio est adæquata. 2.scilicet hanc diuisionem esse analogam: Probatur 1. hæc oppositio est realis & non logica,sed nihil reale vniuocum dari potest conueniens rebus diuersorum prædicamentorũ ergo. 2. oppositio contradictoria solum simpliciter & absolutè,est oppositio,cum exclusione medij , & connenientiæ quod aliæ non excludũt:ergo rationem oppositionis per ordinem ad contradictoriam participãt. 3. talis oppositio versatur circa ens reale, & rationis, scilicet circa priuationem quæ est ens rationis, & circa formam realem ei oppositã,sed enti reali & rationis nihil datur vniuocum vt docuimus disp. 12. de genere c.2.ergo prædicta diuisio non est vniuoca sed analoga.

18 Circa oppositionem priuatiuam aduertendum est, quod priuatiuè opposita non sunt opposita relatiuè,nõ enim dicimus , visus est cæcitatis visus,sicut Pater est filij Pater , similiter priuatiuè opposita non sunt contrariè opposita : nam in contrariis, possibile est fieri mutationem ab vno in aliud , at vero in priuatiuè oppositis,licet valeat à forma ad priuationem, non vero à priuatione ad habitum , inquit enim Philosophus. *quod non est regressus à priuatione ad habitum*, quod tamen instatur in variis rebus : nam post somnum redit vigilia,lux post tenebras,motus post quietem:ergo explicandus est Philosophus à quibus priuationibus detur regressus & à quibus priuationibus non detur.

Resp. optimè calluisse mentem Philosophi, D.Th. 19
8.met.lect.4.& opusc.37.c.1. vbi distinguit inter priuationes , aliquando enim subiectum immediatè recipit priuationes,seu formas sine aliquo ordine,quia potentia receptiua non prius recipit actum in exercitio, sed æqualiter se habet ad priuationem & formam, vt patet in exemplis adductis , in quibus optimè potest fieri regressus à priuatione ad habitum;aliquando vero seruatur ordo in receptione formæ , & priuationis, non enim potest esse mors in subiecto,quod prius non vixerit , nec cæcitas in quo antea non fuerit visus, qua ratione catulus ante nouem dies non dicitur cæcus,nec infans in prioribus mensibus , nec edentulus, sed non videns & non habens dentes,quia adhuc non debebantur,quare in iis priuationibus quas subiectum recipit media forma;semper verificatur naturaliter loquendo,non dari regressum à priuatione ad habitum, vnde nec ex mortuo fiet viuum , nec ex cæco videns, nec ex aceto vinum,aut ex edentulo,dentatus,seu habens dẽtes:nam in iis omnibus priuationibus optimè fit mutatio ad priuationem , à priuatione vero ad formam amissam naturaliter non fit regressus , & de istis priuationibus intelligendus est Aristot. in aliis autem non requiritur quod prius fuerint istæ formæ in subiecto, sed potest incipere indifferenter à forma , vel à priuatione. Videatur etiam de malo q.2.art.12.ad 3.

CAPVT II.

De modis Prioris.

TExtus Arist.est, *Prius quispiam alio quatuor dicitur modis*,hoc est de modis quibus aliud alio est prius 20
& recensetquatuor , qui suo tempore vulgares erant, quibus postea subiecit quintum, quasi ab ipso inuentum,non tamen tradidit modos posterioris:nam existimauit tot modis res dici posteriores , quot modis dicuntur priores, rem hanc facilè definiunt interpretes, vel quia facilis vel quia alibi longius egit Philosophus de ea,vt 2.lib.physic.

Primo igitur,vnum dicitur prius alio tempore, scili- 21
cet quando aliud duratione & omnino præcedit vt D. Augustinus fuit tempore prior D.Thoma, Plato Arist. & hanc prioritatem appellat Arist. omnium prioritatum præstantissimam,vel quia notissima, vel quia cæteræ prioritates explicantur per ordinem ad istam ; secundo,vnum dicitur prius alio,existendi consequentia seu prioritate consequentię,nimirũ qnando,vnum infertur ex alio,non vero è cõtra,in quo casu illud quod infertur ex alio,ita vt illud non inferat , dicitur prius existendi consequentia , quo pacto omnia prædicata superiora sunt priora suis inferioribus , superius enim infertur ex inferiori , non vero è contra , valet enim est homo , ergo est animal : non vero valet , est animal , ergo est homo, potest enim esse equus , vel leo , tertio dicitur vnum prius alio secundum ordinẽ,vt in exercitu signifer: in scientiis,præmissæ respectu conclusionis,& literæ respectu syllabæ:quarto denique illud dicitur prius alio , quod est præstantius seu dignius alio,& dicitur prioritas honoris & dignitatis, in quo sensu vocamus priores, eos qui in republica sunt honoratiores,sed iste modus prioritatis valde imperfectissimus est , quippe pendens à nostro arbitrio: quinto dicitur vnum prius alio prioritate naturæ, quæ est prioritas ab Arist.inuenta, seu secundum naturam, id est quod licèt cum alio existendi consequentia reciprocetur, est tamen eius causa, v.g. sol,& lux,dicuntur prior prioritate naturæ, nam licèt simul sint & existant seu conuertantur,semper tamen sol est causa lucis , vnde dixit Aristot. *illud dici prius prioritate naturæ , vbi sine aliis contingit esse , licet non è contra*, quia non petit habere mutuam cum illo conseq. quoad existentiam;non enim valet mutuo dicere

existit

exiſtit hic calor, ergo exiſtit hic ignis, exiſtit hic ignis ergo exiſtit hic calor, nam hic ignis poteſt exiſtere ſine iſto calore, nec officit ad prioritatem naturæ, ſeu ſecundum naturam quod in ſe mutuam conſequentiã habeat quoad exiſtentiam, dummodo ſit vnum cauſa alterius, quod hoc diſtico explicatur,

Tempore natura prius ordine dic & honore,
Cauſam cauſato dicimus eſſe prius.

22 Alia eſt Prioritas rationis, quæ potiùs dicitur diſtinctio rationis, eo quod per rationem concipitur vnum prius alio, & eſt duplex, vna eſt, prioritas rationis, *in quo*, alia prioritas *à quo*, illud prius dicitur alio prioritate rationis in quo, quod concipitur cum fundamento alicuius prioritatis ſine alio, licèt non econtra, quo pacto animal, eſt prius homine, quia poteſt concipi ſine homine, non tamen homo ſine animali: illud dicitur prius alio prioritate à quo rationis, quod concipitur vt principium alterius, ſiue poſſit concipi ſine alio ſiue non, quo pacto in diuinis, eſſentia eſt prior intellectione & volitione, quia eſſentia diuina concipitur vt radix intellectionis, & volitionis diuinæ, & hæc prioritas rationis à quo, vocatur à Theologis prioritas originis, quia ſine antecedentia durationis, vel cauſalitatis datur in diuinis proceſſio vnius perſonæ ab alia, quæ conuenientius dicitur origo & prioritas originis, quatenus vna perſona originatur ab alia, ſinevlla prioritate, vt docet D. Th. 1. p. q. 42. art. 3. vbi ait. *In diuinis oportet eſſe ordinem originis abſque prioritate.*

CAPVT III.

De modis ſimul.

23 TExtus Ariſt. *Simul autem & ſimpliciter propriiſſiméque dicuntur*; & tres tantum aſſignat, nimirum eſſe ſimul tempore, ſimul natura, & ſimul diuiſione generis; illa dicuntur ſimul tempore quæ ſimul eſſe incipiunt, vel ſimul in eodem inſtanti generantur, vt ſubiectum & propriæ paſſiones, vel quæ in eodem tempore perficiuntur, vt duæ lectiones, vel duo ſermones, vel quæ ſimul concurrunt, ſiue ſimul inceperint, ſiue non; illa dicuntur ſimul natura quæ exiſtendi conſequentia reciprocantur, vt cum aliqua mutuo ſe inferunt, & neutrum eſt cauſa alterius, vt ſunt relatiuè oppoſita, quæ ſunt ſimul natura & cognitione, vt oſtendimus diſp. præcedenti cap. de relatione. Tertio, aliqua dicuntur ſimul diuiſione generis, vt ſunt duæ ſpecies quæ immediatè diuidunt idem genus, vt homo & brutum, reſpectu animalis, & licèt inter has ſpecies vna ſit præſtantior alia, & ex hac parte poſſet vna antecedere aliam, at vt diuidunt genus, omnes conſiderantur ſimul vt ex ſe conſtat.

CAPVT IV.

De Speciebus Motus.

24 TExtus Ariſt. *Motus ſpecies ſunt ſex, generatio, corruptio, accretio, decretio, &c.* Illa tamen propriam ſedem habent apud Ariſt. 3. & 5. lib. phyſ. & in præſenti motus ſumitur, pro quacumque mutatione phyſica, ſiue inſtantanea, ſiue ſucceſſiua, cuius ſex aſſignantur ſpecies, non quia ſint propriè ſpecies ſui generis, cum ſint viæ & tendentiæ ad ſuum terminum, & entia incompleta, ſed quia ſunt mẽbra diuidentia; Dices, quare motus non ponatur propriè & directè in prædicamento, Reſpondent communiter, quia motus eſt entitas incompleta, & via ad terminum; ſed contra, quia ex hac parte, nec actio & paſſio pertinerent directè ad prædicamentum, nam tam actio quam paſſio ſunt entitas incompleta, nam actio eſt via agentis in terminum, & paſſio eſt actio paſſi ad illum, ergo eadem ratione qua motum excludis à prædicamento, debes con equenter actionem & paſſionem relegare. Reſp. igitur motum ideo non conſtitui in prædicamento directè & per ſe, quia motus eſſentialiter includit actionem, & paſſionem, & in obliquo dicit terminum *à quo*, mobile per quod tranſit ad terminũ *ad quem*, & ideo pertinere ad prædicamentũ ſui termini; v. g generatio & corruptio reducuntur ad prædicamentum ſubſtantiæ, augmẽtatio & diminutio ad quantitatem, alteratio ad qualitatem, motus localis ad prædicamentum *vbi*, cuius motus ſpecies ſũt iſtę, generatio, corruptio, accretio, decretio, alteratio & *vbi*, qui motus inter ſe opponuntur contrarietate lata & priuatiua, magis autem proprie, motus in communi cum quiete, generatio cum corruptione, non autem ita propriè augmentatio & diminutio, motus ſurſum & deorſum; qualiter autem in alteratione detur contrarietas reſpectu ſui termini, in libris de generatione explicabitur.

Sed quæris an motus alterationis diſtinguatur à reliquis motibus, res eſt philoſophica; arbitror pro nunc diſtingui motum alterationis à reliquis motibus, & ratio eſt, nam contingere poteſt, aliquando aliquid alterari abſque eo quod habeat alios motus, vt exprimetur ferè in omnibus paſſionibus, nam qui amat vel delectatur, vel iraſcitur, alteratur & tamen non generatur, aut corrumpitur, augetur, aut minuitur, neque localiter mouetur, ergo contingere poteſt alteratio, ſine aliis motibus, & conſequenter motus non erit diſtinctus ab aliis motibus. 25

CAPVT V.

De Modis habere.

TExt. Ariſt. *Habere pluribus modis aut vt habitum, diſpoſitionem, vel aliquam aliam qualitatem diximus*, ſupra diſp. 28. ca. 2. n. 6. & c. 2. & diſp. 29. c. 3. n. 8. quid ſit & qualiter ad prædicamentum ſpectet, nunc vero Ariſt. ſeptem ſignificationes habitus ſeu habere diſtinguit, prima eſt habere diſpoſitionem aut affectionem qualitatis vt habere, ſcientiam, virtutes, calorem, aut lucem, ſecunda eſt habere quantitatẽ ſeu magnitudinem, vt vlnam aut cubitum, & corpus habere quãtitatem bicubitam vel tricubitã, vel habere magnitudinẽ, quatuor cubitorum, tertia eſt habere aliquid circumpoſitum vtveſtes, arma, tunicã & alia, quę circumſtant hominem, quarta eſt habere partem conſtituentem ſeu integrantem, vt manum aut pedem, ſiue eſſentialem, vt corpus, & animam; quinta eſt habere aliquid contentum vt vas, aquam, arca, pecuniam; ſexta eſt habere poſſeſſionem bonorum, ſiue poſſidere bona, vt domum, vineam; ſeptima eſt denique habere amicum: ex iis modis habendi, ſolus tertius conſtituet hoc prædicamentum habitus, vt in locis citatis diximus, ſed ad illud reduci poſſunt, quintus, ſextus, & ſeptimus, reliqui verò ad diuerſa prædicamenta pertinent. Primus enim pertinet ad prædicamentum qualitatis, ſecundus ad prædicamentum quantitatis, quartus denique ad prædicamentum illius rei, qua coaleſcit ex partibus. Plures alios modos habendi enumerat Ariſt. 5. met. c. 23. text. 28. Quos in præſenti non enumerat, qui ad iſtos qui ſunt in vſu reduci poſſunt, & iis claudit Ariſt. primam partem Dialecticæ, & nos etiam finem imponimus. 26

Et hæc de quinto Tractatu de Prædicamentis & cathegoriis, Ariſt. dicta ſint ſatis.

TRACTATVS

TRACTATVS SEXTVS,

In libros Peryhermenias siue de interpretatione.

IN libris cathegoriarum compleuit Aristot. primam partem Logicæ incipiens à proœmialibus, vsque ad postprædicamenta, quæ omnia ad operationem intellectus pertinent, quæ est simplicium apprehensio, per quam intellectus apprehendit essentias, & quidditates rerum sine affirmatione, & negatione, & iis abunde explicatis, accedit ad secundam partem Logicæ in qua agit de secunda operatione intellectus, quæ est Iudicium & vocatur compositio, & diuisio, quam etsi secundum aliquos Græcos Arist. diuiserit in sex libros, concors tamen Latinorum sententia est, illam diuisisse in duos, quos appellat Peryhermenias, in quibus agit de propositione, cuius essentiam, partes, & proprietates declarat; quia vero veritas, aut falsitas præcipua propositionis est passio, de veritate, & falsitate propositionum disserit, cuius doctrinam ea omittentes, quæ in introductione ad Logicam dicta sunt, & etiam alia, quæ ad Theologiam proprius spectant) nostris disputationibus explanabimus.

DISPVTATIO XXX.

De signo, & eius speciebus.

QVATVOR capita continebit; In primo ratio formalis signi explicatur. In secundo præcipuæ signi diuisiones aperiuntur. In tertio inquiro, an voces res ipsas significent, an conceptus. In quarto agitur de nomine, verbo & propositione.

CAPVT I.

Ratio formalis signi explicatur.

DE huius disputationis materia copiosè disserunt recentiores in præsẽti erudite, & optime Conimbricenses illã perlustrant, Auersa q. 23. Logicæ Io. à S. Tho. à q. 21. vsque 23. per varios articulos, Vallius in logica tom. 1. in fine. Arriaga disp. 13. Logicæ, & 14. Petrus Hurtado disp. 8. Logicæ, Carleton disp. 42. Logicæ. sect. 1 & 2. consulite illos, ego autem ea, quæ in summulis, non dixi, modo explicare conabor.

1 Signum est id, quod potentiæ cognoscitiuæ aliquid repræsentat, vt hæc vox, homo, est rei signum quia nobis hominem repræsentat, habet ergo signum duplicẽ ordinem, & habitudinem, aliam ad rem significatam, quam repræsentat, alteram vero, ad potentiam cognoscitiuam, cui repræsentat talem rẽ, & quacunque habitudine ex istis deficiente, deficit etiam, & perit formaliter signum, cum vterque ille ordo, & habitudo sit de conceptu formali signi.

2 Sed quærat aliquis, an ad rationem signi necessario requiratur, quod aliud à se distinctum repræsentet. Conimb. in præsenti q. 1. art. 2. asserũt esse de ratione signi, quod aliud à se distinctum repræsentet, ratio autem est, quia signum, vt sic formaliter dicit habitudinem, & respectum realem ad rem, quam repræsentat, sed ordo, siue respectus semper est ad aliud, & ordo, seu respectus realis, est ad aliud distinctum realiter, vt monstratum est supra disp. 26. c. 6. n. 36. & 37. ergo signum, vt sic formaliter necessario repræsentat rem etiam esse distinctam realiter.

3 Opinantur alij ad rationem signi non requiri, quod aliud à se distinctum repræsentet, sed posse aliquod signum se ipsum repræsentare; Probatur, conceptus, quo cognosco omnem cognitionem esse actum vitalem, est signum formale repræsentans omnes cognitiones intellectus; sed ipsemet conceptus est etiam cognitio intellectus, ergo talis conceptus est signum repræsentans formaliter seipsum: præterea hæc vox *nomen* est signum instrumentale repræsentans omnia nomina; sed ipsamet vox est etiam nomen, ergo talis vox est signum repræsentans instrumentaliter seipsum; Denique diuina cognitio est vere signum formale, cuius enim cognitioni cum sit ratio formalis cognoscendi, competit ratio signi formalis, sed diuina cognitio cognoscit, ac repræsentat seipsam, quia cognoscit, & repræsentat omnia, quæ sunt formaliter in Deo, & ipsa cognitio est formaliter in ipso Deo; ergo non est de ratione signi, quod aliud à se distinctum repræsentet.

Præmitto, pro dubij decisione dupliciter posse aliqua 4
inter se distingui. 1. re ipsa, aut ex natura rei, quia scilicet vnum à parte rei non est aliud, quo pacto, Petrus & Paulus distinguũtur, quia re ipsa, Petrus non est Paulus, nec è contra. 2. possunt aliqua inter se distingui solum ratione, & ex modo concipiendi, hoc modo distinguitur homo à seipso, quando in hac propositione, *homo est animal*, homo concipitur, vt subiectum, & in ista propositione, Petrus est homo, idem homo concipitur, vt prædicatum, quia diuerso modo concipitur, licet à parte rei sint idem, scilicet prius homo concipitur, vt id de quo aliud dicitur, postea vero concipitur, vt id, quod prædicatur de alio, atq; ideo idẽ homo à seipso distinguitur ratione nostra ex solo diuerso modo concipiẽdi.

Arbitror ego, signum vt sic formaliter necessario non 5
distingui reipsa à re, quam repræsentat, semper vero ab illa distingui ratione nostra ex modo cõcipiendi, prior assertionis pars patet, quia sæpe signum seipsum à parte rei repræsentat, vt ostensum est n. 3. ergo signũ non necessario repræsentat aliud, à se distinctum reipsa: posterior etiam pars ostenditur, quia ea distinguuntur ratione, & ex modo concipiendi, quæ diuerso modo concipiuntur; sed signum, & res per ipsum repræsentata semper concipiuntur diuerso modo, etenim signum concipitur, vt tendens ad aliquod obiectum, & declarans illud, res vero repræsentata concipitur, vt quid terminans repræsentationem signi, & declaratum per illam, ergo signum, & res per illud repræsenta semper ratione nostra, & ex modo concipiendi distinguũtur, & in hoc præcisè sensu diximus supra in introdutione ad logicam disp. 1. n. 4. signum esse id quod potentiæ cognoscenti aliquid à se distinctum repræsentat, nimirum aliquid à se distinctum non reipsa sed tantum ex modo concipiendi.

Sed vt rationem Conimb. dissoluam, aduerto dupli- 6
cem esse habitudinem, ac ordinem realem, alium physicum, qualis est v.g. actio physica in ordine ad terminum, qui per illam fit, alium esse ordinem intentionalem, qualis est v.g. cognitio in ordine ad obiectũ, quod per illam cognoscitur: ordo ergo realis physicus respicit

cit terminum reipſa ab illo diſtinctum, quia talis ordo,& reſpectus aliquod munus,vel ſupponit,vel exercet circa ſuum terminum,quod neceſſario requirit terminum ab illo reipſa diſtingui,v.g.actio phyſica agit, & cauſat terminum ſuum, cum autem res non poſſit cauſare ſeipſam requiritur,quod terminus actionis ſit reipſa diſtinctus ab ipſa actione, & ſic de aliis; ordo verò intentionalis,ſeu rationis non neceſſario reſpicit terminum, vel obiectum reipſa à ſe diſtinctum, quia munus, quod circa illud exercet talem diſtinctionem non poſtulat,v.g.cognitio cognoſcit formaliter ſuum obiectum, cum autem eadem res,ac conceptus poſſit ſeipſum cognoſcere,vt probatum eſt n.3. ideò non requiritur quod talis ordo, & reſpectus intentionalis, ſcilicet, cognitio habeat terminũ à ſeipſa diſtinctum. Hoc poſito;breuiter dico ſignumhabere ordinem realem non phyſicum,ſed tantum intentionalem,ſeu rationis,vt repræſentatiuum ad rem,quam ſignificat, & ideo non neceſſario requiri quod repræſentet aliquid à ſeipſa diſtinctum.

7 Hoc ergo ſignum poteſt conſiderari in actu primo, vel in actu ſecundo;ſignum in actu primo eſt,id,quod eſt aptũ aliquid potentiæ cognoſcitiuæ repræſentare; ſignum verò in actu ſecundo eſt id,quod potẽtiæ cognoſcenti aliquid actualiter repræſentat, ex quo primo fit,ad rationem ſigni in actu primo neceſſario requiri, quod ſit aliqua potentia apta ad cognoſcendam rem per illud ſignificatam;ratio eſt, manifeſta: quia ad rationem ſigni in actu primo requiritur,quod ſit aptum repræſentare rem aliquam potentiæ cognoſcitiuæ;ſed non poteſt eſſe ſignum aptum ad repręſentandam rem aliquã potentiæ cognoſcitiuę,niſi aliqua potentia cognoſcitiua ſit apta ad rem illam cognoſcendam; ergo ad rationẽ ſigni in actu primo requiritur quod ſit aliqua potentia apta ad cognoſcendam rem per illud ſignificatam:ſecundo fit ad rationẽ ſigni in actu ſecundo requiri,quod aliqua potẽtia cognoſcitiua actu cognoſcat rem per illud ſignificatam,quia aliàs tale ſignum, actu non repræſentabit rem illã potentiæ cognoſcenti, quoad rationem ſigni in actu ſecundo deſiderati. Tertio fit,eum,qui profert voces, ſi audiens earum vocum ſignificationem non calleat propriè, & diſtinctè, non loqui;ratio eſt, quia loqui aliquem propriè & diſtinctè eſt res,quas interius concipit, alij manifeſtare, & ſignificare, ſed qui profert voces, quarum audiens ſignificationem non callet,non manifeſtat:necſignificat alteri res quas interius concipit;ergo propriè & ſtrictè non loquitur:dicitur verò lato vocabulo loqui, quia dat voces ex ſe aptas ad conceptus internos declarandos.

8 Verùm inquirat quiſpiam,'an ſiquis proferat voces, & audiens illarum ſignificationem percipiat,ipſe verò proferens earum vocum ſignificationẽ non penetret, talis homo propriè,& ſtrictè loquatur,cenſeo propriè & ſtrictè non loqui, quia loqui proprie, & ſtricte eſt itavoces proferre,vt proferens ipſe intendat ſuum cõceptum verum, vel ſimulatum alteri manifeſtare, ſed cum proferens neſcit vocum ſignificationem non poteſt intendere per illas ſuum conceptum verum, vel ſimulatum alteri manifeſtare,vt per ſe conſtat,ergo in tali caſu propriè,& ſtrictè non loquitur.Vnde infero loquentem ſermonem,ac verbum triplicem habitudinem,& ordinem eſſentialiter includere, alium ad rem quam ſignificat,alium ad conceptum proferentis. quẽ exprimit, alium ad intellectum audientis, cui talem rem repræſentat,vt quolibet deficiente, defecit etiam ratio locutionis,ac verbi.

CAPVT II.

Præcipuæ ſigni diuiſiones aperiuntur.

9 SIgnum,primo diuiditur in ſignum proprium,& in ſignum improprium,& per accidens: ſignum proprium, & per ſe eſt id, quod vel à natura ipſa, vel ex hominum inſtituto eſt impoſitum ad aliquid ſignificãdum,vel repræſentandum;hoc modo ſunt ſigna,omnes conceptus interni, quia à natura ipſa ordinãtur ad repræſentanda ſua obiecta,ac etiam voces, quibus conceptus noſtros manifeſtamus,quia ex hominum inſtituto impoſitæ ſunt ad res conceptas ſignificandas: ſignum improprium,acper accidens eſt id. *Quod aliquid ſignificat,vel repræſentat,tamen nec à natura, nec ab hominibus eſt, inſtitutũ per ſe ad illud ſignificandum*;hoc modo omnes effectus ſunt ſigna ſuarum cauſarum, & cauſę ſunt ſigna effectuum,quia effectus ſignificat ſuã cauſam,v.g.fumus ſignificat ignem,& cauſa ſignificat ſuum effectum,v.g.rationalitas ſignificat riſibilitatem tamen nec effectus vllo modo eſt inſtitutus ad ſignificandam cauſam, nec cauſa eſt inſtituta per ſe ad ſignificandum effectum.

Secundo ſignum diuiditur in ſignum naturale, & in 10
ſignum ad placitum; ſignum naturale eſt id, *quod repræſentat aliquid naturaliter*,hoc modo ſunt ſigna omnes conceptus mentis in ordine ad ſua obiecta,& omnes voces, quibus naturaliter effectum cordis ſignificamus,vt viſus naturaliter ſignificat lætitiam, & gemitus dolorem, & omnes cauſæ reſpectu ſuorum effectuum, cum quibus habent neceſſariam cõnexionem: ſignum verò ad placitum eſt id, quod ſolum ex hominum voluntate, & inſtituto impoſitum eſt ad aliquid ſignificandum,hoc modo ſunt ſigna omnes voces,quibus conceptus noſtros aliis manifeſtamus, & omnes ſcripturæ illis reſpondentes, & alia huiuſmodi, licèt enim voces nobis à natura conceſſæ ſint ad res, quas concipimus aliis ſignificandas, tamen quod hæ voces has res ſignificent,& non illas,non à natura;ſed ex libero prouenit hominum arbitrio, & impoſitione; de quo plura docent recentiores,& Conimbr. hic cap.1. quæſt.4.art.2.Carleton.& alij.

Tertio ſignum diuiditur in ſignum formale, & in 11
ſignum inſtrumentale,ſignum formale eſt id,*quod ſine cognitione ſui*,aliud formaliter repræſentat, vel vt clarius dicam *ſignum formale eſt formalis ratio cognoſcendi, & repræſentandi aliud*,hoc modo ſunt ſigna omnes cõceptus formales cuiuſq; rei,quia conceptus cuiuſlibet rei eſt formalis ratio cognoſcendi, & repræſentandi talem rem,& ſine ſui cognitione,quando res illi obiecta ab ipſo conceptu reipſa diſtinguitur; illa nobis manifeſtat; ſignum autem inſtrumentale ſic definitur à D.Aug.lib.de Doctrina Chriſtiana c.1 .*eſt id,quod præter ſpeciẽ,quã ingerit ſenſibus aliquid aliud facit in cognitionem venire*;hoc modo ſunt ſigna omnes voces & ſcripturæ,ac alia huiuſmodi,quæ prius à ſenſu cõcepta in alterius cognitionẽ nos ducunt;hęc autem definitio ſolum conuenit ſigno inſtrumentali materiali, cum iſtis non competat ſenſibus ſpecies in genere; ſentio tamen ego cum P. Suarez tom.3.in 3.p.dup.1. ſect.3. puſſe dari inter Angelos ſignũ aliquod inſtrumentale ſpeciale,poſſent enim Anguli conſtituere aliquem actũ intellectus ad ſignificandum aliquem effectum occultũ voluntatis, & tunc talis actus intellectus eſſet ſignum ſpeciale inſtrumentale,quod cognitum duceret in cognitionem affectus voluntatis:ſignum vero inſtrumentale,vt commune eſt materiali,& ſpeciali,eſt id, quod cognitum in alterius facit cognitionem deuenire, vel eſt medium cognoſcendi aliud,vt eſt veſtigium in puluere impreſſum animalis,vel hominis; his explicatis circa iſtas ſigni diuiſiones nonnulla reſtant quærenda.

Quæritur primo, quid ſit formaliter ſignificatio vo- 12
cis,ſeu vis ad ſignificandũ;aliqui cenſent vocis ſignificationem,ſeu vim ad ſignificandum,eſſe relationem quamdam realem,quæ aduenit ipſi voci.Sed impugnarur,nã ſi in hac voce ſignificatiua,v.g.*homo* cum illam profero nunc, eſſet relatio realis ad rem ſignificatam, talis relatio realis,ab aliqua cauſa fieret,vel reſultaret; ſed nulla eſt cauſa,à qua fieri,vel reſultare poſſit; ergo in tali voce non eſt relatio aliqua realis ad rem ſignificatam.

ficatam. Probo minorem, si aliqua esset causa à qua talis entitas; ac relatio realis fieret, vel resultaret, esset quidem, vel impositio ipsa vocis ad significandum, vel ipsamet vox, vel proferens talem vocem, sed talis entitas, ac relatio realis non fit, nec resultat ab impositione, seu volũtate imponentium, quia cum hæc impositio, & voluntas iam physice non sit modo, non potest nunc, physice causare, & facere realem entitatem ac relationem realem, nec etiam resultat ex ipsa voce, cum non sit proprietas, & passio illius, nec denique fit à proferente vocem, quia talis relatio secundum se nõ sequitur necessario ad ipsam vocem, nam si vox illa ad significandum non esset imposita, esset eadem vox sine relatione reali ad rem significatam; ergo nulla est causa, à qua talis entitas, ac relatio realis fieri vel resultare possit, ergo significatio, vel vis significatiua vocis non consistit in tali entitate, ac relatione reali.

13 Alij sentiunt significationem, seu vim significatiuã vocis esse entitatem quandam ac relationem rationis in ordine ad rem significatam, ita Rubio hic c.2.q. 2. Soto in 4.dist.1.q.5.art. 1. ad finem. Sed impugnatur facile, nam vox homo v. g. est vere significatiua, & actu significat hominem independenter omnino à fictione intellectus, sed entitas ac relatio rationis non est, nisi dependenter omnino à fictione intellectus, etenim ens rationis non fit nisi per cognitionem nostri intellectus fingentem, & concipientem obiectum aliter, ac est in se, vt diximus supra disp.4. c.1. n. 3. ergo vis significatiua, aut significatio vocis non consistit formaliter in tali entitate, ac relatione rationis.

14 Opinantur alij, vim significatiuam siue significationem vocis consistere formaliter in quadam entitate morali, quæ nõ sit ens reale, nec ens rationis, sed media inter entitatem realem, & entitatem rationis, quæ quidem est quædam moralis habilitas, ratione cuius vox intrinsece, ac formaliter apta ad rem significandam: ita sapientissimi quidam recentiores: sed impugnatur, non datur entitas media inter entitatem realẽ, & entitatem rationis, ergo vocis significatio non est prædicta entitas moralis, media inter entitatem realẽ, & entitatem rationis. Probatur antecedens, omnis entitas distincta à Deo, vel fit vere, & independenter à fictione intellectus, vel fit fictitie, nempe dependenter ab intellectus fictione, sed entitas quæ vere fit independenter à fictione intellectus semper est entitas realis, & ens, quod fit solũ fictitie sẽper est entitas rationis, ergo omnis entitas, vel est entitas realis, vel entitas rationis; ergo non datur entitas media inter entitatem realem, & entitatem rationis, & quidem id, quod fictitie fit esse entitatem rationis nullus est, qui dubio vertat, id vero, quod vere fit, & independenter à fictione intellectus, esse semper entitatem realem, sic ostenditur: id quod fit vere independenter à fictione intellectus vere producitur à Deo, sed omnis entitas vere producta à Deo est entitas realis, ergo entitas, quæ fit vere, & independenter à fictione intellectus est semper entitas realis; Præterea, præcisa tali entitate morali est in voce, quæ imposita est ad significandum vera significatio, seu vis significatiua, vt n.7. monstrauimus, ergo vis significatiua, & significatio vocis non consistit in tali entitate media morali.

15 Dicendum existimo significationem, seu vim significatiuam formaliter solum cõsistere in ipsa extrinseca vocis significatione, qua scilicet vox illa à primis institutoribus imposita est ad aliquid significãdum, dum tamen talis impositio aliquo modo retractata non sit, ita docẽt Conimbr. sup. c.1 q 1 a.1. Suar. tom. 3. in 3, p. disp.1.s.3.§.2. obiici potest. P. Hurtad. disp.5. log. sect.2. Ioan. à S. Th. q.21 log. a.1. & adducit D. Th. 1. p. q.13. art. 2. qui etsi hanc sententiam formaliter non explicet, illã tamen non contradicit, Arriag. disp.13. log. s.1. subsect.4. Carlet. disp.41 log. sect.1.2. & 3. Paulus Vallius lib.1. Peryherm. q.2. c.1. & 3. & adducit plures ex antiquis, vt Arist. Boëtium, Amoniũ, D. Th. Auerroëm, Auicennam, Albert. magn. tr 2. c.1. & alios, & quædam Horatij verba ad rem præsentem non incongrua ibi;

Licuit semperque licebit
Signatum præsente nota producere nomen; & post pauca;
Multa renascentur, quæ iam cecidere, cadentque,
Quæ sunt nunc in honore vocabula, si volet vsus,
Quæ penes arbitrium est, & vis, & norma loquendi.

Ergo ex impositione hominum non retractata pendet significatio signi; Probatur ex eo præcisè, quod vox *homo* v.g. sit extrinsecè ab hominibus imposita ad significãdum hominem, & hęc impositio retractata non sit, præciso quouis alio verè significat hominem: ergo significatio talis vocis formaliter consistit in sola illa extrinseca impositione non retractata: consequentia est euidens, antecedens sic ostendo; quando audio vocem hominis, scilicet *homo* ex eo præcisè, quod sciam illam vocem esse impositam ad significandum hominem & talem impositionem non esse retractatam illa vox facit me venire in cognitionem hominis, sed facere me venire in cognitionem hominis est significare hominem, vt supra dictum est n.11. ergo ex eo præcisè, quod vox homo sit imposita ad significandum hominem, & talis impositio non sit retractata, præciso quouis alio vere significat hominem.

Sed obiiciat aliquis, vocis significatio manet nunc 16
de præsenti, sed vocis impositio non manet de præsenti; sed præteriit, ergo significatio vocis distinguitur ab extrinseca vocis impositione. Resp. impositionẽ vocis ad aliquid significandum licet physicè præterierit, esse tamen nunc præsentem moraliter, etenim rem aliquã manere præsentem moraliter nihil aliud est, quã eundem effectum præstare, quem præstaret, si esset præsens physicè, & realiter; cum autem impositio, qua hæc vox *homo* fuit imposita ad significandum hominem, licèt physicè præterita sit, vocem istam nunc reddat eodem modo aptam, vt nos ducat in cognitionem hominis, ac si talis impositio, esset præsens physicè, & realiter, sufficit enim quod ego sciam esse illam vocem impositam ad significandum hominem, vt veniam, cum illam audio, in cognitionem hominis; ideo, talis vocis impositio licet præterita physice est præsens moraliter, vnde sicut præceptum, quo superior ligat subditum ad aliquid faciendum, si non sit retractatum, censetur nunc manere moraliter, licèt physicè præterierit, quia nunc eodem modo obligat subditum ad illam rem faciendam, ac si maneret physicè, ita impositio, qua vox *homo* v. g. imponitur ad significandum hominem, si non sit retractata, etiamsi physicè præterita sit, manet nunc præsens moraliter, quia eodemmodo constituit illam vocem aptam, vt nos ducat in cognitionem hominis, sicut si esset præsens physicè, ac realiter, & in hac extrinseca vocis impositione saltem moraliter præsenti, ipsius vocis significatio formaliter consistit: sic docent Suarez, & Conimbr. supra, & peritiores Theologi in materia de Eucharistia loquentes de permanentia verborum in ipso sactamento permanenti, cum verba euanuerint, dum prima prolata fuerunt.

Quæritur secundo, an signum formale recte defi- 17
niatur esse id, *quod sine sui cognitione ducat nos in cognitionem alterius*; ratio dubitandi est, quia cognitio diuina, qua Deus seipsum cognoscit, est vere signum formale, nam omni cognitioni competit hæc ratio signi vt diximus supra n. 11. & tamen diuina cognitio non repræsentat Deũ sine sui ipsius cognitione, quia talis cognitio seipsã necessario cognoscit, ergo nõ de essentia signi formalis, quod sine sui cognitione aliud repræsentet: censeo tamen bene signũ formale prædicto modo definiri, nam talis definitio debet intelligi, quãdo signum formale non habet pro obiecto, seipsum, si enim se ipsum pro obiecto habeat, vt accidit in casu argumenti, impossibile omnino est, quod tale signum repræsentet suum obiectũ, & non repręsentet seipsum,

sensus

ſenſus; ergo prædictæ definitionis eſt, ſignũ eſſe formalem rationem cognoſcendi, ac repræſentandi aliquid quod vere conuenit cognitioni diuinæ etiam reſpectu ſui ipſius, & ideo vere, & proprie eſt ſignum formale.

18 Quæritur 3. an aliqua vox poſſit magis explicite, & clare rem ſignificare audienti, quam à proferente, ſeu imponente talem vocem ad ſignificandum, res illa concepta ſit? D. Th. 1. p. q. 13. art. 1. in corpore. Suarez l. 2. de Deo, c. 31. Hurtado diſp. 8. log. ſect. 2. n. 42. Arr. d. 13. logicæ ſect. 1. n. 28. videntur docere partem negantem, quamplures eius diſcipuli ſequuntur, docet enim voces ſignificare res mediis conceptibus, ergo ſignificatio vocis debet proportionari cum repræſentatione conceptus ipſius proferentis, vel imponentis illam ad ſignificandum, ergo non poteſt vox diſtinctius, & clarius rem ſignificare audienti, quam à proferente vel imponente, talis res concepta ſit.

19 Arbitror tamen ego vocem clarius, & perfectius poſſe rem audienti ſignificare, quam à proferente, vel imponente talem vocem, res illa concipiatur; ita Pater Suar. tom. 2. met. d. 30. ſ. 13. n. 8. Vazquez. 1. p. d. 37. c. 2. n. 9. Molina 1. p. q. 13. a. 1. q. 1. Scotus diſt. 22. Ocham. Gabr. Tanner. 1. p. d. 2. q. 7. dub. 4. Arr. d. 13. log. ſ. 1. nu. 28. Carlet. d. 42. log. ſ. 6. & alij. Probatur clare, vocem rem actu audienti ſignificare nihil eſt aliud, quam, quod tali voce audita, audiens concipiat illam rem, ſeu (quod idem eſt) veniat in cognitionem illius, ergo vox eo modo ſignificat audienti aliquam rem, quo audiens audita voce concipit, & cognoſcit rem illam, atqui audiens voce audita, poteſt clarius, & diſtinctius concipere talem rem, quam concepta ſit à proferente, ſeu imponente vocem ad illam rem ſignificandam; ergo poteſt aliqua vox magis explicite, & clare rem audienti ſignificare, quam à proferente vel imponente vocem, res illa concepta ſit; minor oſtenditur, duobus exemplis adductis à Patre Vazquez primũ ſit, ſi Petrus, qui nunquam Romam vidit, ex relatu, vel lectione librorum, loca ſancta, & alia, quæ ſunt in vrbe Romana narraret Ioanni, qui illa omnia perfecte & clare intuitus eſt, proculdubio tali voce, & narratione audita, Ioannes clarius, & diſtinctius ea, quæ ſunt in Roma, & quæ ipſe iam viderat conciperet, quam Petrus, qui illa nunquam vidiſſet; ergo audita voce poteſt audiens clarius, & diſtinctius rem ſignificatam concipere, quam à proferente vocem, res illa concepta ſit. Secundum exemplum ſit, ſi Rex Philippus inſulam, quam aliquis eius dux armis cepiſſet, Philippinas appellarit, audito hoc nomine dux ille, & milites, qui illas inſulas clare viderunt clarius, & diſtinctius illas cõciperent, quam conceptæ eſſent à Rege Philippo, qui illas nunquam vidiſſet; ergo audita voce, poteſt audiens rem magis clare, & diſtinctius concipere, quam ab imponente talem vocem illa res concepta ſit.

20 Sed inſurgit noua difficultas, ſi aliquando contingat, quod clarius repræſentetur res audienti, quã ei à quo fuit prolata; hæc maior claritas cui attribuenda eſt? pro intelligentia aduerto, non quidquid ad effectũ concurrit, cenſendũ ſtatim principium formale illius eſſe; eſt inſtantia manifeſta in corporibus cæleſtibus, quæ in omnes res ſublunares influunt, & tamen dum calor calorem producit, & ignis ignem: tales effectus nõcelo, ſed cauſis ſecũdis tribuuntur, ſicut etiã actus ſupernaturalis, vt vitalis, tribuitur potẽtię vitali, & vt ſupernaturalis habitus ſupernaturali; hoc animaduerſo.

21 Reſpondeo dicendum quod quomodo vox rem aliquam clarius, & perfectius repręſentat audienti, quam cognita fuit à loquente, non hoc voci formaliter eſſe tribuẽdum, ſed perfectiori ſpeciei, aut viuaciori ingenio, quod in accidente reperitur: Probatur 1. ipſa experientia magiſtra, experimur enim quorundam ingenia ita tarda, & craſſa eſſe, vt vix penetrent veritates per ſe notas, alia vero ingenia ita perſpicacia, & ſubtilia eſſe, vt facilius & perfectius res ipſas concipiant, quam à loquente proferuntur, ergo. 2. Probatur à priori; quãdo vox auditur ab eo qui habet perfectiores ſpecies, vel ingenium viuaciſſimum, maxime claram in eo cognitionem efficit, ſed ſingularis illa claritas non voci tanquam principio formali tribuitur, ergo ſpeciebus perfectioribus, vel intellectui; maior Probatur: ſi claritas illa ſumma in cognitione, tribuenda eſſet voci, in quocunq; audiente, æquè claram cognitionẽ gigneret; ſed in quocunq; audiẽte id non præſtat vox loquentis, nã in intellectu minus perfecto tam perfectam nõ gignit cognitionem quam in intellectu magis perfecto, ergo non tam voci, quam ſpeciebus perfectioribus, & viuaciori ingenio, illa maior claritas tribuenda eſt.

Quæritur 3. an ſignum formale, recte diſiniatur eſſe 22
id quod ſine ſui cognitione ducat in cognitionem alterius? ratio dubitandi eſt, quia cognitio diuina, qua Deus ſeipſum cognoſcit, ſi eſt vere ſignum formale, nã omni cognitioni competit hæc ratio ſigni, vt diximus n. 11. & tamen diuina cognitio non repræſentat Deum ſine ſui ipſius cognitione, quia talis cognitio ſeipſam neceſſario cognoſcit, ergo non eſt de eſſentia ſigni formalis, quod ſine ſui cognitione aliquid repræſentet, Reſp. tamẽ bene ſignũ formale prædicto modo definiri, nã talis definitio debet intelligi, quando ſignũ formale nõ habet probè ſeipſũ; ſi enim ſeipſũ probè habeat, vt accidit in caſu argumenti, impoſſibile omnino eſt, quod tale ſignum repræſentet ſuũ obiectum, & nõ repræſentet ſeipſum; ſenſus ergo prædictæ definitionis eſt; ſignum formale eſſe formalem rationem cognoſcendi, ac repræſentandi aliquid, quod vere conuenit cognitioni diuinæ etiam reſpectu ſui ipſius, & ideo eſt vere, & propriè ſignum formale.

Nec puto D. Th. eo a. 1. nobis aduerſari, duo enim 23
ibi pronunciat, primũ eſt, cum aliquis rem aliquã nominat neceſſario debet illã nominare media conceptione, & cognitione talis rei, hoc eſt medio conceptu, quẽ ipſe nomen imponens format de tali re, non enim poteſt quis nominare, niſi, quod ipſe concipit, & cognoſcit. Secundũ pronuntiatũ eſt, nomina ſignificãt res mediis conceptibus ipſarũ rerũ, id eſt, media cognitione, quã audiens nomine audito format de tali re, quia eatenus vox, ſeu nomen, aliquã rẽ ſignificat, quatenus eo audito, audiens concipit rẽ, vel venit in cognitionẽ talis rei, vt n. 19. oſtenſum eſt; ex iis autẽ D. Tho. pronuntiatis, quæ admitto libenter, infero, quod cũ audita aliqua voce, audiens poſſit clarius concipere quã à proferente, vel, imponente concepta ſit, vt ibidẽ oſtẽdi, talis vox clarius, & diſtinctius rẽ ſignificabit aliquãdo audienti, quã à proferẽte, vel imponente concipiatur, quo, ratio facta pro ſentẽt. aduerſariorũ plane diluitur.

Hinc infero hoc nomen *Deus*, Deo à viatoribus im- 24
poſitũ Beatis Deũ ſignificare quidditatiue, & vt eſt in ſe; ipſis vero viatoribus ſolũ ſignificare Deũ abſtractiue, & vt reſplẽdet in creaturis, vel vt cognoſcitur fide diuina, ita omnes auctores ſupra pro noſtra ſentẽtia relati. Probatur euidenter ex dictis, nomẽ, ac vox eo modo rẽ audienti ſignificat, quo ea voce audita, audiẽs cognoſcit illã rẽ, vt iam oſtendimus, ſed audita hac voce *Deus*, Beatus cognoſcit Deum quidditatiue, & vt eſt in ſe, purus vero viator ſolum cognoſcit Deũ abſtractiue fide diuina, vel ex creaturis, ergo hæc vox *Deus* ſignificat Deũ Beatis quidditatiue, & clare, viatorib. vero ſolũ abſtractiue, & obſcure; cũ autẽ D. Th. prædicto a. 1. docet nõ poſſe à nobis Deo aliquod nomen imponi, quod ipſũ quidditatiue ſignificet, debet ſolũ intelligi reſpectu viatorũ, non vero reſpectu Beatorum, vt explicatũ eſt.

CAPVT III.

An voces, res ipſas ſignificent, an conceptus.

VAria ſunt placita auctorũ de hac re, vt videre eſt apud Conimb. in præſenti q. 3. a. 2. & P. Vall. hic

c.1.q.1. per varia capita, illa tamẽ breuiter ad quatuor sentent. reduco. Prima asserit voces solũ significare res, substitui vero, & poni loco conceptuũ. Ita Scotus in 1. disp.27. q.3. §. ad argumenta, & in præsenti, q.1. 2. sententia est, voces solos conceptus significare, non vero res, ita Boetius in editione prima huius libri peri hermen. citant Arist. in hoc cap. vbi docet voces esse notas conceptuum, D.Th. & D.Augustlib.15. de Trinitate cap.11. vbi ait, *verbum, quod foris sonat, signum est verbi, quod intus latet.* Tertia sententia asserit voces significare res, & conceptus simul, ita Conimb. sup. Rubio etiam quæst. 1. num. 25. & in hanc inclinant fere omnes, vt Arist. D.Th. Boet. D.August. Basilius, & alij, etsi diuersimode illam explicent: Quarta sententia, quæ fere à prima non differt, est, voces significare res & solum & exprimere conceptus mediate, & vt signa. Fere sunt pro hac sententia omnes Authores præcedentes, quibus fauet Tolet. in præsenti lib.2.c.2. q.1. & Carlet.d.42. Log.s.6. & recentiores doctissimi.

26 Præmitto primo pro decisione quæstionis, in aliqua voce duo posse considerari, & distingui, nimirum significare aliquid, & exprimere aliquid, vocem significare aliquid, est repræsentare illud, ac ducere in cognitionem illius, vt hæc vox *homo* significat hominem, quia ipsum repræsentat, in eiusque ducit cognitionem, vocem autem aliquid exprimere est id, quod per aliquam rem, v.g. per cognitionem interius repræsentatur, & veluti occultum latet, aliis exterius manifestare, licet non ducat in illius rei, quam exprimit cognitionem, vt cum ego intus concipio hominem esse rationalem, & coram alio hanc vocem profero, homo est rationalis, ita vt audiens solum concipiat rationalitatem hominis, non vero meum conceptum, tunc talis vox à me prolata, meum conceptum exprimit, quia hominis rationalitatem, quæ per illum intus repræsentabatur, & in illo veluti occulta latebat, aliis exterius declarat, & manifestat, licet illos tunc non ducat in cognitionem mei conceptus.

27 Præmitto secundo, posse aliquam vocem dupliciter aliquid significare, primo naturaliter, quia, scilicet à natura habet illud repræsentare, ac ducere in cognitionem illius, vt risus naturaliter significat lætitiam, & gemitus dolorem, secundo ad placitum, ac ex hominum instituto, quia, scilicet, talis vox ex hominum impositione habet repræsentare aliquid, ac eius cognitionem excitare, vt hæc vox *homo* significat ad placitum ipsum hominem quia ex hominum impositione excitat cognitionem illius; Rursus potest vox aliquid significare, vel proprie, ac per se, vel solum improprię, & per accidens, tunc vox significat aliquid propriè, & per se, cum vel à natura, vel ex hominum placito instituta est directe ad id significandũ, at hæc vox *homo* significat ad placitum hominem proprie, & per se, quia primario, & per se ac directe est instituta ad hominem significandum; tunc vox aliquid significat improprie, & per accidens, quando ducit in cognitionem illius, non tamen est directe instituta nec à natura ipsa, nec ex hominum placito ad id repræsentandum, vt quælibet vox significat per accidens prolatorem cum nos ducat in cognitionem illius, & non sit directe instituta ad eum significandum.

28 Præmitto tertiò, voces illas, quæ impositæ sunt ad significandas ipsas secundas intentiones, quales sunt voces istæ *conceptus, cognitio, intellectio*, & alia: significare ad placitum proprie, & per se, ipsos conceptus, quia directe ex hominum instituto habent ipsos repræsentare, & nos ducere in cognitionem illorũ; de iis autem vocibus, controuersia non procedit, sed solum de aliis, quales sunt voces istæ homo, animal, de his in præsẽti inquirimus, an res ipsas significẽt, an cõceptus.

Assertio I. sit. voces significant res. Ita Authores 1.2. & 3. sententiæ, & Pater Hurtado disp.8. de signo sect.3. Arriaga disp.13. Logicæ sect. 2. Carleton d.42. Logicæ sect.4. & 5. Ioan. à S. Th. q.21. & 22. per varios articulos, Vallius lib.1. Peryher. cap.1. de signo. q.2. c.5. & 6. Probatur clare; voces vere significant id, pro quo in propositione supponuntur, & de quo propositio verificatur; Sed in hac propositione v. g. *homo est animal* voces supponuntur pro rebus, vt ostendi in introductione ad Logicã d.3.c.1.n.1. & de ipsis etiam rebus talis propositio verificatur, nã audita hac voce, leo v.g. formamus conceptum de reali leone, non de conceptu, quo loquens concipit leonem, ergo illa vox immediate significat rem, nã alias omnes propositiones de rebus realibus essent falsæ, cũ enim dicimus lapidẽ esse insensibilẽ, non dicimus conceptũ lapidis esse insensibilem, sed ipsum lapidẽ, nam in iis & aliis propositionibus nõ enũtio conceptũ leonis, aut hominis esse conceptum animalis, quod quidẽ esset falsum, sed rugibilitatẽ leonis, & rationalitatẽ hominis, & realitatem animalis, quod est verũ; ergo voces significant ipsas res.

Assertio II. Voces exprimunt conceptus, ita Authores primæ & quartæ sententiæ, idem enim est vocem subrogari, ac poni loco conceptus, ac exprimere ipsum conceptũ. Probatur. Exprimere conceptũ est id, quod per conceptũ interius repræsentatur, & quasi in ipso latet aliis exterius manifestare, ac significare, vt dixi n.23. sed voces aliis exterius manifestant, & significant, quod interius per conceptus manifestatur, & repræsentatur, & quasi in illis latet, vt ibidẽ ostẽdi, ergo voces vere. ac proprie exprimunt conceptus. 30

Assertio III. Voces naturaliter, & per accidens significant, aliquando ipsos conceptus, ita Authores 2. & 3 sententiæ. Probatur, significare aliquid naturaliter, & per accidens, est ducere in cognitionem illius naturaliter, & non esse talem vocem per se directe institutam ad id significandum; sed voces sæpe naturaliter nos ducunt in cognitionem conceptus proferentis, & non sunt per se, ac directe institutæ ad significandum talẽ conceptum; ergo, voces significant conceptus naturaliter, & per accidens. Consequentia est euidens, maior constat ex dictis n. 24. minor quo ad secundã partẽ, scilicet voces nõ esse per se institutas ad significandũ conceptus, patebit in assertione sequẽti: minor vero quoad primam partẽ, videlicet, voces nos naturaliter ducere in cognitionem conceptus proferentis, sic ostenditur; id ducit naturaliter in cognitionem alterius, quod habet connexionẽ naturaliter cum illo, vt fumus ducit naturaliter in cognitionem ignis, quia habet naturalẽ connexionem cũ igne, sed voces humano modo prolatæ habent naturalẽ connexionem cum conceptu proferentis, nequit enim aliquis verba humano modo proferre, nisi habeat conceptũ saltem non vltimatum illorum, ergo voces ducunt nos naturaliter in cognitionem conceptus ipsius proferentis. 31

Assertio IV. Voces non significant ad placitum ac per se conceptus, sed solas res. Ita Authores primæ & quartæ sententiæ. Probatur, illa vox significat aliquid ad placitum, & per se, quæ directe, ac per se est instituta ad id significandũ, vt dictum est supra, n.24. sed voces non sunt per se ac directe institutæ ad significandos conceptus; sed ad significandas res, quas concipimus, ergo voces non significant ad placitum, ac per se cõceptus, sed solas res. Probatur minor, voces sũt per se ac directe institutæ ad significandum id, quod loquens cõmuniter per illas intẽdit aliis manifestare, sed loquens communiter non intendit per illas voces aliis manifestare suos conceptus, sed res, quas cõcipit; cũ enim quis rustico dicit, *Deum esse trinum, & vnum*, non intendit quod ipse rusticus sciat, se habere illum conceptũ, sed quod sciat Deum esse trinum & vnum, alioquin si primum solum intenderet, aliis vocibus vteretur, dicens, ego concipio Deum esse trinum, & vnum, ergo voces de quibus quæstio procedit 32

non

non sunt per se ac directe institutæ ad significandos conceptus, sed ad significandas solas res. Confirmatur, voces substituuntur, & subrogantur loco conceptuũ, nam cum per conceptum internum, per quem mihi rèpræsento hominem v.g. esse rationalẽ, non possum id aliis manifestare, & repræsẽtare, profero voces, quæ id præstent loco conceptuũ, ergo voces id tantũ significãt exterius directè, & per se, quod conceptus repræsentãt ac significant interius, atqui conceptus interius repręsentant, & significant, non se ipsos, sed solas res, ergo voces exterius solum per se significant res, non autem ipsos conceptus.

33 Obiiciat aliquis 1. Arist. in hoc libro c. 1. dicentem, voces esse per se notas conceptuum, & D. Tho. 1. p. q. 27. art. 1. vbi loquens de conceptu mentis sic ait; *quam quidem conceptionem vox significat, & dicitur verbum cordis significatum verbo oris*, & idem docẽt, August. Basilius, & alij patres relati à Conimb. hic capite de signo q. 3. a. 1. ad finem; voces per se significant conceptus; Respondeo dum Aristot. dicit voces esse per se primo notas conceptuum solum intendere voces per se exprimere ipsos conceptus, hoc est significare exterius id, quod interius repræsentant ipsi conceptus, quod etiam nos concedimus supra n. 27. D. Th. autem, & alij Patres solum docent voces, vel significare naturaliter & per accidens ipsos formales conceptus, vt dictum est n. 28. vel significare ad placitum, & per se conceptus non quidem formales, sed obiectiuos, hoc est, obiecta conceptum, quæ sunt ipsę res, vt tenent communiter omnes cum Vazquez sup. 1. p. disp. 75. c. 3. n. 15.

34 Obiiciat 2. voces id significant per se, quod loquens aliis intendit manifestare, sed loquens intendit manifestare per voces aliis suos conceptus, quia enim conceptus non possunt per se ipsos esse aliis manifestati profert homo aliquas voces ad illos manifestandos ergo voces per se significant ipsos conceptus; confirmo, voces imponuntur ab hominibus ad significandas res, & conceptus, si enim homines non conciperent res, non imponerentur voces ad illas significandas, ergo voces significant res, vt conceptas, ergo significant per se, ac formaliter ipsos conceptus, patet hæc consequentia, quia video parietem, vt album, & paries est albus formaliter, per albedinem, video per se, ac formaliter albedinem, sed res sunt formaliter conceptæ per ipsos conceptus, ergo si voces significant per se res, vt conceptas, significant per se, ac formaliter ipsos cõceptus; Respondeo loquentem aliis intendere manifestare suos conceptus non formales, sed, obiectiuos deest, ea, quæ interius concipit vt ostendi n. 29. atque ita voces significare per se conceptus solum obiectiuos, hoc est res ipsas quę à loquente cõceptę sunt. Ad confirmationem Respondeo, voces impositas esse ad significandum, & reipsa de facto significare res, vt conceptas, ita vt hoc, quod res esse conceptas, non se habeat, vt ratio formalis significata, sed solum vt conditio necessario requisita, vt voces institutæ sint ad significandum, & vt de facto significent tales res, si enim res non conciperemus, nec voces essent impositæ ad significandum, nec de facto significarent res illas, vt conuincit argumentum, atque ita licet voces per se significent res vt conceptas, non significant per se, ac formaliter ipsos conceptus, sed solas res: quando autem paries albus videtur, esse parietem album formaliter, non se habet, vt pure conditio, ad hoc vt paries albus videatur, sed habet se, vt ratio formalis terminans visionem, & idcirco ex eo, quod paries, vt albus videatur, ipsa albedo formaliter videtur.

35 Obiiciat 3. vox dicitur vera, vel mendax per conformitatem, vel deformitatem cum illo, quod directe, & per se significat, sed vox dicitur mendax per deformitatem cum conceptu, quia mentiri est contra mentem ire, ergo vox directe, ac per se significat ipsum cõceptum. Respondeo vocalem loquutionem esse mẽdacium non formaliter solum per deformitatem cum re quam per se significat, sed etiam per deformitatem cũ conceptu, quem per se exprimit, loquens enim tenetur se conformare cũ re, quã significat, & repræsentat, ac etiam cum conceptu ipsius, quẽ exprimit, & declarat, vnde si qui loquitur aliud per conceptum interius concipit, & aliud per voces exterius manifestat, talis loquutio vocalis erit mendacium, nõ quidem quia non significat conceptum sicuti ipse est in suo esse reali, sed quia non exprimit conceptum, sicuti ipse est in esse repræsentatiuo, hoc est, quia vox exterius non significat idem met, quod cõceptus interius repræsentat, ex quo solum sequitur vocem per se exprimere conceptum, non vero per se significare illum.

Sed inquiris; an scripturæ significent res, an voces? 36 censeo primo; scripturas significare ipsas res, quia scripta etiam nos ducunt in cognitionem vt per se constat; Censeo 2. etiam scripta significare voces, etenim scripturæ excitant etiam in nobis cognitionem earum vocum, quæ ipsis correspondent, vt experientia demõstratur. Censeo 3. significationem qua scripturæ significant voces, distinctam esse à significatione, qua significant ipsas res; ratio est, quia vna sæpe inuenitur sine alia, nam scriptura latina ei, qui latinam linguam non callet, significat similes voces latinas, & non significat illi res, ac etiam sæpe scripturæ faciunt nos venire in cognitionem rerum absque eo, quod concipiamus voces, ergo significatio rerum distincta est, ac separabilis in scripturis ab actuali significatione, qua significant ipsas voces. Censeo 4. vocem, & scripturam illi correspondentem eadem met, significatione significare rem, quia eadem met impositione, qua hæc vox *homo*, v.g. imponitur ab hominibus ad significandum hominem, ita scriptura *homo* illi voci correspondens ad eundem hominem significandum, saltim secundario imposita est, vide Conimb. supra hic c. 1. q. 3. a. 1. Patrem Hurtado, & Arriagam, & Carleton disp. 42. logic. sect. 5. & alios.

CAPVT IV.

De nomine, verbo, & propositione.

NOmen est vox significatiua ad placitum sine tẽpore *eius partes non sunt per se significatiuæ finita, & recta*; verbum autem *est vox significans ad placitum cum tempore cuius partes per se significatiuæ infinita, & recta, & est eorum, quæ de altero dicuntur nota*; hanc nominis, & verbi definitionem in introductione ad logicam disp. 2. cap. 1. explicui, & ideo ab eorum nunc declaratione supersedeo. 37

Sed quærat aliquis, an verbum infinitari possit; Conimbricenses hic capite 4. quæst. 2. art. 4. & alij recentiores tenent verbum posse infinitari; dicunt enim verbum duo significare, scilicet copulam, & vnionem prædicati cum subiecto, ac etiam actionem aliquam, vt in hac propositione v.g. *Petrus amat Deum, verbum amat*, significat copulam, & vnionem amoris Dei cum Petro, idem enim est dicere, Petrus amat Deum, ac dicere, Petrus est amans Deum: deinde significat etiam actionem ipsam amandi, cum ergo in hac propositione, Petrus non amat Deum, verbum illud *amat*, infinitetur, illa dictio *non* cadit supra ipsum verbum, non quidem, vt habet rationem copulæ, sed vt significat actionem, ita vt talis propositio non faciat hunc sensum, Petrus non est amans Deum, sic enim esset negatiua, & verbum esset negatiuum, sed sensum istum efficiat, Petrus est non amans Deum, & sic talis propositio est affirmatiua, & verbum infinitatur; hæc sententia ita explicata probari 38

potest à simili, quia nomen in omnium sententia infinitatur, ergo verbum infinitatur, par enimratio in vtroque militat.

39 Arbitror tamen ego, verbum infinitari posse, de facto verò non infinitari. Ita P. Hurtad. sup. sect. 4. Paul. Vallius sup. q. 2. per varia capit. Arriag. disp. 14. Logic. sub 1. 2. concl. 3. Carlet. disp. 43. logic. sect. 1. & 2. Prima assertionis pars, scilicet verbum posse esse infinitum, probatur, quia homines pro suo libito possint hoc cõplexum, non amo, instituere ad significandum solum me esse non amantem, sed cum hac præcisè significatione, in qua copula verbi non negatur, sed tantum actio amandi, verbum esset infinitum, vt per se cõstat, ergo verbũ potest esse infinitum; Posteriorverò pars assertionis, scilicet, verbũ de facto non infinitari sic ostẽditur; de facto nobis nõ constat, de impositione, qua homines hoc cõplexum *non amo*, quasi incomplexe instituerint ad significandum aliquem esse amantem, sed solum scimus, illam dictionem *non* esse impositam ad significandam negationẽ, & esse malignantis naturæ, ita, vt quidquid, post se inuenit destruat, & neget, si cadat formaliter supra illud; hoc suppositio sic argumẽtor in hac propositione, Petrus non amat Deum, illa dictio negatiua *non*; cadit formaliter supra verbum, ergo destruit & negat formaliter ipsum verbum, sed verbum, vt sic formaliter est copula prædicati cum subiecto, ergo negat verbum etiam secundum rationem copulæ, ac proinde semper de facto verbum in propositione negatur, & non infinitatur.

40 Ad rationem sententiæ oppositæ. Respondeo nomẽ infinitari de facto, quia dictio negatiua *non* cum cadit formaliter supra nomen non negat rationem aliquam copulæ vnius cum alio, quia hæc copula in nomine formaliter non includitur, atq; ita negatio cadens supra nomen non sumitur neganter ad quod requiritur, quod neget copulã, sed tantum accipitur, infinitãter, & idcirco non negat, sed infinitat ipsum nomen, at negatio cadens supra verbum negat de facto copulam prædicati cum subiecto, quia hæc copula includitur formaliter in verbo, & ideo negatio illa non sumitur infinitanter, ad quod requiritur, quod neget copulam, sed accipitur neganter, & non infinitanter, sed negat verbum.

41 Propositio sic communiter definitur, *est ratio verum, vel falsum significans*; hæc vero definitio non est essentialis, sed descriptiua, nam veritas, vel falsitas non est quidditas, & essentia, sed passio propositionis, sic autem quidditatiuè propositionem definitio; *propositio est oratio perfecta enuntiatiua*, hoc est oratio generans perfectum sensum, quæ aliquid iudicat, ac prædicat vnum de alio; hinc infero male à nonnullis propositionem diuidi in propositionem apprehensiuam, quæ purè rem apprehendit, & in iudicatiuam, quæ rem prædicat, & iudicat; etenim est implicare in adiecto, dicere propositionem esse purè apprehensiuam, nam propositio formaliter includit iudicium, cum sit formalissime oratio iudicatiua; pura autem apprehensio negat iudicium, alioquin non apprehensio pura esset: sicut ergo implicat, quod cognitio sit iudicatiua, & non iudicatiua, ita implicat, quod sit propositio purè apprehensiua.

42 Hæc autem propositio diuiditur in affirmatiuam, quæ aliquid principaliter affirmat, & in negatiuam, quæ aliquid principaliter negat; rursus diuiditur etiam in veram, quæ enuntiat rem, sicuti est à parte rei, & in falsam quæ enuntiat rem aliter, ac est à parte rei, quomodo verò veritas, aut falsitas propositioni conueniat in sequentibus patefaciam.

DISPVTATIO XXXI.

In quo veritas mentalis propositionis consistat, & an illi essentialis sit.

TRIA capita continebit. In primo, diuersa aliorum placita refelluntur. In secundo, vera sententia explicatur, & defenditur. In tertio, an propositio possit transire de vera in falsam.

CAPVT I.

Diuersa aliorum placita refelluntur.

DVplex est veritas, alia in essendo, alia in repræsentando, de veritate in essendo agã in metaphysica, nunc de veritate in repræsentando, quæ conuenit propositioni disseram. Hæc autem veritas in repræsentãdo est quædam intẽtionalis adæquatio similitudo & conformitas propositionis mentalis, seu actus intellectus cum suo obiecto, nã cum quis Petro currente concipit Petrum currere, talis actus est verus quia adæquatur, assimilatur, & conformatur intentionaliter, ac repræsentatiue suo obiecto, id est, ita repræsentat obiectum sicuti obiectum ipsum est in se, repræsentat enim Petrum currere, & Petrus à parte rei currit, atq; ideo talis adæquatio, similitudo atq; conformitas actus cum obiecto, est formaliter veritas illius, ita docet expresse D. Th. 1. p. q. 16. art. 1. & 8. & 1. contra gent. c. 59. & alibi sæpè, quæ omnis ferè Theologorum schola sequitur, quærimus ergo, in quo talis veritas, ac conformitas actus, seu propositionis formaliter consistat, & an ipsi actui essentialis, an accidentalis sit. 1

Nonnulli censent veritatem formalem actus esse formaliter aliquod ens rationis, inquiũt enim huiusmodi veritatem esse ordinem, ac relationẽ conceptus ad rem ipsam vt est in se, quæ illi obiicitur, iste autem ordo, & relatio actus ad rem, quæ obiicitur non est realis, atq; ita inferunt esse ordinem, ac relationẽ rationis, ac proinde formalẽ actus veritatem in repræsentando, in tali ente, ac relatione rationis, formaliter consistere. Ita Molin. 1. p. q. 16. disp. 2. & Vasquez, t. 1. in 1. p. disp. 76. cap. 2. & alij quos ipse citat. 2

Hæc tamen sententia, si, vt verba sonant, intelligatur mihi probari non potest; Sic impugnatur 1. in hoc actu (Petrus currit) currente Petro datur formalis veritas, præcisa quauis fictione intellectus, & tamẽ secluſa intellectus fictione non inuenitur in illo ens, seu relatio rationis, ergo veritas formalis talis actus formaliter non cõsistit in ente, ac relatione rationis. Consequẽtia est euidens, minor patet, quia ens rationis est essentialiter aliquod ens fictitium, atq; ita inueniri non potest absq; intellectus fictione, maior autem sic ostenditur, ille actus præcisa quauis intellectus fictione repræsentat cursum Petri, sicuti ipse est à parte rei; ergo præcisa intellectus fictione est conformis obiecto, ergo verus, quia veritas nihil est aliud, quã conformitas actus cũ obiecto, igitur in prædicto actu datur veritas formalis præcisa quauis fictione intellectus. 2. ab æterno nullũ fuit ens, seu relatio rationis in Deo, cũ ab æterno nulla extiterit creatura à qua tale ens rationis cõfingeretur, & Deus non possit illud confingere, sicut nec considerare rem aliter, ac est in se, & tamen ab æterno cognitio, qua Deus seipsum cognoscit fuit formaliter vera, ergo formalis, veritas cognitionis non consistit formaliter in ente aut relatione rationis; Hæc tamen clara sunt, vt maiori confirmatione non egeant, quomodo autem veritas sit ordo, ac relatio actus ad obiectum ex infra dicendis constabit. 3

Alij arbitrantur veritatem formalem in repræsentando esse entitatem ipsam, ac repræsentationem actus, ac simul entitatem obiecti repræsentati, seu denomina- 4

nominatinnem extrinsecam prouenientem ab ipso obiecto sicut enim imaginem Cæsaris(inquiunt)esse veram dicit ipsam repræsentationem qua imago repræsentat talem figurã Cæsaris, ac etiam,quod Cæsar illã figuram in se habeat,ita similiter hunc actum(Petrus currit) esse verum, dicit ipsam repræsentationem, & entitatem actus, qua repræsentat Petrum currere ac etiam quod Petrus reipsa currat, ac proinde veritatem formalem dicunt ex intrinseca actus entitate, & extrinseca obiecti denominatione coalescere, ita Suarez tomo 1. metaphysicæ disp.8.sect.2.n.9.& sequentibus cui subscribunt recentiores ingeniosi afferentes pro se illud commune Aristotelis effatum, ab eo,quod res est, vel non est,dicitur propositio vera,vel falsa.

5 Hæc tamen opinio licet primo respectu plausibilis videatur,&mihi aliquando arriserit, re melius inspecta displicet,& impugnatur primo;veritas actus nostri intellectus est realis ordo ipsius actus ad obiectum,sed ordo realis non est ad seipsum, sed ad terminum à se reipsa distinctum, ergo obiectum non est formaliter ipsa veritas, sed terminus veritatis: consequentia est euidens,maior probatur,similitudo vnius cum alio est realis ordo vnius ad illud,vt docet communis schola, sed veritas actus est conformitas, & similitudo actus cum obiecto, vt ostendi num. 1. ergo veritas actus est realis ordo actus ad obiectum:minor etiam sic probatur,Paternitas in diuinis non alia ratione distinguitur à filio,vt filio reipsa,nisi quia est ordo realis ad illum, ex quo manauit illud satis tritum Theologorum pronuntiatum,in Deo omnia sunt vnum, vbi non est relationum oppositio; ergo ordo realis non potest esse ad seipsum,sed ad terminum ab illo reipsa distinctum.

6 Secundo, scientia Dei circa creaturas est formaliter vera, sicut amor Dei circa creaturas est formaliter bonus sed amor Dei, nec esse potest bonus bonitate creata,sed increata, ergo scientia Dei, nec esse potest vera veritate creata, sed increata; atqui si scientia Dei erga creaturas esset formaliter vera per denominationem extrinsecam prouenientem formaliter ab obiecto illo creato,esset saltẽ ex parte formaliter vera veritate creata,vt constat;ergo scientia Dei non est formaliter vera per denominationem extrinsecam prouenientem ab obiecto creato.Confirmatur, veritas formalis cognitionis diuinæ est formaliter perfectio Dei, sicut bonitas formalis amoris diuini est perfectio Dei formaliter,sed nulla entitas creata,est,nec potest esse formaliter perfectio Dei, cum nequeat esse formaliter in Deo,ergo veritas formalis scientiæDei circa obiectum creatum non completur formaliter per denominationem,ac entitatem creatam ipsius obiecti creati.

7 Tertio cognitio creata erga Deum est vera veritate sibi proportionata,sed veritas infinita,& increata non est illi proportionata, sed tantum veritas finita, & creata,sicut & ipsa cognitio finita & creata est, ergo cognitio creata erga Deum non est vera veritate increata & infinita, sed tantum est vera veritate finita & creata, atqui si talis cognitio vera formaliter fieret per denominationem extrinsecam prouenientem ab eius obiecto increato,& infinito, scilicet Deo, esset saltem ex parte vera veritate infinita, & increata, ergo cognitio non constituitur formaliter vera per denominationem,ac entitatem obiecti.Confirmatur,veritas formalis cognitionis diuinæ erga creaturas in se ipsa longe excellentior est, quam veritas cognitionis creatæ erga Deum, sed si veritas formalis cognitionis compleretur formaliter per entitatem obiecti, veritas illius cognitionis diuinæ non esset excellentior in seipsa quam veritas istius cognitionis creatæ: ergo veritas cognitionis non completur formaliter per entitatem obiecti:probatur minor, si veritas formalis cognitionis compleretur formaliter per entitatem obiecti,veritas cognitionis diuinæ erga creaturas, constitueretur formaliter ex aliquo creato, scilicet, ex ipsa cognitione increata, & ex eius obiecto creato; sed veritas formalis cognitionis creatæ erga Deum etiam constitueretur formaliter ex aliquo creato, & ex aliquo increato, nempe ex cognitione ipsa creata, & ex eius obiecto increato videlicet Deo;ergo si veritas cõpletur formaliter per entitatem obiecti, tam perfecta, & excellens erit veritas formalis cognitionis creatæ erga Deũ quã veritas formalis cognitionis in creatæ erga creaturas,ac per cõsequens veritas formalis cognitionis increatæ, non erit excellentior veritate cognitionis creatæ, quod quidem absurdum est; vrgeo: cognitio qua nunc cognosco fore peccatum Antichristi,actu & determinate est vera:ergo actu,& determinate est veritas in tali cognitione, & tamen actu, & determinate non est obiectum illius cognitionis, scilicet peccatum Antichristi sed erit postea in tempore futuro determinandum,ergo obiectum non constituit formaliter veritatem ipsius cognitionis, quomodo autem illud Aristotelis axioma:ab eo quod res est,dicitur propositio vera,&c.debeat intelligi infra explicabitur.

Opinantur alij veritatem formalem addere formaliter cognitioni, ordinem quendam ac formalitatẽ illi essentialem,qua cognitio repræsentat essentialiter obiectum, sicuti ipsum est in se,atque ideo vera essentialiter dicitur;itaque duplex ratio ac formalitas in actu vero inuenitur ratione nostra, alia est formalitas communis,qua hic actus v.g. (Petrus currit)currente reipsa Petro repræsentat absolute Petrum currere, in qua formalitate, actus iste verus conuenit cum alio actu falso,qui etiamPetrum currere repræsentaret:alia est formalitas particularis, qua ille actus essentialiter repræsentat Petrum currere,sicuti ipsum est in se,atq; ita conformiter ad ipsum obiectum,in qua formalitate actus verus differt essentialitet ab alio actu falso,qui essentialiter repræsentaret Petrum currere, non sicuti ipsum est in se,sed aliter ac est in se, atque ita difformiter ad ipsum obiectum;& in isto ordine ac formalitate particulari,quæ essentialis est ipsi actui, eius veritas formalis consistit, ac proinde veritas formalis actus intellectus est illi essentialis;ita plerique recentiores doctissimi. 8

Hæc tamen sententia mihi quidem non placet; sed impugnatur 1.actus quo(Petro currente)concipio Petrum currere, secundum primam illam rationem, & formalitatem communẽ, qua Petrum currere repręsẽtat,præciso quouis alio ordine, & ratione particulari, est formaliter verus;& conformis obiecto:ergo veritas formalis illius actus non consistit in illo alio ordine,& ratione particulari.Consequentia videtur euidens,antecedens sic ostendo,esse actum verum & conformem obiecto nihil est aliud quam repræsentare suum obiectum sicuti ipsum in se est,sed actus ille secundum illam rationem,& formalitatem communem,qua Petrũ currere repræsentat,præciſa quauis alia ratione,& ordine particulari repræsentat suum obiectum,sicuti ipsum in se est,nam repræsentat Petrum currere, & Petrus de facto reipsa currit: ergo actus ille secundum prædictam illam rationem,& formalitatem communẽ seclusо quouis ordine,& ratione particulari ipsi essentiali,est verus & conformis obiecto. 9

Sed aliquis forte dicat, in actu vero non esse duplicem illam formalitatem,& rationem explicatã n.8. sed per vnã eandemq; formalitatem actum illum verũ repræsentare essentialiter cursum Petri verum,& existentem, & ideo repræsentare tale obiectum sicuti est in se, & esse conformem illi essentialiter, in quo differt ab actu falso, qui solum repræsentaret cursum, Petri fictitium,& apparentem,ac chimericum,& ideo repręsentaret tale obiectum aliter ac est in se, essetque illi essentialiter difformis, & idcirco veritas formalis, ac falsitas actus intellectus est ipsi actui essentialis;sed 10

contra;ex eo præcisè quod actus intellectus repræsentet formaliter cursum Petri verum existentem,non est formaliter verus: ergo ex eo præcisè, quod ille actus essentialiter repræsentet cursum Petri verum, & existentem non est verus essentialiter. Consequentia patet,antecedens sic ostendo;actus falsus,quo Petro non currente, Iudico Petrum currere, repræsentat cursum Petri verum,& existentem,& tamen talis actus, non est formaliter verus, vt constat; ergo ex eo præcisè quod actus repræsentet formaliter cursum Petri verum,& existentem non est formaliter verus. Probatur maior:ille actus, quo, Petro non currente. Iudico Petrum curre, illũ cursum Petri formaliter repræsentat, quem prædicat de ipso Petro:se ad talis actus prædicat de Petro cursum verum, & existentem, non vero cursum fictum, ac chimericum; alioqui talis actus non esset falsus, & difformis obiecto, sed potius obiecto conformis, nam prædicaret Petrũ ficte currere,& Petrus reuera ficte curreret, cum ab intellectu in eo casu talis cursus Petri confingeretur;ac proinde talis actus, cum falsus sit,& difformis obiecto, prædicat solum de Petro cursum verum,& existentem, qui vere non datur à parte rei, ergo actus iste, quo,Petro non currente,iudico Petrum currere, repræsentat etiam cursum Petri verum,& existentem.

11 Secundo principaliter impugnatur:si actus esset essentialiter verus, & conformis obiecto, qui comprehenderet actum clare,cognosceret eius obiectum esse sicut per illum actum repræsentatur; sed qui comprehendit actum verum, non clare cognoscit eius obiectum esse reuera,sicut per illum actum repræsentatur; ergo actus non est essentialiter verus, & conformis obiecto.Consequentia tenet cum maiori,minorem autem sic probo. Ponamus quod angelus eliciat actum, quo iudicet Petrum crastino die esse peccaturum, ipse angelus, istum suum actum vere naturaliter comprehendit, sicut & alias res naturales ipsi inferiores comprehendere potest, vt docet communis schola, & tamen non cognoscit clare Petrũ crastino die peccaturũ, quod est obiectum repræsentatum per illũ actum;ergo qui comprehendit actum verum(qualẽ suppono fuisse prædictum actum, qui prædicet Petrum peccaturum) non clare cognoscit eius obiectum, sicut per talem actum repræsentatur. Probatur minor, Angelus non potest naturaliter cognoscere clare futura libera hoc enim est proprium solius Dei,iuxta illud Isaiæ 41. *Annuntiate quæ ventura sunt in futuro, & sciemus quia dij estis vos.* Sed Petrum cras esse peccaturum est aliquod futurum liberum, ergo licèt naturaliter cognoscat actum illum verum, non cognoscit clare Petrum crastino die fore peccaturum.

12 Dicat aliquis, Angelum naturaliter comprehendere actum illum, quo ipse iudicat Petrũ cras peccaturũ, non vero comprehendere illum actum quatenus verũ formaliter,& ideo non cognoscere naturaliter peccatum Petri futurum,ad hoc enim requirebatur,vt actus ille quatenus verus ab Angelo comprehenderetur.Sed contra ad hominem arguo: Angelus per se comprehendit prædictum actum; sed qui comprehendit aliquam rem,cognoscit,& comprehendit essentiam talis rei, ergo Angelus comprehendit essentiam prædicti actus, atqui non comprehendit actum vt verum, seu veritatem illius actus, vt tu fateris; ergo veritas talis actus non est de essentia ipsius actus:cogeris ergo dicere,vel Angelum futura libera naturaliter cognoscere,quod dici non potest, vel formalem veritatem cognitionis non esse ipsi cognitioni essentialem.

CAPVT III.

Vera sententia explicatur, & defenditur.

ALiorum placita confutaui;vt autem modo punctum difficultatis aperiam meamque in hac re-sententiam proferam, aliqua vt certa prius breuiter prælibanda sunt.

Præmitto primo, cognitionem claram, & euidentem rei esse essentialiter veram.Probatur:cognitio vera est illa,quæ est conformis obiecto, id est quæ cognoscit rem,sicuti ipsa in se est,vt diximus numero primo,sed cognitio clara, & euidens rei essentialiter cognoscit talem rem sicuti ipsa est in se, alioquin non esset cognitio clara, atque ita essentialiter est conformis obiecto,ergo cognitio clara,& euidens essentialiter est vera. Præmitto secundo, omnem cognitionem diuinam, etiam circa obiecta creata esse veram essentialiter.Probatur,cognitio vera est illa, quæ cognoscit obiectum, sicuti ipsum in se est; sed omnis diuina cognitio,quatenus diuina, & quatenus clara,cognoscit essentialiter obiectum sicuti ipsum est in se, infert enim necessario quod obiectum sit tale in se ipso,quale per ipsam cognitionem repræsentatur; ergo omnis cognitio diuina est vera essentialiter.Præmitto tertio, omnem cognitionem etiam obscuram supernaturalem,v.g.actum fidei diuinæ esse entialiter veram.Probatur,actus supernaturalis fidei repræsentat suum obiectũ essentialiter sicuti est reuelatu à prima veritate; sed à prima veritate non potest obiectũ reuelari nisi eo quo modo,ipsum obiectũ est in se;ergo actus fidei diuinæ essentialiter repræsentat obiectũ sicuti ipsum est in se; igitur cognitio supernaturalis fidei diuinæ est vera essentialiter. Præmitto quarto:cognitionem rei, quæ versatur circa materiam necessariam, esse essentialiter veram. Probatur, illa cognitio est vera essentialiter quæ essentialiter repræsentat rem sicuti est, hoc est, quæ essentialiter infert rẽ ita esse in se sicuti per ipsam cognitionem repræsentatur: sed cognitio circa materiam necessariam,v.g. hæc propositio(homo est rationalis)infert necessario hominem esse rationalem, sicuti per ipsam cognitionem repræsentatur; ergo talis cognitio in materia necessaria est vera essẽtialiter.Minor probatur:illa propositio, seu cognitio repræsentat essentialiter verũ hominẽ,ergo infert essentialiter esse aliquẽ hominẽ verùm, si enim,esset impossibilis verus homo,nec etiam esse posset illa cognitio, quæ verum hominem essentialiter repræsentat; atqui vt sit verus homo essentialiter requiritur, quod talis homo sit rationalis:ergo prædicta cognitio,quæ verum hominem essentialiter repræsentat,essentialiter infert,quod homo rationalis sit;ac proinde est vera essentialiter. Tota ergo controuersia deuoluitur ad cognitionem naturalem abstractiuam, non euidentem, quæ sit circa materiam contingentem; & ita inquirimus in quo nam formalis veritas talis cognitionis consistat,& an illi essentialis sit. 13

ASSERTIO I. Formalis veritas cognitionis consistit formaliter in ipsa actus entitate,ac repræsentatione,connotata etiam pure vt termino, entitate obiecti, ita reuera se habente sicut per talem cognitionem repræsentatur; quemadmodum enim realis similitudo vnius albi cum alio albo, consistit formaliter in entitate vnius albi connotata solum vt termino entitate alterius albi,cui illud album assimilatur; ita etiam intentionalis similitudo, veritas, ac conformitas cognitionis cum obiecto consistit formaliter in entitate ac repræsentatione cognitionis, connotata tantum, vt termino entitate obiecti, cui cognitio illa conformatur: ita sapientissimi recentiores philosophantur, quibus fauet Suarez tom.1.met.disp.8.sect.2.Hurtado disp.9.de anima sect.1. Arriaga disp.14. logicæ sect.1. subsect.2.conclusio. 4. Franciscus Alphonsus disp.15. de anima sect.5.num.49.Carleton,disp.44.logicæ s.1. num.4.& sect.3.n.6. 14

Hæc autem conclusio probatur: veritas formalis actus intellectus, vel consistit formaliter in quadam essentiali conformitate, & ordine cognitionis ad obiectum 15

iectum, vel in denominatione extrinſeca ab obiecto proueniente: vel in entitate, ac repræſentatione actus connotata vt termino entitate obiecti modo explicato, non enim apparet aliud in quo poſſit talis veritas conſiſtere: ſed veritas formalis actus intellectus non conſiſtit formaliter in eſſentiali conformitate & ordine cognitionis ad obiectum; nec in denominatione extrinſeca ab obiecto proueniente, vt monſtratum eſt cap. 1. ergo hæc veritas ſolum conſiſtit formaliter in entitate, ac repræſentatione actus connotata vt termino entitate obiecti ita ſe habente ſicut per cognitionem repræſentatur: Confirmatur, duplex poteſt dari ordo realis vnius ad aliud; alter eſt ordo realis quoad entitatem, quando ſcilicet aliqua res per ſuam eſſentiam, & entitatem reſpicit formaliter aliam, à qua etiã quoad ſuam eſſentiam, & entitatem dependet, quomodo actio reſpicit terminum, qui per illam agitur, alius eſt ordo ſolum quoad denominationem, quando ſcilicet aliqua res ſecundum ſuam entitatem & eſſentiam præcisè non reſpicit aliam: tali vero re poſita, & connotata, iam res illa denominatur formaliter reſpicere, & habere ordinem ad illam, à qua non pendet, quo ad ſuam entitatem, ſed ſolum quoad illam denominationem; vt album ſecundum ſuam entitatem, & eſſentiam non habet reſpicere aliud album, à quo quoad entitatem dependeat, poſito tamen, & connotato alio albo; iam album illud denominatur formaliter reſpicere iſtud, & eſſe ſimile iſti, à quo talis ordo & reſpectus ſimilitudinis non quoad entitatem, ſed ſolum quoad denominationem dependet: hoc autem modo rem aliquam ſolum quoad denominationem aliam reſpicere, & formaliter illam connotare. Quo poſito arguo ſic; veritas formalis actus conſiſtit in quodam ordine, & reſpectu reali ad obiectum ſcilicet vel in ordinem quoad entitatem, & eſſentiam, vel in ordine ſolum quoad denominationem, nam veritas eſt conformitas, & ſimilitudo actus cum obiecto: ſimilitudo autem eſt ordo realis, vt omnes fatentur; ſed veritas non conſiſtit in ordine quoad entitatem, & eſſentiam actus ad obiectum, hoc eſt, in ordine ipſi actui eſſentiali, vt oſtendi ſupra capite primo à num. 9. ergo talis veritas ſolum conſiſtit in ordine quoad denominationem ipſius actũs ad obiectum; atqui ordo actus ad obiectum ſolum quoad denominationem, eſt vt ſuperius notaui connotatio obiecti ſeu, (quod idem eſt) entitas actus, à qua connotatur entitas obiecti, cui illa conformatur; ergo veritas actus formaliter conſiſtit in entitate actus connotata vt termino entitate ipſius obiecti.

16 Sed obiiciat quis: Cum aliquis currente Petro habet cognitionem veram, qua concipit Petrum currere, etiam ſi in eo tempore Petrus non curreret, eſſet tota entitas iſtius cognitionis, quæ modo eſt: & tamen non eſſet veritas formalis talis cognitionis quæ eſt modo, quia in eo caſu cognitio non eſt vera, ſed falſa; ergo hæc veritas formalis non conſiſtit formaliter in ſola entitate cognitionis. Confirmo: quando eſt aliqua forma, eſt etiam effectus, & denominatio formalis talis formæ, quia effectus, & denominatio formalis nihil eſt aliud quam ipſa forma, quæ ſubiecto communicatur; ſed in prædicto caſu, etiam ſi Petrus non curreret, eſſet tota entitas illius cognitionis abſque eo quod talis cognitio formaliter denominaretur vera; ergo entitas talis cognitionis non eſt forma, à qua ſolum cognitio vera denominetur: ergo veritas formalis cognitionis non conſiſtit formaliter in ſola entitate talis cognitionis; vrgeo: quia entitas viſionis albedinis, & forma à qua homo denominatur videns, ſi per impoſſibile eſſet tota entitas viſionis, & non eſſet connotatũ illius, ſcilicet albedo viſa, homo etiam denominaretur videns formaliter per illam; ergo ſi ſola entitas cognitionis eſt forma, à qua ipſa cognitio denominatur formaliter vera, ſi ſit tota entitas cognitionis, etiam ſi non ſit terminus connotatus per illam, vera formaliter denominabitur: atqui etiam ſi ſit tota entitas cognitionis, qua iudico, Petrum currere, ſi tamen non ſit eius connotatum, ſcilicet ſi Petrus non currat, talis cognitio non denominabitur vera formaliter; ergo ſola entitas illius cognitionis non eſt forma, à qua cognitio ipſa denominatur formaliter vera: ergo non tantum in entitate cognitionis, ſed etiam in entitate obiecti veritas formaliter conſiſtit. Deniq; Ariſt. in prædicamentis cap. de ſubſtantia circa finem *dicit ab eo quod res eſt, vel non eſt, propoſitionem dici veram vel falſam*; ſed rem eſſe, vel non eſſe, tenet ſe ex parte obiecti, & eſt ipſa entitas obiecti; ergo entitas obiecti denominat formaliter propoſitionem, ac cognitionem veram vel falſam.

17 Reſpondeo formalem actus veritatem duo includere; aliud formaliter in recto; aliud de connotato in obliquo: in recto quidem, & formaliter includit ipſam entitatem, ac repræſentationem cognitionis, in obliquo verò & de connotato dicit entitatem termini ſeu obiecti, quæ ita ſe habet in ſe, ſicut per cognitionem illam repræſentatur; in prædicto ergo caſu quando affirmo, Petrum currere, ſi Petrus non currat, illa cognitio non erit vera formaliter, non quidem ex defectu formæ, & entitatis, quam veritas includit in recto, quia hæc eſt entitas cognitionis, quæ tunc eſſet, ſed ſolum ex defectu termini connotati in obliquo, quia ſcilicet Petrus non curreret, ſicut per cognitionem illã affirmatur, ex quo tantum fit veritatem ſecundum id, quod dicit de connotato diſtingui ab entitate cognitionis, non vero diſtingui ſecundum id, quod formaliter includit in recto; Ad confirmationem dico formam abſolutam omnino, cum eſt in ſubiecto, illud ſemper formaliter denominare, quia in denominando non pendet ab aliquo extrinſeco connotato: formam vero reſpectiuam, etiam ſi reipſa in ſubiecto ſit, aliquando non denominare illud formaliter, ſi non ſit etiam terminus extrinſecus connotatus, à quo in denominando dependet: entitas igitur cognitionis eſt forma reſpectiua denominans ipſam cognitionem veram, & conformẽ obiecto, atq; ita in hac denominatione dependet ab aliquo termino connotato, ſcilicet ab ipſo obiecto, quo ita ſe habeat in ſe, ſicut per cognitionem repræſentatur: in illo autem caſu nempe quando affirmo Petrum currere, & Petrus verè non currit, non datur, nec eſt reuera terminus connotatus, & ideo licet ſit tota forma, & entitas cognitionis non denominat cognitionem veram formaliter. Ad aliam confirmationem reſpondeo; quod entitas viſionis circa albedinem, ſi reipſa eſſet in homine, & non eſſet terminus connotatus ſcilicet albedo viſa non denominaret hominem formaliter videntem albedinem, ſolum ex defectu connotati, vt contingit in viſione Dei circa Petrum futurum: ſi enim Petrus futurus non eſſet, in Deo eſſet tota entitas viſionis Petri, quæ modo in ipſo eſt, & tamen talis non denominaret tunc Deum videntem formaliter Petrum futurum, quia non eſſet terminus connotatus, id eſt quia Petrus futurus non eſſet, idem ergo accidit in noſtro caſu, vt explicatum eſt. Ad Ariſtotelem dico, ab eo quod res eſt, vel non eſt, propoſitionem, ac cognitionem dici veram, vel falſam, ab illo (inquam) non quidem tanquam à forma, ſed ſolum tanquam à termino connotato, & eſſentialiter requiſito, vt cognitio vera, vel falſa dicatur.

18 Obiiciat præterea aliquis: veritas formalis eſt quædam perfectio actus veri quæ non eſt in actu falſo; ſed ſi hæc veritas ſolum conſiſteret formaliter in entitate actus quatenus purè affirmat obiectum, ſcilicet Petrũ currere connotata entitate obiecti, ſcilicet quod Petrus currat, talis veritas non erit perfectio actus veri, quæ non ſit in actu falſo: nam eadem met entitas illius actus

connotato quod Petrus currat, erit vera, & connotato quod Petrus non currat erit falsa; ergo veritas formalis actus non consistit solum in hac obiecti connotatione; sed in alio ordine, & formalitate essentiali ipsi actui. Respondeo, veritatem formalem actus non esse aliquam perfectionem actus veri, quæ non sit quoad entitatem etiam in actu falso, nam eadem met entitas cognitionis per varias connotationes obiecti potuit esse vera, ac etiam potuit esse falsa; esse tamen veritatem perfectionem aliquam actus veri, quæ quoad denominationem non sit in actu falso: nam actus falsus non denominatur verus, & conformis obiecto, sicut actus verus denominatur.

19 ASSERTIO II. Veritas prædictæ cognitionis formaliter, & quoad denominationem non est ipsi cognitioni essentialis, sed accidentalis, ita recentiores doctissimi cum Suarez, vbi supra, Hurtado concluſ. 2. num. 29. Arriaga concluſ. 4. Carleton supra sect. 3. S. Thomas 1. part. quæst. 14. art. 15. Probatur à priori primo: denominatio essentialis alicui cognitioni non potest abesse ab illa; sed denominatio veri potuit abesse ab hac cognitione v. g qua affirmo Petrum currere, currente Petro; quando hæc denominatio veri non est tali cognitioni essentialis. Probatur minor. Hæc propositio, ac cognitio affirmans currere Petrum reipsa esset, etiam si Petrus non curreret, & tamen tunc non denominaretur formaliter vera, sicut modo denominatur; ergo denominatio veri potuit ab esse ab illa: maior ostenditur: talis cognitio vera tantũ in se habet affirmare verũ cursum Petri, non enim includit aliam formalitatem, seu ordinẽ essentialem, quo necessario inferat, quod Petrus currat, vt ostendi supra cap. 1. num. 9. & sequentibus; sed cognitio pure affirmans verum cursum Petri non requirit essentialiter, quod Petrus currat, nam cognitio falsa licet de facto non currat Petrus affirmat verum cursum Petri, vt monstratum est num. 10. ergo prædicta cognitio affirmans currere Petrum non requirit essentialiter quod Petrus currat; atque ita reipsa esset, etiam si Petrus non curret: Probatur secundo à simili, sicut denominatio similis consistit formaliter in entitate vnius albi connotata entitate alterius albi; ita denominatio veri consistit in entitate cognitionis connotata entitate obiecti, vt probaui in prima assertione, sed quia albedo vnius albi connotata potuit deficere, denominatio similis non est essentialis, sed accidentalis alteri albo, ergo cum etiam potuerit non esse entitas obiecti à cognitione connotata, denominatio veri non erit essentialis, sed accidentalis ipsi cognitioni.

20 Objiciat aliquis primo, cognitio respiciens obiectum necessarium est essentialiter vera, ideo enim cognitio illa, qua quis concipit hominem esse rationalem, est vera essentialiter, quia respicit obiectum, seu materiam necessariam, vt præmisi supra n. 3. notab. 4. sed cognitio, qua affirmat quis Petrum currere, respicit etiam obiectum necessarium, ergo hæc etiam cognitio est vera essentialiter. Probatur minor, licet Petrum currere absolute, & simpliciter sit contingens, tamen ex suppositione quod Petrus currat, ipsum currere est necessarium, quia omne quod est, dum est, necesse est esse; sed cognitio vera, qua affirmat quis Petrum currere secundum se respicit essentialiter Petrum currere ex suppositione quod currat, ergo respicit essentialiter cursum Petri vt necessarium; ac proinde respicit obiectum necessarium.

21 Respondeo cognitionem illam, qua Petro currente affirmat quis Petrum currere, secundum se essentialiter non supponere, nec inferre, quod Petrus de facto currat, talis enim cognitio solum habet secundum se affirmare, ac repræsentare cursum Petri existentem, sicut affirmaret, & repræsentaret etiam illam cognitio falsa, vt ostensum est supra cap. 1. n. 9. & 10. cognitio autem falsa affirmans currere Petrum non supponit neque infert secundum se essentialiter, quod Petrus de facto currat, atque ita cognitio etiam vera secundum se essentialiter non supponit neque infert quod currat de facto Petrus; quapropter talis cognitio non respicit essentialiter Petrum currere ex suppositione, quod currat, ac per consequens, nec respicit illud vt obiectum necessarium; & ideo non est essentialiter vera. Illa vero cognitio, qua concipitur hominem esse rationalem; respicit essentialiter obiectum necessarium; vt constat, & etiam essentialiter supponit, & infert quod homo rationalis sit; Vt probaui num. 13. notabili 4. & idcirco est essentialiter vera.

Obiiciat secundo: actus verus, quo currente Petro 22
affirmat quis Petrum currere essentialiter secundum se differt ab actu falso, quo, Petro non currente, affirmo currere Petrum; ergo actus verus secundum se essentialiter est verus, & actus falsus secundum se essentialiter est falsus. Cõsequentia tenet. Antecedens, sic probatur; Actus verus quo affirmo Petrum currere essentialialiter repræsentat cursum Petri verum & existentem; sed actus falsus, quo affirmo currere Petrum essentialiter repræsentat, & cognoscit cursum Petri chimericum & fictitium; ergo actus verus repræsentat, & cognoscit essentialiter diuersum obiectum, ac actus falsus; ergo actus verus essẽtialiter differt ab actu falso, minor, in qua est difficultas, probatur primo: ille actus facit, & cognoscit ens fictitium, & rationis qui cognoscit rem aliter ac est; sed actus, quo Petro non currente, affirmo Petrum currere, cognoscit cursum Petri aliter, ac est; ergo talis actus cognoscit cursum Petri fictitium, & rationis. Probatur secundo: ille actus cognoscit cursum Petri, actu existentẽ, sed non cognoscit cursum Petri existentem realem, & verum, quia nullus cursus Petri realis actu existit; ergo cognoscit cursum Petri actu existentẽ fictitiũ, & rationis. Probatur tertiò, illud est ens fictitiũ & rationis quod habet aliquod esse obiectiue in intellectu quod non habet à parte rei; sed cursus Petri in nostro casu, vt objicitur illi actui intellectus, habet esse actu existẽs, quod non habet à parte rei; ergo cursus Petri vt obiicitur illi actui est ens fictitiũ & rationis; ergo talis actus solum cognoscit cursum Petri fictitium & rationis.

Respondeo actum verum, & actum falsum, quo 23
quis iudicat Petrum currere, secundum suas entitates non distingui essentialiter, quia etiam actus falsus repræsentat & cognoscit essentialiter cursum Petri verum, & existentem, non vero fictitium, & rationis vt monstraui supra cap. 1. num. 10. Ad primam vero probationem dico, ens rationis non fieri per cognitionem qua res præcisè cognoscitur aliter ac est in se, id est in esse existenti; sed solum fieri per cognitionem, qua res cognoscitur aliter ac est in se, hoc est in esse reali tam existenti, quam possibili, quippe non sufficit, vt ens rationis formaliter confingatur, quod concipiatur, res actu existere, cum reipsa non existat, si tamen possit illo modo existere, sed requiritur quod res apprehendatur existere, cum illa nec vere existat, nec vere existere possit, vt cum v. g. quis concipit hominem esse irrationalem, confingit formaliter ens rationis, quia hmoo nec est, nec esse potest irrationalis; cũ ergo in nostro casu, quando non currente Petro concipit aliquis Petrum currere, talis actus solum repræsentet cursum Petri existere, qui vere actu non existit, potest tamen actu existere; ideo actus iste non confingit ens rationis, nec cognoscit cursum Petri fictum, sed cursum verum, qui vere existere potest. Ad secundam probationem dico; illum actum quo Petro non currente concipio Petrũ currere repræsentare cursum Petri verum, & existentem, licet cursus Petri non existat vere à parte rei, nam vt aliquis actus repræsentet formaliter verum cursum existentem, solum requiritur, quod

sit

ſit in intellectu ſpecies aliqua curſus exiſtentis, & veri, vt autem ſit in intellectu ſpecies curſus veri, & exiſtentis, non deſideratur quod talis curſus veri exiſtat; ſed tantum quod poſſit exiſtere ad ſimilitudinem alterius, qui iam exiſtit de facto; ac proinde vt actus repræſentet curſum verum, & exiſtentem, non requiritur, quod actu exiſtat, ſed ſolùm quod poſſit actu exiſtere. Cum ergo in præſenti caſu Petrus poſſit actu currere, & eius curſus poſſit eſſe actu exiſtens, ideo licet actu non exiſtat, actus prædictus repræſentat curſum Petri, verum, & exiſtentem, vt etiam monſtraui ſupra capite primo numer. 10. Ad tertiam probationem dico ad ens rationis formaliter non ſufficere, quod habeat eſſe obiectiue in intellectu, quod actu non habeat à parte rei; ſed neceſſario requirit, quod habeat eſſe obiectiue in intellectu, quod nec actu habeat, nec habere poſſit à parte rei; quia ens rationis, nec à parte rei vere exiſtit, nec poteſt reuera exiſtere. Vnde cum in caſu argumenti, curſus Petri habeat in intellectu obiectiue eſſe exiſtens, quod habere poteſt à parte rei, tametſi illud de facto non habeat; ideo talis curſus Petri obiectiue in intellectu, non eſt ens fictitium, & rationis, ſed ens verum, & reale.

24 Ex dictis infero, ex eo quod Angelus comprehendat actum verum, quo affirmat aliquis eſſe peccatum Petri futurum, non ſequi, quod neceſſario cognoſcat certo, & fallibiliter ipſum Petri peccatum vt futurum. Probatur, ſi aliqua ratione Angelus comprehendens actum verum, quo cognoſcitur peccatum futurum, neceſſario, & certo cognoſceret peccatum ipſum futurum, maxime, quia comprehendendo illum actum, cognoſceret neceſſario illum vt verum, & actus, vt verus habet neceſſariam connexionem cum illo peccato vt futuro, ſed Angelus illum actum comprehendens non neceſſario cognoſcit illum vt verum, ergo non ſequitur, quod cognoſcat peccatum Petri, vt futurum; minor probatur, qui comprehendit rem non neceſſario cognoſcit denominationes, accidentales, quæ per ſe non ſunt connexæ cum illa, hoc enim ad rationem comprehenſionis non requiritur, vt nunc ſuppono, ſed eſſe verum eſt denominatio accidentalis actui, nec per ſe connexa cum illo, vt ſupra monſtratum eſt, ergo qui comprehendit prædictum actum non neceſſario cognoſcit certo, & infallibiliter talem actum vt verum.

CAPVT III.

An propoſitio poſſit tranſire de vera in falſam.

25 IN eorum ſententia, qui docent veritatem eſſe propoſitioni, ac cognitioni eſſentialem, euidens, eſt cognitionem non poſſe de vera in falſam mutari, quia quod eſt de eſſentia rei non poteſt abeſſe à tali re. Vnde nos, qui ſuperius cap. 2. n. 13. aſſeruimus cognitionem claram, & euidentem, & cognitionem increatam, & cognitionem etiam obſcuram ſupernaturalem ac denique cognitionem circa obiectum neceſſarium eſſe eſſentialiter veras, tenemur etiam fateri nullam ex prædictis cognitionibus poſſe de vera in falſam tranſire; ſolum itaque deuoluitur controuerſia ad cognitionem naturalem ineuidentem verſantem circa obiectum contingens, cui veritas accidentalis eſt, vt ſupra opinati ſumus. Hac ergo ſuppoſita opinione quærimus, an hæc propoſitio, ſiue cognitio poſſit de vera in falſam mutari.

26 Multi partem affirmatiuam ſectantur aſſerentes eandemmet propoſitionem, ac cognitionem, quæ modo eſt vera, propter ſolam extrinſecam mutationem poſſe reddi falſam; cognitio, v.g. qua ego, currente Petro, affirmo Petrum currere eſt vera; & ſi poſtea ego in eademmet cognitione perſiſtam, & Petrus iam non currat, talis propoſitio erit falſa, ita Suarez tom. 1. met. diſp. 8. ſ. 2. n. 10. & alij ſapientiſſimi recentiores.

ASSERTIO tamen ſit: propoſitio, ſeu cognitio circa obiectum contingens non poteſt de vera in falſam mutari. 27

Ita quidem nobiles neoterici opinantur Petrus Hurtado, diſp. 9. de anima ſect. 4. Arriaga diſp. 14. Logicæ ſect. 2. Franciſcus Alphonſus diſp. 15. de anima ſect. 6. Carleton, ſupra ſect. 6. Probatur aperte; cum manet cognitio, & eſt vere eius obiectum eo modo, quo per ipſam cognitionem repræſentatur, talis cognitio eſt vera: ſed cognitio, v.g. qua Petro currente, affirmat quis Petrum currere, ſi poſtea permaneat, licet iam Petrus non currat, ſemper eſt vere eius obiectum eo modo, quo per talem cognitionem repræſentatur; ergo ſemper talis cognitio manet vera; ac proinde nunquam poteſt mutari in falſam. Conſequentia eſt euidens. Maior patet, quia eſſe cognitionem veram, eſt eſſe conformem ſuo obiecto: ſed eſſe conformem obiecto, eſt obiectum ita eſſe ſicut per ipſam cognitionem repræſentatur; ergo ſi manet cognitio, & eſt vere eius obiectum, eo modo quo repræſentatur per illam, talis cognitio manet vera. Minor autem ſic oſtenditur; cognitio, qua hoc in inſtanti A. affirmat quis Petrum currere, ipſo currente Petro, ſolum repræſentat eſſentialiter, quod curſus Petri ſit in inſtanti A. atque ita ſi eademmet cognitio in ſecundo, & tertio inſtanti, quando iam Petrus non curret perſeueret, hoc idem debet repræſentare, ſcilicet, quod curſus Petri ſit in inſtanti A. atqui in ſecundo, & tertio inſtanti etiam ſi Petrus iam non currat, eſt verum, quod curſus Petri fuerit in inſtanti A. ergo ſi cognitio illa maneat in ſecundo, & tertio inſtanti, etiam ſi Petrus iam non currat, erit vere eius obiectum eo modo, quo per ipſam cognitionem repræſentatur.

Confirmo, ponamus, gratia claritatis, tria inſtantia primum, ſecundum, & tertium, & quod in illis omnibus hæc cognitio (Petrus currit) exiſtat, & perſeueret, & quod Petrus ſolum in primo inſtanti currat, in ſecundo vero, & tertio inſtanti non currat: Hoc poſito arguo ſic: vel illa cognitio repræſentat ſolum, quod Petri curſus ſit in primo inſtanti, & tunc ſemper erit vera, cum ſemper verum ſit, quod Petri curſus ſit, vel fuerit in illo primo inſtanti, in quo ſupponimus Petrum currere; vel repræſentat, quod Petri curſus ſit in omnibus illis tribus inſtantibus, & tunc cognitio ſemper erit falſa, quia ſemper eſt falſum, quod curſus Petri ſit, fuerit, vel futurum ſit, in illis tribus inſtantibus, cum ſupponamus Petrum ſolum in primo inſtanti currere, in aliis vero non currere; vel repræſentat, quod Petri curſus ſit in aliquo inſtanti ex illis; & tunc ſemper cognitio erit vera, nam ſemper erit verum quod Petri curſus fuerit in aliquo inſtanti ex illis, cum ſupponamus Petrum currere in primo inſtanti; igitur quodcunque illa cognitio repræſentat, vel ſemper eſt vera, vel ſemper eſt falſa; ac proinde tranſire non poteſt de vera in falſam. 28

Vrgeo, ſi aliqua ratione prædicta cognitio, quæ in primo inſtanti fuit vera, in ſecundo, inſtanti perſeuerans eſſet falſa, maximè quia in ſecundo inſtanti non repræſentaret, quod curſus Petri fuerit in primo inſtanti in quo vere fuit; ſed ſolum repræſentaret, quod curſus Petri eſſet in illo ſecundo inſtanti in quo iam Petrus non currebat. Sed talis cognitio in ſecundo, inſtanti perſeuerans non repræſentat, quod curſus Petri ſit in illo ſecundo inſtanti; ſed ſolum quod in primo inſtanti fuerit; ergo talis cognitio quæ in primo inſtanti fuit vera, in ſecundo perſeuerans non eſt falſa: conſequentia eſt euidens; Maior admittitur ab Aduerſariis, & conſtat clare ex dictis n. 27. Minorē autem ſic probo; repræſentatio obiecti eſt eſſentialis cognitioni, quia cognitio per ſeipſam eſſentialiter ſuum obiectum 29

repræſen

repræsentat, ergo non potest mutari repræsentatio formalis obiecti, quin ipsa etiam cognitio essentialiter mutetur, & eadem essentialiter non permaneat: ergo si in secundo instanti perseuerat eadēmet cognitio, quæ in primo instanti fuit, necessum omnino est, quod idēmet in secundo instanti repręsentet, quod in primo instanti repræsentabat, atqui prædicta cognitio in primo instanti solum repræsentabat, quod cursus Petri sit in illo primo instanti; ergo in secundo instanti talis cognitio solum etiā essentialiter repræsentat, quod cursus Petri fuerit, in illo primo instāti, non vero in secundo.

30 Dicat quis cum Suarez vbi supra dicto n. 10. prædictam propositionem non repræsentare Petrum currere in aliquo instanti, vel tempore determinato, sed solum repræsentare, quod Petrus currat, in eo instanti in quo ipsa sit, vel fuerit indeterminatè. Vnde sicut hæc cognitio, ac propositio. (homo currit) quādo currit Petrus, supponit pro Petro, & quādo solum currit Paulus, supponit pro Paulo, quia hominem indeterminate repræsentat; sic similiter hæc cognitio, seu propositio (Petrus currit) quando est in instanti A. supponit pro instanti A. & si in illo Petrus currat, est vera, & quando est in instanti B. supponit pro instanti B. & si in illo Petrus non currat est falsa, quia solum repræsentat instans in quo ipsa sit indeterminatè, ac proinde bene intelligitur, quod propositio mutetur de vera in falsā.

31 Sed impugnatur: talis cognitio repræsentat Petrum currere in instanti, in quo ipsa est, vt aduersarij admittunt: sed instans in quo cognitio de facto est, non est indeterminatum, sed omnino determinatum, vt constat; ergo talis cognitio repræsentat Petrum currere, in instanti aliquo determinato, ac proinde, vel semper erit vera, vel semper erit falsa, vt supra ostendimus. Confirmatur: talis cognitio in illis tribus instantibus perseuerans, vel repræsentat Petrum currere in omni illo instanti, in quo ipsa sit; vel repræsentat Petrum currere in aliquo solum instanti, in quo ipsa sit vage, & indefinitè; vel repræsentat Petrum currere in aliquo instanti determinato in quo ipsa sit; v.g. in primo instanti A. non enim apparet alius modus, quo possit cursus Petri repræsentare. Si primum dicas, repræsentare, scilicet Petrum currere in omni instanti, in quo ipsa cognitio sit, semper erit falsa, cum illa cognitio sit in tribus instantibus, & Petrus in omnibus illis non currat, vt iam supposuimus. Si secundum asseras, nempe repræsentare Petrum currere, pro aliquo instanti ex illis indefinitè, & vage, semper talis cognitio erit vera, nam semper erit verū, quod Petrus cucurrerit in aliquo instanti indefinitè, cum supponamus Petrum currere in primo instanti; quemadmodum semper est vera hæc indefinita: (homo currit) ex eo præcisè quod vnus homo, scilicet Petrus currat. Si tertium affirmes, videlicet repræsentare Petrum currere in aliquo instanti determinato, v.g. in primo instanti A. semper talis propositio erit vera, vt supra à n. 27. ostensum est, igitur quocunque modo talis cognitio suum obiectum repræsentet, vel semper est vera, vel semper est falsa: ergo transire non potest de vera in falsam; Dicat nunc aliquis, cognitionem, qua quis dicit Ioannem currere nunc in hoc instanti A. enunciare cursum Ioannis esse in instanti A. & instans A. coëxistere ipsi cognitioni; cum autem instans A. quando primo elicitur cognitio, coëxistat illi, secus vero quando cognitio illa postea conseruatur; ideo talis cognitio quando primo elicitur est vera; & eadem quando postea conseruatur, redditur falsa: sed contra; vel illa cognitio, (Ioānes currit nunc in hoc instanti A.) enunciat instans. A. coëxistere ipsi cognitioni, quandocumque ipsa sit, vel solum dicit coëxistere tali cognitioni, quando illa primo profertur, vel elicitur: si primum dicas, semper illa cognitio est falsa, vt pote semper suo obiecto difformis: si autem secundum asseras, semper illa cognitio est vera, vtpote suo obiecto conformis: ergo talis cognitio, vel semper est vera, vel semper est falsa, ac proinde nulla via transire potest eadem de vera in falsam.

Obiiciat aliquis 1. Arist. in prædicamentis cap. de substantia, vbi docere videtur eamdem propositionem posse de vera in falsam mutari. Respondeo cum quibusdam Neotericis ingeniosis, Aristotelē non ex propria, sed ex aliorum sententia id pronuntiasse, cum enim ibi traderet esse proprium substantiæ esse susceptiuam contrariorum, ipse sibi obiicit, quod aliquis forsan dicat posse eandem cognitionem, licèt substantia non sit, modo esse veram, modo falsam, ac proinde contrarias veluti formas recipere; hoc autem non docet, nec admittit Aristoteles, sed omittit, & ad obiectionem respondet, licet gratis detur cognitionem posse esse modo veram, modo falsam, non sequi posse contraria recipere, quia id non accidit ex eo, quod cognitio contrarias formas recipiat, sed quia obiectum, quod ipsa connotat variatur; ac proinde soli substantiæ competere esse propriè contrariorum susceptiuam. Ecce Aristoteles solum ex aliorum sententia dicit propositionem mutari de vera in falsam, non vero ex propria senrentia. 32

Obiiciat secundo Diuum Thomam 1.p.q.14.art.15. ad 3. vbi cum quorumdam opinionem impugnaret, ex illa tanquam absurdum deducit, quod propositio, quæ semel esset vera, semper esset vera, ergo sentit D. Thomas propositionem, quæ semel est vera, non semper veram esse, sed posse mutari in falsam. Respondeo D. Thomam nihil tunc ex propria sententia definire; sed tantum dicit ex illa sententia sequi, quod propositio, quæ *semel est vera, semper sit vera, quod est contra Philosophum.* Postea vero ad finem ex propria sententia docet, cognitionem nostram variari secundum veritatem, & falsitatem, si, mutata re, eandem opinionem de re illa retineamus; eandem autem opinionem de re, quæ mutatur retinemus etiam per distinctas cognitiones: v.g. quando in instanti, in quo Petrus currit habeo cognitionem veram qua affirmo Petrum currere, & in instanti sequenti, in quo Petrus iam non currit, habeo aliam cognitionem falsam, qua affirmo Petrum currere; tunc in vtroque instanti habeo eandem opinionem de cursu Petri, & tamen non habeo eandem, sed diuersas cognitiones, aliam veram, & alteram falsam, atque ita secundum D. Thomam, cognitio mutari potest secundum veritatem, & falsitatem, non quidem, quia vna simplex propositio mutetur de vera in falsam, sed quia manente eadem opinione circa idemmet obiectum, vna cognitio vera, quasi conuertitur, & mutatur, in aliam cognitionem falsam, quod non negamus. 33

Obiicies tertio ratione; cum per duo instantia aliud in quo Petrus currit, aliud in quo non currit, conseruat quis cognitionem, qua ipse affirmat Petrum currere, talis cognitio in primo instanti est vera, & in secundo est falsa, ergo propositio, seu cognitio potest transire de vera in falsam; probo antecedens, quando mutatur obiectum, cognitio quę antea erat conformis illi non potest manere illi conformis, sed si manet erit illi difformis; eadē enim cognitio non potest esse cōformis rebus oppositis; sed in nostro casu in secundo instanti non currit; ergo cognitio affirmans Petrum currere, quæ in primo instanti erat obiecto conformis, si manet in secundo instanti non erit conformis, sed difformis obiecto; atqui esse cognitionem conformem obiecto, est esse veram, & esse illi difformem est esse falsam, ergo illa cognitio in primo instanti est vera, & in secundo instanti est falsa. Confirmatur, eadem propositio vocalis manens in vtroque instanti, est in primo vera, & in secundo falsa, ac proinde de vera in falsam mutatur; ergo idem est dicendum de propositione mentali. 34

Respondeo

35 Respondeo,in casu argumenti , scilicet si Petrus in primo instanti currit , in secundo non currit mutari obiectum illius cognitionis in esse physico , non vero mutari in esse obiectiuo , semper enim eodem modo manet id,quod repræsentatur per talem cognitionem, quatenus illi obiicitur , & per illam repræsentatur, nam cognitio illa semper repræsentat,quod Petri cursus fuerit in eo primo instanti,& cum semper (etiam si Petrus in secundo instanti non currat (sit verum quod cursus Petri fuerit in eo primo instanti ; ideo semper manet obiectum illius cognitionis inuariatum in esse obiectiuo ; id est quatenus per talem cognitionem repræsentatur; ac proinde talis cognitio semper est conformis obiecto , & vera. Ad confirmationem respondeo idem dicẽdum esse de propositione vocali , quod dicitur de mentali , si enim in prædicto casu propositio vocalis , quæ fuit in primo instanti, maneat etiam in secundo instanti significare idemmet,quod significauit in primo,videlicet, quod cursus Petri fuerit in illo primo instanti, & cum hoc semper sit verum,talis propositio vocalis semper in primo , & secundo instanti erit vera. Si vero propositio vocalis existens in primo instanti significaret Petrum currere, in eo primo instanti , & existens in secundo instanti significaret Petrum currere,non in primo sed in eo secundo instanti,non esset in vtroque instanti vna propositio vocalis; sed duæ diuersæ vocales propositiones, cum diuersas significationes haberent , atque ita prima propositio vocalis esset vera , & secunda falsa; quod de propositionibus mentalibus fatendum est.

36 Sed insurgat aliquis:cognitio , seu propositio mentalis,quæ semel est de præsenti,semper est de præsenti, nec potest fieri de præterito , nec de futuro , nisi talis cognitio varietur; sed cognitio , qua in primo instanti affirmo Petrum currere,est propositio de præsenti ; ergo talis cognitio permanens, & existens eadem inuariata in secundo instanti, erit etiam propositio non de præterito,sed de præsenti; atqui si talis cognitio in secundo instanti repræsentaret quod Petrus cucurrerit, in illo primo instanti præterito non esset propositio de præsenti , sed de præterito; ergo talis cognitio existens in secundo instanti solum affirmat Petrum currere in eo secundo instanti , ac proinde cum Petrus in primo instanti currat,& in eo secundo non currat (vt supponimus) illa cognitio in primo instanti erit vera,& in secundo falsa.

37 Respondeo eandemmet cognitionem essentialiter inuariatam posse esse modò de futuro,modò de præterito , quia hoc illi tantum per accidens conuenit per denominationem extrinsecam ab aliquo instanti extrinseco ipsi prouenientem.Pro cuius declaratione aduerto esse cognitionem de præsenti nihil esse aliud, quam quod instans pro quo illa propositio,seu cognitio aliquid enunciat sit præsens:& esse cognitionem illam de præterito nihil aliud esse quam, quod instans pro quo illa cognitio aliquid enuntiat,sit præteritum, & esse cognitionem de futuro nihil est aliquid, quam quod instans pro quo talis cognitio aliquid enuntiat, sit futurum. Cognitio autem qua v.g.affirmo Petrum currere in instanti A. per se,& essentialiter solum habet repræsentare , & enuntiare cursum Petri esse in eo instanti A. quod vero tale instans A. pro quo cursum Petri enuntiat,sit præsens, præteritum , vel futurum, ipsa cognitio per se non currit , sed omnino abstrahit ab illo , idque per accidens conuenit ipsi:ac proinde etiam per accidens tali cognitioni conuenit esse propositionem de præsenti,præterito, vel futuro;vnde in casu argumenti cognitio illa , qua affirmo Petrum currere in instanti A in primo , instanti est propositio de præsenti , quia tunc est præsens instans A. pro quo cursum Petri enuntiat,& ab illo extrinseco,& per accidens cognitio illa denominatur propositio de præsenti , & eadem met cognitio in secundo instanti , est propositio de præterito , quia tunc instans A. pro quo cursum Petri enuntiat , iam est præteritum , & ab illo extrinseco , & per accidens illa cognitio denominatur propositio de præterito,semper tamen est vera,vt constat ex dictis.

38 Verum vrgeat:ponamus,quod currente Petro in instanti A. habeam ego cognitionem qua affirmem Petrum currere in eo instanti A. & tale instans A. esse præsens:hæc cognitio existens in primo instanti A.est vera,quia tunc vere Petrus currit , & instans A. est præsens vt supponimus , & tamen eadem propositio, seu cognitio manens in secundo instanti est falsa,quia tunc instans A.in quo Petrus currit, iam non est præsens, ergo cognitio vera mutatur in falsam. Respondeo prædictam cognitionem , seu propositionem solum repræsentare quod Petrus currat in instanti A. & quod instans A. sit præsens non semper , sed tunc solum; quando elicita , vel prolata est propositio ; in secundo autem instanti est etiam verum , quod Petrus currit in eo instanti A. & quod tale instans A. fuerit præsens, tunc quando primum propositio , seu cognitio elicita,seu prolata fuit, atque ita etiam in secundo instanti est illa propositio,seu cognitio conformis obiecto,& vera,non ergo transit de vera in falsam.

Hic suboritur difficultas, an visio intuitiua alicuius obiecti possit variato obiecto manere cum eadem veritate,quam antea habebat?Non est sermo de visione, quæ fit per speciem dependentem à præsentia obiecti qualis est visio sensitiua, hæc enim destructo obiecto perit,quia perit species à qua ipsa dependebat , atque ita non potest naturaliter manere variato obiecto;igitur solum est quæstio de visione quæ non fit per speciem dependentem à præsentia obiecti , qualis est visio increata,vel Angelica,de hac inquirimus,an possit cum eadem veritate mutato obiecto manere.

39 Arbitror manere posse eandem visionem intuitiuam obiecti cum eadem veritate,quam habebat antea, etiam si obiectum destruatur , vel varietur. Probatur clare ex dictis. Quando manet obiectum idem in ratione obiecti, hoc est eo modo , quo per cognitionem repræsentatur,manere potest cognitio cum eadem veritate , quam antea habebat , sed cum visio intuitiua increata, vel Angelica videt intuitiuè Petrum currere in instanti A. etiam si tale instãs sit transactũ,& Petrus iam non currat, manet idem obiectum in ratione obiecti,id est manet verum,quod Petrus cucurrerit in eo instanti A. sicut per illam visionem intuitiuam repræsentatur, ergo etiam si transactum sit tale instans, & Petrus iam non currat potest manere visio illa intuitiua cum eadem veritate, quam antea habebat.Cõfirmatur.Ante instans A. in quo Petrus currit , fuit in Deo visio intuitiua , qua videt Petrum currere in instanti A. etiam si tunc ante tale instans Petrus non cucurrisset , ergo post transactum illud instans A. erit etiam in ipso Deo visio intuitiua , qua videt Petrum currere in instanti A. licet tunc post tale instans iam Petrus non currat.Antecedens est certum , quia omnis visio , quam Deus in tempore habet , habuit etiam ab æterno. Consequentiam sic ostendo. Ideo ante instans A. est in Deo visio intuitiua , qua vere cognoscit , & videt Petrum currere in eo instanti A. quia tunc est verum,quod Petrus currit in instanti A. quod per talem visionem repræsentatur ; sed similiter post transactum instans A.etiam si Petrus iam currat,est verum quod per talem visionem repræsentatur; ergo etiam si Petrus non currat manet prædicta visio intuitiua in Deo,ac proinde variato physice obiecto manere potest visio vera, sicut antea erat.

40 Ex dictis etiam infero,Iudæum qui in instanti proximo antequam Christus nasceretur , haberet actum fidei diuinæ,quo crederet,& affirmaret, Christum esse nasciturum,

nasciturum, posse in eodemmet actu fidei diuinæ perseuerare, etiam post Christum natum. Ratio est, quia Christo iam nato obiectum illius actus fidei diuinæ maneret idem in ratione obiecti; ergo etiam posset idemmet actus fidei diuinæ perseuerare post Christum natum; Consequentia est euidens, antecedens declaratur, & ostenditur; ille actus fidei diuinæ solum credit, & habet pro obiecto, quod à Deo reuelatum est; sed non erat à Deo reuelatum, quod Christus esset nasciturus post illud instans, in quo ille actus fidei eliciebatur à Iudeo; sed quod esset nasciturus post ipsum instans, in quo talis reuelatio facta fuit; ergo ille actus fidei diuinæ elicitus à Iudeo solum credebat, & habebat pro obiecto, quod Christus esset nasciturus post illud instans, in quo hoc mysterium reuelatum est; atqui etiam post Christum natum verum est quod Christus sit nasciturus, post illud instans, in quo tale mysterium reuelatum est, & facta solum comparatione ad illud; ergo etiam post Christum natum manet idem obiectum in ratione obiecti, quia per talem actum fidei repræsentatur, & ita idem actus fidei manere potest; & id genus alia plura ex præiacto fundamento possunt inferri, quæ similem debent habere decisionem.

DISPVTATIO XXXII.

An veritas vel falsitas omni & soli, propositioni conueniat.

TRIA capita continebit. In primo inquiro, an in sola propositione an etiam in simplici apprehẽsione veritas, aut falsitas reperiatur? In secundo, an propositio de futuro contingenti absoluto sit determinatè vera, vel determinatè falsa? In tertio, an propositio de futuro contingenti conditionato determinatam veritatem, aut falsitatem contineat.

CAPVT I.

An in sola propositione? an etiam in simplici apprehensione veritas, vel falsitas reperiatur.

1 DVplex est nostri intellectus cognitio, alia est simplex apprehensio, quæ res purè repræsentat, illis non assentiendo, nec dissentiendo formaliter; alia est iudicium, quod rem formaliter repræsentat, affirmando, aut negando, & quasi ferendo sententiam supra ipsam; quæ quidem cognitio mentis appellatur mentalis propositio. Apud omnes certum, iudicio, ac propositioni mentali determinatam veritatem, aut falsitatem competere saltem quando rem præteritam, siue præsentem enuntiat. Modo tamen dubio vertitur, an etiam simplex apprehensio aliquam in se veritatem, aut falsitatem includat.

2 Tres adinuenio sententias, Prima sententia est simplicem apprehensionem non esse veram, nec falsam, sed veritatem, aut falsitatem in sola compositione, ac diuisione, hoc est in solo iudicio, ac propositione inueniri; Ita Caiet. Herueus, & Durandus relati à Suarez disp. 8. met. sect. 3. Vasquez in 1. part. disp 75. capite 2. Anselmus opusc. de veritate cap. 6. D. Thom. hoc loco lect. 3. 1. part. qu. 16. art. 2. & 1. contra gentes, cap. 59. Albertus Magnus lib. 2. de anima. Fonseca 4. met. c. 2. quæst. 6. Arist. in præsenti cap. 2. & 9. met. text. 22. Vallius lib. 1. periher. q. 3. c. 4. Conimbr. in cap. 1. de signis quæst. 5. art. 4. Secunda sententia est simplicem apprehensionem esse veram, nunquam vero posse reperiri falsam, atque ita falsitatem soli propositioni competere veritatem autem etiam simplici apprehensioni conuenire. Ita Suarez sup. num. 7. & sect. 4. n. 4. & disp. 9. sect. 1. n. 14. primo met. disp. 8. sect. 3. Conimbr. cap. 1. de signis quæst. 5, art. 2. Hurtado disp. 9. de anima sect. 2. num. 7. Arriaga disp. 14. Logicæ sect. 4. Franciscus Alphonsus disp. 15. de anima sect. 4 n. 36. Carlet. disp. 44. sect. 2. Molina 1. part. quæst. 16. disp. 1. §. dubium est. Fonseca 4. met. cap. 2. quæst. 6. sect. 4. Arist. D. Thomas Ferrara, Albertus Magnus, Augustinus 15. de Trinitate Soncinas, Caiet. & plures relati Conimbr. supra art. 1. Tertia sententia est simplicem apprehensionem posse esse veram, & falsam; Ita Arist. 2 de anima cap. 6. D. Thom. 3. de anima, lect. 6. D. Aug. lib. 2. soliloquiorum cap. 6. relatus à D. Thoma. 1. part. quæst. 17. & à Conimbr. sup. art. 4. argumento 3. pro 4. sententia, & plures recentiores non indocti.

Præmitto 1. pro dubij decisione veritatem esse conformitatem actus cum obiecto, & falsitatem esse difformitatem actus cum obiecto, tunc enim est cognitio vera quando est suo obiecto adæquata, & conformis, tunc vero est falsa, quando non est suo obiecto adæquata, sed difformis, vt supra præcedenti disp ca. 1. in principio prælibauimus. Præmitto secundo, duplicem esse veritatem; aliam incomplexam, aliam complexam: veritas incomplexa est, qua cognitio incomplexa, id est cognitio repræsentans obiectum aliquod incomplexum, nempe, vel solum obiectum, vel solum prædicatum conformatur cum suo obiecto incomplexo; veritas complexa est, qua cognitio complexa, hoc est cognitio repræsentans aliquid complexum, nimirum copulam, & vnionem prædicati cum subiecto conformatur, & adæquatur cum suo obiecto complexo. Præmitto tertio, veritatem complexam esse etiam in duplici differentia, alia est enim veritas complexa, inchoatiue, & imperfectè, alia est veritas complexa, completè, & perfectè. Veritas complexa inchoatiuè, & imperfectè est illa, qua cognitio aliqua complexa conformatur cum suo obiecto complexo, illud repræsentando formaliter vt in se est, non tamẽ assentiendo, nec dissentiendo illi. Veritas complexa completè, & perfectè est illa, qua cognitio complexa conformatur, & adæquatur cum suo obiecto complexo, non solum illud repræsentando, sed etiam iudicando, scilicet assentiendo, vel dissentiendo illi. 3

ASSERTIO I. sit, simplex apprehensio incomplexa habet incomplexam veritatem, nullam vero falsitatem habere potest. Ita Auctores secundæ sententiæ, & est ipsa mens Arist. 3. de anima cap. 6. vbi ait, *intellectum aliquid*, (scilicet incomplexum) *simpliciter apprehendentem esse verum, in indiuisibili autem mentis conceptione; hoc est simplici apprehensione incomplexa, falsitatem non esse*, & idem tenet D. Tho. ibidem lect. 11. Arist. 9. met. c. 7. & 3. de anima c. 6. D. Th. locis supra citatis. Ferrara, Capreol. Ægidius, Vallius Arriaga supra subsect. 4. Hurtado disp. 9. de anima sect. 3. Probatur vt ibi; Prior assertionis pars, scilicet simplicem apprehensionem incomplexam esse verã incomplexè sic ostenditur; illa cognitio habet veritatem incomplexam, quæ est adæquata, & conformis cum suo obiecto incomplexo, sed simplex apprehensio incomplexa illa v. g. qua apprehendo hominem, est conformis, & adæquata cum suo obiecto incomplexo, ergo habet in se veritatem incomplexam. Minor probatur, tunc cognitio est conformis, & adæquata cum suo obiecto, quãdo repræsentat, id quod verè est in tali obiecto, sed simplex apprehensio hominis repræsentat naturam hominis, quæ verè est in suo obiecto incomplexo, scilicet in ipso homine; ergo talis apprehensio est adæquata, & conformis cum suo obiecto incomplexo. Posterior pars assertionis, videlicet simplicem apprehensionem incomplexam nunquam esse falsam, sic probatur: cognitio vt sit falsa debet esse 4

non

non conformis, ſed difformis obiecto, quod repræſentat ſed ſimplex apprehenſio incõplexa sẽper eſt conformis, & nõ difformis obiecto, quod repræſentat; ergo ſemper eſt vera, & nunquã falſa: probo minorẽ, ſi aliqua apprehenſio incõplexa eſſet difformis obiecto repræſentato, maxime illa, qua ego intẽdens aliquã rem cõcipere, aliã diuersã concipio v.g. intendens apprehendere verũ aurũ aurichalcum apprehendo; atqui hæc etiam apprehenſio incõplexa non eſt difformis, ſed conformis cũ obiecto, quod repræſentat, nã talis apprehenſio ex ſe non repręſentat aurum, ſed tantum aurichalcũ, aurichalcum autẽ vere datur ſicut per ipſam repræſentatur, atq; ita apprehẽſio iſta eſt conformis cũ obiecto repræſentato per illã; ergo ſimplex apprehenſio incõplexa ſemper eſt conformis, & nunquam difformis obiecto, quod repræſentat.

5 Obiiciat aliquis primo, ſi ſimplex apprehenſio incomplexa eſt vera, etiam vox ſimplex, & incõplexa, quæ illi correſpõdet eſſet vera; ſed talis vox nõ eſt vera, nõ enim agnoſcimus veritatẽ in vocibus, quovſq; propoſitionẽ conficiant; ergo nec etiã ſimplex apprehenſio incõplexa erit vera: ſecundo, ideo apprehenſio, v.g. aurichalci eſt vera, quia cõparata ad aurichalcũ eſt ſimilis, & conformis illi, ſed etiam comparata ad verum aurum eſt illi diſſimilis, & difformis; ergo etiam talis apprehenſio eſt falſa; atq; ita erit ſimul vera, & falſa, quod eſt ridiculum: tertio, contrariorum idem eſt commune ſubiectum, ſed veritas, & falſitas ſunt cõtraria; ergo habere debent idem commune ſubiectum; hoc eſt cognitio, quæ poſſet eſſe vera, poterit etiam eſſe falſa, ergo ſimplex apprehenſio incomplexa, ſi poteſt eſſe vera, etiam poterit eſſe falſa.

6 Reſp. ad primum, etiam vocem ſimplicẽ incomplexã eſſe veram veritate incomplexa, quia eſt in ſignificãdo, conformis cum ſuo ſignificato incomplexo, vt in ſimili de apprehenſione dictũ eſt. Ad 2. dico falſitatẽ aut veritatẽ eſſe difformitatẽ, aut conformitatẽ actus cum ſuo obiecto, hoc eſt cum re quã repræſentat non vero cum re quã non repræſentat verũ aurum, ſed tantũ aurichalcũ, atq; ita cũ talis apprehẽſio non ſit difformis, ſed omnino cõformis cũ aurichalco, non erit falſa, ſed omnino vera, tametſi difformis ſit cũ vero auro, nihil enim interẽſt cũ hoc nõ ſit obiectũ repræſentatũ per illã. Ad 3. Reſp. veritatẽ complexã, & falſitatem cõplexam eſſe contraria, quia poſſibilis etiam eſt falſitas cõplexa; & ideo cognitio cõplexa poteſt eſſe vera, & poteſt eſſe falſa; veritatẽ autem incõplexam non habere contrariũ, quia impoſſibilis eſt falſitas incõplexa, vt oſtenſum eſt, & ita apprehenſio incomplexa poteſt eſſe vera, & non falſa.

7 Assert. II. ſit: ſimplex apprehẽſio cõplexa poteſt cõplexã veritatẽ, & falſitatẽ habere inchoatiuè, & imperfectè, & ſecundũ quid, ita auctores tertiæ ſentẽtiæ inter illos Apollinaris; prima pars ſcil. poſſe habere veritatem cõplexam inchoatiuè, ſic oſtenditur: illa cognitio habet veritatem complexam, quæ eſt conformis cum ſuo obiecto complexo, iuxta dicta ſup. num. 3. not. 2. ſed apprehenſio cõplexa, v.g. illa, qua quis ſimpliciter apprehendit hominem eſſe rationalẽ eſt conformis cum ſuo obiecto cõplexo, nã homo vere eſt rationalis ſicut per talẽ apprehenſionẽ repræſentatur; ergo ſimplex apprehenſio complexa habet ſaltem inchoatiuè veritatem complexam: 2. pars concluſionis, videlicet, etiam ſimplicem apprehenſionem complexam poſſe falſitatem habere ſic oſtenditur; illa cognitio eſt falſa, quæ eſt, difformis ſuo obiecto, ſed ſimplex apprehenſio complexa, v.g. illa qua aliquis apprehendit equum eſſe rationalem, eſt difformis ſuo obiecto, equus enim non eſt rationalis, ſicut per illam apprehenſionem repræſentatur, ergo ſimplex apprehenſio complexa etiam poteſt eſſe falſa.

8 Obiiciat quiſpiam: cognitio quæ conformatur cum obiecto non eſt falſa; ſed omnis ſimplex apprehẽſio, etiã illa, qua quis apprehendit equũ eſſe rationalem conformatur cum obiecto; ergo nulla ſimplex apprehenſio eſt falſa. Probatur minor, illa cognitio conformatur cũ obiecto, cuius obiectũ vere datur ſicut per illã repræſentatur, ſed obiectũ prædictæ apprehenſionis ſimplicis vere datur, ſicut per illã repræſẽtatur; ergo. Minorẽ probo, illa ſimplex apprehẽſio repræſentat verũ equũ, & verum rationale, & vnionẽ conflictã, inter equũ, & rationale, quã ipſa tunc cõfingit; atqui tunc datur verus equus, verum rationale, ac etiã vere datur vnio illa cõficta inter equũ, & rationale; ergo datur obiectum illius ſimplicis apprehenſionis, ſicut per illã repræſentatur. Cõfirmo: cognitio repræſentãs equũ eſſe rationalem, ſi id affirmet, erit falſa ſi vero id neget erit vera; atqui ſimplex apprehẽſio, qua repræſentat ſimpliciter equum eſſe rationalẽ, neq; affirmat, neq; negat, alioquin eſſet iudiciũ, ergo talis ſimplex apprehẽſio, neq; eſt vera, neq; eſt falſa. Vrgeo; cognitio habens in ſe formaliter falſitatẽ continet etiam errorẽ, & deceptionẽ; ſed ſimplex apprehenſio nõ continet in ſe errorẽ, & deceptionẽ; alioqui, qui ſimpliciter apprehenderet Deum non eſſe trinum erraret contra fidem, licet non ferret iudicium, quod eſt abſurdum; ergo ſimplex apprehenſio non habet in ſe formaliter falſitatem.

9 Reſp. illam ſimplicem apprehẽſionem cõplexam, qua quis apprehendit equũ, v.g. eſſe rationalẽ repræſentare verum equũ, verum rationalẽ, & vnionẽ illam conflictã, non quidem quaſi ſeorſim, & non vnitiue, vt aduerſarij loquuntur, ſed vnitiuè, ac per modũ vnius: nam talis apprehenſio repræſentans equum eſſe rationalẽ, ſaltẽ imperfectè, & inchoatiuè, cõiungit, & vnit realiter ex parte modi rationalitatẽ cũ equo, & cũ re vera rationalitas cum equo vnita non ſit, ideo talis apprehenſio ſaltẽ inchoatiue habet falſitatem cõplexam. Ad 1. confirmationem dico apprehenſionẽ, quæ repræſentat equũ eſſe rationalẽ inchoatiuè, & imperfectè, quaſi affirmare equũ eſſe rationalẽ, & ideo eſſe inchoatiue falsã, non eſſe vero iudicium, quia complete, & formaliter, non affirmat neque negat. Ad 2. confirmationem Reſp. cognitionem falſam eo modo quo eſt falſa continere errorẽ, & deceptionem, ſi ſit falſa ſimpliciter, & cõplete, continet errorem, & deceptionem, ſimpliciter, & completè; ſi vero ſolum ſit falſa inchoatiuè, & ſecundum quid, continet errorem, & deceptionẽ inchoatiuè tantum, & ſecundũ quid: ſimplex, ergo apprehenſio cõplexa ſolũ inchoatiue, & ſecundum quid eſt falſa, & ideo ſolum inchoatiuè, & ſecundum quid errorem, & deceptionẽ continet; atque ita ſi quis apprehendat Deum non eſſe trinum, ſi non iudicet, errabit inchoatiuè contra fidem.

10 Sed petis, quid ſit ſimplicem apprehenſionem cõplexam, illam, v.g. qua quis apprehendit hominem eſſe rationalem, inchoatiuè affirmare, componere, & vnire rationale cum homine, ita vt à iudicio diſtinguatur. Reſpondeo illam apprehenſionem, ita repræſentare hominem eſſe rationalem, vt quantum eſt ex ſe formaliter determinet intellectum, vt ſimpliciter, & complete affirmet, vniat, & componat rationale cum homine, & hoc eſſe formaliſſime, quod apprehenſio iſta inchoatiuè affirmet, & vniat rationale cũ homine.

11 Assert. III. ſit: ſimplex apprehenſio non habet in ſe formaliter veritatem, aut falſitatem cõplexam cõpletè ſimpliciter, ac perfectè, ita auctores primæ ſent. ac cum D. Th. & Ariſt. locis à Suar. citatis dicta ſ. 3. n. 1. vbi expreſſe aſſerunt veritatem, & falſitatẽ tantum in cõpoſitione, aut diuiſione, hoc eſt in cognitione iudicatiua affirmante, ſiue negante conſiſtere, vt ibi Alb. Magn. lib. 2. de anima tr. 3. c. 5. Ferr., Fonſ. & plures quos fusè ſequitur Vall. ſup. c. 4. Probatur apertè: illa cognitio habet veritatẽ, aut falſitatem complexam, ſimpliciter, & cõpletè, quæ eſt cõformis, vel difformis obiecto, aſſentiendo ſimpliciter, vel diſſentiendo illi, vt præmiſi n. 3. Notab. 3. Sed ſimplex apprehenſio non eſt conformis, vel difformis obiecto, aſſentiendo ſimpliciter, vel diſſentiendo illi, aliàs non eſſet ſimplex apprehenſio, ſed iudicium; ergo ſimplex apprehenſio non habet veritatem, aut falſitatem complexam, ſimpliciter, & completè.

12 Ex dictis infero, cognitiones ſenſitiuas, etiam brutorum habere veritatem incomplexam, non verò falſita-

tem; ratio eſt, quia ſimplex apprehenſio incomplexa ſolum habet veritatem incomplexam, non falſitatem, vt oſtendi nu. 4. ſed omnis cognitio ſenſitiua eſt ſimplex apprehenſio incomplexa, non enim eſt complexa perfectè, & completè, cum non ſit iudicium; nec eſt complexa imperfectè, & inchoatiuè, cum non ordinetur ad iudicium; ergo ſimplex apprehenſio ſenſitiua habet veritatem incomplexam, non verò falſitatem. Vnde Ariſt. 2. de anima capite 6. ait: *ſenſum in cognitione proprij ſenſibilis verum eſſe.* Infero 2. ſpecies impreſſas habere veritatem, aut falſitatem tantum virtualiter, quia virtualiter tantum res vt ſunt in ſe, vel aliter, ac ſunt in ſeipſis repræſentant.

CAPVT II.

An propoſitio de futuro contingenti abſoluto ſit determinatè vera, vel determinatè falſa.

13 ALiquid eſſe præſens, præteritum, vel futurum abſolutè, eſt pura denominatio, vel connotatio extrinſeca à diuerſis temporibus prouenientis, & ita idemmet ens poteſt eſſe præſens, præteritum, vel futurum abſolutè per comparationē ad diuerſa tempora. Si enim comparetur, ad vnicum inſtans, in quo exiſtat, erit præſens, ſi comparetur ad duo inſtantia temporis, primum in quo extitit, ſecundum in quo non ſit, erit prēteritū, ſi comparetur ad alia duo temporis inſtantia, primum in quo non ſit, & ſecundum in quo erit, erit futurū. Poteſt autem præſens, præteritū, & futurum eſſe neceſſarium & eſſe contingens. Cum aliquid ita eſt in hoc inſtanti vt naturaliter non potuerit non eſſe in illo, eſt præſens neceſſariū, ſi vero ita ſit in hoc inſtanti, vt potuerit non eſſe naturaliter in illo, erit præſens contingens, ſimiliter cum aliquid, ita fuit in inſtanti præterito, vt non potuerit non eſſe naturaliter in illo, eſt præteritum neceſſarium, ſi autem potuit non eſſe naturaliter in illo, erit prēteritum contingens: Denique quod ita erit in inſtanti venturo, vt non poſſit non fore naturaliter in illo, eſt futurum neceſſarium; ſi verò poſſit naturaliter non fore in illo, erit futurum contingens. Hinc triplex eſſe poteſt propoſitio de contingenti; alia de præterito quæ ſcilicet enuntiet aliquod præteritum contingens, vt (Petrus cucurrit) alia de præſenti, quæ ſcilicet enunciet aliquod præſens cōtingens, vt (Petrus currit) alia de futuro, quæ ſcilicet enuntiet aliquod futurum contingens, vt (Petrus curret) Petrus, peccabit) Apud omnes certum eſt propoſitionē de præſenti contingenti, & de præterito contingenti, eſſe determinatè veram, vel determinatè falſam. Solum ambigitur, vtrum propoſitio de futuro contingenti determinatam veritatem, vel falſitatem determinatā contineat.

14 Multorum ſententia eſt propoſitionem de futuro contingenti abſoluto, quæ aliquid omnino contingens fore abſolutum prædicit, non eſſe veram, vel falſam in ſenſu determinato, & diſiunctiuo, ſed eſſe veram vel falſam, ſolum in ſenſu confuſo, & diſiuncto. Senſus determinatus & diſiunctiuus eſt, quando in aliquo determinate, & ſeorſim veritas, vel falſitas inuenitur, vt cum dicimus (aliquis homo diſputat) in aliquo determinatè debet verificari quod diſputet. Senſus diſiunctus, ſiue confuſus eſt, quando in aliquo determinatè & ſeorſim veritas non inuenitur, ſed ſolum in aliquo diſiuncto indeterminatè, & confusè, vt cum dicimus: (oculus dexter vel ſiniſter requiritur ad videndum,) hæc propoſitio non verificatur in oculo dextero determinatè, quia hic non requiritur ad videndum, cum ſiniſter ſufficiat, nec etiam verificatur in ſiniſtro, quia nec iſte ad videndum requiritur cum ſufficiat dexter; verificatur tamen in hoc diſiuncto, videlicet in oculo dextero, vel ſiniſtro, indeterminatè, & confusè, quia oculus dexter, vel ſiniſter confusè, & indeterminatè requiritur ad videndum. Aſſerunt ergo authores huius ſententiæ hanc propoſitionē, v.g. (Petrus peccabit) non eſſe modò determinatè verā, nec determinatè falſam, ita vt in illa veritas, vel falſitas ſeorſim & determinatè intēdatur, ſed eſt indifferens, vt ſit poſtea determinatè vera, vel determinatè falſa, quia Petrus modo non eſt determinatè peccaturus, nec eſt determinatè non peccaturus, ſed eſt indifferens, vt poſtea peccet, vel non peccet, & hoc eſt propoſitionem illā de futuro contingenti non eſſe veram, vel falſam in ſenſu diſiunctiuo, & determinato. Addunt tamē hoc diſiunctū, ſcilicet eſſe verā vel falſam indeterminatè, & confusè prædictę propoſitioni modo conuenire, quia modo etiam eſt verum hoc diſiunctū, videlicet, Petrus peccaturus, vel non peccaturus eſt, & hoc eſt, eſſe iſtā propoſitionē de futuro contingenti verā vel falſam; in ſenſu diſiuncto, & confuſo: ita ſentit Ariſt. in præſenti lib. 1. c. 8. hanc expreſſe docens ſententiā in propoſitionibus ſingularibus de futuro cōtingenti, licèt oppoſitū aſſerat in propoſitionibus de futuro contingenti vniuerſalibus. Ipsū ſecuti ſunt veteres omnes eius expoſitores ſuper prædictum locū, quibus recentes Philoſ. & Theol. non pauci etiā ſubſcribunt, Card. Bellar. t. 3. l. 4. de gratia, & libero arbitr. c. 15. §. hæc inquā ſententia, Molin. 1. p. q. 14 a. 3. diſp. 17. §. quidā contendētes, Petr. Tolet. hic l. 1. c. 8. Fonſeca l. 3. inſt. c. 6. & l. 8. c. 30. Perer. in Danielē ſuper illa verba *reſponderūt Chaldæi*, Hēric. Henriquez, t. 2. l de vltimo fine, quidā Doctores Pariſ. quos refert Bargius in 1. diſt. 36. a. 2. q. 1. & idē tribuit Aureolo Cord. Hi tamē Autores ſi attente expendantur ſolum voluerūt has propoſitiones inquantum regulātur per eſſe quod in cauſa habent futura contingentia nec determinatam veritatē, nec falſitatem habere poſſe eos tamen carpit Herice diſp. 6. tr. de ſcientia Dei c. 7. nu. 100. eo quod truncatam, & mutilatam tradiderunt doctrinā ſcilicet quod alterā partem nō declarauerint.

ASSERTIO ſit. Propoſitio etiam ſingularis de futuro 15
contingenti abſoluto, eſt in ſe determinatè vera, vel determinatè falſa. Ita Suar. l. 1. de abſoluta ſcientia futurorū contingentiū c. 2. n 6. Vaſquez t. 1. in 1. p. diſp. 66. c. 2. qui plures huius ſententiæ patronos & ſectatores recenſent, quos etiā ſequitur Scot. in 1. diſt. 3. q. 21. Bonau. in 1. diſt. 38. a. 2. q. 1 R. oard. ibi, Greg. Ochan. q. 1. ad 1. Gabr. q. 1. a. 1. Sot. in c. 9. epiſt. ad Rom. Cord. l. 1. qq. Marſil. Capreol. B. Ildefonſ. & Th. Angl. relati à Bargio 1. diſt. 39. noſter Hiſp. Doct. Abul. & noſtri Collegij D. Barthol. fauſta proles p. 2. defenſorij c. 28. Valentin. de Erice quondā meus amātiſſimus Magiſter in aureo ſuo libello tra. de ſcientia Dei diſp. 6. c. 7. Petr. Hurt. diſp. 9. de anima ſect. 6. Arriaga diſp. 14. logic. ſect. 5. ſubſect. 3. Paul. Vall. fusè vt ſolet citatis multis l. 1. Periherm. q. vnica c. 5. copulata Conimbr. hic c. 8. q. vnica a. 4. Franciſc. Alph. diſp. 15. de anima ſect. 7. nu. 91. Carlet. diſp. 46. Logicæ ſect. 1. Aſrubal, Valentia, Alenſis, Aluarez, Zumel, & alij, & omnes ferè Recentiores Societ. Ieſu.

Hæc autem ſententia, 1. Ratione probatur. Deus ab 16
æterno cognoſcit futura contingentia abſoluta, etiā in ſingulari, & tamen talis cognitio Dei eſt determinatè vera; ergo cognitio, ſeu propoſitio de futuro cōtingenti abſoluto etiā ſingularis, eſt determinatè vera. Conſeq. eſt euidēs, maior eſt de fide, vt oſtēdit Vaſquez 1. p. diſp. 64. c. 1. & Suar. vbi ſupra n. 4. deinde etiā ratione monſtratur: omnem cognitionē, quam Deus in tēpore habet, habuit ab æterno; alias Deus ab æterno aliquid ignoraret, quod poſtea in tēpore ſciret, quod eſt abſurdū, ſed in tēpore, quo res creatæ ſunt, habet Deus cognitionem, qua illas clare cognoſcit; ergo etiā ab æterno habuit Deus cognitionem iſtam, qua has creaturas ex æternitate cognouit; atqui creaturæ ab æterno nō erāt exiſtentes actu, ſed contingenter futuræ; ergo Deus ab æterno habuit cognitionem, qua cognouit res contingenter futuras. Minor autem illa ſcil. cognitionē iſtā Dei eſſe ab æterno determinatè verā: ſic oſtenditur; omnis cognitio, vel eſt indifferens, vt ſit vera vel falſa, vel eſt determinatè falſa, vel determinatè vera; ſed cognitio Dei nō eſt indifferēs, vt ſit vera, aut falſa; Deo enim

omnis

omnis falſitas repugnat,ergo eſt determinatè vera:Confirmo:cognitio prophetica,quę prædicat futurũ aliquod contingens, v.g. Antichriſt. peccaturũ,eſt determinatè vera,nã repugnat quod ſit falſa, vt fides docet;ergo cognitio de futuro contingenti abſoluto eſt determinatè vera:vrgeo; cognitio diuina, vel prophetica, quæ affirmat futurũ aliquod cõtingens eſt determinatè vera;ergo cognitio,ſeu propoſitio hominis priuati,quæ idẽmet futurũ contingẽs affirmet,erit etiã determinatè vera;Patet conſeq.illa cognitio,ſeu propoſitio eſt vera,quæ eſt cõformis obiecto , ſed in prædicto caſu cognitio hominis priuati tã eſt cõformis obiecto,quã cognitio illa diuina, ſeu prophetica,cum vtraq; cognitio idẽmet obiectũ, & eodem modo concipiat,& affirmet;ergo in tali caſu cognitio hominis priuati de futuro contingenti tam erit vera quam cognitio diuina, vel prophetica;igitur ſi cognitio diuina,vel prophetica de futuro contingenti eſt determinatè vera, etiam cognitiohominis priuati de eodem futuro contingenti erit determinatè vera.

17 Secundò probatur:hęc propoſitio(Antichriſt.peccabit) eſt determinatè vera,& hæc propoſitio(Antichriſt. non peccabit)eſt determinatè falſa, ſed quælibet illarum eſt propoſitio de futuro cõtingenti, ac ſingularis:ergo propoſitio ſingularis de futuro cõtingenti eſt determinatè vera,vel determinatè falſa.Cõſeq.eſt aperta cũ min.maiorẽ autẽ ſic probo: illa propoſitio eſt determinatè vera, quæ eſt determinatè cõformis cum obiecto,quod repræſentat,ſed illa propoſitio(Antichriſt.peccabit)eſt determinatè cõformis cũ obiecto, quod repræsẽtat:nã determinatè affirmat,&repręsẽtat,quod peccabit Antichriſt. &verè Antichriſt.determinatè peccabit,vt ſupponimus; ergo talis propoſitio de futuro cõtingenti eſt determinatè vera:ſimiliter illa cognitio eſt determinatè falſa , quę eſt determinatè difform is obiecto, ſed illa cognitio, ſeu propoſitio,ſc.(Antichriſt. non peccabit)eſt determinatè difformis obiecto,quia determinatè affirmat,quod antichriſt.nõ peccabit,& antichriſt.verè determinatè peccabit;ergo iſtapropoſitio,&cognitio eſt determinatè falſa

18 Tertio probatur: ſi aliqua ratione propoſitio de futuro cõtingẽti abſoluto,iſtav.g.(Pet. curret)nõ eſſet determinatèvera,vel determinatè falſa,maximè quia ipsũ futurũ cõtingens,non habet determinatã veritatẽ,hoc eſt quia Pet.nec determinatè curret,nec determin. nõ curret;ſed tantũ curret,vel nõ curret indeterminatè&cõfusè;atqui Pet.craſtino die v.g.vel,determinatè curret,vel determ. non curret;ergo propoſitio illa de futuro cõtingenti,eſt determinatè vera,vel determ.falſa.Probatur min. Petrũ cras determinatè currere,&Petrũ cras determ.nõ currere directè inter ſe,& immediatè opponuntur,& ideo inter hæc extrema non datur mediũ; ergo craſtino die Pet. ſi ſuſpẽſus nõ maneat,vel determinatè curret,vel determ. non curret,alioquin daretur mediũ : ſed Pet.craſtino die non poteſt ſuſpẽſus manere ad currendũ,& non currendũ;ſed neceſſario debet currere,vel nõ currere,vt per ſe conſtat;ergo Petrus cras, veldeterm. curret,vel determ. non curret;vrgeo:& admitto tibi gratis,quod modoPet. nõ ſit determinatè curſurus,nec ſit determ.nõ curſurus, ſed tantũ ſit indifferens,vt poſtea currat,vel non currat; hinc infero;ergo hæc propoſitio(Petrus determinatè eſt curſurus)eſt modo determinatè falſa.Patet hæc conſeq. illa propoſitio modo determ.eſt falſa,quę modo determ. enũtiat rem aliter ac eſt in ſe:nã determinatè modo enũtiatPet.eſſe curſurũ deminatè,cũPet.determ.curſurus nõ ſit,vt tu fateris;ergo talis propoſitio eſt determin. falſa.

19 Quartò probatur,quãdo dantur duæ propoſitiones cõtradictoriæ vna neceſſario eſt determinatè vera,& altera determ.falſa vt mõſtraui in introductione ad Logicã, d.4.c.1.n.3. ſed iſtæ propoſitiones de futuro cõtingenti, ſcil.(Pet.cras peccabit)Pet.cras non peccabit)ſunt contradictoriæ,quarũ vna directè,& præcisè negat,id quod altera affirmat,ſed iſta propoſitio,ſc.Pet.cras nõ peccabit)directè,ac præcisè negat,quod Petrus peccabit cras, quod altera propoſitio,ſcil. (Pet.cras peccabit)affirmat; ergo iſtæ propoſitiones de futuro cõtingenti ſunt cõtradictoriæ.Cõfirmatur:tã hæ propoſitiones de futuro ſunt cõtradictoriæ(Pet.cras peccabit;Pet. cras non peccabit) quã iſtæ de præterito;ſc.(Pet. heri peccauit;Pet.heri nõ peccauit)ſed quia iſtæ propoſitiones de præterito cõtradictoriæ ſint,vna modo eſt determinatè vera,& alia determinatè falſa ; ergo eadem ratione,cum illæ propoſitiones de futuro etiam contradictoriæ ſint , vna earum erit determinatè vera,& alia determinatè falſa.

Obiiciat aliquis 1. ſi propoſitio de futuro cõtingenti 20
eſſet determinatè vera, futurũ cõtingens eſſet determinatũ ; ſed repugnat futurũ contingẽs eſſe determinatũ; ergo repugnat quod propoſitio de futuro contingẽti ſit determinatè vera:Minor probatur. Cõtingens,& determinatũ directè opponũtur,quia contingẽs eſt indifferẽs ad exiſtendũ,& non exiſtendũ,determinatũ vero nõ eſt indifferẽs,ſed limitatũ ad exiſtendũ;ergo repugnat quod futurũ contingẽs ſit determinatũ.Reſp.duplicẽ eſſe determinationẽ;aliam antecedentẽ;alterã conſequentem. Determinato anteced.eſt illa,quæ ſe tenet ex parte cauſæ,quæ antecedit effectũ,ratione cuius cauſa eſt ita determinata,& neceſſitata ad effectũ producendũ, vt non poſſit illũ ſecundũ ſe Phyſicè nõ producere.Determinatio cõſequẽs eſt illa,quę ſolũ ſe tenet ex parte effect° qui conſequitur ad causã ratione cuius,effectus de facto determinatè eſt,vel futurus eſt in ſeipſo, cauſa tamẽ ſecũdũ ſe phyſice eſt libera,&indifferens ad illũ procucendũ & non producendũ. Futurũ ergo cõtingens non poteſt eſſe determinatũ determinatione antecedẽti,quæ ſe tenet ex parte cauſæ,quia ſi cauſa ſecundũ ſe,ita eſt determinata ad operandũ effectũ futurũ, vt non poſſit illum non operari,tale futurũ non erit cõtingens,ſed neceſſariũ:futurũ tamen cõtingens eſt etiã determinatũ determinatione cõſequenti:nã quãuis in ſeipſo ſit determinatè futurũ,ſufficit,quod eius cauſa maneat indifferens ſecundũ ſe ad illũ producendũ,&non producendũ,vt nõ ſit futurũ neceſſariũ,ſed contingẽs.Itaq; futurũ contingens in ſeipſo non eſt indifferens; ſed tantum in cauſa, & ideo ſolum cum eius contingentia opponitur determinatio ex parte cauſæ,non vero determinatio ex parte ipſius : quapropter futurum poteſt eſſe ſimul contingens,& determinatum , & cognitio , ſeu propoſitio de futuro contingenti poteſt eſſe determinatè vera.

Obiiciat 2.vt propoſitio ſit determinatè vera eius ob- 21
iectũ debet habere in ſe determinatã veritatẽ obiectiuã; ſed futurũ contingẽs nõ habet in ſe derminatã veritatẽ obiectiuã;ergo propoſitio de futuro cõtingenti non eſt vera.Conſeq.tenet,maior patet,quia ab eo quod res eſt dicitur propoſitio vera.Minor probatur,veritas obiectiua reifũdatur in eius reali entitate;ſed futurũ contingẽs non habet realẽ entitatẽ,quia modo non exiſtit realiter, ſed poſtea exiſtet;ergo futurũ contingẽs non habet determinatã veritatẽ obiectiuã.Reſp.vt propoſitio ſit vera tantũ requiri,quod obiectũ habeat veritatẽ obiectiuam pro tempore importato per copulã:in hac autẽ propoſitione de futuro cõtingenti,ſc.(Pet.peccabit)copula non importat tẽpus præſens, ſed tẽpus futurũ, pro quo peccatũ Petri habet determinatã entitatẽ, ac veritatẽ:nam Pet verè peccabit in tẽpore futuro,atq; ita talis propoſitio de futuro cõtingẽti eſt determinatèvera,ſicut enim hæc propoſitio(Pet.peccabit)eſt dererminatè vera,quia licet peccatum Petri modo non ſit,fuit tamen in tẽpore importatoper copulã,ſcil.in tempore præterito;ita ſimiliter hæc propoſitio:(Petrus peccabit) eſt modo determinatè vera , quia licet peccatum Petri non ſit modo, erit tamen in tempore importato per copulam , ſcilicet in tempore futuro , & hoc modo intelligitur illud commune axioma ; ab eo quod res eſt , vel non eſt dicitur propoſitio vera , vel falſa ; ſcilicet ab eo quod res eſt , vel non eſt in tempore per copulam importato.

Objiciat tertio , propoſitio de futuro contingenti 22
non eſt neceſſaria, ſed contingens, ſed ſi futurum contingens,eſſet modo futurum determinatè, eſſet propo-

sitio illa omnino necessaria; ergo futurum contingens non est modo determinate futurum, ac proinde propositio de futuro contingenti non est determinate vera, vel falsa. Probatur minor: propositio, seu cognitio necessaria est illa, cuius obiectum est necessarium, sed si futurum contingens sit modo determinatè futurum, erit omnino necessarium; ergo propositio de futuro contingenti erit omnino necessaria; minor patet, necessarium est id; quod ita est, vt non possit, non esse, sed dato quod futurum aliquod contingens sit determinatè futurum; non potest iam non esse futurum, quia omne quod est dū est, necesse est esse, ergo si futurum contingens sit determinatè futurum erit omnino necessariu. Confirmatur: propositio æternę veritatis, est propositio necessaria, sed si peccatū Petri v.g. sit determinatè futurū, hęc propositio de futuro cōtingenti (Petrus peccabit) erit æternę veritatis: nam ab æterno talis propositio erit vera; ergo talis propositio de futuro cōtingēti est necessaria: Resp. dupliciter posse esse aliquid necessariū, videlicet, vel necessariū simpliciter, vel tantùm necessariū secundum quid. Necessariū simpliciter est id, quod nulla ipsius facta suppositione ita est, quod non potuit non esse, quia ea secundū se simpliciter ad id necessitata est, vt solis illuminatio est simpliciter necessaria, quia sol est simpliciter, & absolutè necessitatus ad illuminandū. Necessariū secundū, quid est id, quod absolutè potuit non esse, tamen ex suppositione quod est, non potest iam non esse, vt peccatū Petri futurū absolutè potest non esse, quia Petrus potest simpliciter postea non peccare, ex suppositione tamen quod est futurum, nō potest non esse futurū, & ideo est necessarium tantū secundum quid: futurū ergo conringens, etiā vt determinatè futurū non est necessariū simpliciter, sed tantum secundū quid, atq; ita propositio de futuro cōtingenti non est necessaria simpliciter, sed solū secundū quid, quod est idē ac esse contingentē. Ad confirmationē dico, vt propositio sit æternæ veritatis non sufficere, quod ab æterno sit vera, sed requiri, quod enuntiet aliquid, quod non possit simpliciter esse aliter, ac per ipsā propositionē repræsentatur: cum autē futurū contingēs v.g. peccatum Petri futurū posset simpliciter esse aliter ac repræsētatur per illā propositionē: (Petrus peccabit) quia potuit simpliciter non esse futurū: ideo talis propositio de futuro contingēti non est æternæ veritatis.

23 Obiiciat 4. Perrus non necessario, sed liberè peccabit, ita vt poterit non peccare; sed si hæc propositio de futuro contingēti; scil. (Petrus peccabit) sit modo determinatè vera, Petr. non liberè, sed necessario peccabit, ita vt non poterit non peccare; ergo propositio de futuro cōtingenti non est determinatè vera. Probo minorē, eo ipso quod prædicta propositio: (Petr. peccabit) sit modo determinatè vera, iā non potest esse falsa, quia implicat simul esse verā, & falsā, sed si Petr. in futuro posset peccare, talis propositio posset esse falsa: nā posset esse difformis suo obiecto; sicut enim si Pet. in futuro nō peccaret talis propositio (Pet. peccabit) esset difformis obiecto, & falsa; ita si Petr. in futuro posset non peccare, posset illa propositio esse difformis obiecto, & falsa; ergo eō ipso quod prædicta propositio sit determinatè vera, Petr. in futuro non poterit non peccare, atq; ita non liberè, sed necessario peccabit. Resp. suppositionē necessitantē nostrā voluntatem ad operandū, aliam esse antecedentē: aliam consequentem. Suppositio antecedens est entitas illa, quæ antecedit effectū, tanquā vera causa illius, & ea posita voluntas non potest non operari, vt visio beata est suppositio antecedēs respectu amoris beatifici, quia illū antecedit tanquā vera causa illius, & posita tali visione Dei non potest voluntas non elicere amorē beatificū: hæc autē suppositio antecedens tollit simpliciter libertatē ad operandū, quia in nullo priori supponit voluntatē indifferentem ad operandū, & non operandū, sed illam omnino necessitatē cōstituit: Suppositio consequēs est entitas, quæ consequitur, vel comitatur effectū, & ea posita voluntas non potest, non operari, vt visio intuitiua, qua Deus videt Petrum cras liberè peccaturū, est suppositio consequēs, quia non est causa peccati Petri futuri, sed consequitur ad illud, non enim ideo peccatū Petri est futurū, quia Deus videt illud, vt futurū, sed potius è contra, ideo Deus videt peccatū Petri, vt futurum, quia ipsum peccatū est futurū, vt docent D. Aug. Chrysost. Cyrill. & plures alij Patres Ecclesiæ, quos citat Vasq. 1.p.d.68.c.6. ea tamen visione peccati futuri posita, iā Petrus non poterit non peccare, hæc vero suppositio consequens, non tollit libertatē simpliciter, quia cū supponat peccatū Petri liberè futurū, supponit Petrum in aliquo priori liberū, ac indifferentē ad peccandū, & non peccandum, & ita licet consequuta iā visione peccati, Petr. non possit non peccare, tamen ob id non tollitur, sed supponitur in Petro antecedenter libertas, ad peccandū & non peccandum. Propositio ergo mētalis, ac cognitio determinatè vera, quæ affirmat Petrū liberè peccaturū, non est suppositio antecedēs, sed consequēs, vt in simili ostendi de visione Dei; & licet secundū quid, & consequenter necessitet Petrū ad peccandū, illum tamen antecedenter, & simpliciter relinquit liberū, & indifferentē ad peccandū, & non peccandū; vnde licet Petrus cras liberè peccaturus sit, ita vt posset non peccare, hæc propositio (Petrus peccabit) potest modo esse determinatè vera.

Hinc infero Arist. vbi supra dum docet propositionē 24
singularē de futuro contingenti non esse determinatè veram, ea quidē ratione motus, quia alioquin futurum contingens non cōtingenter, sed necessario eueniret, tacitè etiā tradidisse Deum non videre clarè futura cōtingentia: nā talis visio Dei esset determinatè vera, & infallibilis, & ita iuxta eius principia futura contingētia, non cōtingenter, sed necessario euenirēt; quod etiā, & ob eandē rationem putauit. Cicero lib. de fato, & 1. de diuinatione de quo D. Aug. 5. de ciuit. Dei c. 9. dixit, *vt homines faceret liberos, fecit sacrilegos*, quapropter arbitror, Arist. in hac materia fuisse in errorē dilapsum vt sentiunt Vasquez 1.p.disp. 66. c.2. n.11. & Suarez lib.1. de absoluta scientia futur. c.2.n.11. & alij.

CAPVT III.

An propositio de futuro contingenti conditionato determinatam veritatē aut falsitatē contineat.

FVturum aliud est absolutū, aliud conditionatū. Futurū absolutū est id, quod in instāti non est, erit tamē absolutè in alio vēturo instāti. Futurū conditionatū est id, quod in hoc instāti non est, erit tamen in instāti alio sequenti, si aliqua cōditio ponatur, à qua depēdet. Futurū cōditionatū necessariū est quod modo non est, si vero ponatur aljqua cōditio erit in instāti sequenti, ita vt nō possit nō esse in illo, vt si ignis applicetur stuppæ illā cōburet: futurum conditionatū contingēs est, quod modo non est, si tamen aliqua conditio ponatur, erit in alio instanti sequēti, ita vt possit non esse in illo. Vt si Deus cras vocauerit, Petrū tali auxilio Pet. cōuertetur. Hinc duplex resultat propositio de futuro cōditionato: alia est de futuro conditionato necessario, illa v.g. propositio, quæ affirmat quod si sol fuerit, illuminabit; & hæc apud omnes habet determinatā veritatē, aut falsitatem; alia propositio est de futuro conditionato contingenti, illa v.g. quæ asserit, quod si Petrus fuerit in tali occasione, peccabit. Inquirimus ergo an hæc propositio de futuro contingenti conditionato, sit determinatè vera, vel determinatè falsa? 25

Omnes illi qui c.præc.n.14. dixerunt propositionē de 26
futuro cōtingenti absoluto non esse determinatè verā, nec determinatè falsā; idē libentius fatentur de propositionibus de futuro cōtingenti cōditionato, nā cum ad hoc, vt propositio sit determinate vera, vel falsa determinate, requiritur quod eius obiectū habeat determinatā veritatem in se, saltem pro aliquo tēpore, futurū autem conditionatum contingens pro nullo tempore,

habeat

habeat determinatam veritatem in se, sicut nec determinatam entitatem, quia pro nullo tempore vere existit; inde inferunt propositionem de futuro contingenti conditionato non esse veram, vel falsam in sensu determinato, & disiunctiuo, sed solum in sensu disiuncto vt supra dicto n. 14. explicatum est.

27 ASSERTIO tamen sit. Propositio singularis de futuro contingenti conditionato est modo, vel determinate vera, vel determinate falsa. Ita Carleton supra sect. 4. Franciscus Alphonsus, primo num. 97. Arriaga; Hurtado, & alij supra citati, Suarez, tom. 1. de gratia prolog. secundo, & nouissime tom. 2 de auxiliis prolegomen. altero disp. 32. erudite disputat, & omnes citati à n. 15. Probatur 1. si Petrus cras vocetur à Deo vel determinate cõuertetur, vel determinate non cõuertetur, quia posita tali cõditione Petrus nõ potest manere suspensus, & aliunde non est medium inter determinate conuerti, & determinatè non conuerti; atque ita vel determinate conuertetur cras, vel determinate non conuertetur; demus quod determinatè conuertetur, & in hoc casu arguo sic: hæc propositio (si Petrus cras vocetur, conuertetur) est modo determinatè vera; & hæc propositio (si Petrus cras vocetur, non conuertetur) est modo determinatè falsa, cum vna sit determinatè conformis, & alia determinatè difformis obiecto, vt supra in simili ostendi n. 17. sed quælibet istarum est propositio singularis de futuro contingenti conditionato; ergo propositio singularis de futuro contingenti conditionato est determinatè vera, vel determinate falsa. Secundo admitto tibi gratis Petrum non esse determinatè conuertendum, si à Deo cras vocetur, nec determinate non conuertendum; ergo hæc propositio, si Petrus vocetur à Deo determinatè conuertetur, est determinatè falsa, quia rem determinatè repræsentat aliter, ac est; vt probaui num. 18. ergo propositio de futuro contingenti conditionato saltem est determinatè falsa. Tertio, quando dantur duæ propositiones contradictoriæ, vna est determinatè vera, & alia determinatè falsa; sed hæ propositiones de futuro contingenti conditionato, scilicet (si Petrus cras vocetur à Deo conuertetur, non si Petrus cras vocetur à Deo cõuertetur) sunt verè contradictoriæ, vt in simili ostendi supra n. 19. ergo propositio de futuro contingenti conditionato, aliquando est determinatè vera, aliquando est determinatè falsa. Quarto, omnis scientia, ac cognitio, quæ est in Deo, est determinatè vera, vt monstraui num. 16. sed in Deo est cognitio euidens futuri contingentis conditionati, ergo cognitio, seu propositio de futuro contingenti conditionato, est determinatè vera: minor non est est huius loci breuiter tamen probatur; cum Deus efficaciter intendit Paulum ad se conuertere, cognouit auxilia efficacia, quibus positis, Paulus infallibiliter ad Deum conuertetur; alioqui imprudenter Deus intenderet absolutè finem, scilicet conuersionem Pauli, si non videret media, quibus posset infallibiliter illum consequi: sed Paulum fore conuertendum sub conditione, quod illi concederentur illa auxilia, est futurum conditionatum contingens, quia positis etiam illis auxiliis, posset Paulus non conuerti; aliàs illa auxilia tollerent Pauli libertatem; ergo Deus clare cognoscit futurum contingens conditionatum; ac per consequens in Deo est cognitio clara, & euidens de futuro

28 contingenti conditionato, quæ sit determinatè vera.

Dicat vero quis, Deum non dare auxilia prædestinato quibus certo præuideat absolutè illum libere consensurum, sed dare illi auxilia, ita intensissima, vt videat Deus moraliter esse euidens illũ fore consensurũ, quod quidẽ non est contingens, sed necessarium: sed contra, quãdo Deus dat auxilia nõ prædestinato, v. g. in vltimo instanti vitæ, etiã videt euidens, ac certũ esse moraliter illũ non esse consensurũ; ergo etiam dicendum est Deũ dare cuiuis nõ prędestinato auxilia ita remississima, quibus moraliter, euidẽs sit, & certũ illis, non consensurũ: sed hoc dici non potest de Deo, alioquin non prædestinati iustã aliquã querelã habere possunt de ipso, quod absit dicere; ergo Deus nõ dat prædestinato regulariter auxilia, ita intẽsissima, quæ habeãt connexionẽ moraliter necessariã, cum consensu, & dat non prædestinato auxilia, ita remississima, quæ habeant connexionem moraliter necessariam cum negatione consensus, ac proinde dat illis auxilia, quibus certo præuideant liberè, & contingenter, etiam moraliter illum consensurum, istum non consensurum, quò redit vis argumenti.

Obiiciat aliquis 1. vt propositio sit determinatè vera; eius obiectũ debet pro aliquo tẽpore determinatã veritatem habere: sed futurũ contingens, conditionatũ pro nullo tẽpore habet determinatã veritatẽ, quia pro nullo tẽpore habet determinatã entitatẽ, in qua talis veritas fundatur, cum in nullo tẽpore verè existat; ergo propositio de futuro contingenti conditionato non est determinatè vera. Resp. vt propositio sit vera determinatè solũ requiritur, quod obiectum eo modo habeat determinatã veritatẽ; quo per talem propositionẽ repræsentatur; propositio autẽ de futuro contingenti cõditionato, solũ repræsentat suum obiectũ habere determinatã veritatẽ pro tẽpore futuro, & non absolutè, sed sub cõditione aliqua, vnde cum futurũ contingens conditionatum, quod est obiectũ prædictę propositionis, habeat pro tempore futuro veritatem determinatam, non absolutè, sed sub aliqua conditione, talis propositio de futuro contingenti conditionato est vera determinatè.

Obiiciat 2. hæc propositio (si cras Papa dormierit, Turca cantabit) non est determinatè vera, etiãsi cras Papa dormiat, & Turca cantet; & tamen est propositio de futuro contingenti cõditionato: ergo propositio de futuro cõtingenti conditionato non est determinatè veta. Resp. prædictã propositionẽ posse facere duplicem sensum, scil. vel sensum copulatiuũ, nempe, quod cras Papa dormiet, & Turca cantabit; & tunc, si Papa cras dormierit, & Turca cantauerit, erit à tẽpore primę prolationis determinatè vera, vel potest facere sensum cõditionalem, nimirũ, quod sub conditione, quod Papa dormiat, Turca cãtabit, & tunc talis propositio, est determinatè falsa, etiãsi cras Papa dormiat, & Turca cantet, quia ad veritatẽ propositionis conditionalis etiam requiritur, quod effectus sit depẽdenter à cõditione, sub qua enũciatur: cum autẽ Turcam cantare non pẽdeat tanquã à conditione à somno Papæ; ideo illa propositio cõditionalis: (si Papa dormiat, Turca cantabit) non est vera determinatè; sed determinatè falsa, hoc vero sufficiet, vt saluetur, quod propositio de futuro cõtingenti cõditionato determinatã veritatẽ, aut falsitatẽ habeat: Addo, si Deus absolutè voluisset, quod si Papa dormiret, Turca cantaret, prædicta propositio esset vera determinatè, etiã in sensu conditionali, quia iam effectus conditionatus, scilicet cãtus Turcæ haberet connexionem saltem extrinsecã, cum conditione, scil. cum somno Papę. 30

Obiiciat 3. vt vera sit propositio conditionalis requiritur, quod effectus necessario, & infallibiliter ex conditione sequatur: sed futurũ contingens cõditionatum non sequitur necessario, & infallibiliter ex cõditione, alioquin non esset cõtingens, sed necessariũ: ergo propositio cõditionalis de futuro contingenti non est determinatè vera. Resp. duplicẽ esse posse connexionẽ inter conditionẽ, & effectum, aliã logicã; aliam physicã; Logica connexio est quando effectus necessario, & infallibiliter ex tali cõditione sequitur, vt si dicas (*si Petrus currit, mouetur*;) cõnexio physica est, quãdo effectus licet necessario non sequatur ex conditione, physicè tamen pendet, ab illa, ita vt sine illa esse non possit; vt si dicas: (si Petrus à Deo vocetur, conuertetur) bene poterat Petrus vocatus à Deo, non conuerti, illa tamen conuersio, pendet à vocatione Dei, & ideo habet connexionẽ physicam cum illa: vt autẽ propositio cõditionalis sit vera nõ requiritur, quod effectus habeat connexionẽ logicam, & infallibilẽ, cum cõditione, sed 31

sufficit, quod cum illa habeat connexionem probabilem, ac physicam: nam excõmuni modo loquendi, istæ, propositiones apud prudẽtes viros, sunt vsitate, & verè (si filiã meam vxorẽ duxeris, dabo tibi hanc dotẽ) si Petrus, qui nimis extraneos diligit, haberet filios, illos diligeret, & alię similes, in quibus non est cõnexio logica inter effectum, & conditionem, sed tantùm connexio physica; cum ergo futurum conditionatum contingens habeat connexionem probabilem physicam cum conditione, licet ex ea necessario, & logicè non sequatur, propositio de futuro contingenti conditionato erit determinate vera.

32 Obiiciat quartò, si propositio de futuro contingenti conditionato esset determinatè vera, esset in Deo cognitio certa, & euidens futuri contingentis conditionati: sed in Deo non est cognitio certa, & euidens futuri contingentis conditionati: ergo propositio de futuro conditionato contingenti, non est determinatè vera. Consequentia est euidens, maior patet, quia si talis propositio conditionalis est vera determinatè, ipsum futurum conditionatum contingens habebit in se determinatam veritatem, atque ita cognoscetur certo à Deo; minorem autem sic probo. Si in Deo esset cognitio clara, & euidens, qua cognosceret futurum conditionatum contingens v. g. Petrum cras esse conuertendum, si ab ipso Deo vocetur, talis cognitio necessitaret, simpliciter Petrum ad cras se conuertendum, si vocetur à Deo, sed Petrus etiam posita Dei vocatione, non erit cras necessitatus simpliciter ad se conuertendum; ergo in Deo non est scientia euidens, qua cognoscat tale futurum conditionatum contingens, scilicet Petrum esse conuertendum, si à Deo vocetur: Probatur maior, suppositio antecedens, qua posita aliquis non potest non operari illum necessitat simpliciter ad operandum, vt docet Anselmus lib. de concordia præscię̃tiæ, & libero arbitrio c. 1. & omnis schola communiter; sed illa cognitio Dei, qua certo cognoscit Petrum cras esse conuertendum, si vocetur, est suppositio antecedens, quia est prior ipsa conuersione, atque ideo, illam
33 antecedit, & etiam ea cognitione Dei posita, Petrus si cras vocetur à Deo non potest, non se conuertere, alias Dei cognitio falleretur: ergo talis cognitio conditionalis si esset in Deo, necessitaret simpliciter Petrum ad cras se conuertendum, si vocetur.

Respondeo, triplicem esse prioritatem, aliam durationis, quando scilicet vna res existit in aliquo instanti, in quo nondum existit alia; alteram consequentiæ, vt quando ab vna re ad aliam valet bene consequentia; non vero è contra, v.g. ab homine ad animal, bene valet consequentia, quia si est homo, bene sequitur: ergo est animal, non vero valet, è contra, ab animali ad hominem, nam ex eo, quod sit animal, non bene sequitur ergo est homo, quia potest esse equus, & ideo animal est prius prioritate consequentiæ, quam homo; aliam causalitatis, quando videlicet vna res est causa alterius, & hæc sola prioritas sufficit, vt suppositio, qua posita non potest quis non operari; sit suppositio antecedens, & necessitet simpliciter voluntatem ad operandum, vt ostendi sup. n. 23. & tradit expresse Aug. lib. 3. de libero arbitrio c. 18. Cognitio autem Dei, qua videt futurum conditionatum contingens, scilicet Petrum cras esse conuertendum, si vocetur, est prior, quam conuersio illa Petri prioritate durationis, quia cognitio Dei modo in hoc instanti existit, in quo nondum est illa conuersio, & etiam est prior ipsa conuersione prioritate consequentiæ, quia bene valet, Petrus vocatus à Deo in instanti crastino conuertitur; ergo ante fuit verè conuertendus sub conditione quod vocaretur à Deo; ergo in Deo fuit cognitio euidens, qua cognouit Petrum esse conuertendum sub conditione, quod ab ipso vocaretur; non vero valet, è contra; Deus cognoscit Petrũ cras esse conuertendum, si vocetur à Deo, ergo Petrus absolutè cras conuertetur, quia potest Deus cras de facto non vocare illum, & ita Petrus absolutè non conuerti; ac proinde prædicta cognitio Dei est prior conuersione absoluta Petri, prioritate consequentiæ. Non vero est prior illa prioritate causalitatis, quia cognitio illa Dei non est causa conuersionis Petri. Et idcirco hæc cognitio conditionalis Dei, non est suppositio antecedens, nec simpliciter necessitat Petrum ad cras se 34
conuertendum, si à Deo vocetur.

Hæc autem scientia, ac cognitio diuina futurorum contingentium sub conditione, appellatur à Theologis Societatis Iesu, scientia media, non quia media est, sed quia partim est libera, & partim necessaria, atque ita medium tenet, inter scientiam Dei omnino liberã, & scientiã omnino necessariam; at illam omnes Thomistæ diffitentur in Deo, asserentes, sufficere scientiam simplicis intelligentiæ; sed res Theologica est, etsi paulo maioris difficultatis, quam præcedens, de qua hæc breuiter attigi, vt eam non omisisse, sed potius vt dialecticum attigisse videar.

Et hæc de sexto tract. in libros Perhyermenias, seu de interpretatione dicta sint satis.

TRACTATVS SEPTIMVS,

In libros de priori & posteriori resolutione.

ARISTOTELES in his Analyticorum libris tertiam nostri intellectus operationem scilicet discursum dirigit; & quia discursus potissime in Syllogismo inuenitur, in libris Priorum agit de Syllogismo in communi, de eius materia, & forma, de modo & figura: quia vero præcipua Syllogismi species est demonstratio, in libris posteriorum de demonstratione disserit. Nos vero, cum plura ex iis dicta sint in introductione ad Logicam, & plura alia ad libros de anima spectent, tantum doctrinam Philosophi, quoad logicum attinet institutum, sequentibus disputationibus explanabimus.

DISPVTATIO XXXIII.

De Syllogismo in communi eiusque partibus.

TRIA capita continebit. In primo inquiro quid sit syllogismus, & quibus actibus constet. In secundo an cognitio de bonitate illationis ad quemuis assensum scientificum requiratur. In tertio, an obiectum formale præmissarum sit formalis ratio obiectiua intrinseca assensus conclusionis.

CAPVT I.

Quid sit syllogismus, & quibus actibus constet.

SYllogismus est oratio, in qua quibusdam positis 1
aliud quidpiam ex necessitate accidit ex his, quæ posita sunt, eo quod hęc sunt. Ita definit Arist. l. priorũ.

Et

Et 1.topic.c.11.quem ſequiturſchola communis.Oratio non quidem ſimplex, & incomplexa, ſed ex pluribus orationibus compoſita & complexa ponitur loco generis, eſt vero genus remotum, nam genus proximum eſt ratiocinatio ſeu argumentatio, in qua Syllogiſmus proxime cum aliis argumentationibus conuenit. In qua quibuſdam poſitis,id eſt, duab. propoſitionibus conceſſis, quarum prima maior, ſecunda minor, & vtraque quia ante concluſionem præmittitur, præmiſſa vocatur, hæ autem propoſitiones, ſeu præmiſſæ dicunt ex parte obiecti duo prædicata identificata cum vno medio & ex parte actus includunt duas cognitiones, quarum prima cognoſcit vnum prædicatum, quod dicitur maior extremitas,identificatum ei cum medio; & ſecunda etiam cognoſcit alterum prædicatum, quod dicitur minor extremitas cum eodem medio identitatem habens,& ambæ cognitiones præmiſſæ ſimul ſumptæ ſunt aptæ ad concluſionem inferendam. Aliud quidpiam ſcilicet tertia alia operatio, quæ dicitur concluſio,ex illis præmiſſis infertur, hæc autem propoſitio ac concluſio cognoſcit ex parte obiecti eſſe reipſa idem inter ſe illa duo prædicata,nempe maiorem & minorem extremitatem, quæ reipſa cũ medio,ac obiecto præmiſſarum identificata ſunt, atq; ita concluſio ex parte obiecti reipſa non diſtinguitur à præmiſſis,diſtinguitur vero ab illis ex parte actus reipſa,quia talis concluſio eſt cognitio quædam, quæ ex ipſis cognitionibus præmiſſarum infertur vere, & cauſatur,res autem non cauſatur, nec infertur ex ſe ipſa. Ex neceſſitate accidit ex eis, quæ poſita ſunt, hoc eſt, ex præmiſſis recte diſpoſitis concluſio neceſſario infertur,& ſequitur,vt qui clare præmiſſis euidentibus recte diſpoſitis aſſentitur, cogitur neceſſario aſſentiri concluſioni, etſi velit concluſionem negare, tenetur retrahere aſſenſum, & inficiari præmiſſas,eo quod hęc ſunt,videlicet,ideo intellectus conceſſis præmiſſis neceſſitatur aſſentiri concluſioni, quin præmiſſæ habent rectam formam ſyllogiſticam, ac diſpoſitionem artificioſam iuxta regulas,ac directionem Logicæ,quę quidem omnia aliis argumentationibus v. g. inductioni, aut enthymemati non conueniunt,vt intuenti conſtabit, & idcirco hæc omnia verba ponuntur loco differentiæ.

2 Sed quærat quis,quibus nam actibus ac propoſitionibus ſyllogiſmus eſſentialiter componatur? nonnulli dicunt ſyllogiſmum ſolum includere formaliter præmiſſas,&connotare concluſionem tamquam effectum, alij includere tantum concluſionem, & connotare præmiſſas tamquam terminum, alij includere formaliter ſyllogiſmum tam præmiſſas,quam concluſionem. Ita Conimb. lib. 1. priorum cap.1. q.2. art.2. ad 4. & plures Doctores, quibus aſſentior. Probatur, quia ſyllogiſmus, vt vidimus ex Ariſt. & omnium ſententia eſt oratio, in qua,id eſt; intra quam quibuſdam poſitis, id eſt, duabus præmiſſis conceſſis aliud quidpiam neceſſario accidit, id eſt, concluſio neceſſario infertur, vt ſuperius expoſuimus, ergo ſyllogiſmus intra ſeipſum præmiſſas & concluſionem formaliter,& eſſentialiter claudit. Confirmatur, quodlibet arte factum materiam & formam eſſentialiter includit, ſed iuxta Ariſt. 2. Phyſicorum text. 31. præmiſſæ ſunt materia ſyllogiſmi, & concluſio eſt forma illius, ergo hoc logicum artefactum ſcilicet ſyllogiſmus præmiſſas, & concluſionem eſſentialiter includit, ſed res eſt parui momenti.

3 Objiciat aliquis primo:modus ſciendi non componitur ex cognitione confuſa, ac ſimul ex cognitione explicita alicuius rei, ſed ſolum conſiſtit in cognitione explicita, etenim cognitio definiti non eſt modus ſciendi,nec componit illum, quia eſt cognitio confuſa, cognitio vero definiens eſt vere modus ſciendi, quia eſt cognitio explicita, ſed aſſenſus præmiſſarum ſunt cognitiones confuſæ concluſionis, aſſenſus vero concluſionis eſt cognitio clara, & explicita ipſius cõcluſionis,igitur modus ſciendi, qualis eſt ſyllogiſmus non componitur ex aſſenſibus præmiſſarum, & aſſenſu concluſionis, ſed ſolum conſiſtit in aſſenſu concluſionis. 2.ſyllogiſmus non diſtinguitur à diſcurſu, eſt enim eſſentialiter diſcurſus, ſed diſcurſus conſiſtit ſolum formaliter in aſſenſu concluſionis connotatis præmiſſis tamquã termino, ergo ſyllogiſmus etiãm ſolum formaliter conſiſtit in aſſenſu concluſionis non verò in ipſis præmiſſis. 3. Syllogiſmus demonſtratiuus generat ſcientiam, vt paſſim loquuntur Philoſophi, ſed ſcientia eſt aſſenſus concluſionis ipſius ſyllogiſmi demonſtratiui, ergo ſyllogiſmus demonſtratiuus generat,& cauſat aſſenſum concluſionis, atqui res non generat,nec cauſat ſe ipſam, ergo ſyllogiſmus demonſtratiuus diſtinguitur ab aſſenſu concluſionis, atque ita non includit illum.

Hæc autem facile diluo.Ad primum Reſp. cognitionem confuſam, quæ aliqua ratione eſt etiam cognitio clara & explicita rei abſolute, & ſimpliciter,& habet connexionem aliquam cum alia cognitione explicita eiuſdem rei,poſſe cum illa componere modum ſciendi, cognitiones autem præmiſſarum,licet ſint confuſæ reſpectu veritatis concluſionis,ſunt tamen abſolute, & ſimpliciter cognitiones explicitæ reſpectu eſſentię rei, ac veritatis præmiſſarum, & inſuper habent connexionem cum cognitione explicita concluſionis, quia illam inferunt & cum illa completam, & adæquatam rei cognitionem conſtituunt, quia per præmiſſas cognoſcitur eſſentia rei, & per concluſionem cognoſcitur eius paſſio,quo res complete cognoſcitur,& ideo cognitiones præmiſſarum,& cognitiones concluſionis cõflare vnum modum ſciendi,id eſt vnum ſyllogiſmum, vel vnam demonſtrationem;hæc autem ratio & connexio non datur inter cognitionem confuſam definiti,& cognitionem explicitam definientem, & idcirco non conficiunt vnum modum ſciendi. Ad ſecundum Reſp.diſcurſum ſolum formaliter includere aſſenſum concluſionis, & connotare aſſenſum præmiſſarum tãquã terminum,quiadiſcurſus eſt inferre vnum ex alio, quod ſolum conuenit aſſenſui concluſionis cum dicta connotatione præmiſſarum; ſyllogiſmum vero præmiſſas,& concluſionem eſſentialiter includere, quia eſt quoddam artefactum continens materiam & formam,ac proinde ſyllogiſmus plus formaliter includit quam diſcurſus, & ideo ab illo diſtinguitur per modum includentis,& incluſi, quo ceſſat vis argumenti. Ad tertium dico primo,ſyllogiſmum demonſtratiuum cauſare & generare ſcientiam, ſcilicet habitualem, id eſt, habitum ab ipſo diſtinctum vere ſcientificum. 2. ſyllogiſmum ſecundum aliquam partem ſui,id eſt, ſecundum præmiſſas generare ſcientiam, videlicet concluſionem,& quod conuenit parti,ſæpe toti compoſito adaptatur. 3. ſyllogiſmum demonſtratiuum cauſare ſcientiam formaliter,quia per ſe ipſum reddit intellectum formaliter ſcientem. Ex dictis infero, defectum formæ ſyllogiſticæ deſtruere eſſentiam ſyllogiſmi, ſecus vero defectum ſolius materiæ,hoc eſt,ſyllogiſmum etiamſi ſit in materia neceſſaria, ſi tamen non habuerit rectam formam ſyllogiſticam non eſſe verum ſyllogiſmum,ſi vero habuerit rectam diſpoſitionẽ ac formam etiamſi ſit in materia ſolum probabili,aut etiam à parte falſa retinere verã rationem ſyllogiſmi, vnde iſte non eſt bonus,nec verus ſyllogiſmus:Omnis homo eſt animal,omne rationale eſt riſibile,ergo omnis homo eſt riſibilis, quia non habet formam ſyllogiſticam licet ſit in materia neceſſaria,hiç vero eſt verus ſyllogiſmus:omnis lapis eſt animal, omnis Angelus eſt lapis,ergo omnis Angelus eſt animal,quia habet rectam diſpoſitionem & formam ſyllogiſticam, licet materia ſit impoſſibilis & falſa : Probatur aperte ex dictis,

4

5

syllogismus est oratio in qua ex duabus præmissis sequitur necessario conclusio ratione formæ syllogisticæ, vt supra n. 1. expositum est, atqui quando syllogismus habet defectum in forma syllogistica, licet conclusio sequatur necessario ratione materiæ, non tamen sequitur necessario ratione formæ syllogisticæ, quando vero habet solum defectum ex parte materiæ, licet conclusio non sequatur ex parte materiæ, sequitur tamen ratione formæ syllogisticæ vt patet in exemplis adductis, ergo quando syllogismus habet defectum in forma syllogistica, non est vnus syllogismus, licet sit in materia necessaria & quando habet solum defectum in materia, quia scilicet sit falsa, ac impossibilis veram habebit rationem syllogismi.

CAPVT II.

An cognitio de bonitate illationis ad quemuis assensum scientificum requiratur.

6 ILlatio bona conclusionis ex præmissis potest dupliciter vsurpari 1. accipitur pro connexione, quam habet assensus conclusionis cum assensibus præmissarum, quæ potest dici connexio seu illatio formalis. 2. accipitur pro connexione, seu identitate, quam habet veritas obiectiua conclusionis cum veritate obiectiua præmissarum, quæ potest dici connexio, seu illatio obiectiua. Hinc duplex insurgit cognitio bonitatis illationis, alia est cognitio reflexa, qua cognoscitur illatio, & connexio formalis, quæ est inter assensum conclusionis, & assensum præmissarum; alia est cognitio directa, qua cognoscitur illatio, seu connexio obiectiua, quæ est inter veritatem obiectiuam conclusionis & veritatem obiectiuam præmissarum. Et quidem cognitionem reflexam bonitatis illationis, qua scilicet cognoscitur illatio formalis, non requiri necessario ad quemlibet assensum scientificum, satis supra ostensum est tract. 1. disp. 3 c. 2. assertione 2. modò quærimus an cognitio directa bonitatis illationis, qua scilicet solum cognoscitur illatio & connexio obiectiua ad quemuis assensum conclusionis scientificum necessaria sit.

7 Tres possunt numerari sententiæ: prima sententia est necessario requiri cognitionem aliquam iudicatiuam, qua perfecte cognoscatur, & iudicetur talis illatio, & connexio conuersionis cum præmissis ad quemuis assensum scientificum eliciendum. Secunda sententia est requiri saltem simplicem quamdam apprehensionem talis illationis, & connexionis ad assensum scientificum conclusionis. Tertia sententia est nullam cognitionem nec iudicatiuam, nec apprehensiuam prædictæ illationis, & connexionis conclusionis cum præmissis necessario requiri ad assensum scientificum eliciendum in perfecta, clara & euidenti demonstratione.

8 Præmitto pro dubij decisione, quando quis in syllogismo claro, & euidenti assentitur conclusioni per talem assensum conclusionis, non necessario cognoscere ex parte obiecti connexionem quam habet veritas obiectiua conclusionis cum veritate obiectiua præmissarum, exempli gratia, quando ego in hoc syllogismo, omne rationale est risibile: omnis homo est rationalis, ergo omnis homo est risibilis, per tertium actũ, qui est assensus conclusionis, assentior hominem esse risibilem, non necessario cognosco explicite per talẽ actum connexionem, quam habet hoc, quod est hominem esse risibilem, cum hoc quod est hominem esse rationalem & rationale esse risibile; sed per talem assensum possum formaliter, atque præcisè cognoscere solam risibilitatem hominis, quæ est veritas obiectiua conclusionis. Probatur, qui cognoscit connexionem quam habet veritas obiectiua conclusionis cum veritate obiectiua præmissarum, necessario cognoscit per talem actum veritatem obiectiuam præmissarum, sed per assensum sapientissimum conclusionis non necessario cognoscit quis veritatem obiectiuam præmissarum, sed potest solum cognoscere per illum veritatem obiectiuam conclusionis vt ostendam cap. sequenti, ergo per assensum scientificum conclusionis non necessario cognoscit quis ex parte obiecti connexionem, quam habet veritas obiectiua conclusionis cum veritate obiectiua præmissarum.

ASSERTIO sit: in syllogismo claro, euidenti, ac demonstratiuo non requiritur necessario prædicta cognitio directa, nec indicatiua, nec apprehensiua de bonitate illationis ad assensum scientificum conclusionis eliciendum. Ita D. Thom. sapientissimi, Carleton disput. 47. logicæ sect. 3. Ouiedo controuers 9. Logicæ p. 2. Franciscus Alphonsus, disput. 14. de anima sect. 4. n. 42. Petrus Hurtado disp. 10. de modo sciendi, & disput. 7. de anima sect. 5. Valentia, Conimbricenses supra cap. 1. q. 2. art. ... Arriaga disp. 13. Logicæ sect. 3. & plures ex Recentioribus. Probatur, ex eo præcise, quod intellectui proponatur clare, & euidenter aliqua veritas potest illi formaliter assentiri, sicut ex eo præcisè, quod, voluntati proponatur clare aliqua bonitas, potest eam amare, nam obiectum intellectus est veritas, sicut obiectum voluntatis est bonitas, sed eo præcisè quod quis in syllogismo euidenti', & perfecto cognoscat clare præmissas, secluſa omni alia cognitione de bonitate illationis proponitur clare illi veritas conclusionis; ergo ex eo præcisè quod quis cognoscat clare præmissas omni alia cognitione secluſa, de bonitate illationis, poterit assentiri conclusioni, ac proinde cognitio de bonitate illationis non erit ad assensũ scientificũ conclusionis necessaria. Consequentia tenet cum maiori, minorem autem sic probo, ex eo præcisè, quod quis clare cognoscat duo prædicata esse vera identificata vni tertio in creatis, proponitur illi clare talia prædicata esse idem inter se, nam principium est lumine naturæ notum, quæ sunt eadem vni tertio sunt idem inter se, atqui in hoc syllogismo, v.g. omne rationale est risibile, omnis homo est rationalis, ergo omnis homo est risibilis, ex eo præcisè, quod quis cognoscat clare præmissas scilicet omne rationale esse risibile, & hominem esse risibilem, cognoscit clare duo prædicata, scilicet risibile, & hominem esse identificata cum vno tertio, scilicet cum rationali, ergo ex eo præcisè, quod has præmissas clare cognoscat proponitur ei clare illa prædicata esse idem inter se, scilicet hominem esse risibilem, quæ est veritas conclusionis. 9

Confirmo, vt aliquis clare cognoscat hominem esse risibilem, sufficit quod clare cognoscat hominem esse rationalem, & rationale habere necessariam connexionem cum risibili; si enim hoc clare concipiat, non potest non certo scire hominem esse risibilem, sed in proposito syllogismo ex eo præcisè, quod quis clare cognoscat præmissas absque alia cognitione de bonitate illationis cognoscit clare hominem esse rationalem, (quod cognoscitur in minori) & rationale habere necessariam connexionem cum risibili (quod cognoscitur in maiori) ergo ex eo præcisè quod quis clare cognoscat præmissas absque alia cognitione de bonitate illationis, cognoscit clare veritatem conclusionis. 10

Vrgeo: ad eliciendum assensum scientificum conclusionis tantum requiritur, quod præcedat apprehensio, qua apprehendatur id, quod cognoscitur formaliter per talem assensum, sed per assensum conclusionis non necessario cognoscitur illatio, seu connexio obiectiua, quam habet veritas conclusionis cum veritate præmissarum, sed propter talem assensum solum formaliter cognoscitur veritas ipsa obiectiua conclusionis, vt ostendi n. 8. ergo ad eliciendum assensum scientificum conclusionis, non necessario requiritur, quod præcedat apprehensio, qua apprehenditur præ- 11

dicta

dicta illatio & connexio obiectiua veritatis concluſionis cum veritate præmiſſarum, ſed ſola apprehenſio ipſius veritatis concluſionis; igitur ad aſſenſum concluſionis requiritur non neceſſario illa cognitio etiam apprehenſiua de bonitate illationis.

12 Obiiciat aliquis 1. Ariſtotelem dicentem ſcientiam eſſe cognitionem rei per cauſam, & quod illius ſit cauſa, & quod non poſſit aliter ſe habere, ſed cognoſcere aliquid eſſe cauſam rei, quæ ſcitur, ita vt non poſſit aliter ſe habere, nec illam non cauſare, eſt cognoſcere bonitatem illationis, ac connexionem effectus cum cauſa, ergo ſcientia ſeu ſcientificus aſſenſus neceſſario includit, vel requirit iuxta Ariſtotelem cognitionem illationis, ſeu connexionem effectus cum cauſa. Reſpondeo ad aſſenſum ſcientificum non requiri, quod talis aſſenſus cognoſcat in actu ſignato illationem rei ex cauſa, id eſt, quod concipiat, & iudicet ex parte obiecti rem illam neceſſario ſequi, & inferri ex cauſa, hoc eſt, quod ille aſſenſus concluſionis talem illationē exerceat, & neceſſario & infallibiliter inferat rem illam ex ſua cauſa, ita vt non poſſit illam non inferre. Hoc autem eſt cognoſcere in actu exercito rem per cauſam, & quod illius ſit cauſa, & quod non poſſit aliter ſe habere, quod ſolum Ariſt. intendit.

13 Obiiciat 2. ad quemlibet aſſenſum prærequiritur neceſſario apprehenſio illius rei, quam per aſſenſum cognoſcimus, ſed per aſſenſum ſcientificum concluſionis cognoſcimus connexionem obiectiuam concluſionis cum præmiſſis, ſeu illationem ex illis, ergo ad aſſenſum ſcientificum concluſionis neceſſario prærequiritur apprehenſio illius obiectiuæ connexionis ac illationis concluſionis ex præmiſſis. Probatur minor, per aſſenſum concluſionis cognoſcimus concluſionē, non quidem immediate in ſeipſa, & per ſe ipſam, concluſio enim non eſt veritas per ſe nota, alioquin non eſſet concluſio, ſed primum principium, ergo cognoſcimus concluſionem per aliud, hoc eſt, propter connexionem quam habet cum alio, atqui concluſio ſolum habet connexionem obiectiuam cum præmiſſis, ex quibus neceſſario infertur, ergo per aſſenſum concluſionis cognoſcimus ipſam concluſionem propter obiectiuam connexionem, quam habet cum præmiſſis, & illationem ex illis, igitur per talem aſſenſum cognoſcimus formaliſſimè tanquam rationē formalem ipſam connexionem obiectiuam, & illationem concluſionis ex premiſſis. Reſp. aſſenſu concluſionis nos non neceſſario cognoſcere in actu ſignato connexionem, ac illationem concluſionis ex præmiſſis, quia per talem aſsēſum non iudicamus ex parte obiecti bene inferri concluſionem ex præmiſſis, vt oſtendam c. ſequenti, per talem vero aſſenſum cognoſcere in actu exercito illationem concluſionis ex præmiſſis, quia per illum in exercitio inferimus recte concluſionem ex præmiſſis, quod ſufficit, vt veritas concluſionis non cognoſcatur per ſe ipſam tanquam veritas per ſe nota, ſed cognoſcatur per aliud, ſcilicet per præmiſsas ex quibus neceſsario infertur.

14 Obiiciat 3. idemmet, quod ſignificat ſyllogiſmus vocalis, cognoſcit, ac repræſentat ſyllogiſmus mentalis, qui declaratur & exprimitur per vocalem, ſed ſyllogiſmus vocalis ante aſſenſum concluſionis ſignificat bonitatem illationis, illa enim dictio, ergo, quæ in omni ſyllogiſmo vocali ante concluſionem reperitur ſignificat concluſionem, bene inferri ex præmiſſis, ergo ſyllogiſmus mentalis cognoſcit, ac repræſentat ante aſſenſum concluſionis bonitatem illationis; igitur ad omnem aſſenſum ſcientificum concluſionis prærequiritur cognitio aliqua de bonitate illationis. Reſp. ſyllogiſmū mentalem non neceſſario cognoſcere in actu ſignato totū id, quod ſignificatur per ſyllogiſmū vocalē, nā ſyllogiſmus vocalis ſignificat bonitatē illationis & hanc nō cognoſcit in actu ſignato ſyllogiſmus mētalis, vt oſtenſum eſt, cognoſcere vero ſaltem in actu exercito totum id, quod ſignificat ſyllogiſmus vocalis; etenim ſyllogiſmus mentalis cognoſcit concluſionem illam in exercitio bene inferendo ex præmiſſis, & quia hæc conſequutio & illatio exercita nō poteſt exterius manifeſtari, niſi per aliquam vocem, quæ illam directe ſignificat, ideo ponitur illa dictio, ergo, quæ talem illationem exercitam manifeſtat, licet in ſyllogiſmo mentali non neceſſario detur illa cognitio, quæ talem illationem obiectiue repræſentet.

Dixi in aſſertione, in ſyllogiſmo claro, euidenti ac demonſtratiuo non neceſſario requiri cognitionē aliquam de bonitate illationis ad aſſenſum ſcientificum concluſionis eliciendum; nam in ſyllogiſmo non ita euidenti & claro, cuius forma ſyllogiſtica non tam aperte concludit, aliqua neceſſaria eſt cognitio de bonitate illationis ad ſcientifice concluſionē inferendā. 15

CAPVT III.

An obiectum formale præmiſſarum ſit formalis ratio obiectiua intrinſeca aſſenſus concluſionis.

RAtio formalis obiectiua alicuius actus eſt illa formalis ratio, quæ mouet formaliter ad actum, vel propter quam actus tendit ad ſuum obiectum, hæc autem eſt duplex, alia intrinſeca, alia extrinſeca, ratio formalis obiectiua intrinſeca eſt illa, quæ mouet formaliter ad actum, & attingitur per ipſum actum, vt bonitas eſt ratio formalis obiectiua intrinſeca reſpectu amoris, quia mouet ad actum amoris, & attingitur per ipſum amorem: ratio formalis obiectiua extrinſeca eſt illa, quæ mouet ad actum, & non attingitur per illum actum, talis vero actus fit & cauſatur ab alio, qui habet pro obiecto formali ipſam rationem motiuam, vt ſiquis habeat actum charitatis, quo decernat elicere actum temperantiæ propter complacentiam & bonitatem diuinā & poſtea ex tali imperio actum temperantiæ eliciat, bonitas diuina erit ratio formalis obiectiua extrinſeca reſpectu actus temperantiæ, quia mouet ad talē actum vt conſtat, & non attingitur per ipſum actum temperantiæ, alias non eſſet actus temperantiæ ſed charitatis, talis vero actus temperantiæ fit, & cauſatur ex illo actu charitatis, qui habet pro obiecto formali rationem motiuam illam ſcilicet bonitatem diuinam. Apud omnes certum eſt, veritatem præmiſſarum eſſe rationem formalem obiectiuam ſaltem extrinſecam aſſenſus concluſionis, quia veritas præmiſſarum eſt ratio formalis mouens ad aſſenſum concluſionis, & aſsenſus concluſionis fit, & cauſatur ex aſsenſibus præmiſsarum qui habent pro obiecto formali talem rationem motiuam, Dubium tamen eſt, an veritas præmiſſarum ſit ratio formalis obiectiua intrinſeca aſſenſus concluſionis, quæ ita moueat ad talem aſſenſum, vt per illum formaliter attingatur, & cognoſcatur. 16

Multorum ſententia eſt, veritatem præmiſſarum eſſe rationem formalem obiectiuam intrinſecam reſpectu aſſenſus concluſionis, putant enim ita aſſenſum concluſionis ipſam concluſionem cognoſcere propter aliud, ſcilicet propter prima principia, vt attingat, atq; cognoſcat formaliter veritatē ipſam principiorū tanquam rationem formalem aſſentiendi concluſioni. Ita Capreolus, Ferrara, Soncinas, Durandus relati à Rubio hiē q. 6. n. 54. qui hanc etiam ſententiam ſequitur, & pro illa affert nonnulla D. Thomæ teſtimonia, quæ inferius interpretabor, Fonſeca 1. met. c. 1. q. 4. Vallius 1. Poſt. diſp. 1. p. 2. q. 5. Arriag. d. 15 logic. ſ. 4. Ouiedo controuerſ. 9. log. p. 3. 17

ASSERTIO ſit, veritas præmiſſarum non attingitur neceſſario per aſſenſum concluſionis, ſed multiplex 18

eſſe

esse potest assensus scientificus conclusionis, qui solũ veritatem conclusionis non vero veritatem præmissarum formaliter ex parte obiecti cognoscat, atq; ita veritas principiorũ non necessario est ratio formalis obiectiua intrinseca assensus. Ita Gabriel in Prologo sententiarũ q. 8. Okcan ibidem, Ariminensis q. 3. Prologi articul. 1. Suarez 3. p. disput. 54. sect. 5. Vasquez 1. 2. disp. 33. c. 3. & 4. Carleton disp. 47. logicæ sect. 4. Hurtado disp. 11. logicæ sect. 9. & disp. 7. de anima sect. 7. Franciscus Alphonsus disp. 14. de anima sect. 5. Valentia 2. 2. disp. 1. n. 2. & plures alij ex antiquis, & recentioribus, quibus subscribit, Mol. Probatur 1. positis duabus præmissis euidentibus potest noster intellectus per alium tertium actum cognoscere præcisè veritatem, quã ex illis deducit non cognoscendo per istum actũ veritatem prẹmissarum, sed iste actus erit assensus scientificus conclusionis, ergo esse potest assensus scientificus conclusionis qui solum cognoscat veritatem conclusionis, non vero veritatem præmissarum, ac proinde veritas præmissarum non necessario erit ratio formalis obiectiua intrinseca assensus conclusionis. Consequentia est euidens, maior patet, quia quando intellectui proponitur clare aliqua veritas potest intellectus illam veritatem præcisè cognoscere, ita vt per talem actum non cognoscat aliam veritatem, sicut quando voluntati ptoponitur clare aliqua bonitas, potest voluntas illam præcisè amare, ita vt per talem actũ amoris non amet aliam bonitatem, sicuti enim voluntas se habet ad bonitatem, ita intellectus ad veritatem, atqui per prẹmissas euidentes iam concessas, proponitur clare intellectui veritas conclusionis, quæ ex illis infertur, vt monstratum est n. 9. ergo positis vel concessis duabus præmissis euidentibus potest intellectus per alium tertium actum cognoscere præcisè veritatẽ cõclusionis, quæ ex illis præmissis infertur absque eo, quod per talem actum cognoscat veritatem præmissarum: minor, etiam secundum talem actum esse assensũm scientificum conclusionis sic ostenditur, assensus conclusionis, seu notitia discursiua, atque scientifica, iuxta Aristotelem est illa, quæ ex præexistenti cognitione fit, vt late disp. sequẽti, sed ille actus tertius, quo quis positis præmissis euidentibus, v. g. omne rationale esse risibile, & omnem hominem esse rationalem cognosceret præcisè, ac solum veritatem conclusionis, quæ ex illis infertur, scilicet hominem esse risibilem, esset quędam notitia, quæ ex præexistente fieret cognitione, videlicet ex præmissis præexistentibus, fieret enim talis actus, ac cognitio risibilitatis dependenter ab ipsius propositione, & illuminatione facta formaliter per præmissas euidentes, sicut amor boni fit dependenter à boni propositione, & illuminatione facta formaliter per actum intellectus, ergo talis actus, quo quis præcisè cognosceret veritatem conclusionis, & non veritatem præmissarum esset vere notitia discursiua, & assensus scientificus conclusionis.

19 Probatur secundo, ex duplici principio satis trito, & ab omnibus admisso. Primũ principium quod est mediũ syllogismi numquã debet repeti in conclusione, vt docuimus in introduct. ad logicam disp. vltima n. 5. sed si assensus conclusionis etiam cognosceret veritatem præmissarũ, medium semper repeteretur in conclusione, nam hic, v. g. syllogismus ita formandus erat, omne rationale est risibile, omnis homo est rationalis, ergo omnis homo est risibilis, quia est rationalis, ecce rationale, quod est medium etiam in cõclusione repetitur, & sic de aliis, ergo assensus conclusionis non necessario cognoscit veritatem præmissarum. Secundum principium est, ex falso aliquando sequitur verum, vt diximus etiam in introductione ad logicam disp. vltima n. 1. Sed si assensus conclusionis necessario cognosceret veritatem præmissarum ex falso non posset sequi verum, nã iste syllogismus, v. g. omnis lapis est animal, omnis homo est lapis, ergo omnis homo est animal, in quo cõmuniter dicitur ex falso sequi verũ ita formãdus esset, omnis lapis est animal, omnis homo est lapis, ergo omnis homo est animal, quia est lapis, in quo nõ sequeretur nisi ex falso falsum, igitur assensus conclusionis nõ cognoscit necessario veritatẽ præmissarũ.

Probatur tertio, actus voluntatis, qui oritur, & infertur ex amore bonitatis finis, non necessario amat ipsam bonitatem finis, ergo actus intellectus, scilicet actus cõclusionis, qui oritur & infertur ex cognitione veritatis præmissarum non necessario cognoscit ipsam veritatẽ præmissarum. Consequentia tenet à paritate rationis, antecedens sic ostendo, si quis habeat actum charitatis, quo decernat efficere actum misericordiæ propter complacentiã, ac bonitatem Dei, tamquã propter finem, & postea efficiat actum misericordiæ, talis actus misericordiæ orietur, & inferetur ex illo actu charitatis, & amore bonitatis Dei, qui est finis, cum ex illius imperio procedat, & tamen talis actus non amabit bonitatem Dei, sed solum bonitatem misericordiæ, alioquin non esset actus misericordiæ, sed tantum actus charitatis, cuius proprium est habere pro obiecto formali bonitatem Dei, ergo actus voluntatis, qui oritur, & infertur ex amore bonitatis finis non necessario amat ipsius finis bonitatem. 20

Obiiciat aliquis primo: assensus scientificus conclusionis cognoscit veritatem conclusionis per se ipsum, alioquin talis assensus non esset scientificus, nec talis veritas esset conclusio, sed solum veritas principiorum per se nota, ergo assensus conclusionis cognoscit veritatem conclusionis propter aliud scilicet propter veritatem principiorum ac præmissarũ, igitur assensus iste cognoscit etiam formaliter veritatẽ præmissarum. Dices, assensum conclusionis cognoscere tantum mediate, & extrinsece veritatem præmissarum, quia oritur, & infertur ex præmissis, quæ formaliter cognoscunt talem veritatem. Sed contra: assensus conclusionis intrinsece est actus scientificus, ergo cognoscit veritatẽ conclusionis propter aliud, scilicet propter veritatem præmissarum intrinsece, igitur cognoscit etiam intrinsece veritatem præmissarum. Respondeo assensum conclusionis esse intrinsece actum scientificum, quia licet non cognoscat veritatem conclusionis propter veritatem præmissarum intrinsece in actu signato, nõ enim cognoscit talis assensus ex parte obiecti illationem, & conexionem, quam habet veritas conclusionis cum veritate, præmissarum, ac proinde nec cognoscit necessario veritatem præmissarum vt ostensum est, tamen assensus iste conclusionis cognoscit veritatem conclusionis propter veritatem præmissarum intrinsece in actu exercito, quia intrinsece infert conclusionem ex præmissis præexistentibus, atque ita est notitia quædam, quæ ex præexistenti cognitione fit etiam intrinsece, quod iuxta Aristotelem sufficit, vt sit intrinsece scientia. 21

Obiiciat secundo, sicut se habet bonitas finis ad electionem mediorum, ita se habet veritas præmissarum ad assensum conclusionis vt communiter admittunt Philosophi, sed bonitas finis semper est ratio formalis obiectiua intrinseca electionis mediorum, cum enim eligo, v. g. potionem amaram propter finem sanitatis, ipsa bonitas finis, hoc est sanitas est ratio formalis obiectiua intrinseca talis electionis, ergo etiam veritas præmissarum erit ratio formalis obiectiua intrinseca assensus conclusionis. Resp. 1. negando consequentiam, quia conclusio habet in se aliquam veritatem distinctam à veritate præmissarum, & ideo nõ necessario cognoscitur intrinsece propter præmissarum veritatem, sed potest cognosci intrinsece propter se ipsam præcisè, medium vero verbi gratia potio amara non habet in se aliam bonitatem, nisi bonitatem finis, scilicet sanitas, & ideo non potest amari intrinsece 22

fece nisi propter bonitatem finis scilicet sanitatis. Respondeo secundo negando antecedens, quia cum medium v. g. potio amara habeat in se aliquam bonitatem distinctam à bonitate finis, nempe conuenientiam, & aptitudinem ad causandam sanitatem, potest per actum electionis amari præcisè propter se ipsam intrinsecè, & tantum extrinsecè propter bonitarem finis scilicet sanitatis, quia actus electionis ex amore sanitatis procedit, & imperatur.

23 Obiiciat 3. Lux est ratio videndi colores per potentiam visiuam, & diuina reuelatio est ratio credendi mysteria per fidem diuinã, ideo lux est necessario ratio formalis obiectiua intrinseca actus visionis, & diuina reuelatio est ratio formalis credendi obiecta intrinseca actus fidei, atqui veritas præmissarum est etiã ratio assentiendi conclusioni, ergo veritas præmissarũ est necessario ratio formalis obiectiua intrinseca assensus cõclusionis Respondeo, obiectũ formale potentiæ visiuæ esse præcisè lucem vel colorem lucidum, & obiectum formale habitus fidei diuinæ esse præcisè reuelationẽ diuinam, vnde cum nulla potentia, vel habitus possit versari extra suũ formale obiectum, ideo nullus potest actus potentiæ visiuæ esse, qui intrinsecè non videat lucẽ, & nullus potest esse actus fidei diuinæ, qui intrinsecè non cognoscat reuelationem diuinam, at verò obiectum formale intellectus non est præcisè veritas præmissarum, sed quæcumq; veritas, siue præmissarum siue conclusionis, atque ideo potest intellectus positis præmissis cognoscere per assensum conclusionis veritatem ipsius conclusionis absque eo quod per talem attingat intrinsecè veritatem præmissarum.

24 Sed quærat quis, an saltem possit intellectus positis præmissis euidentibus per assensum conclusionis cognoscere veritatem conclusionis propter veritatẽ præmissarum intrinsecè & formaliter, negant aliqui, quia sicut simplex apprehẽsio proponit intellectui obiectũ non vero seipsam, ita præmissæ proponũt & declarant intellectui veritatem conclusionis, non vero seipsas; ergo sicut intellectus ex vi talis apprehẽsionis obiecti non potest per actum iudicij cognoscere ipsam apprehensionem, sed solum obiectum propositum & apprehensum, ita intellectus per assensum conclusionis non poterit ex vi præmissarum cognoscere ipsas præmissas sed solum veritatem conclusionis, sed hæc ratio solum probat intellectum non posse per actum ac assensum conclusionis cognoscere assensus ipsos præmissarum, qui seipsos quasi reflexe non proponunt intellectui, non tamen probat intellectum per assensum conclusionis non posse cognoscere etiam formaliter veritatẽ obiectiuam præmissarũ, quę etiam per ipsas præmissas clarè obiicitur, & proponitur intellectui Arbitror ego posse intellectũ per assensum conclusionis cognoscere etiam intrinsece, & formaliter veritatẽ præmissarum tanquam rationem formalem obiectiuam intrinsecam assentiẽdi, & id aliquando efficere, quo pacto intelligo D. Th. de Veritate q. 22. art. 14. ad 3. & 1 2. q. 8. art. 3. in corpore, qui expresse ait intellectum per vnum actum cognoscere conclusionẽ propter principia, ac ipsamet principia antea cognita per præmissas cognoscere etiã in ipsa conclusione, ratio est aperta, quia quando clarè proponitur intellectui ex parte obiecti vna ratio vt connexa cum alia potest intellectus vnam rationem cognoscere intrinsece propter aliam, sed per actus præmissarum proponitur clarè intellectui veritas conclusionis, vt connexa ex parte obiecti cum veritate præmissarum, ergo intellectus potest per vnum assensum conclusionis cognoscere formaliter, & intrinsece veritatem conclusionis propter veriattem præmissarum, sicut potest voluntas per eumdem actum electionis amare medium v. g. potionem amaram intrinsece propter bonitatem finis, videlicet sanitatis.

DISPVTATIO XXXIV.

De prærequisitis ante demonstrationem.

QVinque capita continebit. In 1. inquiro, an hæc propositio Philosophi, Omnis doctrina & disciplina ex præexistenti fit à cognitione, vniuersaliter sit vera? In 2. quæ & quot sint principia demonstrationis, & qualiter cognoscantur. In 3. an cognitio principiorum sit discursiua? In 4. an habitus primorum principiorum realiter ab intellectu distinguantur? In 5. an habitus primorum principiorum sit à natura inditus, vel adquisitus per proprios actus.

CAPVT I.

An omnis doctrina, & disciplina ex præexistente fiat cognitione.

ARrist. hunc tract. de posteriori resolutione incipit his verbis, Omnis doctrina & disciplina ex præexistenti fit cognitione, ostendens duas esse præcognitiones, scilicet an sit? & quid sit? & tria esse præcognita, videlicet subiectum, passionem & principia, quæ etiam sunt præcognoscenda ante demonstrationem, de quibus disp. sequenti, & in hac, propositionem Phylosophi, & alia examinabimus. 1

Præmitto claritatis gratia ex Arist. & D. Thoma, in hoc lib. 1. lect. 1. eamdem rem significare doctrina & disciplina hac seruata differentia, quod doctrina dicitur vti à Magistro per vocẽ, aut scripturam, disciplina vero vt recipitur in discipulo. Sic colligitur ex 3. phys. c. 10. quemadmodum inquit, *doctio, & disciplina sunt eadem scientia, ita actio, & passio sunt idem motus*, & in iis etiam assignat discrimen, quod calefactio ita fit ab agente, vt nullo modo possit procedere ab aqua, licet in illa recipiatur, quia calor existens in igne physica actione producit calorem in aqua per modũ causæ naturalis, doctrina vero ita est à Magistro, vt principaliter sit ab intellectu discipuli, quia magister sua scientia docẽs dirigit immitendo signa externa discipulo, disciplina vero debet esse ab intellectu discipuli, & sic doctrina, & disciplina in se sũt realiter eadẽ res. 2

Præmitto 2. propositionem Philosophi, non esse intelligendam de cognitione sensitiua, sed de intellectiua, nam vt infra dicemus, cognitio sensitiua generaliter non fit ex præexistenti alia cognitione, nam alias procederemus in infinitum, sed sistitur in cognitione sensus externi, quæ non procedit ex alia cognitione antecedenti, sed ex propositione obiectorũ, ergo doctrina Philosophi non est intelligenda de cognitione sẽsitiua, sed de cognitione intellectiua, & discursiua. 3

Verum vniuersalem illam propositionem Philosophi omnis doctrina, & disciplina, &c. non esse veram suadent sequẽtes rationes dubitandi, prima est, quia si illa esset vera daretur processus in infinitum, qui in omni scientia est vitandus, sequellam probo, nam præexistens cognitio etiam est doctrina, & disciplina, sed ex Philosopho omnis doctrina & disciplina fit ex præexistenti alia cognitione, ergo & illa præexistens, & sic de aliis. Secunda ratio dubitãdi est, quia si omnis cognitio fieret ex præexistenti alia cognitione, ergo etiam cognitio Angeli deberet fieri ex præexistenti alia cognitione, sed cognitio Angeli non fit ex præexistenti alia cognitione, nam Angeli à principio suæ creationis habuerunt species congenitas, quibus omnes res naturales cognoscebant, ergo non omnis 4

cogni

cognitio intellectiua fit ex præexistenti alia cognitione.

5 Nec valet dicere illam propositionem Philosophi non esse intelligendam de cognitione intellectus Angelici, sed de cognitione intellectus humani, nam nec de cognitione intellectus humani propositio videtur vniuersaliter vera; quia cognitio infusa fidei diuinæ, qua cognoscimus mysteria reuelata, non fit ex alia præexistente cognitione; & tamen illa cognitio est intellectus humani, ergo nec de cognitione intellectus humani propositio Philosophi vniuersaliter est vera. Tandem tertia ratio dubitandi est, quia non videtur illa propositio vera in cognitione naturali primorum principiorum, quæ cognoscuntur sola apprehensione terminorum, nec videtur vera in cognitione singularium quæ cognoscuntur tum sensu, tum experientia; ergo illa propositio Arist. vniuersaliter non videtur esse vera: sed iis non obstantibus.

6 Assertio I. sit: propositio illa Philosophi; omnis doctrina, & disciplina ex præexistenti alia fit cognitione, intelligenda est de cognitione intellectuali discursiua, scilicet de cognitione quæ ex alia, seu per quam ratio de vno in aliud procedit. Ita D.Th. in præsenti interpretatur Arist. nam in codice Græco, loco omnis doctrina & disciplina est nomen, quod significat viam conficere, seu discurrere; ergo idem est ex mente Arist. cognitio discursiua, ac omnis doctrina, & disciplina, sequuntur Arist. & D.Th. communiter omnes Philosophi tam antiqui, quam recentiores. Auerroes, Philoponus, Albert. Conimb. hic q.2. art.2. Sanchez, Masius q.1. ad 2. Rubio ibidem, Complut. d.17. Log.q.1. Ioan. à S.Th. q.24. Log.art.1. Auersa, Lerma lib.8.q.1. longissime P. Vallius lib.1. post. d.1. q.1. Probatur, ratione, quia impossibile est hominem esse animal rationale, nisi prius cognoscamus, quid sit animal, & quid sit rationale, sed cognitio animalis & rationalis sunt cognitiones agentes illã conclusionem, ergo à fortiori illa cognitio, quæ formaliter est discursus debet fieri ex præexistente alia cognitione. Confirmatur à simili, res naturalis non potest esse in rerum natura nisi per aliquam causam agentem, ergo nec cognitio discursiua potest esse, nisi dependeat in cognosci, à quibus habet esse, sed habet esse per præmissas, ergo conclusio, quæ formaliter est discursus, essentialiter fit ex præexistenti alia cognitione.

7 Dices, cognitionem opinatiuã esse intellectiuam & tamen non semper opinionem fieri expræexistenti alia cognitione, quia multoties cognitiones opinatiuæ sunt immediate & per se notæ, & natura sua probabiles, vt mater diligit filiũ, in quibus cognitionibus non habetur vna cognitio ex alia, sed cognoscuntur ex sola terminorum apprehensione, nã quando vna ratio est nota, non indiget alia ratione probante, sicut indiget conclusio, & cognitio obscura, & ignota, qualis est cõclusio, quæ indiget alia antecedẽte cognitione, ex qua inferatur, ergo si aliquando datur cognitio opinatiua per se nota, quæ tamẽ est intellectiua, nõ omnis cognitio intellectiua fit expræexistẽte alia cognitione. Respondent nonnulli Arist. debere intelligi de cognitione intellectiua mõstratiua. Sed cõtra, nã propositio Philosophi est vniuersaliter intelligẽda de omni cognitione intellectiua siue demonstratiua siue probabili, cũ illa discursiua sit, quæ dari non potest sine alia cognitione antecedẽte, nã discursus est currere ab vno actu inaliũ, cognitiones vero probabiles non tã sunt conclusiones, quam principia, & ideo non cognoscunt formaliter per discursum, sed ex sola notitia terminorum, & consequenter non pertinere ad habitum opinatiuum, qui generatur ex syllogismo probabili, sed ad alium habitum primorum principiorum, vt dicam infra c.4. & 5.

8 Assertio II. cognitio humana quæ versatur circa conclusionem fit ex alia præexistente cognitione. Probatur manifeste, conclusio, quæ proprie dicitur discursus, resultat ex cognitione principiorũ, & premissarũ, quas illius causas dicemus infra d.37.c 2. ergo cognitio humana, circa cõclusionẽ fit ex præexistẽte alia cognitione: antecedens est apud omnes certum, consequentia probatur, nam discursus, vt ipsum nomen sonat, est progressio intellectus ab vna cognitione in aliam, sed conclusio est formaliter discursus, ergo debet fieri formaliter ex alia cognitione, & in hoc sensu propositio Arist. est intelligenda, ita vt nomine doctrinæ, & disciplinæ intelligat cognitionem discursiuam, & ratiocinatiuam, quod in tex. Arist. videtur manifestum, cum non dicat absolute omnis doctrina, sed omnis doctrina intellectiua id est, rationalis, & discursiua, & alij vertunt, omnis doctrina syllogistica & ratiocinatiua, ergo conclusio, cum sit formaliter discursus, necessario debet fieri ex præexistente alia cognitione.

Assertio III. prima principia per se nota nobis, & à natura, vt quodlibet est, vel non est, fiunt ex alia præexistente cognitione, & per inductionem: sic docet D.Th. supra lectione 3. Themistius, Philopon. & alij, & colligitur ex Arist. 2. post. tex. 16. vbi docet, prima principia cognosci per inductionem non quidem quæ fit, quando cognoscũtur ab homine grandi, sed in pueritia auxilio alicuius sensus, & ideo quamuis sola terminorum explicatio iudicetur sufficiens, ita vt illis expositis statim appareat connexio prædicati cum subiecto, tamen semper præcessit in pueritia aliqua inductio per sensum, quare & fiunt inductione, & ex terminorũ apprehensione v.g. vt cognoscamus hoc principium, totum est maius sua parte, necessarium est apprehendere terminos, & illos etiam cognoscere, saltẽ quoad significationẽ, ergo ante illa principia non solũ præcessit cognitio sensitiua, sed etiã intellectiua, ergo hæc etiã principia fiũt ex alia cognitione præexistẽte. 9

Assertio IV. nulla cognitio Dei vel Angeli fit ex præexistente alia cognitione. Probatur manifeste, nam cognitionem intellectus, quæcumque sit fieri ex præexistente alia cognitione, dicit essentialiter distinctionem cognitionum, cum repugnet eamdem cognitionẽ fieri ex se ipsa, sed cognitio Dei, & Angeli non cognoscit effectus, & causas distinctis cognitionibus ergo cognitio effectus in eis non fit ex præexistente cognitione causæ. Nec valet, si dicas Angelũ cognoscere effectum per causam, scilicet hominem esse risibilem, quia est rationalis, & cognitionem causæ præcedere cognitionẽ effectus, quia licet ex parte effectus & rei cognitæ verum sit Angelos cognoscere effectum habere esse à causa, & propter illam esse, non vero ex parte cognoscentis, & cognitionis Angelicæ, quia eadem est cognitio in Angelo respectu causæ & effectus, cum simplici intuitione vtramque cognoscat sine vlla ratione dubij, ergo cognitio Dei, & Angeli non fit ex præexistenti alia cognitione. 10

Assertio V. cognitio reuelata fidei diuinæ non fit ex præexistente alia cognitione, nec fuit comprehensa ab Arist. in illa vniuersali propositione. Probatur manifeste, nam Arist. non cognouit huiusmodi cognitionem reuelatam, ergo illam non requisiuit ad veritatem suæ propositionis, cum non habuerit fidem Dei, nec Christi, secundo quia si loquamur de scientia infusa per se, illa non fit ex præexistenti alia cognitione, quia tota illa simul infunditur in vno instanti, cognitio autem discursiua fit cum dependentia & influxu aliarum cognitionum, ergo scientia infusa, quæ simul infunditur, non fit ex præexistente alia cognitione. 11

Assertio VI. nec assensus fidei humanæ fit ex præexistente alia cognitione. Probatur manifeste contra Sotum, quia formalis & proxima ratio assentiendi in fide humana est testimonium fide dignum seu testimonium dicentis, sed hoc non est proprie discursus, 12

nec

nec requirit aliam præexistentem cognitionem, in quo distinguitur ab opinione, cuius assensus vel habetur ex sola terminorum apprehensione, vel colligitur ex alio assensu euidenti per consequentiam probabilem, ergo assensus fidei humanæ non fit ex alio, nec ex discursu, sed ex solo testimonio dicentis, ergo non est cognitio discursiua.

13 Ex dictis colligo duo, primum quod sicut cognitio intellectiua fit ex alia cognitione antecedenti, ita cognitio sensuum internorum prærequirit cognitionem sensitiuam sensus externi, cognitio vero sensitiua sensus externi non fit ex alia cognitione sensitiua antecedenti sensus externi, ne detur processus in infinitum, sensus enim externi solum requiruntur ad proponenda obiecta, & imprimendas species in sensibus internis & habent se sicut ipsa obiecta sensuum externorum, sensus enim externi sua obiecta immediatè percipiunt & consequenter non indigent alia antecedenti cognitione, sicut aliæ cognitiones, cum circa propria obiecta debite approximata falli non possunt.

14 Secundum est cognitionem sensitiuam brutorum non fieri ex alia præexistente cognitione, quãuis enim quędam sunt Bruta, ita disciplinabilia, & multa discant ab homine, vt refert Plut. lib. de Solertia animalium c. 3. Plin. lib. 6. de Historia animalium. Probatur etiam manifesta ratione, nam Bruta nullo modo discurrunt, nec habent præcognitionem agentem, aut dirigentem nec cognoscunt prima principia, sed ea omnia, quę faciunt impetu quodam naturæ faciunt, & feruntur propensione quadam in sua obiecta, sicut lapis ad suum proprium locum sine vlla prouidentia descendit, ergo cognitio Brutorum nullo modo fit ex præexistente alia cognitione, sed ex sola propositione obiectorum, & impetu quodam naturæ.

15 Ex dictis in assertionibus facilis est solutio ad rationes dubitandi initio positas. Ad 1. Resp. non sequi processum in infinitũ, nam licèt cognitio disiunctiua fiat ex alia præexistente cognitione, tamen cognitio, qua prima passio probatur, non fit ex alia priori cognitione discursiua, sed ex sola cognitione principiorum. Vel 2. Resp. cognitionem discursiuam fieri ex præexistenti iudicio, & iudicium ex præexistente apprehensione intellectus, & hæc ex cognitione sensus, quæ non fit ex alia priori cognitione, sed solum ex obiectorum propositione. Ad 2. rationem dubitãdi constat in assert. 4. n. 10 Ad 3. rationem dubitandi constat assert. 3. num. 9.

CAPVT II.

Quæ & quot sint principia demonstrationis, & qualiter cognoscantur.

16 HOc nomen principium variè vsurpatur apud Aristotelem, nam in sua poëtica c. 7. sic illud definit, principium est illud, quod post aliud necessarium non est post illud autem aliud natum est, & fieri l. 5. de generatione animalium ait, Principium est causa multorum, sed ipsius nulla est causa 1. physicorum text. 42. ait, principia sunt, quę nec ex se, nec ex aliis, sed ex ipsis omnia fiunt, aliam tradit 5. phys. primo principium est vnde aliquid fit, aut est, aut cognoscitur, sed nos in præsenti non agimus de principiis productionis, & effectionis, & quatenus generationi naturali deseruiunt, de quibus late l. 1. phys. sed solũ agimus de illorum cognitione, & quatenus respondet ab eis in cognosci.

17 Apud Arist. autem varia sunt genera principiorum, quædam sunt complexa, vt demonstratio propositionis vt quodlibet est vel non est. Incomplexa sunt res simplices, vt rationalitas, quæ est principium risibilitatis, Auerroës cum aliis, voluit principia incomplexa solũ esse principia essendi, vt in Phys. motus, & in medicina pulsus, non vero esse principia cognoscendi. Sed fallitur, nam sicut res se habet ad esse, ita & ad cognosci, ergo repugnat principia incomplexa esse principia essendi, & non simul cognoscendi; principia verò complexa, quædam sunt communissima omnibus scientiis, quæ dignitates appellantur, eo quod digna sunt, vt ab omnibus cognoscantur, & sciantur, qualia sunt, totum est maius sua parte, si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent, sunt æqualia, &c. quæ principia licet Mathematicis communia sint, adaptari tamen possunt omnibus aliis scientiis, alia sunt principia propria aliquarum scientiarum vt in Phys. natura est principium motus, aut quietis, in Medicina, contraria contrariis curantur, Reubarbo curare bilem, in moralibus virtus in medio consistit, in Logica demonstratio generat scientiam, ex iis principiis quædam sunt notissima etiam hominibus indoctis, vt quodlibet est, vel non est, totum est maius tua parte, quæ habita notitia terminorum ab omnibus conceduntur, alia sunt tantum nota hominibus doctis vt ex nihilo nihil fit virtute naturalis agentis, substantiæ spirituales non sunt in loco corporeo, & physico, nos vero agimus de principiis complexis, & de illis,

ASSERTIO I. sit, prima principia non possunt 18
probari à priori, bene tamen à posteriori. Prima pars probatur manifestè, nam si prima principia possent demonstrari à priori haberent alia principia illis priora, sed implicat ante prima principia dari alia priora, nam illa non essent prima sed secunda, & in illis demonstrandis deberet necessario dari processus in infinitum, nam eadem militaret ratio de illis primis principiis, ergo implicat prima principia posse probari à priori. Confirmatur, demonstratio à priori procedit per causã, & principia, quia demonstratio fit ad ea, quæ sunt ignota, sed illud, quod est primum principium in aliquo genere non potest habere aliud prius in eodem genere, ergo prima principia in eo genere saltem primorum principiorum non possunt habere alia priora, & consequenter non poterunt probari à priori. Secunda etiam pars, scilicet, quod prima principia possunt probari à posteriori, sic ostendo, nam ipse Arist. 1. phys. ex transmutatione probauit materiam primam esse primum subiectum, & principium physicum & commune vtrique mutationi, & 3. phys. ex motu probauit primum motorem, ergo licèt prima principia à priori non possint probari, bene tamen à posteriori, & ab effectu, & ratio est manifesta, quia contingere potest, quod res aliqua sit nobis ignota, & eius effectus notus, qui modus discurrendi nobis connaturalis est, & tunc optimè ex effectu probamus causam, vt ait Apostolus, per ea, quæ facta sunt inuisibilia Dei cognoscuntur D. August. effectus probauit virtutem, & Christus in Euangelio ex fructibus eorum cognoscetis eos.

ASSERTIO II. Aliqua principia cognoscuntur sensu, 19
vt ignem esse calidum, solem esse lucidum, motum esse in rerum natura, quæ siquis negaret, egeret sensu, alia cognoscuntur experientia, vt in medicina, contraria contrariis curantur, Reubarbo curare bilem, & similia, quæ licèt à posteriori probari possint, melius tamẽ experientia, quare Arist. loquens de iis principiis, & de eorum cognitione 1. met. c. 7. ait, principiorũ alia sensu alia inductione, alia consuetudine constare, & Euarist. exponẽs Aristotelẽ ait principia mathematica nota fieri inductione, Philosophica sensu, moralia consuetudine medicinalia experientia, & idẽ docent D. Th. sup. lect. 1. & Albert. Magnus, quare non debemus eodem modo inquirere probationes, atque ita quædam communissima principia cognoscuntur sensu, & ex terminorum apprehensione, quædam experientia, alia inductione nec alia maior pro illis potest afferri probatio, consulite Conimbricenses supra & Paulum Vallium disp. 1. quæst. 3.

CAPVT III.

An cognitio principiorum sit discursiua.

19 RAtio dubitandi est, nam cognitio per inductionē adquisita est discursiua, sed cognitio principiorum habetur per inductionem, ergo talis cognitio erit discursiua etsi non omnium principiorū saltim aliquorū.

20 ASSERT. I. sit, præcipua causa assentiendi principiis non est inductio, sed lumen naturale intellectus cum habitu principiorum & notitia ipsorum terminorum. Ita Arist. in præsenti c. 3. & 1. Topic. vbi ait principia esse, quæ non per alia sed per se habent fidem simpliciter id est, per se cognosci, sed si inductio esset præcipua causa illis assentiendi, non dicerentur per se habere fidem, ergo non est illa præcipua causa, & ratio est, quia cognitio principiorum est maxime necessaria & infallibilis, sed inductio plerumque fallit, vt habetur 1. Aphorism. Hippocratis, sed fieri non potest, vt cognitio adeo certa, & perfecta à tam ignobili pendeat, vt à præcipua causa, ergo inductio non est præcipua ratio assentiendi principiis. Cōfirmatur, experimētalis cognitio, qualis est habita per inductionē solū attingit coniunctionem prædicati cum subiecto, non vero discernit necessitatē, vel contingentiam talis cōiunctionis, sed principium est prima cognitio, & per se attingit necessitatem coniunctionis principij, ergo talis perfecta principij cognitio nequit esse ab inductione vt à præcipua causa.

21 ASSERT. II. Notitia primorum principiorum per inductionem adquisita, seu per experientiam non est discursiua. Est ita communis, vt si excipias Durandum in 3. dist. 33. q. 1. non sit auctor bonæ notæ, qui non stet pro ea, & in primis Arist. c. vltimo sequentis libri, vbi ait, principium ideo scientiam non esse, quia non fit ratione, id est ratiocinatione, & 6. Ethicorum c. 3. ait principium inductione fieri non ratiocinatione, idem sentit. D. Th. q. 16. de veritate a. 7. Scotus in 1. dist. 33. q. 4. Val. l. 1 post. d. 2. q. 2. & plures alij. Probatur ratione, nam sicut se habet finis in operabilibus ita se habet principium in speculabilibus sed finis est propter quē reliqua, ipse autem gratia sui, ergo similiter principium illud erit, à quo reliqua per discursum colligātur, ipsum autē à nullo priori fiet: consequentiā probo, quia si ab aliquo priori fieret, nec esset primum, nec principium sed potius conclusio, ergo cognitio principiorum non est discursiua.

22 Probatur 2. verus discursus postulat, vt antecedens cognitio sit causa per se, & ratio assentiendi aliis, sed hoc non conuenit cognitioni experimētali, sed inductioni respectu principiorum, ergo hæc non est discursiua: minor probatur, quia cognitio experimentalis solum est ad tollendam formidinem intellectus in iudicio, nam intellectus, & explicatio terminorum cum habitu sunt ratio absoluta assentiendi, ergo hæc cognitio experimentalis non est discursiua. Vrgetur efficacius, nam assensus fidei diuinæ in adulto fideli pendet minus principaliter à rationibus probabilibus quibus manuducitur ad credendum, & tamē quia præcipua causa assentiendi est diuina reuelatio, talis assensus non est discursiuus, ergo similiter licet principium aliquo modo inductionem prærequirat, tamē quia absoluta ratio eis assentiendi est intellectus cum habitu, & terminorum apprehensione fit talem inductionem non esse discursiuam.

23 Hic animaduerto pro dicendis in toto tract. explicationem & penetrationē terminorū in propositionib. euidentib. nō esse rationē formalē assentiendi principiis, sed conditionē quamdā, sine qua non potest intellectus illis assētiri, & ideo nō est cognitio agēs, sed dirigēs v.g. si corp. lucidū, dū esset coopertū aliquo corpore opaco oculo nō posset illud videre, sed si auferatur velamen, vel corp. opacū, statim oculus illud videbit, illa ablatio velaminis, vel corporis opaci nō causat talē visionē, sed est cōditio quædā, sine qua non fieret visio, ergo sicut illa visio fit per se ab ipso oculo sua naturali virtute sine vllo efficiēte, & concurrēte, ita sine explicatione terminorū vt causa efficiēte licet nō sine illa vt conditione intellectus sua naturali virtute assentitur primis principiis, & certis ita vt à nullo sanæ mentis possint negari, ex quo ad rationē dubitādi initio positā facile respondetur inductionem primorum principiorum non esse causam præcipuam assentiendi eis, principium enim non est discursiuum nec ratio approbandi consequentiam, sicut est antecedens cognitio respectu cōclusionis, quod in inductione non reperitur respectu principij, & consequēter cognitionē principiorū comparatā per inductionē nullo modo esse discursiuā.

CAPVT IV.

An dentur habitus primorum principiorum ab intellectu realiter distincti.

ESse in nostro intellectu habitū primorū principiorū docuit Arist. 6. Ethicorū c. 6. sicut enim ad cognoscēdas propositiones necessarias per aliud medium habitus adquisitus necessarius est; ita ad cognoscenda prima principia, quæ non habent mediū, necessarius erit aliquis habitus intellectualis principiorum, quæ cōmuniter Arist. vocauit intellectum, seu intelligentiā ex quo in dubiū vocatur an habitus, quo primis principiis assentimur, sit distinctus ab ipsa potentia intellectiua, duplex stat sententi. 1. est habitū primorū principiorum non esse distinctum à potentia intellectiua, sed esse eumdem intellectum, qui est principium actuum cognitionis intellectiuæ, vt vero bene disponit animā vt assentiatur primis principiis esse formaliter habitum primorum principiorum. Ita Durand. in 1. dist. 33. q. 1. ad 2. Mag. Soto l. 1 de iustitia & iure q. 6. a. 1. inclinat Med. 2. 2. q. 51. a. 1. Conimb. hic c. 1. q. 1. a. 4. probabilē reputat Vall. de habitib. q. 4. c. 7. 2. sentēt. est habitū primorum non esse ipsam potentiā intellectiuā sed verum habitum reipsa ab intellectu distinctum. Ita Arist. variis in locis & præcipuè 2. l. Post. c. vltimo 6. Ethicorum c. 3 D. Th. locis infra citandis, Rubio, Complut. d. 20. de habitib. q. 1. qui adducunt Valētiam, Lorcam & alios, & est communis. 24

ASSERTIO sit, habitus primorum principiorum est reipsa distinctus à potentia intellectiua. Ita auctores 2. sentent. Probatur 1. auctoritate Arist. 6. Ethicorum c. 3. vbi enumerans habitus intellectuales inter illos reponit habitum principiorum, sed non potest interpretari de ipsa potētia intellectiua, quia hęc nō est virtus, quæ debet esse aliquid superadditum potentiæ, ergo habitus principiorum est realiter distinctus à potentia intellectiua, nam ob hanc rationē cæteri habitus intellectuales sunt realiter distincti à potentia intellectiua vt cum pluribus supra c. 6. docet Vallius. Probatur 2. auctoritate D. Th. qui commentans Arist. sect. 5. inquit, accipitur intellectus hic non pro ipsa intellectiua potentia, sed pro habitu quodam, quo homo ex virtute luminis intellectus agentis naturaliter cognoscit principia indemonstrabilia, idem docet 2. contra gentes c. 78. & 1. 2. q. 62. a. 3. ad 1. ergo habitus principiorum est superadditus potentiæ, aliàs si intellectus non indigeret habitu ad assentiendum principiis, quia ipsa sunt euidentia, nec etiam necessarium esset ad assentiendum conclusioni, nam habito assensu principiorum euidentem veritatem cōtineret conclusio in præmissis, ita vt illi non assentiri non posset, sed pro conclusionibus ponitur habitus distinctus à potentia intellectiua', ergo & pro principiis debet poni talis habitus à potentia distinctus. 25

Probatur ratione, necessitas ponendi in potētiis habitum circa aliquod obiectū est eius indifferētia ad bene vel male operandum, sed intellect. & voluntas secundū se 26

ſe eſt indifferens,& ſe habet ad oppoſita vt docet Ariſt. 9.Metaph.quia ſicut volũtas poteſt ferri in bonum & malum, intellectus poteſt intelligere verum vel falſum, ergo tam voluntas, quam intellectus indigent aliquo, quo determinentur circa ſua obiecta, ſcilicet habitu, quo bene diſponantur, ſed ex Ariſt. c. de qualitate,habitus eſt diſpoſitio ſubiecti, per quem bene, vel male diſponitur in ordine ad propriam operationẽ, ergo cum intellectus poſſit errare etiam circa prima principia etiam vniuerſaliſſima, indigebit habitu à potentia diſtincto, vt bene diſponatur in ordine ad naturalem operationem. Confirmatur, omnes Theologi admittunt ſyndereſim eſſe habitum practicũ vniuerſalem, circa principia practica vniuerſalia, vt bonum eſt ſequendum,vitium eſt fugiendum,legem Dei ſeruandam,&c. quem habitum ponit D.Th.1.p.q.79. art.12.& 2.2.q.47. art.6.ad tertium,quem ſequuntur omnes eius diſcipuli,ſed eadem eſt ratio de habitu ſpeculatiuo,circa principia ſpeculatiua, ac de habitu practico,ergo ex conceſſione vnius neceſſario ſequitur altera, ſemper enim delectabilius & facilius operamur etiam circa aſſenſum primum principiorum cum habitu, quam ſine illo, ergo ponendus eſt in potentia ab ipſa diſtincto.

27 Dices,habitus ponitur in potentia ad tollendã eius indifferentiã,ſed intellectus circa prima principia eſt naturaliter determinatus, nam explicatis terminis nõ poteſt illi non aſſentiri,nec circa eorũ veritatem errare,ergo talis habitus non eſt neceſſarius. Reſpondeo, habitum principiorum eſſe neceſſarium,quia ex ſe potentia intellectiua talem indifferentiam habet ad eliciendum aſſenſum concluſionis, vel principiorum, vt licet explicatis terminis naturaliter intellectus ſit determinatus ad aſſentiendum vniuerſalibus principiis, poteſt tamen circa non ita vniuerſalia errare, vel habere falſam cognitionem,& cum intellectus non habeat omnimodam determinationem vt mox explicabo obiectione ſequenti ſicut indiget ſpeciebus intelligibilibus ad ſui determinationem,ita & indigebit habitu, quo vltimo intellectus determinetur circa illa.

28 Sed objiciat quis,ad operationes naturales,in quibus nulla eſt differentia vel libertas non ſunt neceſſarij habitus in potentiis vt patet in potentia viſiua reſpectu ſui obiecti, & in voluntate reſpectu vltimi finis, in quem per amorẽ naturaliter tendit, vt docet D.Th. 1.2.q.56.art.6.& q.62.art.3.ad 1. ſed intellectus ſuppoſita per ſpecies intelligibiles notitia terminorũ naturaliter aſſentitur principiis primis, cũ ſint veritates immediatæ, ac neceſſariæ, ita vt illis propoſitis non poſſit intellectus illis non aſſentiri; ergo ſicut in potentia viſiua ad videndos colores non eſt neceſſarius habitus, ſic nec in potentia intellectiua ad aſſentiendum primis principiis veris, & per ſe notis. Confirmatur,ideo in potentiis admittimus habitus adquiſitos,vt eas reddant prõptiores,& faciliores ad agẽdum, ſed intellectus poſita apprehenſione terminorũ non redditur facilior ad aſſentiendum huic principio, omne totum eſt maius ſua parte, nam potentia naturalis intellectus ſufficiens eſt,vt propoſito ſibi obiecto illi aſſentiatur, ergo nulla reſtat difficultas vincenda ex parte intellectus, quæ ab habitu ſuperetur.

29 Reſpondeo,intellectum noſtrũ etiamſi potentia naturalis ſit, habere aliqualem indifferentiam, aliquæ enim ſunt potentiæ, quæ nullam habent indifferentiam, vt ſunt potentiæ externæ & internæ, aliæ vero potentiæ ſunt, quæ habent actum reflexum, eõ quod mouentur ob aliquam rationem cognitam in obiecto, vt ſunt potentiæ appetentes, & contrahuntur à bonitate repræſentata, & in hoc ſecundo ordine eſt intellectus, qui licet ſit naturalis potentia,& operetur naturaliter, tamen aliquam indeterminationem participat, quæ per habitum debet ſuppleri, vt facilius circa ſuum obiectũ operetur: de voluntate vero appetente finem ſibi proportionatum eſt diſpar ratio, nam illa non requirit ſpecies ad ſuam operationem,quia eſt pura inclinatio in obiectum, quod trahit ad ſe voluntas, & ideo eſt ſufficienter determinata,vt abſque vlla difficultate feratur in finem,in quẽ naturaliter inclinatur.

Objiciat ſecundo, in intellectu practico non datur 30
habitus ad principia practica, vt malũ eſt fugiendum bonum eſt ſequendum, ſed vis intellectiua ad id ſufficit, vt manifeſte probare videtur D.Hieronymus epiſt. 8.ad Demetriadem:eſt in animis noſtris, inquit, quædam ſanctitas naturalis à Deo impreſſa, quæ veluti in arce animi reſidens praui, & recti iudicium exercet, vbi nomine ſanctitatis naturalis intelligit ipſũ lumẽ rationis auerſum à malo, & propenſum ad bonum: & Ezechiel.c.1.vocat ſyndereſim ſcintillam conſcientiæ, quæ numquã extinguitur, quia à potentia non diſtinguitur;ergo in potentiis practicis intellectus non indiget habitu ad principia practica, ergo nec ad ſpeculatiua. Reſpondeo, circa principia practica etiam dari habitum practicum,qui eſt ſyndereſis,& conſequenter circa principia ſpeculatiua, cum vtriuſque eadem ſit ratio,nec ex teſtimoniis adductis cogimur ad illos habitus negandos; ſolum enim probant intellectũ ſua vi naturali poſſe diſcernere inter bonum & malum, habitus vero eſſe neceſſarios ad bene diſponendam potentiam,nam etiam cognitis terminis,quibus euidenter cognoſcantur principia, adhuc aſſenſus illorũ pendet ex noſtris ſenſibus,& ex ſpeciebus intelligibilibus, & ita indigent habitu, quibus potentia bene diſponatur, & ſine vllo errore circa ſuam propriam operationem naturalem, vt oſtendimus n.26.& 27.

CAPVT V.

An habitus principiorum ſit à natura inditus, an adquiſitus per proprios actus.

VAlde controuerſum eſt apud D.Th.variis in locis 31
an ſpecies intelligibilis, & habitus diſtinguantur, videatur 1.p.q.5. art.53. art.1. de Veritate q.14. art.4.ad 9.10.de Veritate art.2.Species vero intentionalis, & vt habetur ex Ariſt. lib.1. de memoria & reminiſcentia cap.1.eſt ſimilitudo intentionalis & imago obiecti ſeu eius pictura velut in tabula potentiarũ delineata, quare Aug.10.de Trinitate cap.5. explicans ſpeciem intelligibilem ait,quoniam non poteſt omnia ſecum introrſum in regionem incorpoream ipſa corporea anima inferre,imagines eorum cum voluerit recipit, habitus vero eſt quædam qualitas,quæ communiter appellatur diſpoſitio ſubiecti, quia per illã ſubiectum bene diſponitur; & potentia redditur magis expedita in ordine ad propriam operationem delectabilius per habitum operando, & huiuſmodi habitus & ſpecies intelligibiles inter ſe non diſtingui probant communia munera vtriſque conuenientia, nam ſicut ſpecies impreſſa obiecti effectiue concurrit ad cognitionem,ita ſimiliter habitus cum potẽtia.Secundo, ſicut ſpecies impreſſa complet virtutem incompletam potentiæ,ſic & habitus. Tertio,ſicut ſpecies impreſſa determinat potentiam in ordine ad propriũ obiectum, ſic etiam habitus,ergo non erit facile aſſignare diſcrimen inter ſpecies intelligibiles & habitus.

Sed certum debet eſſe, habitum principiorum non 32
eſſe ſpecies intelligibiles etiamſi horum auxilio apprehendamus prima principia, & illis præſtemus aſſenſũ triplici ratione efficaci.Prima,ſpecies intelligibiles nullo modo dicũtur homini naturales, quia mediis ſenſibus adquiruntur, habitus vero primorum principiorũ, etſi adquirãtur,& nõ ſint ſimpliciter à natura inditi,dicũtur nobis naturales, quia immediate ſine aliquo medio promanant:ſecũda,munus proprium habitus principiorum eſt, vt per illos bene aſſentiamus

primis principiis, munus vero proprium specierum intelligibilium, vt bene talia principia apprehendamus; ergo species formaliter non sunt habitus. Tertia tandem habitus semper se tenet ex parte potentiæ illam facilitando, species vero cum sit semen obiecti se tenet ex parte illius, cum sit vicaria, maxime quando obiectum propter improportionem non vnitur potentiæ, ergo aliquo modo debet distingui ab illa, an autem semper & qualiter se habeat species impressa? res Theologica est, illam accurate examinat Pater Valentin. de Erice disp. 40. cap. 6.

33 Statuimus sup. c. 4. n. 25. habitum primorum principiorum esse realiter à potentia intellectiua distinctum, modò in dubium vertimus, quomodo generentur, aut in nobis fiant, nam si anima rationalis, cum in corpore creatur, sicut accipit intellectum sine vlla specie intelligibili, accipiat & sine vllo habitu, vt docere videtur Arist. 3. de anima c. 4. vbi comparauit intellectum tabulæ, in qua nihil est depictum, certe habitus primorum principiorum erit adquisitus, sicut & cæteri habitus scientiarum, qui à principio nõ fuerunt in intellectu, sed decursu temporis nostris actib. fuerũt adquisiti, at vero si anima simul cum intellectu accipiat habitum primorum principiorum à natura, certè naturalis dicitur, sicut & ipse intellectus, hoc est, à natura inditus, non minus, quam species intelligibiles Angelorum, eo quod in sua creatione fuerũt eis inditæ à Deo, in qua difficultate plura & varia sunt placita Auctorũ.

34 In qua duæ sunt extremæ sententiæ oppositæ pari auctoritate fulcitæ, & ego illas in concordiam reducere conabor: prima asserit habitum primorum principiorum esse omnino à natura inditum intellectui & simul cum anima à principio fuisse comproductum. Eã tenet D. Tho. multis in locis, Bañez 1. p. q. 1. a. 6. Conradus & Medina 1. 2. q. 51. a. 1. Sanch. l. 7. log. q. 15. quos & alios referunt Complut. d. 20. q. 2. Probatur, 1. auctoritate D. Th. in 3. dist. 23. q. 3. a. 2. ad 1. vbi sic ait, habitus infusus similis est habitui innato, quia sicut naturales habitus datur in creatione, ita infusus in reparatione 1. p. q. 83. a. 2. vocat habitus principiorum naturales, prout naturale distinguitur à libero & voluntario & 2. 2. q. 5. a. 4. ad 3. docet habitum principiorum sequi naturam, ex quibus testimoniis sequitur habitũ principiorum primorum esse naturalem, hoc est, à natura inditum, & non nostris actibus adquisitum.

35 Probatur ratione 1. habitus generaliter ponuntur in potentiis ad vincendam difficultatem, quam habẽt ad operandum circa tale obiectum, sed intellectus nullã habet difficultatem in assentiendo primis principiis vt, quodlibet est, vel non est, nec aliquam adquirit maiorem facilitatem, sed explicatis terminis prompte, & facile illis præbet assensum, ergo nulla est necessitas talis habitus, nam facilitas opponitur difficultati. 2. Probatur, nam D. Th. de veritate q. 66. a. 2. docet in homine cognitionem principiorum esse quasi quoddam seminarium totius cognitionis sequentis, ergo sicut in aliis naturis remanent quædam naturalia semina à natura, sic etiam cognitio principiorum debet homini inesse naturaliter & per consequens talis habitus erit simpliciter naturalis. 3. Probatur à simili, nam diuina sapientia ita digessit omnia, vt supremum naturæ inferioris attingeret infimum naturæ superioris, sed supremus habitus inter naturales, quos cognoscimus est habitus principioram, ergo si Angelis cognita sunt omnia principia suæ cognitionis etiam hominibus indita erunt à natura principia, saltim cognitionis perfectissimæ, qualis est habitus primorum principiorum maxime cum certum sit Deum non creasse naturam destitutam principiis operandi, sed habitus est principium operandi cum sit seminarium omnis cognitionis subsequentis, ergo à principio Deus condidit naturam cum suo habitu naturali.

Secunda sententia huic extremè opposita asserit habitum primorum principiorum vere, & propriè esse nostris actibus adquisitum. Ita Arist. c. 9. 1. libri, citatur etiam D. Th. Ferrariensis 2. contra gent. c. 78. Rubio l. 1. post. c. 76. præcipuè illustrissimus Alphonsus Tostatus, Episcopus Abulensis, & totius Hispaniæ celeberrimus Doctor, nec non & Collegij nostri Diui Bartholomæi fausta felixque proles exod. 23. Probatur 1. ex Arist. 2. post. c. vltimo, vbi loquẽs de habitu principiorum sic ait, nec ita insunt determinati habitus, nec ab aliis habitibus fiunt notioribus, quibus verbis videtur probare manifestè hunc habitum non esse à natura, sed ex aliis notioribus notitiis, sed per assensum immediatũ & per proprios actus adquisitũ. Clarius illustrissimus Tost. sup citat. q. 67. vbi sic ait, & non solu quando intellectus noster creatus non habet habitum principiorum speculatiuorum, sed etiam nec toto tempore, quo stat fœtus in vtero, nec etiam immediate, vt exit terum, sed aliqui citius, aliqui tardius sunt in habitu principiorum speculatiuorum, & aliqui non sunt in actu principiorum intota vita sua, quia nunquam verterunt se circa aliquam speculationem veritatis speculatiuæ, habentur autem ista principia per adquisitionem sicut & conclusiones, quid clarius dici potuit? 36

Probatur etiam ratione, quia natura non concessit 37
à principio nisi ea, quæ simpliciter sunt necessaria ad essendum, & ad operandum, sed habitus principiorũ non est simpliciter necessarius ad operandum, nam potentia intellectiua ex notitia terminorum, & speciebus impressis habitis per sensus, simpliciter potest assentiri primis principiis, ergo intellectus ab initio nullum habuit habitum, sed illum proprio labore, & industria comparauit, nam ea, quæ sunt ad melius esse, reliquit comparanda proprio labore. Et vrgetur, nam si tota visagendi ex parte potentiæ quoad substantiam actus, & quoad promptitudinem tribueretur à natura, nulla esset ratio, cur ea vis distribueretur in potentiam & habitum, sed tota deberet refundi in potentiam, sed apud omnes Philosophos, & Theologos compertum est maiorem facilitatem, & promptitudinem operandi tribui habitibus ex actuũ frequentia, aliàs si à principio essent habitus principiorum in assentiendo principiis æque faciles existeremus omnes, quod est contra experientiam, ergo habitus principiorum non est à natura, sed adquisitus proprio labore, sicut cæteri habitus aliarum scientiarum, & virtutum moralium.

Hæ duæ sententiæ probabiles sunt, & possunt facile 38
in concordiam venire, & media via procedere asserendo habitum primorum principiorum partim esse à natura, & partim nostro labore adquisitum, non quod vna pars talis habitus sit à natura inditus, & alia pars ab extrinseco principio, sed dicitur naturalis, quia ex ipsa natura animæ intellectiuæ resultat ex virtute luminis intellectus, nam statim quod cognoscat homo, quid sit totũ, & quid sit pars, statim cognoscit, quod totũ est maius sua parte, quia vero hoc non potest intellectus cognoscere, quin prius accipiat species rerum, & cognoscat notitiam terminorum, quam & species intelligibilis adquirit per proprios actus, ideo talis habitus dicitur adquisitus, quia proprio labore, & industria fuit comparatus, quare eadem qualitas simul dicitur naturalis, quia fuit per modũ naturæ ex virtute luminis intellectus agentis, sicut nutrire, & augere dicuntur actus naturales posito alimento; & simul dicitur adquisita, quia supponit operationes sensuum per quas adquiruntur species intelligibiles, hanc sententiã sic explicatã docet D. Th. variis in locis Caiet. Ferrara Nazar. adducti à Cõplutensib. sup. q. 2 n. 11. 12. & 13.

Vtraq; pars probatur ex D. Th. præcipuè sup. 1. 2. q. 39
53. a. 1. cum inquit, vnde si aliquis habitus fit in intellectu possibili immediate ab intellectu agente causatus, talis habitus est incorruptibilis, & per se &

per

per accidens, huiuſmodi autem ſunt habitus primorum principiorum, & in 2. diſt. 24. q. 2. art. 3. dicit loquens de habitu principiorũ eſt quodam modo innatus menti noſtræ ex ipſo lumine intellectus agẽtis, quibus teſtimoniis clarè probat S. Doct. habitum primorum principiorum immediatè & naturaliter fluere ex ipſo intellectu agente ante aſſenſum. Secunda etiam pars expreſſe probatur ab eodem Angelico præceptore, ſecundo contra gentes c. 78. his verbis, habitus principiorum eſt acceptus à ſenſibus, vt probat Ariſt 2. Poſteriorum c. vlt. & ſic oportet, quod ſit effectus intellectus agentis, vbi Ferrara c. 88. ſic interpretatur D. Th. apparet habitus principiorum, qui dicuntur nobis naturales non eſſe congenitos, nam ſi eſſent in nobis à generatione non adquirerentur ex ſenſibus, vt autem talis habitus dicatur adquiſitus, ſufficit quod cauſetur ab intellectu agente, & quod ſpecies intelligibiles, & notitia terminorum præcedant, quæ omnia ſenſibus adquiruntur, ergo ex hac parte habitus principiorũ verè dicitur adquiſitus, & conſequenter partim naturalis, & partim adquiſitus modo ſupra explicato nu. 38. vt etiam manifeſtè confirmant argumenta ſupra facta pro 1. & 2 ſententia n. 34. 35. 36. & 37.

39 Dicimus ergo habitum principiorum, & dici naturalem inchoatiuè, quia maximũ habet principiũ in ipſa natura, eo quod ex ipſo lumine, intellectus agentis in nobis naturaliter reſultet poſita terminorum explicatione, & eſſe ſimul adquiſitum per immediatam comparationem ad veritatem euidentem principiorũ, quia talis habitus immediatè non procedit à natura, ſed mediis ſenſibus habetur, & ita illemet habitus, qui inchoatiuè dicitur naturalis per repetitionem aſſenſuum circa prima principia dicitur adquiſitus, quia ipſa frequentatione augetur, & intẽditur, quod ſufficit ad hoc vt ſimpliciter vocari poſſit adquiſitus, vt probant etiam argumenta facta in fauorem ſecundæ ſententiæ.

40 Ex dictis huc vſq; facilè ſatisfit argumentis pro prima ſententia factis, cum nos etiã ex parte aſſeramus hunc habitum principiorum eſſe, naturalem & à natura inditum modo explicato n. 38. & 39. ſed ad 1. Reſp. quod licèt prima principia poſita explicatione terminorũ ab intellectu naturaliter cognoſcantur, tamẽ indigere habitu, vt facilius & delectabilius intellectus illis præſtet aſſenſum. Ad 2. dico, quod ad hoc vt cognitio primorum principiorum dicatur, quaſi ſeminarium totius cognitionis ſubſequentis ſufficere, quod talis habitus ſit naturalis modo explicato. Ad 3. ſimiliter Reſp. Deũ abunde hominibus prouidiſſe quoad ſubſtantiam & modum operandi, cum eis potentias impertitus fuit, quibus poſſent ſua induſtria, & labore habitus cõparare, vt facilius & delectabilius circa ſua obiecta poſſint operari, quod ſufficit, vt dicamus Deum ab initio non produxiſſe naturam deſtitutam principio operandi.

DISPVTATIO XXXV.

De Præcognitis ante demonſtrationem.

1 CApite 1. præced. diſp. nu. 1. propoſui Ariſtotelis propoſitionem, qua incipit primum librum Poſteriorum, & per varias concluſiones mentem Philoſophi expl|cui, nunc magis ad demonſtrationem accedẽs docet tria eſſe præcognita, nempe ſubiectum, paſſionem & principia, & duas eſſe præcognitiones, ſcilicet an ſit? & quid ſit? ex quibus omnis demonſtratio coaleſcit, quæ omnia in hac diſp. exponam.

2 Habet quatuor capita In 1. inquiro, quid ſint præcognita, & præcognitiones. In 2. quid ſit præcognoſcendum de ſubiecto. In 3. quid ſit præcognoſcendum de paſſione, & principiis. In 4. quæ ſint præcognoſcenda in ipſo ingreſſu demonſtrationis.

CAPVT I.

Quid ſint præcognita, & præcognitiones.

PRæcognitio, ſi puram nominis vim conſideremus, nihil aliud ſignificat, quam cognitionem illam, quæ per ſe aliam antecedit, & dicitur prior illa, & ideo præcognitio, ſeu antecedens cognitio appellatur, obiectum verò, quod per ſe prius quam aliud cognoſcitur, præcognitum etiam appellatur, & quia in cognitione concluſionis deductæ ex propoſitionibus neceſſariis, quando ſcilicet cognoſcitur prædicatũ conuenire ſubiecto propter vnionẽ factam cum medio in præmiſſis, conſiſtat demonſtratio, per quam generaliter ſcientia, quidquid ante iſtam cognitionem demonſtratiuam cognoſcitur, dicitur præcognitum, id eſt, res cognita ante cognitionem diſcurſiuam, quæ ſunt ſubiectum, paſſio & principia quæ ſic explicanda ſunt.

Duobus autem modis poſſumus aliquid præcognoſcere, 1. præcognoſcẽdo an aliquid ſit? 2. præcognoſcẽdo quid ſit? & vtraque præcognitio habet duas cõſideartiones: prima poteſt inquiri tam de ſimplici, quã integra propoſitione, an ſit eſſe reale rei, vel eſſe veritatis? 2. vero præcognitio ſcilicet quid ſit, cum ſignificet definitionẽ, diuiditur ſicut hæc in quid nominis, & quid rei; quid rei, id eſt, quę ſit eius eſſentia, & quid nominis, id eſt, quid nomen ſignificet, & primo modo de ipſo ſubiecto pręcognoſcitur an ſit? ſeu ſupponitur eo, quod quæſtio aneſt, præſupponitur ad quæſtionem quid eſt? non enim poteſt cognoſci quid ſit? niſi præſupponatur, quod ſit, ſeu an ſit? quare etſi in rigore duæ tantũ ſunt præcognitiones in ſpeciali; ſecundum conſiderationes tamen ſupra factas, quatuor erunt. 3

Aduerto deinde præter has duas præcognitiones an ſit, & quid ſit? quæ pertinent ad ſubiectum & prædicatum, alias duas enumeraſſe Ariſt. 2. Poſter. c. 1. ſcil. quia res eſt, & propter quam res eſt, ſed iſtæ duæ præcognitiones non debent præcognoſci ante demonſtrationẽ, nam per ipſam demonſtrationem cognoſcuntur, quia per ipſam ſcimus paſſionẽ conuenire ſubiecto, vt conſtat in hac demonſtratione, omne animal rationale eſt riſibile, ſed omnis homo eſt animal rationale, ergo omnis homo eſt riſibilis, in qua demonſtratione ſcimus, quod homo eſt riſibilis, quia eſt, & ſcimus propter quid ſit riſibilis, nempe propter rationale, ergo iſtæ præcognitiones oſtendũtur per ipſam demonſtrationem, ergo ante illam non debent præcognoſci, ſed ſolum an eſt, id eſt ſubiectum habere aliquam eſſentiã, & quid eſt, vt de tali eſſentia prædicatũ poſſit concludi; relinquitur, ergo quod duæ sũt præcognitiones, & duo præcognita. 4

Subiectum demonſtrationis vocat Ariſt. c. 8. illud, de quo per demonſtrationem aliud dicitur ſeu prædicatur, & communiter datum appellatur, quia propria ratio ſubiecti, vt ſubiectum eſt, petit vt non probetur, ſed quod ſubiiciatur ſciẽtiæ, ideo enim Ariſt. 2. Poſter. c. 1. ſtultos vocat eos, qui conantur demonſtrare eſſe naturam, quia hoc in Philoſophia eſt naturaliter certum & ſupponitur, & 6. met. c. 1. ait, *ipſius quod eſt, nulla eſt demonſtratio*, bene ergo ſubiectum demonſtrationis datũ appellatur, quia ab omnibus datur, & conceditur, eo enim præcisè, quod ab omnibus concedatur probari non poteſt, nec debet, & conſequenter de ratione ſubiecti eſt dari, concedi, & ſupponi, & ideo ſubiectum, quantum ad an eſt, præcognoſcitur.

Paſſio eſt id, quod in tali demõſtratione habet rationẽ prædicati, quod de ſubiecto dicitur, & quia in perfectiſſima demõſtratione prædicatũ eſt paſſio ſubiecti, quia de illo patitur dici, ideo paſſio nuncupatur, alio enim nomine vocatur quæſitũ, quia eſt id, quod in demõſtratione quęritur, v. g. ſi velimus probare hominẽ eſſe animal, ly animal erit paſſio hominis, etſi vellemus oſtendere definitionem definito, definitio erit paſſio ipſius definiti, ergo in præſenti paſſio ſumitur pro omni prędicato, quod de alio in demonſtratione probatur. 5

6 De principiis vero vnam tradit Aristot. præcognitionem, nimirum principia debere esse vera; principia vero demonstrationis esse propositiones, quæ constant terminis in conclusione, subiectum, & passio, quæ inter se vniuntur, in præmissis vero subiectum, & passio prout vniuntur in medio, conclusio enim necessaria, quæ infertur ex virtute præmissarum, quomodo possit esse vera, si principia, ex quibus originatur, non essent vera, non enim potest in conclusione reperiri maior necessitas existendi, quam fuerit in principiis, ex quibus deducitur; ergo à fortiori principia sunt præcognoscenda vt vera, & vt inuariabilia. Aliam præcognitionem principiorum tradere videtur Arist. cap. 8. scilicet quid vocabulum significet, quæ quia communis est omnibus prænotionibus subintellecta prætermittitur hoc loco, quare fixũ maneat ante demonstrationem tria esse præcognoscenda videlicet subiectũ, passionẽ, & principia, & duę præcognitiones.

CAPVT II.

Quid de subiecto sit præcognoscendum.

7 DE subiecto, sicuti de aliis præcognitis supponendum est, quid nomen significet, cum hoc omnibus sit commune, nam si ignoramus, quid hæc vox homo significet, non poterimus de illo habere aliquam veram scientiam, & ratio est manifesta, nam quando aliquid scitur medio aliquo instrumento debet instrumentum prius cognosci, nam instrumentum sine media sui cognitione non ducit in cognitionem alterius, vt ostendi disp. 31. de signo c. 1. sed in hac demonstratione homo est risibilis, quæ addiscitur doctrina Magistri, scimus hominem esse risibilem media hac voce homo tamquam medio instrumento conducente ad quidditatem hominis, ergo prius debet præcognosci, quid nomen significet, quo supposito, cum in subiecto sint essentia, & eius existentia dubitatur, quid de subiecto demonstrationis præcognoscendum sit, an esse essentiæ, an tantum esse existentiæ.

8 Præmitto ante resolutionem, quid sit esse essentiæ, & esse existentiæ: esse essentiæ subiecti nihil aliud est, quam quælibet res certa, & determinata habens verum esse reale, & non fictum, v.g. in homine esse essentiæ, est esse animal rationale, in hoc enim tota essentia hominis posita est, & cuiusuis alterius rei, & ita propositiones, quæ circa essentiam rei versantur, vocantur sempiternæ veritatis, vt ostendimus supra disp. 11. c. 2. semper enim fuit verum dicere hominem esse animal rationale, etiamsi nullus homo existeret ex connexione essentiali subiecti cum prædicato, ita vt subiectum sine tali prædicato reperiri non possit, licèt possit sine actuali existentia: esse vero existentiæ dicitur illud, quod conuenit rei existenti extra causas, à quibus res in sua productione dependet, v.g. esse, quod habet homo iam productus in mundo existens, & quamuis à Philosophis duplex existentia distinguatur, & cognoscatur, vt late in metaphysica, actualis, & potentialis, vt rosam in hyeme existere, tamen nostra dubitatio solum procedit de existentia actuali, qua res actu existit extra causas, & inquirit an de subiecto ante demonstrationem præcognoscendũ sit esse essentiæ, vel actualis existentiæ extra causas, iis animaduersis.

9 ASSERTIO I. sit: de subiecto demonstrationis debet ante illam præcognosci esse essentiæ possibilis habentis esse verum, esse reale possibile, & non fictum ita Arist. D. Thomas Conimbr. de præcognitis cap. 1. q. 3 art. 3. Vallius 1. post p. 4. q. 2. cap. 3. Complutenses q. 2. concl. 3. Lerma lib. 8. q. 2. Arriaga disp. 16. logicæ sect. 2. Carleton disp. 48. logicæ sect. 2. & est communis inter Dialecticos. Probatur manifestè, si non præcognosceretur esse essentiæ saltem possibilis, aut implicite in subiecto demonstrationis perfectissimæ, nullus esset finis illius, aut vtilitas, ergo nec esset vera scientia, nec demonstratio, nam finis demonstrationis est probare passionem inhærere subiecto per veram causam, sed si de subiecto non præsupponeretur saltim esse essentiæ possibilis, non posset passio probari de subiecto, quia res impossibilis non habet passiones, ergo sine hac præcognitione subiecti frustraretur omnis finis demonstrationis præfectissimæ. Confirmatur, nam cum essentia subiecti sit primum prædicatum, non potest à priori demonstrari, cum nullum sit medium, quo illud probetur, aut cognoscatur, ergo ipsa essentia tamquam aliquid esse verum, & reale, saltim possibile, & cum aptitudine ad existendum, debet necessario præsupponi, vt ex ipsa procedatur ad demonstra das passiones. Hic aduerto, quod cum possit dari demonstratio in iis, quæ sunt entia rationis, vt contingit in demonstrationibus logicis, tunc esse essentiæ talis subiecti debet esse proportionatum talibus demonstrationibus, in quibus non est necessarium, quod sit ens verum, & reale cum aptitudine ad existendum, sed sufficit, quod obiectiuè in intellectu existat, vt de illo passio possit prædicari, vt docuimus disp. 4. de ente rationis c. 1. & 2.

ASSERTIO II. de subiecto ante demonstrationem 10
non debet præcognosci esse actualis existentiæ: ita auctores citati n. 9. Probatur manifestè, scientia, cum ex natura sua sit inuariabilis, & perpetua debet, versari circa obiectum perpetuum, & necessarium, sed actualis existentia nec semper conuenit subiecto nec necessario, sed modo quodam contingenti, cum passim res amittant suas existentias, videlicet cum corrumpuntur, ergo scientia non habetur de subiecto, vt actu existente, sed sufficit existentia possibilis. Secundo probatur, plures sunt demonstrationes perfectissimæ, in quibus passio probatur de subiecto, vt risibilitas de rationalitate, sed ad hoc non est necessaria actualis existentia subiecti, nam etsi nullus actu existeret homo, esset verum dicere hominem esse risibilem, ergo existentia actualis subiecti non est necessaria ad perfectissimam demonstrationem, Minor probatur, quia, vnio passionis cum subiecto absoluitur à tempore, cum sit æterna, eo quod sit essentialis, vt etiam docuimus disput. 11. cap. 2. ergo nullo modo necessaria est actualis existentia, quod si aliquando demonstratio petit actualem existentiam subiecti, hoc non nascitur ex intrinseca ratione scientiæ, sed ex imperfecto modo cognoscendi nostri intellectus, qui per sensus percipit res spirituales, cum vero sensus non percipiant nisi res actu existentes, fit per accidens requiri ad demonstrationem actualem existentiam, quia scientia creata à rebus sumit suam specificationem, & notitia illius ad intellectum non peruenit nisi mediis sẽsibus.

CAPVT III.

De præcognitione passionis, & principiorum.

CApite primo, n. 6. & 7. ostendi passionem in de- 11
monstratione, habere rationem prædicati, & de illa esse præcognoscendum quid nomen significet, sicut de cæteris præcognitis, vt dixi n. 8. si enim ignoramus, quid risibilitas significet, non poterimus in demonstratione tale nomen subiecto attribuere, quod de passione specialiter supponendum est, cum non habeat aliam præcognitionem.

ASSERTIO I. sit, nulla demonstratione debet præ- 12
cognosci an sit passionis. Ita Arist. D. Thom. & auctores adducti supra num. 9. Probatur manifestè primo, ex Aristotele, qui agens de passione ait, tantum de passione esse supponendum, quid nominis, nulla facta mentione ipsius an sit, cum tamen hoc expresse dicat de subiecto, & principiis, ergo de passione tantũ est supponendum quid nominis. 2. probatur ex D. Th. qui de passione ait non præcognosci quid rei, quia essentia passionis est inhærere subiecto, sed passionem inesse subiecto probatur à demonstratione, ergo non

debet

debet supponi quid rei ipsius passionis, alias nulla esset ratio Arist. & D. Tho. nec differentia passionis à subiecto, in hac enim demonstratione, *homo est risibilis*, quia est rationalis, passio formaliter in hac demonstratione non est risibilitas ipsa, sed risibilitatem inesse subiecto, propter talem causam, quod à demonstratione probatur, illud autem, quod probatur non debet supponi, ergo cum connexio passionis cum subiecto probatur per veram causam, passio quantum ad an est non debet supponi ante demonstrationem, sed probari ab ipsa, ergo de passione solum præcognoscitur ante demonstrationem quid nominis.

13 De principiis etim supra n. 7. ostendimus debere esse vera, & de eis 1. esse præcognoscendum quid nominis, sicut, & de aliis præcognitis, v.g. de principiis demonstrationis ante conclusionem, prænoscendum est, quid termini significent, ex quibus præmissæ, & propositiones componuntur. Probatur, impossibile est cognoscere aliquam propositionem esse veram, nisi præcognoscendo, quid termini illius significent, sed debemus de præmissis præcognoscere esse veras, nam vt ait Auerroës text. 11. præmissæ sunt notiores ipsa conclusione, quia de illis scimus ante conclusionem, quid significent, ergo præcognoscendum est ante demonstrationem, quid significent termini illarum propositionum, hoc etiam commune est omni præcognitioni, videlicet quid nomina significent, alias in æquiuoco laboraremus, his positis de principiis, sit

14 Assertio II. de principiis est prænoscendum ante demonstrationem esse vera illa principia notissima, & per se nota, scilicet quodlibet est, vel non est: aliquid simul esse, & non esse impossibile est. Probatur manifeste ex Arist. principia notissima ex se fidem habent, aliunde in demonstratione ex falsis non potest colligi verum, ergo conclusio vera, quæ ex principiis infertur, petit principia esse vera. 2. probatur, quis immemor omnino horum principiorum potest euidenter cognoscere ipsa experientia magistra omne rationale esse risibile, & omnem hominem esse rationalē, ergo potest inde euidenter inferre hominem esse risibilem, quæ est perfecta demonstratio, ergo ante perfectam demonstrationem debent necessario præcognosci principia vt vera ex genere suo vt exactissime, & absolute aliqua demonstratio habeatur.

15 Assertio III. ante aliquam particularem demonstrationem, non est necessarium semper præcognoscere actu principium esse verum, sed sufficit, vt habitualiter præcognoscatur. Probatur prima pars: homines docti communiter, quando demonstrant, nihil cogitant actu de illis principiis primis notissimis n. 14. adductis, & tamen vere demonstrant, ergo ad quālibet particularem demonstrationem non est necessarium semper actu præcognoscere principium etiam notissimum, contingere enim potest vt quis ignoto primo principio faciat rectum syllogismum, vt omne calidum calefacit, ignis, est calidus, ergo ignis calefacit, supponendo actu ignorare illud primum principium. 2. etiam pars probatur, omnis vera demonstratio concludit in virtute alicuius principij primi, ergo non potest per demonstrationem aliquid bene probari, nisi habeamus saltem habitualem cognitionem alicuius primi principij, quod euidenter contingit in mathematicis demonstrationibus, in quibus cum cognitione habituali suorum principiorum resoluunt suas demonstrationes, ergo saltim habitualis cognitio primi principij necessaria est ad particularem demonstrationem efficiendam.

16 Sed obiiciat quis contra Aristotelem, qui omisisse videtur medium vt præcognoscendum, cum dixit præcognoscenda subiectum, passionem & principia, at etiam vt aliquis addiscat demōstrationem, & sciat hominem esse risibilem propter hoc medium, scilic. quia est rationalis, debet necessario de ipso medio præcognoscere quid nominis, & quid rei, saltem implicitè quia etiam hæc vox rationalis est instrumentum, quo medio in demonstratione scitur hominem esse risibilē, ergo debet præcognosci, quid ipsa vox, seu nomen significet, præterea non potest cognosci, quod hæc vox rationale significet veram rationalitatem, nisi etiam saltem implicite ipsa rationalitatis quidditas cognoscatur, ergo debet etiam necessario præcognosci de medio demonstrationis, v. g. de rationali quid nominis, & quid rei saltem implicite, sicut de subiecto & passione, ergo male Arist. videtur hoc præcognitum omisisse. Resp. absolute medium etiam esse præcognoscendum, vt argumentum conuincit, Aristotelem autem vbi supra solum loquutum fuisse de præcognitis incomplexis ante demonstrationem perfectissimam, cum autem in demonstratione perfectissima subiectum & passio sint incomplexa, medium autem, quæ est definitio rei sit complexum, est enim talis definitio complexa, & composita ex genere & differentia, ideo tantum subiectum & passionem non medium, vt præcognita assignat.

17 Sed pro complemento inquires, an quando ante demonstrationem præcognoscitur subiectum modo explicato supra c. 2. n. 10. & 11. cognoscatur in se ipso immediate an mediate, & propter aliud, Resp. aliquando subiectum præcognosci immediate in se ipso, vt quando v.g. demonstro albedinem esse disgregatiuam visus, præcognosco albedinem in se ipsa, & non propter aliud, aliquando etiam subiectum præcognosci propter aliud vt quando v.g. demonstro admiratiuum esse risibile, præcognosco ipsum admiratiuum propter aliud, scilicet propter rationale & sic de aliis.

CAPVT IV.

De præcognitis in progressu demonstrationis ante ipsius conclusionem.

18 EA omnia, quæ ante ingressum demonstrationis præcognoscenda esse diximus c. 1. absolute etiam ante demonstrationis conclusionem præcognoscenda etiam sunt, nam quod præcedit initium rei, etiam præcedit finem, vt per se constat, sed conclusio est finis demonstrationis, ergo quæ præcedunt, & præcognoscūtur ante ingressum, & initium demonstrationis etiam ante eius conclusionem præcedunt, & præcognoscenda sunt. Quærimus ergo nunc, quænam alia in ipso demonstrationis progressu ante conclusionem præcognosci debeant.

19 Assert. I. præmissæ ex quibus obiectiuè sequitur in demonstratione conclusio, præcognoscendæ sunt tāquam veræ ante conclusionē. Probatur, veritas conclusionis pendet ex veritate præmissarum ex quibus conclusio infertur: ergo prius cognoscendū est, quod tales præmissæ sint veræ, quā quis verè assentiatur conclusioni, similiter mediū in demōstratione est etiam præcognoscēdum ante conclusionē. Probatur, id, quod est, ratio præcipuè mouens ad assentiendum conclusioni, est præcognoscendum ante ipsam conclusionem, sed medium demonstrationis est ratio præcipuè mouens ad assensum conclusionis, ergo præcognoscendum est ante ipsam conclusionem.

20 Assert. II. Bonitas illationis, & cōsequentiæ præcognoscenda est ante conclusionē in demonstratione quando vis demonstrationis propter imperfectam terminorum dispositionem non ita clare perspicitur, non vero est præcognoscenda, quando demonstratio est perfecta. Prima pars probatur, in demōstratione cuius vis propter imperfectam terminorum dispositionem, nō ita clare perspicitur, quamuis quis assentiatur præmissis, potest dubitare de veritate conclusionis, vt experientia testatur; ergo vt assentiatur scientifice conclusioni prærequiritur, quod euidenter cognoscat conclusionem illam euidenter sequi ex illis præmissis, ergo in tali demonstratione bonitas illationis ante conclu-

sionem prænoscenda est. Secunda etiam pars, scilicet quod in demonstratione perfecta bonitas illationis non sit prænoscenda constat ex dictis d. 34. c. 2. n. 9. Probatur, quia in tali demonstratione non deficit dispositio terminorum, nec potest dubitari de viritate conclusionis, ergo in tali demonstratione non est prænoscenda conclusio: maior constat in omni demonstratione propter causam, & consequentia legitime infertur, cum non sit, in quo intellectus possit dubitare, alias prænotiones ad has principaliores reduco.

21 Objiciat aliquis, antequam quis assentiatur conclusioni, debet illam apprehendere, quia apprehensio obiecti semper præcedit assensum eiusdē obiecti, ergo conclusio est prænoscenda apprehensiue ante assensum ipsius conclusionis. Respondeo, non esse sermonem de prænotione imperfecta, seu apprehensiua, sed solum de prænotione iudicatiua, præterea argumentum solum probaret debere esse aliam nouam prænotionem præter assignatas, non vero aliud nouum prænoscitum, nam cum conclusio non distinguatur à seipsa, non potest esse prænoscitum ante se ipsam.

22 Sed quærat aliquis, an quando præmissæ prænoscuntur ante conclusionē cognoscantur immediate in se ipsis, an mediate, & propter aliud: Respōdeo præmissas, seu principia nō semper cognosci propter aliud, sed aliquando cognosci propter aliud, & aliquādo in se ipsis: quod non semper cognoscantur propter aliud, sed aliquando in se ipsis patet, quia alioquin daretur processus principiorum in infinitū in quauis demonstratione, nam cognoscerē conclusionē propter hæc principia, & hæc principia propter alia, & alia propter alia; ergo vel in infinitum procederetur, vel sistendum est in aliqua demonstratione, cuius principia non propter aliud, sed in se ipsis immediate cognoscantur.

23 Quod vero aliquando etiam principia demonstrationis cognoscantur propter aliud, patet, quia cum v. g. demonstramus hominem esse risibilem, quia est admiratiuus, est principium huius demonstrationis, & tamen est sæpe conclusio demonstrata per aliud principium, scilicet, quia homo est rationalis, ergo principia vnius demonstrationis aliquando cognoscuntur mediate propter aliud principium, hæc circa prænoscitiones, & prænoscita ac modum illa prænoscendi sufficiant, consulite Conimb. hic c. 1. q. 2. art. 3. Comp. & alios, qui de hac re bene, & copiose disserunt.

DISPVTATIO XXXVI.

De essentia, & diuisione demonstrationis.

POstquam Arist. 1. lib. post. cap. 1. docuit omnē doctrinam & disciplinam fieri ex præexistente alia cognitione & nos iam præcedentibus disputationibus egerimus de syllogismo in communi, & de prænoscitis, & prænoscitionibus tamquam de præuiis ad demonstrationem, progreditur Arist. in 2. cap. eiusdem libri agere de ipsa demonstratione eius naturam & essentiam inuestigando, in qua plura scitu digna continentur, tolle (inquit Philosophus) demonstrationem, & nulla erit comparabilis scientia, cum omnis adquiratur per illam, ergo hanc, fauente Deo, explicandam aggredior cum pertingat propriam perfectionem hominis, in quantum rationalis est.

Quinque capita continebit. In primo inquiro, quæ sit definitio demonstrationis, & eius diuisio. In secundo, an demonstratio procedat ex veris. In tertio, an præmissæ demonstrationis debeant esse veriores ipsa conclusione. In quarto, an de falsitate sit idem dicendum. In quinto, an præmissæ demonstrationis sint euidentiores, & certiores ipsa conclusione.

CAPVT I.

Demōstrationis definitio, & eius diuisio traditur.

ARistot. cap. 2. huius libri prius definiuit scientiam, quam demonstrationem, eo quod scientia est finis illius, finis autem in intentione est prior sua causa in executione; nos vero illā remittimus ad tract. de scientia, vbi eam late examinabimus, & modo duas definitiones demōstrationis, quas Arist. in tex. colligit ex definitione scientię, enodabo horum autē librorum obiectū adęquatū & formale esse solā demonstrationē docet Arist. 1. priorum & in præsenti cap. 2. D. Th. Albertus Magnus, Philoponus, Suesanus, Euaristus, Caiet. Ægidius, Sotus, Toletus & plures, quos refert, & sequitur Paulus Vallius 1. Post. q. 1. a. 1. & est cōmunis. 1

Et ex ipso Philosopho primo priorum probatur, vbi sic ait. Primum dicere oportet circa quid, & cuius causa sit hæc consideratio, & statim dixit esse circa demonstrationem, & scientiam demonstratiuam, & proponens in hoc capite esse suam intentionem sic ait, se velle agere de demonstratione nihil dicens de definitione, ergo sola demonstratio erit obiectum adęquatū & formale huius tertiæ partis. Secundo eodem libro cap. 5. solum meminit syllogismi, & demonstrationis, sed essentiam syllogismi in communi, & eius partes inuestigauimus disp. 34. de syllogismo sophistico, seu elenco agit in libris elencorū: de probabili, & Topico in libris Topicorum, de syllogismo tandem euidenti, & demonstratiuo agit in libris Post. Syllogismus Sophysticus est ille, in quo ex vna, vel duabus præmissis aperte falsis sequitur conclusio, Syllogismus probabilis est ille in quo ex vna, vel duabus præmissis probabilibus conclusio infertur, syllogismus euidens, & demonstratiuus est ipsa demonstratio, vnde cap. vltimo 2. libri concludens hunc tract. ait se iam de demonstratione egisse, ostendens finem huius operis fuisse ipsam demonstrationem: à ratione etiam constat, quia illud est adæquatum obiectum, & totale alicuius scientiæ, ad quod ordinantur, seu reducuntur omnia, quæ in tali scientia tractantur, atqui ad demonstrationem tradendam pertinent, & spectant omnia, quæ Arist. egit in iis libris de priori & posteriori resolutione, ergo sola demonstratio erit obiectum adæquatum & formale horum librorum. 2

Hanc autem tertiam partem Logicæ esse præstantiorem aliis duabus supra iam explicatis, docet concors Philos. & Dialecticorum sententia quam Arist. interpretes probāt tribus rationibus, prima quia composita simplicibus sunt nobiliora in naturalibus, sed hæc tertia pars Logicæ est composita, agit enim de syllogismo demōstratiuo ergo. Secunda quia simplex apprehensio ordinatur ad iudicium & iudicium ad discursum. Tertia, nam hæc pars demonstratiua superat alias in certitudine, & euidentia, & ab hac accipiunt aliæ, ergo hæc tertia pars superat duas alias Logicæ dignitate, vt clare demonstrat primo Metaph. in principio dicens, omnes homines natura scire desiderant, hoc autem desiderium impletur in perfectissima demonstratione, hos libros communiter appellat Arist. resolutorios, sumpta metaphora à rebus, physicis, & naturalibus. Physica enim resolutio est dissolutio, aut destructio realis rei, vt equus, cum moritur, dicitur resolui in materiam, & domus, cum destruitur, dicitur resolui in ligna, lapides, & terram, ex quibus constructa fuit, translatiue vero Logica dicitur resolutio, non quia est destructio rei, sed ipsius perfectio, quæ consistit in quodam examine singularium partium, & principiorum, ex quibus coalescit demonstratio, vnde Arist. sumpta metaphora appellauit hos libros resolutorios, quia cognitis partibus, & principiis demonstrationis sine vllo argumento cognoscitur. 3

Hinc

4 Hinc infero,quare Ariſt.hos duos libros appellauerit de priori , & poſteriori reſolutione, ſumpta etiam metaphora à forma generica,& ſpecifica , demonſtratio enim conſtat duplici forma generica , & ſpecifica ſeu particulari ex modo concludendi , reſolutio ergo deſumpta ex forma generica dicitur de priori reſolutione, quia agit de ſyllogiſmo in communi, quia genus eſt ſpecie prius : reſolutio vero deſumpta ex forma ſpecifica poſterior dicitur , quia ſpecies eſt poſterior genere,quare,libri agentes,de ſyllogiſmo in communi, qui conſtat forma generica dicuntur de priori reſolutione,libri vero docentes reſoluere ſyllogiſmum ſecundum formam ſpecificam dicuntur de poſteriori reſolutione. Occurrebat examinanda ſententia Heraclíti, & Cratilli , qui de medio abſtulerunt ſcientias, quibus conſentiunt Academici, & ſimul error Platonis, ſed quia hæc difficultas propriè ſpectat ad tractatum de ſcientia adquiſita, quæ eſt effectus demonſtrationis,ideo in eum locum enodandam remittimus.

5 Duplicem definitionem tradit Ariſt. demonſtrationis.1.petitam à fine ipſius, quod eſt generare ſcientiã in hunc modum.Demonſtratio eſt ſyllogiſmus in quo ex præmiſſis euidentibus rectè diſpoſitis ſequitur euidenter concluſio,v.g.omnis homo eſt animal , Petrus eſt homo,ergo Petrus eſt animal, ſyllogiſmus ponitur loco generis , quia in ratione ſyllogiſmi conuenit demonſtratio cum ſyllogiſmo probabili , & ſophyſtico, qui veram habent etiam rationem ſyllogiſmi, reliqua vero verba ponuntur loco differentię,quia per illa differt demonſtratio à prædictis ſyllogiſmis topico ſcilicet,& ſophyſtico, qui non conſtant ex præmiſſis euidentibus ſed ſolum probabilibus aut fallacibus.Ad demonſtrationem reducitur ſyllogiſmus alius certus,qui ex vna præmiſſa euidenti , & ex alia certa , quamuis obſcura coaleſcit,qualis eſt ſyllogiſmus Theologicus, qui vnam habet præmiſſam naturaliter euidentem,& aliam fidei diuinæ obſcuram , ſed omnino certam , de ſyllogiſmo vero in cõmuni egimus ſupra diſp.34.c.1.

6 Secundam definitionem demonſtrationis tradit Ariſtot.petitam à materia in hunc modum , demonſtratio eſt ſyllogiſmus procedens ex veris,primis,& immediatis prioribus , notioribus cauſiſque concluſionis, quæ ex eo petitur à materia quia demonſtratio eſſentialiter conſtat ex omnibus propoſitionibus tamquam ex materia neceſſaria, cuius omnes partes per proprias difficultates explanabimus, in hac etiam definitione ſyllogiſmus ponitur loco generis, vt iam numero præcedenti expoſui , reliquæ vero partes loco differentiæ, nam demonſtratio propter quid generat ſimpliciter ſcientiam:demonſtratio *quia* ſuo modo , alij vero iam opinionem iam errorem , vtraque definitio probatur, ex Ariſt.D.Th.& omnibus Doctoribus nam definitio, quæ datur per propriam cauſam definiti tam intrinſecam,quam extrinſecam,eſt bona,vna deſcriptiua, alia eſſentialis,ſed iſtæ definitiones ſunt huiuſmodi, quia demonſtratio,cum ſit inſtrumentũ intellectuale ſciendi,conſtat propoſitionibus neceſſariis tanquam ex materia, efficiens eſt intellectus , formalis eſt ipſa forma ſyllogiſtica in. 1. figura , finalis eſt , quæ dat propriè ſcientiam , ergo prædictæ definitiones traditæ per veras cauſas tam intrinſecas quam extrinſecas ſunt optimæ.Nec valet dicere,obiectum immittendo ſpecies, & intellectũ illuminando phantaſmata generare ſciẽtiam , quia tota definitio non conuenit obiecto , nec intellectui, cum neuter ſit ſyllogiſmus , & ſolum generant ſcientiam cauſatiuè;demonſtratio vero vt inſtrumentũ ſciendi;de demonſtratione propter quid, & quia infra agemus diſp.40. modo ſingulas particulas demonſtrationis ſumptæ à materia,enodare curabimus pro plena intelligentia ipſius definitionis,& primo ipſam demonſtrationem diuidemus in aliquas ſpecies.

7 Hæc autem demonſtratio primo diuiditur in demõſtrationem à priori , & demonſtrationem à poſteriori, demonſtratio à priori eſt illa , in qua ex cauſa , quæ ſemper eſt prior ſuo effectu , demonſtratur ipſe effectus,vt quando quis demonſtrat hominis riſibilitatem propter rationalitatem illius, quæ eſt cauſa riſibilitatis, ad quod non requiritur , quod ſit cauſa realis , ſed ſufficit , quod ſit cauſa ſaltim virtualis , ac per rationem.Demonſtratio à poſteriori eſt illa, in qua ex effectu,qui eſt poſterior ſua cauſa, demonſtratur ipſa cauſa,vt quando ex actu ratiocinandi, qui eſt effectus rationalitatis , ipſa rationalitas demonſtratur , ad quod etiam non requiritur,quod ſit effectus realiter,ſed ſufficit,quod ſit effectus virtualiter, aut per rationem.

8 Sed obſerua primo,eamdem omnino rem poſſe demonſtrari à priori,& à poſteriori, quia eadem omnino res,v.g. riſibilitas habet cauſam nempe rationalitatẽ, & effectum videlicet actum ridendi , ergo poteſt demonſtrari à priori per cauſam,& à poſteriori per effectum. Obſerua ſecundo, formalem eſſentiam rei non poſſe à priori intrinſecè demonſtrari,ſed tantum à poſteriori,quia id ſolum poteſt à priori demõſtrari,quod habet cauſam ſe ipſo priorem , & id ſolum poteſt demonſtrari à poſteriori , quod habet effectum ſe poſteriorem,ſed formalis eſſentia rei non habet cauſam intrinſecam ſe ipſa priorem,nam eſſentia eſt prima formalis ratio cuiuſque rei, quæ in ratione eſſentiæ præcisè non cauſatur,habet vero effectum poſteriorem illa,ergo formalis eſſentia rei non poteſt demonſtrari à priori intrinſece, ſed ſolum à poſteriori. Obſerua tertio demonſtrationem à priori , & demonſtrationem à poſteriori eſſe ſpecies diuerſas , & vniuoce conuenire in ratione demonſtrationis:ſunt quidem ſpecies diuerſæ logicæ , quia logica conſiderat aliquid in vna formaliter , quod non conſiderat nec requirit in alia , & contra , etenim in demonſtratione à priori docet medium debere eſſe cauſam,& quæſitum debere eſſe effectum. In demonſtratione vero à poſteriori tradit medium debere eſſe effectum,& quæſitum ipſam cauſam: ſunt etiam prædictæ ſpecies eiuſdem rationis vniuocæ quia,cuilibet demonſtrationi tam à poſteriori, quam à priori,propriè conuenit ratio demonſtrationis.

9 Secundo , demonſtratio diuiditur in demonſtrationem *propter quid*,& in demonſtrationem *quia*.Demõſtratio propter quid eſt illa , in qua ex cauſa proxima demonſtratur effectus,vt quando ex eo,quod homo ſit rationalis demonſtratur eſſe admiratiuum;demonſtratio vero *quia*,eſt illa, in qua vel ex cauſa remota , vel ex effectu aliqua res demonſtratur , vt quando ex eo quod homo ſit rationalis, vel ex eo , quod actu rideat, demonſtratur hominem eſſe riſibilem. Ita Ariſt. lib.2. Poſt. c.17. vnde omnis demonſtratio propter quid eſt à priori, quia eſt propter cauſam proximam, quæ etiã eſt prior effectu , at omnis demonſtratio à priori non eſt demonſtratio propter quid,quia demonſtratio propter cauſam remotam,quæ eſt prior effectu,eſt demõſtratio à priori,& tamen non eſt demonſtratio propter quid, ſimiliter omnis demonſtratio à poſteriori , cum procedat ex effectu ad cauſam eſt vere demonſtratio *quia*.At vero omnis demonſtratio,*quia* non eſt demõſtratio à poſteriori,nam demonſtratio propter cauſam remotam eſt demonſtratio *quia* , & tamen non eſt demonſtratio à poſteriori. Demonſtratio autem propter quid,& demonſtratio *quia*,ſunt diuerſæ ſpecie,& conueniunt vniuoce in ratione demonſtrationis vt ſupra n.9.de demonſtratione à priori,& à poſteriori in ſimili eſt oſtenſum.

10 Tertio demonſtratio diuiditur in demonſtrationem perfectam , & in demonſtrationem perfectiſſimam. Demonſtratio perfecta eſt illa , in qua ex præmiſſis euidentibus rectè diſpoſitis ſequitur euidenter concluſio , etiamſi in illa , nec definitio ſit medium , nec paſſio prima de eſſentia communi demonſtretur , demonſtratio vero perfectiſſima eſt ille ſyllogiſmus euidens in quo definitio eſſentialis eſt medium, & prima

paſſio

passio de essentia communi demonstratur, v.g. omne rationale est admiratiuum, omnis homo est rationalis, ergo omnis homo est admiratiuus, de qua quidem demonstratione differit Arist. in iis libris de posteriori resolutione.

CAPVT II.

An demonstratio procedat ex veris.

11 VEritas formalis est adæquatio, & conformitas cognitionis cum obiecto, falsitas vero est difformitas, & inadæquatio actus cum ipso obiecto. Ita docet D. Th. 1 p. q. 16. art. 1. & 8. & 1. contra gentes c. 59. quē omnes sequuntur, ratio est aperta, quia tunc cognitio est vera, quando repræsentat obiectum sicut est in se, vel obiectum est verè in se sicuti per cognitionem repræsentatur, tunc est falsa, quādo repræsentat obiectū aliter ac est in se, vel obiectum non se habet sicuti per ipsam cognitionem repræsentatur, atqui cognitionem repræsentare obiectum sicuti est formalissime, est esse adæquatam ipsi obiecto, & repræsentare obiectum aliter ac est modo explicato, est formaliter esse cognitionem obiecto inadæquatam, ac difformem, ergo tunc cognitio est formaliter vera, quando est conformis, & adæquata obiecto; tunc falsa quando est difformis, & non adæquata illi, igitur veritas formaliter in prædicta adæquatione cognitionis cum obiecto, falsitas vero in difformitate, & in inadæquatione consistit.

12 Apud omnes certum est demonstrationem perfectam debere procedere ex veris, hoc est, præmissas debere esse necessario veras. Probatur 1. quia in quauis demonstratione veritas conclusionis verè reduci potest in veritatem præmissarum, si autē vna saltem præmissa non sit vera, non potest veritas conclusionis verè resolui in veritatē præmissarum etsi conclusio sit vera, vt constat ex hoc syllogismo, omnis equus est animal, sed Petrus est equus, ergo Petrus est animal, sic debet resolui, Petrus est animal, quia Petrus est equus, quæ propositio hypothetica est omnino falsa, ergo in demonstratione vtraq; præmissa debet necessario esse vera. 2. quia ille, qui in demonstratione præmissis assentitur non se exponit periculo errandi in cōclusione, hæc enim est demonstrationis excellentia, quæ syllogismum probabilem, & sophysticum excellit, sed aliqua præmissa demonstrationis posset non esse vera, sed falsa, qui assentiretur in tali demonstratione præmissis, se exponeret periculo errandi in conclusione, quia ex falso aliquādo sequitur conclusio vera, aliquando falsa, vt ostendimus in introductione ad Logicā d p. vlt. c. 1. n. 1. ergo nulla demonstrationis præmissa potest esse falsa, sed vtraque necessario debet esse vera, quod manifestè colligitur ex congruentia Arist. text. 10. nam illud, quod non est, non potest sciri simpliciter, sed quod non est verum, simpliciter non est, ergo nec sciri potest simpliciter, nam causa veri non potest esse, nisi quod est verum.

13 Nec valet dicere præmissas demonstrationis non esse veras, quia aliquando ex falso sequitur verum, vt cum dicimus, Petrus est equus; ergo Petrus est animal, quia præmissæ falsæ numquam sunt causæ influentes in cōclusionem verā, quia licet ex falsis præmissis aliquando possit sequi vera conclusio, tamen tale antecedens non influit vt causa, sed si illam habet veritatem ex forma syllogistica accipit, ex qua rectè potest inferri conclusio falsa, nunquam tamē id, quod falsum est, potest producere effectum non falsum & se nobiliorem, cum causa debeat virtute præcontinere illum, ergo cū demonstratio perfectissima sit vera causa sciētiæ, à fortiori præmissæ debent necessario esse veræ, & hoc intendit Arist. dum dicit demonstrationem procedere ex veris, hoc est, præmissas demonstrationis perfectissimæ debere esse veras necessario, quod expressit hic Arist. 2. cap. cum dixit demonstrationem constare ex veris.

CAPVT III.

An præmissæ demonstrationis sint veriores ipsa conclusione.

EX præcedenti difficultate oritur præsens, an scilicet præmissæ demonstrationis debeant esse veriores ipsa conclusione, quod sub aliis verbis inquiri solet, an vera propositio possit esse formaliter verior alia? in qua quidem controuersia nonnulli partem affirmatiuam tuentur, in quam propendent Conimbr. hic cap. 2. q. 2. art. 5. & Rubio ibidem q. 2. §. *media sententia*. Alij partem negatiuam defendunt, quibus subscribo, eorumque sententiam breuiter explanabo. 14

Præmitto 1. pro decisione dubij maiorem perfectionem specificam actus veri non sufficere, vt ille verior dicatur formaliter alio actu non ita perfecto. Probatur clarè, actus visionis beatificæ clarè cognoscens mysterium Trinitatis non est verior actu supernaturali fidei diuinæ, qui idem Mysterium Trinitatis repræsentat, quia non potest esse maior veritas, quam illa, quæ fundatur in reuelatione diuina, qualis est veritas actus fidei diuinæ, & tamen actus cognitionis beatificæ in perfectione specifica est longe perfectior actu fidei diuinæ, vt omnes admittunt, & per se liquet, ergo maior perfectio specifica actus veri non sufficit, vt ille verior dicatur formaliter actu non ita perfecto, qualis est actus fidei diuinæ. 15

Præmitto 2. maiorem intensionem actus veri non sat esse, vt talis actus verior formaliter sit actu remissiori. Probatur apertè, actus naturalis, quo iudico Petrum currere, potest esse intensior actu fidei supernaturali, quo credo Verbum Incarnatum, possum enim pro mea libertate maiorem exhibere conatum, cum elicio actum illum naturalem, quam cum elicio actum illum supernaturalem fidei, & ex hoc maiori conatu, maior intensio actus sumitur, & tamen actus ille, quo intensius iudico Petrum currere, non est formaliter verior actu illo supernaturali, quo credo Verbum Incarnatum, vt constat, ergo maior intensio actus veri non causat formaliter maiorem veritatem in illo. 16

Præmitto 3. ex eo, quod vna veritas sit magis infallibilis, magis certa, aut indefectibilis, quam alia, non sequitur, quod sit formaliter maior veritas, quam illa, nec quod actus in quo est illa veritas, sit formaliter verior illa. Probatur, vnitas formalis est adæquatio actus cum obiecto, vt ostendi c. 1. n. 12. sed ex eo præcisè, quod vna veritas sit magis infallibilis, magis certa aut indefectibilis, quam alia nō sequitur, quod sit formaliter maior adæquatio actus cum obiecto, quam illa hæc enim cognitio vera, natura defectibilis. *Petrus currit*, tam adæquata est cum suo obiecto currente Petro, quā ista propositio infallibilis, *Deus est bonus*, vt monstrabo numero sequenti, ergo ex eo, quod vna veritas sit magis infallibilis, & certa, quam alia, non sequitur, quod sit formaliter maior veritas quam illa. Confirmatur, licèt intellectus Angelicus sit accidens natura sua indefectibile, & albedo sit accidens natura sua defectibile, intellectus Angeli non est magis accidens formaliter, quam albedo, sed accidens magis perfectum entitatiuè, & materialiter, ergo licet vna veritas indefectibilis sit, & altera secundum se defectibilis, vna nō erit magis vel maior veritas, quam alia formaliter, sed solum veritas magis perfecta entitatiuè, & materialiter: patet consequentia, ideo accidens indefectibile nō est magis accidens formaliter, quā accidens defectibile, quia vtrumq; petit æque inhærere subiecto, in quo formaliter consistit ratio accidentis, sed similiter veritas infallibilis, & veritas defectibilis, vtraque æque est adæquatio actus cum obiecto, in quo formaliter sita est ratio formalis veritatis, ergo vna non erit magis, vel maior veritas, quā alia formaliter ex eo præcisè, quod hæc defectibilis, alia indefectibilis sit, requiritur ergo ad hoc vt vna propositio, aut cognitio 17

sit

ſit verior alia formaliter, quod ſit magis adæquata cum ſuo obiecto.

18 ASSERTIO ſit, vna propoſitio, aut cognitio non poteſt eſſe formaliter verior alia. Ita Ariſt. D. Th. Caiet. Ferrar. Hurtado diſp. 11. de demonſtr. ſect. 2. Arriaga diſp. 16. Logicę ſ. 3. Complut. diſp. 18. de demonſtr. q. 1. n. 5. Auerſa, q. 28. ſect. 7. Ioann. à S. Th. q. 25. de demonſtrat. a. 1. Franc. Alphonſus diſp. 2. de demonſtr. ſect. 3. Suar. diſp. 9. met. ſ. 1. & eſt communis inter recentiores. Probatur aperte, veritas formaliter eſt adæquatio, & conformitas cognitionis cum obiecto, vt monſtraui n. 12. ſed vna cognitio vera non poteſt eſſe magis adæquata, & conformis formaliter cum ſuo obiecto, quã alia cognitio etiam vera, ergo vna cognitio non poteſt eſſe formaliter verior alia. Probatur Minor, quando aliquæ cognitiones veræ, ita ſe habent, vt quælibet illarum ſit omnino adæquata, & conformis cum ſuo obiecto, vna non poteſt eſſe magis adæquata, & conformis quam alia, quia maior alia conformitas, & adæquatio non eſt omnimoda adæquatione, & conformitate, ſed cognitiones veræ ita ſe habent, vt quælibet illarum ſit neceſſario omnino adæquata, & conformis cum obiecto, alioqui ſi omnino non eſſet obiecto conformis, eſſet cum illo aliqua ratione difformis, atque ita non eſſet vera, ſed falſa, veritas enim ex quauis minima difformitate actus cum obiecto vitiatur, & ibi reſultat falſitas, ergo omnes cognitiones veræ ita ſe habent vt vna non poſſit eſſe magis adæquata, & conformis formaliter cum obiecto, quam alia, ac proinde, nec formaliter verior alia.

19 Probatur ſecundo, ſi duæ quantitates ſint inter ſe æquales, non poſſunt aliæ quãtitates eſſe magis æquales formaliter, ideo præcisè, quia ſi aliæ eſſent magis æquales, quam illæ, illæ inter ſe eſſent inæquales, atq; ita æquales non eſſent, atqui ſi ex duabus cognitionibus veris, & adæquatis cum obiecto vna eſſet magis vera, & adæquata, quam alia, illa alia aliqua ratione non eſſet adæquata cum ſuo obiecto, ac proinde non eſſet vera, ſed falſa, ergo ex duabus cognitionibus veris non poteſt eſſe vna adæquata cum obiecto, aut verior formaliter, quam alia. Confirmatur, quando aliqua ratio conſiſtit formaliter in indiuiſibili, in tali ratione non poteſt dari magis, & minus formaliter, vt per ſe conſtat, alioquin non eſſet indiuiſibilis, ſed potius diuiſibilis, ſed ratio formalis veritatis, & adæquationis cum obiecto conſiſtit formaliter in indiuiſibili, nam ſi cognitio, vel in minimo non ſit adæquata cum obiecto, tota veritas, & adæquatio deſtruetur; ergo in ratione veritatis, & adæquationis actus cum obiecto non poteſt dari magis, & minus formaliter, igitur vna cognitio non poteſt eſſe formaliter verior alia.

20 Obiiciat aliquis D. Thom. q. 2. de virtutibus a. 9. ad primum, & primo contra gentes c. 13. cuius verba refert Rubio ſupra q. 2. n. 16. vbi S. Doctor. videtur docere vnum eſſe verius alio, ſeu aliquam cognitionem eſſe veriorem altera. Reſpondeo, dupliciter poſſe intelligi, quod aliqua cognitio ſit verior alia, primo ita vt ſit verior formaliter, hoc eſt, magis adæquata cum ſuo obiecto. Secundo ita, vt ſit verior ſolum entitatiuè, & materialiter, id eſt, magis perfecta, & infallibilis, *quia* ſcilicet ad obiectum magis perfectum magis neceſſarium, & indefectibile terminatur, igitur Doctor. Angelicus loco citato expreſsè docet vnam propoſitionem non poſſe eſſe veriorem alia formaliter, hoc eſt magis adæquatam cum obiecto, quam illa, poſſe tamen eſſe veriorem alia entitatiuè, & materialiter, ſcilicet magis perfectam, & infallibilem, quia ad obiectum magis perfectum, & indefectibile tendit, quod nos etiam non diffitemur, quo pacto auctores contrariæ ſententiæ exponendi ſunt.

21 Obiiciat ſecundo, illa cognitio eſt verior, quæ habet perfectiorem veritatem, ſed vna cognitio habet perfectiorem veritatem, quam alia, quia habet perfectiorem entitatem, & veritas à tali entitate, cognitionis non diſtinguitur, ergo datur vna cognitio verior alia. Deinde ſubiectum habens magis intenſam albedinem eſt magis album; ergo cognitio habens magis intenſam veritatem eſt magis vera, atqui vna cognitio vera habet ſæpe intenſiorem veritatem, ſicuti, & intenſiorem entitatem, quam alia, ergo talis cognitio erit magis vera, quam alia, denique illa cognitio eſt verior, quæ magis remota eſt à falſitate, ſed cognitio magis infallibilis magis remota eſt à falſitate, ergo cognitio magis infallibilis eſt verior alia. Reſpondeo ad primum, ſolum probare vnam cognitionem eſſe veriorem alia materialiter, non vero formaliter, iuxta dicta numero præcedenti. Ad ſecundum dico iuxta communem modum loquendi illud vocari magis albũ, quod habet in ſe plures gradus albedinis, non vero illam cognitionem vocari magis veram, quæ habet magis intenſam veritatem, vt monſtraui n. 17. ſed quæ magis adæquata eſt cum obiecto, cum autem vna cognitio non ſit magis adæquata cum obiecto quam alia, ideo non eſt formaliter verior alia. Ad tertium Reſpondeo, eſſe cognitionem magis infallibilem, & remotam à falſitate non eſſe formaliter eſſe veriorem alia, ſed requiri omnino, quod cognitio ſit magis cum obiecto adæquata, vt oſtendi eodem num. 17. cum autem maior adæquatio implicet, implicat etiam, quod vna cognitio ſit magis vera, quam alia.

Obiiciat tertio bonitas actus eſt adæquatio actus, & conformitas cum regula rationis, & tamen poteſt dari vnus actus magis bonus formaliter quam alius, melior enim eſt actus amoris Dei ſuper omnia, quã actus temperantiæ, ergo licet veritas ſit adæquatio, & conformitas actus cum obiecto, poterit eſſe aliqua cognitio magis vera formaliter quam alia. Reſpondeo, regulam rationis dictantem faciendum eſſe actum amoris, & actum temperantiæ grauius, & efficacius dictare actum amoris Dei, quam actum temperantiæ, dictat enim, quod ſi aliquis actus illorum faciendus ſit, potius fiat actus amoris Dei, quam actus temperantiæ, licet quiuis actus ex illis honeſtus ſit, & conueniens naturæ rationali, vnde qui elicit actum temperantiæ, cõformatur cum regula rationis, quæ illum dictat, qui vero efficit actum amoris Dei, magis cum tali regula rationis conformatur, quia efficacius talem amorem, quam actum temperantiæ dictabat, ipſique temperantiæ, amorem Dei præferebat, ac proinde actus amoris Dei eſt magis bonus moraliter actu temperantiæ, cum regulæ rationis conformior ſit, vna vero cognitio non poteſt eſſe magis cõformis, & adæquata obiecto, quam alia, vt ſupra oſtendi, n. 19. & ideo non poteſt eſſe aliqua cognitio formaliter verior altera, at hæc bonitas actus etiam ſumitur ex obiecto, ex gratia, & dignitate operantis, &c. cum obiectum poſſit eſſe perfectius, & gratia, ſeu dignitas principij maior in vno actu, quam in alio, ideo actus poteſt eſſe formaliter melior alio, non vero verior formaliter alio. 22

Inſtabis adhuc, conceptus, quem Angelus format de quocumque obiecto, eſt perfectior illo, quem ego formo de eodem obiecto, ſed iſta maior perfectio eſt maior conformitas cum obiecto, ergo erit maior veritas formaliter, nam hæc, nihil aliud eſt, quam prædicta conformitas, atqui cognitio Angeli magis conformatur cum obiecto, quam mea, ergo & erit formaliter verior mea cognitione: ſecundo præmiſſis maiorem fidem adhibemus, quam concluſioni ex Ariſt. præmiſſis enim aſſentimur propter illas, concluſioni autem propter præmiſſas, ergo erunt formaliter veriores iuxta illud, propter quod vnumquodque tale, & illud magis. Reſpondeo ad primum, conceptum Angeli in caſu poſito perfectiorem eſſe, non tamen veriorem, vt oſtendi n. 16. nam maior perfectio actus ſumi poteſt ex obiecto perfectiori, & digniori, veritas vero formalis deſumitur ex conformitate, & adæquatione actus cum 23

obiecto,

obiecto,quæ non potest esse maior in vno quã in alio, nisi tantum entitatiuè,& materialiter. Ad secundũ respondeo posse præmissis, & principiis adhiberi maiorem fidem quam conclusioni ob rationem dictam,non ob maiorem veritatem,sed ob maiorem certitudinem, præmissæ enim sunt causæ illatiuæ conclusionis,quam virtute continent, certitudo vero & euidentia vt dicã cap.5.habent latitudinem gradualem, non tamen veritas,quæ in indiuisibili consistit, vt dixi num.18.

CAPVT IV.

An de falsitate sit idem dicendum.

24 RAtionem dubitandi offert commune Phil. axioma videlicet, quod contrariorum eadẽ est ratio,& disciplina,sed cognitio vera, & cognitio falsa sunt inter se contrariæ, ergo eadem debet esse ratio, & disciplina de illis, tunc sic,sed vna cognitio est magis falsa formaliter, quam alia, etenim magis falsum est dicere Deum non esse, quam Petrum non currere, etsi Petrus currat, & magis est falsum dicere tria esse centum, quam tria esse quinque, ergo vna etiam cognitio erit magis vera formaliter, quam alia.

25 Sed neoterici non indocti eodem modo loquuntur de falsitate, ac veritate,& docent vnam cognitionem non esse falsam magis formaliter, quam aliam, sicuti enim veritas formalis consistit in conformitate,& adæquatione actus cum obiecto,ita falsitas formaliter consistit in difformitate, & in inadæquatione actus cum obiecto, ergo sicut conformitas, & adæquatio actus cum obiecto consistit in indiuisibili, ita & difformitas, & non adæquatio eiusdem actus cum obiecto, consistit in indiuisibili, cum contrariorum eadem sit ratio & disciplina. Secundo probatur, nam cognitio falsa est illa, quæ distat à veritate, sed vna cognitio non magis distat à veritate,quam alia,etenim in exemplis adductis, ideo hæc cognitio, Deus non est, vel tria sunt centum distant omnino à veritate formali, quia dicunt contradictorium illius; prima enim propositio dicit Deum non esse, & veritas dicit, Deum esse, & secunda propositio dicit tria esse centum,& veritas dicit tria non esse centum,atqui aliæ etiam cognitiones scilicet Petrus non currit currente Petro,vel tria sunt quinque dicunt contradictorium oppositæ veritatis, nam veritas est Petrum currere, & prima propositio dicit Petrum non currere, & veritas est tria non esse centũ, & secunda propositio dicit tria esse quinque ac proinde omnes istæ cognitiones omnino & æquè distãt à veritate, igitur omnes sunt æque falsæ, & vna dari non potest magis falsa, sicut nec magis vera formaliter quam alia, quo vis argumenti corruit. Sic inter alios recentiores Petrus Hurtado d.11. Logicæ sect.2. Carleton supra concluſ.4.

26 Arbitror tamen ego,licet in exemplis adductis omnes illæ cognitiones sint æquè falsæ,vt demonstratum est, in alio tamen casu dari posse vnam cognitionem falsiorem esse formaliter alia, quod vt explicetur, ponamus in gymnasio nullum esse hominem, & vnum tantum hominem esse in platea,& dicat quis in gymnasio sunt duo homines, & in platea sunt duo homines, prima propositio est falsior formaliter alia secũda propositione, quod sic ostendo primo ex Arist.4. met. cap.4.text.18. vbi sic inquit, *nec eodem modo mentitus est, qui quatuor esse putauit, quinque; aut qui mille*,quem in sensu formali fuisse loquutum ostendunt eius verba,ergo ex Arist.non repugnat vna propositio aut cognitio formaliter falsior alia, cum secunda propositio magis difformetur obiecto quam prima,ergo saltem in aliquo casu metaphysico, vnde propositio poterit formaliter esse falsior alia, etiamsi nunquam vna cognitio,aut propositio possit esse formaliter verior alia.

27 Probatur secundo ratione, illa propositio est falsior formaliter alia,quæ magis difformatur obiecto,nã falsitas in hac cum obiecto difformatione consistit, vt ostendi n.11.sed prima propositio ex illis magis difformatur obiecto,quã secunda,ergo est falsior formaliter, quam secunda. Probatur minor, quando quis dicit in gymnasio, vel in platea esse duos homines,etiam dicit formalissime esse vnum hominem, nam in duobus vnus formalissime includitur, sed prima propositio, quatenus dicit duos homines esse in gymnasio,& quatenus dicit vnum hominem esse in gymnasio difformatur obiecto, quia supponimus nullum hominem in gymnasio esse,atque ita est omnino difformis obiecto: secunda vero propositio licet quatenus dicit in platea esse duos homines,obiecto difformetur quatenus formaliter etiam dicit esse in platea vnum hominem,obiecto non difformatur, quia supponimus vnum hominem esse in platea, atqueita non est omnino difformis obiecto, ergo prima propositio magis difformatur obiecto,quam secunda,cum illa omnino,hæc vero non omnino cum obiecto difformetur,vna ergo propositio datur falsior formaliter alia, vt contendit argumenti supra positi vis,quare scilicet non potest eodem modo vna propositio esse verior formaliter altera.

Respondeo ergo veritatem,& adæquationem actus 28
cum obiecto consistere in indiuisibili,vt ostendi n.19. & ideo non posse dari vnam cognitionem veriorẽ formaliter alia,falsitatẽ vero, & difformitatem actus cum obiecto non consistere in indiuisibili,vt ostendi n.27. & ideo posse vnam propositionem esse formaliter falsiorẽ alia,sicuti enim si vna quantitas sit æqualis alteri, nõ potest alia quantitas esse magis æqualis,si vero vna quantitas sit alteri inæqualis, poterit alia esse magis, & magis inæqualis ipsi, ita similiter non potest vna propositio esse formaliter magis vera, quam alia, poterit tamen esse cum obiecto magis falsa formaliter, quia veritas in æqualitate actus cum obiecto formalissime consistit, falsitas vero in inæqualitate consistit, quo etiam satisfit ad quæsitum an præmissæ demonstrationis sint veriores formaliter ipsa conclusione,ad quod dicimus non esse formaliter veriores, quia vna propositio non potest esse verior formaliter alia, vt ex dictis constat.

CAPVT V.

An præmissæ demonstrationis sint euidentiores, & certiores conclusione.

29 EVidentia est quædam perspicuitas,qua intellectus aliquid clare,ac perfecte cognoscit, certitudo vero est forma quædam, & intentionalis adhæsio, qua intellectus absque vlla hæsitatione firmiter adhæret obiecto, vnde omnis cognitio euidens est certa,nam per eam cognitionem, per quam noster intellectus clare, & euidenter assentitur obiecto firmiter adhæret illi, non vero omnis cognitio certa est euidens,quia cognitio fidei diuinæ est omnino certa, per quam sine hæsitatione fidelis quis assentitur mysteriis à Deo reuelatis, & tamen non est cognitio euidens,cum per illam non clare sed obscure ea mysteria cognoscantur.

30 Præmitto secundo, dupliciter posse vnam cognitionem esse magis euidentem ac certam,primo ita vt cognitio habeat maiorem euidentiam, & certitudinem gradualem, hoc est,maiorem claritatem & adhæsionẽ ad obiectum propter maiorẽ ipsius actus intentionem accidentalem, vt quando cognitio aliqua euidens & certa plures habet gradus intensionis quam alia secũda ita vt habeat maiorem euidentiam & certitudinem essentialem,id est,maiorem claritatem,& adhæsionem ad obiectum propter perfectiorem ipsius actus entitatem, vt visio beata per suam essentiam est euidentior, & certior cognitione naturali, non ergo requiritur ad veram demonstrationem, quod eius præmissæ sint euidentiores, & certiores conclusione, euidentia & certitudine

titudine graduali, quia contingere poteſt, quod concluſio ſit gradualiter certior præmiſſis, quia poteſt illi cum maiori conatu,& intenſione aſſentiri, quam præmiſſis,ſed an ſint euidentiores, & certiores euidentia, & certitudine eſſentiali, rurſus prænoto euidentiam eſſe duplicem, alteram immediatam, ſeu entitatiuam, alteram mediatam,& abſtractiuam, euidentia immedia & intuitiua eſt illa,quæ clare intuetur rem in ſe ipſa,vt euidentia oculi,quæ clare ſuum obiectum intuetur, à quo nomen euidentiæ intuitiuæ ſumptum eſt, & huiuſmodi dicitur etiam euidentia primorum principiorum, vt ſupra oſtendimus diſp.35.c.2. euidentia vero mediata,ſeu abſtractiua eſt illa, quæ clare apprehendit rem per aliud,ſeu in alio, vt euidentia concluſionis,quæ habetur per præmiſſas.

31 Præmitto tertio,præmiſſas demonſtrationis debere eſſe certas,& euidentes:prima pars inconcuſſe eſt omnium Doctorum,& probatur, quia ſcientifica cognitio, quæ eſt omnino certa,& firma demonſtrationis concluſio, non poteſt niſi ex præmiſſis omnino certis cauſari,ergo neceſſario præmiſſæ demonſtrationis debent eſſe certę.Secundo,concluſio vt talis dicitur effectus præmiſſarum, ergo præcisè habet reſpectum ad præmiſſas,tamquam ad cauſam influentem,ergo quãdo cõcluſio eſt omnino certa,neceſſario ſupponit præmiſſas omnino certas. Dubium tamen eſt, an vtraque demonſtrationis præmiſſa debeat eſſe clara,& euidẽs, ſed quia propriè pertinet ad tract.de ſcientia, in quo diſquiritur, an ad perfectam ſcientiam euidentia in vtraque præmiſſa neceſſaria ſit,ideo ab illa nunc abſtinemus ſupponentes, illas præmiſſas debere eſſe euidentes,ſicut & ſunt certæ, quo poſito inquirimus, an præmiſſæ debeant eſſe euidentiores, & certiores ipſa concluſione,& iis præſuppoſitis.

32 Assertio I. ſit, Præmiſſæ demonſtrationis ſunt neceſſario euidentiores, & clariores concluſione. Ita Ariſt.docet expreſſe in præſenti c.2.in principio,& fine,D.Th.Caiet.Complutenſ. ſupra diſp.18.q.1.n.12. Hurtado diſp.11.Logicæ ſ.3.Arriaga diſp.16. Logicæ ſect.5.Lerma ſupra q.8.Auerſa q.28.ſ.8.Vallius 1.poſt. diſp.2.q.5.c.7.& eſt communis inter omnes. Probatur aperte,illa cognitio cæteris paribus eſt euidentior, & clarior, quæ eſt magis immediata cognitio rei, quam cognitio concluſionis,ſed cognitio præmiſſarũ eſt magis immedita cognitio rei quam cognitio concluſionis,ergo cognitio præmiſſarum euidentior eſt, & clarior cognitione concluſionis. Conſequentia eſt euidens,minor probatur, quia cognitio præmiſſarum cognoſcit veritatem principiorum in ſe ipſa, nulla alia media cognitione, cognitio autem concluſionis cognoſcit veritatem concluſionis non in ſe ipſa,ſed media cognitione præmiſſarum,à qua dependet, ergo magis immediata cognitio eſt cognitio præmiſſarum, quam cognitio concluſionis:maiorem etiam ſic probo. Viſio intuitiua iuxta,communem ſententiam clarior,& euidentior eſt ex genere ſuo quam cognitio euidens abſtractiua,ſed nulla alia ratione eſt clarior,& euidentior niſi quia cognitio intuitiua eſt magis immediata cognitio, quam cognitio abſtractiua, illa enim rem immediatè in ſe ipſa,hæc vero rem in alio, ſeu per aliud cognoſcit,ergo illa cognitio cæteris paribus eſt euidẽtior,& clarior,quæ eſt magis immediata cognitio.Cõfirmo,quo magis aliqua cognitio accedit ad cognitionem Angelicam,& diuinam,quę clariſſima,& euidentiſſima eſt, eo eſt euidentior, & clarior, ſed cognitio noſtra, quo magis immediata rei cognitio, eo magis accedit ad cognitionem Angelicam,aut diuinam,quæ immediatiſſima eſt, ergo cognitio noſtra quo magis eſt immediata cognitio rei,eo eſt euidentior,& clarior, igitur cum præmiſſæ ſint magis immediatè cognitiones rei, quam aſſenſus concluſionis, erunt etiam euidentiores,& certiores concluſione.

33 Obiiciat quiſpiam eademmet claritate, & euidentia, qua quis cognoſcit aliqua duo eſſe identificata vni tertio, cognoſcit etiam eſſe indentificata inter ſe, quia principium eſt lumine naturæ notum, quæ ſunt eadem vni tertio ſunt eadem inter ſe,ſed qui aſſentitur præmiſſis in hoc ſyllogiſmo demonſtratiuo, *Omne rationale eſt riſibile, omnis homo eſt rationalis*, ergo omnis homo eſt riſibilis, cognoſcit clare, & euidenter duo extrema eſſe idem inter ſe ſcilicet hominem,& riſibile eſſe identificata vni tertio, ſcilicet cũ rationali,& qui aſſentitur concluſioni, cognoſcit clare,& euidenter illa extrema eſſe idem inter ſe,ſcilicet hominem eſſe riſibilem,ergo eademmet euidentia, & claritate, qua quis cognoſcit præmiſſas, cognoſcit etiam concluſionem,igitur præmiſſæ demonſtrationis non ſunt euidentiores,& clariores concluſione.

Reſpondeo,quando quis vnica cognitione per modum vnius cognoſcit totum hoc complexum ſcilicet, quæ ſunt eadem vni tertio ſunt idem inter ſe, talem cognitionem eſſe clariſſimam, & principium quoddã lumine naturæ notiſſimum,quia talis cognitio omnino immediatè,& clare ſuam veritatem attingit;quando vero quis in aliqua peculiari materia, quadam cognitione cognoſcit duo extrema v.g.hominem, & riſibile eſſe identificata cum vno tertio,ſcilicet cum rationali,& alia diſtincta cognitione, cum dependentia à prima cognoſcit illa duo extrema eſſe inter ſe idem, ſcilicet hominem eſſe riſibilem, tunc talem ſecundam cognitionem,quæ à prima dependet, licet cognoſcat illa extrema eſſe idem inter ſe, non eſſe clariſſimam, nec principium lumine naturæ notiſſimum, vt argumentum intendit, ſed primam cognitionem eſſe clariorem,& euidentiorem illa,quia prima cognitio immediatè, & ſine dependentia ab alia cognitione concipit illa extrema eſſe idem vni tertio. Secunda vero cognitio ſolum mediate, & cum dependentia à prima attingit,& concipit ea extrema eſſe idem inter ſe,cognitio autem magis immediata rei eſt euidentior, & clarior, ac proinde prima cognitio, quæ eſt aſſenſus præmiſſarum eſt clarior ſecunda cognitione, quæ eſt aſſenſus concluſionis vt conſtat ex dictis. 34

Assertio II.Præmiſſæ demonſtrationis ſunt etiã certiores concluſione.Ita Ariſtot. vbi ſupra,cui omnes n.34.citati ſuffragantur.Probatur, quãdo adhæreo vni veritati propter aliam, magis adhæreo illi alteri veritati quam iſti, ſicut quando diligo vnam bonitatem propter aliam, magis diligo illam alteram bonitatem, quam iſtam, quia iuxta commune axioma, Propter quod vnumquodque tale,& illud magis, quod ſaltem in cauſa motiua verũ tenet,ſed in demõſtratione adhæreo veritati concluſionis propter veritatem præmiſſarum, ergo magis adhæreo per aſſenſum præmiſſarum veritati præmiſſarum, quam per aſſenſum concluſionis veritati concluſionis,ſed cognitio, qua magis adhæreo obiecto eſt magis certa, ergo aſſenſus præmiſſarum certior eſt aſſenſu concluſionis. Confirmo,quo aliqua cognitio eſt euidentior,& clarior, eo etiam eſt certior, quia, quo clarius obiectum cognoſco, eo firmius adhæreo illi,ſed præmiſſæ ſunt euidentiores, & clariores concluſione,vt oſtendi n.33.ergo etiam ſunt certiores illa,nam ex maiori obiecti euidentia, maior eiuſdem obiecti certitudo colligitur. 35

Obiiciat aliquis, illa cognitio eſt,certior alia, quæ habet plures ac firmas rationes ad adhærendum illi, ſed aſſenſus præmiſſarum non habet plures, ac firmiores rationes ad adhærendum præmiſſis, quam aſſenſus concluſionis ad adhærendum concluſioni, eadem enim veritas obiectiua præmiſſarum eſt vtriuſque aſſenſus ratio formalis motiua,ergo aſſenſus præmiſſarum non eſt certior aſſenſu concluſionis.Confirmatur, aſſenſus præmiſſarum licèt ab illo dependeat aſſenſus concluſionis,non eſt formaliter verior illo, vt oſtendi ſupra cap.3.n.19. ergo licèt intercedat dependẽtia vnius aſſenſus ab alio,aſſenſus præmiſſarum non 36

erit certior formaliter assensu conclusionis. Vrgeo: sæpe accidit, vel accidere potest quod quis per vnum actum fidei diuinæ credat reuelatum esse à Deo, ipsum Deum esse trinum, & alio actu etiam fidei diuinæ credat, & assentiatur dependenter à 1. Deum ipsum vere esse trinum, tunc sic in hoc casu per secundum actum fidei ideo credit, & assentitur Deum esse trinũ, quia per primum actum credit esse reuelatum à Deo, & tamen primus actus fidei, quo credit reuelationem Trinitatis non est certior alio 2. actu fidei, quo credit ipsam Trinitatem, ergo licet per assensum cõclusionis intellectus ideo assentiatur veritati conclusionis, quia per assensum præmissarum prius assentitur veritati præmissarum, ob id præcisè non erit assensus præmissarum certior formaliter assensu conclusionis.

37 Resp. maiorem actus certitudinem non solum prouenire ex pluribus ac firmiorib. rationibus motiuis, sed etiam ex maiori claritate, & independentia cognitionis, cũ ergo assensus præmissarũ clarior sit, & magis independens quam assensus conclusionis vt supra explicaui, ideo assẽsus premissarum licet nõ habeat firmiorem aliam rationem motiuam certior est formaliter assensu conclusionis. Ad primam confirmationem Resp. veritatem formaliter consistere in adæquatione actus cum obiecto, ex eo autem quod vna cognitio sit clarior, & independentior alia, non est magis adæquata cũ obiecto, quã illa, & ita non est formaliter verior illa, certitudinem vero consistere in adhæsione firma actus ad obiectum, ex eo, autem quod vna cognitio sit magis perspicua, & independẽs quã alia firmius adhæret obiecto, quam illa, & ideo est formaliter certior illa, vnde assensus præmissarum propter maiorem claritatẽ, & independentiam, quam habet nõ est verior, est tamen certior formaliter assensu conclusionis. Ad secundam confirmationem dico in illo casu primũ actũ fidei, quo creditur reuelatio Trinitatis independenter ab alio esse, certiorem alio 2. actu, quo intellectus cum dependentia à 1. assentitur Deum esse trinum, iste enim secundus actus non est actus fidei diuinæ sed Theologicus, cum intrinsece non attingat reuelationem diuinã, nam ex reuelatione trinitatis extrinsecè per alium actum cognita, & ex alia veritate euidenti ibi subintellecta, scilicet, quidquid prima veritas reuelat, vere est, infertur, & causatur iste actus Theologicus, quo certo intellectus assentitur, & cognoscit ipsam trinitatẽ, actus autem Theologicus minus certus est actu fidei diuinæ, in quo fundatur, vnde assensus etiã cõclusionis certior erit assensu præmissarum, cui innititur.

38 Sed obseruare oportet, quod licet vtraq; præmissa simul sit semper clarior, & euidentior, & certior conclusione, tamen, aliquam conclusionem posse esse clariorẽ vna præmissa, & certiorem alia seorsim, nam in hoc syllogismo demonstratiuo Theologico, *Omnis homo est risibilis. Christus est homo, ergo Christus est risibilis.* Cõclusio, scilicet Christus est risibilis, quia innititur & fundatur in illa præmissa clara, & euidenti, nẽpe omnis homo est risibilis, ab illa aliquã claritatẽ desumit, quia clarior est illa altera præmissa seorsim scil. Christus est homo, quæ quatenus est de fide, est omnino obscura, & eadẽmet conclusio, quatenus innititur, & fundatur in illa propositione, & præmissa de fide, quæ est, certissima, scil. *Christ. est homo*, ab illa accipit maiorẽ quãdam certitudinẽ, qua excellit, & certior est illa altera præmissa euidẽti, scil. *Omnis homo est risibilis*, quæ pure naturalem habet certitudinẽ & ita talis cõclusio est clarior vna præmissa seorsim sũpta, & certior illa.

DISPVTATIO XXXVII.

Aliæ particulæ demonstrationis explicantur.

Ex capita continebit. In 1. inquiro, an præmissæ demonstrationis sint primæ, immediatæ, & per se notæ. In 2. an & quo pacto præmissæ sint causæ, & priores conclusione. In 3. an præmissis euidentibus admissis necessitetur intellectus ad assentiendum conclusioni. In 4. examinatur dictum Philosophi, propter quod vnumquodque tale, & illud magis. In 5. examinatur dictum Philosophi, quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se. In 6. an demonstrationis præmissæ debeant esse necessario de subiecto vniuersali, & alia dubiola expenduntur.

CAPVT I.

An præmissæ demonstrationis sint primæ, immediatæ, & per se notæ.

PRopositio immediata prima, aut per se nota idem diuersis solum nominibus repræsentat. Propositio immediata est illa, quæ vacat medio per quod cognoscatur. Ita Arist. in hoc c. 2. & D. Th. lect. 5. Propositio prima est ea, qua cognitio alia non est prior ex qua inferatur. Propositio per se nota est illa, quæ non potest per aliud cognosci, sed ex ipsis terminis est cognoscibilis. Hinc propositio mediata non prima nec per se nota idem etiam diuersa appellatione significat, propositio mediata est illa, quæ habet medium per quod cognoscatur, propositio non prima est ea, qua prior est alia cognitio, ex qua inferatur. Propositio non per se nota est illa, quæ per aliud cognoscitur, aut ex ipsis terminis non est cognoscibilis. Quærimus an præmissæ demõstrationis sint immediatæ, primæ, ac per se notæ. 1

Præmitto 1. pro maiori declaratione quæstionis, propositionem mediatam, seu immediatã esse in duplici differentia, aliam esse mediatam, seu immediatã à priori, aliam mediatã seu immediatam à posteriori, propositio mediata à priori est illa quæ demonstratur per causam, quæ est prior illa, vt si dicas hominem esse risibilẽ, quia est rationalis: propositio immediata à priori est illa, quæ in se ipsa cognoscitur, & non potest cognosci per causam, vt homo est animal rationale, propositio mediata à posteriori est illa, quæ demonstratur per effectũ, quæ est illa posterior, vt homo est risibilis, quia ridet, propositio immediata à posteriori est illa, quæ in se ipsa, & non per effectum cognoscitur, vt si dicas, *quodlibet est, vel non est*, quod in se ipso ex ipsis terminis, & non per effectum aliquem apparet vbi obserua per quodlibet genus causæ per se posse rẽ à priori demõstrari, & esse propositionẽ à priori mediatã per causã efficientem, vt si dicas, est ignis passo nõ resistenti applicatus, ergo calefacit: per causam materialẽ, vt si dicas, homo in se includit materiã, ergo est materialis, & corporeus, per causam formalem vel quasi formalẽ, vt si dicas homo est rationalis, vel discursiuus, quia habet animam rationalẽ, per causam finalem, vt si dicas, homo est intellectualis, quia ordinatus est ad æternã beatitudinem consequendã, vt autem aliqua propositio sit simpliciter immediata, sufficit, quod à priori nõ habeat medium, licet illud habeat à posteriori, immo sufficit, quod in aliquo genere causæ nobilioris non habeat medium, licet medium habeat in aliquo genere causæ, vt hæc propositio, homo est animal rationale, est simpliciter immediata à priori, quia in genere causæ efficientis non habet medium licet illud habeat in genere causæ finalis. 2

Præmitto 2. propositionẽ mediatã aliam esse mediatam realiter, aliam mediatã tantum virtualiter, aut ratione: propositio mediata realiter est illa, quæ habet mediũ reipsa ab extremis distinctum per quod demonstratur, vt si dicas, Petrus sentit calorem, quia Petrus currit, cursus Petri est medium reipsa distinctum à Petro, & calore, per quod demonstratur illa propositio Petrus sentit calorem, & ideo est propositio realiter mediata. Propositio solum mediata virtualiter, aut ratione est illa, quæ habet medium, solum virtualiter, aut ratione nostra distinctum ab extremis, per quod cognoscitur, vt si dicas; Deus habet actum volũtatis, quia habet actum intellectus, actus intellectus dicitur, & 3

est

eſt medium ſolum virtualiter, aut ratione noſtra diſtinctum à Deo, & actu voluntatis diuinæ, & ideo illa propoſitio, Deus habet voluntatem quia habet intellectum, eſt mediata ſolum ratione noſtra, & virtualiter.

4 Præmitto tertio propoſitionem immediatam, ſeu per ſe notam, aliã eſſe per ſe notam ſecundum ſe, non vero quoad nos, aliam per ſe notã quoad nos, non vero ſecundum ſe, alterã per ſe notam ſecundum ſe, & etiam quoad nos: propoſitio per ſe nota ſecundum ſe non vero quoad nos eſt illa, quæ ab intellectu perfecte res explicite concipiente eſt cognoſcibilis ex ipſis terminis abſque vllo medio, à noſtro vero intellectu imperfecte & confuſe res concipiente non eſt cognoſcibilis ex ipſis terminis in ſeipſa, ſed per aliquid quaſi mediũ, v. g. hæc propoſitio obiectiua, homo eſt capax diſciplinæ, eſt per ſe nota ſecundũ ſe, & nõ quoad nos, quia ab intellectu Angelico res explicite concipiente cognoſcibilis eſt ex ipſis terminis ſine medio, nam eſſe capacem diſciplinæ re vera omnino immediate connectitur cũ ratione hominis, noſter vero intellectus, qui res confuſe cognoſcit aliquod veluti medium aſſumit, ſcilicet hominẽ eſſe animal rationale, & ex eo infert eſſe capacem diſciplinæ, ſimiliter *Deus eſt*. Reuera non habet mediũ quia diuina exiſtentia nectitur immediate cum ipſo Deo, & ita ab intellectu beatifico eſt cognoſcibilis ex ipſis terminis, in ſe ipſa abſq; vllo medio, & idcirco eſt propoſitio per ſe nota ſecundum ſe, à noſtro vero intellectu res confuſe concipiente non eſt cognoſcibilis talis propoſitio ex ipſis terminis in ſe ipſa ſine medio creaturarũ, & ea propter non per ſe nota quoad nos. Ita D. Th. 1. p. q. 2. art. 1. Molina in eius commentario, Vaquez ibid. d. 19. c. 2. & 3. & alij, quos ipſe citat, id vero quod Nazianzenus, Hieronymus Damaſ. Anſelmus, & alij ab eodem Vaſquez c. 1. relati aſſerunt ſcilicet Dei cognitionem & notitiã nobis naturaliter eſſe inſitam, & nos ratione naturali edoceri eſſe Deum &c. debet intelligi, quod nos ſubito quodam diſcurſu, & naturali ratiocinatione cognoſcimus ex creaturis eſſe Deum à quo procedant, ex quo ſolum ſequitur Dei creatoris cognitionem eſſe nobis notam naturaliter per aliud, non vero eſſe notam naturaliter per ſe.

5 Propoſitio vero per ſe nota quoad nos, nõ vero quoad ſe eſt illa, quæ reuera habet mediũ per quod cognoſcatur, à nobis vero in ſe ipſa immediate notitia quadã experimentali cognoſcitur, vt cum dicis nix eſt alba, vere medium aliquod eſt, ratione cuius alba nix ſit, nos vero id ſine medio clara intuitione cognoſcimus, & ideo hæc propoſitio eſt per ſe nota quoad nos, nõ vero quoad ſe. Propoſitio deniq; per ſe nota ſecundũ ſe, & quoad nos eſt illa, quæ in ſe vere non habet medium, & à nobis etiam ex ipſis terminis cognoſcitur ſine medio, qualia ſunt principia quædam notiſſima, quæ quidem ſi communia ſint & generalia omnibus vel pluribus ſcientiis, vt v. g. hæc principia, *quodlibet eſt, vel non eſt, aliquid eſſe, vel non eſſe, eſt impoſſibile*. Dignitates dicuntur, forte quia ob eorum euidentiam & claritatem maxime digna ſunt, vt eis præbeatur aſſenſus, vt oſtendimus d. 35. c. 2. ſi vero alia principia notiſſima alicui ſcientiæ particulari deſeruiant, poſitiones vocãtur, quia à ſciẽtia illa non probãtur, ſed ſupponũtur.

6 Præmitto quarto, propoſitionem immediatam, vel mediatam, aliam eſſe poſitiuam aliã negatiuam, aliam euidentẽ, aliam probabilem: propoſitio immediata poſitiua eſt illa, quæ affirmatiue cognoſcitur per aliquod mediũ vt cõſtat in exemplis adductis, immediata negatiua eſt, quando aliquid de alio negatur ſine medio, vt homo nõ eſt equus, mediata vero quando quid de alio negatur per aliquod mediũ, vt homo non eſt hinnibilis, quia homo nõ eſt equus, immediata euidẽs eſt, quãdo aliquid euidẽter cognoſcitur ſine medio; mediata, quãdo eſt mediũ, per quod aliquid euidenter cognoſcatur, vt ſatis ſupra explicuimus, immediata probabilis eſt, quando aliquid probabiliter cognoſcitur ſine medio, vt ſi dicas, Pater diligit filium, quem genuit: mediata eſt, quando aliquid probabiliter cognoſcitur per aliquod medium, vt cum dicis, ſi Petro irrogetur iniuria, vlciſcetur, quia iracundus eſt, his ergo ſic prælibatis præcipuam controuerſiam explicemus.

ASSERTIO I. demonſtratio perfectiſſime conſtat formaliter ex præmiſſis immediatis, primis, & per ſe notis. Probatur, demonſtratio perfectiſſima eſt illa, quæ de ſubiecto cõmuni per definitionem ipſius, primam paſſionem demonſtrat; ergo talis demonſtratio conſtat ex duabus propoſitionibus primis, quarũ alia ſit cognitio clara, & explicita eſſentiæ de ſubiecto, & alia ſit cognitio clara, & explicita primæ paſſionis de eſſentia, ſed ambæ hæ propoſitiones ſunt immediatæ, primæ, ac parte notæ, nam inter ſubiectum, & eius eſſentiam, aut inter eſſentiam, & eius primam paſſionem, ſi explicite concipiantur, non eſt medium, & quæuis propoſitio ex prædictis etiam quoad nos eſt ex ipſis terminis cognoſcibilis, igitur demonſtratio perfectiſſima conſtat ex præmiſſis ac propoſitionibus immediatis primis, ac per ſe notis. 7

ASSERTIO II. demonſtratio aliqua etiam perfecta non conſtat formaliter ex propoſitionibus ac præmiſſis immediatis, primis ac per ſe notis. Probatur, quia ſæpe per ſecundam paſſionem ſubiecti, tertiam illius paſſionem demonſtramus, ergo talis demonſtratio tamquam ex præmiſſa conſtabit ex cognitione ſecundæ paſſionis, atqui cognitio ſecundæ paſſionis de ſubiecto non eſt propoſitio immediata & per ſe nota, ſed mediata, & nota per aliud, ſcilicet per primam paſſionem, ex qua ſecunda paſſio infertur, ergo demonſtratio aliqua etiam perfecta non conſtat ex præmiſſis, immediatis, ac per ſe notis. 8

ASSERTIO III. omnis demonſtratio conſtat ſaltem virtualiter ex propoſitionibus immediatis, primis, ac per ſe notis, ſic poteſt etiam intelligi Ariſt. dictum c. 2. vt aduertunt Conimbricenſes ibi q. 1. art. 3. Probatur, demonſtratio ex illis propoſitionibus dicitur conſtare virtualiter, à quibus eius præmiſſæ dependent, vel in quas reſoluuntur, atqui demonſtrationis præmiſſæ vltimo reſoluuntur in aliquas propoſitiones, & principia immediata, ac per ſe nota, alioqui in hac præmiſſarum reſolutione ad ſua principia daretur proceſſus in infinitum, vt etiam oſtendi diſp. 35. cap. 2. ergo quæuis demonſtratio conſtat ſaltem virtualiter ex propoſitionibus ac præmiſſis primis, ac per ſe notis. 9

ASSERTIO IV. Syllogiſmus probabilis etiam conſtat ſaltem virtualiter ex præmiſſis, ac propoſitionibus probabilibus, immediatis, primis, ac per ſe notis. Probatur, quia præmiſſæ probabiles ſyllogiſmi probabilis, vel ſunt immediatæ, ac probabiliter per ſe notæ, vel vltimo reſoluuntur in alias propoſitiones probabiles immediatas, ac per ſe notas, nedetur in tali reſolutione proceſſus in infinitum, ergo ſyllogiſmus probabilis conſtat ſaltem virtualiter ex præmiſſis immediatis, primis, ac per ſe notis vt patet ex dictis numero præcedẽti. 10

Sed quærat quis, an sẽper circulus ſit, in argumentatione, & demõſtratione vitioſus; circulus eſt, quãdo in aliqua concluſione demonſtrata regreditur quis ad demonſtrandã præmiſſã ex qua ipſa demonſtrata fuit, vt ſi dicas, *homo eſt rationalis*, ergo eſt riſibilis, & iterũ regrediaris, homo eſt riſibilis, ergo eſt rationalis, hic autẽ circulus duplex eſt, alius eſt circulus ſimpliciter, quãdo ſcilicet ex cõcluſione vt præcisè demõſtrata ex vi præmiſſæ regreditur quis ad demonſtrandã eamdẽ præmiſſam. Alter eſt circulus ſecundũ quid, quando videlicet ex concluſione demõſtrata per aliquã præmiſſam, non vero vt demonſtrata per illam, ſed vt cognita per aliud mediũ diuerſum regreditur quis ad demonſtrandã talẽ præmiſſam, vt ſi quis dicat, *homo eſt rationalis, ergo eſt riſibilis*, & poſtea ex actu ridendi euidentius cognoſcens eſſe riſibilem dicat, *homo eſt riſibilis, ergo eſt rationalis*. Tunc datur circulus ſecundum quid. 11

12 Arbitror ergo dicendum, circulum simpliciter esse in omni argumentatione, & demõstratione vitiosum, non vero circulum secundum quid, seu formẽ. Ita Arist. 1. l. Post. c. 2. & 2. Post. c. 13. Vbi docet pluuiã posse demonstrari ex abundantia vaporum, & rursus 2. de cœlo D. Th. Caiet. Magister Soto Ioan. à S. Th. q. 25. logic. a. 3. Lerma l. 8. q. 11. & est communis & ratio est, quia id, quod est notius, non bene demonstratur per minus notum, sed minus notum demonstratur per id, quod est notius vt ostendi sup. d. 32. c. 5. Sed in circulo simpliciter ex conclusione, quatenus demonstrata per præmissam, ac proinde minus nota, quã ipsa præmissa regreditur quis ad demonstrandam præmissam notiorem illa, atque ita ex minus noto demonstrat id, quod est notius, ergo circulus simpliciter, seu vniformis est vitiosus, at vero in circulo secundum quid, seu differenti ex conclusione non vt demonstrata per præmissam, vt sic enim est minus nota, quam illa, sed vt demonstrata clarius, & euidentius per aliud medium, ac proinde vt notiori, quam præmissa, regreditur quis ad demonstrandam saltem præmissam minus notam, ergo talis circulus secundũ quid, seu deformis, vitio vacat.

13 Sed obiiciat quis nobis Arist. 2. Physicor. text. 30. & 5. met. c. 2. dicẽtem dari perfectum circulum in causis, ergo & in demonstrationib. cum illa etiã habeatur per causas vt ostendo c. sequenti, & 2. l. Post. c. 13. vbi ait pluuiam demonstrari ex abundantia vaporum, & contra, abundãtiam vaporum ex pluuia, & 2. de cælo ostẽdit stellas esse immobiles, quia sunt sphæricæ figuræ, & è cõtra sphæricæ figuræ, quia sunt immobiles, tandẽ 2. Post. c. 7. concedit vnam definitionem demonstrari per aliam, ergo in iis & similibus demonstrationibus datur circulus perfectus, & simpliciter.

14 Hæc testimonia Arist. sic explico, Ad primum dico in causis non dari perfectum circulum & vniformem sed tantum materialẽ seu formẽ, seu secundum quid, cum inter causas tantum detur dependentia vnius ab alia in diuerso genere causæ, vt in Physicis latius ostẽdemus. Ad secundum Resp. pluuiam cognitam per experientiam manifestare vapores, qui sunt causa pluuiæ non eiusdem, sed alterius, quo vitatur circulus. Ad tertium dico stellas esse immobiles supponere Philosophum, vt interpretatur D. Th. 2. de cælo lect. 7. & rursus lect. 16. per aliud medium, quo etiam vitatur circulus formalis, & simpliciter, vt ostendi n. 12. ad eũ modum, quo Philosophus ex effectib. probauit causas, vt ex motũ motorem, ex transmutatione materiam, sic etiam Paulus, inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt & alia multa, quæ adduci possent. Ad vltimũ Resp. non probare circulum simpliciter, & formalem in probationibus dialecticis, sed solum comparare probationem vnius definitionis per aliam multiplicando media, nõ vero per vnũ medium, & ideo circulum esse secundum quid, & materialem, seu formẽ, qui non repugnat in dialecticis probationibus quod autem dicitur de circulo per ascensum, & descensum nihil probat, cum solũ quoad apparentiã videatur circulum committi, quia tã per ascensum, quam per descensum ex singularibus probatur vniuersalis, per ascensum quidem veritas illius, per descensum vero falsitas ipsiusmet vniuersalis, vnde singularia, siue per ascensum, siue per descensum semper assumuntur ad probandam veritatẽ aut falsitatem vniuersalis, ac proinde semper vt notiora, & ita in re non est circulus, sed diuersus modus probandi veritatem, vel falsitatem eiusdem propositionis.

CAPVT II.

An, & quo pacto præmissæ sint causæ, & priores conclusione.

15 DEmonstrationis præmissas in omnium sententia sunt ad minus causæ formales extrinsecæ conclusionis, causæ quidem formales, quia per se ipsas tãquã per formas determinant intellectum ad assentiendum conclusioni, extrinsecæ vero, quia ipsi conclusioni intrinsece non inhærent, & hoc modo etiam formaliter, & extrinsece sunt priores conclusione, quod sufficit ad verificandum commune Arist. pronuntiatũ hic c. 2. dicentis, demonstrationem constare ex præmissis, priorib. & causis conclusionis non in genere causæ finalis, nam assensus præmissarum potius est propter conclusionem, quam assensus conclusionis propter præmissas, ergo assensus conclusionis se habet, vt finis respectu assensus præmissarum, siquidem præmissæ ordinantur ad assensum conclusionis non in genere causæ materialis propriè, nam vnus actus non fit ex alio tãquam ex materia nec actuat eam tamquã forma intrinseca, sed extrinseca ratione obiecti scilicet præmissarũ, quæ in omnium sententia aliquo modo causant conclusionem, vt docent Arist. 2. Physicor. tex. 31. & ibidem D. Th: lect. 6. restat ergo dubium an præmissæ in genere causæ efficientis physice, & stricte influant in assẽsum conclusionis, & illo sint priores.

16 Multorum sententia est hisce temporibus communissima, assensus præmissarum in genere causæ efficiẽtis physice, & stricte influere in assensum conclusionis Ita D. Tho. docere videtur multis in locis, & omnes eius discipuli. Caiet. Ferrara 1. contra gentes cap. 55. Masius, Sanch. Complut. d. 17 q. 3. Ioan à S. Tho. q. 25. art. 2. Lerma l. 8. q. 3. Didacus à Iesu d. 16. q. 3. Araujo 1. met. q. 34. accedũt ex schola Societ. Suar. to. 1. met. d. 18. s. 4. Vasq. in 1. p. 5. d. 4. n. 24. Paul. Vallius 1. Post. q. 3. c. 7. Montesinos 1. 2. d. 15. q. 7. Molina 1. p. q. 14. a. 7. Conimbr. 2. Physicor. tex. 31. Rubio 1. Post. c. 1. q. 5. §. vera sententia refertur, Fonseca 5. met. c. 2. in explicatione textus litteraR. Gabriel. q. 8. prologi dub. 2. Secũda sententia est assensum præmissarum physice & effectiue non influere in assensum conclusionis, sed tãtum extrinsece formaliter vt sup. n. 15. Ita Durand. in 2. dist. 24. q. 2. ad 4. Capreolus in 1. dist. 1. q. 1. ad secundam confirmationem Aureoli, Hurtado d. 7. de anima s. 8. Arriaga d. 15. s. 5. Auersa videtur in eam inclinare q. 28. s. 6. Valentia 1. 2. disp. 2. q. 4. Carleton. disp. 47. log. s. 7. & rationi stando est etiam communior inter Recentiores.

17 ASSERTIO sit, Assensus præmissarum physicè & effectiue non influunt in assensum conclusionis, sed tantum extrinsece formaliter vt supra n. 15. explicatũ est. Probatur ratione: posita solum formali, & extrinseca determinatione præmissarum absq; alio physico influxu, intellectus habens speciẽ obiecti scilicet conclusionis est adæquatè potens ad efficiendũ assensum conclusionis, ergo assensus præmissarum solum extrinsece formaliter, non vero physicè & effectiue influũt in assensum conclusionis. Conseq. est euidens, quia sine necessitate causæ physicæ multiplicandæ non sunt, antecedens sic ostendo, quando aliqua causa cõtinet in se omnes formales effectus est potens adæquatè ad efficiendum illum, sed posita solum formali, & extrinseca determinatione præmissarum intellectus habens speciẽ impressam obiecti, scilicet conclusionis continet in se omnes formalitates assensus conclusionis, ergo est potens adæquatè ad efficiendum assensum conclusionis. Probo minorem, assensus conclusionis has præcisè formalitates in se habet, nimirum esse cognitionẽ vitalẽ, & esse repræsentationẽ obiecti scil. cõclusionis, sed intellectus, quatenus est potẽtia intellectiua, & cognoscitiua vitalis cõtinet assensũ cõclusionis, quatenus est cognitio vitalis & species impressa obiecti, quatenus est virtualis repræsẽtatio obiecti cõclusionis cõtinet talẽ assensũ quatenus est repræsẽtatio ipsius cõclusionis, ergo posita solũ extrinseca & formali determinatione præmissarũ intellectus habẽs speciẽ impressã obiecti, scilicet conclusiõnis continet in se omnes formalitates repertas in assensu conclusionis, ac proinde erit adæquatè potens ad physicè efficiendum illum.

Proba

18 Probatur 2. ideo apprehensio non influit physicè in iudiciũ, sed tantũ formaliter determinat ad illud, quia posita formali determinatione apprehẽsionis, intellect⁹ cũ specie impressa obiecti cõtinet omnes formalitates actus iudicij,& ita est potens adæquatè ad physicè efficiendũ illud, sed similiter posita solũ formali determinatione præmissarũ, intellectus cũ specie impressa obiecti, scil. cõclusionis cõtinet in se omnes formalitates assensus cõclusionis: ergo assensus præmissarũ non efficit physicè, sed solũ caũlat formaliter assẽsum cõclusionis. Vrgeo, quia non minus dependet volitio à cognitione, quam ab assensu præmissarum assensus conclusionis, sed cognitio non influit physicè in volitionem, ergo nec assensus præmissarum in assensum conclusionis.

19 Probatur 3. sæpissimè haberi potest assensus cõclusionis non existẽtibus præmissis, ergo in hoc casu assensus præmissarũ physicè non influit in assensũ conclusionis: Conseq. probatur, quia causa efficiẽs physica nõ potest physicè influere, quin in rerũ natura actu existat, nam actualis, & physica efficientia importat actualẽ causæ existẽtiã, vt suppono ex 2. l. Phys. ergo sicut in hoc casu solus intellectus cũ specie impressa obiecti cõclusionis est adæquatè potẽs ad efficiendũ illum assensũ conclusionis, sic etiã quando præmissæ existãt erit intellectus potens cũ specie impressa ad illũ assensum conclusionis efficiendũ cũ sola determinatione præmissarũ, imo cõtingit sæpè intellectũ assentiri cõclusioni absq; existẽtia maioris propositionis, aliquãdo cũ maiori sine existentia minoris, & aliquando sine existentia vtriusque præmissæ, cum iam præmissæ non existant, quando intellectus assentitur conclusioni: ergo præmissæ physicè non influunt in assensum conclusionis.

20 Obiiciat quispiam D. Th. 1. post c. 1. lect. 3. vbi sic ait, principia se habẽt in demonstratiuis ad conclusionẽ, sicut causæ actiuæ in naturalibus ad suos effectus, atqui causæ actiuæ in naturalibus physicè efficiũt suos effectus, calor enim physicè aliũ calorẽ producit: ergo principia etiam in demonstratiuis physicè conclusionem efficiunt, vnde infert Angelicus Doctor. in 2. Physic. propositiones syllogismi ponuntur in genere causæ efficiẽtis. Resp. in eo præmissas à D. Th. cũ causis actiuis naturalib. comparari: quod sicut causæ naturales actiuæ per se, & non per accidens actiue cõcurrunt ad suos effectus, ita præmissæ per se etiã & non per accidens concurrunt ad inferendam conclusionem saltem in genere causæ formalis extrinsecè, quia vero causa formalis extrinseca quodam modo late causa efficiens à pluribus appellatur, & ad genus causæ efficientis reducitur, ideo D. Th. dixit præmissas poni in genere causæ efficientis, non quidẽ efficientis stricte & simpliciter, sed latè aliquo modo, & secundum quid, vt expressè ipse D. Th. 1. contra gẽtes c. 57. ratione 4. cum dixit, principia sunt quodammodo causa efficiens conclusionis.

21 Obiiciat 2. positis præmissis euidentibus recte dispositis necessitatur intellectus ad assensum conclusionis, ergo præmissæ euidentes physicè influunt in assẽsum conclusionis, antecedens ostendam c. sequenti. cõsequentiam sic probo, ideo physica prædeterminatio influit physice in actum voluntatis, quia posita illa determinatur voluntas ad talem actum, ergo si positis præmissis euidentib. necessitatur intellectus ad assensũ conclusionis ipsæ præmissæ etiam physicè influunt in assensum conclusionis. Confirmatur, assensus conclusionis magis pendet ab assensu præmissarum, quã ab habitu scientif. cõclusionis, si fortè detur, sed habitus scient. physicè efficit assensũ conclusionis, ergo potiori iure præmissæ talẽ assensũ cõclusionis physicè efficiẽt.

22 Resp. dupliciter posse rẽ aliquã necessitare intellectũ, aut voluntatẽ ad actum, 1. per modũ principij, & causæ sicut lumen gloriæ necessitat intellectũ beati ad vidẽdum Deum, 2. per modum causę formalis extrinsecæ, sicut visio clara Dei necessitat voluntatẽ ad amorẽ Dei beatificũ, prædeterminatio enim physica, siue necessitet, siue non, ad amorẽ Dei beatificum, determinat voluntatẽ per modum principij,& causæ actiuæ, quia nõ potest illã alio modo ad operandũ determinare, & ideo efficit physicè actũ volũtatis, assẽsus verò euidẽs præmissarũ determinãt, ac necessitãt intellectum ad assensũ conclusionis solũ per modũ causæ formalis extrinsecæ, quia hoc modo possunt illũ determinare, & ahiũde intellectus cũ specie est omnino cõpletus in ratione causæ effectiuæ, vt sup. ostẽdi, ac proinde assẽsus præmissarũ nõ efficit physice assensũ conclusionis. Ad confirmationẽ dico etiã volitionẽ magis pẽdere ex cognitione, quã ab habitu volũtatis, & tamẽ habitus influit in illã physicè, & non cognitio, eodẽ ergo modo licet assensus conclusionis magis pẽdeat necessario ab assensu præmissarũ, quã ab habitu scientifico ille influet in talẽ assẽsum, nõ vero præmissæ. & ratio est, quia habitus non potest alio modo determinare, vel facilitare potentiã nisi cũ illa physicè etiã actũ efficiat, præmissæ vero absq; vllo physico influxu possũt determinare, & necessitare intellectũ in genere causæ extrinsecæ.

Objiciat tertio, species impressa influit effectiuè, & 23
physice in illum actũ in ordine, ad quem est species, sed assensus præmissarum est etiam species impressa in ordine ad assensum conclusionis, ergo influit effectiue, & physice in assensum conclusionis: probatur minor, illa est species impressa in ordine ad aliquẽ actum, quę determinat intellectum ad eliciendum illũ actum, sed assensus præmissarum determinant intellectum ad eliciendum assensum conclusionis, ergo sunt species impressæ in ordine ad assensum conclusionis. Confirmatur, sicut se habet intentio finis ad electionem medij, ita se habet assensus præmissarum ad assensum conclusionis, sed intentio finis influit effectiue, & physice in electionem medij, ergo similiter assensus præmissarum influit effectiue, & physice in assensum conclusionis.

Resp. speciem impressam esse illam, quæ determinat 24
intellectum ad cognitionẽ obiecti vice ipsius obiecti, & tamquam virtus, & semen illius, præmissas autem, licet determinent intellectũ ad assensũ conclusionis, non determinare illũ vice illius obiecti, scil. conclusionis, & tanquã virtus, ac semẽ illius, hoc enim esset confundere speciẽ impressã cũ ipsa specie expressa, atq; ita præmissas nõ esse speciẽ impressã in ordine ad assensum conclusionis, & cõsequenter nõ influere physicè in illum, sed illa species impressa, quæ determinat, & influit in ipsas præmissas determinat etiã, & influit in assensum conclusionis, qui est connexus cum illis, de quo latius l. de anima non physicè, & effectiuè, sed formaliter, extrinsecè determinãdo & illuminãdo intellectum, vt in simili etiã d. 3. diximus c. 3. de habitu dialecticæ in ordine ad efficiendum actus aliarum sciẽtiarum. Ad confirmationẽ dico intentionẽ finis, & volitionem mediorum non efficere effectiue physicè electionem medij, sed solum per modum causæ formalis extrinsecæ sicut assensus præmissarum causat assensum conclusionis vt supra n. 20. dixi.

Verũ aliquis inquirat, an cũ quis assensum aliquẽ cõ- 25
clusionis depẽdẽter à præmissis semel & iterũ, atq; iterũ elicit, possit postea eundem conclusionis assensum saltẽ cũ specie sine præmissis elicere. nonnulli asserunt, si ex prædicta repetitione adquisiuit habitũ scientificũ cõclusionis posse cũ tali habitu assensũ cõclusionis elicere absq; præmissis, secus vero sine illo. Sed impugnatur, nã intellectus sine habitu cõclusionis nõ potest absolute & simpliciter elicere assẽsum illum cõclusionis sine præmissis, ergo nec cum habitu potest illum absque præmissis elicere. Antecedẽs ipsi admittunt, consequentia vero est nota, quia habitus naturalis non dat simpliciter posse; sed solum facile posse; daret autẽ habitus ille simpliciter posse, si intellectus, qui sine habitu non potest simpliciter elicere conclusionis assensum sine præmissis, posset absolutè cum habitu talem assensum elicere sine illis, adhæc habitus non

generat, nisi actus similis illis ex quibus genitus est, sed habitus ille scientificus conclusionis genitus est ex assensibus conclusionis, qui pendebant à præmissis, ergo non potest talis habitus elicere, nisi conclusionis assensum dependenter à præmissis, non ergo sufficit habitus conclusionis ad eliciendum eius assensum sine præmissis. Alij opinantur sufficere, quod quis habeat species quasdam memoratiuas, quibus recordetur se aliquando illam conclusionem demonstrasse, vt actu eliciat illius conclusionis assensum, licet actu in se non habeat illius præmissas, ex quibus ante assensum conclusionis elicuit, cum demonstrauit conclusionem, bene quidem, sed iste conclusionis assensus, qui ex prędicta demonstrationis recordatione confusa elicitur, erit specie diuersus ab illo assensu conclusionis, qui prius elicitus fuit dependenter à præmissis, ille enim numquam potest absque illis præmissis elici, quod sic ostendo, quando aliquis actus pendet ab alio in genere causæ formalis extrinsecæ, talis actus in specie non potest elici, nisi dependenter ab illo, v. g. quia actus voluntatis pendet in genere causæ formalis extrinsece ab actu intellectus, non potest elici sine illo, atqui assensus conclusionis, qui semel elicitus fuit dependenter à præmissis, iam secundum se fuit dependens à præmissis in genere causæ formalis extrinsecæ, ergo numquam elici potest talis assensus absque illis præmissis, vnde assensus iste conclusionis ex sola recordatione confusa demonstrationis præteritæ circa talem conclusionem erit assensus quidem confusus diuersus specie ab illo, qui explicitè, & distinctè ex ipsis præmissis euidentibus illatus fuit.

CAPVT III.

An præmissis euidentibus admissis necessitetur intellectus ad assentiendum conclusioni.

27 DVplex est necessitas alicuius potentiæ ad operandum, alia est necessitas quoad speciem, alia est necessitas, quoad exercitium, necessitas quoad speciem est illa, qua potentia est necessario determinata ad vnam speciem actuum, ita vt licet possit absolute non operari, tamen si operatura sit debeat necessario efficere actū vnius speciei præcisè, vt voluntas proposito clare bono vt bono est determinata quoad speciem in ordine ad amandū illud, quia si circa illud operatura sit, tenetur necessario elicere actum amoris præcisè; huic necessitati opponitur libertas contrarietatis, quæ consistit in eo, quod potentia possit elicere actus diuersæ atq; contrariæ speciei, vt voluntas quatenus potest elicere actum amoris, & actum odij circa Petrum, v. g. est libera libertate contrarietatis, necessitas quoad exercitium est illa, qua potentia est necessario determinata ad efficiendum hic, & nunc aliquem actum, ita vt non possit omnem actum suspendere, & non operari, vt potentia visiua circa colorem lucidum apertis oculis est necessitata, quoad exercitium ad videndum illum, quia non potest illum actualiter non videre, & voluntas beati est necessitata quoad exercitiū ad amādum Deum, quia suspendere non potest amorem beatificum. Huic necessitati opponitur libertas contradictionis, quæ consistit in eo, quod potentia possit efficere aliquem actum, & illum non elicere, vt voluntas nostra, quatenus potest amare Petrum, & illum non amare, est vere libera libertate contradictionis.

28 Concors omnium Philosophorum sententia est intellectum positis, & admissis præmissis claris, & euidentibus necessitatum esse quoad speciem ad assentiēdum conclusioni, ita vt non possit dissentiri illi; sed si operaturus sit circa conclusionem, teneatur necessario tali conclusioni assentiri. Ratio est manifesta, quia, intellectus est necessitatus quoad speciē ad assentiēdum vero proposito clare vt vero, ita vt possit illi dissentiri, sicut voluntas est necessitata quoad speciem ad amādum bonum propositum clare vt bonū, ita vt non possit illud vt sic odio prosequi. Sed per præmissas claras, & euidentes proponitur intellectui conclusio clare, & euidenter vt vera, vt ostendi supra disp. 34. c. 2. n. 9. ergo positis præmissis claris, & euidentibus intellectus est necessitatus quoad speciem ad assentiendum conclusioni, ita vt non possit illi dissentiri, dubium tamen est, an etiam sit determinatus quoad exercitium, ita vt non possit suspendere assensum conclusionis.

Plures recentiores cum Rubio hic q. 8. n. 93. Oña 29
q. 1. a. 2. Franc. Alphonsus disp. 14. de anima s. 6. n. 64. & alij, opinantur intellectum positis præmissis euidētibus non necessitari quoad exercitium ad assentiendū conclusioni, sed stantibus illis præmissis posse ad nutū voluntatis ipsi conclusioni non assentiri. Probatur 1. quia intellectus vtpote potētia rationalis est subiectus despoticè voluntati, ergo voluntas etiā positis præmissis euidētibus potest facere, quod intellectus non assētiatur conclusioni, alioqui intellectus non esset subiectus illi. 2. In intellectu dantur habitus scientifici ad assentiendum scientificè conclusioni positis præmissis euidentibus, vt admisimus in introduct. ad Logicā disput. 2. c. 2. Sed si positis præmissis euidentibus intellectus est necessitatus quoad exercitium ad assentiēdum conclusioni, nullus ad id habitus scientificus dari posset, nā habitus dantur ad inclinandā potentiā ad exercitium operis, atq; ita si potentia secundū se est essentialiter inclinata, & necessitatā ad exercitiū operis, erit incapax alterius inclinationis, & habitus, ergo positis præmissis euidentibus intellectus non est necessitatus quoad exercitiū ad assentiendū conclusioni. 3. Tam causa necessaria est in se potentia loco motiua, quam potentia intellectiua, sed potentia loco motiua subiicitur voluntati, quoad exercitium sui operis, ergo etiam potentia intellectiua subiicitur voluntati quoad exercitium assensus conclusionis.

ASSERTIO sit, intellectus positis præmissis claris, 30
& euidentibus rectéque dispositis necessitatur quoad exercitiū ad assentiendū conclusioni, ita vt stantibus iis præmissis non possit cōclusioni non assētiri. Ita expressè Arist. D. Th. 1. p. q. 82. n. 2. & 1. 2. q. 17. a. 6. ad longū Caiet. Sotus Scot. Hurt. disp. 11. Logicæ, s. 11. disp. 7. de anima s. 9. Durand. Fons. Soncin. Sanch. Didacus à Iesu, Arriaga disp. 15. Logicę s. 6. Conimbric. hic q. 4. a. 4. Ioan. à S. Th. q. 24. Logicæ a. 3. Complut. disp. 17. Logicæ q. 4. Lerm. l. 8. q. 4. Carlet. disp. 47. Logic. s. 8. & est communis inter omnes recentiores. Hac efficaci ratione probatur, causa necessaria omnibus positis requisitis ad operandū necessario quoad exercitium operatur, ignis enim si applicetur stupæ, & alia requisita ponantur ad comburendum, necessario quoad exercitiū comburet, sed intellectus est causa necessaria, & positis præmissis euidentibus ex quibus necessario, & clare infertur conclusio, ponuntur omnia requisita ad assentiendum conclusioni, non enim aliud requiritur, vt intellectus tali conclusioni assentiatur, ergo positis iis præmissis euidentibus intellectus necessario quoad exercitium assentitur conclusioni.

Probatur 2. Ideo in patria posito lumine gloriæ, & 31
assistente Deo per modum speciei intellectus beati necessitatur quoad exercitium ad eliciendā visionē Dei, quia intellectus est causa necessaria, & ponūtur omnia requisita ad elicientiam visionis, ergo intellectus illis positis necessitatur quoad exercitiū ad assentiendū cōclusioni. Cōfirmatur, proposito colore lucido, & apertis oculis potentia visiua necessario quod exercitium videt colorē, quia potētia visiua est causa necessaria, & ponuntur omnia, quæ requiruntur ad talem colorē videndum, & ideo non potest impediri à volūtate, sed intellectus est etiam causa necessaria, & positis præmissis euidentibus ponuntur omnia, quæ requiruntur ad assentiendum conclusioni, ergo positis præmissis certis, & euidentibus intellectus quoad exercitium assentitur conclusioni, ita vt impediri non possit à voluntate.

Dicat

32 Dicat quiſpiam intellectũ non vero potentiã viſiuam eſſe potentiã rationalem,& ſpiritualẽ ac proinde magis affinẽ voluntati,& idcirco eſſe ſubiectũ illi quoad exerciti umoperis,vnde vnum ex requiſitis vt intellectus in exercitio operetur,eſt imperiũ ſeu applicatio voluntatis, cum autẽ etiam poſitis præmiſſis euidentibus deficere poſſit talis volũtatis applicatio, deeſſe poterit aliquod ex requiſitis ad efficiendam concluſionẽ, & ita in tali caſu etiã poſitis illis præmiſſis non neceſſitabitur intellectus quoad exercitiũ ad illi concluſioni aſſentiendum;ſed contra:ſi voluntatis imperiũ ſeu applicatio eſſet requiſita,vt intellectus operaretur,nunquam intellectus operari poſſet ſine tali applicatione volũtatis,ſed intellectus plures actus operatur ſine tali voluntatis applicatione,nam ſolum ille actus intellectus,qui omnem voluntatis actum præcedit, non oritur ex tali applicatione voluntatis, ergo hæc voluntatis applicatio, ſeu imperium non eſt aliud ex requiſitis,vt operetur intellectus.

33 Reſpondeat quis intellectum ob prædictam rationẽ ſubiici in operando voluntati, & ideo vt operetur, requiri,non quidem quod poſitiuè applicetur à voluntate, ſed ſolum quod non impediatur à voluntate, quæ etiam poſitis præmiſſis poteſt illum impedire,nec exeat in aſſenſum concluſionis.Sed contra,intellectus nõ magis ſubiicitur voluntati in ordine ad aſſentiendum, vel non aſſentiendũ concluſioni poſitis præmiſſis euidentibus rectè diſpoſitis,ex quibus illa concluſio clarè, & euidenter infertur, quam ſubiiciatur ipſi in ordine ad ſimpliciter, vel non ſimpliciter cognoſcendum obiectum ſenſibile,poſita illius vehemẽti apprehenſione in ſenſu,& paſſione in appetitu, eadem enim in vtroque caſu ratio militat,ſed poſita vehementi apprehẽſione obiecti ſenſibilis in sẽſu,& paſſione in appetitu non poteſt voluntas impedire intellectum, ne ſimpliciter cognoſcat, & apprehendat tale obiectum, immo ſæpè renuente acriter,& reſiſtente voluntate illud apprehendit intellectus, vt vel inuiti experimur; ergo etiam poſitis præmiſſis euidentibus, &c. non poteſt voluntas impedire, ne intellectus in exercitio aſſentiatur concluſioni, igitur intellectus poſitis præmiſſis euidentibus omnino neceſſitatus eſt quoad exercitium ad aſſentiendum concluſioni.

34 Hinc iam ad ſupra obiecta Reſp.ad 1.dico intellectũ poſitis præmiſſis euidentibus in ordine ad aſſentiendum concluſioni non eſſe directè ſubiectum deſpoticè voluntati,quia ſtantibus illis præmiſſis non poteſt illũ retrahere ab aſſenſu concluſionis,vt oſtenſum eſt, eſſe tamen intellectum ſubiectũ deſpoticè voluntati in ordine ad aſſensũ concluſionis indirectè,quia poteſt voluntas diuertere,& applicare intellectũ ad alia obiecta cognoſcenda,ita vt non cognoſcat præmiſſas euidẽtes vel ab earũ cognitione ceſſet,& ita conſequenter non cognoſcet concluſionẽ,vel ceſſabit à cognitione & aſſenſu talis concluſionis.Ad 2.dico etiamſi poſitis præmiſſis modo dicto,neceſſario concluſioni aſſentiamur, facilius tamẽ neceſſitari eum,qui habitu pollet,& poſtquãeſt neceſſitatus,ſuauius etiã ac magis vltroneè aſsẽtiri concluſioni quãalium,qui habitu caret,quod verò in potentiis etiã neceſſario operantibus id contingere poſſit,patet in beato,& alio ad aliũ amorẽ neceſſitato, nec enim ita ſuaue,& ſpontaneum ac voluntariũ ei eſt obiectũ amare,ad quod neceſſitatur,atq; vt ſuaue beato,& voluntariũ amare Deum,vt patet.Ad 3.dico potentiam loco motiuã ſubiici voluntati,quia non habet obiectũ aliquod,à quo neceſſario moueatur & trahatur, at vero intellectus habet obiectũ,ſcilicet veritatẽ propoſitã clarè,à qua neceſſario trahitur, ſicut potẽtia viſiua trahitur neceſſario à colore lucido,& ideo tã intellect⁹. quã potẽtia viſiua directè nõ ſubiicitur volũtati.

35 Tertio probatur aſſertio ex Ariſt.7.Ethic.c.3. & D. Th.1.2.q 8.art.3.vbi ait, ſicut ſe habet intẽtio efficax finis circa electionẽ mediorum,ita ſe habet intellectus in ſpeculabilibus poſitis præmiſſis certis,& euidẽtibus ad aſſentiendũ concluſioni,ſed poſita intẽtione efficaci finis voluntas non poteſt impedire electionẽ mediorũ, ergo ſimiliter poſitis præmiſſis certis,& euidẽtibus & requiſitis ad operandum non poterit intellectus retrahere aſſenſum,circa concluſionem &illi non aſſentiri. Confirmatur,quia voluntas non eſt potentior in actus aliarũ potentiarum,quam circa proprios actus,ſed voluntas non poteſt ſuſpendere proprios actus propoſito obiecto omni ex parte bono,ergo multo minus poterit retrahere intellectum ab aſſenſu concluſionis poſitis præmiſſis certis,& euidentibus,& omnibus requiſitis ad illi aſſentiendum.De voluntate conſtat in beatis,& de intellectu ſimiliter ex dictis.

CAPVT IV.

Examinatur dictum Philoſophi, propter quod vnumquodque tale,& illud magis.

36 PLures aliæ conditiones ad demonſtrationis præmiſſas ab Ariſtotele requiruntur,quas in hoc,& ſequenti cap.explanabo,& conſtat ex dictis diſp.37.c.5. præmiſſas demonſtrationis eſſe certiores,& euidentiores ipſa concluſione,& magis præmiſſis aſſentiri,quam concluſioni,cum huic præſtemus aſſenſum propter illas,vt clarè indicat Ariſt.in hoc 2.c.hoc axiomate.*propter vnumquodque tale, & illud magis.* Quod conſonat cum illo 2.met.c.2.vbi etiam ait,*id maximè tale eſt,quod eſt cauſa cæterorum, vt ſint alia.* Cum autem vtrumque Ariſt. axioma frequens ſit in ſcholis, & non ita facilè intelligatur, cenſui pro tyronibus radicitus illud in hoc cap enodare.

37 Et ratio dubitandi contra veritatem illius axiomatis deſumitur ex iis rationibus,1. Res cognoſcũtur ab anima propter ſpecies intelligibiles, & habitus intellectuales, ſed ſpecies intelligibiles, & habitus intellectuales non magis cognoſcuntur,ergo 2.Terra eſt calida propter ſolem calefacientem,& tamen ſol non eſt magis calidus ergo. 3. Filius æternus ſpirat Spiritum Sanctum propter Patrem,à quo habet vim ſpiratiuam, & tamen Pater non magis ſpirat, quam filius, ergo.4.Petrus eſt homo propter Patrem illum producentem, & tamen Pater non eſt magis homo, quam Petrus, ergo in his omnibus inſtantiis, & rationibus fallit Ariſt. axioma.

38 Præmitto pro illius intelligentia duo eſſe animaduertenda, primum quod illud, in quo fit comparatio debet ineſſe vtrique exrremo,hoc eſt,quod participẽt eumdem effectum v.g.ſi terra ſit calida propter ſolem, tam terra quam ſol participent rationem calidi.Secundum eſt,quod id,in quo fit comparatio capax ſit recipiendi magis,& minus,nam ſi in indiuiſibili cõſiſtat, impoſſibile eſt, quod vni magis inſit, quam alteri,& ita non ſequitur, Petrus eſt rationalis propter Antonium illum producẽtem,ergo Antonius eſt magis rationalis,quia illud prædicatum non ſuſcipit magis,& minus,his animaduerſis.

39 Assertio ſit, Axioma illud Ariſt. propter quod vnumquodque tale. & illud magis intelligendum eſt in iis, quæ ſunt eiuſdem ordinis, & participant eumdem effectum, vt adnotaui numero præcedenti, vt ſi v.g.dicatur, quod ſanitas ſit deſiderabilis propter vitã ſequitur quod vita ſit magis diſiderabilis, quia vtraq; eſt in eodem ordine cauſæ finalis. Si vero aſſumantur ea.quæ ſunt diuerſorum ordinum,axioma nõ tenet, vt ſi dicatur,quod ſanitas eſt deſiderabilis propter medicinam,non ſequitur, quod medicina ſit magis deſiderabilis,quam ſanitas, quia ſanitas eſt in ordine finium, medicina vero in ordine cauſarum efficientium, ſic interpretatur prædictum axioma D.Th. 1.p q.87.a.2. ad tertium & in 1.diſt.12.q.1. a.2. ad ſecundum,cuius verba poſſunt videri apud Complutenſes d. 18.log. q. 1.n. 16. ergo prædictum axioma Ariſt. hoc modo intelligendum eſt.

40 Ad rationes in contrarium Respondeo & ad primã dico species intelligibiles, habitus intellectuales, & res cognitas non esse in eodem ordine, nã res sunt in ordine obiectorum, & pertinent ad genus causæ formalis extrinsecæ, habitus vero ad genus causæ efficiẽtis. Ad secundam Respondeo quod causa, & effectus debent habere idem nomen, & sine illo non conueniunt, & magis causæ aptatur nomen, quam effectui, vt hic docet Diuus Thomas lect. 6. ignis enim magis calidus est, , quam ea, quæ per ipsum calefiunt, non tamen necessarium est quod sit formalis participatio eiusdẽ formæ, sed sufficit, quod sit tantũ eminẽter, id est quodam nobiliori modo, sol v.g. qui est causa æquiuoca caloris, non dicitur calidus formaliter, sed eminenter, & nobiliori modo, quam ea, quæ per ipsum efficiuntur calida, & cum in sole sit aliquid eminentius ipso effectu, axioma sufficienter applicatur. Ad tertiam dico, non conuincere, nam D. Thomas in 1. distinct. 12. quæst. 1. art. 2. ad 2. sic ait, dictum Philosophi verificatur, quando illud, quod conuenit alicui propter aliud, est diuersum in vtroque & præcipue quando vnum est causa alterius essentiali ordine causæ, & ideo calor magis est in igne, quã in corpore, nam propter ignem est in corpore mixto, non tamen valet in nostra instantia, nam quamuis filius habeat à Patre spirare spiritum sanctum, nihilominus tamen hoc non est diuersum à Patre, & filio, cum eamdẽ virtutem spiratiuã habeant, ergo dictũ Philosophi solum intelligendum est, quando id, quod conuenit alicui propter aliud, est diuersum in vtroque licet ad eundem ordinem pertineant, quare id, quod diciturtale propter aliud, illud propter quod est tale, dicitur magis tale, vt si dicas, luna est lucida propter solem, efficit hunc sensum, quia sol est lucidus, luna est lucida, ergo sol absolute est magis lucidus.

CAPVT V.

Examinatur aliud Philosophi principium, quæ sunt eadem vni tertio.

41 PRincipium lumine naturæ notum est, quæ sunt eadem vni tertio sunt idem inter se, quod radicitus explicandum est, nam ex eo, quod extremitates identificantur in medio, scilicet cum præmissis, colligitur tales extremitates identificari inter se, hoc est in conclusione, ad cuius maiorem intelligentiam supponenda est doctrina à nobis tradita supra disp. 8. cap. 5. videlicet ad veritatem propositionum essentialium requiri identitatem extremorum, sicut ad veritatem propositionum accidentalium vnionem conuenientiæ subiecti cum prædicato, quæ veritas ante oculos habenda est ad explicandum, & intelligendũ prædictũ axioma.

42 Ratio autem positionis est, nam quæcumque extrema in creatis idẽtificantur cum medio perfecte distributo debent identificari interse, sed in creatis maior, & minor extremitas identificantur in medio perfecte distributo, ergo necessario identificantur inter se v.g. in hoc syllogismo demonstratiuo *omne animal rationale est risibile, omnis homo est rationalis; ergo omnis homo est risibilis*, in quo homo, & risibile sunt identificata cum vno tertio, scilicet rationali, & qui assentitur conclusioni, cognoscit clare, & euidenter illa extrema esse idem inter se, scilicet hominem esse risibilem, ergo quæ sunt eadem vni tertio, sunt idem inter se, est principium lumine naturæ notissimum, nec ad veritatem talis principij, sufficit aliqua conuenientia. per quam vnum de alio prædicetur, nam hæc reperitur in propositionibus accidentalibus vt Petrus est albus, & in mysterio Trinitatis, vt videre est apud Petrum Suarez. lib. 6. de Trinitate cap. 3. & Valentiam 1. part. quæst. 2. punct. 4. ergo ad veritatem huius principij, necessarium est, vt extremitates, quæ realiter identificantur cum medio perfecte distributo identificentur inter se.

Hac de causa tale principium non potest in diuina Trinitate verificari, ideo enim in diuinis quæ sunt eadem vni tertio v.g. Paternitas, & filiatio diuina quæ identificatæ sunt cum essentia diuina non sunt idẽ interse, sed distinctæ realiter, vt fides docet, quia inter essentiam diuinam, & relationes est distinctio quædam virtualis æquiualens quantum ad munus distinctionis, distinctioni reali, ratione cuius Paternitas, & filiatio diuina, quæ identificantur cum tertio, scilicet cum essentia diuina, inter se sunt realiter distinctæ, & consequenter Arist. principiũ non potest verificari in diuina Trinitate, eo quod extremitates, quæ sunt cum medio identificatæ scilicet cũ diuina essentia secundum fidẽ, non solũ inter se nõ sint identificatæ, sed omnino realiter distinctæ, cum autẽ talis distinctio virtualis æquiualens distinctioni reali, quantũ ad munera distinctionis, in creatis simpliciter repugnet, ideo extremitates, quæ in vno tertio verificantur, & sunt identificatæ, non possunt identificari inter se nec prædictum Arist. axioma verificari potest, in diuina Trinitate. 43

Sed adhuc vt amplius prædictum Arist. axioma percipiatur & clarius, adsui veritatem includit aliud principium videlicet, *dici de omni, dici de nullo*; quod Arist. explicat 1. lib. priorum c. 1. illud igitur dicitur de omni, quod ita prædicatur de omni subiecto, vt nihil sit sub illo, de quo nõ dicatur seu prędicetur, v.g. animal ita de homine prædicatur, vt nihil sit sub illo, de quo non dicatur, cum nullus sit homo, qui non sit animal, & sic de singulis speciebus animalis, nam prędicatũ ita cõuenit omnibus & singulis, quę in subiecto cõtinẽtur, vt nihil sit subillo, de quo nõ prędicetur, aut dicatur, & hoc indicat Arist. c. 4. illis verbis, *id itaq; de omni dicimus, quod nõ cuidã ineſt, cuidã nõ ineſt*, dici vero de nullo illud est, quod ita aliquid de aliquo subiecto negatur, vt nihil accipi possit talis subiecti, de quo etiã non negetur v.g. lapidis ita negatur de omni animali, vt nullum sit animal, quod sit lapis, & contra, & prædicatum ita negatur de subiecto in communi, vt nullum sit etiam in particulari, de quo etiam non negetur. 44

Hoc autem principiũ dici de omni, & dici de nullo, imbibi etiam in illo principio, quæ sunt eadem vni tertio, sunt idem inter se, ex eo probatur, nam ex eo prẽcisè, quod vna extremitas prædicetur de omni medio, & medium de omni minori extremitate, vel de aliquo sub eo contento, vere extremitates prædictæ vniuntur cum medio secundum aliquam vnã rationẽ, ergo vniũtur inter se, ergo nunquã prædictæ extremitates inter se, nec in medio vniuntur, aut identificantur, nisi simul dicantur vniuersaliter de omni illo sub illis contento, vt patet in hoc syllogismo, omne furtũ est vitiũ, & omne vitium est turpe, ergo omne furtum est turpe, quia nihil est sub conceptu vtriusq; extremitatis, quod non sit idem cum medio, ac proinde nihil erit sub conceptu vnius extremitatis, quod non sit sub conceptu alterius, nam si medium non diceretur de extremitate prædicatione de omni, nec extremitas de medio posset tunc identificari vni extremitati secundum vnam partem, & alteri secundum aliam, ergo illud principium, quæ sunt eadem vni tertio, sunt idem inter se, includit etiam hoc principiũ dici de omni, & dici de nullo. 45

Prædicatum autem de omni duplex est, aliud est de omni prioristico, quando scilicet aliquod prædicatum ratione formæ artificiosæ, prædicatur de subiecto, dicitur conuenire omni contento sub illo, & quia forma artificiosa est prior logicæ, quã materia, ideo hoc prædicatum de omni vocatur de omni prioristico. Aliud est de omni posterioristico, quãdo scil. aliquod prædicatum conuenit ratione materia subiecto, de quo enũtiatur secundum omne tempus importatum per copulam, & quia materię est posterior Logicę quam forma, ideo hoc prædicatum dicitur de omni posterioristico. Vnde aduerto primo præmissas cuiuscumq; demonstrationis necessario debere constare prædicato de omni 64

posterio

poſterioriſtico, cum debeant eſſe veræ, ergo prædicatum illorũ debet neceſſario conuenire ſubiecto ſecundum omne tempus importatum per copulam. Ergo illarum prædicatũ debet eſſe de omni poſterioriſtico. Aduerto ſecundo, præmiſſæ demonſtrationis perfectiſſimę debent etiã conſtare prædicato de omni prioriſtico, ita Ariſt. dicto c. 4. Probatur. Nam talis demonſtrationis præmiſſæ ſunt cognitio, qua affirmatur eſsẽtia de ſubiecto communi, quæ etiam formaliter prædicatur de omni contento ſub illo, & cognitio quæ prædicatur de eſſentia in communi prima paſſio quæ etiam enuntiatur formaliter de omni cõtento ſub illa, ſed hoc formaliter eſt habere prædicatum de omni prioriſtico, ergo præmiſſæ demonſtrationis perfectiſſimæ conſtant prædicato de omni prioriſtico.

47 Animaduerto 3. non cuiuſcumque præmiſſæ demõſtrationis habent prędicatum de omni prioriſtico. Probatur, hæc enim eſt vera demonſtratio, animal eſt rationale, ſed omne animal eſt ſenſibile, ergo aliquod ſenſibile eſt animal, & tamẽ illa præmiſſa, quæ eſt maior, ſcilicet animal eſt rationale, nõ habet prędicatũ de omni prioriſtico, nõ enim cõuenit omni animali eſſe rationale, ſed ſolum cuidam particulari animali ſcilicet homini, ergo alicuius demonſtrationis præmiſſæ non habent prædicatum de omni prioriſtico. Sed hic obſeruare oportet ad prædicatum de omni non requiri vniuerſalitatem poſitiuam, hoc eſt, quod tale prædicatum conueniat alicui ſubiecto continenti ſub ſe plura ſaltem indiuidua, de quibus omnibus tale etiam prædicatũ enuncietur, vt volunt Conimb. hic c. 4. q. 1. a. 1. ſed ſufficere vniuerſalitatem negatiuam, id eſt, quod tale prædicatũ conueniat alicui ſubiecto, ſub quo nullum indiuiduum cõtineatur, vt tenet Caiet. 1. Poſt. c. 4. vnde hæ propoſitiones, Deus eſt æternus, Deus eſt omnipotens, conſtant prædicato de omni, quia licet Deus plura indiuidua non contineat, de quibus æternitas prædicetur, tamen nullũ cõtinet, de quo nõ prædicetur.

48 Hæc omnia dicta ſunt ad maiorem intelligentiam illius principij, quæ ſunt eadem vni tertio ſunt idem inter ſe, & contra illud adhuc reſtat, Achilles, ſic argumentor, ſi illud principium eſſet verum, ſequeretur Petrum eſſe Paulum, & Patrem æternum eſſe filium, hoc eſt contra fidem, & illud contra experientiam, ſequelam ſequi probo, Petrus, & Paulus ſunt idem in homine, ſicut Pater æternus, & filius in natura diuina, cum qua identificantur, ergo ſi quæ ſunt eadem vni tertio ſunt idem, inter ſe, Petrus, & Paulus erunt idem in natura humana ſicut Pater æternus, & filius diuinus ſunt idem indiuidua eſſentia, hęc res valde Theologica eſt, illis relinquamus, & pro nunc. Reſpondeo ad primum non ſeruari formam ſyllogiſticam, nec directè concludere, nam maior identitas infertur in concluſione, quã erat in præmiſſis, eo quod identitas Petri, & Pauli in homine eſt per rationem, cum ſolũ conueniant in conceptu hominis, & in cõcluſione infertur identitas realis in humanitate, quæ in quolibet indiuiduo eſt multiplicata, & diſtincta ab alia, vt docuimus diſp. 5. c. 1. & diſp. 6. c. 4. agentes de vnitate formali contra Scotum, quare iſte ſyllogiſmus eſt malus, Petrus eſt homo, Paulus eſt homo, ergo Petrus, & Paulus inter ſe à parte rei ſunt idem homo, nam in concluſione infertur maior identitas, ac erat in præmiſſis, ad ſimile deſumptum ex diuinis iã diximus ſupra n. 43. & excedere mentẽ Ariſt. qui myſteriũ Trinitatis nõ agnouit, in quo deficit tale principiũ lumine naturę notiſſimũ vt ibi explicatũ eſt.

CAPVT VI.

Aliquæ præmiſſæ demonſtrationis, & Dubiola expenduntur.

49 NOn definiuit hic Ariſt. vniuerſale logicũ, ſed prædicatum quoddam, quod ex natura ſua dicitur de ſubiecto, & de omni cõtento ſub eo, ſiue per ſe primo ſiue per ſe ſecundo quod c. 4. ſic inſinuat, *vniuerſaliter autem id competere dico, quod vtique dicitur de omni per ſe, & ſecundum quod ipſum*, v. g. riſibile reſpectu hominis, & habere tres angulos æquales duobus rectis, reſpectu cuiuſlibet trianguli, & huiuſmodi ſubiectũ vniuerſale, tria dicit, 1. quod ſit de omni, modo explicato. 2. quod ſit per ſe, modo explicando diſp. ſequenti, reſpectu cuius album non eſt prædicatũ vniuerſale reſpectu niuis, quia albedo non conuenit per ſe niui, ſed cõtingenter. 3. quod conueniat ſubiecto ſecundũ quod ipſũ, hoc eſt, ſecundum quod tale eſt, ſeu conuertibiliter, defectu cuius ſenſibile non eſt prædicatũ vniuerſale reſpectu hominis, quia ſenſibile non cõuenit homini, ſecundum quod eſt homo, ſed ſecundũ quod eſt animal, hæc tamen prædicata ſe habent tamquam ſuperius, & inferius, quia prædicatum de omni latius patet, quam prædicatum per ſe eſt de omni, non tamen è contra, vt patet de albo, quod eſt prædicatum de omni, & non eſt per ſe, quia albedo contingenter cõuenit niui, ſimiliter prædicatũ per ſe latius patet, quã prędicatũ vniuerſale, quia omne prædicatũ vniuerſale eſt per ſe, & non è cõtra, vt patet de ſenſibili, quod eſt prædicatum per ſe reſpectu hominis, non tamẽ illi vniuerſaliter cõuenit.

Quæritur 1. an prędicatum demonſtrationis debeãt neceſſario eſſe de ſubiecto vniuerſali? Plerique affirmant, quia iuxta Ariſt. 6. ethicorum c. 5. & Philoſophorum communem ſententiam non dari demonſtrationem, ſeu ſcientiam de ſingularibus ſed ſolum de vniuerſalibus, ergo demonſtrationis præmiſſæ ſunt neceſſario de ſubiecto vniuerſali. 50

Assertio I. Perfectiſſima ſcientia, ſeu demonſtratio non eſt de ſingulari, atq; ita demonſtrationis perfectiſſimæ præmiſſæ debent neceſſario eſſe de ſubiecto vniuerſali; Probatur, quia demonſtratio perfectiſſima eſt illa, quæ de ſubiecto cõmuni primã paſſionẽ demõſtrat, ergo non eſt de ſubiecto ſingulari, nam propria paſſio conuertitur cum ſubiecto adæquato, ergo in demonſtratione perfectiſſima, omnes termini ſunt conuertibiles, & vniuerſales, vt conſtat in hoc ſyllogiſmo demonſtratiuo, omne admiratiuũ eſt riſibile, omnis homo eſt admiratiuus, ergo omnis homo eſt riſibilis, in quo ſyllogiſmo omnes tres termini ſunt vniuerſales, ergo præmiſſæ demonſtrationis perfectiſſimæ debent eſſe de ſubiecto vniuerſali.

Assertio II. Demonſtratio etiam perfecta, quæ aliquid mediate ſolũ de ſubiecto demõſtrat, poteſt eſſe de ſubiecto ſingulari, atq; ita talis demõſtrationis præmiſſæ non ſunt neceſſario de ſubiecto vniuerſali. Probatur, demonſtrare aliquid de ſubiecto ſolum mediate eſt demonſtrare aliquid, quod conuenit illi ſecundum rationem communẽ, non ſecundũ rationẽ particularẽ ſed de hoc ſingulari ſcilic. Petro poteſt demõſtrari eſſe riſibilẽ, quod cõuenit illi ſecundũ rationem communẽ hominis, non vero ſecundũ rationem particularẽ Petri vt talis, ergo de ſubiecto ſingulari poteſt dari demonſtratio, qua aliquid de illo mediate demonſtretur.

Assertio III. poteſt dari ſcientia, ac demonſtratio de ſingulari, qua aliquid etiam immediate demonſtretur de ipſo, atq; ita, talis demonſtrationis præmiſſæ nõ ſunt neceſſario de ſubiecto vniuerſali. Huic ſuffragatur concluſioni Vazq. 1. p. diſp. 4 c. 7. quam tribuit Caiet. ibidem §. ad euidentiam, Rubio c. 3. de ſciẽtia, Vallius 2. p. diſp. 4. q. 7. c. 4. Carlet. diſp. 49. ſ. 1. n. 5. Franciſ. Alphonſus diſp. 21. Logicæ ſ. 5. n. 57. non diſſentiunt Conimbr. hic c. 7 q. 1. art. 3. & in bono ſenſu non eſt contra Ariſt. & D. Th. Probatur 1. quia de Deo, qui eſt ſũme ſingularis plura prædicata ac paſſiones ipſi proprias ſecundum rationem ſingularem Dei, Metaphyſica demõſtrat; ergo. 2. Probatur, quia de quolibet ſubiecto poteſt propria paſſio ipſius immediate demõſtrari, ſed ſicut veritas trãſcendentalis vt ſic eſt paſſio propria talis entis, vt ſic, ita talis ſingularis veritas tranſcendẽtalis eſt paſſio propria talis entis ſingularis, ergo 51

ſicut

sicut de ente vt sic demonstrari potest veritas transcendentalis vt sic de tali ente singulari poterit demonstrari talis veritas singularis. Tertio probatur, quia de hoc indiuiduo *Deus*, cum essentialiter sit hic Deus, nō possumus abstrahere rationē generis, vel speciei, sed quidquid cōuenit illi, ideo cōuenit, quia est hic Deus, in quo illa omnia prędicata identificātur, sed de hoc indiuiduo, Deus, demōstratur conclusio scientifica: ergo sciētia, ac demōstratio perfecta potest esse de subiecto singulari.

52 Ex his infero cum Arist. supra n. 50. & alij Philosophi asserunt non esse demonstrationem, aut scientiam de singularibus, non esse intelligendos de quauis scientia, aut demonstratione sed solū de perfectissima, iuxta dicta assertione 1. vel de demonstratione existentiæ singularium corruptibiliū, cum enim hęc singularia regulariter non habeāt quoad existentiam connexionē cum suis causis, & aliunde ipsa secundū se nostris perspicue sensibus obiiciantur, fere numquam de illorū existentiæ demōstratione curamus, & ita hoc modo non datur regulariter scientia, aut demonstratio de iis singularibus, potest vero absolutè tam de singularibus quā de vniuersalibus esse scientia modo superius explicato quod 6. Ethic. c. 5. Arist. non negauit, immo dicit scientiam esse existimationē de vniuersalibus & de iis, quæ necessario sunt, hoc est, etiā de singularibus, cum ea ab vniuersalibus condistinguat. Ita optime aduertit Vasquez supra n. præcedenti disp. 4. c. 7. n. 15. & Conimbr. hic cap. 7. q. 1. art. 3. ad finem.

53 Quæritur 2. an præmissæ demonstrationis debeant esse necessariæ, dupliciter potest esse aliquid necessarium, primo simpliciter, quia absolutè non potest ita non esse, vt hominem esse rationalē. Secundo solum secundum quid, quia licèt absolutè potuerit non esse, tamen ex suppositione quod est, non potest non esse, quia omne, quod est, dū est, necesse est esse. Assero 1. cuiusq; demonstrationis præmissæ debent esse necessariæ, saltem secundum quid. Probatur, quia demonstrationis præmissæ debent esse veræ, eo autem quod sint veræ, sunt etiam necessariæ secundū quid, nam si sint veræ, eorum obiectū verè est, sicuti per ipsas repræsentatur, & ex suppositione, quod sit, non poterit non esse, & ita erit obiectum necessariū secundum quid, & consequēter præmissæ attingentes tale obiectum erunt etiam secundum quid necessariæ, ergo præmissæ demonstrationis debent esse necessariæ secundum quid. Assero 2. præmissæ demōstrationis perfectissimæ debent esse necessariæ simpliciter. Ita Arist. hic cap. 4. Probatur, quia præmissæ perfectissimæ demonstrationis sunt cognitio essentiæ de subiecto, & cognitio primæ passionis de essentia iuxta dicta supra, hæ autem cognitiones sunt necessariæ simpliciter, vt per se constat, ergo. Assero 3. Præmissæ alterius demonstrationis non sunt necessariæ semper, & in vniuersum. Probatur, quia ex eo, quod Petrus contingenter rideat, demonstramus esse risibilem, & sic de aliis; ergo, &c.

54 Quæritur 3. An demonstrationis præmissæ constent ex prædicato secundum quod ipsum. Prædicatum secundum quod ipsum est id, quod conuenit subiecto vt tali, id est, non secundum rationem communem, sed secundum rationē atomam & particularē, ita vero vt connectatur cū ipso, vt homo est risibilis, etenim esse risibilem cōuenit homini secundū rationem particularē hominis, & conuertitur cū ipso, bene enim valet est homo ergo est risibilis, est risibilis, ergo est homo. Assero 1. demonstrationis perfectissimæ præmissæ constāt necessario ex prędicato secundum quod ipsum. Probatur, quia vna præmissa est cognitio essentiæ de subiecto communi, alia est cognitio primæ passionis de essentia etiā in cōmuni. Sed in quauis cognitione ex dictis prædicatum conuenit subiecto vt tali, & conuertitur cum ipso, vt per se liquet, ergo vtraq; cognitio seu præmissa cōstat ex prędicato secundū quod ipsum. Assero 2. præmissæ cuiusq; alterius demonstrationis non necessario cōstant prædicato secundū quod ipsum. Probat. quia hæc est vera demōstratio, homo est sensibilis, Pet. est homo, ergo Petr. est sēsibilis, & tamē nō cōstant prędicato secundū quod ipsum, nā in vtraq; præmissa prædicatum non conuenit subiecto vt tali, nec conuertitur cū ipso.

Quæritur 4. An demonstrationis præmissæ sint propriæ, vel quod idē est, demonstratio constet necessario ex principiis propriis: propriū vel sumitur, vt opponitur contra extraneum & in hoc sensu certum est præmissas demonstrationis esse necessario prima principia, quia proprie connexionē inferunt, & cum ipsa in demonstratione nectuntur; vel sumitur propriū, vt opponitur contra cōmune, & in hac acceptione præmissæ, seu principia propria erūt illa, quę ad aliā scientiā prinpalius non attineant tamquā conclusiones demōstratæ per illā, & in hoc solo sensu quæsitum istud procedit. 55

Assero 1. Præmissæ demōstrationis perfectissimæ sunt principia propria. Ita Arist. dicto c 4. Probatur, principia propria demonstrationis sunt illa, quæ ad eandem scientiā principaliter & proprie spectant, ad quam attinet illa demonstratio, sed præmissæ ac principia demonstrationis perfectissimæ pertinēt proprie, & principaliter ad eandē scientiam, ad quā pertinet ipsa demonstratio, ergo principia ac præmissæ talis demōstrationis sunt principia propria. Probo minorē, ad eamdē scientiam spectat demonstrare primam passionē de essentia & cognoscere ipsam essentiā; sed in demonstratione perfectissima demōstratur prima passio de essentia per cognitionē ipsius essentiæ tamquā per præmissas, atq; principia illius, ergo principia demōstrationis perfectissimæ ad eamdē spectant scientiā principaliter, & proprie ad quā pertinet ipsa demonstratio. Assero 2. præmissæ cuiusq; alterius demonstrationis nō sunt necessario prima principia. Probatur, quia principia demonstrationis, ac sciētiæ subalternatæ sunt sæpe conclusiones demonstratæ per scientiā subalternantē, & ad illā proprius, & principalius spectant, vt dicā tra. seq. de subalternatione scientiarū, principia enim medicinæ sunt sæpe conclusiones demonstratæ per physicam & principia musicæ sunt etiam conclusiones demonstratæ per Arithmeicam, sed hoc est formaliter non esse principia propria talis scientiæ, aut demonstrationis, ergo præmissæ cuiusque alterius demonstrationis non sunt necessario principia propria. 56

DISPVTATIO XXXVIII.

De Prædicatis per se.

QVinque capita continebit. In 1. inquiro, an quatuor sint modi perseitatis? In 2. quæ propositiones ponantur in 1. modo dicendi per se. In 3 quæ propositiones ponantur in secundo modo dicendi per se. In 4. quæ contineātur in tertio modo dicendi per se. In 5. quænam contineātur in quarto modo dicendi per se.

CAPVT I.

An quatuor tantum sint modi perseitatis.

ARist. c. 4. text. 9. & 30. agit de prædicatis perseitatis, & quatuor modos perseitatis enumerat communiter, vt videre est etiā apud D. Th. ibid. lect. 10. duo modi primi dicuntur per se prędicandi vel inhærendi, 3. modus existendi. 4. causandi, quos breuiter explicat Arist. 1. Modus perseitatis est, quando prædicatū est de formali definitione subiecti, vt homo est animal, homo est rationalis, & talis modus dicitur per se prædicādi, & in 1. modo dicendi per se, quia non solum subiectū est de essentia prędicati, sed etiā ipsum prædicatū de essentia subiecti, sufficit autē, quod sit de formali definitione subiecti secundum aliquam partē illius, licet nō sit de eius essentia secundū omnes, vnde hæc prædicatio, homo albus est animal, est per se primo modo, quia de essentia ac definitione hominis, quatenus hominis, licet non quatenus albi est esse animal vt docet D. Th. in 3. dist. 1

diſt.20.q.1.art.2.& Caiet.in præſenti cap.10. dub.3.

2 Secundus modus dicendi per ſe, ſeu perſeitatis eſt, quando ſubiectum intrat in definitionẽ prædicati propter omnimodam connexionem accidentalem, quam habet cũ illo, vt homo eſt riſibilis, equus eſt hinnibilis, homo enim habet omnimodam cõnexionem accidẽtalem cum riſibili,& equus cum hinnibili,& riſibile,& hinnibile nõ poſſunt niſi per ordinem ad hominem,& ad equum definiri,hic autẽ modus dicitur per ſe inhærendi,quia homo,qui eſt ſubiectum huius propoſitionis eſt de definitione riſibilis,quod eſt prædicatum,iſtud autẽ cum ſit propria paſſio non eſt de eſſentia ſubiecti, nam licet non poſſit niſi per ordinem ad ſubiectum ſcilicet hominem definiri,ſubiectum tamẽ ſolum habet accidentalem connexionem cum riſibili, & ita in hoc 2. modo dicendi per ſe continentur propoſitiones,in quibus propria paſſio prædicatur de ſubiecto,à quo excluduntur omnes hæ prædicationes,homo eſt muſicus, homo eſt logicus,ſubiectum eſt albũ, &c.quia licet forte hæc prædicata definiri non poſſint niſi per ordinem ad aliqua ſubiecta,ſubiecta tamen nõ habent omnimodam connexionem cum ipſis prędicatis, quæ quidem connexio requiritur ad iſtum perſeitatis modũ,vt notarunt,Conimbr.hic c.3.q.1.a.3.ſufficit vero,quod ſubiectum intret in definitionem prædicati,& ſit connexum cum illo ſecundũ aliquã rationem etiam communẽ in ipſo incluſam,licet nõ ſecundũ rationem atomam,& particularẽ,vnde prædicationes iſtæ,homo eſt progreſſiuus,Ioannes eſt riſibilis,& aliæ ſimiles pertinent ad ſecundum modum perſeitatis,quia homo quatenus animal eſt neceſſario progreſſiuus,& Ioãnes quatenus homo eſt neceſſario riſibilis.

3 Tertius modus perſeitatis non eſt prædicandi, ſed exiſtendi,& eſt quando aliquid prædicatur,aut exiſtit, non vt forma adiacens alteri,ſed quaſi in ſe ipſo ſubſiſtens ſolitariè,vt 1.ſubſtantia vt homo,animal,albedo,humanitas,& alia incõplexa,quæ in abſtracto conſiderantur,concreta vero accidentalia vt albũ eſſe medicum, muſicum,& alia nõ ſunt ſolitarie,ſed in ſubiecto cũ forma denominatè, qui modus proprie vocatur modus per ſe,exiſtendi 4.modus perſeitatis nõ dicitur eſſendi per ſe,nec prædicandi, nec exiſtendi,ſed causãdi,& definitur ab Ariſt. hic iis verbis,quando aliquid ineſt propter ipſum, in quibus ſignificatur ratio propria,à qua cauſatur effectus,& prędicatur de cauſa,quę non per accidens,ſed ratione ſui formaliter,& ſecundũ id,quod formaliter in ea exprimitur effectũ cauſat, hic Recentiores concertant, an ad iſtum 4.modum per ſe requiratur, quod effectus neceſſario dimanet à tali cauſa,an vero ſufficiat,quod libere ab illa procedat ratione ſui,ita vt aliquid ex parte cauſę formaliter exprimatur,ratione cuius per ſe,& non per accidens ab illa progrediatur,diuerſis aliorũ placitis prætermiſſis arbitror ergo vt aliqua ſit per ſe cauſa ſui effectus perſeitate quidẽ phyſica,ſufficere,quod à tali cauſa ratione ſui formaliter talis effectus etiam libere dimanet,& ideo Deus eſt per ſe phyſice cauſa creaturarum, vt vero ſit cauſa per ſe talis effectus perſeitate logica, inſuper etiã requiri,quod effectus neceſſario à tali cauſa procedat,quia alioqui cauſa illa ad demonſtrationem logicã ſui effectus non iuuaret,cauſæ vero aliæ per ſe, causãt ſuos effectus,vt in iis,ædificans ædificat,frigidũ infrigidat,calidũ calefacit,iugulatus interiit,& hic modus cauſandi opponitur modo cauſandi per accidẽs,vt homo per accidens eſt cauſa domus, deambulatio per accidẽs eſt cauſa terræmotus, foſſio per accidens eſt cauſa inuentionis Theſauri, vnde optime ſtat, quod aliquid conueniat alicui per ſe 1.non vero 4.modo, nam ad 1.modum perſeitatis requiritur idẽtitas eſſentialis inter ſubiectum,& prædicatũ.Ad 4. vero modũ perſeitatis ſufficit habitudo formalis,ſub qua aliquid cauſatur ab alio, eſt exemplum in homine,in quo animal,& rationale re aliter identificãtur in 1.modo dicẽdi per ſe non vero in 4.modo,quia animal per ſe non ratiocinatur,nec in illo ſignificatur formalis ratio ratiocinandi.

CAPVT II.

Quæ propoſitiones ponantur in hoc primo modo dicendi per ſe.

NOnnulli affirmant in hoc primo modo dicendi per ſe contineri quatuor genera propoſitionum, 4
1.prædicata communia, quæ prædicantur in quid, vt genus,& ens, quod per ſe prædicatur de Deo,& creaturis.2.prædicata quidditatiua in quale,vt ſunt omnes differentiæ eſſentiales.3.prædicata in quibus tota definitio prædicatur de definito.4.prædicata illa,quæ de ſe ipſis dicuntur vt bonum per ſe eſt bonum. Probant 1. quia ens prædicatur in hoc 1. modo,quia eſt intrinſecum,& eſſentiale cuique rei,ſed quando prædicatũ eſt de eſſentia ſubiecti eſt in hoc 1.modo,ergo.2.propoſitio,in qua idem de ſe ipſo prædicatur eſt in hoc 1.modo dicendi per ſe,vt probat Philoſophus 2.Periherme. c.4.vbi dicit,quod bonum eſt bonum propoſitione per ſe, & bonum non eſſe malum propoſitione per accidens,ergo quando idem prædicatur de ſeipſo, eſt in 1. modo dicendi per ſe.

ASSERTIO I. Præmiſſæ demonſtrationis perfectiſſimæ conſtant ex prædicato per ſe 1.& 2.modo,& hoc 5
ſolum contendit Ariſt.hic c.4.Probatur, præmiſſæ demonſtrationis perfectiſſimæ,alia eſt cognitio eſſentiæ de ſubiecto communi, in qua prædicatum eſt de conceptu formali ac definitione,ſubiecti,atque ita conſtat prædicato per ſe1.modo,alia eſt cognitio 1.paſſionis de eſſentia,in qua ſubiectum intrat in definitionem prædicati,& eſt omnino connexum accidentaliter cum illo,atque ita conſtat prædicato per ſe, in 2. modo,ergo præmiſſæ demonſtrationis perfectiſſimæ conſtant ex prædicato per ſe in primo & ſecundo modo.

ASSERTIO II. præmiſſæ cuiuſque demonſtrationis non neceſſario conſtant prædicato per ſe 1.& 2.modo. Probatur manifeſtè,hæc eſt vera demõſtratio,qui currit,ſentit calorem.Petrus currit, ergo Petrus ſentit calorem,& tamen illius præmiſſæ non conſtant prędicato per ſe 1.aut 2. modo, vt conſtat perſpicue ex dictis, ergo præmiſſæ cuiuſuis demonſtrationis non conſtant prædicato per ſe in 1.& 2.modo perſeitatis.

Ex his infero 1.propoſitionem,in qua ens prædicatur de aliquo non contineri in hoc 1.modo dicẽdi per 6
ſe:Ita Ariſt.5.Topic.c.2.6.Topic.c.3. & 2.poſteriorum in fine,vbi inueſtigans definitionem ait, *ens non ponitur in definitione rei, quia quidquid ponitur in definitione rei, vel eſt genus, vel differentia*, Sed ens non eſt genus, quia non eſt vniuocum, nec differentia, cum quid completum ſit, ergo propoſitio, in qua ens prædicatur de aliquo non poteſt poni in hoc 1. modo dicẽdi per ſe. Infero 2. propoſitionem,in qua idẽ prædicatur de ſe ipſo non contineri in hoc 1.modo perſeitatis. Ita Ariſt.7.met.tex.59.vbi *docet, quærere propter quid ipſum eſt, ipſum eſt nihil quærere*,& conſequenter talis propoſitio eſt innaturalis. Probat.quidquid ponitur in hoc dicendi modo eſt ſubiecti definitio, ſed idẽ non ingreditur definitionem ſui ipſius,vt probat omnis bona Dialectica.2.Quando idem prædicatur de ſeipſo fit propoſitio innaturalis, ſed in hoc 1. modo dicendi per ſe ponuntur propoſitiones naturales demonſtrationi deſeruientes aliàs inuerteretur ordo ſubiecti & prædicati, nam prædicatum debet habere rationem formæ inhærentis,ſubiectum rationem recipientis, & ſuſtentantis formam, ergo talis prædicatio eſſet innaturalis,& non per ſe,nec in hoc1.modo contineretur.

Infero 3.tria tantum eſſe genera propoſitionum,quæ 7
ad hunc 1.modum per ſe ſpectant,1.eſt,quando prædefinitio de definito. 2. quando prædicantur partes definitionis immediatæ ſiue ſit genus proximum ſiue remotum,vt ſi dicas,homo eſt animal,homo eſt rationalis.3.quando prædicantur genera ſuperiora, vel etiam

differen

differentiæ superiores, vt homo est sensibilis, viuens est corpus. Probatur, nam in hoc 1. modo dicendi per se cõtinentur omnes illæ propositiones, quæ habent prædicata quidditatiua, & quæ ingrediũtur definitionem siue mediatè, siue immediatè, sed huiusmodi sunt tria illa genera prædicatorum, quæ assignauimus, ergo sola illa in hoc 1. modo dicendi per se continentur, & aduerte ex Philosopho in hoc 1. modo dicendi per se nihil poni reductiuè, vt docet etiam Paulus Venetus.

CAPVT III.

Quæ propositiones collocentur in hoc secundo modo dicendi per se.

8 PRopositiones, quæ in hoc 2. modo collocantur n. 2. explicuimus, & constat debere esse propositiones naturales inseruientes demõstrationi perfectissimæ, in illis tamen prædicatũ necessario est accidens, licet subiectum illius sit causa, & de eius definitione, & essentia, non tamen accidens commune, sed proprium, nam accidentia communia non possunt definiri per subiectum commune, quia omne accidens definitur per ordinem ad subiectum, cui inest, ex quo suam accepit essentiam, sicut risibilitas ex homine, qui licet de essentia risibilitatis sit, non tamen è contra.

9 ASSERTIO I. in hoc 2. modo dicendi per se non ponuntur propositiones, in quibus prædicatur species de genere, vt animal est homo. Est communis cõtra Paulũ Venetum. Probatur, iste modus non solũ debet esse naturalis, sed de omni, sed istæ propositiones sunt innaturales cũ in illis prædicetur id, quod est subiiciendum, & subiiciatur, quod est prædicandum, ergo tales propositiones non sunt in hoc 2. modo, nã iuxta Auerroẽ, modus per se est ille, in quo subiectum est veluti causa materialis, aut saltem efficiens prędicati, ergo. Sed quid dicendum, si prædicetur genus de differentia, vel differẽtia de genere. Resp. quod si genus prædicetur de differentia, vt in hac, rationale est animal posse esse in 1. dicendi modo per se, si rationale sumatur pro homine, nam tunc prædicatum est de essentia subiecti, si vero rationale sumatur pro forma, vel formaliter nec in 1. nec in 2. modo dicendi per se erit, non in primo, quia genus nullo modo est de essentia subiecti, non in secundo, quia differentia non est de essentia generis.

10 ASSERT. II. In hoc secũdo modo dicendi per se continentur propositiones, in quibus propria passio prędicatur de subiecto, vt si dicas homo est risibilis. Proba. manifestè, secundus modus prædicandi tunc reperitur, quãdo subiectũ intrat definitionẽ prædicati, licet prędicatum non sit de essentia subiecti, quia est eius accidens proprium, sed quãdo prædicatur propassio de suo subiecto, subiectum se habet vt causa materialis respectu prædicati, & prædicatum vt accidens illius, ergo talis prædicatio est in 2. modo dicendi per se. Sed quis inquirat, an idem dicendum sit, quando propria passio generis superioris prædicatur de inferiori, vel species inferior de superiori. Respon. propositiones, in quibus passio generis superioris prædicatur de specie inferiori, vt si dicas hominem esse sensibilem, quod est passio animalis, & genus superius ad hominem contineri in hoc 2. modo dicendi per se, & ratio est, nam huiusmodi propositiones sũt de omni, & sicut genus superius prædicatur vniuersaliter de omnibus inferioribus, ita passio generis superioris vniuersaliter prædicatur de omnibus speciebus illius generis, nã omnis homo est sensibilis, ergo quando passio generis superioris prædicatur de inferiori prędicatur in hoc 2. modo dicẽdi per se.

CAPVT IV.

Quæ continentur in tertio modo dicendi per se.

11 COnstat ex animaduersis n. 3. hunc 3. modum non esse prædicandi, & ideo non deseruire demonstrationi, sed potius esse modum inhærendi, & Arist. de his vltimis modis perfeitatis agit, vt eos excludat à demonstratione, nam in iis modis non continentur cõplexa, videlicet propositiones, sed incomplexa, vt sunt primæ substantiæ, & secundæ solitarie sumptæ, vt rationalitas, & alia, & solum dubitatur, an in hoc 3. dicendi modo contineantur solæ primæ substãtiæ, an etiã primæ substantiæ, & secudæ res autẽ dupliciter possunt existere 1. in se ipsis, & per se, vel 2. in alio; 1. modo existunt primæ subst. 2. modo existunt accidentia. Subst. autẽ alia est prima, & est illa, quæ subsistit in se, vt late docuimus c. de subst. disp. 21. c. 2. alia est secũda, vt genera, & species, quæ insunt primis substãtiis, nõ tamẽ vt accidentia, sed vt partes subiectiuę, & ideo nõ inhærẽt, nec in se existũt, sed proprie, & in rigore sũt substãtiæ.

ASSERT. sit: in hoc 3. modo dicendi per se continentur nõ solũ primę subst. sed etiã secundæ. 1. pars probatur, quia 1. substãtiæ sunt in se, & per se subsistẽtes, & rigorose hoc aliquid significant, ergo. 2. quia secundæ subst. sunt directè oppositæ accidẽtibus quæ sũt in alio tamquã in subiecto inhæsionis, & excluduntur ab hoc 3. modo dicẽdi per se, ergo à fortiori secundæ subst. quæ existunt in se, & per se continentur in hoc 3. modo dicendi per se. 2. etiam pars probatur, nam secũdæ subst. absolute, & vniuoce, sunt substantiæ, ergo non debent excludi ab hoc 3. modo dicendi, nam licet ex communi loquendi modo sint in primis subst. non vero dicuntur de illis, quia tamquã partes essentiales identificantur realiter cum illis, forma etiã materialis substantialis est in materia tanquã in subiecto eductionis, cũ quo efficit vnum ens per se, & ideo non excluditur ab hoc 3. modo, ergo etiam secũdæ subst. quæ vniuoce conueniunt cum primis substantiis, & cum illis identificantur, non excludũtur ab hoc 3. modo dicendi per se, qui non est prædicandi, sed existendi, & solum excludũtur accidentia, quæ in se non existunt, sed inhærent subiecto tanquam formæ alterius rationis cum quo non efficiunt vnũ ens per se, sed vnũ per accidẽs, & ideo non existũt per se, & ab hoc 3. modo perfeitatis excludũtur. 12

CAPVT V.

Quæ contineantur in hoc quarto modo essendi per se.

OStendimus n. 3. hunc 4. modum essendi per se non dici essendi per se, nec prædicandi, nec existendi, sed causandi, & ex Arist. 2. Phsicorum constat duo esse genera causarum. 1. genus causarum per se: 2. genus causarum per accidens, illæ sunt causæ per se, quæ causãt effectus, quatenus tales, & quibus effectus per se sequuntur, vt homo per se generat hominem, calor calorem, nomine vero causæ per se intelligimus non solum efficiẽtem, sed etiam materialem, formalẽ, & finalem, nam quælibet in suo genere causat suum effectum, quod dupliciter potest contingere, 1. quando semper, & necessario producit effectum, vt rationale est causa hoc modo risibilitatis, & calor caloris. 2. modo potest contingere, quando non semper, & necessario sed libere producit effectum, vt statuarius libere efficit statuam, & voluntas suos effectus. 13

Causa per accidens est quando producit effectũ alia ratione, sicut homo per accidens est causa statuæ, nam illam non producit, quatenus homo, sed quatenus statuarius. Causa vero per accidens est in duplici differentia, quædam dicuntur causæ per accidens, sed necessario requisitę ad effectũ, vt constat in exemplo statuarij, homo, viuens, sensibile, &c. sunt causæ per accidens ad talem effectum, necessario tamen requisitæ, aliæ vero sunt causæ per accidens, quæ nec causant effectũ quatenus tales sunt, nec necessario requisitæ, qua ratione deambulatio dicitur causa per accidens sanitatis, quia non solum non est causa sanitatis, sed nec ad illud ordinatur, iste autem 4. modus perfeitatis vtrique causæ 14

per

per accidens opponitur. Aduertendum tamen quod in hoc 4.modo propriè non ſunt propoſitiones ſed incomplexa,vt rationale,riſibile &c.nã licet haberemus duos terminos,quorum vnus de alio prædicatur, at quatenus 4.modus nulla hic propoſitio continetur, nam ſi dicamus, riſibile ridet, non eſt propoſitio per ſe, quia nec prædicatum eſt de eſſentia ſubiecti,nec è contra, & tamen eſt 4. modus,ergo hic modus non eſt propoſitionis,nam vt ex dictis conſtat d.38.c.5.omnis propoſitio per ſe eſt de omni, ſed in hoc 4. modo non eſt neceſſarium,quod ſit de omni, vt patet in hoc, *riſibile ridet*, ergo de eſſentia 4.modi per ſe non eſt quod ſit propoſitio,ſed ſufficit quod ſit prædicatum incomplexum.

15 ASSERTIO ſit,in hoc 4. modo continentur quatuor genera cauſarum. Probatur breuiter, nã definitio Ariſt. conuenit omni cauſæ,quæ per ſe cauſat effectum,quatenus talis cauſa eſt, ſed quatuor generibus cauſarum hoc æquè poteſt conuenire, quia à qualibet illarum effectus per ſe dependet, vt conſideranti patebit; ergo in hoc 4. modo perfeitatis continentur quatuor genera cauſarum,quæ per ſe cauſant ſuos effectus,præcipuè tamen hic comprehendit cauſas extrinſecas efficientem ſcilicet,& finalem, nam intrinſecæ, vt ſunt materia & forma potius ſpectant ad primum & ſecundum modũ eſſendi per ſe,quatenus vel cauſa prædicatur de effectu, vel effectus prędicatur de cauſa,&ob hanc cauſam forte Ariſt.attulit exemplum in hoc 4. modo cauſæ efficientis conſiderando ſolum illius connexionem cum effectu, non vero prædicationem cauſæ de effectu, vel è contra.

16 Notat tamen optime Cardinalis Zabarella l.1.de propoſitione neceſſaria c.7.8.9.& 10.in iis quatuor modis dicendi per ſe,ſemper reperiri,ſeu inueniri aliquam rationem cauſæ,& effectus,non in 1.modo dicendi per ſe prædicatum eſt cauſa ſubiecti, vel materialis, vel formalis, nam prædicatum ſeu ſemper eſt definitio, vel pars definitionis. In 2.vero modo dicendi per ſe continentur cauſa materialis,efficiens,& finalis, nam ſubiectum habet rationẽ cauſæ materialis reſpectu ſuæ proprię paſſionis,quia eam ſuſtentat, & ab ea informatur. In 3.modo dicendi per ſe continentur ea,quæ ſibi ipſis ſunt cauſa per ſe exiſtendi, quia nimirum ſunt primæ ſubſtantiæ quæ propriè ſunt per ſe, & etiam ſecundæ quæ etiam ſunt per ſe in primis ſubſtantiis tanquam partes eſſentiales ſubiectiuæ illarum.In 4.denique modo dicendi per ſe continentur cauſæ præcisè ſub ratione cauſæ,cum hac differentia, quod tres primi modi eſſendi per ſe,licet dicant rationem cauſæ,& effectus ſuo modo,non tamen illam conſiderant. 4. vero modus eſſendi per ſe ſumitur ratione cauſandi in 1. & 2. modo eſſendi per ſe, & ſemper datur connexio eſſentialis inter ſubiectum & prædicatum.In 3.vero & 4.modo perfeitaris vix illa datur, & ſi aliquando non eſt ſimpliciter neceſſaria,hæc breuiter de prædicatis per ſe.

DISPVTATIO XXXIX.

De demonſtratione quia, & propter quid.

QVATVOR capita continebit.In 1.inquiro, quæ ſint diuiſiones demonſtrationis.In 2. an demõſtratio quia, & per cauſam remotam ſit vera demonſtratio. In 3. an demonſtratio adæquatè diuidatur in demonſtrationẽ quia,& propter quid.In 4.an diuiſio demonſtrationis quia, & propter quid ſit vniuoca.

CAPVT I.

Diuiſiones demonſtrationis explicantur.

1 DIſp. 37. per varia capita explicuimus naturam & eſſentiam demonſtrationis,cuius diuiſiones tradit Ariſt.præcipuè l.2.Poſt.c.20.& 21.& nos ſup. eadem d. c.1.tradidimus præcipuas demonſtrationis ſpecies, & diuiſiones,quibus adiungimus ſequentes. 1.diuiditur in vniuerſalem,& particularem. Demonſtratio vniuerſalis eſt illa,cuius termini,& propoſitiones ſunt de ſubiecto vniuerſali,& ad inuicem conuertuntur,vt in multis cõſtat demonſtrationibus,vt in hac, omne animal rationale riſibile,omnis homo eſt animal rationale,ergoomnis homo eſt riſibilis. Particularis eſt illa, quæ nec eſt de ſubiecto vniuerſali, nec ad inuicem conuertibilis, prima eſt præſtantior ſecunda cum ſit per cauſam, & per prima principia.

Diuiditur 2.In affirmatiuam & negatiuam. Demon- 2
ſtratio affirmatiua eſt illa,cuius concluſio eſt affirmatiua,negatiua vero cuius concluſio eſt negatiua,affirmatiua autem ſemper eſt nobilior negatiua.1.quia paucioribus eget vt ad prima principia reducatur.2. quia negatiua demonſtratio ſemper eget affirmatiuis,non vero è contra affirmatiua negatiuis, ergo à fortiori affirmatiua magis nota eſt,ac nobilior, alia eſt diuiſio demonſtrationis in directam & oſtenſiuam illa eſt,quando demonſtratio directè concludit,hæc quando ex contrario, aut contradictorio propoſitionis negatæ infertur aliquid impoſſibile,per quod oſtenditur illam eſſe veram, vt cum aſſumit vnam propoſitionem per ſe notam vel conceſſam ab aduerſario,& contradictoriam propoſitionis probandæ, ex quibus infert aliquid manifeſtè falſum,& oppoſitum concluſioni.

Celebris eſt diuiſio demonſtrationis in demonſtra- 3
tionem *quia*,*& propter quid*, quam abunde expoſui eo c.7.n.10. hæc enim ſemper datur per cauſam primam, & immediatam cum ſuo effectu conuertibilem,vt conſtat in hac demonſtratione, omne admiratiuum eſt riſibile,omnis homo eſt riſibilis, ergo omnis homo eſt admiratiuus. in qua non ſolum concluditur vnum eſſe riſibile cõuenire homini,ſed etiam oſtenditur cauſa propter quam illi conueniat eſſe admiratiuum, quod eſt paſſio hominis.Demonſtratio quia,etſi vera demonſtratio ſit,non tamen per cauſam propriam,& immediatã, ſed ab effectu, vel per cauſam remotam non conuertibilem cum effectu,vt ſiquis velit probare parietem non reſpirare, quia non eſt animal, talis demonſtratio dicitur quia,& per cauſam remotam,nam eſſe animal nõ eſt proxima ratio non reſpirandi,plura enim ſunt animalia,quæ non reſpirant vt piſces, proxima vero cauſa eſt,quia non habent pulmonem, ergo talis demonſtratio eſt per cauſam remotam non conuertibilem cum effectu: ſimiliter diximus omnem demonſtrationẽ propter quid eſſe demonſtrationem à priori,non tamen demonſtrationem à priori eſſe demonſtrationem propter quid,quia demõſtratio per cauſam remotam eſt à priori,& tamen non eſt demonſtratio propter quid,cum nõ ſit per cauſam proximam, propter quam res eſt, vt ibidem n.10.ſatis explicatum eſt.

CAPVT II.

An demonſtratio quia, & per cauſam remotam ſit vera demonſtratio.

AVicenna,vt refert Auerroes 1.Poſt.comment.95. 4
cum pluribus antiquis, quos ſequi videtur Cardinalis Zabarella l. de ſpeciebus demonſtrationis c. 8. docet demonſtrationem quia non eſſe demonſtrationẽ, ſed ſyllogiſmum probabilem 1.ex Ariſt.in præſenti c.2. qui poſtquam enumerauit omnes conditiones demonſtrationis ait ſine illis poſſe eſſe ſyllogiſmum, non tamen demonſtrationem, atqui demonſtratio *quia* non habet prædictas conditiones cum non ſit per cauſam, nec ex prioribus notioribus,primis immediatis &c. ergo potius erit ſyllogiſmus probabilis,quam demonſtratio, & cap. 3. volens oſtendere non dari circulum ſimpliciter in demonſtratione probat,quia tunc neceſſe eſſet alteram ex illis demonſtrationibus eſſe à poſteriori,

sed talis demonstratio est demonstratio, *quia*, ergo non est vera demonstratio.

5 Probatur ratione, nam demonstratio *quia*, cõstat propositionibus innaturalibus quia in præmissis prædicatur subiectum, vel definitio subiecti de passione, vt constat in hac, omne risibile est rationale, omnis homo est risibilis, ergo omnis homo est rationalis. Vbi in maiori, rationale, quod est subiectũ prædicatur de risibili, quod est passio rationalis, sed vera demonstratio debet habere propositiones naturales, & per se, ergo demonstratio *quia*, non est vera demonstratio. Vrgeo nam tex. 55. non vult appellare hunc syllogismum demonstratiuum, sed syllogismum à signo; tale autem signum, nec est effectus adæquatus passionis, nec causa remota, nam licet per eum sciamus id, quod est per se, non tamen quatenus est per se, & per causam, ergo talis syllogismus non est dicendus demonstratio.

6 Arbitror tamen ego, dicendum demonstrationem *quia*, seu ab effectu, & per causam remotam esse verã demonstrationem, contra Auicennam, licet minus perfectam, quam sit demonstratio *propter quid*. Ita communiter docent omnes Peripatetici, Auerroes 1. Post. commento 95. & q. 15. Logicæ, Themistius 1. Post. c. 7. 14. 27. & 30. Philop. 1. post. commento 7. Alexander 1. Top. D. Th. Albertus Magnus, Caiet. Paulus Venetus, Zabarella lib. de speciebus demonstrationis c. 8. Vallius lib. 1. Post. disput. 2. p. 3. c. 2. & 6. quos refert, & sequitur Francis. Alphonsus disp. 21. Logicæ s. 3. & est communis inter omnes. Probatur 1. nam Themistius 1. Physic. in procemio docet demonstrationẽ, ab effectu esse demonstrationẽ, si non potissimã saltẽ nobis sufficientẽ ad inuentionẽ causarũ absconditarum ergo. 2. Arist. tex. 30. docet duplicem esse scientiam scilic. quod res sit, & propter quid sit, & primũ haberi per demonstrationem *quia*, 2. vero per demonstrationem propter *quid*, & ratione huius duplicis scientiæ diuisit duplicem hanc demonstrationem, ergo demonstratio *quia* seu ab effectu est vera demonstratio.

7 Probatur 2. Assertio, nam si demonstratio *quia* seu ab effectu non est vera demonstratio, multæ scientiæ perirent magna ex parte, vel omnino, nam multæ scientiæ probant sua principia ab effectu, nam Arist 1. Physic. ex transmutationibus probauit materiam primam, & 3. Physic. ex motu probauit motorem, si ergo ea non cognoscuntur scientifice, ergo nec ea, quæ ex eis de ducũtur, erunt demõstratio, & consequẽter Philosophia naturalis non esset scientia, sed hæc habentur per demonstrationem *quia*, ergo talis demonstratio est scientia, & in Mathematica euidentius vrget, cum nullus fere habeat demonstrationem propter quid, sed tantum ab effectu, & à posteriori. Confirmatur, quia syllogismus ab effectu non est topicus, nec sophysticus, ergo demonstratiuus, nam syllogismus topicus solum est probabilis, sophysticus falsus seu erroneus, topicus generat opinionem, sophysticus errorem, ergo syllogismus ab effectu generat scientiam, ergo erit demonstratio, hæc autem demonstratio *quia*, seu ab effectu non ita proprie est scientia, sicut demonstratio propter quid vt ex dictis patet, & amplius constabit ex dicendis.

8 Sed inquirat quis, quæ demonstratio sit nobilior, demonstratio *quia*, & ab effectu, an demõstratio per causã remotam? Resp. breuiter demonstrationẽ ab effectu esse nobiliorẽ demõstratione à causa remota ratione formę, ratione materiæ, & ratione finis. 1. pars probatur, demõstratio ab effectu fit in 1. figura, demõstratio vero à causa remota, necessario est in 2. figura, sed 1. figura est nobilior, cũ modus arguẽdi sit magis euidẽs, & necessarius, & includit omnia genera propositionum: 2. vero figura solũ includit propositiones negatiuas, ergo demõstratio *quia*, & ab effectu nobilior est ratione formæ demõstratione à causa remota: 2. etiã pars probatur, demõstratio ab effectu habet pro materia propositiones necessarias de omni per se, & vniuersales, nam illius minor est conclusio in demonstratione propter *quid*, maior autem in vtraque est eadẽ conuersa retinens easdem conditiones in demonstratione vero à causa remota, quãuis propositiones sint de omni, non tamẽ sunt per se, nec vniuersales, nã conclusio, & vna præmissa sunt negatiuæ, & non potest vnus terminus esse de definitione alterius, ergo demonstratio ab effectu ratione materiæ nobilior est demonstratione à causa remota. Tertia etiam pars probatur, demonstratio ab effectu causat nobiliorem effectũ, nam licet id, quod per vtramque demonstrationẽ probandũ sit, sit causa ignota, melius tamẽ inuestigatur per effectum, quam per causam remotam, quia hæc non ita nos ducit in cognitionem causæ, quam inquirimus sicut illa, ergo demonstratio ab effectu ratione finis etiam est nobilior demonstratione à causa remota, vna enim generat scientiam perfectè, alia vero solum imperfectè.

Ex dictis facilis est solutio ad argumẽta Auicẽnæ proposita n. 4. nã licet demonstratio *quia*, & ab effectu non sit perfectissima, cum non sit per causam, est tamen vera demonstratio maximè comparata ad demonstrationem per causam remotam, ad eum modum, quo comparatum accidens ad subst antiam non videtur ens cum in se simpliciter sit ens, vt ostendimus disp 18. c. 2. ac tandẽ notandum est nõ omnes propositiones innaturales esse reiiciendas ab omni demonstratione, sed tantum à perfectissima, quæ est simpliciter demonstratio, & propter quid, à demonstratione vero *quia*, seu ab effectu solum excluduntur propositiones innaturales accidentales, vt album est homo, non vero illæ, quæ sunt in argumento cum reduci possint ad propositionem per se cum subiectum sit de essentia passionis. 9

CAPVT III.

An demonstratio adæquate diuidatur in demonstrationem quia, & propter quid.

10 NOn esse adæquatam prædictam diuisionem demõstrationis in demonstrationẽ *quia*, & propter *quid*, contendunt plures Peripatetici, & præcipuè Auerroes multis in locis 1. & 2. Physico tex. 22. qui docet addendum esse aliud mẽbrum, videlicet demõstrationem simpliciter, quæ omnino diuersa sit à demonstratione *quia*, & *propter quid*: secundo quia demõstrationes negatiuæ sunt veræ demõstrationes; & tamen non procedunt per causas nec per effectus, nam quod reuera non est, non potest esse vera causa, nec verus effectus, ergo tertio quando ab eadem causa duo effectus æquales dimanant, quorũ neuter sit causa alterius, possumus vnũ per aliud demonstrare, vt patet in laborante febri putrida, qui habet inæqualem pulsum, ita etiam qui afficitur immoderato calore, habet pulsũ inæqualẽ, sed qui laborat febri putrida habet pulsum inæqualem, ergo afficitur immoderato calore, & in hac demonstratione procedimus ab vno effectu in alium effectum, & non ab effectu ad causam vel è contra, ergo præter demonstrationem *quia*, & propter *quid* danda est alia species diuersa ab vtraque, & consequenter prædicta diuisio in demonstrationem *quia*, & propter *quid*, non est adæquata.

11 Arbitror tamen ego dicendum demonstrationẽ adæquate diuidi in demonstrationem *quia*, & *propter quid*, ita Arist. hic c. 10. D. Th. ibidem lect. 23. Soto in præsenti q. 5. Caiet. B. Albertus, Aquarius 2. met. q vltima. Sanchez in Logica lib. 7. q. 11. Masius hic s. 1. q. 6. Didacus à Iesu disp. 17. q. 1. Lerma lib. 8. q. 9. Vallius lib 1. Post. disp. 2 p. 3. q. 3. citatis multis ex antquis vt, Auicenna, Cardinali Zarabella, & Complut. disp. 18. Logicæ q. 3. & est communis.

12 Probat. ratione 1. diuisio, quæ datur per mẽbra cõtradictorie opposita est adæquata, sed diuisio demõstrationis, quæ datur per demonstrationẽ *quia*, & propter *quid*, datur per membra cõtradictorie opposita, ergo est adæquata, maior est certa in omni diuisione, animal enim adæquate diuiditur per rationale, & irrationale, quia hæc extrema adæquãt totum diuisum, minor vero probatur: demonstrare aliquid per propriam, & proximam causam

causam constituit formaliter demonstrationem propter *quid*,& demonstrare aliquid non per causam,sed per effectum, vel aliunde constituit demonstrationem *quia*, sed demõstrare aliquid per propriam & proximam causam,& non demonstrare aliquid per propriam, & proximam causam sunt adæquatè contradictoria continentia in se quidquid dicit diuisũ,ergo adæquatè demõstratio diuiditur in demonstrationẽ *quia*, & propter quid.

13 Obiiciat aliquis, dari aliam demonstrationem, quã appellant simpliciter,quæ diuersa est à demonstratione propter *quid*,nam illa habet pro medio causam formalem intrinsecam,ista efficientem formalem extrinsecam & materialem,illa habet causas & effectus reciprocos, non ista:illa quærit & soluit, ista tantum propter *quid*, effectus in sit causæ:Secundo demonstratio à signo non est demonstratio *quia*,nec propter *quid*, ergo prædicta diuisio non est adæquata. Resp. ad primum ex Arist. in præsenti text. 11. demonstrationem simpliciter esse demonstrationẽ propter *quid*, & ita tradendo conditiones demonstrationis simpliciter, tradidit conditiones demonstrationis propter *quid*, cum vtraq, ostendat an sit, & propter quid sit res, illa autem media, quæ in argumento assumuntur,non distinguuntur essentialiter, sed tantum accidentaliter. Ad secundum Resp. demonstrationem à signo solum esse demonstrationem *quia*, & propter *quid*,cum non sit causa proxima,sed vel ab effectu,vel à causa remota.

14 Probatur secundo assertio, quælibet demonstratio, vel est à causa,vel ab effectu,alia enim repugnat: si sit à causa,vel à causa proxima,vel à remota,si à causa proxima,& immediata est demonstratio propter *quid*, si à causa remota incidit in demonstrationem ab effectu, & constituit demonstrationem *quia*, ergo omnis demonstratio debet diuidi proxime,& adæquatè in demonstrationem *quia*,& propter *quid*, tanquam in eius species adæquatas;ergo omnis demonstratio debet esse quia,vel propter *quid*, & si quæ aliæ videntur habere rationem demonstrationis, debent ad has duas species reduci.

15 Hinc facile Respondetur ad rationes dubitandi supra positas n.10.& ad primum dico demonstrationem simpliciter esse demonstrationem propter *quid*,simpliciter autem,vt explico d.sequenti c.2.idem sonat,ac per Antonomasiam. Ad secundum Resp. demonstrationes negatiuas reduci ad suas causas,quæ si sint propriæ, erunt demonstrationes propter quid,vt si demonstres, pisces non respirant,quia non habent pulmonem,sic debes demonstrare omne respirans habet pulmonem,sed pisces non habent pulmonem,ergo pisces non respirant, quæ demonstratio est propter *quid*, aliæ vero demonstrationes,quæ procedunt ex negatione effectus, vel ex negatione causæ remotæ pertinent ad demõstrationem *quia*, vt ostendo in his demonstrationibus:omne risibile est admiratiuum,nullus lapis est risibilis, ergo nullus lapis est admiratiuus,& similiter hæc,omne respirans est animal,nullus lapis est animal, ergo nullus lapis est respirans,quæ omnes & aliæ si sint ab effectu,vel à signo reducuntur ad demonstrationem *quia*, relinquitur ergo quod demonstratio adæquatè diuidatur in demonstrationem *quia*,& propter quid.

CAPVT IV.

An demonstratio quia,& propter quid conueniant vniuocè?

16 IN hac difficultate parum refert hoc vel illo modo loqui,vtraque enim sententia probabilis est, plures tamen ex grauioribus doctoribus defendunt vtranque demonstrationem *quia*,& *propter quid*, generare scientiam, & consequenter diuisionem demonstrationis in *quia*,& propter quid esse vniuocam, alij vero, quos referunt,& sequuntur Complut. d.18.q.4. & Conimbricenses c.10.a.3.circa vltimum argumentum docent solam demonstrationem propter quid appellandam esse demonstrationem,demonstrationem vero *quia*, seu ab effectu,solum vocandam demonstrationem imperfectã, & à signo,ac proinde prædictam diuisionem in demonstrationem *quia*, & propter *quid* esse potius analogam, quam vniuocam: sed pro breui dubij decisione sit.

ASSERT. I. Demonstratio propter quid perfectã generat scientiã,in hac assertione nulla est dubitatio,omnes enim in ea conueniunt,cum Arist. & D.Th. quibus suffragantur tam antiqui,quã moderni. Probatur manifestè 1. demonstratio est instrumẽtum intellectuale ad generandã scientiam,sed secundum Arist.simpliciter scimus per demonstrationẽ propter *quid*,cum per illã sciamus per causam certã,& inuariabilẽ,ita vt res non possit aliter se habere:ergo hęc demonstratio propter *quid* generat simpliciter scientiã. 2.Probatur,præmissę demonstrationis perfectissimæ sunt omnino necessariæ,vt ostẽdimus disp.38.c.6.n.53.sed præmissæ necessariæ,& perfectissimæ demonstrationis non possunt non generare scientiã,ergo demonstratio propter quid simpliciter generat scientiã: Minor probatur,perfectissima demõstratio est cognitio essentiæ de subiecto & cognitio primæ passionis de essentia, sed huiusmodi cognitiones sunt necessariæ simpliciter,ergo generãt scientiam, nec maior adhibenda probatio,cum ita apud omnes sit certa,& euidens,vt constat ex tota d.38. & 39. maior ergo difficultas versatur circa demonstrationem *quia*, & ab effectu,an generet scientiam? de qua etiam sit. 17

ASSERTIO I. Demonstratio *quia*, seu ab effectu absolutè generat scientiam etsi imperfectam, & vniuoce conuenit cũ demonstratione propter *quid*,ita Arist.in definitione scientiæ,& aliis multis in locis D. Th. 1.p. q.2.a.1.& 30. Magister Soto in præsẽti,Rubio in hoc c. 2.q.2.Sanchez l.7.log.q.11.Lerma l.8.log.q.10. & recentiores ex Thomistis eam docent, cum asserant demonstrationem *quia*,intrinsecè & substantialiter habere rationem demonstrationis, quatenus habet certitudinem,& euidentiam circa suum obiectum, & veritatẽ quoad an est, immo, & aliquando ex demonstratione *quia*,fieri demonstrationem propter *quid*,quod sufficit, vt generet scientiam,& vniuocè conueniat cum demõstratione propter *quid*, ab hac assertione stant auctores citati sup.c.2.n.6.& rationes, quibus ostenditur etiam n.7.demonstrationem *quia* esse veram demonstrationẽ, ergo sunt species diuersæ logicæ participantes rationem genericam demonstrationis, etsi vna perfectior sit alia, vt contingit etiam in specieb.animalis, cuius naturam non ita æqualiter,sed vna species perfectius alia participat;perfectius enim participat homo rationem animalis, quam equus, leo, & aliæ species iis multo imperfectiores, alias nulla esse posset in reb. creatis ratio vniuoca, aut generica, ergo cum vtraq; demonstratio tam *quia*,quam propter *quid* conueniat in eo, quod est generare scientiam, licet perfectius generet vna, scilicet demonstratio propter *quid*, quam alia,scilicet demonstratio *quia*, non ideo excludi debent à ratione rigorosæ vniuocationis, ergo simpliciter conueniunt. vniuoce. 18

Probatur secundo,quia scientia, quam viatores nunc habemus de existentia Dei,est vera scientia,etsi comparata cum scientia Beatorum,& Angelorum sit imperfecta,at negare non possumus nunc *Deum esse,& eius incarnationem existere* & tamen huiusmodi demonstratio habetur per demonstrationem *quia*,seu ab effectu,iuxta illud Pauli:per ea, quæ facta sunt inuisibilia Dei cognoscuntur, ergo demonstratio quia vere generat scientiam,implicat enim rem aliquam demonstrari,& absolutè & simpliciter non sciri,ergo si Deum esse, & eius incarnationem existere,est demonstratio à posteriori,& ab effectu,ergo de existentia Dei, & incarnationis datur demonstratio non propter *quid*, ergo demonstratio *quia*, quæ sufficit ad vniuocationem. 19

Probatur 3. vtraque demonstratio habet eandem definitionem, 20

si nitionem, quia vtraque est syllogismus faciens scire, & procedens ex præmissis certis, & euidentibus, nam per demonstrationem *quia* habetur assensus certus, & euidens productus per demõstrationem ab effectu, qui vocatur habitus intellectualis, sed talis assẽsus, & habitus debet esse in aliqua specie, at non est assensus fidei diuinæ, cum sit certus, & euidens, non primorum principiorum, cum sit adquisitus per discursum; restat ergo quod sit habitus scientificus, & consequenter producit scientiã: ergo demonstratio *quia*, & propter *quid*, vniuoce cõueniunt, cum eadem res possit demonstrari tam à priori, quam à posteriori, vt ostẽdimus disp. 37. c. 1. & sint prædictæ species eiusdẽ rationis vniuocæ, quia cuilibet demonstrationi, tã à posteriori, seu ab effectu, quã à priori, seu propter *quid* propriè conuenit ratio demõstrationis.

21 Sed obiiciunt nobis Arist. supra asserentem in sua definitione solum cõtineri demonstrationẽ propter *quid*, quæ simpliciter facit scire, quod non potest præstare demonstratio *quia*, & consequenter non esse verã demonstrationem. Secundo, per demonstrationem *quia* intellectus dubius manet quoad certitudinem veritatis, ergo hæc demonstratio *quia*, seu ab effectu non facit simpliciter scire. Resp. ad 1. Arist. per eamdem definitionem definisse vtramque demonstrationem, cum vtraque (vt iam diximus in superioribus) generet scientiam, licet comparata vna ad aliam perfectior simpliciter sit demõstratio propter *quid*, quam demonstratio *quia*. Ad 2. Respondeo, per demonstrationem quia quietari sufficienter intellectum saltem quantum ad an est, & insuper generare scientiam modo superius explicato, ac proinde demonstrationem *quia*, & demonstrationem propter *quid*, vniuoce conuenire.

Et hæc de toto tractatu septimo dicta sint satis.

TRACTATVS OCTAVVS & Vlt.

De scientia acquisita per demonstrationem.

POSTQVAM egit Arist. in superioribus de essentia, & diuisionibus demonstrationis, incipit agere de eius effectu qui est scientia, cuius essentiam, & naturam explicat cap. 2. huius lib. & 10. & 23. vnitatem, & subalternationem scientiarum, ac tandem agit de reliquis habitibus intellectualibus, & eorum oppositione, quæ omnia nostris disputationibus breuiter enodabimus.

DISPVTATIO XL.

De scientia acquisita per demonstrationem.

QVINQVE capita continebit. In primo inquiro, an scientia acquisita sit in nobis à natura, an de nouo, acquiratur. In secundo, explicatur definitio scientiæ acquisitæ. In tertio, an euidentia pertineat ad essentiam scientiæ. In quarto, an ad perfectam scientiam euidentia in vtraque præmissa necessaria sit. In quinto, an habitus scientiæ distinguatur ab habitu principiorum.

CAPVT I.

An scientia acquisita sit in nobis, an de nouo acquiratur.

1 HEraclitus, & Cratyllus Philosophi Platone antiquiores, teste Arist. 1. met. c. 6. contendebant omnia contingenter euenire, & continuo mutari, & non esse scientias in rebus, sed illas ortum habere ex sensibus qui fallaces sunt, sed lumine naturę certum est illas scientias à parte rei existere, vt experientia conuincit, & cõcors Philosophorum, & Theologorũ auctoritas approbat, quia vel sciebant illi, qui scientias negabant, certo & euidenter illas non dari, vel non sciebant; si primum, ergo per aliquam scientiam sciebant, ergo dum negant illas dari, labuntur in absurdum, si secundum nulla est illis danda fides, cum non sciant id quod docent, & si illas nesciunt quomodo tam audacter communi aliorum opinioni se opponunt. Secundo, quia ex definitione scientiæ quæ tradenda est cap. sequenti constabit dari scientiam, & obiecta scibilia; à nobis ergo vt certum supponendum est apud antiquos, & modernos in rebus creatis dari scientias creatas; & solum difficultas versatur circa modum quo illa sit in nobis.

2 Refert Arist. 1. post c. 1. sententiam Platonis qui in Menone, & Phædro, & lib. 12. de repub. docuit nullius rei scientiam de nouo à nobis acquiri, sed omnem nostram scientiam esse reminiscentiam rerum antea cognitarum. Asseruit etiam animas humanas fuisse corpore antiquiores cum sint illo nobiliores, in illoq; statu habuisse inditas omnium rerum scientias, & habitus indecens enim erat animas in illo statu perfectiori, & à corpore soluto esse imperfectas, & otiosas sine vlla scientia, & cognitione, quando vero statuto tempore in corpora infundebantur, omnium quæ antea sciuerunt obliuiscì, nam vt docet Hippocrates, mutationes repentinæ maximos inducunt morbos, & ita animas cũ hoc morbo à summa luce in has tenebras subita quadã mutatione in omnium rerum obliuionem incidere, ac nostrum scire nihil aliud esse quam eorum quæ antea nouimus recordando reminiscì, cum per phantasmata in sensibus efformata excitetur in animo nostro, scientia quæ antea materiæ caligine erat circumfusa. Hæc fuit sententia Platonis quẽ sequutus fuit Pythagoras vt refert D. Aug. lib. 12. de Trinitate 15. c. & in eum errorem incidit Orig. l. 1. Periar. c. 7. asserens animas in eo statu scientiis esse præditas, aliàs non potuisset Iacob, in vtero materno supplantare Esau; nec Ioannes ad Christi accessum exultare, tandem iste error peruenit ad Iudęos; nam Rex Herodes, vt habetur Marci 6. timuit animam Ioannis Baptistæ de vno corpore in aliud migrasse, vt ait illis verbis, *quem ego decollaui Ioannem, qui à mortuis resurrexit, & virtutes operantur in illo*, in quem sensum interpretantur illa verba Caiet. & alij interpretes, consule Conimbr. in c. 1. Poster. lib. 1. a. 1. 2. & 3. Vallium ibid. disp. 4. p. 2. q. 2. Auersam q. 26. Logicæ s. 2. Cõplut. disp. 19. q. 1. Lermam l. 8. q. 1. & alios recentiores.

3 Non longe est ab hoc delirio Auicenna tract. de intelligentiis, vbi ponit quandam intelligentiam datricẽ formarum à qua non solum in nobis producebatur scientia, sed etiam omnes aliæ formæ tam substantiales quã accidentales, habitum vero nouum efficiẽter ab illa intelligentia, & dispositiuè ab obiecto, cuius fundamentum est, quia talis habitus in nobis, vel producitur ab intellectu, vel à phãtasmate vel ab obiecto seu ab aliquo extrinseco agente, non producitur ab intellectu, cum sit potentia passiua, & se habeat ad species, & scientiam, sicut materia ad formas, non à phantasmate, quia hæc est materialis, scientia vero spiritualis, non ab obiecto, cum etiam sit materiale, & extrinsecum, & non possit agere intellectum nisi medio phantasmate, ergo restat quod talis habitus producatur ab illa intelligentia, cum formæ

formæ multo imperfectiores vt calor qui eſt in igne procedat ab ea, ergo multo melius ſcientia, quæ ſpiritualis eſt ab ea procedet, de quo videri poteſt Auerroës 12. met. comment. 18. vera tamen ſententia eſt ſcientiam acquiriri de nouo, noſtro labore quam explico ſequentibus aſſertionibus.

4 ASSERTIO I. ſcientia creata non eſt in nobis per reminiſcentiam ſed noſtro labore acquiſita, eam tenent omnes Philoſophi Peripatetici contra Platonem, Heraclitum & Cratyllum Ariſt. multis in locis & 12. met-tex. 16. & 17. D. Th. 2. contra gentes c. 83. 12. q. 51. a. 1. Conimbricenſes ſup. Auerſa Complut. Lerm. & alij adducti n. 2. & eſt communis apud omnes Philoſophos Chriſtianos, Probatur ex ipſo Platone, reminiſcentia eſt eorum quæ antea vel vidimus, audiuimus, vel alio ſenſu percepimus, ergo eſt tantum eorum ſingularium quæ habent adiunctum tempus, & locum & alia accidentia.

5 ASSERT. II. noſtra ſcientia non fit ab illa Auicennæ intelligentia, Probatur 1. quia talis intelligentia, datrix formarum non datur, quæ Colchodea vocatur, ergo eſt fictitia. Secundo etiam ſi pro aliis formis daretur (quod falſum eſt) pro habitu ſcientifico neceſſaria nō eſt, nam intellectus noſter potentior eſt, & nobilior ſenſū, vt ex ſe conſtat, cū ſit ſpiritualis & à corpore independens, & tamen ſenſus per ſe ipſum, & ſine alio agente ſuperiori tanquam cauſa proxima percipit ſuū obiectum, ergo multo melius noſter intellectus ſine adminiculo ſuperioris intelligentiæ percipit ſuum obiectum ſibi ſufficienter propoſitum, ergo talis intelligentia eſt commentitia & chimerica.

6 Sed obiiciunt nobis Platonici & Pythagorici Ariſtotelem ſecundo de generatione animalium c. 3. dicentem animum noſtrum habuiſſe alium ſtatum ante corpus, & extrinſecus aduenire, id eſt ab alio ſtatu extra corpus in ſtatum corporis demigrare. Secundo Boëtius 3. de conſolatione metro 11. ait, *Platoni vehementer aſſentior, quod memoriam corporea contagione debinc mœroris mole preſſus amiſi.* Idem Orig. ſupra citatus ait; *animos noſtros multo ante corpora fuiſſe creatos,* quando autem infundebantur in corporib. exercitatione tolli impedimentum ad cognoſcēda ea, quæ antea nouit, & hoc non eſſe de nouo ſcire ſed reminiſci. Reſp. breuiter nos actu multa ignorare, eſſe tamē in potentia, ad ſcientiā & cognitionem illorum per exercitationem, ſed ea, quæ generantur ante generationem non fuiſſe actu, ſed in potentia, ſicut ignis eſt in potentia ligni, ex qua per actualem generationem ignis extrahitur, ad Boëtium & Origenem conſtat ex prima & ſecunda aſſertione.

7 Sed adhuc inſurgunt contra prædictum delirium, ſi interrogemus puerum qui nihil ſcit, propoſitiones geometricas bene reſpondet; ſed hoc fieri non poteſt niſi prius habuerit illarum rerum cognitionem, ergo illa antea præſciuit. Secundo, ſi noſtrum ſcire non eſſet reminiſcentia, vel nos actu omnia ſciremus, vel nihil; ſi primum, fruſtra quærimus, cum omnia ſciamus; ſi ſecundū, etſi quæramus, non inueniemus, conſtat exemplo ſerui fugitiui, ſi enim quis quærat ſeruum fugitiuum, quem non nouit, etiam ſi ille occurrat nō cognoſcet eum, nec inueniet. Tertio, ſi à nobis aliqua ſcientia compararetur de nouo, vel id fieret miniſterio ſenſuum, vel ope magiſtri, ſed neutro modo comparatur, ergo. Non primo modo, quia multa ſenſus effugiunt quo um ſcientiam habemus, vt de Deo, cum ſenſus vt ſic, fallaces ſint, non ſecundo modo, nam ad ſciendum præter lumen naturæ intellectus requiruntur ſpecies intelligibiles rerū quas magiſter non valet in mentem diſcipulorum tranſmittere, ergo nullam ſcientiam magiſter valet impertiri, ſed ad ſummū quędam ſigna externa proponere, quibus excitetur habitus à primo ortu nobis congenitus, quib. recordemur eorum, quæ antea nouimus, ergo à nobis nulla ſcientia de nouo acquiritur. Iam ad hæc conſtat ex dictis. Ad 1. Reſp. puerum recte reſpondere, quia ſunt principia lumine naturæ notiſſima, Ad 2. conſtat ex prima aſſertione nos ſcire per propriam inuentionem, vt docet etiam Paulus ad Hebræos 5. didicit ex iis quæ paſſus eſt, & Lucæ 2. Puer creſcebat & proficiebat ſapientia, ergo Chriſtus experimentaliter didicit ſcientiam, ergo & nos. Ad tertium Reſp. magiſtrum mentes diſcipulorum dirigere per ſigna quædam externa, quibus poſſint ſcientiam acquirere, vt oſtendimus ſupra d. 37. c. 1. explicantes illam vniuerſalem propoſitionem Ariſt. omnis doctrina & diſciplina ex præexiſtente fit cognitione.

CAPVT II.

Definitio ſcientiæ expeditur.

OStendimus ſupra diſp. 36. cap. 1. cum Ariſt. & DD. contra Platonem, & Pythagoricos, ſcientiam de nouo acquiſitam ex præexiſtente fieri cognitione, nunc iam c. 2. Ariſt. eam definit *ſcire autem vnamquamque rē ſimpliciter, ſed non vt ſophiſtice per accidens arbitramur, cum cauſam ob quam res eſt illius cauſam eſſe, & fieri non poſſe vt res aliter ſe habeat, cognoſcere arbitramur,* quæ verba cum ita obſcura ſint, debent in faciliorem ſenſum induci, ſic illa interpretantes, id eſt tunc exiſtimamus ſcire perfecte, quando cognoſcimus cauſam talis rei, & propter quam res ita cognita eſt, vt aliter ſe habere non poſſit, nomine cauſæ intelligimus in eſſendo, & cognoſcendo proximum, & immediatum principium explicatum, à qua definitione, excluditur demonſtratio, quæ eſt ab effectu, cum non ſit demonſtratio per cauſam, ita vt res aliter ſe habere non poſſit, explicat B. Albertus; & refert ad vim conſequentiæ, & neceſſitatem obiecti, ſcilicet, ſcientiæ, cum ſcientia debeat eſſe ex neceſſariis, vt etiam oſtendimus ſupra; particulam *ſimpliciter* explicat comment. Auerroes, id eſt proprie, & per excellentiam cognoſcendo cauſam ob quam eſt, vt etiā oſtendimus diſp. 40. cap. 1. & 2. de demonſtrat. propter quid, & perfectiſſima, ſcire autem ea, quæ demonſtrari non poſſunt per ipſam demonſtrationem eſt ſcire per accidens, & ſophiſtico modo. 8

Alia huic ſimilis, ſed clarior definitio traditur à DD. 9
ſcientia eſt cognitio certa, & euidens quæ ex præexiſtente cognitione certa, & euidenti cauſatur: ſingulas eius particulas explicamus, *cognitio certa* hoc eſt, quæ firmiter, & ſine hæſitatione adhæreat obiecto, per quod differt, ſcientia ab opinione quæ propter aliquam rationē probabilē ab obiecto ſuo non firmiter ſed cum aliqua ſaltem radicali hæſitatione aſſentitur; & etiam à fide humana quę propter hominis teſtimonium, obiectum non quidem firmiter ſed cum formidine cognoſcit, & credit, & etiam ab errore, qui non certò, & infallibiliter ſed falsò & apparenter obiecto adhæret: *& euidens, ſit clara*, & perſpicua, per quod ſcientia differt à fide diuina, quæ licet certa, & infallibilis ſit, quia credit, & cognoſcit rem propter teſtimonium, & reuelationem diuinam, tamen eſt non clara, & euidens, ſed obſcura.

Quæ ex præexiſtenti cognitione certa, & euidenti cauſatur, id eſt, deducitur ac infertur, per quod ſcientia ſtricte differt à cognitione diuina, & Angelica, quæ licet ſit certa, & euidens, tamen non cauſatur nec infertur ex alia præexiſtenti cognitione, ex quo fit ad rationem formalis ſcientiæ non ſufficere, quod cognitio quædam ſimplex cognoſcat vnam rem per aliam, ſicut ſimplex cognitio Angelica cognoſcit *hominem eſſe riſibilem*, quia eſt rationalis, ſed requiritur quod talis cognitio ita cognoſcat vnam rem per aliam vt cognitio vnius vere reipſa cauſetur, & inferatur ex cognitione alterius, & hæc cognitio erit ſcientia formalis, illa vero Angelica, quæ vnum cognoſcit ſimpliciter propter aliud eſt ſcientia ſolum virtualis, quia continet quaſi virtute quod vera, & ſtricta ſcientia formalis habet. 10

Hoc autem nomen *ſcientia* varie vſurpatur in lata ſi- 11

gnificatione: primo pro quacumque cognitione certa, siue clara, siue obscura, qua ratione etiam actus fidei diuinæ erit scientia: secundo, late pro cognitione clara, & euidenti, siue discursiua siue non discursiua, quo pacto etiam cognitio Dei, & Angeli scientia vocatur: tertio pro cognitione rerum, quæ vt in plurimum accidere solent per suas causas naturales, quo pacto dicimus in hyeme esse pluuias, & in Autumno tonitrua, stricte tamen pro cognitione clara, & euidenti discursiua, quo sensu sola demonstrationis conclusio erit scientia, & in hac acceptione de scientia, agimus in præsenti.

12 Hæc scientia primo diuiditur in scientiam à priori quæ est cognitio rei per causam, id est causata ex cognitione causæ, & in scientiam à posteriori, quæ est cognitio causæ per effectum, vel quasi effectum, id est causata ex cognitione effectus. Secundo diuiditur in scientiam *propter quid*, quæ est cognitio rei per causam proximam & in scientiam *quia*, quæ est cognitio rei per causam remotam, vel per effectum. Tertio diuiditur in scientiam perfectissimã, quæ est cognitio passionis primæ de subiecto communi, per essentiam ac definitionem illius, & in scientiam solum perfectam, quæ est cognitio secundæ aut tertiæ passionis, vel causæ per effectum. Quarto, diuiditur in scientiam actualem, quæ est cognitio vnius rei per aliam, & in scientiam habitualem, quæ est habitus ille qui in scientia actuali generatur, & in scientiam actualem inclinat. Quinto diuiditur in scientiam pure speculatiuam, quæ sistit in cognitione obiecti, & in scientiam pure practicam, quæ etiam progreditur dirigendo ad operis effectionem, & in scientiam partim practicam, partim speculatiuam, quæ respectu vnius obiecti partialis ad opus partim se extendit, & respectu alterius partialis obiecti partim in eius contemplatione conquiescit.

13 Aduertendum tamen est quod etsi Arist. in sua definitione principaliter definiuit scientiam actualẽ, tamen illam definitionem optime adaptari posse scientiæ habituali, & ratio est manifesta, nam illa scientia actuali definita, facile habitualis colligitur, cũ exercitio scientiæ actualis, in nobis generetur habitualis per quẽ habitum faciliores & prõptiores reddimur ad exercitium actuũ, cum habitus facile inclinet ad actus per quos ille fuit genitus, Arist. tamen ex suo proposito definiuit sciẽtiam actualẽ, quia illa est quæ fit ex præexistenti cognitione, & quæ proprie est effectus demonstrationis, & ob hanc causam fortasse Arist. vsus fuit verbo *scire* & non nomine *scientia*, quia scientia cõmunis est ad actualem & habitualem, scire vero principaliter denotat actum.

CAPVT III.

An euidentia pertineat ad essentiam scientiæ.

14 OStendimus supra d. 37. c. 5. n. 30. & 31. quid sit euidentia & certitudo, & an possit vna esse maior alia, quo animaduerso quidam recentiores vt Masius 1. post. cap. 26. quæst. 3. & Lerma lib. 8. Logicæ quæst. 12. existimant euidentiam non esse de intrinseca & essentiali ratione scientiæ, primo, quia scientia subalternata est vere scientia, & tamen non est euidens, cum accipiat principia à subalternante: secundo, quia sacra Theologia in viatoribus pleno ore, est scientia & perfectior naturali, & tamen non est euidens, cum innitatur principio luminis supernaturalis, quod est de fide & obscurum; ergo conclusio Theologica non erit euidens & tamen est scientia, ergo ad rationem scientiæ euidentia intrinseca & essentialis non erit necessaria.

15 ASSERTIO I. Ad rationem scientiæ stricte sumptæ pro cognitione discursiua clara & euidenti, vt adnotauimus n. 14. euidentia est essentialiter necessaria. Hæc assertio c. sequenti probabitur auctoritate D. Tho. nunc ratione probatur 1. si quis demonstret conclusionem per causam, vel per effectum vel per lumen naturale intellectus, necesse est habeat euidentiam præmissarum, cum ipsæ sint sub claritate luminis naturalis, & euidentiores ipsa conclusione, vt ibidem ostendimus n. 33. sed euidentia nihil aliud est quam obiectum ita esse perspicuum & manifestum, ergo conclusio quæ habetur ex præmissis claris & euidentibus & lumine naturæ notis erit in omni rigore scientia stricte & discursiua; ergo ad rationem scientiæ euidentia necessaria est.

Probatur secundo: qui scit conclusionem resoluere 16
vsque ad prima principia, habet manifestum & certum iudicium de ea, ita vt implicet fieri resolutionem quin in mente resoluentis generetur tale iudicium certum & euidens, sed in scientia subalternante fit resolutio vsque ad prima principia ergo euidentia est de intrinseca & essentiali ratione scientiæ. 3. probatur, habitus scientificus specie differt à fide diuina, ergo per aliquam differentiam essentialem, at non potest esse alia nisi quod scientia est euidens & fides ineuidens, & obscura, ergo scientia stricte sumpta præter certitudinem in qua coincidit cum fide diuina addit euidentiam tanquam differentiam essentialem, qua caret fides, ergo licet scientia & fides diuina in certitudine conueniant, debent distingui essentialiter in euidentia & obscuritate, ergo ad essentiam scientiæ euidentia necessaria est.

ASSERTIO II. ad essentiam scientiæ sub vniuersali 17
ori significatione non pertinet essentialiter euidentia Probatur manifestè, euidentia conclusionis vt pote euidentia participata debet sumi ex euidentia principiorum, nam euidentia conclusionis, est euidentia per aliud seu in alio, atqui multoties euenit quod principia talis conclusionis non sint euidentia etsi sint omnino certa, vt contingit in conclusione Theologica, quæ certa est, & per demonstrationem, cum tamen vna præmissa sit ineuidens & innitatur principio supernaturali fidei diuinæ, aliunde talis conclusio Theologica est omnino certa, cum non sit opinio, nec fides humana, nec habitus primorum principiorum, ergo erit habitus scientiæ, ergo ad rationem scientiæ in generali acceptione, euidentia necessaria non est, & ad rationem dubitandi constabit c. seq. & infra de subalternatione sciẽtiarum.

CAPVT IV.

An ad scientiam stricte sumptam euidentia in vtraque præmissa necessaria sit.

HÆc difficultas examinatur occasione conclusio- 18
nis Theologicæ, quæ innititur vni principio luminis supernaturalis fidei diuinæ, an videlicet Theologia sit sciẽtia stricto modo sumpta, hoc est an ad prædictam scientiam per demonstrationem acquisitam, in vtraque præmissa euidentia necessaria sit, vel sufficiat vna præmissa euidens cum altera de fide, v.g. in hoc syllogismo euidenti, *omnis homo est risibilis, Christus est homo, ergo Christus est risibilis*, in hoc syllogismo euidenti vna præmissa est euidens, scilicet, *omnis homo est risibilis*, illa vero *Christus est homo*, est de fide quia innititur principio supernaturali fidei diuinæ; inquiritur ergo, an illa conclusio Theologica, *Christus est risibilis*, sit scientifica seu scientia stricte sumpta, quod idem est dicere an sacra Theologia scientia proprie sit.

Non desunt qui asserant, ad rationem scientiæ stri- 19
ctè sumptæ, & vt ab Arist. traditæ non requiri euidentiam in vtraque præmissa, sed sufficere vnam præmissam euidentem cum altera præmissa de fide, ita recentiores adducti supra num. 17. & probant primo auctoritate, D. Thom. 1. p. q. 1. a. 2. in corpore, vbi ait conclusionem Theologicam esse vere scientiam ac proinde syllogysmum Theologicum esse demonstrationem, & tamen in syllogismo Theologico vna saltem præmissa

non

non eſt euidens, ſed obſcura, cum ſit cognitio fidei diuinæ, ergo ſentit D.Thomas ad rationem demonſtrationis ſeu ſcientiæ non requiri quod vtraque præmiſſa ſit euidens. Antecedens autem videtur probari ex definitione demonſtrationis, cum procedat ex principiis, certis, & veris, & de ratione ſcientiæ ſolum videtur requiri cognoſcere cauſam propter quam res eſt, & quod aliter ſe habere non poſſit, quod totum inuenitur in ſyllogiſmo Theologico, vide ibid. Caiet. & Gonz. diſp. 1.

20 ASSERTIO tamen ſit, demonſtrationis præmiſſas ac ſcientiam proprie & ſtricte conſtare neceſſario, ac inferri ex præmiſſis euidentibus, ita Dur. Gregor. Canc. Scotus, Henriquez, Ricard. quos referunt, & ſequuntur Molin. 1.p.q.1.art.2.diſp.2.concluſ.5. Vaſquez ibidem diſp.4.cap.6.n.16. Valent. 1.p.punct.3.q.1. Probatur primo, auctoritate D.Thomæ q.14. de verit. art.9. Vbi ſic inquit, *quæcumque ſciuntur proprie accepta ſcientia, cognoſcuntur per reſolutionem in prima principia quæ per ſe præſto ſunt intellectui, & ſic omnis ſcientia in viſione Dei præſentis perficitur*, atqui cognitiones ineuidentes, & obſcuræ non ſunt principia quæ præſto ſunt intellectui, vt cognoſcantur ab illo, vt conſtat, ſed ad hoc requiritur quod tales cognitiones, ſeu præmiſſæ ſint perſpicuæ, & euidentes, quibus ſtatim intellectus aſſentitur, ergo iuxta D.Thomam non poteſt proprie, & ſtricte eſſe ſcientia aut demonſtratio, quæ reſolui non poſſit in præmiſſas euidentes, atque ita debet conſtare neceſſario ex præmiſſis euidentibus.

21 Probatur ſecundo ex D.Thoma 2.2.q.1.art.5. in corp. vbi ſic ait. *Reſpondeo, dicendum quod omnis ſcientia habetur per aliqua principia per ſe nota, & per conſequens viſa, & ideo oportet, quæcumque ſunt certa aliquo modo eſſe viſa*, ergo iuxta mentem D. Thomæ ad ſcientiam ſtricte, principia euidentia neceſſario requiruntur, nec multum eneruat prædictum teſtimonium, quod S.Doctor ait ſolutione, ad ſecundum, *Ex iis autem principiis fidei diuinæ, & auctoritatis, ita probatur apud fideles, ſicut ex principiis naturaliter notis probatur aliquid apud omnes* (nam hoc ita intelligendum eſt) eodem modo apud fideles ex illis principiis fidei diuinæ aliquid probari, ſicut apud omnes, ex principiis naturaliter, & per ſe notis, nam in ſyllogiſmo Theologico, talis eſt diſpoſitio diſcurſus, vt ſi principia eſſent euidentia, abſque dubio generarent ſcientiam, ſicut generat in nobis diſcurſus, ex principiis naturaliter euidentibus, & per ſe notis, ergo ad ſcientiam ſtricte ſumptam præmiſſæ euidentes neceſſario requiruntur.

22 Probatur etiam ratione, illud vocamus proprie demonſtrationem, & ſcientiam, cui à Philoſophis communiter hoc nomen demonſtratio, aut ſcientia impoſitum eſt, ſed hoc nomen demonſtratio à Philoſophis communiter ſolum impoſitum eſt in ſyllogiſmo euidenti, qui ex præmiſſis euidentibus conſtat, & hoc nomen ſcientia communiter à Philoſophis ſolum impoſitum eſt cognitioni ſeu concluſioni euidenti, quæ ex præmiſſis euidentibus colligitur, ergo demonſtratio ſeu ſcientia, proprie & ſtricte ſolum eſt illa, quæ ex præmiſſis euidentibus conſtat, vel colligitur. Probatur minor, Philoſophi antiqui, hoc nomine, demonſtratio, ſolum ſignificarunt ſyllogiſmum naturalem, certum, & hoc nomine, ſcientia, ſolum ſignificarunt concluſionem naturalem certam, atqui nullus eſt ſyllogiſmus naturalis certus niſi ſyllogiſmus euidens, qui ex præmiſſis euidentibus conſtat, & nulla eſt concluſio naturalis certa, niſi concluſio euidens, quæ ex præmiſſis euidentibus infertur, ergo hoc nomen demonſtratio ſolum eſt impoſitum à Philoſophis, ad ſignificãdum ſyllogiſmum euidentem qui ex præmiſſis euidentibus conſtat, & hoc nomen ſcientia tantum impoſitum eſt ad ſignificandam concluſionem euidentem, quæ ex præmiſſis euidentibus infertur.

23 Ex quo colligitur ſyllogiſmum Theologicum & concluſionem Theologicam non eſſe proprie & ſtricte demonſtrationem, & ſcientiam, cum vna ſaltem præmiſſa illius quæ eſt propoſitio fidei diuinæ, non ſit euidens, ſed obſcura, eſſe vero demonſtrationem ac ſcientiam ſecundum quid, quia propriam demonſtrationem, ac ſcientiam aliqua ratione ſaltem in certitudine æmulatur, vnde cum S.Thom. loco ſuperius citato dicit ſyllogiſmum Theologicum ſeu ſcientiam Theologicam, eſſe demonſtrationem, ac ſcientiam, non de ſcientia ſtricte, & ſimpliciter, ſed ſolum de ſcientia late, & ſecundum quid eſt intelligendus, vt ibi Caiet. interpretatur, quo ſatisfit rationi dubitandi num. 22. poſitæ pro contraria ſententia.

CAPVT V.

An habitus ſcientiæ diſtinguatur ab habitu principiorum.

24 DIſp.36. de demonſtrat. cap. 3. oſtendimus habitum primorum principiorum non ſolum eſſe à potentia intellectiua diſtinctum, ſed eſſe ſcientiam noſtris actibus acquiſitam; nunc quærimus an habitus ſcientificus qui ad aſſentiendum concluſioni ſcientificæ deſeruit, ſit ſpecie diſtinctus ab habitu principiorũ primorum? Affirmãt aliqui præter habitum 1.principiorum, non eſſe neceſſarium pro concluſionibus ſcientificis, alium habitum ſcientificum, diſtinctum ab habitu primorum principiorum, ſed eundem habitum primorum principiorum poſſe deſeruire ad aſſentiendum primis principiis, & ſcientificis concluſionibus, & probant primo ex Ariſt.6.Eth.c.3.vbi enumerans habitus intellectus de ſapientia ait *eſſe ſimul ſcientiam, & intellectum*, denotans eumdem habitum deſeruire principiis, & concluſionibus. Secundo ratione, aſſenſus quorum vnus dependet ab alio, non poteſt generare diſtinctos habitus, nam habitus diuerſi debent eſſe independentes, ſed aſſenſus concluſionis dependet ab aſſenſibus præmiſſarum, ſicut effectus à cauſa, ergo non generant diuerſos habitus: minor probatur, exemplo aliarum ſcientiarum, licet enim Philoſophia, & Dilectica habeant diuerſas concluſiones, non ponuntur pro eis diuerſi habitus, ſed vnus qui ſe extendat ad omnes concluſiones propter intrinſecam dependentiam quam vna concluſio habet ab alia, & à præmiſſis, ſed maiorem dependentiam videntur habere concluſiones vnius ſcientiæ à principiis eiuſdem ſcientiæ, ergo non eſt ponendus habitus ſcientificus diſtinctus ab habitu principiorum.

25 ASSERTIO tamen ſit, datur habitus ſcientificus diſtinctus ab habitu principiorum, quo concluſionibus ſcientificis aſſentiamur, colligitur ex allegato Ariſt. teſtimonio, qui interdum appellat intellectum habitum principiorum, interdum eſſe diſtinctum ab habitu ſciẽtiæ, & à reliquis habitibus intellectualibus, ergo habitus ſcientiæ diſtinctus eſt ab habitu principiorum, qui præter euidentiam præmiſſarum neceſſarius eſt ad determinandam, & inclinandam potentiam ad operandum. Probatur etiam ratione manifeſta, nam habitus diſtinguntur per actus, qui ſunt ipſi aſſenſus, ſed aſſenſus principiorum eiuſdem ſcientiæ & concluſionis diſtinguuntur ſpecie, vt ibidem oſtendimus; ergo generabunt habitus ſpecie diuerſos, minor probatur, aſſenſus diſtinguntur ſpecie per diuerſas rationes formales aſſentiendi, ſed aſſenſus concluſionis habent diuerſam rationem formalem ab aſſenſibus principiorum, nam intellectus aſſentitur primis principiis, ſine medio, propter ipſam veritatem per ſe euidentem ex ſola terminorum apprehenſione, concluſioni vero aſſentitur propter præmiſſas, ergo ſunt aſſenſus ſpecie diuerſi, & conſequenter habitus geniti ex ipſis aſſenſibus ſpecie diuerſi.

26 Nec valet si dicas, huiusmodi assensus conclusionis & præmissarum, esse solum specie inadæquata, distinctos; & ita non generare habitus specie distinctos; sed contra, ergo saltem generabunt habitus partiales & inadæquatè distinctos, & consequenter ponendus est habitus scientificus inadæquatè distinctus ab habitu principiorum. Secundo assensus præmissarum sunt multi, sicut assensus conclusionis, ergo potentes erunt ad generandum habitus adæquatè distinctos, consequentiam probo, nam assensus principiorum sunt specie diuersi ab assensibus conclusionis propter diuersas rationes formales assentiendi quas in se habent, & sunt distincti & diuersi non solum specie inadæquatè, sed adæquatè, ergo absolute producunt habitus specie adæquatè diuersos.

27 Ad testimonium Arist. supra adductum Resp. ex D. Tho. ibidem & 1.p.q.57. a. 1. ad secundum, dicendo sapientiam propriè sumptam esse quendam habitum scientificum, vniuersalem, tamen eo quod versetur circa vniuersaliſſimas causas & principia & conclusiones iudicando tanquam superior de inferioribus, quas causas, & principia aliquando demonstrat per rationes vniuersales, aliquãdo reducẽdo ad impossibile, aliquando vt habitus principiorum & scientiæ respectu suarum conclusionum. Ad rationem Resp. negando maiorem, nam scientia subalternata habet intrinsecam dependentiam à subalternante, cum contineatur sub eius obiecto, & accipiat principia probationis à subalternante, & tamen habitus scientiæ subalternatæ & habitus scientiæ subalternantis; sunt specie distincti vt constat in Musica & Arithmetica, ergo multo magis distinguentur habitus scientiæ, & principiorum, quamuis assensus principiorum causent assensus conclusionis & iste habeat intrinsecam dependentiam ab assensibus principiorum.

DISPVTATIO XLI.

De vnitate & distinctione scientiarum.

DVo capita continebit, In primo inquiro, à quo sumatur vnitas vel distinctio scientiarum, In secundo, qualiter scientiæ naturales inter se distinguantur.

CAPVT I.

A quo sumatur vnitas vel distinctio scientiarum.

1 POst quam explicuimus essentiam, species & proprietates demonstrationis, & scientiæ perfectissimæ oportet agere de eius vnitate quam tradit Arist. c. 23. huius libri & D. Tho. ibidem 41.42.& 43. opusc. 70. q. 5. & etiam de distinctione scientiarum de quo fusius Arist. 6. met. tex. 2. Theologi 1.p.q.1.a.2. Caiet. Conimbr. Pererius l.1. de Phi. c. 8. Vallius 1. Post. d.4. p.4.q. 5.c.2. Complut latissime d.19.q.4. Ioann. à S. Th. q. 27. a.1. Lerm. l.8.q.15. Bañez, Gonz. Rubio & communiter omnes, nos tamen in præsenti de hac re breuiter disseremus tradendo principia generalia ad vnitatem, & distinctionem scientiarum requisita, cum de qualibet in particulari agatur in proprio suo loco, & non inquirimus de vnitate simplicitatis scientiæ, de qua abunde disserui disp. 2. cap. 3. sed tantum de vnitate generica, specifica, & numerica.

2 ASSERTIO I. Vnitas, & distinctio numerica scientiarum, sicut, & aliorum accidentium, ex vnitate, vel diuersitate subiecti materialis, & formalis desumẽda est. Primum fundamentum huius assertionis cum sit idem, ac indiuiduationis, & distinctionis numericæ aliorum accidentium ad libros de generatione pertinet; secundum est, non sufficere vnitatem subiecti principalis, seu materialis cum de eodem subiecto possint agere diuersæ scientiæ, vt Metaphysica de Deo, intelligentiis, & logica: de terra, vt rotunda, Astrologus vt mobilis, physicus; & similiter, ide mobiectũ pertinet ad diuersas potentias, ergo sola vnitas subiecti materialis non sufficit ad vnitatem numericam scientiæ, sed desumi etiam debet ex ratione formali illam diuersificante ab aliis in particulari.

3 ASSERTIO II. Vnitas specifica, seu diuersitas specifica scientiæ desumitur ab vnitate, seu diuersitate specifica obiecti formalis, ita Arist. 1. post. text. 25. vbi *ait illam scientiam esse vnam, quæ habet vnum obiectum, & circa illud considerat* principia, partes, seu species; sed non est obiectum materiale, cum ad diuersas scientias pertineat; ergo est formale; Ratione etiam probatur. Scientia, est tendentia in suum obiectum formale, sicut motus est tendentia in suum terminum, sed motus accipit suam vnitatem, seu diuersitatem specificam ab vnitate specifica, seu diuersitate termini, ergo, & scientia suam vnitatem specificam, seu diuersitatem sumet ab vnitate specifica, seu diuersitate sui obiecti formalis in ratione obiecti, & scibilis; minor probatur, terminus alicuius tendentiæ comparatur ad illam, vt illius finis ad quem per se ordinatur, sed quælibet res ab illo sumit speciem, & vnitatem, ad quod per se ordinatur, cum fiat gratia illius, ergo omnis tendentia sumit suam vnitatem, aut diuersitatem ab eo ad quod ordinatur. Confirmatur, à simili in obiectis sensuum externorum, color enim quamuis in genere entis, & qualitatis non sit species atoma, & diuidatur in plures qualitates specie diuersas albedinis, nigredinis, &c. tamen in genere visibilis formaliter est species atoma, sed non esset vna species atoma si desumeret vnitatem, & diuersitatem specificam ab obiecto in ratione entis, ergo pari ratione scientiæ non debent sumere suam vnitatem, aut diuersitatem specificam ab obiecto in esse entis, sed ab obiecto in ratione scibilis.

4 Dices ex D. Thoma 6. met. lect. 1. diuersitatem scientiarum desumi ex diuersitate mediorum, sed definitio est medium in demonstratione, & principium scientiæ, ergo non ab obiecto, sed à diuersitate mediorum sumenda est diuersitas scientiarum: Resp. facile medium in demonstratione esse causam per quam obiectum cognoscitur, at non specificare nisi causatiue, obiectum vero formaliter quatenus in illud veritas vel diuersitas formalis mediorum refunditur, media enim se habent vt principium sciendi, obiectum vero, vt terminus scientiæ, & finis à quo specificatur, cum scientia sit tendentia in illud, sicut terminus est finis motus; similiter obiectum potentiæ visiuæ est specificatiuum visus; lux vero vt conditio qua potentia, perfusa luce, videt obiectum visibile sine qua non posset à potentia cognosci, non autem ex eo à medio, scilicet à luce specificatio sumitur nisi causaliter seu tanquam à conditione.

5 ASSERTIO III. vnitas generica, aut diuersitas scientiarum sumitur non præcisè ex obiecto, seu subiecto, sed ex fine, & diuerso modo procedẽdi, hoc docuit Arist. primo post. tex. 43. dum dicit *illam scientiam esse vnam, quæ est vnius generis obiecti*, sed habitus intellectuales differunt non solum per subiectum, sed etiam ex fine, & modo procedendi, vt videre est in scientia, fide, & opinione, ergo habitus intellectuales differunt genere non solum præcisè ex subiecto, sed ex fine, & diuerso modo procedendi: scientia enim, opinio, & fides differunt penes formidinem, certitudinem, & claritatem, cæteri vero habitus intellectus differunt ex diuerso modo

modo procedendi, vt disp. 44. cap. 1. dicimus, nam scientia, sapientia, & ars diuersum modum procedendi habent; similiter habitus practicus, & speculatiuus: ergo habitus intellectuales differunt genere non præcisè ex obiecto, sed etiam ex fine, & diuerso modo procedendi.

CAPVT II.

Qua ratione scientiæ naturales inter se distinguantur.

6 HÆc difficultas ad metaphysicam spectat, in qua de distinctione scientiarum longius peragitur, & ad illas discriminandas, communis Philosophorum sententia, triplicem assignat abstractionem à materia, aliam à materia sensibili singulari, aliam à materia sensibili etiam in communi, aliam à materia sensibili, & intelligibili; pro quarum elucidatione, obscuro materiam iuxta subiectam rem, de qua agimus, aliam esse sensibilem, aliam intelligibilem, materia sensibilis, est aliqua res corporea affecta accidentibus sensibilibus, quæ si sit hæc numero res induta iis numero accidentibus sensibilibus, dicitur materia sensibilis, corporea, signata, & singularis; si vero sit aliqua res corporea confusè induta accidentibus sensibilibus etiam confuse, & in communi, dicitur materia sensibilis in communi; materia intelligibilis est res aliqua corporea, præcisa ab accidentibus sensibilibus; v. g. quantitas secundum se spectata; abstractio ergo tantum à materia sensibili singulari, est quando concipitur res corporea affecta accidentibus sensibilibus in communi, & abstrahitur per rationem ab hac numero, & illa numero re materiali affecta iis, & illis accidentibus sensibilibus in particulari; abstractio vero à materia sensibili etiam in communi præcisè, quando concipitur res aliqua corporea secundum se, ac præscinditur ab omni accidente sensibili, tam in communi, quam in singulari; Abstractio autem à materia sensibili, & intelligibili, est quando res aliqua, vel reipsa vel per rationem præscinditur ab omni formalitate sensibili, ac materiali.

7 His ergo positis iuxta has tres abstractiones; Philosophi tres diuersas scientias constituunt, scilicet Physiologicam, quæ respicit obiectum sub prima abstractione à materia sensibili singulari, considerat enim hæc scientia, non singularia sensibilia, sed res sensibiles in communi; Mathematicam, quæ respicit obiectū sub secunda abstractione à materia sensibili etiam in communi; non vero à materia intelligibili, concipit enim rem præcisam ab omni accidente sensibili, considerat tamen entitatem corpoream, scilicet, quantitatem; & Metaphysicam, quæ respicit obiectum sub tertia abstractione à materia sensibili, & intelligibili, quia considerat Deum, intelligentias, & ens vt sic, quæ re ipsa vel per rationem ab omni formalitate sensibili, & materiali præscindunt; igitur scientiæ istæ, scilicet, Philosophia, Mathematica, ac Metaphysica ob prædictas abstractiones diuersas reipsa inter se discriminantur, hoc quidem adeo vulgare, tritum, ac commune est, vt id vno ore omnes Philosophi protestentur.

8 Sed hæc doctrina de distinctione scientiarum ob diuersas abstractiones, si ei aliquid non addatur, mihi valde difficilis visa est; & facilis impugnatu; primo, quia circa idem obiectum, & sub eadem abstractione dantur diuersæ scientiæ; ergo scientiæ non diuersificatur præcisè per diuersas abstractiones. Conseq. est euidēs, antecedēs sic ostendo; Theologia sacra, & Metaphysica etiam quatenus tendit ad Deum, sunt scientiæ inter se diuersæ, & tamen hæ scientiæ, vt sic, tendunt in idem obiectum, scilicet Deum, & sub eadem abstractione, nempe à materia sensibili, & intelligibili, ergo circa idem obiectum, & sub eadem abstractione dantur diuersæ scientiæ; secundo quia circa obiecta sub diuersis abstractionibus datur eadem scientia; ergo scientiæ non distinguuntur per abstractiones diuersas. Consequentia est certa, antecedens sic probo, sicut distinctio realis, & distinctio rationis sunt diuersæ distinctiones, ita abstractio realis, & abstractio rationis sunt diuersæ abstractiones, atqui eadem scientia Metaphysica considerat Deum, & intelligentias sub abstractione reali à materia, & ens vt sic sub abstractione à materia tantum per rationem; ergo eademmet scientia versatur sub diuersis abstractionibus circa sua obiecta; Tertio quia abstractio à materia sensibili singulari, & abstractio ab omni materia sensibili sunt abstractiones diuersæ, vt Philosophi communiter asserunt; sed Musica, quæ est vna eademque scientia, respiciens, numerum sonorum, quatenus considerat rationem soni, tantum abstrahit à materia sensibili singulari, quatenus vero considerat rationem numeri, abstrahit etiam ab omni materia sensibili; & idem est in qualibet alia scientia mixta: ergo eadem scientia potest tendere ad obiectum sub diuersis abstractionibus; ac proinde scientiæ non distinguuntur per abstractiones diuersas.

Assertio sit; Metaphysica, & aliæ scientiæ, scilicet Mathematica, & Physica per diuersa abstractionis obiecta ad quæ singulæ ordinatur proprie, & per se non intrinsece, sed extrinsece diuidūtur, ac distinguuntur; ac primum Metaphysicam ab aliis scientiis distingui per obiectum attributionis, sic monstro; per id vna scientia diuiditur, ac distinguitur ab alia per quod habet esse vna, quia vnum est indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio: sed Metaphysica, sicut quælibet alia scientia, habet esse vna per vnū attributionis obiectum, ad quod tota ipsa ordinatur, ergo Metaphysica diuiditur ab aliis scientiis per obiectum attributionis; porro distingui, ac diuidi ab aliis per se, non intrinsece, sed extrinsece; sic ostendo; ideo Metaphysica ab aliis scientiis, scilicet Physica, & Mathematica distinguitur, quia ordinatur ad vnum obiectū attributionis diuersum ab obiectis attributionis, ad quæ ordinantur illæ scientiæ, vt diximus; atqui Metaphysica ordinatur ad suum obiectum attributionis scilicet ad ens immateriale reale in communi, & in particulari, non intrinsece, sed extrinsece, nimirum ex extrinseca intentione, & ordinatione Philosophi qui habitus Metaphysicos ad cognoscendum ens immateriale ordinauit, immo quod tale obiectum attributionis sit vnum tantum prouenit ex extrinseca Philosophi coadunatione; ergo Metaphysica non intrinsece, sed extrinsece diuiditur, ac distinguitur ab aliis scientiis; vnde (vt clare dicam quod sentio) scientiæ singulæ radicaliter ex sola Philosophorum extrinseca adunatione adunantur, & ex extrinseca solum partitione distinguuntur, & diuiduntur; cum ipsi Philosophi pro bono, & æquo assignent, adunent, & diuidant in singulis scientiis propria attributionis obiecta, ex quibus proximè, & formaliter singulæ scientiæ adunantur, ac distinguuntur; consule dicta suprà disp. 2. c. 3. n. 46. 9

Hinc infero, quo sensu verum sit dicere prædictas scientias, nimirum metaphysicam, mathematicam, & physicam distingui inter se realiter per diuersas abstractiones à materia; etenim suppositā radicaliter extrinseca Philosophi designatione, & partitione scientiæ, proximè, & formaliter diuiduntur, & distinguuntur per propria attributionis obiecta præfixa eis à Philosophis, atqui Philosophorū Princeps Aristot. assignauit, & præfixit Physiologiæ pro obiecto attributionis, ens naturale sub abstractione à materia sensibili singulari; & Mathematicæ, ens quantum sub abstractione ab omni materia sensibili; & Metaphysicæ, ens in communi, sub abstractione à materia sensibili, & intelligibili, & idcirco has scientias distinguit 6. Metaphysicæ cap. 1. text. 10. & 2. lib. 12. c. 6. & 5. de anima cap. 1. tex. 17. & alibi; ergo suppositā radicaliter Philosophi designatione, ac partitione extrinseca 10

extrinseca obiectorum cuiusque scientiæ, proximè, ac formaliter scientiæ ipsæ Physica, Metaphysica, & Mathematica, per eas diuersas abstractiones, vel (quod idem est) per obiecta sub iis diuersis abstractionibus distinguuntur.

11 Excipio aliam scientiam mixtam vel ex Physica, & Mathematica, qualis est Musica respiciens numerum sonorum, numerum quidem vt Arithmetica, & sonum sensibilem, vt Physica; vel ex Mathematica, & Metaphysica, qualis est Arithmethica illa quæ respicit numerum Angelorum, respicit enim numerum, sicut Mathematica, & Angelos, vt Metaphysica, hanc (inquam) scientiam excipio, quæ licet varias habeat abstractiones in obiecto, vt per se constat, tamen quia eius obiecta, & habitus extrinsecè à Philosophis non diuiduntur, sed coadunantur, ipsa scientia non partitur in plures scientias, sed est saltem per se extrinsecè scientia vna; de ente etiam rationis cum sit minutissimæ entitatis, & nullam habeat materiam, diximus indirectè ad Metaphysicam pertinere, & sub eius abstractione contineri, vt supra ostendimus tract. 2. d 4. in principio. Videantur Conimbricenses in procœmio Physicorum q. 1. a. 4. ad finē Suar. & Auersa qui copiosè de obiecto metaphysicæ differunt: cætera in Metaphysicā remittimus.

DISPVTATIO XLII.

De subalternatione scientiarum.

QVATVOR capita continebit, In primo inquiro, quid subalternatio sit, explicatur. In secundo, an scientiæ quarum obiecta continentur sub alterius obiecto sint propriè subalternatæ. In tertio, an scientia subalternata coniūcta subalternanti sit proprie scientia. In quarto, an in non habente subalternantem scientiam, subalternata sit propriè scientia.

CAPVT I.

Quid sit subalternatio, explicatur.

1 EXplicata natura & essentia scientiæ, eius vnitate & diuersitate Arist. c. 10. huius libri explicat subalternationem scientiarum quē sequuntur omnes Philosophi & Theologi 1. p. q. 1. art. 2. Conimb. latissime, Complutenses d. 19. logicæ, Masius in c. 10. lib. 1. q. 6. sect. 2. Rubio, Paul. Vallius late vt solet, Ioan. à S. Tho. Lerm. & communiter omnes, à nomine igitur incipiendo, subalternatio seu scientia subalternans nihil aliud erit quam scientia aliam sub se continens, scientia vero subalternata, quæ sub alia continetur, & ita subalternatio erit subordinatio quædam & dependentia vnius scientiæ ab alia, vnde tot modis dicetur vnam scientiam subalternari alteri, quot modis contigerit illi subordinari.

2 Obseruo tamen ex cōmuni consensu Philosophorū, & dialecticorum, triplicem esse posse subordinationem vnius scientiæ respectu alterius, primo ex parte finis, quia finis vnius scientiæ ordinetur ad finem alterius scientiæ: secundo ex parte principij, quia principia vnius scientiæ sint conclusiones demonstratæ per aliam scientiam: tertio ex parte obiecti, quia obiectum vnius scientiæ est contractum particulare ac determinatum ratione alicuius differentiæ essentialis vel accidentalis, quā adiungit ad obiectum alterius scientiæ vniuersale & commune, sub quo continetur; hoc posito prima subordinatio ex parte finis, non facit scientiam subalternatam, etenim ars frænofactoria ex parte finis ordinatur ad artem equestrem, & hæc ad artem militarem, & tamen nec ars frænofactoria arti equestri, nec ars equestris arti militari subordinatur.

3 Similiter nec tertia subordinatio ex parte obiecti magis determinati ratione differentiæ essentialis, quod quidem essentialiter contineatur sub obiecto communi, & vniuersali alterius scientiæ non facit scientiam subalternatam, Philosophia enim & Theologia, nón sunt scientiæ subalternatæ Metaphysicæ, & tamen obiectum Metaphysicæ est, ens in communi, obiectum vero Physicæ est ens determinatum & contractum ratione differentiæ essentialis, scilicet ens naturale, & obiectum Theologiæ, est etiam ens determinatum & contractum, per differentiam essentialem, scilicet ens diuinum, atque ita obiectum Physicæ, & Theologiæ continentur essentialiter sub obiecto communi metaphysicæ, & subordinantur essentialiter illi, non ergo sufficit hæc essentialis subordinatio & determinatio obiecti, vt faciat vnam scientiam subalternatam respectu alterius, igitur secunda subalternatio ex parte principij, scilicet quod principia vnius scientiæ sint conclusiones demonstratæ per aliam scientiam, & tertia simul subordinatio, nimirum quod obiectum vnius scientiæ, sit contentum sub obiecto communi alterius scientiæ & determinatum ratione alicuius differentiæ, accidentalis, quam superaddit, scientiam verè & propriè subalternatam ac scientiam subalternantem constituunt, vnde scientia subalternata est, illa quæ ex parte principij & obiecti accidentaliter alteri subordinatur, scientia vero subalternans cui prædicto modo illa subiecta est, v.g. musica vere & strictè subordinata Arithmeticæ, quia ab ea principia demonstrationis desumit, & obiectum Musicæ est etiam sub obiecto Arithmeticæ, & illi subiicitur accidentaliter, obiectum enim Arithmeticæ est numerus vt sic, obiectum autem musicæ, est numerus sonorus, similiter perspectiua subalternatur Geometriæ, quia hæc considerat lineam vt sic, illa vero lineam visualem, quæ sub linea vt sic accidentaliter continetur, & etiam principia Perspectiuæ sunt conclusiones quæ per Geometriam demonstrantur.

4 Præter hanc differentiam accidentalem, additam obiecto superioris scientiæ necessarium est, quod talis differentia accidentalis, habeat speciales passiones, quæ possunt de illa demonstrari, constituendo speciale genus scientiæ, v. g. sonus est materia accidentalis & extranea respectu numeri, ex coniunctione tamen ad ipsum, resultant in sonis speciales passiones consonantiæ, quæ non oriuntur à sonis secundum se, sed à numero applicato sonis, defectu huius, linea, v.g. alba per albedinem licet sit differentia accidentalis lineæ, quæ est subiectum Geometriæ, non constituitur obiectum alicuius scientiæ Geometriæ subalternatæ, quia linea ratione albedinis non habet speciales passiones ad ipsam lineam pertinentes, quæ possint demonstrari per aliquam scientiam subalternatam, & hic est proprius modus subalternationis.

5 Sed obiiciat quis, Theologia est scientia subalternata scientiæ beatorum, & tamen est de eodem subiecto vt tradit D. Tho. loco supra citato, ergo subalternatio scientiarum non petit distinctionem subiectorum per accidentalem differentiam superadditam. Secundo si hanc addat differentiam accidentalem subalternata scientia ad subalternantem, subalternata nō potest esse scientia per se, nam haberet pro obiecto ens per accidens, vt linea visualis, & numerus sonorus, sed de ente per accidens, non datur per se scientia, cum sit res diuersorum prædicamentorum quæ in vnam definitionem non cadunt. Resp. ad primum, Theologiam nostrā non subordinari scientiæ beatorum ex parte subiecti quasi sit subiectum extraneum & distinctum omnino à subiecto subalternantis, sed dici subalternari ratione principiorum, nam Theologia ex scientia beata habet euidentiam principiorum, in nobis vero talia principia credit, & ita Theologia simpliciter dici poterit subalternati, quia aliquo modo habet subiectum aliquo modo, idem & aliquo modo diuersum, id est cognitum sub diuersa ratione formali quia nunc videtur per ænigmata, tunc vero facie ad faciem, seu reuelata facie;

Ad

Ad secundum Respondeo, obiectum scientiæ subalternatæ non esse ens per accidens constitutum ex accidentali differentia, & subiecto superioris scientiæ, sed vnum illorum respicere per se, & in recto, & alterum in obliquo, seu modificatum, & connotatum per aliud, vt contingit in perspectiua, respectu Geometriæ, & in musica respectu Arithmeticæ, quod non est esse ens per accidens, sed ens connotatum, & importatum in obliquo, vt infra c. 3. amplius patebit.

CAPVT II.

An scientiæ, quarum obiecta continentur sub obiecto alterius, sint proprie subalternatæ.

6 DE Metaphysica procedit difficultas cui aliæ scientiæ videntur subalternari, cum sub illius obiecto contineantur, in qua duæ extant sententiæ: prima asserit Metaphysicam esse Reginam omnium scientiarum & omnes alias scientias illi subalternari, huius sententiæ auctores refert Suarez 1. met. sect. 1. n. 45. Secunda sententia est vexior.

7 ASSERTIO sit, propria subalternatio solum datur quando obiectum vnius scientiæ continetur accidentaliter sub obiecto alterius scientiæ superioris, à qua accipit principia, & cæteræ scientiæ solum improprie, & secundum quid, possunt appellari subalternatæ respectu Metaphysicæ, ita Arist. tum, cap. 7. huius libri, tum c. 10. D. Thomas super Arist. lect. 15. & 25. Caiet. in hoc c. 13. & 1. p. q. 1. art. 2. Bañez Zumel. Iauellus, Complut. disp. 19. q. 1. quos referunt, & sequuntur Conimbr. Rubio, hic tract. de subalternatione, Suarez supra, Lerma Ioan. à S. Th. & communiter omnes Doctores.

8 Probatur ratione primo, illa scientia dicitur proprie subalternata vt ostendi n. 2. & 3. quæ ita intrinsece dependet ab alia vt si illi non subalternaretur, nullo modo esset scientia, cum non haberet principia ad probandas suas conclusiones, & demonstrandas suas passiones, cum talia principia acci piat à subalternante, vt cum D. Thom. 1. p. q. 1. art. 2. docent communiter Doctores, sed hæc subalternatio non inuenitur in scientia, cuius obiectum essentialiter continetur sub obiecto alterius, sed tantum accidentaliter, addendo ad illam differentiam accidentalem, vt in musica ostendi eodem num. 3. quæ subalternata est Arithmeticæ, quia ab ea principia demonstrandi desumit, & obiectum musicæ, scilicet sonoritas continetur sub eodem obiecto Arithmeticæ, addendo ad illam differentiam quandam accidentalem, scilicet sonoritatem seu sonum ad numerum, qui est obiectum per se Arithmeticæ, ergo scientia, quæ essentialiter continetur sub obiecto alterius potius erit essentialis pars illius quam scientia subalternata, cum talis scientia propria principia habeat ad probandas suas conclusiones, & passiones, ergo proprie subalternatio tunc dabitur quando obiectum vnius scientiæ continetur accidentaliter sub obiecto alterius scientiæ superioris, à qua accipit principia probandi conclusiones, & suas passiones.

9 Probatur secundo, scientia quæ addit differentiam accidentalem pendet à scientia superiore in genere principij, nam conclusiones demonstratę per illam, sunt principia scientiæ inferioris, & subalternatæ vt dictum n. 2. est ergo illa scientia erit proprie subalternata quæ continetur sub obiecto scientiæ superioris, adiungendo ad illam differentiam accidentalem, & extraneam, vt contingit in sonoritate respectu numeri sonori. Confirmatur, aliæ scientiæ non pendent in esse scientiæ à Metaphysica, nec in euidentia, aut certitudine principiorum, habent enim sua principia per quæ possint probare suas conclusio nes, & passiones, vt videre est in Mathematica, & Physica, ergo istæ scientiæ proprie non subalternantur Metaphysicæ, etsi sub eius obiecto contineantur quasi scientiæ magis contractæ non tamen addendo ad illam differentiam accidentalem, & extraneam, sicut musica, & perspectiua, quæ necessario desideratur ad veram, & rigorosam subalternationem.

Sed obiiciat quis Arist. 1. Physic. tex. 8. vbi asserit Metaphysicam esse Reginam scientiarum, & probare earum principia, quod proprium est scientiæ subalternantis; ergo aliæ omnes scientiæ sunt proprie illi subalternatæ. Secundo, scientia subalternata, absque subalternante non cognoscit perfecte suas conclusiones; Metaphysica autem est, quæ docet, quomodo sint entia, & bona, substantia aut accidens, ergo proprie illi subalternantur: tertio, omnis scientia aut est subalternata aut subalternans, sed Metaphysica non est subalternata respectu alicuius scientiæ superioris, ergo est subalternans, & superior respectu omnium: quarto sicut Arist. c. 10. diuisit demonstrationem *in quia, & propter quid*, ita & scientiam in scientiam subalternantem, & subalternatam, at illa diuisio est adæquata vt probauimus disp. 40. c. 3. n. 11. ergo & hæc. 10

Respondeo ad obiectionem cum D. Th. lect. 2. scientiam particularem qualis est Mathematica, & Philosophia naturalis, non probare sed supponere sua principia, sed per illa probare suas conclusiones, & passiones & consequenter huiusmodi scientias proprie non subalternari Metaphysicæ, vt sæpe dictum est, sed illę scientiæ proprie subalternantur, quæ non solùm continentur sub obiecto scientiæ superioris, sed ad illam addunt differentiam accidentalem, & extraneam sæpe repetitam, vt constat in musica respectu Arithmeticę, quæ ad numerum addit sonum, & in perspectiua respectu Geometriæ quæ addit ad lineam visualitatem, quomodo autem reliquæ scientiæ dici possint subalternari Metaphysicæ infra adiiciam, quo fit satis ad confirmationes. Metaphysica enim solum indirectè potest probare principia aliarum scientiarum, scilicet, arguendo contra negantes principia vel per causam remotam vel reducendo ad impossibile. 11

CAPVT III.

An scientia subalternata coniuncta subalternanti sit proprie scientia.

RAtio dubitandi posita est supra c. 1. & 2. nam obiectum scientiæ subalternatæ addit ad subalternantem differentiam accidentalem extraneam, ergo adæquatum obiectum scientiæ subalternatæ erit ens per accidens cum constet ex rebus diuersorum prædicamentorum, vt constat in musica, & linea visuali, sed ex rebus diuersorum prædicamentorum non potest fieri vnum per se, ergo obiectum scientiæ subalternatæ erit ens per accidens, & consequenter non dabitur scientia de illo: secundo, eo præcisè quod scientia subalternans applicat sua principia ad materiam, altera præmissarum scientiæ subalternatæ erit contingens, quod scientiæ repugnat, ergo cum tali modo subalternationis non constabit subalternatam esse scientiam: maior probatur, scientia subalternata non potest applicare principia subalternantis ad materiam extraneam, nisi sumendo pro medio passiones, & conclusiones subalternantis, ergo tales conclusiones, & passiones debent iungi in aliqua præmissarum in materia extranea quæ efficiant materiam contingentem: tertio vrget, logica vtens simpliciter & secundum omnes suas partes, non est scientia, nec eius syllogismi sunt demonstrationes, quia ex principiis secundarum intentionum descendit ad entia realia quæ omnino sunt materia extranea & contingens, vt constat in hoc syllogismo, genus prædicatur de pluribus differẽtibus specie, sed animal est genus ergo animal prædicatur de plurib. differẽtibus specie, in quo propositio minor est contingens, eo quod secunda intentio quæ est medium applicatur animali quod est materia extranea & idem contingit in musica & perspectiua respectu suorum obiectorum. 12

ASSERTIO tamen sit, scientia subalternata cum tali modo subalternationis, hoc est accipiendo principia 13

demonstran

demonstrandi suas cõclusiones & proprietates est vera sciẽtia & demõstratio,ita Arist.6.met.c.2.& ibid.D.Th. lect.secunda verba Arist. sunt, *non igitur fieri potest, vt ex alio genere quisquam in aliud transiens, quidquam demonstret veluti conclusionem Geometricã arithmetica demonstratione* quibus ostendit sciẽtias subalteruatas quales sunt musica & perspectiua cum tali modo coniunctionis ad subalternantem esse propriè scientias;& ratione etiam ostenditur ex definitione sciẽtiæ, scire putamus quando arbitramur causam cognoscere propter quam res est, ita vt aliter res se habere non possit, sed quando in perspectiua ex hoc principio Geometrico, lineæ ductæ ab eadẽ basi ad punctum distantius, causant minorẽ angulum,euidenter concludimus,res à lõge visas esse minores, cognoscimus hanc esse causam propriam talis conclusionis, idem similiter cõuincitur in musica,cum ex principiis Arithmeticę concludamus numerum sonorum causare consonantiam, ergo in iis scientiis certo scimus per principia subalternantis,ergo subalternata coniuncta cum subalternante est proprie scientia.

14 Dices ex Arist. quod scientia subalternans est scire propter *quid*, scientia vero subalternata est scire *quia*, sed demonstratio *quia* non est scientia simpliciter,ergo nec scientia subalternata potest esse scientia simpliciter.Resp.1.demonstrationem *quia* vere esse scientiam vt late ostendimus d.40.demonstratione c.1.& ex hac parte subalternata scientia quæ appellatur *quia* vt coniuncta subalternanti,vere erit scientia,nec dictum Philosophi aduersatur huic doctrinæ, cũ enim dicit subalternantẽ scire propter *quid* intelligẽdum est scientiam subalternantem accipiendam esse solitarie,id'est in cõmuni,non applicando principia ad hanc determinatam materiam, sed tantum in genere,& postea subalternata, quæ sub illius obiecto continetur applicat ad hanc vel illam materiã,quando vero dicit Philosophus quod subalternata est scire *quia*, non est intelligendum priuatiue ita vt solum demonstret *quia*, & nullo modo propter quid, sed quia ex se non habet illa principia per se nota, sed illa accepit à scientia superiori & subalternante per quæ subalternata scit propter *quid*, ex principiis autem propriis,tantum *quia*, non tamen hoc tollit quod scientia subalternata coniuncta subalternanti,non sit propriè scientia.

15 Ex his ad rationem dubitandi Resp.facile, adæquatum obiectum scientiæ subalternatæ non esse ens per accidens,sed ens per se simpliciter & absolutè,licèt obiectũ subalternatæ sit magis precisum seu determinatum & contentum sub obiecto superioris quasi de connotato seu in obliquo, & ita erit vnum ens per se cum connotatione alterius, non vero ens per accidens sicuti est aggregatum. Ad confirmationem dico scientiam subalternatam non applicare principia subalternantis, ad quamcumque materiam extraneam, sed ad eam quæ per se dependet tanquam à principio per quod definitur scientia subalternata, quare vbi deficit subalternans, incipit subalternata v. g. linea quatenus est principium superficiei, & numerus sonorus essentialiter prædicantur, & si in obliquo importentur. Ad secundam confirmationem Resp. secundas intentiones ex quibus logica vt ens procedit, nullo modo poni in definitionibus entium realium, quia entia realia nullo modo pendent à secundis intentionibus, numerus vero & linea ponuntur in definitionibus sonori,aut visualitatibus per se,licet in obliquo connotentur, vnde in syllogismo logicæ vtentis, vna præmissa est contingens,non vero in syllogismo musicæ aut perspectiuæ.

CAPVT IV.

An in non habente subalternantem scientiam subalternata sit proprie scientia.

16 PRæmitto conclusiones scientiæ subalternantis generaliter esse principia scientiæ subalternatæ, illa tamen potest accipere vel per fidem diuinam vt contingit in Theologia viatorum quæ ad demonstrandas conclusiones Theologicas assumit saltem vnam præmissam de fide vt ostendi latè d.41.c.4. vel potest accipere principia scientiæ subalternantis per fidem humanam & hoc dupliciter, primo modo non transgrediendo fines fidei humanæ quæ solum innititur auctoritati dicentis quin vlteriùs aliquam habeat moralem certitudinem: secundo modo includendo hanc certitudinem moralem, vt quando omnes absque contradictione aliquorum conspirant ad asseuerandum talia principia, vere & euidenter in scientia subalternante esse demonstrata, quo supposito.

ASSERTIO I. sit,in non habente subalternantem si illius conclusiones quæ sunt principia subalternatæ, quis fide diuina credat, potest subalternata esse scientia saltem imperfectè & habita per demonstrationem *quia*,hæc assertio est communis & eam tenent auctores commemorati c.2. & 3.Suarez, Conimbricenses c. 10.q.2.a.3.Complutenses d.19.q.3.Ioan à S.Th.q.26. art.3.Lerma,Paul.Vallius 4.p. suæ logicæ d.4. q.6.per varia capita,& est cõmunis præcipuè inter Thomistas. 17

Probatur primo verbis D.Th.1.p.q.1.art.2. vnde inquit, sicut musica credit principia sibi credita ab Arithmetica,ita doctrina sacra credit principia reuelata sibi à Deo,quorũ verborum vera expositio est,sicut ratio scientiæ in musica saluatur cum sola fide principiorum Arithmeticæ,sic Theologia potest esse scientia,cum sic solum habeat fidem suorum principiorũ,secundo ex eodẽ D.Th.q.14.de veritate a. 9. ad tertium clarius ostenditur, ille qui habet scientiã subalternatã non perfectè attingit ad rationẽ sciendi nisi in quantum eius cognitio continetur quodãmodo cũ cognitione eius, qui habet scientiã subalternantẽ,ergo poterit quis eò præcisè quod fide diuina credat principia quæ in sciẽtia beata sunt cõclusiones, habere scientiã saltẽ imperfectã sine subalternante, & nostra Theologia hoc modo dicitur etiã scientia,licet nõ strictè & quoad statũ perfectũ, cũ non coniungantur cũ subalternante, cuius cõclusiones euidẽtes nos per fidẽ diuinã accipimus & credimus,quibus conclusiones certas per demonstrationẽ & discursum deducimus, vel saltem per assensum similem discursui per quem illum distinguimus à fide humana,opinione & lumine supernaturali principiorum,ergo tales conclusiones erunt scientia saltem latè & imperfectè vt supra diximus disp. 41.cap.4. 18

ASSERTIO II. in non habente subalternantem, cuius principia sunt subalternatæ scientiæ,accepta tamẽ per fidẽ humanã moraliter certam, potest subalternata scientia per alia principia conclusiones moraliter certas elicere & habere habitum scientificum illarum, & consequenter erit scientia.Probatur primo,fides humana moraliter,certa substituitur in locum scientiæ subalternãtis,in cuius virtute operatur,ergo ex ipsa fide humana moraliter certa potest haberi certitudo conclusionis, quæ etsi non adæquet certitudini metaphysicæ saltẽ excludit omnẽ hæsitationẽ & formidinẽ, ergo talis assensus erit certus & per discursũ ac demonstrationẽ acquisitus,ergo habebit quidquid ad scientiã requiritur, cum operetur virtute obscuritatis fidei humanæ sed in virtute certitudinis moralis,media qua continuatur seu coniungitur scientiæ subalternanti, ergo conclusio deducta ex fide humana moraliter certa, erit saltem seu ad minus scientia late, & imperfecto modo vtiam dixi de conclusione Theologica. 19

Probatur secundo,idem habitus scientiæ subalternatæ postulat continuari cum subalternante, ergo secundum se habitus subalternatæ est scientificus, nam ex coniunctione ad subalternantem non destruitur sed perficitur, antecedens probatur, nam si non esset idem habitus scientiæ subalternatæ quando coniungitur cum subalternante, frustra peteret ipsam coniunctionem & continuationem, ergo scientia subalter 20

balternata continuata per fidem humanam moraliter certam ipſi ſcientiæ ſubalternanti erit ſcientia non illa quæ reducat concluſiones in prima principia, quod proprium eſt demonſtrationis propter *quid*, ſed ſcientia *quia*, quæ generatur per demonſtrationem *quia*, ergo concluſio quæ habetur per fidem humanam moraliter certam quæ ſimpliciter eſt ſcientia ſubalternata, æquiualens tamen ſcientiæ ſubalternatæ, cui modo dicto, in certitudine ſubſtituitur, erit abſolute ſcientia, ſaltem late, & imperfecto modo.

21 ASSERT. III. Si contingat in non habente ſcientiam ſubalternanté accipere eius concluſiones quę ſunt principia ſcientiæ ſubalternatæ per ſolã fidẽ humanã vnius vel alterius Magiſtri quamtũuis magni nominis, & in ſcientia ſubalternante maxime periti, non poterit ex talibus principiis, ita concluſiones ſcientiæ ſubalternatæ deducere, vt illarum habeat ſcientiam, & habitũ quoad ſubſtãtiam ſcientificum, ita D. Th. ſupra, Caiet. Magiſt. Soto lib. 1. poſt. q. 5. Conimbr. Vallius Araujo 1. met. q. 4. art. 1. Complutenſes non diſſentiunt, Sanchez, Lerma, lib. 8. Logicæ quæſt. concluſ tertia, & quarta.

22 Probatur duplici efficaci ratione: prima, Magiſter ille, quamtũmuis in tali ſcientia ſubalternãte ſit peritus, & in illa dicat id eſſe demõſtratum, qui id ab eo audit non ob id magis habet quã fidem humanã ex natura ſua fallibilem, cum tantũ teſtimonio humano dicẽtis innitatur, & omnis homo, vt ait Pſalmiſta, mẽdax eſt, ergo talis Magiſter operans ex tali fide humana nõ poterit deducere cõcluſiones certas moraliter pertingẽtes rationẽ ſcientificã. Conſequentiam probo, nã licet talis Magiſter ſit ita peritus in illa ſcientia ſubalternãte ſimpliciter poteſt ex terminis non eſſe, nec mihi demonſtrare concluſionẽ quam tradit ſed per aliquam paradoxã quæ ſibi demonſtratio videtur exhibuiſſe conſenſum vel me fefelliſſe ex malitia vel ex aliqua cauſa dicendo talem concluſionem eſſe demonſtrationem, cum in ſe non ſit nec poſſit eſſe demonſtratio, ergo per ſolam fidem humanam vnius vel alterius Magiſtri quantũuis in ſcientia ſubalternante peritiſſimi, non poterit ex talibus principiis deducere concluſiones ſcientiæ ſubalternatæ, nec habere illarum habitũ ſcientificũ quoad ſubſtantiã.

23 Probatur 2. & eſt confirmatio præcedentis argumẽti: vt aſſenſus, & habitus ſit quoad ſubſtantiam, ſciãtificus debet eſſe certus excludens omnẽ dubitationem, & hæſitationẽ, ſed ex præmiſſis acceptis ab vno vel ab altero Magiſtro, quãtumuis in ſcientia ſubalternante perito, non poteſt acquiri aſſenſus aut habitus certus, ergo nec quod ſit quoad ſubſtantiã ſcientificus, diſcurſus eſt legitimus, & Probatur minor, nam certitudo concluſionis deriuatur ex certitudine præmiſſarũ, eo autẽ quod illæ ſint ab vno vel ab altero Magiſtro magni nominis non habent certitudinem ſufficientem ad ſcientiam, cũ ille me potuit fallere ex malitia, ex ignorantia vel ex aliquo alio fine, ergo ex talibus principiis Magiſtri periti non poſſum deducere concluſiones certas pertingẽtes rationem ſciẽtificã, cum ſemper dubius maneã, & nõ expellat formidinem, & hæſitationem, ergo talis aſſenſus nõ erit ſcientificus, nec ſcientia, nec late nec imperfecte.

24 Verum inquirat quis, An omnes ſcientiæ ſubalternẽtur Metaphyſicæ? cenſeo cũ cõmuni ſchola illi non ſubalternari quia vt vna ſcientia proprie, & ſtrictè alteri ſubalternetur, requiritur quod obiectũ ſcientiæ ſubalternatæ contrahat per differentiã aliquam accidentalẽ & extraneã obiectum ſcientiæ ſubalternantis, & quod principia illius ſint concluſiones demonſtratæ per iſtã, principia quidem, non quælibet ſed illa quibus à priori ſuas veritates demonſtret vt oſtendimus ſupra, ſed obiecta aliarũ ſcientiarum non contrahunt per differentias accidentales ſed per differẽtias eſſentiales, obiectũ Metaphyſicæ, etenim ens vt ſic quod eſt obiectum Metaphyſicæ eſſentialiter contrahitur per ens reale, quod eſt obiectum Phyſiologiæ, & per ens quantũ, quod Mathematica conſiderat, & etiã præcisè principia aliarũ ſcientiarum quibus ipſæ à priori proprias veritates demonſtrant, non ſunt concluſiones demonſtratæ per Metaphyſicam, ergo reliquæ ſcientiæ proprie, & ſtrictè non ſubalternãtur Metaphyſicæ, at vero late ac fuse dici poteſt, omnes alias ſcientias naturales ipſi Metaphyſicæ ſubalternari, quatenus obiecta earum continẽtur eſſentialiter ſub metaphyſic. obiecto, & ab illa etiã accipiũt quędã cõmunia principia quibus per reductionẽ ad impoſſibile ſuas veritates cõuincant, ratione cuius ipſa metaph. omniũ ſcientiarũ Domina ſiue Regina nominatur.

DISPVTATIO XLIII.

De reliquis habitibus intellectualibus, & eorum oppoſitione.

QCTO capita continebit. In 1. inquiro, quomodo intellectus, ſapiẽtia, & ſcientia diſtinguantur. In 2. quid ſit prudentia, & ars & quomodo inter ſe diſtinguatur. In 3. explicantur termini habituũ opinionis, fidei & ſuſpicionis. In 4. An formido ſit de intrinſeca ratione opinionis. In 5. an ſcientia, & opinio poſſint eſſe ſimul in eodem ſubiecto circa eamdem rem. In 6. an ſcientia compatiatur cum fide humana, & fide diuina. In 7. an eadem repugnantia reperiatur quantum ad habitus. In 8. aliqua notantur pro coronide difficultatis.

CAPVT I.

Quomodo intellectus, ſapientia, & ſcientia diſtinguantur.

1 IN vltima parte huius primi libri agit Ariſt. de reliquis habitibus intellectualibus, quos D. Th. enumerat ibidem lect. vltima iis verbis, *ſciendum eſt quod Ariſt. 6. ethic. ponit quinque quæ ſe habent ſemper ad verum, ſcilicet artem, ſapientiam, ſcientiam, prudentiam, & intellectũ, ſubiungens duo, quæ ſe habent ad verum, & falſum, ſcilicet ſuſpicionem, & opinionem, prima autem quinque ſe habẽt ad verum, quia important rectitudinem rationis, ſed tria eorum ſcilicet ſapientia ſcientia, & intellectus important rectitudinem cognitionis, circa neceſſaria, ſcientia quidem circa concluſiones, intellectus circa principia, ſapientia autem circa altiſſimas cauſas, alia vero ſcilicet ars, & prudẽtia important rectitudinẽ rationis, circa contingentia, hæc D. Th. ſuper locum Ariſt.* Hæc membra diuiſionis nõ ſunt indiuidua, nec ſpecies infimæ, ſed genera ſubalternata cõſtituta ſub habitu qui eſt genus ſuperius, & in iis habitibus noſter intellectus perficitur, debemus tamen excludere habitum opinionis, & ſuſpicionis, quibus intellectus non perficitur, quia per illos habitus interdum diſcimus verum, interdum falſum, atque ita ſimpliciter non ſunt vocandi habitus, de omnibus tamen ſolita breuitate, & claritate in hac vltima diſp. diſſeremus.

2 Præmittendum tamen eſt, Prædictos quinq; habitus eſſe virtutes intellectuales, quibus intellectus recte diſponitur, & perficitur circa verũ, ex Ariſt. enim virtus eſt diſpoſitio perfecti ad optimum, ex his habitibus tres priores, nempe intellectus, ſapientia, & ſcientia pertinent ad ſpeculationem veritatis, duo vero poſteriores videlicet prudentia, & ars pertinent ad praxim, cum hæc verſetur circa factibilia, & illa circa agibilia, de quibus ſigillatim diſcurrendum eſt.

3 Primo occurrit intellectus, qui 6. ethic. vocatur à Philoſoph. habitus primorũ principiorũ qui per ſe determinatur ſine alio habitu à potẽtia diſtincto à potentia intellectiua ad aſſentiendũ primis principiis quæ ipſi intellectui euidentiſſima ſunt, ad eũ modũ quo voluntas ſeipſa determinatur ad bonũ, oppoſitũ tamen ex Ariſt. D. Th. & Philoſop. oſtendimus tr. 8. diſp. 40. c. 4. & clare oſtendit D. Th. 6. ethic. lect. 5. illis verbis *accipitur hic intellectus non pro ipſa intellectiua potentia, ſed pro habitu quodam, quo homo ex virtute luminis iotellectus agentis naturaliter cognoſcit, principia demonſtrabilia*, & ipſa etiam ratio conuincit; nam potentia intellectiua non eſt lumen determinatum ſed indifferens ad omne verum, ergo vt determinetur, & ſine peri

periculo toties errandi operetur indiget habitibus & ſpeciebus impreſſis, quibus intellectui proponantur obiecta vera & determinetur circa illa, vt etiam oſtendimus eadem diſp. c. 5. nec inſtantia de voluntate multũ vrget, nam licèt circa aliquod obiectũ naturaliter feratur & nullo indigeat habitu, quia ipſa voluntas eſt inclinatio, at vero circa obiecta indifferentia, vt circa illa determinetur & operetur, indiget habitu vt eius indifferentia adiuuetur & expeditius operetur vt fusè oſtendimus locis citatis, & Compl. diſp. 20. c. 1. Vall. de habitibus & plures alij, & longius libris de anima.

4 Secundo loco occurrit ſapientia de qua etiam Stoici, apud Plut. l. 1. de placitis c. 10. dixerunt, ſapientiam eſſe diuinarum & humanarum rerũ ſcientiam & ſupponit pro cognitione omniũ vel plurium rerum in vno & eodem homine exiſtentiũ, vt indicat Ariſt. 1. met. c. 2. atq; ideo ſapiẽs dicitur qui ſcit omnia quę ſcire poteſt, alios inſtruendo, & docendo, & cognoſcendo ea, quæ ſunt ex principiis per vniuerſaliſſimas cauſas, ſed etiã iudicando de principiis aliarũ ſcientiarum, & quãuis quælibet ſcientia poſſit appellari ſapiẽtia, iuxta illud Pauli ad Rom. 11. *ô altitudo diuitiarum, ſapientiæ & ſcientiæ Dei*, tamen proprie loquendo vt docet D. Th. 1. 2. q. 77. art. 2. illa eſt vere ſapientia quæ eſt principaliſſima & honorabiliſſima, & cui cæteræ ſcientiæ tamquã ancillæ deſeruiunt, eodẽ modo nomen ſapientiæ vſurpauit Cicero, l. 2 de officiis in 4. Tuſcul. dicens, *ſapientia eſſe rerũ diuinarum & humanarum cauſarumq; quibus ea res continentur ſcientiã*, & antiqui Phil. dixerũt eſſe cognitionem rerũ omnium, vſq; ad infimas ſpecies & proprietates, quæ omnia vna ſola ſciẽtia præſtare non poteſt, cũ per ſola particularia principia talis ſcientiæ operetur.

5 Poteſt etiam nomen *Sapientia* ſumi pro excellentia cuiuſcumque ſcientiæ, vel artis, ſeu artificis, quomodo ſolemus vocare ſapientẽ, eum qui in vulgari modo alicuius artis peritiam habet, vnde ſapientiſſimũ Marmorarium appellamus Phydiã, Polycletum ſapientiſſimũ ſtatuariũ, nam vt inquit D. Th. 1. p. q. 1. a. 6. ille in vnoquoque genere ſapiens dicitur qui illius rei altiſſimas cauſas conſiderat, vt in genere edificij qui formã domus alte diſponit, dicitur ſapiens architectus, reſpectu artificũ, qui dolant ligna parant lapides, & alia quibus ille modũ præſcribit artificioſè operandi, de quo plura Socrates apud Platonem Dialog. 3. & Paul. 2. Corinth. 3.

6 Hanc ſapientiam humanam & habitum perfectiſſimum ſcientiæ, qui verſatur circa res creatas & habitus primorũ principiorum docet S. Doct. Sapientia enim eſt vnus habitus ſcientiæ perfectiſſimæ, qui propter excellentiam & vniuerſalitatem ſui obiecti, ſub quo continentur omnia alia obiecta aliarũ ſcientiarum & propter excellentiſſimum modũ procedendi per altiſſimas cauſas non ſolum verſatur circa proprias concluſiones, ſed etiã circa principia aliarũ ſcientiarum, quando opus eſt illa explicando, demonſtrãdo vel potentialiter oſtẽdendo, dando principia generaliſſima & in hunc modũ explicãt Ariſt. 6. Ethic. D. Th. lect. 5. 1. 2. q. 57. art. 2. Caiet. 1. poſter. c. 10. dub. vlt. Conimbr. & alij, quẽ habitum Peripatetici vocant, metaphyſicæ, eo quod contineat ſub ſe obiecta omniũ ſcientiarum, & docere etiã videtur Ariſt. 1. met. c. 1. & 2. & l. 3. c. 2. Valent. 1. p. q. diſp. 6. punct. 4. cum aliis pluribus hunc habitũ appellat habitum Theologiæ, eo quod Theologia conſiderat res omnes per altiſſimas cauſas, & per vniuerſalia principia adiuuante diuina reuelatione per quã diuina creduntur.

7 Huic tamen habitui ſapientiæ, ſiue ſit Theologiæ ſiue metaphyſ. aliquæ conditiones ex loco citato Ariſt. conueniunt, prima cõmunis, id eſt, quod talis habitus verſetur circa omnes res, ſecunda vt verſetur circa res à ſenſibus remotiſſimas, vulgares enim homines ſolum cognoſcunt ea quæ illis nota ſunt, non vero quæ abſtrahunt à ſenſibus, tertia vt ſit cognitio certiſſima, quarta vt ſit aptior ad docendum & reddendas cauſas earum rerum quarum ipſa eſt ſcientia, quinta vt ſit ſpeculatiua, ſexta vt præſit aliis ſcientiis, & potius illis dominetur quam miniſtret.

Has omnes conditiones proprie metaphyſicæ conuenire, conſentiunt fere omnes vt optime aduertit Suar. 1. met. diſput. 1. ſect. 3. & 5. prima quia met. conſiderat obiecta omniũ ſcientiarum ſub vniuerſaliſſima ratione entis, conuenit 2. quia metaph. propriè agit de rebus quæ abſtrahũt à ſenſibus vt oſtendimus, diſp. 43. c. 2. tertia, quia metaphyſica eſt certiſſima ſcientia cum verſetur circa prima principia: quarta, illa eſt aptior aliis ad docendũ: quinta, quia eſt pure ſpeculatiua: ſexta, quia metaphyſica eſt Regina omnium ſcientiarum, & inter ſcientias naturales, illa ſolã meretur nomen ſapientiæ, vt vero comprehendit ſacram Theologiã, melius ſacræ Theologiæ adaptatur hoc nomẽ ſapientiæ vt docet D. Tho. 1. p. q. 1. art. 5. cum res cognoſcat per lumen ſupernaturale fidei diuinæ, ſcientia verò & ſapientia noſtro modo concipiendi diſtinguntur ſecundum maiorẽ vel minorẽ excellentiam, & vniuerſalitatem, ad quam ſciẽtia pertingere non poteſt, cũ ſolum habeat principia illius ſcientiæ particularis ad eum modũ quo in ſacramẽto Ordinis, Ordo epiſcopalis habet quandam excellentiam ad quam non pertingit ordo Preſbyteratus. 8

CAPVT II.

Quid ſit Prudentia & Ars, & quomodo inter ſe diſtinguantur,

EX 6. Ethic. & D. Th. ex 6. Ethic. lect. 5. conſtat, Prudentiam eſſe habitum practicum intellectus cum vera ratione actiuum, & verſatur circa ea quæ homini ſunt conuenientia vel diſconuenientia, prudentia enim diſponit de rebus, quæ rectè fieri debent, & ita D. Th. 1. 2. q. 52. art. 4. docet prudentiam ſub ſe continere, *ebuliam ſyneſim & Gnome* tanquam partes inferiores ipſius, *ebulia eſt virtus*, qua nobis, & aliis conſulimus, *ſyneſis* qua in caſibus extraordinariis iudicamus, *Gnome*, qua poſt conſilium & iudicium præcipimus quid agendum ſit maximè cum deficit lex communis. 9

D. Tho. 2. 2. qu. 47. art. 1. aſſerit prudentiam dici, quaſi procul videntẽ, nam prouidentia eſt pars prudentiæ, diſtinguntur tamẽ in eo, quod prouidentia verſatur circa res futuras, ſiue bonas, ſiue malas iuxta illud Matth. 21. *Filij huius ſæculi prudentiores ſunt filiis lucis in generatione ſua*, hoc eſt ſunt magis prouidentes circa ſua cõmoda, prudẽtia verò verſatur circa res præſẽtes, & ſemper eſt bona, cũ ſit virtus, prudẽtia ergo eſt ille habitus intellectus, quo iudicamus quid faciendum ſit, quidve fugiendũ, cuius tres etiã ſpecies tradit D. Th. 1. 2. q. 67. art. 6. ad 4. & 2. 2. q. 47. a. 11. prima vocatur Monaſtica, qua quis attingit actiones pertinentes ad illam habẽtem docendo quid circa ſeipſum facere debeat. Secunda eſt œconomica, quæ verſatur circa bonum familiæ, tertia eſt Politica, quæ verſatur circa bonum reipublicæ, ad quam reducitur militaris, & gubernatiua. 10

Prudentiam eſſe virtutem ipſe Ariſt. oſtendit 6. Ethic. c. 5 & 13. quia nemo ſine prudẽtia poteſt eſſe bonus de quo Cicero l. 1. Tuſcul. vbi docet quod nihil eſt dulcius prudentia, ſine qua virtus non poteſt intelligi. Idẽ Plut. de morum virtute Seneca Epiſtola 68. plures Pat. & Ambroſ. Aug. Greg. Caſſian. & Scholaſt. & dicitur virtus moralis, & extrinſeca appetitus motioni, hæc potentia integratur ex tribus partibus, prima eſt *memoria*, quæ eſt cognitio præteritorũ, à qua pendet vſus prudẽtiæ, nam præteritis memoratis, & præſẽtibus cognitis de futuris coniecturamus, vt docet Ariſt. & D. Thomas 1. metaph. cap. 1. 2. 2. quæſt. 49. art. 1. 2. pars integralis prudentiæ eſt *docilitas*, quæ adquiritur & augetur audiendo ſententias, quas SS. PP. maximè commendant, nam peritorum ſententiis non minus, quã demonſtrationibus parendum eſt, vt docet Nazianzenus oratione ad Nicobolum, Caſſianus collatione 2. c. 10. 3. pars integralis prudentiæ eſt *ſolertia*, quam D. Th. 2. 2. q. 49. art. 4. vocat partem euſtochiæ, ad quam pertinet eſſe bene coniecturatiuam; ſolertia ergo eſt facilis, & prompta coniecturatio circa inuentionem medij, aliæ videri poſſunt 11

apud

apud Paulum Vallium parte 5. diſputat. 4. quæſtion. 3.

12 Artē diffinit Ariſtot. 6. ethic. c. 4. in hunc modum: *ars eſt habitus cum vera ratione factiuus*, & verſatur circa contingentia, quæ poſſunt eſſe, & non eſſe: eorum principium eſt in eo, qui efficit, hoc eſt in artifice, non vero in re obiectiua, ſeu facta, vt conſtat in omnibus artificiatis, ars enim domifactoria non verſatur circa actionem principaliter, ſed circa operis effectionem, vt docet Diuus Thom. 1. 2. q. 57. a. 4. ſiue artes ſint liberales, ſiue mechanicæ, hac ſeruata differentia, quod mechanicæ ordinantur ad opera externa quæ exercētur per corpus, & ideo ſeruiles dicuntur, quia in illis corpus ſeruiliter ſubditur animæ, non vero in artibus liberalibus, quæ ſolum animæ ſubduntur.

13 Duæ tamen conditiones apponendæ ſunt ad verā rationē artis; prima quod non conſideret aliquod obiectū vniuerſale, & neceſſarium, & conſequenter ſcibile, ſed aliquod obiectum particulare, ſcilicet opus externum, & ens quoddam artificiale; ſecunda conditio eſt, quod ars non reſpiciat in opere rectitudinem aliquam moralē, nec rectitudinem operantis, quæ ſit bonitas moralis, ſed ſufficit quod reſpiciat bonitatem ipſius operis ſecundū ſe, id eſt rectitudinem operis; prudentia vero verſatur circa actiones immanentes, quatenus moraliter ſunt rectæ, & ab homine rectè exercentur, qui dat rectum vsū, & attendit ad moralē rectitudinem operātis, cum ſit actus virtutis, ars vero ſine hac bonitate efficit ſuū opus conformiter ad ſuas regulas, licet voluntas ſit male affecta & peccet in efficentia talis operis; in prudentia vero maximè attenditur bonitas, vel malitia hominis operātis: differt denique ab ſcientia, nā hæc eſt de vniuerſalibus, & neceſſariis, ars de contingentibus, ſciētia vero maiori ex parte eſt ſpeculatiua, ars ſimpliciter practica: plura alia reperies apud Philoſophos, & Theologos, conſule Valentiam 1. 2. d. 5. q. 3. punct. 2. Vallium d. 4. p. 1. q. 12. c. 8. p. 5. q. 5. c. 5.

14 Ex dictis infero, in prudentia tres actus communiter reperiri. Primus eſt iudicare quid ſit agendum. Secundus conſiliari quid ſit melius facere. Tertius præcipere vt fiat hoc, vel illud, & eſt præcipuus actus prudētiæ, & ob hāc causā D. Th. 1. 2. q. 47. a. 12. & q. 49. a. 3. dixit in ſeruis quatenus ſeruis non eſſe prudentiā, quia vt tales nihil poſſunt præcipere, ſed ſolū obedire. Prudētia ergo eſt regula voluntatis, & operationū eius, & ita ad eius imperiū partes integrales prudentiæ ſubiiciuntur, conſtat deniq; hanc virtutē propriā eſſe eius qui alteri non ſubeſt, non vero eius qui obedit, nā ſubditi non præcipiunt, ſed præcipiuntur, ſunt tamen capaces illius, quatenus homines. Videatur Valētia 2. 2. d. 4. q. 11. punct. 4. vbi multa de peccatoribus, in quibus non eſt vera prudentia, ſed excæcatio, hæc autem amplius proſequi, ad Theologos ſpectat.

CAPVT III.

Explicantur termini horum habituum opinionis, fidei, & ſuſpicionis.

15 ARiſtoteles c. 26. huius libri agit de oppoſitione habituum opinionis, fidei, & ſuſpicioniscum ſciētiis, & earū actib. hucuſq; actum eſt de habitibus euidentibus nunc de ineuidentibus & incertis, videlicet de habitibus opinionis, fidei, & ſuſpicionis, vt poſſimus eos comparare cum ſcientia, triplex tamen poteſt eſſe hæc comparatio, prima ſcientię cum habitu opinionis: ſecunda actus ſcientiæ cum actu opinionis; tertia habitus cum habitu, & actus cum habitu, quæ omnia

16 in hac diſputatione breuiter explanabimus.

De opinione duplicem tradit Philoſophus definitionem: prima eſt, *opinio eſt accepto propoſitionis immediatæ non neceſſariæ, id eſt principy, quod poteſt aliter ſe habere*: ſecunda definitio opinionis *eſt acceptio propoſitionis mediatæ non neceſſariæ*, à quibus definitionibus ſi auferatur particula *immediatè, & mediatè*, remanet definitio eſſentialis opinionis, *eſt acceptio propoſitionis non neceſſariæ*, hoc eſt exiſtimatio ſeu aſſenſus determinatus propoſitionis, quæ aliter ſe habere poteſt. In hac diffinitione, loco generis ponitur *exiſtimatio, ſeu aſſenſus*, in quo conuenit cum ſcientia, & aliis cognitionibus tā neceſſariis, quā contingentibus, reliqua vero ponuntur loco differentiæ, vt dubium quod non declinat ad vnam partē potius quā ad aliā, & fides humana quæ nō habetur per mediū probabile, ſed per teſtimoniū dicētis.

Opinio duas ſpecies habet, prima vocatur ſolertia, 17
quæ cōmunis eſt ad prudentiā, vt oſtendi n. 11. vt docet Ariſt. in hoc libro c. 27. & D. Th. vbi ſupra dicens, ſolertiā eſſe bonā coniecturam medij in tempore admodū breui, vt cū quis videt lucidam illam partē lunæ, quæ eſt verſus ſolē ſtatim cognoſcit id prouenire ex eo quod luna accipiat lucē à ſole, vel ſi quis videns alios, qui antea erāt inimici, modo amici facti ſunt, ſtatim iudicabit hoc ideo eſſe quia ambo alterius ſunt inimici, & ita ſolertia eſt quædam vis facile inueniendi causā rei. Secunda vocatur ſuſpicio, quam Ariſt. numerauit ſexto Ethicor. c. 3. quam appellauit exiſtimationem, ſeu leuē de re coniecturam, nam ſuſpicans inclinat in vnam partē ex quouis leui ſigno, aut fundamento, vnde ſuſpicio ab opinione diſſidet in eo, quod licet vtraque ſit de re incerta, & interiorem fallibilitatē, habeat opinans tamen vni parti adhæret: ſuſpicio ex leui coniectura oritur, opinio ex terminis. & ex ratione gignitur, ſuſpicio habetur ex qualibet leui exiſtimatione, opinio vero habetur, quando datur vehementior perſuaſio, & adhæſio ad vnam partem potius quam ad aliam.

Fides humana eſt aſſenſus, quem aliquis præbet ob 18
teſtimonium alicuius aſſerentis, ita vt immediatè nitatur authoritati dicentis ſine diſcurſu, aut alio modo ad id conducente, hæc autem fides humana innititur teſtimonio, & authoritati fallibili, in quo eſſentialiter differt à fide diuina, conueniunt tamen in hoc, quod ſicut auctoritas diuina dicentis eſt ratio formalis præſtandi aſſenſum rebus à Deo dictis, & reuelatis, ita fides humana eſt ratio formalis aſſentiēdi authoritati loquētis, & dicentis ad præſtandum aſſenſum, iis quæ dicuntur per ſolā authoritatē, & teſtimonium dicentis ſine diſcurſu, aut medio, vt cum quis aſſeueratRomā eſſe, præſto aſſensū, & dico Romam eſſe non ex eo, quod illā viderim, ſed ex pura authoritate, & teſtimonio ipſius dicentis: differt inſuper fides humana ab opinione, quod opinio aſſentitur principiis probabilibus propter connexionem fides autem humana propter ſolā authoritatem dicentis, quæ in humanis erit maior, quo authoritas dicētis fuerit maior. Alias differētias obſeruare poteris, tā apud Theologos materia de fide, quā apud Philoſophos, & Dialecticos, Auerſam q. 29. ſect. 3. Vall. p. 5. d. 4. q. 5. Rubiū, Carlet. d. 5. de anima ſ. 2. Arr. d. 6. de anima ſ. 6. Hurt. Franc. Alphonſus d. 16. de anima ſ. 9. & alios.

CAPVT IV.

An formido ſit de intrinſeca ratione opinionis.

RAtionem dubitandi propoſuit Alber. Soto 1. Poſt. 19
q. 8. dicens formidinem eſſe priuationem certitudinis, & firmitatis, quam opinio ex ſe & eſſentialiter habet, & cū qua ſtare poteſt ſuſpicio quędā de parte oppoſita, ita vt intellectus, quando actu formidat, & exiſtimat rem ita eſſe, ſuſpicatur an ita ſit, eo quod opinio ſit quidam aſſenſus probabilis, cui poteſt ſubeſſe falſum, & ita ſit debilis aſſenſus, vt de eius veritate merito timeatur. Duplex itaq; eſt formido, vna formalis, altera radicalis: formalis eſt illa, cum quis ita aſſentitur alicui concluſioni probabili, vt per alium actum reflexum iudicet concluſionem poſſe eſſe falſam: radicalis eſt illa, quæ ex modo tendendi, ita imperfecta eſt, vt non conuincat intellectū, ſed illū relinquat debiliter aſſentientē ſeu eſt actus, qui in ſe habet negationē certitudinis, etiā ſi id intellectus nō aduertat: de formidine formali certū eſt apud omnes, nec eſſe de ratione fidei humanæ, nec opinionis, quia iſtis actibus poteſt ſubeſſe falſum, cum illis ſtantibus poſſit quis iudicare propoſitionē, cui aſsētitur, poſſe eſſe falsā. De radicali dubitatur, an ſit de eſsē-

tia opinionis illã non includere. Probatur 1. quia ita aliqua sũt nota in cõmuni hominũ existimatione, & testimonio multorũ ita sunt probata, vt nemini posset formidinem generare de parte opposita, vt testãtur historiæ, quas si negaremus, certo sensu careremus, vt modo negare Matritum, aut Romã esse, quod omnibus notum est. Secundò, multi doctores ita tenaciter suis adhærent opinionibus, vt nullã habeãt formidinem de parte opposita de quibus bene Arist. 7. Ethic. c. 3. *quidam* (inquit) *opinantium non dubitant, sed existimant se certo scire*, Tãdem tertio infideles hæretici ita sua dogmata persuadent, ac si essent veritatis catholicæ; ergo in iis omnibus opinio nullam formidinem radicalem includit.

20 ASSERT. I. De intrinseca ratione opinionis est quod includat saltem formidinem radicalẽ de parte opposita, ita Arist. 1. Post. c. 26. D. Th. ibid. lect. 44. Conimb. Vall. Lerma, Ioann. à S. Th. Franc. Alphons. disp. 16. de anima s. 8. Carlet. disp. 50. Logic. s. 2. concl. 2. Arriaga disp. 16. Logicæ s. 9. disp. 6. de anima s. 7. Hurt. disp. 10. de anima s. 5. & communiter Philosophi, & Theologi summistæ. Probatur ex Diuo Thoma 1. 2. q. 67. a. 3. iis verbis *de ratione opinionis est, quod accipiatur vnum cum formidine alterius oppositi*; ergo opinio essentialiter concludit saltem formidinem radicalem partis oppositæ.

21 Probatur ratione, qui iudicat opinionẽ, quam sequitur posse esse falsã, formidat, & timet de illius rei veritate, sed qui procedit per argumenta, & media probabilia, iudicat posse contrariũ esse falsum; ergo opinio intrinsece includit formidinẽ de parte oppositа, vt constat in illo, qui ex principiis probabilibus cõstruit, & ordinat syllogismũ probabilẽ, ita vt habeat cõnexionem probabilẽ, ad mouendũ intellectũ, non tamẽ ad illũ conuincendũ, ergo iudicat quod talis syllogismus potest reddi falsus, ergo illa opinio essentialiter includit formidinẽ. Cõfirmatur, tunc opinio habet admixtã formidinem, quando intellectus considerat imbecillitatẽ motiui, quo ad opinandum ducitur, ita vt suspicetur, an res sit, vel non sit, vel quando habet debile, & incertum fundamentum, vt prudenter de parte oppositа formidet, sed assensus opinatiuus semper hoc habet, & in hoc ab assensu scientifico distinguitur, vt constat ex dictis, nam ex assensu scientifico consequentia contingens, & habens formidinem oriri non potest; ergo opinio in sua intrinseca ratione formali includit formidinem saltem radicalem.

22 Hinc facile diluitur ratio dubitãdi in principio posita, Ad 1. Resp. illã pertinere ad fidẽ humanã, quæ ex testimonio dicẽtis præstat rebus assensũ, & quo magis crescit testimoniũ, eo certitudo rei est maior. Ad 2. dico multos tenaciter adhærere suis opinionibus magis ex affectu voluntatis, quo inclinãtur ad illarũ defensionẽ quã ex veritate fundamenti, cũ sæpe falli contingat, vt quisque experitur, & quãuis hæretici tenaciter etiam suis dogmatibus adhæreãt non tollunt ab illis rationẽ formidinis, nec peruersitatis, & consequẽter opinio in sua ratione formali essẽtialiter includet rationẽ formidinis.

23 Sed incidit difficultas, quæ quotidie ante oculos proponitur, quid opinio probabilis requirat, aut quid sufficiat, & requiratur ad probabilitatẽ opinionis; quidã dixerunt quẽlibet ex sua libera voluntate posse inclinare intellectũ ad opinandum absq; aliquo motiuo viri docti, & auctoritate, vt si alicui proponatur, an astra sint paria, possit pro libito sine auctoritate, & absq; aliquo motiuo in vtramq; partẽ opinari, sicut enim volũtas potest determinare potentiã rationalẽ ad alteram partem minorem, poterit, & intellectũ, sicut potest medicus ex odio determinare artẽ ad occidendũ infirmũ; ergo similiter quilibet poterit volũtarie moueri ad prestandũ assensũ in reb⁹ probabilibus, & credendũ in rebus humanis.

24 ASSERT. II. Ad probabilitatem opinionis requiritur, vel auctoritas vnius Doctoris probi, vel aliqua ratio efficax, ex qua moueatur, est cõmunis inter Philosophos, & Theologos sũmistas, quos refert, & sequitur Thom. Sanch. lib. 1. Decalogi c. 9. n. 7. cum Angelo, Siluestro, Nauarro, Valent. Laym. tr. 1. c. 5. §. 2. Vasq. & Azor. Arist. Diuus Th. Probatur 1. ex Arist. 2. de anima tex. 153. his verbis, *probabilia sunt, quæ videtur omnibus, aut plurimis, aut sapientibus, & iis, vel omnibus, vel plurimis, vel maxime familiaribus, & probatis*, ex quibus verbis clare colligitur ad opinandum auctoritatem alicuius Philosophi probati, vel alterius Magistri in scientia peritissimi necessariam esse, & sufficere.

Probatur etiã ratione efficaci: illa dicitur opinio probabilis, quæ non leui mouetur fundamento, sed illa opinio, quæ graui alicuius viri docti, & probi mouetur ratione, nõ leui innititur fundamẽto; ergo illa opinio erit probabilis, quæ prudenter ex motiuo, & ratione efficaci vnius viri Docti, & cõmunis Magistri mouetur ad assẽtiendum probabiliter tali doctrinæ, non vero ex temeritate, aut mera voluntate opinantis; ergo quando adest vel auctoritas ex sacris litteris, vel ex Magistris in sciẽtiis peritissimis, vel ratio efficax, & motiuum vnius viri docti talis opinio erit simpliciter probabilis, ergo ad probabilitatem opinionis sufficit vel auctoritas ex sacra Pagina, vel Magistri cõmunis, & ratio efficax vnius viri docti: Quoad rationem in oppositũ respondetur potentiã cognoscitiuã, vel appetitiuã exigere aliquod motiuum ad inclinandã potentiã ad vnã, vel ad alterã partẽ. 25

Ex his colligo duo, ex eisdẽ auctoritatibus contra P. Vasq. 1. 2. disp. 62. c. 3 n. 10. & Azor. l. 2. institut. moraliũ c. 16. q. 2. & 3. & c. 17. q. 7. posse hominẽ simul iudicare probabiles duas opiniones ex diametro cõtradicẽtes, nõ solũ per locum extrinsecũ, sed etiam per locum intrinsecũ. Et ratione probo, quia iudicare duas opiniones cõtradicentes probabiles, nõ est iudicare vtramq; esse verã, quod repugnat assensui intellectus, sed iudicare vtramque inniti grauibus fundamẽtis, quibus prudẽter assensus præberi possit, hoc autẽ quotidie cõtingit in scholasticis disputationibus in academiis, in quibus eruditi Magistri inueniunt opiniones grauibus fundamẽtis, & argumentis fulcitas, quibus prudẽter poterunt assentiri; ergo poterunt illi Magistri duas illas opiniones probabiles prudenter iudicare, & illis prudenter assentiri. 26

Infero 2. cum Medin. Gutierr. Suar. Vasq. Azor. Bañez, Ledes. quos refert Sanch. supra n. præcedenti, & ipse sequitur n. 14. posse aliquẽ sequi opinionẽ probabilẽ, relicta magis probabili, ac tuta, & fere omnes adstipulantur huic doctrinæ, inter quos hæc opinio cõmuniter defẽditur, & probatur manifesta ratione; operãs iuxta opinionem probabilẽ agit, & prudenter operatur, & quin illi oppositũ imputetur ad culpam, sed operatio prudẽs, & nõ temere, & ex mera volũtate facta, est operatio licita, & honesta, ergo etiã licita, & honesta est operatio iuxta sententiã probabilẽ, etiam relicta probabiliori, & magis tuta: minor probatur, nã opinio probabilis est, quæ graui alicuius viri docti auctoritate, & ratione nititur; sic enim teneremur operari iuxta maiorem probabilitatem doctorum esset graue onus nobis à Deo impositũ, & essent frequentes scrupuli, & turbationes sententiarum, hoc autẽ in morabilibus doctrinis admittendum nõ est, nec scholastici Doctores hoc onere adstringuntur, ergo sufficit quæuis probabilitas opinionis ad rectè, & prudenter operandum, imo relicta probabiliori opinione, ac etiã magis tuta; hæc enim omnia dicta sũt in fauorem pœnitentium, non vero quæ sunt opiniones in fauorem sacramentorum, de quo latius summistæ, pro nostro tamen instituto hæc sufficiunt. 27

CAPVT V.

An scientia & opinio possint esse simul in eodem subiecto circa idem, & de eadem re.

28 PRæmitto 1. vt certum apud omnes, posse simul in eodem homine, & in eodem intellectu esse scientiam, & opinionem de diuersis obiectis, ita expresse tradit Arist. 1. Post. c. 26. text. 44. lect. 194. scimus enim hominẽ esse rationalem, & opinamur mundum potuisse esse ab æterno; Geometra habet scientiam de linea, & potest habere opinionem

opinionem de eius diſtinctione à ſubſtantia, nã iſti actus, vel habitus ita ſe habent, vt nec ſe ad inuicem inferant, nec ſe ab eodem ſubiecto mutuo excludant, ſicut calor & ſiccitas, ergo in eodem homine, & intellectu poteſt eſſe ſcientia, & opinio de diuerſis obiectis.

29 Præmitto 2. in diuerſis hominibus, & ſubiectis poſſe eſſe ſcientiã, & opinionẽ de eadẽ re, ita vt vnus ſciat per diſcurſũ demonſtratiuũ, & alter opinetur, v.g. ruſticus opinatur Solẽ eſſe maiorẽ terra, quia hoc audiuit à viris doctis. Philoſophus verò ſcit per verã ſciẽtiã; ergo. Ratione etiã probatur apertè, nã reſpectu diuerſorũ intellectuũ nulla poteſt eſſe repugnãtia, etiã inter ipſos actus ſciẽtiæ, & opinionis, quia in naturalibus nõ ſolũ formę cõtrariæ sũt in diuerſis ſubiectis, ſed etiã formę cõtradictorię: ergo in diuerſis hominib. poſsũt eſſe ſciẽtię, & opinio de eadẽ re: difficultas tamẽ tota deuoluitur, an in eodẽ homine & intellectu circa eandẽ rẽ ſimul eſſe poſſint ſcientia & opinio.

30 ASSERTIO I. ſcientia naturalis & opinio nõ poſſunt eſſe ſimul in eodẽ ſubiecto circa eandẽ rẽ ex vi eiuſdẽ medij, ita Ariſt. D. Th. Conimb. Complut. diſp. 20. logic. q. 4. Ioan. à S. Th. q. 26. log. a. 5. Lerm. l. 8. log. q. 16. Vall. Rub. P. Hurt. diſp. 10. de anima ſ. 5. concl. 1. Carlet. diſp. 50. de anima ſ. 2. concl. 2. Franc. Alph. diſp. 16. de anima ſ. 7. Capr. in 3. diſt. 25. q. 1. Deza, Conrrad. Med. Sanch. Sot. Toletus, Ripa, Lorc. Torr. Caiet. 2. 2. q. 1. a. 5. & in hoc ſenſu nõ diffitentur Suar. de fide diſp. 3. ſ. 8. & 9. & diſp. 6. ſ. 9. Ripald. diſp. 12. de fide ſ. 3. Arr. diſp. 6. de anima ſ. 7. alij & plures Philoſophi, & Theologi. Probatur ex Ariſt in præſenti c. 26. iis verbis, *Opinio namq; & ſcientia non omnino eiuſdẽ eſt, ſed vt eſt vera & falſa, modo quodã eiuſdẽ eſt.* Vbi ad longũ probat non poſſe de eadẽ re eſſe in eodẽ ſubiecto actũ ſcientiæ, & opinionis, clarius D. Th. q. 14. de veritate a. 9. ad 6. Vbi ſic ait, *non videtur poſſibile quod aliquis de eodẽ habeat ſcientiã, & opinionẽ, quia opinio eſt cũ formidine alterius partis, quã formidinẽ ſcientia excludit.* Et 1. Poſter. lect. 44. ait manifeſtũ eſſe, quod non cõtingit omnino ſimul idẽ ſcire, & opinari, quia ſimul homo haberet exiſtimationẽ quod poſſet aliter ſe habere, & quod non poſſet aliter ſe habere, cui cõſonat etiã expreſsũ teſtimoniũ 2. 2. q. 1. a. 3. ad 4. ex quibus omnibus clare conuincitur actũ ſcientiæ, & actũ opinionis nõ poſſe eſſe ſimul in eodẽ ſubiecto, & de eadẽ re ex vi eiuſdẽ medij, & motiui.

31 Prob. ratione, aſſenſus ſciẽtificus, & aſſenſus opinatiuus opponuntur inter ſe priuatiue; ergo nõ poſſunt eſſe ſimul de eadẽ re in eodẽ obiecto, conſequẽtia legitimè infertur quia quæ priuatiuè opponũtur mutuo ſe expellũt ab eodẽ ſubiecto, vt lux, & tenebræ: antecedẽs ſic oſtẽdo, aſſenſus ſciẽtificus in hoc differt ab opinatiuo, quod ille dicit euidentiã, & certudinẽ circa rẽ, vt aliter ſe habere nõ poſſit, opinatiuus vero aſſenſus dicit ineuidentiã, & incertitudinẽ ita vt res aliter ſe habere poſſit: per primũ aſſenſum, intellectus manet omnino determinatus, per ſecundũ manet dubius; primus habet euidentiã; ſecũdus carentiã euidentię, ergo opponũtur priuatiuè, & conſequẽter nõ poſsũt eſſe ſimul in eodẽ ſubiecto de eodẽ ex vi eiuſdẽ medij.

32 Dices prædictos aſſenſus priuatiuè opponi in eodẽ intellectu circa idẽ obiectũ per idẽ mediũ, nõ vero per diuerſa media, quia poteſt per vnũ mediũ certificare, & nõ per aliud; ſed contra, ea quæ priuatiuè opponũtur nullo modo exiſtere poſſunt in eodẽ ſubiecto, ſiue per vnũ, ſiue per diuerſũ mediũ, ex eo enim quod lux, & tenebræ priuatiuè opponuntur, expellũtur ab eodẽ intellectu circa eandẽ rẽ, aſſenſus autẽ ſcientificus, & opinatiuus in eodẽ ſubiecto circa eandẽ rẽ non ſolũ priuatiuè, ſed etiã contradictoriè opponũtur, ergo nõ poſſunt ſimul exiſtere in eodẽ intellectu circa eandẽ rẽ per idẽ medium. Quod amplius vrgetur, nã vt oſtẽdi ſupra c. 4. aſſert. 1. opinio in ſuo cõceptu includit formidinẽ ſaltẽ radicalẽ de parte oppoſita, ſed actus ſciẽtiæ naturalis illã eſſentialiter excludit; ergo ſcientia, & opinio ex vi eiuſdẽ medij nõ poſsũt eſſe ſimul in eodẽ ſubiecto de eadẽ re: minor probatur, quia ſi cũ actu ſciẽtiæ naturalis daretur in intellectu talis formido, ſeu actus opinatiuus, intellectus duobus ſimul aſſentiretur contradictoriis, cũ affirmaret ſimul eſſe, & non eſſe, ſed hoc eſt cõtra lumen rationis, nã per actũ ſcientiæ naturalis euidẽter iudicaret, & ſciret intellectus obiectũ ita eſſe, vt aliter ſe habere non poſſit, per actum vero opinatiuum iudicat aliter ſe habere poſſe, & ſequi falſum, ſed hæc eſsẽt duo contradictoria; ergo de eodẽ obiecto viſo nõ poteſt dari ſcientia naturalis, & opinio cum formidine, an autem opinio deducta exfalſo medio poſſit eſſe cum actu ſcientiæ naturalis, poſſibile eſt, vt docent Pater Hurtado, Molina, Vazquez, & plures recentiores.

33 ASSERT. II. habitus ſciẽtię, & opinionis poſsũt eſſe ſimul de eadem re in eodem intellectu, ita authores cit. n. 30. & cõmuniter omnes, probatur ex D. Th. 3. p. q. 9. a. 3. ad ſecundũ. Vbi ſic ait. *Opinio ex ſyllogiſmo dialectico cauſata eſt via ad ſcientiã, quæ per demonſtrationẽ adquiritur, qua tamẽ adquiſita poteſt remanere cognitio, quæ eſt per ſyllogiſmũ dialecticũ, quaſi conſequens ſcientiã demonſtratiuã, quæ eſt per cauſã, quia ille, qui cognoſcit cauſã, ex hoc etiã magis poteſt cognoſcere ſigna probabilia ex quibus procedit dialecticus ſyllogiſmus*, quæ verba debere intelligi de habitu. conſtat, nã adueniẽte habitu ſcientiæ de aliqua propoſitione manet in intellectu opinio de illa, quatenus eſt via ad ſciẽtiã habitualẽ: aliud teſtimonium deſumitur ex 3. diſt. 31. q. 2. a. 1. quæſtiunc. 1. ad 4. vbi ſic ait, opinio, & ſcientia, quãuis ſint de eodẽ, non tamẽ ſecundum idem medium: ſed ſecundum diuerſa, & ideo poſſunt eſſe ſimul, at opinio, & ſcientia ſimul eſſe non poſſunt de eadem re in eodem intellectu quantum ad actus, ergo poſſunt eſſe, quantum ad habitus.

Probatur ratione, ſi prædicti habitus ſciẽtiæ, & opinionis ſimul eſſe nõ poſsẽt maximè quia ad actus oppoſitos inclinãt, ſed hoc nõ ſufficit ad tollendũ ſimultatem iſtorũ habituum; ergo. maior datur ab aduerſariis: minor probatur, non repugnat eadẽmet potentiã inclinare ad oppoſitos actus, ergo nec repugnabit diuerſas eſſe inclinationes & habitus: patet antecedens in intellectu, qui ſimul inclinat ad contraria iudicia pugnantia inter ſe, ergo nõ repugnabit habere habitus inclinãtes ad talia iudicia, ſeu ad actus oppoſitos. Vrgeo, ideo ſciẽtia, & opinio repugnãt quoad actus in eodem intellectu de eadẽ re, quia tribuũt ſubiecto diuerſas denominationes repugnãtes, nã vna denominat ſubiectũ certũ, & euidẽs, altera ineuidẽs, & incertũ, ſed habitus ſciẽtiæ, & opinionis nõ tribuũt ſubiecto huiuſmodi denominationes diuerſas, & repugnãtes nã per illos certi nõ ſumus, nec incerti de obiecto, ſed ſolũ prõptiores & habiliores reddimur ad operandũ; ergo quãuis repugnẽt in eodẽ ſubiecto de eadẽ re actus ſciẽtiæ, & opinionis, non tamẽ habitus. 34

Probatur 2. ſi habẽs habitũ opinionis poſtea de eadẽ re adquirat ſcientiã, nõ amittit talẽ habitũ opinionis; ergo manẽt ſimul, antecedẽs probatur ſupponẽdo habitũ opinionis eſſe intensũ, & habitũ ſciẽtiæ de nouo acquiſitũ valde remiſsũ, in iſto caſuiſte habitus remiſſus nõ poterit expellere intensũ ſtatim, ſed paulatim; ergo poterũt ſtare ſimul in eodẽ ſubiecto de eadẽ re ſaltim pro aliquo tẽpore; Conſeq. probatur à paritate rationis ex habitibus volũtatis, nã quando quis habet habitum intẽperantiæ valde intenſum, & adquirit habitũ tẽperantiæ valde remiſſum, ſtatim non deſtruit illũ donec creſcat & vincere poſſit cõtrariũ habitũ, ergo licet habitus ſciẽtiæ, & opinionis ex ſe contrarij ſint, tamen pro aliquo tempore poterunt eſſe ſimul in eodem ſubiecto de eadem re. 35

Dices habitus eſſe inclinationes ad actus, ſed actus sũt oppoſiti, ergo & habitus 2. Habitus idẽ obiectũ, & eandẽ tẽdentiã habẽt in illud ad actus, ſed actus ſciẽtiæ, & opinionis ſolũ pugnãt ratione obiecti, & tẽdentiæ in illud, iuxta cõmune axioma; ergo ſicut ex obiecto actus dicũtur oppoſiti, ita & habitus. Reſp. ex n. 33 & 34. non eſſe tantã repugnantiã, & oppoſitionem inter habitus quam inter actus, nã habitus ſolum dant facilitatem, ſtat tamẽ eſſe maiorem, vel minorem facilitatem, imo & maiorem certitudinem gradualem, vt ex dictis conſtat. 36

ASSERT. III. non repugnant in eodẽ intellectu de eadẽ re habitus ſciẽtiæ cũ actu opinionis, & actus ſcientię cũ habitu opinionis: ita iidẽ authores n. 30. citati. Probatur 37.

batur manifeste: inter habitū, & actū nō est formalis oppositio, sed tantū effectiua, & dispositiua, quatenus act⁹ disponit ad habitum oppositum, vel quatenus habitus producit actum, qui alteri actui opponitur, inter se tamen non opponuntur, nā habitus solū dicit inclinationē ad aliquid, actus vero actualē tendentiā, sed stat optimè cū inclinatione ad vnū, tendētia ad oppositū, v.g. lapis stante grauitate, quæ inclinat ad centrum potest per impulsum violentū ascendere sursum, & habēs habitū virtutis potest actu peccare, & habēs habitū fidei saltē transeunter, & dispositiuè videre diuinā essentiā, & omnes articulos fidei; ergo habēs habitū scientiæ poterit elicere actū opinionis, etiā si nō amittat habitū sciētię, nā assensus opinatiuus nō generabit in intellectu, in tali casu habitū opinionis propter impedimentū subiecti in quo est habitus sciētiæ firmiter, & perfectè actuans subiectū; & confirmatur, demus casū probabiliter contingentem, habentē habitū scientiæ illius obliuisci, aut nō cogitare de illo, & tunc illi occurrere diuersa media probabilia eiusdem conclusionis, & elicere actum opinionis, cū in tali casu habitus sciētiæ nō possit impedire actū opinionis, & tamen per talē actum, non expellitur habitus scientiæ; ergo erunt simul; similiter habens habitum opinionis, si eliciat actum demonstrationis, talis habitus opinionis, si eliciat actum demonstrationis, nō statim definit, sed paulatim corrūpitur, ergo saltē in gradib. remissis poterūt esse simul eodē subiecto de eadē re.

37 De habitib. autē infusis gratię, & charitatis, cum actu peccati non ita cōparantur, habitus enim infusi vnico actu peccati expellūtur præter habitū fidei diuinæ, qui tantum per infidelitatē deperditur de quo 1. 2. q. 11. & 2. 2. q. 24. a. 12. vel etiam ex essentiali repugnanria quā actus peccati habet cum prædictis habitib. siue ex natūra rei, siue demeritorię, aut ex eo quod impediat influxum causæ cōseruantis, nā homo per peccatum auertitur à Deo, & ponit impedimentum, vt recipiat lumen gratiæ, vt possit ad eum vt finem supernaturalē conuerti, est exēplum in claudēte fenestrā, qui impedit vt lux illuminet aērē, quare nō tā isti habitus destruuntur per formalē oppositionē, quā per remotionē influxus causæ conseruantis, sed res Theologica est, illis relinquatur.

CAPVT VI.

An scientia compatiatur cum fide humana, & diuina.

38 OStēdimus c. 5. n. 30. actū sciētiæ & actū opinionis simul cōpati nō posse de eadē re in eodem obiecto ex vi eiusdē medij; & eadē videtur repugnantia cū fide humana, vt colligitur ex D. Th. 2. 2. q. 5. ad 4. vbi sic ait, *quod de eodē secundū idē non potest in vno homine esse simul sciētia, nec cū opinione, nec cū fide*, sicuti enim de ratione est opinionis, incertitudo, & formido, sic de ratione fidei humanæ est incertitudo, & formido, ergo pari ratione sciētia opponitur cū opinione, ac cū fide humana: obseruo tamē, quod etsi in hoc fides humana, & opinio, cōueniāt, differre tamē in motiuis, vt iā ostēdimus c. 3. & 4. opinio enim vtitur rationib. probabilib. fides autē humana innititur auctoritati, & testimonio dicentis.

39 Dices nō repugnare fidē humanā, & opinionē in eodē intellectu simul de eadē re, vtraq; enim perficit intellectū, firmius enim assētimur vni propositioni propter authoritatē, testimoniū dicētis, quā propter quoduis eorū seorsim sūptū, ergo nulla apparet repugnātia in eo quod fides humana, & opinio, simul sint in eodē intellectu de eadē re. Resp. argumētū nihil cōuincere, nā etiā fides diuina ita perficit intellectū, vt etiā per actū clarę visionis perficiatur, & tamē fides diuina, & clara Dei visio simul nō cōpatiuntur de eadē re in eodē intellectu; ergo similiter, licet opinio & fides humana perficiāt intellectū nō inde sequitur simul posse esse in eodē intellectu cū sciētia.

40 ASSERT. I. actus euidēs scientiæ naturalis pugnat essētialiter cū actu fidei humanæ de eodem obiecto ex vi eiusdē medij & motiui. Est cōmunis inter Philosoph. & Theologos adductos sup. n. 30. Prob. ex D. Th. 2. 2. q. 1. a. 4. vbi sic ait, *vnde manifestū est, quod nec fides, nec opinio possūt esse de ipsis visis*, & a. 5. ad 4. ait *sciētia pugnare cū fide, & opinione*. Prob. 2. ex Greg. Homil. 20. in Euāg. *profecto liquet, quod fides illarū rerū argumētū est, quæ apparere nō possunt, quæ enim apparent iā fidē non habent, sed cognitionē*. idē homil. 16. in euang. *nec fides habet meritum vbi humana ratio præbet experimentū*; ergo sciētia cū fide non cōpatitur. Probatur etiā ratione, per actū scientiæ ita fortiter intellectus adhæret obiecto vt sibi persuadeat nō posse aliter se habere, sed per actū fidei humanæ, ita adhæret intellectus testimonio dicētis, vt aliter se habere possit, imo & subesse falsū, ergo actus sciētiæ repugnat cū actu fidei humanæ, & cōsequenter nō possūt esse simul in eodem intellectu de eadē re per idē mediū, non repugnare per diuersū mediū cōstabit n. 45.

ASSERT. II. actus euidens scientiæ naturalis implicat 41
cū actu fidei diuinæ ex vi eiusdē medij, & motiui, non vero ex vi alterius medij, & motiui. Prob. 1. pars, nā actus fidei diuinæ maiorem infallibilitatē, & certitudinē habet ex extrinseco testimonio dicētis primæ veritatis reuelātis, quā scientia perfectissima, & fides humana, iuxta illud Petri Epist. 2. c. 1. *Habemus nunc firmiorem Propheticum sermonem cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies eluescat*, sed scientia actualis, & fides humana nō possunt esse simul de eadē re in eodem intellectu; ergo multo minus fides diuina cū scientia, cum actus fidei diuinæ sit ineuidēs, & obscurus, actus vero sciētiæ euidēs, & clarus, quæ prędicata sunt essentialiter opposita contradictoriè, quæ simul de eadem re, & in eodem subiecto nō possint verificari; ergo per idem mediū tā repugnat scientia cum fide diuina, quam cum fide humana.

Secunda etiā pars scil. quod ex vi alicuius medij pos- 42
sint esse in eodem subiecto de eadem re materiali fides diuina, & scientia naturalis prob. 1. quia fides diuina est de non visis per ipsā fidem, seu de non visis formaliter quatenus sunt obiectū fidei, sed idem obiectū alio lumine rationis potest videri, ergo per aliud mediū, & motiuū potest idē obiectū videri & per fidē diuinā credi. 2. probatur ex D. Th. 2. 2. a. 1. vbi asserit Angelos in statu 1. coditionis ante sortē Beatitudinis, aut dānationis habuisse verā fidē propriā cū hominibus communē, quia crediderūt in via existentiā, Dei, sapientiā, bonitatē, omnipotentiā, & alias diuinas perfectiones & tamen Angeli eas omnes perfectiones simul nouerunt cognitione naturali, & euidēti, quia nouerūt ex vi talis cognitionis fuisse à Deo creatos; ergo stat in Angelis fides diuina earū perfectionū cū ipsarum euidentia, licet nūquā cōponi possit fides diuina cū euidentia perfectissima Beatitudinis, sed de his iterum libris de anima d. 16. c. 3.

CAPVT VII.

An eadem reperiatur repugnantia quantum ad habitus.

PLures ex Thomistis eandē censent esse repugnantiā 43
quantū ad habitus, ac diximus quantū ad actū sciētiæ, opinionis, ac fidei tā humanæ quā diuinæ, & probāt ex illo Pauli ad Hebræos 11. fidē esse *argumentū rerū nō apparentiū*, quo testimonio probant ea, quæ creduntur fide diuina, aut humana per scientiā euidētē nō posse demōstrari, quæ enim apparēt, nō habēt fidē, sed cognitionē, quod Pauli testimoniū sic vrgetur ab Aug. tract. 79. in Ioā. *Nescio vtrū credere dicēdus sit quisq; quod videt, nā ipsa fides in epistola quæ scribitur ad Hebræos ita est diffinita, est autē fides sperandarū rerū substantia, & conuictio rerū, quæ non videntur*. Ex quibus verbis infertur de eadem re simul in eodem intellectu ex parte rei visæ non posse esse scientiam, & fidem etiam quantum ad habitus.

Hanc sententiā cōfirmat P. Valent. pluribus testimoniis 44
3. p. d. 1. punct. 4. §. 2. vbi multa cōgerit argumenta. Probatur, omnis actus fidei ex se est laudabilis, & meritorius de obiecto credito, sed null⁹ assēsus etiā cū habitu elicitus de eodē obiecto per cognitionē euidētem potest esse laudabilis & meritorius; ergo nullus talis assensus potest esse fidei, & sciētię, etiāquantū ad habitum, maiorē ostē-

dunt

dunt plura ſacræ ſcripturæ teſtimonia Marci 16. *qui crediderit,& baptizatus fuerit ſaluus erit.* Ioan. 20. *Beati qui non viderunt,& crediderunt,* & ad Hebr. 11. *Sancti per fidem vicerũt regna, adepti sũt repromiſſiones,* quæ clare oſtẽdunt meritum fidei : minor probatur ex eodẽ Greg. teſtimonio Homil. 16. in Euang. *nec fides habet meritum, vbi humana ratio præbet experimentũ,* tum quia meritum, vt meritum debet eſſe actus liber,& aſſenſus, qui habetur de obiecto per euidentẽ cognitionẽ non eſt liber , & meritorius, nã intellectus poſitis præmiſſis certis, & euidẽtib. nõ poteſt non aſſentiri cõcluſioni, nõ ſolum quoad ſpeciẽ, ſed quoad exercitiũ, vt oſtendimus ſupra diſp. 38. c. 3. ergo repugnat intellectu ſimul præſtare aſſenſũ liberũ, & meritoriũ,& neceſſariũ circa eandẽ rem, etiam quantũ ad habitus, ergo ſcientia,& fides de eadem re, & in eodem intellectu, etiam quantum ad habitus ſimul eſſe non poſſunt.

45 Arbitror dicendũ cum Theologis nõ repugnare in eodẽ ſubiecto de eadẽ re habitũ ſcientię naturalis cum habitu tã fidei diuinæ, quã humanæ, & quantũ ad actus per diuerſa media, idẽ ſentiunt Alex. Alenſ. 3. p. q. 8. membr. 7. a. 2. & 3. & q. 9. memb. 7. Altiſiodor. l. 3. ſummæ tr. 3. c. 1 q. 3. Alb. M. in 3. diſt. 24. a. 9. Bon. art. 2. q. 3. Gabr. q. 1. a. 2. Enrr. quodl. 8. q. 4. & quodl. 12. q. 2. Duran. q. 1. & 2. Prolog. argẽt. q. 3. a. 2. Arr. de fide q. 1. a. 5. Val. ſup. Salm. ad Hebr. 11. diſp 21. & ibid. Cather. Suar. de fide diſp. 3. ſ. 9. & in 3. p. diſp. 19. ſ. 1. Coninch de fide diſp. 1. dub. 15. Torr. 2. 2. diſp. 8. & 10. Hurt. 2. 2. diſp. 30. ſ. 2. & diſp. 10. de anima ſ. 5 Lugo de fide d. 2 ſ. 2. Merat. diſp. 13. ſ. 1. Araujo 2. 2. a. 5. dub. 3. concl 3 n. 18. Franc. Alphonſ. diſp. 16. de anima ſ. 7. & 9. Carlet. diſp. 50 Log. ſ. 2. & 3. Arr. d. 16. Log. ſ. 9. & diſp. 6. de anima ſ. 6. n. 107. Compl. diſp. 20. Log. q. 4 Ioann. à S. Th. q. 26. a. 5. Lerma l. 8. Log q. 16. Nouiſſime Ripalda de fide diſput. 12. ſect. 3. & communiter recentiores.

46 Probatur hæc aſſertio quoad primã partẽ teſtimoniis ſacræ ſcripturæ,& 1. Exod. 20. & Deut. 6. vbi credẽda ponũtur, quæ per demõſtrationẽ ſciri poſſunt, hæc enim propoſitio, *Deus eſt vnus, & verus Deus,* eſt propoſitio per ſe nota lumine naturali, cũ notũ ſit non habẽdos plures Deos, aliunde etiã prædicta propoſitio fide diuina creditur, ergo per diuerſa media nõ ſolũ habitus ſcientiæ,& fidei diuinæ,& humanæ, ſed etiã actus ſcientiæ naturalis, & fidei diuinæ,& humanæ cõpatiuntur in eodẽ ſubiecto de eadẽ re materiali: ſecundò oſtẽditur ex illo ad Hebr. 11. vbi generaliter docet, *accedentẽ ad Deũ oportere credere, quia eſt, & quia inquirentib. ſe remunerator eſt,* vbi abſolutè de eſſe Dei,& de eius exiſtẽtia loquitur, ſed eſsẽtia Dei à multis naturaliter,& euidenter quoad an eſt, poteſt ſciri, etiam ſi aliunde per fidẽ credatur, in quo etiã ſenſu interpretor illa Petri verba epiſt. 2. c. 1. *Qui cum in monte ſancto in die glorioſæ transfigurationis vidiſſet illã gloriã dandã Beatis, dixit, habemꝰ firmiorẽ propheticũ ſermonẽ,* vt etiã explicuimus n. 42. vbi gloriã illã, ſeu ſimilitudinem gloriæ, quam Deus voluit illis manifeſtare, fide diuina credidit, cum de gloria, quã oculis proſpiciebant dixit Petrus firmiorẽ propheticum habere ſermonẽ, ex quib. teſtimoniis manifeſtè oſtẽditur habitũ ſcientię,& fidei diuinę ſimul eſſe poſſe in eodem intellectu de eadẽ re, idẽ oſtenditur ex ſymboloNyſſeno, vbi generaliter proponitur tã hominib. doctis, quã indoctis credẽdus articulus de Deo vero, de omnipotẽtia, de creatione cœli,& terræ, iuxta illud, *fide credimus aptata eſſe ſæcula verbo Dei,* imo ad habendam contritionẽ ſupernaturalẽ, fide creditur bonitas diuina,& malitia peccati, quorũ omniũ debere habere fidẽ ſupernaturalẽ, teſtantur Patres illius Concilij,& teſtimonia S. ſcripturæ,& tamen viri docti plura eorum euidẽter aſſequũtur; ergo optime ſtat cum actu fidei diuinę habitus ſcientiæ in eodẽ intellectu de eadẽ re, nec non,& actus ſcientiæ naturalis. Plura alia adducit P. Valent. ſupra §. 2. n. 66.

47 Probatur ratione: 1.& principaliter habitus ſcientiæ,& fidei diuinæ nõ habent inter ſe maiorẽ oppoſitionẽ, quã habitus ſcientiæ,& habitus opinionis, ſed habitus ſciẽtię & habitus opinionis poſſunt eſſe ſimul in eodẽ intellectu de eadẽ re, vt oſtendimus ſupra Aſſert. 2. n. 33. ergo & habitus ſciẽtiæ,& habitus fidei diuinæ: minor probata eſt toto c. 5. & 6. Maior probatur, nã Catholicus habens habitum fidei de hoc articulo *Deus eſt vnus,* ſi poſtea acquirat eius demonſtrationẽ, producitur in eo habitus ſcientiæ,& tamen remanet habitus fidei ſupernaturalis inclinans ad eandẽ concluſionẽ credendã, nã habitus fidei diuinæ amitti nõ poteſt circa vnũ articulum ſimul creditũ, niſi amittatur circa alios; ergo poſſunt eſſe in eodẽ intellectu de eadẽ re habitus fidei diuinæ,& ſcientiæ. Confirmatur, habitus fidei non cõtinet perfectionem, quã cõtinet habitus ſcientificus circa vnũ,& idem obiectum,& è contra , ſed intellectus poteſt recipere perfectionem ab vtroq; habitu cũ nõ habeat, à quo impediatur productio vtriuſq; habitus; ergo poterut ſimul eſſe in eodẽ intellectu

Probatur 2. habitus ſcientiæ,& habitus opinionis nõ ita 48
opponũtur, vt de eadẽ re nõ poſſint eſſe ſimul in eodẽ intellectu, vt oſtendimus n. 33. ſed multo minus opponũtur habitus ſcientiæ infuſus ſupernaturalis, qui dat ſimpliciter poſſe, & habitus adquiſitus ſcientificus; ergo poſſunt ſimul eſſe in eodem ſubiecto de eadem re: maior probata eſt ſupra n. 34 Minor probatur, nam habitus infuſus ſupernaturalis gratiæ, v.g. non opponitur ex natura rei cũ habitu adquiſito per actus , cum illi phyſicè non opponatur, vt docet Aureolus, imo repugnãtia habitus gratię, non tam oritur ex repugnantia habituum, quam ex carẽtia concurſus conſeruantis, ergo ſimpliciter poterunt eſſe ſimul: Confirmatur, Philoſop. Chriſtianus habens ſciẽtiam de hac propoſitione. *Deus eſt vnus,* certius illi aſsẽtitur, quã Philoſ. gentilis, ſed hæc maior certitudo nõ poteſt refundi in habitũ ſcientificũ cum ſupponatur æqualis in vtroque; ergo prouenit ex habitu fidei, ergo, &c.

Probatur 3. principaliter, nã beata virgo certiſſima euiden- 49
tia,& ſciẽtia experimẽtali cognouit ſe ſine conſortio viri cõcepiſſe ſaluatorem ipsũ regem Angelorũ; ſimiliter Apoſtoli certo viderunt Chriſtũ facientẽ miracula, patiẽtem mortẽ, reſurgentẽ à mortuis,& aſcendentẽ in cœlos, & tamen hæc omnia fide diuina credebant iuxta illud 1. Petri 2. *habemus firmiorem propheticũ ſermonẽ;* ergo de eodẽ obiecto ſimul eſſe poteſt habitus ſcientiæ, & fidei diuinæ, probant Maiorẽ plura teſtimonia, actorũ 4. *nõ enim poſſumus quæ audiuimus,& vidimus non loqui* c. 19. *Ioan. & qui vidit teſtimoniũ perhibuit,& ſcimus quia verũ eſt teſtimoniũ eius* 1. Canon. c. 1. *quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris,& perſpeximus,& manus noſtræ cõtrectauerunt de verbo vitæ,* tandẽ Apocalyp. 1. *qui teſtimoniũ prohibuit verbo Dei, & teſtimoniũ Ieſu Chriſti quæcumq; vidit,* quę omnia inconcuſſe probant Beatã Virginem,& Apoſtolos habuiſſe euidentem cognitionẽ illorũ myſteriorũ, cum multa ad oculum videbantur, aliunde fide diuina credebantur, vt ex ſupradictis cõſtat; ergo nõ repugnãt in eodẽ ſubiecto de eadẽ re tam habitus, quam actus ſcientiæ naturalis, & fidei diuinæ, & humanæ per diuerſa media. Plura Suar. de fide diſp. 3. ſ. 8. & 9. & diſp. 6. ſ. 9. & de vita Chriſti q. 37. diſp. 19. ſ. 2 concl. 3. Coninch. de fide diſp. 11. dub. 1. & 2. & 3. & alij. Dices Beata Virgo conſequuta eſt euidentem cognitionem Myſteriorum fidei; ergo ad illa non indiguit fide , imo nec illam habere potuit. Reſpondeo, Beatam Virginem ante experimentalem ſcientiam horum myſteriorum habuiſſe fidem , niſi enim credidiſſet tales effectus ſupernaturales in ſe experta non fuiſſet , ſcientia vero illa experimentalis poſtea ſequuta non potuit euacuare , nec expellere habitum fidei, cum ſit ordinis inferioris.

Secunda etiã pars probatur 1. quia ſi prædicti actus con- 50
iungi nõ poſſint in eodẽ ſubiecto de eadẽ re per diuerſa media, maximè quia ad præſentiã vnius ſuperflueret alter at hoc experitur falsũ; ergo, minor probatur, quia obiectũ per actũ euidentẽ naturalẽ clarius cognoſcitur, quam per fidẽ ſupernaturalẽ,& per fidẽ ſupernaturalẽ certius attingitur, quã per actũ euidentẽ ordinis naturalis , vt omnes Theologi aſſerunt,& nunc ſupponimus; ergo quilibet ex illis actib. præſtat aliquẽ effectũ obiecto, ita vt neuter ſit ſuperfluus; ergo per diuerſũ mediũ cõpoſſibilis eſt in eodẽ obiecto. 2. Probatur, actus intellectus ex ſe nullã dicũt oppoſitionẽ niſi ratione alicuius cõtradictionis, quæ in ipſis

reperi

reperitur,vel ex ipsis refunditur in obiectũ;ergo actus fidei diuinæ, & actus euidẽs sciẽtiæ naturalis possunt dari circa idẽ obiectũ per diuersum mediũ, anteced.probatur, quia vterq; actus est affirmatiuus,& quod vnus sit clarus, & alius obscurus non refunditur in obiectũ, sed in ipsos actus per diuersa media,ergo nõ est vnde repugnẽt,sicut nõ repugnat in eodẽ intellectu apprehensio,& iudicium, etiã si iudiciũ sit affirmatio,& negatio,nullo vero modo apprehẽsio. 3.Quia assẽsus euidẽs scientię põtest cõponi cũ assensu obscuro probabili opinionis,ergo etiã cũ assẽsu obscuro fidei diuinæ;consequentia videtur bona,quia tota oppositio inter scientiã, & fidẽ diuinã fundatur in euidentia scientiæ,& obscuritate fidei:anteced.probatur, quia sæpe cõtingit propositis à Magistro duab. rationib. altera euidẽti,& altera probabili assentire discipulũ conclusioni simul propter motiua diuersa à Magistro proposita,quorũ alterũ est euidens,& alterũ probabile, tunc.n. assensus obiecti ex motiuo probabili est obscurus,& alius assensus eiusdem obiecti ex motiuo scientiæ est euidens; ergo possunt simul coniungi assensus euidens scientiæ, & obscurus opinionis, & fidei diuinæ.

51 Ex dictis facilis solutio desumitur ad rationes in contrarium n.43.&44.& ad1.Resp.fidẽ esse eorum,quæ nõ apparent per ipsã fidẽ,aut per motiuũ fidei,nõ vero aliunde nẽpe per scientiã,seu motiua scientiæ,vt cõstat de cognitione naturali Dei, quã in via vna cũ fide eiusdẽ obiecti habemus,nõ ergo est de necessitate fidei vt obiectũ ipsius nõ sit euidens cõcomitanter,& per aliud mediũ,& motiuũ,sed solũ vt nõ sit euidens per fidẽ,& per mediũ ipsius, nec aliud asseritur per Patres Ecclesiæ.Ad 2.Resp.nõ posse intellectũ per vnũ & idẽ mediũ,nec per vnũ assensum, aut habitũ eidẽ propositioni simul assentiri,videlicet euidenti,vel ineuidenti,posse tamen per diuersũ medium re, aut ratione distinctum,nã euidentia,vel ineuidẽtia,non opponũtur cõtradictoriè respectu intellectus,nisi tãtum ratione vnius medij,sc.assensus,vel habitus,nõ vero per diuersos assensus,vel habitus.Ad 3.dico assensum etiã de eodẽ obiecto euidente aliunde cognito esse liberũ,& meritoriũ,neq; scientiã naturalẽ tollere rationẽ meriti,sed minuere cũ Greg.& Aug.asserãt Thomã Apost.vnũ vidisse,sc.hoẽ,& aliud credidisse,sc. Deũ.hoc est nõ adæquatè idẽ vidisse,& credidisse,sed plus credidisse, quã vidit, vidisse sc.Christũ resurrexisse,& credidisse ipsũ simul resurrexisse,& esse Deũ,potest ergo de eodẽ obiecto simul per diuersũ medium dari scientia,& fides diuina,in quo sensu intelligenda sunt testimonia sacræ scripturæ , SS. Patrum , imo & Angelicus præceptor cum omnib suis discipulis,vt clarius ex sequenti capite constabit.

CAPVT VIII.

Mens Diui Thomæ expenditur.

53 MEns D. Th.de hac re subobscura est,nã 2.2.q.1.a.4. & 5.expresse videtur negare posse cõponi sciẽtiã cũ fide diuina nõ dependẽte ab assẽsuvolũtatis,vt docet a.5.ad 4.*Sed de eodẽ secundũ idẽ nõ potest esse simul in vno homine,sciẽtia,nec cũ opinione,nec cũ fide, quia quidquid scitur aliter se habere nõ potest,opinio autẽ,seu quod opinatur aliter se habere potest* q.vero5.a.1 oppositũ videtur ostẽdere iis verbis,*cũ ergo Angelus ante confirmationẽ & homo ante peccatũ non habuerit illã beatitudinẽ,qua Deus per essentiã videtur,manifestũ est quod non habuit sic manifestã cognitionem,quod excluderetur ratio fidei* quo testimonio clarè ostendere videtur solã diuinã visionẽ, quę fidei succedit destruere rationẽ fidei,cum euidẽter inferre videatur Angelũ ex sola carẽtia visionis Dei potuisse habere fidẽ quasi ostẽdens cæteras cognitiones,non excludere fidẽ,sed Angelus à posteriori habuit euidentẽ cognitionẽ de esse Dei de eius existentia , creatione cœli , & de aliis vt supra ostendimus c.7.n.46.47.& sequentibus,ergo potuit habere fidem,& scientiam de eodẽ obiecto,saltẽ quoad habitus,& per diuersa media.Sit claritatis gratia.

54 ASSERT.I. Fides diuina non potest cõponi cum clara Dei visione,nec quoad actũ, nec quoad habitũ secundum statũ permanentiæ,benè tamen quoad habitus per modũ motus,siue trãseunter,1.pars est de fide,ex illis Pauli verbis 1.Cor.13.vbi manifestè ostendit in patria fidẽ diuinã esse euacuandã,illis verbis,*quãdo autẽ venerit quod perfectum est,euacuabitur quod ex parte est*,sed vt ipse Apost.ait charitas est maior;ergo per illã euacuabitur fides, cũ huic claraDei visio succedat;ergo cum claraDei intuitione,nõ cõponitur fides diuina quãtum ad actum,nec quãtum ad habitum:& quoad 2.p.ostenditur:nã horum incõpossibilitas nõ desumitur præcisè ex parte mediorũ,sed ex parte subiecti,& status permanẽtiæ,nã eidẽ subiecto simul repugnat videri,& non videri,clarè, & obscurè cognosci; ergo fides diuina,& scientia clara de Deo,quantũ ad statum permanentię simul repugnant,etiã quoad habitum.

Tertia etiã pars videlicet scientiã secundũ actũ,& fidẽ, secundũ habitũ per modũ transeuntis,&motus posse esse in eodem subiecto de eadẽ re, probatur manifestè ex illo Pauli testim.adducto àD.Th.2.2.q.175.a.3.ad3.illis verbis:*Ad tertiũ dicendũ quod,quia Paul.in raptu nõ fuit Beatus habitualiter,sed solũ habuit actũ Beatorũ,conseq.est,vt simul tunc in eo nõ fuerit actus fidei,fuit tamẽ simul tunc in eo fidei habitus.*Ergo ex mẽte D.Th.saltẽ de potentia Dei absoluta cũ sciẽtia perfectissima,qualis est clara eius visio componi potest habitus fidei diuinæ transeunter,seu per modũ motus. Et ratione etiã ostenditur à paritate rationis,nõ minor oppositio reperitur imo æqualis,vel maior inter habitũ fidei diuinæ,& actũ scientiæ, quã inter habitũ opinionis,& actũ scientiæ,si quidẽ vna est penes visum,& visum clarum , & obscurum, altera penes obiectũ,quod aliter se habere nõ potest,vt sciẽtia,altera quod potest aliter se habere,vt opinio,sed vt sup.ostẽdimusc.5. n.33.habitus opinionis cõponi potest cu actu,& habitu sciẽtiæ: ergo etiã poterit cõponi habitus fidei diuinæ de potẽtia absoluta, saltẽ trãseunter cũ actu sciẽtię visionis clarè, ac per conseq. actũ visionis in Paulo nõ excluisse habitũ fidei supernaturalis,talis enim actus visionis non fuit elicitus ab habitu , sed à qualitate transeunte supplente eius vices,cætera ad Theologos magis spectant.

ASSERT.II.Fides humana nõ potest stare simul cũ cognitione euidẽti aut abstractiua eiusdẽ obiecti per idẽ mediũ,bene per diuersũ.Est cõmunis inter omnes,& 1.pars cõstat ex hucusq; dictis,& manifestè ex D.Th. 2.2. q.2. a.4.in illis verbis,*vnde manifestũ est quod neque fides neq; opinio potest esse de ipsis visis*,sed sciẽtia in visione rei perficitur,fides autẽ in obscuritate;ergo fides humana nõ potest cõpati cũ scientia eiusdẽ obiecti per idẽ mediũ,idem docet a.5.ad 4.& de verit.q.14.Probatur ratione,per actũ scientię naturalis euidenter scit,&iudicat intellectus obiectũ ita esse,vt aliter se habere nõ possit,vt enũtiat actus, per actũ verò fidei humanæ obiectũ ita se habet vt possit aliter se habere,quã enuntiat actus,& sequi falsum,cũ innitatur authoritati,&terminis fallibilibus,sed huiusmodi cognitiones cõtradictoriè opponuntur, vt ostendimus supra:ergo simul cõponi non possunt de eodẽ obiecto per idẽ mediũ. 2.etiã pars probatur,quia actus intellectusvt iã etiã sup.ostẽdimus nõ opponuntur nisi ratione alicuius cõtradictionis,quod autẽ vnus actus sit clarus,&alter obscurus nõ refũditur in obiectũ,sed in actũ contrariũ,neq; aliqua in obiecto imperfectio relucet, ex eo quod attingatur per vnum actum perfectum,& per alium imperfectum,vt contingit in simplici apprehensione,& iudicio; ergo cum actus euidẽs scientię naturalis, & fidei humanæ sint extrema positiua non implicabunt in eodem obiecto de eadem re materiali per diuersum medium. 55

Ad testimonia D.Th.iã sup. n.54. ad finẽ ostendimus, qualiter interpretãda,& intelligenda sint,&nũc breuiter dico in aliquib.testimoniis esse intelligendũ de oppositione secundũ cõbinationem ad actus,in aliis secundũ repugnantiã ad habitus,in aliis secundũ repugnantiã ex natura rei,nõ vero de potentia Dei absoluta, vt videre est in raptu Pauli,in quo non amisit habitum fidei supernaturalis cũ scientia euidenti,cætera verò propriè sunt Theologorum.Et hęc de octauo tractatu de priori,& posteriori resolutione,ac vniuersa dialectica,dicta sint satis,ad laudem, & gloriam Dei, ac Deiparæ Virginis Mariæ. 56

COMMEN

COMMENTARII ET DISPVTATIONES IN OCTO LIBROS ARISTOTELIS *DE PHYSICA AVSCVLTATIONE.*

PROOEMIVM.

PHILOSOPHIA naturalis, cuius (Dialecticæ iam limina transilientes) declarationẽ aggredimur, variis eius acceptionibus omissis, de quibus Pater Pereira lib. 1. Physicæ tractat eruditè, est sciẽtia illa, quæ de rebus naturalibus agit. Eius dignitas, & excellentia mirifice ab Auctoribus extollitur, vt videre est apud Conimbricenses, Complutenses, P. Hurtado, Arriagam, Murçiam, Plaçam, Oñam, Carleron & cæteros recentiores in Physicorum Proœmio, in quo quidem quatuor hæc possunt in controuersiam adduci. Primò quodnam sit obiectum attributionis Philosophiæ, tam ex intentione scientiæ, quam ex ordine & intentione scientis. Secundò an Philosophia sit scientia. Tertiò an sit speculatiua, an ve practica. Quartò, an sit vna qualitas simplex, an verò ex pluribus re ipsa distinctis habitibus componatur. Hæc autem omnia ex iis, quæ in Logicæ exordio diximus, hîc breuiter enodabimus. 1

Assero primò ens, aut corpus naturale completum de prædicamento substantiæ, quod ab aliis ens, aut corpus mobile dicitur, est obiectum attributionis Philosophiæ, non quidem intrinsecum, & ex intentione scientiæ, sed tantùm extrinsecum, & ex intentione scientis. Prima pars probatur, obiectum attributionis intrinsecum, ac ex intẽtione scientiæ est id, ad cuius cognitionem, cognitio aliorum omnium quæ in illa scientia tractantur, naturâ suâ ordinatur, & refertur, atqui cognitio aliorum omnium, quæ aguntur in Philosophia naturâ suâ non ordinatur ad cognitionẽ entis naturalis completi de prædicamẽto substãtiæ: Cognitio enim Philosophica causæ vt sic, cognitio creationis, & aliæ similes non ordinantur naturâ suâ ad cognitionem entis naturalis completi, cum ex se talem cognitionem non inferant; ergo ens naturale completum de prædicamento substantiæ non est Philosophiæ obiectum attributionis intrinsecum ac ex intentione ipsius scientiæ. Secunda etiam pars ostenditur, obiectum attibutionis alicuius scientiæ extrinsecum ac ex intentione scientis est id, ad cuius cognitionem, Princeps illius scientiæ ordinat alia omnia, quæ aguntur in illa scientia; sed Aristoteles Philosophiæ Princeps omnia aliaquæ aguntur in Philosophia ordinat ad cognitionem entis naturalis seu mobilis de prædicamento substantiæ, vt ipse docet 6. Met. cap. 1. textu. 1. vbi ait *se incumbere in cognitionem substantiæ quæ principium est motus, hoc est substantiæ mobilis naturalis.* ergo hæc substantia naturalis, seu quod idem est ens naturale completum de prædicamento substantiæ est obiectum attributionis extrinsecum Philosophiæ ex intentione scientis. 2

Assero secundò. Philosophia naturalis simpliciter est verè scientia. Ita omnes communiter. Probatur, scientia est euidens cognitio rei ex præexistenti cognitione causata, vt diximus in Logica, vltima disp. cap. vltimo, sed Philosophia est cognitio penetrans, & concipiens passiones entis naturalis ex alia præexistenti cognitione essentiæ ac naturæ entis mobilis causata, vt in progressu apparebit; ergo Philosophia simpliciter est verè scientia. Non nego plures 3

esse in Philosophia cognitiones solum probabiles, atque ita Philosophiam esse aliqua ex parte opinionem; sed quia præcipua eius pars demonstratiua atque scientifica est, ideo Philosophia scientia simpliciter appellatur.

4 Assero tertiò. Philosophia naturalis est speculatiua simpliciter: in hac etiam omnes conueniunt. Probatur, scientia speculatiua est illa, quæ in sui obiecti contemplatione quiescit nec progreditur dirigendo ad operis effectionem: atqui Philosophia in entis naturalis completi de prædicamento substantiæ (quod est eius obiectum) contemplatione quiescit, nec progreditur dirigendo ad illius effectionem, physica enim cognitio rosæ non dirigit hominem ad effectionem rosæ; ergo Philosophia simpliciter est speculatiua: Fateor tamen secundum quid, id est secundum aliquem eius actum esse etiam practicam, cognitio enim philosophica, quæ docet quomodo aurum per Alchymiam faciendum sit, dirigit vere ad operis effectionem, & est practica.

5 Assero quartò. Philosophia naturalis non est vna qualitas simplex, sed ex pluribus rei psa inter se distinctis habitibus vere composita, vt de habitu Logicæ in simili diximus disp. 2. cap. 3. Probatur, habitus scientificus Philosophiæ circa materiam primam potest reipsa separari ab habitu scientifico circa motum & potest esse re ipsa sine illo; ergo habitus scientificus Philosophiæ circa materiam primam distinctus est reipsa ab habitu scientifico Philosophiæ circa motum, idem enim non potest vere separari à seipso, ergo cum Philosophia ex his habitibus constet, erit vere composita ex habitibus reipsa inter se distinctis: vtraque consequentia est euidens, antecedens sic demonstro. Ponamus quod aliquis habet habitum scientificum, circa materiam primam & habitum erroneum circa motum, quod quidem non repugnat. Arguo sic iste habet habitum scientificum circa materiam primam, vt supponimus: & tamen non habet habitum scientificum circa motum, quia supponimus habere circa motum habitum erroneum, cum quo directe opponitur, & non compatitur habitus scientificus circa talem motum, ergo habitus scientificus circa materiam primam vere separatur, & est absque habitu scientifico circa motum.

6 Obiiciat aliquis, ideo noster intellectus, licèt diuersas rationes pertingat, est simplex qualitas, quia attingit illas sub vna ratione formali intelligibilis, quæ in illis omnibus reperitur, sed etiam habitus Philosophiæ licèt ad diuersas rationes tendat, illas omnes attingit sub vna ratione formali entitatis naturalis transcendentaliter quæ in illis omnibus inuenitur; ergo etiam habitus Philosophiæ est simplex qualitas. Resp. intellectū non ideo præcise esse simplicem qualitatem, quia attingit natura sua obiecta sub vna ratione formali, sed quia attingit etiam illa per modum potentiæ, quæ cum non generetur ex actibus, nec sit semen illorum, sed sit eminentior ipsis, non proportionatur, ac commensuratur cum illis, atque ideo eadem simplex potentia intellectiua sufficit ad diuersos actus specie, ac proinde ad diuersas rationes formales; at verò naturalis Philosophia licèt tendat ad sua obiecta sub vna ratione formali, non tendit ad illa per modum potentiæ, sed solum per modum inclinationis, & habitus, qui cum sit semen actuum, & ab illis generetur, commensuratur cum ipsis, atque ideo ad diuersos specie actus Philosophiæ debent necessariò dari diuersi etiam Philosophiæ habitus, & consequenter etiam ad diuersas tationes formales.

7 Hinc colligo, cum corpus naturale, quod est Philosophiæ obiectum, possit dupliciter considerari, 1. in communi vt à differentiis specificis abstractum, 2. in particulari vt iam contractum ad illas scilicèt vt generabile, & corruptibile, vt cæleste & animatum, &c. diuersos etiam esse habitus partiales Philosophiæ, quorum alij corpus naturale abstractum speculantur, quod ad hos octo Physicorum libros, quos exordimur spectat. Alij corpus naturale, generabile & corruptibile attingunt, quod pertinet ad libros de generatione, & corruptione. Alij corpus naturale cœleste contemplantur, quod attinet ad libros de Cœlo. Alij respiciunt corpus naturale animatum quod spectat ad libros de anima, ex quibus omnibus, sicut ex pluribus domibus vna ciuitas, & ex pluribus militibus vnus exercitus vnitate quadam aggregationis vna Philosophia resultat. Hæc autem facilia sunt, ad difficiliora transeamus.

TRACTATVS PRIMVS IN LIBRVM PRIMVM PHYSICORVM.

CVM Principale attributionis obiectum quod Philosophia naturalis contemplatur, sit iuxta superius dicta corpus naturale, & scire formaliter sit rem per suas causas, atque principia cognoscere, ideo ordinata quidem serie, Philosophus in hoc libro entis naturalis principia, materiam nimirum, formam & priuationem constituit, cuius doctrinam sequentibus explanabimus.

DISPV

DISPVTATIO PRIMA.

De Principiis entis naturalis in communi.

DVo capita continebit, in primo inquiro quæ sint entis naturalis principia? Insecundo quot sint Principia entis naturalis in fieri, & quot sint in facto esse?

CAPVT I.

Quænam sint entis naturalis Principia?

1 PRincipium variè à Physicis vsurpatur, primò latissimè pro illa re, vnde alia capit initium ratione alicuius ordinis, aut connexionis, sic aurora dicitur principium diei, vnitas principium numeri, fundamentum principium domus, cui consonat Aristoteles in poëtica dum ait, *Principiũ illud esse dicimus quod nõ necessariò post aliud est, & post ipsum aliquid esse, vel fieri natum est.* Secundò strictius principium sumitur pro illo, à quo aliquid per se, ac physicè oritur, aut dependet; hoc modo Pater æternus est principium filij diuini, qui per se oritur ab illo, & omnis causa creata, est principium sui effectus qui ab illa per se dependet, ita fortasse Philosophus 5. Met. cap. 1. Principium sumpsit cum dixit, *Principium est primum, vnde aliquid est.* Tertiò, Principium accipitur pro eo, quod aliquam per se habitudinem & connexionem habet cum alio, ad quod necessariò requiritur, siue hoc verè oriatur ab illo siue non: hoc modo priuatio formæ & ipsa forma genita, sunt principia generationis, quæ de facto habet per se connexionem cum illis, licèt ab eis verè & physicè non oriatur, ita principium descripsit D. Thom. 1. p. q. 33. art. 1. Et communiter omnes antiqui, & recentiores dicentes; Principium est id, à quo aliquid procedit quocumque modo, id est vel per realem influxum, vel ratione alicuius connexionis.

2 Hæc autem Principia sunt in duplici differentia, alia sunt principia extrinseca, quæ sunt extra ipsum effectum, quia scilicet nec componunt illum, nec aliqua ratione intrinsecè se habent ad ipsum, vt causa efficiens, & finalis; alia sunt principia intrinseca quæ sunt intra ipsum effectum, scilicet quia vel componunt illum vt materia & forma substantialis respectu naturalis compositi, vel intrinsecè aliquo modo se habent ad ipsum, vt materia, forma, & priuatio respectu generationis, quæ quatenus est substantialis quædam mutatio, & transitus materiæ à priuatione formæ ad formam, ipsam materiam & formam ac priuationem intrinsecè saltem in obliquo includit. De principiis extrinsecis lib 2. disseremus. Nunc verò de principiis entis naturalis intrinsecis disputamus, & inquirimus quæ sint.

3 ASSERTIO. Principia entis naturalis sunt ea, *quæ nec ex sese mutuò, nec ex aliis, & ex ipsis cætera esse oportet.* Hoc est principia sunt illa, quæ neque ex se ipsis mutuò, neque ex aliis rebus causantur, aut dependent sub ea ratione principij, sub qua omnia entia naturalia corporea causantur, atque dependent ex ipsis; videlicet materia non pendet ex alia materia, nec forma ex alia forma, nec priuatio ex alia priuatione. Ita Aristoteles in præsenti cap. 5. D. Thom. Conimbricenses, Masio, Complutenses disp. 2 q. 1. Arriaga disp. 1. de principiis, sect. 2. Hurtado, Oña, Plaça, Murçia, Carleton disp. 2. sect. 1. quos omnis Physicorum schola sequuta est.

4 Obiiciat aliquis primò, Forma materialis dependet à materia vt à subiecto & à priuatione tamquam à termino, *à quo* & etiam materia prima & ipsa forma corporea, cum extensæ sint, pendent ex partibus, ex quibus intrinsecè cumponuntur: & etiam quæuis illarum pendet ex partibus essentialibus scilicet ex genere & differentia, ex quibus constat, & tamen materia, forma, & priuatio sunt principia entis naturalis vt dicam seq. cap. ergo principia non sunt illa, quæ neque ex se ipsis, nec ex aliis dependent. Resp. principia entis naturalis esse illa quæ non dependent ex seipsis, nec ex aliis sub ea ratione principij sub qua cætera pendent ab illis, vt nuper dixi, forma autem materialis non pendet ex materia & priuatione; tamquam à forma ex qua illa essentialiter componatur; qua ratione ab ipsa forma ens naturale dependet: item materia, & forma, corporea pendent solum à partibus integralibus, non verò ab essentialibus, qua ratione ex ipsis ens naturale componitur; & quæuis etiam illarum pendet ex partibus essentialibus metaphysicis, scilicet ex genere & differentia non verò ex partibus physicis, qua ratione ex ipsa materia & forma ens naturale constat, atque ita materia, forma & priuatio non pendent ex seipsis, nec ex aliis sub ea ratione, sub qua alia pendent ex ipsis, quod tantùm exigitur ad veram rationem Principij.

Obiiciat secundò. Priuatio est verè generationis principium per modum termini *à quo* vt postea dicam, & tamen ipsa priuatio dependet etiam à forma tamquam à termino *à quo*, ergo non requiritur ad rationem principij, quod non dependeat ab alio sub ea ratione principij sub qua alia dependent ab ipso. Probo minorem, ideo priuatio est terminus *à quo* formæ genitæ, quia per se præcedit actionem positiuam generationis, qua resultat forma genita; sed similiter ipsa forma per se præcedit actionem negatiuam desitionis, qua desinit esse forma, & resultat priuatio formæ: ergo etiam ipsa forma est terminus *à quo* priuationis, ergo priuatio pẽdet à forma tamquam à termino *à quo*. Resp. Formam pendere à priuatione tamquam à termino *à quo* priuatiuo: priuationem verò pendere à forma tamquam à termino *à quo* positiuo, & ideo priuationem non pendere à forma sub ea ratione, sub qua forma ab ipsa priuatione dependet, quod tantum ad rationem principij desideratur.

6 Obiiciat tertiò. Forma rationalis vt subsistens constituit per modũ formæ essentialis ens naturale, quod materiam, formã, & subsistentiam essentialiter includit, & tamen ipsa forma rationalis vt subsistens constituitur, & per modum formæ essentialis ex alio, scilicet ex substantia, à qua formaliter habet, esse subsistentiam: ergo forma rationalis, quæ est vere entis naturalis principium, sub ea ratione pendet, & constituitur ex alio, sub qua ex ipsa ens naturale dependet & constituitur. Respondeo animam rationalem constituere ens naturale essentialiter per modum formæ realis, & perfectæ, ipsam vero formaliter vt subsistentem constitui per subsistentiam tamquam per formam imperfectam & modalem, & ideo sub ea ratione sub qua anima rationalis ens naturale constituit, ipsa ex subsistentia non pendet, nec constituitur.

CAPVT. II.

Quot sint principia entis naturalis in fieri, & quot sint in facto esse.

7 PRæmitto ens naturale in fieri,& ipsammet actionem generatiuam,qua ens naturale gignitur,ens verò naturale in facto esse, esse compositum ipsum, quibus ex materia & forma inter se vnitis coalescit, vnde principia intrinseca entis naturalis in fieri sunt illa, quæ intrinsece & per se ad generationem vt mutatio est , requiruntur; principia vero entis naturalis in facto esse sunt ea , ex quibus ens naturale reipsa,& permanenter conflatur.

8 ASSERTIO PRIMA,Tria tantũ sunt principia entis naturalis in fieri,nempe materia, forma & priuatio. Ita docent Aristoteles hîc cap.6. & 7. D.Thom. ibidem & opus.31.in principio,& alijs locis à Complutensibus citatis supra q.2.n.20. Conimbricenses, Suarez,Hurtado,Arriaga, Rubio, Masio,Plaça,Oña, Murcia, Auersa,tom.Physic. qu.20. sect.1.& 2.Carleton. sect.3. & communiter omnes Doctores. Probatur, illa sunt principia entis naturalis in fieri,quæ ad eius generationem , vt mutatio substantialis est per se & intrinsecè requiruntur vt præmisi num. 7. sed hæc tria,materia, forma & priuatio intrinsecè,& per se ad generationem , vt mutatio est, requiruntur;materia quidem vt generationis subiectum,forma vt terminus illius positiuus,ad quem tendit,priuatio vt terminus priuatiuus, à quo per generationem, subiectum ad formam migrat, nec aliud præter ista principium intrinsecum reperitur , nec requiritur,vt generatio à cæteris mutationibus distinguatur;ergo tria tantum sunt principia entis naturalis in fieri, scilicet materia, forma& priuatio.

9 Obijciat quispiam primò, principium entis naturalis est illud,quod per se ad generationẽ requiritur, sed priuatio formæ genitæ non requiritur per se ad generationem , datur enim vera aliqua generatio , quam non præcesserit priuatio formæ ; ergo priuatio non est principium entis naturalis: minor probatur; actio, qua forma cæli aut terræ primo producta fuit est vera generatio cum à materia dependeat, & tamen in illa nulla præcessit aut extitit priuatio illius formæ , quia non fuit talis priuatio in eodem instanti reali generationis , in ipso enim fuit forma genita,cum qua simul esse non potest eius priuatio, nec extitit in instanti reali præcedenti ad ipsam generationem,quia in illo non fuit materia,aut subiectum, & priuatio debet esse carentia formæ in materia , atque ita nulla in generatione extitit priuatio, ergo datur aliqua generatio , in qua non fuerit priuatio formæ , ac proinde talis priuatio non requiritur per se ad generationem.

10 Dicat quis,in illo instanti reali,in quo forma cælestis,aut terrestris, primò producta fuit duo esse instantia necessariò ; aliud prius , alterum posterius ; in priori instanti necessariò fuit materia sine forma cœlesti,solum cum aptitudine ad illam, atq; ita cum priuatione illius , quia priuatio solum est carentia formæ in materia apta; in instanti autem naturæ posteriori,forma cœli genita fuit ex materia tamquam ex subiecto & ex illa priuatione , quæ in priori instanti præcessit,tamquam ex termino *à quo* atque ita semper priuatio formæ per se requiritur ad omnem generationem : ita P. Suarez tom. primo met. disput.15. sect.3 n. 4.& Conimbricenses hic.cap.9. quæst.8 art.2.ad 3. sequuti Scotum in secunda quæstione .distinct.1.§. *Respondeo sic.*

11 Hæc tamen solutio , quæ mihi magnopere displicet , primò impugnatur: in eodem instanti reali non possunt esse simul , esse & non esse formæ, quia principium est lumine naturæ notissimum : (*aliquid esse , & non esse simul impossibile est*) sed forma genita est ipsummet esse formæ , & priuatio formæ genitæ est ipsum non esse formæ , nam priuatio nihil aliud est,quàm carentia , & non esse reformæ in subiecto apto , ergo forma & priuatio illius non possunt esse simul in eodem instanti reali;atqui si in prædicto casu in illo instanti generationis formæ cælestis pro priori signo.& instanti necessariò esset priuatio formæ,& pro instanti , ac signo naturæ posteriori esset ipsa forma,in eodẽ instanti reali essent simul forma, & priuatio formæ,quia idem instans reale generationis,claudit in se illa duo instantia naturæ, vel rationis atq; ita ea , quæ sunt in his signis naturæ,vel rationis existunt simul in eodem instanti reali,ergo in instanti reali generationis non est pro priori signo rationis priuatio formæ,&pro posteriori ipsa forma.

12 Secundò impugnatur.Si in illo priori,in quo materia est causa , seu apta causare formam , esset verè carentia & priuatio formæ , sequeretur quod in eodem priori , materia possit simul habere naturaliter duas substantiales formas,sed materia non potest simul naturaliter habere duas substantiales formas, vt omnes fatentur & infra ostendam, ergo in illo priori,in quo materia existit, vt causa formæ, non est carentia & priuatio talis formæ:probo sequelam,quando in materia ligni, forma ignis introducitur & expellitur forma ligni , forma ignis introducta , est causa formalis expulsionis , & priuationis formæ ligni,ergo in illo priori,in quo est in materia forma ignis genita, vt causa talis priuationis , & expulsionis formæ ligni , non est ipsa expulsio , & priuatio formæ ligni ; ergo erit in illo priori carentia priuationis formæ ligni , sed carentia priuationis formæ ligni,est ipsamet forma ligni,sicut carentia tenebrarum , seu priuationis lucis est ipsa lux ; ergo in illo priori, in quo est in materia forma ignis genita , est etiam simul materialiter forma ligni , ergo materia habet naturaliter simul duas formas substantiales.

13 Tertiò impugnatur à priori, duo illa instantia rationis prius scilicet & posterius, quæ dantur in eodem instanti reali generationis formæ,nõ sunt aliud quàm duo conceptus rationis cum fundamento in re,alter prior,quo concipitur materia præcise vt apta causare formam & dicitur instans prius , alter posterior, quo concipitur materia vt actu causans, & sustentans in se formã,& dicitur instãs posterius.Vnde illud præcise est in priori signo rationis, quod concipitur per illum priorem conceptum,illud verò tantum est in instãti,aut signo rationis posteriori,quod concipitur per conceptum illum posteriorem.Tunc sic,sed in nostro casu per illum priorem conceptum, sicut non concipitur forma cælestis,ita nec concipitur priuatio talis formæ ; solùm enim cõcipitur materiæ aptitudo ad formam,ergo sicut in tali instanti priori rationis non est forma , ita neque est priuatio talis formæ,vnde cũ dicitur, in illo instanti rationis priori non est forma, debet ita distingui,non est forma priuatiue , id est, in illo instanti rationis est vere priuatio formæ nego , non est forma præcisiue, hoc est in illo instanti rationis materia est vere præcisa à forma,concedo;constat ergo numquam in illo priori rationis esse priuationem formæ , atque ita in illa generatione nullam per se præcedere priuationem quæ sit principium illius.

14 Neoterici quidam aliter huic obiectioni respondent , dicunt enim priuationem duo includere , in recto carentiam formæ , in obliquo subiectum vel materiam aptam ad formam ; atque ita priuationem secundũ id,quod dicit in recto præcisè esse principiũ generationis, quia sola carentia formæ,quæ in recto includitur in priuatione,non verò, materia apta quæ includitur

includitur in obliquo, in instanti reali antecedenti formæ cælestis generationem præcessit. priuationem autem sic explicatam, id est, carentiam formæ præcisè ad omnem formæ generationem per se requiri, sed contra iuxta communem sententiam, (à cuius veritate nunc abstraho.) forma substantialis potuit ab æterno generari à Deo, tunc ergo esset vera generatio formæ, & tamen nulla ibi esset formæ priuatio, quia ante æternitatem non datur prius aliquod reale instans, in quo præcederet priuatio, ac carentia formæ, nec in ipso æternitatis instanti, in quo esset forma, posset esse priuatio illius, quia forma, & eius priuatio non possunt esse simul, vt iam ostendimus, ergo dari potest generatio, in qua non sit priuatio etiam prout præcisè dicit carentiam formæ, igitur nec talis priuatio sumpta pro carentia formæ est per se principium generationis.

15 Resp: Si generatio secundùm absolute & simpliciter consideretur, priuationem non esse principiũ illius vt facta obiectio conuincit, si autẽ, consideretur, solum vt de facto accidit, supposita hac rerum serie, in qua reipsa materia in aliquo instanti reali ad omnem generationem supponitur, priuationem esse per se generationis principium, quia materia illa, quæ supposito hoc rerum ordine, per se generationem præcedit, non præcedit in illo instanti cum forma generanda, sed solum apta ad illam habendam, atque ita per se præcedit generationem priuatio formæ generandæ, & est principium illius, & in hoc præcisè sensu Aristotelem docentem priuationem esse per se generationis principium interpretamur,

16 Sed solutionem quis vrgeat, & supposita hac rerum serie, necessario ac per se omnem generationem præcedit forma quædam substantialis positiua, quæ corrumpatur, vt alia forma substantialis generetur, materia enim quæ de facto in aliquo instanti reali generationem præcedit non præcedit sine aliqua forma, ergo hæc etiam forma erit etiam per modum termini à quo, principium per se generationis, ac proinde plura erunt generationis principia, quam tria supra enumerata. Resp. generationem posse considerari dupliciter, vel quatenus conuersio est, vel quatenus est mutatio præcisè: generatio quatenus est conuersio, est transitus ab vna forma positiua ad aliam, & ita forma etiam positiua est principium talis conuersionis per modum termini à quo. Generatio verò quatenus mutatio est præcisè, est transitus à non esse formæ ad ipsam formam, atque ita non forma aliqua positiua sed carentia, & non esse formæ est per se principium talis mutationis. Hic ergo solum agimus de principijs generationis quatenus mutatio substantialis est, non vero quatenus conuersio est, & ideo tria tantum, materiam scilicet, formam & priuationem enumeramus.

17 Obijciat secundò: principaliter in hominis generatione, forma naturalis non est generationis principium, nam forma eatenus solum est principium generationis, quatenus est terminus illius, forma autem naturalis, non est terminus generationis, cum vere non generetur, sed creetur, atque ita forma naturalis non est per se principium talis generationis, ergo non semper dantur tria generationis principia, scilicet materia, forma, & priuatio. Dices in humana generatione vnionem, quę generatur, esse principium illius per modum termini *ad quem*: sed contra primò; vnio non est in facto esse entis naturalis principium, ergo nec in fieri. Secundò si vnio hominis quia generatur est generationis principium, ergo cum vnio equi etiam generetur, erit etiam principium generationis equi, ergo erunt quatuor principia generationis, scilicet materia, forma, priuatio ac etiam vnio. Resp. principium generationis per modum termini *ad quem*, esse præcisè terminum formalem, qui per se intenditur à generante saltem *vt quo*, in hominis autem generatione forma naturalis est terminus formalis *quo*. per se intentus à generante, licet enim homo generans non intendat generare animam rationalem, in filio, intendit tamen formaliter eam ipsi communicare, atque ita anima rationalis est terminus formalis generationis, non productus, sed communicatus, sicut essentia diuina est terminus formalis *quo* non productus, sed communicatus generationis diuinæ, quia licet essentia diuina non generetur, tamen formaliter per generationem Filio communicatur, & idcirco forma etiam rationalis, & non vnio, est per se generationis principium.

Obijciat tertiò principaliter, id, quod non est ens 18
reale non potest esse principium entis realis, sed priuatio non est ens reale, sed carentia & non esse entis realis, generatio autem est ens reale, ergo priuatio non potest esse principium generationis: deinde principium generationis debet esse in eodem instanti in quo est generatio, quia, quod non est, quomodo potest esse alterius rei principium, sed priuatio formæ non est in instanti, in quo est generatio, tunc enim iam est forma genita, per quam tollitur priuatio, ergo priuatio non est principium generationis. Rursus principium debet esse prius principiato, sed forma non est prior, sed potius posterior generatione, cum ab ipso pendeat, tamquam terminus illius. ergo forma non est generationis principium. Resp. id, quod est generationis principium per modum influentis physicè debere habere in se esse reale positiuum & existere in ipso instanti generationis: non enim potest esse physicum influere, si non sit; id verò quod solum est principium generationis per modum termini *à quo*, quale est priuatio, non debet necessario habere in se esse positiuum, sed sufficit quod habeat esse priuatiuum, à quo materia per generationem transeat ad esse positiuum formæ, qua erat priuata, nec etiam ad rationem principij per modum termini *à quo* requiri, quod sit in ipso instanti generationis, imò requiritur quod non sit, sed immediatè præcedat, alioqui non esset terminus *à quo* generationis, vnde licet priuatio non habeat esse positiuum, nec sit in instanti generationis, est verè generationis principium per modum termini *à quo*. Ad id quod additur dico formam, licet sit posterior in executione esse tamen priorem in intentione ipsa generatione, & hoc sufficere vt sit principium illius.

Obijciat quartò principaliter; generatio à pluribus 19
accidentibus & dispositionibus pendet, v. g. generatio ignis pendet à calore, & siccitate, ergo etiam hæc accidentia erunt principia generationis, Resp. generationem non pendere ab illis accidentibus ratione sui immediatè, id est, quia ipsa ratione sui quatenus mutatio substantialis est, petat immediatè, & per se illa accidentia, sed tantum pendere ab illis mediate ratione materiæ; quia illa accidentia tamquam quædam conditiones requiruntur necessariò ex parte materiæ vt ipsa esse possit naturaliter generationis principium, vnde generatio non pendet ab his accidentibus tamquam à principio illius, sed solum tamquam à conditione, & ideo talia accidentia non sunt principia generationis.

Assertio secvnda. Duo tantum sunt princi- 20
pia entis naturalis in facto esse, scilicet materia & forma, ita auctores, citati num. 8. Probatur

principia entis naturalis in facto esse sunt illa, quæ reipsa, essentialiter ac permanenter ens naturale componunt, hæc enim principia, vt Aristoteles docuit hic cap. 6. textu 5. manere semper oportet, atqui solum materia & forma reipsa essentialiter ac permanenter ens naturale componunt, etenim priuatio posita forma euanescit, ergo duo tantum scilicet materia, & forma, sunt principia entis naturalis in facto esse.

21 Sed obijciat quis: etiam vnio substantialis inter materiam, & formam & substantia intrinsecè & essentialiter ens naturale componunt, quod quidem ex materia, forma & vnione ac etiam ex substantia conflatur, ergo etiam vnio substantialis, & substantia sunt duo alia principia entis naturalis in facto esse, Resp. rationem formalem per quam materia & forma principiant, & componunt ens naturale, non constituere diuersum principium ab illis, sicut ratio formalis causandi non constituit diuersam causam, vnio autem est ratio formalis per quam, materia & forma principiant & componunt ens naturale, cum sit ipsa compositio, & ideo vnionem substantialem non constituere diuersum principium à materia & forma. Similiter complementum principij non constituit diuersum principium, sed constituit vnum principium completum, vnde cum subsistentia entis naturalis sit complementum materiæ & formæ, quæ sunt entis naturalis principia, ideo non constituit diuersum principium à materia & forma, sed cum qualibet illarum vnum tantum principium per se completum constituit.

22 Ex his colliges primò, aliqua principia entis naturalis non esse cõtraria, vt materia, & forma, quæ simul sunt, & componunt corpus naturale, sed quæ sunt contraria, non sunt simul, sed mutuò se expellunt, vt alibi dictum est, & ex se patet: ergo materia & forma, quæ sunt principia entis naturalis non sunt contraria nec opposita, forma vero & priuatio dicuntur proprie contraria, quia mutuo se expellunt ab eodem subiecto, aduenient enim forma essentialiter euanuit eius priuatio, ergo aliqua principia contrariantur, siue priuatiue, siue contradictorie.

23 Colliges secũdò, principia in facto esse, scilicet materiam & formam vniuoce conuenire, ratio est, quia tam materia prima quam forma substantialis participat veram rationem principij, quod ad vniuocationem sufficit; si vero priuatio includatur in illis vt est principium generationis substantialis non conueniunt vniuoce, nam vt ostendimus in Logica Disputat. 10. de genere cap. 3. enti reali & rationis non potest dari vna ratio vniuoca, sed priuatio vt est principium generationis formaliter est ens rationis, ergo principijs generationis vt comprehendit priuationem, non potest dari vna ratio communis vniuoca, imo nec propriè Analoga.

DISPVTATIO II.

An materia prima habeat propriam existentiam ab existentia formæ distinctam.

Hæc capita continebit, in primo existentia materiæ primæ monstratur, & status quæstionis aperitur: in secundo materia prima propria existentia gaudet distincta ab existentia formæ: in tertio a duersantia argumenta profligantur.

CAPVT I.

Existentia materiæ primæ monstratur, & status quæstionis aperitur.

Materia prima est illud subiectum in quo forma substantialis recipitur, & ipsum nulli alij subiecto innititur, & ob id, subiectum primum vel materia prima appellatur. Quærimus ergo an hoc subiectum, ac materia prima detur de facto in ente naturali à parte rei. Nullam de facto dari materiam primam censuerunt quidam Physici perantiqui, quos sequutus est Gomezius à Pareda, in sua Antoniana Margarita pagina 109. 398. & 447. 1

Assertio tamen sit. De facto in ente naturali reperitur quoddam substantiale subiectum sub omni forma substantiali semper stabile perseuerans, nulli alij subiecto innitens, quod dicitur materia prima. Ita Aristoteles hîc cap. 8. & 9. D. Thom. ibidem, PP. Suarez 1. met. disputatione 13. sect. 1. num. 4. Conimbricenses lib. 1. Physic. cap. 7. qu. 1. art. 2. Complutenses disput. 3. Physic. quæst. 1. pluribus citatis, Hurtado disput. 2. de materia prima sect. 1. Arriaga disput. 2. sect. 1. Murcia disput. 5. Physic. quæst. 1. Plaça, Oña. Auersa tom. 1. Physic. quæst. 20. sect. 1. & 4. Carleton. disput. 1. sect. 1. & disput. 4. sect. 1. & communis Philosophorum schola. Probatur primò: cum homo perit & in cadauer mutatur in vtroque termino genito scilicet & corrupto, plura eadem accidentia eandem nimirum quantitatem, eamdem extensionem, eandem figuram, eumdem colorem, eamdem omnino organizationem conspicimus, sed si sub vtraque forma substantiali geniti, & corrupti non esset idem commune subiectum, non esset cur eadem omnino accidentia essent in genito, & in corrupto, & cur accidentia corrupti pereunte toto composito non perirent; ergo sub vtraque forma geniti, & corrupti, est idem commune subiectũ, ac materia prima, Secundò agens naturale creatũ non potest rem creare, & ex nihilo producere, hoc enim arguit virtutem infinitam: atqui, si nullum daretur cõmune subiectũ, ac materia prima, cum agens naturale creatũ v.g. ignis producit alium ignem, illum crearet, & ex nihilo produceret, quia nullum daretur subiectum ex quo educeretur ignis; ergo, vere de facto datur aliquod commune subiectum ac materia prima. Tertiò cum agens naturale aliquem effectum producit substantialem, prius ibi aliquas qualitates, & dispositiones immittit; sed si non esset sub forma corrupti aliquod commune subiectum, quod postea maneret sub forma geniti, esset omnino otiosa talis dispositionum, & qualitatum immissio, vt per se constat; ergo sub forma geniti & corrupti datur idem commune subiectum quod dicitur materia prima. 2

Sed hæc solum ostendunt dari commune subiectum; id autem esse primum, quod etiam ad rationem materiæ primæ requiritur, sic monstratur, hoc substantiale subiectum, vel supponit aliud; vel non: si nullum aliud supponit, ergo est primum; si aliud supponat, de isto subiecto, idem inquiram, an supponat etiam aliud, quod si affirmes; de illo alio subiecto idem sciscitabor, & ita vel dabitur processus in infinitum, quod Physicus non admittit, vel deueniendum erit ad aliquod substantiale subiectum quod nullum aliud supponat, & sit primum vt docet optimè Suarez tom. 1. meth. disput. 13. sect. 1. num. 4. 3

Vltimò probatur assertio ab incõuenientibus quæ ex sententia Gomezij sequerentur: primum, reliquias 4

sanctorum

sanctorum nõ esse veneratione dignas,si nihil,quod erat in sanctis,post illorum mortem maneat,& essent noua entia postea producta. Secundũ,quia in triduo mortis Christi vere fuit in sepulchro aliqua pars Christi,nõ anima,ergo corpus, sed Christus cõponitur ex materia & forma; ergo manet in morte materia prima sicuti & aliqua accidẽtia,quæ erant hominis viui, sed hæc accidentia non manent sine subiecto quod est materia prima; ergo certissimum est in rerum natura dari materiam primam, quæ sit verè subiectum vtriusque mutationis, vt libris de generatione latius ostendemus.

Hoc ergo posito, quærimus an in ente naturali duæ sint existentiæ partiales re ipsa inter se distinctæ,altera propria materiæ per quam existat materia,& altera ex parte formæ per quam existat forma: an verò vna tantum sit ex parte formæ existentia quæ vtrumque munus exerceat, & reddat formam existentem, ac etiam reddat existentem materiam primam,quod est non habere materiam primam propriam existentiam, sed existere solum existentia & beneficio formæ.

CAPVT II.

Materia prima propria existentia gaudet distincta ab existentia formæ.

PRo tituli intelligentia, præmitto primò existere nihil aliud esse quam rem extra suas causas esse,quare existentia est illa forma, à qua habet res formaliter esse extra causas, & extra nihil,vel à qua habet esse actuale pro vt actuale distinguitur à possibili, quæ nominis ratio supponitur ex Metaphysica & erudite exposuit Hurtado tom. 1. in tertiam partem disp.36. sect. 1.& 3.D. Dam. lib.1. cap. vltimo docet Verbum diuinũ assumpsisse humanitatem non existentia priuatam, id est non redditam in nihilum, quia idem est rem priuari existentia quam in nihilum redigi, & ita idem est adquirere existentiam ac habere actu esse extra nihil, quia existentia supra essentiam possibilem addit actualitatem seu entitatem, quæ fit per productionem rei à suis causis, quia productio rei proprie trahitur ad existentiam ipsius,quia quælibet actio in hoc tendit, vt res sit actualis entitas, seu inhiat esse actuale extra causas producentes.

Præmitto secundò, essentiam materiæ primæ distingui ab essentia formæ. Probatur, materia prima est pars realis realiter cum forma ens naturale componens, ergo eius essentia realiter distinguitur ab essentia formæ. Antecedens probatur, quia ens naturale non est corpus simplex,sed compositum; sed non componitur ex aliis partibus essentialibus nisi ex materia & forma, ergo materia & forma realiter distinguntur.Probatur consequentia, quia quæ realiter cõponunt,realiter distinguntur. Sicut quæ ratione componunt, sola ratione distinguuntur, vt constat in Metaphysica compositione, quæ resultat ex genere & differentia; ergo in Physica cõpositione, quæ realis est,eius partes debent realiter distingui, quod perspicuum est apud omnes. Quærimus modò, an sicut materia prima realiter distinguitur ab essentia formæ, ita etiam existentia materiæ primæ distincta sit ab existentia formæ.

Concors omnium Thomistarum sententia est, materiam primam non habere propriam existentiam ab existentia formæ distinctam, sed existere tantum per existentiam formæ à qua omnem compositi naturalis actualitatem desumunt. Ita Boëtius opus. de vnitate & vno Diuus Bonauentura in 2. distinc. 22.Capreolus in 2. dist.13.q.1.Caietanus de ente, & essentia cap.5.q.8. Ferr.1.contra gentes cap. 4. & 1. Physic.quæst.11. Soncinas, Iauellus Mag. Soto hic q. 6. dub. 2. Durandus,Complutenses disp. 3. de materia prima q. 5. D. Thom. 1.p. q. 7. artic.2. ad 3. q.4. de potentia artic. 1. 1. 2. q. 94. artic. 5. ad 2. & super Aristotelem 5. met. huius sententiæ fundamenta cap.seq.enodabo.

Assertio tamen sit.Materia prima existit per propriam existẽtiam distinctã ab existentia formæ,huic tamen sentẽtiæ suffragantur communiter Doctores Societatis vt Molina 1.p. q.3. art. 4. disp. 2. Suarez 1. met. disp.13. sect.4. num.9. Vasquez 1.p. disp.74. cap. 3.Valentia. 3.p. q.1. artic 2.punct.2. Fonseca 1. met. cap 7. q.1.sect.vltima,& q.3. sect.8.Pereira lib. suæ physicæ c. 13.Tolet. in præsenti,Bartholomæus Amic. tract. 5.Physic.q.4.dub. 2. Balt. p. 2. Physic. disputat.22. sect.2. q.13. sequuti Scotum in 2. dist. 12. q.1.& 2.Rubius hic tractat.1. de materia prima q.3. Gabriel Gregorius,& Nominales,Murcia citatis multis, disput. 5. de materia q. 4. Auersa q. 10. sect. 8. qui plures refert, Arriaga in Physica disp.2. subsect. 3.P.Hurtado disp.2.sect.6.Plaça disput.4.q. 4. Oña, Conimbricenses in præsenti cap.9. q.6. artic.2.Carleton disput.9.sect.1.Ouiedo cap. 2.Physicorum p. 5. 9

Probatur primò:eadem existentia non potest naturaliter simul creari,& educi, cum non possit naturaliter simul pendere & independere à materia,sed existentia materiæ primæ creatur,& existentia formæ materialis educitur, ergo existentia materiæ non est eadem cum existentia formæ,sed est ab illa diuersa: minor ostenditur primò,actio, ac productio rei non terminatur formaliter ad essentiam rei secundum se, essentia enim secundum se est ingenerabilis & incorruptibilis, & ab æterno datur, vt aduersarij fatentur, ergo actio,& productio rei terminatur formaliter ad existentiam talis rei, ergo actio creatiua materiæ terminatur ad existentiam materiæ, & actio eductiua formæ materialis terminatur formaliter ad existentiam talis formæ; igitur existentia materiæ primæ creatur,& existentia formæ materialis educitur. Secundò ostenditur minor: reddere creatiuè, aut eductiuè rem existentem est creare aut educere existentiam per quam talis res existat formaliter,sicut reddere effectiuè rem albam, est efficere in illa albedinem per quam sit alba formaliter, atqui creatio materiæ reddit creatiuè materiam existentem, & eductio formæ materialis reddit eductiuè existentem illam,ergo creatio materiæ creat existentiam materiæ & eductio formæ educit existentiam formæ, ergo existentia materiæ primæ, & existentia formæ materialis educitur. 10

Dicat autem quis creationem materiæ primæ reddere illam existentem non quia creat eius existentiam, sed quia illam vnit cum existentia formæ à qua illa existens redditur. Sed impugnatur primò,omnis actio, ac productio rei producit aliquam rei existentiam, quia producit rem & non secundum esse essentiæ, atque ita producit illam secundum esse existentiæ, hoc est producit existentiam ipsam; sed creatio materiæ est verè actio, & productio rei, ergo producit & creat aliquam rei existentiam, atqui non creat existentiam formæ materialis, aut vnionis, hæc enim generatur, & educitur, ergo creat existentiam aliam ipsius materiæ; ergo materia prima existit per existentiam distinctam ab existentia formæ.Secundò,creatio materiæ, si ipsam materiam vniat cum existentia formæ, producet necessario vnionẽ materiæ cum tali formæ existentia, sed non producet vnionem secundum 11

esse essentiæ,quia essentia secundum se non producitur,ergo producet existentiam aliquam vnionis,at talis creatio materiæ non producet, ac creabit existentiam formæ materialis, quæ non creatur sed educitur,ergo vnio illa habebit propriã existentiam distinctam ab existentia formæ, sed longè nobilior est materia prima,quam talis vnio,ergo potiori iure matetia prima existet per existentiam propriam distinctam ab existentia formæ.

12 Probatur secundò principaliter, agens naturale creatum non potest naturaliter materiam primam producere cum ipsa solum per creationem producatur quæ superat vires omnes agentis creati, sed si materia existeret per existentiam formæ, agens naturale creatum verè produceret materiam primam; ergo materia prima existit per propriam existẽtiam & non per existentiam formæ. Probatur minor:producere, seu agere rem est formaliter tali rei actiuè existentiam communicare, atqui si materia existeret per existentiam formæ,agens naturale creatum actiue materiæ primæ existentiam communicaret, quia ageret existentiam formæ,per quam præcisè materia existeret. ergo si materia existeret per existentiam formæ, agens naturale creatum verè produceret materiam primam.

13 Dicat quis vt aliqua res modò producatur, non sufficere quod modò recipiat existentiam, sed etiam requiri, quod antea non extitisset, vnde licet modò materia prima accipiat existentiam ab agente creato quod generat formam, quia verò ipsa materia antea extitit, modò ab agente creato non producitur. Sed impugnatur, res quæ creatiue producitur, etiam conseruatur creatiue,atque ita materia prima quæ producitur creatiuè, etiam creatiue conseruatur,vnde agens naturale creatum cum creare non possit, non potest producere, nec conseruare materiam primam;quia vtraque scilicet productio,& conseruatio materiæ est actio creatiua;sicut ob eamdem rationem non potest agens creatum producere, nec conseruare angelum; atqui si materia solum existeret per existentiam formæ,agens naturale creatum conseruaret materiam primam;nam conseruare est rei antea existenti modò existentiam communicare, quod præstaret agens creatum respectu materiæ primæ vt num.12.monstratum est, atque ita verè illam conseruaret, ergo materia prima non existit per existentiam formæ sed per propriam existentiam ab existentia formæ distinctam.

14 Probatur tertiò principaliter: ponamus quod Deus diuinitus destruat materiam primam manente forma substantiali, quod non repugnat, tunc sic perit existentia materiæ,alioquin non destrueretur materia,nam rem destrui, est amittere existentiam, & tamen non perit existentia formæ;quia forma manet & conseruatur, & conseruari non posset sine existentia: ergo existentia materiæ distincta est reipsa ab existentia formæ; eadem enim existentia non potest perire & manere. Dices perire in prædicto casu materiam primam, quia destrueretur vnio ipsius cum existentia formæ, per quam antea existeret, non verò ipsam existentiam destrui. Sed contra, vnio illa destruitur, ergo perit existentia vnionis manente existentia formæ, ergo vnio habet propriam existentiam distinctam ab existentia formæ, ergo potiori titulo illam habet materia prima vt probaui suprà num.11.

15 Vrgeo principaliter, res non potest seipsam causare, causa enim dicit ordinem realem ad suum effectum, & ita debet reipsa ab illo distingui, sed si materia existeret per existentiam formæ, materia prima seipsam causaret;ergo materia prima non existit per existentiam formæ,sed per existentiam propriam: minor probatur,causare rem est causare eius existentiam per quam ipsa existit extra suas causas, quia esse essentiæ secundum se non causatur, vt aduersarij dicunt, sed materia prima causat existentiam formæ quæ etiam est existentia materiæ per quam ipsa materia est existens extra causas; ergo materia prima causat seipsam.

Hinc infero primò humanitatem Christi Domini habere propriam existentiam creatam distinctam 16
ab existentia diuina Verbi. Primò, quia humanitas Christi producitur,sed nõ secundũ esse essentię,ergo secundum esse existentiæ, ergo habet propriam existẽtiam creatã quæ producatur. Secundò, quia Anlus malus videt intuitiue humanitatem Christi, sicut,& quamvis aliam entitatem realem, ergo videt illam vt existentem, hoc est existentiam ipsius, sed non videt intuitiue existentiam diuinam, cum Angelus malus non videat Deum; ergo humanitas Christi non est existens per existentiam diuinam, sed per existentiam creatam. Infero secundò, quamuis entitatem siue substantialem, siue accidentalem, siue realem, siue modalem, habere propriam existentiam distinctam ab existentia alterius rei, quia vel quæuis distincta entitas distincta actione producitur, quæ debet terminari ad distinctam existentiam, vel quæuis distincta entitas habet distinctam essentiam, ac proinde distinctam existentiam quia existentia aut non differt ab essentia, vel est passio, quæ commensuratur cum illa.

CAPVT III.

Aduersantia Argumenta profligantur.

ADuersæ partis Auctores aliquibus suam sententiam argumentis confirmare, & nostram demoliri contendunt, quæ in hoc capite asseremus & diluemus.

Obiiciant primò D. Thom. 1.p.q.66.art.1.vbi sic 17
ait: *Creationis terminus est ens actu, ipsum autem, quod est actus, est forma; dicere igitur materiam præcedere sine forma, est dicere ens actu sine actu, quod implicat contradictionem, & 4. de potentia art.1. in corpore,vbi sic inquit: quidquid in rerum natura inuenitur, actu existit, quod non habet materia nisi per formam, quæ est actus eius, vnde non habet sine forma in rerum natura existere.* Ex his locis arguitur sic,existentia materiæ per quam ipsa existit est illa ratio, per quam materia prima est in actu, nam materiæ existentia est actus illius; atqui iuxta D. Thom. forma vt existens, hoc est existentia formæ est actus materiæ per quam materia est in actu, ergo existentia formæ est etiam existentia materiæ, per quam ipsa materia existit. Deinde obiiciant D. Thom. 1. 2. q. 4. art. 4. ad 2. vbi sic ait: *sed animæ humanæ remanet esse compositi post corporis destructionem, & hoc ideo, quia idem est esse formæ ac materiæ & hoc idem esse cõpositi.* Ex hoc loco sic arguitur; iuxta D. Thom. idem est esse formæ ac esse materiæ & totius compositi, sed non est idem esse essentiæ formæ & esse essentiæ materiæ, & totius compositi, cum forma & materia habeant diuersas essentias, ergo solum est idem esse existentiæ formæ & esse existentiæ materiæ, ac totius compositi; ergo iuxta Doctorem Angelicum, materia non habet propriam existentiam,sed tantum existit per existentiam formæ.

Respondeo duplicem esse actum materiæ, alium 18
entitatiuum, & incompletum quo materia prima solum entitatiue existit in esse incompleto materiæ primæ,& hic actus est existentia materiæ:alium formalem,& completum, quo materia prima existit in esse

esse formali, & completo, compositi, & hic actus est ipsa forma D. Thom. in duobusque primis testimoniis intendens solum refellere eorum opinionem, qui asserebant materiam primam aliquo tempore extitisse simpliciter sine forma, arguit: Materia non potest esse simpliciter in actu, quin sit in actu completo: hic autem actus est forma; ergo materia nullo tempore extitit simpliciter sine forma: loqui autem D. Thomam de actu formali, & completo, non de entitatiuo, qui est existentia ipsius materiæ, patet; quia si de entitatiuo solum loqueretur non diceret formam ipsam, & actum materiæ, sed existentiam formæ esse actum, & existentiam materiæ, nullus enim vnquam dixit materiam primam existere per formam sed solum per existentiam formæ; cum ergo D. Thom. dicat formam ipsam esse actum materiæ, non loquitur de actu entitatiuo, qui est existentia, sed solum de actu formali, & completo, quæ est ipsa forma. Ad aliud testimonium D. Thom. dico esse entitatiuum formæ & esse entitatiuum materiæ non esse idem: esse vero formale formæ, & esse formale materiæ, ac totius compositi, esse onmino idem, quia forma per se ipsam informat materiam & seipsam formaliter communicat toti composito, atque ita eademmet forma est esse formale sui ipsius, & materiæ & totius compositi. Vnde D. Thom. ibi solum loquitur de esse formali, non verò de esse entitatiuo existentiæ quod quidem diuersum est in materia & diuersum in forma.

19 Obiiciant secundò; pura potentia nullum in se habet actum, alioquin non esset pura, sed mixta ex potentia & actu, sed materia prima est pura potentia, vt commune est Physicorum axioma desumptum ex Arist. lib. 1. Phys. tex. 69. & lib 5. tex. 8. & 7. met. cap. 7. ergo materia prima nullum in se habet actum; atqui existentia est actus entitatiuus essentiæ rei vt diximus num. 18. ergo materia prima non habet in se propriam existentiam. Confirmatur; sicut actus purus excludit potentiam, ita pura potentia excludit actum, sed actus purus, nempe Deus excludit omnem potentiam; ergo pura potentia scilicet materia prima excludit omnem actum; ergo materia prima non habet actum proprium existentiæ sed illam ex forma mutuatur.

20 Hæc autem obiectio facile diluetur: obserno autẽ 2. duplicem esse potentiam, aliam obiectiuam ac logicam, alteram passiuam & physicam: potentia obiectiua & logica est pura non repugnantia rei possibilis ad actu existendum, quæ quidem est in ordine ad actum entitatiuum existentiæ, & cum tantum obiectiua, & logica sit, nullum in se includit actum reipsa; potentia vero passiua physica est realis aptitudo, & capacitas ad formam substantialem recipiendam, quæ quidem potentia est in ordine ad actum formalem, & cum vere potentia physica sit actus existentiæ, entitatiuum necessariò omnino includit, sine illo enim non esset potentia passiua ac physica sed tantum logica & obiectiua. Obserno secundo, ad rationem puræ potentiæ logicæ obiectiuæ requiri quod non includat in se actum existentiæ entitatiuum, ad rationem verò puræ potentiæ passiuæ & physicæ solum desiderari, quod nullum in se includat actum fomalem, non verò requiri, quod non includat actum entitatiuum existentiæ, imo potius requiri necessariò, quod illum includat. Probatur, ad rationẽ puræ potentiæ solum requiritur, quod nullum includat actum, ad quem ipsa formaliter dicit ordinem, non verò requiritur quod non includat actum illum, qui est de formali constitutione illius, imo requiritur necessariò quod illum includat, aliàs talis potentia non daretur: sed potentia logica & obiectiua dicit ordinem ad actum entitatiuum existentiæ, vt modo diximus, ergo ad rationem puræ potentiæ logicæ, & obiectiuæ necessario requiritur, quod non includat in se actum existentię entitatiuum, atqui de formali constitutione potentiæ passiuæ physicæ est actus entitatiuus existẽtiæ, sine quo talis potẽtia non daretur, vt nuper ostendi, & ipsa potentia solũ formaliter, dicit ordinem ad actum formalem, ergo ad rationem puræ potentiæ passiuæ physicæ non requiritur, quod non includat actum entitatiuum existentiæ, sed solũ desideratur quod in se nullũ formalem actum includat.

Respondeo ergo ad obiectionem, materiam pri- 21
mam esse puram potentiam non quidem logicam, & obiectiuam rei possibilis ad existendum, sed passiuam physicam ad recipiendum in se formam substantialem, vt docet expresse D. Thom. 1. p. q. 46. art. 1. ad 1. ad rationem verò puræ potentiæ passiuæ physicæ non requiri quod non includat in se actum entitatiuum existendi, sed potius desiderari, quod illum includat vt obseruaui num. 20. atque ita materia prima licèt pura potentia sit, debet habere in se actum entitatiuum existentiæ distinctum ab existentia formæ. Ad confirmationem dico actum purum non excludere potentiam actiuam, quia est de eius necessaria constitutione, cum actus infinitus sit; similiter ergo pura potentia passiua, qualis est materia prima non excludit actum entitatiuum existentiæ quia est de necessaria eius constitutione, cum potentia physica sit.

Obiiciant tertiò principaliter, existentia for- 22
mæ reddit etiam existentem formaliter materiam primam; ergo alia existentia propria materiæ, otiosa, & superuacanea est quia est euidens, nam existentia propria materiæ solum requireretur, vt materia redderetur existens; ergo si hoc habet formaliter per existentiam formæ, alia existentia ipsius materiæ est otiosa, antecedens autem sic probo, existentia, communicata subiecto, reddit illud formaliter existens, sicut albedo communicata subiecto, reddit illud formaliter album, effectus enim formalis nihil est aliud, quam forma subiecto communicata; atqui existentia formæ communicatur materiæ, nam forma ipsa vt existens materiæ communicatur, ergo existentia formæ reddit etiam materiam existentem formaliter. Respondeo, vt forma det subiecto suum effectum, ac denominationem formalem, necessariò requiri, quod ipsa forma immediate communicetur subiecto, & quod subiectum ipsum sit aptum ad talem formalem effectum: existentia autem formæ si reipsa distinguatur ab ipsa forma communicatur immediatè formæ, & solum mediate materiæ, si verò existentia formæ ab eius essentia non distinguatur, communicabitur etiam immediatè materiæ, materia verò non erit apta ad existendum formaliter per illam, quia etiam esset secundum se essentialiter existens; sicut homo non est aptus, vt sit rationalis per aliud, quia per seipsum est essentialiter rationalis, atque ita nulla ratione, existentia formæ potest reddere formaliter existentem materiam primam.

Obiiciant quartò, principaliter ex materia prima 23
& forma fit verè vnum per se, sed si materia prima haberet propriam existentiam distinctam ab existentia formæ per quam esset ens in actu, sicut ipsa forma, ex illis non fieret vnum per se, vt commune fert Philosophorũ effatum, ergo materia prima non habet propriam existentiam per quam sit ens in actu, sicut forma. Respondeo ex duobus entibus in actu completo v. g. ex Petro, & Ioanne non fieri vnum per se, quia non possunt per se vniri, ex duobus verò entibus in actu incompleto, fieri

recte

rectè vnum per se, quia per se vniri possunt, vt per se quodlibet illorum per alterum compleatur: vnde cum materia prima & forma habentes proprias existentias sint tantum entia in actu incompleto, possunt recte per se vniri, & ex illis resultat vnum per se.

24 Obiiciant quintò principaliter, quævis substantia creata existens pertinet ad aliquam speciem, cum sub aliquo prædicamento necessariò constituatur, sed si materia secundũ, se esset existens per propriam existentiam, & non beneficio formæ, ipsa secundum se, vt existens non pertineret ad aliquam speciem, quia materia habet speciem per formam, ergo materia non est secundum se existens per propriam existentiam, sed tantum beneficio formæ. Respondeo, quamlibet substantiam creatam, vt existentem esse secundum se in aliqua specie completa, vel incompleta, si substantia completa sit, vt homo, est in specie completa hominis, si vero sit substantia aliqua incompleta, vt anima rationalis, est in specie incompleta animæ rationalis, & sic de aliis. Materia prima habet per formam esse completum, atque ita per illam habet esse in specie completa, ipsa verò vt existens secundum se habet esse incompletum materiæ primæ, atque ita per seipsam habet esse in specie incõpleta materiæ primę.

DISPVTATIO III.

An materia prima, propriam habeat subsistentiam qua verè, & propriè subsistat.

TRia capita continebit. In primo, ratio formalis substantiæ declaratur & defenditur. In secundo, materia prima propriam habet subsistentiam, qua verè subsistens sit. In tertio, inquiro, an forma etiam materialis propria & vera licèt non ita perfecta subsistentia gaudeat.

CAPVT I.

Ratio formalis subsistentiæ declaratur, & defenditur.

1 HÆc materia ad Metaphysicam attinet, sed quia non potest conuenienter explicari, quo modo materia prima habeat propriam subsistentiam, nisi prius, ratio formalis, & quidditas subsistentiæ dignoscatur, ideo de ratione formali subsistentiæ in præsenti differemus, in Metaphysicam remittentes fusiorem de hac re tractatum: quærimus ergo in quonam subsistentia vt sic formalissimè consistat.

2 ASSERTIO sit. Subsistẽtia vt sic formaliter est ratio formalis, per quã natura proxime & connaturaliter non est in alio, vel non dependet ab alio tamquam à subiecto inhæsionis. Probatur apertè, substantia formaliter vt substantia directè opponitur accidẽti formaliter vt accidenti, ergo, id per quod cõpletur substãtia in ratione substãtiæ directè opponitur illi per quod completur accidens in ratione accidentis: sed subsistentia vt sic formaliter, est id, per quod completur substantia in ratione substantiæ, & inhæsio est id, per quod completur accidens in ratione accidentis vt omnes fatentur, ergo subsistentia vt sic formaliter opponitur directè inhæsioni formali inhæsioni. Tunc sic: atqui inhæsio vt sic formaliter est illa ratio, per quam accidens proximè, & connaturaliter est in alio, vel pẽdet ab alio tanquam à subiecto inhæsionis, ergo subsistentia vt sic formaliter est illa ratio, per quam substantia seu natura substantialis proximè & connaturaliter non est in alio, aut non dependet ab alio, vt à subiecto inhæsionis. Ita communiter Doctores & PP. Hurtado disp. 2. sect. 7. Arriaga 1. phys. disp. 2. sect. 7. Carleton disp. 8. met. sect. 9. per totam. Auersa quæst. 20. sect. 9. Murçia 1. physic. disp. 5. quæst 5. Plaça disp. p. 4. quæst. 5.

3 Obiiciat autem quispiam, natura creata angelica, v.g. vt præcisa à modo subsistentiæ ab ipsa distincto, non est subsistens, sicut paries vt præcisus à forma albedinis non est albus, sed natura creata Angeli, vt præcisa à modo distincto subsistentiæ, est independens ab alio, tamquam à subiecto inhæsionis, imò & ab omni subiecto, ergo subsistentia vt sic formaliter non est ratio illa per quam natura redditur independens ab alio vt à subiecto inhæsionis: minor probatur; per id aliqua res sit independens à subiecto, per quod est incapax talis dependentiæ à subiecto, atqui natura creata Angeli, vt præcisa à modo distincto subsistentiæ per se ipsam est incapax omnino dependentiæ à subiecto, ergo natura creata Angeli, vt præcisa à modo subsistentiæ per se ipsam est independens ab omni subiecto: confirmatur, creatio est productio rei independenter à subiecto, atque ita natura vt creata formaliter, ac præcisè est independens à subiecto, sed natura Angelica secundum se vt præcisa à modo distincto subsistentiæ est creata, ergo vt sic præcisa est independens à subiecto, ergo &c.

4 Dicat aliquis subsistentiam esse rationem illam per quam natura sit independens formaliter à subiecto inhæsionis, quod quidem non habet natura Angelica secũdum se vt præcisa à modo distincto subsistentiæ, vt sic enim solùm est independens à subiecto radicaliter, non verò formaliter: sed contra, creatio directè & formaliter opponitur eductioni, ac generationi, atque ita eo modo, quo eductio reddit rem dependentem à subiecto, creatio reddit rem dependentem ab illo, quia sicut eductio est productio rei dependenter à subiecto, ita creatio est productio rei independenter ab illo, atqui eductio rei reddit rem dependentem formaliter à subiecto, ergo creatio reddit etiam rem formaliter indepẽdentem ab illo, ergo natura Angelica vt creata & præcisa etiã à modo distincto subsistentię est non radicaliter tantum, sed etiã formaliter independens à subiecto.

5 Obseruo pro dilutione obiectionis, sicut duplex est in forma materiali dependentia à subiecto, alia est dependentia à priori, qua talis forma pendet & causatur à subiecto, quæ quidem dependentia est ipsamet actio eductiua, per quam formaliter forma materialis pendet, & causatur à materia; alia est dependentia à posteriori, qua formaliter talis forma pendet, sed non causatur à subiecto supponitur verò causata, & hæc dependentia ad priorem formæ causalitatem consequitur, quæ quidem dependentia est vnio, qua forma materialis ita adhæret subiecto vt non possit esse naturaliter sine illo, atque ita dependet ab ipso, non verò à priori sed tantum à posteriori, quia forma materialis per vnionem formaliter non causatur à subiecto, sed consequitur ad eius causalitatem vt lib 2. dicemus; sic similiter duplicem esse independentiam naturæ creatæ Angelicæ, v. g. à subiecto, alia est independentia à priori, qua formaliter natura fit, & causatur independens à

subiecto

ſubiecto, & hæc independentia eſt ipſa actio exactiua, per quam formaliter natura cauſatur & fit independenter à ſubiecto, & opponitur directè dependentiæ à priori, ſcilicet actioni eductiuæ; alia eſt independentia à poſteriori qua formaliter natura non fit, nec cauſatur, ſed conſequitur ad talem cauſalitatem & eſt à ſubiecto independens, quæ quidem independentia eſt ipſa ſubſiſtentia naturæ, per quam formaliter natura non fit, nec cauſatur, ſed conſequitur ad talem cauſalitatem atque ita à poſteriori eſt independens à ſubiecto, & opponitur directè dependentiæ à poſteriori, ſcilicet vnioni neceſſariæ cum ſubiecto.

6 Hoc ergo poſito, facilè ad obiectionem. Reſpondeo ſubſiſtentiam vt ſic, eſſe rationem illam, per quam natura Angelica, v.g. eſt independens formaliter à ſubiecto inhæſionis, non quidem à priori, ſed à poſteriori, vt eſt explicatum num. 5. naturam verò creatam Angelicam ſecundum ſe, præciſo modo diſtincto ſubſiſtentiæ eſſe formaliter independentem ab omni ſubiecto, non quidem à poſteriori, quod debebat habere per modum diſtinctum ſubſiſtentiæ à quo tunc eſt præciſa, ſed tantùm independentem à priori, quod habet formaliter per creationem, vt argumentum conuincit & ideo naturam illam vt ſic præciſam ab illo modo non habere effectum formalem ſubſiſtendi, rectè ergo ratio ſubſiſtentiæ explicatur per dictã independentiam à ſubiecto inhæſionis.

7 Sed ſolutionem quis vrgeat: rem aliquam non eſſe in alio, vel nõ dependere ab alio vt à ſubiecto inhæſionis etiam à poſteriori eſt formaliter fundare negationem vnionis inhæſiuæ cum ſubiecto, ergo talis natura vt ſic præciſa ſecundùm ſe eſt dependens à ſubiecto inhæſionis à poſteriori, & tamen vt ſic præciſe non eſt ſubſiſtens, ergo ratio ſubſiſtentiæ non conſiſtit in prædicta independentia à ſubiecto inhæſionis à poſteriori; minor oſtenditur, primò natura per id fundat negationẽ vnionis inhæſiuæ cum ſubiecto, per quod repugnat tali vnioni inhæſiuæ, etenim per ſe ipſam repugnat inhærere ſubiecto, ergo natura Angeli, vt ſic præciſa per ſe ipſam fundat negationem vnionis inhæſiuæ cum ſubiecto; minor oſtenditur ſecundò, quando res aliqua per ſe ipſam non eſt indifferens, ſed determinata eſſentialiter ad aliquem formalem effectum, habet illum formaliter per ſe ipſam & non per aliquem modum diſtinctum, v.g. quia viſio albedinis ſecundum ſe non eſt indifferens, ſed determinata eſſentialiter ad videndam albedinem, habet hoc, quod eſt videre albedinem per ſe ipſam eſſentialiter, & non per modum diſtinctum; atqui natura Angelica, vt præciſa à modo ſubſiſtentiæ ſecundùm ſe non eſt indifferens, ſed determinata eſſentialiter ad fundandam negationem vnionis inhæſiuæ cum ſubiecto, etenim non poteſt vlla ratione illam non fundare, cum nequeat inhærere ſubiecto, ergo natura Angelica, vt ſic præciſa per ſe ipſam eſſentialiter, & non per modum diſtinctum fundat negationem vnionis inhæſiuæ cum ſubiecto. Minor oſtenditur, tertiò, natura ſubſtantialis ſecundum ſe formaliter ac præciſe directè opponitur formæ accidẽtali etiam ſecundum ſe præciſe, ac formaliter, ſed forma accidentalis vt ſic præciſe ac formaliter fundat vnionem inhæſiuam cum ſubiecto, ergo natura ſubſtantialis ſecundum ſe præciſe ac formaliter fundat negationem talis inhæſionis cum ſubiecto.

8 Reſp. tamen ſubſiſtentiam vt ſic formaliter eſſe rationem illam, qua natura formaliter, completè, & proximè non eſt in alio vt in ſubiecto inhæſionis, vel (quod idem eſt) eſt ratio, per quam natura formaliter complete & proximè fundat negationem vnionis inhæſiuæ cum ſubiecto, natura autem Angelica, vt præciſa à modo diſtincto ſubſiſtentiæ ſecundum ſe non fundat formaliter complete, & proxime negationem talis vnionis inhæſiuæ, ſed tantum remote, & incomplete, & ideo vt ſic præciſe nec habet rationem formalem ſubſiſtentiæ, nec eſt ſubſiſtens. Ad primam minoris probationem dico per id formaliter naturam illam fundare proxime, & complete negationem vnionis inhæſiuæ, per quod proxime & complete repugnat habere talem inhæſionem, natura autem Angeli vt præciſa ab illo modo diſtincto ſubſiſtentiæ non repugnat proxime, & complete tali vnioni inhæſiuæ, ſed ſolum incomplete, & remote, nam illa natura, eatenus repugnat inhæſioni, quatenus eſt ſubſiſtentia, vt ſic verò præciſa ab illo modo ſubſiſtentiæ non eſt ſubſiſtentia proxime, & complete ſed tantùm remote, & complete, cum ille modus ſubſiſtentiæ, à quo præſcinditur, ſit complementum ſubſtantiæ, atque ita vt ſic præciſa non repugnat proxime, & complete tali inhæſioni, ſed tantum incomplete, & remote, ac proinde natura vt ſic præciſa non fundat proxime & complete negationem vnionis inhæſiuæ cum ſubiecto, nec eſt formaliter ſubſiſtens. Ad ſecundam dico, quando res aliqua ſecundum ſe non eſt indifferens, ſed determinata eſſentialiter proxime, & complete ad aliquem formalem effectum, illum habere per ſe ipſam eſſentialiter ac præciſe, & non per modum diſtinctum, v.g. quia viſio albedinis eſt complete, ac proxime determinata eſſentialiter ad videndam albedinem, non poteſt habere hoc quod eſt videre albedinem per modum ſuperadditum, ſed per ſe ipſam formaliter ac præcisè, quando verò res aliqua ſecundum ſe non eſt indifferens ſed determinata eſſentialiter, non verò proximè, & complete, ſed tantum remote, & incomplete ad aliquem formalem effectum, non habere illum per ſe ipſam formaliter, ac præcisè, ſed per modum ſuperadditum: verbi gratia, natura Angelica ſecundum ſe non eſt indifferens, ſed determinata eſſentialiter: vt pendeat & creetur à Deo, non enim poteſt ab ipſo non pendere & creari, & tamen quia ſecundum ſe non eſt ad id determinata proxime & complete, ſed tantum remote & complete, ideo (iuxta opinionem communem) habet hoc quod eſt, actu pendere & creari à Deo, non per ſe ipſam formaliter, ac præcisè: ſed per modum creationis ſuperadditum; natura ergo ſubſtantialis Angelica, verbi gratia, vt præciſa à modo diſtincto ſubſiſtentiæ non eſt proximè completa in ratione ſubſtantiæ, atque ita licet non ſit indifferens, ſed determinata eſſentialiter ad fundandam negationem inhæſionis, non eſt tamen ad id determinata proxime & complete, ſed tantum incomplete, & remote, & idcirco natura, vt ſic præciſa non fundat per ſeipſam negationem inhæſionis, ſed per modum ſubſiſtentiæ ſuperadditum. Ad tertiam dico naturam ſubſtantialem vt ſic formaliter directe opponi formæ accidentali, non quidem negatiuè, & quaſi contradictoriè, ſed priuatiuè, & quaſi contrariè, vnde ex eo quod forma accidentalis per ſeipſam fundet inhæſionem, non ſequitur quod natura ſubſtantialis fundet negationem inhæſionis, hoc enim eſſet, quaſi contradictoriè opponi, ſed ſolum ſequitur, quod natura ſubſtantialis per ſeipſam fundet modum ſubſiſtentiæ poſitiuum quaſi contrarium inhæſionis qui fundat talem negationem inhæſionis, quod eſt opponi quaſi contrariè.

Verùm iterum inſurgat, ſi natura Angelica per poſſibile aut impoſſibile crearetur à Deo, de potentia abſoluta ſine modo ſuperaddito ſubſiſtentiæ, vt ſic creata fundaret proximè per ſe ipſam negationem 9

inhæſionis,

inhæsionis, tunc enim nō haberet modum per quem illam proximè fundaret, & tamen talis natura non esset subsistens, cum non haberet in se modum subsistentiæ; ergo fundare proximè negationem inhæsionis non est formalis ratio subsistentiæ. Confirmatur, accidentia in Eucharistia per se formaliter vt creata fundāt proximè negationem inhæsionis; non enim habent modum subsistentiæ per quem illam proximè, & completè fundent, quia sicut implicat subsistentiam habere inhæsionem, ita repugnat accidens habere subsistētiam; ergo etiam natura Angeli per se ipsam vt creatam formaliter, ac præcisè fundabit complete, & proximè negationem inhæsionis, & non per modum distinctum subsistētiæ; ergo illa ratio assignata, non est ratio formalis subsistentiæ.

10 Respondeo cum supponitur aliquod impossibile, quod destruit essentiam rei, duo contradictoria supponi, & duo contradictoria sequi, vt monstrauimus in Logica disp. 4. cap. 5. si autem modò supponamus naturam substantialem à Deo creari quæ non habeat de facto modum subsistentiæ, atque ita quæ non habeat essentialem cōnexionem cum illo, supponimus quoddam impossibile quod destruit essentiam rei, scilicet naturæ substantialis, quæ secundum suam essentiam habet essentialem connexionem cum modo subsistentiæ, & non potest esse sine illo vt in metaphysica ostendam, atque ideo duo contradictoria supponi, scilicet naturam illam Angeli esse substantialem, vt fatemur, & non esse substantialem, quia supponimus non habere essentialem connexionem cum subsistentia, quod est de essentia substantiæ & inde etiam duo contradictoria sequi, scilicet naturam Angeli fundare proximè negationem inhæsionis quia est substantialis, & consequenter habens essentialem connexionem cum subsistentia per quam illam negationem inhæsionis proximè fundat, & etiam non fundare proximè negationem inhæsionis, quia ex tali suppositione non habet modum subsistentiæ, ac per consequens, nec est substantialis, vnde natura secundum se, præciso modo subsistentiæ non potest fundare proximè, & completè negationem vnionis inhæsiuæ, in qua est formalis ratio, & quidditas subsistentiæ Ad confirmationem dico, accidentia in Eucharistia creata non habere subsistentiam vt argumentum conuincit, habere tamen modum quemdam distinctum perfeitatis, per quem existunt per se; & fundant proximè negationem actualis inhæsionis vt docent optimè Suarez tom. 3. in 3. part. disputat. 56. sect. 2. §. *tertiò hoc* Vasquez ibidem disputat. 194. cap. 2. num. 16. Valentia 3. part. quæst. 77. Diui Thomæ punct. 1. §. *quod si quæras*, vnde sicut hæc accidentia per se ipsa vt creata non fundant negationem inhæsionis proximè, sed tantum per modum perfeitatis ipsis superadditum, qui quidem, quia non est connaturale complementū naturæ, ideo subsistentia non dicitur, ita natura Angeli, per se ipsam vt creatam præcisè non fundat proximè negationem inhæsionis, sed tantum per modum perfeitatis superadditum, quia cum sit connaturale complementum naturæ, ideo subsistentia vocatur.

11 Sed instet, res aliqua non dat alteri formaliter quod ipsa non habet, atqui modus superadditus subsistentiæ, non habet in se formaliter proximè independere à subiecto, imo ab ipso subiecto depēdet, ergo talis modus subsistentiæ non dat formaliter naturæ Angelicæ esse proximè independenter à subiecto, igitur natura ista secundum se, vt præcisa ab illo modo est proximè independens à subiecto, & tamen vt sic præcisa non est subsistēs, ergo non pēdere proximè à subiecto non est ratio formalis subsistentiæ. Resp. formam non necessariò habere in se *vt quod* id quod alteri formaliter præstat, sed tantum illud habere *vt quo*. Visio enim coloris, qua color redditur formaliter visus, ipsa in se non est visa *vt quod*, sed potius non visa, est tamen visa *vt quo*, quia est ratio formalis, qua color reddatur visus: & albedo quę dat parieti formaliter esse album, ipsa in se non est alba *vt quod*, sed tantum est alba *vt quo*, quia est ratio qua paries redditur albus, sic ergo modus subsistentiæ quæ dat formaliter naturæ Angelicæ esse proximè independentem à subiecto, ipse non est independens à subiecto *vt quod*, est tamen independes *vt quo* quia est formalis ratio, qua talis natura redditur proximè à subiecto independens.

Igitur subsistentia vt sic formaliter est ratio formalis, per quam natura formaliter proximè, & complete est independens à posteriori ab alio, vt à subiecto inhæsionis, vt satis monstratum est. Hæc autem subsistentia diuiditur in totalem & partialem: subsistentia totalis est illa, qua natura totalis est proximè indepēdēs ab alio, vt à subiecto inhæsionis, quæ quidem si tantùm compleat naturam in ratione naturæ, non in ratione suppositi, dicitur subsistentia cōmunis quæ tantū in diuina natura, vt præcisa à relationibus reperitur; si verò compleat naturam irrationalē in ratione suppositi, suppositalitas dicitur, vt subsistentia equi, aut leonis, si verò compleat naturam intellectualē in ratione personæ, personalitas appellatur; vt in diuinis Paternitas, filiatio, & spiratio, & in creatis subsistentia Angeli, & subsistentia hominis. 12

Subsistentia autem partialis est illa qua natura partialis redditur proximè à subiecto inhæsionis independens. Hæc verò est duplex, alia perfecta, alia nō ita perfecta, subsistētia partialis perfecta est illa, qua natura partialis redditur proximè independens, ab omni subiecto, vt subsistētia animæ rationalis, quod sic ostendo. Subsistentia perfecta vt sic formaliter est ratio illa, per quam natura opponitur directè non solùm accidēnti, sed etiam adhærenti alteri, sed forma adhærens alteri vt sic formaliter est dependens à subiecto, ergo subsistentia perfecta est illa, quâ natura redditur proximè independens à subiecto; subsistentia autem partialis non ita perfecta, est illa, qua natura partialis redditur proximè independens, non à quocumque subiecto, sed tantùm à subiecto inhæsionis, quod sic ostendo; subsistentia non ita perfecta est illa, qua natura solum opponitur directè accidenti, vt sic formaliter, sed accidens vt sic formaliter solùm est dependens à subiecto inhæsionis, ergo subsistentia non ita perfecta est illa, qua natura est proximè independens tantùm à subiecto inhæsionis. 13

Hoc ergo posito certum est materiam primam nō habere subsistentiam totalem, cum ipsa non sit natura totalis, sed partialis; quæritur autem an materia prima habeat aliquam subsistentiam saltem partialem, qua verè subsistat. 14

CAPVT II.

Materia prima propriam habet subsistentiam qua verè subsistens sit.

MVltorum sententia est, materiam primam non habere propriam subsistentiam qua verè & propriè subsistat ipsa secundum se, sed tantùm simul cum forma subsistere per subsistentiam compositi, ita P. Molina 1. p. q. 29. art. 2. disp. 3. Vasq. 1. part. disp. 125. cap. 4. num. 17. & disp. 174. à num. 15. & tom. 1. in 3. p. disp. 32. P. Fonsec. lib. 5. met. cap. 8. q. 5. sect. 4. & alij recentiores. 15

Assertio tamen sit. Materia prima secundùm se veram

16 Assertio tamen sit. Materia prima secundùm se veram & propriam habet subsistentiam, qua verè & propriè etiam intrà compositum subsistit. Ita P. Suarez 2. met. disp. 34. sect. 5. num. 36. & in 3. p. disp. 17. sect. 1. Rubius hîc disp. 4. q. 5. Murçia, suprà q. 3. Plaça disp. 4. q. 5. Auersa q. 20. sect. 9. P. Hurtado suprà subsect. 1. ad 7. quibus recentiores alij subscribunt, & est expressa sententia D. Thom. 3. p. q. 6. art. 3. ad 1. art. 4 ad 3. & 1. p. q. 75. art. 2. ad 1. vbi de subsistenti differens ait, hoc aliquid potest accipi dupliciter, *vno modo pro quocumque subsistente, alio modo pro subsistente completo in natura alicuius speciei, primo modo excludit inhærentiam accidentis, & formæ materialis, secundo modo excludit imperfectionem partis.* Tunc sic, iuxta D. Thom. subsistens quocumque modo, hoc est partialiter, & incomplete, est illud quod ita existit per se, vt excludat inhærentiam accidentis & formæ materialis, atqui materia prima secundùm se etiam intrà compositum ita per se existit, vt excludat inhærentiam accidẽtis, & formæ materialis, cum in nullo sit subiecto, est enim subiectum primum; ergo iuxta D. Thom. materia prima etiam intra compositum veram habet partialem subsistentiam, qua verè & propriè sit partialiter subsistens.

17 Probatur primò à priori, subsistentia vt sic formaliter est ratio formalis, per quam natura est independens proximè ab alio tamquam à subiecto inhæsionis, vt monstratum est suprà num. 18. atqui materia prima secundùm se est proximè independens ab alio vt à subiecto inhæsionis cum ipsa primũ subiectum sit; ergo materia prima secundum se veram habet subsistentiam saltem partialem. Confirmatur, ideo anima rationalis habet propriam subsistentiam, quia ita existit per se vt non dependeat ab alio, tamquam à subiecto, sed materia prima ita existit per se vt non dependeat ab alio tamquam à subiecto; ergo materia prima secundùm se veram habet subsistentiam.

18 Dicat aliquis materiam primam verè sustentari, & pendere in suo esse à forma, nam si ab omni forma separetur naturaliter euaneſcet, atque ideo ipsam secundùm se non esse subsistentem, subsistens enim est illud, quod in modo essendi ab alio non sustentatur, nec pendet. Sed contrà, materia prima non pendet à forma tamquam à causa verè influente, sed solùm tamquam à conditione & pulchritudine illius necessariò requisita, vt ipsa in suo esse naturaliter conseruetur, vt infrà ostendam disp. 9. cap. 2. num. 12. atqui dependentia rei ab alio tamquam à conditione, & pulchritudine requisita ad eius conseruationem, non tollit quominùs talis res verè subsistat, etenim compositum naturale hoc modo, ab ipsius affectionibus, & accidentibus pendet, & tamen verè subsistit; igitur materia prima licèt sic dependeat à forma, propriam habet subsistentiam qua verè subsistat.

19 Occurrat prætereà dicens materiam primam secundùm se non esse omnino completam & incommunicabilem, cum possit compleri per formam & communicari composito, & ideo secundùm se non subsistere, quia subsistentia est terminus & complementum naturæ; sed contrà, anima rationalis secundùm se præcise, verè subsistit, vt omnes admittunt, & docet ipse D. Thom. 1. p. q. 75. art. 2. ad 1. & ratio aperte suadet, quia in triduo mortis Christi eius anima rationalis, secundùm se ac separata à materia extitit assumpta à Verbo diuino, & terminata per subsistentiam ipsius, atqui anima rationalis secundùm se aut separata à materia non est omnino completa & incommunicabilis, cum possit compleri per materiam in ratione compositi naturalis, & ipsi composito communicari; ergo licèt materia secundùm se non sit omnino completa, & incommunicabilis verè subsistet.

Probatur secundò, natura humana Christi eo modo est terminata per Verbum diuinum, quo ipsa debebat naturaliter terminari per subsistentiam creatam, nam subsistentia Verbi increata gerit vices subsistentiæ creatæ, atqui Verbum terminauit materiam primam independenter ab vnione cum forma rationali, nam pereunte in triduo, tali vnione materiæ cum forma rationali, manſit materia Christi eodem modo per Verbum terminata; ergo subsistentia creata debebat naturaliter terminare materiam independenter ab vnione cum forma rationali; sed si materia prima secundùm se non haberet propriam subsistẽriam, sed tantùm subsisteret per subsistentiam formæ rationalis, aut compositi, talis subsistẽtia non terminaret materiam independenter, sed potiùs omnino dependenter ab vnione cum forma rationali, vt per se constat; ergo materia secundùm se naturaliter habet propriam subsistentiam & non subsistit per subsistentiam formæ rationalis, aut compositi. Confirmo, eo modo natura humana Christi debebat terminari per subsistentiam creatam, quo terminatur per Verbum vt iam ostendi, sed Verbum per distinctam vnionem terminat animam rationalem & per aliam distinctam vnionem terminat materiam vt omnes fatentur; ergo subsistentia creata talis naturæ si daretur, distincta vnione terminaret materiam, & distincta vnione terminaret animam rationalem, atqui vnio subsistentiæ creatæ non est reipsa distincta ab ipsa subsistentia creata, sed est idem cum illa, quæ cùm sit modus, per se ipsam essentialiter vnitur; ergo distincta esset subsistentia creata, quæ terminaret materiam, & distincta esset subsistentia quæ terminaret formam rationalem; ergo materia prima secundùm se naturaliter propriam habet subsistentiam distinctam à subsistentia formæ. 20

Obiiciat autem quis primò, subsistentia vt omnes admittunt, est vltimus terminus, & complementum naturæ, atque ita natura subsistens est vltimò terminata, & completa, sed materia prima secundùm se non est natura completa, sed complebilis per formam substantialem; ergo materia prima secundùm se non est subsistens. Confirmatur, natura redditur formaliter per subsistentiam alteri incommunicabilis, sed materia prima secundùm se non est incommunicabilis alteri, est enim communicabilis composito naturali; ergo materia prima secundùm se non habet propriam subsistentiam. 21

Resp. subsistentiam esse vltimum complementum naturæ in propria ratione naturæ, cuius est subsistentia, vnde subsistentia totalis, quæ respicit naturam totalem, complet illam in propria ratione naturæ totalis, & illam reddit incommunicabilem alteri, à quo compleatur in propria ratione naturæ totalis, licèt illam aliquando relinquat communicabilem alteri, à quo compleatur in ratione suppositi, vt postea inferam: subsistentia verò partialis cum respiciat naturam partialem, complet illam solùm in propria ratione naturæ partialis, & illam incommunicabilem reddit alteri, à quo compleatur in tali ratione naturæ partialis, illam verò relinquit communicabilem alteri, à quo compleatur in alia ratione naturæ totalis, vt in subsistentia animæ rationalis monstraui suprà n. 19. cùm ergo materia prima secundùm se sit cõpleta in propria ratione naturæ partialis, & incommunicabilis alteri, à quo in tali ratione naturæ partialis compleatur, ideo licèt sit communicabilis formæ à qua cõpleatur in alia ratione naturæ totalis veram habet partialẽ subsistẽtiam qua partialiter subsistat. 22

Sed vrgeat; materia prima, etiam vt formaliter est affecta illo modo subsistentiæ, est vlterius complebilis; 23

plebilis; ergo ille modus non est complemẽtum materiæ, ac per consequens nec vera subsistentia per quam ipsa materia prima subsistat. Antecedens probatur, ille modus, aut subsistentia partialis materiæ, vnitur cum alia subsistentia formæ per quam completur in ratione subsistentiæ; ergo materia etiam vt formaliter affecta illo modo subsistentiæ est vlteriùs complebilis. Resp. subsistentiam partialem materiæ non posse vlteriùs compleri, quasi intensiuè in ratione subsistentiæ partialis, quod sufficit, vt ipsa verè sit subsistentia partialis, & partialis terminus, & complementum materiæ primæ, licèt complebilis sit quasi extensiuè per subsistentiam formæ in ratione subsistentiæ totalis, & eodem modo materiam primam vt affectam illa partiali subsistentia & completam quasi intensiuè in ratione naturæ partialis, quod sufficit, vt sit partialis, licèt sit complebilis, quasi extensiuè, per formã in ratione naturæ totalis.

24 Hinc infero, naturam diuinam vt præcisam à tribus diuinis personalitatibus habere subsistentiam absolutam, ac totalem, qua verè & propriè subsistat; ratio est quia subsistentia totalis est illa, qua completur natura in propria ratione naturæ totalis, & incommunicabilis redditur alteri, à quo in tali ratione naturæ totalis compleatur; atqui natura diuina vt sic præcisa, est completa in ratione naturæ diuinæ totalis, & licèt sit communicabilis tribus personalitatibus, non tamen est communicabilis illis vt per illas compleatur in propria ratione naturæ totalis, sed solùm vt compleatur in ratione suppositi, vt ex Theologia suppono: ergo natura diuina vt sic præcisa à tribus diuinis personalitatibus veram habet subsistentiam absolutam & totalem.

25 Obiiciat secundò, idem omnino est suppositum, ac subsistens, suppositalitas, ac subsistentia vt ex multis Concil. ac Ecclesiæ Patrum dictis probare contendit Vasquez 1. p. disp. 125. cap. 4. & tom. 1. disp. 32. atqui nulla est partialis suppositalitas; nam de essentia suppositalitatis est, quod sit vltimum & totale complementum naturæ totalis, atque ita dicere suppositalitas partialis est implicare in adiecto; ergo nulla est etiam subsistentia partialis, sed materia iuxta omnes non subsistit subsistẽtia totali; ergo nec absolutè subsistit. Resp. subsistens latiùs patere, quam suppositũ, subsistens enim stat pro subsistente completo, & pro subsistente incompleto, vt docui suprà, ex D. Thom. num. 16. suppositum verò stat tantùm pro subsistente completo, vnde licèt dari non possit partialis suppositalitas, dari verò potest subsistentia partialis nec Cõcilia & Patres quos P. Vasq. affert, aliud docuerunt, solùm enim loquuntur de diuinis subsistentiis relatiuis in concretis, quæ quidem suppositа diuina sunt, & ideo ibi iuxta subiectam materiam, idem est suppositum, ac subsistens; non verò negant dari subsistentias partiales, cũ sentiant animam rationalem separatam verè subsistere, quæ quidẽ non subsistit subsistentia totali, sed subsistentia tantũ partiali qua etiã subsistit materia prima.

26 Obiiciat tertiò, subsistere est ita esse per se, vt non sit in alio, sed materia prima est in alio, scilicet in composito, quod constituit; ergo materia prima non subsistit: confirmatur: pars dicit ordinẽ ad aliam compartem, atque ita sicut non potest etiam esse vna pars, sine alia comparte, non potest etiam esse vna subsistentia partialis sine alia subsistentia compartiali; ergo si in equo v.g. daretur ex parte materiæ aliqua subsistentia partialis, etiam ex parte formæ daretur alia subsistentia compartialis, atqui ex parte formæ equi non datur subsistentia cõpartialis; quia forma equi, cum sit dependens à subiecto non subsistit, ergo nec ex parte materiæ datur subsistentia aliqua partialis. Resp. esse in alio solùm tamquam in composito non tollere rationem subsistendi, anima enim rationalis est in alio vt in composito & tamen verè subsistit; rationem verò subsistentiæ euertere, esse in alio, tamquam in subiecto inhæsionis, cũ ergo materia prima non sit in alio vt in subiecto inhæsionis, ideo licèt sit in composito verè subsistit. Cõfirmationis solutio petit, vt examinemus, an forma substantialis corporea habeat veram subsistentiam partialem, quod sequenti capite præstabimus.

Sed priùs aduerto materiam primam secundùm se non solùm habere subsistentiam partialem, sed habere etiam subsistentiam partialem perfectam. Probatur, subsistentia partialis perfecta est illa, qua natura existit, non solum independenter à subiecto inhæsionis, sed etiam ab omni subiecto, vt ostendi n. 13. atqui materia prima secundùm se est independens ab omni subiecto, cum ipsa sit primum subiectum; ergo materia prima habet in se subsistentiam partialem perfectam. 27

CAPVT III.

An forma etiam materialis substantialis, verâ, licèt non ita perfectâ subsistentiâ gaudeat.

28 PLerique censent formam substantialem corpoream veram non habere subsistentiam partialem qua ipsa, secundùm se verè, & propriè subsistat, ita Autores citati suprà num. 15. quibus accedit P. Suarez tom. 2. met disp. 34. sect. 5. num. 45. & alij qui hanc sententiam, Sanctorum Patrum auctoritate confirmant, asserentium solam animam rationalem non verò animas brutorum subsistere. Sed quidem Patres loquuntur solùm de subsistentia perfecta, qua anima rationalis existit per se independenter ab omni subiecto, & hac subsistentia dicunt solam rationalem animam subsistere, non verò animas brutorum, vt inde solius animæ rationalis præ cæteris immortalitatem hauriant, non verò negant formam materialem subsistere alia subsistentia non ita perfecta, quod modò in controuersiam vocamus.

29 Assertio ergo sit, forma substantialis corporea, veram, licèt non ita perfectam, habet subsistentiam, qua verè & propriè subsistat. Ita P. Hurtado sect. 7. Auersa, Murcia, probabilem reputat Arriaga disp. 4. met. sect. 9. Plaça ibidem, Card. Lugo disp. 14. de Incarnat. sect. 2. & 3. Hennao de Empyrologia part. 1. exercitat. 8. sect. 8. & plures recentiores sapientissimi, quibus subscribo. Probatur primò: subsistentia vt sic formaliter est ratio formalis per quam natura proximè est independens ab alio vt à subiecto inhæsionis, vt monstrauimus suprà num. 2. sed forma substantialis corporea secundùm se est proximè independens ab alio vt à subiecto inhæsionis: ergo forma substantialis corporea propriam habet subsistentiam qua verè & propriè subsistat; minor probatur, pendere ab alio vt à subiecto inhæsionis est ita pendere à subiecto, vt cum illo ens non per se sed per accidens constituat, atqui forma substantialis corporea non ita pendet à subiecto, vt cum illo ens aliquod, non per se sed per accidens constituat; forma enim substantialis vnum per se cum materia constituit; ergo forma hæc nõ pẽdet ab alio vt à subiecto inhæsionis

30 Probatur secundò, Verbum diuinum rectè potuit formam substantialẽ corpoream assumere ac terminare, imò vt docet Suarez tom. 1. in 3. disp. 14. sect. 2. in fine, probabile est terminasse de facto Verbum diuinum in triduo mortis Christi formam materialem cadaueris; tunc sic, quando Verbum terminat aliquam naturam vnione noua ac diuersa supplet subsistentiam aliquam creatam nouam

ac

ac diuerſam ab ea ſubſiſtentia; atqui in prædicto caſu Verbum diuinum terminat formam materialem cadaueris vnione noua ac diuerſa ab ea vnione, qua terminat materiam primam; cum talis vnio Verbi cum materia extiterit ante Triduum mortis Chriſti abſque vnione illa eiuſdem Verbi cum forma; ergo Verbum diuinum diuerſam ſubſiſtentiam creatam ſupplet per vnionem cum forma materiali, ac ſupplet per aliam vnionem cum materia; ſed per vnionem cum materia ſupplet Verbum diuinum ſubſiſtentiam materiæ; ergo per vnionem cum forma materiali ſupplet aliam diuerſam ſubſiſtentiam talis formæ, igitur forma materialis etiam veram habet ſubſiſtentiam.

Probatur tertiò, vna ſubſiſtentia partialis neceſſariò requirit alteram compartialem, ſicut vna pars neceſſariò requirit aliam compartem, ſed materia prima equi v. g. habet ſubſiſtentiam partialem, vt oſtenſum eſt cap. 2. ergo ex parte formæ equi, quæ eſt materialis debet neceſſariò dari alia ſubſiſtentia compartialis. Suarez dicta diſput. 34. met. ſect. 5. num. 35. admittens ex parte formæ corporeæ modum quendam ab ipſa ex natura rei diſtinctum, quo ſubſiſtentia partialis materiæ in ratione ſubſiſtentiæ totalis compleatur, poſtea num 43. docet iſtum modum veram non eſſe ſubſiſtentiam, nec per illum verè formam materialem ſubſiſtere. Sed non rectè loquitur: primò, quia ſicut ſubſtantia partialis non completur in ratione ſubſtantiæ totalis, niſi per aliam ſubſtantiam partialem: ita & ſubſiſtentia partialis non completur in ratione ſubſiſtentiæ totalis, niſi per aliam ſubſiſtentiam partialem; ergo ſi modus ille tenens ſe ex parte formæ complet ſubſiſtentiam partialem materiæ in ratione ſubſiſtentiæ totalis, ille quidem debet neceſſariò eſſe ſubſiſtẽtia partialis. Secundò, quia per illum modum tenentem ſe ex parte formæ ipſa forma materialis eſt independens ab alio vt à ſubiecto inhæſionis, quæ eſt ratio formalis ſubſiſtentiæ vt oſtendi num. 2. ergo talis modus eſt ſubſiſtentia per quam forma ſubſiſtit.

Hinc infero etiam vnionem ſubſtantialem, quæ intercedit inter materiam & formam habere veram ſubſiſtentiam diſtinctam reipſa à ſubſiſtẽtia materiæ & à ſubſiſtentia formæ; primò, quia ſubſiſtentia eſt ratio per quam natura eſt independens à ſubiecto inhæſionis, hoc eſt à ſubiecto cum quo ens non per ſe, ſed per accidens conſtituat, ſed hæc vnio ſubſtantialis ſecundùm ſe eſt independens à ſubiecto inhæſionis, non enim facit cum illo ens per accidens, ſed ens per ſe; ergo vnio hæc ſecundùm ſe veram habet ſubſiſtentiam. Secundò, quia Verbum diuinum terminauit vnionem ſubſtantialem humanitatis vnione diuerſa ab illa, qua terminauit materiam, & ab ea, qua terminauit formam; terminauit quidem vnionem, quia terminauit humanitatem, quæ formaliter includit talem vnionem, terminauit illam vnione diuerſa, quia in triduo fuit vnio Verbi cum materia, & vnio Verbi cum forma, & non fuit vnio Verbi cum ſubſtantiali vnione inter materiam & formam; atque ita Verbum diuinum terminauit iſtã vnionem ſubſtantialem vnione diuerſa ab illa, qua terminauit materiam, & ab illa qua terminauit formam; ergo ſuppleuit aliquam creatam ſubſiſtentiam ex parte vnionis diuerſam à ſubſiſtentia materiæ, & à ſubſiſtentia formæ; patet conſequentia ex dictis ſuprà num. 30. ergo talis vnio habet propriam ſubſiſtentiam diſtinctam à ſubſiſtentia materiæ & formæ.

Obiiciat aliquis primò. D. Thomã 1. p. q. 75. art. 2. ad 1. vbi docet ſubſiſtens incomplete, ac partialiter excludere inhærentiam accidentis, & formæ materialis; ergo iuxta D. Thom. forma materialis nec partialiter ſubſiſtit: deinde rationem, quia ſubſiſtentia eſt ratio formalis per quam natura eſt independens à ſubiecto, ſed forma materialis ſecundùm ſe non eſt independens, ſed dependens à ſubiecto, ergo forma materialis ſubſtantialis non habet propriam ſubſiſtentiam: Reſp. D. Thom. ibi ſolùm loqui de ſubſiſtentia partiali perfecta, quæ eſt independentia ab omni ſubiecto, qua ſolùm ſubſiſtit anima rationalis, non verò forma materialis ſubſtantialis vt ibi Doct. Angelicus aſſerit, non verò loqui de alia ſubſiſtentia partiali, non ita perfecta: quæ eſt ſolùm independentia à ſubiecto inhæſionis, vt oſtendimus ſuprà num. 13. qua tantùm ſubſiſtit forma materialis, quo ratio hîc facta, & confirmatio obiectionis poſita ſuprà n. 26. facilè diluuntur.

Obbiiciat ſecundò, forma materialis, ſecluſo modo illo ſuperaddito ſubſiſtentiæ per ſolam vnionem ſubſtantialem ipſius formæ cum materia verè ſubſiſtit: ergo ille modus ſuperadditus ſubſiſtentiæ ex parte formæ ſuperfluus eſt. Probatur antecedens, ſubſiſtere eſt proximè independere ab alio vt à ſubiecto inhæſionis, hoc eſt naturam eſſe poſitiue & proximè ineptam vt conſtituat cum ſubiecto ens per accidens, atqui forma ſubſtantialis per ſubſtantialem vnionem cum materia eſt independens ab illa vt à ſubiecto inhæſionis, id eſt, eſt poſitiue inepta, vt cum illa ens per accidens conſtituat; cum per talem vnionem conſtituat cum materia vnum per ſe: ergo forma ſubſtantialis corporea ſecluſo modo illo ſuperaddito ſubſiſtentiæ per ſolam vnionem ipſius formæ cum materia verè ſubſiſtit.

Sed aduerto in primis ſubſtantialem vnionem formæ corporeæ, cum materia nulla ratione eſſe ſubſiſtentiam talis formæ, primò, quia ſi Verbum (vt poteſt) terminaret compoſitum purè materiale, v. g. ignem; terminaret materiã & formam materialem inter ſe vnitas, atqui ita ibi nõ eſſet ſubſiſtentia creata formæ nec ſubſiſtentia creata materiæ, quia ſupplentur per ſubſiſtentiam increatam Verbi, & tamen ibi eſſet vnio formæ ſubſtantialis cum materia; ergo talis vnio non eſt ſubſiſtentia formæ ſubſtantialis materialis. Secundò, quia tam forma quàm materia prius complentur in propria ratione ſubſiſtentiæ partialis quàm vniantur inter ſe, vt compleantur in alia ratione ſubſiſtentiæ totalis, ſed tam forma, quam materia completur in propria ratione ſubſiſtentiæ partialis per propriam ipſius ſubſiſtẽtiam partialem iuxta dicta ſuprà n. 22. ergo tam forma materialis, quam materia prius habet propriam ſubſiſtentiam partialem, quam inter ſe vniantur per vnionem ſubſtantialem: ergo hæc ſubſtantialis vnio formæ cum materia non eſt ſubſiſtentia formæ materialis.

Reſp. ergo ad obiectionem, fomam ſubſtantialem corpoream per vnionem formaliter conſtituere cum materia vnum per ſe, inde verò non ſequi, quod forma per talem vnionem formaliter ſit proximè, & complete inepta ad conſtituendum cum materia vel ſubiecto ens per accidens, ſed ſolùm quod ſit ad tale ens per accidens conſtituendum inepta per vnionem illam præſuppoſitiue, id eſt quoad hoc vt forma illa materialis vniatur per ſe, debet neceſſariò præſupponi proximè completa in ratione ſubſtantiæ; atque ita proximè inepta ad conſtituendum cum ſubiecto ens per accidens, & conſequenter ſupponitur etiam vt proximè indepẽdẽs à ſubiecto inhæſionis, ac verè ſubſiſtens; completur autem in illo priori forma corporea, in ratione ſubſtantiæ partialis non per ſe ipſam ſed per modum ſuperadditum, qui dicitur ſubſiſtẽtia & ideo ſubſiſtẽtia formę materialis eſt modus ſuperadditus, & nõ vnio illius ſubſtantialis.

Obiiciat tertiò, ſi forma materialis, & ſubſtantialis vnio proprias haberent ſubſiſtentias, etiam actio ipſa ſubſtantialis, qua forma ipſa ſubſtantialis

producitur, propriam subsistentiam haberet, non enim minus hæc substantialis actio est independens à subiecto inhæsionis quàm forma illa aut vnio substantialis, atqui hæc substantialis actio propriam non habet subsistentiam à se distinctam, alioqui, hæc subsistentia actionis alia secunda actione substantiali produceretur, quæ secunda actio aliam distinctam subsistentiam haberet, & rursus, hæc subsistentia secundæ actionis, alia tertia actione etiam substantiali produceretur, quæ aliam distinctam haberet subsistentiam, atque ita daretur processus subsistentiarum in infinitum; ergo nec forma materialis, nec substantialis vnio proprias habent subsistentias.

38 Respondeo, facile nullam actionem distinctam ab agente, & termino esse in sua entitate substantialem, sed accidentalem, vocari verò substantialem, quia per illam producitur aliquando terminus substantialis, vt inferiùs dicam, ac proinde nullam actionem ab agente & termino distinctam, subsistentiam aliquam habere, quo vitatur processus in infinitum. Sed tamen gratis admisso talem actionem esse entitatiuè substantialem, dico non habere subsistentiam sicut forma materialis & vnio; ratio est, quia subsistentia est terminus & complemẽtum naturæ, hoc est essentiæ quæ sit apta supponi, atque ita sola natura, seu essentia apta supponi, potest habere subsistentiam, actio verò substantialis non est natura totaliter, nec partialiter, cum non sit essentia apta supponi, nec talem essentiam formaliter aliqua ratione constituat, ac proinde talis actio, etsi substantialis sit, non habet subsistentiam, forma autem & vnio substantialis, sunt aliqua ratione natura, cum essentiam aptam supponi aliquo modo formaliter, & intrinsece constituant, & ideo forma & vnio substantialis proprias habent subsistentias à seipsis distinctas, quapropter suprà num. 2. diximus subsistentiam vt sic esse rationem formalẽ, qua natura est independens à subiecto inhæsionis; actio ergo substantialis non est verè natura sicut forma substantialis & vnio, & idcirco non habet sicut illa veram subsistentiam, quo vis argumenti cessat.

39 Sed quærat quis, quomodo prædictæ subsistentiæ partiales inter se vniuntur. Resp. vniri quasi extensiuè, sicut enim vnus gradus albedinis existens in vna parte subiecti cum alio gradu albedinis existente in alia proxima parte subiecti vnitur, non vt illùm album efficiat, sed vt cum illo quandam extensiuè maiorem, & quasi completam albedinem constituat, ita similiter subsistentia partialis formæ vnitur cum subsistentia materiæ non vt illam formaliter reddat subsistentem, sed vt cum illa quandam quasi extensiuè maiorem & completam subsistentiam totius compositi constituat. Vniuntur autem hæ partiales subsistentiæ materiæ & formæ media subsistentia vnionis, quæ etiam est nexus illarum, quia quemadmodum vnio ipsa est verè substantia & nexus duarum partialium substantiarum materiæ & formæ, quo ipsæ per se vniuntur & componunt vnam substantiam totalem, sic modus illæ substantiæ vnionis, qui cum ipsa vnione proportionatur, est simul subsistentia vnionis ac etiam nexus, & vnio duarum subsistentiarum materiæ & formæ, qua ipsæ partiales subsistentiæ per se vniuntur, vt vnam subsistentiam integram atque totalem constituant.

✝

DISPVTATIO IV.

De dependentia materiæ primæ à forma substantiali.

TRIA capita continebit. In primo inquiro, an materia prima valeat naturaliter existere sine forma? In secundo, an materia prima diuinitus possit absque omni forma cohærere? In tertio, an absque speciali influxu possit materia sine forma conseruari?

CAPVT I.

An materia prima valeat naturaliter existere sine forma.

OPinio aliquorum est, materiam primam secundum se & ex vi sua posse naturaliter existere absque omni forma substantiali, ita Marsilius, in quæst. 8. artic. 2. & Gabr. in 2. distinct. 12. & probabile reputat Henric. quodlib. 1. q. 4. ratio esse potest, quando res aliqua creatur, potest naturaliter existere absque alia quæ non sit causa illius, atqui materia prima creatur, & forma non est causa illius, vt infrà ostendam; ergo materia potest esse naturaliter sine forma. Dices materiam esse ens incompletum, & ideo non posse esse sine forma, à qua naturaliter compleatur; sed contrà; etiam anima rationalis est quid secundùm se incompletum, & completur per materiam in ratione entis naturalis, & tamen potest esse naturaliter sine materia; ergo licèt materia sit quid incompletum, & compleatur per formam poterit esse naturaliter sine forma. Dices formam rationalem absque materia elicere operationes intelligendi & amandi ad quas primariò ordinatur, & ideo posse naturaliter existere sine materia, materiam verò absque forma, non exercere munus recipiendi formam substantialem, ad quod primariò à natura ordinatur, & idcircò non posse esse naturaliter absque forma substantiali; sed contra, ad hoc vt anima rationalis possit naturaliter existere sine materia non requiritur quòd actu sine illa exerceat operationes intelligendi, ad quod primariò ordinatur, sed quòd separata à materia sit potens ad illas exercendas, sed materia affecta quantitate etiam separata à forma est potens ad recipiendas in se formas substantiales, ad quod primariò ordinatur: ergo talis materia potest esse naturaliter sine forma. 1

Præmitto iuxta communem cursum naturæ & causarum naturalium non posse materiam primam omni forma substantiali spoliari. Probatur aperte, quia sicut generatio vnius formæ est corruptio alterius, ita econtrà corruptio vnius formæ est generatio alterius, maximè quia cum agentia naturalia naturæ destructionem non intendant, non corrumpunt vnam formam nisi vt in eadem materia aliam formam generent: ergo materia prima ex vi agentium naturalium non potest amittere vnam substantialem formam quin aliam formam adquirant: ergo numquam secundùm naturalem cursum causarum materia potest spoliari omni forma. At verò forma rationalis etiam secundùm communem cursum naturæ omni materia spoliatur, quia agens 2

naturale

naturale illam expellit ab vna materia, quin eam in alia introducat, ſolum enim intendit in materia illa, in qua forma rationalis exiſtebat formam aliam ſubſtantialem cadaueris generare, quærimus ergo an ſi aliquo euentu, diuinitus materia prima omni forma ſubſtantiali denudetur, ei naturaliter exiſtentia debeatur.

3 Assert 10 ſit. Materia prima omni forma ſubſtantiali denudata naturaliter non exiſtet, ſed potiùs naturaliter deſtruetur, ita communis ſchola. 1. phyſic. & Carleton citatis multis diſp. 10. ſect. 1. Probatur, naturalis appetitus Dei vt auctoris naturæ qui huius vniuerſi commune bonum & pulchritudinem amat, (& ideo appetitus naturalis & communis huius vniuerſi dicitur,) petit, quod in hoc vniuerſo, non ſit aliquid nimis vile, nimis deforme, ac deſpectum, ſed materia prima ſecundùm ſe omni forma ſubſtantiali ſpoliata eſt, quid nimis vile, nimis deforme, ac deſpectum, adeo, vt propè nihil à phyſicis appelletur; ergo appetitus naturalis, & communis huius vniuerſi petit, quod materia prima omni forma denudata non exiſtat, atqui contra appetitum naturalem & communem huius vniuerſi non poteſt res naturaliter exiſtere, vt per ſe conſtat; ergo materia prima omni forma ſubſtantiali denudata naturaliter nõ exiſtet.

4 Hinc iam ratio contrariæ ſententiæ facilè diluitur, licèt enim res creetur, ſi tamen maneat ita vilis, & deſpecta vt illam horreat natura, non poteſt naturaliter exiſtere, hoc autem modo manet materia prima abſque forma, & ideo abſque tali forma ſubſtantiali naturaliter non exiſtit. Anima verò rationalis eſt quid excellens, nobile & perfectum, & ideo licet omni materia ſpolietur, naturaliter ei exiſtentia debetur.

5 Obiiciat aliquis, appetitus communis huius vniuerſi petit, ne detur vacuum in natura: ſed ſi magna pars materiæ omni forma ſubſtantiali denudata deſtrueretur, magnum vacuum daretur in natura; ergo appetitus communis huius vniuerſi petit, quod materia illa omni forma ſubſtantiali ſpoliata non deſtruatur, ſed conſeruetur; ergo etiam ſecundùm appetitum communem naturæ poteſt materia prima abſque forma omni ſubſtantiali conſeruari: confirmatur, licèt aqua ſecundùm ſe petat naturaliter deorſum deſcendere, quia eſt grauis; tamen aliquando naturaliter ſurſum aſcendit, vt vacuum vitet, ac repleat; ergo licèt materia prima denudata omni forma ſubſtantiali petat deſtrui, quia eſt deſpecta, naturaliter conſeruabitur, vt vacuum vitet ac repleat.

6 Reſpondeo appetitum communem huius vniuerſi petere, & quod non detur vacuum in natura & quod non ſit aliquid nimis vile, atque deſpectum in illa, vnde in prædicto caſu, ſcilicèt ſi materia eſſet omni forma ſubſtantiali denudata, talis materia prima naturaliter deſtrueretur, & alia corporea ſimplicia, vel compoſita crearentur naturaliter à Deo, quæ tale vacuum materiæ primæ replerent, quò vtrique naturali appetitui huius vniuerſi ſatisfieret. Ad confirmationem, Reſpondeo ſolum naturalem appetitum particularem aquæ petere, quod deorſum deſcendat, naturalem verò & communem appetitum huius vniuerſi petere, quod ſurſùm aſcendat aliquãdo, vt vacuum repleat, & quia appetitus naturalis communis maior eſt, quam appetitus aquæ particularis, ideo ſimpliciter aqua ſurſùm naturaliter aſcendit, vt vacuum repleat; at verò in noſtro caſu appetitus naturalis, & communis vniuerſi petit vtrumque, ſcilicèt quod non detur vacuum, & quod nihil nimis deſpectum exiſtat, & ideo debet materia prima deſpecta deſtrui, & eius loco alia corpora, quæ vacuum repleant, produci, vt vterque appetitus communis vniuerſi concilietur.

Scio aliquos dixiſſe materiam primam de facto abſque omni forma ſubſtantiali in mundi exordio extitiſſe quod probari videtur ex illo Geneſis primo *In principio creauit Deus cælum & terram, terra autem erat inanis, & vacua*, id eſt ſine forma ſubſtantiali, vt nonnulli interpretantur, deinde ex D. Auguſtino lib. 1. de Geneſi contra Manichæos cap. 5. & 7. & lib. 12. confeſſionum cap. 8. vbi dicit materiam priùs fuiſſe productam ſine forma, poſtea verò formam eſſe procreatam, ſed hæc nullius roboris ſunt; nam in illo Geneſis, terra dicitur inanis, & vacua, ſolùm quia accidentali florum, & herbarum ornatu, & pulchritudine caruit. Auguſtinus autem non eſt loquutus de prioritate temporis, ſed ſolùm de prioritate naturæ, vel rationis, in qua materia potuit concipi ſolùm vt apta ad habendas formas ſubſtantiales, & præciſa ab ipſis formis, at verò in quouis inſtanti reali ſemper habuit aliquam ſubſtantialem formam vt ipſe ſe explicat Auguſtinus 13. confeſſ. cap. 33. & eum ſic intelligit D. Thom. 1. part. quæſt. 66. artic. 1. vide Patrem Suarez tom. 1. metaph. diſputat. 15. ſect. 8. num. 14. & Conimbricenſes hîc cap. 9. quæſt. 6. artic. 3. ad finem. 7

CAPVT II.

An materia prima diuinitus poſsit abſque omni forma cohærere.

8 COmmunis Thomiſtarum ſententia eſt materiam primam non poſſe etiam de potentia Dei abſoluta in rerum natura exiſtere abſque omni forma ſubſtantiali, ità Durandus in 2. diſt. 12. quæſt. 2. Caiet. de ente, & eſſentia cap. 5. quæſt. 8. Ferr. 3. contrà gentes cap. 4. Soncinas 8. met. quæſt. 1. Valles. controuerſ. 7. & alij plures quos citat Suar. tom. 1. met. diſp. 15. ſect. 9. num. 2.

9 Assert 10 tamen ſit. Materia prima poteſt de potentia abſoluta omni forma ſubſtantiali denudata in rerum natura conſiſtere, ita P. Vaſquez Arriaga 1. phyſic. diſp. 2. ſect. 6. P. Hurtado ſuprà diſput. 5. ſect. 9. Auerſ. q. 20 ſect. 10. Murçia 10. phyſic. diſp. 5. quæſt. 6. Plaça diſp. 4. q. 6. Oña & plures alij, quos refert Suarez ſect. 9. num. 3. Scotus in 2. dub. 12. q. 2. Auicenna lib. 6. met. Henricus quodlib. 1. q. 11. Barthol. Amicus tract. 5. phyſic. q. 4. dub. 5. Balth. Tellez diſp. 22. phyſic. ſect. 2. Cauerus cap. 29. phyſic. tract. 1. diſput. 2. Domin. Soto. Carleton diſp. 9. phyſic. ſect. 2. Probatur, id, quod apertè non implicat cenſendum eſt eſſe poſſe virtute diuina, ſed apertè non implicat materiam primam exiſtere abſque omni forma ſubſtantiali, vt ex ſolutione argumentorum conſtabit; ergo poterit materia prima abſque omni forma ſubſtãtiali diuina virtute exiſtere. Confirmatur, magis pendet forma accidentalis à materia, quàm materia à forma ſubſtantiali, cũ materia verè influat in accidentalem formam, forma verò ſubſtantialis in materiam phyſicam non habeat influxum, vt infrà oſtendam; atqui forma accidentalis poteſt diuinitus abſque omni materia & ſubiecto conſeruari, vt in Euchariſtia conſpicimus; ergo potiori iure poterit de potentia abſoluta abſque ſubſtantiali forma materia prima conſiſtere.

10 Obiiciat autem quis primò, ſi materia prima conſeruaretur ſine omni forma, talis materia vt ſic conſeruata, verè exiſteret, & ſubſiſteret ſine forma; atqui

materia prima non potest existere, ac subsistere sine forma, quia cum sit pura potentia, non habet propriã existẽtiam ac subsistentiam; sed illam capit à forma; ergo materia prima non valet etiã diuinitus conseruari sine forma. Respond. primò, materiam primam propriam habere existẽtiam, & subsistentiã distinctas ab existentia & subsistentia formæ vt late disp. 2. c. 2. & disp. 5. cap. 2. monstraui. Secundo licèt non haberet naturaliter materia propriam existentiam, aut subsistentiam, posset supernaturaliter illi aliqua existentia, & subsistentia tribui, quibus miraculosè existeret, & subsisteret absque existentia & subsistentia formæ. Tertiò, sicut in Thomistarum sententia, cum quibus præsens dissensio est, humanitas Christi non solùm subsistit per subsistentiam increatã Verbi, vt fides docet, sed etiam existit per increatam existẽtiam ipsius Verbi, à quo est assumpta, ita potuit materia prima absque forma diuinitus à Verbo assumi, & reddi existens, & subsistens per increatam existentiam, & subsistentiam ipsius.

11 Obiiciat secundò, quando aliquis effectus pendet ab aliqua re tamquam à causa formali, non potest esse etiam diuinitus sine illa. v. g. quia album pendet ab albedine, tamquam à causa formali, non potest etiam diuina virtute esse album sine albedine, sed materia prima pendet à forma substantiali, tamquam à causa formali; ergo materia prima non potest esse etiam diuina virtute absque forma sustantiali. Resp. materiam primam non pendere à forma substantiali, nec enim forma substantialis est vera causa formæ vt infrà dicam, sed tamen eo gratis admisso, dico duplicem esse causam formalem aliam intrinsecam quæ est idem cum effectu formali, quem causat, quia ipse effectus formalis non est aliud quàm ipsa forma communicata subiecto, hoc modo albedo est causa formalis albi, quia hic effectus formalis, scilicet album, est ipsamet forma albedinis subiecto communicata, & hic effectus formalis, cum sit idem cum causa formali seu forma, non potest esse etiam diuinitus sine illa, si enim album est idem cum forma albedinis; quomodo esse poterit sine albedine? aliam esse causam formalem extrinsecam, quæ formaliter causat effectum à se distinctum, & hic effectus, cum non sit idem cum sua causa formali, potest diuina virtute esse sine illa, sicut effectus causæ materialis, quia non est idem cum causa materiali, potest de potentia absoluta absque tali causa existere, forma ergo substantialis solùm est causa formalis extrinseca materiæ primæ, cum ab illa reipsa distinguatur, & ideo materia prima potest manere diuinitus sine forma substantiali.

12 Obiiciat tertiò, materia prima magis dependet à forma substantiali, ad quam primariò ordinatur, quam à sua subsistentia, aut vbicatione, ad quam non ordinatur proximariò, sed materia prima non potest etiam de potentia absoluta esse absque aliqua subsistentia; & vbicatione; ergo nec etiam esse diuinitus potest absque aliqua forma substantiali. Respondeo materiam primam maiorem connexionem habere cum eo, à quo completur connaturaliter in propria ratione materiæ primæ, quàm cum illo, quo completur in alia ratione compositi naturalis; completur autem materia prima in propria ratione materiæ primæ per propriam ipsius subsistentiam, ac vbicationem: non verò per formam substantialem per quam solùm materia completur in alia ratione compositi, atque ita maiorem & strictiorem connexionem habere materiam primam cum propria ipsius subsistentia & vbicatione, quam cum forma substantiali, vnde ratione huius maioris vel minoris connexionis non potest materia prima diuinitus esse sine aliqua subsistentia & vbicatione, potest tamen esse absque forma substantiali.

Nonnulla sunt D. Thom. testimonia, quæ attuli 13
suprà disp. 2. cap. 3. in principio, quibus asserit, sicut implicat esse ens actu sine actu, ita implicare esse materiam sine forma substantiali, sed D. Thom. solum dicit materiam non posse esse in actu completo sine forma, quia per ipsam formaliter habet esse completum, non verò negat posse incomplete existere diuinitus sine illa.

CAPVT III.

An absque speciali influxu possit materia prima sine forma conseruari.

NOnnulli nobiscum sentientes materiam primam posse esse diuinitus sine forma censent id fieri non posse sine nouo, ac specialiori influxu, ita Conimbricenses lib. 1. physic. cap. 9. quæst. 6. art. 3. in principio, P. Fonsec. 5. met. cap. 1. q. 3. sect. 2. & alij: ratio illorum est, quia materia physicè dependet à forma vt à vera causa ipsius, sed fundamentum est falsum: forma enim non est causa physicè in materiam influens, vt infrà ostendam.

Assertio ergo sit; materia prima cum eodẽmet 14
influxu, quo conseruatur sub forma, potest absque omni forma substantiali, sine alio specialiori concursu diuinitus conseruari. Ita P. Suar. 1. met. disp. 15. sect. 9. num. 7. Carleton sect. 3. P. Hurtado disp. 2. physic. sect. 6. num. 104. Arriaga disp. 2. phys. subsect. 4. & recentiores communiter. Probatur, tunc solum desideratur nouus & specialis influxus Dei, vt aliqua res conseruetur, quando deest aliqua vera causa illius, quæ in illam verè & physicè influebat, sed forma substantialis non est vera causa influens physicè in materiam, vt inferiùs demonstrabo; ergo licèt omnis forma substantialis desit, non requiretur nouus, specialis Dei influxus, vt materia conseruetur.

Sed aliquis fortè obiiciat, actio supernaturalis 15
est specialis ac diuersa reipsa ab actione naturali, sed materia prima sub forma substantiali conseruatur actione naturali, & si conseruaretur absque substantiali forma, necessariò conseruaretur actione supernaturali; ergo materia prima omni forma substantiali spoliata, necessario conseruatur actione diuersa & speciali, consequentia est euidens, maior patet, quia eadẽ actio non potest esse suprà naturam & non esse suprà naturam, sed actio supernaturalis est suprà naturam, actio verò naturalis non est suprà naturam; ergo actio supernaturalis non est eadem cum naturali, sed specialis est, ac diuersa reipsa ab actione naturali. Minor quoad primam partem scilicet actionem, qua materia prima sub forma substantiali conseruatur esse naturalem, per se liquet; quoad secundam verò partem videlicèt, actionem qua materia prima absque omni forma substantiali conseruaretur, fore necessariò supernaturalem sic ostenditur, actio qua cæco visus restituitur in omnium sententia est supernaturalis, ideo solum, quia posita, v. g. in Petro cæco læsione organi, illi visus naturaliter non debetur, sed similiter posita absentia omnis formæ substentialis à materia, ei existentia ac conseruatio naturaliter non debetur, vt suprà ostendimus c. 1. ergo actio qua materia prima conseruaretur sine forma esset supernaturalis.

Recentiores

16 Recentiores ingeniosi dicunt in illo priori naturæ, vel rationis, in quo visus cæco restituitur, non dari debitam oculi organizationem sine læsione, atque ita talem actionem, qua visus reproducitur esse naturæ indebitam, & supernaturalem, etiam pro illo priori; at verò in illo priori naturæ, in quo materia prima conseruatur, non dari carentiam formæ, hæc enim postea consequitur in alio signo posteriori, atque ita talem actionem & conseruationem materiæ non esse naturæ indebitam, nec supernaturalem pro illo priori, sed tantum mere naturalem, fore autem supernaturalem, si pro signo posteriore, forma aliqua substantialis in materia non conseruetur, aut producatur, vnde eademmet actione omnino naturali, qua materia sub forma producitur, potest etiam absque forma conseruari. Sed impugnantur, ponamus, quod materia prima in hoc instanti est sub forma substantiali, & Deus in eodem instanti reali decernit nullam pro sequenti instanti materiæ primæ formam substantialem concedere, siue ipsa pro instanti sequenti existat, siue non existat, in hoc casu, in illo priori naturæ vel rationis, antequam decernat Deus pro instanti sequenti materiam conseruare, est necessariò futura carentia formæ substantialis in materia pro tali instanti sequenti, ratione cuius pro tali instanti actio conseruatiua est naturaliter indebita materiæ primæ, ergo si adhuc Deus materiam primam conseruet in prædicto casu, talis actio conseruatiua etiam pro illo priori erit naturæ indebita, ac supernaturalis, redit ergo tota argumenti vis.

17 Sed Respondeo facile duplicem esse actionem supernaturalem; aliam supernaturalem quoad substantiam, quæ secundùm suam essentiam, & entitatem excedit omnem naturam, vt actio productiua gratiæ sanctificantis, aliam esse supernaturalem, quoad modum, quæ quidem in sua entitate naturalis est, sed quia in talibus circunstantijs non est debita naturæ, ideo quoad modum vocatur supernaturalis, vt actio, qua visus cæco restituitur, est in sua entitate naturalis, & forte eadem, qua visus antea naturaliter fuit productus, sed quia suppositi organi læsione talis actio, & conseruatio visûs non est debita naturæ, ideo quoad modum supernaturalis vocatur, licèt sit eademmet actio, quæ antea non existente organi læsione erat naturæ debita, & omnino naturalis; actio ergo supernaturalis quoad substantiam est distincta ac diuersa omnino ab actione naturali; vt argumentum conuincit, actio verò supernaturalis solùm quoad modum non est diuersa, sed eademmet cum actione naturali, vt iam ostendimus. Vnde cum actio, qua materia prima conseruatur sine forma non sit supernaturalis quoad substantiam, sed tantum quoad modum, ideo non est diuersa ab actione naturali, sed eademmet actio, quæ conseruabat materiam primam sub forma, & tunc erat naturæ debita, & naturalis perseueraret & conseruaret materiam primam, sine forma, & quia iam propter defectum formæ in materia esset naturæ indebita, esset quoad modum supernaturalis, non ergo requiritur noua actio, nec specialis influxus ad hoc, vt materia prima absque forma substantiali conseruetur.

* * *

DISPVTATIO V.

De essentia & de Quidditate Materiæ primæ.

QVATVOR capita continebit. In primo materiæ primæ definitio ponitur, & explicatur. In secundo inquiro, an potentia passiua formæ substantialis sit essentialis materiæ primæ. In tertio, an materia prima sit pura potentia nullum includens actum. In quarto, an & quo pacto materia habeat appetitum ad formas.

CAPVT I.

Materiæ primæ definitio ponitur, & explicatur.

ARistot. lib. 1. Physicorum, sic materiam primam definit, *Materia prima est primum subiectum cuiusque, ex quo quidpiam eo fit pacto, vt non per accidens insit*, hoc est, materia est primũ formæ susceptiuum, ex quo tamquam ex subiecto, simul cum forma per se ens naturale constituitur. *Primum cuiusque subiectum*, nimirum quod subiectum aliud nec supponat, vt forma substantialis, quæ supponit materiam vt subiectum, in quo ipsa recipitur, nec includat, vt substantia prima, scilicet ens naturale, quod includit materiam tamquam subiectum formæ substantialis, ex quibus ipsum essentialiter coalescit, conuenit autem in hoc materia prima cum substantia Angelica quæ est subiectum primum suarum affectionum, atque ita hæc verba in materiæ definitione ponuntur loco generis. *ex quo quidpiam eo fit pacto, vt non per accidens insit.* nempe ex materia prima tamquam ex potentia passiua, seu receptiua essentialiter, ac per se ens naturale componitur: vt primùm materia prima differat à forma substantiali, quæ non vt potentia receptiua, sed solum vt actus formalis talis potentiæ ens naturale constituit, deinde vt differat etiam à priuatione, quæ licet sit principium, ex quo supposito hoc rerum ordine per se ens naturale fiat, vt dictum est supra disput. 1. cap. 2. non tamen fit ex illa ens naturale essentialiter, & permanenter, ita vt priuatio in eo insit; denique vt etiam differat à substantia Angelica, quæ cum suis affectionibus non constituit ens per se, sicut ex materia & forma per se ens naturale coalescit, & ideo hæc verba ponuntur loco differentiæ. 1

Hac materiæ primæ definitione præmissa, quoddam excitatur dubium, scilicet qua ratione, materia prima dicatur potentia receptiua formæ maxime rationalis, & non etiam forma rationalis dicatur potentia receptiua materiæ: ratio dubitandi est quia sicut materia prima habet sibi vnitam formam rationalem, ita forma rationalis habet sibi vnitam materiam: & sicut forma rationalis non sustentat in se materiam, ita materia etiam non sustentat formam rationalem, & sicut forma rationalis vt vnita materiæ, id est, vnio ipsa formæ sustentatur in materia, ita etiam materia vt vnita formæ scilicet vnio ipsa materiæ sustentatur in forma rationali, vnio enim adæquata inter formam & materiam in vtroque extremo subiectatur, vt inferius 2

demonstrabimus, quare ergo potius materia erit potentia receptiua formæ, quam forma rationalis sit receptiua materiæ.

3 Sapientissimi Neoterici bene rem hanc etsi leuem perlustarunt. Assero ergo cũ illis, cum aliquid alteri sic vnitur, vt ab illo formalem aliquem effectum, & denominationem capiat, habere se per modum potentiæ passiuæ, hoc autem modo se habet materia prima respectu formæ etiam rationalis, nam ita illi vnitur, vt ab illa formaliter informata, actuata, & spiritualiter animata denominetur, atque ita materia prima habet se per modum potentiæ passiuæ respectu formæ; cum vero aliquid ita alteri vnitur, vt ab illo non capiat, sed potius illi communicet effectum aliquem, ac denominationem formalem; non se habere per modum potentiæ receptiuæ, sed per modum actus formalis, hoc autem modo se habet forma respectu materiæ, quando illi copulatur, nam ab illa non recipit denominationem formalem, sed potius ipsam materiam formaliter actuat, & denominat, ac proinde forma non se habet per modum potentiæ passiuæ, sed per modum actus formalis.

4 Verum aliquis obijciat: forma substantialis capit etiam à materia, cui vnitur, aliquem effectum, ac denominationem formalem; nam ab illa materializata formaliter denominatur, ergo etiam forma erit potentia passiua materiæ. Resp. cum materia vnitur formæ non solum denominatur formalizata, seu vnita formæ, quæ denominatio formalis prouenit solum ab vnione cum forma, sed etiam denominatur informata, actuata, & spiritualiter animata, quæ denominatio prouenit illi formaliter ab ipsa forma spirituali, & ideo materia prima non solum est potentia receptiua vnionis cum forma, sed etiam ipsiusmet formæ: at verò forma substantialis, cum vnitur materiæ solum denominatur materializata, seu (quod idem est) vnita materiæ quæ denominatio tantùm prouenit ab ipsa vnione cum materia, à materia autem ipsa nullum effectum formalem, aut denominationem capit, alioquin materia prima non esset pura potentia; vt vociferantur Philosophi. atque ideo forma substantialis est tantum potentia receptiua vnionis cum materia non verò ipsius materiæ.

5 Recentiores quidam vrgent. Forma naturalis habet sibi vnitam materiam, sicut materia habet sibi vnitam formam rationalem, quare ergo potius materia capit denominationem à forma, quam forma accipiat formalem denominationem à materia? Vnde ipsi recentiores dicunt rationem supra propositam esse petitionem principij; & ita ad aliam recurrunt, scilicet materiam sustentare formam, & ideo esse potentiam receptiuam illius, formam verò non sustentare materiam, cum sit primum subiectum, & idcirco non esse potentiam receptiuam respectu ipsius; sed hæc ratio non tenet in forma rationali, de qua loquimur, quia sicut forma non sustentat materiam, ita nec materia sustentat ipsam rationalem formam. Quapropter dixerim ego in prima ratione persistens, hoc iam esse recurrere ad essentiam, & primum conceptum rei, cuius ratio alia à priori reddi non potest, quam ipsamet rei natura, atque ita materiam primam non communicare, sed accipere denominationem à forma, quia talem habet naturam vt sit apta, non ad communicandam, sed solum ad recipiendam huiusmodi denominationem formalem, formam verò non capere, sed communicare talem denominationem materiæ, quia talem habet naturam, vt sit apta, non ad recipiendam à materia, sed solum ad tribuendam illi huiusmodi denominationem. Tales autem esse materiæ & formæ naturas à posteriori tantum Philosophi cognouerunt, vel quia materia præcedit, & disponitur ad formam, vel ex alijs rationibus, & coniecturis.

CAPVT. II.

An potentia passiua formæ substantialis sit essentialis materiæ primæ.

6 MAteria prima duplicem habet potentiam in ordine ad formam, aliam receptiuam, qua solum recipit in se formam, quamuis non sustentet illam, sicut materia recipit animam rationalem: aliam passiuam, qua materialiter causat, patitur, & sustentat formam, quam potentiam exercet materia prima in ordine ad formas materiales. Rursus potentia receptiua seu passiua potest esse duplex, alia proxima, quæ immediate & proxime in se recipiat & sustentet formam; alia remota, quæ non recipiat, aut sustentet formam; immediate, & adæquate per se ipsam; sed media potentia proxima quæ ab ipsa oriatur, & recipiatur in ipsa. Quærimus ergo an aliqua potentia receptiua vel passiua, proxima vel remota, sit essentialis materiæ primæ.

7 ASSERTIO PRIMA, potentia receptiua vel passiua saltem remota, est de essentia, & cõceptu formali materiæ primæ; in hoc omnes conueniunt. Probatur, esse subiectum formæ nihil est aliud, quàm posse recipere seu pati formam; sed esse subiectum formæ est de essentia, ac formali conceptu materiæ primæ; est enim materia prima essentialiter primum cuiusque subiectum, ex quo fit aliquid cum insit, vt suprà cap. 1. explicuimus, ergo posse recipere, seu pati formam saltem remote, seu (quod idem est) potentiâ receptiuâ, saltem remotâ, est de essentia, & formali conceptu materiæ primæ.

8 ASSERTIO SECVNDA materia prima per suam entitatem essentialẽ immediate, & adæquate, & non per potentiam aliam receptiuam ab ipsa distinctam recipit formam substantialem: Est expressa, D. Thom. 1. Physic. tex. 79. asserentis potentiam receptiuam nihil addere supra substantiam materiæ; idem docet 1. p. q. 5. art. 3. ad 3. & pluribus alijs in locis vt refert Suarez disp. 13. meth. sect. 8. n. 3. qui hanc etiam sententiam amplectitur; eam tenent Henricus Gandauensis, Hugus, Ægidius, Conimbricenses lib. 1. c. 9. q. 3. Arriaga 1. sect. 3. P. Hurtado, Plaça, Murcia, Carleton disp. 5. Physic. sect. 1. & 2. & alij recentiores. Probatur, si materia prima reciperet formam substantialem media aliqua potentia proxima ab ipsa materia distincta, & in illa recepta; talis potentia vel esset substantialis, vel accidentalis, sed materia prima non recipit formam substantialem media potentia alia substantiali; nec accidentali, ergo materia nõ recipit formam substantialem media potentia distincta, sed per se ipsam; Minor quoad primam partem scilicet materiam non recipere formam media alia potentia substantiali, probatur; quia si talis potentia distincta à materia & recepta in illa esset substantialis, esset aliqua forma substantialis, vt cõstat, de illa, ergo etiam inquiram, an recipiatur in materia immediate; an verò media alia potentia & forma substantiali, si primum dicas ergo iam materia per se ipsam immediate recipit formam aliquam substãtialem, ergo etiam per se ipsam immediate primam formam substantialem recipiet, nam eadem ratio militat, si autẽ secundum asseras de illa secunda potentia, ac forma substantiali iterum inquiram, an recipiatur in materia immediate, an verò media alia potentia, & forma substantiali, atq; ita vel dabitur processus in infinitum, vel deueniendum erit ad aliquam potentiã, ac formam substantialem, quam materia per se ipsami mmediate recipiet, quod intendo.

intendo. Minor, quoad secundam partem videlicet materiam primam nō recipere formam substantialem media potentia aliqua accidentali, sic ostenditur; materia prima cum forma substantiali constituit vnum per se, atq; ita cum ipsa vnitur, non vnione per accidens: sed vnione per se; atqui si materia reciperet formam media potentia accidentali non vniretur cum ipsa forma substantiali vnione per se, sed vnione per accidens, nam vnio substantiæ cum accidenti est vnio per accidens, ergo materia prima non recipit substantialem formam media potentia accidentali, sed immediatè per se ipsam.

9 ASSERTIO TERTIA materia per se ipsam immediatè, & adæquatè, & non per potentiam passiuam ab ea distinctam patitur, sustentat, & causat formam materialem substantialem; ita auctores citati pro secunda assertione. Probatur, materiam sustentare & pati formam vel est idem formaliter, quod vnire sibi, & recipere in seipsa formam materialem, vel saltem ipsam vnionem, & receptionem formæ, tamquam conditionem essentialiter includere, vt infra ostendam, atque ita eademmet entitas, quæ sustentat, & patitur formam, debet necessariò sibi vnire, & in se recipere; sed nulla mediat potentia distincta à materia, quæ immediate sibi vniat, & recipiat formam substantialem, vt numero præcedenti monstratum est, ergo nulla etiam mediat potentia passiua à materia prima distincta, quæ immediate sustentet, & patiatur ipsam formam substantialem: igitur materia prima per se ipsam immediate, & adæquate, & non per potentiam passiuam ab ea distinctam patitur, sustentat, & causat materialiter formam substantialem.

10 Obijciat aliquis primò, potentia passiua respectu formæ est reipsa separabilis à materia, nam cum materia actu recipit, & patitur formam, iam non manet potentia ad talem formam, cum materia non sit tunc in potentia, sed in actu respectu illius, ergo talis potentia passiua reuera distinguitur à materia. Respondeo potentiam logicam, id est non repugnantiam rei ad existendum cum priuatione illius, tolli per actum entitatiuum existentiæ, qui tali negationi, seu priuationi opponitur; potentiam verò physicam, qualis est potentia passiua ad formas non tolli, sed perfici per ipsum actum, ac formam, atque ita cum materia prima, actualiter recipit, & patitur formam, etiam habet potentiam passiuam, aliàs quomodo sine potentia passiua formas pateretur ac reciperet, non tamen tunc manere in potentia ad formam, quia esse in potentia ad formam non solum dicit, quod potentia passiua maneat, sed etiam quod maneat sub priuatione talis formæ; cum ergo materia prima quando actu patitur formam, licet sit ibi potentia passiua, non tamen sit sub priuatione illius formæ, ideo in tali casu materia prima habet potentiam passiuam ad formam, non tamen est in potentia ad formam.

11 Obijciat secundò, substantia non per se ipsam immediate, sed per potentiam actiuā accidentalem ab illa distinctam agit substantialē formam, ergo materia prima non etiam immediate per se ipsam, sed per potentiam passiuam accidentalem ab ea distinctā recipit, & patitur ipsam formam. Resp. gratis admisso antecedenti: non tenere consequentiā, quia substantia cum forma seu effectu substātiali quem producit, nō vnitur, nec constituit aliquod ens per se, atque ita ex hoc capite nō repugnat, quod talem effectum agat per intermediam potentiam actiuam accidentalem, at materia prima cum forma substantiali, quam recipit, & sustentat, vnitur per se, vt vnum per se ens constituat, & ideo non potest illam recipere per intermediam potentiam accidentalem, quia mediante tali potentia, materia cum forma non per se, sed per accidens vniretur, vt supra monstratum est numero 8.

12 Obijciat tertiò, causa naturalis indifferens ad varios effectus debet necessario determinari per potentiam aliquam proximam ad quemlibet effectum particularem, sed materia, secundum se est causa naturalis indifferens ad recipiendas, & patiendas varias formas substantiales, ergo debet necessariò determinari per potentiam aliquam passiuam proximam ad quamlibet formam particularem. Respondeo causam naturalem secundum se indifferentem ad varios effectus necessariò determinari per aliquid, vel tamquam per potentiam, vel tamquam per conditionem & dispositionem ad quemlibet effectum particularem; cum ergo materia prima secundum se sit indifferens ad recipiendas varias formas substantiales, & non possit determinari ad quamlibet recipiendam per intermediam potentiam passiuam proximam, vt supra num. 8. probauimus, determinatur solum per aliqua accidentia tamquam per dispositiones, & conditiones præparantes ipsam ad receptionem cuiusque formæ substantialis in particulari, v. g. per accidentia caloris, & siccitatis determinatur, & disponitur materia ad recipiendam formam ignis, & sic de alijs, ipsa verò materia tantum secundum se immediate recipit, & sustentat formam substantialem.

13 Obijciat quartò, quando materia prima amittit formam aliquam substantialem, v. g. hanc numero formam ignis, quam antea habebat, manet tota entitas, & essentia materiæ primæ & tamen non manet potētia passiua naturalis ad talem formam amissam, ergo potentia naturalis passiua ad illam formam ignis, quæ amissa fuerit, non erat essentialis materiæ primæ, consequentia tenet cum maiori; minorem autem sic probo: non datur potentia naturalis passiua ad aliquam formam sine potentia aliqua naturali actiua ad eandem formam, quæ quidem illi correspondeat, nam potentia passiua non potest pati formam, nisi ab aliqua potentia actiua: sed in prædicto casu non datur potentia naturalis actiua ad formam illam ignis iam amissam & corruptam, iterum reproducendam, alioqui ipsa resurrectio mortuorum supernaturalis non esset; ergo nec in materia prima manet potentia naturalis passiua ad formam iam amissam, & corruptam patiendam, & recipiendam.

14 Resp. potentiam passiuam materiæ respectu formæ duo includere, aliud in recto, alterum in obliquo; in recto quidem dicit entitatem ipsam materiæ, quæ de se est capax ad formam substantialem, si adsint cætera requisita, patiendam & sustinendam: in obliquo verò connotat omnia requisita ad patiendam talem formam, maxime concursum generalem Dei, sine quo res nulla causare potest, si ergo loquamur de potentia passiua materiæ ad formam substantialem secundum id præcise, quod talis potentia dicit in recto, non distinguitur à materia, sed est essentialis illi, & manet etiam ad formam corruptam, cum maneat entitas & essentia materiæ pirmæ, si verò sermo sit de potentia passiua materiæ ad formam secundùm id, quod talis potentia connotat in obliquo, distinguitur talis potentia à materia prima, & non manet ad formam corruptam, nam in obliquo dicit potentia passiua concursum generalem Dei qui deest, postquam forma corrumpitur. Deus enim vt auctor naturalis intendens bonum naturæ, non vult suum concursum generalem præbere ad formā iam corruptam iterū reproducendam, & repatiendam, sed ad aliam propter pulchritudinem vniuersi, quæ crescit non repetitione,

sed

sed variatione formarum, ita P. Suarez tom. 1. met. disp. 5. sect. 9. num. 7. & sequentibus, citans P. Fonsec. Tolet. & Conimbricenses pro eadem sententia, quam cum Suarez antea reijceret, ibi re melius inspecta vt magis probabilem amplexatur.

15 Sed vrgeat. Si materia prima quantum est ex se, in recto esset potens & apta ad formam amissam patiendam, ac recipiendam, Deus naturaliter daret illi concursum generalem ad talem formam, atque ita etiam ex parte obliqui esset materia simpliciter potens ad patiendam, & sustinendam in se formam amissam; sed materia non habet paratum concursum Dei, nec est simpliciter potens & apta ad patiendam formam; amissam ergo materia nec etiam quantum est ex se in recto est potens & apta ad patiendam, & sustinendam formã amissam. Probatur maior, si materia quantum est ex se in recto esset potens, & apta ad patiendam, & recipiendam formam amissam, peteret naturaliter concursum generalem Dei, ad talem formam, nam quæuis causa, quæ quantum est ex se est potens ad producendum naturaliter effectum, petit naturaliter concursum Dei, ad talem effectum, sed Deus vt auctor naturalis semper dat suum concursum generalem causæ, quæ illum naturaliter petit, & ideo in igne Babylonico, cum illi Deus concursum generalem ad comburendum negauit, miraculose se gessit; ergo si materia prima quantum est ex se in recto, esset potens, & apta ad patiendam formam amissam, etiam Deus daret illi suum generalem concursum ad eam recipiendam, atque ita etiam ex parte obliqui esset simpliciter potens ad habendam formam, amissam.

16 Respondeo, materiam primam quantum est ex se in recto esse potentem, & aptam non solum ad formam ignis amissam, sed etiam ad plures alias similes formas ignis, quæ nunquam productæ fuerunt, & cum non possit materia omnes has formas simul recipere & pati, sed aliquam ex illis indeterminate, ideo materia prima non petit naturaliter concursum Dei genaralem ad patiendas omnes illas formas, vel formam ignis amissam determinate, sed tantum petit concursum generalem ad patiendam, & recipiendam aliquam formam ex illis indeterminate: Deus ergo dando illi coucursum ad recipiendam aliquam formam ignis, ex ijs, quæ numquam productæ fuerũt, licet non det illi concursum ad formam corruptam iterum recipiendam, eius naturalem exigentiam & appetitum adimplet: igni verò Bablyonico, qui secundum se naturaliter exigebat concursum ad aliquem ignem producendum, negauit Deus suum generalem concursum ad quemuis ignem producendum, & ideo miraculum fuit. Constat ergo quo pacto materia prima quantum est ex se præcise in recto sit apta ad formam amissam recipiendam, in obliquo verò non connotet, nec habeat concursum Dei paratum ad talem formam, atque ita simpliciter non sit potens ad iterum sustinendam formam corruptam.

17 Ex dictis infero materiam primam secundum se dicere ordinem & relationem ad formam non prædicamentalem, sed transcendentalem. Prima pars probatur, quia ordo, & relatio est illa ratio formalis, per quam vnũ respicit aliud, vel se habet ad aliud, vt diximus in Logica disp. 17. c. 2. n. 8. sed materia prima per seipsam respicit, & se habet formaliter ad formam, cum sit secundũ se ipsam potentia passiua, & receptiua ipsius formæ, ergo materia prima secũdum se dicit ordinem, & relationem ad formam. Prima pars etiam ostenditur, quia relatio prædicamentalis est illa, quæ respicit aliud, vt pure terminum; transcendentalis verò, quæ aliud non purè respicit, sed aliquod munus exercet circa illud actu, vel aptitudine, vt ibid ẽ ostendimus dicto cap. 2. n. 12. sed materia prima, se cundum se non pure respicit formam, sed aliquod munus exercet saltem aptitudine circa illam, scilicet pati, & recipere illam, ergo materia prima secundum se non dicit relationem prædimentalem ad formam sed tantum transcendentalem.

CAPVT III.

An materia prima sit pura potentia, nullum includens actum.

PRo tituli intelligentia præmitto, potentiam tripliciter vsurpari, videlicet, obiectiuam, actiuam & passiuam sicut & actum; primò enim sumitur actus pro operatione, & correspõdet potentiæ actiuæ, quæ virtute continet talem actum. Secundò pro actu formali, qui est ipsa forma præsupponẽs subiectum aliquod, & correspondet potentiæ passiuæ, quæ recipit formam, vt paries albedinẽ, & materia prima quamlibet formam substantialem. Tertio pro actu entitatiuo, qua ratione, quidquid habet entitatem aliquam appellatur actus entitatiuus, & correspondet potentiæ obiectiuæ, quæ est non repugnantia rei ad existendum, & hanc potentiam habent omnes res, antequam existant actu in rerum natura. Quærimus modo an materia prima habeat aliquem actum ex ijs, vel an sit omnino pura potẽtia nullum includens actum. 18

Sententia Sancti Thomæ & omnium discipulorum eius est materiam primam simpliciter, & absolute nullum actum includere: sed esse puram potentiam. Ita 1. p. q. 7. art. 2. ad 3. & 1. contra gentes cap. 41. 1. p. q. 66. art. 1. & q. 115. art. 1. ad secundũ & alibi. Capreolus, Ferrara, Bañez, Zumel, Magister, sententiarum, Durandus, Oña 1. physic. qu. 3. art. 4. citatis multis, Complutenses disp. 3. de materia prima qu. 2. Conimbricenses 1. Physic. q. 9. art. 1. Rubius, Masius: inclinat in illam Arriaga 1. physic. disput. 2. sect. 5. Huius sententiæ fundamẽta infra enodabimus, quæ propter venerationem S. Thomæ probabilissima, censenda est, & dupliei assertione in concordiã reducenda. 19

ASSERTIO PRIMA, materia prima est pura potentia respectu actus formalis, quem nullo modo includit. Ita auctores citati numero præcedenti, & omnes illi qui etiam admittunt in materia actum entitatiuum, vt sunt Scotus in 2. dict. 2. quæst. 1. & 2. Greg. ibidem dist. 1. Pererius, Toletus, & plures citandi Assertione sequenti. Probatur primò, ex Arist. in hoc lib. tex. 78. vbi contra Antiquos Philosophos docet *res naturales fieri ex non ente in actu, ente tamen in potentia*; ergo materia non est in actu, sed in potentia. Similia habet D. Thom. 1. p. qu. 7. art. 2. ad 3. Clarius primò contra gent. cap. 43. Carleton disp. 7. sect. 5. vbi ait, In rebus inuenitur aliquid, quod est potentia tantum, vt materia prima; ergo materia prima ad minus respectu actus formalis dicenda est pura potentia passiua, cum nihil illius includat, & ita est pura potentia in genere actus respectiui, seu informantis. 20

Probatur ratione primò, quia materia prima est primum subiectum passiuum & physicum, sed actus formalis præsupponit aliud tamquam primum subiectum, ergo materia prima est pura potentia respectu actus formalis informantis illam, antecedens est definitio materiæ primæ; consequentia probatur, nam si materia prima includeret actum aliquem formalem in sua essentia, iam præsupponeret aliud tamquam subiectum, & consequenter esset primum subiectum, quod est absurdum. 21

Probatur secundò: in rerum natura datur aliquod ens, quod ita est purus actus vt nullam prorsus dicat potentiam passiuam, vt Deus, ergo etiam debet 22

dari

dari aliquod ens, quod ita sit pura potentia, vt nullum includat actum, sed hoc ens est materia prima, quæ cum sit pura potentia passiua, maximè distat à Deo; ergo materia prima, ita est pura potentia, vt nullum includat actum saltem formalem respectu cuius est simpliciter pura potentia : confirmatur, ex duobus entibus in actu non potest fieri vnum ens per se, sed vnum per accidens; ergo cum forma sit quidam actus substantialis informans materiam primam, si etiam materia prima includeret actum aliquem, sequeretur ex materia prima & forma substantiali non posse fieri vnum ens per se, quod omnino est absurdum, ergo materia prima est pura potentia passiua nullum actum formalem includens.

23 ASSERTIO SECVNDA, materia prima in sua essentia dicit aliquem actum entitatiuum, ita Scotus in 2.dist.12. qu.2. & 7. met. qu.5. Pereira lib.5.cap.13. Toletus in præsenti qu.11. Henricus, Greg. Gabriel, Carleton disp. 7. Phys. sect. 5. Henao part.1. exercitat.sect.5.num.65. Suarez disp.13.met.sect.3.num.2. vbi pro ea refert Aristotelē, Platonem, Simplicium, & D.Thom. P. Hurtado 1.physic. disp.2.sect.2. Arriaga etiam disput. 2. sect.5. Plaça physic. disput. 4. quæst. 3. difficultate 1. Murçia disput. 5. quæst.3. Oña lib.1. physic. quæst.3. art.4. citatis multis, & in hoc sensu est communis, & ni fallor D. Thom. qui. 1.p. q.4. art.1. docet, quod *omnis potentialitas passiua in aliqua actualitate fundatur*, & qu.14.art. 15. ad 5. & quæst.3. de veritate art. 5. ad 1. sic ait, *licet materia prima sit informis, tamen inest ei imitatio primo fontis*, quamtumcumque debile esse habeat, illud tamen est imitatio primi entis, ergo ex sententia D.Thom. licet materia prima non sit actus formalis & appelletur à Philosopho pure nihil, & vehiculum entis, in re tamen aliqua entitas erit, & consequenter habet aliquam entitatem, aliàs esset nihil, & res quæ ex materia fiunt, seu educuntur, fierent ex nihilo, & consequenter crearentur, ergo concedendum est materiam primam habere aliquem actum entitatiuum cum ex se habeat suam entitatem.

24 Probatur primò ratione, omnis entitas est aliquis actus entitatiuus, sed materia prima est aliqua entitas, ergo materia prima habet actum entitatiuum, maior est certa, minor probatur, materia prima actu constituit compositum substantiale tamquam pars illius, sed compositio substantialis debet esse ex duobus entibus, in actu, ergo materia prima quæ est altera pars compositi substantialis, debet esse ens in actu, hoc est habens entitatem actualem. Confirmatur primò, quia materia prima antequam produceretur, erat in potentia logica & obiectiua ad existendum, ergo debuit exire à tali potentia per aliquem actum per quem vnaquæque res à potentia logica reducitur in actum & extra causas constituitur, ergo materia prima non est appellanda pura potentia vniuersaliter sumpta, maxime cum per creationem producatur, & actio creatiua debeat respicere terminum realem, qualis est entitas, & essentia materiæ primæ, ergo absolute debet habere saltem actum entitatiuum.

25 Dices materiam primam non habere existentiam distinctam ab existentia formæ, ergo nec essentiam, seu entitatem : cum vtrumque accipiat à forma. Respondeo falsum esse materiam non habere existentiam partialem distinctam ab existentia formæ, vt ostendimus disput.2.cap.1. sed gratis admisso antecedenti negatur consequentia : nam licet materia prima non haberet diuersam existentiam à forma, haberet tamen diuersam essentiam & diuersam entitatem, in qua reciperetur talis existentia : est instantia manifesta in sententia contraria : nam etsi humanitas Christi Domini existat per existentiam Verbi, habet tamen diuersam entitatem, fides enim docet dari duas naturas reales, ex quibus componatur vnus Christus, ergo licet concederetur, existentiam materiæ prouenire à forma, & esse eandem, negari non posset, entitates vtriusque esse diuersas; constat manifeste in homine corrupto, in quo manet eadem materia, cum maneat aliquod reale, quod antea erat, & non manet eadem existentia, quia hæc est propria animæ rationalis, ergo existentia materiæ casu quo proueniret ab existentia formæ, non esset ipsa entitas materiæ.

Dices secundò ex Aristot.5. met.tex.14. & 6.met. 26
tex.4. & 9. met. tex.1. & D.Thom. sect.2. ens bipartiri in actum & potentiam : sed forma substantialis est actus, ergo materia debet esse potentia : ita vt nullo modo sit actus. Respondeo nomen actus dupliciter sumi posse, primò respectiuè ad subiectum, quod actuat seu informat, & in hoc sensu solæ formæ erunt actus, quia illæ solùm informant, & actuant subiectum, secundò pro actu qui in se habet aliquam entitatem actualem, in quo sensu omnes res existentes, siue sint formæ siue non, possunt dici actus, quando verò diuisit Aristot. ens in actum, & potentiam : non distinguit contra actum entitatiuum, sed contra actum formalem, quasi diceret ens aliud esse actum formalem, aliud potentiam subiectiuam, totum verò compositum integrari ex actu & potentia, quare omnes Philosophi.dum materiam primam appellant puram potentiam, non significant ipsam, non includere aliquam entitatem, hoc est, aliquem actum entitatiuum: sed solum intendunt non habere, nec includere, aliquem actum formalem, & respectu illius esse puram potentiam subiectiuam seu receptiuam.

Ex his colligo duo, primum quod licet detur pu- 27
rus actus nullam habens potentialitatem, vt Deus, qui simpliciter est actus purus, non tamen econtrario dari potest aliqua pura potentia excludens omnem actualitatem; quia nimirum debet includere aliquam actualitatem existendi extra causas, & per aliquem actum debet extrahi à potentia logica ad actum existentiæ. Colligo secundum ex duobus entibus in actu completo, & perfecto non posse fieri vnum ens per se, quia quod est substantialiter perfectum, non est in potentia ad vlteriorem perfectionem substantialem, sed solum ad accidentalem, posse tamen ex duobus entibus, in actu incompleto, & imperfecto fieri vnum ens per se, quia ex illis entibus, vnum ordinatur ad aliud, vnde sicut ex genere, & differentia fit vnum per se metaphysicum, ita ex materia & forma fit vnum per se physicum, quia licet materia prima sit actus entitatiuus, in ordine tamen ad formam, vt iam diximus, dicitur pura potentia, quare duæ sententiæ facile in concordiam rediguntur.

CAPVT IV.

An, & quo pacto Materia habeat appetitum ad formas.

APpetitus propriè & simpliciter est affectiua in- 28
clinatio ad aliquod bonum, & quia à facultate aliqua appetitiua elicitur, ideo appetitus elicitus appellatur, hic autem appetitus, si sit de bono secundum se dicitur, amor, si sit de bono absenti, dicitur desiderium, si sit de bono præsenti, & iam possesso, dicitur gaudium, seu delectatio, item si appetitus iste tendit absolutè in bonum dicitur appetitus efficax, & absolutus, si verò tendat ad illud sub aliqua conditione, & hypothesi, dicitur appetitus conditionatus, deinde appetitus non tendit ad malum,

quia

quia malum sub ratione mali amari non potest, nec appetitus absolutus tendit ad impossibile, quia appetitus absolutus intendit efficaciter rem consequi, & quod est impossibile obtineri non potest, ac proinde nec efficaciter & absolute appeti, vt consequibile.

29 Hinc per metaphoram & comparationem ad appetitum elicitum, alium appetitum schola Philosophorum inuenit, quem appetitum innatum seu ingenitum appellat, quia cum ipsa rei natura natus, atque congenitus est, sicque potest definiri, *appetitus innatus est inclinatio potentiæ ad perfectionem suam.* Sumitur ex D. Thoma, hîc text. 81. & qu. 4. de potentia art. 1. de hoc metaphorico appetitu, eadem prorsus, possunt metaphoricè dici, quæ nuper de appetitu elicito dicta sunt. Nam primò si inclinatio innata potentiæ fuerit ad bonum secundum se, erit appetitus amoris, si fuerit ad bonum absens, erit appetitus desiderij, si fuerit ad bonum præsens, & iam positum, erit appetitus delectationis, & gaudij; iam si intendat talis inclinatio absolutè in bonum, erit appetitus innatus absolutus, si autem tendat ad bonum sub aliqua conditione, erit appetitus innatus conditionatus. Denique non potest esse appetitus innatus ad malum ipsiusmet rei, nulla enim res naturaliter inclinatur ad malum sui, nec esse potest appetitus innatus absolutus ad impossibile naturaliter, frustra enim daret natura absolutam inclinationem ad id, quod non posset naturaliter obtineri. Quærimus ergo quo pacto materia prima appetat formas substantiales.

30 Assertio prima, materia prima, secundum se primariò habet appetitum innatum amoris ad formam substantialem secundum se, hoc est, amat, & appetit hanc, vel illam formam substantialem indeterminate, & in illa iam possessa sub ratione formæ substantialis habet etiam primariò appetitum delectationis & gaudij. ita Aristot. in hoc lib. tex. 81. D. Thom. 1. p. q. 59. art. 2. & in 2. dist. 18. qu. 1. art. 2. late Complutenses disput. 3. qu. 8. Arriaga disput. 2. Physic. sect. 4. Pet. Hurtado 1. Phys. disp. 2. sect. 3. Carleton disp. 8. Physic. sect. 1. Henao p. 1. exercit. 5. sect. 2. num. 79. & communiter omnes. Prima pars assertionis probatur, materia prima secundum se primariò appetit bonum simpliciter, id est, illud bonum, quo completur in ratione entis naturalis simpliciter, ad quod ipsa primariò ordinatur, sed materia prima completur in ratione entis naturalis simpliciter per formam substantialem secundum se, hoc est, per hanc vel illam formam indeterminate, ergo materia prima, secundum se primariò appetit formam substantialem hanc vel illam indeterminate. Hunc autem esse appetitum amoris, patet; quia amor tendit ad bonum secundum se vt diximus num. 18. & 19. Sed iste appetitus tendit ad bonum materiæ, scilicet ad formam substantialem secundum se, ergo est verè amor innatus. Secunda pars etiam ostenditur, quia quæuis res in eo bono, quod amat iam possesso gaudet, & delectatur, sed materia amat formam substantialem sub ratione formæ substantialis primariò, vt ostensum est, ergo in ipsa forma substantiali iam possessa sub ratione formæ substantialis habet, etiam primariò appetitum delectationis & gaudij.

31 Assertio secvnda, materia prima, prædita forma substantiali materiali, habet saltem secundariò appetitum innatum absolutum desiderij, ad formam rationalem sub ratione formæ rationalis, & in ea iam possessa, etiam vt rationali, saltem secundariò gaudet, & delectatur. Hoc ad minus tenent Tolet. quæst. 17. Sotus quæst. 6. in fine, ac Vasquez infra citandus assertione tertia, & post Arriagam citati auctores n. 1. præcedenti; prima pars assertionis probatur. Materia prima, secundum se saltem secundariò appetit naturaliter id, quod meliùs, atque perfectiùs completur in ratione entis naturalis, hoc est, id, quo constituitur in ratione entis naturalis nobilioris, ad quod saltem secundariò ordinatur, sed per formam rationalem melius aut perfectius completur materia prima, & constituitur in ratione entis naturalis nobilioris, quàm per aliam formam substantialem, ergo materia prima prædita forma substantiali materiali secundum se saltem secundariò appetit absolute formam rationalem, vt rationalem: Hunc autem appetitum esse desiderium patet, quia tendit ad bonum absens. Secunda pars assertionis etiam ostenditur, quia in eo bono quod res appetit iam possesso gaudet, & delectatur, sed materia prima, appetit absolutè formam rationalem, vt rationalem, ergo in forma ipsa rationali, vt rationali iam possessa habet appetitum gaudij.

Obijciat quispiam. Materia prima habens formam substantialem materialem, & carens forma rationali non est violenta. Sed si absolutè appeteret naturaliter formam rationalem, adhuc dum est sub forma materiali, esset verè violenta, quia esse rem violentam est carere perfectione, quam appetit naturaliter, ergo materia prima, dum est sub forma materiali, non appetit, aut desiderat naturaliter absolutè formam rationalem. Resp. primò, materiam primam esse præcisè subiectum & potentiam passiuam seu receptiuam formæ rationalis, id verò quod est præcisè subiectum aut potentia passiua formæ, non potest pati violentiam, licèt priuetur illa, quia non habet impetum ad talem formam, vt docet D. Thomas q. 5. de potentia art. 5. ad 12. & P. Mol. 1. p. qu. 12. art. 1. disp. 2. in fine. & P. Vasquez tom. 1. in 3. p. disp. 34. cap. 14. num. 15. & ideo materia prima, licèt priuata sit forma rationali, quam appetit non patitur vim. Resp. secundò, materiam primam, secundum se, primariò solum appetere formam substantialem indeterminatè hanc vel illam, cum autem materia prædita est forma substantiali corporea, licèt careat rationali habet absolutè formam substantialem, hanc, vel illam, atque ita expletus est eius appetitus primarius, ac proinde non est violenta. Dices, materia secundariò appetit naturaliter, & absolutè formam rationalem, vt rationalem, vt dictum est, ergo cum illâ priuatur, est secundariò violenta. Resp. licèt appetitus particularis materiæ primæ secundariò petat formam rationalem, appetitum tamen communem huius vniuersi petere, quod materia prima, habeat varias formas etiam materiales, quia vniuersi pulchritudo crescit variatione formarum. Vnde sicut cum aqua, contra particularem ipsius appetitum, sursum, vt vacuum repleat, ascendit, non est etiam secundariò violenta, quia id petit appetitus communis vniuersi; ita similiter materia prima, cum detinetur contra particularem eius appetitum sub forma materiali priuata forma rationali: quia id exigit appetitus communis naturalis huius vniuersi, non est vlla ratione violenta etiam secundariò. 32

Assertio tertia. Materia prima prædita forma rationali non appetit aut desiderat absolutè, sed tantum conditionatè formam materialem, scilicet sub conditione, quod careat tali forma rationali, & in forma materiali possessa, etiam tantum conditionatè gaudet, & delectatur. Videlicet sub data conditione, quod non habeat, nec iam tunc habere possit formam rationalem. Est contra P. Vasquez tom. 1. in 3. p. disp. 34. num. c. 2. 8. & Arriagam disp. 1. physic. sect. 4. num. 42. prima verò pars nostræ assertionis probatur, Inclinatio metaphorica, ac appetitus innatus per inclinationem veram, ac appetitum elicitum 33

elicitum regulatur vt ſupra aduertimus num. 19. ſed appetitus elicitus bene inſtitutus non appetit minus bonum incompoſſibile cum maiore bono, quod poſſidetur; ergo appetitus etiam metaphoricus, & innatus non appetit minus bonum incompoſſibile cum maiori bono iam poſſeſſo. Tunc ſic: ſed forma ſubſtantialis materialis eſt minus bonum materiæ primæ, incompoſſibile cum maiore bono ab ipſa poſſeſſo, ſcilicet cum forma rationali; ergo materia prima, habens formam rationalem non appetit, aut deſiderat abſolute formam materialem, ſed tantum ſub conditione quod careat forma rationali, & eodem modo in forma materiali, vt tali iam adepta non abſolutè ſed ſub data conditione gaudebit, & delectabitur; quia eo modo res gaudet in bono poſſeſſo, quo illud antea appetebat, & amabat, quo ſecunda etiam aſſertionis pars probata eſt.

34 Obiiciat aliquis cum P. Vaſquez vbi ſupra, deſiderium innatum ad formam nihil eſt aliud quam potentia naturalis ad illam cum priuatione talis formæ, ſed materia prima, habens formam rationalem habet potentiam naturalem paſſiuam ad formam materialem, & eſt ſub priuatione illius; ergo materia prima, prædita etiam forma rationali abſolute appetit, & deſiderat naturaliter formam ſubſtantialem materialem. Reſp. deſiderium ac appetitum innatum & naturalem non eſſe præcisè potentiam rei naturalem ad formam cum priuatione formæ, alioquin intellectus appeteret naturaliter errorem, & voluntas etiam naturaliter appeteret odium Dei, quia intellectus eſt potentia naturalis ad errorem cum priuatione erroris, & voluntas eſt etiam potentia naturalis ad odium Dei cum priuatione odij Dei, quod nullus dicet, cum res non appetat naturaliter malum ſui, vt diximus ſupra num. 19. eſt ergo deſiderium innatum, quædam potentiæ naturalis inclinatio ad bonum abſens. Hæc autem naturalis inclinatio, cum recte inſtituta ſit, ſicut non tendit ad malum, ita nec tendit abſolutè ad minus bonum priuans rem maiori bono, quod poſſidet, quia tale bonum habet iam adiunctam rationem aliquam mali; cum ergo forma ſubſtãtialis materialis, ſit tantum minus bonum materiæ primæ, priuans illam maiori bono poſſeſſo, ſcilicet forma rationali, ideo in materia prima, non datur inclinatio naturalis ac deſiderium innatum abſolutum ad formam materialem, ſed tantum conditionatum ſcilicet ſub conditione, quod amiſerit formam rationalem.

35 Sed quærat quis, an materia prima, appetat naturaliter formam corruptam? P. Vaſquez in primam 2. diſp. 22. cap. 3. num. 18. implicite ſaltem concedit materiam habere appetitum innatum ad formam ſubſtantialem corruptam, iterum patiendam & recipiendam. Probatur primo, anima rationalis ſeparata appetit naturaliter coniungi iterum cum materia, vt docet D. Thomas 1. p. q. 76. artic. 1. ad 6. & tamen talis coniunctio non eſt poſſibilis naturaliter, ſed tantum ſupernaturaliter; ergo licet reproductio formæ corruptæ in materia non ſit naturaliter, ſed tantum ſupernaturaliter poſſibilis, materia naturaliter appetit iterum pati, & recipere ſuam formam ſubſtantialem. Probatur ſecundo, à priori quia datur vere appetitus naturalis ad aliquam vnionem, ac entitatem, quæ non ſit quoad ſubſtantiam, ſed tantum quoad modum ſupernaturalis, ſed paſſio, & receptio formæ amiſſæ non eſt quoad ſubſtantiam, ſed tantum quoad modum ſupernaturalis; ergo materia prima, habet appetitum naturalem ad patiendam formam ſubſtantialem amiſſam.

36 Arbitror tamen appetitum naturalem materiæ primæ ergo formam, duo includere; in recto, ſubſtantiam ipſam, ac entitatem materiæ primæ; per quam materia, quantum eſt ex ſe, ſi forma poſſibilis ſit, incli natur ad illam; in obliquo verò, potentiam naturalem actiuam, proximam reſpectu talis formæ, atque ita ad formam corruptam manere in materia prima, appetitum naturalem in recto, & quoad ſuſtantiam præcisè, quia manet tota ſubſtantia & entitas materiæ primæ, non verò manere appetitum ſecundum id quod importat in obliquo, quia non manet potentia naturalis actiua proxima ad reproducendum in materia, formam amiſſam ac proinde non datur in materia prima abſolutè, & ſimpliciter appetitus ad formam corruptam: ratio eſt aperta, quia appetitus abſolutè, & ſimpliciter non tendit ad impoſſibile, vt oſtendimus num. 18. & 19. ſed forma corrupta eſt abſolutè, & ſimpliciter impoſſibilis naturaliter; ergo materia prima non appetit abſolutè & ſimpliciter naturaliter formam corruptam. Videatur Carleton, diſp. 8. ſect. 3. & nouiſſime P. Gabriel Henao tom. 1. de Empyreo cælo lib. 2. exercit. 5. vbi aſſerit materiam primam appetere formas corruptas, ſi habeat naturalem virtutem ad eas recipiendas; ſecus autem ſi huiuſmodi virtute careat, nam in noſtram apertè recidit ſententiam.

Hinc ad probationes aduerſæ partis, Reſp. Ad primam, dico formam naturalem ſeparatam habere appetitum naturalem ad coniunctionem cum corpore, ſolum quoad ſubſtantiam, quia manet tunc tota ſubſtantia animæ rationalis per quam antea appetebat naturaliter coniunctionem cum corpore, quando erat naturaliter poſſibilis, non verò habere appetitum naturalem abſolute & ſimpliciter ad talem coniunctionem, quia deeſt obliquum, ſcilicet potentia naturalis actiua proxima ad talem coniunctionem naturaliter efficiendam, hoc autem modo, ſcilicet quoad ſubſtantiam præcisè materia prima habet appetitum ad formam amiſſam, ſicut anima rationalis ſeparata appetit vniri cum corpore, quo pacto D. Thomas intelligendus eſt. Ad ſecundam reſpondeo non poſſe dari appetitum, & inclinationem naturalem ad actionem ſupernaturalem, quoad modum, quia actio, vel vnio ſupernaturalis, quoad modum eſt illa, quæ in ſua entitate eſt naturalis, ſed non petitur à natura vt ipſe Vaſquez fatetur, ſed ſi eſſet appetitus, & inclinatio naturalis ad talem actionem & vnionem, iam talis actio ſeu vnio peteretur à natura, quia natura petit naturaliter id quod naturaliter appetit; ergo ſi eſſet talis naturalis appetitus ad actionem ſeu vnionem, talis actio, ſeu vnio non eſſet quoad modum ſupernaturalis; ergo non poteſt dari abſolute appetitus naturalis ad actionem, ſeu vnionem ſupernaturalem quoad modum, ac proinde licèt receptio formæ amiſſæ ſit tantum ſupernaturalis quoad modum, abſolute materia prima non appetet illam naturaliter. 37

DISPVTATIO VI.

De ſpecifica vnitate materiæ primæ.

TRIA capita continebit. In primo inquiro, an materia ſublunaris à cæleſti ſpecie differat. In ſecundo, an omnis ſublunaris materia ſit vna in ſpecie? In tertio, an materia hæc ſublunaris formas alterius vniuerſi valeat naturaliter pati?

CAPVT I.

An materia ſublunaris à cæleſti ſpecie differat.

STatuo corpora cæleſtia eſſe incorruptibilia, eſſe ſpecie diuerſa, eſſe compoſita ex materia & forma 1

forma, quæ omnia attinent ad libros de cælo, vnde duplex est materia prima, alia elementaris, vel sublunaris, qua omnia corruptibilia, quæ sub lunæ ambitu sunt, entia naturalia coalescunt, alia cœlestis qua omnia incorruptibilia cælestia corpora constant, quærimus ergo an materia sublunaris sit eiusdem vel diuersæ speciei cum materia cælesti.

2 Præmitto pro quæstionis decisione rationem, ac perfectionem formalem potentiæ passiuæ respectu formæ substantialis non consistere in indiuisibili, sed esse in varias species diuisibilem. Probatur, ratio ac perfectio formalis potentiæ passiuæ substantialis specificatur, ac sumitur ex perfectione formæ substantialis, quam respicit; sed perfectio formæ substantialis non consistit in indiuisibili, sed est diuisibilis reipsa in varias species, vt per se constat; ergo ratio ac perfectio formalis potentiæ passiuæ respectu formæ substantialis, non consistit in indiuisibili, sed est diuisibilis in varias species. Confirmatur, potentia passiua respectu formæ accidentalis, quia ipsa forma accidentalis, quam respicit specifice diuiditur, est etiam diuisibilis in varias species potentiæ passiuæ accidentalis, vt apud omnes constat; ergo similiter cum forma substantialis quam potentia passiua substantialis respicit, etiam specifice diuidatur, ipsa potentia erit etiam diuisibilis in varias species potentiæ passiuæ substantialis.

3 Hoc posito certum est, posse esse aliquam materiam primam cælestem specie diuersam ab aliqua elementari, vel sublunari. Probatur aperte, si esset vna materia prima cælestis, quæ tantum posset recipere formas cælestes, & alia materia sublunaris, quæ tantum posset recipere & pati formas sublunares, essent specie diuersæ, quia essentialiter respicerent formas specie diuersas, sed potest dari talis materia prima cælestis quæ tantum posset recipere formas cælestes, & talis materia prima sublunaris, quæ tantum posset pati formas sublunares: ergo potest dari aliqua materia prima, cælestis specie diuersa ab aliqua materia sublunari. Minor ostenditur. Ratio potentiæ passiuæ in ordine ad formam substantialem non consistit in indiuisibili, sed est diuisibilis in varias species potentiæ passiuæ substantialis, vt num. 2. monstratum est, sed materia prima, formalissime est potentia passiua in ordine ad formam substantialem, vt ostendi disp. 5. cap. 2. ergo materia prima, formalissime non consistit in indiuisibili, sed est diuisibilis in varias species materiæ primæ, igitur dari potest aliqua species materiæ primæ, quæ tantum valeat recipere formas cælestes, & alia species materiæ primæ, quæ tantum valeat recipere & pati formas sublunares. Quæstio tamen est, an tales sint hæ materiæ primæ, cælestis scilicet & sublunaris quæ de facto dantur, ita vt vna ab altera specie differat.

4 Nonnulli opinati sunt materiam primam cælestem esse de facto eiusdem rationis, & speciei cum nostra sublunari, ita plures Philosophi antiqui, quorum doctrinam sequuti sunt Auicenna, Bonauentura, Ochamus, Ægidius & alij multi, quos referunt, aut commemorant Conimbricenses lib. 1. de cælo cap. 2. quæst. 6. art. 1. quibus subscripsit P. Molina 1. part. de opere sex dierum disp. 5. & alij etiam recentiores, & nouissime Gabriel Enao tomo de cœlo Empyreo lib. 2. exercit. 5. sect 1. num. 44.

5 Assertio tamen sit, materia prima cælestis & materia prima sublunaris specie differunt, ita Arist. D. Thom. Caietan. Alensis Henricus, Richardus, & alij plures, quos citant Conimbricenses, vbi supra art. 2. & 3. item P. Suarez tom. 1. metaph. disp. 13. sect. 11. art. 8. P. Vasqueztom. 1. in 3. p. disp. 34. cap. 2. num. 8. & ipsi Conimbricenses in dicto art. 3. vt probabiliorem hanc sententiam amplexantur, P. Hurtado supra disp. 2. sect. 5. & libris de cælo, Plaça supra quæst. 9. Murcia supra disput. 5. quæst. 10. Carleton disput. 10. sect. 4. & de aliis quæsitis, Ruuius de cælo cap. 2. quæst. 6. Pereira lib. 1. Phys. c. 10. Caiet. Ferrara, Capreolus, Bañes 1. part. quæst. 66. art. 1. dubit. 2. noster Tostatus in cap. 13. Exod. quæst. 53. Molina disp. 5. de opere sex dierum §. *ad* 1. Bonfrerius cap. 1. in Genesim vers. 2. Hæc autem communis assertio aliorum rationibus parum quidem efficacibus omissis, hac solùm ratione probatur. Forma cælestis de facto habet illam materiam primam, quam ipsa connaturaliter petit, nam Deus vt auctor naturæ se conformat naturis rerum, sed forma cælestis petit connaturaliter materiam primam, quæ secundum se non sit apta recipere formam sublunarem, atque ita quæ sit specie diuersa à materia sublunari; ergo forma cælestis habet de facto materiam primam cælestem specie diuersam à materia sublunari. Minor probatur. Cum res natura sua appetit primariò aliquid tanquam finem, appetit connaturaliter tantum id, quod ex se est aptum, & proportionatum ad consequendum connaturaliter talem finem, sed forma cælestis cum natura sua indefectibilis ac incorruptibilis sit, appetit naturaliter tanquam finem nunquam deficere ac in æternum conseruari, ergo appetit connaturaliter tantum id quod ex se est aptum, ac proportionatum, vt ipsa nunquam deficiat & semper naturaliter conseruetur, tunc sic, sed materia prima, quæ sit eiusdem speciei cum nostra sublunari non est ex se apta & proportionata vt forma cælestis in illa in æternum conseruetur cum enim talis materia ex se apta sit habere & appetat formam aliam sublunarem, peteret quantum est ex se disponi, ac præparari ad aliam formam sublunarem, recipiendam, & formam cælestem expellendam, & destruendam: at verò materia prima, quæ sit diuersæ speciei à nostra sublunari, est apta & proportionata, vt forma cælestis in illa nunquam deficiat, sed semper naturaliter conseruetur, quia cum non sit ex se apta recipere formam aliam sublunarem non posset naturaliter disponi ad formam aliam sublunarem recipiendam & formam cælestem expellendam, sed sola ipsa forma cælesti, quam haberet contenta esset; ergo forma cælestis tantum connaturaliter petit materiam primam, quę non sit ex se apta recipere formam aliam sublunarem, atque ita quæ sit specie diuersa à materia sublunari.

6 Hinc infero, etiam materias ipsas cælestes inter se esse diuersæ speciei, supposito quod earum formæ cælestes diuersas species habeant, ita Caietan. 1. part. quæst. 66. artic. 2. M. Albertus de quatuor cælis q. 2. art. 6. P. Suarez dicta disp. 13. met. sect. 11. n. 23. Conimbricenses lib. 1. de cælo cap. 2. q. 6. art. 4. Arriaga disput. 2. physic. sect. 4. Carleton disput. 10. sect. 4. n. 11. & alij. Probatur: forma cæli Cryſtallini, v.g. habet illam materiam cælestem, quam ipsa connaturaliter petit, sed ipsa forma petit naturaliter materiam primam cælestem, quæ non sit apta recipere formam cæli Empyrei, vel formam aliam cælestem ab ipsa forma diuersam, atque ita quæ sit specie diuersa ab aliis materiis primis cælestibus; ergo forma cæli cryſtallini, habet de facto materiam primam cælestem ab aliis cælorum materiis specie diuersam. Probatur minor, forma cæli cryſtallini, cum sit natura sua incorruptibilis & appetat primariò naturaliter tanquam finem in æternum conseruari, petit etiam naturaliter materiam, quæ ex se sit apta, & proportionata ad æternam ipsius conseruationem, atqui materia prima, cælestis, quæ esset eiusdem

speciei

ſpeciei cum alijs materijs cæleſtibus non eſſet ex ſe apta,& proportionata, ad talem formæ cæli cryſtallini æternam conſeruationem, quia cum talis materia ex ſe eſſet apta, & appeteret formam alterius cæli v.g.cæli empyrei,ipſa quantum eſt ex ſe,peteret diſponi per qualitates cæleſtes ad formam cæli empyrei recipiendam, & formam illam cæli cryſtallini deſtruendam: at verò materia prima cæleſtis, quæ eſſet diuerſæ ſpeciei ab alia quauis materia prima cæleſti eſſet ex ſe apta, & proportionata ad æternam formæ cæli cryſtallini conſeruationem, quia cum ex ſe non eſſet apta recipere alteram formam cæleſtem, nec præparari ad illam, forma cæli cryſtallini non poſſet in illa deſtrui, ergo forma cæli cryſtallini connaturaliter petit materiam primam cæleſtem, quæ non ſit apta recipere alteram formam diuerſam, etiam cæleſtem, atque ita quæ diuerſa ſit ſpecie ab alijs materijs cæleſtibus.

7 Sed obijciat quiſpiam,in mundi primordijs Deum in primo die tantum creaſſe cælum, quod exponitur empyreum, terram, & aquas, vt conſtat ex illo Geneſeos 1. *In principio, creauit Deus, cælum & terram, &c. Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*,& ſecundo die procreaſſe firmamentum, quod vocauit cælum non quidem aëreum, ſed ſtellatum, nam Deus poſuit ſtellas in firmamento cæli, & ipſum fundamentum ac cælum poſuit in medio aquarum vt diuideret aquas ab aquis, hoc autem firmamentum ac cælum ſtellatum non fuit in ſecundo die productum ex noua materia prima, ſed ex materia prima præexiſtenti ſub alia forma corruptibili,ſcilicet aquæ, quia Deus in primo die creationis omnem materiam primam creauit,ex qua poſtea omnia produxit,ergo cælum ſtellatum procreatum fuit. & conſtat ex materia prima quæ antea erat ſub forma corruptibili aquæ, quam quidem materiam ſublunarem, aç elementarem vocamus, igitur materia prima cæli ſtellati non eſt ſpecie diuerſa,ſed eiuſdem rationis cum materia ſublunari.

8 Hoc eſt vnicum aduerſæ partis præſidium, ſed in primis nihil probat de materia cæli empyrei, quod quidem non ex aqua productum fuit, atque ita P. Molina ſupra relatus concedit materiam empyrei cæli eſſe ſpeciediuerſam à ſublunari. Deinde Reſpondeo, Deum in primo die creaſſe omnes cæleſtes orbes, qui cæli nomine comprehenduntur, nam licet cap.1. Geneſ. cælum in ſingulari legatur, alibi plurale transfertur, Pſalmo 101. *Initio tu Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cæli*, vnde cum dicitur, Deum in ſecundo die procreaſſe firmamentum cæli, hoc non debet intelligi ſecundum partem ſuperiorem, ſed ad ſummum ſecundum partem inferiorem quam firmamentum includit, etenim firmamentum cæli non eſt vnum corpus, ſed plura corpora ſimul, quia ſignificat expanſionem cæli ætherei & cæli aërei, atque ita cum firmamentum diuerſas partes includat, aliam ſuperiorem, ſcilicet cælum æthereum, aliam inferiorem ſcilicet cælum aëreum,diuerſa ſecundùm quoſlibet eius partes ipſi firmamento tribuuntur: dicitur enim quod Deus poſuit ſtellas in firmamento, quod tantum de ſuperiori eius parte ſcilicet de cælo æthereo intelligendum eſt: & dicitur etiam quod Deus poſuit firmamentum in medio aquarum, vt diuideret aquas ab aquis, quod ſolum de inferiori eius parte, ſcilicet de cælo aëreo intelligi debet, id eſt de extrema parte aëris, quæ medium tenet, & diuidit aquas pluuiales, quæ ſunt in media regione aëris, ab aquis elementaribus quæ ſub ipſo aëre collocantur, vnde eo quod firmamentum ſecundum inferiorem ſui partem fuerit productum in ſecundo die ex materia aquæ, ſolum colligitur quod hæc inferior pars firmamenti ſcilicet cælum aëreum ſeu elementum aëris, conſtet ex materia ſublunari, quod non negamus, non verò ſequitur cæleſtia corpora ſuperiora materia elementari conſtare, ſed alia ſpecie diuerſa,& excellentiori, quod aſſerimus.

CAPVT II.

An omnis ſublunaris materia ſit vna in ſpecie.

PRæmitto quamlibet materiam ſublunarem poſſe natura ſua omnes ſublunares formas huius vniuerſi diuiſiuè in ſe recipere. Probatur,quæuis materia ſublunaris cuicumque naturali agenti ſubijcitur, vt naturali conſtat experientia, ergo quodlibet agens naturale poteſt in quamuis ſublunarem materiam propriam ſubſtãtialem formam inducere, igitur & ipſa materia poteſt recipere & pati omnem ſubſtantialem formam ſublunarem. Confirmatur, res huius vniuerſi ita ſunt naturaliter diſpoſitæ, vt quæuis ſaltem mediate poſſit in alteram tranſmutari, vnde cibus in animal, animal in cadauer, cadauer in terram,& terra in alia plura corpora tranſmutatur, at in iſtis naturalibus tranſmutationibus ſub omnibus hiſce formis manet idem commune ſubiectum,eadem nimirum materia prima quæ de forma ad formam migrat, & tranſmutationem patitur, ergo quæuis ſublunaris materia eſt naturaliter receptiua cuiuſlibet formæ ſublunaris. 9

ASSERTIO ſit. Omnes ſublunares materiæ primæ huius vniuerſi ſunt eiuſdem ſpeciei. ita Ariſtoteles locis à Rubio relatishic tract de materia q.8.n.43. & D.Thom.in 2.diſt. 2. qu.1.art.1.ad.5.& 1.p.q.69. art.2. Arriaga ſupra ſect.11. P.Hurtado ſupra n. 48. Murçia, Plaça, Rubio & omnes relati. cap. præcedenti num.5. & communiter omnes. Probatur, potentia paſſiua ſumit ſpeciem à ſuo actu adæquato, ſed omnes materiæ primæ ſublunares quæ eſſentialiter, ac formaliter ſunt potentiæ paſſiuæ reſpiciunt eundem actum adæquatum, quælibet enim eſt apta recipere diuiſiuè omnem formam ſubſtantialem corruptibilem vt monſtraui num.9.ergo omnes materiæ primæ ſublunares eandem ſpeciem participant. 10

Obijciat aliquis primò, materiæ primæ cæleſtes, licèt omnes inamiſſibiliter formas cæleſtes recipiant, ſunt diuerſæ ſpeciei, ergo materiæ primæ ſublunares,licèt omnes amiſſibiliter recipiant formas ſublunares diuerſas habebunt ſpecies. Confimatur, materia prima formicæ non valet naturaliter pati formam Elephantis,ſicut illam patitur, & recipit materia prima ipſius Elephantis, ergo materia prima formicæ, & materia prima Elephantis ſpecie differunt. Reſp. quamlibet materiam primam ſublunarem poſſe recipere omnem ſublunarem formam, atque ita omnes iſtæ materiæ reſpiciunt eundem actum adæquatum, non enim quæuis materia cæleſtis poteſt omnem formam cæleſtem recipere, ſed quæuis materia cæli, ſuam tantum propriam formam ab alia diuerſam recipere valet, vt oſtendi num. 6. & ideo cum materiæ iſtæ cæleſtes diuerſos habeant actus adæquatos, ſunt etiam diuerſæ ſpeciei. Ad confirmationem. Reſp. materiam formicæ eſſe aptam recipere formam Elephantis non quidem integram ſed partes illius, ſi enim Elephas formicis veſcatur, materia prima formicæ ſuſtinebit, & recipiet formam Elephantis. 11

Obijciat ſecundò,potentiæ actiuæ ad diuerſas ſpecie formas ſubſtantiales ſunt ſpecie diuerſæ, ergo & 12

potentiæ passiuæ ad diuersas specie formas substantiales erunt specie diuersæ, sed materiæ primæ sublunares sunt potẽtiæ passiuæ ad diuersas specie formas substantiales, ergo materiæ primæ sublunares sunt specie diuersæ. Resp. potentias actiuas respicere diuersos actus, seu terminos adæquatos, nam potentia ignefactiua solum respicit formam ignis, & potentia aquæfactiua, solùm respicit formam aquæ &c. & ideo tales potentias esse diuersæ speciei, at potentias passiuas habere eumdemmet actum adæquatum, quia non datur vna potentia, seu materia prima solum ad recipiendam formam aquæ, & alia solum ad formam ignis, sed quæuis materia prima est potentia passiua ad omnes sublunares formas, & ideo omnes potentias passiuas ad formas substantiales; hoc est, omnes materias primas sublunares esse eiusdem speciei dantur autem in rerum natura diuersæ specie potentiæ actiuæ singulæ ad singulas diuersas specie formas substantiales, & vna tantum specie potentia passiua, ac materia prima ad omnes formas sublunares; quia naturalis transmutatio rerum naturalium petebat diuersa agentia naturalia, quæ secum acriter pugnent, & vnum commune subiectum ac materiam primam quæ omnes formas horum agentium recipiat, & transmutationem patiatur, quod esse non posset, nisi darentur in agentibus naturalibus diuersæ potentiæ actiuæ, & vna potentia passiua in materia prima ad diuersas formas.

13 Obijciat tertiò, infra formam rationalem sunt possibiles infinitæ formæ sublunares specie diuersæ, sed materia prima non potest recipere infinitas formas sublunares specie diuersas, nam quo plures formas specie diuersas potest materia recipere, eo ipso est perfectior; atque ita si infinitas formas specie diuersas recipere & pati posset materia prima, esset infinite perfecta quod est absurdum; ergo materia prima non est potens in se recipere, ac pati omnes formas sublunares; igitur diuersæ materiæ primæ dantur ad diuersas formas sublunares, ac proinde sicut formæ sublunares differunt specie, ita sublunares materiæ specie differunt. Resp. primò, infra rationalem formam non esse possibiles infinitas formas specie diuersas, quæ ad hoc vniuersum attineant, non enim dantur in illo agentia naturalia, quæ illas valeant naturaliter producere, atque ita materia prima, licèt apta sit recipere omnes formas sublunares huius vniuersi, non est apta recipere formas specie diuersas infinitas, sed finitas. Resp. secundò materiam esse aptam recipere diuisiue formas specie diuersas infinitas, quia verò eas recipit modo limitato & finito, non habere perfectionem infinitam, sicut enim, licet cognitio, quo perfectius obiectum cognoscit eò perfectior est ipsa, visio tamen creata Dei qui est obiectum simpliciter infinitum non est simpliciter infinita, sed finita; quia illud obiectum infinitum cognoscit, modo finito, ita similiter licet materia prima quæ plures formas specie diuersas valet recipere, cò perfectior est ipsa, tamen cum potens est recipere infinitas formas specie diuersas, ipsa non est infinita sed finita, quia illas tantum valet recipere modo limitato, & finito.

CAPVT III.

An materia hæc sublunaris formas alterius vniuersi valeat naturaliter pati.

14 DEus posset in lucem edere aliud vniuersum à nostro longè diuersum, in quo alia elementa, alia mixta, alia naturalia agentia, alias formas substantiales procrearet; quærimus ergo an materia hæc sublunaris, quæ nunc est, valeat naturaliter pati ac recipere formas illas substantiales, quæ in altero illo vniuerso, quod Deus posset procreare, producerentur.

Sed in primis, certum est possibilem esse materiam aliquam primam sublunarem quæ tantum valeat recipere formas substantiales huius vniuersi, non verò formas substantiales alterius vniuersi. Probatur, ratio potentiæ passiuæ respectu formæ substantialis non consistit in indiuisibili, sed est diuisibilis in varias species potentiæ passiuæ vt ostendi supra num. 2. ergo potentia passiua substantialis diuidi potest in talem speciem potentiæ passiuæ, quæ tantum valeat recipere formas huius vniuersi, & in talem aliam speciem potentiæ passiuæ, quæ solum valeat recipere formas alterius vniuersi. Tunc sic, sed materia prima est formalissimè potentia passiua respectu formæ substantialis, ergo dari potest materia prima quæ tantum valeat recipere huius vniuersi formas, non verò formas alterius vniuersi. Quæstio tamen est, an talis materia prima de facto detur. 15

Assertio sit, hæc nostra materia prima sublunaris non est apta naturaliter pati, & recipere formas alias diuersas alterius vniuersi, sed formas tantum huius vniuersi recipere valet, ita communis schola. Probatur, diuinus naturæ opifex, qui vndequaque perfectam, & completam naturam ipsam constituxit, nullam ei potentiam naturalem dedit, quæ non possit reduci naturaliter ad actum, atqui si materia prima sublunaris esset potentia passiua naturalis etiam formarum corruptibilium alterius vniuersi, quæ à formis huius vniuersi dissiderent, daretur in ipsa essentia ac natura materiæ primæ potentia naturalis passiua, quæ non valeret reduci naturaliter ad actum, cum nullum sit modo naturale agens, quod formam corruptibilem diuersam alterius vniuersi valeat in illam inducere, igitur hæc sublunaris materia prima non habet potentiam passiuam, qua possit naturaliter pati, & recipere formas alterius vniuersi. 16

Hinc infero cum communi recentiorum, esse de potentia Dei absoluta possibilem aliquam materiam primam, hac nostra materia sublunari imperfectiorem; dissentiunt P. Suarez tom. 1. met. disp. 13. sect. 12. num. 6. & P. Rub. hîc, tractatu de materia quæst. 8. num. 54. nostrum verò corollarium probatur, possibilis est materia prima quæ tantum possit recipere formas alterius vniuersi, quas non valet recipere nostra sublunaris materia prima vt ostensum est, num. 15. & 16. Sed non implicat quod formæ illæ alterius vniuersi sint imperfectiores, quam formæ huius vniuersi, ergo possibilis est materia prima quæ tantum valeat recipere formas alias imperfectiores formis huius vniuersi, quas nostra materia valet recipere, ergo possibilis est alia materia imperfectior hac nostra materia prima. Patet hæc consequentia; quia materia prima, vtpote potentia passiua specificatur, ac sumit suam perfectionem ab actu adæquato, quem respicit, hoc est, à forma substantiali quam valet adæquate recipere, ergo si possibilis est materia prima quæ respicit actum adæquatum imperfectiorem, hoc est, quæ valeat adæquate recipere formas alias corruptibiles imperfectiores his formis, quas nostra materia prima adæquate recipere potest, possibilis est materia prima quæ sit specifice imperfectior hac nostra sublunari materia prima. Confirmatur, licèt materiæ primæ, cælestes in amissibiliter formas cælestes recipiant, quia tamen vna materia cælestis respicit adæquate 17

æquate formam cælestem perfectiorem alia forma cælesti, quam respicit adæquate altera cælestis materia prima, ideo illa materia cælestis est specie diuersa, & perfectior ista, vt patet ex dictis supra n. 6. ex doctrina ipsiusmet Suarez, sed materia prima sublunaris huius vniuersi respicit adæquatè formas corruptibiles huius vniuersi perfectiores aliis formis possibilibus alterius vniuersi, quas solum materia prima possibilis alterius vniuersi posset recipere, quæ enim in hoc implicatio apparet? ergo licèt hæc materia prima huius vniuersi sublunaris, & illa materia prima alterius vniuersi amisibiliter formas reciperent, hæc esset specie diuersa ac etiam perfectior illa, igitur possibilis est de potentia Dei absoluta aliqua materia, quæ imperfectior sit hac nostra sublunari materia prima.

18 Sed inquiris, an sit possibilis aliqua materia prima, ita debilis, & infirma, vt vnam tantùm formam corruptibilem valeat recipere? Negatiuè Resp. ratio est, quia omnis entitas quæ à solo Deo concursu creatiuo pendet, petit naturaliter in æternum conseruari, sed talis materia prima, à solo Deo creatiuè penderet; ergo naturaliter peteret in æternum conseruari, atqui si naturâ suâ tantum esset illa materia apta vnam formam corruptibilem naturaliter recipere, & non aliam, non peteret in æternum conseruari natura sua, nam posset vi agentis naturalis illa forma (cum esset naturaliter corruptibilis) ab ipsa materia expelli, & materiæ primæ omni forma denudatæ conseruatio naturaliter non debetur, vt ostensum est suprà, disp. 4. cap. 1. ergo nulla est possibilis materia prima, quæ vnam tantum corruptibilem formam naturaliter valeat recipere.

DISPVTATIO VII.

De proprietatibus materiæ primæ.

TRIA capita continebit. In primo materia prima ingenerabilis, & incorruptibilis statuitur. In secundo, quo modo materia prima operatiua non sit. In tertio, qua ratione materia prima, secundum se incognoscibilis appelletur.

CAPVT I.

Materia prima, ingenerabilis, & incorruptibilis statuitur.

1 PRima materiæ primæ proprietas est esse ingenerabilem & incorruptibilem vt docet Philosophus in hoc lib. cap. vltimo tex. 82. pro cuius explicatione præmitto duplicem esse actionem, aliam quæ est productio rei ex nihilo, hoc est, ex nullo præsupposito subiecto, vt productio Angeli, & hæc vocatur, creatio, & ens quod potest per illam produci, dicitur ens creabile; aliam, quæ est productio rei ex materia ac subiecto præsupposito, vt productio ignis ex ligno, & hæc vocatur generatio; & ens quod potest per illam produci, ens generabile dicitur. Similiter duplicem etiam esse definitionem rei, aliam quæ sit suspensio actionis creatiuæ, qua ens simpliciter destruatur, & hæc vocatur annihilatio, & ens quod potest desinere esse per illam annihilabile dicitur; aliam quæ sit suspensio actionis generatiuæ, qua forma aliqua, quæ à subiecto dependebat, manente tali subiecto destruatur, & hæc vocatur corruptio, & ens quod potest desinere esse per illam, ens corruptibile dicitur.

ASSERTIO, Materia prima, est verè ingenerabilis, & incorruptibilis tametsi verè creabilis, & annihilabilis sit, in hac omnes conueniunt. Carleton disp. 3. physic. sect. 2. Prima pars probatur. Generabile, & corruptibile est id, quod potest produci vera actione generatiua dependenter à subiecto, & desinere esse per suspensionem talis actionis generatiuæ vt præmisi num. 1. sed materia prima non potest produci vera actione generatiua dependenter à subiecto, cum ipsa primum subiectum sit iuxta dicta disput. 5. cap. 1. num. 1. & consequenter nec potest desinere esse per suspensionem talis actionis generatiuæ; ergo materia prima, non est generabilis & corruptibilis, sed ingenerabilis, & incorruptibilis est. Secunda pars, etiam ostenditur, creabile & annihilabile est id, quod potest produci vera actione creatiua independenter à subiecto, & desinere esse per suspensionem talis actionis creatiuæ, vt num. 1. adnotaui, sed materia prima, potest produci per veram actionem creatiuam independenter à subiecto, & desinere esse, volente Deo per suspensionem talis actionis creatiuæ; ergo materia prima, verè creabilis, & annihilabilis est. 2

Obiiciat autem quispiam: vt aliquod compositum sit simpliciter generabile, & corruptibile, sufficit, quod vnio inter eius partes generetur, & corrumpatur, licèt partes ipsæ corrumpi, aut generari non possint, homo enim simpliciter generabilis, & corruptibilis est, quia licèt eius partes scilicet corpus, & forma rationalis non possint generari, & corrumpi, vnio tamen inter illas verè generatur & corrumpitur, sed materia prima non est indiuisibilis, sed composita ex partibus materialibus inter se vnitis medio quodam modo vnionis, qui verè generatur & corrumpitur; ergo ipsa materia prima, licèt eius partes non possint generari, & corrumpi simpliciter generabilis, & corruptibilis est. 3

Respondeo, quando aliqua vnio pertinet ad essentiam rei, sufficere quod sola vnio possit generari, & corrumpi vt ipsa res simpliciter generabilis, & corruptibilis sit, hoc modo vnio humana inter corpus, & animam rationalem pertinet ad essentiam hominis, quia absque tali vnione nec corpus, nec anima rationalis est homo, & ideo licèt corpus & anima rationalis non possint generari & corrumpi, sufficit, quod talis vnio generetur & corrumpatur, vt homo simpliciter generabilis sit. Quando verò vnio non pertinet ad essentiam sed solum ad integritatem rei non sufficere, quod sola vnio possit generari, & corrumpi, vt res illa simpliciter sit generabilis & corruptibilis, hoc modo vnio inter partes materiæ primæ, non pertinet ad essentiam, sed tantum ad integritatem illius, tota enim eius essentia in quouis indiuisibili materiæ primæ, absque illa vnione saluatur, atque ideo cum indiuisibilia materiæ primæ, non possint generari & corrumpi, licèt prædicta vnio continuatiua, corrumpatur & generetur, non dicitur simpliciter generabilis & corruptibilis materia prima. 4

Hic obseruo hanc ingenerabilitatem materiæ primæ, non esse passionem reipsa distinctam ab ipsa materia, quia cum materia prima, essentialiter primũ subiectum sit, omni generationi, ac dependentiæ ipsius à subiecto essentialiter repugnat, esse verò passionem ab ea distinctam ex modo nostro concipiendi, quia quatenus materia prima, concipitur à nobis in ordine, ad formam substantialem quam potest pati 5

quatenus verò ingenerabilis, concipitur vt omni sui generationi repugnans, atque ita vt connotans generationem impossibilem.

CAPVT II.

Quomodo materia prima, operatiua non sit.

6 ALia materiæ primæ proprietas est non esse operatiuam ita Aristot. in hoc lib. cap. 7. textu. 55. & lib. 2. de ortu, & interitu, cap. 9. text. 53. & D. Thom. lib. 7. met. lect. 8. Pro cuius declaratione præmitto materiam primam posse, primò comparari ad alios affectus, seu formas, quæ sunt passiones ipsius, verbi gratiâ ad subsistentiam vel quantitatem, & inquiri, an ipsa materia prima has passiones, & effectus operetur. Secundò, posse comparari ad alios effectus, sen formas, quæ eius proprietates non sunt, verbi gratiâ, ad formam substantialem aquæ vel ignis, & inquiri an materia prima simul cum forma aquæ ipsa etiam physicè operetur, & efficiat alteram formam aquæ, & simul cum forma ignis, ipsa etiam materia physicè operetur alteram formam ignis & sic de alijs.

7 Hoc vnum arbitror certum si aliæ essentiæ rerum physicè suas proprietates efficiunt, etiam ex materia prima eius passiones physicè dimanare. Probatur, si aliæ essentiæ rerum physicè suas proprietates efficiant, hoc illis non alia ratione conueniet, nisi quia cum ipsis passionibus tales essentiæ habent necessariam connexionem, sed etiam materia prima secundum se essentialiter habet necessariam connexionem cum suis proprietatibus, scilicet cum quantitate & substantia, ergo etiam materia prima physicè efficiet suas proprietates, an verò aliæ essentiæ physicè suas passiones producant, dubium est tractatu secundo definiendum, modo verò solum quærimus, an in ordine ad alias formas, quæ eius passiones non sunt, materia sit operatiua.

8 ASSERTIO, materia prima non est operatiua effectuum, qui eius passiones non sint, atque ita cum forma aquæ physicè non efficit aquam, nec cum forma ignis, physicè producit ignem, hoc solum intendit Aristoteles supra relatus, & D. Augustinus lib. 2. de natura boni aduersus Manichæos cap. 26. & Philosophi communiter, dum dicunt materiam primam non esse operatiuam. Probatur, materia prima semper est associata, & coniuncta cum aliqua forma substantiali, aquæ verbi gratia vel ignis &c. sed forma substantialis secundùm se præcisè, secluso influxu materiæ est adæquate operatiua talium effectuum, forma verbi gratiâ aquæ potest adæquate producere alteram formã aquæ & forma ignis potest adæquate producere alteram formam ignis, ergo materia prima, natura sua nullo modo est talium effectuum operatiua, consequentia est euidens, quia alioquin talis virtus materiæ primæ esset naturaliter superflua, quod est absurdum, cum natura horreat superflua, maior per se constat, minorem autem sic probo, forma ignis affecta calore non minus continet alteram formam ignis, quam vnus calor continet alium calorem, sed vnus calor secundum se præcise secluso influxu subiecti in quo sit, potest adæquate efficere alium similem calorem, ergo forma ignis secundum se præcise secluso influxu materiæ, in qua sit, potest adæquate efficere aliam similem formam ignis.

9 Confirmatur principaliter: si materia prima esset naturaliter operatiua saltem partialiter effectuum formæ, cui est coniuncta, sequeretur quod quæuis materia cum forma ignis posset operari formam aliam ignis, & cum forma aquæ alteram formam aquæ, & cum forma equi, alteram formam equi, ac denique cum omnibus formis diuisiue omnes substantiales formas posset producere, sed vna forma substantialis tantum producere valet naturaliter aliam formam substantialem regulariter loquendo, ergo maior, nobilior ac excellentior esset virtus operatiua formæ substantialis, atqui in omni sententia virtus operatiua solum formæ substantiali tribuitur, & in ea saltem longissimè excedit materiam primam, ergo materia prima non est talium effectuum operatiua.

CAPVT III.

Qua ratione materia prima secundum se incognoscibilis appelletur.

ALtera materiæ primæ proprietas est non esse 10
ratione sui cognoscibilem, ita docet Aristoteles lib. 7. met. 34. & videtur esse sententia Augustini lib. 12. Confessionum cap. 5. cuius verba adducit Rubio, hic tract. 1. de materia, quæst. 9. num. 66. Hæc tamen materiæ incognoscibilitas difficulter explicatur; nam Deus, & Angelus distinctum, ac expressum conceptum formant entitatis, ac essentiæ materiæ primæ, ergo ipsa secundùm se est verè cognoscibilis, consequentia est euidens, antecedens patet, quia Deus & Angelus distinctè cognoscunt hominem v. g. ergo distinctè cognoscunt partes, quibus homo essentialiter constituitur, sed materia prima est pars hominis essentialis, ergo Deus, & Angelus distinctè, & explicitè cognoscunt ipsam materiam primam. Confirmo. Deus verè produxit materiam primam, vt distinctam à forma, ergo habet ideam, & cognitionem materiæ primæ, vt distinctæ à forma, ergo materia prima, vt distincta à forma est cognoscibilis. Vrgeo à priori, omne ens, quatenus tale, est verum & cognoscibile, sed materia prima secundùm se, & vt distincta ab entitate formæ est aliquod ens, ergo materia vt distincta à forma est verè cognoscibilis.

Dicat autem quispiam primò, materiam pri- 11
mam esse essentialiter potentiam passiuam formæ, & ita non posse cognosci sine forma, & ideo non esse per se cognoscibilem; sed etiam forma substantialis essentialiter est actus materiæ, & ita non potest cognosci sine materia, ergo etiam forma substantialis non est per se cognoscibilis, quod nullus dixit. Dicat secundò materiam primam cognosci solùm per analogiam & proportionem ad subiectum accidentium sensibilium, quod exprimitur, & ideo ipsam non esse secundum se cognoscibilem, sed per aliud; sed contra etiam formam substantialem, quam non videmus, cognoscimus per analogiam quandam & proportionem ad formam accidentalem sensibilem, quam experimur, ergo eodem modo forma substantialis non erit per se, sed per aliud cognoscibilis. Dicat tertiò cum P. Suarez tom. 1. met. disput. 13. sectione sexta, numero quarto, materiam primam non cognosci per negationem alicuius rei positiuæ, cum non sit potentia passiua, ac ens quoddam incompletum, concipitur à nobis per negationem entis completi, & ideo non est cognoscibilis; sed contra, etiam forma substantialis, est formaliter quidam actus, ac ens incompletum, ergo eodem modo

ac

ac materia, concipitur per negationes entis completi ; ergo non eſt per ſe cognoſcibilis, ſi igitur forma ſubſtantialis ab omnibus cognoſcibilis appellatur , quare materia prima incognoſcibilis dicitur.

12 Assertio, materia prima ſecundùm ſe præcisè non eſt cognoſcibilis,hoc eſt, non eſt per ſe digna cognoſci, ita interpretor Auguſtinum & Ariſtotelem vbi ſuprà, pro cuius elucidatione obſeruo, ſicut bonum eſt amabile, hoc eſt dignum amore, ita verum eſſe cognoſcibile, id eſt dignum cognitione, vnde ſicut accidit rem aliquam ex aliquo capite eſſe bonam ; propter maximam tamen adiunctam deformitatem(licèt poſſit ab aliquo amari)ſimpliciter non eſſe dignam amore ,atque ita nec eſſe amabilem ; ſic ſimiliter contingit aliquam rem eſſe aliquod verum ens , propter maximam tamen adiunctam deformitatem , ac debilitatem in ratione entis veri , (licèt à quouis poſſit cognoſci) ſimpliciter per ſe ipſam non eſſe dignam cognitione , atque ita nec eſſe cognoſcibilem , & hac præcisè ratione non eſt per ſeipſam cognoſcibilis materia prima:nam licèt verum aliquod ens ſit, & verè per ſe ipſam cognoſci poſſit vt monſtratum eſt num.1. adeo tamen ſecundùm ſe eſt debilis , deformis , ac propè nihil,vt noſtram non mereatur cognitionem, atque ita per ſe ipſam incognoſcibilis eſt, hoc eſt non digna cognoſci eſt tamen cognoſcibilis per formam, quia ab illa huiuſmodi dignitatem,decorem, ac purchritudinem capit.

13 Hæc item materia prima alias habet proprietates nimirùm , ſubſiſtentiam , quantitatem durationem, vbicationem,&c. de ſubſiſtentia autem iam egimus ſuprà diſp.3.de aliis verò eius paſſionibus inferiùs fusè diſſerendum eſt.

DISPVTATIO VIII.

De Priuatione.

DVo capita continebit. In primo, inquiro,quid priuatio formaliter includat. In ſecundo,dubiola quædam de priuatione enodantur.

CAPVT I.

Quid priuatio formaliter includat.

1 PRiuatio, *eſt carentia formæ in ſubiecto apto nato*, ita communis Schola , carentia formæ ponitur loco generis,per quod priuatio conuenit cum negatione , quæ etiam eſt carentia formæ , vt carentia intellectionis in lapide:*in ſubiecto apto nato*, ponitur loco differentiæ , quia per id priuatio differt à negatione, quæ eſt carentia formæ,vel omnino extrà ſubiectum,vel in ſubiecto inepto , vel in ſubiecto apto obedientialiter non verò nato,id eſt non naturaliter apto ad habendam talem formam ſed obſerua hæc ſolùm dicta eſſe de priuatione phyſica , & naturali,nam ad priuationem moralem ſufficit,quod ſubiectum ſit aptum obedientialiter ad formam , quæ ei moraliter debeatur , vel quam ipſum moraliter teneatur habere , vt homo peccator habet priuationem gratiæ iuſtificantis , & tamen ſolùm habet potentiam obedientialem ad illam , & eam moraliter habere tenetur. nunc verò omiſſa priuatione morali, ſolùm de priuatione phyſica diſſeramus.

Verùm aliquis obiiciat; materia prima , in hoc 2
inſtanti reali , in quo habet formam ligni,habet priuationem formæ ignis , non enim habet talem priuationem in alio inſtanti , in quo iam habeat formam ignis , quia priuatio formæ ignis , & ipſa forma ignis non poſſunt eſſe ſimul , vt latè oſtendimus ſuprà diſp. 1. cap. 2. ſed materia prima in inſtanti reali in quo habet formam ligni non eſt apta nata ad habendam formam ignis , non enim poteſt naturaliter materia duas formas ſubſtantiales habere , vt infrà videbimus ; ergo priuatio formæ non eſt carentia formæ in ſubiecto apto nato ad talem formam. Reſpondeo , materiam in inſtanti reali , in quo habet formam ligni eſſe naturaliter aptam ad habendam formam ignis non quidem in ſenſu compoſito, hoc eſt ſimul cum forma ligni , ſed ſolùm in ſenſu diuiſo , quia potuit ſimpliciter in tali inſtanti amittere formam ligni , & recipere formam ignis,atque ita in eodem inſtanti reali clauditur duplex inſtans rationis, aliud prius aliud poſterius ; in priori inſtanti rationis concipitur materia vt apta naturaliter ad formam ligni , vel ad formam ignis recipiendam ; in poſteriori rationis inſtanti , concipitur iam vt habens formam ligni , & carentiam formæ ignis , vnde materia prima in eodem inſtanti reali pro priori rationis eſt apta nata ad formam ignis , & pro poſteriori habet carentiam talis formæ ignis , ac proinde in toto illo inſtanti reali eſt in materia priuatio formæ ignis.

Assertio ergo ſit. Priuatio formæ idemmet 3
habet formaliter in eſſe priuatiuo quod forma formaliter habet in eſſe poſitiuo. Probatur apertè, priuationem habere formaliter aliquid in eſſe priuatiuo , eſt illo formaliter priuare : ſed priuatio formaliter priuat ſubiectum ipſo eſſe poſitiuo, quod habet formaliter forma ; ergo priuatio idemmet habet in eſſe priuatiuo , quod forma formaliter habet in eſſe poſitiuo. Videor mihi terminis aliqua ratione abuti , dum dico priuationem habere priuatiue , nam habere priuatiue eſt non habere , hic tamen terminorum abuſus , vt priuationis quidditas cognoſcatur , valdè neceſſarius eſt.

Hinc infero primò , vnius formæ in eodem 4
ſubiecto non plures ſed vnicam tantùm eſſe poſſe priuationem : nam ſi forma eſt vnica , & indiuiſibilis eſſentialiter in eſſe poſitiuo , etiam eius priuatio debet eſſe vnica , & indiuiſibilis formaliter in eſſe priuatiuo. Secundò , infero plurium formarum non vnam ſed plures eſſe poſſe priuationes , quia ſi forma eſt multiplex formaliter in eſſe poſitiuo , etiam eius priuatio debet neceſſariò eſſe multiplex in eſſe priuatiuo , & etiam quia ſi formæ ſunt diſtinctæ ; ergo vna poterit eſſe præſens ſubiecto & alia abſens ab illo , ſed tunc in ſubiecto erit priuatio formæ abſentis , & non erit priuatio formæ præſentis ; ergo priuatio vnius formæ neceſſariò eſt diſtincta à priuatione alterius formæ. Tertiò , infero ſi forma poſſit intendi , & remitti , eius priuationem etiam priuatiue intendi & remitti poſſe , ſi autem forma non poſſit intendi & remitti , eius priuationem intendi, & remitti non poſſe , quia idemmet priuatio habet in eſſe priuatiuo , quod habet forma in eſſe poſitiuo , vnde ſi forma eſt intenſibilis , vel remiſſibilis in eſſe poſitiuo , eius priuatio etiam eſt intenſibilis & remiſſibilis in eſſe priuatiuo , & econtra.

Verùm aliquis inquirat , an priuatio ſit for- 5

maliter ens reale, an ens rationis, certum est in primis non esse ens reale, quia est carentia, & non esse entis realis, sicut tenebræ non sunt lux, quia sunt carentia, & non esse lucis, deinde etiam est certum non esse priuationem ens rationis formaliter, quia ens rationis non datur absque fictione intellectus, & tamen nullo intellectu fingente, nocte dantur tenebræ, quæ sunt priuatio lucis. Arbitror ergo priuationem esse realem in ratione priuationis, cum verè priuatio sit absque fictione intellectus, & esse etiam ens rationis fundamentaliter, quatenus fundamentum præstat, vt à nostro intellectu per assensum ad modum alicuius qualitatis positiuæ concipiatur, & sic confingatur formaliter aliquod ens rationis, vide P. Vasquez tom. 2. in 1. part. disput. 115. num. 6. & P. Suarez tom. 2. met. disp. 54. sect. 5. num. 20.

6 Sed quærat quis, an priuatio v. g. tenebræ, quæ sunt priuatio lucis, sensu aliquo percipiantur, Respondeo negatiuè, quia oculus non videt, nisi quod colore, vel luce perfunditur, tenebræ autem non habent colorem, aut lucem sed potiùs carentiam lucis, atque ita sensu videri non possunt, dicuntur autem per sensum videri, quia cum potentia visiua ex se omnino apta, & expedita ad videndum, ibi lucem non videat, colligit & cognoscit intellectus ibi non esse lucem, sed tenebras, hoc est, priuationem lucis, & bene docet P. Molina 1. p. quæst. 14. artic. 10. §. circa responsionem, & P. Vasquez 1. p. disput. 61. num. 2. & 3.

CAPVT II.

Dubiola quædam de priuatione enodantur.

7 QVæritur primò, cum materia prima dicitur esse priuata forma, nonne talis priuatio includit carentiam talis formæ, an solùm carentiam vnionis materiæ cum ipsa forma? videtur quidem solùm includere carentiam vnionis, non formæ atque ita strictè loquendo non esse priuationem formæ sed priuationem vnionis cum forma; ratio est quia in triduo mortis Christi Domini v. g. materia prima habebat priuationem formæ rationalis, & tamen tunc non erat carentia formæ rationalis, quæ verè in rerum natura existebat, sed tantùm erat carentia vnionis materiæ Christi cum tali forma; ergo priuatio formæ tantùm includit carentiam vnionis, non verò carentiam formæ. Dices in triduo formam rationalem non esse vt in materia, & ideo esse priuationem illius vt in materia; sed contra forma rationalis vt in materia, est idem, ac ipsa forma vt vnita materiæ, atque ita solùm reduplicat vnionem; ergo priuatio formæ rationalis vt in materia est solùm priuatio vnionis ipsius formæ cum materia.

8 Arbitror tamen priuationem formæ in materia, formaliter & in recto includere, carentiam formæ vt denominantis materiam, in obliquo verò & tamquam conditionem includere carentiam vnionis. Probatur apertè, priuatio formæ includit carentiam formæ vt præbentis suum effectum formalem materiæ, hoc est reddentis formaliter illam animatam, seu informatam, Respond. sed forma vt dans formaliter materiæ suum effectum formalem, includit in recto ipsam formam denominantem, in obliquo verò ipsam vnionem tamquam conditionem & viam, qua media materiam formaliter denominat, ergo priuatio formæ includit in recto carentiam formæ vt denominantis, in obliquo verò carentiam vnionis.

Hinc ad oppositam rationem: Respondeo dupliciter posse concipi, existere formam rationalem, primò, solùm materialiter, & entitatiuè, scilicet habendo solùm suum esse extra causas, licèt non det alteri suam denominationem formalem, quo pacto existit anima rationalis separata. Secundò denominatiue & formaliter, scilicet alicui materiæ suum formalem effectum, ac denominationem tribuendo, quomodo existit forma rationalis, cum est associata materiæ. Priuatio ergo formæ in materia non includit carentiam formæ vt existentis entitatiue, & materialiter, vt argumentum conuincit, includit verò carentiam formæ vt existentis formaliter & denominatiue, id est vt denominantis materiam. 9

Quæritur secundò, an forma, & priuatio illius opponantur immediatè, Resp. formam & eius priuationem immediatè opponi in subiecto apto ad habendam talem formam. Probatur, ens & non ens opponuntur immediatè iuxta principium naturæ lumine notum, quodlibet est vel non est, at forma est formaliter aliquod ens, & priuatio eius est formaliter non esse, & carentia talis entis; ergo forma, & priuatio formæ opponuntur immediatè. Confirmatur, id quod est formalis destructio alterius opponitur illi immediatè, sed forma est formalis destructio eius priuationis; ergo forma immediatè opponitur tali priuationi. Probatur minor, id quod alteri contradictoriè opponitur, est formalis destructio illius; ideo enim non esse lucis est formalis destructio lucis, quia contradictoriè opponitur illi, sed forma contradictoriè opponitur priuationi, sicut priuatio contradictoriè opponitur ipsi formæ; ergo forma est destructio formalis eius priuationis. 10

Sed obiicies. Angelus nec est videns visione sensitiua, nec est cæcus, id est priuatus tali visu; ergo medium datur inter formam visus & eius priuationem, atque ita forma & eius priuatio non immediatè opponuntur. Resp. inter formam, & eius priuationem in subiecto non apto ad talem formam, dari medium, scilicet negationem formæ, vt in Angelo, qui non est subiectum aptum ad visionem sensitiuam, inter talem visionem, & eius priuationem datur medium, scilicet negatio visus, vt conuincit argumentum, at verò in subiecto apto ad formam, inter formam & eius priuationem non potest dari medium, vt in assertione ostendimus, atque ita in tali subiecto apto formæ, forma & illius priuatio opponuntur immediatè, vide P. Suarez tom. 2. met. disp. 54. sect. 5. num. 12. & 13. 11

Quæritur tertiò, quomodo priuationes differant inter se. Resp. priuationes inter se differre per ordinem ad diuersas formas; & per ordinem ad diuersa subiecta, prima pars patet, quia priuatio idem habet in esse priuatiuo formaliter, quod habet formalis forma in esse positiuo, vt ostendi num. 30. ergo si formæ sunt diuersæ in esse positiuo, & priuationes debent esse diuersæ in esse priuatiuo; Secunda pars etiam probatur, ponamus quod in duobus Angelis diuersis specie v. g. Michaële & Gabriële sit priuatio physica eiusdemmet speciei intelligibilis, probo priuationem talis speciei, quæ est in Michaële essentialiter differre 12

à priuatione eiusdem speciei intelligibilis, quæ est in Gabriele, & arguo sic, priuatio talis speciei intelligibilis in Michaële est carentia talis speciei, vt denominantis formaliter Machaëlem proximè potentem ad intelligendum; ergo dicit essentialiter ordinem ad Michaëlem, & priuatio eiusdem speciei intelligibilis in Gabriele est carentia ipsius speciei, vt denominantis formaliter prædicto modo ipsum Gabrielem; ergo talis priuatio dicit essentialiter ordines, & respectus ad terminos specie diuersos, quales sunt Michaël & Gabriël, & differunt essentialiter, quia ab ipsis terminis specificantur; ergo priuatio illius speciei intelligibilis, quæ est in Michaële, & priuatio eiusdem qualitatis, quæ est in Gabriële solùm per ordinem ad subiecta differunt essentialiter.

13 Hìc etiam potest inquiri, an dari possit regressus de priuatione ad habitum id est ad formam amissam. Respond. non posse, dari naturaliter regressum à priuatione ad eamdem numero formam amissam, vt ostendi suprà disp. 5. cap. 2. num. 14. nec ad eamdam specie formam, si aliqua debita organizatio destruatur, quæ solùm in materno vtero à generante naturaliter producitur, vt cum quis organo læso amittit visum, naturaliter non potest illum etiam in specie visum recuperare, posse tamen absolutè, vbi talis organizatio non datur, materiam à priuatione formæ ad eamdem in specie formam naturaliter transire, materia enim, quæ semel amisit formam ignis si illi ignis iterum applicetur itetum formam ignis in se recipiet.

DISPVTATIO IX.

De forma substantiali.

QVATVOR capita continebit. In primo, formæ existentia & essentia, & an sit tota entis naturalis quidditas explicatur? In secundo, an forma substantialis physicè in materiam influat. In tertio, an ex materia forma substantialis educatur? In quarto, an duæ formæ substantiales possint simul informare eamdem materiam.

CAPVT I.

Formæ existentia, & essentia, & an sit tota entis naturalis quidditas, explicatur.

1 DAri materiam primam quæ sit primum subiectum, & pars substantialis compositi substantialis constat ex præcedentibus disputationibus, dari verò formam substantialem complentem hanc materiam eamque determinantem ad speciem hominis, leonis, & alias, antiqui Philosophi teste Arist. 1. met. cap. 2. ignorarunt, & primus, eam agnouit Pythagoras, deinde Timeus Lorensis eius discipulus, & post ipsos Plato & Aristot. expressam illius notitiam tradiderunt, apud Conimbricenses, lib. 1. cap. 1. q. 9. art. 2. hisce verò temporibus, nullus est Philosophorum qui eam non agnoscat, vt Arist. in hoc lib. D. Thom. in opusculo de formis quæst. 1. & omnis schola Peripateticorum, ita vt non sit necessarium antiquos, & recentiores recensere, dari ergo de facto in ente per se completo præter materiam primam, formam quandam substantialem, qua ipsa materia per se in ratione entis naturalis; compleatur, probatur primò. In homine verè datur forma spiritualis rationalis, quæ cum materia vnum ens naturale per se scilicet vnum hominem constituit, vt fides docet, & ratio aperte confirmat, quia actio spiritualis intelligendi, & amandi non valet oriri à corpore, sed tantùm potest à forma rationali proficisci; ergo materia secundùm se non est ens per se completum, sed potius per se incompletum, aliàs cum forma rationali, vnum per se non conflaret; ergo cum decedit homo, & forma rationalis à materia separatur, ibi naturaliter succedit alia substantialis forma, saltem materialis, qua materia sit per se completa in ratione entis naturalis, ne debilis & incompleta remaneat, quod natura horret, igitur in ente per se completo, præter materiam primam datur naturaliter forma substantialis, modo spiritualis, modo materialis, qua ipsa materia per se in ratione entis naturalis compleatur. Probatur secundò, vnum ens naturale differt essentialiter, ac substantialiter ab alio v. g. ignis ab aqua; ergo aliquod essentiale, & substantiale habet ignis quod non habet aqua, & econtra, sed hoc non est materia prima quæ in omnibus illis est eiusdem speciei, vt suprà disput. 6. cap. 2. monstratum est; ergo est forma aliqua substantialis; ergo ignis habet aliquam formam substantialem, quam non habet aqua, & econtra, ratione cuius differat essentialiter & substantialiter ab aqua, igitur in ente naturali datur præter materiam vera forma substantialis.

Præmitto primò, formas substantiales non esse in materia ante earum generationem contra quosdam antiquos Philosophos, qui asseruerunt præcedere in materia quasdam formarum inchoationes, seu esse illarum imperfectum, quos ad longum impugnat Suarez disputat. 15. met. sect. 2. à num. 2. Probatur primò, quia si formæ essent actu in materia, essent infinitæ formæ actu in materia, nam ferè est infinita multitudo formarum; ergo esset infinitum in actu, & consequenter eadem numero materia esset actu in infinitis speciebus & eadem forma actu penderet ab infinitis subiectis, quæ omnia absurda sunt; ergo formæ substantiales non sunt in materia actu ante earum generationem; nec valet effugium, videlicet formas præcedere in materia secundum esse imperfectum earum; nam illud esse, aut est formæ, aut non; si hoc secundum, habeo intentum, quia forma non præcedit secundùm aliquid: si primum ergo forma præcedit in materia secundùm esse perfectum, nam forma substantialis est incapax intensionis, vt fusè ostendam in libris de generatione. Probatur secundò, in animo rationali, qui creatur in corpore, & non præcedit in materia, vt est de fide, & ostendi in Logica tractat. 9. disputat. 41. cap. 1. assert. 2. num. 6. & latius ostendam in libris, de anima; ergo nec eius vnio, cum hæc non possit dari sine extremis; ergo idem dicendum est de cæteris formis. Nec vrget fundamentum Philosophorum, quod si formæ non præcederent in materia, secundum illam inchoationem, fierent ex nihilo, & consequenter crearentur, hoc inquam non conuincit, nam etsi non præcedant, secundùm inchoationem actualem, continentur tamen in potentia materiæ, ex qua extrahuntur tamquam ex præsuppositio subiecto, quod sufficiet, vt non fiant ex nihilo, aut creentur.

Præmitto

3 Præmitto secundò, omnes formas excepta rationali, esse verè & propriè generatas, & eductas de potentia materiæ. Probatur clarè omnis forma materialis in suo esse est intrinsece dependens à materia tamquàm à subiecto; ergo omnis forma materialis educitur de potentia materiæ: antecedens probatur primò, quia si aliqua forma illarum esset independens à materia, esset quidem immortalis, sicut est anima rationalis. Secundò, esset supernaturalis, quod fidei repugnat, nam ea ratione monstratur animam rationalem esse supernaturalem, quia est actus independens à materia. Tertiò, quia si aliqua forma materialis esset independens à materia, haberet consequenter aliquam operationem independentem ab illa, sicut eam habet anima rationalis, quia vnaquæque res potest operari eo modo quo ipsa est, atqui omnis forma materialis est omnino dependens à materia; ergo omnis forma materialis propriè & per se generatur.

4 Hæc autem forma substantialis ab Aristotel. 2. physic. cap. 3. text. 8. ratio quidditatis appellatur, iam tamen cum communi schola breuiter sic definio. *Forma est actus simplex, substantialis, vnum per se cum materia constituens*, verba definitionis exponam. *Actus*, hoc est id quo materia perficitur, & determinatur formaliter ad esse entis naturalis completi, est verò actus materiæ solùm in aptitudine, nam sicut materia secundùm se est solùm apta recipere, ac pati formam, ita forma substantialis secundùm se est solùm apta perficere, & informare materiam. *Simplex*, id est forma non est composita ex partibus essentialibus, sicut ens naturale, licèt composita sæpè sit ex partibus integralibus. *Substantialis*, scilicet non dependens ab alio vt à subiecto inhæsionis sicut forma accidentalis. Hæc omnia conueniunt etiam substantiæ Angelicæ, ideo prædicta verba generis locum habent. *Vnum per se cum materia constituens*, hoc est, forma substantialis est quoddam ens per se incompletum, quæ natura sua petit ens aliquod completum per se cum materia constituere, per quod differt essentialiter à substantia Angelica, quæ est ens completum per se, & ideo hæc verba ponuntur loco differentiæ.

5 Sed præcipua iam agitatur difficultas, an scilicet sola forma substantialis sit tota entis naturalis quidditas, an verò etiam materia cum illa ens naturale essentialiter componat: tres adinuenio sententias. Prima sententia est solam substantialem formam quidditatiuè, & essentialiter ens naturale constituere, materiam verò esse tantùm receptaculum, seu vehiculum quidditatis. Ita Auerroes, Iandunus, & alij, quos referunt Conimbricenses, hîc cap. 9. quæst. 5. artic. 1. Secunda sententia est, ens naturale particulare, & determinatum includere essentialiter determinatam formam, non verò determinatam materiam sed solùm, hanc, vel illam materiam indeterminatè, ita Durandus in 4. distinct. 44. quæst. 1. Tertia sententia est ens naturale determinatum ex determinata forma, & determinata materia essentialiter constare, atque ita formam non esse totam entis naturalis quidditatem, sed præcipuam partem illius, ita D. Thomas variis in locis, vt docet Pereira lib. 6. suæ philosophiæ cap. 6. & P. Suarez, alios etiam referens tom. 2. metaph. disputat. 26. sect. 2. num. 3. & Conimbricenses hîc cap. 5. quæst. 5. art. 2. & recentiores communiter quam ego sententiam amplector.

Assertio prima, sola forma substantialis non est tota quidditas, & essentia entis naturalis, ita omnis Schola. Probatur, homo vt sic formaliter est ens naturale, sed homo vt sic formaliter non est sola forma rationalis, sed constat essentialiter ex materia, & forma; ergo ens naturale non est essentialiter sola forma, sed constat ex materia & forma essentialiter, consequentia tenet, maior constat, minor apertè probatur, & primum ex illo Symboli Athanasij, *sicut anima rationalis, & caro vnus est homo &c.* Sed caro idem est ac materia; ergo forma rationalis, & materia est vnus homo; ergo homo constat essentialiter ex forma, & materia. Deinde ratione: homo, fide diuina & experientia magistra est generabilis & corruptibilis, sed si homo vt sic formaliter esset sola forma rationalis, non esset generabilis, nec corruptibilis homo ipse, cum ipsa forma rationalis corrumpi non possit, nec generari; ergo homo vt sic formaliter non est sola forma rationalis sed constat essentialiter ex materia & forma. 6

Obiiciat autem quispiam, vnum ens naturale differt essentialiter, hoc est per suam essentiam ab alio; v. g. ignis ab aqua, sed non differt ab illo essentialiter per materiam, quæ in illis est eiusdem speciei, sed tantùm per formam; ergo sola forma, non verò materia est quidditas, & essentia entis naturalis. Respondeo ignem differre essentialiter, hoc est per suam essentiam ab aqua non quidem adæquatè, sed tantùm inadæquatè; quia differt ratione formæ, non verò ratione materiæ, quæ est etiam de essentia illius, si verò ignis ad corpus cæleste comparatur differt ab illo essentialiter adæquatè, quia differt essentialiter ab illo etiam ratione materiæ, & ratione formæ quæ est adæquata essentia illius.

Assertio secunda. Ens naturale determinatum essentialiter coalescit ex determinata forma, & ex determinata materia, non verò ex hac vel illa materia indeterminatè, ita communis Schola. Probatur, quando duæ partes per se vniuntur, ex illis resultat aliquod compositum per se, quod constat essentialiter ex illis partibus, nam compositum per se ex illis partibus constat, ex quibus per se componitur, ac resultat, sed in Petro v. g. talis determinata materia, & talis determinata forma vniuntur per se; ergo ex illis resultat quoddam compositum per se, quod essentialiter constat ex tali determinata materia, & ex tali determinata forma, ex quibus componitur, atqui tale compositum per se est ens naturale, vt constat; ergo ens naturale constat essentialiter ex determinata materia, & determinata forma. Confirmo, ens naturale tam essentialiter includit materiam quam formam, vt iam prima assertione monstrauimus, sed ens naturale determinatum includit essentialiter determinatam formam vt aduersarij fatentur; ergo ens naturale determinatum etiam essentialiter includet materiam determinatam. Vrgeo ex illo Symboli Athanasij *sicut anima rationalis, & caro scilicet materia vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus*, atqui Christus essentialiter constat ex determinato Deo & humanitate determinata; ergo etiam homo, qui est verè ens naturale constat essentialiter ex determinata forma, & determinata materia. 7

Obiiciat aliquis: homo infans & ipse senex, est idem homo, & tamen non est in illo eadem 8

dem materia prima; nam tota forte materia quam in infantia habuit, vi caloris naturalis eſt per diminutionem deperdita, & alia noua materia eſt per nutritionem acquiſita; ergo non materia ſed ſola forma, quæ ſemper eadem perſeuerat, eſt de eſſentia hominis, aliàs non eſſet idem homo. Confirmatur primò, ſi Deus auferet à Petro animam rationalem, quam habet, & aliam ſtatim ei animam rationalem infunderet, non eſſet iam idem homo, ſed alius homo, quia anima rationalis eſt de eſſentia hominis, & variatur, ſed etiam in prædicto caſu materia prima in homine infante & ſene verè variatur; ergo vel ille homo infans & ſenex non eſt idem, ſed alius homo, quod nullus dicet, vel materia prima non eſt de eſſentia hominis. Confirmatur ſecundò, in reſurrectione mortuorum idemmet homo qui moritur poſteà reſurget, vt conſtat ex illo Iob. 19. *In nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum quem viſurus ſum ego ipſe &c.* atqui ſi materia ſit de eſſentia hominis non reſurget idem homo, non enim poterit ſemper quilibet homo reaſſumere eamdem materiam primam cum qua deceſſit, cum eadem portio materiæ primæ fuerit ſæpè materia plurium hominum, maximè in illis qui carnibus humanis veſcuntur, atque ita ſi vnus illorum illam materiam in reſurrectione habuerit, alius reſurget ſine illa, ac proinde non reſurget idem homo, qui mortuus fuit; ergo materia prima non eſt ſaltem determinatè de eſſentia hominis.

10 Huic obiectioni variæ adhibentur ſolutiones, quibus omiſſis. Reſpondeo, hominem infantem & ſenem, non eſſe eundem hominem metaphyſicè, cum non maneat ſtrictè eadem materia prima, eſſe tamen eundem hominem moraliter, quia cum illa materia prima fuerit ſolùm paulatim, & ſucceſſiuè deperdita, & alia etiam paulatim & ſucceſſiue acquiſita: humano more loquendi, non dicitur homo ille mutari in alium, ſed idem homo diminui, & idemmet homo augeri, atque ita ſemper manet idem homo moraliter. Ad confirmationem primam, Reſpondeo, fore in illo caſu diſtinctum hominem etiam moraliter, quia forma rationalis, ſimul & in inſtanti ablata fuit, & alia ſimul introducta, quæ quidem actio etiam humano more non dicitur diminutio ſeu accretio eiuſdem hominis, ſed mutatio vnius in alium, at in noſtro caſu; materia non ſimul & in inſtanti producitur, ſed ſucceſſiue & paulatim, atque ita iuxta humanum modum loquendi ſemper idem homo perſeuerat. Ad ſecundam confirmationem, Reſpondeo, ad Dei prouidentiam ſpectare, ita res naturales diſponere vt quilibet homo cum magna ſaltem portione materiæ primæ quam in vita habuit poſſit reſurgere, quod ſufficiet vt licèt poſtea illi aliæ nouæ partes materiæ primæ in reſurrectione tribuantur, idem homo moraliter cenſeatur.

11 Sed vrgeat: infanti qui cum parua materia prima decedit, poſtea in reſurrectione non paulatim, & ſucceſſiue, ſed ſimul, & in inſtanti tribuitur magna quædam portio materiæ primæ, ſcilicet materia viri perfecti in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, in qua omnes ſurecturi ſumus, vt ex ſanctorum ſententia docet P. Suarez, tom. 2. in 3. part. diſp. 50. ſect. 5. §. *tertio conſtet*; ergo vel talis materia non eſt de eſſentia hominis, vel non reſurget in tali caſu moraliter idem homo, patet conſequentia ex dictis numero præcedenti. Reſpondeo, ſi infans in inſtanti totam materiam amitteret, & alia tota materia ei de nouo in inſtanti tribueteretur non fore moraliter eundem hominem, vt numero præcedenti inſinuauimus, at verò in dicto caſu tota illa accretio magnæ illius portionis materiæ primæ cadit ſuper ipſum infantem habentem ſuam propriam, licèt paruam materiam primam atque ita more humano non dicitur mutari in alium, ſed ſolum miraculosè ipſemet infans augeri, & ideo idemmet homo moraliter reputatur.

CAPVT II.

An forma ſubſtantialis phyſicè in materiam influat.

12 COmmunis Thomiſtarum Schola tenet formam ſubſtantialem phyſicè cauſare materiam primam, cauſare enim rem eſt illi exiſtentiam communicare, ſentiunt autem ipſi formam communicare formaliter ſuam exiſtentiam materiæ primæ, & ita inferunt formam phyſicè cauſare materiam primam: ſed eorum fundamentum, nimirum materiam primam exiſtere per exiſtentiam formæ ſuprà diſp. 2. cap. 2. efficaciter euertimus; vnde cum iis non eſt modo controuerſia, ſed cum illis ſolùm, qui nobiſcum materiæ primæ propriam concedunt exiſtentiam, ab his ergo quærimus an adhuc materia prima phyſicè à forma cauſetur.

13 Multorum ſententia eſt materiam primam à forma ſubſtantiali phyſicè dependere, non ſolùm à poſteriori tamquam à conditione, & complemento requiſito ad illius exiſtentiam, ſed etiam à priori tamquam à vera cauſa influente ita vt, ſicut forma corporea verè cauſatur à materia in genere cauſæ materialis, quia materia tenet, & materialiter fouet in ſuo eſſe ipſam formam, ita materia prima verè cauſatur à forma ſubſtantiali, quia ſubſtantialis forma continet in ſuo eſſe, & quaſi fouet formaliter ipſam materiam: ita P. Fonſ. 5. met. cap. 2. q. 4. ſect. 2. Conimbricenſes 2. phyſic. cap. 7. q. 8. art. 1. fauet P. Molina 1. p. q. 29. art. 2. diſp. 3. §. *nulla item forma*, eamdem etiam ſententiam probabilem reputat P. Suarez tom. 1. met. diſp. 5. ſect. 8. n. 20.

14 Assertio tamen ſit, forma ſubſtantialis phyſicè & à priori non cauſat materiam primam, ſed ſolùm eſt quædam conditio & complementum à poſteriori naturaliter requiſitum, vt materia prima exiſtat, ita vt probabilius docet P. Suarez, dicta diſputat. 15. ſect. 8. & vt abſolutè verum P. Vaſquez, tom. 2. in 1. part. diſput. 174. cap. 4. num. 19. Conimbricenſes P. Hurtado, Arriaga, Auerſa, Murçia, Plaça, ferè omnes omnes Nominales, & communiter recentiores quos ſequitur Carleton diſput. 10. ſect. 1. 1. 2. & 3. & quidem formam ſubſtantialem eſſe ſaltem conditionem, & complementum à poſteriori naturaliter requiſitum vt materia prima exiſtat, & conſeruetur conſtat ex diſp. 4. cap. 1.

15 Hæc autem aſſertio quoad præcipuam partem, hac vnica ratione, aliis omiſſis oſtenditur, res aliqua non poteſt eſſe cauſa per ſe, nec immediata nec mediata ſui ipſius, cauſa enim per ſe immediata, vel mediata dicit ordinem realem tranſcendentalem ad ſuum effectum, atque ita realiter debet ab illo diſtingui, atqui ſi forma ſubſtantialis per ſe, & phyſicè cauſaret materiam primam, ipſa materia

prima

prima esset physicè & per se causa saltem mediata ipsius; ergo forma substantialis per se & physicè non causat materiam primam. Consequentia est euidens, maior tenet, minorem autem sic probo, id quod est per se causa causæ, est etiam saltem mediatè causa per se effectus necessariò causati per illam causam, v. g. qui est causa per se alicuius essentiæ, à qua per se & necessariò causantur, atque dimanant passiones, est etiam saltem mediate causa per se earum passionum, sed materia prima est causa per se formæ substantialis; ergo si ipsa forma substantialis est necessariò & per se causa ipsius materiæ primæ, etiam materia prima erit mediate saltem causa per se sui ipsius.

16 Confirmatur, eadem ratio, quæ probat causam non posse mutuo causari à suo effectu in eodem genere causæ, probat etiam in diuerso genere causæ non posse causari ab illo, sed iuxta communem omnium sententiam causa non potest mutuò causari à suo effectu in eodem genere; ergo nec poterit causari ab illo etiam in diuerso genere causæ; igitur cum materia prima causet verè & physicè formam substantialem in genere causæ materialis, non poterit etiam in diuerso genere causæ formalis verè & physicè causari ab ipsa forma. Maior, in qua est difficultas ostenditur. Ratio, quare causa nequeat in eodem genere causæ mutuò à suo effectu causari, duplex solet assignari, Prima ratio est, in illo priori, in quo causa v. g. efficiens præcedit effectum, est omnis causa efficiens, à qua causa illa effectiuè & à priori dependet, in illo autem priori non est effectus talis causæ, cum sit posterior illa, atque ita causa illa efficiens non potest effectiuè causari à suo effectu; sed hæc ratio etiam probat (si aliquid valet) causam non posse causari à suo effectu in diuerso genere causæ; nam in illo priori, in quo causa materialis v. g. materia præcedit effectum scilicet formam, est omnis causa, à qua talis materia à priori dependet, in illo autem priori non est effectus scilicet forma, cum sit posterior sua causa scilicet materia; ergo causa materialis, nempè materia non pendet à priori, etiam in alio genere causæ à suo effectu, scilicet à forma; igitur ratio ista, si probat causam non posse mutuò causari à suo effectu in eodem genere causæ, æque etiam probat in diuerso genere causæ non posse causari ab illo. Secunda ratio est, quia si causa efficiens aliquem effectum, efficeretur ab illo, ipsa causa efficeret seipsam, quod repugnat, sed similiter si materia physicè causaret formam, & physicè etiam causaretur ab ipsa forma, in quouis genere causæ, ipsa materia physicè causaret seipsam, quod æque implicat; ergo ratio, quæ probat non posse causam mutuò causari à suo effectu in eodem genere causæ, probat etiam non posse in diuerso genere mutuò causari ab illo.

17 Obiiciat aliquis primò, materia ita pendet à forma vt non possit esse naturaliter sine illa; ergo physicè causatur al illa. Secundò perfectior est forma substantialis, quam materia, sed forma substantialis corporea causatur verè à materia in genere causæ materialis; ergo potiori titulo materia in genere causæ formalis pendebit à forma. Tertiò, quatuor sunt causarum genera scilicet materialis, & formalis, efficientis & finalis, sed si forma non causaret physicè in genere causæ formalis materiam, non daretur genus illud causæ formalis; ergo forma physicè causat materiam. Resp. ad primum, materiam pendere naturaliter à forma substantiali, non verò à priori tamquam ab aliquo influente, sed solùm à posteriori tamquam ab aliquo ipsam complente in suo esse, & ideo non causari ab illa, quia causari ab aliquo est à priori dependere ab illo tamquam ab influente. Ad secundum dico formam substantialem corpoream esse simpliciter perfectiorem materia prima, quia hæc est pura potentia, illa est actus, materiam verò esse secundum quid perfectiorem ipsa forma substantiali corporea, quia illa ex nihilo creatur, hæc dependenter à subiecto educitur, & ratione huius excessus forma corporea causatur à materia, materia autem physicè non causatur ab illa. Ad tertium, nomine causæ formalis nonintelligi formam substantialem erga materiam vel erga compositionem, sed solùm causam exemplarem, quæ est forma extrinseca rei, vt lib. 2. ostendemus.

CAPVT III.

An ex materia forma substantialis educatur.

PRæmitto formam ex materia educi nihil aliud esse quam formam fieri dependenter à materia, 18
ita vt productio formæ vel connotet, vel includat dependentiam ipsius formæ à materia vel (quod idē est) materiæ causalitatem in ipsam formam, ita docet D. Thom. 1. p. quæst. 90. art. 2. ad 2. quem omnes communiter sequuntur, ex quo fit formam rationalem non educi, cum non fiat dependenter à materia, vt dicam in libris de anima, educi verò vt vnita materiæ, hoc est; vnionem ipsius formæ rationalis cum materia, quæ verè dependenter à materia generatur; ergo solùm quæstio est, an forma materialis verè educatur ex materia.

Assertio tamen sit, omnis forma substantialis 19
corporea educitur ex materia; ita docet Arist. in hoc 1. lib. physicorum per totum, cui omnes communi suffragio adhærent, vt D. Thom. multis in locis, Caiet. Ferrara, Complutenses disp. 4. de forma q. 2. Conimbricenses quæst. 12. art. 4. P. Hurtado disp. 5. sect. 8. Arriaga disp. 2. physic. sect. 1. & 2. Scotus, Henricus, Capreolus, Herueus, & Henao. p. 1. exer. 6. sect. 5. n. 32. & 53. Carleton disp. 11. physic sect. 7. & ferè communiter omnes. Probatur primò, formam ex materia educi, est fieri ita dependenter à materia, vt ab illa forma separata statim pereat, vt n. 16. præmisi, sed forma substantialis corporea fit ita dependenter à materia vt ab illa separata statim pereat; ergo forma substantialis corporea educitur ex materia. Probo minorem si forma substantialis corporea disiuncta à materia non periret, aliquando aliquem eius effectum experti essemus, v. g. forma ignis etiam per aquam disiuncta à materia ligni, aliquando calefaceret, atqui cum forma substantialis corporea vi agentis naturalis à sua materia disiungitur, numquam experti sumus aliquem eius effectum; ergo talis forma à subiecto disiuncta non manet, sed statim perit, deinde quia ideo forma rationalis non est materialis, & corporea, sed spiritualis quia à materia non dependet, & ab illa separata non euanescit, ergo si reliquæ formæ non dependent à materia, & ab illa separatæ non euanescunt, non erunt materiales, & corporeæ, sed spirituales; ergo si vt supponimus, corporeæ sunt, verè à materia dependent, & ab illa separatæ statim pereunt. Probatur secundò; agens naturale producit formam substantialem corpoream, vt omnes fatentur, & experiuntur, ignis enim generat formam substantialem ignis, sed agens naturale creatum non valet talem formam ex nihilo procreare, hoc enim arguit infinitam virtutem, & soli potentiæ diuinæ

diuinæ adſcribitur, producit formam ſubſtantialem corpoream ex præiacente materia; ergo forma corporea ſubſtantialis verè educitur ex materia.

10 Obiiciat autem quis primò: agens naturale creatum non valet formam producere ex nihilo, ſed ſi tale agens produceret formam ſubſtantialem dependenter à materia illam ex nihilo produceret, cum nihil ipſius formæ præceſſerit formaliter in materia; ergo agens naturale creatum non producit formam ſubſtantialem corpoream dependenter à materia; igitur talis forma ex materia non educitur. Hanc obiectionem priſci quidam Philoſophi diluere conati ſunt aſſerentes formam ſubſtantialem ſecundum quamdam inchoationem, ac eſſe imperfectum ſui in materia latitare, atque ita vi agentis naturalis talem ſubſtantialem formam ab eſſe imperfecto ad perfectum per generationem tranſire, & ideo non ex nihilo creari.

Hæc tamen ſententia, quæ prorſus improbabilis eſt, vt docet P. Suarez tom. 1. met. diſput. 15. ſect. 2. num. 5. ſic efficaciter impugnatur, quæuis forma ſubſtantialis, quæ poteſt educi ex materia præexiſtit formaliter in illa ſecundùm aliquid ſui, vt aſſerit hæc opinio, ſed quæuis forma ſubſtantialis ex infinitis poſſibilibus huius vniuerſi poteſt ex quauis materia educi vt oſtendi ſuprà diſp. 6. cap. 2. num 6. ergo quæuis forma ſubſtantialis ex infinitis poſſibilibus formaliter in quauis materia præexiſtit; ergo quæuis forma plures ſimul materias naturaliter informat; ergo quæuis forma eſt ſimul in locis pluribus ſeparatis, in quibus ipſæ materiæ, quas illa informat, exiſtunt; ergo in quauis etiam materia ſunt de facto ſimul infinitæ formæ ſubſtantiales, quæ omnia ridicula & abſurda ſunt. Dices formam in materia non præexiſtere ſecundum totam ſuam quidditatem, ſed ſolùm ſecundum aliquod eſſe imperfectum ſui. Sed contra primo, quia ratio formalis, & quidditas formæ ſubſtantialis conſiſtit in indiuiſibili, forma enim ſubſtantialis non intenditur; ergo ſi aliqua pars formæ ſubſtantialis in materia præexiſtit, tota ratio, & quidditas formæ præexiſtit. Secundò, illa noua pars formæ ſubſtantialis, quæ per generationem aduenit non præceſſit formaliter in materia, aliàs forma præexiſteret in materia ſecundùm eſſe perfectum ſui, ergo hæc noua pars formæ, quæ aduenit, producitur ex nihilo ipſius; igitur argumentum ſuprà factum manet in ſua vi.

12 Reſpondeo ergo; formam produci ex nihilo nihil eſſe aliud, quam produci independenter à ſubiecto, ſeu materia in qua ſit virtus ad illam formam ſuſtentandam, quo pacto forma rationalis ex nihilo producitur, & creatur, quia nec materia ſuſtentat illam nec ipſa forma dependet à tali materia; formam verò non ex nihilo, ſed ex aliquo produci, nihil aliud eſſe, quam fieri dependenter à ſubiecto, ſeu materia in qua ſit virtus ad ſuſtinendam illam, & hoc modo formæ materiales ex aliquo producuntur, quia dependenter à materia fiunt, & in ipſa ſuſtentantur.

23 Obiiciat ſecundò, ſi forma ſubſtantialis corporea verè dependeret à materia eſſet accidentalis, ſed talis forma non eſt accidentalis, cum ſupponamus eſſe ſubſtantialem; ergo non dependet à materia. Probo maiorem, forma accidentalis eſt illa, quæ inhæret ſubiecto, vel materiæ, ſed ſi forma ſubſtantialis penderet à materia inhæreret ipſi materiæ; nam eſſet neceſſariò affixa illi, quod eſt ipſi materiæ inhærere; ergo ſi forma ſubſtantialis penderet à materia, eſſet accidentalis. Dices inhærere per modum formæ accidentalis non eſſe præcisè pendere à ſubiecto, ſed illud etiam reſpicere vt completum in ſuo eſſe ſubſtantiali, forma verò ſubſtantialis licèt dependeat à ſubiecto, illud tamen non reſpicit vt completum in ſuo eſſe ſubſtantiali, atque ideo non inhæret illi nec eſt forma accidentalis: ſed contra; ſicut forma ignis v.g. reſpicit materiam primam & incompletam in ſuo eſſe ſubſtantiali, ita forma qnantitatis reſpicit eamdem materiam primam, vt incompletam in ſuo eſſe ſubſtantiali, & ſicut forma quantitatis dependet, & eſt affixa materiæ primæ, ita forma ignis eſt etiam dependens, & affixa illi; ergo vel vtraque forma eſt ſubſtantialis, vel vtraque forma eſt accidentalis.

Reſpondeo ergo, formam ſubſtantialem, & accidentalem in hoc conuenire, quod vtraque pendet à materia, & ideo vtramque formam eſſe verè materialem, in hoc verò diſſidere, quod forma ſubſtantialis eſt quid per ſe incompletum natura ſua ordinatum ad conſtituendum cum materia aliquid vnum completum, quod quidem eſt vnum per ſe, quia eſt totum intentum à partibus, quæ ad illud componendum directè, ac per ſe ordinantur, & ideo forma ſubſtantialis definitur eſſe, *actus ſimplex ſubſtantialis vnum per ſe cum materia conſtituens*, vt ſuprà num. 2. explicatum eſt, forma verò accidentalis eſt quid completum in propria ratione accidentis, & ideo non ordinatur naturâ ſuâ ad conſtituendum cum ſubiecto, aliquod ens completum; ſed ordinatur ſolum ad perficiendum tale ſubiectum media aliqua vnione cum ipſo, ex qua vnione accidentis cum ſubiecto, vnum totum reſultat, non per ſe intentum à partibus, & ideo non vnum totum per ſe, ſed vnum totum per accidens appellatur. Dependere itaque formam à ſubiecto, cum quo vnum totum per ſe, non per accidens conſtituat, eſt non inhærere illi per modum accidentis, ſed inexiſtere ipſi per modum ſubſtantiæ: dependere verò formam à ſubiecto, cum quo, vnum totum non per ſe, ſed per accidens conſtituat, & inhærere illi per modum accidentis. Cum ergo forma ſubſtantialis pendeat à materia prima cum qua vnum totum per ſe, ſcilicet ens naturale conſtituat, ideo non inhæret illi per modum accidentis, cum verò forma accidentalis v. g. forma quantitatis pendeat à ſubiecto, ſeu materia, cum qua vnum totum non per ſe ſed per accidens componat, ideo inhæret illi per modum accidentis, conſtat ergo qua ratione forma ſubſtantialis, licèt à materia pendeat non ſit accidentalis. 24

Obiiciat tertiò, ideo forma rationalis non dependet in ſuo eſſe à materia quia non dependet in operando ab illa, poteſt enim amare & intelligere ſine illa, ſed etiam forma ſubſtantialis corporea non dependet à materia in operando; ergo nec in ſuo eſſe pendet ab illa, ac proinde non educitur ex ipſa. Probatur minor, quia tota vis diſgregatiua viſus eſt in albedine vt diſtincta à ſubiecto, albedo etiamſi ſit à ſubiecto ſeparata in Euchariſtia diſgregat viſum, ſed omnis virtus operatiua eſt in ſola forma ſubſtantiali, vt diſtincta à materia, quia materia non operatur vt oſtendi ſupra diſp. 7. cap. 2. ergo forma ſubſtantialis corporea à materia ſeparata verè operaretur; igitur non dependet in operando à materia, Reſpondeo non ideo formam rationalem non pendere in ſuo eſſe à materia quia ab illa non pendet in operando; ſed potius ideo non pendere ab illa in operando quia ab ipſa non dependet in eſſendo, ideo verò ab ipſa in eſſendo non pendere, quia eſt forma 25

spiritualis, & excellens, formæ verò non rationales sunt materiales,& imperfectæ, & ideo pendent in essendo à materia & consequenter etiam in operando, quia ipsum esse semper ad operari requiritur.

26 Hæc omnia quæ dicta sunt de forma substantiali corporea circa dependentiam à materia,potiori titulo intelligenda sunt de forma accidentali, quæ longe debilior, ac imperfectior est illa. Quærat verò aliquis, vtrum de potentia Dei absoluta, forma substantialis possit conseruari sine dependentia à materia. Respondeo affirmatiuè, tum quia non implicat, tum etiam quia forma accidentalis, quæ est debilior, quam substantialis, absque dependentia à subiecto, in Eucharistia diuinitus conseruatur; sed obserua, id fieri non posse sine specialiori concursu, nam forma substantialis corporea conseruatur modo naturaliter dependenti à materia actione generatiua,tunc verò absque dependentia à materia diuinitus conseruaretur actione quadam creatiua, quæ talem materiæ concursum eminenter compensaret.

CAPVT IV.

An duæ formæ substantiales possint simul informare eamdem materiam.

27 QVatuor inuenio sententias: prima sententia est tot esse formas substantiales in materia, quot sunt ex parte formæ essentialia prædicata, vel saltem tot, quot sunt gradus, essendi, scilicet, vegetandi, sentiendi, & ratiocinandi. Ita Ioann. de Gandauo, 2. metaph. quæst. 10. & 2. de anima quæst. 8. & alij. Secunda sententia est, formas substantiales elementorum manere in mixtis, atque ita plures formas substantiales in eadem materia residere, ita Auicennæ commentator, & plures alij relati à P. Suarez tom. 1. metaphysic. disput. 15. sect. 10. num. 41. Tertia sententia est, in viuentibus saltem in homine præter formam viuentem, seu rationalem esse formam aliam substantialem, quam vocant formam corporeitatis, quia per illam materia viuentis completur formaliter in ratione corporis, & fit vltimo apta ad recipiendam formam principalem viuentem, seu rationalem, ita Scotus in 4. distinct. 11. quæst. 3. art. 2. illam in omnibus viuentibus admittens, & Henricus quodlib. 2. quæst. 2. & 3. & quodlib. 3. quæst. 13. & 14. solùm in homine formam corporeitatis concedens. Quarta sententia est vni materiæ,vnam tantùm formam substantialem inesse. ita D. Thom. 1. part. quæst. 76.art. 3. & 4. & quæst. de anima art. 9. Caietan. Sotus, Toletus, Valesius, Handria, Pereira, Bañez, Plaça lib. 1. physic. disput. 5. quæst. 4. Complutenses disp. 4. physic. q.6. eam supponunt Conimbricenses, Rubio, P. Hurtado, disp. 4. de forma sect. 3. Arriaga, disput. 3. physic. sect. 6. Carleton disp. 11. physic. sect. 3. & omnes communiter.

28 ASSERTIO prima sit. Non tot sunt in materia formæ substantiales, quot sunt ex parte ipsius formæ gradus, seu prædicata essentialia. Est contra auctores primæ sententiæ qui nullo nituntur fundamento, & communiter ab omnibus reiicitur eorum sententia. Probatur, si tot essent formæ substantiales quot gradus, ac prædicata, essentialia in homine essent tres animæ reipsa inter se distinctæ, alia vegetatiua, alia sensitiua, alia rationalis, cum in illo sit triplex gradus, vegetandi, scilicet, sentiendi, & ratiocinandi, sed in homine non sunt tres animæ reipsa inter se distinctæ; ergo non sunt in materia tot formæ substantiales, quot gradus, aut prædicata essentialia: minor probatur primùm auctoritate ex octaua Synodo generali, quæ est Constantinopolitana quarta can. 11. vbi dogmatizantes duas esse in homine animas, sancta Synodus anathematizat; deinde probatur ratione, nam si homo quatenus principium sentiendi, ac etiam ratiocinandi, duas animas inter se distinctas reipsa, aliam rationalem, aliam sensitiuam haberet, homo essentialiter esset animal rationale, & irrationale; cum vna anima rationalis esset, & altera irrationalis; atqui vniuersa philosophia consentiente, homo solùm est animal rationale; ergo homo solùm habet vnicam formam,& animam rationalem. Confirmatur principaliter, sicut ex parte formæ sunt diuersa prædicata essentialia formalia, ita ex parte materiæ sunt diuersa prædicata materialia, & essentialia; nam sicut forma est principium sentiendi, & principium ratiocinandi, ita forma est principium passiuum formæ substantialis, & principium passiuum formæ accidentalis, sed materia prima equi non est diuersa reipsa propter ea diuersa prædicata essentialia materialia; ergo nec forma equi erit diuersa propter diuersa illa prædicata essentialia formalia, eadem enim prorsus in vtroque ratio militat.

29 Obiiciat quis Aristotelem 7. metaph. cap. 10. dicentem partes definitionis respondere partibus rei definitæ, sed partes definitionis sunt genus,& differentia; ergo in re definita v. g. in homine genus & differentia, scilicet animal, & rationale sunt partes & formæ distinctæ. Resp. Philosophum vel loqui solùm de definitione physica quæ datur per partes physicè distinctas, vt cum dicis, homo est constans ex corpore & anima rationali, vel si de definitione metaphysica loquatur, solùm asserere partes in re definita, metaphysicè solùm, & per rationem esse distinctas.

30 ASSERTIO secunda sit. Formæ substantiales elementorum non manent in mixto. Probatur primo à posteriori; nam si manerent in illo, eorum effectus naturales,quispiam experiretur, v. g. si forma substantialis ignis in equo maneret, ibi verè calefaceret, & combureret passum equo approximatum, sed equus non calefacit, nec comburit passum sibi approximatum, vt constat experientia; ergo forma ignis non manet in illo, ac proinde formæ elementorum non manent in mixto. Probatur secundò à priori,quia formæ substantiales elementorum, vt naturaliter conseruentur,diuersas ac oppositas dispositiones requirunt, forma enim ignis petit calorem intensum, forma verò aquæ petit intensam frigiditatem, & calor intensus & frigiditas intensa non possunt esse simul naturaliter in eadem materia mixti, cum contrariè opponantur; ergo nec formæ substantiales possunt manere simul naturaliter in tali mixto.

31 Obiiciat aliquis: Mixtio, qua mixtum resultat, est mistilium, hoc est elementorum vnio, vt docet Aristoteles, libro primo de generatione capite decimo; ergo elementa manent in mixto, igitur formæ substantiales elementorum in eadem mixti materia reperiuntur. Respondeo, quodlibet mixtum habere in se vnionem elementorum, non quidem secundum eorum formas

mas ſubſtar iales , ſed ſolùm ſecundùm eorum, formas accidentales , nimirum calorem , ſiccitatem, frigus , humiditatem , quibus in hoc vel illo temperamento quodlibet mixrum afficitur , & ideo elementa dicuntur manere in mixtis , non formaliter ſed tantùm virtualiter , quia illorum qualitates & virtutes etiam in mixtis perſeuerant vt late libris de generat. 3.

ASSERTIO tertia ſit , in nullo viuente etiam
32 in homine datur ex parte materiæ forma aliqua ſubſtantialis corporeitatis , ratione cuius ipſa materia compleatur in ratione corporis , ac proximè ſuſceptiui formæ viuentis , aut rationalis. Probatur primò , natura ſicut nihil neceſſarium omiſit, ita nihil produxit otioſum , atqui talis forma ſubſtantialis corporeitatis eſſet omnino otioſa , & ad nihil neceſſaria , ergo non eſt in rerum natura hæc forma corporeitatis. Minor probatur , ſi ad aliquid eſſet talis forma neceſſaria , maximè ad conſtituendum cum materia corpus , ſed forma viuens etiam rationalis quauis alia forma ſecluſa conſtituit ſufficientiſſimè corpus cum materia, conſtituit enim ſubſtantiam completam apte ſuſceptiuam quantitatis , in quo adæquata ratio corporis formaliter conſiſtit ; ergo forma alia corporeitatis ad nihil eſt neceſſaria atque ita eſſet otioſa.

Probatur ſecundò , materia prima cum forma
33 viuenti , vel rationali conſtituit vnum per ſe , vt apud omnes eſt in confeſſo , at ſi materia vt affecta forma alia ſubſtantiali corporeitatis reciperet formam ſubſtantialem viuentis , non conſtitueret cum iſta vnum per ſe , ergo materia prima non afficitur forma illa corporeitatis : minor probatur, ſi enti completo vt ſic formaliter vniretur forma ſubſtantialis , non conſtitueret cum illa ens per ſe , ſed ens per accidens ; ſed ſi materia habeat in ſe formam illam ſubſtantialem corporeitatis , erit ens quoddam ſubſtantiale completum , ergo materia vt ſic per formam corporeitatis completa non conſtituet cum forma ſubſtantiali ſibi aduenient ens per ſe , ſed ens per accidens. Dices formam corporeitatis eſſe imperfectam , & incompletam , atque ita per illam ſolùm non conſtitui materiam in ratione entis completi , & ideo per ſe compleri per aliam formam ſubſtantialem. Sed contra, omnis forma ſubſtantialis , quæ eſt in ſpecie atoma formæ, etſi imperfectiſſima ſit eſt forma completa in ratione formæ ſubſtantialis, ſicut omnis forma accidentalis, quæ eſt in ſpecie atoma formæ accidentalis, etſi ſit valde imperfecta, eſt completa in propria ratione formæ accidentalis , atqui ſi materia haberet formam ſubſtantialem corporeitatis , haberet formam aliquam exiſtentem in ſpecie atoma formæ ſubſtantialis, vt conſtat ; ergo haberet formam ſubſtantialem completam in ratione formæ ſubſtantialis ; ergo materia cum tali forma corporeitatis eſſet ens per ſe completum , ac proinde non poſſet per ſe compleri , per aliam formam ſubſtantialem.

34 Obiiciat aliquis primò , materia prima quæ eſt in homine conſtituitur corpus formaliter per aliquam formam ſubſtantialem ei ſuperadditam , ſed non per formam rationalem ; ergo per formam aliam ſubſtantialem corporeitatis : minor probatur ; forma non dat alteri formaliter quod formaliter ipſa non habet , cum effectus formalis formæ ſit ipſa forma , vt communicata ſubiecto ; atqui forma rationalis non eſt formaliter corporea ſed omnino ſpiritualis . ergo non dat materiæ rationem formalem corporeæ ; igitur nec complet ipſam formaliter in ratione formali corporis. Reſpondeo , corpus late ſumptum duo includere , & eſſe ſubſtantiam apte ſuſceptiuam quantitatis , & eſſe ſubſtantiam completam : materia prima ex ſe habet primum , ſcilicet eſſe aptam ſuſcipere quantitatem , deeſt tamen illi ſecundum, nam eſt ſubſtantia completa. Vnde cum per formam realem compleatur in ratione ſubſtantiæ naturalis completæ & totalis , ideo per illam conſtituitur , & completur in ratione corporis non quidem , quia forma rationalis reddat materiam primam corpoream, hoc enim materia ex ſe ipſa habet , ſed quia reddit illam ſubſtantiam completam, quod etiam ad rationem corporis completè ſumpti deſideratur , totum autem hoc habet in ſe forma rationalis ſaltem *vt quo* quia eſt ratio formalis, qua materia modo explicato conſtituitur & completur in ratione corporis.

Obiiciat ſecundò , Anima , vt dicemus in eius
35 libris , eſt forma corporis organici ſecunda ; ergo materia prima in qua recipitur anima vt ab ea diſtincta , eſt verè corpus, ſed non eſt formaliter corpus per ipſammet animam , quia anima non eſt forma ſui ipſius , & tamen eſt forma corporis ; ergo per formam aliam ſubſtantialem præhabitam corporeitatis. Confirmatur ; in triduo mortis Chriſti, idem corpus Chriſti permanſit , quod antea erat, & ſi tunc Sacerdos aliquis conſecraret , idem corpus eſſet ſub accidentibus panis in Euchariſtia, quod modo eſt , & tamen materia prima Chriſti in triduo non habuit formam rationalem , quam ante illud tempus habebat , & modo habet , tunc enim forma alia ſubſtantiali cadaueris informata fuit ; ergo materia prima Chriſti Domini non conſtituitur formaliter in ratione corporis per formam rationalem , quam in triduo amiſit, ſed per formam ſubſtantialem corporeitatis ipſi coæuam , & numquam ab illa ſeparabilem, alioquin non fuiſſet idemmet corpus Chriſti Domini in triduo , quod ante fuit, & modo eſt.

Reſpondeo , corpus dupliciter ſumi vel philoſo-
36 phicè , vel vulgariter : corpus primo modo ſumptum ſtat pro ente naturali completo aptè ſuſceptiuo quantitatis. Secundo modo acceptum ſtat pro materia prima debitè organizata , benè diſpoſita , & apta ad formam viuentem , hoc eſt , animam maximè rationalem recipiendam, vnde cùm definitur anima eſſe actus corporis organici , &c. ſermo eſt de corpore ſecundùm vſum communem , & acceptionem vulgarem , vt ſæpè loqui aſſolent Philoſophi , atque ideo ſola materia prima animalis debitis organizationibus diſpoſita vocatur corpus ſecluſa quauis alia forma ſubſtantiali corporeitatis. Ad confirmationem Reſpondeo, cum eadem Chriſti materia prima cum iiſdem organizationibus ſemper etiam in triduo mortis præextiterit , ideo ſecundùm hanc vulgarem acceptionem abſque vlla alia forma corporeitatis præextitiſſe, & forè conſecrandum in triduo idemmet Chriſti corpus , quod nunc exiſtit , & de facto conſecratur.

Obiiciat tertiò , cum aliquis homo nimio calo-
37 re , vel frigore , aut enſis percuſſione repente moritur , manet eius materia quæ formam rationalem amittit cum aliqua alia forma ſubſtantiali , materia enim non valet abſque ſubſtantiali forma naturaliter conſeruari , iuxta dicta ſuprà diſputat. 4. capite 1. ſed non manet cum aliqua forma ſubſtantiali ibi de nouo producta , tum quia accidentia caloris , aut frigoris , ex quibus mors

illa infertur, non valent formam substantialem generare, tum etiam quia si generarent illam cum talia accidentia caloris, & frigoris sint specie diuersa, diuersas specie formas substantiales cadauericas generarent, experimur autem omnia hominum cadauera, ex quacumque causa mors causetur esse eiusdem rationis, ergo manet materia cum forma substantiali corporeitatis, quæ existit semper in illa. Respondeo in prædicto casu formam aliquam substantialem cadaueris generari de nouo ab illis accidentibus quæ circunstant dispositiuè, & instrumentaliter; à Deo autem principaliter tamquam à causa prima supplente defectum causæ secundæ: cum verò illa accidentia & dispositiones, ex quibus mors causatur, sæpè sint specie diuersæ, probabile est diuersas etiam in specie formas substantiales cadaueris introduci vt docet P. Suarez dicta disputat. 15. sect. 10. num. 17. & materiam sub aliquibus specie diuersis accidentibus manere, licet interdum non facile sub nostra cadant experientia.

38 Assertio quarta sit: materia prima non potest naturaliter habere duas formas substantiales diuersas, etiam non subordinatas, nec duas eiusdem rationis, sed vna tantùm forma substantiali contenta est. Ita D. Thom. cum aliis multis, quos refert, & sequitur P. Suarez vbi suprà num. 62. & docuerat Aristoteles pluribus suæ doctrinæ locis, vt refert Pereira lib. 5. suæ physicæ cap. 15. & auctores 4. sent. Quod non possit materia naturaliter habere duas formas eiusdem rationis patet, quia vna esset superflua, & natura superflua vitat. Quod verò habere non possit duas formas diuersas non subordinatas, probatur, quia quælibet forma naturaliter ad sui conseruationem requirit diuersam primarum qualitatum temperiem, sed diuersæ primarum qualitatum temperies sunt naturaliter impossibiles in eodem subiecto, vel materia, etenim in vno temperamento calor excedit frigus, animalis verò calor non excedit, sed exceditur à frigore, calorem autem excedere, & non excedere frigus in eadem materia clare repugnat; & sic de alijs: atque ita diuersa hæc temperamenta in eadem materia vel subiecto aperte repugnant, & incompossibilia sunt, ergo etiam diuersæ formæ substantiales in eadem materia sunt naturaliter incompossibiles.

39 Sed aduerto primò, materiam primam posse de potentia Dei absoluta habere simul in se plures formas substantiales. Primò, quia id clare non implicat, licèt enim vna forma substantiali potentia naturalis materiæ primæ expleatur, non tamen expletur eius potentia obedientialis, nec est ratio, quæ id efficaciter suadeat. Secundò, quia corpus Christi diuinitus habet simul plures formas accidentales vbicationis, aliam scilicet, qua est vbicatum in cælo, & aliam, quæ existit in Eucharistia; ergo pariter poterit habere materia prima diuinitus plures simul formas substantiales, vtrumque enim æque naturaliter implicat, & diuinitus non repugnat. Tertiò quia forma substantialis consequitur ad vltimam dispositionem in materia, vt forma ignis ad calorem, & forma aquæ ad frigiditatem, sed de potentia Dei absoluta potest vna & eadem materia vltimo disponi ad duas formas substantiales, vt dicemus infrà lib. secundo, bene enim potest habere calorem vt octo, quæ est vltima dispositio ad formam ignis, & frigus vt octo, quæ est vltima dispositio ad formam aquæ; ergo similiter poterit materia de potentia Dei absoluta habere in se simul duas formas substantiales aquæ & ignis, nulla enim implicatio apparet in eo, quod Deus producat alteram formam in materia conseruando concursum, quo conseruabat præexistentem formam.

Aduerto secundò, casu quo duæ formæ substantiales diuersæ virtute diuina vniuntur eidem materiæ, quamlibet constituere vnum compositum per se, inadæquate distinctum ab alio, & ita essent plura entia seu composita, aut supposita saltem inadæquate distincta, ratio est manifesta, quia talia composita constarent vnica materia, quæ cum sit inadæquata essentia compositi, redderet ea composita inadæquatè eadem inter se, nam licèt materia esset completa per quamlibet formam, tamen ex illis non vniretur materiæ vt completæ, quia non vniretur materiæ & formæ, nec tunc resultaret ex ente completo, & incompleto vnum per se, quia non resultaret ex ligno verbi gratia, & forma ignis aliquod totum, sed ex materia ligni, & forma ignis, resultaret ignis, & consequenter illa composita fierent ex entibus incompletis: sicut de personalitate Verbi diuini terminantis humanitatem dici solet, non tamen ad inuicem prædicaretur vnum de alio, quia compositum substantiale dicit in recto materiam & formam; ergo sicut non potest dici materia & forma ignis est materia & forma ligni, ita nec potest dici, lignum est ignis; ergo licet essent illa supposita, inadæquate distincta, non tamen ad inuicem possent prædicari. 40

Aduerto tertio, in eo casu in quo, duæ formæ substantiales diuina virtute in eadem materia conseruarentur probabiliter dici posse, non indigere alio influxu vberiori ad conseruandam secundam formam distincto à concursu & influxu, quo primam formam substantialem Deus conseruabat in materia; ratio est, nam per hoc præcisè, quod simul Deus cum frigore conseruet calorem nulla causa creata caloris perit, cuius Deus influxum teneatur supplere, calor enim non curat quid petat frigus vel non, aut econtrario, alioquin cum corpus frigidissimum, & magnum applicatur exiguo igni, conseruatio illius frigoris erit supernaturalis, quia est contra exigentiam caloris introducendi; dici tamen potest indigere vberiori influxu ad introducendam & conseruandam secundam formam substantialem ad præsentiam primæ formæ præexistentis, quia operaretur contra exigentiam caloris conseruando frigus ad eius præsentiam, & esset quoad modum miraculosum, & supernaturale excedens vires agentis naturalis, sicut producere animam rationalem in corpore nondum præparato ad illius introductionem; ergo conseruatio duplicis formæ substantialis in eadem materia probabiliter dici potest esse supernaturalis, saltem quoad modum, sicut regressus formæ à priuatione ad habitum, cum secunda illa forma, materiæ pro nullo statu debeatur, & consequenter nec eius influxus aut conseruatio. 41

DISPV

DISPVTATIO X.

De vnione substantiali inter materiam & formam.

QVINQVE capita continebit. In primo, vnionis existentia, & essentia declaratur. In secundo, inquiro, an vnio materiæ & formæ ab illis reipsa distincta sit. In tertio, an vnio ab actione eductiua distinguatur. In quarto, an vnio inter materiam & formam sit simplex essentialiter, an composita. In quinto, aduersantia argumenta diluuntur.

CAPVT I.

Vnionis existentia & essentia declaratur.

1 DAri reipsa vnionem inter materiam & formam perspicuum est, etenim materia & forma disiunctæ aut non vnitæ, non vnum per se, sed potius plura constitituunt, cum reipsa vna ab altera distinguatur, atqui materia & forma vnum per se, scilicet, ens naturale constituunt; ergo materia & forma sunt à parte rei vnitæ; igitur datur reipsa vera vnio inter materiam & formam.

2 Vnio solet variè vsurpari. Primò, pro intentionali conuenientia, vt cum intellectus cognoscit aliquod obiectum, cognitio illa cum sit repræsentatio obiecti dicitur appropinquare obiectum illudque repræsentatiuè coniungere potentiæ cognoscenti, & ideo dicitur vnio, vel coniunctio inter potentiam & obiectum, quæ intentionalis appellatur, quia cum repræsentet obiectum, facit illud repræsentatiue esse coniunctum potentiæ. Secundò, solet vsurpari pro vnione affectiua qualis est illa, quæ reperitur inter eos qui mutuò se beneuolentiæ affectu prosequuntur. Tertiò, pro plurium rerum aggregatione, vt cum ex pluribus lapidibus vnus aceruus lapidum constituitur. Quartò, pro identitate, quam vnaquæque res habet in se ipsa, in quo sensu dicitur aliqua res esse vnum cum seipsa.

3 Hæc autem *vnio est vinculum potentiæ & actus, quo formaliter ex illis vnum per se componitur. Vinculum* ponitur loco generis, quia per id hæc vnio conuenit cum vnione accidentali, quæ etiam est vinculum potentiæ, & actus saltem accidentalis; differt verò ab vnione hypostatica, quæ non est vinculum potentiæ & actus, sed naturæ & termini. Verbum enim diuinum non actuat & informat, sed terminat humanitatem, de quo alibi. *Quo formaliter ex illis vnum per se componitur.* Hæc verba ponuntur loco differentiæ, quia per illa hæc vnio differt ab vnione accidentis cum subsstantia ex qua non vnum per se formaliter, sed vnum per accidens resultat.

4 Ex his colligo vnionem inter materiam & formam esse subsstantialem. Probatur, quidquid est essentiale formaliter enti naturali, est vere subsstantiale, alioquin ipsum ens naturale non esset ens per se, sed ens per accidens, sed vnio inter materiam & formam est essentialis formaliter enti naturali; ergo talis vnio est subsstantialis. Minor patet primo, quia ratio formalis, qua ens naturale constituitur essentialiter, est formaliter essentialis ipsi enti naturali, sed vnio inter materiam & formam est ratio formalis, qua ens naturale constituitur, vt dictum est num. 2. ergo talis vnio est formaliter essentialis enti naturali. Patet secundo cum moritur homo, perit aliquod ens naturale essentialiter; ergo perit necessario aliquid, quod sit essentiale ipsi enti naturali, sed tunc perit sola vnio inter materiam & formam rationalem; ergo talis vnio est essentialis enti naturali.

CAPVT II.

An vnio materiæ, & formæ ab illis reipsa distincta sit.

PRo intelligentia Assertionis recognosce quæ diximus in Logica disp. 5. cap. 2. & ad præsens distinctio est duplex, vna realis, alia modalis, illa, datur inter duas entitates, quarũ vna potest esse sine alia, & è contra, vt materia sine forma, & forma sine materia ista datur inter duas entitates, quarum vna licèt possit existere naturaliter sine alia, altera verò nec diuinitus potest existere sine illa v. g. agens potest naturaliter existere sine actione, actio verò per nullam potentiam potest existere sine agente, sed ens potest esse sine sessione, quia naturaliter potest stare, sessio verò nullo modo potest esse sine sedente. Nonnulli opinati sunt vnionem inter materiam & formam reipsa ab illis non distingui, assererentes formam & materiam per se vniri nihil aliud esse, quam materiam per suammet entitatem esse sub forma, & formam subsstantialem per se ipsam coexistere materiæ, ita Gregor Arimin. in 1. distinct. 28. quæst. 2. Caietan. 1. part. quæst. 76. artic. 1. §. in responsione Soncin. 5. metapyhsic. quæst. 31. ad 3. Conimbricenses hîc cap. 9. quæst. 11. artic. 2. §. *si quis verò* & alij recentiores. 5

ASSERTIO tamen sit: vnio inter materiam & formam ab ipsis reipsa distinguitur ex natura rei, & ante intellectum. Ita D. Thom. 1. part. quæst. 76. artic. 1. in solutione ad 6. Bannez ibidem dub. 3. Cabrera 3. part. quæst. 2. artic. 4. disput. 8. Gonçalez in manuscriptis, 3. part. disput. 16. Herrera eadem 3. part. quæst. 2. Arauio & communiter Thomistæ, paucis exceptis, Suarez disp. 18. met. sect. 2. & 3. part. quæst. 2. artic. 8. disp. 8. sect. 2. Vasquez, P. Hurtado disp. 5. physic. sect. 1. Arriaga 1. physic. disp. 4. sect. 1. Complutenses disp. 6. de composito quæst. 1. & est communis. Carleton disp. 14. physic. sect. 1. & 2. 3. & 4. citatis multis Caberus Chrysost. Caiet. Valent tract. 4. disp. 1. q. 2. punct. 5. Conimbricenses 1. physic. cap. 9. quæst. 11. art. 2. Henao part. 1. exercit. 7. sect. 1. Probatur primò, realis separatio est euidens indicium distinctionis, res enim non potest à seipsa realiter separari, alias, aliquid simul esse, & non esse posset, quod est omnino impossibile, sed vnio inter materiam & formam ab illis realiter separatur, etenim cum homo moritur, manent reipsa materia & forma illius rationalis, & perit vnio inter illas; ergo vnio inter materiam & formam reipsa distinguitur ab illis. 6

7 Dicat aliquis primò, vnionem inter materiam & formam non solùm includere earum entitates, sed etiam dispositiones materiæ ad recipiendam formam, & ipsius materiæ & formæ mutuam approximationem localem. Sed inpugnatur aperte; vnio inter materiam & formam est substatialis nihil accidentale in se includens vt ostendi numero 3. alioqnin ex illa non vnum per se, sed vnum tantùm per accidens resultaret, sed dispositiones materiæ, & ipsa materiæ & formæ approximatio localis est quid mere accidentale, vt suppono; ergo vnio inter materiam & formam non includit tales dispositiones, & approximationem localem.

8 Dicat secundò, vnionem inter materiam & formam esse substantialem, quia consistit formaliter in sola entitate materiæ, & entitate formæ, connotata solùm vt conditione ipsarum simulate ac approximatione locali, vnde sicut deficiente solùm extrinseco connotato deficit quoad denominationem similitudo vnius albi, respectu alterius, non verò deficit quoad entitatem; ita similiter deficiente simultate illa, & approximatione locali materiæ & formæ, deficit quoad denominationem vnio materiæ cum forma, non verò deficit quoad entitatem, cum non distinguatur ab entitatibus materiæ & formæ; sed impugnatur, materia & forma concipiuntur vt vnitæ formaliter, & quoad denominationem præcisa quauis dispositione & approximatione locali, sed materia & forma, præcisa quauis dispositione & approximatione locali non possunt esse vnitæ formaliter, & quoad denominationem per suas entitates præcisè, cum talis formalis vnio sit reipsa separabilis ab ipsis; ergo sunt formaliter vnitæ per alium modum vnionis ab illis reipsa distinctum. Consequentia est euidens, minor probata est num. 5. maiorem autem sic probo. Cum concipio hominem esse animal rationale, solùm concipio id, quod est essentiale homini, præciso quouis alio accidentali, sed dispositio, aut approximatio materiæ & formæ est verè accidentalis; ergo tunc concipio hominem, præcisa quauis alia dispositione, aut approximatione locali, atqui homo vt sic formaliter est materia & forma vnitæ inter se formaliter, & quoad denominationem; ergo concipiuntur materia, & forma vnitæ inter se etiam quoad denominationem præcisa dispositione, & approximatione locali.

9 Dicat tertiò, vnionem inter materiam & formam includere solùm formaliter entitates materiæ & formæ, quatenus connotant diuinam volitionem qua Deus vult, vt ipsa materia & forma inter se vniantur, cum verò manentibus entitatibus materiæ & formæ possit Deus velle, quod non vniantur, ideo ex defectu extrinseci connotati scilicet volitionis diuinæ, peribit vnio quoad denominationem, licèt tota illa maneat quoad entitatem. Sed impugnatur, sicut albedo subiecti denominat formaliter subiectum album, & visio coloris denominat formaliter colorem visum, ita vnio materiæ & formæ denominat formaliter materiam & formam inter se vnitas, sed posita albedine in subiecto non potest Deus velle, quod illa pro tunc non denominet subiectum album, & posita visione coloris, non potest Deus velle, quod non denominet formaliter colorem visum; ergo posita vnione materiæ & formæ non potest Deus velle quod non denominet illas formaliter vnitas, atqui posita entitate materiæ, & entitate formæ potest Deus velle, quod ipsæ formaliter non vniantur, nec denominentur vnitæ; ergo vnio inter materiam & formam non est entitas materiæ & formæ, sed modus aliquis reipsa distinctus ab illis.

Probatur secundò, principaliter. Generatio hominis, cum sit actio substantialis, generat verè aliquid substantiale, sed non generat materiam, nec formam hominis rationalem, quæ non generatione, sed solùm creatione fiunt, ergo generat solùm vnionem inter materiam & formam rationalem; igitur talis vnio reipsa distinguitur à materia & forma; alioqui materia & forma simul crearentur, & generarentur, quod saltem maturaliter repugnat. Dicat quis non generari materiam, nec generari formam rationalem hominis; generari verò tantùm compositum scilicet ipsum hominem: sed impugnatur, aliquid substantiale generatur per hominis generationem, sed per te non generatur materia nec forma rationalis, generatur autem totum compositum; ergo compositum aliquid substantiale includit præter materiam & formam; atqui compositum præter materiam & formam nihil substantiale potest includere, nisi vnionem: ergo vnio aliquid substantiale est distinctum reipsa à materia & forma. 10

Obiiciat aliquis primò, materia, & forma vniuntur per se immediatè, sed si vnirentur per vnionem à se reipsa distinctam, non vnirentur immediatè, quia vnirentur medio alio, scilicet, media vnione distincta ab illis: ergo non vniuntur per vnionem distinctam. Secundò, si vnio reipsa esset ab extremis distincta vt ipsa se illis vniret requireret aliam vnionem distinctam, & hæc aliam, & sic in infinitum, quod est absurdum; ergo vnio materiæ & formæ non est ab illis distincta. Tertiò, si materia & forma vnirentur per vnionem distinctam, etiam Verbum diuinum vniretur humanitati intrinsece per vnionem à se distinctam; eadem enim in vtroque ratio militat, sed Verbum diuinum non potest intrinsece vniri humanitati per vnionem à se distinctam, quia deberet talem vnionem in se recipere, vt intrinsece per illam vniretur, non enim potest aliquid intrinsece vniri per vnionem ipsi extrinsecam, recipere autem in se vnionem à se distinctam repugnat Verbo diuino, alioqui mutaretur, atque ita repugnat illi vniri intrinsece humanitati per vnionem à se distinctam; ergo materia & forma non vniuntur vnione distincta. 11

Hæc obiecta sit dissoluo. Ad primum dico, aliqua vniri mediante alio tertio extremo, cui prius immediatè vniantur; vniri verò medio aliquo, quod sit ratio formalis vniendi, non est vniri mediate, sed immediate, sicut agere effectum medio aliquo, quod sit ratio formalis agendi, est agere immediatè, non mediatè; materia ergo & forma vniuntur inter se media vnione quæ est ratio formalis vniendi, atque ita licet vnio sit ab illis distincta, immediatè vniuntur. Ad secundum, Respondeo modum, qui dat effectum formalem aliis, eundem per se ipsum præbere essentialiter sibi ipsi, atque ita actio per se ipsam agitur, relatio per se ipsam referrur, & vniuntur per se ipsam vnitur extremis, quæ inter se vnito, quo vnionum processus in infinitum vitatur. Ad tertium, dico Verbum diuinum per vnionem hypostaticam à se distinctam receptam intrinsece vt in subiecto, in sola humanitate, & ad ipsum intrinsece 12

ter

terminatam, vniri ipſi humanitati intrinſecè per modum termini, non verò per modum ſubiecti, quid autem ſit vniri intrinſecè per modum termini cap. 5. explanabo.

13 Sed quærat aliquis, an vnio diſtinguatur ab extremis realiter, an ſolum ex natura rei. Reſp. diſtingui ſolum ex natura rei, diſtinguitur enim ab illis vt modus à re, cum nequeat vnio ab extremis etiam diuinitus ſeparata exiſtere.

CAPVT III.

An vnio ab actione eductiua diſtinguatur.

14 NEmini dubium eſt vnionem inter materiam & formam rationalem eſſe ab actione generatiua diſtinctam, quia talis eductio, ſeu generatio hominis non generat materiam, nec formam rationalem, ergo generat ſolam vnionem inter illas: ſed actio illa generatiua non generat ſeipſam, ergo vnio inter materiam & formam rationalem diſtinguitur à parte rei ab ipſa actione generatiua. Controuerſia ergo procedit ſolum de vnione inter materiam, & formam materialem, an ab actione eductiua diſtinguatur.

15 Videtur ſane vnionem formæ materialis cum materia eſſe ipſammet actionem generatiuam, ratio eſt, quia actio eductiua ſeu generatiua eſt illa, qua forma materialis fit dependenter à materia, id eſt, per quam etiam materia ſuſtentat materialiter ipſam formam, quæ producitur, ſed materiam ſuſtentare formam eſt formam eſſe vnitam materiæ, nam eſt formam eſſe in materia, & non poteſt eſſe in illa niſi formaliter per vnionem, ergo per actionem generatiuam ſeu eductiuam forma eſt vnita materiæ ergo talis vnio formæ cum materia non diſtinguitur ab actione generatiua.

16 ASSERTIO tamen ſit: vnio formæ ſubſtantialis corporeæ cum materia reipſa diſtinguitur ab actione generatiua, ita communiter recentiores & P. Hurtado diſp. 5. ſect. 2. & 3. Arriaga diſp. 4. ſect. 3. Carleton ſupr. ſect. 8. Gaſp. Hurtado diſp. 2. de Incarnat. difficul. 8. & diſp. 4. diff. 6. Ouiedo. controuer. 4. phyſic. pont. Franc. Alfonſ. diſp. 5. phyſic. ſect. 2. & diſp. 13. ſect. 8. Barthol. Amicus. tract. 6. Phyſic. qu. 4. dub. 2. Martinius Complut. 11. lib. 1. Phyſic. pag. 91. Martinon. tract. 4. diſp. 5. ſect. 1. Dur. Niphus, Henao ſupra exercit. 7. ſect. 4. Probatur primò, ſi aliqua ratione vnio iſta non diſtingueretur reipſa ab actione generatiua, maximè quia talis vnio formæ materialis cum materia, vt ſic formaliter eſſet ſuſtentatio formæ in materia quæ ſuſtentatio ab ipſa actione generatiua non diſſidet; ſed vnio formæ materialis cum materia, vt ſic formaliter non eſt ſuſtentatio formæ in materia, ergo talis vnio reipſa diſtinguitur ab actione generatiua. Probatur minor. Deus poteſt creare formam ignis, & illam, vt ſic creatam vnire materiæ: tunc ſic, in hoc caſu datur vera vnio formæ materialis cum materia, & non datur ſuſtentatio formæ in materia, quia forma materialis tunc à ſolo Deo creatur, & non cauſatur materialiter, nec ſuſtentatur in materia, ergo vnio formæ materialis cum materia vt ſic formaliter non eſt ſuſtentatio formæ in materia. Dices vnionem formæ cum materia, vt ſic formaliter non eſſe actionem generatiuam ac ſuſtentationem formæ in materia, at ſuſtentationem formæ in materia includere eſſentialiter talem vnionem, ſicut ſola anima rationalis non eſt homo, homo verò includit eſſentialiter animam rationalem; ſed contra, ſuſtentatio formæ in materia vt ſic formaliter eſt dependentia formæ à materia, ſed dependentia formæ à materia, vt ſic formaliter non includit vnionem, nam forma per vnionem, vt ſic formaliter à materia non dependet, ergo ſuſtentatio formæ in materia formaliter non includit vnionem formæ cum ipſa materia; igitur formalis vnio materiæ & formæ à tali ſuſtentatione formæ in materia ſeu, (quod idem eſt) ab actione generatiua reuera diſcriminatur.

17 Probatur ſecundò principaliter, ignis v. g. in primo inſtanti ab alio igne generatus, idemmet in ſecundo inſtanti à ſolo Deo conſeruatus perſeuerat; ergo perſeuerant eadem materia, & eadem forma, & eadem vnio inter illas, quæ omnia ſunt de eſſentia, & quidditate illius ignis, ſed non manet in ſecundo inſtanti eadem actio generatiua, quæ fuit in primo: nam in primo inſtanti fuit generatus ab alio igne generante, & in ſecundo inſtanti eſt conſeruatus à ſolo Deo, ergo vnio inter materiam & formam materialem ignis diſtinguitur reipſa ab actione generatiua. Confirmatur, idemmet ignis qui modo ab alio igne generatur, poteſt produci à ſolo Deo, quia Deus poteſt facere ſe ſolo omnem effectum, quem efficit cum cauſis ſecundis, ſed ſi vnio inter materiam & formam, ex qua hic numero ignis eſſentialiter coaleſcit, non diſtingueretur ab actione generatiua ignis generantis, hic numero ignis non poſſet fieri à ſolo Deo, quia eius eſſentialis vnio, ſcilicet actio generatiua ignis generantis non poſſet produci à ſolo Deo, cum eſſentialiter ab igne generante proficiſcatur, ergo vnio illa verè diſtinguitur ab actione, generatiua.

28 Tertiò. Probatur, quia ſi productio formæ materialis, eſſet formaliter vnio, ſequeretur eandem actionem terminari ad ſeipſam, tamquam ad terminum per ſe productum, ſed hoc implicat, ergo &c. maior probatur, quia generatio compoſiti terminatur ad vnionem materiæ & formæ tamquam ad terminum formalem, ſed vnio materiæ & formæ per ſe eſt ipſa productio formæ, & illa productio facit compoſitum, quia non eſt alia actio, à qua fiat, ergo eadem actio terminatur ad ſe ipſam producendam.

29 Nec poteſt dici generationem equi terminari ad formam equi, nam forma equi generatur per eductionem, cum per illam fiat, & extrahatur de eius potentialitate, quæ eductio generatio radicaliter, ſeu præſuppoſitiuè dicitur; generatio verò formalis equi reſultat per vnionem formæ cum materia, nam vnio formalis eſt vinculum & compoſitio duarum partium per actionem producta, productio verò tantum eſt via & cauſalitas, per quam agens, & patiens ſuos attingunt effectus, ergo productio formæ erit quaſi via ad generationem formalem, vnio verò ipſa erit generatio formaliter; præterea actio, qua produceretur forma materialis eſt cauſalitas materiæ in formam; ergo vnio non poteſt eſſe cauſalitas materiæ, aliàs materia haberet duas cauſalitates in formam; antecedens probatur, quia actio per quam forma producitur à materia eſt eſſentialiter eductio de potentia materiæ, ergo per eamdem actionem forma dependet à materia per quam educitur de illa; ſed illa eductio non eſt formaliter vnio, poteſt enim contingere, quod forma ſit educta de potentia materiæ, & illi intrinſece coniuncta, &

quod formaliter non vniatur, ergo vnio materiæ cum forma non est formaliter eductio, & causalitas materiæ in formam, & ad summum dici potest generationem esse causalitatem materiæ in formam in fieri radicaliter, seu præsuppositiuè, non verò formaliter, nam vnio quæ est vinculum & compositio duarum partium, est producta per actionem distinctam ab actione, qua forma educitur de potentia materiæ, quæ est causalitas materiæ in formam.

20 Ad rationem supra oppositam, Respondeo actionem generatiuam esse sustentationem formæ in materia, vt infra ostendam; hanc autem sustentationem non esse vnionem formalem formæ cum ipsa materia, sed solum vnionem radicalem, quæ essentialiter vnionem illam formalem infert, vt inferius declarabo, atque ita vnionem formalem formæ cum materia non identificari cum actione, sed verè distingui ab ipsa actione generatiua.

CAPVT IV.

An vnio inter materiam & formam sit simplex essentialiter, an composita.

21 ABsque controuersia est vnionem inter materiam & formam compositam esse ex partibus integralibus, sicuti composita est materia cui coextenditur ipsa vnio, dubium tamen est, an talis vnio composita sit reipsa ex partibus essentialibus, id est, an sit aliqua vnio partialis ex parte materiæ, & altera ex parte formæ, ex quibus vna totalis, & completa vnio essentialiter componatur.

22 Communis opinio est; in composito naturali vnicam tantum, ac simplicem esse vnionem vt forma & materia connectantur, & vnum per se constituant, quam quidem vnionem alij intrinsecè in materia & forma vt in subiecto constituunt, & hi congruentius procedunt. Alij in sola materia & hi non rectè opinantur vt statim ostendam. Alij in sola forma, ita P. Suarez tomo primo met. disp. 13. sect. 9. num. 13. & P. Vasquez tomo primo in tertia parte disput. 39. num. 23. Hi autem minus bene sunt loquuti, quia tam materia quam forma secundùm se est ens intrinsecè incompletum, & formaliter perfectibile petens natura sua intrinsecè perfici, & compleri per vnionem cum alia comparte, atqui si vnio tantum reciperetur vt in subiecto in sola forma, vel in sola materia, vna pars ex istis intrinsecè & formaliter non compleretur, aut perficeretur per vnionem cum alia comparte, ergo talis vnio non recipitur vt in subiecto in sola forma, aut in sola materia, sed simul in materia & forma; deinde specialiter de forma, nam vnio est causalitas materiæ erga formam materialem, atque ita forma materialis pendet à tali vnione, saltem vt quo, in genere causæ materialis, vt Suarez ibi concedit num. 9. sed si ipsa vnio esset tanquam in subiecto in sola forma, penderet ab ipsa forma in genere etiam causæ materialis, & ita daretur mutua dependentia, & causalitas in eodem genere causæ, quod implicat, ergo vnio ista non est tanquam in subiecto in sola forma, sed etiam in materia subiectanda est.

23 ASSERTIO tamen sit. Duplex in composito naturali datur vnio, alia partialis intrinsecè recepta, in sola materia, & terminata ad formam, & altera compartialis intrinsecè recepta in forma, & terminata ad materiam, ex quibus vnio totalis resultat. Hæc Assertio est contra communem opinionem Philosophorum, stando tamen rationi, illa mihi valdè probabilis videtur quam Salmanticæ Anno 1628. publicè docui, & postea plures in manuscriptis, vnus sit pro mille, P. Hurtado egregius Philosophus, qui in physicis expressè docet nostram sententiam disput. 5. sect. 7. Aresius 1. de generatione dub. 2. quæst. 16. Herice Fuente libro primo Physicorum quæst. 5. Cabrera, P. Montesinos, relati à Ioanne Martinez de Prado, secunda parte metaph. controu. & lib. artic. 1. num. 7. Barthol. Amicus 1. physic tract. 11. qu. 10.

24 Probatur primò, vnio substantialis, vt sic formaliter est intrinsecus respectus transcendentalis vnius extremi tanquam subiecti ad aliud tanquam ad terminum, nec plus aliud essentialiter includit, sed cum materia & forma vniuntur per se, dantur duo intrinseci respectus vnius tanquam subiecti ad aliud tanquam ad terminum, ergo dantur ibi duæ vniones saltem partiales. Consequentia tenet, maior patet, quia vnio hypostatica est essentialiter vnio per se, & tamen est tantum respectus intrinsecus transcendentalis vnius scilicet humanitatis tanquam subiecti ad aliud, scilicet, ad Verbum diuinum tanquam ad terminum, non enim in Verbo diuino talis vnio subiectatur, ergo vnio per se vt sic formaliter est intrinsecus respectus transcendentalis vnius extremi tanquam subiecti ad aliud, tanquam ad terminum, nec plus aliud essentialiter includit. Minor etiam scilicet ibi esse inter materiam & formam duos respectus, vnius tanquam subiecti ad aliud tanquam ad terminum, probatur, materia intrinsecè & formaliter vnitur formæ, & respicit ipsam formam, sed talis vnio materiæ ad formam, quatenus vnio formaliter, non petit necessario esse in forma vt in subiecto, sed solum esse in materia, vt in subiecto, & recipere formam tanquam terminum, sicut vnio humanitatis cum verbo non petit essentialiter quatenus vnio subiectari in verbo, sed solum esse in humanitate, & respicere verbum tanquam terminum, ergo vnio materiæ cum forma, vt sic formaliter solum est vnio, & respectus intrinsecus materiæ tanquam subiecti ad formam tanquam ad terminum, similiter forma intrinsecè, & formaliter vnitur materiæ, vt ostendi num. 22. sed talis vnio formæ cum materia quatenus vnio vnius cum alio formaliter non petit essentialiter subiectari intrinsece in materia, sed solùm intrinsece in forma vt in subiecto, & respicere materiam tanquam terminum; sicut vnio hypostatica, quæ essentialiter est vera vnio per se, vt sic formaliter non petit subiectari in verbo, sed in sola humanitate, & respicere verbum vt terminum, ergo vnio formæ cum materia quatenus vnio per se formaliter solum est vnio, & respectus intrinsecus transcendentalis formæ tanquam subiecti ad materiam tanquam ad terminum igitur cùm vniuntur materia & forma per se, sunt duo respectus transcendentales intrinseci, alter materiæ, vt subiecti ad formam vt ad terminum; & alter formæ vt subiecti ad materiam, vt ad terminum.

25 Dicat aliquis duos esse respectus ratione nostra distinctos non verò distinctos reipsa, nihil enim vetat esse vnam indiuisibilem, ac simplicem entitatem vnionis, per quam materia intrinsecè vniatur formæ, & eam respiciat, vt terminum, & per eandem etiam forma intrinsecè, ac subiectiuè vniatur materiæ, & eam tamquam terminum respiciat: sed

sed impugnatur, respectus intrinseci, qui habent subiecta reipsa distincta, ac diuersa non subordinata inter se, sunt etiam inter se reipsa distincti, ac diuersi, sed in nostro casu respectus materiæ ad formam & respectus formæ ad materiam sunt respectus intrinseci, qui habent subiecta reipsa distincta, ac diuersa non subordinata inter se, ergo tales respectus, seu vniones sunt reipsa distincti, ac diuersi. Consequentia est euidens; Minor patet, quia respectus materiæ ad formam, quo materia recipit ipsam formam, habet vt subiectum ipsam materiam, & respectus formæ ad materiam, quo forma ipsam materiam informat, habet pro subiecto ipsam formam, sed materia & forma sunt subiecta diuersa, & ibi nullo modo subordinata inter se, nam forma non subordinatur materiæ ad recipiendum formam, sed sola materia recipit ipsam formam, nec materia subordinatur formæ ad informandum, sed sola forma ipsam materiam informat, ergo respectus receptionis materiæ ad formam, & respectus informantis formæ ad materiam respiciunt subiecta reipsa distincta, ac diuersa, & non subordinantur inter se. Maior autem, scilicet respectus intrinsecus, qui talia subiecta habent, esse reipsa distinctos, ac diuersos, sic ostenditur, in opinione communi distinguenteà parte rei relationem prædicamentalem à fundamento: respectus intrinsecus causæ ad effectum, & respectus etiam intrinsecus effectus ad causam, sunt respectus reipsa distincti, ac diuersi inter se, vt omnes fatentur, sed hoc non alia ratione, nisi quia habent subiecta reipsa inter se distincta, ac diuersa, & nullo modo subordinata, scilicet effectum, & causam, nec enim effectus subordinatur causæ in ordine ad respiciendum ipsum effectum nec causa subordinatur effectui ac respiciendam ipsam causam; ergo respectus intrinseci qui habent subiecta reipsa distincta, ac diuersa & nullo modo subordinata inter se, sunt re ipsa distincti, ac diuersi. Ratio verò à priori est, quia respectus intrinsecus est quidam modus intrinsecè inhærens, & affixus essentialiter subiecto, atque ita cum illo commensuratur, & sapit naturam ipsius subiecti, vnde si subiecta sint reipsa distincta, ac diuersa, & nullam in se vnitatem subordinationis habeant, ipsi modi, ac respectus intrinseci sunt necessariò distincti ac diuersi.

26 Verùm dicat quis, cũ causa sit sæpe separata à suo effectu; & idem modus relationis non possit intrinsecè esse in duobus subiectis inter se distantibus, ideò in causa, & in effectu ponuntur modi, & respectus reipsa, distincti inter se; at materia & forma vnitæ non possunt esse separatæ, ac distantes inter se, & ideo idem modus ac respectus vnionis potest in vtroque intrinsecè subiectari: sed impugnatur, causa vitalis, verbi gratia intellectus, dum causat actum vitalem non potest etiam diuinitus separari, aut distare ab illo, & tamen dantur duo intrinseci respectus re ipsa inter se distincti, alter causæ vitalis ad effectum, & alter effectus vitalis ad causam, ergo licet materia & forma substantialis, cum vniuntur, non possint ad inuicem distare, erunt tamen ibi duo intrinseci respectus vnionis reipsa inter se distincti, alter formæ ad materiam, & alter materiæ ad formam.

27 Probatur secundò principaliter: contrariæ sententiæ sectatores eodem modo loquuntur de vnione inter subiectum seu materiam & formam perfectam, ac realem, ac de vnione inter subiectum, seu materiam & formam imperfectam, & modalem, atqui inter materiam & formam modalem verbi gratia inter naturam, & illius subsistentiam dantur necessariò duæ vniones reipsa inter se distinctæ, ergo inter materiam & formam realem, dantur etiam necessariò duæ vniones reipsa distinctæ inter se. Probo minorem: subsistentia cùm sit modus, per se, ipsam formaliter vnitur naturæ, atque ita vnio subsistentiæ cum natura est ipsamet subsistentia: sed vnio, qua natura vnitur subsistentiæ & recipit illam, distinguitur à parte rei ab ipsamet subsistentia, ergo inter naturam, & subsistentiam dantur duæ vniones re ipsa inter se distinctæ, alia subsistentiæ ad naturam, & alia naturæ ad subsistentiam: Minor ostenditur, vnio ac realis receptio, qua natura realiter vnitur, ac recipit subsistentiam, est respectus realis ad ipsam subsistentiam cum totum suum esse sit ad illam, sed respectus realis distinguitur reipsa à termino, quem respicit naturaliter vt ostendi in Logica disput. 17. capite secundo numero decimo nono & vigesimo, ergo vnio, ac receptio, qua natura recipit subsistentiam, & vnitur illi, est re ipsa distincta ab ipsa subsistentia, ac proinde duplex erit vnio alia subsistentiæ ad naturam, quæ est ipsa subsistentia, alia naturæ ad subsistentiam quæ reipsa distinguitur ab ipsa subsistentia.

Sed petis, quænam vnio sit receptio, & quæ sit informatio: Dico; vnionem intrinsecè se tenentem ex parte matariæ esse receptionem ac materializationem, vnionem verò se tenentem intrinsecè ex parte formæ esse informationem. Ratio est, quia causa intrinseca causat per actum, & exercitium intrinsecum, sed materia & forma, cum vniuntur, sunt causæ intrinsecæ composiri, ergo causant per actum, & exercitium intrinsecum, sed receptio, ac materializatio est exercitium materiæ, & informatio est exercitium formæ; ergo talis receptio, & materializatio erit vnio intrinseca materiæ, & talis informatio erit vnio intrinseca ipsi formæ. 28

Hinc infero, non posse etiam diuinitus esse vnam vnionem specialem sine alia. Probatur. Informatio non potest esse etiam diuinitus sine receptione, quia, nec esse; nec concipi potest, quod aliquis alteri det, quin alter etiam recipiat, sunt enim dare, & recipere mutuò correlatiua, sicut Pater, & Filius, informatio autem idem est, ac formam dare seipsam materiæ; & receptio, idem est, ac materiam recipere formam, atque ita sicut nequit esse paternitas sine filiatione, ita informatio non potest esse sine receptione, atque vnio materiæ cum forma est receptio, & vnio formæ cum materia est informatio, vt ostendi numero vigesimo octauo, ergo vna vnio non potest esse etiam diuinitus sine alia. 29

CAPVT V.

Aduersantia argumenta diluuntur.

A Duersus nostram sententiam, quam capite præcedenti stabilimus, aliqua sunt argumenta quæ in hoc capite afferemus, & diluemus. 30

Obijciat aliquis primò, vna simplex vnio sufficit, vt forma & materia prima per se vniantur, & vnum per se constituant, ergo alia distincta vnio admittenda non est: consequentia tenet, quia natura superflua vitat, antecedens sic ostendo, vnio vt sic formaliter est vinculum duorum, ergo vna simplex vnio inter materiam & formam qualibet alia secluſa erit per se vinculum materiæ & formæ, ergo talis vnio simplex sufficit, vt materia & forma per

se

se vniantur, ac proinde vt vnum per se constituant, idem enim est per se vniri, ac constituere vnum per se. Confirmatur: vna simplex vnio sufficit, vt verbum Dei & humanitas per se vniantur, vt ex Theologia suppono, ergo vna simplex vnio etiam sufficit, vt materia & forma vniantur per se.

31 Respondeo, vnionem esse essentialiter vinculum duorum, alterius quidem vt subiecti, & alterius tamquam termini præcisè, cùm autem materia & forma, quia extrema extrinsecè incompleta & perfectibilia sunt, petant intrinsecè compleri & perfici per vnionem, hoc est, vtramq; vniri intrinsecè per modum subiecti, ideo duplex requiritur vnio alia, quæ sit intrinsecè & subiectiuè in materia, & alia quæ intrinsecè subiectetur in forma, alioqui materia & forma per se complete non vnientur nec constituent vnum per se completè, sed incompletè. Ad confirmationem dico, Verbum diuinum & humanitatem per vnam simplicem vnionem intrinsecè vt in subiecto in sola humanitate receptam vniri per se complete, quia vtrumque extremum non est incompletum ac intrinsecè perfectibile per vnionem, sed sola humanitas est per se incompleta, & perfectibilis, verbum autem est omnino completum, & non perfectibile, atque ita sufficit vna simplex vnio, quæ sit in sola humanitate vt in subiecto, & terminetur præcisè ad ipsum verbum tamquam ad terminum, in nostro verò casu tam forma quam materia est intrinsecè incompleta & perfectibilis, & ideo duplex requiritur vnio, alia in materia, alia in forma, vt per se complete vniantur.

32 Sed insurgat, vna simplex vnio potest esse simul vt in subiecto in materia & forma, & illas intrinsecè, ac formaliter vnire, & referre per modum subiecti, ergo non est cur duæ vniones constituantur reipsa inter se distinctæ vt materia & forma per modum subiecti intrinsecè copulentur. Antecedens ostendo, si aliqua ratione non possit eadem simplex vnio intrinsecè per modum subiecti vnire ac referre mutuò materiam & formam, maximè vel quia mutuus respectus inter extrema repugnet inueniri in eadēmet entitate, vel quia idemmet respectus ac forma modalis non possit esse simul in duobus distinctis subiectis, atqui mutuus respectus inter extrema dari potest in eademmet entitate, nam eadem indiuisibilis actio est mutuus respectus agentis ad effectum, & effectus ad ipsum agens: & etiam eademmet forma modalis potest esse simul in duobus subiectis partialibus reipsa distinctis, nam actio productiua actus vitalis, verbi gratia, intellectionis est intrinsecè vt in subiecto, in anima, & in intellectu, & actio etiam productiua sensationis humanæ est simul vt in subiecto, in materia & anima rationali, quæ quidem sunt subiecta distincta inter se realiter, ergo nulla est ratio, quare eadem simplex vnio non possit intrinsecè per modum subiecti vnire, & referre mutuo materiam & formam.

33 Respondeo eundemmet modum ac respectum intrinsecum non posse esse in diuersis reipsa subiectis partialibus si illa inter se subordinata non sint, si autem talia subiecta sint inter se subordinata ratione talis vnitatis subordinationis fiunt vnum subiectum & valent eundem modum ac respectum intrinsecum subiectare. Respectus ergo intrinsecus informationis, quæ est in forma in ordine ad materiam & respectus intrinsecus receptionis qui est in materia in ordine ad formam habent subiecta, reipsa distincta ac diuersa, scilicet materiam & formam quæ ibi nullo modo subordinantur vt ostendi numero 25. & ideo non sunt idemmet respectus reipsa, sed diuersi, actio verò intellectionis habet vt subiectum animam & intellectum quæ inter se subordinantur, etenim intellectus subijcitur animæ, vt cum ipso efficiat & recipiat actionem intellectionis, & similiter actio sensationis in homine habet tamquam subiectum materiam ipsam, & animam rationalem, quæ etiam inter se subordinantur, nam materia subijcitur animæ, vt in illa efficiat & cum ipsa etiam recipiat talem actionem sensationis, atque ita non mirum si actio illa intellectionis vel sensationis sit vna, & eadem licèt sit in duobus subiectis reipsa distinctis, quia subiecta ista ratione talis vnitatis ac subordinationis, quasi vnum subiectum sunt, vnde dari vnicam vnionem quæ intrinsecè per modum subiecti vniat, & referat materiam & formam non repugnat ex eo præcisè, quod mutuus respectus inter extrema non possit interuenire in eadem entitate, nec ex eo quod eadem forma modalis non possit esse in duobus subiectis partialibus reipsa distinctis, vt argumentum conuincit, sed ex eo solùm repugnat quia idem modus ac respectus intrinsecus non possit esse in duobus subiectis distinctis non subordinatis.

Obijciat secundò, inter materiam, & formam non 34
datur altera vnio, nisi illa quæ est informatio, & illa quæ est receptio, sed eademmet simplex vnio, quæ est informatio, est etiam receptio; ergo vna simplex vnio datur tantum inter materiam & formam. Probatur minor: informatio actiua, per quam forma materiam informat est formalissimè ipsa informatio passiua per quam materia informatur à tali forma, nam formam actiuè informare materiam & materiam passiuè informari ab ipsa forma idem formaliter est, & solùm est differentia penes vocem actiuam & passiuam, sed informatio passiua per quam materia passiuè informatur id est patitur ac recipit ipsam formam, est formaliter ipsa receptio formæ, nam pati, ac recipere formam est proprium munus receptionis; ergo de primo ad vltimum informatio actiua, per quam forma actiua informat materiam, est formaliter receptio, per quam materia recipit in se formam, ergo eadem simplex vnio quæ est informatio, est receptio.

Respondeo, formam informare actiuè, & mate- 35
riam informari passiuè extrinsecè solùm, & terminatiuè, id est, esse præcisè terminum talis informationis, esse formaliter idem, nam per eamdem vnionem, per quam forma actiuè informat materiam, fit formaliter materia terminus talis informationis, formam verò informare actiuè, & materiam informari passiuè intrinsecè & subiectiuè, hoc est, esse intrinsecè, ac formaliter subiectum talis formæ, non esse formaliter idem, nam per vnionem intrinsecam formæ per quam ipsa forma actiuè informat materiam, non fit materia formaliter, & intrinsecè subiectum formæ, cum talis vnio non sit intrinsecè in materia, sed per alium modum vnionis reipsa distinctum, qui intrinsecè in materia subiectatur, receptio autem formæ non est id, per quod, materia terminat informationem formæ, sed id per quod est formaliter & intrinsecè subiectum formæ, atque ita receptio est modus distinctus ab informatione actiua, & etiam ab informatione passiua extrinseca & terminatiua, non verò distinguitur, sed est idem cum informatione, passiua intrinseca, & subiectiua, quæ reipsa ab informatione actiua discriminatur.

Verùm instet: per eumdem actū amoris per quem 36
Petrus amat Deum actiuè, Deus à Petro amatur passiuè, & per eamdem actionem per quam causa verbi gratia, sol efficit lucem actiuè, ipsa lux passiuè

efficitur

efficitur à sole, ergo eodem modo per eandem vnionem per quam forma actiuè informat materiam, ipsa materia informatur passiuè à forma ; ergo informatio passiua quæ est idemmet, quod receptio ab informatione actiua à parte rei non distinguitur. Respondeo, per eundem actum amoris, per quem Petrus intrinsecè amat Deum, ipsum Deum à Petro amari passiuè extrinsecè ac terminatiue solum, non verò intrinsecè, quia Deus non est subiectum, sed tantùm terminus talis amoris, & per eandem actionem, per quam sol efficit lucem actiuè, lucem effici à sole passiuè non intrinsecè & subiectiuè, sed extrinsecè, & terminatiuè, quia lux non est subiectum, sed tantùm terminus illius actionis, vel si dicamus lucem per actionem illam intrinsecè effici à sole, tunc sol per talem actionem efficit lucem non intrinsecè sed extrinsece, eodem ergo modo per vnionem per quam forma actiue intrinsece, informat materiam ipsa materia extrinsece solum & terminatiue informatur à forma, & per vnionem, per quam materia informatur passiuè intrinsece à forma, ipsa forma actiue extrinsece informat materiam. At verò per distinctum modum vnionis forma intrinsece informat materiam, & per alium distinctum materia intrinsece informatur, patitur, ac recipit ipsam formam.

37 Sed vrgeat, forma non informat nisi subiectum, quia sicut subiectum respicit tantùm formam, ita forma respicit tantum subiectum, sed forma per suam simplicem vnionem informationis præcisè, informat formaliter materiam, ergo per illam simplicem vnionem informationis præcisè materia est formaliter subiectum formæ, sed id per quod materia est formaliter subiectum formæ est receptio, ergo illa simplex vnio, ac informatio est etiam receptio. Respondeo, id quod formaliter informatur intrinsecè esse formaliter subiectum formæ, id verò, quod informatur formaliter extrinsece præcisè esse formaliter terminum informationis, non verò esse formaliter subiectum formæ, sed tantum radicaliter, quia vt sic formaliter non recipit formaliter formam, sed petit illam formaliter recipere. Per illam ergo simplicem vnionem informationis, per quam forma intrinsece informat materiam, informatur materia non intrinsece sed extrinsece, atque ita per illam simplicem vnionem præcisè materia est formaliter terminus illius informationis non verò est subiectum formaliter, sed solum radicaliter ipsius formæ, per aliam autem secundam vnionem ipsi materiæ intrinsecam, materia intrinsece informatur, & est formaliter subiectum formæ & hæc secunda vnio est receptio. Vnde vnio ac receptio tenens se ex parte materiæ reipsa distincta est ab vnione & informatione, quæ tenet se ex parte formæ.

38 Obijciat tertiò, vnio illa simplex, quæ se tenet ex parte materiæ cum sit verè vnio per se, & vinculum duorum, vnit intrinsecè materiam & formam, ergo est intrinsecè, & subiectiue non solum in materia sed etiam in forma ; ergo vnit materiam & formam intrinsecè per modum subiecti, ac per consequens alia distincta vnio ibi necessaria non est. Primam consequentiam in qua est difficultas, sic probo, si illa vnio non esset subiectiuè in materia & forma, sed tantum esset in materia vt in subiecto, licet respiceret essentialiter vt terminum ipsam formam, esset in tali forma solum intrinsecè, ac proinde solùm extrinsecè illam redderet vnitam, sicut visio coloris, quia tamen est in potentia visiua intrinsecè vt in subiecto, licet respiciat essentialiter colorem tanquam terminum, est in tali colore solùm extrinsecè, & illum reddit tantum extrinsecè visum, ergo si vnio illa tenens se ex parte materiæ reddit intrinsecè vnitas materiam & formam, est necessariò intrinsecè & subiectiuè tam in materia quam in forma.

Respondeo simplicem illam vnionem, quæ se 39
tenet ex parte materiæ esse formæ extrinsecam per modum subiecti quia in illa intrinsecè non subiectatur, esse verò eidem formæ intrinsecam per modum termini. Pro quo obseruo esse rem aliquam alteri intrinsecam per modum termini non esse præcisè illam tanquam terminum essentialiter respicere, sed tali modo respicere ipsum terminum vt cum illo simul & subiecto vnum quid verè constituat ; visio, ergo coloris tali modo respicit essentialiter colorem, vt illum reddat formaliter visum, non verò ita, vt illum constituat vnum quid cum potentia visiua, & ideo talis visio, non est intrinseca colori etiam per modum termini, vnio verò simplex tenens se ex parte materiæ tali modo respicit essentialiter formam vt ex illa simul & materia vnum quid vere constituat, hoc enim est de conceptu formali vnionis, quæ est vinculum duorum atque ita talis vnio materiæ, est ipsi formæ intrinseca per modum termini, & illam hoc modo intrinsecè reddit vnitam materiæ : qua etiam ratione est explicandum in Theologia vnionem hypostaticam, licèt tantùm sit in humanitate Christi Domini intrinsecè per modum subiecti, verè etiam vnire Verbum diuinum intrinsecè per modum termini.

Obijciat quartò, si aliqua ratione in composito 40
naturali duplex admittenda esset vnio, maximè quia in homine vnio materiæ cum forma esset materialis, & vnio formæ cum materia esset spiritualis, atqui vnio formæ rationalis cum materia nullo modo est spiritualis, sed materialis ; ergo nulla ratione in composito datur duplex vnio partialis. Minor probatur primò, quia effectus seu res sequitur debiliorem partem, sed vnio formæ rationalis cum materia respicit vnam partem, & extremum materiale ; ergo debet etiam ipsa esse materialis. Secundò, quia vnio formæ rationalis cum materia est diuisibilis, nam si manus à corpore abscindatur, perit vnio animæ rationalis cum illa, manente vnione eiusdem animæ cum alia materia, quæ in homine perseuerat, atque ideo vnio, qua anima rationalis cum corpore & cum manu nunc absciſſa vniebabatur antea, erat verè diuisibilis, sed res spiritualis est omnino simplex, & indiuisibilis ; ergo vnio illa formæ rationalis cum materia non est spiritualis, sed materialis. Tertiò, vnio formæ rationalis cum materia fit per actionem generatiuam, sed actio generatiua, cum tot materiales dispositiones, & accidentia supponat, est materialis, ergo vnio formæ rationalis cum materia est etiam materialis, res enim spiritualis produci non potest per actionem materialem.

Respondeo ; transeat maior, & negatur minor, 41
scilicet vnionem formæ rationalis cum materia non esse spiritualem. Ad primam probationem dico effectum solum sequi debiliorem causam, materia autem non est causa, sed tantum terminus vnionis, quæ intrinsece subiectatur in sola forma rationali ; vnde licet materia corporea sit, vnio formæ rationalis cum illa non est corporea ; sed spiritualis. Ad secundam, nego rem spiritualem esse omnino indiuisibilem, potest enim de facto dari aliqua entitas diuisibilis, quæ sit spiritualis, vt videre est in *vbi* Angelico, circa spatium diuisibile, quod diuisibile est iuxta diuisibilitatem spatij, cum possit Angelus amittere vbicationem in aliqua parte illius loci, manens

manens vbicatus in alia, & tamen tale *vbi* Angelicum est spirituale, ita ergo vnio formæ rationalis cum materia est diuisibilis, & etiam spiritualis, aliunde enim quàm ex diuisibilitate rei eius materialitas desumenda est, vt alibi latius explicabo. Ad tertiam dico potentiam hominis generatiuam (si forte ab anima distinguatur) esse etiam quasi compositam ex quadam potentia partiali materiali, quæ media actione partiali generatiua etiam materiali terminatur ad vnionem materialem partialem materiæ cum rationali forma, & ex alia etiam potentia, partiali spirituali, quæ media alia partiali actione generatiua spirituali terminatur ad vnionem spiritualem partialem formæ rationalis cum materia, ac proinde actio generatiua qua vnio formæ rationalis cum materia generatur, non est materialis, sed spiritualis sicut est ipsa vnio, nec obstat quod talis actio ab accidentibus materialibus dispositiuè dependeat, nam etiam actio, qua intellectus agens producit speciem intelligibilem spiritualem, spiritualis est, & tamen dispositiue dependet à sensatione materiali, non enim est contra rationem rei spiritualis, quod dispositiuè pendeat à re materiali, sed solùm quod mediate vel immediatè sit aptum susceptiuum quantitatis, de quo alibi.

42 Hæ autem vniones partiales inter se distinctæ vniuntur essentialiter per se ipsas, vt vnam totalem vnionem constituant, quia ita necessariò connectuntur inter se vt vna ab alia non possit etiam diuinitus separari vt ostendi numero 29. vniuntur autem inter se modo quasi extensiuo, vt supra de subsistentijs materiæ & formæ, disp. 3. cap. 3. ad finem explicatum est.

DISPVTATIO XI.

De composito substantiali.

TRIA capita continebit: in primo inquiro, an compositum reipsa à partibus vnitis distinguatur. In secundo, contraria fundamenta euertuntur, & causalitas intrinseca declaratur. In tertio, an corpus completum simplex diuinitus dari queat.

CAPVT I.

An compositum re ipsa à partibus vnitis distinguatur.

1 HÆc difficultas procedit de partibus vnitis inter se, & simul sumptis si enim partes compositi substantialis considerentur seorsim, & diuisim, certum est realiter distingui à toto composito, & compositum ab illis seorsim sumptis, nec enim anima est totus homo, nec materia aut forma seorsim sumpta totum compositum substantiale, controuersia ergo procedit de eisdem partibus simul sumptis ac vnitis.

2 Non desunt qui existimauerint compositum reipsa à partibus vnitis dissidere, & addere supra illas aliquam entitatem realem, ratione cuius ab illis à parte rei distinguatur, ita Scotus, Caietanus, & alij multi, quos referunt Conimbricenses hic cap. 2. quæst. 1. art. 1. & Fonseca 7. met. cap. 17. quæstione vnica sect. 3. in margine, qui etiam hanc sententiam vt grauiorem, ac probabiliorem sectantur, quibus etiam adstipulari videtur P. Vasquez tom. 1. in tertiam partem disp. 19. cap. 2. num. 18. Henricus quodlibeto 2. quæst. 14. Didacus Deza, Capreolus in 3. dist. 2. art. 1. Ferrara 4. contra gentes cap. 85. & qu. 5. huius libri, Iauellus, Antoninus, Andreas, Flandria, 7. met. quæstione vltima, quibus videtur fauere D. Thom. in 3. dist. 2. quæst. 1. art. 3. quæstiuncula 3. ad 3. & in 4. dist. 16. qu. 1. art. 1. quæstiuncula 3. ad 2.

ASSERTIO tamen sit. Compositum substantiale re ipsa à partibus vnitis hoc est, à materia, forma, & 3 vnione non distinguitur. Ita Sanctus Augustinus, D. Thomas, Aristoteles, & alij plures, quos refert, & sequitur P. Suarez tom. 2. met. disp. 36. sect. 3. num. 6. eam etiam sententiam probabilem reputant Conimbricenses in hoc libro cap. 2. quæst. 1. art. 3. & P. Fonseca 7. met. cap. 17. quæstione vnica sect. 3. in principio, Alexander, Themistius, Philoponus, Simplicius in hoc libro, fauet Auorroes commentario 9. Durandus in 3. dist. 2. quæst. 2. Gregor. in 1. dist. 24. quæst. 1. art. 1. Paludanus in 3. dist. 1. quæst. 1. Astudillo 1. Physic. quæst. 6. Soto, Toletus, Vallesius, P. Hurtado, disp. 6. sect. 1. Arriaga disp. 5. Physic. sect. 1. Complutenses disp. 6. de composito quæst. 4. Auersa, Oña, Plaça, Murçia, nouissimè Carleton disp. 15. Physic. sect. 1. citatis multis, illamque omnes recentiores amplectuntur. Henao lib. 2. q. 1. exercitat. 4. sect. 3. num. 17. Boëtius de Trin. cap. 3. Ioan. à S. Tho. qu. 6. Physic. cap. 7. Ruuius, Tell. disput. 20. Physic. Ouiedo controu. 5. punct. 1. Franc. Alphonsi. disp. 6. Physic. sect. 2. Conimbricenses, Pereira illamque ferè omnes recentiores amplectuntur.

Probatur primò, ex Aristotele 2. de anima tex. 7. 4 *Non oportet quærere, si vnum est anima & corpus, sicut nec ceram, & figuram*, vnum scilicet compositum, & tex. 10. *sicut oculus est pupilla, & visus, ita anima & corpus, est animal*, & 4. Physic. tex. 23. *non enim est præter partes totum*, aut vt habet alia lectio, *totum non est diuersum à partibus*, ergo totum à partibus simul sumptis non distinguitur. Secundò, ex D. August. 7. de Trinitate cap. 4. vbi ait, *Homo nihil est aliud; quàm anima & corpus, intellige vnita inter se*, & lib. 9. de Ciuitate cap. 3. *Varronem commendat eo quod, hominem, nec animam solùm, neque solum corpus esse arbitratur*, ergo vtrumq; simul. Tertiò, ex auctoritate Athanasij in Symbolo fidei in illis verbis, *sicut anima rationalis & caro vnus est, homo*, & D. Paulus 1. Corinth. 12. docet *omnia autem membra corporis, cùm sint multa, vnum tantum corpus sunt*, ergo totum à partibus non distinguitur realiter.

Ratione monstratur primò, Anima rationalis & caro id est, materia vnus est homo, vt testatur Athanasius in Symbolo fidei, ergo humanum compositum, scilicet homo non includit aliquid essentialiter præter materiam & animam rationalem copulatim sumptas. Patet hæc consequentia, nam si homo aliquid aliud essentialiter includeret, præter materiam & animam rationalem copulatim acceptas, non esset verum dicere, anima rationalis & caro, vnus est homo, quia hoc non esset tota quidditas, & essentia hominis, sicut modò non est, verum dicere, anima rationalis est homo, quia illa non est tota hominis essentia, sed aliquid aliud homo præter animam rationalem includit essentialiter, ergo si iuxta symbolum fidei, anima rationalis & caro, id est, materia vnus est homo, non includit homo aliquid aliud essentialiter præter materiam & animam rationalem copulatim sumptas.

Monstratur secundò, Ex eo præcisè, quod quis 6 concipiat materiam & formam substantialem inter se vnitas, omni alio secluso, concipiet compositum per se, ergo substantiale compositum non

distin

diſtinguitur reipſa à materia, & forma vnitis, Conſequentia eſt euidens; antecedens probatur primò, Compoſitum, vt eius etymologia indicat, nihil eſt aliud, quàm partes coniunctim poſitæ, ſed ex eo præcisè, quod quis concipiat materiam & formam vnitas concipiet partes coniunctim poſitas; ergo ex eo præcisè concipiet compoſitum per ſe. Secundò, ex eo præcisè quod quis concipiat materiam & formam vnitas, concipit vnum non ſimplex, vt per ſe conſtat; ergo ex eo præcisè concipit vnum compoſitum. Tertio ſicut productio eſt neceſſariò productio alicuius producti ita compoſitio eſt neceſſariò compoſitio alicuius compoſiti, ac proinde ſicut non poteſt concipi productio non concepto etiam producto, ita non poteſt concipi compoſitio abſque eo, quod concipiatur compoſitum; ſed ex eo præcisè quòd quis concipiat vnionem inter materiam & formam, concipit compoſitionem, quæ nihil eſt aliud quam vnio duorum; ergo ex eo præcisè quod quis concipiat vnionem inter materiam & formam, ſeu (quod idem eſt) formam & materiam vnitas concipit neceſſariò compoſitum. Vbi obſerua conpoſitum, pro materiali includere partes componentes, pro formali verò ipſam vnionem & compoſitionem per quam formaliter ipſæ in ratione compoſiti conſtituuntur.

7 Monſtratur tertiò, nam ſi compoſitum eſſet aliqua entitas realis à materia & forma vnitis à parte rei condiſtincta, vel illa ſola eſſet compoſitum, vel illa ſimul cum materia & forma vnitis compoſitum conſtitueret, ſed non poteſt dici ſolam illam entitatem ſuperadditam eſſe compoſitum ipſum, quia vel illa entitas eſt ſimplex, & ſic non poteſt eſſe compoſitum, nam ſimplicitas cum compoſitione repugnat, vel eſt ex partibus aliis compoſita, & tunc etiam inquiram, an illud compoſitum ab illis partibus vnitis reipſa diſtinguatur, & addat aliam entitatem realem præter illas, de qua eadem inquiſitio fieri poteſt, & erit proceſſus in infinitum, & præterea ſequeretur corpus & animam rationalem non eſſe de eſſentiali conſtitutione compoſiti humani ſcilicet hominis, quod eſt contra Symbolum Athanaſij relatum num. 3. ergo dicendum neceſſariò eſt à contrariæ ſententiæ ſectatoribus, illam entitatem quam compoſitum ſupra partes vnitas ſuperaddit cum illis eſſentialiter compoſitum conſtituere, igitur iam reipſa non diſtinguitur compoſitum à partibus vnitis. Patet conſequentia ex admiſſis, nam materia, & forma vnitæ, & illa entitas ſuperaddita ſunt partes conſtituentes compoſitum, atqui compoſitum à materia & forma vnitis, & illa entitate ſuperaddita reipſa non diſtinguitur, quia ſi rurſus aliam entitatem confingas, per quam ab illis partibus compoſitum diſtinguatur, procedimus in infinitum; ergo compoſitum reipſa non diſtinguitur, à partibus vnitis; igitur nulla eſt ratio, quare compoſitum ſubſtantiale à materia & forma vnitis à parte rei diſtinguatur. Idem dicito de quouis alio compoſito, etiam accidentali, quia rationes factæ id manifeſtè conuincunt, vide Suarez vbi ſupra n. 13.

8 Sed quærat aliquis; an compoſitum à partibus vnitis ſaltem ratione ratiocinata noſtra diſſideat. Reſpondeo, ratione ratiocinata præſcindere vnam formalitatem ab alia, compoſitum non diſtingui à partibus vnitis, nam conceptis partibus vnitis concipitur formaliter compoſitum, vt oſtendi num. 4. diſtingui verò ab illis ratione ratiocinante, hoc eſt, ſecundùm diuerſos conceptus, quibus compoſitum & partes vnitas apprehendimus, nam conceptus compoſiti concipit in recto partes & vnionem, vt vnum quid in facto eſſe conſtitutum, conceptus autem partium vnitarum concipit ſingulas diuiſim partes in recto & in obliquo vnionem cuiuſque partis cum alia, ratione cuius quælibet pars, quaſi in fieri ipſum compoſitum conſtituit.

In calce difficultatis quæritur, An compoſitum 9
ſubſtantiale poſſit creari? P. Hurtado ſupra diſp. 5. phyſicæ ſect. 4. numero 36. tenet non poſſe creari, primò, quia compoſitum producitur eadem actione, qua vnio, ſed vnio generatione producitur, & non creatione. Maior eſt certa; Minor probatur, quia vnio fit dependenter à materia; ergo ſicut forma materialis generatur, quia fit dependenter à materia, ita & vnio quia fit dependenter à materia. Confirmatur, homo ſimpliciter generatur, vt frequenter teſtatur Sacra pagina, Abraham genuit Iſaac &c. & Philoſophia docet quod ſol & homo generant hominem, aliàs non poſſet homo produci ab agente naturali; etenim nihil poteſt per creationem producere, & à productione vnionis compoſitum denominatur productum, ſicut homo denominatur generatus à productione vnionis, cum tam materia, quam anima rationalis creatione producantur.

Dices ex ſacra pag. cælum & terram creari, ergo 10
& compoſitum poteſt creari, cum terra & cælum conſtaret ex materia & forma, & vnione & ſint vera compoſita, & ex Machab. cap. 7. conſtat cælum & terram facta eſſe ex nihilo. Reſpondeo hæc teſtimonia intelligenda eſſe de creatione late ſumpta, ſeu concreatione, quia tam cælum quàm terra in inſtanti creata ſunt, hoc tamen non tollit quod forma cæli, terræ & elementorum generentur, cum educanrur de potentia materiæ, ad quam prioritas naturæ ſufficiens eſt.

Pater Rodericus de Arriaga diſp. 4. ſubſect. 5. ex 11
oppoſito cenſet, compoſitum poſſe creari de potentia Dei abſoluta, cuius fundamentum eſt, quia de potentia abſoluta poteſt creari vnio, in cuius productione conſiſtit compoſitum vt conſtat ex n. præcedenti; ratio eſt quia id non repugnat omnipotentiæ Dei; & licèt naturaliter vnio compoſiti cauſetur à partibus illius, poteſt tamen diuina virtute non cauſari ab illis, ſed à ſolo Deo, qui ſuppleat defectum cauſæ in ordine ad terminum productum; ergo poterit Deus ſe ſolo ſine concurſu materiæ & formæ conſeruare vnionem illis inter ſe vnitam, & non cauſatam ab illis & conſequenter poterit compoſitum creari cum hoc formaliter conſtituatur per productionem vnionis; & vtrumque eſt valde probabile.

Hic oritur tertiò difficultas; Cur materia prima 12
dicatur etiam naturaliter creata, cum ipſa compoſita ſit & eius partes vniantur per veram vnionem, quæ generatur; ergo à generatione huius vnionis dici poterit materia prima genita, ſicuti à ſimili vnionis generatione, homo dicitur genitus etiamſi eius partes creatione producantur;

Omiſſis variis ſolutionibus P. Hurtado ſupra diſ- 13
put. 6. de compoſito, ſect. 4. §. 41. hanc conſtituit differentiam inter continuum & compoſitum eſſentiale, quod de eſſentia compoſiti eſt ipſa vnio vt in homine, equo, & aliis, in continuo verò non eſt de eſſentia rei continuæ v.g. vnio partium materiæ non eſt de eſſentia materiæ, quæ continuò denominatur, neque vnio partium aquæ de eſſentia aquæ ſicuti de eſſentia hominis eſt vnio.

Facilius ſe expedit ab hac difficultate Roderi- 14
cus Arriaga dicta ſub ſect. 5. n. 122. aſſerendo materiam naturaliter creari, quia puncta materiæ ſunt verè & proprie materia nec includunt vnionem vt

partes compositi essentialis, & consequenter materia ratione illorum verè & proprie dicitur creari quod non contingit in partibus compositi essentialis, quia quælibet seorsim sumpta, nec est, nec dicitur homo, sed illæ simul sumptæ, & vnitæ, & vt sic verè generantur ratione vnionis quæ verè generatur naturaliter, etiamsi de potentia Dei absoluta creari sit possibile.

CAPVT II.

Contraria fundamenta euertuntur, & causalitas intrinseca declaratur.

COntrariæ partis sectatores nonnulla pro sua opinione congerunt argumenta, quæ in hoc capite proponam, & enodabo.

15 Obiiciat quispiam primò, quando à parte rei conuenit aliquod prædicatum reale vni, quod non conuenit alteri reipsa distinguitur vnum ab alio, sed aliquod prædicatum conuenit à parte rei composito homini v. g. quod non conuenit partibus vnitis, nam compositum humanum verè generatur, eius verò partes vnitæ, scilicet materia & forma rationalis non generantur, sed creantur; ergo compositum reipsa distinguitur à partibus vnitis. Respondeo totum compositum humanum solùm denominatiuè generari, re autem ipsa generari tantum secundum vnionem, secundùm quam etiam partes vnitæ generantur & ita idem prædicatum reale, quod conuenit à parte rei composito conuenit etiam partibus vnitis.

16 Sed inquiris; quare cùm materia & forma rationalis creentur, non dicitur compositum creari, sicut quia eius vnio gignitur, dicitur compositum generari. Respondeo, vnionem esse formam compositi vt sic formaliter vt dixi num. 4. qua posita necessariò compositum resultat, & ideo generata vnione dicitur generari compositum, partes verò scilicet materiam & formam esse materiam compositi, vt sic formaliter vt ibidem ostendi, quibus positis non necessariò compositum consurgit, ac proinde licèr partes creentur, non dicitur creari compositum.

17 Obiiciat secundò, vnum & plura reipsa distinguuntur, sed compositum est vnum vt per se liquet, & partes vnitæ sunt plura cum inter se distinguantur, ergo compositum & partes vnitæ reipsa distinguuntur. Respondeo compositum esse vnum non quidem simplex, sed compositum, & conflatum ex pluribus inter se vnitis, & partes vnitas esse plura, non quidem diuersa, & discreta sed vnita & redacta per vnionem & compositionem ad vnum, atque ideo, idem omnino esse compositum ac partes vnitas. Aliqua sunt Aristotelis testimonia quæ adducit P. Suarez vbi supra num. 2. in quibus videtur docere Philosophus totum à partibus distingui, sed loquitur de partibus separatis, non de partibus vnitis.

18 Obiiciat tertiò, nulla res potest causare, aut componere seipsam, alioquin res quælibet etiam simplex, vere composita esset, sed partes, vt coniunctæ, ac vnitæ causant & componunt ipsum compositum, non enim illud componunt vt disiunctæ; ergo compositum reipsa distinguitur à partibus vnitis. Resp. partes esse causas intrinsecas compositi, quod constituunt, non quidem causas simpliciter, sed solùm secundum quid, & cum addito, videlicet causas componentes, ad quod solùm requiritur, quod in recto ipsæ & compositum distinguantur; cum ergo partes in recto solùm includant ipsarum entitatem v. g. materiam & formam connotando in obliquo vnionem earum, qua media totum componunt, compositum verò includat in recto ipsas partes, & etiam earum vnionem, ideo partes ipsæ in recto reipsa saltem inadæquate à composito distinguuntur, at proinde illud intrinsece causare at componere valent.

Verùm obseruare libet materiam v. g. (& idem proportionaliter dico de forma) non componere compositum, quatenus includit præcisè formam quia in illo vt sic non includitur ipsa materia, nec componere aut causare illud quatenus præcisè ipsam materiam includit, quia ab illo vt sic non distinguitur, & res non causat neque componit se ipsam, componere verò ipsum compositum, quatenus est totum quoddam constans ex materia & forma, quia in illo vt sic ipsa materia includitur, & ab illo vt sic distinguitur, quæ duo scilicet inclusio & distinctio respectu compositi ad rationem causæ illud componentis desiderantur.

Hinc infero contra quosdam Recentiores, causalitatem, qua materia aut forma causat formaliter, & intrinsecè compositum non esse ipsammet entitatem materiæ, aut formæ, sed vnionem formalem, qua materia formæ & forma materiæ copulatur. Probatur, materiam aut formam causare intrinsece compositum, est formaliter illud componere; sed illud componit formaliter per vnionem, quæ est formalissimè compositio; ergo vnio est formaliter causalitas; & ratio, qua materia aut forma causat intrinsece compositum. Confirmatur, idem formaliter erit materiam coponere ac materiam se formæ aut composito vnire, sed vnitur formaliter per vnionem; ergo componit & causat compositum formaliter per vnionem. Vrgeo, formam componere, & causare compositum est formaliter esse actu partem illius, sed forma per vnionem formaliter est actu pars compositi; ergo per vnionem formaliter componit forma, & causat ipsum compositum: minor probatur; eatenus forma est aptitudine pars compositi, quatenus est apta vniri materiæ ex quibus resultet compositum; ergo eatenus forma erit formaliter, & actu pars compositi quateuus est actu vnita materiæ, ex quibus resultat compositum; ergo per vnionem formaliter forma est actu pars compositi. 19

CAPVT III.

An corpus completum simplex diuinitus dari queat.

NOn quæritur, an possit esse corpus aliquod completum ita simplex, vt careat compositione ex natura, & subsistentia ac etiam ex partibus integralibus, hoc enim impossibile est, sed tantùm inquiritur, vtrùm sic possibile corpus ita completum & simplex vt expers omnino sit compositionis ex materia & forma, itaque corpus simplex illud est quod non constat materia & forma tanquam partibus essentialibus, sicut Angelus qui est spiritus completus simplex; corpus autem simplex incompletum dari certum est, nempe materiam primam quæ non potest vlterius componi ex alia materia & formam ex alia forma, sic enim daretur processus in infinitum, & non esset apta ad componendum compositum substantiale. 20

Tres adinuenio sententias. Prima sententia est tale corpus etiam diuinitus esse non posse, ita sentire videtur Suarez tom. 1. met. disp. 13. sect. 10. circa finem, Conimb. lib. 1. de cælo c. 2. q. 4. art. 3. in fine Hurt. d. 1. de cælo sect. 1. §. 8. Rub. lib. de cæl. c. 2. q. 5. 21

Secunda

Secunda ſententia eſt non ſolum tale corpus ſimplex eſſe poſſibile, ſed etiam de facto dari, & & cælum maximè empyreum hac perfectione ac ſimplicitate gaudere. Ita plures auctores relati à Suarez vbi ſuprà num. 2. & à Conimbricenſibus dicta quæſt. 4. art. 1. quibus adhæret Duran. in 2. diſtinct. quæſt. 12. num. 16.

Tertia ſententia eſt tale corpus ſimplex eſſe poſſibile, quidquid de actuali eius exiſtentia ſit, ita communiter recentiores, quibus ſubſcribo.

22 ASSERTIO ergo ſit. Diuinitus dari poteſt corpus aliquod completum, ita ſimplex, vt careat compoſitione materiæ & formæ ita D. Thomas in 2. diſtinct. 12. quæſt. 1. art. 1. ad 5. dum cælos ibidem materia expertes conſtituit, entiaque completa, & in diſputatis quæſt. de ſpiritualibus creaturis articulo 6. ad 2. & eam inſinuat Ariſtoteles 8. metaphyſic. text. 4. & 14. Scotus in 2. diſtinct. 14. q. 1. Durand. in 2. diſtinct. 12. quæſt. 2. num. 23. Gabriël in 2. diſtinct. 12. quæſt. 2. Maior in 2. diſt. 14. quæſt. 2. Iandunus de ſubſtantia orbis quæſt. 1. Zimara theor. 107. Franciſcus Alphonſus diſputat. 4. de anima ſectione 4. Arriaga diſputatione 5. phyſic. ſectione 3. numero 47. Ouiedo controuerſia 5. phyſic. parte 5. numero 2. Thomas Carleton diſputatione 3. de cælo ſectione 1. Suarez diſputatione 13. metaphyſic. ſectione 10. numero 8. vbi expreſsè dicit corpus huiuſmodi completum ſibi non videri impoſſibile, nuper Gabriel Henao multis citatis text. 1. ſuæ empyrologiæ libro 2. exercit. 4. ſectione 11. eſtque iam communis inter recentiores.

23 Probatur primò, id quod apertè non implicat, non eſt negandum omnipotentiæ Dei, ſed non implicat apertè tale corpus completum ſimplex, vt ex ſolutione argumentorum conſtabit; ergo non eſt negandum poſſe dari per omnipotentiam Dei. Probatur ſecundo, Intra genus ſubſtantiæ ſpiritualis eſſe poteſt ſubſtantia incompleta ſimplex, qualis eſt anima rationalis, & ſubſtantia etiam ſimplex completa, qualis eſt Angelus; ergo eodem modo intra genus ſubſtantiæ corporeæ & materialis, eſſe poterit ſubſtantia incompleta ſimplex, qualis eſt forma ſubſtantialis corporea, & ſubſtantia etiam ſimplex completa corpus ſcilicet carens compoſitione materiæ, & formæ.

24 Obiiciat autem quis primò, Non poteſt dari ſubſtantia materialis, quæ non ſit capax alicuius formæ accidentalis; ergo nec dari poteſt ſubſtantia materialis, quæ non ſit capax alicuius formæ ſubſtantialis, atqui corpus completum ſimplex eſt ſubſtantia materialis incapax formæ ſubſtantialis; ergo tale corpus ſimplex dari non poteſt. Secundo, Omnis ſubſtantia materialis, vel eſt potentia vel actus, ſed tale corpus ſimplex, nec eſſet potentia, nec actus, cum non eſſet materia nec forma; ergo tale corpus ſimplex non poteſt dari. Tertiò, Materiale eſt id quod habet materiam vel dependet à materia, ſed corpus illud ſimplex, nec eſſet materia nec penderet à materia cum non conſtaret ex materia, & forma; ergo corpus illud non eſſet materiale, ſed implicat dari corpus quod non ſit corporeum & materiale; ergo implicat dari tale corpus ſimplex. Quartò tale corpus ſi daretur, eſſet extenſum, & impenetrabile cum alio, ergo haberet naturaliter quantitatem, quam habent corpora noſtra, ſed non poſſet naturaliter habere hanc quantitatem, quia ſolùm eſt paſſio materiæ primæ qua corpus ſimplex caret; ergo tale corpus ſimplex dari non poteſt. Quintò, Anima rationalis perfectior ac excellentior eſt, quauis ſubſtantia materiali poſſibili purè corporea, ſed ſi poſſibile eſſet corpus illud ſimplex, eſſet excellentius, ac perfectius anima rationali; nam cum illud eſſet completum, & toraliter ſubſiſtens, hæc verò ſit incompleta, & ſubſiſtens ſolùm partialiter, nobiliorem modum eſſendi haberet illud, quàm iſta; ergo non eſt poſſibile tale corpus ſimplex.

Hæc obiecta ſic diſſoluo. Ad primum reſpondeo ſicut abſolutè implicat dari ſubſtantiam creatam, quæ non ſit capax formæ accidentalis, 25 quia quæuis creatura cum non ſit immenſa, poteſt moueri localiter, & adquirere nouam localem præſentiam, quæ eſt forma accidentalis, non verò implicat dari ſubſtantiam creatam ita perfectam, quæ incapax ſit formæ ſubſtantialis, qualis eſt Angelus, ita ſimiliter ob eamdem rationem implicare ſubſtantiam materialem eſſe, quæ non ſit capax formæ accidentalis, non verò repugnare corpus ſubſtantiale ita perfectum, & completum, vt habere non poſſit formam ſubſtantialem.

Ad ſecundum dico corpus illud ſimplex fore actum non quidem incompletum qui alteri dat eſſe ſpecificum, qualis eſt forma ſubſtantialis, ſed actum completum qui ſibi ipſi eſſet totum eſſe eſſentiale, & ſpecificum, qualis eſt Angelus.

Ad tertium dico materiale, hoc eſt corporeum vt ſic non eſſe illud quod materiam includit, vel à materia dependet, ſed quod eſt aptum ſuſceptiuum quantitatis, hoc autem haberet corpus illud ſimplex, atque ita eſſet verè materiale, vel dici materialem, in ordine ad impenetrabilitatem, quam tale corpus haberet; ſimiliter tale corpus fore ſenſitiuum ſenſatione diuerſa à natura, quia non penderet à quatuor primis qualitatibus, & vegetatiuum; nec obſtat Ariſtoteles de anima in principio, & 7. metaphyſicæ capite 7. vbi docet omne corpus eſſe compoſitum ex materia & forma, ergo implicat corpus ſimplex. Reſpondeo, Ariſtotelem ſolum fuiſſe loquutum de corporibus, quæ de facto dantur, non verò de poſſibilibus per potentiam abſolutam, & illam non agnouit, qui exiſtimauit Deum ex neceſſitate naturæ operari.

Ad quartum reſpondeo, corpus illud ſimplex habiturum connaturaliter quantitatem quæ eſt paſſio, illius non verò quantitatem iſtam quæ eſt paſſio illius materiæ primæ, ſed aliam ſpecie diuerſam, quia diuerſæ ſpecie eſſentiæ diuerſas etiam ſpecie ſibi paſſiones vendicant.

Ad quintum dico, quòd corpus ſimplex haberet nobiliorem modum eſſendi ſecundùm quid quam anima rationalis, quia haberet eſſe magis completum, anima verò rationalis haberet nobiliorem modum eſſendi ſimpliciter, quia haberet eſſe intellectuale, & longè magis excellens, ſicut materia eſt ſecundum quid perfectior forma corporea, quia eſt magis independens, forma verò eſt perfectior & nobilior materia prima.

Pro complemento inquires, an tale corpus ſimplex (ſi daretur) eſſet, corruptibile an incorcorruptibile. Reſpondeo fore incorruptibile, non enim haberet aliquam partem, quæ eſſet receptiua diſpoſitionum quæ aliquando poſſint ad corruptionem deſeruire, expellendo formam illius corporis, ſi quidem ſupponimus illam non habere nec poſſe ad introducendam aliam formam diſponere materiam, cum etiam materia careat, in qua tales diſpoſitiones recipi poſſent; 26 ergo

ergo tale corpus simpliciter esset incorruptibile & ingenerabile, si quidem non haberet subiectum cuius potentia educeretur, nisi dicamus cum Arriaga supra disputatione 5. physicæ sectione 3. si corpus illud creatione produceretur & independenter à subiecto, simpliciter posse desinere esse, vel corrumpi, primò quia potest esse aliqua res ex se durans per aliquod tempus, quæ sine aliquo contrario postea pereat, tale ergo posset illud corpus esse; ergo ex hac parte posset esse vegetabile, & corrumpi, sicuti corpus Adami si perseueraſſet in statu innocentiæ adhuc desineret esse per defectum virium. Secundò, quia tale corpus constaret partibus integrantibus quæ vnione necterentur inter se; ergo ad eum modum quo vnio continuatur illarum partium destrui, & corrumpi posset, ita & illud corpus compositum ex illis partibus integralibus ex se diuisibilibus. Tertiò, quia etsi tale corpus creatione produceretur, & non posset destrui ab aliqua creatura posset nihilominus simpliciter desinere esse, vel ex eo, quod esset diuisibile, constans partibus integrantibus diuisibilibus inter se vnione copulatis, nam aliquæ formæ esse possunt, quæ destruantur non ex dispositionibus contrariorum, sed ex sola diuisione, sed quia in tam parua materia conseruari non possent, vel quia ab eodem agente superiori, non repugnaret applicari dispositiones, quibus posset dissolui illa vnio conseruatiua, seu continuatiua illarum partium integralium; ergo probabiliter dici posset, tale corpus eadem vi agentis superioris posse desinere esse & corrumpi; relinquitur; ergo tale corpus completum simplex secundùm partes integrantes quas haberet fore creandum, cum secundùm eas, nullam habeat materiam vel subiectum à quo dependeat, ac proinde secundùm illas fore ingenerabile, & incorruptibile, futurum verò corruptibile, & generabile secundùm vnionem continuatiuam talium partium, quæ verè ex ipsis partibus, quibus esset essentialiter affixa tamquàm ex subiecto educeretur; an verò tale corpus simplex de facto sit, & cælum empyreum materiæ & formæ corruptione careat, sub dubio est, de quo videri potest Suarez disputatione 13. metaphysic. sectione prima numero septimo, Hurtado disputatione 1. de cælo sectione 1. numero 8. Rubius libro 1. de cælo capite 2. quæstione 5. Conimbricenses, & plures apud Thomam Carleton, disputat. 3. de cælo sectione 3.

Aduertendum tamen est, quando elementa corporea dicuntur simplicia, non ideo dici simplicia, quia careant materia & forma, sed dicuntur simplicia ad distinctionem aliorum corporum quæ mixta dicuntur, quæ non ita appellantur præcisè quia materia & forma constituantur; corpora enim cælestia, etiamsi ex materia & forma componuntur: non ideo mixta dicuntur, neque hoc nomen impositum fuit ad significandum in corpore mixto includi elementa quæ corpora simplicia nominantur; dicuntur igitur mixta quia in illis permanent elementa virtualiter, hoc est, quantum ad suas virtutes, & dispositiones, quæ concurrunt ad constituendum temperamentum dispositionum, quæ requiruntur ad corpus, quod mixtum dicitur, & quia elementa non ita virtualiter continent alia elementa, ideo dicuntur corpora simplicia, non verò quia ex materia, & forma non constent, sicut non constaret hoc corpus simplex, quod diuina virtute dari posse probabile iudicaui. 27

Et hæc de tractatu primo in librum primum Physicorum dicta sint satis.

TRACTATVS SECVNDVS,

In Librum secundum Physicorum.

CVM Aristoteles de intrinsecis entis naturalis principiis fusè primo disseruerit, iam in hoc secundo, essentiam entis naturalis inuestigat, & cum illius essentia plurimum ex causarum, à quibus oritur penetratione dependeat, etiam hic de naturæ ac entis naturalis causis extrinsecis disputationem intexit, & in fine de casu, & fortuna sermonem habet, cuius doctrinam nostris disputationibus explanabimus.

DISPVTATIO XII.

De natura & ente naturali.

SEPTEM capita continebit. In primo inquiro, quid natura, & eius definitio explicatur. In secundo, quid ens naturale sit, & qua ratione differat à natura. In tertio, an materia prima sit propriè natura. In quarto, an forma substantialis materialis sit propriè natura. In quinto, an anima rationalis sit propriè natura. In sexto quo pacto ens artificiale à naturali dissideat, & quam formam artificialem includat. In septimo quid sit ars, & an opera artis efficiat.

CAPVT

CAPVT I.

Quid natura & eius definitio explicatur.

VArie apud Conimbricenſes libro 2. phyſic. quæſt. 1. articul. 1. Hurtadum diſputat. 7. ſectione prima, Rub. ibidem, Arriagam diſputat. 6. phyſicæ, Complutenſes diſputat. 7. de natura q. 1. Murçiam, Plaçam, Oñam, Fonſecam 5. metaph. cap. 4. quæſt. 1. ſect. 2. Suarez 1. metaph. diſp. 15. ſectio 11. Auerſam, quæſt 9. de rerum natura 1. tom philoſoph. Carleton diſp. 16. phyſic. de natura, & fere omnes recentiores; nomen *Natura* vſurpatur, primo pro mente diuina omnium rerum naturalium creatrice; & ſic dicitur omnia fuiſſe *à natura* procreata, & ſic natura idem eſt ac Deus; vt docet Diuus Auguſtinus 15. de ciuitate capite primo.

Secundò pro eſſentia cuiuſque rei, & hoc modo fides docet, naturam diuinam communem eſſe tribus diuinis perſonis & etiam communiter traditur definitionem eſſentialem explicare naturam rei.

Tertiò, pr vniuerſitate rerum. quo pacto quod in mundo exiſtit, dicitur eſſe in rerum natura.

Quartò, pro collectione omnium cauſarum naturalium, & ideo id quod earum vires excedit, ſupernaturale vocatur, & etiam de natura in hac acceptione fertur id quod eſt optimum operari, & nihil fruſtra moliri.

Quintò, pro viuentis generatione ſeu natiuitate, natura enim à naſcendo quaſi naſcitura appellatur.

Sumptam verò phyſicè, ſic naturam Ariſtoteles in præſenti cap. 1. definit, *natura eſt principium, & cauſa vt id moueatur, & quieſcat, in quo primo & per ſe, & per accidens ineſt.* vel vt transfert, & exponit D. Thomas hic lectione prima, *natura eſt principium, & cauſa eius, in quo eſt, primo & per ſe, non ſecundum accidens* Cuius definitionis verba, quam omnis ſchola communiter amplectitur, ſigillatim explicanda ſunt, & obiter obiectas quaſque breuitati conſulens difficultates expediam.

Principium, & cauſa, hoc eſt, principium non per modum termini *à quo*, ſed per modum cauſæ influentis, vt à ratione naturæ excludatur priuatio, quæ eſt ptincipium per modum termini, *à quo* incipit generatio.

Dices ſuperfluè poni principium, quia cauſa intrinſece includit principium, ſed diſp. ſequenti aſſignabitur differentia inter principium, & cauſam: modo Reſpondeo ex D. Thom. hîc, Ferrara & aliis poni in prædicta definitione vtramque particulam ad denotandam particulam in aliquibus eſſe principium paſſiuum, in aliis verò principium actiuum vt ibidem oſtendam.

Motus non quidem ſpiritualis, ſed motus corporei, & phyſici, vt Angelus, quatenus principium eſt motus, quo motu ipſe ſpiritualiter mouetur à ratione naturæ ſecernatur, deinde natura eſt principium motus, non alicuius motus determinatè & præcisè, ſed huius vel illius motus indeterminate, & credibile eſt Ariſtotelem prædictis verbis ſolum ſignificaſſe motum in communi abſtrahendo à corporeo, & ſpirituali, cum ipſe non expreſſerit, de quo motu loqueretur.

Pro quo obſeruo motum eſſe in quadruplici differentia, alius eſt motus, qui eſt tranſitus à priuatione formæ ſubſtantialis, ad ipſam formam ſubſtantialem, & vocatur generatio alius, qui eſt tranſitus à minori ad maiorem quantitatem, & dicitur augmentatio: alius qui eſt tranſitus ab vna qualitate in aliam, vel à priuatione qualitatis ad ipſam qualitatem, & dicitur alteratio: alius qui eſt tranſitus ex vnò loco ad alium, & dicitur latio, ſeu motus localis. Sufficiet ergo ad rationem naturæ, quod ſit principium alicuius motus ex prædictis, præcipue tamen in ordine ad motum localem, eſſentia & ratio naturæ ſumitur, quia hîc motus in omni ente naturali reperitur, nam vel naturale ens nullum habet proprium locum illi naturaliter præfixum & ſic poterit de vno loco ad alium ſaltem paſſiuè moueri, vel ſi habeat ſibi præfixum locum à natura, quale fortaſſe eſt cælum empyreum, ſi ab illo loco diuinitus diuellatur, eſt aptum natura ſua ad ſe localiter mouendum, vt ad eum locum rediret, atque ita quodlibet ens naturale eſt capax motus localis.

Et quietis, duplex *eſt naturæ quies:* alia priuatiua, quæ eſt priuatio & carentia motus; altera poſitiua, quæ eſt productio termini vltimati motus, in quo mobile quieſcit. Natura ergo definitur eſſe principium quietis non priuatiuæ ſed quietis poſitiuæ.

Dices, cæli (vno dempto empyreo) continuò mouentur, atque ideo numquam quieſcunt, neque vltimum ſui motus terminum vnquam acquirunt: ſimiliter globus terræ eſt perpetuus, & numquam mouetur iuxta illud Sapientiæ, *terra autem in æternum ſtat*; ergo cælum non eſt principium paſſiuum quietis, neque terra principium motus, & tamen tam cælum quàm terra includunt in ſe naturam; ergo malè definitur natura, dicendo quod ſit principium motus, & quietis.

Reſpondeo, natura dicitur principium motus & quietis, iuxta D. Thomæ ſententiam ſupra, quem omnes ſequuntur: illam particulam *&* non copulatiuè, ſed diſiunctiuè vſurpari, ita vt ſenſus ſit, natura eſt principium motus, vel quietis, eo modo, quo Ariſtoteles 2. de anima capite ſecundo animam definiens dixit: anima eſt, qua viuimus, ſentimus, loco mouemur, & intelligimus, vbi dictio illa *&* pro *vel* neceſſariò ſumitur, aliàs anima bruti, cum non ſit id, quo intelligimus non eſſet natura.

Eius in quo eſt, primò, & per ſe & non ſecundùm accidens, Tria ex his verbis exiguntur ad rationem formalem naturæ, primum quod ſit principium motus intrinſeci illius entis naturalis, in quo formaliter clauditur, vel in quo per veram ac realem vnionem exiſtit, vt Deus qui ſubſtantias etiam corporeas extrinſecè mouet, & Angelus qui etiam eſt principium motus corporei, quo corpora, cæleſtia mouentur, à ratione naturæ excludantur.

Secundum, Quod ſit principium entis naturalis, in quo ſit non *per accidens*, ſed *per ſe* tamquam quid ſubſtantiale illius, vt à ratione naturæ ſeparentur accidentia, quæ licèt principia ſint motus entis naturalis, non tamen ſunt per ſe, ſed per accidens in illo.

Tertium, quòd ſit principium motus entis naturalis in quo ſit non ſolùm per ſe, ſed etiam primò, hoc eſt, quod ſit in ente naturali, tamquam ratio aliqua eſſentialis, & quidditatiua illius, ſolùm enim quod eſt

in essentia conuenit per se primò tali rei, nam essentia est primus conceptus ipsius rei, vt excludantur à ratione naturæ subsistentia & si qui sunt alij modi substantiales aduenientes naturæ totali, imo nec totum in ratione totius, cum totum non ineſt primò & per se alicui, ij enim omnes non sunt primò & per se in ente naturali, quia subsistentia non est ratio essentialis, & quidditatiua illius sed substantiale complementum eius essentiæ ac naturæ, & ideo non est in ente naturali per se primò, sed per se secundò, de quo fusè in log. tract. 8. disp. 39. diximus.

8 An autem prædicta definitio naturæ sit essentialis, vel descriptiua multum laborant aliqui recentiores, arbitror dicendum prædictam definitionem esse essentialem & quidditatiuam, ita D. Thomas in præsenti, Masius, in hoc libro capite primo quæst. 1. Magister Soto, Complutenses suprà quæst. 2. Toletus, Albertus 2. physic. tractat. 1. cap. 3. & communiter omnes. Probatur, illa est definitio essentialis, quæ datur per essentialia rei definitæ, sed hoc inuenitur in hac definitione; ergo est essentialis, minor probatur, quia esse principium primum, & radicale motus non potest conuenire naturæ ratione alicuius accidentis, quæ non sunt principia prima & per se motus, sed natura essentialiter est principium motus; ergo id per quod constituitur in esse entis naturalis, debet necessariò, & essentialiter esse principium motus, sed per naturam constituitur, vt natura est, in esse entis naturalis; ergo ratio naturæ vt talis essentialiter importat, quod sit principium motus, nequit enim intelligi natura physica, quin intelligatur per ordinem ad motum physicum; ergo cum natura definiatur per ordinem ad motum, talis ratio seu definitio erit essentialis & non descriptiua.

9 Dices; definitio quæ datur per effectus, est descriptiua, talis est definitio naturæ; ergo. Minor probatur, quia prædicta definitio datur per motum & quietem, sed motus & quies sunt effectus naturæ quæ dicitur principium motus & quietis; Secundò natura prius est principium essendi in se, quàm principium motus & quietis, sicut in ente naturali; prius est habere esse quam moueri; ergo cum natura definiatur esse principium motus & quietis non definitur essentialiter. Respondeo ad primum hanc definitionem non dari per motum & quietem solùm sed per esse principium radicale vtriusque & quamuis motus, & quies sint posterius, & effectus ipsa natura, non tamen quatenus natura est principium talium motuum, aut quietis. Ad secundum, dico quod etsi id quod realiter est natura sit etiam principium essendi, tamen prædictos conceptus intrinsece ad inuicem esse distinctos, & idem principium dici essendi in se, & in ordine essendi cum aliis rebus, sicut ordo essendi & existendi, & ita natura vt est principium motus semper concipitur vt ratio essentialis, & consequenter eius definitio erit essentialis.

CAPVT II.

Quid ens naturale sit, & qua ratione differat à natura.

10 ENs *naturale* multipliciter accipitur, primò, vt opponitur libero, quo pacto causæ necessariæ causæ naturales dicuntur: secundò, vt opponitur supernaturali, & ita id quod naturam non excedit, naturale appellatur, sicut illud supernaturale appellatur quod excedit vires naturæ & repugnat secundum naturalem rerum exigentiam, & causarum naturalem virtutem: tertiò, accipitur *naturale* pro eo quod sine consilio, aut deliberatione fit, quo pacto actus naturales appellamus, eos qui omnem deliberationem antecedunt: quartò, vt opponitur violento, & sic quod rei naturale est, id est iuxta ipsius naturam, naturale dicitur: quintò, vt opponitur artificiali, & hoc modo, quod factum est absque directione artis naturale vocatur, & etiam vt opponitur monstruo, & ita quod fit ex intentione naturæ est verè naturale, alias acceptiones inuenies apud Rub. in præsenti quæst. 1. n. 14. & alios.

Sumptum verò physicè ens naturale est illud, 11
quod claudit in se naturam, pro quo obserua, vt res aliqua physicè claudat aliam necessariò requiri, quod illam in se contineat, & aliquid etiam aliud, quod non sit res illa, ideo enim homo claudit in se physicè animam rationalem, quia illam sub se verè continet, & aliquid etiam aliud, scilicet, corpus, quod non est ipsa anima, cum ergo ens naturale sit illud, quod claudit in se naturam, debet sub se continere naturam ipsam, & aliquid etiam aliud, nimirum subsistentiam quæ non est ipsa natura, iuxta dicta supra cap. 1. num. 7. vnde ens naturale erit id, quod ex natura & subsistentia conflatur, & ab ipsa natura inadæquate distinguitur reipsa per modum includentis & inclusi.

Hinc infero corpus illud simplex, quod passi- 12
bile esse dixi disputat. 11. cap. 3. fore verè & propriè ens naturale. Probatur, ens naturale est illud quod verè claudit naturam, hoc est, quod continet sub se aliquid, quod sit natura, & aliquid quod non sit natura, sed corpus illud simplex contineret subse aliquid quod esset natura nempè ipsius essentiam corpoream simplicem, & aliquid, quod non esset natura scilicet subsistentiam: item corpus illud, licèt esset simplex, hoc est carens compositione materiæ & formæ esset verè compositum ex essentia & subsistentia; ergo corpus illud simplex esset verè ens naturale. Minor probatur, natura est principium saltem passiuum motus vt dicam cap. 6. eius suppositi in quo est tamquam ratio eius essentialis, vt capite primo ostendimus, atqui essentia corporis simplicis esset principium saltem passiuum motus ipsius suppositi, in quo esset ipsa essentia tamquam ratio essentialis illius, subsistentia verò non esset principium motus illius suppositi, in quo ipsa sit, tamquam ratio essentialis, sed solùm vt complementum essentiæ; ergo essentia illius corporis simplicis esset natura, & subsistentia eiusdem, non esset natura; ergo corpus ac suppositum illud simplex contineret sub se naturam, & aliquid etiam aliud quod non esset natura.

Sed petis, in quo corpus naturale differat à 13
Mathematico, Antonius Rub. plura de hoc in expositione cap. 21. quæ ad nostrum institutum non attinent, breuiter dico cum Conimbricensibus q. 1. proœmiali in primo libro physicorum, duplicem materiam solere à physicis assignari, quarum vnam appellant sensibilem, & aliam intelligibilem, sensibilem esse dicunt, materiam primam affectam accidentibus, quæ sensum immutant, intelligibilem verò quantitatem, vt præscindentem ab ordine ad subiectum vel materiam, & vt capacem plurium figurarum, angularis, v.g. vel triangularis. Materiam sensibilem ita explica-

tam

tam constat esse partem corporis physici, materiam verò intelligibilem, prout eam explicuimus, dicunt esse corpus mathematicum, quod sub prædicta ratione à mathematico consideratur, ex hoc facile desumitur discrimen, inter corpus naturale & mathematicum, corpus enim naturale est quid substantiale, mathematicum verò quid accidentale, & licèt non consideretur in ordine ad subiectum, verè tamen subiecto inhæret, cum quantitas à re quanta distinguatur vt docuimus in Log. disp. 23. cap. 2.

14 Hìc solet de violentia & eius actibus latè disseri, an dentur actus violenti & quomodo sint contra inclinationem rei, seu vim actiuam seu passiuam, an in causis inanimatis, seu non cognoscentibus, etiam dari possit violentia, & etiam in causis liberis, quæ alterius sunt instituti, & latè de illis Auersa quæst. 9. sect. 8. per totam, solùm in præsenti dubitari potest. An natura dicatur principium & causa motus violenti? affirmant aliqui dicentes, in ea definitione non sumi naturam vt distinctam à violentia, sed vt illam includit, nam Aristot. 2. physic. solùm voluit distinguere, entia naturalia ab artificialibus; ergo non à motibus violentis; dicendum tamen est, motus violentos vt reduplicatiuè tales, non contineri in definitione naturæ, includi tamen quatenus alia ratione naturales; Probatur prima pars manifestè quia violentum formaliter dicit, esse contra naturam; ergo opponitur & repugnat ipsi naturæ; ergo vt sic non est à natura, seu natura non est principium motus formaliter violenti. Secunda etiam pars constat, quia motus ex vna ratione violentus potest esse alia ratione naturalis, id est iuxta naturam & procedere à natura; ergo natura potest esse sub hac ratione principium motus violenti, & per ordinem ad illud potest dici natura, v. g. calor & calefactio non includitur in definitione sub nomine motus & quietis, quatenus repugnat formæ aquæ, sed bene quatenus est materiæ conformis: similiter motus progressiuus animalis, & ascensus aquæ ad replendum vacuum non includitur, quatenus grauitati repugnat, sed benè quatenus est conformis virtuti vitali motiuæ, & virtuti conseruatiuæ integritatis vniuersi, & sic de aliis; ergo natura in hoc sensu dici potest principium motus violenti.

CAPVT III.

An materia prima sit propriè natura.

15 SImplicius, Auerroes, Alexander, Alensis 5. metaph. cap. 4. Albertus magnus hoc loco, Valesius controuersia 11. ad Tyrones; tuentur materiam primam non esse propriè naturam, & probant primò, ex Aristot. 5. metaph. text. 10. vbi postquam enumerauit plures acceptiones naturæ aperte dicit, quod natura propriè dicitur forma, materia verò impropriè, quatenus est susceptiua formæ. Probatur ratione, primò quia materia non est principium motus & quietis; ergo nec natura, antecedens probatur. Si esset causa motus deberet esse principium & causa materialis, atqui non est principium & causa materialis talis motus, nam cum talis motus esset accidens deberet recipi in materia cum sit subiectum susceptiuum illius, & aliorum accidentium, sed ille motus, & alia accidentia subiectantur in toto composito; ergo ideo quia materia prima non est propriè natura. Probatur secundò, Natura est per quam distinguuntur, naturalia ab artificialibus, imo & naturalia inter se, per diuersas naturas, sed non possunt distingui per materiam, quia corruptibilia habent eamdem materiam vt ostendimus suprà disputatione sexta capite primo. Similiter artificialia habent suam materiam vt ex se constat; ergo solùm differunt per formam & consequenter materia non est propriè natura.

ASSERTIO tamen sit, materia prima verè & 16
simpliciter est natura. Ita Aristoteles, in hoc loco tex. 4. D. Thomas, 2. physic. tex. 2. 10. & 21. Scotus in 2. dist. 28. quæst. vnica Suarez 1. metaphysic disputat. 13. sectio 11. numero 8. Conimcenses 2. physic. cap. 2. quæst. 1. artic. 2. quæst. 3. articul. 1. & 2. Petrus Hurtado disputat. 7. de natura sect. 3. Complutenses disputat. 7. quæst. 4. Arriaga libro 2. physic. disput. 6. sect. 1. Murçia lib. 2. physic. quæst. 3. Oña lib. 2. physic. parte 2. quæst. 1. articul. 1. Plaça libro 2. disputatio 1. quæst. 2. Pereira lib. 7 metaphysic. cap. 17. Iauellus quæst. 6. & communiter omnes interpretes Arist. & D. Thomæ.

Probatur auctoritate Aristotelis in præsenti 17
textu 4. & 5. his verbis, *Natura aut subiectum est, aut subiecto inest*, & tex. 10. *natura sic dicitur, primò cuiusque subiecta materies eorum quæ motus in se mutationisque principium habent, alio verò modo ipsa forma & species*, sed materia prima est subiectum formæ & aliorum accidentium; ergo ratio naturæ propriæ conuenit materiæ cum ipsa sit propriè principium passiuum motus corporei & physici, Ratione etiam probatur, quia tota definitio naturæ competit materiæ primæ; nam ipsa per se est in composito, & compositum per illam mouetur; ergo est propriè principium & causa motus; ergo & propriè natura. Secundò, quia si materia non esset natura sequeretur, quod transmutatio substantialis non esset naturalis, quia illa non est naturalis ratione formæ quæ producitur, cum sit terminus productus; ergo solùm est naturalis ratione materiæ, quæ est principium & causa illius, cùm propriam inclinationem & appetitum habeat ad illam vt 1. lib. diximus disp. 5. cap. 3. ergo materia prima est propriè natura.

Dices, quod materia non est principium transmu- 18
tationis per se, sed per accidens; ergo materia non est per se natura, cum sit principium accidentale transmutationis, non verò per se. Respondeo, hoc quod est esse principium motus stat dupliciter, primò per se & primariò, & sic nec materia, nec forma, sunt principium motus, quia non est effectus primarius formæ nec operatio alicuius substantiæ creatæ: secundo modo sumitur per se & secundariò, sicut 1. Poster. diximus tr. 8. disp. 39. cap. 1. hanc propositionem, *homo est risibilis esse per se*: secundo modo pariter materia prima & etiam forma sunt principia per se motus, quod sufficit vt aliquid propriè dicatur natura, nec obstat si dicas ad rationem naturę requiri, quod sit principium motus per se primò, quia vtrumque ponetur in prædicta definitione, nam in prædicta definitione natura sumitur esse principium radicale motus, & sic esse primò, per se principium motus, etiamsi non esset principium proximum talis motus.

Ad rationes in oppositum Respondeo, ad 19
primum Aristotelem solùm intendere materiam primam non tam esse naturam sicut formam, hoc est tam perfectam naturam, non verò illam pro-

priè & simpliciter non esse naturam, licet longè imperfectiorem. Ad primam rationem dico, materiam primam esse subiectum immediatum receptiuum motus & aliorum accidentium, vt latè ostendam libris de generatione, disputatione secunda capite primo. Ad secundam. Respondeo, naturalia ab artificialibus, non solùm differre per formam, sed etiam per materiam, quia materia artificialium est ens in actu, naturalium verò est ens in potentia, etiam quamuis generabilia non differant inter se per materiam, sed per solam formam, quia in naturalibus datur vna natura communis, in qua omnia conueniunt, qualis est materia prima & alia per quam differant, qualis est forma, non tollit, quod tam materia quam forma suo modo sint natura, artificialia verò sola forma constituuntur, in quo ab entibus naturalibus distinguuntur, quæ tam materia quam forma constituuntur.

CAPVT IV.

An forma substantialis materialis sit propriè natura.

20 PRo intelligentia præmitto, triplex esse genus formarum substantialium materialium: primum earum formarum, quæ sunt principium viuendi, & sentiendi, vt sunt omnes formæ substantiales materiales animalium: secundum, earum formarum, quæ solum dant viuere, vt sunt plantæ. Tertium genus est earum formarum materialium, quæ etsi composito tribuant esse substantiale, nullum tamen gradum illi communicant, vt forma ignis, quæ ideo inanimatæ dicuntur. De his ergo formis quæritur, an habeant rationem propriæ naturæ.

21 Scotus in 2. dist. 28. quæstione vnica cum Scotistis, Burleus hoc loco, Simplicius commentario 18. tex. 16. & 17. & Magnus Huertus titulo primo in hoc loco cap. 2. & libro de origine animæ cap. 4. videntur sentire, rationem naturæ solùm competere principio passiuo motus naturalis, scilicet materiæ, non verò principio actiuo ipsius motus videlicet formæ. Probat Scotus suam sententiam; quia omnis mutatio dicitur naturalis, quia intenditur à natura, sed omnis mutatio naturalis est à principio passiuo; ergo natura solum est principium passiuum. Maior, & consequentia tenent; Minor probatur: ea mutatio dicitur naturalis, qua vnumquodque aptum est mutari à quocumque agente mutetur, sed hoc nulli rei physicæ conuenit nisi per principium passiuum. Confirmatur: quia natura, quà natura est principium internum eius, quod mouetur, sed principium motus non est internum rei quæ mouetur vt actiuum est, sed vt passiuum, ergo natura potius principium passiuum quam actiuum censenda est.

22 Dicendum tamen est hoc triplex genus formarum substãtialium esse vere & propriè naturam imò & perfectius participare rationem naturæ quàm materiam primam. Ita Aristoteles in hoc capite præcipuè libro de partibus animalium cap. 10. libro primo & secundo de anima cap. 4. tex. 36. & 37. vbi de anima in communi, & in particulari de anima sensitiua, quæ est simul vegetatiua, docet esse naturam & esse magis naturam quàm materiam, expresè tradit 2. Physic. capite decimo tex. 12. vbi de forma loquens ait, *atque natura magis hæc est quam materies, vnumquodque enim tum magis dicitur, cum est actu, quàm cum potentia*, vbi admittit formam esse magis naturam quàm materiam, quia magis est in actu, & 8. Physic. tex. 27. ait, *quæ mouentur à se qualia sunt animalia, à natura mouentur, sed animata mouentur à sua forma tamquam à principio actiuo*, ergo forma est propriè natura, & præcipuè in hoc capite, vbi docet naturalia distingui ab artificialibus per formam nulla facta mentione ipsius naturæ; ergo ad minus formæ conuenit ratio naturæ. Sequitur Aristotelem D. Thom. in præsenti & lectione quinta, & omnes interpretes tam antiqui, quàm moderni relati supra capite tertio, numero decimo sexto.

Probatur primò, ex definitione Aristotelis, quæ his formis propriè conuenit, quia sunt principium & causa motus, qui in ente naturali est quod constituunt vnaquæque iuxta naturam suam, vegetatiua per motum accretionis, & nutritionis, sensitiua per motum progressus, aliæ verò, vt ignis per motum sursum vel deorsum, ergo cum hoc triplex genus formarum sit principium & causa illorum motuum, primò, & per se, & non secundum accidens, ideo omnibus illis formis vere & propriè conuenit ratio naturæ & eius definitio. 23

Probatur secundò. Natura semper debet habere aliquem motum sibi determinatum, cum non operetur liberè, sed necessario, vt omnia agentia naturalia, sed materia prima nullum sibi determinat motum determinatum, cum ipsa sit indifferens ad quemlibet motum, & est in potentia ad omnes motus physicos, & corporeos, ergo forma est quæ naturæ tribuit motum determinatum, ergo est principium illius & consequenter proprie natura; cum in vnoquoque viuenti forma solum possit esse principium actiuum, & causa motus naturalis eius entis in quo est ipsa forma. 24

Addendum tamen est ex eodem Philosopho hic tex. 13. formam esse magis naturam quàm materiam, illis verbis loquens de forma, *atque natura, magis hæc est, quàm materies*; & ratio ipsa suadet, nam natura totalis totius compositi principalius prouenit à forma, quàm materia, forma enim est, quæ vltimò dat esse & constituit speciem, ergo forma magis est natura, maxime cum materia numquam sit principium actiuum motus physici, sicut est forma, sed principium actiuum principalius est quàm principium passiuum, ergo & forma est magis natura quàm materia. 25

Dices ex Simplicio, Andrea, Casalpino, Alberto magno & alijs, in definitione naturæ, principium debere intelligi, principium passiuum, non verò actiuum, sed anima est principium actiuum; ergo anima seu forma non est natura; sed hæc obiectio est contra mentem Philosoph. qui 8. physic. tex. 27. & D. Thomas ibidem inquit, quod totum animal natura se ipsum mouet, ergo iam natura ipsa erit principium actiuum motus, mouere enim se, sonat principium actiuum; ergo principium actiuum motus erit natura. Secundò generaliter, quia non minus naturale est viuentibus, mouere se, quàm moueri, imo illud videtur illis magis proprium & naturale, cùm se mouere magis spectet ad actiones vitales quàm moueri, nam moueri commune est viuentibus & non viuentibus, non verò mouere se, at se mouere spectat ad principium actiuum; ergo natura propriè est principium actiuum & perfectius, vt numero vigesimo quinto ostendi, ergo forma simpliciter, & magis proprie est natura quàm materia. 26

Dices Secundò, ex eodem Philosopho, secundo libro Physic. capite septimo, primum motorem scilicet 27

scilicet Deum, non moueri, imo nec cælum empyreum & globum terræ, & consequenter non spectare ad physicam considerationem, cùm non habeat in se principium motus, nec naturam esse, sed primo motori solum deest principium passiuum non verò actiuum, cùm ipse moueat omnia; ergo ratio naturæ solùm dicit principium passiuum motus. Respondeo, viuentia in hoc distingui à non viuentibus, quod illa habeant vtrumque principium, hæc autem solum principium passiuum, & Aristotelem ibi solum agere de principio passiuo, non verò excludere à ratione naturæ, principium actiuum, cum constet principalius esse naturam vt capite sexto, magis explico, Deus autem vtrumque habet & se non moueri, & mouere cætera, cælum autem empyreum, (Peripateticorum est sententia) non tantùm ad motum, sed etiam ad quietem inclinationem habere, vt videre est apud Conimbricenses secundo Physic. capite primo quæstione secunda, art. 3.

CAPVT V.

An anima rationalis sit propriè natura.

28 CApite præcedenti ostendimns formas materiales substantiales, quæ sunt principium motus corporei & physici esse verè & propriè naturas, difficultas nunc deuoluitur ad animam rationalem, an sit natura & sub qua ratione & statu id illi conueniat.

29 Simplicius supra numero 21. Albertus magnus, Burleus, Auicenna & alij apud Rub. in præsenti qu. 1. & qu. 3. num. 62. docent animam rationalem non participare rationem naturæ, primò, quia Arist. in præsenti solum diuidit naturam in eam, quæ est subiectum, & in eam quæ est in subiecto, sed anima rationalis, non est subiectum, quia non est materia prima, quæ propriè est subiectum receptiuum formæ, nec est in subiecto, quia omnis forma quæ est in subiecto, est materialis à materia dependens, sed anima rationalis, cum creatione producatur est independens à materia, ergo est in materia & consequenter nec natura. Secundò, forma quæ est natura educitur de potentia materiæ, sed anima rationalis non educitur de potentia materiæ, ergo Consequentia est euidens, antecedens constat, quia forma quæ est natura debet per naturam produci, sed natura non habet, alium modum producendi formam nisi illam educendo de potentia materiæ, ergo anima rationalis cum non educatur de potentia materiæ, non poterit esse natura. Tertiò principaliter, operationes animæ rationalis sunt spirituales videlicet intelligere & velle, sed hæ sunt operationes physicæ & naturales, ergo neque anima in ordine ad illas operationes erit verè & propriè natura.

30 Assertio tamen sit, anima rationalis secundum vltimum gradum rationalitatis est verè, & propriè natura, imo & in ratione naturæ, perfectissima, ita Arist. in præsenti & libris de anima. D. Thomas ibidem & prima p. q. 72. art. 1. & q. 75. art. 2. ad secundum, Suarez 1. met. disp. 1. sect. 2. Alexander, Vallesius, Simplicius, Petrus Hurtado, Conimbr. Rub. Complut. disput. 7. de natura quæst. quinta. Murçia, Plaça, Oña, Arriaga, & communiter omnis schola Philosophorum & recentiores ingeniosi in manuscriptis.

31 Probatur primò ratione adducta ab Arist. & D. Thoma, quia anima rationalis secundum gradum vltimum, est vera & naturalis forma hominis, ego est vera natura. De antecedenti non potest dubitari, cum de fide certum sit, & ab Ecclesia definitum multis in locis in Concilio Viennensi Lateranensi sub Leone X. Et in Clementina vnica de fide Catholica, & nos in Logica etiam latè ostendimus disput. 41. cap. 1. Animam rationalem esse formam corporis, & in corpore productam; & ratione etiam ampliùs suadetur idem antecedens, nam anima rationalis vt rationalis constituit hominem specie distinctum à cæteris animalibus; ergo est vera forma illius, nam si non esset forma hominis, sed solum se haberet per modum motoris, aut gubernatoris, vt nonnulli existimant, vel vt intelligentiæ, à quibus orbes cælorum mouetur, non posset constituere hominem specie diuersum ab alijs, ergo necessaria erit vera informatio materiæ & vnio substantialis cum illa, vt vnum per se substantiale constituant, videlicet hominem, ergo anima rationalis vt talis erit proprie natura, cum ex Aristotele natura proprie dicatur de materia & forma tanquam de partibus entis naturalis.

32 Probatur secundò principaliter, quia anima rationalis vt talis est principium motus naturalis eius in quo est, ergo est verè natura; antecedens probatur, quia in homine dantur plures motus, qui in alijs viuentibus seu compositis sufficiunt, vt dicamus, formas substantiales à quibus procedunt esse vere & proprie naturas, ergo idem dicendum erit de anima rationali, à qua in homine prædicti motus procedunt, dantur enim in homine nutritio, augmentatio materialis, sensatio & motus progressiui, similiter est principium admirationis, risus, fletus, loquutionis, qui motus, cum sint naturales homini, vt homo est, & sint in ipso, non possunt non ab anima vt rationali procedere, ergo sicut forma equi, & quælibet alia forma substantialis dicitur proprie natura, quia est illorum motuum principium & causa, ita anima rationalis vt talis in homine erit vere & proprie natura, quia prædicti omnes naturales motus, procedunt & fiunt in homine ab ipsa anima rationali.

33 Ex ijs soluuntur argumenta facta pro contraria sententia. Ad primum dico, quod vt aliqua forma substantialis dicantur materialis, non sufficit quòd sit in materia, sed insuper vt educatur ex eius potentialitate, anima autem rationalis non ita est in homine, sed tamquam compars materiæ, cum qua vnum compositum substantiale constituit, videlicet, hominem, quo fit satis secundo argumento. Ad tertium pro nunc, Respondeo, illas operationes vt sic, & sub hoc statu, etiam ab anima pendere, quin anima dum est, in corpore prædictas actiones volitionis, & intellectionis medijs sensibus & dependenter ab illis operetur, vt commune fert proloquium Philosophorum, hoc autem sufficit, vt prædictæ operationes dicantur naturales, cum oriantur ab anima rationali, vt à natura, & sub hoc statu anima rationalis, quatenus per intellectionem & volitionem moderatur motus physicos ad physicum spectare vt docet Aristoteles primo libro physicorum capite secundo, & D. Thomes ibidem lect. 4. illa verò sub statu separationis ad primum Philosophum scilicet metaphysicum pertinet, vt docuit primo, de partibus animalium capite dicens 1. *considerationem animæ separatæ non esse physicam, imo neque proprie naturam*, vt formaliter tali gaudet statu, & prout præcisè est radix earum mutationum, quæ illi statui conueniunt; dici tamen potest in hoc statu separationis, proprie

naturam

naturam esse quatenus in illo statu seruat ordinem ad corpus tanquam illius pars incompleta & vera forma intrinsecè appetens eius consortium, cum igitur in prædicto statu separationis habeat anima quamdam conuenientiam cum cæteris formis, etiam erit natura, sicut & cæteræ formæ substantiales.

34 Sed obijciat quis, si anima rationalis formaliter vt in statu separationis non est proprie natura, ergo neque etiam vt anima rationalis est sub corpore erit natura, quia etiam sub corpore est principium & causa operationum spiritualium, sed pro meliori intelligentia, præmitto animam rationalem, dum est in corpore, elicere aliquas operationes spirituales independentes ab illo, vt contingit in actibus supernaturalibus fidei, spei, & charitatis, alias verò elicere naturales operationes dependenter à corpore, vt Philosophus docet tertio de anima, quo supposito, Respondeo, animam rationalem existentem in corpore non esse dicendam materiam, per ordinem ad operationes supernaturales, quas independenter ab illo producit, & in ordine ad illas operationes proinde se habere ac si esset à corpore separata, & nullo modo possumus dicere ex vi illarum esse principium motus physici, si verò operationes spirituales intellectionis & volitionis, & alias, consideremus, quas dependenter à corpore & in corpore producit, licet quoad substantiam sint pure spirituales, tamen quoad modum possumus dicere illas esse materiales & corporeas ex parte principij, atque ita animam rationalem in ordine ad prædictas operationes, posse dici naturam & principium motus physici, scilicet corporei & materialis, & de anima secundùm quod est principium intellectionis dependentis à phantasmate, agit Philosophus tertio de anima, ac proinde, secundum hanc considerationem animam rationalem vere esse naturam.

35 Ex ijs infero primò, compositum propriè, & in rigore non esse dicendam naturam, ratio est, quia ex Aristotele, qui postquam in præsenti text. 11. dixit materiam & formam verè esse naturam, addit, quod autem ex ijs, natura quidem non est, sed à natura, sed quod fit ex materia & forma est compositum, ergo compositum in rigore non est proprie natura, idem sentit D. Thomas, explicans Aristotelem: posset autem aliquis credere, quod quia materia dicitur natura & etiam forma, quod compositum possit dici natura, quia substantia dicitur de materia & forma & de composito, sed hoc excludit, dicens quod compositum ex materia & forma non est ipsa natura, sed est aliquod à natura, ergo sicut homo, non est natura, ita nec humanitas vt constituit compositum, si verò humanitas sumatur late pro quidditate, & essentia, & vt distinguitur à substantia, esse verè & proprie naturam, ratio est quia natura est principium motus corporei, eius in quo est, sed humanitas vt præcisa & distincta à subsistentia, est principium motus corporei, suppositi scilicet, hominis, in quo ipsa est tanquam ratio essentialis illius motus; ergo tale compositum, verbi gratia humanitas erit verè natura, similiter de vnione dici potest esse naturam, quia est in composito, & in illo est saltem principium passiuum motus, verbi gratia, vbicationis & durationis intrinsecæ ipsi vnioni.

36 Infero secundò, naturam analogicè dici de materia & forma. Probatur primò, ex Aristotele in hoc libro capite primo, vbi docet formam esse magis naturam quam materiam vt ostendimus capite quarto, numero vigesimo quinto, & ibidem D. Thomas sectione secunda, inquit quia vnumquodque magis dicitur secundùm quod est actu, quam secundùm quod est in potentia; potest tamen prædicta sententia temperari hoc modo, naturam analogicè dici de natura totali & partiali de qua intelligendi sunt Aristoteles, & D. Thomas, naturam verò partialem vniuocè dici de materia & forma, ita communiter Toletus, magister Soto, Murçia & alij plures, & ratio positionis est, quia natura totalis est substantia totalis & completa, natura verò partialis est subsistentia partialis vt materia, vel forma, seorsim sumpta, sed substantia totalis & partialis non conueniunt vniuocè, sed substantia partialis dicitur per habitudinem ad totalem; ergo natura analogicè dicitur de natura totali & partiali, natura verò partialis vniuocè dicitur de materia & forma, nam esse principium motus, ita essentialiter inuenitur in materia sicut in forma, cum probabiliter dici etiam possit, materiam primam respectu suarum passionum etiam esse principium actiuum, sicut aliæ essentiæ, ergo quamuis ex genere suo forma sit principium perfectius, & natura perfectior, hoc tamen non tollit vniuocationem, nam etiam homo est præstantior species animalis, quam equus, & tamen vniuocè conueniunt in ratione animalis, quia solùm est perfectior ratione differentiæ contrahentis, non verò ratione animalis abstrahentis ab vtraque differentia.

Sed quærat quis, an ad rationem naturæ sufficiat quod sit principium tantum actiuum vel passiuum, an requiratur vtrumque. Communis schola Aristotelis & D. Thomæ, & fere omnium antiquorum & recentiorum tenet vtrumque non requiri, sed tantum quod sit principium actiuum vel passiuum, & ratio est, quia si Deus produceret substantiam aliquam materialem ita imperfectam, quæ nullius mutationis operatiua esset, qualem esse materiam primam aliqui de facto concedunt, talis substantia corporea foret natura, & tamen non esset principium actiuum sed tantum passiuum motus, ergo ad rationem naturæ non requiritur quod sit principium actiuum & passiuum sed sufficit, vnum vel aliud, imo vt ex Aristotele, D. Thoma & fere communiter ex omnibus colligitur contra Patrem Vasquez tom. 1. in 1.2. disput. 17. num. 10. ad hoc vt forma sit natura satis est, vt sit principium passiuum motus, etsi multoties sit ex genere suo principium actiuum, nam ratio principij, & causæ motus proprie saluatur in solo principio passiuo vt videre est in materia prima, cui solum competit esse principium passiuum motus, & in forma cæli, quæ licet proprie sit natura, non tamen est principium actiuum motus, sed passiuum; ergo vt forma sit vere natura non est necessarium quod sit principium passiuum illius; qui autem sint motus cæli, & an naturales, præternaturales, aut violenti pertinet ad libros de cælo. 37

CAPVT VI.

Quo pacto ens artificiale à naturali dissideat, & quam formam artificialem includat.

ENs artificiale est illud, quod factum est iuxta directionem artis, quod quidem aliquid includit pro materiali, & aliquid pro formali, pro materiali 38

riali includit sæpe ipsa entia naturalia lignum, aurum, argentum, &c. pro formali verò dicit formam aliquam accidentalem per quam eius partes formaliter disponuntur iuxta directionem artis, ens ergo artificiale ex parte materialis quod includit, sæpè est idem cum ente naturali; ex parte verò formalis, tanquam ens accidentale à substantiali ab illo discriminatur, modo quærimus, quænam sit forma illa accidentalis, quam pro formali, ens artificiale includit, & per quam in propria ratione formaliter constituatur, nonnulli censent vt videre est apud Arriagam disputatione sexta, de natura sect. 2. Conimbricenses & alios, esse quamdam formam artificialem reipsa distinctam à naturali figura, seu locali dispositione, & partium coordinatione, sed illis relictis.

39 Assertio sit, forma entis artificialis nihil est aliud quam naturalis figura, seu localis dispositio, distantia seu approximatio partium, qua ipsæ iuxta regulas artis rectè coordinantur, & disponuntur. Ita recentiores ingeniosi. Probatur hac vnica ratione efficaci, posita tantum distantia & approximatione, ac dispositione locali, quam habent de facto, ligna cathedræ, verbi gratia, præcisa saltem per actionem quacumque alia forma accidentali distincta, talia ligna verè conficiunt hoc ens artificiale, scilicet cathedram vt instrumentum aptum ad munus docendi iuxta præcepta artis, ergo forma artificialis in hac locali distantia, approximatione ac dispositione rerum consistit, non verò in forma alia accidentali distincta.

40 Obijciat quispiam, cum ens artificiale vt cathedra, verbi gratia, ex vno loco ad alium moueatur, manet eadem forma artificialis vt constat, & tamen non manet eadem partium approximatio, ac dispositio localis, hæc enim cum à loco dependeat mutato loco variatur; ergo forma artificialis non consistit in tali partium approximatione, ac dispositione locali, Respondeo in prædicto casu physicè non manere, eamdem numero formam artificialem, quia non manet eadem præsentia localis partium, à qua talis forma artificialis differt, manere tamen eamdem formam artificialem *moraliter*, quia cum partes illæ in quocumque loco æqualem seruent ordinem, approximationem, aut distantiam inter se iuxta communem modum loquendi, eadem artificialis forma moraliter reputatur.

41 Hinc infero, figuram naturalem rei creatæ, quæ dicitur passio quantitatis à locali partium positione, ac dispositione reipsa non dissidere. Probatur aperte, figura naturalis cæli empyrei, verbi gratia est quod sit quadratum, sed posita tamen partium ipsius dispositione, & coordinatione locali, quam de facto habent, quauis alia forma accidentali secluſa, cælum empyreum manebit quadratum, ergo cum tali partium positione ac dispositione locali præcisè cælum habebit figuram naturalem, quam de facto habet, ergo figura naturalis consistit solùm in positione ac dispositione locali partium & non in forma alia accidentali.

42 Sed obijciat quis: corpus Christi eamdem seruat figuram in cælo, & in Eucharistia, & tamen habet positiones locales longe diuersas, nam in cælo est commensuratum cum loco, in Eucharistia verò cum illo non commensuratur, sed est totum in toto loco, & totum in qualibet parte loci, ergo figura corporis Christi distinguitur reipsa ab eius positione locali. Respondeo corpus cuiusque viuentis, duplicem habere figuram, aliam organicam, aliam localem, figura organica est, quod partes illius ita sint organizatæ vt naturaliter petant talem extensionem & commensurationem cum loco, figura localis est ipsa partium actualis dispositio, & coordinatio in ordine ad locum, partes, ergo corporis Christi in cælo & in Eucharistia, eodem modo sunt organizatæ, & naturaliter petunt eamdem extensionem & commensurationem cum loco, & ideo corpus Christi in cælo & in Eucharistia retinet eamdem figuram organicam, at verò non habet in vtroque loco eamdem dispositionem & coordinationem actualem in ordine ad locum, vt conuincit argumentum, & ideo corpus Christi in cælo & in Eucharistia non habet eamdem figuram localem, sicuti nec eamdem localem positionẽ, à qua à talis figura à parte rei non distinguitur, hæc autem figura localis, non illa organica reperitur in omni ente naturali, & ideo dicimus figuram naturalem, quæ in omni ente creato inuenitur, non distingui reipsa à positione, ac dispositione locali, ita Pettus Hurtado disput. 14. physic. sectione quarta, num. 44. Arriaga disputatione sexta, physic. sect 2. num. 14. Carleton disput 15. physic. sectione secunda, estque inter recentiores ferme communis.

CAPVT VII.

Quid sit Ars, & an opera naturæ efficiat.

Capite secundo ostendimus qualiter ens naturale à natura distinguatur; & capite sexto quo pacto ens artificiale ab ente naturali dissideat; nunc ad pleniorem cognitionem restat, secundum quid sit ars, & qualiter se habeat cum ente naturali, & an opera artis efformet aut efficiat. 43

Quantum ad primum, Conimbricenses libro secundo physic. capite primo, quæstione sexta, articulo secundo, Plaça libro secundo physic. disputatione prima quæstione prima, plures referunt differentias, in quibus ars, & natura differunt, primo, quia ars non efformat arte facta, sed illam imitatur. Secundò, quia vnumens naturale producit aliud ens naturale, verbi gratia vnus equus producit alium equum, ens verò artificiale non producit aliud ens artificiale, neque enim cathedra germinat alteram cathedram, in ente naturali forma est substantia, in artificiali est accidens, formæ naturales sunt actiuæ & quasi viuæ, artificiales quasi stolidæ & emortuæ, nullam effectuum vim habentes, in entibus naturalibus, formæ sunt in omnibus partibus, vt ignis in omnibus partibus ignis, in artificialibus verò forma solùm est in superficie externa, vt forma cathedræ est solum in illius superficie, tandem ars, & ens naturale differunt, præcipue in hoc quod quando ars & natura adaliquod opus efficiendum conspirant, ars perficit naturam vt docet Aristoteles capite octauo, huius libri text. 79. quia illi tribuit ordinem & facilitatem vt contingit in arte pingendi, & saltandi, non tamen ex eo ars naturæ anteponitur, cum per accidens se habeat ad naturam, homo enim est qui depingit, & qui saltat, & solùm secundùm quid dici potest, quod ars sit perfectior natura, cum hanc exornet, & tribuat ordinem & facilitatem, simpliciter tamen natura est perfectior, qualiter autem ens naturale ab ente artificiali distinguatur, iam capite præcedenti diximus, ars autem cum non sit substantia, sed accidens, nempe habitus intellectualis, quo dirigatur artifex habitualiter id est quo facilis reddatur ad formandam actualem 44

directio

directionem, non potest esse de constitutiuo substantiæ, ergo ars nonerit de constitutiuo naturæ, qualiter autem ars vel forma artificialis, ab ente naturali dissideat, constat ex dictis. Videantur Conimbricenses supra, Complutenses disputatione septima de natura, quæstione vltima, Oña libro secundo, parte secunda, quæstione prima, articulo quinto, Plaça libro secundo physicorum, disputatione 1.q.1. Hurtado, Arriaga, Carleton, supra n.43. in fine & plures ingeniosi in manuscriptis.

45 Circa secundum, an scilicet ars possit efficere opera naturæ, multa referunt Conimbricenses libro secundo, cap. 1. quæst. 6. art. 1. Complutenses disp. 7. de natura quæst. vltima, Plaça libro primo, disput. 1. quæst. 2. Oña supra quæstione, Albertus magnus libro tertio, de mineralibus cap. 3. Henricus quodlibeto 5. quæst. 3. Cimara, S. Thomas 2. 2. quæstione 77. articulo 2. Mirandulanus lib. 9. & alij plures qui ostendere videntur artem efficienter concurrere ad opera naturæ adducti multis exemplis & instantijs, nam vt refert Arist. primo politicorum cap. 3. & 1. de anima cap. 3. text. 43. & Plato in Menone *Dedali statuas fuisse ita artificiosè compositas, vt huc & illuc ambulantes discurrerent*, & columbam igneam Architæ, ita artificiosè fuisse fabricatam, vt eam volitasse referat Fauonius apud Gellium lib. 10. noctium atticarum cap. 12. & Vallerius narrat fortunæ simulacrum Romæ bis loquutum fuisse, quod cum naturæ vi contingere non potuisset, talem loquutionem artificio euenisse, & consequenter artem posse naturæ opera efficere comprobant, tandem ex illo Exodi 7. vbi dicitur Magos Pharaonis viuos serpentes apparere fecisse, vt sentire videntur D. Augustinus 5. libro de Trinitate cap. 7. & D. Thomas de potentia quæst. 6. art. 5. Origenes homil. 13. in Marcum, & Alchymistas sua arte verum aurum efficere, ergo iam ars poterit opera naturæ efficere.

46 Assertio tamen sit, ars non potest per se & per veram efficientiam opera naturæ conficere, ita Arist. in hoc libro cap. 1. & 1. Politicorum videlicet capite tertio, D. Thomas ibidem & in 2. sentent. dist. 7. quæst. 3. artic. 1. & de potentia qu. 6. art. 1. Auerroës paraphrasi super primum de generatione animalium, Ægidius libro 3. quæst. 8. Auicenna in suis Metheororum commentarijs Caietan, Conimbricenses lib. 2. physic. cap. 1. quæst. 9. art. 2. Complutenses disp. 7. de naturà quæstione vltima, Plaça disp. 1. quæst. 1. Oña lib. 2. p. 2. quæst. 1. art. 5. Arriaga disput. 6. sect. 2. Petrus Hurtado disput. 14. sect. 4. Carleton disput. 18. physic. sect. 2. in fine, & omnium ferè Philosophorum schola. Probatur à priori, quia ars non tribuit virtutem physicam ad ponendos colores, sed solum dirigit virtutem physicam motiuam manus, dictando ei, vbi debeat tales colores reponere, sicut nec Magister qui dirigit mentem discipuli, non potest immediatè physicè concurrere ad actus illos, sed ad summum immittit signa quædam externa, quibus mens discipuli instruatur ad efficiendos sus actus, similiter vt in Logica diximus, habitus scientiæ non concurrit efficienter ad actus aliarum scientiarum, sed tantùm directiuè applicando præcepta.

47 Probatur secundò: nam ars est in se multo imperfectior ipsa natura. sed id quod imperfectius est, non potest physicè efficere id quod perfectius est, ergo ars non potest eleuari, ita vt opera naturæ efficiat. Maior est certa, nam omnis effectus debet præcontineri in sua causa, sed opera naturæ non possunt contineri in arte, neque per se, neque instrumentaliter, ergo ars nullo modo potest efficere opera naturæ, Maior est certa apud omnes, Minor quoad primam partem scilicet, per se opera naturæ non contineri in arte, ita perspicuum est, vt non indigeat probatione, nam opera naturæ aut sunt substantia vel accidens, sed neutrum continetur in arte, ergo quoad substantiam per se patet scilicet, non contineri, neque instrumentaliter opera naturæ in arte: sic etiam ostenditur, nam si semel ars attingeret instrumentaliter productionem rerum naturalium, ideo esset, quia natura vteretur ea arte tamquam virtute instrumentaria, sicut vtitur calore ad productionem ignis, atque natura nullo modo vtitur arte tanquam instrumento ad suos effectus producendos; ergo ars nullo modo post efficere opera naturæ.

Dici tamen potest vi aliena id est applicando naturalia actiua passiuis, aliqualiter artem efficere posse opera naturæ, vt contingit in medicina, quæ natiua herbarum virtute ægris reddit sanitatem, & in aliquibus artibus quæ adhibito igne, & alijs causis naturalibus, variè materiam immutant. Probatur, nam cum per scientiam illam perfectissimam quam habent, cognoscant euidenter virtutes naturales rerum, scient quoque sic actiua passiuis applicare, vt effectus naturales, quos intendunt in lucem edant, sic etiam dæmones diuersas formas animantium imperfectorum in materiam inferunt & eorumdem ope, Magos Pharaonis serpentes exhibuisse non adumbratos, sed veros, non quidem effectiuè, sed per quædam semina collecta, quæ haberent vim putrefaciendi & virgas, & in serpentes eas conuertendi, ita exponunt D. Thomas quæstione sexta, de potentia articulo quinto, ad 18. & D. Augustinus, ergo applicando actiua passiuis possumus dicere, artem aliqualiter posse efficere opera naturæ. 48

Ad rationem dubitandi positam, num. 45. Respondeo statuas, aliaque huius generis artefacta, non moueri à suis formis, nec ab arte, sed à natura, compositis intus latenti artificio machinali, neque motus illos, & loquutionem fuisse veros, sed factos illusione dæmonum, vel media aliqua causa naturali, ibidem inclusa & applicata per aliquam artem humanam vt contingit etiam in horologio, quod ex vi ponderis, quod ex artificio habet, mouetur continuò, hanc autem motionem non causat ars, sed natura per artem temperata, de Alchymistis autem, qualiter aurum efficiant clare loquitur D. Thomas in secunda dist. 7. quæst. 3. artic. 5. ad primum: videantur Conimbricenses supra quæst. 7. artic. 2. in fine & Complutenses quæstione vltima num. 67. 49

DISPVTATIO XIII.

Quid causa in communi, & quot causarum genera sint.

1 Qvinqve capita continebit: In primo causæ in communi definitio expenditur. In secundo, In quo consistat essentia causæ, & quem respectum dicat ad effectum. In tertio, qualis sit respectus causæ ad effectum. In quarto, an detur in Deo relatio transcendentalis ad creaturas. In quinto, causarum diuisio, & numerus explicatur.

CAP.

CAPVT I.

Cauſæ in communi definitio expenditur.

VArias recentiores philoſophi cauſæ in communi definitiones aſſignant, vt videre eſt apud Fonſecam lib.1.metaph.cap.2. quæſt.2.ſect.3. Conimbricenſes 2. phyſic. cap. 2. quæſt.1. artic.1. Suarez 1.metaph. diſp.12. ſect.2. Rub. de cauſis in communi, Complutenſes diſp.8.de cauſis in communi. Petrus Hurtado diſput. 8. phyſic. Arriaga diſp.7.de cauſis in communi, Auerſa 1.tom.phyſic. quæſt.12. de rerum cauſis ſect. 1. Murçia, Plaça, Oña, Thomam Carleton diſp. 28. phyſic. ſect.1. & alios iuniores & antiquos, & in Log. diſput.35. cap.2.adnotauimus.

Nos verò cum nullam certam ab Ariſt. habeamus definitionem, debemus examinare aliquas, quæ variè à Philoſophis traduntur; Conimbricenſes & Fonſeca eodem modo videntur aſſignare definitionem cauſæ in communi, dicentes *cauſam eſſe id à quo aliquid per ſe dependet*, hæc autem definitio non aſſignat diſcrimen inter cauſam & principium, influere enim cum dependentia non conuenit principio, cauſa verò ſemper influit cum dependentia. Secundò, quia etiam effectus dependet ab aliquibus conditionibus, vt à diſtantia & approximatione cum cauſa, & tamen illæ conditiones non ſunt cauſæ; ergo, &c. Tertiò, quia aliud eſt dependere ab alio, aliud recipere ſuum eſſe, qui enim pendet ab alio non habet ſuum eſſe à ſe, ſed acceptum ab alio tanquam cauſa, principium autem poteſt dare principiato ſuum eſſe, ſine tali dependentia, ergo hæc definitio cauſæ non conuenit omni principio influenti, & cauſanti.

Pater Suarez ſuprà & Rub. aliam videntur tradere definitionem cauſæ, *cauſa phyſica in communi eſt principium influens per ſe, eſſe in aliud*, ſeu vt ait Rub. in effectum, ſed neque hæc definitio aliquibus arridet, Primò, quia non apertè indicat differentiam inter influendum & dependendum: Secundò, quia etiam ipſe Suarez in 3.part. docet Chriſtum Dominum ſeipſum producere in Euchariſtia, & eſſe ſui cauſam ſaltem moralem; ergo non eſt de ratione cauſæ influere eſſe in aliud. Tertiò; quia etiam principium influit eſſe in aliud, Pater enim, qui eſt aliud ſuppoſitum à filio diſtinctum, per ſe influit eſſe in aliud ſuppoſitum, & tamen Pater non eſt cauſa filij; ergo ea definitio non eſt propria cauſæ & principij.

Quare D. Thomas in hoc 2. lib. lect. 10. aliam tradit ferè ſimilem præcedenti, quæ clariùs explicat differentiam inter cauſam & principium. *Cauſa eſt ad quam ſequitur eſſe alterius.* Et opuſc.31. *Cauſa eſt id, ex cuius eſſe ſequitur aliud*, & idem quæſt.10. de potentia art. 1. ad 3. dicemus enim cauſam ad quam ſequitur aliud, in iis enim definitionibus ad rationem cauſæ indiſpenſabiliter requiritur non ſolum, quod influat per ſe in effectum, ſed etiam quod medio illo influere, effectus dependeat à cauſa: Secundò, quod illud, in quo per ſe influit cauſa ſit aliud ſaltem numerice diſtinctum ab illo eſſe, quod eſt in cauſa; requiritur ergo ad hoc vt ſit cauſa quod indigeat influxu alterius habentis eſſentiam, vel ſpecie, vel numero diſtinctam ab eo, quod eſt propriè cauſa, principium autem non ſic ſe habet vt clarè demonſtrat D. Thomas 1.part. quæſt. 33. art.1. ad 1. his verbis. *Vnde hoc nomen cauſa videtur importare diuerſitatem ſubſtantiæ, & dependentiam alicuius ab altero, quam non importat nomen principij.* In omnibus enim cauſæ generibus ſemper inuenitur diſtantia inter cauſam, & id, cuius eſt cauſa, ſecundùm aliquam perfectionem aut virtutem. Et concludit, quod non habet nomen principij.

Hæc autem definitio in paucis differt ab ea, quæ traditur à Suario ſupra, quæ ſic explicanda eſt, *Verbum illud primum*, ponitur loco generis, quia per id conuenit cauſa cum aliis principiis, quæ verè cauſæ non ſunt, qualia ſunt priuatio, quæ eſt principium, & non cauſa generationis, & Pater æternus, qui etiam eſt principium, & non cauſa, filij diuini: reliqua verba ponuntur loco differentiæ, per illa enim differt cauſa ab aliis principiis, quibus verè non conuenit ratio cauſæ, nam per ly influens excluditur priuatio, quæ in generationem, cuius eſt principium, non influit per ly per ſe, excluditur cauſa per accidens, quæ ad effectum non per ſe, ſed per accidens concurrit; per ly eſſe in aliud, aliqua excluduntur principia, quæ licet per ſe & phyſicè terminos ſuos producant, tamen non influunt eſſe in aliud ſimpliciter, ſeu alterius quod idem eſt, & ideo cauſæ non ſunt vt ſtatim explico, nam ly eſſe alterius vel ſequitur aliud, denotat quod tale eſſe non ſolum ſit per verum influxum, ſed in aliud in eſſentia, ſcilicet genere vel numero diſtinctum, quod principio non conuenit, vt optimè concluditur ex verbis D. Thomæ 1 p. quæſt. 31. art.2.ad 4. Vbi docet, quod *ly aliud* denotat prædictam diſtinctionem in eſſentia, ſecus verò ly alius, neutrum genus eſt in forma, maſculinum autem eſt formatum & diſtinctum & ſimiliter fæmeninum, & ideo per neutrum genus ſignificatur eſſentia communis, per maſculinum autem & fæmininum aliquod ſuppoſitum determinatum in communi natura, vnde etiam in rebus humanis, ſi quæratur, quis eſt iſte, Reſp. Socrates, ſi autem quæratur quid eſt iſte, Reſp. animal rationale, & ideo quia in diuinis diſtinctio eſt ſecundum perſonas, non autem ſecundum eſſentiam, dicimus quod Pater eſt alius à filio, ſed non aliud, & è conuerſo dicemus, quod ſunt vnum ſed non vnus.

Quia vero definitio D. Thomæ aliquibus obſcura apparet, quia ly, ſequitur, non magis ſignificare videtur, ſequelam per influxum, quam per dependentiam, ideo ratio cauſæ & principij accuratius explicanda eſt, cum res ita grauis ſit, vt explicet nobis diuinam Verbi generationem, & proceſſionem diuinarum perſonarum & productionem creatarum rerum à ſuis cauſis & principiis, & à nobis per aliquas obiectiones definitio tradita clare explicanda eſt, & communis Theologorum doctrina in materia de Trinitate ingenioſe tutanda.

Obiiciat quiſpiam primò, Pater æternus eſt principium influens per ſe & phyſice eſſe in aliud ſuppoſitum diuinum, nimirum in perſonam filij diuini, quæ eſt ſuppoſitum aliud, ac diſtinctum reipſa à perſona Patris, vt fides docet, & tamen Pater æternus non eſt cauſa filij diuini, vt Patres Latini teſtantur, alioquin, ſi Pater eſſet cauſa filij, filius diuinus eſſet effectus Patris, ac per conſequens eſſet factus, quod eſt contra ſymbolum Nicænum, vbi de filio Dei dicitur, *genitum non factum*; ergo cauſa non eſt præciſe principium influens per ſe, & phyſice eſſe in aliud.

Dicat quis primò, ad rationem cauſæ requiri, quod ſit influens eſſe in aliud ſimpliciter, filius autem Dei non eſt aliud ſimpliciter à Patre, ſed idem in natura cum illo, ſed ſolum eſt aliud ab illo ſecundum quid, hoc eſt aliud ſuppoſitum, & ideo Patrem æternum non eſſe cauſam filij

diuini, ita Suarez tom.1. metaph. disp.12. sect.1. num.6. & Valentia tom.1. disp.2.quæst.7. punct.1. & alij communiter. Sed non satis difficultatem euacuant, rationem enim non reddunt, quare de ratione causæ sit influere esse in aliud distinctum etiam in natura; & non sufficiat influere physice in aliud distinctum in supposito, arguo sic, tam est de ratione principij influere in aliud, quam de ratione causæ, quia sicut causa dicit ordinem realem ad id, quod causat, & ideo non potest causare seipsam, sed aliud ab illa distinctum, ita principium dicit ordinem realem ad id, quod producit, & ideo non potest producere seipsum, sed aliud ab illo distinctum, sed ad rationem principij sufficit influere physice esse in aliud tantum distinctum in supposito. Pater enim æternus est vere principium filij; ergo sufficit etiam ad rationem causæ influere esse in aliud tantum distinctum in supposito, nulla ergo redditur ratio, quare Pater in diuinis non sit etiam causa filij, sicut est principium illius.

9 Dicat secundò, ad rationem causæ requiri, quod terminus pendeat ab illa, filius verò æternus non verè dependet à Patre, & ideo Pater licet in illum influat, non est verè causa filij diuini; ita insinuat Vasquez tom.2. in 1. part. disp. 139. cap. 6. num.19. Sed nec omninò satisfacit, non enim explicat, quæ dependentia sit hæc, quæ est de ratione causæ, & quare illa non reperiatur in diuinis, arguo sic, ad rationem causæ non requiritur alia dependentia ex parte termini, nisi quod terminus ab illa fluat tanquam à principio, ita vt non possit esse sine illa, sicut enim causa est principium influens esse in aliud, ita terminus illius est tantum illud aliud, quod fluit à tali principio, sed filius diuinus ita fluit à Patre, vt non possit esse sine illo, sicut enim Pater æternus est principium influens in filium tanquam in aliud suppositum, ita filius diuinus est illud aliud suppositum, quod à Patre fluit; ergo inter Patrem, & filium datur tota illa dependentia, quæ ad rationem causæ requiritur, si autem dixeris ad rationem dependentiæ requiri quod id, quod ab alio fluit sit aliud ab illo etiam in essentia, non rem explicas, quia huius rationem inquiro.

10 Dicat tertiò, ad rationem causæ requiri, quod sit prior natura suo effectu, vt omnes vnanimiter confitentur. Parer autem in diuinis non est prior natura filio, quia esse aliquid prius natura alio est, quod possit concipi non concepto illo. Pater autem non potest concipi non concepto filio diuino, quia correlatiua simul concipiuntur, atque ita Pater in diuinis non est prior natura filio, & idcirco Patrem æternum non esse causam filij; ita docere videtur Molina 1.p. quæst.33. art.1. disp.3. Cui alij recentiores subscribunt: Sed non placet primo, quia si vnio, quæ se tenet ex parte animæ rationalis, qua ipsa vnitur materiæ ex eleuatione Dei per potentiam obedientialem physice produceret ipsam materiam quod in sententia illorum recentiorum non repugnat, verè vnio illa esset causa materiæ primæ, & tamen iuxta eorum explicationem, talis vnio non esset prior natura, quam materia, non enim posset concipi, non concepta etiam materia ipsa, cum habeat essentialem connexionem cum illa; ergo ad rationem causæ non requiritur, quod sit prior natura suo effectu modo ab illis explicato. Secundò, quia Pater & filius iuxta probabilem Theologorum sententiam, ita influunt per se, & physice in Spiritum sanctum, vt possint concipi in aliquo priori Pater & filius, non concepto Spiritu sancto, qua ratione Vasquez tom.2. in 1.part. disput.142. cap.1. num.20. defendit, Verbum diuinum non procedere formaliter ex cognitione Spiritus sancti, ergo Pater & filius iuxta horum recentiorum sententiam erunt priores natura Spiritu sancto, ac per consequens erunt causa Spiritus sancti, quod æquè est falsum ac dicere, Patrem esse causam filij. 11

Hæc tamen solutio est vera, sed aliter explicanda est. Obserno primò, omnem causam esse necessariò priorem natura suo effectu, hoc non potest alio ex capite probari, cum solum pendeat ex libera hominum acceptione, quam ex communi omnium Philosophorum sententia, qui id vnanimiter asseruerunt, maximè ex Aristotele qui in postprædicamentis cap. de modis prioris apertè dixit causam esse natura priorem suo effectu, cui omnis schola communi suffragio adhæret. Obseruo secundo, esse rem aliquam priorem natura, quam aliam, nihil aliud esse, quam quod hæc secundum suam naturam fluat, & dependeat ab illa non verò è contra. Probatur, esse aliquid secundum se prius origine, quam aliud est formaliter, quod istud secundum se pendeat, vel oriatur ab illo, non verò è contra; ergo esse aliquid prius natura, vel secundum naturam quam aliud, erit formaliter, quod istud secundum suam naturam fluat & dependeat ab illo, non verò è contra, quod expressit Aristoteles 5.met. cap.11. inquirens, *quædam verò (scilicet) sunt priora, secundum naturam & substantiam, quæcumque contingunt absque aliis esse, ista verò absque illis minime.* Obseruo tertiò, id quod secundum suam naturam fluit, ac dependet ab alio, habere necessariò naturam limitatam & finitam. Probatur, id quod secundum suam naturam fluit, & dependet ab aliquo agente, habet in se naturam aliquam ab illo agente productam, scilicet vel naturam diuinam vel naturam limitatam & finitam, quia extra naturam diuinam, omnis alia natura est limitata & finita, sed non potest habere ab agente in se productam naturam diuinam, quia natura diuina, cum increata sit, non potest ab alio produci, nec à seipsa, quia nulla res, valet producere seipsam; ergo id quod ab alio secundum suam naturam fluit & dependet, habet necessariò in se productam naturam aliquam limitatam & finitam. 12

Respondeo ergo obiectioni, ad rationem causæ requiri, quod sit prior natura suo effectu, hoc est, quod effectus secundum suam naturam fluat & dependeat ab illa, atque ita quod sit aliud simpliciter & absolutè etiam in natura distinctum ab ipsa causa, vt causæ definitio exigit. Pater autem in diuinis non est prior natura filio diuino, filius enim secundum suam naturam non fluit nec dependet à Patre, alias non haberet in se naturam diuinam, sed naturam finitam & limitatam vt num. 6. monstratum est; & ideo Patrem in diuinis non esse causam filij, atque ita tres illæ solutiones supra factæ hac explicatione fulciuntur. 13

Obijciat secundò principaliter, Verbum diuinum influit per se, & physice in humanitatem Christi, cum illam per se, & physice sustentet, & tamen non est causa illius, alioqui aliquam haberet Verbum diuinū causalitatem ad extra, quam non haberet Pater, & Spiritus sanctus, quod dici non potest; ergo causa non est præcisè id, quod per se & physice, influit in aliud. Resp. Verbum diuinum sustentare humanitatem, non quidem vt eius principium à priori, sed vt eius complementum à posteriori requisitum ad eius conseruationem, & ideo verbū vt præcisè habet humanitatem, non influit in illam,

illam, nec eſt cauſa illius, ad hoc enim requiritur, quod illam ſuſtentet à priori, ſed vrgeat, ergo ſaltem Verbum diuinum erit cauſa totius compoſiti, quod eſt Chriſtus, cum tale compoſitum pendeat etiam à priori ab ipſo Verbo diuino, in nullo enim priori poteſt intelligi ſine illo. Reſpondeo Verbum diuinum eſſe cauſam intrinſecam componentem reſpectu illius compoſiti, quæ quidem vere & propriè non eſt cauſa, cum non tribuat eſſe aliud atq; diſtinctum eſſe ipſi compoſito, ac proinde non influat in illud, quod eſt de ratione cauſæ, eſſe autem Verbum diuinum cauſam componentem non per modum partis, quod incompletionem & imperfectionem includit, ſed per modum termini complentis, & perficientis humanitatem, & cum illa intrinſece componẽtis compoſitũ, quod eſt Chriſtus, hoc verò genus cauſalitatis impropriæ, quod nihil aliud eſt quam componere, bene poteſt conuenire Verbo, licèt Patri, & Spiritui Sancto non cõueniat.

14 Hinc infero cauſalitatem phyſicam in communi eſſe rationem illam per quam principium actu influit per ſe, & phyſicè eſſe in aliud. Probatur, cauſalitas eſt id, per quod formaliter cauſa actu cauſat; ſed cauſare in communi eſt principium influere per ſe & phyſicè eſſe in aliud, ergo cauſalitas phyſica in communi erit illa ratio, per quam principium actu influit per ſe & phyſicè eſſe in aliud.

15 Sed inquiris, an cauſa vt ſic dicat reſpectum realem ad ſuum effectum. Reſpondeo cauſam omnem etiam increatam dicere ordinem realem tranſcendentalem ad ſuum effectum. Probatur, quando res aliqua non dicit reſpectum realem ad aliam, poteſt omnino comprehendi non concepta alia, v. g. quia lapis non dicit reſpectum realem ad formicam, poteſt comprehendi non cognita formica, ſed cauſa etiam increata non poteſt comprehendi non cognito etiam eius effectu ſaltem vt poſſibili, ergo cauſa etiam increata dicit reſpectum realem ad effectum. Conſequentia eſt euidens cum maiori. Minor patet, quia qui comprhendit cauſam, debet clariſſimè cognoſcere illam eſſe aptam producere, talem, & talem effectum, ergo debet etiam neceſſario cognoſcere talem effectum; quod verò talis reſpectus ſit tranſcendentalis conſtat, quia ſaltem aptitudine exercet aliquod munus circa terminum, ſcilicet cauſare illum, nec illum reſpicit gratis, quod quidem eſt de ratione reſpectus tranſcendentalis, vt oſtendi in Logica diſput. 17. cap. 2. num. 12. vnde cum entitas diuina dicitur abſoluta, debet intelligi abſoluta à reſpectu prædicamentali, non verò à reſpectu tranſcendentali, etenim viſio diuina Petri eſt etiam entitas diuina, & tamen dicit reſpectum realem tranſcendentalem ad Petrum, cum in illum realiter tendat, & illum verè reſpiciat, vt cap. 3. latius explico.

CAPVT II.

In quo conſiſtat eſſentia cauſæ, & quem reſpectum dicat ad effectum.

16 QVælibet cauſa creata proximè ad operandum expedita, plura in actu primo, requirit. Primò entitatem cauſæ, v.g. ignẽ actu exiſtentẽ ad producendum alium ignem. Secundò paſſum. Tertiò approximationem, ſeu applicationem ad illud. Quartò demum concurſum Dei in actu primo paratum ad concurrendum cum cauſis ſecundis, quoties illæ velint, de cauſis etiam liberis eadem procedit difficultas quæ nimirum ſit voluntas, qua Deus ſuam omnipotentiam in actu primo applicat ad concurrendum cum illis ſine præiudicio libertatis.

17 Et in actu ſecundo, certum eſt cauſam in ratione cauſæ actualis, conſtitui per ipſam actualem cauſalitatem, vt videre eſt in viſu, qui in ratione videntis conſtituitur & per ſuam entitatem tanquam per ſubiectum & per actum videndi tanquam per formam; ita agens, & patiens actu includunt proprias entitates vt ſubiecta, vel quaſi ſubiecta, quæ denominantur, & actionem & paſſionem tanquam formas per quas in actu ſecundo operantur, tota ergo controuerſia deuoluitur ad actũ primum per quid, ſcilicet cauſa tam neceſſaria quam libera in actu primo conſtituatur ad proxime operandum.

18 Quidam recentiores Theologi apud Hurtadum diſput. 8. ſect. ſecunda & Arriagam diſput. 6. phyſic. ſectione ſecunda, & Thomam Carleton diſput. 8. phyſic. ſect. 5. & 6. opinantur cauſam in actu primo includere duo, & ipſam entitatem cauſæ, & actionem poſſibilem, per quam tendat in terminum cauſandum, hanc in obliquo, illam verò in recto, ſicut album includit duo, & ſubiectum in recto, & albedinem in obliquo.

19 Probant primò, quia cauſa in actu ſecundo, dicit actionem, ſeu influxum exiſtentem, per quam conſtituitur actu cauſans, ſicut ſubiectũ per albedinem conſtituitur album, ergo cauſa in actu primo debet includere ipſam actionẽ in actu primo, videlicet vt poſſibilem, conſequentia patet, quia id quod rem conſtituit in eſſe exiſtentis, debet eam conſtituere in eſſe poſſibilis, v. g. quia homo in eſſe exiſtentis conſtituitur per rationalitatem & animalitatem, debet etiam homo poſſibilis conſtitui per animalitatem & rationalitatẽ poſſibilem, ergo ſi per actionem actualem, ſeu influxum actualem conſtituitur cauſa actu cauſans, per actionẽ vt poſſibilem conſtituitur in ratione potentis operari, ſeu in actu primo.

20 Probant ſecundò: cauſa in actu primo conſtituitur formaliter per entitatem abſolutam & relatiuam ſecundum dici connotando in obliquo relationem, tranſcendentalem, ſcilicet, cauſalitatem poſſibilem, ergo ſicut cauſa actu cauſans dicit cauſalitatem ſeu actionem actualem per quam in actu ſecundo cauſans cõſtituitur, ita cauſa in actu primo dicitur cauſa ſaltem in actu primo per quẽ proxime potens ad cauſandum conſtituitur, antecedens probatur inductione in diuinis 1. p. q. 41. art. 5. & in 1. diſt. 7. q. 1. artic. 2. nã potentia generatiua ſpiratiua in Deo conſtituitur in recto per aliquid abſolutum & relatiuum ſecundum dici connotando in obliquo relationem, ergo potentia creatiua ſeu omnipotentia, non dicitur reſpectus in recto, ſed in obliquo, vt late conſtat apud Vaſquez. 1. part. diſp. 104. cap. 6. alia argumenta vide apud citatos auctores.

21 Hanc opinionem merito impugnant Arriaga, Carleton & alij iuniores & ad eius intelligentiam præmitto duplicem eſſe actum primum, alium Logicum, alium Phyſicum: actus primus Logicus nihil eſt aliud, quam non repugnantia ſeu poſſibilitas rei in ordine ad exiſtendum, v. g. Antichriſtus modò habet actum primum Logicũ quia habet poſſibilitatem ad exiſtendũ, ſic tamẽ actus primus Logicus, idem eſt cum actu ſecundo Logico, id eſt cum re exiſtenti, quia res poſſibilis, & res actu exiſtens penes ſecundum ſtatum diſtinguuntur, cum prædicata eſſentialia rei poſſibilis & exiſtentis eadem omnino ſint. Actus verò primus Phyſicus eſt virtus effectiua & productiua alicuius rei, verbi gratia virtus, quam Deus habet ad producendam creaturam eſt actus primus phyſicus Dei, hi duo actus primi in hoc diſtinguntur, quod logicus non eſt productiuus, neque enim Petrus

possibilis est productiuus sui ipsius vt existentis, actus verò primus physicus est vere productiuus actus secundi physici. Vnde ad argumentum Respondeo, quod licet actio vt possibilis habeat actum primum Logicum respectu sui ipsius vt existentis, actio tamen vt possibilis non habet actum primum physicum, respectu sui ipsius vt existentis, quia non producitur actio existens à se vt possibili, sicut neque ipse effectus vt possibilis constituit actum primum physicum sui ipsius, quare non solum producitur effectus, sed etiam actio illius; ergo sicut datur actus primus physicus respectu effectus, ita etiam debet dari actus primus physicus actionis, & consequenter causa in actu primo physico, vt productiua effectus, & actionis, neque per effectum, neque per actionem potest compleri, sed per propriam entitatem vt adæquate condistinctam ab vtroque.

22 Ad secundum argumentum, Respondeo negando entitatem causæ esse omnino absolutam & non dicere relationem transcendentalem ad effectum, nam causa per suam entitatem est productiua actionis & effectus, ergo hoc quod est producere effectum est illi aliquid essentiale, ergo per suam essentiam dicit talem ordinem ad effectum, ordo enim transcendentalis nihil est aliud quam ipsa rei entitas, quæ per se essentialem habet connexionem cum alio, ita vt si illud aliud redderetur impossibile, hoc etiam necessario in chimeram abiret, quæ doctrina in qualibet re creata fit manifesta, materia enim prima essentialiter petit formas possibiles à quibus possit compleri, ergo dicit essentialem ordinem ad illas, quæ si redderentur impossibiles, periret ipsa materia. Similiter accidens essentialiter est in alio petens essentialiter subiectum possibile, cui possit inesse, non minus ac quælibet res creata, quæ est ens ab alio, essentialiter petit aliquam causam esse illius productionis, saltem Deum, sed non minus est de intrinseco & essentiali conceptu accidentis esse in alio, quam esse ens ab alio, ergo si subiectum redderetur impossibile, etiam accidens & causa illius productionis omnino periret. Idem manifeste ostenditur in hominis essentia, quæ essentialiter est principium actionis sensuum & intellectus, ergo quàm certum est, quod sit homo, tam certum est petere vt sint possibiles operationes tam sensitiuæ, quam intellectiuæ, quibus redditis impossibilibus, etiam earum principium scilicet essentia hominis redderetur impossibilis, ac tandem ostendo veritatem huius asserti, in Angelo qui essentialiter est completus, dicens essentialiter negationem compartis aptæ cum ipso ad totum aliquod substantiale constituendum, econtra verò anima rationalis quæ essentialiter est incompleta & in hoc ab Angelo diuersa, essentialiter petit, partem possibilem, ergo sicut implicaret anima, eius comparte repugnante, ita Angelus mutaret essentiam cum possibilitate compartis; relinquitur ergo vt certum, materiam primam & quamlibet rem creatam, & causam seu potentiam actiuam vel passiuam dicere relationem transcendentalē ad suas formas vel effectus, taliter vt illis deficientibus seu repugnantibus, omnino perirent & repugnarent illæ. Consule de hoc præcipue Petrum Hurtado disput. 8. physic. sectione secunda, Arriagam disputatione septima, physic. sectione secunda, Thomam Carleton disputatione quinta physic. sectione prima, Ouiedo & ex Antiquis Platonem in Theæteto.

23 Pater etiam Fonseca 5. met. capite secundo, quæstione decima tertia, & sectione tertia, contendit causalitatem non esse quid distinctum à causa, sed esse ipsam causam non secundum se, sed vt concurrentem actu in effectum, cui expresse fauere videntur Complutenses disputatione decima physic. quæstione octaua, num. 133. Masius in præsenti quæstione tertia, & P. Ouiedo controuersia 10. met. parte quarta numero quinto & vndecimo, & ex antiquis Soncinas 5. met. quæstione quarta, Iauellus & alij, & probat primo, quia illa est causalitas causæ efficientis, qua posita statim intelligitur efficiens & condistincta ab alijs, sed causa efficiens per ipsum agere & efficere effectum distinguitur ab alijs causis, ergo non est necessaria alia causalitas distincta ab agere & efficere.

Secundo, id quod vltimo ponit causam in actu causandi debet esse eius causalitas, sed efficere & exercere actionem est vltimum quod ponitur in actu causandi, ergo illud erit eius causalitas. Tertio, causalitas ipsa pendet à causa, sed non media alia actione, ergo causalitas causæ efficientis non est distincta ab ipsa causa, sed est causa vt actu influens in effectum, vnde secundum D. Thomam quæstione secunda, de potentia articulo primo agere nihil aliud est, quam communicare illud, per quod agens est actu, atqui est agens in actu per ipsum efficere, ergo causalitas agentis non est aliquid ab ipsa causa distinctum.

Arbitror tamen breuiter dicendum, causalitatem esse quid distinctum ab ipsa causa & effectu. Ita communiter recentiores, Suarez, disputatione duodecima, met. sectione secunda, numero vndecimo, & disputatione decima octaua, sectione decima, Conimbricenses 2. physic. capite septimo quæstione sexta, Rubius tract. de causa efficiente quæstione prima, Auersa tomo primo physic. quæstione vndecima, de rerum causis sectione secunda, non dissentiunt in re Complutenses supra, & Plaça 2. physic. disputatione secunda quæstione prima, Oña, Hurtado, Arriaga disputatione 4 sect. 1. & Carreton supra enumerati. 24

Probatur primò, causalitas est, qua mediante causa causat suos effectus, sed non potest dici causa causare mediante se ipsa aut esse suusmet actus causandi, ergo causalitas est quid distinctum à causa, cum causalitas sit quid consequens ad causam, prius est enim causam habere suum esse, & entitatem quam causare alios effectus, ergo signum est causalitatem reipsa distingui ab ipsa causa. 25

Confirmatur primo, existit causa non existente causalitate physica productiua effectus, verbi gratia, existit sol & quælibet causa, non adhuc exercens, & habens effectum vel actum illuminationis, materia modo non exercet causalitatem circa formam quam postea suscipiet & compositum quod postea constituit, & aliæ causæ possunt permanere causæ etiam post transactum actum, hoc est causalitatem & influxum; ergo euidens est causalitatem esse quid distinctum ab ipsa causa & effectu. Confirmatur secundo, quia etiam effectus potest sæpe realiter existere sine causalitate, nam transeunte ipso influxu, & actu causandi, permanet effectus, sic enim permanent calor & ignis post generationem, qua productus est. Alia multa constabunt de causalitate ex dicendis de singulis causis. Confirmatur tertio, potest esse in rerum natura hæc causa, & hic numero effectus, quin hæc producat illum & ille producatur ab hac, ergo hoc quod est hunc effectum produci ab hac causa, aliquid est distinctum ab illa & ab effectu simul sumpto, Consequentia est euidens, antecedens probatur, quia ignis A.

verb. gr. qui in primo instanti producit ignem, B. in secundo instanti non producit illum, sed tunc ignis B. conseruatur à solo Deo, &tamen in secundo instanti manet in rerum natura,& ignis, A. & ignis B.ergo ,potest ab vtroq; separari hoc quod est vnum produci ab alio,sicut hic numero homo, qui de facto à Ioanne productus est,potest vel naturaliter vel miraculose ab altero homine produci, ergo hoc quod est actu produci ab hac causa,aliquid est distinctum ab illa & effectu simul sumpto.

Nec argumenta Fonsecæ quid probant contra nostram sententiam, quia illa intelliguntur de causalitate in actu secundo,& hoc modo proprium esse causæ efficere & agere & influere in effectum, hoc tamen non tollere causalitatẽ & actionem per quam causa attingit, efficit,& transit de actu primo,ad secundum,& hoc insinuat D.Thomas de veritate q.5. art. 3. ad 4. dum,ait *quod agere secundum propriam rationem importat hoc quod est habere actum,seu actionem aliquam exercere*, vides quomodo ,non causa per se sola,sed per propriam actionem operatur, & agit suos effectus, 26

Ex dictis deduco causam in actu primo præter entitatem propriam illius dicere concursum generalem Dei paratum ad concurrendum cum creaturis ad omnes earum operationes,qui concursus generalis creaturis prout res tulerit, nunc ad hunc effectum, nunc ad alium applicatur, dum vel causæ liberæ ad operandum se determinant, vel necessariæ in variis circumstantijs positæ, effectus suos quodam naturæ impetu producunt, in operando verò ab alijs conditionibus supra enumeratis num.16. pendere, qualiter autem talis concursus sit generalis & in actu primo indeterminatus, infra explicabitur;ratio verò positionis est generalis, quia huiusmodi entitates causarum petunt compleri non solum generali Dei concursu,sed etiã alijs comprincipijs, à quibus in operando dependent, sol verbi gratia petit generalem Dei concursum, non solum vt lux ab ipso oriatur, sed etiam vt oriatur illuminatio, completa autem causa,oriuntur lux & illuminatio,& tunc dicitur causa in actu primo cum per suam entitatem & concursum habeat, quidquid requirit ad producendum effectum. De causis verò liberis ad producendum & non producendum cum positis omnibus requisitis, potest operari, agunt latius Theologi, & nos in Metaphysica & supra Petrus Hurtado, Arriaga, & Carleton disp.28. physic.sect.5. & 6. 27

CAPVT III.

Qualis sit respectus causæ ad effectum,

Diximus capite præcedenti omnem causam dicere ordinem transcendentalem ad suos effectus,quærimus nunc an iste respectus transcendentalis causæ ad effectum sit in particulari, an verò in communi, verbi gratia, an ignis respiciat hunc numero calorem quem potest producere, taliter quod, si talis calor esset impossibilis etiam ignis redderetur impossibilis, aut taliter respiciat ignis calorem in communi, vt non dependeat possibilitate huius in particulari, quæ difficultas communis est ad omnes potentias tam externas quam internas, verbi gratia potentiæ visiuæ respectu visionum, intellectiuæ respectu cognitionum & volitiuæ respectu amoris. 28

Nonnulli recentiones opinantur respectum causæ & potentiæ solum esse ad effectum in communi,non verò ad hunc vel illum effectum in particulari, vnde consequenter inquiunt, implicante quocumque effectu in particulari, neque causam nec potentiam implicare, quia non respiciunt hanc formam vt hanc, & hunc effectum vt hunc, seu secundum vltimam differentiam indiuidualem, sed secundum rationem aliquam communem, v. g. respectus potentiæ visiuæ solum esset ad colorem vt sic,non verò ad colorem & nigredinem in particulari, ita vt si impossibilis esset albedo, dum modo possibilis esset aliquis color,maneret eadem potentia visiua,similiter causa,etsi repugnaret hic numero effectus, cum verò alij producibiles essent maneret eadem numero causa, & materia prima respectu formarum possibilium, etsi hæc numero forma impossibilis redderetur, eadem semper materia permaneret. 29

Probant primò,quia Deus determinat ad indiuiduationes actuum, ergo causæ secundæ, tantum respiciunt rationes communes: secundo obiectum visus est color vt sic, ergo non hic vel ille in particulari:tertiò causa per se primo respicit effectum in communi & secundario in particulari, ergo:quarto causa efficiens non respicit effectum in singulari, seu singularitatem illius formaliter, sed tantum realiter & identice,ego respicit in causa,& consequenter ex impossibilitate huius formæ vel effectus,nec causa nec potentia destrueretur. 30

Assertio prima sit, nulla potentia physica siue actiua siue passiua respicit aliquam rationem communem à singularibus abstractam sed respicit actiones particulares vt particulares ita Petrus Hurtado disput.8.sect.3, num.57. Arriaga disp.7. Physic. sect.3.num.29. Thomas Carleton disp.7. physic. sect. 1. concl.5. numero septimo, Molina in articulo tertio, disputatione secunda Gregorius quæstione tertia Prologi, Aureolus, commentator 4. met. commento 2. D. Thomas quæstione prima, de potentia articulo secundo, Nominales Vasquez prima parte, quæstione prima, disputatione septima, & alij recentiores ingenioſi in manuscriptis. 31

Probatur primò à priori in causa efficiente, quæ respicit omnes suos effectus vt producibiles & vt existentes vel saltem vt aptos existere à parte rei, sed vt producibiles & vt existentes à parte rei sunt formalissime singulares, ergo causa efficiens respicit suos effectus formalissimè vt singulares, Maior est certa quia causa vt causa est essentialiter ratio producendi effectum, Minor probatur, quia nihil in rerum natura etiam de potentia Dei absolutâ potest existere non singulare, vt latè constat in Logica tractatu secundo, de vniuersalibus & vlteriùs probatur, quia causa tendit in effectum media actione, sed actio non potest efficere nisi singulare, ergo, &c. 32

Probatur secundò, terminus potentiæ physicæ est existens vt formaliter existens, sed omne existens vt existens est singulare, ergo terminus potentiæ physicæ est singularis, Maior patet quia potentia physica constituitur comparatione rei vt existentis, cùm essentia sine ordine ad existentiam non possit causare, actiones enim sunt suppositorum: Minor probatur quia vniuersalia formaliter non sunt à parte rei, sed tantum intentionaliter in intellectu, homo enim, animal, Petrus & alia prædicata à parte rei sunt eadem entitas, & vnum indiuiduum, sed omne indiuiduum est singulare; ergo omne existens vt existens est 33

singulare, quæ latè constant ex Logica, ergo causa seu potentia physica non respicit effectus secundum rationes communes, sed secundùm rationes particulares.

34 Dices; ideo Deus substantiam vel hoc accidens producit, quia est ens, ergo Deus vt Deus rationem tantùm communem entis respicit in quolibet actu; ergo & causa creata respicit solam rationem communem. Respondeo negando antecedens, Deus enim ideo producit ens, quia est hæc substantia, quia generationes & corruptiones per se sunt singulares, vt docet Aristoteles 1. met. cap 1. nam quia Petrus currit, homo currit, animal viuens, &c. quia hæc omnia vel cum sint actiones, vel eas necessario requirant debent primò, & per se ratione nostra in individuis exerceri, hominem enim nō nisi per accidens curat, qui medetur, quia generationes omnes & actiones, primò & per se versantur circa singularia, vt passim ex Aristotele docent omnes Philosophi, ergo Deus non producit aliquam rationem communem, sed rationes particulares rerum: præterea vt latè in Logica disput. 5. capite secundo, & disputatione septima, de præcisionibus diximus, ratio communis in effectum non distinguitur à parte rei à ratione indiuiduali, ergo non potest à parte rei respici vna & non alia, homo enim vt sic formalissimè ex parte obiecti sunt omnes homines in particulari, & collectiue sumpti, licèt ex parte actus intellectus includant cōfusionem: similiter potentia visiua respicit coloratum non vt abstractum, à coloribus, sed omnes colores in particulari non tamen cum confusione ex parte actus, quia potentia visiua non respicit actum confusum, quia hunc actum non potest visus videre, sed solùm respicit obiectum huius actus, & sunt omnes colores in particulari, & sunt immediatus terminus potentiæ visiuæ, ergo hos colores respicit essentialiter, non aliquam rationem communem coloris abstractam, non minus ac conceptus *homo* ex parte obiecti respicit Petrum, Franciscum, Antonium, & alios, ergo dum dicimus potentiæ visiuæ respondere ex parte obiecti coloratum vt sic idem est ac dicere & respondere albedinem, nigredinem &c. quæ formaliter ex parte obiecti constituunt coloratum vt sic, quæ omnia late & erudite persequitur Petrus Hurtado dicta sectione tertia & quarta.

35 Probatur tertiò assertio, de potentijs physicè actiuis & operatiuis, quia licèt concedamus intellectum respicere ens vt sic abstractum, ignis tamen producens calorem non potest respicere rationem caloris vt sic, quia calor vt sic non est producibilis etiam si vt sic sit cognoscibilis, nam potentia effectiua respicit suum terminum vt producibilem; ergo respicit in particulari & non in communi, imo etsi daremus formalitatem caloris vt sic produci, adhuc argumentum vrgeret, quia potentia productiua, non solum eam formalitatem, sed omnes alias produceret, potentia enim visiua similiter non respicit suum obiectum nisi medijs actibus, per nullum autem actum respicit colorem vt sic, sed per vnum actum respicit albedinem in particulari, per alium nigredinem &c. ergo obiectum potentiæ visiuæ erit aggregatum quoddam omnium obiectorum in particulari, non verò in communi vt sæpè dixi. Confirmatur, quia in potentia visiua posse videre albedinem & videre hanc in particulari, est aliquid essentiale ipsi potentiæ, cum hanc virtutem non habeat per aliquid sibi superadditum, sed per suam entitatem, sed hæc deficeret, si esset impossibilis hæc numero albedo, quia tunc non esset potentia videndi albedinem, si supponatur impossibilis, ergo deficit in potentia visiua, aliquod prædicatum essentiale illi identificatum. & consequenter tota potentia deficeret, sicut deficiente rationalitate deficeret tota hominis essentia.

Sed obijciat quis; ignis hic, & nunc productus, 36
non est hic numero, quia productus ab igne, sed quia à Deo, circunstantijs loci, temporis, &c. ergo ignis in ratione causæ in actu primo, non respicit ignem vt hunc, sed solùm vt ignem hoc est rationem causæ ignis. Respondeo, ignem intrinsecè & formaliter non esse singularem, quia procedit ab igne, Deo, & circunstantijs, sed per suam differentiam numericam, sicuti Petrus est homo hic per suam differentiam indiuidualem, seu per Petreitatem, qualiter autem causa prima, determinet secundam infra constabit, nec valet si vlteriùs dicas quod singularitas effectus seu eius indiuiduatio non relucet in causa, ergo causa non respicit effectum singularem, quia causa respicit effectum vt producibilem ab illa, & consequenter vt singularem & ita effectus hic numero relucet in causa, licèt non magis hic quam alius, quod sufficit vt causa respiciat effectum singularem.

Assertio II. intellectus non habet pro obie- 37
cto adæquato rationem aliquam vnam abstractam ab inferioribus. Ita auctores citati num. 31. in prima assertione. Probatur breuiter primò, quia intellectus per suos actus non solum repræsentat conceptum entis, sed etiam substantiam & accidens, & omnes eius differentias, ergo intellectus non tendit in aliquam rationem communem abstractam à singularibus, sed vt differunt in ratione talis entis. Secundò, intellectus cognoscit plura obiecta, quæ inter se sunt primò diuersa, vt Deū, & creaturas, creatum & increatum, corruptibile & incorruptibile, quæ in aliqua ratione communi intrinseca non conueniunt, ergo intellectus tendit in plura vt singularia. Tertiò, intellectus cognoscit siue directe & reflexe chimeram, entia rationis, priuationes & entia realia, sed ijs omnibus nequit dari vna ratio communis abstracta, vt constat disput. 10. de genere cap. 2. ergo intellectus pro obiecto adæquato non habet aliquam rationem communem abstractam ab inferioribus entis.

Dices, intellectus fertur in rationes communes, 38
quas abstrahit, & considerat vt constat toto tract. de vniuersalibus & præcisionibus, præscindit enim naturam animalis ab homine & equo, naturam humanam à Petro & Paulo, ergo potest intellectus habere pro obiecto adæquato & aggregationis aliquam rationem communem abstractam ab inferioribus. Resp. intellectum posse præscindere rationes communes ab inferioribus siue obiectiuè ex parte obiecti, siue formaliter ex parte modi, vt ibidem latè ostendi, has tamen rationes communes intellectum non habere pro obiecto adæquato, cum consideret rationes particulares, & singulares omnium obiectorum, nam etsi intellectus noster præscindat rationes communes ab inferioribus, illas tamen non separat ab illis, cum à parte rei sint realiter identificatæ inter se, ergo non solùm rationes communes sed etiam particulares vt particulares, sunt obiectum adæquatum aggregationis intellectus, nam licet hæc omnia conueniant in ratione entis, & veri, quia tamen intellectus per diuersos actus illa omnia considerat, etiam vt differunt in singulis, considerat etiam diuersam rationem entis & veri, vnde implicante Petro, implicaret actus illum repræsentans, & implicante actu implicaret potentia,

tia, vt in simili supra diximus n. trigesimo quinto.

Ex iis ad rationes dubitandi initio positas Respondeo & ad primam de determinatione causæ ad
39 suos effectus infra late constabit agentes de concursu causæ primæ & secundæ. Ad secundam constat non rationem coloris abstractam, sed omnes colores in particulari esse obiectum adæquatum potentiæ visiuæ, vnde Aristoteles dixit contraria spectare ad eandem potentiam, nec vnitas obiecti, est eadem ac potentiæ, quia hæc in se formaliter est vna, obiectum autem dicitur vnum vnitate fundamentali similitudinis, aut vnitate actus. Ad tertium Respondeo causam per se primò tendere in effectum vt ab illa producibilem, & ita respicere illum in particulari, & vt à parte rei existentem & singularem. Ad quartam dico à parte rei rationem communem, & singularem esse idem, & formaliter non magis vnam quam aliam respicere, cum non sit à parte rei vna & alia.

CAPVT IV.

An detur in Deo relatio transcendentalis ad creaturas.

Disputatione 27. Logicæ cap. 5. statui differen-
40 tiam inter relationem transcendentalem & prædicamentalem, & docui hanc respicere pure terminum, illam aliquod munus exercere in effectum, causalitatis, influentiæ, dependentiæ & alia, nihilque aliud esse quam ipsam rei entitatem quæ per se essentialem habet connexionem cum alia, ita vt hac implicante illa similiter implicaret, & cap. 3. ostendimus tam potentias passiuas ac actiuas, & omnes causas creatas dicere ordinem transcendentalem tam ad suas formas quam ad suos effectus non solum in communi sed in singulari & particulari, quærimus nunc an in Deo hæc relatio transcendentalis ad creaturas possibiles detur, & taliter cum illis connectatur vt ex impossibilitate illarum, ipse Deus impossibilis redderetur.

Duas inuenio de hac re sententias extreme
41 oppositas: prima asserit non dari huiusmodi relationem & connexionem essentialem inter Deum & creaturas. Ita Vasq. 1. p. disp. 204. cap. 6. citans Caiet. Capreolum, Scotum, Ferraram, & alios, Alarcon disput. 2. de scientia Dei, Ouiedo cap. 10. met. parte 4. num. 1. præcipuè P. Hurtado disput. 15. met. sect. 9. n. 104. & alij plures ex recentioribus. Henricus, Aureolus, Durandus, Bonauent. Ægidius, passim nominales Bas. Legion. in quolib. quæst. 8. Molin. Alarcon, Pesantius, Gamesius, Molin. 1. parte quæstione 34. articulo tertio disputatione vnica, Ripalda, Lud. Torres, Gilius, Rainaudus, Arrib. Præposit Becanus aliique plures. Secunda sententia asserit dari huiusmodi connexionem essentialem inter Deum, & creaturas, referrique ad illas relatione transcendentali, licet hoc videantur negare aliqui ex auctoribus admittentibus Deum connecti necessariò cum creaturis possibibus. Ita Suarez lib. 3. de attributis negatiuis cap. 9. num. 13. lib. de Trinitate cap. 2. num. 18. Erice 1. p. disp. 5. num. 48. Taner. 1. p. disp. 4. q. 4. dub. 3. n. 31. & 32. Meratius de Deo disp. 18. sect. 2. Granad. 1. p. cap. 6. disp 1. sect. 5. Arriaga disp. 7. physic. sect. 2. num. 20. Carleton disp. 6. physic. sect. 1. & 2. Caiet. Bañez, Aluelda, Zuniga, Suarez, Fassolus, Ruiz, Salaz, Martinon, Franc. Amicus, & Franciscus de Lugo, Georg. Vvelman vol. secundo in primam part. tract. 8. disputatione 1. & 2. quibus ego etiam subscribo.

Sed claritatis gratia præmitto possibilitatem, 42
sicut & existentiã duobus modis posse esse necessariam: primo modo ex ipsis prædicatis essentialibus rei ipsius. Secundò, ob exigentiam extrinsecam alterius rei, quæ eius existentiam aut possibilitatem respiciat, exẽplum sit in sole, qui licèt posito quod producatur petat ex prædicatis sibi intrinsecis & essentialibus perpetuo durare, cum sit incorruptibilis non minus ac anima rationalis, & Angelus, & consequenter sit naturaliter necessarius, tamen si ei datur duratio indiuisibilis, quam modo suppono possibilem in multorum sententia qua petat essentialiter per horam, diem, aut annum durare posito quod semel producatur, iam ab hac extrinseca duratione, Soli maior acrescet necessitas in se existendi quam ex natura sua & prædicatis sibi intrinsecis; nam duratio illa ab extrinseco est indiuisibilis, cum essentialiter petat durare per horam, diem, vel per annum, nec diuinitus potest ante talem horam, diem vel annum, destrui; ergo Soli qui ex natura sua & prædicatis intrinsecis incorruptibilis est, ab extrinseco potest illi maior necessitas existendi, & durandi accrescere.

Præmitto secundò, creaturas possibiles duobus 43
etiam modis posse considerari. Primò præcisè secundum sua prædicata essentialia. Secundò, vt sunt terminus transcendentalis relationis, quam Deus ad eas dicit, primo modo consideratæ habent gradum necessitatis inferioris ordinis sibi proprium, secundo modo consideratæ, habent gradum necessitatis longe maiorem, ortum ab hoc intrinseco respectu, quam ex prædicatis intrinsecis & essentialibus sibi propriis, v.g. si Deus dicat solem cras esse oriturum, aut ignem combusturum, longè magis necessariò sequetur ortus solis, aut combustio ignis ob extrinsecam Dei dictionem quam ex causis naturalibus, licèt ex eis etiam aliqua necessitate sequatur; ergo potest Soli maior necessitas existendi accrescere ob extrinsecam Dei dictionem, seu promissionem, quam ex propriis causis naturalibus.

Assertio prima sit, Deus habet essentialem 44
connexionem cum creaturis possibilibus, & ad eas relatione transcendentali refertur. Ita auctores secundæ sententiæ. Probatur, quando aliqua res non dicit respectum realem ad aliam, potest omnino comprehendi non cognita illa, v.g. quia lapis non dicit respectum realem ad formicam, potest lapis cõprehendi non cognita formica, sed Deus non potest comprehendi non cognito etiam eius effectu saltem vt possibili; ergo Deus habet essentialem cõnexionem & respectum intrinsecum ad effectum vt possibilem. Consequentia est euidens cum maiori, minor probatur, quia qui comprehendit causam debet clarissimè cognoscere illam esse aptam producere talem aut talem effectum, sed talis respectus est transcendentalis, cum saltem constet aptitudine exercere aliquod munus circa terminum causando illum, & non gratis, seu pure, seu respiciendo, vt dicto cap. 5. ostendimus; ergo Deus relatione transcendẽtali refertur ad creaturas possibiles.

Sed obiicies, Deus est entitas absoluta omnino in 45
se perfecta, & independens à creaturis possibilibus; ergo Deus non dicit talem respectum ad creaturas possibiles; consequentia patet, quia si Deus penderet à creaturis, neque esset perfectè necessarius, neque entitas omnino absoluta: confirmatur, quia D. Thom. 2. contra gentes cap. 12. negat in Deo relationes ad creaturas. Resp. Deum esse omnino perfecte necessarium & omnino independentem ab ali-

qua creatura à priori,& tanquam ab influente, non verò obstare diuinæ pefectioni pendere ab alio tanquam à posteriori,& à puro termino, seu à concomitante,& in contrariorum sententia,Deus dependeat à variis negationibus, vt natura diuina à negatione productionis à natura creata, creationis, destructionis, mortalitatis, & similibus; & Pater æternus à negatione nascibilitatis; ergo poterit Deus sine imperfectione pendere à possibilitate rei possibilis,vnde cum dicitur diuinam entitatem esse absolutam ab omni respectu,debet intelligi de respectu prædicamentali,non de respectu transcendentali:item visio diuina Petri, est etiam entitas diuina,& tamen dicit respectum realem transcendentalem ad Petrum, cum in illum realiter tendat, & illum realiter respiciat,taliter vt si Petrus redderetur impossibilis,sequeretur ablatio perfectionis inDeo, & in hoc sensu S. Thomas interpretandus est maximè n. 3.vbi asserit id quod est actu, non dicere relationem,ad id quod non est actu,sed potentia.

46 Secundò probatur assertio ratione deducta ex D. Thom.2.contra gentes cap. 12. n.4. vbi ex potentia passiua creaturarum vt producantur,probat esse necessariò virtutem aliquam & potentiam actiuam productricem illarum, alias otiosa esset illa potentia passiua seu non repugnantia creaturarum vt producantur;& similiter potentia actiua quæ numquam ad actionem reduceretur,sed Deo est omnino necessarium & essentiale,posse producere creaturas ob infinitatem suæ perfectionis; ergo si deficerent creaturæ possibiles, deficeret etiam & ipse Deus,cum deficeret aliquod prædicatum essentiale & identificatum cum ipso Deo,scilicet,potentia,& virtus actiua productiua creaturarum,& cõsequenter ipse Deus, vt supra etiam de materia prima & anima rationali in simili casu ostendimus.Cõfirmatur, nam cum Deus sit virtus productiua creaturarum debet illas in se eminenter continere in aliqua formalitate in illo formaliter existente nempe omnipotentia,sed illas non potest virtute præcontinere,si non sint possibiles;ergo cum essentiale sit Deo esse virtutem productiuam illarum, necessario infertur illas esse possibiles;ergo Deus essentialiter illas respicit,non relatione prædicamentali;ergo relatione transcendentali.

47 Dices omnipotentia in suo conceptu est virtus producendi quidquid non implicat,sed etsi creaturæ omnes implicarent,adhuc Deus posset producere quidquid non implicat;ergo etiam si creaturæ non essent possibiles,adhuc haberet Deus omnipotentiam. Vrgeo amplius,non ideo res est possibilis quia Deus potest illam producere alioquin chimera ideo esset impossibilis, quia Deus illam facere non potest, sicque impossibilitas rerum in impotentiam, & defectum ex parte Dei refunderetur, quod semper est vitandum. Resp. ad primum ex suppositione,quod creaturæ omnes essent impossibiles,Deum non posse illas producere, & propositionem esse de subiecto non supponente,supponit enim esse veram virtutem operatiuam ad extra in Deo,& aliquid esse producibile ex parte obiecti, vt sæpe diximus. Ad secundum dico rem ex propriis prædicatis intrinsecis, seu ex conceptu obiectiuo esse possibilem vel impossibilem, & concomitanter se habere in Deo potentiam vel negationem potentiæ iuxta possibilitatem, vel impossibilitatem rerum,vt illas possit vel non possitproducere,cum essentialiter cum illis connectatur.

48 Assertio secunda: essentialis connexio cum creaturis possibilibus nullam arguit in Deo imperfectionem. Ita omnes auctores secundæ sententiæ Probatur primo, quia si aliqua in hoc appareret imperfectio maximè quia implicante creatura implicaret ipse Deus,sed nulla foret impefectio,quod Deus desineret esse sub conditione impossibili;ergo ex connexione essentiali cum creaturis possibilibus nulla in Deo sequitur imperfectio. Minor probatur non est inconueniens,quod alia Dei attributa labefactarentur sub conditione impossibili; ergo nec quod sub simili conditione impossibili labefactaretur eius diuina existentia. Antecedens probatur à simili; nam si Deus non daret præmium promissum bene operantibus, esset Deus iniustus, vel secundum omnes infidelis, si falsum diceret, non esset verax,si mentiretur peccaret;ergo iustitia Dei,fidelitas,veracitas, & sanctitas labefactarentur sub conditione impossibili;ergo nullum est inconueniens,quod sub simili conditione impossibili deficeret ipse Deus, quia cum impossibile sit quod talis conditio ponatur, vtpote impossibilis, æque Deus est ens necessarium,ac si à tali conditione penitus non dependeret.

Dices,saltem Deum non esse magis necessarium, quam sint necessariæ creaturæ possibiles, sed hoc 49
asserere videtur parum dignum Deo,quia omnium impossibilium maximum impossibile est asserere Deum non esse. Resp.1. idem contingere posse de aliis diuinis attributis. Secundò probabile esse omnia impossibilia esse æqualia,sicut omnia falsa sunt æqualiter falsa;ergo cum omnia impossibilia excludant omnem possibilitatem erunt æqualiter impossibilia. Resp. tertio supposita inæqualitate impossibilium,adhuc,esse æqualiter impossibile, non esse creaturas possibiles,ac non esse Deum, non impossibilitate intrinsece orta ex intrinsecis prædicatis, sed ex impossibilitate extrinseca explicata n.12, & 43. & solum potest versari in eo discrimen, quod Deus erit magis necessarius in existentia quam creaturæ possibiles, necessitate dignitatis,& excellentiæ vt communiter docent Theolog.1.p.Suarez lib.9. de Trinitate cap. 6. & de attributis negatiuis lib.1. cap.6. Tannerus 1.p.q.4.disp.4.n.31.& 32.& alij plures recentiores.

Probatur secundo, non est imperfectio in Deo 50
dependere hoc modo à creaturis possibilibus, seu habere connexionem essentialem cum re impossibili vt impossibili; ergo non erit imperfectio hoc modo pendere à creaturis, & habere connexionem essentialem cum re possibili.Consequentia est clara,antecedens probatur, Deus de facto habet huiusmodi connexionem cum re impossibili,vt impossibili, quia de facto Deus habet connexionem essentialem com impossibilitate alterius Dei, seu cum alio Deo vt impossibili, si enim aliquod ens simpliciter infinitum, immensum, omnipotens æquale,in bonitate,æternitate,& aliis diuinis perfectionibus verè & realiter existeret à parte rei,seu aliquid, quod solo numero differret ab hoc Deo, Deus simpliciter desineret, quia vnitas Dei essentialiter postulat,vt vnicus tantum eodem tempore sit Deus,in eo verò casu impossibili,periret prædicatum illud nempè *vnitas*,quæ essentialiter constituit Deum in esse Dei, & vno pereunte prædicato diuino perirent omnia alia prædicata diuina cum illo essentialiter connexa; ergo in eo casu impossibili nulla est imperfectio quod Deus dependeat à creaturis possibilibus vt iam ostendimus n. 45.

Dices,magnam in Deo arguit imperfectionem, 51
etiam hoc modo dependere à creaturis, sic enim minima creatura implicante,qualis est formica,implicaret Deus quod videtur absurdum; & magna contentione impugnat Petrus Hurtado disp. illa

15.met.

15.met.sect.9.num.105. Secundò, Maior saltem erit perfectio Dei, si constituatur immunis à creaturis, & ab illis omnino independens; ergo est illi attibuenda, vt docet Augustin. lib.1.de doctrina Christiana cap.7. Deus *est quo nihil melius excogitari potest*, Respondeo ad primum non arguere imperfectionem pendere ab alio vt mero termino per modum connexionis essentialis sine dependentia causæ & effectus, vbi terminus est simpliciter necessarius, nec magis dedecet Deum facere dependentem à formica, quam à chimera, quæ si foret possibilis Deus foret impossibilis. Ad secundum dico, independétiam ex genere suo adducere quandam dignitatem sicut & ens magis necessarium, eam tamen esse impossibilem in attributo, quia in virtute productiua consistit. Deo ergo tribui debet perfectissimus conceptus possibilis, non verò chimericus.

CAPVT V.

Causarum diuisio & numerus explicatur.

Causa latissime accepta diuiditur. Primò, in causam per se, & in causam per accidens. Causa per se est illa, quæ per se concurrit ad effectum, sine qua non esset effectus, vt ignis est causa per se alterius ignis producti. Causa per accidens est illa, quæ per accidens concurrit ad effectum, id est sine qua esset effectus, qui verè non erit ab illa, & quæ concomitanter solum se habet ad effectum, nec vllo modo ad eum est necessaria & vt in exẽplo Arist. medicus & musicus ædificãt quia licèt Architectus esset insçius artis medicæ, aut musicæ, adhuc æquè perfectè ædificaret ac modo, & ita in ipso, musica & medicina se habent vt causa per accidens ædificij, vt cum homo albus mouetur, homo vt albus, est causa per accidens illius motus, quia eodem modo moueretur si esset niger. Secundò, causa per se diuiditur in physicam & moralem: causa physica est illa, quæ realiter ad effectum concurrit, vt Sol respectu lucis. Causa moralis duplex est moralis physica, & moralis quæ propriè dicitur talis, illa est causa omnis libera, vt voluntas quæ reuera est quid physicum physicè, & realiter producens suos actus, & sicut causa necessariò vocatur naturalis, ita causa libera vocatur moralis, causa verò purè moralis est, quæ per se physicè non influit in effectum, in prudentum tamen æstimatione illi adscribitur effectus, æque ac si physicè illum produceret, vt si quis suadeat occisionem Petri, & de facto occisio sequatur, ita se habet moraliter ac si ipse physicè occideret Petrum, & ita est causa moralis talis occisionis, vel qui suadeat furtum alicui, quod ille postea ex huius suasione committit, vel si quis canem incitet in viatorem, qui ipsum ex hac incitatione occidit, ille qui suadet, & incitat, censetur in prudentum æstimatione causa illius furti, & cædis, quia ita se habet ac si ipse abstulisset pecuniam, aut hominem occidisset.

Alia est causa proxima, alia remota, proxima duplex est, proxima est illa, quæ immediatè producit aliquem effectum vt Sol, lucem; calor, calorem, hæc tamen per suam entitatem connotantem comprincipia à quibus in operando dependet, vt adnotauimus cap. 2.

Secundo causa proxima est entitas causæ connotantis comprincipia ad operandum, vt ignis qui vt sit causa proxima, & ad operandum expedita, præter lignum, & Dei concursum, quæ sunt causæ, illa materialis, hæc efficiens, requirit approximationem tanquam conditionem.

Remota etiam est duplex prima in actu primo & est entitas causæ, cui vel deest alia concausata, conditio vt igni Babylonico deerat Dei concursus in actu. Secundò, quando non immediatè producit effectum, sed per aliud à se distinctum, vt Adelmus, est causa remota in actu secundo Petri, & dici potest causa per accidens, quia illa ablata maneret idem effectus, vt contingit in aqua calida, quæ calefacit manum dependenter ab aqua, cum talis calor posset poni ab alio in eodem subiecto; & conseruari à Deo, & consequenter causa per accidens, & remota in idem coincidunt.

Denique diuiditur in causam totalem & partialem, totalis est, vel aliqua causa simplex vel complexum causarum sufficiens ex se ad effectum producendum; partialis est illa quæ ex se non dicit sufficientes vires ad effectum producendum, sed ad hoc eget alterius adminiculo, & aliam concausam postulat, vt cum duo portant pondus, quod vterque seorsim non potest, & oculus connotat speciem impressam immissam ab obiecto & est solum partialis causa visionis: totalis in omni genere dicitur illa quæ nullo modo indiget consortio alterius; totalis verò in suo genere est efficiens, materialis, formalis, vel finalis. Alia dicitur causa vniuoca & est illa quæ in prædicatis conuenit cum effectu, & est eiusdem rationis & perfectionis cum causa, vt cum ignis producit ignem, calor calorem; æquiuoca verò est illa quæ dissimilis est cum effectu, & illo perfectior, vt cum Deus producit Angelum, Sol lucem & alia.

Ex his facile deprehendes differentiam inter causam & conditionem, quæ posita est non in eo, quod actio vel effectus non pendeat à priori à conditione, certum enim est sæpe effectum pendere à priori à conditione, prius enim aliquo modo debet ignis approximari passo quam comburere, & oculus aperiri quam videat, sed in eo quod causa in actu primo, habeat propriam virtutem productiuam effectus, conditio verò, etsi effectus pendeat ab ea à priori, nullam tamen habet virtutem nec constituit principium potens ad effectum producendum, sed solum tanquam conditio, vel impedimentum remouens prohibens, vel tanquam applicatio ad efficiendum; & pleno ore vocatur conditio sine qua non.

Tertio, causa physica (de qua solum in his libris) diuiditur in causam intrinsecam, quæ intrinsece aliquod totum constituit vt materia & forma respectu entis naturalis, & in causam extrinsecam, quæ influit in aliud non componendo illud. Quartò, causa extrinseca, (quæ solum est verè causa) diuiditur in causam physicam influentem quæ verè & stricte dat esse à se distinctum effectui, & in causam physicè non influentem, sed solùm per se concurrentum ad effectum ita vt sine illa non esset effectus. Quintò, causa physicè influens in effectum diuiditur in causam efficientem, à qua oritur, & fluit effectus, & in causam materialem ex qua educitur, & in qua sustentatur talis effectus. Sextò, causa physicè non influens, sed tantum per se concurrens ad effectum diuiditur in causam formalem, ac exemplarem, quæ dirigit ad opus, & dat rationem quidditatis saltem idealiter tali operi, & in causam finalem, quæ mouet, & allicit ad efficiendum aliquod opus; in quibus plures aliæ possunt subdiuisiones fieri vt ex infra dicendis constabit.

Hinc iam (variis circa numerum causarum Philosophorum

losophorum placitis prætermissis, quorũ aliis inopia, aliis causarum turba placebat, vt referunt Conimbricenses hic c.7.q. 2. art. 1. & Rub. tract. de causis in communi à num. 19.) nos quatuor solum causarum genera assignamus, nimirum causam efficientem, materialem, formalem & finalem, ita Aristoteles in hoc libro cap. 3. & sequentibus & 5. met. cap. 2. D. Thom. ibidem & opusc. 31. Suarez 12. met. sect. 3. Petrus Hurtado disput. 8. physic. sect. 9. Arriaga, Thomas, Carleton, disp. 21. physic. sect. 4. Complutenses disp. 8. phys. quæst. 2. Murçia, Plaça, Oña, Auersa quæst. 12. de rerum causis sect. 3. quos omnes eius posteri vna omnium conspiratione sequuti sunt; huius autem positionis explicationem & probationem aptius ad finem subijciam.

58 Obiiciat aliquis. Causa exemplaris ac idea, est vera causa physica ideati, ita enim per se diuina idea ac exemplar creaturarum ad earum productionem concurrit, vt sine tali idea ac exemplari diuino non producerentur creaturæ; & tamen idea ac exemplar, non est causa materialis, cum non sustentet effectum in se ipsa, nec formalis cum non sit ratio formalis quidditatis rei, quam causat, nec efficiens, cum ab illa effectus non fluat, nec ipsa physicè influat in effectum, nec finalis, cum non alliciat ad productionem effectus; ergo quinque sunt causarum genera, scilicet quatuor enumerata, & aliud genus distinctum causæ exemplaris.

59 Fonseca lib. 1 met. cap. 7. quæst. 1. sect. 9. quem sequuntur Conimbricenses hic cap. 7. quæst. 4. art. 1. & 2. asserit sub genere causæ formalis causam formalem intrinsecam scilicet formam substantialem respectu materiæ aut compositi, & etiam causam formalem extrinsecam scilicet ideam & exemplar respectu sui ideati directè comprehendi, atque ita exemplar non constituere aliud quintum genus distinctum causæ exemplaris: sed contra, causa intrinseca & causa exttinseca constituunt diuersa causarum genera, v. gratia; forma ignis quatenus intrinsece causat ignem, quem constituit, & eadem quatenus extrinsece causat, ac efficit alterum ignem. diuersa causarum genera constituit iuxta aduersariorum sententiam, scilicet genus causæ formalis, & genus causæ efficientis, sed forma substantialis est causa intrinseca compositi, exemplar verò est causa extrinseca; ergo forma substantialis, & exemplar non idem, sed diuersa genera causarum constituunt, forma quidem causæ formalis, & exemplar, seu idea, aliud distinctum genus causæ exemplaris.

60 Dicat verò quis, causam efficientem, & formam substantialem non solum differre penes intrinsecum, & extrinsecum, sed etiam in modo causandi, quia illa effectiue, ista formaliter causat, & ideo non constituere idemmet, sed diuersa genera causarum, at verò formam substantialem & exemplar, licèt vna sit causa intrinseca, alia extrinseca conuenire in modo causandi, quia vtraque formaliter causat dando scilicet effectui seipsam intrinsece vel extrinsece, & ideo constituere vnum tantum genus causæ formalis. Sed contra, ideo causa exemplaris, dat effectui extrinsece seipsam quia dat illi esse illud, quod ipsa habet in se saltem repræsentatiue, & intentionaliter, atqui causa efficiens vniuoca v. g. forma ignis, cum alium ignem producit, dat igni producto, illud esse, quod ipsa habet in se specifice & formaliter, scilicet aliam omnino similem formam ignis; ergo etiam causa efficiens vniuoca dat effectui extrinsece se ipsam, & tamen efficiens causa non constituit cum forma substantiali idem genus causæ formalis, sed aliud distinctum genus causæ efficientis; ergo etiam exemplaris, licèt det effectui extrinsece seipsam, non constituit cum forma substantiali idem genus causæ formalis, sed aliud distinctum genus causæ exemplaris.

Respondeo ergo, solam causam exemplarem quæ purè est forma extrinseca effectus, constituere genus veræ causæ formalis, forma enim substantialis nec respectu materiæ, nec respectu compositi est vera causa, vt infra ostendam; & hoc intendit Aristoteles vbi supra, cum enumerans genus causæ formalis, dixit *forma* atque exemplar, id est sub tali genere contineri illam causam, quæ est simul forma extrinseca, & exemplar ideati, qualis est causa exemplaris seu idea, atque ita licèt exemplar sit vera causa, non dantur plura causarum genera quam quatuor enumerata. 61

Hoc ergo posito, ratio ad probandam supra positam assertionem, scilicet, quatuor esse causarum genera, non plura neque pauciora, sic iam potest efformari, cum aliquod ens naturale, ignis v.g. producitur, non producitur à se ipso; ergo aliud est à quo fluat. Ecce causam efficientem. Deinde non producitur ex nihilo, quia ignis non creatur; sed generatur; ergo præcedit aliqua materia ex qua educatur. Ecce causam materialem: Præterea causa prima vt talem ignem producat, aliquam habet ideam, & formam exemplarem, per quam ad hanc actionem, & effectum formaliter determinetur. Ecce causam formalem seu exemplar. Denique agens, si non temere operatur, aliquem finem intendit, qui eum ad operandum alliciat. Ecce causam finalem; ergo dantur causarum genera quatuor, & non pauciora: Non esse etiam plura patet, quia excogitari non potest aliqua causa physica per se, quæ ad aliquod genus ex prædictis non pertineat, vel reducatur, causa enim instrumentalis pertinet ad efficientem directè; causa dispositiua, quia in materia est reducitur ad materialem; causa obiectiua, seu obiectum actus intentionalis, si accipiatur vt determinans per speciem impressam sui intellectum ad sui cognitionem, est causa efficiens; si verò solum sumatur vt terminans sui cognitionem, vel amorem, non est verè causa, sed terminus illius actus quem pure terminat; ergo non dantur plura genera causarum quam quatuor assignata. 62

DISPVTATIO XIV.

De causa efficiente in communi.

DVo capita continebit. In primo, causa efficiens in communi definitur. In secundo, primaria causæ effiicientis diuisio demonstratur.

CAPVT I.

Causa efficiens in communi definitur.

CAusam efficientem sic Aristoteles in hoc libro capite 2. & 3. textu 29. definit, causa est id, *vnde principium mutationis primum aut quietis*, hæc autem definitio potest multipliciter impugnari, 1

pugnari, maximè quia rem ignotam scilicet causam efficientem per æque ignotam scilicet per actionem seu mutationem definit, quod non leue est definitionis vitium.

2 Nobis ergo liceat aliam causæ efficientis explicationem, definitionemque inquirere, quam ego cum D. Thom. ibidem P. Hurtado disput. 9. physic. sect. 1. Arriaga, disp. 9. physic. sect. 1. Carleton, Complutensibus disp. 9. physic. q. prima, Murçia 2. phys. disp. 4. quæst. 1. Plaça, Oña, Conimbricensibus, & alijs recentioribus: sic etiam compono, causa efficiens *est principium influens præcisa mutatione sui*, per illa verba principium influens physicè conuenit causa efficiens cum causa materiali, quæ etiam physicè influit: differt verò à causa formali & finali, quæ physicum non habent influxum per alia verba *præcisa mutatione sui*, dissidet, causa efficiens à causa materiali, cuius influxus, & causalitas formaliter aliquam ipsius causæ mutationem includit, de quo infra, *ex præcisa ratione influxus*, quia conceptus actionis formaliter non immutat agens, sed quia contingit aliquando agens esse patiens, & hoc modo patitur mutationem non verò ex vi præcisè actionis, hæc definitio optimè conuenit omni causæ efficienti, quia quæuis per se influit sine sui mutatione, vt Deus, & homo generans, & lux calefaciens, cum verò causalitas causæ efficientis tam prima, quam secunda, sit extrinseca, non immutat sicut formalis & materialis quibus est intrinseca causalitas.

3 Obiiciat aliquis: causa immanens ac vitalis v. g. intellectus est verè causa efficiens intellectionis, & tamen illam causat cum mutatione sui, etenim intellectus, cum elicit intellectionem mutatur; ergo essentia causæ efficientis non est influere physicè absque mutatione sui. Confirmatur: si essentia causæ efficientis esset influere physicè absque sui mutatione influxus causæ efficientis fundaret negationem talis mutationis, atqui in prædicto casu influxus causæ efficientis non fundat negationem mutationis illius, imo reipsa est ipsamet mutatio; ergo essentia causæ efficientis non est influere physicè absque sui mutatione. Respondeo causam immanentem, ac vitalem esse simul causam efficientem, & causam materialem, & influxum talis causæ esse simul influxum causæ efficientis, & influxum causæ materialis, vnde idemmet quatenus est influxus causæ efficientis, non est mutatio ipsius, sed à mutatione præscindit, actio enim vitalis in quantum denominat agens non immutat, sed in quantum denominat passum, seu patiens, est verò mutatio quatenus est influxus causæ materialis atque ita causa efficiens vt sic formaliter influit physicè præcisa mutatione sui. Ad confirmationem respondeo, influxum causæ efficientis vt sic formaliter, non fundare necessariò negationem mutationis talis causæ, sed à tali mutatione præscindere; influxus ergo vitalis, vt influxus causæ efficientis formaliter præscindit omnino ab ipsius mutatione, ac proinde omnis causa efficiens vt sic formaliter in-
4 fluit præcisa sui mutatione.

Obiiciat secundò, quia primò, non incipit motus à causa efficiente creata, cum prior sit finalis, quia efficiens operatur gratia & ratione finis. Secundò, causa efficiens secunda, operatur dependenter à causa efficiente prima; ergo causa efficens prima, non potest esse principium motus. Respondeo ad primum, causam efficientem creatam ordine executionis, & secundum esse reale esse primum, à quo incipit motus seu in suo genere vt apud omnes certum est, licèt facta comparatione, finis sit in intentione prior. Ad secundum, Respondeo, Deum simpliciter esse primum principium, hoc tamen non obstare, quod in ordine ad effectum, causa efficiens secunda, dicatur principium maximè in mea sententia cum comcomitanter operetur cum prima & eadem actione, vt ostendam disp. sequenti, cap. 2.

Ex dictis infero primo, veram & propriam rationem causæ efficientis Deo conuenire. Probatur, 5
omnis perfectio sine imperfectione conuenit Deo, sed ratio causæ efficientis vt sic est perfectio aliqua vt constat, & sine imperfectione, quia nullam causæ mutationem includit, vt dictum est; ergo ratio causæ efficientis verè, & propriè conuenit Deo, Infero secundo, causalitatem causæ efficientis, esse rationem illam per quam principium actionis influit physicè præcisa mutatione sui. Patet, quia causalitas causæ efficientis est illa ratio per quam causa efficiens actu efficit, sed efficere est influere physicè præcisa mutatione sui vt ostensum est; ergo causalitas causæ efficientis est ratio illa per quam causa, seu principium physicè influit actualiter præcisa mutatione sui. Hæc autem causæ efficientis causalitas ac influxus dicitur communiter actio, de qua quidem actione, tam eductiua, quam creatiua fusè lib. 3. disseremus.

Hic obserua communem modum loquendi circa 6
diuersa genera causarum, causa efficiens dicitur id *à quo* est effectus, causa materialis id *ex quo*, causa formalis ac exemplaris, id per quod vel ad cuius instar, causa finalis id propter quod, vel cuius gratia opus fit.

CAPVT II.

Primaria causæ efficientis diuisio demonstratur.

PRimario efficiens causa diuiditur in causam pri- 7
mam, & secundam: causa prima, est illa, quæ à nulla alia in essendo, aut in operando dependet, & ab illa reliquæ causæ dependent in essendo & in operando. Causa verò secunda est illa quæ ab alia prima dependet, eique in essendo, & operando subordinatur. Existentiam causæ secundæ vel sensus ipsi experiuntur, sentimus enim ignem calefacere, & ignem alium producere, & aquam refrigerare, &c. existentiam autem causæ primæ breuiter demonstrabo.

Assero primo: datur in rerum natura aliqua 8
causa à qua omnia creata depẽdent, atque causantur, ipsa autem à nulla alia dependet, neque causatur. Monstratur sic: tota creaturarum aggregatio ab aliqua causa dimanat atque causatur, non enim habent esse à se, cum non fuerint ab æterno, & quotidie pereant, si autem essent à se omnino necessariò ab æterno, & in æternum existerent, atqui tota hæc creaturarum aggregatio non potest oriri ab aliqua causa creata, nam cum ipsa causa creata intra aggregationem illam omnium creaturarum claudatur, ipsa esset causa sui ipsius, quod manifestè repugnat, ergo debet oriri ab aliqua causa increata, quæ à nulla alia causa oriatur.

Confirmatur. Omnes res creatæ quæ de facto 9
in hoc vniuerso existunt, vt omnes fatentur, non sunt actu infinitæ, sed actu finitæ; ergo si aliquis Angelus numeraret omnes creaturarum productiones, & processiones vnius ab alia gradatim, dicens, hæc creatura processit ab ista & ista ab illa, & illa ab ista alia, &c. non daretur processus

in

in infinitum, sed omnes creaturarum productiones, ac processiones finiret, quia non potest esse infinitus numerus productionum nisi infinitæ sint creaturæ, quæ physice producantur; tunc sic:ergo cum Angelus ille sic gradatim numeraret omnes creaturarum processiones à suis causis, accederet tandem ad aliquam causam, quæ à nulla alia physicè procederet, nam si nulla est causa quæ ab alia priori physice non procedat, non erit finis causarum, ac productionum, sed processus in infinitum; ergo si hunc processum in infinitum vt absurdum valde omnis physica vitat, liquidò constat deueniendum esse ad aliquam vnam causam quæ à nulla alia dependeat, neque causetur, & à qua omnia alia dependeant, & producantur.

10 Assero secundò, Hæc causa, quæ in essendo ab altero non dependet, sed omnia oriuntur ab illa, non pendet etiam ab alio in operando. Monstratur sic,operari proportionatur cum ipso esse in quo fundatur, sed causa ista est independens ab alio in essendo, vt ostendi num.8.& 9.ergo etiam est ab alio independens in operando, alias si in essendo non penderet & in operando penderet,operari non proportionaretur cum ipso esse in quo fundatur. Confirmatur. Primus saltem effectus creatus, qui extitit in hoc vniuerso, fuit productus ab ista prima causa, cum non potuerit fieri aut esse à seipso, sed non fuit ab illa procreatus dependenter ab aliqua causa creata, quæ tunc nondum in rerum natura erat, cum effectus ille fuerit primus vt suppono; ergo fuit talis effectus productus ab ista causa prima, independenter ab alia causa; ergo hæc causa non pendet ab alio etiam in operando.

11 Dicat autem quis, actio causæ secundæ essentialiter pendet ab ipsa causa secunda;ergo non potest causa prima, actionem illam elicere nisi ad illam etiam concurrat causa secunda; ergo pendet in operando ab illa, patet hæc consequentia, ideo causa secunda, pendet in operando à prima, quia non potest aliquid efficere nisi etiam concurrat causa prima, sed similiter causa prima, non potest efficere actionem causæ secundæ, nisi concurrat ipsa causa secunda; ergo causa prima, pendet in operando à secunda. Resp.Vt aliqua causa pendeat ab alia in operando requiri quod non possit aliquid operari, nisi alia etiam concurrat, & hoc quidem ex defectu suæ virtutis, quia habet virtutem finitam & limitatam, atque ita indigentem iuuamine alterius causæ, vnde cum causa secunda, non possit aliquid operari nisi ad id concurrat causa prima & hoc ex defectu suæ virtutis, quia habet virtutem limitatam & finitam, atque ita indigentem concursu & iuuamine causæ primæ,ideo causa secunda pendet in operando à prima, at verò causa prima, licet non possit efficere actionem causæ secundæ, nisi etiam concurrat causa secunda, sed tamen non est ex defectu suæ virtutis,nam virtus causæ primæ est infinita, sed solum ex implicatione quæ inuenitur in ipsa actione,hæc enim ob sui imperfectionem,ac dependentiam essentialem à causa secunda, repugnat oriri à sola causa prima & eapropter. licet causa prima, non possit talem actionem efficere sine concursu causæ secundæ, non pendet in operando ab ipsa causa secunda.

12 Assero tertiò, omnis causa creata ab illa causa increata, in essendo & in operando dependet, & quidem pendere ab illa in essendo monstratur apertè, causa creata non est ens à se vt ostendi num.8. ergo est ens ab alio;ergo producitur ab aliqua causa sed in ordine causarum non datur processus in infinitum; ergo sistendum est in aliqua causa increata,à qua primo omnia alia procedant,igitur omnis causa creata pendet in essendo ab illa causa increata. Pendere autem ab illa etiam in operando, sequenti disp.monstrabitur.

Hinc iam existentiam causæ primæ sic ostendo. 13
Causa prima est illa, quæ à nullo alio in essendo aut in operando dependet, & omnes aliæ causæ ab illa pendent in esse & in operari,atqui de facto datur in rerum natura aliqua causa, quæ à nullo alio pendet in essendo & operando vt prima & secunda, assertione monstratum est, & à qua omnes aliæ causæ in essendo & operando dependent vt tertia assertione ostendi; ergo verè in rerum natura existit causa prima. Hanc igitur causam primam appellamus Deum.

DISPVTATIO XV.

De causa prima influente in effectus causæ secundæ.

DVo capita continebit. In primo inquiro an causa prima,in effectus causæ secundæ, etiam immediatè influat. In secundo,an causa prima cum secunda, eadem actione concurrat.

CAPVT I.

An causa prima in effectus causæ secundæ, etiam immediatè influat.

CAusa prima mediate saltem ad omnes effectus causæ secundæ, concurrit conseruando scilicet causam, quæ tales effectus operatur, quæritur verò an etiam ex prima immediatè & proximè per seipsam cum causa secunda, ad eius effectus concurrat.

Prisci quidem physici existimarunt Deum non 1
immediatè, sed mediate solum concurrere ad effectus causæ secundæ, conseruando scilicet ipsius causas, quæ adæquatè sine alio immediato influxu Dei,per seipsas suas physice operationes exerceant, suaque effecta producant.Hanc sententiam amplexatus est Durandus in 2. dist. 1. q.5. & dist. 37. q.1. ne Deum causam peccati constituat. Et probat ex illo Ioan.1. *Omnia per ipsum facta sunt & sine illo factum est nihil*,Et ad Rom.11. *ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia*, & ad Hebr. 1. *portans omnia verbo virtutis suæ*, quæ omnia, inquit Durandus, operari posse ostendunt sine immediato Dei concursu, & de facto ita contigisse, sed hæc sententia antiquior videtur fuisse Durando, quam defendit Nicolaus Bonetus lib.7. Theolog.cap.3. & non ita pridem Ludouicus à Dola lib. de hac ipsa re sententiam hanc ostendere conatur ex multis Sanctorum Patrum testimoniis.

Sed hæc Durandi sententia à multis erroris nota 2
insimulatur,primò enim S.Thomas in 2.dist.37.q.2. artic.2. ait eam proximam esse duobus erroribus, nempe *esse duo prima principia, vnum bonorum, alterum malorum, & Deum non esse causam vniuersalem*, Albertus Magnus in 2. dist.35. artic.7. dicit hanc sententiam à multis modernorum appellari hæreticam,Suarez disp.22. metaph.sect.1.num.7.ait eam esse erronenam in fide, & lib.1. de concursu Dei sic habet, *ab omnibus probatis Theologis non solum reprehenditur, sed etiam vt error in fide reijcitur sententia Durandi,*

Durandi, Belarminus lib. 4. de libero arbitrio cap. 4. illam vocat errorem, & scripturis, Patrum testimoniis, & manifestæ rationi repugnare asserit; Molina parum tutam in fide, Vasq. 1. 2. disp. 120. cap. 3. ait hanc sententiam Durandi erroris nomine ab omnibus scholasticis iam diu esse reiectam, Conimbricenses, Murcia, Complutenses, disp. 11. physic. q. 1. Capreolus in 4. dist. 12. q. 1. ad primum asserit eam sententiam esse Manichæi, sanctus Hier. Epist. ad Ctesiphon. docet hanc sententiam esse doctrinam Pelagij, qui inquit, dicebat Deum, collato semel libero arbitrio vlterius nobis ad operandum non esse necessarium, loquitur inibi, de operationibus naturalibus, vt de motu manus, deambulatione & similibus, & fuisse placitum Lutheri, docet Camerarius 1. de gratia & libero arbitrio c. 10. & §. 3. hæc adduxi testimonia vt constet quale iudicium Philosophi ac Theologi tum moderni, tum antiqui de ea forma, fecerint non vt censuram feram ad minus tamen ab omni prorsus schola tam Theologica, quam Physica releganda est, quare secunda sententia vt vera tenenda ac docenda est.

3 ASSERTIO sit, Deus non solum remote, & mediate scilicet conseruando causas creatas, sed etiam immediate & proximè cum illis physicè influendo ad omnes effectus causæ secundæ necessariò concurrit. Ita Aristoteles 2. met. c. 1. text. & alibi D. Thom. 1. p. q. 105. art. 5. & 3. contra gent. cap. 70. Seraphicus Doctor in 2. dist. 37. art. 1. q. 1 dicens hanc sententiam sine ambiguitate esse tenendam, Molina 1. p. q. 14. art. 13. disp. 5. Fonseca 5. met. c. 2 q. 9. sect. 2. Vasquez 1. 2. disp. 120. c. 3. Rub. hic tract. 5. q. 6. §. secunda opposita sententia, Pereira lib. 8. suæ physicæ cap. 8. Suar. tom. 1. met. disp. 22. sect. 1. à n. 6. & lib. 1. de concursu Dei cap. 4. num. 2. Bellarm. n. præced. Gregor. in 2. dist 31. q. 1. art. 3. Hurt. disp. 10. physic. sect. 2. n. 34. Arriaga disp. 10. phys. sect 1. n. 7. Ouiedo controu. 10. physic. p. 2. n. 5. Carleton disp. 28. physic. sect. 1. Murcia lib. 2. physic. q. 4. Plaça, Oña, qui plures alios pro hac sententia patronos referunt, iliamque multis sacræ paginæ testimoniis, & SS. Patrum auctoritate confirmant.

4 Probatur primò, auctoritate scripturæ, nam Christus Dominus Ioann. 17. ait, Pater *meus vsque modo operatur, & ego operor*; quibus verbis vtitur D. Augustinus tom. 3. lib. de Genesi ad literam capite 20. aitque *Deum non magna solum & præcipua in nobis operari, verum etiam ista terrena & infima.* Isaias cap. 26. *omnia opera nostra operatus es in nobis Domine.* Paulus prima Corint. 12. loquens de Deo sic inquit: *qui operatur omnia in omnibus* & ibidem capite 3. ait, *neque qui plantat, est aliquid neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*, & capite 15. *tu nudum granum seminas, Deus autem dat illi corpus sicut vult, & vnicuique seminum proprium corpus*, ecce perspicuè ex sacra pagina constat Deum omnes res creatas operari; ergo Deus immediate influit in omnes effectus creatos.

5 Dicet Durandus, hæc omnia scripturæ testimonia esse intelligenda de operatione & influxu mediato, quo Deus concurrit ad omnes effectus creatos conseruando, scilicet causas secundas à quibus illi adæquate dimanant immediate, non verò de influxu Dei immediato: sed contra, verba scripturæ sunt in vero & proprio sensu intelligenda, nisi obstet communis Conciliorum aut Ecclesiæ Patrum sensus, atqui scriptura in locis citatis palam testatur, Deum omnes effectus operari, nec Patrum communis sensus obstat, sed potius fauet, vt talia verba in proprio, ac vero sensu accipiantur; ergo prædicta verba scripturæ sic debent intelligi, vt asserat Deum propriè esse causam operantem omnes effectus creatos. Sed causare & operari aliquem effectum solum mediate non est propriè illum operari & causare, etiam in sententia ipsius Durandi, nam ipse iactitat in sua opinione recte explicari, & saluari, Deum propriè & per se non esse causam peccati, cum tamen reipsa admittat Deum mediate peccatum causare, conseruando scilicet voluntatem creatam, à qua immediate dimanat peccatum; ergo iuxta verum scripturæ sensum Deus non solum mediate, sed etiam immediate causat, & operatur effectus causæ creatæ, nec aliter scripturæ testimonia poterunt rectè saluari.

6 Probatur secundò, ratione, cum operari sequatur naturaliter ad esse, modus operandi naturaliter proportionatu cum modo essendi, sed causa creata pendet immediate à Deo in essendo; ergo etiam pendet immediate ab ipso in operando; ergo nulla est operatio, aut effectus causæ creatæ ad quã Deus immediate necessariò non concurrat. Confirmatur, ideo causa increata non pendet ab alio in operando, quia à nullo alio pendet in essendo vt diximus supra disp. 14. c. 1. n. 9. ergo è contra similiter, cum omnis causa creata pendeat immediate à Deo in essendo, etiam pendebit ab illo immediate in operando.

7 Probatur tertiò, Deus quamvis de facto sit aliqua causa naturalis applicata debite passo non resistenti, & nullum ei apponatur contrarium, quod eius operationem impediat, potest facere quod causa illa non operetur effectum, vt constat in igne illo Babylonico, qui rectè applicatus passo ex se non resistenti, & nullo contrario apposito; pueros illos non combussit volente Deo, atqui si Deus non haberet necessariò physicum & immediatum influxum in omnes effectus causæ creatæ, quem pro libito posset suspendere, non posset facere quod causa manens applicata debite passo non resistenti, & nullo apposito ei contrario; non operaretur effectum, nam effectus naturalis, qui oritur necessariò à causa naturali applicata non potest impediri, nisi vel per appositionem contrarij vel per suspensionem alicuius concursus physici ac immediate necessarij ad talem effectum; ergo Deus physicum habet & immediatum influxum in omnes effectus causæ creatæ.

8 Dicat, quis sufficere imperium voluntatis diuinæ quo Deus velit causam creatam non operari sine alio immediato Dei influxu, vt ipsa causa etiam debite applicata non operetur sicut sufficit imperium animæ rationalis vt potentia motiua etiam ex se applicata ad motum, ipsum motum non efficiat: sed contra: causa creata naturalis, cum non sit capax rationis non potest percipere naturaliter, sed tantum physicè imperium Dei, id est accipiendo, vel amittendo physicè, aliquid quod ad causandum requiratur, sed si Deus necessariò non haberet physicum & immediatum influxum cum ipsa causa creata in suos effectus, etiam si Deus haberet imperium illud causa creata debite manens applicata &c. non amitteret nec acciperet physicè aliquid ad operationem requisitum vt consta: ergo si Deus non haberet necessariò physicum & immediatum influxum in effectus causæ creatæ, ipsa causa manens debite applicata, &c non posset percipere illud imperium Dei: ergo Deus impedire non posset quominus causa illa necessariò operaretur.

9 Obiiciat aliquis primò, causa continens in se adæquate omnem perfectionem effectus, potest

adæquate illum producere sine influxu alterius, sed causa creata continet in se omnem perfectionem effectus creati, nam si est vniuoca, habet formaliter eandem perfectionem effectus; si æquiuoca, superat in perfectione ipsum effectum; ergo causa creata potest adæquate producere creatum effectum sine influxu Dei, igitur Deus non influit immediate in tales effectus, nam cum concursus causæ creatæ sufficiat, superfluus esset influxus Dei. Respondeo causam creatam etiam æquiuocam non continere in se adæquate ac simpliciter effectum, quia licèt sit nobilior effectu, & perfectionem in se habeat excellentiorem perfectione effectus; tamen cum tota illa excellentia & perfectio sit immediate dependens à Deo in essendo, ita immediate etiam pendet ab illo in operando & causando & ideo non potest causare, quin Deus immediate influat in talem effectum.

10 Obiiciat secundo, si causa prima cum secunda, immediate in eius effectus influeret, tam causa prima quam secunda concurreret vt causa partialis, duæ enim causæ totales eiusdem effectus naturaliter repugnant, vt infra ostendam, sed implicat causam primam concurrere vt causam partialem, alias haberet virtutem partialem quæ imperfectionem includit, & etiam repugnat causam secundam partialiter in effectum influere cum non pars effectus, sed totus effectus ab illa producatur. ergo causa prima non concurrit cum secunda immediate ad eius effectus. Respõdeo cõcedendo causam primam & secundam vt causas partiales concurrere ad eundem effectum, atque ita causam primam concurrere per virtutem partialem non verò partialem propter limitationem causæ, quæ alio iuuamine necessariò indigeat, causa enim prima propter infinitam suam perfectionem potens est per se ipsam præcisè omnes effectus causæ secundæ producere, sed per virtutem partialem, quia Deus vult in actu secundo, limitare suam virtutem & partialiter concurrere ad effectum, vt etiam causa secunda ad illum effectum concurrat, & talis virtus partialis nullam imperfectionem includit. Deinde causa secunda partialiter in effectum influit, non quidem partialitate effectus ita, vt sola pars aliqua effectus ab ea causa producatur, sed partialitate causæ, quia causa illa totum effectum producit cum immediata dependentia ab alia causa scilicet à causa prima quæ etiam in talem effectum influit.

11 Obiiciat tertio, causa materialis non pendet in causando à Deo immediate cum ipsa concurrente ad effectum, Deus enim non potest esse causa materialis; ergo nec causa efficiens pendebit in operando à Deo immediate cum illa concurrente ad suos effectus, non enim minus est potens secundum se causa efficiens quam materialis. Confirmatur, quia si Deus concurreret immediate cum causa secunda ad eius effectus vel concurreret, eadem actione vel diuersa, sed non eadem vt probabitur cap. sequenti à num. 17. nec etiam diuersa, quia hæc vel esset prior actione causæ secundæ & tunc prius producet effectum quam causa secunda operatur, & ita actio causæ secundæ non esset necessaria, vel esset simul cum actione causæ secundæ & tunc esset superflua, cum actio causæ secundæ sufficeret ad talem effectum; ergo Deus nullo modo cum causa secunda immediate cõcurrit ad eius effectum. Vrgeo, si Deus cum causa secunda concurreret immediate ad omnem actum & effectum illius, etiam immediate concurreret ad actum peccaminosum nostræ voluntatis; ergo Deus esset etiam causa peccati, quo quid absurdius? Resp. causam materialem pendere à Deo immediate concurrente non in genere causæ materialis quod ipsi Deo repugnat, sed in genere causæ efficientis quod illi non repugnat, & in hoc etiam genere dicimus causam secundam immediate dependere à prima. Ad confirmationem resp. causam primam cum secunda eadem actione concurrere, in quo nulla est repugnantia, vt sequenti cap. ostendam. Ad aliam confirmationem patebit solutio ex dicendis infra disp. 16. cap. 5.

Sed quærat quis, an diuinitus esse possit aliqua causa extra Deum, quæ sine immediato Dei influxu possit aliquid causare. Resp. omnino implicare, quia sicut repugnat aliqua causa extra Deum, quæ non pendeat immediate à Deo in essendo, ita repugnat causa aliqua quæ à Deo non pendeat in operando, quia modus operãdi sequitur modum essendi, alias Deus non magis esset causa vniuersalis rerum creatarum, quam Adam omnium hominum, primus ignis ommium ignium, primus equus omnium equorum, primus leo omnium leonum, &c. quod maximè derogat dignitati Dei, cum per immediatum concursum in omnes res, longè perfectius explicetur dependentia essentialis quam creatura dicit à creatore, & dominium absolutum, vt possit libere vel impedire, vel imperare earum actiones; ergo creatura sine Dei concursu non solum de facto non potest producere suos effectus, sed nec de possibili, aut alio modo; relinquitur, ergo Deum cum creaturis omnibus ad omnes earum actiones non solum concurrere immediate immediatione virtutis, sed etiam suppositi, id est actio illa qua operatur creatura fluit etiam immediate ab ipso Deo, & non ab aliquo ipsius substituto, quod maxima in Deo esset imperfectio & non minus derogaret diuinæ eius perfectioni, & absoluto dominio in omnes res, & creaturas. 12

CAPVT II.

An causa prima cum secunda, eadem actione concurrat.

NObiles quidam Neoterici censuerunt causam primam & secundam, distinctis reipsa actionibus in effectum influere, quod variis rationibus comprobant quas inferius afferemus, ac diluemus.

Assert 10 tamen sit. Causa prima & secunda eadem iudiuisibili actione ad suum effectum concurrunt, ita D. Thom. 1. p. q. 105. art. 5. ad 2. Mol. in 1. p. q. 14. art. 13. disp. 15. circa finẽ, Suar. tom. 3. met. disp. 22. sect. 3. n. 2. & lib. 1. de auxiliis Dei c. 4. Hurt. disp. 10. phys. sect. 3. Ouiedo controu. 10. phyfic. p. 1. n. 12. Carleton disp. 28. physic. sect. 4. & alij multi. Probatur primò, quando duo argentia subordinata inter se concurrunt ad eundem effectum, eadem actione concurrũt, vt videre est in causa principali & instrumentali, in potẽtia & habitu, in intellectu, & specie impressa quæ quidem, quia inter se subordinantur, eadem indiuisibili actione in effectum influunt, at causa secunda subordinata est primæ, à qua necessario in essendo & operando dependet, vt manet in superioribus demonstratũ; ergo causa prima & secunda eadem indiuisibili actione cõcurrunt. hoc autem præcisè intendit D. Thom. vbi supra cum ait, *vna actio non procedit à duobus agẽtibus: vnius ordinis* (hoc est non subordinatis) *sed nihil prohibet, quod vna & eadem actio procedat à primo & secundo agente.* 13 14

Probatur secundò, actio qua causa creata ad effectum concurrit, dependet, & procedit à Deo vt supra cap. 1. satis superque probatum est, sed non procedit à Deo per aliam actionẽ, quia actionis non datur actio,

actio, sicut non datur vnionis distincta vnio, nec relationis alia relatio, & sic de aliis, alioquin in his omnibus daretur processus in infinitum; ergo actio illa causæ creatæ procedit, & dependet à Deo immediatè per se ipsam, vt actio ipsiusmet Dei; ergo eadem quæ est actio causæ creatæ est etiam actio Dei.

15 Recentiores illi dicunt actionem & causalitatem causæ secundæ non pendere à Deo tanquam ab influente directè in ipsam, sed solum tamquam à concausante necessariò cum causa creata eundem numero effectum, atque ideo actionem creaturæ ab actione Dei pendere solum, vt à concausalitate necessaria; vt per illam effectus fiat, nisi enim esset actio Dei, non esset actio creaturæ, nec per illam effectus produceretur, vnde non sequitur actionem craturæ fore necessariò actionem Dei.

16 Sed impugnatur primo, Deus est causa per se & immediatè cuiuslibet entitatis creatæ, vt supra c. 1. monstratum est, sed actio causæ secundæ est aliqua entitas creata; ergo Deus est causa per se & immediatè actionis causæ secundæ; atqui si actio ista non penderet à Deo vt ab influente in ipsam, sed solum vt à concausante eundem numero effectũ, Deus non esset per se causa immediata talis actionis causæ secundæ; quia causare, est influere esse in aliud, vt constat ex definitione causæ tradita supra disput. 13. c. 1. ergo actio causæ secundæ, non solum pendet à Deo, vt à concausante, sed etiam vt à principio influente in ipsam. Dices eo ipso, quod actio causæ secundæ, pendeat à Deo vt à concausante, Deus aliquo modo influit in illam, atque ita causat illam. Sed contra, Deus influit verè in actionem causæ secundæ; ergo vel influit in illam per se ipsum formaliter, vel per alium medium influxum respectu illius, sed Deus non influit in actionem causæ secundæ per alium medium influxum respectu illius, quia talis influxus esset actio actionis, & actionis non datur actio; ergo influit in illam per se ipsam formaliter tanquam in propriam actionem, atque ita vel actio causæ secundæ est etiam actio Dei, vel Deus nullo modo influit verè in actionem causæ secundæ, ac proinde nec est verè causa illius.

17 Impugnatur secundo, actionem causæ secundæ pendere ab actione Dei solum vt à causalitate necessaria, est solum pendere ab illa vt à conditione necessaria, vt actio illa sit, non enim est actio Dei, via & influxus in actionem causæ secundæ, vt nuper probatum est, atque ita si actio Dei requiritur necessariò, vt sit actio causæ secundæ, solum requiritur vt conditio, & ideo actio causæ secundæ, solũ pendet ab actione causæ primæ vt à conditione necessaria, vt illa actio sit, atqui causare præcisè conditionem aliquam necessariam, vt aliqua res sit non est causare ipsam rem; ergo si Deus præcisè causat actionem causæ secundæ, à qua solum vt à conditione necessaria dependeat actione causæ secundæ, Deus verè ac propriè actionem causæ secundæ non causat, quod est aliqua ratione incidere in errorem Durandi. Minor autem sic ostenditur, si Deus præcisè causaret paternitatem creatam & causa secunda sola sine consortio Dei causaret filiationem, nec Deus causaret verè & propriè filiationem, nec causa secunda verè & propriè, causaret paternitatem, & tamẽ in tali casu Deus causaret paternitatem, quæ est conditio necessaria vt sit filiatio, & causa secunda causaret filiationem, quæ est conditio necessaria vt paternitas sit; ergo causare præcisè cõditionem necessariã vt aliqua res sit non est causare ipsam rem.

18 Obiiciat aliquis primo, non possunt duo reipsa inter se distincta eadem actione operari, nisi agant per eandem virtutem; ideo enim tres personæ diuinæ creaturas omnes producunt eademmet actione quia habent eandemmet virtutem creatiuam, sed causa prima & secunda non habent eandem virtutem actiuam, sed agunt per virtutes diuersas; ergo non agunt eadem actione indiuisibili, sed diuersa. Secundò, eademmet actio non potest esse simul actio immanens & actio transiens, quia manere in agente, & ab illo transire opponuntur, sed actio qua Deus efficit actum nostrum vitalem, est actio transiens, cum non maneat in ipso Deo, actio autem, qua causa creata, v.g. voluntas nostra efficit actum vitalem, est actio immanens, cum maneat in ipsa voluntate; ergo actio Dei & actio causæ creatæ non est eademmet actio, sed distinguuntur reipsa. Tertiò actio qua voluntas creata efficit actum liberum odij Dei, est peccaminosa & mala, & voluntas, quia tali actione ad illius actum concurrit, verè peccat; ergo si Deus eadem actione ad eundem actum concurrit etiam verè peccabit, atqui Deus peccare non potest; ergo Deus non concurrit ad talem actum odij per eandem actionem, qua concurrit nostra voluntas, sed per aliam actionem diuersam. Quartò, Deus est causa prima, respectu voluntatis ac causæ creatæ; ergo agit prius quam illa; ergo non per eandem actionem.

Hæc obiecta sic dissoluo. Ad primum dico sufficere, quod agentia diuersa agant per virtutes inter se subordinatas, vt agant eadem actione, quo pacto agunt causa prima & secunda, & ideo agunt eadem actione, vt ostendi supra num. 12. Ad secundum, respondeo eandemmet actionem esse posse simul immanentem, & transeuntem respectu diuersorum agentium, in quo nulla est implicatio, & ita eadem actio vitalis respectu Dei est transiens, & respectu causæ creatæ scilicet voluntatis, est immanens, sicut etiam in aduersariorum sententia idemmet actus, ac qualitas volitionis respectu Dei est transiens, quia non manet in Deo, & respectu nostræ voluntatis est immanens, quia in ipsa manet. Ad tertium, dico in ipso etiam actu & qualitate odij Dei, quæ liberè fit à voluntate residere malitiam peccati, vnde cum Deus siue per eandem siue per diuersam actionem cum causa secunda, verè causet illum actum, & qualitatem odij ipsius Dei eadem in vtraque sententia vrget difficultas, quomodo Deus non sit causa peccati, cui sequenti disputatione cap. 5. satisfaciam, est enim res grauis & Theologica, quæ longiorem discussionem exigit. Ad quartum, proxima disputatione cap. 4. solutio palam constabit. 19

DISPVTATIO XVI.

Quomodo causa prima applicet secundam ad agendum.

SEx capita continebit. In primo, communis Thomistarum opinio confutatur. In secundo, ingeniosa cuiusdam Neoterici Thomistæ sententia. In tertio, vera sententia ponitur & quomodo cum causa secunda, causa prima concurrat, aperitur. In quarto, partis aduersæ argumenta dissoluuntur. In quinto, An, & quomodo causa prima determinet secundam ad indiuiduationem effectus. In sexto, Infertur & defenditur Deum non esse causam peccati.

CAPVT I.

Communis thomistarum opinio confutatur.

1 HÆc materia graues in se difficultates continet, tam philosophicas, quam Theologicas, quæ inter vtriusque partis propugnatores diu in Academiis ventilatæ sunt, & non inquirimus, an præmotio seu physica prædeterminatio obnoxia sit libertati, nam in omni sententia illæsa debet manere, hæc enim controuersia propria Theologorum est, quam quadraginta abhinc annis fusè & eruditè tractarunt citandi auctores capite 3. num. 20. nos verò ne fines nostros transilire videamur, ea omnia quæ gratiam supernaturalem concernunt, ad Theologiam remittentes, ea solum quæ purè ad naturam & physicam nostram attinent, circa generalem concursum causæ naturalis primæ, cum secunda, elucidare conabimur; ea igitur est, an causa secunda, speciali egeat Dei præmotione, aut physica determinatione, tanquam aliquod eius superadditum, per quod ad operandum determinetur.

2 Præmitto motionem, seu præmotionem, ac applicationem, (sic enim appellant physicam illam prædeterminationem) per quam antecedenter ad operationem, ita voluntas formaliter determinata, & quasi adstricta est ad operandum, vt nulla ratione possit non operari, sed ineuitabiliter sequatur operatio; determinari enim ad operationem significat formaliter ad operandum adstringi, illa verò dictio *præ* antecessionem & prioritatem naturæ seu originis designat, atque ita, illud quasi complexum, prædeterminatio, vel prædeterminari, significat voluntatem antecedenter ad operationem adstringi ad operandum, hoc est in illo priori signo naturæ, in quo concipitur apta ad operandum, ita esse voluntatem in actu primo, ad operandum determinatam, vt ex tali suppositione prædeterminationis physicæ, nullo modo possit non operari: quærimus ergo an Deus, *præter* concursum generalem habeat alium, quo influat in prædictam causam secundam, & moueat eam ad agendum, ita vt talis concursus non solum sit motio, sed præmotio & physica prædeterminatio causæ secundæ ad operandum, & ita causa prima cum secunda concurrat ad omnes suos effectus, vt illam sic moueat, præmoueat, aut physicè prædeterminet ad suam operationem, ante illius determinationem.

3 Communis & satis trita Thomistarum & illustrissimæ Dominicanæ familiæ sententia est, causam primam necessariò causam secundam præmouere, & physicè prædeterminare ad operandum, siue causa secunda sit necessaria siue libera, ita vt absque hac physica prædeterminatione nũquam operetur, quia ad quamlibet eius operationem liberam, aut necessariam, physica Dei prædeterminatio omnino necessariò requiritur, ita vt & posita illa non possit vlla ratione causa secunda non operari, & exire in actum secundum siue prædeterminatio physica consistat formaliter in qualitate aliqua impressa causæ secundæ non agente sed purè illam applicante formaliter ad ineuitabiliter operandum, siue in qualitate secum trahente, & influente, etiam cum causa secunda in eius operationem, siue in actione causæ primæ quæ sit prior natura & productio physica actionis causæ secundæ & quasi initium illius, in modo enim explicandi physicam prædeterminationem variè Thomistæ opinantur, omnes tamen in eo conueniunt, quod physica prædeterminatio necessaria sit ad omnem operationem & ea posita non possit causa secunda non operari, communiter Thomistæ hanc sententiã tribuunt Angelico præceptori etsi nullum adducatur testimonium, quod clare loquatur de physica prædeterminatione, ita Magister Banez, 1. p. q. 13. art. 3. dub. 3. & 2. 2. q. 10. art. 5. dub. 2. documento 3. Aluarez in tract. de auxilijs lib. 3. per totum, Petrus Ledesma de auxilijs art. 10. ad 15. vers. 3. solutio sit, Nauarrete in defensione scholæ D. Thom. controu. 19. §. 1. Nicolaus Cabezudo 3. p. q. 62. art. 5. Petrus Herrera acerrimè in Salmanticensi Academia, Complutenses disp. 11. physic. q. 3. & est communis inter omnes tam antiquos, quam modernos eiusdem Dominicanæ familiæ, cuius fundamenta expediam cap. 4.

Hæc tamen opinio mihi magnopere displicet, atque ideo validissimis rationibus refellenda est. 4
Primò, principaliter impugnatur: voluntas creata est causa secunda libera quæ liberè suos effectus operatur, atqui si in voluntate necessariò daretur talis Dei prædeterminatio physica, voluntas creata non liberè operaretur effectus, nec esset libera; ergo in voluntate creata non datur necessariò Dei prædeterminatio physica. Minor ostenditur. Causa libera est illa quæ positis omnibus requisitis ad operandum potest operari & non operari; sed si physica prædeterminatio esset necessaria vt voluntas creata operaretur, talis creata voluntas positis omnibus requisitis ad operandum non posset non operari, nam prædeterminatio physica, est vnum ex requisitis ad operandum, & illa posita voluntas non posset non operari: ergo si prædeterminatio physica datur necessariò in creata voluntate, vt ipsa operetur, creata voluntas non est verè causa libera.

Dicant aduersarij, voluntatem prædeterminatam operari necessariò tantum ex suppositione prædeterminationis, necessitatem autem ex suppositione non tollere libertatem simpliciter, atque ideo voluntatem etiam prædeterminatam esse simpliciter causam liberam: sed contra: necessitas, ex suppositione antecedenti tollit libertatem simpliciter vt docet D. Anselmus lib. de concordia à principio & ferè per totum & lib. 2. cur Deus homo cap. 17. & 18. sed physica prædeterminatio est suppositio antecedens, atque ideo necessitas proueniens voluntati ex physica prædeterminatione est necessitas ex suppositione antecedenti: ergo talis necessitas prædeterminationis tollit simpliciter libertatem voluntatis. Minor probatur, suppositio antecedens est illa, quæ est in illo priori naturæ, in quo intelligitur voluntas potens in actu primo operari antecedenter ad actum, & illa posita non potest voluntas non elicere operationem, sed physica prædeterminatio est in illo priori naturæ, in quo volũntas est potens in actu primo antecedenter ad actum, quia vel est causa actus, vel conditio ad causandum, & ea posita voluntas non potest non operari: ergo prædeterminatio physica est verè suppositio antecedẽs. Confirmatur. Quando independenter à mea libertate datur in me aliqua suppositio, qua posita non possum non operari, illa tollit libertatem, v. gratia, si Deus ponat in me visionem beatam, talis visio tollet à me libertatem, & me necessitabit simpliciter ad amorem beatificum, quia talis visio est suppositio, quæ ponitur independenter à mea libertate, & ea posita non possum ego non elicere amorem beatificum, atqui prædeterminatio physica est suppositio, quæ ponitur independenter à libertate voluntatis, & ea posita voluntas non potest non operari; ergo prædeterminatio physica tollit simpliciter libertatem. 5

Dicant

Dicant secundo, voluntatem prædeterminatam
6 non posse operari in sensu composito prædeterminationis, id est non posse componere, ac simul ponere non operationem, cum qualitate illa prædeterminante, posse tamen non operari in sensu diuiso hoc est voluntatem secundum se præcisa prædeterminatione posse absolutè, & libere non operari, & hoc sufficere, vt voluntas prædeterminata sit causa libera. Sed contra, volontas prædeterminata in sensu composito non potest libere non operari, vt iam concedis, sed nec in sensu diuiso, hoc est, secluſa prædeterminatione, potest libere non operari actionem, ad quam physicè prædeterminata est; ergo voluntas nullo modo est potens libere non operari talem actionem; ergo in ordine ad illam non est causa libera. Minor probatur. Et loquor de actione physica, & via per quam voluntas physicè prædeterminata cum ipsa simul prædeterminatione efficit physicè actum amoris Dei, arguo sic; actio essentialiter pendet ab agente, cuius est actio, sicut vnio ab extremis, quorum est vnio, & relatio ab extremis, quorum est relatio, sed actio hæc, qua voluntas prædeterminata elicit hunc actum amoris, est actio huius voluntatis, & huius prædeterminationis; ergo actio pendet essentialiter ab hac voluntate, & ab hac prædeterminatione, sed id quod pendet essentialiter ab alio, non potest esse vlla ratione sine illo, ideo enim creatura non potest esse sine Deo, quia pendet essentialiter à Deo; ergo voluntas in sensu diuiso huius prædeterminationis, hoc est, absque hac prædeterminatione, non potest vllo modo elicere hanc numero actionem, quæ essentialiter ab illa prædeterminatione dependet; ergo in sensu diuiso talis prædeterminationis non potest voluntas libere non operari istam actionem. Patet hæc consequentia, vt voluntas possit libere non operari aliquem actum, requiritur necessariò quod possit, tunc liberè operari illum, si enim tunc non possit operari actum, non liberè, sed necessariò, non operabitur illum; ergo si voluntas in sensu diuiso huius prædeterminationis, qua de facto efficit hanc actionem amoris Dei, non potest elicere talem actionem, nec etiam in sensu diuiso poterit actionem illam liberè non operari, igitur tam in sensu diuiso quam in composito non erit voluntas potens liberè operari, & non operari actionem illam, ac per consequens non erit causa libera. Confirmatur, voluntas beati in sensu diuiso visionis beatificæ, potest non amare Deum, & tamen quia in sensu composito visionis Dei, quæ non pendet à sua libertate non potest eum non diligere, illum necessariò simpliciter diligit; ergo similiter licèt in sensu diuiso prædeterminationis possit voluntas nostra non amare Deum, quia tamen in sensu composito talis prædeterminationis, quæ non pendet à nostra libertate, non potest eum non diligere, illum etiam necessariò simpliciter diliget; ergo voluntas nostra prædeterminata non est potentialiter.

7 Dicant tertio, Beatum habere circa Deum iudicium necessarium, quod concipit expressè omnimodam rationem boni, & ideo voluntatem Beati Deum necessariò diligere, viatorem verò non habere circa suum obiectum tale iudicium necessarium, sed potius iudicium indifferens, quod non concipiat expressè omnimodam, & infinitam rationem boni, & ideo non necessariò, sed indifferenter ac libere diligere tale obiectum, quia libertas, ac indifferentia iudicij deriuatur, & refunditur in actum voluntatis: sed contra etiam posita indifferentia obiectiua ex parte iudicij, voluntas nullam omnino habet indifferentiam formalem ad eliciendum, & non eliciendum actum, ad quem est prædeterminata, habet enim omnimodam determinationem formalem ad talem actum eliciendum, cum omnimoda autem determinatione formali ad aliquem actum, nulla compatitur indifferentia formalis respectu eiusdem actus sed formalis libertas formalem indifferentiam includit; ergo etiam posita indifferentia obiectiua ex parte iudicij voluntas in se nullam habet libertatem formalem. Confirmatur, ponamus hominem cognoscere in obiecto rationem boni, & rationem mali, atque ita habere iudicium indifferens, non solum indifferentia contradictionis ad amorem, & non amorem, sed etiam indifferentia contrarietatis ad amorem & odium, talis obiecti; & ponamus etiam homini habenti hoc iudicium indifferens, Deum negare generalem concursum ad eliciendum actum odij, & solum ipsi concursum præbere ad amorem. Tunc sic: in hoc casu datur ex parte iudicij, indifferentia obiectiua contrarietatis ad amorem & odium, & tamen si homo cum hoc iudicio diligat Deum, eius voluntas non est formaliter libera libertate contrarietatis, ideo præcisè, quia ipsa ex defectu concursus diuini non est potens elicere actum odij, ac proinde non est formaliter indifferens ad actum amoris, & ad actum odij; ergo similiter, etiam si detur ex parte iudicij indifferentia obiectiua contradictionis ad amorem, & non amorem, si tamen voluntas sit prædeterminata ad actum amoris ita, vt formaliter non sit indifferens ad amandum & non amandum, non erit formaliter libera etiam libertate contradictionis.

Vrgeo si stante hoc iudicio indifferenti, Deus voluntati creatæ denegaret suum generalem concursum ad omnem actum, non libere, sed necessariò omitteret, ideo solùm quia ita non operaretur, quod non posset operari, sed similiter voluntas prædeterminata ad actum, etiam stante iudicio indifferenti, ita operatur, quod non potest non operari; ergo etiam stante hoc iudicio indifferenti voluntas prædeterminata non liberè, sed necessariò operabitur.

Secundò, principaliter impugnatur: voluntas creata in hoc instanti reali, in quo de facto 8
non elicit amorem Dei, nec est prædeterminata ad illum, est potens simpliciter elicere talem actum, sed si physica prædeterminatio ad omnem actum requireretur, voluntas non prædetetminata in hoc instanti reali ad actum amoris, non posset simpliciter illum elicere; ergo physica prædeterminatio non requiritur ad omnem actum, atque ita causa secunda non necessariò agit prædeterminata à causa prima. Probo minorem cum aliquid ex parte principij requiritur necessariò ad aliquem actum, voluntas sine illo non est simpliciter potens elicere talem actum v. gratia, quia concursus Dei necessariò requiritur ex parte principij, vt voluntas operetur, si Deus substrahat suum concursum, voluntas non erit simpliciter potens operari; ergo si physica prædeterminatio necessariò requiritur ex parte principij ad quanlibet operationem voluntatis, absque tali prædeterminatione, voluntas non erit simpliciter potens aliquam operationem elicere.

Sed vrgeat quis adhuc; auxilium speciale & ef- 6
ficax seu prædeterminationem physicam non requiri ad posse, quia voluntas cum alio auxilio communi ei præstito à causa prima quod sufficiens

appellatur, est potens simpliciter operari, licet de facto cum illo solum non operabitur, quia non est auxilium efficax, sed tantum sufficiens; requiri verò physicam prædeterminationem ad existentiam actus, quia nunquam actus existet absque physica prædeterminatione, atque ideo voluntatem absque prædeterminatione esse potentem simpliciter ad eliciendum actum. Sed contra primo, illud requiritur necessariò ad posse respectu alicuius actionis quod necessariò requiritur ad illam vt principium illius, ideo enim concursus generalis Dei in actu primo, requiritur ad posse causæ secundæ; quia requiritur ad omnem actum causæ secundæ, vt principium illius, sed physica prædeterminatio necessario requiritur ad quemuis actum voluntatis, vt aduersarij fatentur; ergo prædeterminatio requiritur ad posse cuiusque actus voluntatis; ergo voluntas non prædeterminata non est potens elicere aliquem actum. Secundò, principium incompletum in ratione principij, non est simpliciter potens operari, sed in illorum sententia voluntas absque prædeterminatione est principium incompletum, asserunt enim prædeterminationem esse complementum principij; ergo voluntas non prædeterminata non est potens simpliciter operari. Tertiò, causa quæ non continet omnem perfectionem & formalitatem effectus, ipsa secundū se præcisè non est simpliciter potens efficere talem effectum, vt apud omnes constat, sed voluntas secundum se absque prædeterminatione physica iuxta ipsorum principia non continet omnem perfectionem & formalitatem effectus, quia actualitas, quæ in effectu reperitur non potest (inquiunt illi) in sola potentia voluntatis, sed in actuali prædeterminatione physica contineri; ergo voluntas absque tali physica prædeterminatione non est simpliciter potens efficere suum effectum. Quartò voluntas, vt ipsi docent, auxilium esse sufficiens non potest reddere efficax, sed si voluntas cum solo auxilio sufficienti absque prædeterminatione posset simpliciter operari, posset simpliciter auxilium ipsum sufficiens reddere absolute efficax; ergo voluntas cum solo auxilio sufficienti absque prædeterminatione non est potens simpliciter operari: minor probatur, si voluntas cum solo auxilio sufficienti operaretur, redderet illud efficax, quia efficax auxilium, est illud quod cum operatione coniungitur; ergo si voluntas cum solo auxilio sufficienti potest simpliciter operari, potest etiam simpliciter auxilium illud reddere efficax, quod ipsi asserunt implicare. Huius argumenti vis ex dicendis infra cap. 2. apparebit.

Sed vrgeat quis adhuc; Deus non prædeterminat physice nostram voluntatem ad actum peccaminosum, v.g. ad actum odij ipsius Dei; ergo nec etiam necessariò prędeterminat physice voluntatem ad actum bonum, v.g. ad actum amoris Dei, consequentia est euidens à paritate rationis, & qui antecedens admittit, & consequentiam inficiatur, inconsequenter procedit, nec aliquam rationem potest nobis pro physica prædeterminatione obijcere, quæ non possit in actu peccati facile & perspicue instari, vt ipsi Thomistæ admittunt, antecedens autem sic probo, Deus non est, nec esse potest auctor, & causa per se peccati, vt definitum est in Concilio Trident. sess. 6. cap. 6. damnante illos, qui dixerint *mala opera, ita vt bona Deum operari, non permissiuè solum, sed etiam propriè & per se*; atqui si Deus physicè prædeterminaret voluntatem ad peccatum esset per se causa peccati; ergo Deus non physice prædeterminat voluntatem ad peccatum: minor probatur, magis concurrit ad opus ille, qui ita hominem præmouet & prædeterminat ad illud efficiendum, vt posita tali præmotione homo non possit opus non elicere, quam qui solum suadet, vel præcipit tale opus, sed si Deus suaderet ad peccatum, vel illud homini præciperet, esset Deus per se causa peccati; ergo si Deus physice præmoueret, & prædeterminaret hominem ad peccatum, ita vt posita tali præmotione homo non posset non elicere opus peccati, Deus esset per se causa peccati.

Vltimo tandem dicat aliquis Deum physice prædeterminare & concurrere ad actum malum, non verò sub ratione mali, sed solum sub ratione entis, quia talis actus provt à Deo non est malus, sed solum ens. Sed contra, actus vitalis visionis creatæ non est vitalis, nec visio provt à Deo, quia Deus non viuit, nec videt per talem actum, & tamen quia physice & determinate concurrit ad illum prædeterminando intellectum ad eliciendum actum vitalem visionis, est Deus absolutè & simpliciter causa talis actus vitalis visionis; ergo similiter, licet actus malus provt à Deo, si tamen Deus physice & determinate concurrit ad actum malum, præmouendo, & prædeterminando physice nostram voluntatem ad illum eliciendum, erit Deus absolutè & simpliciter causa actus mali; Hinc sumitur ratio à priori, quia illa est causa absolutè per se alicuius effectus, quæ ad illum concurrit vt causa ex se determinata ad ipsum, non verò vt causa indifferens determinata per aliam, sed Deus si prædeterminaret physice nostram voluntatem ad actum peccati, concurreret ad illum vt causa ex se determinata, imò vt causa etiam determinans aliam ad talem actū peccati eliciendū; ergo si Deus prædeterminaret physice ad actū peccati esset absolutè causa per se actus peccati. 11

Quarto principaliter impugnatur, causa necessaria non agit prędeterminata physice à causa prima; ergo causa prima non necessario prædeterminat causam secundam ad operandum. Antecedens probatur, si causa necessaria ageret physice prædeterminata à prima, vel Deus concurreret ad effectum illius causæ secundæ, media qualitate prædeterminante illi impressa præcisæ, vel etiam concurreret per seipsum immediatè, si primum dicas, est opinio Durandi, quæ satis superque supra disp. 15. cap. 1. cum cōmuni schola reiecta est, si autem secundum asseras, physica illa prædeterminatio est omnino superflua, quod natura non permittit; ergo causa necessaria non agit prædeterminata physice à causa prima. Porrò, si datur Deum media qualitate prædeterminante præcisè concurrere ad effectum causæ secundæ, esse opinionem Durandi ab omni schola reiectam, sic probatur, Durandus asserebat Deum solum mediate concurrere ad effectus causæ secundæ hoc est, media virtute creata, quam causæ secundæ impressit, in eaque conseruat, atqui Deum concurrere media qualitate prædeterminate dumtaxat, ad effectus causæ secundæ, est concurrere ad tales effectus media virtute creata, quam Deus causæ secundæ, impressit, in eaque conseruat, etenim physica prædeterminato est virtus quædam creata impressa causæ secundæ, à Deo, vt aduersarij admittunt; ergo dicere Deum tantum concurrere ad effectus causæ secundæ, media qualitate prædeterminante, & non per seipsum immediate est verè opinio Durandi. 12

Si autem asseratur, Deū etiam per seipsum immediatè concurrere physice ad effectus causæ secundæ, necessariæ superfluam omnino esse physicam prædeterminationē, sic probo, si physica prædeterminatio in causa secunda necessaria ad aliquid necessariò requireretur 13

requireretur maxime vel vt cauſa illa cõtineret in ſe adæquate omnem perfectionem effectus, vel vt eſſet determinata ad illum eliciendum, vel vt eſſet ſubordinata Deo, ſed ad nullũ ex his, phyſica prædeterminatio requiritur, ergo ad nihil requiritur, ac per conſequens eſt ſuperflua. Minor ſigillatim probatur, hæc cauſa prima neceſſaria, ſcilicet ſol, eſt longe perfectior, & eminentior luce, quam producit, ergo continet in ſe eminenter totam perfectionem lucis, ergo phyſica prædeterminatio in hac cauſa non requiritur vt contineat totam perfectionem effectus: deinde cauſa neceſſaria, v.g. ignis calor effectus, eſt determinatus naturaliter ad producendum alium ignem, & intellectus lumine gloriæ illuſtratus eſt etiam cauſa ex ſe determinata ad producendam viſionem Dei, ergo non requiritur phyſica Dei prædeterminatio, vt talis cauſa determinetur ad producendum ſuum effectum, denique eo ipſo quod cauſa ſecunda pendeat neceſſario à Deo in operando, eſt ſubordinata illi vt cauſæ primæ, ſed cauſa ſecunda, ſecluſa prædeterminatione phyſica adhuc pendet neceſſario à Deo in operando, cum non poſſit aliquem effectum elicere, niſi Deus cum ipſa in eumdem effectum etiam immediatè concurrat, vt ſupra monſtratum eſt diſput. 15. capite primo, ergo cauſa ſecunda, ſecluſa phyſica prædeterminatione eſſet ſubordinata Deo, vt cauſæ primæ. Probatur Maior, nam cauſa ſecunda, vt prædererminata formaliter, hoc eſt aggregatum illud ex cauſa ſecunda, & prædeterminatione eſt cauſa creata, atque ita ſubordinata Deo vt cauſæ primæ, atqui voluntas vt prædeterminata, ſeu prædeterminatio ipſa non pendet in operando à Deo, media alia prædeterminatione, quia eſſet proceſſus prædeterminationum in infinitum, ſed ſolum pendet ab illo vt immediate influente cum illa in eundem effectum, ergo eo ipſo, quod aliqua cauſa pendeat in operando à Deo vt ab influente cum ipſa immediatè in eumdem effectũ, eſt ſubordinata Deo vt cauſæ primæ, vnde cum totum hoc habeat cauſa prima, ſecluſa prædeterminatione vt probauimus, talis prædeterminatio non requiritur vt cauſa ſecũda ſit ſubordinata Deo, atq; ita nihil requiritur.

CAPVT II.

Ingenioſa cuiuſdam neotherici Thomiſtæ ſententia.

14 EGregius quidam Magiſter ex eadem illuſtriſſima familia Salmanticæ publice docuit, Deum phyſicè vt cauſam primam omnem cauſam primam neceſſario ad quemlibet eius effectum phyſicè prædeterminare per phyſicam qualitatem ei impreſſam, quam prædeterminantẽ appellant, quæque per modum principij phyſicè influit in effectum cauſæ ſecundæ, illamque ad operandum phyſicè præmouet, ita tamen vt illa poſita prædeterminatione voluntas noſtra ſimpliciter poſſit non operari, ſemper tamen infallibiliter cum tali prædeterminatione operabitur, quia cum talis prædeterminatio ſit ex ſe phyſicè, natura ſua, ac eſſentialiter efficax, habet ineuitabilem conuerſionem cum operatione voluntatis, liberam tamen, ac proinde poteſt voluntas etiam poſita prædeterminatione ſimpliciter non dicere actum illum ad quem per qualitatem illam

15 phyſicè prædeterminata eſt.

Mihi quidem hæc ſententia magnopere ſemper diſplicuit, & hac ratione impugnatur, voluntas noſtra non poteſt reddere qualitatẽ illam, quæ eſt phyſicè prædeterminans, inefficacem, cum ipſa ſecundum ſe ſit eſſentialiter efficax, vt docent aduerſarij, ſed ſi poſita tali prædeterminatione voluntas poſſet abſolutè non operari, poſſet abſolutè voluntas talem qualitatem prædeterminantem reddere inefficacem, ergo voluntas poſita tali phyſica prædeterminatione non poteſt abſolutè non operari, ergo male hæc ſententia adſtruit, ita voluntatem creatam à cauſa prima prædeterminari, quod poſita prædeterminatione poſſit abſolutè voluntas non operari, licet numquã de facto operatura ſit: Minor oſtenditur, ſi voluntas poſita qualitate prædeterminante actu non operatur, actu redderet illam inefficacem, quia talem qualitatem cum non operatione coniungeret, quod eſt eſſe inefficacem, ergo ſi voluntas poſita tali qualitate prædeterminante poſſit abſolutè non operari, poſſet reddere illam qualitatem inefficacem, quia poſſet illam qualitatem cum non operatione coniungere quod eſt poſſe illam reddere inefficacem. Vrgeò: hoc, quod eſt voluntatem poſita qualitate prædeterminante non operari, eſt formaliter reddere illam qualitatem inefficacem, ergo voluntas quæ poteſt facere hoc (id eſt ipſam voluntatem poſita qualitate prædeterminante non operari) poteſt reddere talem qualitatem inefficacem. Patet, hæc eſt euidens conſequentia, animal rationale eſt formaliter homo, ergo qui poteſt facere animal rationale, poteſt facere hominem, ergo etiam hæc eſt conſequentia euidens, voluntatem, poſita qualitate prædeterminante non operari eſt formaliter illam reddere inefficacem, ergo voluntas quæ poteſt poſita qualitate prædeterminãte non operari, poteſt abſolutè illam reddere inefficacem.

Dicant recentiores primo, hoc argumentum 16
procedere à ſenſu compoſito ad ſenſum diuiſum, nam in antecedenti, cum dicimus, *ſi voluntas poſita qualitate prædeterminante non operaretur*, &c. componimus non operationem cum illa qualirate, quod verè eſſet reddere illam inefficacem, in conſequenti verò cum dicimus, ergo ſi voluntas poſita qualitate prædeterminante poteſt non operari, &c. non componimus, ſed diuidimus non operationem abilla qualitate, ac proinde non ſequitur, quod poſſit qualitas illa reddi inefficax à noſtra voluntate. Sed contra, loquor ſemper in ſenſu compoſito, voluntas poteſt componere non operationem, cum qualitate illa prædeterminante, ergo poteſt illam reddere inefficacem. Probo antecedens voluntas affecta prædeterminatione in hoc inſtanti A, & ex ſuppoſitione, quod illam qualitatem prædeterminantem in ſe habet, poteſt ſimpliciter in eodem inſtanti, A, non operari, vt tu admittis; ergo poteſt voluntas ſimul ponere in illo inſtanti A, non operationem cum illa qualitate. Patet conſequentia, quia ex ſuppoſitione, quod in hoc inſtanti A, habet voluntas illam qualitatem, non poteſt illam non habere, ergo ſi adhuc poteſt non operari, atque ita ponere in illo eodem inſtanti non operationem, poterit etiam ſimul ponere in eodem inſtanti non operationem cum illa qualitate, ergo poterit voluntas componere non operationem cum illa qualitate. Probo hanc conſequentiam, nam componere eſt ſimul ponere, ergo ſi voluntas poteſt ſimul ponere non operationem cum illa qualitate prædeterminante, poterit etiam componere talem non operationẽ cum illa, ac proinde poterit reddere eam qualitatẽ inefficacem.

Dicant ſecundo, voluntatẽ ex ſuppoſitione, quod 17
habeat in hoc inſtanti qualitatẽ prædeterminantem ad operandum, eſſe etiã potentẽ ſimpliciter ad non operandũ, non quidẽ ad non operandum pro eodẽ inſtanti, ac in ſenſu compoſito talis prædeterminationis, ſed ad non operandũ pro alio inſtanti, ac in

sensu diuiso qualitatis prædeterminãtis, sicut homo etiam ex suppositione, quod sedet, est simpliciter potens ad standum, non quidem ad standum pro eodem instanti, & in sensu composito sessionis, sed ad standum pro alio instanti in sensu diuiso illius. Sed contra, ponamus peccatorem in vltimo vitæ instanti habentem in se qualitatem ipsum physice, prædeterminantem, vt bene operetur, & conuertatur in Deum. Hic homo ex suppositione, quod in hoc vltimo instanti habet qualitatem prædeterminantem vel non est simpliciter potens ad non bene operandum, vel est potens simpliciter non bene operari. si primum dicas, redis ad antiquam sententiam ac solutionem satis supra impugnatã cap. 1. à num. 3. Si autem secundũ asseratur; ergo voluntas potest simpliciter non operari pro eo instanti, in quo supponitur habere qualitatem illam prædeterminantem, nam cum illud instans sit vltimum, vltra illud, non est aliud instans, pro quo possit voluntas non operari, ergo voluntas poterit simul ponere operationem cum illa qualitate, ac proinde illam reddere inefficacem.

18 Dicat tertiò, qualitatem prædeterminantem voluntatem ad actum bonum efficiendum, pendere in genere causæ materialis ab ipso libero actu bono, licet hic pẽdeat ab illa genere causæ efficientis, cum non implicet mutua causalitas in diuerso genere causæ, vnde quamuis ex suppositione qualitatis prædeterminantis ad opus, voluntas non possit non operari, quia tamen ipsa qualitas pendet ab ipso actu bono, qui est exercitium liberum voluntatis, ideo talis qualitas, est suppositio non antecedens sed consequens; & necessitas ad operandum ex illa suppositione consequenti, quæ iuxta D. Anselmum vbi supra non tollit simpliciter libertatem ad operandum & non operandum, & eapropter voluntas in instanti in quo est prædeterminata est simpliciter potens non operari.

19 Hæc tamen recentiorum solutio, quæ iuxta ipsorum principia subtilis est, præterquam quod talis mutua causalitas etiam in diuerso genere causæ implicatoria sit, vt infra ostendam, hac noua ratione impugnatur. Prædeterminatio physica est suppositio antecedens, ac independens omninò à voluntate liberratis; ergo tollit libertatem simpliciter; ergo voluntas pro eo instanti in quo habet prædeterminationem non est simpliciter potens non operari. Antecedens probatur, illa qualitas prædeterminans, licet penderet ab actu bono voluntatis non penderet ab illo vt libero; ergo est omninò cedens, eo modo illa qualitas prædeterminans independens à libertate voluntatis: patet antependet ab illo actu bono, quo talis actus in priori aliquo signo causæ materialis supponitur ad illam qualitatem, sed actus ille non supponitur ad qualitatem illam prædeterminantem in aliquo priori vt liber; ergo qualitas ista non pendet ab illo actu vt libero. Probo minorem, in illo priori in quo actus iste voluntatis præcedit qualitatem prædeterminantem non est, aut concipitur vt effectus, nec vt habens ordinem ad causam efficientem, quia in illo priori non est qualitas prædeterminans, à qua effectiue procedit talis actus, sed tantum est in illo priori actus vt receptus, & vt habens ordinem ad causam materialem, vt aduersarij fatentur, atqui actus ille non est formaliter liber vt receptus, & vt habens ordinem ad causam materialem præcisè, sed solum vt effectus, & habens ordinem ad causam efficientem; sola enim potentia actiua & non passiua est formaliter causa libera vt dicam in libris de anima; ergo in illo priori, in quo actus ille precedit in genere causæ materialis qualitatem prædeterminantem, non est formaliter liber, ac proinde qualitas prædeterminans non pendet ab illo, actu, vt formaliter libero, atque ita à libertate voluntatis, sed est suppositio omnino antecedens tollens eius libertatem. Sed de hoc satis, fusior enim huius solutionis impugnatio verè ad Theologiam spectat.

CAPVT III.

Vera sententia ponitur, & quo modo cum causa secunda, causa prima concurrat, aperitur.

VEra igitur sententia est causam primam non concurrere cum secunda, illam physice prædeterminando & præmouendo ad opus, sed solum immediatè per seipsum Deum concurrere iuxta propriam causæ creatæ naturam, suum generalem concursum attemperando, Hanc opinionem vniuersa Societatis schola vna omnium conspiratione amplexatur. Molina 1. part. quæst. 14. art. 13. disp. 6. & sequentibus, & in concordia eadem quæst. & art. disp. 37. & 38. & quæst. 23. artic. 4. & 5. Vasquez 1. part. disput. 68. cap. 4. & disp. 99. cap. 3. Valentia 1. 2. disput. 8. quæst. 3. punct. 4. propositione 4. Cardinal. Bellarminius tom. 1. de gratia & lib. arbitr. cap. 11. & 12. & lib. 1. de gratia cap. 12. & lib. 4. cap. 14. & lib. 6. cap. 15. Suarez tom. 1. met. disp. 22. sect. 2. & toto lib. 1. & 3. de auxiliis, & disp. 5. met. sect. 3. & sect. 6. & de auxiliis, prædestinatione, & multis aliis locis. Fonseca tom. 3. met. lib. 6. cap. 2. quæst. 5. sect. 8. & 10. Conimbr. 2. physic. cap. 7. quæst. 13. art. 2. Leonardus Lessius disp. de efficacia gratiæ per totam, & alij per multi relati à Suarez dicta disp. 22. met. sect. 2. num. 20. & lib. 3. de auxiliis cap. 13. à num. 15. & de gratia efficaci cap. 1. Salas 1. 2. disp. 3. sect. 2. Tannerus 1. 2. disp. 6. de absoluta scientia Dei cap. 2. Didacus Ruiz de Montoya in copioso tract. de scientia & prædeterminatione, Alarcon, Petrus Hurtado disput. 10. physic. sect. 4. Arriaga disp. 10. phys sect. 3. Carleton disp. 10. physic. sect. 1. & 2. Petrus Ouiedo controu. 10. physic. part. 3. n. 3. ait ex illustrissima Dominicana familia nullum ante Banez huiusmodi prædeterminantem qualitatem agnouisse; sed multo ante hos auctores sententiam hanc mirifice illustrauit, & physicas prædeterminationes euertit illustrissimus Abulensis Hispaniarũ egregius Doctor meique veteris D. Bartholomæi Collegij iubar splendidissimum tom. 5. in met. cap. 19. quæst. 175. quos iam quamplurimi Recentiores imitantur. Hæc itaque sententia quatenus physicas prædeterminationes euertit, supra cap. 1. & 2. probata est, quatenus verò asserit causam primam, suum attemperare concursum iuxta conditionem & naturam causæ secundæ, vt cum illa connaturaliter & proportionate concurrat in hoc cap. explicabitur.

Præmitto causam creatam aliam esse necessariam, 21
quæ scilicet in actu primo est determinata omnino ad suum effectum producendum, & illum, si debite applicetur, omnimoda necessitate producit, hoc modo ignis calefacit, & aqua infrigidat & sic de aliis; aliam esse causam liberam quæ scilicet positis omnibus requisitis ad operandum, est potens operari, & non operari, qualis est voluntas, quæ positis omnibus requisitis potest simpliciter amare, & odio habere, & velle cessare ab vtroque actu. Quærimus ergo qua ratione causa prima cum secunda, siue necessaria, siue libera concurrat ad suos effectus.

ASSERTIO

Assertio prima. Cauſa prima, ſcilicet Deus, cum diſtinctè & in particulari præuideat omnes cauſas primas neceſſarias ex ſe determinatas ad ſuos proprios & particulares effectus, & in tali loco, & tempore, in his & illis circunſtantijs fore approximandas ad paſſum, proprioſque effectus operaturas, ſi ipſe cum illis concurrat, licèt Deus ſe ſolo poſſet adæquatè tales effectus producere, abſolutè tamen & determinatè decreuit particulariter concurrere ſimul cum quauis cauſa ſecunda neceſſario in illis omnibus circunſtantijs & occaſionibus ab eo præciſis, ad proprios & particulares effectus talis cauſæ producendos, & cauſa ſecunda neceſſaria non eget phyſica prædeterminatione intrinſeca vel extrinſeca ad producendos ſuos naturales effectus, niſi generali Dei concurſu, quo concurrit ad ponendum ad extra omnes effectus talium cauſarum. Ita auctores citati n. 2. cap. 3. Suarez vbi ſupra diſp. 22. ſect. 4. num. 4. Cerleton cum multis diſp. 30. ſect. 1. num. 5. itaque in cauſis neceſſarijs, quo ad effectus naturales nulla requiritur determinatio, quia quælibet cauſa naturalis, & neceſſaria ex natura ſua ſufficienter determinata eſt ad certos effectus, & quodam naturæ pondere operatur, vt patet in igne, aqua, & alijs cauſis, & potentijs naturalibus, quæ cum omnimoda determinatione ad vnum, operantur: ergo in ijs omnibus non eſt neceſſaria aliqua qualitas intrinſeca, vel extrinſeca ad determinandas cauſas ſecundas neceſſarias ad ſuos effectus naturales producendos, quid enim opus eſt hac qualitate, vt lapis ſurſum proiectus de nouo cadat, cum à ſua grauitate feratur deorſum? & etiam vt ignis ſtuppæ applicatus com burat? ergo in cauſis ſecundis neceſſarijs ad producendos ſuos effectus naturales fruſtra talis qualitas intrinſeca, vel extrinſeca ponitur.

23 Ratione probatur: Deus quatenus cauſa prima, exhibet cauſæ ſecundæ illũ generalem concurſum, quem ipſa connaturaliter petit, nam Deus ſe accommodat naturis rerum, ſed cauſa ſecunda neceſſaria petit naturaliter concurſum Dei determinatum & abſolutum, hoc eſt decretum, quo abſolutè & determinatè decernat concurrere cum ipſa cauſa ſecunda, quia cauſa ſecunda, quatenus creata, ac ſubordinata Deo petit connaturaliter concurſum Dei, & quatenus cauſa neceſſaria, ac determinata petit concurſum determinatum, ergo Deus vt cauſa prima præbet cauſæ primæ concurſum determinatum & abſolutum, id eſt habet abſolutum decretum quo cum illa decernat determinate concurrere.

Non eſt tamen facile explicare, quomodo cauſa prima cum cauſa ſecunda libera, ſuos effectus libere operante concurrat, Scotus in 1. diſt. 39. §. *viſo de contingentia* & diſt. 41. §. *primum iſtorum* & §. *ſed contra*, & alibi quæ Scotiſtæ ſequuntur, opinatur cauſam primam ſuum generalem concurſum parare cauſæ ſecundæ etiam liberæ per voluntatem abſolutam & efficacem, qua vult abſolutè cum illa ad omnes ſuas liberas operationes concurrere, quæ volitio Dei cum libera ſit, non deſtruit, ſed conſeruat noſtræ voluntatis libertatem.

24 Sed non placet hæc ſententia primo, quia ſuppoſitio antecedens, qua ſuppoſita voluntas non poteſt non operari, tollit libertatem ſimpliciter vt ſupra cap. 1. ratione & D. Anſelmi autoritate probaui, ſed voluntas illa efficax & abſoluta Dei, qua Deus abſolutè velit cum cauſa ſecunda libera, eius actum operari, eſt ſuppoſitio antecedens, cum ſit independens ab exercitio libero voluntatis, & cauſa illius, & poſita voluntate Dei, non poſſit noſtra voluntas non operari, quia voluntati Dei abſolutæ nullus reſiſtere valet, ergo talis voluntas abſoluta Dei concurrendi cum voluntate creata tollit eius libertatem. Vide dicta ſupra cap. 1. quæ hic etiam poſſunt applicari. Secundo impugnatur, poſita illa voluntate abſoluta Dei concurrendi cum voluntate creata ad ſuos actus, in hoc inſtanti. *A.* Voluntas creata manet in eodem inſtanti. *A.* libera in actu primo ad tales actus, ergo poſita illa voluntate abſoluta Dei manet noſtra voluntas potens ſimpliciter ad non operandum talem actũ; cauſa enim libera eſt illa quæ poſitis requiſitis poteſt operari, & nõ operari, ergo voluntas creata poteſt reſiſtere voluntati abſolutæ Dei, quod eſt contra fidem. Probo hanc conſequentiam: ſi poſita illa voluntate abſoluta Dei concurrendi cum voluntate creata ad hunc actum, voluntas creata talem actum, non eliceret, reſiſteret vere illi voluntati abſolutæ Dei, quia non faceret id, quod Deus abſolutè vult, vt fieret; quod eſt eius abſolutæ voluntati reſiſtere; ergo ſi poſita tali voluntate abſoluta Dei concurrendi cum voluntate creata ad hunc actum, poteſt voluntas creata talem actum non elicere, poteſt reſiſtere voluntati abſolutæ Dei. Recognoſce in ſimili dicta ſupra cap. 2.

Assertio ſecunda: cauſa prima, ſcilicet Deus non 25
præmouet ſeu prædeterminat antecedenter voluntatem creatam per aliquam phyſicam qualitatem intrinſecam aut extrinſecam ad ſuos actus liberos producendos, ſed eſt indifferenter paratus ad concurrendum cum illa offerendo illi ſuum concurſum indifferentem paratum in actu primo ad concurrendum ſimul cum ipſa voluntate creata ad omnes, ad quos ipſa pro ſuo libito voluerit concurrere. Ita Auctores citati num. 20. Probatur primo auctoritate illuſtriſſimi Abulenſis qui tom. 5. in Matth. cap. 19. qu. 175. in reſponſione ad primum loquens de libertate hominis hanc ſententiam mirifice ante alios docuit, & inter alia verba hæc habet; *quia quod flectat ſe in iſtum actum, vel rem & non in illam, non eſt niſi per libertatem: & non eſt quærenda alia cauſa, neque dependet quantum ad hoc liberum arbitrium ab aliquo, ſed per naturam ſuam hoc habet*, & paulo inferius ſic proſequitur; ſecundo *modo ſit quando propoſitis ambabus partibus contradictionis, Deus facit quod vna earum eligatur, non quidem determinando liberum arbitrium ad hoc, & detrahendo ab illo, quia iſtud eſſet contra conditionem libertatis, & nihil relinqueretur libero arbitrio, per quod eſſet liberum*, & tandem paucis interpoſitis ſic clarius rem hanc demonſtrat, *ſed eſt libertas ſua quod propoſitis duobus bonis æqualiter vel inæqualiter, poteſt ſe determinare in quodcumque eorum voluerit, etiam non exiſtente ratione aliqua, quare potius ad hoc quam ad illud ſe flectit, ſed quia vult*; quibus verbis manifeſtè oſtendit non dari aliquam qualitatem ſeu præmotionem aut phyſicam prædeterminationem, per quam voluntas prius præmoueatur, quam ſe ipſa ad operandum, ſe determinet, ergo in cauſa libera ad operandum & efficiendum ſuos actus liberos, talis phyſica præmotio ſeu phyſica prædeterminatio non datur, neque eſt neceſſaria.

Sed quærat quiſpiam, per quam voluntatem Deus 26
offerat ſuum concurſum indifferentem cauſæ ſecundæ liberæ. Suarez dicta diſp. 22. met. ſect. 4. n. 14. & 19. docet Deum offerre ſuum concurſum voluntati creatæ per quandam voluntatem conditionatam, qua Deus vult concurrere cum creata voluntate ad hunc & illum actum, ſub conditione quod ipſa ſe determinet ac concurrat ad illum. Sed non placet, quia cum quis vult aliquam rem ſub conditione, quam præuidet clarè, & diſtinctè ponendam eſſe infallibiliter à parte rei, ſaltem moraliter, vult abſolutè illam rem, ſed quando Deus haberet voluntatem illam conditionatam, qua vellet

concurrere

concurrere ad omnes actus liberos nostræ voluntatis etiam peccaminosos sub conditione quod ipsa ad illos concurrat, clare & distinctè præuideret talem conditionem esse infallibiliter sæpe ponendam à parte rei, & voluntatem nostram infallibiliter concursuram ad actus peccaminosos; ergo Deus vellet absolutè saltem moraliter tales actus peccaminosos, quod dici non potest, nec enim Deus volens iniquitatem tu es.

28 ASSERTIO tertia, Deus per modum causæ primæ, offert suum concursum indifferentem causæ liberæ creatæ, per voluntatem absolutam qua absolutè, & efficaciter vult suam potentiam executiuam ponere quasi in manu nostræ voluntatis, ac esse paratam in actu primo, ligatam naturaliter, & adstrictam ad concurrendum cum creata voluntate, & vt ipsa voluntas creata pro libito suo illa vtatur ad hanc & illam operationem liberam eliciendam. Ita vt quemadmodum Deus ponit in potestate nostræ voluntatis, habitum charitatis, vt cum illo possit voluntas pro libito elicere, & non elicere charitatis actum; & quamuis non possit voluntas nostra, actum charitatis elicere sine actuali, ac simultaneo concursu habitus charitatis, tamen cum eum actum eliciat, non tribuitur determinatio actionis habitui charitatis, sed voluntati; quæ libere se, & habitum charitatis ad agendum determinauit; sic similiter Deus ponit quasi in potestate, & manu voluntatis creatæ suam potentiam, & auxilium indifferens in actu primo, paratum, vt cum illo possit voluntas libere elicere, & non dicere quemlibet actum: & licet voluntas creata non possit actum aliquē operari sine actuali, & simultaneo concursu causæ primæ, tamen quando de facto libere operatur, determinatio talis actionis non tribuitur formaliter causæ primæ, sed solum voluntati creatæ, quæ se & causam primam libere ad operandum determinauit, etenim etsi causa prima, omnino libere offerat, & paret suum concursum in actu primo, ad concurrendum cum causa secunda libera pro libito illius, hoc tamen posito postea cum causa secunda libera concurrit causa prima ad modum causæ naturalis, scilicet non vt determinata à se, sed vt determinata concomitanter & simultanee, per causam secundam liberam, scilicet per creatam voluntatem.

29 Verum dicat quis: ergo Deus non habet perfectam prouidentiam circa actus liberos creatæ voluntatis, cum non velit determinate ad illos concurrere, sed solum esse paratum vt creata voluntas eliciat, quos ipsa maluerit. Respondeo, Deum habere perfectissimam prouidentiam circa actus omnes liberos creatæ voluntatis, nam cum ipse scientia conditionata clarè & distinctè præuideat, si paret suum concursum creatæ voluntati, hos actus in particulari bonos, & illos etiam determinate prauos infallibiliter elicituram, Deus vult parare suum concursum indifferentem ex complacētia, quod illos actus in particulari bonos efficiat, & ita perfecte & positiue (vt ita dicam) prouidet Deus actus voluntatis bonos, & etiam vult dare voluntati prædictum concursum, quo videt actus prauos elicituram, & permittere illos actus malos in particulari, atque ita illos etiam perfecte præuidet permissiue, quam solum prouidentiam videlicet permissiuam potest Deus habere respectu peccati.

CAPVT IV.

Partis aduersæ argumenta dissoluuntur.

SEctatores contrariæ sententiæ plura quidem pro illa congerunt argumenta tum Physica, tum Theologica: de Physicis agam nunc, & illa clare enodabo. De Theologicis vero fere nihil in præsenti disseram.

Obiiciat quispiam primo, Aristotelem 8. Physicæ, cap. 5. dicentem causam secundam, agere vt motam à causa prima scilicet à Deo, quem primum motorem appellat; ergo agit causa secunda vt prædeterminata à prima, Deinde Diuum Thomam 1.p.q.105. art.5. qui ait Deum applicare ad operandum causas secundas, ergo prędeterminat illas, & quod plus est, ipse S.Doct. q. 3. de potentia, art.7. ad 7. ait quatuor modis Deum operari cum creaturis, primo, dando eis esse, & virtutem operatiuam: secundo, eas & virtutem earum actiuam conseruando: tertio, applicando eas ad agendum sicut artifex applicat instrumenta artis: quarto demum, inquantum secunda operatur vt instrumentum primæ causæ per virtutem aliquam superadditam quasi instrumentariam, per quam completur ad agendum. hæc autem virtus superaddita non potest esse aliud, quam prædeterminatio physica causæ primæ respectu secundæ; ergo causa secunda iuxta Diuum Thomam physicè prædeterminatur à prima. Respondeo Aristotelem ibi solum loqui de motu latè accepto prout productionem significat, qua res in suo esse producitur, & ita omnis causa secunda est mota id est producta à prima, scilicet à Deo, qui dicitur primus motor, id est à nullo productus. Ad primum testimonium Diui Thomæ dico, illum loqui de concursu tantum generali per quem mouet & applicat causas secundas ad operandum, & per hunc concursum optime intelligitur causam secundam non agere nisi motam, & adiutam à Deo, non vero antecedenter præmotam, ipse enim dedit eis virtutem operatiuam. & efficit omnes dispositiones, quibus causæ necessariæ applicentur, & cognitionem etiam obiecti, qua applicatur causa libera, & etiam efficit principaliter actionem qua formaliter omnis causa in actu secundo ad operandum determinatur. Ad secundum testimonium Diui Thomæ, Respondet Suarez lib. 1. de auxiliis cap. 11. num. 6. oppositum docuisse 3. contra gentes, cap. 66. & 70. 1. 2. q. 9. art. 3. ad 6. vbi docet modum concurrendi causæ primæ cum secunda esse indifferentem, has vero esse particularizantes, & determinantes, & voluntatem solum moueri à Deo, hominem verò seipsum ad hoc, vel illud determinare, ita, vt possit operari, & non operari; de qualitate verò instrumentaria deriuata à causa prima, in secundam, solum probat non magis posse hominem, aut aliam quamcumque creaturam siue necessariam siue liberam, agere sine concursu & influxu Dei, quam malleum, aut aliud instrumentū sine influxu artificis, ex quo non probat D. Thomam posuisse motionem aliquam præuiam antecedentem ad operandum, sed ad summum motionem concomitantem & cooperantem, in causis vero liberis Deus præuie etiam influit immittendo illuminationes & inspirationes quibus ad bonum eas inuitat.

Obiiciat secundo, Deus est causa prima respectu 31
creatæ causæ, quæ dicitur causa secunda; ergo prius natura agit, quam agat causa secūda, alioquin non esset Deus causa prima. atqui Deus non potest agere prius natura quam causa secunda, nisi actio ipsius Dei influat in actionem causæ secundæ; ergo actio causæ primæ influit vere in actionem causæ secundæ; ergo causa prima prædeterminat ad agendum causam secundam: Patet hæc consequentia prædeterminatio est aliquid præuium quo posito infallibiliter sequitur actio causæ secūdæ, sed actio causæ primæ est aliquid præuium quo posito ineuitabiliter sequitur actio causæ secundæ, cum actio causæ primæ secundum se essentialiter influat in actionem

actionem causæ secundæ; ergo actio causæ primæ est prædeterminatio physica respectu causæ secundæ; igitur causa prima prædeterminat physice ad agendum ipsam causam secuudam. Respondeo, Deum esse causam primam, & causam creatam esse causam secundam, non quia actio Dei sit prior natura, & influat in actionem creaturæ, sed vel quia Deus, causæ creatæ omnem entitatem ac virtutem, qua ipsa operatur, communicauit, vel quia actio Dei est prior in subsistendi consequentia actione creaturæ, bene enim valet: est actio creaturæ, ergo est actio Dei, quia creatura non valet operari sine Deo, non vero valet è contra: est actio Dei, ergo est actio creaturæ, quia Deus se solo agere potest sine creatura, infinita, creatura, vero sine Deo nihil, ex qua prioritate nulla prædeterminatio sequitur, nam loquendo realiter, neque, concursus Dei est prior, neque concursus causæ secundæ posterior, sed concomitans & cooperans, quia Deus & creatura concursu simultaneo ad operationes omnes creatas influunt;

32 Obiiciat tertio, causa indifferens vt indifferens non potest producere effectum determinatum, nisi ipsa determinetur, sed voluntas secundum se præcise est causa indifferens vt indifferens ad varios effectus, ergo voluntas non potest secundum se effectum determinatum producere, nisi ad illum physice à Deo prædeterminetur. Confirmatur, eadem causa in eodem instanti reali non potest esse simul indifferens & determinata, sed si voluntas non prædeterminatur, in eodem instanti reali, esset secundum se indifferens, & per actum, quem eliceret, esset determinata, ergo voluntas necessario ad agendum prædeterminatur à Deo. Vrgeo, si voluntas creata non prædeterminaretur à Deo ad agendum, ipsa esset primum liberum primumque deliberans, quia nullum supponeret liberum aut deliberans, à quo determinaretur, sed voluntas creata non est primum liberum, ptimumque deliberans, hoc enim competit soli Deo; ergo voluntas creata necessario ad agendum à Deo prædeterminatur.

33 Respondeo, causam indifferentem necessariam, non posse producere determinatum effectum, nisi in actu primo determinetur, quia vt sic est incompleta, & non habet dominium suarum actionum, est enim indifferens ratione incompletionis, non vero ratione perfecti dominij, causam vero liberam indifferentem in actu primo posse recte producere effectum determinatum in actu secundo, quia talis causa non est indifferens in actu primo ratione incompletionis in ratione principij, sed ratione perfecti dominij, & potestatis, quam habet in varias actiones, atque ita absque alia prædeterminatione valet quamlibet actionem liberè effiicere. Ad primam confirmationem dico, eamdem causam non posse esse simul indifferentem, & determinatam in actu primo, rectè vero posse esse simul indifferentem in actu primo, & determinatam in actu secundo, quod accidit voluntati creatæ. Ad secundam confirmationem Respondeo, primum liberum ac primum deliberans esse illud quod habet virtutem ad deliberandum à se, & non ab alio, sibi communicatam; voluntas autem creata habet virtutem liberam sibi communicatam ab alio, scilicet ab ipso Deo, & ideo licet voluntas à Deo non prædeterminetur, adhuc nec est primum liberum, nec primum deliberans.

34 Obijciat quartò, nulla causa creata potest se determinare, aut agere sine Deo, sed si voluntas à Deo non prædeterminaretur, sed potius ipsa se, & causam primam, ad agendum determinaret, voluntas se determinaret, & ageret sine Deo; ergo voluntas necessariò ad agendum à Deo prædeterminatur. Probatur minor. Causa, quæ determinat aliam ad agendum, prius agit saltem natura, quam illa; ergo si causa creata determinat causam primam, scilicet Deum ad agendum, talis causa seu voluntas creata ageret prius causa prima, scilicet ipso Deo; ergo in illo priori causa prima se determinaret ad agendū, & ageret sine Deo. Confirmatur. Voluntas vt causa libera se formaliter determinans, non est talis per essentiam, sed solum per participationem; ergo vt causa libera se formaliter determinans pendet ab alia causa prima illam prius ad agendum formaliter determinante; ergo pendet à Deo physice prædeterminante ipsam.

Respondeo, voluntatem creatam determinare causam primam, scilicet Deum ad agendum, non quidem prævie & in actu primo, sed solum simultanee & in actu secundo, & illum determinare sine ipso Deo determinante, non tamen sine ipso Deo simul concurrente physice ad eundem actum, nam licet eadem actio, qua Deus & voluntas determinantur, à Deo & voluntate creata oriatur, tamen quia creata voluntas habet in sua manu, & potestate suas actiones, imò & ipsum auxilium Dei indifferēs sibi oblatum, vt dixi suprà n. 27. ideo determinatio talis actionis non tribuitur Deo, vt causæ primæ, sed soli voluntati creatæ, vnde vtraque causa, scilicet Deus, & voluntas simul agit, non verò vtraque se determinat, sed sola voluntas concurrēte & agente etiam Deo determinat seipsam & causam primam atque ideo voluntas creata licet in actu secundo, determinaret auxilium Dei, non agit prius Deo, nec agit, nec se determinat sine Deo, Ad confirmationem Respondeo, ex eo quod voluntas creata, vt libera se determinans, sit causa per participationem & subordinata Deo, non sequi quod pendeat à Deo prædeterminante ipsam, sed solum quod pendeat à Deo dante illi totum suum esse, & necessario concurrente cum illa ad quemuis eius effectum, sicut ex eo quod causa materialis vt sic formaliter sit talis per participationem, & subordinata Deo non sequitur quod pendeat à Deo materializante, sed solum quod pendeat à Deo conseruante totam suam entitatem, ac virtutem, ac necessario cum illa concurrente in alio nobiliore genere causæ ad quemuis effectum. 35

Obijciat quintò, vt aliqua causa producat effectum, debet præcontinere in se omnem formalitatem effectus, sed causa creata, v. g. creata voluntas, non continet in se omnem formalitatem sui actus, non enim continet vltimam actualitatem effectus, cum ipsa sit potentia ad actum, neque etiam continet rationem entis, quæ reperitur in effectu, alioqui posset omnia entia producere; ergo creata voluntas, secundum se nullum producet actum; ergo necessario requiritur, quod actualem aliquam prædeterminationem à Deo recipiat; vt suum effectum producat. Hoc argumentum magnificant recentiores quidam cum nullius roboris sit. Sed instatur; Voluntas etiam vt prædeterminata, seu prædeterminatio ipsa habet potentialitatem ad actum efficiendum: ergo nec ipsa prædeterminatio continet in se vltimam actualitatem actus, ergo nec voluntas etiam vt prædeterminata talem actum peoducet. Respondeo ergo, voluntatem creatam cum sit nobilior & eminentior entitas quam actus, continere non formaliter, sed eminenter vltimam actualitatem illius, sicut ignis continet non formaliter, sed eminenter entitatem caloris. Deinde in effectu non reperitur ratio entis, vt sic, sed ratio entis talis, ac determinata, quam etiam eminenter continet in se voluntas, licet non 36

possit

possit producere alia omnia entia, atque ideo creata voluntas absque prædeterminatione physica causæ secundæ cum solo generali concursu Dei suum effectum, & actum verè producit.

37 Obijciat sexto, Deus potest facere quod homo operetur infallibiliter quemuis actum, quem ipse Deus voluerit, cor enim regis in manu Domini, & quocumque voluerit, inclinabit illud, sed si Deus non concurreret cum voluntate creata physicè prædeterminando illam, sed solum offerendo illi concursum indifferentem ad omnes actus, Deus non haberet in manu cor regis, nec in quemcumque actum ipse vellet, inclinaret illud, cum ille concursus generalis æque sit indifferens ad vnum actum, quam ad alium, ego Deus concurrit cum voluntate creata ipsam physicè prædeterminando ad actum.

38 Respondeo, Deum præter concursum generalem indifferentem, quem exhibet, vt causa prima præuidere clarè, & distinctè plures cogitationes, quas si homini in hac & illa occasione immittat, infallibiliter de facto quemuis actum operabitur, quæ quidem cogitationes vt connotant scientiam illam Dei, vel ipsam operationem sub conditione futuram, habent infallibilitatem, & ideo auxilia efficacia vocantur. Item præuidere Deum alias cogitationes, quas etsi in hac & illa occasione homini immittat, licet possit operari cum illis, de facto verò non operabitur; quæ quidem cogitationes cum nulla ratione infallibilitatem habeant, sed tantum sufficientiam ad operandum, idcirco auxilia sufficientia dicuntur. Deus ergo potest in quauis occasione immittere, cuiuis homini plures cogitationes, quibus videt quemuis actum esse de facto eliciturum. hoc est, potest dare illi plura auxilia efficacia ad quemlibet actum, & ideo cor hominis est in manu Dei, & in quemcumque actum voluerit Deus inclinabit illud.

39 Obijciat septimo. Maius beneficium confert Deus illi, qui bene operatur, & conuertitur, quam illi, qui non bene operatur, nec conuertitur, sed si non daret vni prædeterminationem physicam, vt conuerteretur, non conferret maius beneficium illi, qui conuertitur, quam illi, qui non conuertitur, nam bonæ cogitationes, quibus Deus vtrumque excitat ad bene operandum, possunt esse in vtroque omnino æquales, ergo dat prædeterminationem physicam illi, qui bene operatur, & conuertitur. Confirmatur, quia aliàs, si Deus non prædeterminaret hominem ad bene operandum, Deus non discerneret hominem, sed vnus homo se discerneret ab alio contra illud D. Pauli: *Quis enim te discernit? quid habes, quod non accepisti.* hoc autem sequi sic probo. In actu primo vterque homo habet æque intentas cogitationes, & excitationem à Deo ad bene operandum, ergo Deus in actu primo non discernit vnum ab alio, atqui in actu secundo, vnus homo pro sua libertate cum æquali auxilio bene operatur, & conuertitur ad Deum, & alius homo cum eodem æquali auxilio pro sua libertate non operatur bene, nec conuertitur ad Deum, ergo in actu secundo, omnis homo pro sua libertate se discernit ab alio, ergo non Deus discernit hominem, sed vnus homo, qui bene operatur se discernit ab alio, qui non bene operatur.

40 Respondeo ex eo quod Deus illi homini, qui bene operatur, & conuertitur, & illi qui bene non operatur, nec conuertitur, det cogitationes æque intensas, illos excitantes ad bene operandum, solum sequi, quod non conferat vni maius beneficium physicè in actu primo, quam alij, attamen, certum est, quauis prædeterminatione secluſa, maius beneficium moraliter, vni quam alteri à Deo conferri, nam dare bonam cogitationem alicui in ea occasione, quà scit infallibiliter Deus eum esse bene operaturum cum illa, moraliter maius beneficium est, quam eandem cogitationem alteri offerre in ea circunstantia, in qua videt Deus, eum non esse bene operaturum cũ ipsa, & ratione huius maioris beneficij moraliter Deus in actu primo, discernit vnum ab alio, & cum etiam Deus sit principaliter causa bonæ operationis, qua homo discernitur in actu secundo, principaliter Deus in actu secundo, discernit illum, & etiam homo seipsum cum ipso Deo actualiter discernit, iuxta illud Pauli. *Nõ ego, sed gratia Dei mecum.* Sed de hoc satis, nam ad Theologiã spectat.

CAPVT V.

An & quomodo causa prima determinet secundas ad indiuiduationem effectus.

41 GRegorius de Arimino in 1. dist. 27. quæst. 4. art. 1. ad 7. & dist. 35. quæst. 1. art. 1. docet indiuiduationem effectuum hic & nunc, ex causis, circunstantijs, loco & alijs adiunctis oriri, ita, vt effectus dicat particularem quemdam ordinem ad has circunstantias potius quam ad alias, vt hic effectus prior, vel ille posterior, intra multitudinem similium effectuum producatur, ita vt non sit indifferens, vt sub alijs circunstantijs producatur, quem sequutus est Vasquez 3. p. disp. 74. cap. 8.

42 Pater verò Suarez disput. 5. met. sect. 3. num. 34. & sect. 6. num. 9. Toletus de anima qu. 28. concl. 2. & 3. Conimbricenses hoc lib. 2. cap. 7. quæst. 15. art. 2. & 1. de generatione cap. 11. quæst. 1. art. 1. multique Philosophi recentiores nonindocti asserunt, hanc sententiam multis viris doctis visam fuisse creditu difficilem; quis enim sibi persuadeat indiuiduationem effectuum, seu causam, cur hic potius numero homo, quam alius, hic equus, hic ignis, quam alius, hic, & nunc producatur, reduci ad solam circunstantiam temporis, aut loci, nec potuisse indiuiduum quod producitur in hoc instanti, produci naturaliter in alio, & si causa tantillum loco moueatur, aut vno momento serius applicetur, debere necessario producere diuersum effectum.

43 Assert 10 prima, aliquæ causæ possunt seipsas ad aliquorum effectuum indiuiduationem determinare, ad illos videlicet qui sunt necessario connexi cum illis causis, & ab illis sunt inseparabiles, ita videtur sentire D. Thomas quodlibeto 5. art. 8. dicens *creatum ac singularem filium non posse à quibuscumque parentibus, sed tantum à tali Patre, & matre progigni*, quem sequitur Capreolus in secundo dist. 20. quæst. 1. Magister Soto in 4. dist. 43. quæst. 2. art. 3. Auerroes 5. commentario 41. Marsilius, Soncinus, Iauellus, Murçia 2 physic. disp. 4. quæst. 8. Conimbricenses 1. physic. cap. 9. quæst. 11. art. 4. & 2. physic. cap. 7. quæst. 15. Auersa quæst. 16. de causarum comparatione sect. 4. Carleton disp. 31. physic. sect. 1. & est communis. Probatur manifestè, nam Angeli & animæ separatæ, vident omnes suos actus possibiles, ergo ex illis omnibus actibus numero distinctis tam intellectus, quam voluntatis, poterunt elicere seu eligere, quem maluerint, ad eum modum, quo quis ex pluribus rosis omnino similibus potest seligere quam maluerit, similiter dici potest, quamlibet naturam substantialem esse per se determinatam ad certum subsistentiæ modum, animam rationalem ad certas, & determinatas potentias, & essentiam adcertum existentiæ modum casu, quo ab ea distinguatur, etsi per diuinam potentiam

ab

ab illis auferri contingat, dicendum fore debere eadem num. postea restitui, quia illæ & non aliæ, possunt in eodem subiecto recipi, & ab eo principio emanare; ergo aliquæ causæ naturales possunt se ipsas ad indiuiduationem aliquorum effectuum determinare, si enim quæritur, quare lapis descendat deorsum non bene satisfacit physicus dicendo quia Deus vult, sed ex ipsa natura & grauitate lapidis, qui naturali pondere in ima fertur, at vero si quæratur quare mundus in tali tempore creatus est, & illos singulares cælos condidit & similia in tali tempore, & loco, & non prius, aut posterius; non bene respondetur, quia natura cælorum hoc exigebat, sed quia Deus libera sua voluntate voluerit illos, & non alios cælos, in illo tempore & loco, & non in alio producere.

44 ASSERTIO secunda: indiuiduatio effectuum refundi debet in causam primam. Ita D. Thom. numero præcedenti, & auctores ibi enumerati, P. Hurt. disp. 10. physic. sect. 4. Ouiedo c. 10. physic. p. 2. n. 2. Fonseca 5. metaph. cap. 2. q. 9. Rubio tract. 4 quæst. 9. num. 3. Carleton supra & communiter omnes recentiores.

45 Probatur primò ratione, quia ignis, v. g. ex se virtutem habet ad producendam calefactionem vt octo, sed ignis ex se etiam in iis circunstantijs non connotat hanc numero celefactionem, vt octo in particulari, nec illam; ergo indiuiduatio huius calefactionis potius quam alterius, solum potest prouenire à prima causa: maior apud omnes est certa, nulla enim circunstantia tribuit virtutem causæ, cuius est circunstantia, Minor probatur, quia essentia ignis secundum se considerata æqualem ordinem dicit ad illas calefactiones, cum omnes illæ essentialiter contineantur in potentia ignis, ergo ex se indifferens est ad omnes illas, ergo vt vnam calefactionem in indiuiduo exercere posset, debet determinari à causa prima, manus enim cui applicatur secundum se considerata indifferens est ad plures calefactiones ab eodē igne recipiendas, cum plures sint numero effectus possibiles ab illa causa hic & nunc in ijs circunstantijs loci, temporis, &c. alias talis effectus diceret peculiarem ordinem ad tale tempus & locum, ita vt Christus Dominus non potuisset produci idem numero si alio loco vel tempore, aut vno instanti serius fuisset productus, nec si Deus vno instanti serius hunc mundum produxisset, non potuisset hunc numero connaturaliter creasse, quod absurdum est; ergo determinatio numerica effectus non ab igne, nec circunstantijs, sed à causa prima parante concursum ad hanc

46 calefactionem, & non ad illam prouenit.

Dices, causam primam determinari à secunda ad speciem; ergo prima non determinat secundam quo ad indiuiduationem, cum hæc contineat speciem. Respondeo, speciem sumi posse, vt contrahitur singularitate, ad compositionem indiuidui, vel in sua latitudine complectente confusè sua indiuidua, primo modo causa prima determinat speciem, vt contrahatur ad singularitatem, quia omnes gradus superiores à parte rei sunt idem cum indiuiduo; secundo verò modo non determinat formaliter speciem sub conceptu communi, quia eo quod Deus vult concurrere concursu generali cum igne, tenetur concurrere ad aliquam calefactionem in communi, ita vt illa actio non possit esse alia nisi calefactio, quod est Deum igne determinari quoad speciem, non vero cogitur Deus igne vt sit hæc calefactio potius quam illa, sed quæ illi libuerit, & hoc est ignem à Deo determinari quoad indiuiduationem, & ad hanc numero calefactionem potius quam ad illam.

Probatur secundo, quia saltem Angeli non possunt habere connexionem cum loco & tempore, 47
taliter vt non possint creari in alio loco & tempore naturaliter: similiter gratia supernaturalis, visio beatifica, & actus charitatis, & alij effectus supernaturales possunt pro libito produci; ergo hi omnes effectus non habent connexionem particularem cum ijs circunstantijs temporis & loci, sed determinantur in indiuiduo à prima causa, eo quod vult potius hos, quam illos inter plures numero effectus possibiles. Consule P. Hurtado supra, qui rem hanc late confirmat.

Sed obijciat Vasquez supra adductus, si causa se- 48
cunda sit indifferens hic & nunc, ad plures effectus quam vnum, erit ad infinitos, cum certus assignari non possit, in quo sistat eius virtus, sed hoc est falsum, quia causa secunda esset infinitæ virtutis; ergo. Confirmatur, quia tunc posset naturaliter reproduci idem effectus iam destructus, quod est falsum. Confirmatur secundo, quia si Deus determinat ad indiuiduationem effectum, lædit libertatem, quia non solum sumus liberi ad amandum, vel odio habendum, sed ad amandum etiam & odio habendum, hoc determinato actu amoris & odij, nec punientur peccatores quia peccarunt, sed quia peccarunt tali actu, seu quia admiserunt hæc numero peccata. Resp. ad primum, causam secundam non fore infinitæ virtutis, quia non est indeterminata & indifferens ad infinitos effectus collectiue, sed diuisiue, cum illos simul non possit producere, sicut etiam Petrus est indifferens ad equitandum in infinitis equis, hoc est in aliquo ex infinitis, & non potius in vno quam in alio, non vero simul in infinitis. Ad secundum constat ex dictis disp. 9. cap. 4. formam corruptam non connaturaliter reproduci, nisi diuina virtute & miraculosè. Ad tertium resp. non lædi libertatem in hac sententia potius, quam in contraria sola seruata differentia, quia quod nos asserimus fieri à causa prima asserunt ipsi fieri à circunstantijs, voluntas enim etsi determinetur à causa prima quoad exercitium horum numero actuum, semper est libera, cum in illius potestate sit exercere quemcunque actum in particulari; licet non sit in illius potestate eligere, & determinare hunc potius quam illum actum, cum illos actus in particulari non cognoscat, & consequenter vt sit hic numero actus potius quam alius inter plures omnino possibiles, prouenit ex mera Dei voluntate applicante concursum ad hunc in particulari & non ad illum.

Obijciat secundò, si Deus determinaret ad indi- 49
uiduationem in particulari, esset in actibus prauis causa peccati, cum esset causa cur potius esset hic actus prauus, & non alius; ergo. Respond. Deum non esse causam cur hic actus malus fiat, aut eliciatur, cum Deus non determinet positiue impellendo, vel physicè mouendo, seu moraliter suadendo ad hunc actum numero, sed determinat solum negatiue substrahendo scilicet concursum ad omnes alios actus, atque ita solum Deus parat concursum in actu primo ad hunc actū, non ad alium, seu permittit ipsi tantum hunc, Deus enim quantum est ex se vellet omnino vt non peccaret volunrate beneplaciti, si tamen velit peccare permittit, vt eliciat hunc actum & non alium, nec si propriè loquamur, Deus vult hunc actum potius quam illum, quia neutrum vult, sed solum vult hunc potius quam illum permissiue tribuendo illi concursum iuxta leges vniuersi; de quo longius capite sequenti.

CAPVT VI.

Infertur & defenditur Deum non esse causam peccati.

SVppono de fide certum, Deum non esse auctorem, & causam per se peccati, vt ex sacræ paginæ auctoritate, Conciliorum testimonijs, & Sanctorum Patrum dictis ostendit Molina in concordia quæstione 14. articulo tertio disput. 30. nunc autem solum inquirimus, quomodo veritas ista cum immediato Dei influxu in omnem effectum & actum causæ secundæ liberæ compati possit.

50 Ratio dubitandi est. Deus vt causa prima concurrit physicè ad omnem actum, & effectum voluntatis creatæ, sed actus liber odij Dei v. g. est actus & effectus voluntatis creatæ, ergo Deus vt causa prima verè & physicè influit in actum liberum odij ipsius Dei, atqui actus liber odij Dei est formaliter peccatum, quia vt sic formaliter est prohibitus lege diuina, ac proinde est contra ipsam legem, in quo consistit formalis ratio peccati, ergo Deus verè influit in peccatum, & est causa peccati. Confirmatur Deus vt causa prima & creata voluntas vt causa secunda, eadem indiuisibili actione concurrunt physicè & immediatè ad actum liberum odij Dei; sed voluntas creata quatenus hac numero actione cõcurrit physicè, & immediatè ad actum liberum odij Dei, qui est formaliter peccatum, est causa per se peccati, ergo Deus quatenus eadem actione immediatè & physicè concurrit ad eumdem actum liberum odij, qui est peccatum, erit etiam causa per se peccati.

51 Præmitto primo, causam non determinatam ex se ad aliquem effectum particularem licet ad illum in particulari concurrat non esse causam per se effectus particularis sub ratione talis, sed solum esse causam illius entitatiuè, & per accidens. Hæc veritas multis potest exemplis tam moralibus quam physicis comprobari, primo enim virgo honesta habitu ac modo decenti Ecclesiam petens in die festo ad audiendum sacrum solum ex animo religioso præceptum adimplendi, licet tunc ab alijs turpiter concupiscatur, & hoc ipsa saltem in communi antea probabiliter sciret, cognita malitia illorum, & etiam si illa aliquo modo ad talem actum aliorum turpem ac peccaminosum concurrat eundo in Ecclesiam, quia si non iret non videretur nec concupiscereturab illis, tamen quia non concurrit ad talem actum malum, vt causa ex se determinata, nec physicè nec moraliter ad illum in particulari; ideo non est causa per se talis actus mali sub ratione mali. Secundò, ille qui enses ex officio vendit, potest probabiliter cõiectari aliquo ense vendito ex illis malum aliquod indeterminatè forè perpetrandum, & peccatum committendum, ad quod ipse aliquo modo enses vendendo concurrit, cum ensem & instrumentum tribuat, quo malum illud committeretur, & tamen cum ille malum aliquod particulare euenturum determinatè non scit, licet ad malum aliquod, quod postea acciderit, prædicto modo concurrit, quia non concurrit vt causa ad illud determinata, non est causa per se illius mali sub ratione mali. Tertiò, intellectus noster reipsa concurrit ad actum supernaturalem visionis Dei, & tamen quia non concurrit ad illum vt causa determinata ad talem actum vt supernaturalem, sed determinatur à lumine gloriæ, ideo intellectus non est causa per se talis actus supernaturalis sub ratione supernaturalis.

Præmitto secundo, Deum vt causam primam licèt de facto cum voluntate creata ad actum malum concurrat, non concurrere, vt causam ex se determinatam ad talem actum vt malum; monstratur apertè ex dictis, quia Deus vt causa prima concurrit cum voluntate creata per concursum omnino ex se indifferentem ad hunc & illum actum bonum, aut malum, vt ostendi supra capite tertio numero vingesimoquinto, & vigesimoseptimo, qui non à se, sed à creata voluntate determinatur vt explicui ibidem, ac etiam num. 33. ergo Deus, vt causa prima non concurrit ad actum malum vt causa ex se determinata ad illum. 52

ASSERTIO sit. Deus non est causa actus mali sub ratione mali, sed solum sub ratione entis, vel (quod idem est) non est causa per se actus mali, sed tantum permissiuè, entitatiuè, & per accidens. Ita D. Thomas 1. 2. q. 79. art. 2. in corp. & in 2. dist. 37. q. 2. art. 1. Suarez disp. 22. met. sect. 1. num. 7. & lib. 1. de concursu Dei cap. 6. & lib. 2. de auxilijs cap. 3. Bellarminus lib. 2. de amissione gratiæ cap. 18. Molina in concordia qu. 14. art. 13. disput. 3. & qu. 19. art. 6. disp. 3. Valent. 2. q. 9. p. 2. Alex. tom. 1. lib. 4. c. 22. q. 1. Salas 1. 2. disp. 10. sect. 2. n. 32 Tannerus 1. 2. disp. 2. qu. 9. dub. 5. Petrus Hurtado disp. 10. physic. sect. 7. Arriaga disp. 10. physic. sect. 4. & 5. Ouiedo controuers. 10. physic. sect. 1. p. 1. Becanus opusc. 1. cap. 3. Zumel. 1. 2. qu. 79. artic. 2. Lessius de auxilijs cap. 4. & lib. 1. de perfectionibus diuinis num. 18. Coninch. disp. 10. de actibus humanis num. 70. Malderus. 1. 2. quæst. 79. dubitatione secunda in artic. 1. 2. D. Thomæ, Caietanus ibidem artic. 2. Carleton disput. 29. physic. sectione 1. 2. 3. & 5. & omnes Philosophi & Theologi, quibus etiam ego libenter subscribo. 53

Probatur: causa non determinata ex se ad aliquem effectum particularem vt talem, licet ad illum concurrat, non est causa per se talis effectus particularis sub ratione talis, vt ostendi num. 51. Sed Deus licet ad actum malum, vt causa prima, cum creata voluntate concurrat, tamen non concurrit, vt causa ex se determinata ad talem actum vt malum, hoc est, secundum rationem mali vt monstraui num. 52. Sed solum vt causa determinata ad illum secundum rationem entis, nam sicut quia calor non potest producere nisi calorem est quoad speciem determinatus ad rationem caloris, ita quia Deus non potest producere nisi ens, & ad omnia entia se extendit, est quoad speciem determinatus ad rationem entis, ergo Deus vt causa prima non est causa per se actus mali sub ratione mali, sed solum sub ratione entis. 54

Hinc iam solutio patet ad rationem dubitandi supra positam: nam licet Deus concurrat, & eadem actione influat cum voluntate creata in actum odij ipsius Dei, quia tamen Deus non concurrit vt causa ex se determinata ad actum odij secundum rationem mali, sed solum secundum rationem entis, & determinatur à causa secunda, scilicet à voluntate creata, quæ seipsam, & causam primam determinat vt ad actum malum concurrat, ideo non Deus, sed sola voluntas creata est causa per se peccati. Quo etiam diluuntur obiectiones, quas supra disp. 15. num. 10. & 17. huc enodandas remisi. 55

Obijciat autè quis primo, actio, qua Deus cum voluntate concurrit ad actũ odij, est actio determinata ad actum malum secundum rationem mali, ergo Deus concurrit ad actum malum actione & causalitate determinata ad ipsum actum malum secundum rationẽ mali, ergo Deus est causa determinata actus mali sub ratione mali. Resp. actionẽ illam qua Deus & voluntas ad actum malum concurrunt esse deter 56

determinatam ad illam secundum rationem mali, non verò esse determinatam prout à Deo, & vt est actio Dei, sed solum prout est à voluntate creata, & vt est actio ipsius, quia cum auxilium Dei sit, in actu primo, indifferens ad hanc aut illam actionem, & non se ipsum determinet, sed sit quasi in manu voluntatis, quæ illud & seipsam ad illam actionem malam determinat, ideo actio ista non est determinata ad rationem actus mali prout est à Deo præcisè, sed tantum prout est à voluntate creata, & eapropter Deus non est causa per se actus mali sub ratione mali, quia ad hoc non sufficit, quod causa aliqua concurrat actione determinata ad actũ malum, sed requiritur quod concurrat ad illum actione determinata prout ab ipsa causa formali, quod non conuenit Deo, sed soli voluntati creatæ, à qua causa prima determinatur, vt docet expresse Diuus Thomas 1.2.quæst.80.art.1.ad 3. & Molina in concordia quæst.14.artic.13. disp.31. qui mirificè hanc sententiam illustrauit.

57 Sed instat: etiam voluntas creata in actu primo, est indifferens ad actum bonum & ad malum, & tamen quia concurrit ad actum malum actione ex se determinata ad illum, est causa per se actus mali sub ratione mali, ergo licet causa prima sit in actu primo indifferens ad actum bonum & ad malum, cum tamen actione determinata concurrat ad actum malum erit causa per se illius sub ratione mali. Respondeo concursum causæ primæ oblatum voluntati, ita esse indifferentem in actu primo, quod vt sic oblatus non possit se determinare, sed tantum determinetur à voluntate, voluntatem verò esse in actu primo indifferentem, ita tamen vt seipsam & causam primam possit ad operandum determinare, & ita quando de facto operatur malè, & determinat causam primam ad actionem malam, determinatio talis actionis, ipsi volũtati solũ tribuitur & non Deo, ac proinde sola creata voluntas, non Deus est causa per se actus mali sub ratione mali.

58 Verùm insurgat: etiã causa secũda necessaria, ignis, v.g. determinat causam primã ad producendũ ignẽ, & tamẽ causa prima, scilicet Deus est absolutè causa talis ignis, ergo licet causa libera scilicet voluntas creata determinet Deũ ad producendum actum malum, Deus absolutè erit causa actus mali. Resp. causam necessariã, v.g. ignem solum radicaliter determinare causam primam ad productionem sui effectus, scilicet quatenus petit quod cum illa determinante concurrat ad alium ignem producendum, hoc tamen non tollit, quod Deus seipsum formaliter ad operandum determinet per voluntatem absolutam qua vult cum illa causa secunda determinatè concurrere ad producendum illum ignem, & ideo Deus absolutè est causa determinata & per se talis ignis, Deus autem nec radicaliter nec formaliter se determinat ad concurrendum cum causa libera ad actum malum, sed voluntas creata illum omnino determinat vt supra explicatũ est n.25. & 27. & ideo Deus non est absolutè causa per se actus mali. Adde ipsam ignis determinationem à Deo ortam fuisse, cum determinatam ei virtutem contulerit: secus est in re nostra.

59 Rursus vrgeat, habitus charitatis est ex se indifferens ad hunc vel illum numero actum charitatis eliciendũ, & à voluntate determinatur, vt hunc numero actum charitatis eliciat, & tamen habitus charitatis est absolutè & simpliciter causa huius numero actus charitatis; ergo licet Deus sit indifferens ad actum bonum & ad actum malum & determinetur à voluntate creata vt actũ malum efficiat. Deus absolutè & simpliciter erit causa actus mali. Resp. hãc propositionẽ (Deus est causa actus mali, vel peccati) absolutè & simpliciter prolatam ex communi modo loquendi facere sensum formalem ac si diceret (Deus est causa actus mali & peccati sub ratione mali, & sub ratione peccati,) nam cum hæretici solum dicerẽt Deũ esse causam operis mali, & peccati, & id intelligerẽt in sensu formali, & Concilia ac Patres illos damnando asserant Deum non esse causam operis mali, & peccati, & nulla facta reduplicatione etiam sensum formalem intelligant, obtinuit vsus, vt hæc propositio absolutè prolata (scilicet) Deus est causa actus mali seu peccati) semper vsurpetur in sensu formali, atq; ita est omnino falsa. Hæc autem ratio non militat in alijs rebus physicis, atque ideo, id quod est causa alicuius effectus physici sub aliqua ratione, absolutè & simpliciter dicitur causa illius, licet sub aliqua ratione talẽ effectum non causet, vnde habitus charitatis absolutè & simpliciter dicitur causa huius numero actus charitatis quem sub ratione actus charitatis non verò sub ratione talis actus numero determinatè producit. Adde, habitum charitatis inclinare ad actum charitatis, non autem Deum ad peccatum.

Obijciat secundo principaliter, Deus vt causa prima ex se indifferens, determinata verò per voluntatem creatam concurrit etiam ad actum bonum, sicut & ad malum, nam concursus Dei in actu primo oblatus voluntati æquè indifferens est ad actum bonum, ac ad actum malum, & tamen Deus est causa per se & simpliciter actus boni, ergo etiam est causa per se, ac simpliciter actus mali, vel saltem tam per se est Deus causa operis mali, quam boni, quod est contra Trident. sessione 6. can. 6. damnans illum, qui dixerit *mala opera ita vt bona Deum operari*. Respondeo, Deum vt causam primam parare voluntati creatæ suum generalem concursum indifferentem ad actum bonum & ad malum: ex complacentia verò in eo quod voluntas eliciat actum bonum, displicens verò in eo, quod eliciat actum malum, & ratione huius complacentiæ, & effectiuæ ac moralis inclinationis in actum bonum, & non in actum malum, cum voluntas nostra operatur, Deus est saltem moraliter causa per se actus boni, non verò actus mali, quo fit, vt non ita Deus mala opera, sicut & bona operetur, vt definit Trid. Addo etiam physicè Deum esse causam determinatam actus boni, & non actus mali, quia sicut voluntas ac natura intellectualis creata secundum se est indifferens ad actum bonum & ad malum, inclinata verò physicè ad eliciendum actum bonum, quia ipse naturæ consonus est, ita similiter potentia ac natura intellectualis diuina secundum se est indifferens ad concurrendum cum creatura ad actum bonum & ad malum, ex se verò physicè inclinata est ad actum bonum efficiendum, quia talis actus bonus ipsi naturæ intellectuali diuinæ, cuius quædam participatio est natura intellectualis creata, consonus est, atque ita ratione talis inclinationis physica ad actum bonum, & non ad malum est Deus causa physica per se actus boni & non actus mali. 60

Obijciat terrio, principaliter, nulla causa, imo nec ipse intellectus in nostra sententia potest præscindere vnam rationem ab alia, cum qua idemtificata est, sed Deus vt causa prima efficit vt attingat actum malum sub ratione entis, quæ reipsa est identificata cũ ratione formali mali; ergo etiam Deus efficit & attingit actũ malum sub ratione mali, alioquin præscinderet vnam formalitatem ab alia, cum qua re ipsa est identificata; igitur Deus est causa per se actus mali sub ratione mali. Resp. Deum vt causam primã attingere & efficere omnẽ rationẽ ac formalitatem ex parte effectus scilicet rationem 61

formalem entis, & rationem formalem malitiæ, ex verò modi causandi, attingere solum formaliter rationem entis, non autem rationem malitiæ, quia concurrit ad talem actum vt causa ex se determinata ad rationem entis non verò ad rationem malitiæ, atque ita licet Deus vt causa prima non præscindat ex parte effectus vnam formalitatem ab alia, præscindit tamen ex parte modi causandi, & hoc est, Deum concurrere ad actum malum sub ratione entis, & non sub ratione mali, quod quidem non designat præcisionem ex parte effectus, sed solum ex parte modi, quæ non repugnat.

62 Obijciat quarto principaliter, Deus vt causa prima determinat ad indiuiduationem effectus ita, vt licet in manu voluntatis creatæ sit elicere actum odij, vel amoris Dei, tamen, quod eliciat hunc numero actum odij & non alium, vel hunc numero actum amoris, pertinet ad determinationem Dei, ergo Deus est causa determinata huius numero actus odij Dei, vt talis formaliter est, atqui hic numero actus odij Dei, vt talis formaliter, est malus moraliter, cum talis numero actus sit prohibitus lege Dei, ergo Deus est causa determinata actus mali vt malus moraliter est. Confirmatur, si Deus determinaret voluntatem ad speciem actus odij Dei, esset causa determinata & per se actus mali moraliter, quia actus odij Dei quoad speciem est moraliter malus, sed hic numero actus odij Dei etiam in indiuiduo est malus moraliter, ergo si Deus in indiuiduo determinat ad hunc numero actum odij Dei, est causa determinata, & per se actus mali moraliter. Respondeo dupliciter posse intelligi, quod Deus determinet voluntatem ad hunc numero actum in indiuiduo, primò positiuè, impellendo scilicet voluntatem, vt hunc numero actum eliciat: secundò, solum negatiuè, videlicet dando voluntati suum concursum ad hunc numero actum & negando illi concursum ad quemuis alium, relinquendo tamen ipsam voluntatem liberam vt talem numero actum eliciat, vel non eliciat. Deus ergo omnem causam necessariam determinat positiuè, quoad indiuiduationem effectus, vult enim absolutè, vt talem numero effectum determinatè producat, causam verò liberã scilicet voluntatem creatam solum negatiuè determinat ad hunc effectum & actum in indiuiduo, scilicet non dando illi concursum nisi ad hunc numero actum odij, & ad hunc numero actum amoris illamque positiuè indifferentem relinquit, vt eliciat vel non eliciat hunc numero actum odij, aut hunc numero actum amoris, cum verò voluntas hunc actum odij Dei de facto elicit, ipsa se, & causam primam determinat positiuè ad eliciendum hunc numero actum odij Dei, potius quam hunc numero actum amoris, & ideo ipsa sola voluntas, & non causa prima est causa determinata per se huius numero actus odij. Ad confirmationem Respondeo, si Deus positiuè determinaret ad speciem actus odij impellendo ad illam esset causa per se determinata actus mali, si verò solum negatiuè determinaret ad illam, scilicet non dando voluntati concursum nisi ad eliciendos actus odij Dei, relinquendo verò illam indifferentem ad illos eliciendos vel non eliciendos pro suo libito, Deus non esset per se causa actus mali, cum ergo Deus solum negatiuè determinet ad indiuiduationem actus odij Dei, non est per se causa actus mali.

63 Obijciat quinto, quiuis effectus ad quem Deus vt causa prima concurrit est voluntarius ipsi Deo: nam Deus voluntariè operatur, ergo quiuis effectus ad quem Deus vt causa prima concurrit est volitus à Deo, maximè cum omnia operetur Deus secundum consilium voluntatis suæ, sed actus malus verbi gratia actus liber odij Dei est effectus ad quem Deus vt causa prima concurrit, ergo actus malus est volitus ab ipso Deo, ergo etiam Deus determinatè & per se concurrit ad actum malum. Respondeo, omnem effectum ad quem Deus vt causa prima concurrit esse voluntarium & volitũ à Deo, eo modo quo ad illum concurrit, vnde cum Deus ad effectum, qui nullam habet malitiam moralem positiuè concurrat, talis effectus positiuè est voluntarius & volitus ab ipso Deo; cum autem Deus solum permissiuè concurrat ad actum malum, talis effectus solum est voluntarius & volitus à Deo permissiuè, quia Deus quatenus parat concursum suum generalem indifferentem ad actus bonos & malos ipsi voluntati creatæ, præuidens plures actus malos fore eliciendos, permissiuè vult tales actus, & ad illos etiam permissiuè concurrit. Quo intelligitur qua ratione operetur omnia Deus, secundum consilium voluntatis suæ.

Obijciat sexto, actus liber odij Dei quatenus malus formaliter est ens per participationem: ergo vt sic formaliter participatur, & causatur ab ente per essentiam quod est Deus, ergo Deus causat actum malum quatenus malum formaliter. Respondeo actum malum vt malum formaliter, hoc est ipsammet formalitatem malitiæ esse ens per participationem, quia talis formalitas in se transcendentaliter includit rationem entis creati, quod est formaliter ens per participationem ex quo fit, quod tota illa formalitas malitiæ à Deo causetur ex parte effectus non quidem sub ratione malitiæ, sed solum sub ratione entis creati, & ideo Deus non causat actum malum quatenus malum formaliter. 64

DISPVTATIO XVII.

De causa efficienti secunda.

QVATVOR capita continebit. In primo inquiro, an substantia creata aliquid verè efficiat. In secundo, quæ sit formalis ratio causæ principalis & instrumentalis? In tertio, an sola substantia, an accidens attingat immediatè productionem alterius substantiæ. In quarto, an à sola substantia, an verò ab alio accidenti accidens immediatè oriatur.

CAPVT I.

An substantia creata aliquid verè efficiat.

NOn defuere Philosophi, qui dixerint entitatem creatam nihil verè & in rigore operari, sed Deum pacto inito cum rebus creatis ad earum præsentiam effectus ipsis proportionatos producere, v.g. ad præsentiam ignis producere ignem, & ad præsentiam caloris, calorem, & sic de reliquis. Hanc sententiam probabilem reputat Gabriel in 4. dist. 1. qu. 1. art. 3. dub. 3. Alensis in 4. dist. 1. q. 1. quam commemorat Auerroes c. 9. met. comment. 7. & cap. 12. comment. 8. eiusque assertores, ait debiles esse cerebri, hodie tamen, merito vt improbabilis reijcitur ab omnibus. 1

ASSERTIO tamen sit, substantia ac entitas creata aliquid effectiuè verè, & strictè causat, ita D. Thom. 2

prima

prima parte, quæst. 115. art. 2. quæ omnis sequitur schola, maximè Suarez tomo primo met. disput. 18. sectione prima, qui sacræ paginæ & Sanctorum testimonijs ac graui rationum pondere hanc assertionem confirmat. Conimbricenses hic. capite septimo, quæst. 11. artic. 1. Petrus Hurtado disputatione nona, physic. sectione secunda, Arriaga disput. 11. physic. sectione prima, Carleton disput. 34. physic. sectione prima, Murçia 2. physic. disput. 4. quæst. 1. communiter omnes tam antiqui, quam moderni. Probatur primo, ex sacra pagina Gen. primo, illis verbis, *lignumque faciens fructum secundum speciem suam*, & Lucæ 21. *Videte ficulneam & omnes arbores, cum producunt ex se fructum*, & primo Gen. *Germinet terra herbam virentem*, ergo certum est, causas secundas creatas habere virtutem actiuam ad efficiendos suos effectus, & manifestè ostenditur ex Trid. sessione sexta. Can. 4. vbi damnat erroris, illos omnes qui dicunt, *Liberum arbitrium nihil omnino agere, sed habere se passiuè, & mortuo modo*, sentit ergo voluntatem per propriam actiuitatem concurrere ad efficiendos suos effectus liberos.

3 Probatur primo, ipsa experientia teste, ignis ignem generat, & calor calorem producit, ergo. Dicat quis solum Deum ad præsentiam caloris, & ignis, calorem & ignem producere, quia inter ista datur proportio. Sed contra: quare ergo Deus ad præsentiam albedinis aliam albedinem non producit: nam æqualem seruant proportionem, albedo cum albedine, ac calor cum calore, & igne, ergo si præsente calore, alius calor producitur, & præsente albedine non producitur alia albedo, ideo est, quia calor est verè secundum se productiuus alterius caloris, albedo verò non est secundum se productiua alterius albedinis; deinde: homo non dicitur causa creatiua animæ rationalis filij geniti, eo modo, quo ignis generans dicitur causa generatiua ignis producti, sed Deus ad præsentiam hominis verè creat animam rationalem filij geniti, sicut ipse Deus ad præsentiam ignis generantis verè generat formam substantialem ignis producti, ergo ignis generans non ideo præcisè est causa generatiua ignis producti, quia Deus ad illius præsentiam ignem generet, sed quia etiam ipsemet ignis verè generet & influat in ignem productum, alioquin eodem modo diceretur homo causa creatiua animæ rationalis filij geniti, sicut ignis dicitur causa generatiua ignis producti.

4 Probatur secundo, vera libertas in actu primo, ad actum non potest dari sine vera actiuitate ad illos, nam causa libera est illa, quæ positis omnibus requisitis ad agendum potest agere & non agere, atqui anima rationalis seu voluntas, est verè libera in actu primo, ad suos actus, vt fides docet, & quispiam in se experitur, ergo habet veram actiuitatem ad illos, ergo substantia ac entitas creata aliquid verè efficit; confirmo. Si quando voluntas peccat, non ipsa voluntas, sed solum Deus ad illius præsentiam actum peccaminosum efficeret, Deus esset verè causa peccati, vt per se liquet, sed magistra fide Deus non potest esse causa peccati, ergo non Deus ad præsentiam voluntatis, sed sola voluntas efficit verè actum peccati.

Vrgeo vltimo, ex modo dictis, nam operationes bonæ & malæ, necessario debent esse liberæ, & consequenter debent esse ab ipsa causa ibera, alioquin non ipsa, sed Deus ad præsentiam illius operans dignus esset laude, aut vituperio, sicut si Paulus aliquid laude dignum præstaret in præsentia Petri, Petrus non mereretur laudem, nec si ego ad Petri præsentiam laudarem Deum, & ad præsentiam Pauli illum odio haberem, nec Petrus, nec Paulus mereretur pœnam aut præmium, sed ego ad præsentiam eorum benè vel malè operans, ergo causis tam liberis quam necessarijs negari non potest physica effectio suarum operationum; plura alia possunt adduci, sed in re tam nota dicta sufficiant.

CAPVT II.

Quæ sit formalis ratio causæ principalis & instrumentalis.

HIc plura aliorum placita inuenio. Præcipua solum referam, & refellam, vt paucis deinde meam in hac re sententiam proferam.

Nonnulli existimant in vniuersum loquendo, 5
causam principalem esse illam, quæ ad effectum principalem physicè & immediatè concurrit, causam verò instrumentalem esse illam, quæ actione præuia aliquam efficit dispositionem ad productionem principalis effectus, exempli gratia, ignis quia verè producit effectum principalem, scilicet alium ignem, est causa principalis illius, calor autem quia præuiè efficit in materia calorem, quo ipsa disponitur ad productionem principalis effectus, scilicet ignis, est causa instrumentalis talis ignis, ita D. Thomas prima parte quæst. 45. artic. 5. Scotus in 1. dist. 1. quæst. 5. §. vbi supra Vasquez 1. p. disput. 176. cap. 2. Fonseca 5. met. cap. 2. q. 6. sect. 6. & iterum S. Thom. cap. 21. artic. 6. & 3. p. q. 62. art. 1. ad secundum quæst. 78. artic. 4. ad 2. Caiet. 1. p. quæst. 45. artic. 5. Banez, Ferrara, Nazarius, Complutenses, & alij plures.

Sed displicet hæc sententia, primò: nam iuxta 6
communem & D. Thomæ sententiam, Sacramenta nouæ legis sunt physica instrumenta ad causandam gratiam, & etiam phantasma est causa instrumentalis speciei intelligibilis impressæ, & tamen nec Sacramenta habent præuiam aliquam actionem in ordine ad gratiam, nec phantasma aliquid agit in ordine ad producendam speciem impressam, ergo ratio formalis causæ instrumentalis non consistit in eo, quod actione præuia concurrat ad principalem effectum. Secundò à priori, quia in sententia D. Thomæ, & reliquorum, quos retuli (excepto Scoto) asserentium accidens physicè, & immediatè efficere in virtute substantiæ effectum substantialem principalem, sic arguitur, id quod solum agit in virtute substantiæ non est causa principalis sed instrumentalis, vt ipsi admittunt, sed vt ipsi etiam fatentur, accidens, verbi gratia, calor, præcisa per rationem actione præuia, qua producit in materia alium calorem, agit in virtute substantiæ ignis physicè & immediatè alium ignem, ergo præcisa actione præuia, accidens in illorum etiam sententia est verè causa instrumentalis, ergo ratio formalis instrumenti non consistit in eo, quod agat actione præuia in ordine ad principalem effectum. Tertiò, intellectus efficit præuiè in anima cognitionem boni, qua ipsa anima disponitur ad eliciendum amorem talis boni, & tamen intellectus non est instrumentum animæ ad eliciendum amorem, ergo ratio instrumenti non consistit formaliter in prædicta actione præuia.

Opinantur alij, causam principalē esse illam quæ 7
non agit vt mota ab alia causa creata; instrumentalem verò, eam, quæ agit vt mota ab alia, & vt recipiens virtutem ad agendum ab illa, exemp. gratia. Artifex, qui vtitur serra, & illam mouet ad scindendum & conficiendum artefactum, quia non agit vt motum ab alia causa, sed potius vt mouens, est causa principalis scissionis, & artefacti, Serra verò, quia concurrit vt mota ab artifice

est tantum instrumentum illius, ita Caiet. 3. p. qu. 3. art. 2. Durand. in 4. dist. 1. q. 4. & alij.

8 Sed hæc etiam sententia displicet, primo, quia vt supra dixi, in sententia D. Thomæ, & aliorum phantasma est instrumentum intellectus ad efficiendam speciem impressam, & calor, v.g. est instrumentum ignis ad producendum alium ignem, & tamen nec phantasma mouetur ab intellectu, nec calor mouetur ab igne, nec ab ipsis recipiunt virtutem aliquam ad agendum. ergo ratio instrumenti non consistit in eo quod agat, motum à principali agente, & vt accipiens virtutem ad agendum ab illo. Secundo, quia si causa instrumentalis ageret necessario vt mota à causa principali creata, & vt recipiens virtutem ad agendum ab illa, vel illa virtus deriuata à causa principali in instrumentum, esset proportionata cum effectu principali, vel esset improportionata cum illa, si non esset proportionata, ergo alia virtus à causa principe deriuata necessaria esset, vt effectus principalis ab illa prima virtute produceretur, quia ideo instrumentum non potest agere nisi vt motum, & vt recipiens illam virtutem à causa principali, quia ipsum secundum se, est improportionatum cum effectu principali; ergo si etiam illa virtus, à causa principali in instrumentum deriuata, est improportionata cum principali, etiam requiretur quod illa iterum moueatur & accipiat aliam secundam virtutem à causa principali ad agendum: & de hac prima virtute idem inquiram, atque ita dabitur processus in infinitum; si verò illa prima virtus à causa principe in instrumentum deriuata, sit secundum se proportionata cum effectu principali, ergo illa non erit virtus, ac causa instrumentalis, sed principalis talis effectus, nam causa secundum se proportionata cum effectu principali semper est causa principalis illius, ergo numquam instrumentum potest agere instrumentaliter per motionem & virtutem acceptam à causa principali, ergo instrumentum non est id, quod agit vt motum.

9 Alij arbitrantur causam principalem esse illam, quæ est vel æque perfecta & nobilis, vel perfectior atque nobilior suo effectu, causam verò instrumentalem, quæ est imperfectior & ignobilior effectu, ita Suarez tom. 1. met. disput. 17. sect. 2. num. 16. Sed nec hæc opinio arridet, quia si iuxta opinionem eiusdem Suarez, Angelus assumeretur à Deo ad producendam obedientialiter formicam, esset tantum causa instrumentalis formicæ vt ipse fatetur, & tamen Angelus ille esset nobilior formica; ergo non est de ratione causæ instrumentalis, quod sit ignobilior effectu.

10 Verum dicat quis Angelum in ratione Angeli nobiliorem esse formica, in ratione verò causæ obedientialis formaliter esse ignobiliorem illa, quia ad rationem causæ odedientialis per accidens se habet, quod sit Angelus, & solum per se requiritur quod sit entitas creata, formica autem nobilior est Angelo considerato præcise secundum rationem entitatis creatæ, atque ita nobilior est illo, vt est causa obedientialis. Sed contra, licet ad rationem potentiæ obedientialis, vt sic, per accidens se habeat perfectio Angeli, tamen ad rationem huius numero potentiæ obedientialis, quæ est in Angelo vt talis formaliter per se requiritur perfectio Angelica à Deo, vt sine tali Angeli perfectione non posset dari hæc numero potentia obedientialis, quæ est in Angelo vt talis formaliter; tunc sic arguo, hæc numero potentia obedientialis Angeli vt talis formaliter est nobilior & perfectior formica, cum includat perfectionem Angelicam vt iam ostendi, sed hæc numero potentia obedientialis Angeli vt talis formaliter est causa subsantialis formicæ, vt ipse Suarez admittit, ergo de ratione causæ instrumentalis non est quod sit ignobilior suo effectu.

Assertio, ergo sit. Causa principalis est illa, 11
quæ concurrit ad effectum sub aliqua ratione & formalitate illius, causam verò instrumentalem esse eam, quæ ad effectum concurrit sub nulla ratione ac formalitate ipsius. Ita Molina prima parte quæst. 4. Suarez tomo primo in 3. partem disp. 31. sect. 8. & disput. 17. met. sectione prima, num. 16. 17. & 18. Scotus in 4. dist. 2. quæst. 1. Durand. in 2. distinct. 1. quæst. 4. Petrus Hurtado disput. 9. physic. sect. 13. Arriaga disput. 11. phyfic. sect. 3. Carleton disput. 24. physic. sect. 2. & 3. Rubius, Murçia, Plaça, & plures alij. Pro huius sententiæ declaratione obseruo dupliciter posse causam ad suum effectum concurrere, primo, ita vt in effectu sit aliqua ratio & formalitas, quæ illi causæ formaliter tribuatur, vel quia in causa illa relucet alia formalitas, cui formalitas specialiter respondet, vt vitalitas actus visionis, etiam supernaturalis correspondet specialiter vitalitati intellectus, & habet connexionem cum illa vel quia tota ratio, & perfectio effectus in causa formaliter continetur, vt v.g. tota ratio & perfectio ignis geniti continetur formaliter in igne generante, velquia ratio & perfectio formalis effectus continetur eminenter in tali causa, vt perfectio & ratio formalis caloris continetur eminenter in luce, talis tamen debet esse hæc continentia, vt ratione illius petat effectus saltem indeterminatè dimanare à tali causa, & tunc causa dicitur concurrere ad effectum sub ratione illa & formalitate, quæ illi causæ correspondet, & illi tribuitur formaliter. Secundo, ita potest causa concurrere ad effectum, vt nulla ratio ac formalitas effectus illi eausæ formaliter tribuatur, quia nulla est formalitas in effectu, quæ specialiter petat formalitatem talis causæ, nec ratio aut perfectio effectus formaliter nec eminenter continetur in tali causa, vt quando calor concurrit ad substantiam ignis, & tunc causa dicitur concurrere ad effectum sub nulla ratione, ac formalitate illius, causa ergo principalis est illa, quæ ad effectum concurrit sub aliqua eius ratione, ac formalitate, hoc est ita vt aliqua formalitas effectus illi causæ formaliter tribuatur. Causa verò instrumentalis est illa, quæ concurrit ad effectum sub nulla ratione & formalitate eius, id est ita vt nulla effectus formalitas tali causæ formaliter correspondeat aut adscribatur.

Hæc autem sententia sic explicata videtur esse 12
expressa mens D. Thomæ, 5. met. cap. 2. vbi sic inquit: *Adiuuans autem*, (id est instrumentalis) *dicitur causa secundum quod operatur ad principalem effectum, in hoc autem differt ab agente principali, quod principale agens agit ad finem proprium, adiuuans autem ad finem alienum*, atqui finis ac effectus proprius alicuius causæ est ille, in quo est aliqua formalitas, quæ illi causæ formaliter tribuatur, & sub qua talis causa ad eum effectum concurrat, finis autem aut effectus alienus alicuius causæ est ille, in quo nulla est formalitas, quæ illi causæ formaliter correspondeat, & sub qua talis causa ad illum concurrit, ergo iuxta D. Thomæ sententiam, causa principalis est illa, quæ concurrit ad effectum sub aliqua eius formalitate, quæ illi formaliter correspondeat, & causa instrumentalis est ea, quæ concurrit ad effectum sub nulla eius ratione, quæ illi formaliter tribuatur.

Sed ratione etiam probatur; nam iuxta commu- 13
ne omnium placitum, causa instrumentalis est illa quæ secundū se non est proportionata cum effectu,

&

& ad illum concurrit vt eleuata à causa principali, causa verò principalis est ea quæ secundum se est proportionata aliqua ratione cum suo effectu,& ad illum concurrit, vt eleuans,instrumentalem, atqui causa illa,quæ concurrit ad effectum sub nulla eius ratione & formalitate,quæ illi formaliter tribuatur, non est aliqua ratione proportionata cum tali effectu,& ad illum concurrit, vt eleuata & fulcita per concomitantiam causæ principalis, & causa illa concurrens ad effectum sub aliqua eius ratione & formalitate,quæ illi formaliter adscribatur, est aliqua ratione proportionata cum effectu , & instrumentalem fulcit & eleuat ad concurrendum ad talem effectum;ergo causa instrumentalis est illa quæ concurrit ad effectum sub nulla eius formalitate, principalis verò quæ ad illum sub aliqua eius formalitate concurrit. Deinde probatur inductione, quia ratio causæ principis & instrumenti explicata conuenit omni instrumento , tam naturali , quam obedientiali,(instrumentum autem artificiale , cum non sit propriè actiuum,non est propriè instrumentum,vt dicam n.16.atque ideo illi rationem instrumenti communem cum aliis instrumentis actiuis non assignamus,) quibus nulla effectus formalitas corrresondet,& omni causæ principali vniuersæ, & aquiuocæ creatæ & increatæ , quibus semper in effectu aliqua ratio tribuitur, vt intuenti constabit; ergo rectè hac ratione explicatur essentia, ac ratio formalis causæ principalis,& instrumentalis.

14 Obijciat aliquis,Deus est causa principalis actus vitalis, & tamen non concurrit ad illum sub ratione formali, vitalis , non enim ille actus vitalis est, quia procedit à Deo,sed quia procedit à potentia creata vitali;ergo causa principalis non est formaliter illa, quæ concurrit ad effectum sub aliqua ratione formali effectus. Respondeo,Deum concurrere ad actum vitalem saltem sub ratione entis , & hoc sufficere vt sit causa principalis saltem partialis illius:Sed cõtra Deus est causa principalis actus vitalis,vt vitalis, & tamen non concurrit ad illum sub rationevitalis;ergo concurrere ad effectum sub ratione formali , effectus non est de ratione causæ principalis.Respondeo etiam Deum concurrere ad actum vitalem sub ratione vitalis , quia continet in se eius vitalitatem eminenter, ratione cuius continentiæ,actus etiam vt vitalis petit per se oriri à Deo,& ob id Deus est causa principalis actusvitalis vt vitalis.

15 Ex dictis infero primo,vnam substantiam respectu alterius substantiæ,v.g. ignem respectu ignis, & potentiam vitalem respectu actus vitalis etiam supernaturalis , v.g. intellectum respectu visionis beatificæ,& speciem ipsam obiecti respectu cognitionis eiusdem obiecti esse causam principalem, quia ignis producit ignem sub ratione ignis,& intellectus producit visionem Dei supernaturalem sub ratione vitalitatis, & species impressa obiecti producit cognitionem sub ratione repræsentationis eiusdem obiecti,quod , vt diximus , constituit causam principalem.Infero secundo accidens respectu substantiæ,habitum naturalem respectu actus vitalis,& ea,quæ obedientialiter concurrunt ad effectus supernaturales non vitales esse causas instrumentales , quia hæc omnia ad prædictos effectus sub nulla eorum formalitate concurrunt, quod est proprium causæ instrumentalis.

16 Sed obserua , triplex esse instrumentum , aliud artificiale , quo vtitur artifex ad artefactum constituendum , vt serra , penicillus & similia , & hoc non propriè agit , quia tantum agit vt motum , & recipiens in se impulsum & virtutem ab artifice , quæ non agit motum illum , ex quo artefactum resultat , vt potentia & virtus instrumentalis , sed vt principalis , atque ideo ratione illius non operatur instrumentum , sed artifex vt causa principalis , instrumentum verò istud,solum concurrit,vt quid passiue requisitum,& aptum vt artifex illud moueat , eo quod vtatur ad suum artefactum conficiendum , quare existimo instrumento artificiali non propriè,sicut aliis instrumentis rationem formalem instrumenti conuenire. Aliud est instrumentum naturale , quod adiuuat causam naturalem ad effectum naturalem producendum,vt calor adiuuat ignem ad producendum alium ignem , quo modo autem hoc instrumentum ad suum effectum concurrat, dicam capite sequenti. Aliud est instrumentum obedientiale, quod obedit Deo imperanti , & ab ipso Deo supernaturaliter eleuatum ad opera supernaturalia obedientialiter concurrit , vt in multorum sententia Sacramenta nouæ legis per virtutem obedientialem physicè efficiunt gratiam.De quo disputatione sequenti.

Hic adnotare libet,in alia latiori significatione, causam principalem dici illam quæ proprio nomine operatur , causam vero instrumentalem , quæ operatur nomine alterius , & eius loco substituitur , quo pacto Christus modo conficit Sacramenta vt causa principalis , minister vero vt causa solum instrumentalis , quia Christus Dominus operatur nomine proprio , minister verò operatur nomine Christi,& eius loco substituitur. 17

CAPVT III.

An sola substantia an accidens attingat immediate productionem alterius substantiæ.

TRes adinuenio principaliores sentẽtias,prima sententia est , vnam substantiam non efficere immediate aliam substantiam , sed solum accidens illam immediate producere in virtute substantiæ, hoc est , vt virtus illius , eius quasi nomine operans,ratione cuius, ipsa substãtia verè dicatur aliam substantiam principaliter generare. Ita D. Thom. 1.p.q.77.art.1.ad 3. & q.115. art.1.ad 5.& alibi cum omni Thomistarum schola, cui suffragantur , Vasquez 1. p. disp. 189. cap. 3. num. 10. Fonseca 5. met. cap. 2. quæst. 6. sect. 3. Conimbricenses hic quæst. 18. art. 2. & 3. Rubius tract 4.de causa efficiente,& alij plures. Secunda sententia est substantiam creatam per seipsam immediate & adæquate producere aliam substantiam , accidentia verò solum actiue disponendo concurrere , ad productionem substantiæ.Ita Scotus in 1.dist.37. & in 2. dist. 17.& in 4.dist.12.q.3.& Ochamus in 2.q.23.Durandus cum alijs quos sequuntur P. Hurtado disp. 9. physic. sect.3. Arriaga disput. 11.physic. sect.2. P. Ouiedo cap.9 physic.p.4.& alij plures. Tertia sententia est,nec solam substantiam nec solum accidẽs immediate efficere aliam substantiam,sed substantiam & accidens simul per modum vnius causæ creatæ integræ & totalis ad alterius substantiæ productionem physicè & immediate concurrere substantiam verò principaliter & accidens instrumentaliter. Ita Suarez tom.1.met.disp.18.sect.2.art. 14.D.Thom.1.p.q.77.art.1.& 3.q.77. art.3. ibidem Caiet.Ferr. contra gentes cap. 66. Capreolus in 4. dist.12.q.1.Scotus hoc lib. q.3.Tolet.q.4.Soncin.7 met.q.7.Auerroes comment.19.Caleton disp. 25. 18

physic. sect. 4. Murcia 2. physic. disp. 4. quæst. 10. citatis multis quos plures Neoterici, sequuntur.

19 Assertio prima, accidens non producit physicè & immediate substantiam absque concursu immediato alterius substantiæ. Ita auctores secundæ & tertiæ sententiæ.

Probatur primò, auctoritate Arist. qui 2. de generatione text. 53. sic ait, *sicut materia est pati, & mouere, ita formæ est agere & mouere*; ergo sentit formam substantialem concurrere ad productionem substantiæ & text. 54. sic habet, *præter facultates, per quas res gignuntur instrumentarias corporibus attribuunt, atq; interea causam, quæ ad formam pertinet, auferunt*, vbi euidenter ostendit, rationem agendi in productione substantiæ communiter esse ipsam formam; ergo non sola accidentia illam efficiunt. Probatur: vt aliqua causa possit immediate & adæquate hoc est sine concursu immediato alterius causæ efficere aliquem effectum, requiritur quod contineat in se totam perfectionem effectus, vel formaliter, vel eminenter, ideo enim solum intellectus creatus sine eleuatione & concursu luminis gloriæ non potest elicere visionem Dei, quia intellectus secundum se præcisè, nec formaliter nec eminenter continet perfectionem talis visionis, & ratio etiam idem aperte suadet, quia nemo dat quod non habet; sed accidens, calor v.g. nec formaliter nec eminenter continet in se perfectionem substantiæ scilicet ignis, cum calor non sit ignis, nec illo perfectior, sed longe ignobilior igne; ergo accidens immediate & adæquate, id est sine immediato concursu, & eleuatione substantię non potest producere aliam substantiam. Confirmatur. Maior perfectio requiritur in causa immediate ad immediate producendum substantiam ignis, quam ad immediate producendum solum calorem, quia substantia ignis est longe perfectior calore, atqui ad immediate producendum calorem requiritur in causa immediata tota perfectio alterius caloris; ergo ad producendum immediate substantiam ignis, maior alia perfectio requiritur in causa immediata, quam perfectio caloris, atque ita requitur perfectio alterius substantiæ ignis; ergo calor immediate & adæquate non valet efficere substantiam ignis.

20 Obijciunt nobis eundem Aristotelem de generatione text. 50. dicentem, *nihil esse aptum agere nisi quod habet contrarium*, idem de sensu, & sensibili capite 4. *vbi ait ignem non agere in quantum ignem, sed in quantum calidum, seu in quantum habet contrarium*; ergo accidens est quod immediate operatur. Resp. primo Aristotelem, eodem modo esse explicandum ab auctoribus contrariæ sententiæ, lux enim operatur & non habet contrarium, eodem etiam modo ait Arist. non pati nisi contraria, & tamen non dicet quisquam in se inuicem recipere accidentia contraria, vt calorem & frigus. Respondeo secundò, ad summum probare accidens simul cum substantia concurrere non solum disponendo subiectum, sed etiam influendo instrumentaliter vt dictum est.

21 Dicat aliquis, accidens non concurrere ad substantiam nomine proprio, sed in nomine & virtute alterius substantiæ, & ita sufficere quod substantia illa in cuius virtute operatur sit æquæ perfecta cum alia substantia vt accidens in virtute illius possit aliam substantiam causare. Sed contra: ex eo, quod accidens agat in virtute substantiæ non habet in se aliquam aliam virtutem per quam agat, distinctam reipsa ab ipsius entitate accidentali, atqui accidens secundum suam entitatem accidentalem præcisè non valet physicè & adæquatè aliquam substantiam efficere, vt iam ostendi; ergo nec illam valet adæquate producere in virtute substantiæ. Confirmatur, ponamus quod solus Deus, producat calorem in aëre, hic calor in hoc casu, cum non agat in virtute ignis, quia non procedet ab illo, nec est virtus illius, non poterit secundum suam entitatem immediate & adæquate efficere aliam substantiam ignis, sed si idem calor fieret ab igne, & concurreret vt virtus illius, concurreret solum per eandemmet entitatem quam habet in prædicto casu productam à solo Deo quia nulla virtus in illum ab igne deriuatur vt ipsi admittunt; ergo calor etiam quando concurrit vt virtus ignis non valet per se ipsum adæquate efficere substantiam ignis.

22 Dicet secundò, in tali casu calorem operari aliquam substantiam immediate & adæquate in virtute Dei, à quo conseruaretur: sed contra, accidens operari in virtute substantiæ est ita operari, vt ratione illius dicatur verè operari ipsa substantia vt aduersarij docent, sed in prædicto casu si calor à Deo conseruatus operaretur ignem, Deus ratione illius præcisè non diceretur verè operari talem ignem, vt supra disp. 16. cap. 1. contra Durandum ostendi; ergo accidens scilicet calor in tali casu non potest operari substantiam ignis in virtute Dei, à quo conseruaretur; Vrgeo, demus quod sola lux producat & conseruet calorem, licèt hic calor concurrat in virtute lucis, non habebit proportionem ad producendam immediate & adæquate substantiam ignis, quia etiam ipsa lux, in cuius virtute concurreret, est improportionata cum ignis substantia, sed calor quando concurrit in virtute ignis habet eammet entitatem præcisè quam habet quando concurrit in virtute lucis; ergo calor etiam quando concurrit in virtute substantiæ ignis non habet proportionem ad producendam adæquate aliam substantiam ignis.

23 Dicat tertiò, calorem, v. g. à quacunque causa producatur vel conseruetur, semper operari in virtute ignis, quia est virtus, & qualitas ex se ordinata ad operandum nomine illius cum petat oriri ab ipso, & ideo posse secundum se producere substantiam ignis, sed contra; hic calor secundum se non petit produci potius ab igne quam à sole, luce, vel alio calore, quia à qualibet causa ex istis potest naturaliter produci, ergo hic calor secundum se non est virtus aut qualitas ordinata ad operandum potius nomine ignis, quam nomine Solis, lucis, aut alterius caloris, atqui quando calor à solo Deo productus operaretur non concurreret in nomine & virtute solis, lucis, aut alterius caloris, ergo nec etiam concurreret in virtute ignis, igitur non posset producere aliam substantiam ignis; ergo, &c.

24 Obijciat quispiam primò, substantia non est immediate productiua, vt est commune Philosophorum proloquium, & ignis non agit vt ignis, sed vt calidus, ita docuit Aristoteles lib. de sensu & sensibili capite. 4. & actio, qua vna forma corrumpitur, & alia generatur est inter contraria, vt docet idem Arist. lib. 1. physic. capite 5. text. 47. & alibi sæpe: atqui si accidens solum in virtute substantiæ non produceret aliam substantiam, substantia esset immediate operatiua, & ignis etiam vt ignis ageret, & actio illa non esset inter contraria, esset enim inter duas substantias quæ inter se propriè non contrariantur, contrarietas enim solum conuenit accidentibus; ergo solum accidens in virtute substantiæ attingit aliam substantiam. Respondeo, substantiam non esse immediate operatiuam,

solum

solum significare non posse substantiam operari nisi medio accidenti, disponente materiam ad substantiæ productionem ; & eodem modo ignis non agit vt ignis, sed vt calidus, scilicet medio calore qui disponat ad alterius ignis generationem, & talis actio etiam est inter contraria radicaliter, quia ipsæ formæ substantiales radicaliter contrariantur, quia sunt principia accidentium , quæ contrariantur formaliter.

25 Obijciat secundò plures experientias, quibus videtur de facto accidens sæpè concurrere adæquate ad productionem substantiæ, nam lumen solis in speculo refractum ignem in stuppa producit, calor eiusdem solis, & aliæ qualitates accidentales in visceribus terræ generant mineralia, calor etiam ferri candentis in passo approximato efficit ignem, virtus seminalis separata ab animali generat aliud animal, & accidentia vini in Eucharistia guttulam aquæ immersam conuertunt in substantiam vini; ergo accidentia sola producunt immediate, & adæquate substantiam. Respondeo, in his omnibus casibus aliquam dari substantiam, quæ immediate tales effectus substantiales verè producat, nam substãtia solis efficit ignem in stuppa disposita vltimo per calorem à lumine radiante productum, vt infrà lib. 7. explicabo. Similiter idem sol per suam substantiam immediate in terra mineralia producit, & accidentia solum ad talem generationem disponunt. Deinde in poris ferri candentis remanent aliquæ particulæ substantiæ ignis, quæ verè generant in passo approximato alium ignem; Præterea corpore animalis organizato virtute seminis, Deus gerens vicem causæ secundæ scilicet, substantiæ Patris producit physicè & immediate substantiam prolis, quia proprium est causæ primæ non solum concurrere cum qualibet causa secunda, sed etiam supplere defectus illius, & eodem modo disposita materia guttulæ aquæ, per accidentia vini. Deus immediate in illa producit formam substantialem vini, supplens defectum substantiæ vini, quæ illam debebat producere.

26 Obijciat tertiò, instrumentum aliud est coniunctum cum causa principali, vt calor ignis, aliud est separatum, quod agit, vt separatum ab illa, vt semen animalis, respectu alterius, sed si substantia Patris non efficeret physicè substantiam prolis media seminali virtute, quæ sola in virtute substantiæ talem substantiam efficeret, sed solus Deus ad illam immediate vt causa principalis concurreret, supplens defectum causæ creatæ, nullum daretur instrumentum separatum, quia & semen ipsum esset instrumentum coniunctum ; ergo non Deus supplens defectum substantiæ creatæ, sed accidentia vel semen in virtute illius physicè, & immediate aliam substantiam efficiunt. Probatur minor, si Deus vt causa principalis concurreret ad productionem substantiæ prolis, semen non esset instrumentũ substantiæ Patris, quæ non concurrit vt causa principalis, sed tantum esset instrumentum Dei, quæ est causa princeps concurrens, quia instrumentum solum dicitur instrumentum causæ principalis, quæ illud eleuat, & concurrit cum illo, sed semen illud non est separatum à Deo, sed potius cum eo localiter coniunctum. ergo si Deus immediate concurrit ad productionem prolis, supplens defectum substantiæ Patris, nec ipsum semen est instrumentum separatum, sed coniunctum. Respondeo, semen stricte esse instrumentum Dei vt supplentis defectum causæ secundæ, quia Deus vt causa principalis cum illo concurrit, & illud eleuat ad operandum, & in hoc sensu semen non esse instrumentum separatum, sed coniunctum, cum ab ipsa causa principali non distet, latè verò semen esse etiam instrumentum substantiæ Patris, quia eius nomine & virtute operatur, & in hoc sensu esse instrumentum separatum, quia distat & separatur ab illa.

Obijciat quarto ; actio, ignefactio, v. g. verè at- 27
tingit & producit substantiam ignis, quia licèt ipsa in se non contineat perfectionem substantiæ ignis, est tamen actio alterius substantiæ, quæ formaliter in se continet perfectionem talis ignis, atqui etiam calor est virtus substantiæ ignis , quæ formaliter continet perfectionem alterius ignis ; ergo licèt ipse calor in se non contineat ignis perfectionem, poterit in virtute substantiæ efficere immediate aliam substantiam ignis. Resp. solum ad rationem causæ totalis requiri, quod contineat in se effectũ, quia est id, quod simpliciter dat esse effectui, id verò non requiri ad rationem viæ, quia via simpliciter non dat esse, sed est ratio, qua causa communicat esse effectui, actio ergo non concurrit vt causa, sed vt via ad producendum effectum , & ideo non requiritur, quod in se contineat perfectionem effectus; accidentia verò , si concurrerent, illa sola immediate ad productionem substantiæ, concurrerent vt principium, & causa creata, immediata, & totalis talis substantiæ, & ideo deberent in se omnem substantiæ perfectionem eminenter, vel formaliter continere, & quia illam absolute in se non continent, idcirco sola accidentia non valent efficere immediate substantiam.

Assert 10 secunda : substantia per se ipsam im- 28
mediate, & adæquate generat aliam substantiam, accidentia verò solum disponendo actiue materiam ad substantiæ generationem concurrunt. Ita auctores secundæ sententiæ, & P. Hurt. disp. 9. physic. sect. 12. Probatur ; causa immediata effectus, quæ continet in se formaliter, aut eminenter totam perfectionem effectus, & est ex se determinata naturaliter ad illum; cum solo concursu generali Dei, est causa immediata adæquata talis effectus, sed substantia creata, v. g. ignis est causa immediata alterius substantiæ ignis, vt ostendi in prima assertione, & continet in se formaliter totam perfectionem illius, & est ex se determinata naturaliter ad producẽdum ignem; ergo substantia ignis cum solo concursu generali Dei est causa immediata adæquata alterius ignis. Confirmatur, ideo calor est causa immediata, adæquata alterius caloris, quia continet in se formaliter totam perfectionem illius, & est determinatus ad illum, sed eodem modo, vnus ignis, continet formaliter perfectionem alterius ignis, & est determinatus ad illum ; ergo etiam vnus ignis est causa immediata, & adæquata alterius ignis ; Vrgeo efficaciter ex nostris principijs, ideo causa necessariò habens sibi paratum concursum generalem Dei non eget ad operandum qualitate alia illam physicè prædeterminante ad effectum, quia causa necessaria secundum se cum solo generali concursu Dei continet eminenter aut formaliter totam perfectionem effectus, est determinata ad illum, & subordinata Deo, atqui etiam substantia ignis, v. g. secundum se cum solo generali concursu Dei continet formaliter omnem perfectionem alterius, & est determinata ad illum producẽdum, non enim valet producere alium effectum substantialem nisi ignem, & etiam est subordinata Deo; ergo non eget alia qualitate accidentali caloris cum ipsa influente ad producendam immediate aliam substantiam ignis.

Obijciat aliquis primò , anima rationalis con- 29
tinet

tinet in se eminēter omnem perfectionem actus vitalis, est enim perfectior & eminētior illo, & tamen eget potentia accidentali intellectus concurrente etiam immediate ad producendum illum; ergo licèt substantia ignis, v. g. contineat in se formaliter omnem perfectionem alterius ignis, egebit quadam virtute & potentia accidentali caloris cum ipso etiam immediate cōcurrente ad producendam aliam substantiam ignis. Resp. primò, potentias animæ rationalis ab ipsa etiam realiter non distingui, quo cessat vis argumenti. Secundò, dico animam rationalem secundum se non esse determinatam ad producendum actum intellectionis, potius quam volitionis & è contra, & ideo, indigere potentia accidentali intellectus quæ cum illa concurrendo ipsam determinet ad actum intellectionis, & potentia voluntatis, quæ determinet illam ad actum volitionis; substantia verò ignis non est indifferens secundum se, sed determinata ad producendam aliam substantiam ignis, & ideo non eget calore etiam immediate influente vt efficiat alium ignem.

30 Sed vrgeat; etiam Sol secundum se est indifferens ad producendum aurum, vel argentum, aut alia metalla in viscеribus terræ; ergo egebit aliquibus accidentibus, quæ cum ipso etiam immediate concurrant, illumque determinent ad productionem auri, & alia ad productionem argenti; ergo non sola substantia sed etiam accidentia concurrunt immediate ad productionem alterius substantiæ. Resp. substantiam solis positis præcisè in materia quibusdam dispositionibus, esse secundum se determinatam ad producendum aurum, & positis præcisè in eadem materia certis alijs dispositionibus, & qualitatibus, esse determinatam secundum se ad producendum argentum, & ideo non indigere alia virtute accidentali influente cum ipso, vt ad efficiendum aurum, vel argentum determinetur, anima verò rationalis nullam habet dispositionem, à qua quasi passiuè possit determinari ad suos actus, & ideo eget potentijs accidentalibus à se distinctis, per quas actiue ad varios ipsius actus determinetur.

31 Obijciat secundò, pater verè & strictè agit, & generat filium: nam Paternitas est relatio secundi generis, atque ita in vera actione fundatur, sed si accidens non attingeret immediate productionem substantiæ, Pater verè non ageret filium, quia nec per suam substantiam illum efficeret, cum sit distans, nec etiam per virtutem seminalem accidentalem vt fateris: ergo accidens etiam immediate concurrit ad productionem substantiæ. Confirmatur. Effectus creatus petit immediate & per se oriri ab aliqua causa creata, sed substantia filij geniti, est effectus creatus: ergo petit per se & immediate oriri ab aliqua causa creata, sed non potest immediate oriri à substantia Patris distante: ergo debet immediate oriri ab aliquo accidente, quæ illam efficiat vt virtus & instrumentum substantiæ. Resp. Patrem media eius virtute, ac semine efficere per se dispositiue substantiam prolis, quia efficit vltimam dispositionem ad quam per se & immediate consequitur substantia filij genita, & hæc actio sufficit, vt in ipso vera resultet Paternitas, qua Pater denominatur. Ad confirmationem respond. substantiam filij oriri immediate à substantia matris, quæ non est distans, à substantia verò Patris solum actiuè dispositiuè media virtute seminali, nec alio modo petit per se ab illa oriri, cum propter necessāriam Patris distantiam alius influxus immediatus naturaliter impossibilis sit.

Obijciat tertiò, substantia animata secundum se nobilior ac perfectior est, & magis actiua quam substantia inanimata, atqui substantia animata, v. g. substantia Patris non est immediate actiua alterius substantiæ, aliàs eius virtus esset otiosa, cum non posset reduci naturaliter ad actum, quod non permittit natura: ergo nec substantia inanimata erit immediate actiua alterius substantiæ: ergo substantia creata simpliciter non agit immediate effectum substantialem. Resp. substantiam animatam Patris esse actiuam immediate substantiæ filij, quia est eiusdem rationis cum substantia animata matris, quæ filij substantiam agit per se ipsam immediate, nec sequitur inde virtutem actiuam patris fore otiosam, nam talis virtus habet duplicem actum, alium generationis, alium nutritionis, & quamvis naturaliter non posset reduci ad actum generationis, de facto tamen reducitur ad actum nutritionis, quod sufficit vt otiosa non sit. Deinde anima Patris potuit à principio naturaliter infundi à Deo cor- 32
pori fœmineo, in quo posset immediate generare, & idcirco eius virtus actiua potuit simpliciter naturaliter reduci ad actum generationis.

Obijciat quartò, si aliqua ratione accidens non posset aliquo modo efficere immediate substantiam, maximè quia cum substantia producitur, accidens est coniunctum cum substantia aliqua quæ est adæquate actiua alterius substantiæ, atque ita virtus alia in accidenti esset superflua, sed aliquando cum substantia producitur, accidens non est coniunctum cum substantia aliqua, quæ adæquate sit actiua alterius substantiæ, vt constat in exemplis adductis supra num. 25. ergo accidens recte poterit habere aliquam virtutem ad efficiendam immediate substantiam; Confirmatur, Deus est causa adæquate actiua effectus supernaturalis, & tamen aliquando cum ipso res creata vt instrumentum obedientialiter concurrit immediate ad productionem talis effectus supernaturalis: ergo licèt substantia secundum se sit adæquate actiua alterius substantiæ, accidens vt instrumentum immediate concurret cum illa ad productionem talis substantiæ. Respondeo semper, cum producitur, accidens est naturaliter coniunctum cum substantia creata, quæ adæquate agat talem substantiam, vel cum substantia increata, quæ gerat vices substantiæ creatæ, & faciat idemmet, quod illa debebat efficere, & ideo superflua esset alia virtus in accidenti ad producendam immediate substantiam. Ad confirmationem resp. substantiam creatam esse causam necessariam in ordine ad producendam aliam substantiam, & ideo agere quantum potest, & cum possit agere aliam substantiam adæquate, illam adæquate agit, & ideo virtus immediate actiua in accidenti non datur naturaliter respectu talis substantiæ; Deus verò est causa libera, & licèt adæquate possit efficere effectum supernaturalem, libere temperat suam virtutem & partialiter concurrit, vt res creata tanquam instrumentum obedientialiter cum illo & etiam immediate talem rem supernaturalem efficiat. 33

CAPVT IV.

An sola substantia, an verò ab alio accidenti accidens immediate oriatur.

34 DVo sunt genera accidentium, alia quæ sunt passiones, & proprietates substantiæ, vt calor ignis, est passio ipsius ignis, & frigiditas aquæ, est

est proprietas eiusdem aquæ. Alia sunt accidentia quæ afficiunt substantiam, sed non sunt passiones illius, vt lumen aëris, non est passio ipsius aëris, & calor aquæ non est proprietas ipsius aquæ, de vtroque ergo accidenti proprio scilicet & communi, quærimus in præsenti, an à sola substantia, an verò ab alio accidenti, immediate, & adæquate efficiatur.

35 Assert 10 prima: Accidentia, quæ sunt passiones substantiæ, præcisè, verosimilius est, fieri, & resultare immediate ab ipsa substantia. Ita expressè D. Thom. 1.p.q.77.art.6. Suarez tom. 1. met. disp. 14. sect. 3. num. 57. & disp. 18. sect. 3. num. 4. Petrus Hurtados disp. 9. physic. sect. 1. num. 13. Arriaga disp. 11. physic. sect. 2. num. 11. Ouiedo cap. 9. phys. p. 1. n. 1. Carleton disp. 25. physic. sect. 7. & plures communiter aduersus Vasq. tom. 2. in 1.p. disp. 196. n. 12. & tom. 1. in 3.p. disp. 34. n. 15. & alios recentiores qui asserunt passiones non ab essentia, sed solum à generante produci; nostra verò Assertio hac vnica ratione probatur; aqua calida, si ab igne inducente calorem separetur, ad naturalem reducitur frigiditatem, quæ est passio illius; ergo tunc hæc frigiditas ac passio aquæ, producitur ab aliqua causa; scilicet vel à primo generante aquam, vel à Deo illam modo conseruante, vel ab ipsa substantia aquæ, atqui frigiditas hæc non producitur à primo generante, quod iam modo non est ibi, neque ab ipso Deo conseruante aquam, quia physica, quoties potest inuenire aliquam causam creatam alicuius effectus, ad fidelia, hoc est, ad Deum non recurrit, ergo producitur hæc frigiditas ab ipsa substantia aquæ, ab illaque re-
36 sultat vt propria passio illius.

Nobiles quidam Neoterici dicunt in aqua, dari quandam occultam qualitatem ei à primo generante inpressam ad proprias qualitates & passiones, si eas aliquando amiserit, recuperandas, & ab hac qualitate, quæ alias eminenter continet, produci frigiditatem, cum aqua calida semoto calore fauente ad pristinam se frigiditatem reducit.

Sed contra: non est admittenda noua quædam qualitas à nemine huc vsque inuenta sine conuenienti ratione, sed illa qualitas occulta est noua & à nemine antea adinuenta, & nulla est conueniens ratio ad illam admittendam, cum non magis implicet frigiditatem aquæ à substantia aquæ produci, quam ab illa qualitate occulta, nec talis implicationis ratio potest assignari; ergo qualitas ista occulta non debet admitti. Confirmatur, si qualitas illa continens eminenter frigiditatem esset in aqua, non solum in ipsa aqua, sed etiam in alio subiecto approximato frigiditatem produceret, sicut quia lux, quæ est in aëre, continet eminenter calorem, non solum in ipso aëre, sed etiam in alio subiecto approximato producit calorem, atqui qualitas illa aquæ in alio subiecto approximato non producit frigiditatem, nam si in aqua tepida aliquis manum immergat, frigiditatem non sentiet; ergo non est in aqua talis occulta qualitas, quæ contineat eminenter frigiditatem, igitur talis frigiditas, & passio aquæ oritur ab ipsa substantia aquæ.

37 Obijciat autem quis: calor, qui est passio ignis, & frigiditas, quæ est passio aquæ, sunt dispositiones ad generationem ignis & aquæ; ergo dependent ab illis substantia ignis, & substantia aquæ à priori; ergo ipsæ qualitates ac passiones, scilicet calor & frigiditas non possunt effici, & dependere à priori à substantia ignis, & substantia aquæ, nam mutua dependentia à priori verè repugnat. Dices calorem, & frigus non effici à substantia ignis, & substantia aquæ in prima earum generatione, effici verò ab illis in conseruatione.

Sed contra: ideo calor, & frigus non fiunt à 38
substantia ignis, & substantia aquæ in prima generatione, quia sunt dispositiones, à quibus pendet talis generatio ignis, & aquæ, sed similiter sunt dispositiones à quibus pendet conseruatio ignis & aquæ, non enim aqua sine frigore, nec ignis sine calore naturaliter conseruatur; ergo calor & frigus nec etiam in conseruatione fiunt à substantia ignis, & à substantia aquæ. Resp. calorem & frigiditatem, qua parte sunt etiam dispositiones requisitæ ad generationem aut conseruationem ignis, & aquæ non fieri nec dependere à priori à substantia ignis, & à substantia aquæ, qua verò parte non sunt dispositiones sed præcisè passiones ignis & aquæ ab ipsis re ipsa resultare & fieri, vnde cum frigiditas aquæ, v.g. secundum omnes gradus intensionis non sit dispositio ad aquam, aqua enim calida in suo esse conseruatur, sed solum secundum aliquos primos gradus illius, ideo frigiditas talis secundum illos primos gradus secundum quos non est passio præcisè, sed etiam dispositio necessaria ad aquam non fit à substantia aquæ, sed solum à generante, vel conseruante aquam: secundum alios verò gradus, secundum quos ipsa frigiditas est præcisè passio aquæ, oritur, & resultat à substantia aquæ, & ideo in assertione consulto diximus accidentia, quæ sunt passiones substantiæ præcisè fieri & resultare ab ipsa substantia; dispositiones enim ad substantiam requisitæ non sunt præcisè passiones ipsius substantiæ. 39

Sed obseruanda sunt duo: primum quod licèt substantia & non generans efficiat immediate passiones, quia secundum se habet maiorem proportionem cum illis, tamen ipsa substantia & essentia rei tales passiones producit nomine generantis, & vt instrumentum illius: ita vt verè dicatur generans media illa substantia à se producta tales passiones efficere, & ipsi quasi principaliter talis actio tribuatur, quia qui dat formam dat consequentia ad formam. Secundum, passiones fieri & resultare per veram actionem cum verè fiant, & res non possit verè fieri sine vera actione, sicut nec verè cognosci sine vera cognitione, quæ quidem actio est vere distincta à prima actione & generatione substantiæ, sed quia cum illa est necessario connexa, ideo non actio noua atque distincta dicitur, sed quædã naturalis resultantia & emanatio appellatur.

Assert 10 secunda. substantia aliqua potest im- 40
mediate & adæquate efficere accidentia. Probatur primò, quia quod clare non repugnat non est Deo denegandum, sed non repugnat substantia creata, quæ accidentia aliqua immediate & adæquate efficiat, quæ enim in hoc potest dari implicationis ratio; ergo substantia aliqua à Deo producta vel producibilis poterit immediate & adæquate aliqua accidentia efficere. Probatur secundò, verosimilius est potentias animæ non distingui reipsa ab ipsa substantia animæ vt dicam in libris de anima atque ita substantiam animæ secundum se immediate & adæquate actus vitales efficere, sed actus vitales sunt quædam accidentia animæ; ergo substantia aliqua potest adæquate & immediate efficere aliqua accidentia, vnde vniuersale proloquium scilicet substantiam non esse immediate operatiuam debet intelligi solum respectu alterius substantiæ quam substantia non efficit nisi medio aliquo accidenti disponente vt suprà diximus, n. 24. non verò respectu accidentis, quia immediate producit, vt modo monstratum est.

Assertio

Assertio tertia: substantia sæpè non efficit immediate accidens, sed medio alio accidenti, quod accidens illud immediate & adæquate producit, v.g. substantia ignis non efficit immediate calorem sed medio alio calore, à quo calor ille immediate & adæquate producitur. Probatur: si substantia ignis esset secundum se immediate effectiua caloris non deberetur illi connaturaliter calor, qui immediate & adæquate alium calorem producit, nam talis calor in igne esset superfluus, atqui substantiæ ignis debetur connaturaliter calor, qui quidem immediate & adæquate alium calorem producit; ergo substantia ignis secundum se non est immediate effectiua caloris: minor probatur, calor in igne non minorem habet virtutem quam in aqua, sed calor existens in aqua immediate & adæquate alium calorem producit, nam calor ille productus non potest causari à substantia aquæ, ergo calor existens in igne immediate etiam & adæquate alium calorem producit.

43 Obijciat quis. Substantia ignis efficit in se immediate calorem vt diximus assertione prima; ergo etiam poterit producere immediate calorem, in alio v. g. in aqua, nam eiusdem est rationis calor productus in igne, & calor productus in aqua, & qui potest vnum effectum, potest & alium eiusdem rationis producere. Respondeo, substantiam ignis efficere in se immediate calorem, non verò in aqua, non quia diuersæ rationis sint calor in igne, & calor in aqua, sed quia calor vt est in igne est propria passio illius, & ignis, habet connexionem cum illo, & ideo potest illum immediate producere in substantia ipsiusmet ignis, at verò calor existens in aqua non est passio ignis nec ignis habet conuexionem cum illo, & ideo non potest illum immediate producere in substantia aquæ, vnde licèt calor aquæ sit eiusdem speciei cum calore ignis, quia tamen subiectum est diuersum, & ratio diuersa, calor ignis immediate à substantia ignis producitur, calor verò aquæ non potest effici immediate ab eadem substantia ignis.

44 Verum quærat aliquis, an cum accidens immediate, & adæquate aliud accidens producit, v.g. calor alium calorem efficit, sit causa instrumentalis ipsius, an principalis? Fonseca 5. metaphysicæ capite 2. quæstione 6. sectione 6. & Conimbricenses hic quæstione 18. articulo 3. assertione 5. docent esse instrumentalem. Suarez tomo 1. metaphysic. disputatione 18. sectione 6. numero 2. censet esse principalem. Arbitror ego, si de instrumento late accepto sermo sit, accidens v. g. calorem ignis esse causam instrumentalem alterius caloris, quia illum producit vt virtus substantiæ, & quasi nomine illius, quod præcisè ad rationem instrumenti late accepti requiritur, si verò de instrumento & causa principali stricte acceptis loquamur, accidens v.g. calorem esse causam principalem alterius caloris, quia illum producit sub ratione formali caloris, quæ calori agenti formaliter attribuitur, quod tantum ad rationem causæ principalis stricte acceptæ desideratur iuxta dicta supra capite secundo numero 1.

***

DISPVTATIO XVIII.

De causa aut potentia actiua obedientiali.

TRIA capita continet. In primo inquiro quænam sit potentia obedientialis actiua. In secundo, an in quauis re creata sit potentia obedientialis ad effectum quemlibet generandum. In tertio, aduersæ partis argumenta dissoluuntur.

CAPVT II.

Quænam sit potentia obedientialis actiua.

PRæmittendum pro intelligentia difficultatis potentiam proprè dictam duplicem esse, actiuam quæ est vis agendi, & passiuam quæ est virtus seu aptitudo aliquid recipiendi, vel etiam sustentandi, vtraque hæc potentia tam actiua quam passiua, est etiam duplex, naturalis & supernaturalis, naturalis actiua est virtus ad producendos effectus naturales, quos res aliqua potest producere cum concursu generali Dei sibi iuxta communem rerum ordinem ac dispositionem debito, simul cum alijs comprincipijs à quibus etiam iuxta naturæ leges dependet, & ad quos dicit naturalem proportionem, v. g. entitas aquæ naturaliter producit alteram aquam, & intellectus creatus habet naturalem vim cognoscendi Deum abstractiue, quia ex suis viribus & virtute naturali coniungi potest cum comprincipijs ad hoc requisitis; potentia similiter naturalis passiua est virtus & naturalis aptitudo adrecipiendum formas sibi proportionatas quas iuxta communem concursum rerum concursu sibi debito potest recipere, vt contingit non solum in potentijs passiuis vt materia prima, sed etiam in potentijs passiuis liberis vitalibus quæ actus quos efficiunt, recipiunt. 1

Potentia actiua supernaturalis seu obedientialis, est virtus & aptitudo aliquid efficiendi, videlicet effectus quos ex viribus proprijs & secundum communes naturæ leges nequit efficere: passiua verò obedientialis est virtus & capacitas ad recipiendas formas, quas suis proprijs viribus & secundum leges vniuersi recipere non potest; dicitur tamen potentia supernaturalis vel quoad substantiam, vel quoad modum, vt quando forma scilicet gratia quoad substantiam est supernaturalis, vel quoad modum, vt quando forma quæ subiecto restituitur est naturalis entitatiue, quoad modum verò est supernaturalis, quia illi non debebatur, vt contingit in restitutione visus & formæ, amissæ, vel etiam potest dici supernaturalis quoad vtrumque, vt si Deus Angelum in duobus locis statuerit, per alteram, vel vtramque vbicationem supernaturalem. 2

Hæc autem potentia obedientialis potest esse substantialis vel accidentalis, naturalis vel supernaturalis, entitatiue & materialiter, provt fuerit entitas quæ eleuatur ad operandum; v. g. si Angelus vel gratia eleuetur ad creandum alterum Angelum vocatur potentia obedientialis, quia in operando non tam procedit secundum statutas leges naturæ, quam secundum imperium Dei, cui in omnibus quæ non inuoluunt contradictionem subiecta 3

subiecta est creatura; est igitur potentia obedientialis, formaliter ipsa entitas, quæ eleuatur connotans extraordinarium & indebitum Dei concursum volentis cum ipsa creatura concurrere ad opus aliquod supra naturales illius vires, & exigentiam rei illius quæ eleuatur,hæc autem cónotatio nihil aliud est, quam voluntas Dei coniuncta extrinsece cum entitate & potẽtia narurali ad actum aliquem supernaturalem,& ipsi indebitum, & quem ex propriis viribus nec exigit,nec efficere potest, cum vel quoad substantiam vel quoad modum non habeat cum illo effectu proportionem,sicut potentia actiua & naturalis,quæ cum voluntate & concursu Dei potest & exigit iuxta suam exigentiam & naturam efficere actum sibi naturalem & proportionatum; quærimus ergo in præsenti in quo formaliter ratio potentiæ obedientialis (si forte detur) consistat.

4 Nonnulli censent potentiã obedientialem aquæ v.g.respectu gratiæ,esse qualitatem quandã ac virtutem deriuatã à Deo ratione cuius formaliter ipsa aqua proportionatur ad producendam gratiam.Ita sentiunt Thomistæ. Sed impugnatur,vel illa qualitas ac virtus deriuata à Deo in entitatem aquæ, est ex se proportionata ad producendam physicè gratiam, vel est improportionata: si sit proportionata:ergo non obedientialiter, sed naturaliter concurrit ad efficiendam gratiam, quia virtus ex se proportionata cum effectu producit naturaliter talem effectum,vnde cum aqua in illorum sententia non aliter efficiat gratiam,ni si media illa qualitate & virtute, absolute aqua non obedientialiter, sed naturaliter saltem mediate,hoc est media illa qualitate efficiet gratiam:si autem illa qualitas & virtus sit impropotionata ex se ad producendam gratiam, ergo egebit alia qualitate & virtute deriuata à Deo, vt proportionetur ad efficiendam gratiam, nam ideo dicunt entitatem aquæ egere prima illa qualitate ac virtute ad producendam gratiam, quia aqua secũdum se est ad id improportionata;ergo si etiam prima illa qualitas & virtus deriuata à Deo, est improportionata ad efficiendam gratiam,egebit alia secunda qualitate & virtute deriuata à Deo ad gratiam efficiendam,& de hac secunda qualitate & virtute idem inquiram,an scilicet sit proportionata vel improportionata cum gratia,atque ita vel datur processus in infinitum, vel dicendum erit entitatem etsi proportionatam cum gratia posse obedientialiter illam efficere,si autem hoc concedatur, non est ratio cur potentia obedientialis sit distincta ab entitate aquæ,ipsa enim secundum se,licèt improportionata poterit, Deo imperante efficere obedientialiter gratiam.

5 Arbitrantur alij potentiam obedientialem esse virtutem quandam incompletam,& inchoatam cõgenitam cum entitate ereata v.g. aquæ & ab illa indistinctam ad efficiẽdam cum auxilio & eleuatione supernaturali Dei ipsam gratiam, cum autem quæuis virtus respectum transcendentalem includat, sentiunt talem potentiam obedientialem esse respectum transcendentalem saltem incompletum ad gratiã.Ita Suar.tom.1.in 3.p.disp.31.sect.6.§.necessitas potẽtiæ obediẽtialis actiuæ:sed impugnatur primo, quia cum aliqua res secũdum suam entitatẽ dicit ordinẽ transcendentalem ad aliam illa,quidem esset impossibilis si esset impossibilis alia,respectus enim transcendẽtalis non tẽdit ad impossibile,atqui etiam si esset impossibilis gratia iustificans,non sequeretur quod esset impossibilis entitas aquæ, cum diuersi ordinis sit; ergo entitas aquæ nullum respectum dicit transcendentalem ad gratiam;ergo potentia obedientialis,quæ est reipsa idem cum entitate aquæ,non est virtus includens ordinem transcendentalem ad ipsam gratiam. Secundò, ille qui comprehendit entitatem naturalẽ,cognoscit explicite omnem respectum & ordinem re vera identificatum cum entitate ac essentia naturali,quia comprehensio rei naturalis,est adęquata cognitio illius, sed Angelus comprehendẽs entitatem ac essentiam naturalem aquæ non cognoscit explicite virtutem aliquam seu ordinem transcendentulem ad gratiam;alioqui naturaliter cognosceret etiam ipsam gratiam; ergo entitas ac essentia aquæ non habet secum identificatam virtutem ac respectũ transcendentalem ad gratiam; ergo potentia obedientialis, quæ verè non distinguitur ab entitate aquæ,non est virtus includẽs talem respectum ad ipsam gratiam.

Recentiores quidam afferunt potentiam obedientialem aquę v.g.in ordine ad gratiam esse quãdam non repugnantiam ipsius aquæ ad efficiendam gratiam.Hæc tamen sententia duplicem potest habere sensum, primus sensus est,quod talis non repugnantia non sit formaliter ipsa potentia obediẽtialis;sed tantum quædam conditio necessaria ad illam & in hoc sensu vera sentẽtia est, sed satis rem non declarat,non enim rectè explicatur ratio formalis potentiæ solum per aliquam conditionem ad ipsam necessariò requisitam; secundus sensus est, quod ipsa non repugnantia sit formaliter potentia obedientialis ad efficiendam gratiam;& in hoc sensu sententia hæc est improbabilis, & impugnatur aperte, nam id quod non est ens reale non potest physicè efficere aliquam entitatem realem, quia nullo modo continet in se illam,& nemo dat quod non habet, sed non repugnantia aquæ non est ens reale,sed solum quædam negatio; ergo non repugnantia aquæ ad operandum non potest physicè efficere entitatem realem gratiæ, atqui potentia obedientialis aquæ respectu gratiæ(si forte detur) physicè efficit ipsam entitatem realem gratiæ;ergo potentia obedientialis non est, formaliter non repugnanti aaquæ respectu gratiæ. 6

Assertio ergo sit.Potentia obedientialis aquæ, v.g.respectu gratiæ est quædam capacitas,quam necessariò connotato supernaturali imperio,ac eleuatione Dei,habet formaliter per suam entitatem aqua ad efficiendam gratiam, itaque aqua secundum se, præciso imperio,ac eleuatione Dei,nullam omnino habet potentiam,nec virtutem, nec respectum obedientialem ad gratiam;connotato verò supernaturali auxilio ac eleuatione Dei ipsi indebita, qua Deus imperat, & eleuat gratis aquam ad gratiam efficiẽdam iam in entitate aquæ formaliter,& quoad denominationem est potentia & capacitas obedientialis ad efficiendam gratiam;sicut enim vna albedo non connotata alia non habet in se vllam similitudinem respectu alterius formaliter & quoad denominationem, sed tantum quoad entitatem, connotata vero alia albedine, iam hæc albedo habet per se ipsam formaliter,& quoad denominationem similitudem cum illa; ita similiter aqua secundum se non connotato imperio,& eleuatione supernaturali Dei,nullam habet potentiam, capacitatem, & respectum obedientialem ad gratiam formalitet,& quoad denominationem,nisi tantum quoad entitatem,connotato verò imperio, ac supernaturali eleuatione Dei ipsi indebita respectu gratiæ, iam hæc aqua habet formaliter per se ipsam potentiam, capacitatem, & respectum etiam quoad denominationem ad ipsam gratiam;ita recentiores ingenioſi, quibus subscribo. 7

Sed obserua in quo conueniant ac differant 8

potentia naturalis, & potentia obedientialis tam remota quam proxima, potentia quidem naturalis remota & potentia obedientialis etiam remota in eo conueniunt, quod potentia naturalis remota necessariò connotat concursum & auxilium Dei naturale vt possibile & etiam potentia remota obedientialis connotat necessariò imperium ac auxilium supernaturale Dei vt possibile, differunt tamen in eo quod entitas talis potentiæ naturalis per se ipsam petit, & infert concursum & auxilium naturale Dei possibile, & ideo talis entitas per se ipsam non connotato prius auxilio naturali Dei possibili dicitur absolutè potentia naturalis remota; at vero entitas potentiæ remotæ obedientialis per se ipsam, non petit nec infert imperium ac auxilium Dei supernaturale vt possibile, sed illud quasi spectat, & ideo talis entitas per se ipsam non est absolute potentia remota obedientialis, nisi connotato prius vt possibili tali imperio ac eleuatione supernaturali Dei ipsi indebita: item potentia naturalis proxima & potentia proxima obedientialis in eo conueniunt, quod potentia proxima naturalis necessario connotat auxilium naturale Dei vt existens, & potentia obedientialis proxima etiam necessariò connotat vt existens imperium ac eleuationem Dei supernaturalem, differunt tamen in eo, quod patientia proxima naturalis, petit connaturaliter tale auxilum Dei existens sibi connaturale ac debitum ad naturaliter operandum, & ideo dicitur potentia natutalis: potentia vero proxima obedientialis non petit connaturaliter imperium ac eleuationem Dei supernaturalem, cum sit ipsi indebita, sed tali imperio ac eleuatione Dei posita, entitas creata denominatur formaliter potens & apta ad illi obediendum ac producendum effectum supernaturalem, & ideo potentia obedientialis vocatur.

9 Hinc infero primò, quòd licet gratia esset impossibilis non sequeretur quod esset impossibilis aqua. Probatur, quando vna res non habet quoad suam entitatem ac essentiam absolute ordinem ad aliam, sed solum quoad denominationem, posito extrinseco connotato non sequitur quod foret ipsa impossibilis, si esset impossibilis alia, v. g. quia vna albedo non dicit quoad suam essentiam ac entitatem absolute ordinem ad aliam albedinem, nisi tantum quoad denominationem posito aliquo connotato, ideo licèt alia albedo foret impossibilis, hæc albedo impossibilis non esset, atqui aqua non habet quoad suam essentiam ac entitatem absolute ordinem ad gratiam, nisi tantum quoad denominationem posito extrinseco connotato, scilicet imperio & eleuatione Dei respectu gratiæ: ergo etsi esset impossibilis gratia non sequeretur, quod foret impossibilis aqua.

Secundò infero, licet Angelus comprehendat essentiam ac entitatem aquæ non sequi, quod cognoscat gratiam. Probatur clare; entitas ac essentia aquæ secundum se absolute nullum habet respectum ad gratiam, sed solum connotato prius imperio ac eleuatione Dei supernaturali respectu gratiæ aqua denominatur formaliter habere respectum ad illam, sed qui comprehendit rem, solum necessariò cognoscit explicite respectum, quem habet res quoad suam essentiam ac entitatem absolute, non vero respectum quem tantum habet quoad denominationem posito accidentaliter aliquo extrinseco connotato, qui enim comprehendit albedinem non necessariò cognoscit explicite respectum similitudinis, quem formaliter habet cum alia albedine, quia talis respectus est quasi accidentalis rei, atque ideo non pertinet ad rationem comprehensionis ipsius rei, ergo licet Angelus comprehendat essentiam ac entitatem aquæ, non necessariò cognoscet explicite gratiam.

CAPVT II.

An in quauis re creata sit potentia obedientialis ad effectum quemlibet generandum.

EXplicuimus iam rationem formalem potentiæ obedientialis: nunc quærimus an in quauis re creata & in ordine ad quemvis effectum supernaturalem generandum, hæc obedientialis potentia & capacitas reperiatur. Sed in primis certum est animam rationalem connotato imperio, ac eleuatione Dei habere potentiam obedientialem passiuam ad recipiendam in se vnionem hypostaticam; gratiam & alias virtutes supernaturales, & etiam potentiam obedientialem actiuam ad efficiendos actus charitatis, fidei & alios similes supernaturales. Probatur aperte, anima rationalis Christi per suam entitatem connotata eleuatione Dei verè patitur vnionem hypostaticam & gratiam, & etiam verè agit actus supernaturales fidei, & charitatis, vt fides docet, sed non per potentiam actiuam & passiuam naturalem, potentia enim naturalis solum est ad effectum naturalem, nec per potentiam supernaturalem quia entitas animæ rationalis, in qua est illa virtus est naturalis: ergo per potentiam passiuam & actiuam obedientialem. Dubium tamen est, an in quauis re creata sit virtus obedientialis ad omnem effectum supernaturalem, v.g. an in entitate aquæ seu in qualitate caloris sit potentia obedientialis ad producendam gratiam, negat acerrime Vasquez tom. 2. in 1. p. disp. 176. cap. 3. & 4. cui alij recentiores subscribunt. 10

Assertio tamen sit: in qualibet re creata est potentia obedientialis ad producendum quemuis supernaturalem effectum imperatum à Deo, v.g. in entitate aquæ ad producendam gratiam, & in musca ad producendum Angelum. Ita D. August. lib. 9. de Trinitate cap. 17. & 1. & 5. Genesis ad literam cap. 27. D. Thom. quæst. 6. de potentia art. 4. præcipue in 4. dist. 8. q. 6. artic. 3. ad 4. D. Greg. lib. 2. Dial. Suar. tom. 1. in 3. part. disp. 31. sect. 5. & 6. & disp. 43. sect. 4. n. 9 Arrub. tom. 2. disp. 186. cap. 3. Valencia in 3. p disp. 2. q. 13. punct. 2. Mol. 1. p. q. 45. disp. 25. Tannerus in 4. disp. 3. q. 3. Dub. 3. Hurt. disp. 9. phys. sect. 14. subsect. 2. Albertus in 1. principio phys. q. 7. & in 2. p. q. 1. Arriaga disp. 11. physic. sectione 4. Meratius de Sacramentis in genere disp. 4. Coninch de incarnatione q. 13. art. 2. dub. 2. & de Sacramentis q. 62. art. 1. dub. 2. Ouiedo controu. 7. phys. p. 7. §. 2. n. 7. Carleton disp. 27. physicorum sect. 4. & est fere communis inter recentiores. 11

Probatur primò auctoritate D. August. lib. 9. de Trinitate c. 17. super illa verba, *Germinet terra herbam virentem* ait, *iubente creatore, aqua prima natatilia & volatilia produxit, sicuti & terra prima, germina, & prima animalia*; clarius de Genes. ad literam c. 27. dicens, *super hunc autem motum cursumque rerum naturalem, potestas creatoris habet apud se, posse de his omnibus facere aliud quam eorum quasi seminales, id est naturales rationes habent*, ecce clare videtur ostendere esse potentiam quandam seu aptitudinem in omnibus creaturis ad obediendum creatori, & in 12

elementis

elementis vim quamdam occultam, quam ſemen occultum vocant, ad effectus naturalem eorum vim excedentes. Probatur ſecundò auctoritate D. Thomæ in 4. diſt. 8. q. 1. artic. 1. ad quartum, vbi ſic ait. *Sicut creaturæ ineſt obedientialis potentia, vt in ea fiat, quid quid creator diſpoſuerit, ita etiam vt ea mediante fiat, quæ eſt ratio inſtrumenti.* Ecce D. Thomas diſtinguit creaturam habere virtutem obedientialem, vt in ea aliquid à Deo fiat, ab eo quod eſt habere potentiam obedientialem, vt Deus mediante illa aliquid efficiat, ſed habere creaturam virtutem, obedientialem, vt in ea aliquid à Deo fiat, eſt habere potentiam obedientialem paſſiuam, ergo habere virtutem obedientialem, vt Deus mediante illa aliquid efficiat, eſt habere potentiam obedientialem actiuam.

13 Probatur etiam ratione primò, quia creatura eſt ſumme ſubordinata Deo, & Deus habet ſummum imperium in creaturam, atqui maius imperium erit in Deo, & maior ſubordinatio in creatura admiſſa potentia obedientiali actiua, ratione cuius quæuis res creata efficiat, quidquid imperauerit Deus, quàm tali potentia obedientiali non admiſſa, ergo ſi hæc potentia actiua obedientialis non implicat, quæuis creatura habebit potentiam actiuam obedientialem, tunc ſic, ſed hæc potentia actiua obedientialis non implicat, ergo quæuis res creata habet potentiam actiuam obedientialem, minor hæc primo, ex ſolutione argumentorum capite ſequenti conſtabit: ſecundo probatur, nam rationes omnes, quæ militant contra potentiam obedientialem actiuam, militant etiam contra paſſiuam, ſed poteſt dari potentia obedientialis paſſiua ad res ſupernaturales, immo de facto datur, vt oſtendi ſupra capite primo, ergo etiam poteſt dari potentia obedientialis actiua. Probatur tertiò, res naturalis creata, ſcilicet anima rationalis habet potentiam obedientialem actiuam ad viſionem Dei & alios actus ſupernaturales, ergo quæuis alia res creata poterit habere virtutem actiuam obedientialem ad gratiam, & effectus alios ſupernaturales.

14 Dicat aliquis, ideo rationalem animam, ſeu potentiam vitalem poſſe diuinitus eleuari ad efficiendam viſionem Dei ſupernaturalem, quia inuenit in illa, aliquam rationem formalem nempe vitalitatem quæ ipſi animæ ſeu potentiæ vitali formaliter correſpondeat, & tribuatur, & ſub qua ad talem viſionem concurrat, aquam vero non inuenire in gratia ſupernaturali aliquam rationem formalem quæ ei formaliter correſpondeat, aut tribuatur, & ideo non poſſe eleuari ad efficiendam gratiam, nulla enim cauſa concurrit ad effectum niſi ſub aliqua ratione formali.

15 Sed contra, vitalitas viſionis Dei eſt intrinſece & eſſentialiter ſupernaturalis, ergo potentia vitalis naturalis, quæ tantum ſecundum ſe eſt proportionata cum vitalitate naturali actus, erit improportionata ad talem vitalitatem ſupernaturalem, & tamen potentia vitalis naturalis diuinitus poteſt eleuari ad efficiendam obedientialiter vitalitatem ſupernaturalem viſionis Dei, ergo entitas naturalis aquæ licet ſecundum ſe ſit improportionata ad entitatem ſupernaturalem gratiæ, poterit diuinitus eleuari ad efficiendam obedientialiter ipſam gratiam ſupernaturalem. Confirmo: ſicut vitalitas naturalis potentiæ, eſt ſolum proportionata cum vitalitate naturali actus, ita qualitas naturalis verbi gratia, caloris eſt tantum proportionata cum aliqua qualitate naturali alterius caloris, ſed vitalitas naturalis potentiæ poteſt diuinitus eleuari ad efficiendam vitalitatem ſupernaturalem viſionis Dei, quia in ea inuenit rationem formalem vitalitatis; ergo qualitas naturalis caloris poterit etiam diuinitus eleuari ad efficiendam qualitatem ſupernaturalem gratiæ, cum in ea etiam inueniat rationem formalem qualitatis; vrgeo, demus, vt etiam aduerſarij fatentur, dotem claritatis Beatorum eſſe lumen quoddam ſupernaturale; arguo ſic, ſicut potentia viſiua naturalis videt naturaliter lumen tantum naturale ſub ratione luminis naturalis, ita naturale lumen efficit naturaliter aliud lumen naturale ſub ratione luminis naturalis, atqui potentia viſiua poteſt diuinitus eleuari ad videndum lumen illud Beatorum ſupernaturale, quia in illo inuenit rationem formalem luminis, ergo poterit etiam lumen naturale diuinitus eleuari ad efficiendum lumen illud ſupernaturale, ſaltem obedientialiter, cum in eo eamdem luminis rationem formalem inueniat.

16 Dicat præterea, vt cauſa aliqua producat effectum requiri quod in illo aliquam formalitatem inueniat, ratione cuius effectus petat cauſari, & produci à tali cauſa, vnde cum intellectus inueniat in actu ſupernaturali viſionis Dei formalitatem vitalitatis ratione cuius viſio ipſa petit cauſari ab intellectu, ideo intellectus poteſt eleuari ad cauſandam & producendam viſionem ſupernaturalem Dei, qualitas vero naturalis caloris non inuenit in qualitate gratiæ aliquam formalitatem, ratione cuius gratia petat produci à qualitate caloris, nec lumen naturale inuenit in lumine ſupernaturali Beatorum aliquam formalitatem, ratione cuius petat produci ab ipſo lumine naturali, & ideo nec qualitas caloris poteſt eleuari ad efficiendam gratiam, nec lumen naturale ad efficiendum lumen ſupernaturale.

17 Sed contra. Accidentia non petunt ſecundum ſe creari à ſolo Deo, cum petant inhærere ſubiecto, & tamen poſſunt à ſolo Deo creari, imo de facto in Euchariſtia creantur, ergo licet effectus aliquis non petat oriri ab aliqua cauſa, diuinitus tamen poterit effici ſaltem obedientialiter ab ipſa aqua. Confirmo: effectus, ſeu actus vitalis cum vt ſic formaliter oriatur ab intrinſeco ſui principij aliquam proportionem & connexionem neceſſario habebit cum ſuo principio, quam non neceſſario habeat cum principio ſuo effectus non vitalis, qui non oritur ab intrinſeco, ſicut vitalis, atqui effectus, ſeu actus vitalis viſionis Dei, vt talis formaliter, ſolum habet aliquam formalitatem, ratione cuius petat oriri à ſuo principio ſcilicet ab intellectu: ergo alius effectus non vitalis, non neceſſario habet aliquam formalitatem, ratione cuius petat à ſuo principio cauſari, aliàs tam proportionatus & connexus eſſet cum ſuo principio per ſe & ſimpliciter actus, & effectus non vitalis, quam vitalis: ergo licet gratia non habeat aliquam formalitatem ratione cuius petat oriri, ab aqua, poterit diuinitus effici ab illa obedientialiter.

18 Probatur vltimo noſtra Aſſertio; datur in materia prima, potentia obedientialis paſſiua ad vnionem hypoſtaticam in corpore Chriſti, quæ eſt ſanctitas ſubſtantialis & perfectiſſima, ergo dabitur etiam ad gratiam habitualem, & dona ſupernaturalia recipienda, & Theologi docent quatuor humores eſſe aſſumptos in Chriſto, à Verbo diuino, & de ſãguine docet D. Thom. 3 p. q. 5. art. 2. & Suarez ibidem diſp. 15. ſect. 6. contrarium hoc tempore ſine errore defendi non poſſe, etſi hoc non habeatur per reuelationẽ colligitur tamẽ per diſcurſum, per quem etiã colligi poteſt in alijs etiã rebus præter animã ratiolem dari poſſe potentiã obedientialẽ ad producẽdas res ſupernaturales, & illas recipiẽdas; & cõfirmatur,

nam si daretur corpus simplex quod possibile esse ostendi disp.12.cap.5 existimo,à paritate rationis,assumi posse illud à Verbo,sicut Angelum & animam rationalem; ergo sicut posset anima & Angelus producere effectus supernaturales, quare non possent aliæ res eosdem producere? ergo in qualibet re creata datur potentia obedientialis tam actiua quam passiua.

19 Hinc infero entitatem creatam concurrentem obedientialiter ad effectum supernaturalem saltem ex genere suo non esse causam illius principalem, sed tantum instrumentalem,quia ad talem effectum concurrit sub nulla eius tatione ac formalitate,quæ ei formaliter tribuatur,quod quidem est proprium causæ instrumentalis, & alienum à principali, vt supra ostendi disp.17.cap.2.n.10.

CAPVT III.

Aduersæ partis argumenta dissoluuntur.

20 OBijciat aliquis primò, entitas naturalis aquæ non potest per se ipsam haberere respectum transcendentalem ad gratiam supernaturalem, tum quia est supra ipsam,tum etiam quia aliàs, qui naturaliter comprehenderet aquam, cognosceret naturaliter talem respectum ad gratiam,ac per consequens ipsam gratiam, quod est absurdum,sed potentia obedientialis ad gratiam, vt sic formaliter, est respectus transcendentalis ad gratiam, nequit enim concipi potentia obedientialis ad gratiam, vt sic formaliter,non concepta etiam ipsa gratia,ergo entitas naturalis aquæ non habet per se ipsam potentiam obedientialem ad gratiam;Resp.entitatem naturalem aquæ non posse habere quoad suam entitatem,ac essentiam absolutè respectum transcendentalem ad gratiam,ob rationesdictas,posse tamen habere illum respectum, quoad denominationem, posito aliquo extrinseco, & supernaturali connotato; posita enim gratia supernaturali,aqua per se ipsam,est formaliter dissimilis illi, & habet quoad denominationem, respectum realem dissimilitudinis ad ipsam gratiam, atque ita posito extrinseco connotato,scilicet supernaturali imperio,ac eleuatione Dei,respectu gratiæ,bene potest entitas aquæ habere quoad denominationem, per se ipsam respectum realem ac potentiam obedientialem ad efficiendam gratiam, nec inde sequitur, quod qui comprehenderet aquam,cognosceret respectum & gratiam,vt ostendi suprà n.9.

21 Sed insurgat,entitas aquæ secundum se præcisè, & absolutè,nullam habet nec incompletam potentiam obedientialem ad gratiam,& posito extrinseco imperio, ac eleuatione Dei habet potentiam obedientialem ad illam,ergo tota hæc potentia aduenit extrinsece ipsi aquæ ab extrinseco imperio,ac eleuatione Dei;ergo etiã posito tali imperio,aqua per suam entitatem,extrinsece nõ habet potentiam vllam obedientialem ad efficiendam gratiam;Resp. sicut ignis Babylonicus secundum se præcisè, non connotato concursu generali Dei, non fuit causa proxima etiam partialis,ad comburendum,connotato verò auxilio & concursu generali Dei, iam intrinsece per se ipsum denominatur formaliter causa proxima combustionis; ita similiter aqua secundum se præcisè non connotato imperio, ac eleuatione Dei,nullam habet potentiam obedientialem ad gratiam, posito verò, & connotato tali imperio, iam ipsamet aqua per seipsam intrinsece denominatur formaliter potentia obedientialis ad gratiam; & ratio à priori est,quia licet aqua secundum se præcisè non habet talem obedientialem potentiam, id tamen non est ex defectu entitatis in recto, quia tota entitas potentiæ obedientialis in recto datur in ipsa aqua,sed tantum ex defectu cõditionis,& connotati in obliquo requisiti, scilicet imperij, ac eleuationis diuinæ:vnde posito præcisè hoc connotato, ac imperio Dei, aqua per suammet entitatem formaliter & intrinsece denominatur potens efficere obedientialiter ipsam gratiam.

Verum vrgeat, imperium ac eleuatio Dei, vel 22
est causa totalis gratiæ,vel est causa partialis,si est causa totalis; ergo aqua per se ipsam uullo modo est causa etiam obedientialis gratiæ,esset enim omnino superflua: si autẽ est causa partialis ergo aqua secundum se est altera causa partialis respectu gratiæ,quia non potest esse vna causa partialis sine alia partiali, vtrumque autem nobis aduersatur. Resp. eleuationem diuinam, qua Deus eleuat aquam ad efficiendam gratiam, esse causam solum partialem talis gratiæ, ex hoc autem sequi quod ipsa aqua sit alia causa patialis obedientialis eiusdem gratiæ non quidem aqua secundum se præcisè,sed entitas aquæ in recto connotato in obliquo imperio,& eleuatione Dei, quo posito aqua verè denominatur causa partialis, saltem obedientialis gratiæ vt supra explicatum est.

Obijciat secundò,causa non potest agere effectum 23
nisi sub aliqua ratione formali totali, vel partiali, quæ ei formaliter tribuatur, sed in gratia nulla est ratio formalis, sub qua concurrat ad illam aqua, quæque ipsi aquæ formaliter tribuatur; ergo aqua non potest vllo modo efficere etiam obedientialiter gratiam.Resp.ad rationem causæ principalis solum requiri quod concurrat ad effectum sub aliqua ratione formali,quæ ei formaliter tribuatur id vero non requiri ad rationem causæ instrumentalis,imo esset contra rationem illius, vt ostendi supra disp. 17.c.2.n. 10.vnde ex eo quod aqua non possit concurrere ad gratiam sub aliqua ratione formali illius quæ ipsi aquæ formaliter tribuatur, solum sequitur;aquam non posse esse causam principalem gratiæ, non vero sequitur non posse esse causam instrumentalem illius quod tantum asserimus.

Sed instet, potentia visiua non potest etiam di- 24
uina virtute videre obiectum nisi sub aliqua ratione formali quæ illi correspondeat ex parte obiecti formaliter,videlicet nulla ratione potest obiectum videre nisi sub ratione lucidi, quæ ei formaliter correspondeat:ergo etiam potentia actiua non potest etiam diuinitus efficere aliquem effectum nisi sub aliqua ratione formali quæ ei correspondeat ex parte effectus formaliter; ergo cum hæc ratio non sit in gratia respectu aquæ,nullo modo aqua poterit efficere gratiam.Resp. effectum,seu actum vitalem,cum oriatur ab intrinseco sui principij, debere necessariò habere aliquam proportionem cum suo principio,seu potentia: si autem visio non videret obiectum sub aliqua ratione formali, quæ correspondet eius potentiæ, non haberet proportionem cum potentia, & ideo omnis visio, quæ verè est actus vitalis potentiæ visiuæ, debet necessario videre obiectum sub ratione formali lucidi,quæ correspondet tali potentiæ formaliter, effectus autem non vitalis non necessario habet hanc proportionem cum suo principio, seu causa, cum ab intrinseco non oriatur, sicut actus vitalis; & ideo non requiritur,quod talis effectus fiat sub aliqua ratione formali, quæ correspondeat causæ seu potentiæ actiuæ formaliter, cum ergo gratia sit effectus non vitalis, quamvis ex parte ipsius non sit aliqua ratione, quæ correspondeat

formaliter

formaliter aquæ potest fieri obedientialiter ab ipsa aqua.

Obiiciat, si aliqua esset potentia in aqua, qua efficeret gratiam, vel esset potentia naturalis, vel supernaturalis, sed talis potentia non est naturalis, cum sit ad effectum supernaturalem, nec est supernaturalis cum sit in sua entitate naturalis, & indistincta ab aqua; ergo nulla est in aqua potentia ad efficiendam gratiam. Resp. triplicem esse potentiam, aliam naturalem quæ est entitas naturalis, ac virtus ad producendum effectum naturalem, cum auxilio Dei naturali sibi debito, aliam supernaturalem quæ est entitas supernaturalis, ac virtus ad producendum effectum supernaturalem, cum auxilio supernaturali Dei sibi debito, aliam esse potentiam quasi mediam, quæ est virtus cuiusvis rei etiam naturalis ad efficiendum effectum supernaturalem cum auxilio supernaturali Dei ipsi indebito; quæ quidem cum Deus hoc auxilium præstet quasi per modum imperij, cui ipsa potentia obedit, ideo potentia obedientialis vocatur; & hæc obedientialis potentia reperitur in entitate aquæ ad efficiendam gratiam.

Objciat quartò, si aqua obedientialiter ageret gratiam, eius actio esset materialis, cum pendeat à materia, hoc est ab ipsa aqua quæ est res corporea & materialis, sed gratia, cum sit spiritualis, non potest fieri actione materiali; ergo aqua non potest agere gratiam obedientialiter. Resp. contra rationem rei spiritualis esse quod dependeat à materia tanquam à causa materiali, cum qua coextendatur & commensuretur, non verò esse contra rationem ipsius quod dependeat à materia vt à causa efficiente, cum qua non commensuretur, nec coextendatur; actio enim qua producitur species intelligibilis in intellectu iuxta D. Thom. sententiam pendet à phantasmate materiali tanquam à causa efficienti instrumentali, & tamen ipsa actio, cum sit productio speciei spiritualis, est etiam spiritualis, actio ergo qua aqua in anima baptizati produceret obedientialiter gratiam, non penderet à materia scilicet ab ipsa aqua tanquam à causa materiali, cum qua commensuraretur, sed solum tanquam à causa efficiente instrumentali, & ideo non esset materialis sed spiritualis.

Objciat quintò, quia intellectus habet virtutem obedientialem ad actum supernaturalem visionis Dei, potest per aliquam qualitatem supernaturalem intrinsecam, scilicet per lumen gloriæ eleuari ad eliciendam talem visionem Dei, sed aqua non potest per aliquam qualitatem supernaturalem intrinsecam eleuari ad efficiendam gratiam; ergo aqua non habet in se potentiam obedientialem ad gratiam. Resp. vt aliqua entitas habeat potentiam actiuam obedientialem ad aliquem effectum, sufficere quod per imperium Dei ac eleuationem supernaturalem intrinsecam, vel extrinsecam possit eleuari ad efficiendum illum, entitas autem aquæ potest, saltem extrinsece per imperium ac eleuationem increatam, eleuari ad efficiendam gratiam, vt probatum est, & ideo aqua habet potentiam obedientialem actiuam ad efficiendam gratiam. Non potest verò aqua ad efficiendam gratiam eleuari per virtutem & qualitatem ipsi intrinsecam & creatam, sicut eleuatur intellectus ad efficiendam visionem, sed solum per eleuationem increatam & extrinsecam, quia intellectus habet aliquam proportionem cum visione creata Dei, cum illam producat sub ratione formali visionis, & sub eadem ratione ipsa visio Dei petat produci ab intellectu; aqua verò nullam proportionem habet cum gratia, cum illam nõ producat sub aliqua ratione formali, ratione cuius gratia petat oriri ab entitate aquæ, ac proinde minor virtus & eleuatio scilicet creata & intrinseca requiritur, vt intellectus eleuetur ad efficiendam visionem Dei, cum qua aliquam habet proportionem; maior autem imo & maxima virtus, ac eleuatio scilicet increata, & extrinseca desideratur, vt aqua eleuari possit ad efficiendam gratiam cum qua nullam habet proportionem.

Objciat sextò, si aqua efficeret obedientialiter gratiã, vel esset causa principalis, vel instrumentalis illius, sed non est causa principalis, vt constat, nec est causa instrumentalis, cum non agat gratiam nomine Dei vt causa principalis nec tanquam virtus illius per quam ipse Deus verè concurrat ad gratiam; ergo nullo modo aqua efficit obedientialiter gratiam. Resp. ad rationem causæ instrumẽtalis, vt sic non requiri, quod sit virtus, per quam agat causa principalis, sed solum quod concurrat ad eius effectum sub nulla ratione formali illius, id est ratione cuius effectus petat oriri à tali causa; hoc autem habet aqua respectu gratiæ, & ideo est causa instrumentalis illius, vt diximus supra n. 19.

Objciat septimò, ex Coninch supra n. 116. & 117. sequi ex nostra sententia brutum posse intelligere, & velle, oculum audire & aurem videre, nam iuxta nostram sententiã possunt efficere, & recipere intellectionem, auris visionem oculus auditionem; ergo & intelligere, audire, & videre: consequẽtiam probo, nam licet naturaliter non sint subiecta apta ad has formas efficiendas & recipiendas, sunt tamen apta ad illas supernaturaliter efficiendas, & recipiendas; ergo licèt naturaliter non possunt intelligere, audire & videre, poterunt supernaturaliter, quod nemo affirmabit; ergo nec primum. Resp. non omne subiectum, quod est aptum ad recipiendam aliquam formam, vel quasi formam, esse aptum ad recipiendum omnem eius effectum formalem: est exemplum in Christi humanitate, quæ sancta redditur & denominatur à sanctitate increata Dei, seu à natura diuina, quæ est ipsa intellectio diuina, & tamen non denominatur, nec redditur per eam intelligens; sic natura irrationalis, vt leo, lapis, vel lignum, secundum aduersarios, potest assumi à Verbo, cum tamen ei non tribueret subsistentiam Verbi, denominationem filij Dei, personæ &c. sicut tribuit naturæ rationali, vnde non omne subiectum, quod est capax formæ, erit capax omnis illius effectus formalis; quare etsi brutum, posset eleuari, ad efficiendum & recipiendum actum intellectus, aut voluntatis, non sequitur posse eleuari, vt per eum intelligat & velit; & ratio est manifesta, nam in omnibus formis ad tribuendum subiecto in quo est, suum effectum formalem, requiritur certa quædam proportio in prædicatis, inter formam & subiectum, ita intellectio non tribuit effectum suum formalem secundarium nisi intellectui, nec visio nisi oculo, & auditio auri; bruta vero non habent hanc proportionem in prædicatis cum illis formis vt eis possint tribuere effectus formales secundarios, ad quod requirebatur, quod licèt subiectum non petat talem formam, forma tamen petat tale subiectum, seu quod sit vltra lineam & sphæram illius formæ, vt contingit in visione beata, quæ licèt non sit connaturalis animæ, aut Angelo, non tamen est extra latitudinem suæ potentiæ, lineæ, aut sphæræ, &c. sicut est in bruto, oculo aut auditu, quia sicut Deus non potest impedire effectum formalem formæ in subiecto apto, ita nec supplere illius defectum in subiecto inepto, cum Deus non possit concurrere in genere causæ materialis, & formalis, quia inuoluit imperfectionem, non vero in genere causæ efficientis, & sicut positis

positis omnibus requisitis ad operandum, potest Deus suspendere concursum debitum iuxta leges naturæ, ita & potest exhibere indebitum.

DISPVTATIO XIX.

De causa materiali.

TRIA capita continebit. In primo, inquiro, quæ sit causa materialis & in quo formaliter eius causalitas consistat. In secundo, obiectiones enodantur. In tertio, quædam corollaria ponuntur.

CAPVT I.

Quæ sit causa materialis & in quo formaliter eius causalitas consistat.

1 CAusa materialis *est principium influens esse in aliud cum aliqua mutatione sui*, priora verba scilicet, *principium influens esse in aliud* ponuntur loco generis, quia per illa conuenit causa materialis cum causa efficiente. Posteriora vero scilicet *cum aliqua mutatione sui*: ponuntur loco differentiæ, quia per illa differt causa materialis ab efficiente, quæ præcisa sui mutatione in effectum influit. Hanc materialem causalitatem exercet materia prima, circa omnes formas materiales, tam perfectas, quam modales, quæ subiectantur in ipsa: quærimus vero in quo talis causalitas formaliter sita sit.

2 Quatuor inuenio sententias: prima sententia est, causalitatem materialem non esse distinctam ab entitate materiæ, quæ per se ipsam præcise sustentat & causat formã: secunda sententia est causalitatem materiæ esse quemdam modum, qui non sit materia ipsa, nec vnio, nec actio, sed quædam passio ab iis omnibus distincta, per quam materia patiatur & causet formam, qualis est vnio substantialis materiæ prout est actualis receptio formæ, non vero prout media illa influit in compositum, ita Soncinas 5. met. q. 5. consil. 2. Iauellus 42. Fonseca cap. 2. eiusdem libri q. 1. sect. 3. Veracruz speculat. 3. Masius in præsenti cap. 3. sect. 2. q. prima, & alij. Tertia & celebris sententia est, hanc materiæ causalitatem erga formam in facto esse, esse vnionem materiæ cum ipsa forma, per quam forma materialis in materia sustentatur. Ita Diuus Thomas, 1. p. q. 7. art. 1. Complutenses disp. 9. Physic q. 2. quam omnis Diui Thomæ schola defendit, Suarez tom. 1. met. disp. 13. sect. 9. num. 9. P. Bernal. disp. 11. de Incarnat. sect. 1. §. 2. & alij plures cum illo, Fonsec. 5. met. cap. 1. q. 1. sect. 4. in solutione ad primum, Conimbr. 2. Physic. cap. 7. q. 8. art. 1. Suarez in 3. p. disputatio. 9. sect. 1. & disput. 1. sect. 1. & 2. & lib. de gratia c. 2. Carleton disp. 14. Physicæ sect. 8. Bartholom. Amicus tract. 11. q. 10. Ouiedo, Alphonsus, & alij plures. Quarta sententia est causalitatem materialem esse actionem eductiuam, quæ quidem quatenus est ab agente est actio, & causalitas causæ efficientis, & quatenus est in patiente est passio, & causalitas causæ materialis. Ita Arriaga disp. 8. Physicæ sect. 2. Petrus Hurtado disp. 5. Physic. sect. 2. 3. & 4. Murcia 2. Physic. disput. 4. q. 2. Plaça 2. Physicæ disp. 3. q. 3. & disp. 4. q. 2. concl. 3. Auersa q. 12. de causa materiali, sect. 3. Fonsec. 5. met. cap. 2. q. 3. & q. 12. sect. 1. & lib. 7. cap. 7. q. 3. sect. 4. & iam fere communiter recentiores quibus subscribo.

3 Sed in primis, certum est causalitatem materialem erga vnionem, quæ est inter materiam, & formam, non esse formaliter ipsam vnionem. Probatur, quando, duæ causæ per se & à priori concurrunt ad eundem effectum in eodem priori, in quo est causalitas vnius est necessario causalitas alterius, atque ita vna causalitas non potest esse prior causalitate alia, sed causa efficiens & causa materialis per se, & à priori concurrunt ad eumdem effectum scilicet ad eamdem formam materialem causandam, ergo causalitas efficientis non potest esse prior causalitate materialis, atqui si causalitas materialis in vnionem, esset ipsamet vnio, causalitas causæ efficientis esset prior origine causalitate causæ materialis, ergo causalitas materiæ in vnionem non est ipsa vnio. Minor hæc probatur: causalitas, seu actio causæ efficientis circa vnionem est prior origine ipsa vnione, cum vnio oriatur per illam actionem, & pendeat ab illa: ergo si causalitas materialis in vnionem, est ipsamet vnio, causalitas efficiens erit prior causalitate materiali. Confirmatur, causatio realis alicuius rei vt termini est respectus realis ad talem rem tamquam ad terminum, cum totum suum esse sit ad illam & non possit concipi sine illa, sed causalitas materiæ erga vnionem quæ intercedit inter materiam & animam rationalem, est causatio ipsius vnionis vt termini, quia ibi non causatur materialiter anima rationalis, sed sola vnio; ergo causalitas causæ materialis erga talem vnionem est respectus realis ad talem vnionem tamquam ad terminum, atqui respectus realis ad terminum distinguitur reipsa à tali termino, quia respectus realis semper est ad terminum distinctum realiter, vt ostendi in Logica disp. 17. cap. 2. n. 19. & 20. ergo causalitas materialis erga prædictam vnionem re ipsa distinguitur ab ipsa vnione.

ASSERTIO ergo prima sit: causalitas materialis 4
erga formam non est vnio materiæ cum ipsa forma. Est contra auctores tertiæ sententiæ. Probatur, duæ res non possunt se inuicem causare in eodem genere causæ, vt omnis schola fatetur, & infra aperte probabitur, sed si causalitas materialis erga formam corpoream esset formaliter vnio, forma materialis & vnio se inuicem causarent in eodem genere causæ, ergo causalitas materialis erga formam non est vnio: minor ostenditur, vnio formæ cum materia sustentatur vt in subiecto in ipsa forma, atque ita forma ipsa corporea causat vnionem in genere causæ materialis, vt ipse Suarez admittit, sed si vnio est materiæ causalitas erga formam, causaret ipsam formam intra idemmet genus causæ materialis, ergo si vnio esset materiæ causalitas erga formam, forma materialis & vnio se inuicem causarent in eodem genere causæ materialis;

Dicat autem quis, repugnare, quod duæ res se 5
inuicem causent in eodem genere causæ materialis vt *quod*, ita vt vna sit causa materialis alterius, & altera sit causa materialis illius; non vero repugnare, quod duæ res se causent mutuo in eodem genere causæ materialis, alia vt *quod* & altera vt *quo*, ita vt vna sit causa materialis alterius, & altera sit tantum materialis causalitas erga illam. Hoc ergo modo se habent forma materialis & vnio, nam forma materialis vt *quod*, causat materialiter vnionem, quia est vere causa materialis illius, vnio vero causat materialiter tantum vt *quo*, ipsam formam, quia non est causa, sed tantum materialis causalitas erga illam, & hoc pacto non implicat, quod se inuicem causent intra idem genus causæ materialis.

Sed contra repugnat, quod vna res sit prior 6
seipsa, sed si vnio esset materialis causalitas erga formã, à qua ipsa vnio causatur materialiter, forma esset prior seipsa; ergo repugnat, quod vnio sit causalitas

salitas erga formam à qua ipsa causatur materialiter. Probatur minor, id quod est prius causalitate seu causatione termini, est etiam prius ipso termino, nam cum terminus pendeat à priori ab ipsius causalitate, seu causatione, talis causalitas est prior suo termino, atque ita quod est prius causalitate, quæ est prior termino, est etiam prius tali termino causalitatis, sed forma materialis, cum sit causa materialis vnionis est prior ipsa vnione, quæ est causalitas seu causatio materialis formæ, atque ita est prior ipsa forma, ergo talis forma est prior ipsamet forma, scilicet se ipsa quod repugnat.

7 Confirmatur principaliter assertio, si vnio esset materialis causalitas erga formam, per se ipsam causaretur materialiter, nam sicut actio per se ipsam agitur, & vnio per se ipsam vnitur, & relatio per se ipsam refertur, ita causalitas materialis per se ipsam materialiter causatur, atqui vnio non causatur materialiter per se ipsam, sed causalitas materialis erga vnionem distinguitur vere, ab ipsa vnione vt monstraui num. 3. ergo vnio non est materialis causalitas erga formam.

8 Assertio secunda sit, causalitas materialis erga formam, est ipsa actio eductiua talis formæ, quæ quatenus est ab agente est actio, & causalitas agentis, quatenus vero est in materia est materializatio, seu causalitas materialis; Probatur primo: causalitas materialis est illa ratio, quæ reddit formam dependentē à materia, sed actio eductiua vt sic formaliter reddit formaliter formam dependentem à materia, ergo actio eductiua vt sic formaliter est causalitas materialis: minor ostenditur, actio eductiua vt sic formaliter opponitur actioni creatiuæ, sed actio creatiua vt sic formaliter reddit rem indepēdentem à materia; ergo actio eductiua vt sic formaliter reddit rem dependentem à materia. Confirmatur, sicut rem fieri ab agente est dependere ab agente, ita fieri rem ex materia est dependere à materia, sed actio eductiua vt sic formaliter est ratio formalis, per quam forma fit ab agente ex materia, ergo actio eductiua est ratio formalis per quam forma dependet à materia; ergo actio eductiua vt sic formaliter est causalitas materialis.

9 Probatur secundo, sicut causalitas causæ efficientis est actio, ita causalitas causæ materialis est passio, vt omnes admittunt, atqui actio edictiua vt sic formaliter est passio materiæ respectu formæ, ergo actio eductiua vt sic formaliter est materiæ causalitas erga formam: minor probatur, actio eductiua, sicut per se ipsam oritur ab agente, & ideo per se ipsam est actio, ita per se ipsam exit ex patiente seu materia & ideo per se ipsam est passio; sed talis actio eductiua non est passio respectu sui ipsius vt termini principalis, ergo est passio materiæ respectu formæ. Probatur minor, quemadmodū actio est respectus realis ad terminum principalem, quem causa per illam agit, sic passio est respectus realis ad terminum principalem, quem causa per illam patitur, sed respectus realis non est ad se ipsum, sed ad terminum à se reipsa distinctum vt ostendi in logica dicta disp. 17. cap. 2. num. 19. & 20. ergo passio non respicit se ipsam vt terminum, sed formam à se reipsa distinctam, ergo actio eductiua, quæ per se ipsam essentialiter est passio, non est passio respectu sui ipsius vt termini principalis, sed solum respectu formæ à se distinctæ.

10 Probatur tertio, actio verbi gratia generatiua est motus materiæ ad formam, sed motus materiæ ad formam vt sic formaliter est materiæ causalitas erga eamdem formam, ergo actio generatiua est causalitas materialis erga formam: minor probatur, motus materiæ ad formam vt sic formaliter, est ratio illa per quam formaliter transit materia ex priuatione formæ, ad habendam & patiendam ipsam formam, sed ratio per quam formaliter transit materia ad patiendam formam, est passio seu (quod idem est) causalitas materiæ erga formam, ergo talis motus vt sic formaliter est materiæ causalitas erga formam; Confirmatur, motus includit formaliter passionem formæ, non enim potest concipi quod materia moueatur ad formam, quin formaliter concipiatur, quod patiatur ipsam formam, sed passio formæ est materiæ causalitas erga formam, vt ostendi num. 9. ergo motus includit in se formaliter causalitatem materialem erga formam, igitur cum actio eductiua sit motus, talis actio includet in se formaliter materiæ causalitatem erga formam; ergo causalitas hæc formaliter in tali actione consistit.

Verum obseruare oportet, causalitatem materiæ 11
erga formam, esse vnionem radicalem materiæ cum ipsa forma, quia forma quatenus materialiter causatur à materia est aliquo modo, & innititur in ipsa materia, sed formam esse, & inniti innateria est vnitam esse illi, ergo forma quatenus naturaliter causatur à materia est vnita ipsi materiæ, atque ita materiæ causalitas est vnio, sed non est vnio formalis, vt iam ostendi à num. 4. ergo est vnio radicalis, quæ quidem nihil est aliud quam ipsa actio eductiua, quatenus ita est inter materiam & formam, vt inferat, & secum trahat essentialiter vnionem materiæ, cum ipsa forma, hoc autem habet actio eductiua, non vt est actio & causalitas agentis, sed vt est passio & causalitas materialis.

CAPVT II.

Obiectiones enodantur.

ADuersus ea, quæ superius statuimus, aliqua sunt argumenta quæ in hoc capite afferemus explicabimus.

Obiiciat aliquis primo, causalitas materialis est 12
illa ratio, per quam materia sustentat formam, nam causare materialiter formam, est ipsam sustentare, sed materia sustentat formam per vnionem, ergo vnio est causalitas materialis: minor, probatur, materiam sustentare formam est formam inesse, & inniti in materia, sed forma inest, & innititur materiæ formaliter per vnionem, ergo materia sustentat formam per vnionem; Respondeo materiam sustentare seu causare materialiter formam, esse idem ac formam inesse, & inniti à priori & radicaliter in materia, non vero inesse & inniti in illa solum formaliter & à posteriori, forma autem corporea inest & innititur in materia radicaliter & à priori per vnionem radicalem, quæ est actio eductiua, innititur vero formaliter & à posteriori per vnionem formalem, & ideo non vnio formalis, sed solum radicalis, scilicet actio eductiua est materialis causalitas, qua materia sustentat formam.

Obiiciat secundo: causalitas materialis est ratio 13
illa, qua forma dependet à materia, sed forma materialis depender à materia, per vnionem, nam ita per vnionem affigitur materiæ vt non possit esse naturaliter sine ipsa materia; ergo vnio est causalitas materialis; confirmatur, quia causa materialis in eo distinguitur ab efficiente, quod causa efficiens causat absque mutatione sui, materialis vero causat cum sui mutatione, sed si causalitas materialis erga formam, non esset vnio materiæ cum forma, causa materialis causaret absque mutatione sui (non enim mutatur materia nisi per vnionem cum forma) atque ita non distingueretur à causa efficienti, ergo causalitas materialis est vnio materiæ cum

forma. Resp. causalitatem materialē esse id, per quod forma materialis pendet à materia à priori vt à subiecto in quo sustentatur, non verò id per quod pendet ab illa solum à posteriori vt à subiecto, quod efficit, & in quo purè recipitur. Actio ergo eductiua est id per quod forma pendet à priori à materia vt à subiecto in quo sustentatur, & ideo actio eductiua, est causalitas materialis, vnio verò formalis, est id per quod forma materialis pendet à materia, à posteriori tantum vt subiecto quod afficit, vel in quo recipitur & ideo talis vnio non est causalitas materiæ, erga formam. Ad confirmationem dico actionem eductiuam quatenus est passio, & causalitas materiæ esse vnionem radicalem materiæ cum forma, vt supra ostendi, num. 11. atque ita esse radicalem mutationem causæ materialis, quod sufficit vt distinguatur à causa efficiente, quæ sine vlla sui mutatione etiam radicali causat effectum.

14 Obijciat tertio, si aliqua ratione vnio formaliter non esset materiæ causalitas erga formam, maximè quia forma & vnio mutuo à seipsis penderent intra idemmet genus causæ, sed etiam si actio eductiua sit causalitas materialis, forma materialis, & vnio mutuo à seipsis penderent intra idemmet genus causæ materialis, ergo nulla est ratio, quare vnio non sit causalitas materialis: Minor probatur, si actio eductiua est causalitas materialis, connotat essentialiter vnionem materiæ cum forma, saltem vt conditionem necessariam ad causandam materialiter ipsam formam, alioqui materiæ causalitas non esset vnio radicalis, ergo forma pendet ab illa vnione saltem vt à conditione intra idem genus causæ materialis, sed vnio pendet à forma vt à causa ipsius materiali, ergo etiam si causalitas materialis sit actio eductiua, forma materialis & vnio mutuo à seipsis pendebunt in eodem genere causæ materialis. Respondeo facilè, actionem eductiuam vt passio est, & causalitas materialis connotare essentialiter vnionem vt conditionem ad causandum requisitam, non quidem à priori, sed tantum à posteriori, atque ita forma materialis à qua vnio pendet à priori, pendet ab ipsa vnione à posteriori, quod quidem non repugnat, natura enim pendet à posteriori à subsistentia, & subsistentia penderet à priori ab ipsa natura, si verò vnio esset causalitas materialis ad formam, forma & vnio penderent mutuo à seipsis à priori, quod implicat vt ostendi num. 4. & 5.

15 Obijciat quarto, ad causandas duas entitates reipsa inter se distinctas, duæ distinctæ causalitates requiruntur, sed actio eductiua qua fit forma, & ipsamet forma sunt duæ entitates re ipsa distinctæ, ergo distinctæ causalitates materiales requiruntur ad causandam materialiter actionem eductiuam, & ad causandam ipsam formam, sed causalitas materialis erga actionem eductiuam est ipsamet actio vt etiam Suarez admittit; ergo causalitas materiæ erga formam, non est eadem actio eductiua, sed vnio ab actione distincta. Confirmatur, quando concurrunt duæ causæ totales, concurrunt diuersis causalitatibus; sed causa efficiens, & causa materialis sunt duæ causæ totales, quælibet enim est totalis in suo genere; ergo concurrunt distinctis causalitatibus; atqui causalitas causæ efficientis est actio eductiua; ergo non hæc, sed sola vnio est causalitas causæ materialis. Respondeo ad duas entitates distinctas, quarum vna est causalitas ad aliam, non requiri duas distinctas causalitates, sed vnam sufficere, quæ causet se ipsam & aliam, sicut ad efficiendum actionem & terminum, quæ sunt entitates distinctæ, sufficit eadem actio indiuisibilis, quæ seipsam efficiat & terminum, actio ergo eductiua & forma sunt distinctæ entitates, quarum vna scilicet actio eductiua est causalitas ad aliam, scilicet ad formam, & ideo sufficit vna causalitas materialis, videlicet ipsa actio eductiua, quæ materialiter causet se ipsam & formam. Ad confirmationem, Respondeo, ergo concurrunt duæ causæ totales in suo genere, quarum vna subordinatur alteri, concurrunt eadem causalitate, causa ergo materialis subordinatur causæ efficienti, & ideo vtraque eademmet causalitate concurrit ad eumdem effectum.

Obijciat quinto, forma accidentalis per id causatur materialiter à subiecto, per quod inhæret subiecto, nam causalitas materialis circa accidens, & eius inhærentia idem est, sed forma accidentalis inhæret subiecto per vnionem, quæ eius inhærentia dicitur, ergo talis vnio est causalitas materialis. Respondeo inhærentiam accidentis non esse formaliter vnionem formalem ipsius formæ cum subiecto, sed vnionem radicalem, qua accidens à priori dependet ab ipso subiecto, hæc autem est sola actio eductiua & ideo sola actio eductiua est causalitas materialis. 16

CAPVT III.

Quædam corollaria ponuntur.

17 COlligo ex dictis causalitatem materialem non esse ipsammet entitatē materiæ, sed esse ab illa distinctam; Probatur, actio eductiua, qua fit forma ex materia est causalitas materialis erga talem formam, sed actio eductiua est distincta reipsa ab entitate materiæ, ergo causalitas materialis est etiam re ipsa distincta ab illa; Confirmatur, in eadem causa materiali respectu eiusdem formæ non dantur naturaliter duæ causalitates materiales, sed actio eductiua, qua fit forma ex materia, est necessario, & formaliter causalitas materialis erga formam, vt supra monstratum est, ergo materia secundum se non est etiam causalitas materialis erga formam, alias in eadem causa materiali in ordine ad eamdem formam duæ materiales causalitates darentur.

18 Colligo secundo, causalitatem materialem non esse modum quemdam distinctum à materia actione eductiua & vnione formæ, qui ab aliquibus vocatur passio; Probatur, actio eductiua formæ est causalitas materialis, qua causatur materialiter ipsa forma, vt supra ostensum est, ergo alia entitas modalis sine causa admittenda non est, in qua talis causalitas consistat. Confirmatur, si causalitas materialis non esset actio, nec vnio, sed entitas modalis distincta, talis entitas modalis cum sit creata, fieret actione distincta, quæ etiam per alium modum distinctum materialiter causaretur; hic autem secundus modus causalitatis, cum etiam sit creatus, fieret alia ratione distincta, quæ per alium tertium modum causaretur materialiter, & sic de reliquis, atque ita daretur processus in infinitum: Dices modum istum, qui esset causalitas materialis ad formam, non pendere, nec produci à Deo vt à causa directa influente in ipsum media actione, quæ ad illum directè terminetur, sed tantum à Deo pendere vt à concausante eamdem formam, & ab actione Dei, à concausalitate respectu eiusdem formæ, respectu cuius ille modus est etiam causalitas materialis, hæc tamen solutio improbabilis est, & impugnata in simili supra disput. 15. cap. 2. num. 15.

19 Colligo tertio, modos non causari per se ipsos essentialiter à causa materiali. Probatur, causalitas materialis

terialis est actio eductiua, qua res fit dependenter à materia. Sed actio eductiua, qua modus, verbi gratia, vbi, vel subsistentia, fit dependenter à materia distinguitur ab entitate & essentia ipsius modi, vt omnes ferè communiter admittunt, ergo causalitas materialis circa modum, distiguitur re ipsa ab essentia modi, ergo modus non causatur per se ipsum essentialiter à causa materiali.

Colligo quarto, modos posse de potentia absoluta à Deo creari. Probatur, quando aliqua res dependet à causa materiali per causalitatem à se distinctam, potest causalitas ista à Deo suppleri per eleuatiorem concursum, & res illa creatiuè produci vel conseruari, licet enim quantitas in Eucharistia petat connaturaliter causari ab aliqua causa materiali, quia tamen antea pendebat à materia solum per causalitatem distinctam, suppletur hæc causalitas à Deo, & creatiue conseruatur, atqui modus (excipio actionem) causatur à materia per causalitatem distinctam vt probaui num. 19. ergo talis causalitas potest à Deo suppleri, & modus ille creatiue produci vel conseruari; Dices modus, verbi gratia, subsistentiæ necessariæ non potest esse nisi in ipsa natura vt in subiecto, ergo pendet essentialiter ab ipsa natura tanquam à subiecto, ergo non potest creari, creatio enim est productio rei independenter à subiecto. Respondeo, modum substantialiter dependere à subiecto, non quidem à priori vt à causante illum materialiter, sed solum à posteriori vt à recipiente ipsum; nec vt à subiecto, in quo sustentetur, sed tantum vt à subiecto quod afficiat; hæc autem dependentia à posteriori à subiecto non tollit rationem creationis, quæ solum est productio rei independenter à subiecto, in quo à priori sustentetur.

Colligo quinto, Deum nullo modo posse esse causam materialem alicuius formæ; contrarium docet Fonseca 5.met cap.2.q.12.sect.3. nostrum tamen corollarium tenet communis schola; quod sic ostenditur; causalitas materialis est vnio radicalis, atque ita infert, ac trahit secum essentialiter vnionem formalem causæ materialis cum forma, ergo causa materialis vnitur formaliter cum ipsa forma; sed Deus non potest formaliter cum forma vniri, aliàs per illam formaliter mutaretur, ergo Deus non potest esse causa materialis formæ. Confirmo, causa materialis, vt ab efficiente distinguitur, est illa, quæ causat cum aliqua sui mutatione, alioqui non distingueretur à causa efficiente, sed Deus causare non potest cum mutatione sui, cum immutabilis sit, ergo Deus non potest esse causa materialis. Dices Deus in Eucharistia supplet causalitatem materialem quam substantia panis habebat in accidentia, ergo Deus vere exercet munus causæ materialis, Respondeo Deum in Eucharistia supplere influxum causæ materialis non in eodem genere, sed per alium eleuatiorem influxum in genere causæ efficientis, quia Deus non potest concurrere in genere causæ materialis, vt in præcedenti disput. cap.1.num. vltimo docuimus.

Sed quærat quis; an materia, sit vere & stricte causa materialis compositi, sicut est verè & strictè causa materialis formæ; Respondeo, materiam aut formam, vt causat intrinsece compositum componendo illud, non esse verè & strictè causam illius, quia licet compositum vt sic constituatur ex materia, non tamen fluit ab illa, quod ad rationem causæ propriè & strictè desideratur, materiam vero & formam, vt causent materialiter vnionem inter seipsas, qua posita, & causata, necessario compositum resultat, posse absolutè dici causam materialem compositi; sicut enim generans, quia efficit solam vnionem inter corpus, & animam rationalem, qua vnione effecta necessario resultat compositum quod est homo, dicitur proprie ac simpliciter causa efficiens compositi, scilicet hominis. Ita similiter materia, & forma, quatenus causant materialiter eamdem vnionem materiæ & formæ, qua causata, necessario resultat compositum nempè homo, possent propriè ac simpliciter dici causa materialis compositi scilicet hominis.

DISPVTATIO XX.

De causa formali exemplari.

QVatuor capita continebit. In primo, inquiro quid nam causa formalis sit? In secundo, definitio causæ exemplaris explicatur? In tertio, an exemplaris causa in conceptu formali, an in obiectiuo consistat? In quarto, an exemplar media cognitione sui physicè in effectum influat?

CAPVT I.

Quid nam causa formalis sit.

MVlti censent causam formalem nihil aliud esse, quam ipsam formam, vel respectu materiæ, quam informat, vel saltem respectu compositi, quod constituit. Arbitrantur alij causam formalem esse, tum formam intrinsecam respectu compositi, tum formam extrinsecam exemplarem respectu sui exemplati, illa enim intrinsece, hæc extrinsece causat formaliter suum effectum, nonnulli vero opinantur, causam formalem esse solam formam exemplarem, ad cuius imitationem effectus fit, quæ seipsam idealiter effectui communicando, per se & à priori illam formaliter causat, hanc ego sententiam amplector; 1

Assertio prima, Forma intrinseca non est verè causa formalis nec respectu materiæ quam informat, nec respectu compositi quod constituit. Prima pars, scilicet formam non esse causam materiæ quam informat, monstrata satis est supra disp.9.c.2. n.12. Secunda vero pars, videlicet formam non esse verè & proprie causam formalem respectu compositi, quod constituit, probatur: causa verè & propriè est illa, quæ verè & propriè influit in effectum, sed forma non verè & propriè influit in compositum, quod constituit, ergo non est causa verè & propriè talis compositi, ac proinde nec verè & propriè erit causa formalis illius: minor probatur, quia causam verè influere in effectum est, quod esse, quod dat effectui fluat verè ab ipsa causa, sed esse quod forma dat composito quod constituit, non fluit ab ipsa forma, nam forma dat composito seipsam & forma à seipsa verè non fluit, ergo forma verè non influit in compositum quod constituit. 2

Assertio secunda: exemplar, ac idea, ad cuius imitationem res fit est per se, & à priori causa formalis illius: Ita Aristoteles 7.met. tex.23. D.Thom. ibidem & quodlibeto 7.art.3. de veritate q.3.art.1. & 1.p.q.45.art.6. Nazarius 1.p.q.15. art 1. Caiet. 1.p.q. 44.art.3. Gonzalez, & alij. Probatur, causa formalis per se & à priori est illa, quæ se ipsam aliqua ratione effectui communicando causat esse distinctum in illo, sed forma exemplaris, ad cuius imitationem res fit, se ipsam idealiter, & imitatiuè effectui communicando causat esse distinctum in illo, vt infra constabit, ergo exemplar ad cuius imitationem res 3

fit,

fit, est per se & à priori causa formalis illius,& hoc docuit ipse Arist. 2. physic. cap. 3. cum dixit *nomine causæ formalis designari, formam atque exemplar*, hoc est formam extrinsecam exemplarem, ad cuius formalem imitationem res fit.

4 Obijciat quis : id per quod causa efficiens proximè in ratione causæ efficientis completur, non pertinet nisi ad genus causæ efficientis ; sed causa efficiens proximè completur in ratione causæ efficientis per ideam ac exemplar, non enim potest causa efficiens, v. g. Deus sine idea ac exemplari operari, ergo idea & exemplar pertinet ad genus causæ efficientis, & non ad genus causæ formalis. Respondeo, id per quod causa efficiens completur in ratione causæ efficientis tanquam per rationem formalem,pertinere solum ad genus causæ efficientes, id verò per quod causa efficiens completur in ratione causæ efficientis tanquam per conditionem, ad aliud etiam genus causæ posse directè pertinere,causa enim efficiens scilicet Deus completur etiam in ratione causæ efficientis per intentionem finis tanquam per conditionem, non enim potest Deus aliquid nisi propter finem efficere ; & tamen intentio finis directè pertinet ad genus causæ finalis, sic ergo causa efficiens completur proximè per exemplar, & ideam, & tale exemplar directè spectat non ad genus causæ efficientis, sed ad genus causæ formalis.

5 Sed obserua causam formalem sæpe non designare causam à priori ; sed tantum rationem formalem, qua aliquid tale formaliter determinatur, ac redditur ; & in hoc sensu forma intrinseca est verè causa formalis compositi, quod constituit, siue forma substantialis sit, siue accidentalis, quo pacto anima rationalis est causa formalis hominis,albedo est formalis causa albi. & gratia iustificans, causa formalis nostræ iustificationis à Concilijs appellatur.

CAPVT II.

Definitio causæ exemplaris explicatur.

6 IMago vel res externa sensibilis, ad cuius similitudinem alia fit,exemplar externum vulgaritet dicitur,quod valde per accidens ad exemplatum concurrit, vt probat Pater Fonseca 5. met. cap. 7. qu. 1. sect. 5. ad primum argumentum : quapropter hoc externo exemplari prætermisso, de solo exemplari interno nobis disserendum est.

7 Hæc ergo causa exemplaris sic communiter definitur, *Exemplar est forma dirigens,quam aliquid imitatur ex intentione agentis determinantis sibi finem.* Ita tradit D. Thomas de veritate qu. 3. art. 1. ex D. Augustino lib. 12. de ciuitate Dei cap. 25. cuius definitionis verba sigillatim explicabimus.*forma.* non intrinseca,sed extrinseca,quæ se tantum extrinsecè,& idealiter effectui communicat, *dirigens*,id est rei factibilitatem ostendens, & ad eius effectionem concurrens,*quam aliquid imitatur.* Scilicet effectus fieri ad similitudinem,& imitationem illius, alias etsi ad illum dirigat, non erit causa exemplaris illius. *ex intentione agentis.* Si enim quis præter ipsius intentionem rem aliquam casu ad alicuius idoli imitationem efficiat,tale idolum non erit verè exemplar illius rei,quæ ipsum imitatur, quia talis imitatio ac similitudo non fuit intenta ab agente, quod ad rationem causæ exemplaris requiritur, *determinantis sibi finem.* Nempe agentis per intellectum, siue liberè agat, siue necessario, si enim ratione ad operandum ducatur, etiam si ad opus ex necessitate concurrat, poterit in tali operatione verum exemplar habere, quale haberet quidem Deus, si ipse (quod Aristoteles sensit) hoc vniuersum necessario procreasset,vt bene docet Molin 1.p.qu.15.art.1.disp.1. ad finem.

Sed adnotare oportet ex doctrina D. Bonauenturæ in 1.dist.35. qu.1.art.1. in corp. duplicem saltem esse imitationem ac similitudinem vnius cum alio, alia est similitudo naturalis,quæ intercedit quando duo habent eamdem speciem & naturam, vt duo homines,duo equi, &c. alia est similitudo expressiua,ac repræsentatiua,quæ inuenitur inter illa. quorum vnum est formalis expressio ac repræsentatio alterius, & alterum est obiectum expressum ac repræsentatum per illam, siue explicitè per illam repræsentetur, siue confusè. Hoc modo species expressa ac formalis cognitio obiecti solet dici à Philosophis & Theologis, similitudo talis obiecti. Ad rationem ergo causæ exemplaris sufficit, quod modo explicato effectus fiat ad imitationem & similitudinem, siue naturalem, siue expressiuam ac repræsentatiuam illius. 8

CAPVT III.

An exemplaris causa in conceptu formali, an in obiectiuo consistat.

EXemplar diuiditur in formale & obiectiuum, exemplar formale est cognitio rei factibilis, cui conformatur effectus,quæ etiamconceptus formalis dicitur ; exemplar obiectiuum est ipsa res interius intentionaliter cognita, quam effectus imitatur, quæ etiam vocatur conceptus obiectiuus. Quærimus ergo,an causa exemplaris strictè, ac simpliciter accepta consistat in conceptu formali, id est in cognitione rei factibilis, an in conceptu obiectiuo, hoc est in ipsa re factibili, quæ interius per cognitionem repræsentatur. 9

Tres adinuenio sententias, prima sententia est. exemplar tam creatum, quam increatum esse conceptum obiectiuum,scilicet rem intellectui obiectam; ita D. Thomas,q.3.de veritate art.2.Scotus in 1.dist. 35.q.1.sedhoc est inter D.Thomam & Scotum dissidium, quod Scotus etiam in Deo asserit res vt factibiles conceptas esse exemplar diuini artificis ad eas efficiendas. D. autem Thomas sentit ipsam essentiam diuinam sub ratione essentiæ,vt imitabilem à creaturis esse exemplar Dei ad producendas illas, cui etiam aquiescunt Molina. 1. p.q.15.art.1.disp.2. & Conimbricenses hic, cap.7.quæst.3.art.2.Ocham. quæst.5.Gabriel.quæst.5.art.2.Alensis in 1.quæst.6. artic.3.Durand.dist.36. quæst.3.Bassolis quæst.2.artic.2. Ricard. artic 2. quæst.2. Maior in 1. dist. 35. quæst. 1. Carleton disp. 23. physic. sect.4. Secunda sententia est exemplar propriè ac simpliciter tam in Deo, quam in creaturis esse conceptum formalem,quo res vt factibilis concipitur,ita Suarez tom. 1.met.disp.15.sect.1. à num.10.& Rub.hic titul.6. de causa exemplari quæst. 1. à num. 8. ita videtur sentire D. Thomas 1. part. quæst.15.art.1. præcipuè solutione ad 3. & art.2. dum ait, in diuina essentia esse idem,quatenus est participabilis, secundum aliquem modum similitudinis à creaturis, & ad primum ait idem esse essentiam in quantum est similitudo, Alexander Alensis 1. part. quæst.21. memb.4. artic.1.Bonauentura in 1.dist.35.artic.1.qu. 1. 10

Tertia sententia est exemplar increatum esse tantum conceptum formalem,scilicet cognitionem rei factibilis, exemplar verò creatum esse conceptum obiectiuum, scilicet rem ipsam vt imitabilem conceptam. Ita Vasquez in 1.p.disput.72.cap.2. cui alij recen 11

recentiores ſapientiſſimi ſubſcribunt, quam ego ſententiam ſequor,& in ſequentibus explicabo.

12 Præmitto hoc eſſe diſcrimen inter artificem increatum nempe Deum,& artificem creatum ſcilicet hominem, quod Deus eamdemmet numero rem, quam poſtea efficit,antea explicitè & adæquate, vt factibilem cognoſcit, ob infinitam eminentiam ipſius ſcientiæ. Homo verò non prænoſcit eamdem numero rem adæquatè,quam poſtea effecturus eſt, ſed aliam ſimilem,ad cuius imitationem, rem, quam intendit,operatur,cum enim hæc numero domus, v.g. quæ poſtea fit, ex pluribus ac incertis rerum circunſtantijs dependeat, non poteſt ſaltem moraliter hæc numero domus ab artifice creato antequam efficiatur, vt factibilis prænoſci, in quo omnes ferè Doctores conueniunt.

13 Assertio prima, eſſentia diuina ſub ratione eſſentiæ à Deo concepta non eſt exemplar Dei ad efficiendas creaturas. Probatur aperte; exemplar eſt id,ad cuius imitationem ac ſimilitudinem, vel naturalem vel repræſentatiuam effectus fit, ſed creaturæ non fiunt à Deo ad imitationem ac ſimilitudinem naturalem, aut repræſentatiuam eſſentiæ diuinæ ſub ratione eſſentiæ,vt præciſe à creaturarum cognitione, nam eſſentia diuina vt ſic præciſa nec eſt eiuſdem ſpeciei cum creaturis, nec eſt earum expreſſio, ac repræſentatio formalis, ergo eſſentia diuina vt ſic præciſa non eſt exemplar Dei ad efficiendas creaturas. Confirmatur,ſi aliqua ratione eſſentia diuina ſub ratione eſſentiæ, poſſet eſſe cauſa exemplaris creaturarum, maximè quia continet illam in ſe eminenter,ſed continere aliquam rem eminenter non ſufficit,vt poſſit eſſe cauſa exemplaris illius, etenim lux continet eminenter calorem,& non poteſt eſſe cauſa exemplaris caloris,ergo eſſentia diuina ſub ratione eſſentiæ,non poteſt eſſe cauſa exemplaris ad efficiendas creaturas.

14 Assertio ſecunda, exemplar Dei ad efficiendas res creatas non eſt conceptus obiectiuus regulariter,ac de facto, id eſt, ipſæ res poſſibiles, ſed conceptus formalis,ſcilicet earum cognitio,quaſi reflexè cognita ab ipſo Deo. Sic interpretor D. Thom. vbi ſupra, dicentem non res poſſibiles, ſed ipſam eſſentiam diuinam eſſe exemplar Dei, eſſentiam quidem, non ſub ratione eſſentiæ, ſed tantum ſub ratione cognitionis creaturarum. Hanc aſſertionem expreſſe docent plures Eccleſiæ Patrẽs, quos citat Suarez tom.1.met.diſput.21. ſect.1. à num.11. Prima pars, ſcilicet res poſſibiles non eſſe de facto exemplar Dei ad ipſas efficiendas, probatur primo, auctoritate D. Dionyſij cap. 5. de diuinis nominibus,vbi ait, *exemplaria eſſe rationes ſubſtantificas exiſtentium,& ſingulariter exiſtentes, quas Theologia prædeſtinationes vocat, & bonas voluntates*, Secundo ex Auguſtino 11. de ciuitate cap. 29. vbi docet *in verbo Dei eſſe cauſas rationeſque rerum, ſecundum quas factæ ſunt incommunicabiliter permanentes*, idem 12. de ciuitate cap.23. 25. & 26. & in lib. 83. quæſt.46. *ideas eſſe principales formas,ſcilicet rationes rerum ſtabiles* & n. 13. Plures alios Eccleſiæ Patres enumerat, & optime eam explicuit Rodiginius libro decimoſeptimo lectionum antiquarum, cap. 17. ijs verbis, *Deus qui omnipotens eſt, & dicitur, in mente ſibi inhærente creandarum rerum naturas effingit, ac fingit quodammodo, quæ in corporibus iſtis ſentimus omnia.*

15 Ratione etiam probatur,quando Deus efficit aliquam rem, ducitur cognitione, qua ipſammet numero rem adæquatè vt factibilem præcognoſcit,vt præmiſi num. 11. ſed ipſamet res vt factibilis non poteſt eſſe cauſa exemplaris ſui ipſius, ergo res vt factibilis cognita à Deo non eſt exemplar Dei ad efficiendas res. Minor patet,exemplar,eſt id, ad cuius imitationem & ſimilitudinem fit effectus, vt oſtendi ſupra num. 7. ſed res non poteſt fieri ad ſimilitudinem ſui ipſius, ſimilitudo enim, cum relatio realis ſit, requirit extrema diſtincta, ergo eadem numero res vt factibilis non poteſt eſſe cauſa exemplaris ſui ipſius. Secunda pars videlicet cognitionem diuinam rei factibilis quaſi reflexè cognitam à Deo eſſe exemplar, & ideam Dei ad efficiendam talem rem,probatur, quia exemplar eſt id ad cuius imitationem & ſimilitudinem ſaltem repræſentatiuam, effectus fit ex intentione agentis, ſed creatura fit à Deo ad ſimilitudinem & imitationem diuinæ cognitionis, qua ipſam creaturam cognoſcit, quia hæc cognitio eſt repræſentatio illius creaturæ, atque ita ſimilis illi repræſentatiuè, & etiam hoc fit ex intentione Dei agentis, qui quaſi reflexè concipiens cognitionem talis creaturæ ad inſtar illius intendit ipſam creaturam producere, ergo hæc diuina cognitio eſt exemplar Dei ad efficiendas creaturas.

Obijciat aliquis primo,cauſa formalis quia cauſat per eſſe intentionale,poteſt eſſe cauſa ſui ipſius, ſed etiam cauſa exemplaris cauſat per eſſe intentionale,ergo poteſt eſſe cauſa ſui ipſius,ergo eadem numero res factibilis cognita à Deo poteſt eſſe cauſa exemplaris ſui ipſius. Secundo,exemplar eſt id,ad cuius ſimilitudinem effectus fit, ſed creatura non fit ad ſimilitudinem cognitionis diuinæ,quæ in ſua natura & ſpecie eſt diſſimillima ipſi creaturæ, ergo cognitio diuina non eſt exemplar Dei reſpectu creaturæ. Tertio,exemplar eſt id,*in quod artifex inſpiciens operatur*, vt ſumitur ex Ariſtot. 1. met. cap. 3. tex. 32.ſed artifex, cum operatur,non inſpicit ſuam cognitionem,ſed rem factibilem, ergo non cognitio,ſed res factibilis,eſt verè exemplar.Quarto Deus videns & inſpiciens aliquam rem creatam, poteſt aliam facere ad imitationem illius, ſicut ad imaginem, & imitationem Chriſti omnes prædeſtinauit, iuxta illud Pauli ad Romanos 8. *Quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imagini Filij ſui*, ergo res cognita à Deo, & non ipſa diuina cognitio eſt idea ac exemplar Dei.

16

Hæc obiecta ſic diſſoluo. Ad primum dico, finem cauſarę ſuum effectum alliciendo voluntatem ad aſſequtionem illius, cum autem idem bonum poſſit allicere voluntatẽ ad conſequutionem ſui ipſius,ideo idemmet bonum, ſeu finis poteſt finaliter cauſare ſeipſum, exemplar verò cauſat dirigendo ad effectum,qui ipſum imitatur,& ſit ſimilis illi,cum autem eadem res non poſſit imitari ſe ipſam,nec eſſe ſibi ſimilis, ideo nec eſſe poteſt cauſa exemplaris ſui ipſius. Ad ſecundum Reſp. creaturam effectam à Deo non eſſe ſimilem cognitioni, qua Deus illam cognoſcit ſimilitudine naturali,eſſe verò ſimilem illi ſimilitudine repræſentatiua, quia talis cognitio formaliter repræſentat ipſam creaturam;Ad tertium dico,Deum quaſi reflexe intueri & inſpicere cognitionem ipſam creaturæ, & inſtar illius velle operari creaturam,hoc enim neceſſario requiritur, vt Deus quatenus artifex perfecto modo operetur,& ita cognitionem creaturæ eſſe exemplar Dei ad efficiendã ipſam creaturã.Ad quartum Reſp. poſſe rem obiectam Deo eſſe ipſius Dei exemplar ad aliam rem ſimilẽ efficiendã & aliquando forſitan id accidiſſet,vt argumentum ſuadet,ſemper tamen fatendum eſt,Deum non egere tali extrinſeco, & obiectiuo exemplari ad vllã rem efficiendam, cum diuina cognitio talis rei ſufficiat, (vt dictum eſt) tanquam verũ eius exemplar ad effectionem illius quo pacto debet intelligi illud D.Auguſt.pronunciatum lib.83.quæſtionum quæſt.46. *Non enim Deus ſcilicet*

17

extra

extra se, quidquam positum intuebatur, & secundum id constitueret, quod constituebat, nam hoc opinari sacrilegum est. Hoc est non agere Deum, aliquo obiectiuo, & extrinseco exemplari, à quo in operando dependeat, licet gratis illo vti possit pro libito, & forte aliquando vsus sit ad rem similem efficiendam, & ideo consulto in assertione dixi, rem obiectam Deo non esse de facto solum ac regulariter exemplar Dei.

18 Assertio tertia, exemplar creati artificis nempè hominis non est cognitio rei factibilis, sed ipsa res ipsi obiecta, ad cuius similitudinem aliam operatur. Ita auctores primæ, & tertiæ sententiæ. Porro rem artifici creato obiectam esse exemplar illius, sic ostendo, exemplar est id ad cuius imitationem & similitudinem res alia fit ex intentione agentis, sed artifex creatus intendit, agere rem ad imitationem & similitudinem illius rei, quæ ipsi obiicitur, & quam ille inspicit & intuetur, non enim præuidet eamdem met num. rem, quam postea facit, sed aliam illi similem, vt præmisimus ex omnium ferè sententia supra num. 11. ergo, res obiecta artifici creato est verè exemplar illius; cognitionem autem talis rei ad cuius similitudinem alia fit, non esse exemplar, sic probo, exemplar est id, ad cuius imitationem & similitudinem alia res fit, sed res non fit ab artificè creato ad imitationem suæ cognitionis, qua rem aliam similem considerat, talis en im cognitio nec naturaliter est similis rei effectæ, cum non sit eiusdem speciei cum illa, nec etiam est illi similis repræsentatiuè, cum non repræsentet illam, sed aliam similem vt sæpè diximus, ergo talis cognitio artificis creati non est exemplar illius.

19 Obiiciat quis, potest Deus infundere artifici creato cognitionem eiusdemmet rei, quam postea efficit, demus quod ita accidat, in hoc casu res obiecta artifici non est exemplar rei, quæ fit, alioquin esset exemplar sui ipsius, quod repugnat vt supra ostendi num. 13. ergo etiam in artifice creato cognitio talis rei erit exemplar illius. Resp. positam assertionem solum procedere naturaliter ac de facto, nam in illo casu miraculoso, verum est, quod etiam in artifice creato non res obiecta, sed cognitio illius est exemplar ad efficiendam talem rem, si tamen talis cognitio reflexe per aliam cognoscatur, alioquin solum haberet rationem artis, non vero exemplaris, quia si artifex non cognoscat ipsam cognitionem ac ideam; non potest intendere rem facere ad imitationem illius, quod ad rationem exemplaris necessario requiritur,

20 Sed quærat aliquis, quæ sit ratio formalis causandi in causa exemplari. Respondeo cognitionem, qua exemplar cognoscitur vt imitabile esse rationem formalem causandi exemplariter; Probatur, ratio formalis causandi in causa exemplari, est illa per quam exemplar est proximè aptum dirigere artificem ad efficiendum effectum ad imitationem ipsius exemplaris, atqui cognitio, qua exemplar cognoscitur, vt imitabile, est ratio per quam formaliter exemplar est proximè aptum dirigere artificem ad efficiendum opus, ad imitationem ipsius exemplaris, ergo talis cognitio est ratio formalis causandi in causa exemplari: minor probatur, exemplar per id est modo aptum formaliter dirigere ad sui imitationem per quod postea, cum effectus fit, actu formaliter dirigit, sed exemplar, quando effectus fit, dirigit actu & formaliter ad imitationem sui per cognitionem, qua ipsum vt imitabile cognoscitur, hæc enim cognitio non est conditio, sed ratio formalis, qua artifex dirigitur, vt exemplar imitetur, ergo per hanc cognitionem exemplar est formaliter aptum dirigere artificem ad imitationem sui, ac proinde talis cognitio est ratio formalis causandi in causa exemplari,

Hinc etiam fit, actualem causalitatem causæ exemplaris esse eamdemmet cognitionem, qua 21
exemplar vt imitabile cognoscitur, connotata etiam existentia termini facti ad imitationem illius. Probatur; actualis causalitas causæ exemplaris est illa, qua exemplar actu dirigit artificem ad imitationem sui, sed exemplar per cognitionem, qua ipsum vt imitabile cognoscitur, connotata existentia termini facti ad imitationem illius, actu & formaliter dirigit artificem ad imitationem sui, nam talis cognitio docet artificem, quo modo exemplar imitaturus sit, & re ipsa ad talem imitationem concurrit, ergo talis cognitio connotata existentia termini est causalitas causæ exemplaris.

CAPVT IV.

An exemplar media cognitione sui physice in effectum influat.

EXemplar est vera causa, quæ per se & à priori ad 22
exemplatum concurrit, vt docent Suarez tom. 1. met. disp. 25. sect. 2. n. 1. Fonseca 1. met. cap. 7. q. 1. sect. 5. In solutione ad tertium argumentum. Conimbric. hic cap. 7. q. 4. artic. 1. & alij. Ratio est, quia vt artifex tam creatus quam increatus perfecto modo operetur, per se, & à priori requiritur, quod in operando inspiciat aliquod exemplar quod imitetur, ergo opus illud artificis per se & à priori dependet ab illo exemplari, ergo exemplar est vera causa, quæ in tale opus exemplatum per se & à priori concurrit. Dubium tamen est, an exemplar solum dirigat, an etiam physice & strictè influat in ideatum.

Assertio sit. Causa exemplaris non physice & 23
stricte influit in exemplatum, sed ad illud directiuè concurrit, est contra quosdam neotericos: sed illam sapientissimi alij Recentiores amplectuntur: sequitur Durandus in primo, distinct. 38. q. 1. & Carleton disput. 23. sect. 4. Complutenses disput. 10. Physic. quest. 5. Diuus Thomas 1. p. q. 15. artic. 1. & cum eo communiter omnes, & nos in Logica disp. 2. cap. 3. Probatur. Potentia executiua artificis tam increati quam creati, cum sola directione exemplaris, secluso quouis alio physico influxu illius, est potens adæquate efficere formam arte facti, ergo influxus physicus exemplaris in arte factum est omnino superfluus, ac proinde exemplar physicè in exemplatum non influit. Consequentia est euidens: antecedens in artifice increato sic ostenditur, potentia executiua Dei, cum omnipotentia sit, ac virtus simpliciter infinita, potest adæquate efficere quoduis opus, si tantum appareat modus factibilitatis illius, aliàs nec esset omnipotentia, nec virtus infinita simpliciter, atqui per solam directionem exemplaris, secluso physico influxu illius, apparet modus factibilitatis cuiusque operis; est enim cognitio operis factibilis, ergo potentia executiua Dei artificis increati cum sola directione exemplaris, secluso physico influxu illius, est potens adæquate efficere formam cuiusque artefacti: Antecedens etiam ostenditur in artifice creato, forma artefacti, cathedræ, verbi gratia, est solum quædam localis dispositio ac vbicatio partium, vt monstraui supra, disput. 11. cap. 3. num. 12. Sed potentia executiua artificis creati cum sola directione exemplaris, secluso physico influxu illius, est potens adæquate efficere localem illam dispositionem, seu vbicationem illarum partium; potest enim adæquate illas partes mouere quarum motus ad earum

vbi

vbicationes terminatur; ergo ſola potentia executiua artificis creati cum ſola directione exemplaris, ſine eius phyſico influxu, potens eſt adæquate efficere formam artefacti; Confirmatur, quia cauſa non agit in diſtans, ſed ſæpe exemplar exiſtens in mente artificis diſtat ab opere, quod ad eius imitationem fit; ergo tale exemplar non agit influendo phyſice in exemplatum.

24 Obijciat aliquis primò, Ariſt. lib. 1. de partibus animalium, vbi ait, *ſicut natura eſt principium in naturalibus, ita ortum eſſe principium in artificialibus* ſed natura eſt principium phyſice influens in naturalibus; ergo iuxta Ariſtotelem ars, quæ eſt cognitio, qua media exemplar concurrit, eſt principium phyſice influens in artificialibus. Deinde D. Thom. 1. part. q. 4. artic. 8. in corp. qui loquens de forma exemplari, quæ eſt in intellectu artificis, ita inquit, *vnde forma intellectus (ſcilicet exemplar) eſt principium operationis ſicut calor eſt principium calefactionis*, ſed calor eſt principium phyſice influens in calefactionem; ergo iuxta D. Thom. exemplar eſt principium phyſice influens in operationem. Reſp. Ariſtotelem & D. Thom. non in omnibus exemplar ſeu artem cum natura comparare in ratione principij, ſed ſolum in aliqua ratione, ſcilicet quod ſicut natura eſt cauſa à priori & per ſe effectus naturalis, ita exemplar ſeu ars ſit cauſa à priori & per ſe operis artificialis, & ſicut calor eſt per ſe & à priori cauſa calefactionis, ita exemplar ſit à priori & per ſe cauſa directiua artifi cialis operationis. Ex quo numero licet colligere artem ſeu exemplar in ſententia Ariſtotelis & D. Thom. phyſice in artefactum influere ſicut natura influit phyſice in ſuos effectus, in hoc enim ab illis, ars, ac exemplar naturæ non comparatur.

25 Obijciat ſecundò, illa cauſa phyſice influit in effectum, à qua effectus phyſice dependet, ſed effectus phyſice dependet ab exemplari, nulla enim res fieri poteſt à Deo ſine idea, & exemplari ipſius rei; ergo exemplar phyſice influit in effectum: Confirmatur. Quando quis iuxta directionem exemplaris format litteram *O*, quæ poſſit effici ſine exemplari, & efficit etiam aliquod horologium quod non poſſit confici ſine aliquo exemplari, magis ab exemplari dependet horologium, quam litera *O*, ſed litera *O*, pendet & cauſatur ab exemplari vt à dirigente; ergo horologium pendet, & cauſatur ab exemplari etiam vtà phyſice influente. Reſpondeo ex eo, quod res creata non poſſit fieri ſine exemplari diuino dirigente ad effectionem illius, ſolum ſequitur, quod talis res neceſſario pendeat directiue ab ipſo exemplari, non vero, quod ab illo phyſice pendeat, cum talis res poſſit fieri abſque diuino exemplari phyſice in illam influente. Ad confirmationem reſp. horologium magis pendere ab exẽplari, quam literam *O*, hoc eſt magis neceſſariò cum illud non poſſit effici ſine exemplari, hoc vero poſſit, non vero magis pendere, id eſt, magis phyſice, & ſtricte, cum exemplar in neutrum effectum phyſice & ſtricte influat, vt ſupra probatũ eſt.

26 Obijciat tertiò, ſi aliqua ratione ſola potentia executiua artificis, & non exemplar phyſice in artefactum influeret, maximè quia forma artefacti reipſa ab vbicatione partium non diſſideret. Sed forma artefacti cathedræ v. g. ab vbicatione partium re ipſa diſtinguitur, ſi enim cathedra loco moueatur, non manet eadem partium vbicatio, & tamen manet eadem forma artefacti; ergo nulla eſt ratio, quare exemplar phyſice etiam non influat in artefactum: Confirmatur, quia forma artefacti debet phyſice procedere ab aliqua cauſa ſib proportionata, ſed nulla eſt cauſa illi proportionata, niſi ars, quæ eſt cognitio, qua media exemplar concurrit, ergo ars ſeu exemplar phyſice influit in artefactum. Reſpondeo, in caſu prædicto non manere eandem formam artefacti phyſice, cum phyſice non maneat eademmet vbicatio, à qua ipſa non diſtinguitur, manere tamen eandem formam artificialem moraliter, iuxta dicta ſupra diſput. 12. cap. 3. num. 13. Ad confirmationem dico potentiam executiuam artificis, vt ſubeſt directioni artis, ſeu exemplaris, eſſe cauſam proportionatam, vi influat in formam artificialem abſque eo quod phyſice talis forma fluat à cauſa exemplari.

DISPVTATIO XXI.

De cauſa finali.

SEx capita continebit. In primo, definitio cauſæ finalis exprimitur. In ſecundo, inquiro, quæ ſit cauſæ finali proxima ratio formalis cauſandi? In tertio, in quo cauſalitas finis formaliter ſita ſit? In quarto, an cauſa finalis phyſice in effectum influat? In quinto, quænam ſint cauſæ finalis effecta? In ſexto, quæ agentia operentur propter finem, & quotuplex finis ſit.

CAPVT I.

Definitio cauſæ finalis exprimitur.

CAuſa finalis ſic ab Ariſtotele hic tex. 31. & 2. metaphyſic. capite 2. tex. 8. definitur. *Finis eſt cuius gratia aliquid fit.* Hoc eſt, ex cuius complacentia aliquid effcitur, etenim ſicut idem eſt formaliter rem aliquam eſſe alteri gratam, ac illum in ipſa re complacere, ita idem eſt formaliter gratia rei, ac complacentia in tali re: atque ita cum dicitur finis eſſe id cuius gratia aliquid fit eſt formaliter idem ac dicere eſſe id, ex cuius complacentia aliquid efficitur, & hoc idem eſt quod fertur, finẽ ſcilicet eſſe id, quod allicit voluntatem ad ſui amorem, & aſſecutionem, nam finem allicere voluntatem ad ſui amorem & aſſecutionem, eſt formaliter illam affectiue inclinare ad illum amandum, & aſſequendum; voluntas autem inclinatur formaliter affectiue ad amandum & aſſequendum finem, per gratiam & complacentiam in ipſo fine, vt amabili, & aſſequibili, atque ideo idem formaliter, eſt finem eſſe id, quod allicit ad ſui amorem, & aſſecutionem, ac finem eſſe id cuius gratia & complacentia aliquid vere fit, ſcilicet in ordine ad illum amandum & aſſequendum, v. g. ægrotus ob ſanitatem amatam, ſumit potionem patitur ſciſſionem venæ, voluntas vero amat ſanitatem propter ſe, medicinam propter ſanitatem, atque ita ſanitas erit obiectum formale, alia vero erũt obiecta materialia. I

Sed vt melius eſſentia & quidditas finis patefiat, aliqua obſeruanda ſunt. Obſeruo primo, ad rationem finis omnino requiri, quod in ſe aliquã bonitatem veram vel apparẽtem includat. Probatur: finis eſt obiectum cõplacentiæ, cum ſit id, ex cuius complacentia aliquid fit, ſed obiectum complacentiæ eſt bonitas, ſicut obiectum diſplicẽtiæ eſt malitia: ergo de ratione finis eſt quod aliquã bonitatẽ includat, ſi vero res repræſentetur impoſſibilis, vt formaliter impoſſibilis, non poterit appeti affectu efficaci, nam voluntas efficax alicuius rei eſt illa qua vult qui 2

aliquid exequi, sed iudicium de impossibilitate rei, tollit hoc motiuum, cum indicet se hoc consequi nõ posse, ergo affectu efficaci res impossibilis vt formaliter impossibilis appeti non poterit, poterit verò appeti affectu inefficaci, hoc enim affectu multi appetunt vitam amici mortui, imo Scotus, Gabriel, & alij Theologi, docent Luciferum, & Angelos malos, de facto habuisse huiusmodi actus, quibus voluerunt esse Deo similes, appetentes æqualitatem cum diuina essentia, quam sciebant sibi esse simpliciter impossibilem, ergo affectu inefficaci potest res impossibilis appeti, vt consequibilis, cum res non appetantur seu amentur secundum se, sed vt existimantur, cum potentiæ appetitiuæ cæcæ sequantur intentionales.

3 Obseruo secundo, ad rationem finis etiam necessario requiri, quod eius bonitas formaliter cognoscatur. Patet, quia bonitas finis debet esse volita ab operante per affectum complacentiæ, cum finis sit id, ex cuius gratia, & complacentia aliquid fit, sed vt bonitas finis sit volita affectu complacentiæ, necessario requiritur, quod prius formaliter cognoscatur, nihil enim volitum quin præcognitum, vt tenet commune Philosophorum axioma, ergo ad rationem finis necessario requiritur, quod eius bonitas formaliter cognoscatur.

4 Obseruo tertio, ad rationem etiã finis desiderari, quod eius bonitas cognoscatur, & ametur, vt consequibilis, hoc est in ordine ad media, quibus obtineri possit. Probatur, si sufficeret ad rationem finis, quod aliquid fieret ex complacentia & voluptate in aliquo bono secundum se, etiam brutum propriè operaretur propter finem, sæpe enim equus ex sensitiua complacentia, & voluptate in aliquo bono secundum se, scilicet in cibo mouetur ad illum, sed brutum propriè non operatur propter finem, vt omnes fatentur, ergo non sufficit ad rationem finis, quod aliquid fiat ex complacentia & voluptate in bono secundum se, sed etiam requiritur, vt fiat ex complacentia in bono vt consequibili, quod cum desit bruto, ideo non operatur propter finem.

5 Obseruo quarto, non requiri ad rationem finis, quod ita ametur eius bonitas vt consequibilis, vt ipsa etiam consequibilitas formaliter diligatur, sed solum ita vt ametur bonitas finis sub consequibilitate, hoc est, cognita vt consequibilis, & quia cognoscitur vt talis. Probatur, consequibilitas finis est formaliter possibilitas mediorum ad consequendum illum, sed qui amat, ac intendit finem, non amat possibilitatem, sed solam existentiam, ac executionem mediorum ad consequendum illum, ergo qui intendit finem, nõ amat formaliter eius consequibilitatem, ergo solum amatur bonitas finis sub tali consequibilitate modo prædicto, vnde quemadmodum desiderium tendit ad bonum vt absens, non ita vt amet absentiam illius, sed bonum sub absentia, hoc est, quod cognoscit esse absens, sic intentio finis tendit ad bonum vt consequibile, non ita vt amet consequibilitatem, sed tantum amet bonum sub consequibilitate, id est, quod cognoscit esse consequibile.

CAPVT II.

Quæ sit causæ finali proxima ratio formalis causandi.

6 EX dictis cap. primo, comperimus tria esse ex parte finis in actu primo, videlicet eius bonitatem, bonitatis cognitionẽ, & complacẽtiam in ipsa. Quærimus ergo quænam illarum sit ratio formalis proxima in actu primo, per quã finis causet finaliter. Sicut enim in causa efficiente, v.g. in substãtia ignis calefaciente, datur calor, qui est ratio formalis proxima in actu primo, per quam substantia ignis causat calorem efficienter, ita in causa finali, v.g. in sanitate mouente infirmum ad exequendam curationem, datur aliqua ratio formalis proxima in actu primo, per quam sanitas causet illam curationem finaliter. Controuersia igitur est, an hæc ratio formalis proxima finalizandi, in sola bonitate, an in sola cognitione, an in complacentia consistat.

Tres adinuenio sententias: prima sententia est 7
solam bonitatem finis esse rationem formalem proximam causandi finaliter. Ita Suarez tom. 1. met. disput. 23. sect. 8. num. 6. Fonseca 5. met. cap. 2. qu. 11. Conimbricenses, Pereira, Toletus & alij plures relati à Rub. hic tractatu quinto, de causa finali, qu. 5. §. *Secunda opinio*. Complutenses disput. 14. de causa finali quæst. 3. num. 17. vbi pro hac sententia adducunt Aristotelem in hoc libro cap. 3. D. Thomam, ibidem & 1. 2. quæst. 1. artic. 3. & 3. contra gent. cap. 2. & 3. & plures alios Patres, Petrus Hurtado disput. 13. de anima sect. 5. Arriaga disput. 8. physic. sect. 5. subsectione secunda & sect. 7. num. 81. Carleton disput. 23. physic. sect. 3. Murcia 2. physic. disput. 5. quæst. 1. & 2. & Plaça 2. physic. disp. 6. qu. 1. & 2. Auersa tom. 1. physicæ quæst. 11. de causa finali sect. 5. Oña 2. physic. qu. 5. art. 1. & 2. & est communis inter omnes, etiamsi non eodem modo eam explicent. Secunda sententia est cognitionem bonitatis finis, qua ipsa entitas finis apparet vt bona, esse rationem formalem proximam finalizandi, ita Auicenna 6. met cap. 2. Soncinas 5. met. q. 5. Medina 1. 2. q. 1. art. 1. & alij Thomistæ, quos quidam recentiores non indocti sequuti sunt. Tertia sententia est complacentiam in finis bonitate esse rationem formalem proximam causandi formaliter, ita nonnulli recentiores quibus subscribo.

Præmitto primo, duplicem posse in causa finali 8
rationem formalem considerari, alia est ratio formalis determinandi, per quam formaliter finis determinat, & allicit voluntatem ad sui amorem & assecutionem; alia est ratio formalis terminandi, per quam formaliter finis terminat obiectiue suum amorem. Deinde ratio formalis terminandi, alliciendi, seu finalizandi, est duplex, alia quæ sit simul causa finalis proxima, quæ proximè & formaliter ad sui amorem determinet, alia quæ non sit causa finalis, sed solum ratio formalis per quam finis proximè in actu primo, ad sui amorem & assecutionem voluntatem allicit, & determinat, atque ita est purè ratio formalis finalizandi.

Præmitto secundo, nec cognitionem bonitatis fi- 9
nis, nec complacentiam in illa, sed solam finis bonitatem esse ex parte finis rationem formalem proximam terminandi. Probatur apertè, ratio formalis terminandi ex parte finis est illa, quæ formaliter terminat amorem finis, & formaliter amatur, sed nec cognitio bonitatis finis nec complacentia in tali bonitate, sed sola ipsa bonitas finis terminat formaliter finis amorem, & formaliter amatur, ergo nec cognitio, nec complacentia, sed sola bonitas finis est ratio formalis proxima terminandi.

Præmitto tertio, nec cognitionem finis, nec com- 10
placentiam in illo, sed solam finis bonitatem esse rationem formalem finalizandi proximam, quæ simul sit causa finalis. Probatur clare: ratio formalis finalizandi proxima, quæ simul sit causa finalis est illa, quæ formaliter determinat voluntatem ad sui amorem, sed nec cognitio, nec complacentia, sed sola bonitas finis determinat voluntatem ad sui amorem, ergo nec cognitio, nec complacentia, sed sola bonitas finis est ratio formalis

fina

finalizandi,quæ simul sit causa finalis.Dubium ergo solum est,quæ præcise sit,ac formaliter ratio formalis proxima finalizandi,quæ licet voluntatem ad sui amorem non attrahat, sit tamen ratio proxima per quam formaliter finis ipsam voluntatem ad sui amorem & assecutionem alliciat.

11 Assertio prima sit. Sola complacentia in bonitate finis est ratio formalis proxime in actu primo, causandi finaliter. Probatur, ratio formalis proxima in actu primo,causandi finaliter,est illa, per quam finis in actu primo,id est, antequam sit effectus, formaliter allicit voluntatem ad sui amorem, & assecutionem, vt monstraui capite primo n.1. sed finis per solam sui complacentiam, allicit in actu primo formaliter voluntatem ad sui amorem, & assecutionem, ergo sola complacentia est ratio formalis proxima in actu primo, causandi finaliter. Minorem ostendo, finem allicere formaliter voluntatem, nihil est aliud, quam illam affectiuè, voluptuosè, & delectabiliter impellere, ac inclinare, sed voluntas per complacentiam in bonitate finis, vt consequibili affectiuè, voluptuosè, & delectabiliter impellitur, & inclinatur formaliter ad amorem, & assecutionem finis, nam cum ipsa complacentia in finis bonitate vt consequibili, sit quædam affectuosa voluptas, & delectatio in fine, vt consequibili, est etiam formaliter impulsus voluntatis ac inclinatio affectiua voluptuosa,ac delectabilis in amorem,& assecutionem talis finis; ergo hæc sola complacentia est ratio formalis proxima causandi finaliter.

12 Diçat quis. Complacentiam in bonitate finis requiri, vt ipsa bonitas ad se voluntatem alliciat, requiri verò solum,vt conditionem,non vt rationem formalem,sed contra, quando,aliqua res requiritur ad aliquem effectum formalem, vt forma per quam formaliter talis effectus præstatur,non requiritur vt conditio ad illam,sed potius vt ratio formalis,atqui ad prædictam finis allectionem requiritur complacentia finis,vt forma per quam formaliter finis allicit voluntatem, nam sola complacentia,& non ipsa bonitas, est voluptuosa, & delectabilis, inclinatio voluntatis.atq; ita non per bonitatem,sed per complacentiam formaliter,& proximè voluntas delectabiliter & voluptuosè inclinatur,hoc est,allicitur, vt ostendi numero præcedẽti.ergo complacentia finis non requiritur vt conditio, sed vt ratio formalis,vt finis ad se alliciat formaliter voluntatem; Confirmo,ideo calor ignis non requiritur vt conditio,sed vt ratio formalis in actu primo, ad calefaciendum, quia est forma per quam formaliter in actu primo, ignis calefacit, sed similiter complacentia finis est forma per quam formaliter in actu primo,finis allicit, & finalizat, vt iam probaui, ergo complacentia finis non requiritur vt conditio,sed vt ratio formalis ad finalizandum.

13 Obijciat quispiam primo, cum finis sit id cuius gratia aliquid fit, ratio formalis finalizandi, est illa per quam formaliter habet finis esse id cuius gratia aliquid fiat,sed per solam bonitatẽ,& non per complacentiam habet finis formaliter esse id cuius gratia aliquid fiat,cum effectus finis non fiat formaliter gratia complacentiæ,sed solum gratia bonitatis, ergo sola bonitas,& non complacentia est ratio formalis finalizandi.Resp. rationem formalem proximam in actu primo, finalizandi esse illam, quæ *vt quo* formaliter,& proximè,dat fini esse id,cuius gratia aliquid fiat, bonitas autem finis dat ipsi fini solum obiectiuè & remotè,esse id cuius gtatia fiat effectus, sola verò complacentia in fine,dat ipsi fini, vt quo formaliter & proximè esse id, cuius gratia aliquid fiat, nam finem esse in actu primo id, cuius gratia aliquid fiat, nihil est aliud, quam esse formaliter gratum voluntati, vt ex tali gratia aliquid fiat, cum autem finis sit gratus voluntati per bonitatem ipsius, solum obiectiuè & remotè, per ipsam verò gratiam & complacentiam illius,formaliter & proximè, ideo solum obiectiuè & remotè per bonitatem, & formaliter & proximè per complacentiam, habet finis esse id, cuius gratia aliquid fiat, ac proinde non bonitas, sed sola complacentia, est ratio formalis proxima finalizandi.Nec obstat quod effectus non fiat gratia complacentiæ, sed solum gratia bonitatis, hoc enim non requiritur ad rationem formalem proximam finalizandi,vt numero sequenti explicabo.

14 Obijciat secundo,ratio formalis proxima in actu primo, causandi finaliter dat formaliter fini esse causam proximam finalem,ergo ipsa etiam ratio est causa proxima finalis, atqui sola bonitas & non cõplacentia est causa proxima finalis vt ostendi num. primo, ergo sola bonitas & non complacentia est ratio formalis proxima causandi finaliter, primam consequentiam sic ostendo primo, nemo dat alteri formaliter quod non habet,ergo si ratio formalis finalizandi dat formaliter fini esse causam proximam finalem, ipsa etiam erit necessario causa proxima finalis. Secũdo,quia ratio formalis causandi efficienter,v.g. calor respectu ignis,dat formaliter igni,esse causam efficientem calefactionis, ipsa etiam ratio scilicet, calor, est causa efficiens talis calefactionis, ergo si ratio formalis finalizandi, dat formaliter fini esse causam finalem,ipsa etiam ratio erit causa finalis; Resp. ad rationem formalem proximam in actu primo causandi finaliter tantum requiri, quod sit id, per quod formaliter & proximè finis ad sui amorem alliciat,non verò requiri,quod ipsa sit causa finalis.Ad primam probationem Rep.id quod aliqua res dat formaliter alteri, habere rem ipsam in se necessario non quidem vt *quod*.Sed *vt quo*.v.g. quia albedo dat subiecto esse formaliter album, non requiritur quod ipsa albedo sit alba vt *quod*. sed tantum *vt quo*,id est,sit forma, & ratio, qua subiectum reddatur album, sic ergo similiter vt ratio formalis finalizandi, det formaliter fini, esse causam proximam finalem, non requiritur, quod ipsa ratio sit causa formalis vt *quod*. Sed tantum *vt quo*. id est, sit forma, & ratio, qua finis reddatur proxime causa finalis. Ad secundam probationem dico, ad veram causam efficientem solum requiri, quod extrinsecè influat in effectum, licet sit nomine alterius, vnde cum ratio formalis efficiendi, v.g. calor ignis extrinsecè influat in calefactionem, saltem nomine ignis, ideo talis ratio efficiendi, scilicet calor, est etiam causa efficiens. Ad veram autem causam finalem non sufficere, quod alliciat ad effectum nomine alicuius, id est, alliciendo voluntatem ad amorem illius, sed requiri, quod alliciat ad effectum nomine proprio, hoc est alliciendo voluntatem ad amorem sui ipsius,aut alterius in ordine ad ipsum; vnde cum ratio formalis finalizandi, scilicet complacentia finis formaliter alliciat voluntatem ad effectum, non verò nomine proprio,scilicet,alliciẽdo illam ad amorẽ sui ipsius, sed solum nomine alterius, scilicet finis alliciendo voluntatem ad amorem & assecutionem talis finis, ideo complacentia non est causa finalis, sed tantum ratio formalis finalizandi; sicut enim in communi opinione Thomistarum ignis,vt causa principalis per calorem tãquam per rationẽ causandi causat principaliter aliũ ignẽ,& tamen calor nõ est causa principalis,sed tantũ ratio causandi principaliter,

quia non causat nomine proprio, sed nomine alterius, scilicet ipsius; ignis ita similiter sanitas v. g. vt causa finalis per ipsius complacentiam tanquam per rationem formalem causandi causat finaliter curationem, & tamen complacentia non est causa finalis, sed ratio causandi finaliter, quia talis complacentia non allicit voluntatem nomine proprio, scilicet ad amorem sui, sed nomine alterius, scilicet sanctitatis, alliciendo voluntatem ad assecutionem illius.

15 Obijciat tertiò, ratio formalis finalizandi est illa propter quem formaliter effectus fit, nam effectus fit propter finem, sed effectus non fit propter complacentiam, sed propter bonitatem formaliter; ergo bonitas & non complacentia est ratio formalis finalizandi. Respondeo, rationem formalem finalizandi, esse illam propter quam proximè, & formaliter fit effectus, non vero propter quam effectus fit obiectiue & remote, effectus autem finis fit propter eius bonitatem obiectiue, & remote, propter complacentiam vero illius, fit formaliter & proximè, nam bonitas mouet ad talem effectum per complacentiam formaliter, atque ita non bonitas finis sed sola complacentia est ratio formalis proxima causandi finaliter.

16 Assertio secunda, Bonitas finis est ratio obiectiua, ac remota causandi finaliter; cognitio vero illius, nec est ratio proxima, nec remota, sed tantum conditio necessaria ad finalizandum; prima pars scilicet bonitatem finis esse rationem finalizandi obiectiuam & remotam, probant communiter auctores primæ sententiæ, quia ratio obiectiua, ac remota finalizandi est id, quod est obiectum formale complacentiæ, quæ est ratio formalis proxima causandi finaliter, sed bonitas finis est obiectum formale complacentiæ eiusdem finis vt per se constat; ergo talis bonitas est ratio obiectiua ac remota finalizandi. Secunda pars, scilicet cognitionem non esse rationem formalem proximam nec remotam causandi finaliter, sic probatur, ratio formalis finalizandi proxima vel remota est id, quod est complacentia finis, vel obiectum formale talis complacentiæ, sed cognitio finis, nec est complacentia in ipso fine, nec obiectum formale talis cõplacentiæ; vt per se liquet; ergo cognitio finis non est ratio formalis nec obiectiua proxima, nec remota finalizandi. Tertia pars, scilicet talem cognitionem finis esse conditionem necessariam ad causandum finaliter, Patet primo, quia bonitas finis non causat finaliter nisi quatenus est obiectum formale volitum per complacentiam, quæ est ratio formalis proxima causandi, sed vt bonitas finis sit volita per complacentiam, requiritur tanquam conditio, quod talis bonitas finis cognoscatur, nihil enim volitum quin præcognitum; ergo cognitio bonitatis finis requiritur vt conditio, ad causandum finaliter. Secundò, qui amat sanitatem, non amat cognitionem sanitatis, sed ipsam sanitatem, quia non secat venam, nec sumit potionem amaram propter cognitionem sanitatis, sed ad consequendam sanitatem; ergo ratio finalizandi non est cognitio sed tantum conditio, sicut in causis physicis approximatio est conditio requisita vt agens operetur & in volitione, cognitio obiecti, vt voluntas appetat.

17 Obijciat aliquis primò, ratio formalis proxima finalizandi est illa, per quam formaliter & proximè finis mouet voluntatem ad amorem sui, sed finis per cognitionem suæ bonitatis mouet formaliter & proximè voluntatem ad sui complacentiam & amorem; ergo cognitio bonitatis finis est ratio formalis causandi: minor probatur, sicut intellectus, per se naturaliter inclinatur ad assentiendum vero, ita voluntas inclinatur ad amandum bonum, sed assensus euidentes præmissarum quia proponunt clare intellectui veritatem conclusionis determinant & mouent illum formaliter ad assensum conclusionis; ergo cognitio clara bonitatis finis quia etiam clare proponit voluntati bonitatem determinat & mouet formaliter voluntatem ad amorem finis; ergo finis per cognitionem suæ bonitatis formaliter determinat, & mouet voluntatem ad sui amorem. Resp. rationem formalem proximam finalizandi propriè & strictè, esse illam per quam formaliter finis mouet voluntatem non vtcunque sed alliciendo illam ad sui amorem & assecutionem, hoc est, illam affectiue, & delectabiliter inclinando, cum autem cognitio finis, non sit formaliter affectiua & delectabilis inclinatio voluntatis, voluntas per talem cognitionem non inclinatur affectiue & delectabiliter, atque ita non allicitur ad amorem finis, & eapropter cognitio finis, licèt sit ratio formalis mouendi aliquo modo, non tamen est ratio formalis finalizandi, finis enim non est id, quod mouet, vtcumque sed quod mouet alliciendo per gratiam, & complacentiam sui.

Obijciat secundò, quando aliquis concipit esse 18
bonitatem in aliqua re, quæ verè illam habere non potest, & illam intendit, & media eligit ad eam assequendam, tunc aliqua bonitas vera vel apparens est ratio finalizandi saltem remota, sed non bonitas vera, cum ibi non sit; ergo bonitas apparens: atqui bonitas illa apparens est formaliter ipsa cognitio, qua ille concipit ibi bonitatem esse, cum nulla sit, ergo cognitio illa est formaliter ratio saltem remota finalizandi. Resp. eum qui concipit bonitatem esse in aliqua re, in qua nulla bonitas esse potest, confingere ibi aliquam bonitatem rationis, per talem cognitionem obiectiue cognitam, & ab ipsa cognitione distinctam, quæ quidem bonitas ficta appellatur. Hæc ergo bonitas per sui cognitionem dicitur apparens formaliter, at vero per se ipsam vt distinctam à cognitione dicitur bonitas apparens obiectiue; & vt sic distincta est secundum se ratio obiectiua, & remota finalizandi, & eius cognitio solum vt conditio ad finalizandum requitur.

Sed quærat quis, an sola complacentia finis, 19
an etiam amor absolutus ac desiderium eiusdem finis sit etiam ratio formalis proxima finalizandi respectu electionis mediorum: Resp. solam finis complacentiam, non vero amorem absolutum ac desiderium esse formalem rationem proximam finalizandi: ratio est, quia, ratio formalis proxima finalizandi propriè, & stricte est illa, per quam formaliter finis allicit voluntatem vt supra late monstrauimus, sed finis per solam sui complacentiam, & non per amorem absolutum aut desiderium allicit voluntatem, ergo sola complacentia & non amor absolutus, aut desiderium, est ratio formalis proxima finalizandi. Minor probatur, voluntas etiam habet amorem absolutum, ac desiderium, circa media, & tamen quia non habet complacentiam in illis, media proprie non alliciunt voluntatem, alioquin haberent etiam rationem finis. ergo finis non allicit voluntatem, quatenus voluntas habet amorem ac desiderium circa illum, sed solum quatenus voluntas habet complacentiam in ipso, ergo finis per solam sui complacentiam & non per amorem absolutum aut desiderium allicit voluntatem.

CAPVT

CAPVT V.

In quo causalitas finis formaliter sita sit.

CAusalitas finis est ratio illa, qua formaliter ipse finis actu finaliter causat, quæ potest finalizatio vocari; quærimus, in quo hæc finalizatio consistat.

20 Tres adinuenio sententias: prima sententia est ipsam actionem causæ efficientis, sicut quatenus est ab agente est actio, & quatenus est in patiente est passio; ita quatenus est propter finem, esse finalem actionem & causalitatem causæ finalis. Ita Suarez tom. 1. met. disp. 23. sect. 4. num. 12. & Rub. hic tit. 5. De causa finali q. 3. num. 28. Ita etiam auctores citati cap. præcedenti num. 7. Secunda sententia est causalitatem finalem, esse ipsammet bonitatem finis, connotata existentia effectus qui fit propter illam. Ita Fonf. 7. met. cap. 8. q. 4. sect. 5. in principio, cui alij Recentiores acquiescunt, & est expressa D. Thomæ. Tertia sententia est causalitatem finalem esse ipsam finis complacentiam connotata existentia ipsius effectus pendentis ex illa. Ita Vasquez 1. 2. disput. 2. cap. 2. & disput. 3. cap. 3. & id docere videntur Conimbricenses hic cap. 7. quæst. 21. artic. 1. & 2.

21 Præmitto primo, posse naturaliter eundem actum seu effectum produci propter duos fines in actu secundo totales, verbi gratia possum velle deambulare per agrum propter sanitatem, ac etiam propter recreationem tamquam propter duas causas fines totales vt monstrabo infra disp. sequenti cap. 3. Præmitto secundo, duas causas in actu secundo totales non posse eadem met causalitate causare effectum, sed causalitatibus distinctis. Probatur, clare, quando duæ causæ totales causant eumdem effectum, ita se habent, vt licet vna deficiat, alia eodem modo causabit, sicut antea, alioquin quæuis illarum non esset totalis, sed partialis, atqui si ambæ causæ totales eadem causalitate concurrerent ad effectum, deficiente vna causa, alia causa non causaret effectum, sicut antea, quia tali causa deficiente, deficeret causalitas vtriusque causæ, quę à qualibet illorum cum sit causalitas illius essentialiter pendebit, ergo duæ causæ totales non possunt causare eadem causalitate, sed causalitatibus distinctis: Præmitto tertio quando quis in prædicto casu vult deambulare per agrum propter sanitatem, & propter recreationem tamquam propter duas causas finales, vnam tantum ac indiuisibilem actionem esse, qua fit ille actus volitionis; Probatur, actio indiuiduatur à termino, qui producitur, & ab agente à quo exit, sed ibi tantum est vnicus terminus, nempè vnus actus volitionis, & vnicum agens, vna scilicet voluntas, à qua talis actus exit, ergo ibi tantum est vnica actio.

22 Assertio prima, actio causæ efficientis, quatenus est propter finem non est formaliter finalizatio, & causalitas causæ finalis. Probatur aperte ex dictis, quia duæ causæ totales causant necessario distinctis causalitatibus, vt probaui num. 21. notab. 2. Sed quando quis vult deambulare per agrum propter duos fines totales scilicet propter sanitatem & propter recreationē, quod non repugnat, vt iam notaui, & postea probabo, dantur duæ causæ finales totales illius volitionis deambulandi, ergo ibi dantur necessario duæ distinctæ causalitates finales, tunc sic, sed ibi non est nisi vnica tantum actio causæ efficientis vt ostendi notab. 3. ergo actio causæ efficientis nullo modo est causalitas finalis.

Confirmatur, actualis causalitas causæ pendet necessario ab ipsa causa, cuius est causalitas, nam causalitas actualis causæ est formaliter causam ipsam actu causare; causam autem ipsam actu causare; pendet essentialiter ab ipsa causa, atque ita causalitas actualis causæ pendet essentialiter à sua causa, atqui actio illa, qua quis producit actum volitionis deambulandi per agrum propter duos illos fines totales sanitatis & recreationis, non pendet essentialiter à fine sanitatis aut à fine recreationis, nam etiam si ille non intenderet recreationem, posset eadem numero actione velle deambulare motus à solo fine sanitatis; ergo talis actio non est verè causalitas ac finalizatio illius causæ finalis. 23

Obiiciat aliquis: actio, qua ab agente producitur amor, seu productio aliqua propter finem, causatur finaliter à causa finali, sed talis actio non causatur finaliter vt *id quod*, cum actio non sit terminus sed via ad terminum, ergo actio causatur finaliter vt *id quo* aliud finaliter causatur ergo talis actio est causalitas finalis. Respondeo tum actionem, qua producitur qualitas amoris, ac volitionis propter finem, tum ipsam volitionem ac amorem, causari *vt quod* ab ipso fine, actionem autem vt terminum minus principalem, qui ordinatur ad amorem; amorem verò vt terminum principalem, ad quem actio ordinatur, atque ideo talem actionem causari, vt *id quo*, à sola causa efficiente, non vero à causa finali, & ob id est tantum causalitas causæ efficientis, non verò causalitas, sed effectus causæ finalis. 24

Assertio secunda, causalitas finalis est complacentia in bonitate finis connotata actuali existentia effectus, qui ex illa fit. Est expressa D. Thomæ q. 22. de veritate art. 2. vbi sic ait, *Sicut influere causa efficientis est agere, ita influere causa finalis est appeti.* Sed finis appetitur formaliter per complacentiam in ipso, ergo talis complacentia iuxta D. Thomam est influxus, & causalitas causæ finalis. Probatur etiam ratione, causalitas causæ finalis est ratio illa, per quam formaliter finis actu voluntatem allicit ad sui amorem, & assecutionem, nam finalizare est allicere vt supra monstratum est, num. 1. Sed finis per complacentiam sui connotata existentia actus, qui fit ex illa, allicit actualiter voluntatem ad sui amorem, & assecutionem, vt patet ex dictis supra à n. 11. ergo complacentia finis connotata existentia actus, qui fit ex illa est causalitas finalis. 25

Obiiciat autem quis, causalitas actualis causæ distinguitur ab eius ratione causandi, sed complacentia finis est ratio causandi causæ finalis, ergo talis complacentia non est actualis causalitas causæ finalis. Confirmatur, causalitas actualis non potest esse sine effectu causato propter finem; potest autem quis in fine complacere vt consequibili, & non exequi effectum aliquem propter talem finem, ergo complacentia finis non est causalitas finalis actualis causæ Resp. causalitatem actualē causæ non semper distingui in recto à ratione causandi eiusdem causę, sed tantum in obliquo, quia scilicet ratio causandi vt sic connotat effectum, vt possibilem, & causalitas actualis vt sic connotat effectum vt existentem, & hoc modo se res habet in causa finali, nam eadem cōplacentia finis est ratio causandi finaliter, & actualis causalitas finalis, at verò vt ratio causandi connotat effectum finis vt possibilem, & vt actualis causalitas connotat eumdem effectum vt existentem, & ita ratio causandi, & causalitas finis solum in obliquo distinguūtur. Ad confirmationem dico, causalitatem finis non esse complacentiam illius 26

secundum se præcisè, sed ipsam, connotata etiam existentia effectus qui fit propter finem, complacentiam autem cum hac connotatione effectus numquam esse sine ipso effectu.

CAPVT IV.

An causa finalis physicè in effectum influat.

27 FInis est causa à priori,& per se sui effectus, quia causa à priori, & per se alicuius effectus est illa quæ per se prærequiritur (& non vt dispositio) vt producatur physicè effectus; sed finis in agente per rationem non temerè,sed ordinate, per se(& non vt dispositio)prærequiritur, vt physice causetur effectus,nisi enim prius agens intellectuale finem sibi præfigat,quem intendat, non nisi temere operabitur;ergo finis est causa à priori, & per se effectus; quæritur, vero an ita sit causa effectus vt physicè & rigorose influat, & communicet esse effectui. Affirmant Suarez tom.1. metaph disp.23. sect.1. à num. 7. & Rubius hic tract. 5. de causa finali q. 1. num.10.

28 Assertio tamen sit:Causa finalis stricte,& physice non influit in suum effectum, sed tantum metaphoricè & intentionaliter inclinando affectiuè operans ad effectum producendum. Ita Auicenna lib.6.met.tract.5 cap.5.Albertus 5.met.tract.1. cap. 3. Alensis 1.p.q.17.Memb.3.Enricus 1.part.art.49. quæst.6.D.Thom.1. 2. q.9. art. 1. &1. contra gent. cap.75. Ferrar. ibidem, Scotus in 1. dist. quæst. 4. Ocham in 2. dist.3.quæst.3.art.2. Herueus quodlibeto 2.quæst.1.Soncinas 5.met.q.1.Fonſ. c.2. q.10. Suarez disp.23.met.sect.4.Vasquez 1.2.disp.4. Conimbricenses 2. physic. cap. 7. q. 21. Murçia,Plaça, Oña,Arriaga,Hurtado,Carleton,Auersa,supra sect. 5.& alij.

29 Probatur, finem causare finaliter nihil est aliud, quam voluntatem allicere ad sui amorem & assecutionem vt ostendi n.1. sed allicere voluntatem in sui amorem & assecutionem non est physicè in talem effectum influere;ergo causare finaliter non est physicè influere, atque ita causa finalis physicè in effectum non influit.Minor probatur. Finem allicere voluntatem ad sui amorem & assecutionem, est formaliter voluntatem complacere in ipso fine vt amabili, & consequibili vt monstratum est supra n. 11. & 12. sed voluntatem complacere in fine vt consequibili non est physicè influere in effectum finis, sed in illum intentionaliter & affectiue inclinari; ergo finem allicere voluntatem in sui assecutionem non est physicè in eius effectum influere.

30 Confirmatur primò,voluntas cum sola motione affectiua finis,absque alio influxu physicè eiusdem finis,potest adæquate producere amorem finis,seu electionem mediorum,qui sunt verè effectus finis: ergo superfluus est influxus physicus talis finis:ergo finis physice in effectum non influit,sed tantum affectiue.Probatur antecedens,quando aliqua causa continet in se eminenter omnem perfectionem effectus, si in tali effectu non sit formalitas aliqua, quæ petat physice fluere ab alia causa,potest causa illa absque influxu physico alterius causæ adæquate producere talem effectum,sed voluntas cum sola motione affectiua finis continet eminenter in se omnem perfectionem actus amoris finis,ac electionis mediorum, nec in his actibus relucet aliqua formalitas petens physice fluere à fine vt per se constat: ergo voluntas cum sola motione affectiua finis absque alio physico influxu eiusdem finis, potest adæquate producere actum amoris finis ac electionis mediorum qui sunt effectus finis.

Confirmatur secundò, causa stricte,& propriè physica debet esse existens vt constabit disputatione sequenti capite 1. sed causa finalis quando operatur,multoties non existit; ergo causa finalis non est stricte & proprie causa physica,Maior supponitur vt certa:minor probatur, quia sanitas quæ non existit, quando mouet ad sui consecutionem, non potest physice influere in effectum: ergo finis, vt finis non habet physicum influxum, consequentia tenet,quia influxus est actualis motus per quem causa physica influit in effectum, sed causa finalis hoc modo non influit, nisi alliciendo & mouendo, motio enim est apprehensio obiecti ex qua sequitur illius appetitio,non enim valet, mouet,ergo physice causat,cum multa quæ non sunt moueant, & nihil non existens potest physice influere: ergo simpliciter & absolute causa finalis non est causa physica sed intentionalis & metaphorica, quæ media cognitione allicit & mouet ad sui consequutionem, & ideo dicitur causa vera & realis intentionalis non vero physica. 31

Sed obijciat quispiam:effectus ordinate & physice non potest fieri sine fine: ergo physice dependet à fine, ergo finis physice influit in effectum. Confirmatur, causa finalis inter causas physicas communiter recensetur, vt vidimus supra disp. 13. c. 2 .ergo causa finalis est causa physica;ergo physice in effectum influit. Respondeo, effectum non posse fieri physice & ordinate sine fine affectiue mouente, posse vero fieri sine fine physice influente, atque ideo nec effectus physice, sed tantum effectiue dependet à fine, nec finis physice, sed tantum affectiue ad effectum concurrit. Ad confirmationem dico,causam finalem, sicut & formalem, seu exemplarem, esse causam physicam late, quia à priori, & per se requiritur, vt physice producatur effectus, non vero esse causam physicam stricte, quia physice non influit nec communicat esse effectui, hoc enim solum competit causæ efficienti,& materiali,quare causa physica vt diuiditur in quatuor illa causarum genera, non est ratio vniuoca, quia verè & proprie conuenit causæ efficienti,& materiali, quæ verè & physice influunt in sua effecta, late vero & translatitie conuenit causæ finali & exemplari,cum non physice in effectus,sed solum intentionaliter influant. 32

CAPVT V.

Quænam sint causæ finalis effecta.

33 ACtiones necessariæ, quæ non subduntur voluntatis imperio, v. g. nutritio proprie non causatur à fine; solum ergo agimus de actionibus liberis. Hæ autem aliæ sunt immediate elicitæ à voluntate, vt complacentia finis, amor, intentio,ac desiderium illius,electio mediorum,delectatio in fine adepto,& similes:aliæ sunt solum à voluntate imperatæ, & ortæ ab alijs potentijs, vt sumptio potionis,deambulatio,&c.de his omnibus inquirimus,an verè causentur à fine;nonnulli affirmant hæc omnia esse propter finem & verè ab illo causari. Ita Suar. dicta disp. 23. sect. 3.per totam Rub.hic.tract. 5.de causa finali q.7.n.58.Conimbr. etiam hic c.7.q.22.a 1. Alij tenent solam electionem & executionem mediorum verè causari à fine, ita

ita Vasquez tom. 1. in primam secundæ disp. 3. cap. 2. & alij ab ipso relati.

24 Præmitto finem posse dupliciter vsurpari, primo latè & impropriè pro obiecto formali, quod propter se amatur, & in hoc sensu, certum est omnes illos actus voluntatis esse propter finem, cum habeant verum obiectum formale, quod propter se diligant, & idcirco D. Thomas 1. 2. quæst. 1. art. 1. dixit *omnes actus humanos esse propter finem.* Secundo sumitur finis, propriè, & strictè, pro eo, cuius gratia hoc est, ex cuius complacentia aliquid fit, vt supra num. primo, illum ex Aristotele definimus, vt in hoc præcisè sensu, quærimus qui actus causentur à fine.

35 Assertio sit. Complacentia finis non causatur à fine, alia verò omnia scilicet amor, ac desiderium, finis, electio mediorum, ipsa media, adeptio finis, & delectatio in ipsa adeptione propriè causantur à fine. Ita Aristoteles D. Thomas & ferè omnes auctores citati num. 28. Probatur prima pars, scilicet complacentiam, à fine non causari, sic ostendo, id causatur à fine, quod fit ex gratia & complacentia finis: nam finis est id, ex cuius gratia & complacentia aliquid fit, sed complacentia finis non fit ex gratia & complacentia finis, cum illa ipsamet gratia & complacentia sit, & non possit causari ex se ipsa; ergo complacentia finis propriè non causatur à fine. Secunda pars, scilicet reliqua omnia causari à fine, sic probo, id causatur à fine, quod oritur ex complacentia finis, sed cætera omnia scilicet, desiderium finis, electio mediorum, media ipsa, adeptio finis & delectatio in tali adeptione, oriuntur ex complacentia finis, nam quia agens prius in fine complacuit, ea omnia postea exercuit, ergo illa omnia propriè causantur à fine.

36 Obijciat aliquis primo, actio bruti, qua v. g. mouetur ad cibum, oritur ex sensitiua complacentia, & voluptate cibi, & tamen nulla actio bruti est propter finem, ergo licèt amor sanitatis, vel mediorum electio in homine oriatur ex complacentia ipsius sanitatis non erit formaliter propter finem. Respondeo ad rationem finis requiri, quod cognoscatur, & ametur vt consequibilis, vt ostendi supra num. 4. & ita vt aliqua actio propriè causetur à fine necessario desiderari, quod oriatur ex complacentia in aliqua re vt consequibili, cum ergo motus bruti in cibis non oriatur ex sensitiua complacentia, & voluptate in cibo vt consequibili, hanc enim consequibilitatem finis, & proportionem ad media brutum non cognoscit, ideo talis motus, & actio bruti non est propriè propter finem; desiderium verò finis, & electio mediorum in homine oriuntur ex complacentia finis vt consequibilis, & ideo sunt propter finem.

37 Obijciat secundo, sicut finis mouet affectiuè voluntatem ad efficiendam electionem mediorum, ita veritas principiorum mouet intentionaliter intellectum ad eliciendum assensum conclusionis, & tamen nec veritas præmissarum est causa assensus coucluſionis, nec assensus conclusionis est effectus veritatis præmissarum, ergo similiter, nec finis erit causa electionis mediorum, nec ista electio erit effectus finis, alioquin veritas principiorum respectu assensus conclusionis aliud secundum diuersum genus causæ constituet, contra dicta supra disput. 13. capite secundo. Respondeo veritatem obiectiuam præmissarum esse causam latè sumptam respectu assensus conclusionis, non quidem finalem, quia propriè non allicit vt supra in simili ostendi numero decimoseptimo; esse verò similem causæ finali, cum propter illam assensus conclusionis fiat, & ideo ad genus causæ finalis reduci, ne sine necessitate, plura, quam quatuor vulgata causarum genera constituamus,

Obijciat tertio, effectus finis respicit finem vt 38
consequibilem, sed delectatio in fine adepto non respicit finem vt consequibilem, sed vt iam obtentum, ergo talis delectatio non est effectus finis. Respondeo ad effectum finis solum requiri, quod oriatur ex complacentia in fine vt consequibili, cum ergo delectatio in fine adepto, licet respiciat vt obiectum finem iam obtentum, oritur ex complacentia ipsius finis vt cõsequibilis, quia enim quis in fine vt consequibili prius complacuit, postea in illo vt obtento delectatur, ideo talis delectatio est effectus finis.

Hinc infero ipsammet entitatem finis vt exi- 39
stentem esse effectum sui ipsius vt possibilis. Probatur apertè, effectus finis est id, quod fit ex complacentia finis, sed sanitas v.g. vt existens fit sæpe ex complacentia in ipsa sanitate vt possibili vt per se constat, ergo sanitas vt existens est effectus in genere causæ finalis sui ipsius vt possibilis. Dicat quis, res nequit esse causa sui ipsius, quia esset prior *à quo* seipsa, quod implicat. Respondeo, hoc verum esse, si causa sit physica causans per se ipsam, non verò, si tantum sit causa intentionalis causans per amorem aut cognitionem, tanquam per rationem formalem causandi, qualis est finis, tunc enim bene potest eadem res esse causa sui ipsius, ex eo autem non sequitur quod res illa sit prior se ipsa, sed solum quia talis res sit obiectum formale complacentiæ, quæ aliqua ratione est prior illa, in quo nulla implicatio est. Dicat rursus, finis est id, cuius gratia cætera fiunt, id est; alia diuersa ab ipso fine. Resp. finem esse id, cuius gratia cætera fiunt, id est, alia diuersa ab ipsa gratia & complacentia finis, non verò alia diuersa ab ipso fine, ac proinde complacentia finis non est effectus finis, vt ostendi n. 13. alia verò omnia, & ipsa finis existentia propriè causantur à fine.

CAPVT VI.

Quæ agentia operentur propter finem, & quotuplex finis sit.

CVm finis sit id ex cuius gratia & complacentia 40
aliquid fit, operari propter finem erit efficere aliquid dependenter ex gratia, & complacentia, quam quis habet in bonitate finis, & agens, quod sic operetur operabitur propter finem.

Hinc infero primo, creaturam intellectualem, v.g. 41
hominem aut Angelum verè operari propter finem. Probatur, operari propter finem est efficere aliquid dependenter ex complacentia in bonitate finis, sed creatura intellectualis, v. g. homo (& idem dico de Angelo) sæpe aliquid efficit dependenter ex complacentia, quam habet in bonitate alicuius finis, v.g. sumit potionem amaram, quia complacet in bonitate sanitatis, ergo creatura intellectualis operatur propter finem.

Secundo infero, Deum non velle propter finem, 42
operari verò adextra propter finem, ita, vt nulla sit causa finalis propriè, & strictè suæ volitionis, sit verò propria causa suæ operationis. Probatur, operari aliquid propter finem est verè efficere aliquid dependenter à complacentia in bonitate alicuius rei, quæ sit finis, atqui volitio diuina verè non fit à Deo nec verè pendet ex complacentia in bonitate Dei, vt finis; externa verò Dei operatio fit verè

à Deo cum vera dependentia à complacentia in bonitate Dei vt finis, ergo Deus verè non vult propter finem, operatur verò ad extra propter finem ita, vt nulla sit causa finalis volitionis diuinæ, sit autem causa finalis externæ ipsius Dei operationis.

42 Tertiò infero, nec entia inanimata nec bruta propriè, & strictè operari propter finem: entia inanimata, verbi gratia, lapidem, cum deorsum mouetur non operari propter finem patet, quia non operantur ex complacentia in bonitate alicuius rei, cum illam habere non possint. Bruta etiam non operari propter finem propriè & strictè sic probo, operari propter finem est efficere aliquid dependenter ex complacentia in aliqua re vt consequibili, vt constat ex ipsa natura finis, qui cum moueat ad sui assecutionem, debet cognosci, & amari vt assequibilis, sed bruta non efficiunt aliquem actum dependenter ex complacentia, aut voluptate in aliqua re vt consequibili, non enim bruta cognoscunt rei consequibilitatem, & porportionem ad media, quibus obtineri possit, ergo bruta non operantur propter finem.

43 Existimo tamen cum Diuo Thoma 1. p. q. 78. num. 4. Bruta non operari stricte & proprie propter finem, sed solum ex apprehensione sensitiua, vel ex imaginatione vtilitatis alicuius rei, quæ ad opus quod agunt conducit, ita citato loco ait S. Doct. *Auis colligit paleam non quia delectat se, sed quia vtilis est ad nidificandum, hanc autem vtilitatem cognoscere per actum imaginationis ex speciebus insensatæ, seu à sensibus prouenientem, quæ species brutis in prima eorum productione concessæ fuerunt ab auctore naturæ, non solum ad vitam tuendam, sed etiam ad speciem propagandam, id natura ipsorum & bono vniuersi exigente,* Nam quod in nobis fit cum discursu, in brutis fit naturali instinctu, sine vllo discursu & reflexe comparatione mediorum ad finem, quod necessario requirebatur ad hoc vt bruta propriè & strictè operentur propter finem.

44 Sed iam finem diuidamus: Suarez disp. 23. sect. 2. & recentiores, plures finis diuisiones assignat ego verò principaliores afferam & explicabo. Primò diuiditur finis, in finem *cuius* & in finem *cui*, finis *cuius* est id, cuius obtinendi gratia aliquid fit, finis *cui* est persona illa cui quispiam bonum obtinere intendit, & tale bonum procurat, verbi gratia cum ego Petro ægrotanti sanitatem intendo, & aliqua media exequor, vt id obtineam, sanitas Petri cuius obtinendæ gratia media executioni mando, dicitur finis *cuius*. Petrus verò, cui sanitatem procuro dicitur finis *cui* vbi obserua ex vtroque fine *cui*, & *cuius* vnum completum finem coalescere, à quo allicitur adæquate voluntas ad executionem mediorum, nam Petrus infirmus à me amatus, qui est finis *cui* non sufficit vt meam voluntatem alliciat ad media, scilicet ad eius curationem exequendam, nisi etiam ego intendam & amem eius sanitatem, quæ est finis *cuius*, & similiter sola sanitas Petri, quæ est finis cuius, nec à me amabitur, nec alliciet meâ voluntatem ad exequendam Petri curationem, nisi ego diligam ipsum Petrum, cui sanitas conueniens est, qui Petrus sic dilectus est finis *cui*. Sed vterque finis simul scilicet Petrus à me amatus vt finis *cui*, & sanitas eius à me etiam intenta, quæ est finis *cuius*, me allicit, & inuitat complete & adæquate vt exequar media curationis, quibus Petro sanitas acquiratur, ex vtroque ergo fine, *cui* & *cuius*, integer & completus finis resultat.

45 Obiiciat autem quis, id, quod amatur propter aliud non est finis, sed medium, sed sanitas in prædicto casu non amatur propter seipsam, sed propter Petrum cui intenditur, ergo sanitas non est verè finis sed medium, ergo non recte dicitur, quod sanitas est finis *cuius*, & Petrus est finis *cui*. Respondeo, medium esse id, quod amatur propter aliud obtinendum & præcise ex complacentia illius, in nostro verò casu sanitas Petri amatur propter aliud, scilicet propter ipsum Petrum; non quidem propter aliud obtinendum, quia ego non intendo Petrum obtinere, sed propter aliud cui talem sanitatem propter se ipsam desidero; & non amo Petri sanitatem ex sola complacentia in Petro, sed etiam ex complacentia in ipsa Petri sanitate; & ideo sanitas sic amata propter Petrum, non est medium, sed finis *cuius* & Petrus est finis *cui*.

Secundò, finis diuiditur in finem *qui* & in finem *quo*: finis *qui* est id, quod formaliter obtinere intendo; finis *quo* est ipsa possessio, & acquisitio, quæ obtinetur; finis *qui*, verbi gratia Deus, est finis *qui* quia est id quod homo assequi intendit, visio verò Dei est finis *quo*, quia est id, quo formaliter, & vltimo acquirit ipsum Deum tamquam finem *qui*; ex vtroque autem fine vnus completus finis conflatur, qui complete voluntatem moueat ad sui assecutionem, id enim mouet per modum finis, quod ab agente intenditur & amatur, non potest autem amari, & intendi finis *qui*, verbi gratia Deus, nisi etiam ametur & intendatur finis *quo*; videlicet visio Dei, qua obtinetur, & acquiritur ipse Deus, ergo non potest per modum finis mouere finis *qui*, absque eo quod etiam moueat finis *quo*: igitur ex vtroque fine vnus integer, & completus finis resultat. 46

Tertiò, finis diuiditur in finem vltimum & non vltimum, remotum & proximum: finis vltimus, & remotus est ille, qui amatur ex sola complacentia sui vt consequibilis, & alia etiam amatur in ordine ad ipsum; finis verò proximus & non vltimus est ille, qui immediate amatur ex complacentia sui, mediatè verò ex complacentia in alio fine, & alia etiam amantur in ordine ad ipsum, verbi gratia cum quis complacens in aliqua dignitate obtinenda illam intendit, & videns ad id necessariam esse scientiam complacet etiam in scientia, & ex tali complacentia illam etiam absolute amat, & postea media scilicet studia exequitur ad suum finem obtinendum, in hoc casu dignitas illa amatur & intenditur ex sola complacentia in ipsa dignitate, scientia verò desideratur & amatur immediate ex complacentia in ipsa scientia, mediate verò ex complacentia in dignitate quæ quidem complacentia immediate mouet ad amandam dignitatem, & mediate ad desiderandam & amandam scientiam; alia verò media scilicet studia amantur proxime & non vltimo in ordine ad scientiam, vltimo autem & remote in ordine ad dignitarem, & ideo dignitas est finis vltimus & remotus, finis verò proximus, & non vltimus est ipsa scientia. 47

Verum insurgit Vasquez tom. 1. in 1.2. disput. 4. cap. 2. contra prædictam finis diuisionem putans de ratione finis esse, quod sit vltimus, atque ita finem proximum & non vltimum non esse verè finem sed medium. Ratio est, quia finis est id cuius gratia cætera fiunt, vel appetuntur, sed alia non fiunt aut appetuntur gratia finis non vltimi sed solum gratia finis vltimi, ergo finis non vltimus non est verè finis, sed tantum finis vltimus; minor probatur, non appetuntur alia gratia alterius, nisi illud appetatur gratia sui ipsius; sed finis non vltimus non appetetitur gratia sui, sed gratia finis vltimi, ergo alia non appetuntur gratia finis non vltimi, sed solum gratia finis vltimi, Probatur minor, 48

bonum

sed solum gratia finis vltimi : probatur minor, bonum vtile, vt vtile, cum non sit bonum in se, sed alteri, cui vtile est, non amatur gratia sui, sed gratia alterius, cui est vtile, atqui finis non vltimus, v. g. scientia, vt deseruit ad assecutionem dignitatis est formaliter bonum vtile ad dignitatem, quæ est finis vltimus obtinendus ; ergo finis non vltimus, scilicet scientia non amatur gratia sui, sed gratia, finis vltimi videlicet dignitatis obtinedæ.

50 Arbitror tamen cum Suarez vbi supra num. 14. finem proximum, & non vltimum veram habere rationem finis, & ita assignatam diuisionem finis in vltimum, & non vltimum tenendam esse. Probatur, finis vt sic formaliter in hoc à medio distinguitur, quod medium solum amatur ex gratia, & complacentia alterius & non ex complacentia sui, finis vero amatur ex gratia & complacentia in se ipso, atqui finis proximus & non vltimus, v. g. scientia licèt ametur mediate ex complacentia finis vltimi, scilicet dignitatis, immediate vero amatur ex complacentia sui : ergo finis proximus, & non vltimus habet veram rationem finis. Minor probatur, quando aliqua res habet in se bonitatem distinctam ab alia, potest quis in illa complacere, & tali complacentia amare illam, sed finis non vltimus v. g. scientia etiam vt vtilis & conducens ad assequendam dignitatem, habet in se aliquam bonitatem distinctam in recto à bonitate dignitatis, etenim illa conducentia, & vtilitas, quæ est in scientia respectu dignitatis, bonitas quædam est à bonitate dignitatis distincta : ergo potest quis complacere in fine non vltimo, scilicet in scientia, etiam vt conducit ad finem vltimum, & ex tali complacentia ipsius amare ipsum : ergo finis proximus & non vltimus, licèt mediate ametur ex complacentia in fine vltimo, immediate potest amari, & de facto amatur ex complacentia sui.

51 Confirmatur, quando intendo Petro sanitatem obtinere, & media exequor in ordine ad illam, quod sanitas illa Petri ametur à me mediate ex complacentia in bonitate Petri, non tollit, quod possit etiam amari, & de facto ametur immediate ex complacentia in bonitate sui, quia sanitas habet bonitatem distinctam à bonitate Petri, atqui etiam in nostro casu scientia vt conducens ad dignitatem habet bonitatem aliquam distinctam à bonitate dignitatis, ergo quod talis scientia mediate ametur ex complacentia in dignitate non tollet quod immediate possit etiam amari & de facto ametur ex complacentia in bonitate ipsius, igitur talis scientia, quatenus amatur immediate ex complacentia sui erit verè finis, & quatenus amatur mediate ex complacentia in bonitate dignitatis, non erit finis vltimus, cum alium vlteriorem habeat, atque ita erit verè finis, proximus, & non vltimus.

52 Hinc ad rationem Vasquez patet solutio, concedimus enim finem non vltimum esse bonum vtile, & conducens ad finem vltimum, hoc tamen bonum potest absolute amari immediate ex complacentia sui, mediate vero ex complacentia alterius, cui est vtile, vt iam ostendi, atque ita non erit medium sed finis proximus, quia immediate amatur ex complacentia sui, & non vltimus, quia etiam mediate amatur ex complacentia alterius.

DISPVTATIO XXII.

De comparatione causarum in ordine ad se, & in ordine ad suos effectus.

QVINQVE Capita continebit. In primo inquiro. An causa vt sic formaliter sit prior suo effectu ? In secundo, an inter causas physicas possit mutua causalitas dari ? In tertio an à duplici causa totali efficienti idem effectus valeat naturaliter exire ? In quarto, an eiusdem effectus possit naturaliter esse duplex causa finalis totalis ? In quinto, an duæ causæ totales physicæ respectu eiusdem effectus diuinitus esse queant.

CAPVT I.

An causa vt sic formaliter sit prior suo effectu.

1 STatuo in primis vt causa physice in effectum influat, requiri necessario quod existat, ita expresse Arist. 4. met. c. 4. text. 16. & in postprædicamentis c. 5. Sonc. Iauellus, Fonf. 5. met. c. 1. Murçia 2. phys. disp. 22. q. 4. Plaça 2. phys. disp. 2. q. 5. Oña 2. phys. q. 4. art. 5. Auers. tom. 1. phys. q. 14. sect. 2. 5. & 6. Hurt. disp. 8. phys. sect. 5. Arriaga disp. 7. phys. sect. 1. Ouiedo contr. 7. phys. p. 4. Carleton disp. 8. phys. sect. 3. Suar. tom. 1. in 3. p. disp. 31. sect. 8. citatis multis. Probatur aperte, causa physica debet in se habere simpliciter, vel formaliter, vel virtualiter id, quod dat simpliciter effectui, quia nemo dat quod non habet ; atqui causa non existens, sed tantum possibilis, non habet formaliter in se esse existens, quod det simpliciter effectui vt constat, nec etiam illud habet virtualiter, simpliciter, nam habere aliquid esse simpliciter virtualiter, est habere simpliciter virtutem ad illud producendum, res autem possibilis vt sic non habet simpliciter virtutem ad producendum esse existens, sed tantum potest illam habere, sicut non habet entitatem simpliciter, sed potest illam habere, virtus enim sequitur entitatem, atque ita res possibilis vt sic, non habet simpliciter in se etiam virtualiter esse existens effectus : ergo res tantum possibilis non potest esse causa physica influens in effectum, ergo vt causa physice in effectum influat necessariò requiritur quod existat. Confirmatur : vt causa efficiat effectum debet esse necessariò passo approximata localiter, sed approximatio localis rei supponit necessariò eiusdem rei existentiam quia non potest esse in loco, quod non existit, ergo requiritur necessariò vt causa efficiat effectum, quod existat, non autem examinandum est, an causa sit formaliter prior suo effectu.

2 Sed prius obseruo, duplicem esse prioritatem, alia est prioritas *à quo*. alia est prioritas *in quo*. Prioritas *à quo* est, quando vna res pender, aut procedit ab alia, alia vero non pendet, nec procedit ab illa. Ita Aristot. expresse 5. met. cap. 11. inquiens, *quædam vero, (scilicet sunt priora) secundum naturam & substantiam, quæcunque contingunt absque alijs esse, ista vero absque illis minime.* Cui subscribunt Philosophi & Theologi supra enumerati, ita vt non sit necesse illos recensere, & Suarez disp. 26. metaph. sectione 2. num. 18. sic illam explicat, Prioritas scilicet

scilicet *à quo*. Nihil aliud est, quàm dependentia effectus à causa, & independentia causæ ab effectu; & ratio etiam à simili suffragatur, quia si in cognosci vna res pendet ab alia, & alia etiam pendeat ab illa, vna non erit ratione prior alia, si autem vna in cognosci pendeat ab alia, & alia in cognosci non pendeat ab illa, alia erit ratione prior ista, vt omnes fatentur, ergo similiter in ipso esse si vna res pendeat, & procedat ab alia, & alia etiam pendeat, aut procedat ab illa, vna non erit reipsa prior alia, si verò vna in esse rei pendeat, & procedat ab alia, alia verò non pendeat, nec procedat ab illa, alia erit reipsa prior illa, igitur prioritas *à quo*, est quando vna res pendet aut procedit ab alia, & alia non pendet aut procedit ab illa.

3 Hæc autem prioritas *à quo*, alia est realis, alia rationis. Prioritas *à quo*, realis est, quando vna res reipsa non pendet, nec procedit ab alia, & alia reipsa non pendet, nec procedit ab illa. Vbi aduerto, quod si res oriatur ab alia secundum suam naturam, quod significatur nomine dependendi, illa dicitur prioritas naturæ quæ in causis creatis respectu suorum effectuum reperitur. si vero res aliqua oriatur à suo principio, non secundum suam naturam, sed secundum aliquam eius proprietatem quod significatur nomine pocedendi, illa dicitur tantum prioritas originis, quæ solũ in Patre respectu filij, & in Patre & filio respectu Spiritus sancti in diuinis reperitur. Prioritas *à quo* rationis est quãdo vna res tãtum per rationẽ procedit ab alia non vero econtra vt volitio Dei procedit per rationem tantũ ab essentia diuina, & ideo diuina essentia est prior prioritate rationis diuina volitione & sic de alijs.

4 Prioritas autem *in quo* est, quando vna res existit in aliquo instanti priori in quo alia nondum existit; in alio vero posteriori instanti est extitura; Hæc autem prioritas etiam est duplex. Alia est prioritas in quo realis, alia est prioritas *in quo* rationis. Prioritas *in quo* realis est quando vna res existit vere in aliquo instanti reali temporis, *in quo* alia nondum existit, sed in alio instanti reali posteriori extitura est, quo pacto Pater in creatis est prior filio, & hæc prioritas vocatur prioritas temporis, ac durationis. Prioritas *in quo* rationis est, quando vna res est in aliquo instanti priori rationis *in quo* nondum est alia, erit vero in instanti rationis posteriori, pro quo obserua, quod suppositа tanquam fundamento prioritate reali *à quo*, qua causa est, realiter prior suo effectu, hoc est, causa non pendet, nec dimanat ab effectu, effectus vero pendet aut dimanat à causa, hac (inquam) prioritate suppositа intellectus concipit primò, causam secundum adæquatam ac intrinsecam rationem causæ, vt apta est causare effectum, & hæc prima cognitio dicitur prius instans rationis, & postea concipit etiam effectum vt manantem & pendentem ab illa causa, & hæc secunda cognitio dicitur instans posterius rationis; id ergo quod concipitur per primam illam cognitionem dicitur esse in instãti priori rationis, & esse prius per rationem alio, quod non concipiatur per eam primam, sed per aliam secundam cognitionem, atque ita quod non sit in illo priori, sed in posteriori instanti rationis.

5 Assertio prima sit. Causa libera vt sic præcisè ac formaliter est prior suo effectu prioritate reali *à quo*, & prioritate rationis *in quo*. Prima pars de prioritate reali *à quo* sic ostenditur: Prioritas realis *à quo* est dependentia effectus à causa & independentia causæ ab effectu, vt monstraui n. 2. & 3. sed causa libera vt sic formalissime influit in suum effectum, atque ita effectus fluit, & depẽdet ab illa, & ipsa etiã vt sic formaliter non dependet à suo effectu libero, alias non esset indifferens & libera ad eliciendum, vel non eliciendũ illum, sed necessariò eum produceret; ergo causa libera vt sic formaliter ac præcisè est prior suo effectu libero prioritate reali *à quo*. Secũda pars de prioritate rationis *in quo* sic mõstratur, tunc datur prioritas rationis *in quo* quando potest concipi causa secundum adæquatam rationem causæ, vt apta est causare effectum non concepto, vt existenti eius effectu, vt ostendi num. 4. sed potest concipi causa libera secundum adæquatam rationẽ causæ liberæ, vt apta est libere causare effectũ non concepto vt existẽte eius effectu, cũ causa libera secundũ se non habeat cõnexionẽ necessariã cum suo effectu, ergo est prior illo prioritate rationis *in quo*.

Assertio secunda sit. Causa necessaria vt sic 6
præcise ac formaliter non est prior suo effectu prioritate *à quo* nec reali nec rationis, & quidem non esse priorem illo prioritate *à quo* rationis, patet, quia hæc prioritas solum competere potest illi causæ quæ non realiter, sed tantum per rationem causat effectum, hic autem solum agimus de causa, quæ non per rationem, sed physice ac realiter causat effectum, atque ita tali causæ non potest competere prioritas *à quo* rationis respectu sui effectus, causam verò physicam necessariam secundum formalem ac præcisiuum conceptum causæ necessariæ vt sic non esse priorẽ suo effectu prioritate reali *à quo* sic probatur, ex eo præcise quod concipiatur causa vt influẽs necessario ac physice in effectum, atque ita quod effectus pendeat necessario ac physice ab ipsa concipitur formalissime, vt causa physica necessaria, & tamen ex eo præcise non concipitur formaliter vt prior *à quo* suo effectu, ergo causa physica necessaria vt sic præcise ac formaliter non est prior realiter *à quo* suo effectu. Cõsequentia est euidens, maior liquet, quia causa definitur esse principium influens physice esse in aliud, vt supra vidimus, disp. 16. cap. 1. minor autem sic monstratur, prioritas realis *à quo* non est solum fluxus ac dependentia effectus à causa, sed etiam essentialiter superaddit independentiam causæ ab ipso effectu, vt ostendi n. 2. Sed ex eo præcise quod concipiatur causa vt influens physicè in effectum ac effectus vt fluens, & dependens ab ipsa causa solum concipitur fluxus & dependentia effectus à causa, non verò concipitur independentia causæ ab effectu, sed ab ea præscinditur vt constat, ergo ex eo præcise non concipitur causa illa vt prior *à quo* effectu.

Sed obseruare oportet omnem causam physicam 7
necessariam saltem ex consequenti esse priorem suo effectu prioritate reali *à quo*. Probatur, prioritas realis *à quo*, est fluxus & dependentia effectus à causa, & independentia causæ ab effectu, sed ex eo quod causa necessaria influat physicè in suum effectum, & effectus fluat & dependeat physice ab ipsa causa, sequitur necessario quod talis causa non fluat, nec dependeat physicè à suo effectu, ergo ad rationem formalem causæ physicæ, quæ est physice influere in effectum, consequitur, quod ipsa causa sit complete prior suo effectu prioritate reali *à quo* ergo causa necessaria saltem ex consequenti habet realem prioritatem *à quo*, respectu sui effectus, & sic interpretor Aristotelem in postprædicamentis cap. de modis prioris, asserentem causam esse priorem natura suo effectu, quod non formaliter, sed solum ex consequenti vt iam dixi, intelligendum est. 8

Assertio tertia sit. Causa necessaria vt sic formaliter non est prior suo effectu prioritate *in quo*, nec reali nec rationis. Probatur, sol in primo instanti suæ productionis fuit causa lucis, & tamen non fuit prior illa prioritate *in quo* nec reali nec rationis,

non

non reali, quia ſol non extitit in aliquo inſtanti reali temporis, in quo non exiſteret lux, non rationis, quia ſol non poteſt concipi ſecundum adæquatam rationem ſolis non concepta etiam vt exiſtente ipſa luce, quia ſol ſecundum ſuam eſſentiam vt exiſtentem habet neceſſariam cõnexionem cum exiſtentia lucis, ergo cauſa neceſſaria phyſica vt ſic formaliter non eſt prior ſuo effectu prioritate *in quo* nec reali, nec rationis. Dicat quis, ſol poteſt inadæquate concipi non concepta luce, ergo eſt prior *in quo* per rationem ipſa luce. Concedo ſolem eſſe priorem per rationem luce inadæquate, id eſt, ſecundum rationem inadæquatam ſolis, non verò adæquate, hoc eſt, ſecundum rationem adæquatam illius, ſecundum quam re vera cauſat lucem, de qua ſolum adæquata prioritate agimus in præſenti.

Hinc infero ſolas cauſas etiam neceſſarias, quæ
9 ſecundum ſe non habent neceſſariam connexionem cum exiſtentia effectus, qualem habet verbi gratia eſſentia rei cum paſſionibus ipſius, eſſe priores effectu prioritate rationis *in quo*, quia ſolæ illæ poſſunt concipi ſecundum rationem adæquatam non concepto vt exiſtente effectu, quod neceſſario ad talem prioritatem deſideratur; Dicat aliquis, quæuis cauſa neceſſaria habet ſecundum ſe connexionem neceſſariam cum effectu, cum eum neceſſario cauſet, ergo nulla cauſa neceſſaria erit prior prioritate rationis *in quo* ſuo effectu. Fateor cauſam neceſſariam, ſi applicetur paſſo, neceſſario cauſare ſuum effectum, & habere neceſſariam connexionem cum illo, cum verò ipſa cauſa ſecundum ſe non habeat neceſſariam connexionem cum ipſius applicatione, ideo non habet ſecundum ſe neceſſariam connexionem cum exiſtentia effectus, & ob id poteſt eſſe prior illo prioritate rationis *in quo*.

CAPVT II.

An inter cauſas phyſicas poſsit mutua cauſalitas dari.

10 MVtua cauſalitas inter cauſas eſt, quod iſta cauſa cauſetur phyſicè ab illa, & illa ab iſta. Hæc autem vel poteſt eſſe in eodem genere cauſæ, verbi gratia, quod iſta cauſa in genere cauſæ efficientis cauſatur ab illa, & illa etiam efficiatur ab iſta, vel poteſt eſſe in diuerſo genere cauſæ v. g. quod iſta cauſa cauſetur ab illa in genere cauſæ efficientis, & illa cauſetur ab iſta in genere cauſæ materialis: quærimus ergo an mutua cauſalitas in eodem vel in diuerſo genere cauſæ poſſit inter cauſas phyſicas reperiri.

11 ASSERTIO prima ſit, cauſæ phyſicæ non poſſunt mutuo ab inuicem cauſari, in eodem genere cauſæ, ſcilicet non poſſunt ſe inuicem efficere, nec ſe inuicem materialiter cauſare. Ita Ariſtoteles & communis ſchola, & relati auctores cap. præcedenti n. 1. qui ſic aſſertionem probant: id, quod eſt prius non poteſt cauſari phyſicè ab eo, quod eſt poſterius, quia cauſalitas phyſica eſt dependentia à priori, ſed cauſa eſt prior ſuo effectu, ergo non poteſt in eo genere cauſæ in quo eſt prior, mutuo cauſari à ſuo effectu, ergo reperiri non poteſt mutua cauſalitas phyſica in eodem genere cauſæ.

12 Hæc tamen ratio communis mihi non placet, nam vel loquitur de prioritate *à quo*, & tunc eſt petitio principij, & reſponder idem per idem, quod ſic oſtendo; cauſam eſſe priorem *à quo* ſuo effectu, eſt ita cauſare effectum, vt ab illo mutuo non cauſetur ipſa cauſa, talis enim prioritas eſt dependentia & fluxus effectus à cauſa, & dependentia cauſæ ab effectu, vt probaui n. 2. ergo dicere, ideo cauſa phyſicè cauſans effectum, non cauſatur mutuo ab illo, quia eſt prior, *à quo* ipſo effectu, eſt formaliter dicere ideo cauſa phyſicè cauſans effectum nõ cauſatur mutuo ab illo, quia talis cauſa ita cauſat ſuum effectum, quod non cauſatur mutuo ab illo, ergo talis ratio eſt petitio principij, & reſpondet idem per idem: ſi verò loquatur de prioritate rationis *in quo* etiam efficaciter impugnatur, quia non eſt de ratione formali cauſæ, eſſe priorem effectu prioritate rationis *in quo* vt probatum eſt ſupra n. 8. ergo formalis ratio cauſæ non impedit, quod in illo priori rationis, *in quo* eſt cauſa ſit etiam eius effectus, ergo ratione talis prioritatis non implicat, quod cauſa in illo priori mutuo etiam cauſetur à ſuo effectu, illa ergo ratio communis infirma eſt.

Probatur aſſertio noſtra alia efficaciori ratione, 13
res non poteſt eſſe cauſa per ſe mediata, nec immediata ſui ipſius, quia cauſa eſt principium influens eſſe in aliud, id eſt in aliquid ab ipſa cauſa diſtinctum vt dictum eſt ſupra diſput. 1. cap. 1. Sed ſi vna res efficeret verbi gratia, phyſicè aliam, à qua illa mutuo etiam efficeretur, talis eſſet cauſa per ſe ſaltem mediata ſui ipſius, ergo non poteſt vna res aliam efficere phyſice, à qua mutuo ipſa etiam efficiatur: ergo non poteſt dari mutua cauſalitas phyſica in eodem genere cauſæ: minor probatur, id quod eſt per ſe & immediatè cauſa alicuius cauſæ eſt etiam per ſe & mediate cauſa effectus cauſati neceſſario per talem cauſam, ſed ſi vna res phyſicè efficeret aliam, à qua ipſa neceſſario efficeretur, talis res eſſet per ſe & immediate cauſa alicuius cauſæ, & ipſa eſſet etiam effectus neceſſario cauſatus per talem cauſam vt per ſe conſtat, ergo ſi vna res phyſicè efficeret aliam, à qua ipſa neceſſario efficeretur, talis res eſſet per ſe, & mediate cauſa ſui ipſius.

Confirmo iuxta omnium Philoſophorum, ſen- 14
tentiam, in creaturis demonſtratur exiſtere aliquid increatum, quod eſt Deus, hac ratione: hæc res cauſatur ab iſta & iſta cauſatur ab illa, & illa ab alia, & ſic de reliquis, cum autem non detur proceſſus in infinitum in illis, deueniendum eſt ad aliquam cauſam, quæ ab alia non cauſetur, atque ita ſit quid increatum, ac Deus, atqui ſi inter cauſas poſſet mutua cauſalitas reperiri in eodem genere cauſæ, hac ratione non monſtraretur ex creaturis exiſtere aliquod ens increatum quod ſit Deus, nam in illo cauſarum proceſſu poſſemus deuenire ad aliquam cauſam, quæ licet non cauſetur ab alia cauſa anteriori, cauſetur tamen mutuo ab alia re per ipſammet cauſata, quo proceſſus in infinitum vitatur, & nulla datur cauſa increata, quæ ſit Deus, ergo non poteſt dari mutua cauſalitas in eodem genere cauſæ.

Vrgeo efficaciter argumento Theologico. Om- 15
nes Theologi in materia de Trinitate fatentur, quod etiam ſi Spiritus ſanctus ſolum produceretur immediate à filio, & non à Patre, eſſet realiter à Patre diſtinctus, quia Pater per ſe, & immediate, producens filium, à quo per ſe, & immediate procedit neceſſario Spiritus ſanctus, eſſet per ſe mediate principium ſpiritus ſancti, ergo res non poteſt eſſe per ſe mediate principium ſui ipſius: tunc ſic, ſed ſi res cauſaret aliam à qua ipſa mutuo etiam cauſaretur in eodem genere cauſæ efficientis verbi gratia, talis res eſſet principium, & cauſa per ſe mediate ſui ipſius, ſicut in dicto caſu, Pater in diuinis eſſet per ſe mediate principium ſpiritus ſancti, vt patet ex diſtis num. 13. ergo vna res non poteſt cauſare aliam à qua mutuo cauſetur in eodem genere cauſæ.

ASSERTIO ſecunda ſit. Cauſæ phyſicæ non poſſunt 16
mutuo ab inuicem cauſari etiam in diuerſo genere

cauſæ

causæ scilicet non potest vna causari ab alia in genere causæ efficientis, & alia causari ab illa in genere causæ materialis. Hæc non est ita communis est enim contra communem sententiam Thomistarum quibus adhærent Vasquez tomo secundo in 1.2.disput.211. cap.3.num.11.cap.4. num. 25. & fuse. cap.6.& ex parte Suarez disput 27.met. sect.2. num.4. & 5. Conimbricenses 2.physic. cap.7. qu.9. artic.2. Rubius 2.physic. tract.8.quæst.2.eam verò tenent Suarez supra n.23.& tom.4. in tertiam partem disput.8. sect.3. num.4.Herize 1.p. disput. 16. cap.12.num. 105. Hurtado disput. 8.physic. sect. 8. num.158. Arriaga disput.7. physic. sect.8. num.96. & 102. Ouiedo controuers. 7. physic. p. 8. num.3. & p.9.num.4.,Carleton disput. 21.physic sect.1. & communiter recentiores.

17 Probatur. eadem res non potest esse causa per se etiam mediatè sui ipsius, vt iam demonstratum est, sed si vna res physicè & immediatè causaret aliam, à qua necessario causaretur in diuerso genere causæ, talis esset per se mediatè causa sui ipsius, ergo non potest physicè & immediate causare aliam, à qua necessario causetur etiam in diuerso genere causæ. Minor probatur: si res per se & immediatè efficeret aliam, à qua ipsa immediatè efficeretur, talis res esset per se mediatè causa efficiens sui ipsius vt patet ex dictis in prima assertione, ergo si res causaret per se immediatè aliam, à qua necessario ipsa causaretur, esset causa sui ipsius, sed si res aliqua mutuo à suo effectu causaretur necessario etiam in diuerso genere causæ absolutè, & simpliciter, talis res per se & immediatè causaret aliam, à qua ipsa necessario causaretur, ergo si res mutuo causaretur necessario à suo effectu, etiam in diuerso genere causæ absolutè,& simpliciter talis res esset per se mediatè causa sui ipsius.

18 Dicet aliquis cum Scoto in 4. dist. 49. quæst. 2. & alibi præfatam rationem, qua nostram sententiam probauimus non esse efficacem ad impugnandam mutuam causalitatem in diuerso genere causæ, huius autem rationem reddit Suarez dicta disput.27. sect.2. num. 24. nimirum quia in ipso quod causa aliqua causetur mutuo à suo effectu, non in eodem, sed in diuerso genere causæ, non causatur ab illo secundum idem esse quod ipsa causa tali effectui communicauit atque causauit in ipso, sed solum secundum aliud esse diuersum, quod non repugnat: sed contra: si causa efficiens mutuo causaretur materialiter à suo effectu causaretur ab illo secundum esse reale intrinsecum talis effectus, vt per se liquet, sed causa efficiens totum esse reale intrinsecũ sui effectus causat verè in ipso effectu,ergo talis causa causaretur materialiter à suo effectu secundum idemmet esse intrinsecum, quod ipsa efficienter in tali effectu causabit, ergo cum res non possit causari ab alia, secdum idemmet esse quod ipsa in illa causauit, etiam in diuerso genere mutua causalitas repugnabit.

19 Obijciat quispiam primo, Aristotelem in hoc libro capite tertio & quinto met. capite secundo, & communem Philosophorum,tenentem posse dari mutuas causas in diuerso genere causæ. Respondeo id intelligendum non de causis,secundum suas entitates, sed de causis secundum earum causalitates, hoc est materiam primam secundum suam causalitatem materialem pendere effectiuè à causa efficiente, & è contra; causam efficientem secundum suam causalitatem & actionem pendere materialiter ab ipsa materia, & causa materiali, quod nullus inficiabitur. Ita accipitur à D. Thoma hic', & libro quinto met.capite secundo & alibi,in quibus solum intendere videtur materiam dependere à forma & formam à materia, hoc est materiam recipere formam,& formam informare materiam,& materiam, & formam simul esse causas compositi, quod constituunt; deinde etiam dici potest Arist. cum dixit dari mutuas causas in diuerso genere causæ, loquutum tantum fuisse de causis, quarum vna esset efficiens, & altera finalis, inter quas aliqua mutua causalitas reperitur, nam cum entitas finis non sit verè,& physicè causa,nec causet per suum esse reale, sed per esse intentionale amoris, aut complacentiæ ab ea distinctum, licet potio amara, v.g. causet efficienter sanitatem, & sanitas per sui complacentiam (quæ verè non efficitur à potione) causet finaliter potionem illam amaram, non sequitur quod talis potio sit causa sui ipsius, atque ita mutua causalitas, licet repugnet inter causas physicas non repugnat inter causam efficientem, & finalem,vt docet Suarez dicta disput.27.sect.2.num.11. Denique potest dici loqui ibi Aristotelem de causis, quarum vna causa est à priori, & altera concomitanter, vel à posteriori, quo pacto forma corporea pendet à priori à materia, & materia pendet à posteriori à forma, & ens rationis aliquo modo pendet à priori, à cognitione fingente, & cognitio confingens dependet etiam à posteriori seu concomitanter ab ente rationis tanquam ab obiecto ipsius.

Obijciat secundo,creatio Angeli, v. g. vel quantitatis in Eucharistia, cum accidentalis sit atque ita debeat à subiecto pendere, & non sit ibi aliud subiectum, nisi ipsemet Angelus vel quantitas Eucharistiæ, pendet verè ab ipso Angelo vel quantitate Eucharistiæ in genere causæ materialis, & tamen ipse Angelus vel quantitas Eucharistiæ, quæ creantur, pendet ab ipsa creatione in genere causæ efficientis, ergo saltem in diuerso genere causæ mutua causalitas potest dari. Respondeo creationem Angeli, vel quantitatis in Eucharistia non esse actionem accidentalem à Deo distinctam, sed ipsammet increatam volitionem,qua Deus absolutè vult Angelum vel quantitatem creare, vt dicam disput. 24. cum autem volitio increata Dei à nulla causa dependeat, ideo creatio Angeli vel quantitatis in Eucharistia non pendet in genere causæ materialis ab Angelo,aut quantitate, quæ per illam fit, ac proinde mutua causalitas non datur. 20

Obijciat tertio, ponamus, quod Deus præciperet iusto elicere actum charitatis in hoc instanti *A.* & quod iustus illum de facto eliceret, certum est fore eliciturum eum actum medio habitu charitatis, nam cum iustus operatur actus virtutis supernaturales, elicit illos medijs habitibus earumdem virtutum,quos in se habet, tunc sic, actus iste charitatis præceptus pendet in genere causæ efficientis ab habitu charitatis, à quo elicitur, & idem habitus charitatis pendet in genere causæ disponentis ab ipso actu charitatis præcepto, quia si homo actum istum charitatis sibi præceptum non eliceret, peccaret grauiter,& amitteret habitum charitatis, ergo habitus charitatis & actus ille charitatis præceptus mutuo ab inuicem dependent in diuerso genere causæ. Confirmatur,in prædicto casu,voluntas iusti in eo instanti in quo habet habitum charitatis, & per illum est potens ad eliciendum actum charitatis præceptum, non potest illum in eo instanti non elicere, aliàs posset peccare, & in eodem instanti coniungere peccatum cum habitu charitatis iam habito,quod repugnat, ergo ne dicamus, quod habitus ille charitatis est suppositio antecedens independens ab actu libero tollens simpliciter libertatem ad actũ charitatis præceptũ,dicendum est,quod 21

talis charitatis habitus pendeat dispositiuè ab actu libero charitatis præcepto, atque ita solum erit suppositio consequens, quæ non tollit libertatem, igitur actus ille charitatis pendet effectiuè ab habitu, & habitus pendet ab actu dispositiuè, ac per consequens datur mutua causalitas inter illos.

22 Hoc quidem argumentum, quia Theologicum non afferrem, nisi conspicerem quosdam recentiores, eo solum argumento vti, vt pro virili tueantur, posse dari mutuam causalitatem physicum à priori saltem in diuerso genere causæ, sed hæc recentiorum sententia, quæ in physicas prædeterminationes apprime quadrat, falsa omnino est, & non bene infert quod intendit, primo, in physicas quadrat prædeterminationes, quia recentiores Thomistæ quos supra disput. 16. capite secundo, in principio commemorauimus, ideo dicunt physicam prædeterminationem, licet sit principium actus, quo posito voluntas non possit illum non elicere, non tollere libertatem ad actum, quia pendet dispositiuè ab ipso actu, vt diximus ibidem num 18. atqui hæc sententia in simili ideo docet habitum charitatis, licet sit principium, quo posito voluntas non possit non elicere actum charitatis præceptum, non tollere libertatem ad illum, quia talis habitus mutuo pendet dispositiuè ab ipso actu præcepto, ergo hæc recentiorum sententia apprime quadrat in physicas prædeterminationes.

23 Secundo falsa est omnino, quia in eo præcipuè differunt dispositio physica, & dispositio moralis, quod dispositio physica (loquor de dispositione proxima) physicè ac naturaliter esse non potest sine forma, ad quam disponit, vt calor vt octo, quæ est physica dispositio ad ignem, non potest esse physicè & naturaliter sine forma ignis; Dispositio verò moralis, potest esse naturaliter ac physicè sine forma, ad quam disponit, & solum cum illa necessario annectitur ex voluntate diuina vt attritio intra sacramentum, est dispositio moralis ad gratiam, quia cum ipsa gratia necessario connectitur intra sacramentum, non physicè & naturaliter, sed solum ex voluntate Dei, atqui actus charitatis aut contritionis est dispositio non physica, sed tantum moralis ad gratiam, ergo talis actus charitatis physicè & naturaliter potest esse sine gratia licet non possit esse absque illa ex voluntate Dei. Tunc sic, atqui si actus ille charitatis aut contritionis, qui disponit ad gratiam fieret mutuo ab ipso habitu gratiæ seu charitatis, non posset esse etiam physicè & naturaliter sine gratia, à qua procedit, ergo actus iste charitatis vel non est dispositio moralis ad habitum charitatis aut gratiæ, vel non procedit ab ipso habitu charitatis aut gratiæ. igitur inter actum charitatis, & gratiæ non datur mutua causalitas.

24 Tertio, non bene infert, quod intendit, ex eo enim quod habitus charitatis pendeat dispositiuè ab actu charitatis, infert non tollere libertatem ad actum præceptum, contra quam illationem sic insurgo: vt aliqua suppositio, qua posita voluntas non possit non operari, non tollat simpliciter libertatem requiritur, quod pendeat, ab ipsa libertate, hoc est, ab actu vt libero. sed ex eo quod habitus ille charitatis pendeat dispositiuè ab actu præcepto, non pendet à voluntate libertatis, id est, ab actu vt libero, ergo ex eo, quod habitus ille charitatis pendeat dispositiuè ab actu præcepto, non sequitur quod non tollat simpliciter libertatem. Minor probatur, habitus charitatis, licet pendeat ab actu charitatis non pendet ab illo, vt effecto à sua causa efficienti, sed tantum vt recepto in materia, nam cum ipse habitus sit causa efficiens illius actus, si habitus iste penderet à tali actu vt effecto à sua causa efficienti, penderet etiam à se ipso, quod repugnat, sed actus charitatis, non vt effectus, sed vt receptus in materia præcisè non est liber, libertas enim tantum sumitur in ordine ad causam efficientem, & non in ordine ad materialem, ergo licet habitus charitatis pendeat ab illo actu præcepto, non pendet ab illo vt libero. His satis reiecta manet illa Thomistarum, ac illorum recentiorum sententia de mutua causalitate.

Respondeo, ergo ad obiectionem positam, quod, 25
sicut in communi sententia actus contritionis quo impius ad iustificationem disponitur, non fit ab habitu gratiæ, quia hic pendet dispositiuè ab illo, sed tantum oritur ab auxilio Dei extrinseco, ita similiter in casu argumenti cum habitus gratiæ pendeat dispositiuè ab actu charitatis præcepto, talis actus præceptus non fit ab habitu gratiæ, seu charitatis, sed solum ab auxilio extrinseco Dei, atque ita licet gratia pendeat ab habitu charitatis præcepto, actus verò præceptus non fit, nec pendet à gratia, quo mutua causalitas vitatur. Ad confirmationem dico, voluntatem iusti reddi in eo casu potentem proxime ad eliciendum actū charitatis præceptum, non per ipsum habitum gratiæ & charitatis, cum dependeat ab ipso actu, & habeat cōnexionem cum illo. sed tantū per auxilium Dei extrinsecum, quod nullam habet cum illo actu connexionem, & idcirco per illud est voluntas in quodam priori indifferens, & proxime apta ad eliciendum actum charitatis præceptum & conseruandam gratiam, quam antea habebat, & ad non eliciendum actum præceptum, & amittendam gratiam, atque ita libere eliciet actum illum sine mutua causalitate. Scio posse magis hanc difficultatem vrgeri. Sed res Theologica est; dicta in Philosophia me fere inuito sufficiant.

CAPVT III.

An à duplici causa totali efficienti idem effectus valeat naturaliter exire.

CAusa totalis est illa, quæ alterius influxu non 26
indiget ad causandū effectum, hæc autem, alia est totalis in omni genere, quæ nullius causæ cuiuscumque generis sit influxu eget, vt suum producat effectum, qualis est solus Deus: alia est totalis solum in aliquo genere, v.g. illa est causa creata totalis efficiens, quæ non eget ad effectum producendū concursu alterius causæ creatæ efficientis, illa est totalis materialis, quæ non indiget influxu alterius causæ materialis. Rursus causa totalis, alia est totalis solum in actu primo, quæ secundum se est apta totaliter producere effectum, de facto verò illum solum partialiter producit, alia est totalis etiam in actu secundo, quæ de facto causat effectum totaliter, & adæquate, id est, sine dependentia ab influxu alterius.

Hoc posito certum est eumdēmet effectum posse 27
naturaliter prouenire à duplici causa partiali, & à duplici causa totali, in diuerso genere, videlicet ab vna causa totali in genere causæ efficientis, & ab alia totali in genere causæ materialis, & à duplici etiam causa totali in actu primo, eiusdem generis, si in actu secundo, sint partiales. Dubium tamen est, an duæ causæ totales in eodem genere causæ, & in actu secundo, hoc est, duplici actione adæquata & totali eumdem simul effectum valeant naturaliter attingere. Affirmare videtur Caiet. 1. p. q. 12. art. 5.

28 Assertio tamen sit. Non possunt naturaliter dari duæ causæ physicæ in actu secundo, totales eiusdem numero effectus. Ita Fonseca 5. metaph. cap. 1. quæst. 15. sectione 1. Rub. hic tit. 7. quæst. 2. §. tertia opinio. Murcia 2. Physic. disput. 4. quæst. 7. Plaça 2. Physic. disput. 5. quæst. 5. Oña libro 2. Physic. part. 1. quæst. 4. artic. 9. Auersa, Hurtado. 8. Physic. sectione 8. citatis multis, Arriaga disput. 7. Physic. sectione 10. Carleton disput. 18. Physic. sectione 4. Vasquez tom. 1. in 3. partem disput. 10. cap. 8. numero 77. Suarez tom. 1. metaph. disput. 26. sectione 4. numero 22. quia docet esse Aristotelis & omnium fere Philosophorum.

29 Probatur, natura superflua vitat, sed posita vna actione totali vnius effectus, alia actio totalis circa eumdem effectum esset omnino superflua, ergo posita vna actione totali vnius effectus non potest dari naturaliter altera actio totalis circa eumdem effectum, ergo non possunt esse naturaliter eiusdemmet effectus duæ causæ physicæ totales in actu secundo, id est, concurrentes simul ad illum duplici actione totali. Minor ostenditur, illa est omnino superflua, quæ inuenit per aliam adæquatam, factum id, ad quod ipsa primo & per se ordinatur, atqui vna actio totalis in nostro casu inuenit adæquate factũ effectum per aliam totalem actionem, ad quod illa primo & per se ordinatur, ergo posita vna actione totali erit omnino superflua altera actio eiusdem effectus, adæquata & totalis.

30 Obiiciat aliquis. Si aliqua causa necessaria passo recte dispositio applicetur, omnem effectum, quem possit, causabit in illo, quia causa necessaria agit quantum potest, atqui duæ causæ, quarum quæuis sit potens adæquate producere eumdem effectum, possunt eidem passo recte dispositio naturaliter applicari verbi gratia si duæ lucernæ in eodem cubiculo accendantur, erunt recte applicatæ eidem aëri intermedio illius cubiculi, & quælibet earum erit secundum se adæquate potens producere primum gradum lucis in illo, ergo hæ duæ causæ totales naturaliter efficient totaliter etiam in actu secundo eumdem numero effectum, scilicet eumdem numero gradum primum lucis in aëre intermedio, non enim valet idem aer duos primos gradus lucis simul naturaliter recipere, vt fatentur ipsi aduersarij.

31 Respondeo non repugnare, quod duæ causæ secundum se in actu primo totales naturaliter applicentur ad eumdem effectum numero producendum, vt facta obiectio conuincit, & si Deus cuilibet causæ ex illis præstaret suum generalem concursum ad adæquate concurrendum quamlibet illarum fore adæquate causaturam eumdem numero effectum, scilicet eumdem primum gradum lucis; at vero talem adæquatum concursum generalem illis naturaliter non deberi in illo casu, nec ipsis concedi à Deo, ne sequatur actio aliqua superflua, quod valde abhorret natura, sed tantum illis naturaliter præberi concursum Dei generalem attemperatũ vt quælibet causa earum partialiter & vtraque per modum vnius totaliter in actu secundo talem effectum producant, ex quo solum fit posse dari naturaliter eiusdem affectus duas causas physicas totales in actu primo, nõ vero in actu secũdo totales.

CAPVT IV.

An eiusdem effectus possit naturaliter esse duplex finalis causa totalis.

32 Dvplex potest intelligi finis, alter est finis intrinsecus, qui non est aliud quam obiectum formale actus; alter est finis extrinsecus, qui est obiectum formale complacentiæ, ex qua alter actus seu effectus sit; certum omnino est non posse dari duos fines intrinsecos totales, hoc est, duo obiecta formalia totalia eiusdemmet actus, nam cum actus voluntatis dicat essentialiter ordinem & respectum ad suum obiectum formale tamquam ad terminum; & deficiente termino deficiat necessario ordo essentialis, ac transcendentalis ad illum, hinc est, quod deficiente, quolibet obiecto formali illius actus voluntatis, deficeret necessario in tali actu ordo essentialis ad illud, ac proinde deficiente quolibet obiecto formali ex illis, etiam si aliud obiectum applicatum maneret, deficeret essentia illius actus, nam ordo essentialis actus est essentia ipsius actus, ergo illa obiecta formalia actus non erant fines intrinseci totales respectu illius, alias vno pereunte, si aliud maneret, actus essentia non periret.

Hæc ergo controuersia solum est de fine extrinseco, verbi gratia, aliquis ita complacet in sua sanitate, vt ex hac sola complacentia vellet deambulare per agrum, & de facto deambularet, & ita etiam complacet per alium actum in recreatione, vt ex hac sola complacentia vellet etiam deambulare & deambularet reipsa; de facto verò ex his complacẽtijs in sanitate, & in recreatione vult deambulare, & deambulat; Quærimus an hæc volitio deambulandi, & deambulatio externa sint propter sanitatem, & recreationem tamquam propter fines totales in actu secundo; an vero sint propter illas tamquam propter fines totales in actu primo & in actu secundo partiales. 33

Partem negantem defendit P. Vasquez 1. tom. in 3. part. disput. 10. cap. 8. num. 77. vel saltem dicit vnum tantum finem ex illis esse in actu secundo, motiuum ad substantiam effectus, alterum verò finem esse solum impulsiuum, vt celerius ac melius effectus fiat, sic docet num. 79. & 81. & probat ratione suam sententiam; voluntas humana non potest ferri in plures fines totales vnico actu, ergo vnius effectus non potest dari duplex causa finalis totalis, antecedens probatur, nam si voluntas creata posset simul velle diuersos fines totales, seu obiecta totalia diuersa, sequeretur eumdem effectum in re pendere à duobus affectibus voluntatis simul, ita vt ab vnoquoque illorum tamquam à causa totali penderet, sed hoc implicat, ergo: minor probatur, in causis physicis, efficientibus implicat, quod idem effectus pendeat naturaliter à duplici causa adæquata, ergo & in finalibus. Antecedens probatur, nam in causis efficientibus adæquatis à fortiori dantur duæ actiones reales realiter distinctæ, quarum vna impedit aliam, ergo & in finalibus cum se habeant instar efficientis, ergo sicut duæ causæ efficientes non possunt dari nisi producendo effectum per duas actiones, ita neque finalis, nisi amando eumdem effectum per duos amores, & consequenter vnius effectus non potest dari duplex causa totalis finalis, cum duo fines totales sint obiecta adæquata actuum realiter distinctorum. 34

Assertio tamen sit. Duæ causæ finales in actu secundo totales dari naturaliter possunt respectu eiusdemmet actus, seu effectus v.g. in prædicto casu sanitas, & recreatio, medijs suis complacentijs causant volitionem deambulandi, ac ipsam deambulationem externam tamquam duo fines in actu secundo totales. Ita Suarez tom. 1. met. disput. 26. sect. 5. n. 32. & tom. 1. in 3. part. disput. 5. sect. 4. §. *dico tamen primo*, & sequentibus, Petrus Hurtado 35

disp.

disput. 13. De anima sect. 7. Carleton disput. 27. de anima sect. 1. & Recentiores communiter. Probatur ea tenus finis causat effectum, quatenus ipsius complacentia allicit voluntatem ad exequendum illum, nam causare finaliter est allicere, vt dictum est supra disp. 21. art. 15. Sed tam complacentia in sanitate, quam complacentia in recreatione in predicto casu allicit adæquatè & totaliter voluntatem ad volitionem deambulandi, & etiam ad ipsam deambulationem, ergo tam sanitas quam recreatio per sui complacentiam causat finaliter adæquate & totaliter volitionem deambulandi, & ipsam deambulationem, igitur dantur naturaliter duo fines totales in actu secundo eiusdem operationis. Minor probatur, complacentia verbi gratia in sanitate eodem modo allicit voluntatem ad volitionem deambulandi, & ipsam deambulationem, stante alia complacentia in recreatione, ac alliceret, si hæc actio complacentia non esset, atqui complacentia in sanitate, si non existeret simul alia complacentia in recreatione, alliceret adæquate & totaliter ad volitionem deambulandi, & ipsam deambulationem, vt supponimus, vt ipsi aduersarij admittunt, ergo talis complacentia in sanitate, etiam stante alia complacentia in recreatione, allicit adæquate & totaliter voluntatem ad volitionem deambulandi, & ipsam deambulationem; idem etiam dictum puta (cum eadem ratio militet) de complacentia in recreatione, stante simul alia complacentia in sanitate, atque ita tam vna, quam altera complacentia adæquate alliciet voluntatem ad actionem deambulandi. Maiorē autem secundi Syllogismi, sic ostendo, quando aliqua res præstat aliquem effectum, non per influxum aut modum à se distinctum, sed formaliter per se ipsam, siue alia forma adueniat simul, siue non adueniat, semper eodem modo præstat illum, verbi gratia quia albedo existens in parietate reddit illum adæquate album non quidem per modum distinctum, sed formaliter per se ipsam, siue alia simul albedo eiusdem gradus in eo pariete ponatur, siue non ponatur, illa semper eodem modo reddet adæquate album in suo gradu parietem illum, sed complacentia verbi gratia in sanitate, (& idem dico de altera complacentia in recreatione) non per influxum aut modum distinctum, sed per se ipsam formaliter allicit voluntatem ad volitionem deambulandi, nam allicere est delectabiliter inclinare; voluntas autem per complacentiam formaliter delectabiliter inclinatur, atque ita per complacentiam formaliter allicitur; ergo complacentia in sanitate eodem modo allicit voluntatem ad volitionem & actionem deambulandi, etiam si sit alia complacentia in recreatione, ac si talis complacentia non esset, ac proinde vtraque complacentia allicit totaliter, vt vterque finis est totalis in actu secundo respectu talis effectus.

36 Confirmatur primo, Demus hominem ex sua voluntate velle iter facere ex motiuo charitatis, quo perseuerante motiuo, illi præcipitur iter, & illud vult, quia præcipitur, licet per actum obedientiæ, non ita citius, aut alacrius, sed forte molestius, quam ex suo motiuo executioni mandatur obediendo præcipiēti; tum sic, hic nullus est finis impellēs, & vterque actus absolute vult iter, & operans fatetur se moueri motiuo vtriusque virtutis, & charitatis, & obedientiæ, cum per vtrumque ametur iter, ergo potest idem effectus pendere à duplici causa finali

37 adæquate.

Confirmatur secundo: potest eadem voluntas ex diuersis motiuis totalibus velle idem obiectum, siue sint actus simul, siue successiui, vel vnus post alium, nam si quis habeat propositum efficax voluntatis eundi Romam, propter aliquod commodum proprium, postea verò cognoscat Patris, aut filij, aut amici vrgentem necessitatem quæ efficaciter mouet suam voluntatem, potest ita velle iter, ob eam causam, vt ex vi eius idem esset volitum, etiam si prius iter non decreuisset, qui casus contingēs est; & tunc verissime diceretur vtrumque ex illis motiuis inclinare suam voluntatem ad eamdem rem, seu actionem faciendam; ergo.

Vltimo tandem probari potest, contra P. Vas- 38
quez testimonijs ab ipso adductis, 1. Reg. 16. *Vbi cum Dominus præcepisset Samueli, ire in Bethlehem, ad vngendum regem Dauid, Respondit Samuel; quomodo vadam, audiet enim Saul, & interficiet me, & dixit illi Deus; accipe vitulum & dic, ad sacrificandum Domino veni:* In quibus verbis notandum est, propositum eundi non fuisse ortum ex motiuo sacrificandi, sed ex alio priori motiuo vngendi Dauid in Regem, & tamen bene dixit, se venisse ad sacrificandum, quia etiam propter illam rationem veniret, & iter ordinaret, etiam si non habuisset propositum eundi Bethlehem; sed hic finis ita mouet animum operantis, vt propter solam eam causam, id esset facturus, etiam si priorem voluntatem aut intentionem numquam habuisset, ergo possunt dari causæ totales finales respectu eiusdem effectus.

Obiiciat quispiam; ideo non possunt naturaliter 39
dari duæ causæ efficientes totales in actu secundo id est, agentes duplici actione totali respectu eiusdem effectus, quia existente vna actione totali vnius effectus, altera actio totalis circa eumdemmet effectum, esset ominino superflua: vt diximus supra num. 27. atqui existente etiam vna finalizatione totali circa volitionem, & actionem deambulandi, altera finalizatio totalis circa eumdemmet effectum esset omnino superflua, cum illa sufficiat, ergo etiam dari naturaliter non possunt duæ causæ finales totales in actu secundo, id est causantes duplici finalizatione totali respectu eiusdem effectus, scilicet actionis deambulandi. Respondeo, actionem totalem physicam primo & per se ordinari ad adæquate producendum effectum, & cum hoc idem fiat per aliam actionem totalem, vna ex illis est simpliciter superflua, quia inuenit factum per aliam id, ad quod ipsa primo & per se ordinatur, & ideo dari non potest duplex actio physica totalis; at vero finalizatio ac causalitas finalis, cum sit ipsamet complacentia in bonitate finis, vt ostendi supra disput. 21. cap. 3. non ordinatur primo & per se ad causandum effectum distinctum, sed simpliciter ordinatur ad reddendam voluntatem formaliter complacentem in tali finis bonitate, cum autem complacentia & finalizatio finis sanitatis, reddat voluntatem complacentem in bonitate sanitatis, non verò in bonitate recreationis; complacentia verò, & finalizatio finis recreationis reddat voluntatem complacentem in bonitate sanitatis, ideo vna complacentia, & finalizatio non inuenit factum per aliam finalizationem, ac complacentiam totalem, id, ad quod ipsa primo ac per se ordinatur; atque ita licet ad causandum finaliter effectum distinctum, vna finalizatio totalis sufficiat, & de facto duplex sit finalizatio totalis, nulla earum erit superflua, quia ad hoc necessarium erat, quod id, ad quod vna finalizatio primo & per se ordinatur, inueniret factum per aliam, quod quidem in præsenti non reperitur, vt monstratum est, & eapropter dari potest naturaliter respectu

eiusdem numero effectus duplex finis, ac duplex finalizatio totalis.

40 Ex dictis ad fundamentum Patris Vasquez, pro ratione dubitandi positum, numero 32. respondeo diuersam esse rationem, nam repræsentatis duobus obiectis finalizatibus siue causis adæquatis finalibus, in actu secundo potest voluntas ferri eodem actu in vtrumque finem, quia causæ intentionales non traijciunt in effectum duas actiones, sed vnam & eam extrinsece attingunt repræsentando vel amando, nam licèt se habeant instar causæ efficientis non tamen simpliciter & stricte, vt disputat. præcedenti diximus cap. 3. & 4. in causis vero efficientibus adæquatis, oriuntur duæ actiones realiliter distinctæ, quarum vna impedit aliam quia per vnam sufficienter ponitur, & habet effectus suam existentiam; & ideo alia superflueret, nam actiones physicæ primo & per se ordinatur ad producendum vel ponendum obiectum seu terminum; actiones vero intentionales ordinantur primo & per se ad perficiendam potentiam vitalem, secundario vero & consequenter ad obiectum seu terminum, idem autem obiectum potest recipere diuersas denominationes extrinsecas, à diuersis visionibus, intellectionibus & volitionibus, & consequenter non repugnat in causis adæquatis finalibus, quod repugnat in efficientibus.

41 Hinc infero, naturaliter dari posse duplicem actionem creatiuam adæquatam & totalem respectu eiusdem numero effectus.

Probatur, ideo dari potest naturaliter duplex finalizatio totalis respectu eiusdem effectus, quia finalizatio est formaliter ipsa complacentia finis, atque ita non ordinatur primo, & per se ad causandum effectum, sed ad reddendam voluntatem complacentem in bonitate finis, quod non præstatur per aliam finalizationem & complacentiam totalem alterius finis vt modo diximus, atqui actio creatiua etiam est ipsamet volitio absoluta Dei, qua Deus propter hunc vel illum finem, vult absolute effectum creare, quæ quidem non ordinantur per se primo ad creandum effectum, sed ad reddendum Deum formaliter volentem creationem propter talem finem, quod non præstatur per aliam actionem creatiuam ac volitionem, qua Deus velit creare eundem effectum propter alium diuersum finem; vt fuse disputatione vigesima quarta ostendam. Igitur dari potest naturaliter duplex actio totalis creatiua simul respectu eiusdem effectus.

CAPVT V.

An duæ causæ totales physicæ respectu eiusdem effectus diuinitus esse queant.

42 MVlti opinantur implicare etiam de potentia absoluta eundem numero effectum simul à duabus causis physicis totalibus in actu secundo causari; ita Vasquez tom. 3. in 3. partem disputatione 181. capite 7. Scotus in 3. distinctione 1. quæstione 2. & plures Thomistæ, quos refert Suarez dicta disputatione 26. sectione 4. numero 3. immo solet adscribi hæc opinio Diuo Thomæ, qui locis ab eodem Suarez citatis docet, impossibile esse effectum à duplici causa totali produci, sed loquitur S. Doctor de potentia ordinaria, non vero de potentia Dei absoluta.

43 ASSERTIO sit, idem effectus valet à duabus causis physicis totalibus in actu secundo, diuinitus proficisci. Ita Suarez disput. 25. metaphysic. sect. 4. num. 9. & 3. parte disput. 49. sect. 1. conclus. 3. & disputatione 50. sectione 4. Valent. tomo 4. disputatione 1. quæstione 3. puncto 3. Hurtado disputatione 8. physic. sectione 10. Arriaga supra sectione 10. Carleton supra sectione 5. Coninch. de Eucharistia quæstione 75. artic. 4. dub. 3. Monetus disput. 10. cap. 15. Ouiedo controuersia 7. p. 7. & alij contra Caiet. Scotum, Vasquez, tomo 1. in 3. partem disputatione 29. capite quarto, id negantes.

Probatur, quod non implicat, non est negandum absolutæ, ac infinitæ potentiæ Dei, qui omnia potest efficere, quæ in se non repugnant, sed non implicat eundem effectum à duabus causis physicis totalibus in actu secundo effici, vt solutione argumentorum constabit; ergo idem effectus de potentia Dei absoluta potest effici à duplici causa physice in actu secundo totali. Confirmatur, etiam corpus verè dependet ab vbicatione locali, & tamen de potentia Dei absoluta potest vbicari localiter per duas totales vbicationes, vt mysterium Eucharistiæ testatur; ergo licèt effectus pendeat ab actione qua fit, poterit fieri de potentia Dei absoluta per duas actiones totales, ergo duæ causæ physicæ totales in actu secundo possunt diuinitus eundem effectum causare. 44

Obijciat autem quis primo: causa totalis est illa, quæ causat effectum sine consortio alterius, sed eo ipso, quod duæ causæ concurrant ad eundem effectum simul neutra illarum causat effectum sine cõsortio alterius; ergo neutra illarum est causa totalis; implicat ergo dari duas simul causas totales respectu eiusdem effectus. Resp. causam totalem non esse illam quæ causat sine consortio alterius, sed illam, quæ causat effectum sine indigentia influxus alterius causæ, possunt autem duæ causæ ad eundem effectum supernaturaliter concurrere, quarum quæuis licèt non causet sine consortio alterius causet vero sine indigentia illius, atque ideo quæuis illarum erit totalis. 45

Obijciat secundo, implicat eundem effectum simul pendere, & non pendere, ab aliqua causa, quia hæc contradictoria sunt, sed si darentur duæ causæ totales in actu secundo eiusdem effectus à quauis illarum secundum se penderet, quia causaretur ab illa, & non penderet, quia posset esse sine illa ex vi alterius causæ totalis, ergo implicat dari duas causas totales in actu secundo eiusdem effectus. Resp. hoc argumentum in primis instari supre n. 35. in confirmatione assertionis. Deinde dico in prædicto casu effectum dependere à qualibet causa determinante, quia causatur ab illa, & dependere non est aliud, quam causari, non vero pendere necessariò à quauis causa determinate, sed tantum contingenter, quia posset esse, sine illa ex vi alterius totalis causæ, necessariò tamen pendere ab hac, aut illa causa totali, indistincte & indeterminate, vnde non sequitur effectum pendere simul, & non pendere à qualibet causa totali, quia si sermo sit de dependentia necessaria, à nulla causa ex illis determinate dependet; si vero sit sermo de dependentia contingenti, pendet præcisè à qualibet causa determinate. 46

Obijciat tertio, eadem actio non potest oriri à duplici causa totali ergo nec idem effectus. Negatur consequentia: ratio discriminis est, quia actio per se ipsam essentialiter dependet à causa, cuius est actio, atque ita si oriatur à duplici causa, à quauis illarum essentialiter dependebit, 47

&

& quauis cauſa deficiente neceſſario deficiet actio, & eapropter nulla cauſa ex illis reſpectu actionis erit totalis, aliàs vna cauſa deficiente, ſi alia maneret, actio non deficeret, at verò effectus non pendet per ſe ipſum eſſentialiter à cauſa, ſed per modum accidentalem diſtinctum, ac proinde non implicat, quod idem effectus duplici modo, & actione à duplici cauſa ita pendeat, vt vna actione & cauſa deficiente, ex vi alterius actionis & cauſæ effectus conſeruetur, & maneat, quod eſt talem effectum fieri duplici actione adæquata à duplici cauſa totali.

Obiiciat quarto, actio totalis eſt illa quæ non
48 pendet ab alia actione eiuſdem generis, ſed etiam ſi alia actio pereat, illa manebit. atqui, ſi idem effectus, verbi gratia idemmet ignis fieret duplici actione ab igne, & à ſole, quælibet actio ex illis neceſſario penderet ab alia, & alia deſtructa illa non maneret, ergo nulla actio ex illis poſſet eſſe totalis, ergo nec idem ignis valet ſimul produci à duplici cauſa duplici actione totali: minor probatur: quælibet actio ex illis in veſtra ſententia eſſet ſupernaturalis, quia actio totalis naturalis non poteſt eſſe cum conſortio alterius actionis totalis eiuſdem generis, alioquin poſſet naturaliter idem effectus procedere à duplici cauſa totali, quia quod fit actione naturali, naturaliter poteſt accidere, ſed ſi aliqua actio ex illis, alia deſtructa maneret, illa non eſſet actio ſupernaturalis, ſed naturalis, nam agere ignem vnica actione totali, eſſet omnino naturale, ergo quælibet actio ex illis, alia deſtructa, non maneret, atque ita pendet neceſſario ab illa, ac per conſequens non eſt totalis.

Reſpondeo in dicto caſu, ſcilicet ſi idem ignis
49 fieret ab alio igne, & à ſole duplici actione totali, vt nos fatemur, quamlibet actionem ex illis, verbi gratia, actionem ignis generantis fore quoad ſubſtantiam naturalem; quia tunc ignis effectus eſſet idem, & eadem virtus in igne generante, & Deus ipſi igni eumdem concurſum generalem præberet, ac ſi non eſſet ibi altera cauſa totalis, atque ita ignis generans eadem actione quoad ſubſtantiam naturali produceret alterum ignem præſente alia cauſa totali, qua produceret ipſum, ſi alia cauſa totalis ſimul non eſſet; at verò talem actionem eſſe ſupernaturalem quoad modum, quia præſente altera cauſa totali, Deus naturaliter debebat non dare igni concurſum generalem ad totaliter alium ignem producendum actione adæquata & totali, vt ſupra diximus num. 29. ac proinde ſi præſente altera cauſa totali, Deus præberet igni concurſum ad agendum actione totali, ſicut ſi alia cauſa totalis non eſſet, talis actio fieret modo indebito, & ſupernaturali, & ita eſſet ſupernaturalis quoad modum. Vnde in prædicto caſu quælibet actio ex illis alia actione præſente, erit quoad modũ ſupernaturalis, quia erit indebita naturæ, ſi autem alia actio deſinat eſſe, ipſamet actio, quæ erat ſupernaturalis quoad modum erit omnino naturalis, quia iam non erit naturæ indebita, atque ita quæuis actio ex illis, deficiente alia, permaneret, & eſſet omnino totalis.

Hinc infero duos ignes v. g. diuinitus eidem 50
materiæ applicatos, & agẽtes duplici actione totali alterum ignem, non agere illum per virtutem obedientialem, ſed per propriam potentiam quoad ſubſtantiam naturalem: probatur, quia quando actio, & effectus eſt quoad ſubſtantiam naturalis ſufficit ad talem effectum efficiendum, virtus proportionata, ſcilicet quoad ſubſtantiam naturalis, ſed in tali caſu tam ignis effectus, quam actio, qua fieret, eſſet quoad ſubſtantiam naturalis, vt probatum eſt, ergo ſufficeret ad illum producendum præſente concurſu adæquato generali Dei, virtus alterius ignis naturalis.

Sed quærat quis, an non ſolum diuinitus, ſed 51
etiam connaturaliter idem numero effectus poſſit diuiſiue à duplici cauſa totali pendere? negat Fonſeca 5. metaphyſic. cap. 2. quæſt. 4. ſect. 4. quia effectus pendet per ſe naturaliter à ſua cauſa, & non penderet per ſe ab illa, ſi ab alia diuiſiue naturaliter cauſari poſſet. Affirmant vero Suarez diſput. 26. metaphyſic ſect 5. num. 25. Rubius hic tit. 7. quæſt. 5. num. 32. & recentiores communiter quibus ſubſcribo, tum quia idem calor, qui à ſole fit, poſtea à veſtibus conſeruatur, tum etiam quia cauſa æquiuoca continet in ſe eminenter omnem ſpeciem ſui effectus, ſed ſol eſt cauſa æquiuoca caloris, ergo continet eminenter omnem ſpeciem caloris, atque ita poteſt naturaliter efficere quemlibet calorem, igitur calor qui modo ab alio calore fit, potuit naturaliter fieri à ſole. Ad rationem Fonſecæ Reſpondeo, effectum v.g. hunc calorem pendere à ſua cauſa ſcilicet ab alio calore per ſe indeterminate vel contingenter, quia poteſt etiam naturaliter cauſari ab alia ſcilicet ab igne vel à ſole.

Hæc de cauſis: in calce huius libri diſſerunt 52
recentiores cum Ariſtotele de caſu & fortuna. Caſus eſt cauſa naturalis per accidens, & præter intentionem ſuam cauſans in ijs, quæ raro contingunt, vt cum ruente domo lapis deorſum deſcendit, & hominem percutit, lapis per ſe eſt cauſa illius motus deorſum, quem intendebat, atque ita reſpectu illius non dicitur caſus, at reſpectu percuſſionis hominis, quam ipſe non intendebat, & illam per accidens cauſat, caſus appellatur. Fortuna eſt cauſa intellectualis libere agens, per accidens vero, & præter intentionem in ijs, quæ raro etiam accidunt, vt cum homo libere effodit agrum, & præter intentionem ipſius inuenit Theſaurum in illo, reſpectu effoſſionis, quam intendebat, eſt cauſa per ſe, non vero fortuna, at reſpectu inuentionis Theſauri, quam non intendebat, cauſa per accidens, atque fortuna vocatur, res quidem facilis, de qua fuſe Rub. hic tract. 7. quæſt. 1. per totam.

Et hæc de ſecundo Tractatu in librum ſecundum Phyſicorum dicta ſint ſatis.

TRACTATVS TERTIVS,

In librum tertium, & quintum physicorum.

QVM Philosophus ens naturale, vel (quod idem est, ens mobile exacte penetrare conetur, postquam eius intrinseca principia cognouit, essentiam peruit, causas inuestigauit, iam illius passiones inquirit, & quia mobilitas est præcipua passio entis naturalis, de illo agit, & ideo lib. 3. de motu entis naturalis, & lib. 5. de motuum contrarietate disputationem instituit, cum autem motus de genere sit continui, quod infinitis partibus constat, idcirco in hoc tertio libro de infinito etiam sermonem habet, eius doctrinam nostris disputationibus explanabimus.

DISPVTATIO XXIII.

De motu & actione eductiua.

SEPTEM capita continebit. In primo, motus definitio expeditur. In secundo, in quonam actio eductiua reipsa ab agente & termino distinguatur. In tertio, quomodo actio eductiua à passione formaliter differat. In quarto, in quonam actio eductiua siue motus subiectetur. In quinto, vnde actio eductiua, ac motus speciem & indiuiduationem desumat. In sexto, motus diuiuiditur, & dubiola enodantur. In septimo an res aliqua motibus contrariis simul moueri queat.

CAPVT I.

Motus definitio expenditur.

1 MOtus est actus entis in potentia provt in potentia, ita Arist. lib. 3. phys. c. 2. D. Thom. ibidem & 1. p. q. 9. art. 1. in 1. dist. 8. quæst. 3. art. 1. & contra genr. c. 17. quibus subscribunt omnes Philosophi, & Theologi. *actus* non quidem per modum termini, sed per modum viæ ad terminum, atque ita ipsa forma subiectum actuans, ad quam actio terminatur, non est motus, sed motus est ratio formalis ac via, qua subiectum patitur in se, & acquirit ipsam formam, ratio est, quia motus respicit re ipsa aliquem terminum, nam cum quis mouetur ad aliquem terminum necessariò mouetur, sed forma ipsa perfecta, ad quam actio terminatur, non habet terminum, quem recipiat, sed potius illa est terminus, quem respicit ipsiusmet formæ acquisitio ac via; ergo hæc via, & acquisitio formæ, & non forma ipsa est actus, qui formaliter constituit rationem motus.

2 Entis in potentia, id est passi, quod est potens & aptum ab aliquo moueri, pro quo obserua duplicem esse potentiam in subiecto, aliam passiuam, qua ipsum est formaliter potens causare materialiter, sustentare & pati ab aliquo formam, ratione cuius passum appellatur. Huius autem potentiæ passiuæ actus est ipsa causalitas materialis, ac actio eductiua, actio enim eductiua quatenus per se ipsam est ab agente, est actio, qua agens producit formam in subiecto, & eadem quatenus est in passo per se ipsam, est passio, qua subiectum vel passum sustentat, & patitur ab agente talem formam, ac proinde est actus potentiæ passiuæ. Aliam esse potẽtiam receptiuam, qua aliquod est potens & aptum in se recipere & sibi vnire formaliter aliquã formam ratione cuius subiectum vocatur. Huius vero potẽtiæ receptiuæ actus est vnio formalis, qua subiectũ recipit in se & formaliter vnit sibi formam, non tamen per vnionem recipit formam ab alio, scilicet ab agẽte, quia cum vnio non sit actio nec causalitas agentis, agens per vnionem non communicat, aut producit in subiecto talem formam motus; ergo strictè acceptus, est actus entis in potentia, id est, passio quæ est actus potentiæ passiuæ subiecti mobilis; non vero vnio formalis, quæ est actus potentiæ receptiuæ eiusdem subiecti, ratio est quia motus strictè acceptus est illa ratio per quam subiectum ab aliquo mouetur, sed subiectum per passionem mouetur ab aliquo, nam cum passio sit etiã actio agentis, per illam agens agit, & mouet subiectum, & subiectum patitur & mouetur ab agente, per vnionem vero formalem agẽs non mouetur ab aliquo vt nuper ostendi, ergo motus strictè acceptus, est sola passio, quæ est actus potentiæ passiuæ subiecti, non vero vnio formalis, quæ est actus potẽtiæ receptiuæ eiusdem subiecti, vnio vero formalis potest dici, quædam formalis mutatio, qua subiectum aliter se habeat formaliter ac antea se habebat.

Provt in potentia. Habere potentiam, & esse in potentia ad formam, in hoc differunt, quod habere potentiam solum dicit esse subiectum potens & aptum ad patiendam in se formam, quod compatitur cum præsentia ipsius; esse vero in potentia ad formam, est habere potẽtiam ad illam cum priuatione ipsius formæ, quod cum formæ præsentia non compatitur, vnde cum in eodem instanti reali in quo est motus ad formam, sit etiam ipsa forma, verba hæc definitionis, videlicet quod motus sit actus entis in potentia, provt in potentia, non debent intelligi in sensu composito, id est, quod pro eo instanti reali, in quo est motus, subiectum sit in potentia ad formam, nam cum in tali instanti sit forma, non potest subiectum tunc habere priuationem formæ, quod requirebatur, vt in eo instanti subiectum esset in potentia ad illam, sed debet solum intelligi in sensu diuiso, id est quod pro alio instanti proximè antecedenti subiectum sit in potentia ad formam, videlicet, habeat in se priuationem formæ, quam in sequenti instanti per ipsum motum acquirit. 3

Hinc infero contra Conimbr. lib. 3. physic. cap. 2. q. 1. ad 1. circa finem actionem instantaneam v.g. solis illuminationem, quæ in instanti fit esse proprie, & stricte motum, ita Aristot. D. Thom. Ferrara, Fonsec. Toletus, Rubius, Oña, Hurtado disp. 11. physic. sect. 1. Arriaga lib. 3. physic. disput. 12. sect. 4

sectione prima. Complutenses, disput. 16. de motu, quæst. 2. Carleton disput. 40. physic. sect. 1. Auersa tom. 1. Philosophiæ qu. 26. sect. 7. & 8. & communiter omnes. Probatur aperte ex dictis, quia motus est actus entis in potentia prout in potentia, hoc est, est ratio formalis, ac via, qua subiectum habens in præcedenti instanti priuationem formæ, non acquirit ipsam formam, atqui aër habens in instanti proximè præcedenti ad illuminationem Solis priuationem lucis, nunc per ipsam illuminationem instantaneam tanquam per viam ac rationem formalem acquirit lucem, ergo hæc actio, ac illuminatio instantanea est strictè motus, cum Aristoteles post traditam definitionem motus, illam exemplificauerit in generatione substantiali, in corruptione & alijs, & consequenter huiusmodi mutationes instantaneas, & alias ijs similes, quæ sunt actus imperfecti, verè & propriè esse motum.

5 Infero secundo, mutationes instantaneas quæ simpliciter dicuntur actus imperfecti, quales sunt intellectiones & volitiones, & sensationes non esse propriè motum, nec sub hac Aristotelis definitione comprehendi, est expressa Aristotelis 3. de anima tex. 22. vbi loqueus de sensationibus sensuum, & volens hos motus ab alijs imperfectis secernere ait, *quapropter alia quædam, hæc est (scilicet sensatio) species motus, nam motus est actus imperfectus, & actus simpliciter, quiquidem est rei perfectæ, alius est omnino diuersus ab alio*, & D. Thomas explicans Aristotelem ibidem Lectione duodecima ait, *manifestum est, quod sentire, si dicatur motus, est alia species ab ea de qua determinatum est in libro physic. ille enim motus est actus existentis in potentia, sed iste motus est actus perfecti.* quid clarius, idem docet prima parte quæstione decima, articulo primo, & ratio discriminis est manifesta, nam motus qui hic definitur, est actus imperfecti, seu existentis in potentia petens terminum *à quo*, & subiectum, seu mobile, aliquando debet esse sub priuatione, tam motus, quam termini, sed intellectiones, volitiones, & sensationes sunt actus existentes in actu, & perfecti, nam etsi habeant capacitatem ad motum, non tamen petunt, quod mobile sit in potentia, nec propriè dicunt priuationem motus & termini, & ideo Adamus in eodem instanti, in quo productus fuit à Deo, habuit actum sensationis, intellectionis, & volitionis, ergo isti motus valdè diuersi sunt & dicuntur actus perfecti, seu mutationes instantaneæ perfectæ, atque ita communi definitione Aristotelis non comprehenduntur.

6 Sed quærat quis, qua ratione motus ab actione & passione differat? Dico motum formaliter in se claudere actionem & passionem in recto, in obliquo verò dicere aliquod extrinsecum connotatum ratione cuius ab actione & passione differt. Et quidem motum essentialiter includere actionem & passionem, docet expressè Aristoteles in hoc libro 3. cap. 3. num. 23. text. 23. physic. vbi sic ait, motus eius, quod agere, & pati potest, quatenus tale est actus, & infra, hæc enim vnum quidem, ratio tamen non est vna, similiter in mouente, & motu, & text. 22. D. Thomas ibidem Lect. 4. & qu. 8. de potentia, ait ad primum, Suarez, disput. 49. met. sect. 2. num. 15. Caiet. Ferrara, Capreolus, Bannez, Zanar, Soto, Sanchez, Hurtado supra sectione tertia, Auersa supra quæst. 26. sectione sexta, Arriaga ibidem, Rubius, Complutenses disput. 17. quæst. 2. Carleton supra sectione tertia, & est communis, & insuper ratione probatur, quia motus est illa ratio, per quam aliquid mouetur ab alio, hoc est ratio, & via per quam agens mouet passum, aliquam scilicet formam in ipso agendo, est verè actio; & ratio & via, per quam passum mouetur ab agente, ipsam videlicet formam in se sustentando, atque patiendo est passio, ergo mouetur formaliter, ac in recto includit in se actionem & passionem. Porro dicere etiam in obliquo aliquod extrinsecum connotatum, per quod differat à passione & actione patet, quia motus connotat in instanti proximè præcedenti priuationem formæ, quæ acquiritur, vt diximus numero tertio, eam verò non connotant actio, & passio vt sic formaliter, ergo motus addit in obliquo aliquod extrinsecum, connotatum, per quod differat ab actione & passione, vnde omnis motus est actio & passio: non verò econtra loquendo etiam de sola actione eductiua, fluxus enim per quem anima agit, & patitur suas passiones, est verè actio & passio, & non est strictè motus, quia non præcessit anima in aliquo instanti reali cum priuatione ad eas passiones & formas.

CAPVT II.

An actio eductiua re ipsa ab agente, & termino distinguatur.

CVm motus, vt nuper diximus actionem & passionem formaliter in se includat, non mirum si agentes de motu, etiam de actione eductiua & passione disseramus. Actio eductiua, seu eductio est causalitas causæ efficientis cum dependentia à subiecto, atque ita est ratio formalis, per quam agens actu influit physicè, ac extrinsecè esse in aliud dependenter à subiecto. Quærimus ergo, an hæc actio v. g. actio qua lux à sole producitur ab agente, scilicet à sole, qui per illam agit, & à termino scilicet à luce, quæ per illam fit, reipsa diffideat. 7

Tres adinuenio sententias principaliores: prima 8
sententia est actionem non distingui ab entitate agentis, quod per illam agere denominatur. Ita Plerique nominales, Ocham, in primo, dist. 30. q. 4. art. 1. concl. 3. Sotus 3. lib. Physic. Fonsec 5. met. cap. 2. q. 13. Toletus 3. Physic. q. 3. art. 1. Valentia 1. p. disp. 3. q. 2. punct. 1. & alij Recentiores non indocti. Secunda sententia est actionem non distingui re ipsa ab entitate termini producti, qui per se ipsum dependet à sua causa, ita Conimbricenses in hoc lib. 3. art. 1. & alij citati à Rub. ibidem q 5. §. opinio opposita. Tertia sententia est actionem eductiuam distinctam esse ex natura rei ab agente & termino ita D. Thomas 1. p. q. 45. artic. 3. in argumento sed contra, Suarez disp. 40. met. sect. 2. & disp. 48. & 49. Rub. 3. Physic. sect. 4. n. 26. & 30. Murcia 2. Physic. disp. 4. q. 12. Daranus in 3. dist. 5. q. 2. n. 4. Hurtado disp. 11. Physic. sect. 2. n. 7. Arriaga disp. 9. Physic. sect. 3. Ouiedo controuers. 12. Physic. p. 1. n. 9. Complutenses disp. 16. Physic. q. 3. Conimbricenses Oña, Plaça, Auersa supra q. 26. sect. 2. Aureolus apud Capreolum in 2. dist. 1. q. 2. art. 1. Argentinas, Paul. Venetus, Soncinas, & alij plures, quibus subscribo.

ASSERTIO ergo sit. Actio eductiua vere à parte rei distinguitur ab agente & termino. Ita auctores secundæ sententiæ. Ratio communis pro hac sententia sic formatur: si Deus se solo conseruaret lucem in aëre, quæ modo producitur à sole (quod quidem non repugnat) maneret agens, scilicet sol, & terminus, scilicet lux, & tamen

tunc

tunc non maneret actio, qua modo lux producitur à sole, ergo actio, qua modo lux fit à sole, reipsa separatur, ac distinguitur ab agente & termino, scilicet à sole, & à luce. Confirmatur, hoc, quod est, lucem fieri à sole est aliquid contradictorie oppositum nihilo, sed in illo casu manentibus sole & luce periret hoc, quod est lucem fieri à sole, quia iam lux fieret à solo Deo, ergo tunc periret aliquod oppositum contradictorie nihilo, atqui id quod contradictorie opponitur nihilo, est entitas realis vt per se constat, ergo in eo casu manentibus sole & luce perit aliqua entitas realis, igitur actio ac fieri lucis à sole, quod præcise tunc periret, est entitas realis distincta à parte rei à sole, & luce, ac proinde verè distinguitur ab agente & termino.

10 Hæc autem ratio, quæ iuxta aliorum principia euidens est, iuxta nostram, quæ in dialectica disp. 17. cap. 5. statuimus, forsitan instari potest, & ideo alia specialiori ratione ista assertio sic ostenditur, causa secunda concurrit eadem actione cum causa prima, sed actio eductiua causæ primæ distinguitur à parte rei ab agente, & termino, ergo actio etiam eductiua causæ secundæ distinguitur à parte rei ab agente & termino. Consequentia est euidens, maior patet, quia quando vna causa concurrit, vt subordinata alteri concurrit eadem actione cum illa, maxime si illi summe ordinata sit, vt supra disp. 15. cap. 2. n. 1. D. Thomæ auctoritate, & inductione probaui, sed causa secunda, concurrit vt summe subordinata causæ primæ, quia sicut summe ab illa pendet in essendo, ita summe etiam ab illa pendet in operando, vt ibidem ostendi cap. 1. ergo causa secunda, concurrit eademmet actione eductiua cum causa prima: minorem etiam primi syllogismi quatenus dicit actionem eductiuam causæ primæ distingui à termino, sic ostendo, actio realis eductiua termini est ordo, & respectus realis ad ipsum terminum, cum totum suum esse sit ad illum, sed ordo & respectus realis est necessario ad terminum distinctum à se realiter, ac proinde ipse etiam respectus distinguitur reipsa à tali termino vt ostendi in Logica disp. 17. cap. 2. num. 19. & 20. ergo actio eductiua respectu termini re ipsa distinguitur à termino. Minor eadem quatenus dicit actionem eductiuam Dei distingui re ipsa ab ipso agente, scilicet à Deo, sic probatur, actio eductiua vt sic formaliter est causalitas materialis & passio, vt ostendi supra disp. 19. cap. 1. ac etiam infra cap. 3. monstrabo, sed entitas agentis scilicet Dei non potest esse causalitas materialis nec passio, cum Deus non possit causare materialiter, nec pati formam, vt probaui dicta disp. 19. cap. 3. circa finem, ergo entitas agentis scilicet Dei non potest esse actio eductiua, igitur actio eductiua Dei etiam re ipsa, distinguitur ab entitate agentis. Dicat quis actionem Dei & causæ secundæ licet distinguatur à termino & à Deo, non verò distingui ab ipsa causa secunda: sed contra Deus producit causam secundam per actionem distinctam ab illa, quia talis actio est respectus realis ad illam, sed Deus non producit suam actionem per aliam actionem, quia actionis non datur actio, cum per se ipsam fiat, ergo actio, qua Deus cum causa secunda concurrit ad suum effectum, non est ipsa causa secunda: igitur actio Dei & causæ secundæ non solum distinguitur à Deo, sed etiam à causa secunda.

11 Obiiciat autem quis primo, si terminus fieret actione distincta ab agente, & termino, ipsa actio etiam fieret ab agente per aliam actionem distinctam, & hæc per aliam & sic in infinitum ergo ne hoc sequatur absurdum, dicendum est terminum non fieri actione distincta ab agente & ab ipso termino. Respondeo modum præstare sibi essentialiter per se ipsum, id, quod alijs præstat formaliter, vnde sicut vnio, qua extrema inter se vniuntur per se ipsam sine alia vnione vnitur illis, & relatio, qua vnum extremum refertur ad aliud per se ipsam sine alia relatione refertur etiam ad illud, ita actio, qua terminus fit ab agente per se ipsam absque alia actione fit, ac dependet ab illo, quo vitatur processus actionum in infinitum.

Obiiciat secundo: actio ista verè & realiter pro- 12
ducitur ab agente, cum entitas creata sit, sed quando aliquid verè ac realiter producitur datur necessario vera ac realis productio illius, ergo datur vera ac realis productio talis actionis, sed actio ipsa non est realis productio sui ipsius, quia realis productio rei est ordo, ac respectus realis ad talem rem, actio autem non est ordo, ac respectus realis ad se ipsam, quia ordo & respectus realis semper est ad aliud distinctum realiter, vt probaui in Logica disp. 17. c. 2. num. 19. & 20. atque ita actio ipsa non est realis productio sui ipsius, igitur ipsum agens per se ipsum erit realis productio, per quam producat actionem sine alio intermedio, igitur etiam agens per se ipsum sine alia intermedia actione poterit producere terminum, ac proinde actio & productio termini non erit ab agente distincta. Respondeo actionem realiter produci ab agente, non quidem vt terminum, sed tantum vt viam ad terminum, atque ita dari realem productionem actionis non vero actionis vt termini, sed tantum vt viæ ad terminum, realis autem productio viæ non est ordo, ac respectus realis ad illam, nec ab ea distinguitur, sed est idem cum ipsa via, sola enim productio termini est ordo realis ad terminum, & distinguitur ab ipso termino, ac proinde realis productio actionis non est realis respectus ad ipsam actionem, nec ab illa distinguitur, sed est idem cum ipsa actione, quæ per se ipsam producitur, productio verè realis termini est respectus realis ad terminum, & idcirco est à parte rei distincta ab ipso termino.

Obiiciat tertio terminus, qui ab agente fit per se 13
ipsum essentialiter est ens creatum cum sit essentialiter creatura, sed esse ens creatum est esse ens creatum productum à Deo, ergo terminus per se ipsum essentialiter est ens productum à Deo, ergo actio Dei, qua terminus denominatur productus est illi essentialis, ac proinde indistincta ab ipso termino. Respondeo, terminum qui fit esse essentialiter ens creatum & productum à Deo radicaliter ac per modum termini, quia essentialiter est terminus necessario connotans & terminans actionem Dei, non verò esse essentialiter ens creatum ac productum à Deo formaliter, ac per modum viæ, quia formalis actio, ac via, qua à Deo formaliter producitur, licet fit cum termino connexa non tamen est essentialis ac identificata cum termino, sed distincta ab illo.

Ex dictis infero primo, proprias essentiæ passio- 14
nes, modos, (si excipias actiones) & qualitates vitales fieri actione distincta ab agente & termino, quia ratio supra facta generalis est, & pariter in his omnibus militat, de qualitatibus autem vitalibus alia etiam iudicialior & efficacior est ratio, quam in libris de anima proponimus. Secundo infero actionem eductiuam non esse distinctam ab agente & termino realiter, sed tantum ex natura rei, vt modus dissidet à re. Probatur, quia ea ex natura rei distinguntur, quorum saltem vnum non potest ab altero etiam diuinitus separari, sed actio eductiua non potest diuinitus separari ab agente & termino,

est

est enim essentialiter connexa cum illis ; ergo non realiter, sed tantum ex natura rei distinguitur ab illis.

Non omittam quosdam recentiores arbitratos
15 fuisse actionem eductiuam Dei non distingui à parte rei ab entitate termini, actionem vero causæ creatæ distinctam esse reipsa ab agente & termino, quia terminus essentialiter dependet à Deo, non verò à causa creata, sed hi improbabilius loquuntur, nam causa secunda non agit prius quam prima, nec (quod idem est) actio causæ secundæ est natura prior actione causæ primæ, cum causa secunda omnino in agendo pendeat à causa prima, atqui si actio causæ primæ est, & à termino indistincta, & actio causæ secundæ esset distincta ab illo, actio causæ secundæ esset prior natura actione causæ primæ, atque ita causa secunda, prius ageret, quã causa prima ; ergo improbabiliter dicitur actionem Dei esse indistinctam à termino, actionem, verò causæ secundæ esse à termino distinctam. Minor patet, actio causæ secundæ cum distinguatur à termino, & per ipsam terminus fiat, ab eaque dependeat, est prior natura tali termino, sed actio causæ primæ per se non est distincta, sed potius idem cum ipso termino, ergo actio causæ secundæ est prior natura actione causæ primæ, atque ita prius agit causa secunda, quam prima, quod est absurdum. Ad rationem oppositam iam respondi suprà num. 12. & disp. 16. per totam.

CAPVT III.

Quomodo actio eductiua à passione formaliter dissideat.

PAssio est illa ratio formalis, per quam causa materialis, seu passum causat materialiter, sustentat ac patitur in se formam, atque ita passio cum materiali causalitate conuertitur, quærimus ergo quomodo hæc passio differat ab actione eductiua.

16 Præmitto duplicem posse considerari passionem, alia est passio ipsiusmet actionis eductiuæ, per quam subiectum sustentat, & patitur in se ipsammet actionem eductiuam, & hanc passionem apud omnes fere est certum ab ipsa actione eductiua à parte rei non distingui, nam actio illa sicut per se ipsam fit ab agente, & est actio sui ipsius, ita per se ipsam sustentatur in passo, & est passio sui ipsius, quod etiam admittunt ij, qui materiæ causalitatem & passionem erga formam in sola vnione constituunt ; nam cum vnio actionis cum subiecto sit ipsamet actio, ideo in illorum etiam sententia passio, qua subiectum patitur actionem est ipsa actio, quod solum intendit Suar. tom. 2. met. disp. 49. sect. 1. num. 8. vbi docet actionem & passionem tantum ratione differe, loquitur enim de passione erga ipsammet actionem eductiuam, nam de passione, erga principalem formam docet ab actione dissidere reipsa ; cum illam in sola vnione constituat, vt vidimus suprà disputat. 19. cap. 1. Alia est passio ipsius formæ productæ, nimirum ratio formalis, per quam subiectum sustentat, & patitur in se principalem formam, quæ est terminus generationis, & de hac passione, quærimus quomodo ab actione eductiua distinguatur.

17 ASSERTIO prima sit, actio eductiua & passio non distinguuntur à parte rei. Ita Arist. in hoc 3. lib. cap. 3. text. 19. absolute ait, *actionem & passionem idem esse realiter, differre tamen ratione. Vt viam, acliuem & decliuem, viam, scilicet, Thebis Athenas, & Athenis Thebas.* Carleton supra sect. 3. Hurtado sectione 4. D. Thom. 11. met lect. 9. & alibi. Est vero aduersus quosdam Philosophos, quos cõmemorat Suarez vbi supra n. 1. & sequentibus & reuera etiam contra ipsum Suar. & alios, qui materiæ causalitatem, quæ est ipsamet passio, erga formam in sola vnione constituunt, & eam ab actione reipsa distinguũt, vt supra vidimus. Probatur, passio materiæ, erga formam est materiæ causalitas, erga illam, quia est ratio formalis, per quam materia sustentat formam, quæ est formalis definitio causalitatis materialis, sed causalitas materialis reipsa non distinguitur ab actione eductiua, vt monstraui supra disp. 19. cap. 1. ergo passio formæ non distinguitur re ipsa ab actione eductiua circa ipsam formam. Dices, actio & passio diuersa prædicamenta constituunt, ergo reipsa distinguuntur, nego consequentiam, sufficit enim ad id distinctio rationis vt ostendi disp. 17. Logicæ c. 1. circa finem.

ASSERTIO secunda sit, actio eductiua & passio 18
ratione ratiocinata præscindẽte vnam formalitatem ab alia non distinguuntur. Ita recentiores communiter, cõtra Rub. in hoc lib. 3. q. 7. n. 42. & alios. Probatur aperte, cognita actione eductiua cognosco & rationem per quam forma ab agente educitur ex subiecto, hoc est rationẽ per quam agens producit & agit, & subiectum sustentat & causat formã, sed ratio per quam subiectum sustentat, & causat formam est passio talis formæ, ergo cognita actione eductiua cognosco etiam formaliter passionẽ circa eandem formam, ac proinde actio eductiua non potest præscindi à passione. Similiter quando cognosco rationem, formalem per quam subiectum patitur ab agente formam, id est, rationem per quam subiectum patitur, & sustentat formam, & agens illam agit in subiecto, sed ratio formalis, per quam agens agit formam in subiecto est actio eductiua, ergo quando cognosco passionem, cognosco etiam necessariò actionem eductiuam, atque ita non poterit præscindi passio ab actione eductiua, igitur actio eductiua & passio ratione ratiocinata præscindente non distinguuntur.

Objiciat quis, agere est dare esse effectiue, & 19
extrinsece effectui, pati vero est extrinsece sustẽtare effectum, sed dare effectiue & extrinsece esse effectui, & sustentare intrinsece effectum sunt formalitates ratione ratiocinata distinctæ, nam in Deo concipio dare effectiue esse effectui, & non concipio intrinsece sustentare effectum, cum hoc illi repugnet ergo agere, quod est actio, & pati, quod est passio ratione ratiocinata distinguuntur. Confirmatur, actio idem est ratione ratiocinata quod passio, ergo idem est formaliter agere & pati, ergo idem etiam erit agens, & passum, quod sæpe est aperte falsum. Respondeo, actionem vt sic, vt abstrahit ab actione eductiua, & creatiua ratione ratiocinata distingui à passione vt obiectio conuincit, actionem vero eductiuam vt sic formaliter, cum etiam includat dependentiam formæ à subiecto, qua sustentatur in illo, non distingui formaliter ab ipsa passione & sustentatione formæ in subiecto vt supra offendimus. Ad confirmationem dico agens & passum esse idem secundum id, quod dicunt pro formali, dicunt enim formaliter eandem actionem, à qua vtrumque denominatur, differre vero secundum id, quod dicunt pro materiali: diuersa enim materialia per eandem formam diuerso modo denominantur, ab eadem enim visione potentia denominatur videns, & calor dicitur visus, & similiter ab eadem actione causa effectiua dicitur agens, & subiectum denominatur passum.

ASSERTIO tertia sit, actio eductiua & passio, 20
ratione

ratione ratiocinante, hoc est ex diuerso modo concipiendi cum fundamento in ipsa re distinguuntur. Ita recentiores communiter, licet dissideant quidam Neoterici ingeniosi. Probatur, quando aliqua duo diuerso modo respiciunt reipsa aliqua connotata, possunt cum fundamento in re diuerso modo à nobis concipi, atq; ideo distingui ex diuerso modo nostro concipiendi, sed actio & passio diuerso modo reipsa sua connotata respiciunt, nam actio vt sic formaliter respicit directè agens quod tale denominat, & indirectè subiectum, quia aliud constituit agens ex tali subiecto, passio verò vt sic formaliter respicit directè subiectum, quod denominatur passum, & indirectè agens, quia denominat subiectum passum siue patiens ab agente, ergo actio eductiua, & passio possunt à nobis cum fundamento in re diuerso modo concipi, & ita distingui diuerso modo concipiendi.

21 Obijciat quispiam vt aliqua distinguantur ratione ratiocinante ex diuerso modo concipiendi, requiritur quod respiciant diuersa connotata, vel eadem sub diuersa ratione, sed actio eductiua & passio respiciunt eadem connotata, & sub eadem ratione, vtraque enim respicit idem agens & passum, & sub ratione agentis ac patientis, ergo actio eductiua & passio nõ distinguuntur ex diuerso modo concipiendi. Respondeo ad hoc vt aliqua distinguantur ex modo diuerso concipiendi, sufficere, quod licet respiciant eademmet connotata & sub eadem ratione ex parte termini, respiciant illa sub diuersa ratione ex parte modi recipiendi, actio ergo eductiua & passio diuerso modo respiciunt sua connotata vt monstraui, numero 19. atque ita actio eductiua & passio distinguuntur ex diuerso modo concipiendi; Nec obstat dicere actionem & passionem constituere diuersa prædicamenta, nam hæc omnia, non necessario distinguntur realiter, vt in Logica, disput. 21. cap. 4. ostendimus, maximè cum multi defendant substantiam & quantitatem inter se realiter non distingui, cum tamen diuersa prædicamenta constituant, ergo ad constituenda diuersa prædicamenta ex consensu omnium sola rationis distinctio sufficit.

CAPVT IV.

In quonam actio eductiua, siue motus subiectetur.

MOtus seu actio eductiua, cùm actionem & passionem in se formaliter includat, tria essentialiter respicit, scilicet agens, passum & terminum, quærimus in quonam ex his tribus motus seu actio eductiua recipiatur.

22 Nonnulli opinantur actionem eductiuam in agente solùm intrinsecè subiectari. Ita Caietanus & Scotus, ac alij quos citat Suarez tomo secundo, met. disput. 48. sectione quarta, num. 2. Sed non placent, primo quia Deus est verè causa agens, & tamen eius actio eductiua intrinsecè non subiectatur in Deo, aliàs Deus intrinsecè mutaretur; ergo actio eductiua intrinsecè non subiectatur in agente. Secundo à priori, quia causa efficiens, seu agens vt sic formaliter est principium influens physicè esse in aliud absque mutatione sui vt docui supra disputatione decima quarta, capite primo, atqui si causa agens reciperet materialiter, intrinsecè, actionem, verè mutaretur vt agens, & non esset principium influens absque sui mutatione, ergo agens vt sic non recipit in se actionem.

Moderni quidã non ignobiles arbitrantur actionem eductiuã solum in ipsius termino vt in subiecto recipi. Sed etiam displicent, quia res non potest esse nec immediatè, nec mediatè causa per se sui ipsius, vt fusè monstraui supra disputatione vigesima secunda, capite secundo, sed si terminus reciperet ac sustentaret in se, vt subiectum ac causa materialis actionem eductiuam, per quam ipse fit, esset saltem mediatè causa per se sui ipsius, ergo terminus non potest recipere ac sustentare in se vt subiectum & causa materialis actionem eductiuam sui ipsius: Minor probatur, id, quod est per se, & immediatè causa alicuius actionis seu causalitatis est mediatè saltem causa per se eius, quod necessario causatur per talem actionem seu causalitatem, sed terminus esset causa materialis per se, & mediatè actionis eductiuæ, per quam necessario causatur ipse terminus, ergo terminus esset saltem mediatè causa per se sui ipsius. 23

Assertio sit. Actio eductiua seu motus nec in termino, nec in agente, quod à patiente distinguitur, sed in sola materia passo ac subiecto mobili, quod ad generationẽ & eductionem præexistit intrinsecè, recipitur. Ita Mol quæst. 77. art. 1. disp. 8. num. 2. Rub. hic qu. 6. n. 33. Conimbricenses in hoc etiam libro cap. 3. quæst. 2. art. 2. Pereira lib. 13. suæ Philosophiæ cap. 17. Suarez dicta disput. 48. sect. 4. à num. 10. qui num. 6. plures alios pro hac sententia patronos refert, & probatur ex Arist. in hoc libro cap. 3. & 2. de anima, tex. 24. & 26. ibi, actus agentis in eo, quod patitur, atque disponit esse videtur: clarius 3. de anima tex. 134. & 149. motus & actio, & passio est in eo quod mouetur, actiui enim & passiui actio in patiente fit, D. Thomas ibidem lectione quarta, & tertia, de anima Lectione secunda, Oña hic quæst. 1. artic. 5. Murçia, Plaça, Arriaga, Hurtado, Auersa supra sectione quarta, Carleton supra sectione secunda, Ouiedo controuers. 12. physic. part. 3. n. 7. Complutenses disput. 17. physic. quæst. 1. Et aduerto actionem esse intrinsecam, & termino & subiecto termini, sed diuerso modo, quia actio est intrinseca termino, vt termino, seu vt subiecto intimæ affectionis, intrinseca verò subiecto termini seu mobili, & subiecto sustentationis, quod solum propriè est subiectum. Probatur, actio eductiua est simul causalitas materialis vt monstraui supra disput. 19. capite primo, sed causalitas materialis recipitur ac sustentatur in materia, nam cum sit ratio & via qua forma sustentatur in materia, *vt quod*, ipsa etiam causalitas materialis in materia sustentatur *vt quo*, ergo actio eductiua recipitur ac sustentatur in materia. 24

Probatur secundo, quia non est aliud in quo actio subiectetur; ergo. Antecedens probatur, non in agente vt impugnauimus num. 22. nec in termino vt vidimus num. 23. ergo in subiecto, nihil enim incommodi sequitur ex eo, quod actio subiectetur in subiecto termini. Confirmatur primo, nam causa materialis debet esse natura prior effectu causalitate effectus, sed nihil est quod possit esse prius natura actione eductiua seu causalitate effectus, nisi vel agens, vel subiectum termini, sed agens non est subiectum rationis eductiuæ, cum egrediatur ab illo, & tendat in aliud tanquam in causam materialem illius, ergo erit passum, quod propriè dicitur causa materialis & subiectum sustentationis. Confirmatur secundo, nam ex dictis actio & passio identificantur inter se, sed passio est in mobili vt in subiecto sustentationis, ergo & actio. 25

Obijciat

26 Obijciat aliquis primò, actio denominat formaliter principium agens, & est perfectio illius, ergo recipitur in ipso agente. Secundò, productio actiua, qua pater in diuinis producit filium est intrinsece in Patre producente; ergo actio, qua principium in creatis agit effectum, est intrinsece in ipso principio agente. Tertiò modus subiectatur in illo, cuius est modus, sed actio est modus termini, ergo recipitur in termino. Ad primam obiectionem, respondeo, actionem esse perfectionem extrinsecam agentis, & illud tantum extrinsece denominare, & ideo non esse intrinsece in ipso agente, sed extrinsece exire ab illo, & respicere illud. Ad secundum dico Patrem in diuinis constitui personaliter per productionem actiuam filij, & ideo talem productionem in illo esse intrinsece identificatam cum ipso, principium vero in creatis non constituitur essentialiter per actionem, sed potius actio est illi accidentalis, & cum aliunde sit, etiam causalitas materialis, quæ petit esse in materia, ideo actio eductiua creatiua recipitur in materia. Ad tertium respondeo, actionẽ esse modum rei effectæ tanquam termini, esse vero modum materiæ tamquam subiecti, & ideo solum terminatur ad rem effectam, & recipitur ac subiectatur in materia.

CAPVT V.

Vnde actio eductiua ac motus speciem, & indiuiduationem desumat.

27 DVplex specificatio esse potest in aliqua re, alia intrinseca & formalis, quæ est formalis ac intrinseca quidditas, ac essẽtia rei, à qua formaliter res habet esse talis, alia specificatio est extrinseca, & arguitiua, quæ sumitur ex illo, ad quod res ordinem essentialem dicit, & ex cuius cognitione quasi arguitiue venimus in cognitionem essentiæ formalis rei. De specificatione intrinseca motus, hoc est, de formali essentia illius egimus c. 11. solum ergo quærimus à quonam actio eductiua seu motus extrinsece & arguitiue speciem ac indiuiduitatem desumat.

28 ASSERTIO prima: actio eductiua sumit speciem ac diuersitatem specificam ex termino ad quem, ita expresse D. Thom de potentia quæst. 6. art. 8. Hurtado supra sect. 8. Carleton disp. 40. physic. sect. 4. Arriaga disp. 9. physic. sect. 5. Auersa tom. 1. Philosophiæ, quæst. 26. sect. 12. & 13. & plures alij & D. Thom. loco citato sic ait, propriè actio, sicut & motus à termino speciem habent, cui adhærent Philosophi omnes communiter. Probatur, ab illo actio sumit extrinsece speciem ac diuersitatem specificã. quod essentialiter respicit vt modo diximus, sed aio eductiua respicit essentialiter terminum *ad quem*, est enim essentialiter actio illius, vt motus ad illum; ergo actio eductiua sumit extrinsece speciem ac diuersitatem specificam ex termino *ad quem*. Confirmatur. Ponamus, quod duæ actiones habeant terminos diuersos, v. g. vna terminetur ad calorem & alia ad frigus, ex hoc præcisè vna habet essentialiter aliquid, quod non habet alia, vna enim essentialiter est refrigeratio seu productio frigoris, quod non habet illa, sed quando vna res habet aliquid essentialiter, quod non habet alia, distinguuntur ac diuersificantur specie, ergo ex eo præcise, quod hæ actiones haberent terminos diuersos, sunt diuersæ formæ, ergo actio ex termino *ad quem* specificam diuersitatem desumit.

29 ASSERTIO secunda: actio eductiua etiam ab agẽte speciem ac diuersitatem specificam desumit. Ita expresse D. Thom. 1. 2. q. 1. art. 3. vbi ait actionem sumere speciem ab actu, qui est principium agendi, ac plures etiam recentiores contra Suarez tom. 2. met. disp. 48. sect. 3. n. 7. qui oppositam sententiam tuetur, nostra assertio sic probatur. Actio sumit extrinsece & arguitiue speciem ab eo, quod essentialiter respicit, & ideo numero præcedenti diximus specificari à termino *ad quem* quia actio respicit essentialiter agens, est enim essentialiter actio talis agentis; ergo actio etiam sumit speciem, ac diuersitatem ab agente. Confirmatur, calefactio proueniens à calore est essentialiter actio, & calefactio caloris pendens essentialiter ab illo, quod non habet calefactio proueniens à luce, & è contra calefactio proueniẽs à luce est essentialiter actio lucis, dependens essentialiter ab illa, quod non habet calefactio proueniens à calore, ergo ex eo præcise, quod sint actiones diuersorum agentium habent diuersitatem specificam.

30 Suarez vbi suprà n. 12. docet agentia diuersa v. g. calorem & lucem non agere calorem vt diuersa, sed vt eadem in specie, nempè quatenus conueniunt in hoc, quod est continere in se calorem. & ita actionem caloris & actionem lucis respicere essentialiter hæc agentia nõ vt diuersa, sed eadem in specie, scilicet quatenus conueniunt in ratione principij continentis in se calorem, & ideo actionem, ex diuersis agentibus nõ sumere speciem diuersam. Sed impugnatur, nam actio caloris non respicit continentiam caloris vt sic, sed talem continentiam caloris, quæ est in calore producente scilicet continentiam caloris vniuocam, est enim essentialiter actio talis caloris; & similiter actio lucis, qua calorem etiam producit, non respicit caloris continentiam vt sic, sed talem continentiam caloris quæ est in luce, scilicet continentiam caloris æquiuocam, est enim essentialiter actio talis lucis sed continentia vniuoca caloris, quæ est in calore producente, & continentia æquiuoca eiusdem caloris, quæ est in luce, sunt specie diuersæ, vt per se constat; ergo actio caloris & actio lucis essentialiter respiciunt ex parte principij continentias specie diuersas formaliter vt diuersas, igitur ipsæ etiam actiones erunt diuersæ specie, ac proinde ab ipso principio sument speciem diuersam.

31 Nobiles quidam Neoterici dicunt actiones istas diuersorum agentium respicere essentialiter agentia ipsa etiam vt diuersa, non vero illa respicere formaliter, ac propter se ipsa, sed solum materialiter & propter aliud, scilicet propter terminos, quos actiones propter se, & alia omnia propter ipsos formaliter respiciunt, quemadmodum duo actus fidei diuinæ respicientes essentialiter mysteria reuelata diuina non sunt specie diuersi, quia illa respiciunt materialiter scilicet non propter se, sed propter eandem reuelationem diuinam, quam solum respiciunt formaliter. Sic etiam actiones respicientes essentialiter diuersa agentia non sunt specie diuersæ, quia tantum respiciunt illa materialiter, videlicet propter eumdem terminum, quæ solum formaliter respiciunt, sed licèt hæc solutio sit ingeniosè composita, non placet, quia sicut actio physica, (& sermo sit de immanente) reddit intrinsece causam agentem in ordine ad terminum, sic actio intentionalis v. g. visio obiecti reddit intrinsece potentiam videntem in ordine ad obiectum, sed tamen actio intentionalis scilicet visio respicit formaliter non solum obiectum visum, sed etiam potentiam videntem & ab vtroque formaliter specificatur vt omnes fatentur; ergo etiam actio

physica

physica respicit formaliter, non solum terminum effectum, sed etiam causam agentem, & ab vtroque etiam specificationem desumet.

32 Assertio tertia, actio eductiua etiam ex passo speciem ac diuersitatem desumit, non vero ex termino *à quo*. Prima pars probatur. Actio eductiua est essentialiter passio vt ostendi suprà cap. 3. sed passio sumit speciem ac diuersitatem ex passo, sicut enim actio respicit agens, ita passio respicit patiens, atque ita sicut actio sumit speciem ab agente vt nuper vidimus, ita passio sumit speciem à patiente, ergo actio eductiua sumet speciem ac diuersitatem ab ipso passo. Secunda pars probatur, sed prius obseruo terminum *à quo* actionis, alium esse, positiuum, qui est forma, quam mobile admittit, & ab illa recedit, vt aliam formam acquirat, alium esse priuatiuum nimirum formæ priuationem, quæ præcedit & postea desinit esse per motum, quo mobile transit ad habendam ipsam formam: à neutro, ergo termino *à quo*, positiuo, aut priuatiuo, actio eductiua specificatur, quod sic ostendo, actio eductiua solum speciem desumit ab eo, quod per se requirit, ac respicit talis actio, nō vero ab illo, quod ibi inuenitur per accidēs, sed actio eductiua, v. g. productio ignis non requirit per se, quod præcedat forma alia positiua in materia, nec quod præcedat in illa priuatio ipsius forma ignis, nam in prima ignis generatione ac productione non præcessit in materia alia forma positiua, nec priuatio formæ ignis, nam in primo illo instanti, in quo talis materia fuit producta à Deo, fuit etiam ex illa educta forma ignis, quæ cum alia forma positiua, aut cum sui priuatione in eo instanti non compatitur; ergo actio eductiua non specificatur à termino *à quo*, positiuo nec priuatiuo.

33 Assertio quarta, actio eductiua, etiam si nihil sit extrinsecum, *à quo* extrinsece & arguitiue speciem ac diuersitatem desumat, potest esse diuersa in specie propter diuersum tantum modum tendendi formalem & specificum. Ita plures interpretes. Probatur, idem numero agens idem numero passum, & idem numero terminus sicut non valent actionem diuersificare in specie, ita nec in numero, sed non implicat Deum, qui est idem numero agens producere eandem numero formam ex eadem numero materia seu passo, duplici actione totali numero distinctis, quæ enim in hoc implicatio esse potest; ergo non implicat etiam idem numero agens, scilicet Deum ex eodē passo eandēmet formam producere duabus actionibus totalibus diuersis in specie. Cōfirmatur: actio generatiua, & actio nutritiua in homine v. g. habent idem specie agens, eandē in specie materiam & eundē terminum in specie, vt dicam in libris de generatione, & tamen hæ actiones sunt specie diuersæ, nutritio enim est actio vitalis, & generatio non est vitalis, vt ibidem ostendam, ergo cum eadem materia, cum eodem agente & termino actiones possunt esse specie diuersæ propter solum formalem modum tendendi diuersum, Vrgeo, duæ actiones intentionales cum eodemmet principio & obiecto propter solum diuersum modum tendendi sunt specie diuersæ v. g. simplex apprehēsio, qua Petrus apprehēdit aliquid verū & iudiciū quo iudicat idem verum sunt actiones diuersæ ex solo modo tēdēdi, & simplex cōplacentia, qua Paulus complacet in bono, & amor absolutus, quo absolute diligit idē bonum, sunt actiones ex solo modo tendendi specie diuersæ; ergo etiam duæ actiones physicæ esse possunt cum eodem principio passo & termino specie diuersæ propter diuersum modum tendendi.

34 Assertio quinta: possunt multiplicari etiam numero actiones pro mulriplicatione numerica agentis, subiecti vel termini. Probatur, actiones sunt modi, sed non potest modus vnius termini esse modus alterius; ergo quot fuerint termini distincti, agentia vel subiecta, tot esse poterunt actiones saltem numero distinctæ non tamen multiplicantur numero vel loco vel tempore, cum eadem actio diuersis locis ac temporibus & produci & conseruari possit.

Verum aliquid iam de actionis eductiuæ indiuiduatione dicamus. Dico primò, actiones indiuiduari ab agente, à termino *ad quem* & à passo, quod sustentat actionem. Ita Arist. lib. 5. physic. text. 35. & 8. physic. text. 25. & 82. Probatur, quia actio ab eo indiuiduatur, quod essentialiter respicit, & cum quo habet necessariam connexionem, sed actio respicit essentialiter agens, passum, & terminum, & habet essentialem connexionem cum illis, actio enim v. g. huius agentis, cum modo per suam essentiam formaliter fluat ab hoc agente, & non ab alio, non potest per suam essentiam formaliter fluere ab alio, & non fluere ab isto, quia eius essentia mutaretur, & esset alia numero actio, & idem etiam est respectu passi & termini, ergo actio indiuiduatur ab agente passo & termino. Dico secundò, actio non indiuiduatur à termino, *à quo* positiuo aut priuatiuo, nec à loco, nec à tempore. Probatur, quia actio eductiua hæc omnia per accidens respicit, eadem enim actio, quæ modo habet terminum positiuum ac priuatiuum potest esse sine illo, sed materia in instanti reali antecedenti non præcessisset, quæ materiæ præcessio per accidens se habet ad talem actionem, & etiam eadem numero actio, quæ est in hoc loco & in hoc instanti posset esse in alio loco, & instanti, cum res producta in hoc loco & instanti eadem actione in sequenti loco & instanti naturaliter conseruetur, conseruatio enim sæpe est prima productio continuata; ergo actio eductiua ex termino *à quo*, loco & tempore indiuiduationem non sumit. Dico tertiò absque vllo specificatiuo extrinseco actiones possunt esse numero distinctæ ex solo diuerso modo tendendi. Probatur, quia Deus potest eumdem numero effectum duabus actionibus totalibus numero distinctis producere ex eadem materia vt omnes communiter fatentur, vbi distinctio numerica inuenitur absque extrinseco à quo sumatur. 35

Sed quærat quis, an sicut eadem numero actio potest oriri à duplici agente partiali v. g. à causa prima, & secunda, ita etiam eadem actio numero possit terminari ad duos terminos partiales, v. g. ad formam materialem, & vnionem, probabilius iudico non posse, sed esse necessario duas actiones numero distinctas, quod ideo eadem numero actio oritur à duabus agentibus partialibus, quia vnum alteri actiue subordinatur, & non potest agere eductiue formam, quin etiam illam educat aliud, atqui vnus terminus passiue non subordinatur alteri, potest enim recte vnio produci eductiue non educta forma, & è contra, ergo actio eductiua non potest terminari ad duos terminos distinctos partiales. 36

CAPVT VI.

Motus diuiditur, & dubiola enodantur.

37 Motus diuiditur in generationem, augmentationem, alterationem, & lationem, seu motum localem. Generatio est actus & via, qua mobile transit ad formam substantialem acquirendam,

dam, augmentatio est actus & via, qua mobile trāsit à minori ad maiorem substantiam vel quantitatem. Alteratio est actus ac via, qua mobile nouam quantitatem acquirit, latio seu motus localis est actus & via, qua mobile ex vno loco ad alium mouetur, nouamque comparat præsentiam localem ad Deum; ego alium quem dicerem, motum temporalem, qui est actus & via, qua mobile ex vno tempore mouetur ad aliud, nouamque temporalem præsentiam ac durationem acquirit, non enim apparet ratio, quare hæc actio, ac productio nouæ productionis motus dicenda non sit, hæc autem diuisio motus est generis in species, quia cum hi motus enumerati diuersos specie terminos respiciant, etiam ipsi differunt in specie.

38 Sed quæris ad quas res detur per se motus? Respondeo dari per se motum (intellige successiuum) ad quantitatem, qualitatem, & vbi, vt docet Aristoteles in hoc lib. 5. Addo ego etiam ad durationem, quæ etiam ratione sui sicut quantitas, qualitas intensa, & vbi successiue producitur, cum nequeat duratio diuturna tota in instanti produci. Dices cum ignis serpit per stuppam, forma ignis substantialis producitur successiue, ergo etiā ad substātiam datur per se motus successiuus. Resp. formā ignis produci aliquādo successiuè, non vero ratione sui per se, sed ratione quantitatis materiæ, quæ partes materiæ constituit magis ab agente distantes, & ideo non potest agens in instanti, sed successiue formam substantialem in illis producere, ac proinde non datur motus per se ad formam substantialem. Sed vrges, etiam ignis ratione prædictæ quantitatis, ac distantiæ partium materiæ qualitatem caloris successiue in ijs partibus producit, si enim illæ partes materiæ essent simul penetratæ, & æque ab igne indistantes sicut in illis omnibus in instanti produceret formam ignis, ita etiam in instanti produceret in illis qualitatem caloris, ergo sicut hac ratione non datur per se motus ad substantiam, ita nec ad qualitatem. Respondeo, qualitatem in eadem parte materiæ existentem habere gradus intēsionis magis ac magis perfectos, qui ratione sui suppositā imperfectione agentis creati petūt successiue produci, quod quidem non inuenitur in substantia cum intendi non possit, & ideo non ad substantiam sed ad qualitatem datur per se motus.

39 Secundo motus seu actio diuiditur in motum instantaneum & successiuum, motus instantaneus est ille, qui perficitur in instanti, vt solis illuminatio, motus successiuus est ille qui habet prius ac posterius, & est via, qua mobile acquirit formam & progreditur ad vlteriorem formam acquirendam, vt motus localis. Hæc diuisio generaliter sumpta non est generis in species, non enim cuilibet motui successiuo conuenit essentialiter esse successiuum, nec cuiuis motui instantaneo conuenit essentialiter esse instantaneum, sed idem numero motus pro diuerso tempore potest esse successiuus & instantaneus, nam eadem actio successiua, qua calor intensus producitur simul in instanti, conseruata & perseuerans est instantanea, cum tota sit in instanti, sed obserua motum successiuum vt successiuum non posse esse in instanti, quia ille vt sic includit prius ac posterius, secus instans, nec motum instantaneum vt instantaneum posse esse in tempore, quia motus ille vt sic est omnino indiuisibilis, & non habet prius ac posterius sicut tempus. Vide quæ diximus supra cap. 1. numero 5.

40 Tertio motus diuiditur in motum naturalem violentum, indifferētem & mixtum, motus naturalis est ille, qui mobili consentaneus est, vt motus deorsum rei graui, & motus sursum rei leui, motus violentus est ille, qui mobili est dissentaneus, vt motus sursum rei graui, & calefactio respectu aquæ. Motus indifferens est ille qui mobili, nec consentaneus, nec dissentaneus est, vt motus circularis respectu hominis, motus mixtus est ille, qui mobili partim consentaneus, partim dissentaneus est, vt quando magna vi, & impetu lapis deorsum emittitur, talis motus quatenus tendit deorsum, est illi consentaneus & naturalis, quatenus vero magno impetu descendit impulsus ab agente extrinseco contra naturam ipsius lapidis, qui tardiori quodam motu descendere exigebat, est illi violentus & dissentaneus, ac proinde est motus mixtus. Hæc autem diuisio non est generis in species, productio enim caloris ab eodem agente siue in homine, siue in aqua est motus violentus, ergo esse motum naturalem aut violentum non sunt differentiæ essentiales & specificæ, ac proinde talis motus diuisio non est generis in species.

Hinc infero creaturam posse pati vim à Deo. 41
Probatur, pati vim est moueri motu violento, sed creatura potest moueri à Deo motu violento, ergo creatura potest à Deo pati vim: minor probatur, moueri motu violento est moueri motu, qui sit dissentaneus tali naturæ, sed aqua potest moueri à solo Deo motu calefactionis, qui est dissentaneus eius naturæ, ergo potest à Deo moueri motu violento. Dicat quis, motus quo aqua rursum, vt vacuum repleat, ascendit, est contra eius naturam & grauitatem & tamen non est violentus, quia obedit Deo, ergo motus calefactionis, quo aqua mouetur à Deo licet sit contra eius naturam, quia tamen per illum obedit ipsi Deo, non erit ipsi violentus. Respondeo motum illum quo aqua ascendit ad vacuum replendum esse iuxta appetitum aquæ communem, ac naturalem quo procurat bonum commune vniuersi, & ideo talem motum esse naturalem ipsi, & non violentum, licet sit appetitum particularem ipsius, motum verò calefactionis, quo aqua mouetur à Deo, non esse iuxta appetitum communem aquæ, quia per illum non procurat bonum commune vniuersi, & aliunde esse contra particularem appetitum aquæ, quæ sui conseruationem amat & horret calorem à quo destruitur, & ideo talis motus est illi violentus, si autem quis dicat esse bonum commune ac naturale vniuersi, quod quæuis creatura suo auctori naturali obediat, atque ideo quamlibet creaturam habere appetitum naturalem & communem ad illi obediendum, idcirco calefactionem aquæ ortam à solo Deo, quia iuxta hunc communem aquæ appetitum non fore violentum, sed naturalem non improbabiliter loquetur.

Sed inquiris, in quo motus & quies distinguantur? Respondeo, motum esse rationem illam, qua subiectum formam acquirit, connotans in instanti reali proxime antecedenti priuationem illius vt dixi supra num. 5. & 39. quies verò, (loquor de quiete positiua, non de priuatiua, quæ est solum priuatio motus) est ratio illa, qua subiectum in forma iam acquisita conquiescit, ac perseuerat connotans in instanti proximè, antecedenti, non priuationem, sed positionem formæ, vnde proximæ formæ productio est motu, conseruatio verò est quies, alij latius de hoc. 42

CAPVT VII.

An res aliqua motibus contrarijs simul moueri queat.

43 MOtus contrarij sunt quorum termini inter se incompatibilitatem habent vt frigefactio & calefactio in gradu intenso, quorum termini sunt intrinseca frigiditas, & calor intensus, quæ simul non compatiuntur, motus sursum & motus deorsum, quorum termini sunt locus superior & locus inferior, quorum alter alium ab eodem mobili expellit, quærimus ergo, an eadem res duobus motibus contrarijs simul possit moueri? multi Philosophi id videntur communiter affirmare.

44 ASSERTIO prima sit, supernaturaliter recte potest eadem res moueri contrarijs motibus. In hoc omnes conueniunt. Probatur, quia supernaturaliter non repugnat subiectum simul habere calorem intensum & frigiditatem intensam per potentiam obedientialē, istæ enim qualitates non opponuntur nisi in ordine ad potentiam naturalem; ergo potest supernaturaliter eadem res simul intense moueri frigefactione & calefactione, qui sunt motus contrarij. Confirmatur, quia Christi corpus in Eucharistia in vna hostia mouetur sursum quando eleuatur, & in alia simul mouetur deorsum vt fides docet, sed motus sursum, & motus deorsum sunt contrarij, ergo supernaturaliter corpus mouetur

45 contrarijs motibus.

ASSERTIO secunda sit: naturaliter non valet eadem res contrarijs simul motibus moueri. Ita Arist. D. Thom. Suarez, Hurtado, Arriaga, Rub. Caleton, & communiter omnes recentiores. Probatur, subiectum non potest habere simul naturaliter intensum calorem & intensam frigiditatem, alias hæ qualitates non essent contrariæ, nec vlla aliam expelleret quod contra vniuersam militat Philosophiam; ergo non potest simul intensa frigefactione, & calefactione moueri, aliàs simul haberet intensum calorem & frigiditatem intensam, quæ necessariò per eos motus contrarios acquiruntur; ergo idem subiectum moueri simul non potest motibus contrarijs. Confirmatur, eadem res naturaliter esse non potest in duobus locis adæquatis simul vt apud omnes est in confesso, sed si eadem res simul naturaliter posset moueri motibus contrarijs, scilicet motu sursum, & motu deorsum posset esse naturaliter simul in duobus locis adæquatis ac distantibus, nempe in loco superiori & in loco inferiori, ad quos mouetur per illos motus; ergo nequit eadem

46 res motibus contrarijs cieri.

Obijciat quispiam, ille, qui in naui existens mouetur motu maris versus orientem & ipse simul se mouet versus occidentem, motibus contrarijs mouetur, non enim potest quis versus contrarias partes nisi motibus contrarijs moueri, ergo non repugnat eandem rem moueri simul motibus contrarijs. Idem potest argumentum in multis alijs casibus efformari. Resp. in eo casu hominem solum moueri versus orientē, versus quem à nauis impulsu impellitur, cum longe vehementior sit impulsus nauis, quam impulsus seu vis motiua ipsius hominis, eum autem motum, qui vnicus tantum est produci, & ab impulsu nauis, & ab ipso homine tanquam ab vno agente completo, & totali; ab impulsu quidem nauis vt ab agente fortiter hominem impellente versus orientem; ab homine vero vt ab agente positiue illum motum retardante, atque ita ab vtroque per modum vnius, motus quidam vnicus quasi mixtus, & vnica quasi media præsentia localis producitur, & eapropter homo non contrarijs, motibus sed vnico solummouetur, & non loca diuersa versus orientem & occidentem, sed vnum tantum locum versus orientem, non tamen distantem, ac si à solo impulsu nauis moueretur, acquirit, in quo existit.

Hinc infero alios etiam cæleſtes orbes præter 47
primum mobile, non moueri simul motibus contrarijs, vt loquuntur Astrologi, altero proprio ab occidente in oriens, altero quasi alieno primi mobilis ab oriente in occidens hoc enim palam repugnat naturaliter vt supra num. 45. monstratum est, sed tantum moueri versus occidens rapto per impulsum primi mobilis, ita tamen, vt ille motus à duplici agente fiat per modum vnius ab impulsu primi mobilis, vt ab impellente versus occidens à proprio verò impulsu vt à retardante positiue talem motum vt nuper numero 46. iam in simili explicuimus. Sed obstat Aristoteles 2. de cælo capite 2. vbi dicit cælos prædictis contrarijs motibus simul moueri. Respondeo, verò loqui tantum Aristotelem, de motibus contrarijs in actu primo, & solum docet cæleſtes orbes habere impulsus versus contrarias partes in actu primo inclinantes, sed re vera in actu secundo impulsus vehementior vincit, & versus illam partem, ad quam ipse inclinat, vnicus tantum motus fit ab vtroque impulsu, vt iam ostendi.

Vrgeat quis, Petrus simul vnam manum leuat 48
& aliam deprimit deorsum, anima rationalis Petri existens in vtraque manu simul sursum atque deorsum mouetur; ergo mouetur simul contrarijs motibus. Respondeo, moueri rem simul sursum & deorsum ad duo loca inadæquata in quibus illa potest realiter existere, non repugnat, sed tantum simul moueri sursum & deorsum ad duo loca adæquata, in quibus talis res non potest esse simul naturaliter, hi enim motus sunt contrarij, secus illi; anima ergo rationalis in casu argumenti tantum mouetur ad motus vtriusque manus sursum & deorsum ad duo loca inadæquata, in quibus illa potest naturaliter existere, vt per se constat, & idcirco id naturaliter non repugnat, nec motibus contrarijs mouetur.

DISPVTATIO XXIV.

De actione creatiua.

SEX capita continebit. In primo, quid creatio, & varia placita circa eius distinctionem ab agente & termino. In secundo, creatio actiua non distinguitur ab agente & termino, sed in sola Dei volitione consistit. In tertio, argumenta aduersantia profligantur. In quarto, an creatura aliquid creare possit? In quinto, an idem possit producere se ipsum. In sexto, an eadem forma simul creari, & educi queat.

CAPVT I.

Quid creatio, & varia placita circa eius distinctionem ab agente & termino.

ARist. negauit possibilē esse actionem creatiuā 1
& ob eam causam statuit mundum ab æterno

vt

vt poneret ſubiectum aliquod cõmune ex quo res omnes educerentur, vnde iudicauit impoſſibile ex nihilo aliquid fieri, ſeu non ex aliquo ſubiecto, & in hoc errore fuiſſe Platonem, & alios Philoſophos teſtatur Tertullianus lib. contra Hermogenem capite 1. & 8. Epiphanius 7. Lactan. lib. 2. de origine errorum, quos multi hæretici ſequuti ſunt, vt negarent creationem: res tamen certiſſima eſt actionem creatiuam eſſe poſſibilem & de facto dari ex ſacra pagina manifeſte oſtenditur. Primò, ex illo Machab. 2. cap. 7. Peto nate, vt aſpicias ad cælum & terram, & ad omnia, quæ in eis ſunt, intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus & hominum genus. Secnndò, ex illo Geneſ. 1. *in principio creauit Deus cælum & terram & cete grandia*, communiter enim Deus dicitur creator cæli & terræ, nam etſi actio creatiua ſuperet vires naturalis agentis, quod nihil efficere poſſit non concurrente ſubiecto, Deus tamen, cuius infinita eſt virtus naturæ leges infringere poteſt, & per ſe ſolum concurſum ſubiecti perfectiori modo, hoc eſt in genere cauſæ efficientis ſupplere, vt de facto ſupplet in ſpeciebus Euchariſtiæ; ergo actio creatiua ex ſe eſt poſſibilis.

2 Creatio igitur, eductioni opponitur, atque ita cum res quæuis per contrarium cognoſcatur, non poteſt eductionis quidditas exacte cognoſci, niſi formalis ratio creationis penitus explicetur, creatio vt docet Doctor Angelicus 1. part. quæſt. 45. artic. 1. eſt productio rei ex nihilo, Marſilius in 1. quæſt. 1. artic. 2. in 4. p. articuli docet rem ex nihilo produci, & ad creationem requiritur nihil eſſe aliud, quam negationem rei in aliqua temporis duratione ad ipſius rei productionem præcedere, ſed non bene, nam ſi Angelus ab æterno produceretur per poſſibile, aut impoſſibile, talis Angeli productio, cum eſſet independens à materia eſſet vera creatio, vt ſtatim demonſtrabo, & tamen non præcederet ad illum in aliqua reali temporis duratione, negatio Angeli, vt per ſe conſtat, nulla enim temporis duratio æternitatem antecedit; ergo ad rationem creationis non requiritur, quod præcedat realiter rei negatio.

3 Vaſquez 1. p. diſp. 172. cap. 3. num. 12. Tanner. 1. p. diſp. 6. quæſt. 1. dub. 1. & 3. quibus fauere videtur Valentia 1. p. diſp. 3. quæſt. 1. punct. 1. aſſerunt rem ex nihilo produci vt attinet ad rationem creationis eſſe quid nihilum ſeu negatio rei, ſeu produci ex negatione ſui ac proinde illas particulas ex nihilo duobus modis ſumi poſſe. Primò, affirmatiue; ſecundo negatiue, & ſic idem ſonat, ac non ex aliquo; affirmatiue verò, idem valent, ac ex non ente, ita vt res connotet negationem ſui, & præcedat productionem non tempore ſed natura, quod quidem non ita debet intelligi, quod in eodem inſtanti reali creationis proprio ſigno naturæ ſit negatio rei creatæ, & pro ſigno poſteriori ſit ipſa res creata, hoc enim aperte implicat vt oſtendimus ſupra diſp. 1. cap. 2. circa primam obiectionem, ſed ita explicari debet quod rei negatio rei productionem præcedat, vt talis negatio rei verè eſſet, niſi per talem eiuſdem rei productionem creatiuam impediretur, Neoterici quidam hanc ſententiam falſam dicunt, quia in hoc ſenſu etiam generatio formæ eſſet productio rei ex nihilo ſicut & ipſa creatio, nam verè eſſet negatio formæ, niſi per ipſam formæ generationem impediretur.

4 Sed hi recentiores non aduertunt, etiamſi per formæ generationem non impediretur, hoc eſt, ſi non generaretur forma, non fore negationem talis formæ, ſed ſolum priuationem, eſſet enim carentia talis formæ in materia apta, ſi verò Angelus v. g. non crearetur foret negatio illius, ſcilicet illius carentia & non in ſubiecto, aut materia apta, vnde ſententia & explicatio Vaſquez abſolute vera eſt, licet obſcure loquatur. Contra, ſecundo, tam forma materialis, quam accidentalis quando generatur, producitur ex negatione ſui, ſicut Angelus, & materia prima, & tamen non creatur; ergo creatio non bene explicatur per hanc negationem. Contra, tertio, ſi Angelus ab æterno fuiſſet creatus, quod poſſibile eſſe, admittit Vaſquez, vere actio illa fuiſſet creatio, qua Angelus tunc fuiſſet productus, & tamen non præceſſiſſet eius negatio, cum ſemper fuiſſet; ergo nunquam fuiſſet verum dicere, nunc non eſt; ergo nec dicere, nunc negatio eius eſt; ergo non præceſſit ex negatione ſui, nec per illam recte explicatur ratio creationis.

Clarius verò Molina dicta q. 45. art. 1. exponit 5
rem ex nihilo produci; eſſe rem produci independenter à materia vel ſubiecto, hoc eſt, fieri rem ab agente non concurrente ad illam cauſa materiali. Hæc quidem eſt ratio formalis creationis, quod ſic monſtro. Creatio directe ac formaliter opponitur eductioni ſed eductio eſt productio rei dependẽter à materia vel ſubiecto, hoc eſt concurrente ſimul cauſa materiali vt omnes admittunt; ergo creatio eſt productio rei independenter à materia vel ſubiecto, id eſt non concurrente cauſa materiali, atque ita ex eo præcisè, quod aliqua ſit productio rei independenter à materia, ſiue negatio illius præcedat, ſiue non præcedat erit proprie ac formaliter creatio.

Hoc poſito, in dubium vertimus, an hæc actio 6
creatiua ab agẽte, nempe Deo, & à termino ſcilicet re creata à parte rei diſtinguatur. Tres adinuenio ſententias, prima ſententia eſt actionem creatiuam eſſe modum quendam ex natura rei diſtinctum ab agente, & termino. Ita Suarez diſp. 20. met. ſect. 3. num. 11. & alij ab ipſo relati. Idem videtur etiam docere Molina in 1. p. quæſt. 45. art. 3. Tanner. 1. p. diſp. q. 6. dub. 1. num. 11. & 12. Arriaga diſp. 9. phyſic ſect. 4. num. 55. Ouiedo controuerſ. 13. Aureolus apud Capreolum in 2. diſtinct. 1. quæſt. 2. Carleton diſput. 41. phyſic ſect. 3. Hurtado diſp. 12. phyſic. ſect. 3. num. 73. Argentinus in 2. diſt. 19. quæſt. 1. art. 1. Ægidius in 2. diſtinct. 1. part. 1. quæſt. 3. art. 2. citatur etiam D. Thom. 1. p. quæſt. 45 art. 3. & 2. contra gent. cap. 18. Ferrara ibidem ad euidentiam, & plures alij recentiores. Secunda ſententia eſt actionem creatiuam ab ipſo termino citato à parte rei non diſtingui. Ita Vaſquez 1. p. diſp. 173. cap. 2. Coninch. 8. phyſic. cap. 2. q. 1. articulo 3. Plaça hic diſputatione 1. quæſtione 5. aſſertione prima & alij, Scotus in 2. diſtinct. 1. q. 2. §. ad quæſtionem iſtam, Valentia 1. p. diſput. 3. quæſt. 2. punct. 1. Caietanus, Ferrara, Pereyra 5. phyſic. capite 8. Durandus in 1. diſtinct. 1. q. 2. Tertia ſententia eſt actionem creatiuam eſſe ipſammet volitionem efficacem Dei, qua ipſe vult eſſe rebus independenter à ſubiecto communicare. Ita D. Thom. 1. part. quæſt. 45. artic. 3. & plures Thomiſtæ inſignes, quos refert Molina, ibidem, quos ſequitur Fonſeca 7. metaph. cap. 8. quæſtione 4. ſectione 3. 4. & ſequentibus.

* *
*

CAPVT II.

Creatio actiua non distinguitur ab agente & termino, sed in sola Dei volitione consistit.

QVidquid dixeris in hac re, graues patitur difficultates, quare facile non est in illa iudicium ferre, nonnulla tamen nos oportet prælibare, vt nostram in re adeo difficili sententiam proferamus.

7 Præmitto primò, actionem creatiuam in sua entitate formaliter esse independentem à subiecto. Probatur, actio creatiua directè ac formaliter opponitur actioni eductiuæ vt omnes fatentur, atqui actio eductiua ita est productio rei dependenter à subiecto vt ipsa etiam in sua entitate formaliter vere à subiecto dependeat, vt aduersarij ipsi admittũt, ergo actio creatiua, ita est productio rei independenter à subiecto, vt ipsa etiam in sua entitate formali verè à subiecto non pendeat. Confirmo, quando res creatur præter generationem non dantur nisi agens scilicet Deus, & terminus scilicet res creata, sed creatio nõ potest depẽdere ab agente aut termino tanquã à subiecto, ergo actio creatiua non depẽdet in sua entitate formaliter ab alio vt à subiecto: minorẽ probo, & primum actionem creatiuam non pendere vt à subiecto à Deo agente planũ est, Deus enim non potest esse causa materialis vt supra ostẽdi disp. 19. c. 3. circa finem. Porro non dependere à termino scilicet à re creata vt à subiecto & causa materiali, sic ostendo, mutua causalitas à priori verè repugnat, vt probaui supra disp. 22. c. 2. sed si ratio creatiua per quam à priori causatur terminus depẽderet & causaretur etiam à priori ab ipso termino, vt à subiecto & causa materiali daretur mutua causalitas à priori inter creationẽ & eius terminum vt ex ipsis terminis cõstat, ergo actio creatiua non pẽdet ab eius termino, vt à subiecto & causa materiali.

8 Præmitto secundò, omnem actionem creatiuam ab agente & termino distinctam in sua entitate formaliter esse accidens, licet ratione termini substantialis, qui per illam fit, soleat aliquando dici actio substantialis: & primum actionem distinctam, per quam accidens producitur, fore accidentalem patet, quia specificatur talis actio à suo termino cum sit via ad illum, ergo si terminus est accidentalis, etiam ipsa actio erit accidentalis. Deinde actionem etiam distinctam, per quam fit substantia non esse substantiam, sed accidens, sic ostendo: id, quod semper ita conuenit substantiæ, vt nunquam intret in eius rationem aut constitutionem formalem, non est substantia sed accidens, sed actio, qua fit substantia semper ita conuenit tali substantiæ, vt nunquam intret in eius rationem, ac constitutionem formalẽ; homo enim productus, etsi diuersa actione conseruetur semper manet idemmet homo formaliter, ergo actio, qua substantia fit, non est substantia, sed accidens. Confirmo, substantia vel suppositum est, vel in suppositum formaliter intrat, sed actio quæuis distincta, nec suppositum est, vt constat, nec in suppositum formaliter intrat, vt modo ostendi, ergo actio quæuis distincta ab agente & termino, non est substantia, sed solum accidens.

9 Præmitto tertio, omne accidens in sua entitate formaliter esse dependens inhæsiue ab alio, vt à subiecto, in quo sit. Probatur, accidens vt sic formaliter habet esse in alio, aliquo modo, quo opponatur formaliter substantiæ vt sic, cum accidens vt sic, & substantia, vt sic mutuo & formaliter opponantur, sed per hoc, quod est esse præcisè in alio intrinsece tanquam in termino, accidens vt sic non opponitur substantiæ vt sic, vnio enim hypostatica est in alio, scilicet in Verbo diuino intrinsece tanquam in termino, & est verè substantia, nec per hoc quod est esse in alio vt in subiecto, cui necessariò adhæreat, non verò, à quo inhæsiue depẽdeat, opponitur accidens substantiæ vt sic, nam vnio, qua materia vnitur formæ, etiam in contrariorum sententia necessariò est in forma vt in subiecto, cui adhæreat, & tamen est verè substantia, ergo accidens vt sic est in alio vt in subiecto, à quo inhæsiue dependeat, per quod verè opponitur substantiæ vt sic, quæ non potest inhærere substantiæ, dico, subiecto. Confirmo, modus quiuis alius accidentalis (excipio creationem, à qua præscindo) v.g. vbi, sessio, connaturaliter pendet inhæsiue à subiecto, sed ideo pendet ab illo inhæsiue, quia est accidens, ergo accidens vt sic, pendet inhæsiue à subiecto. Minor probatur, non est alia ratio, quare sessio v.g. pendeat à subiecto inhæsiue, nisi, vel quia secundum se habet necessariam connexionem cum subiecto, vel quia est accidens, sed non ideo sessio pendet inhæsiue à subiecto, quia habeat necessariam cõnexionem cum illo, nam substantia habet etiam necessariam connexionem cum subiecto, & non pendet inhæsiue ab illo, & ipsa sessio potest à Deo creari, & actu non pendere inhæsiue à subiecto, licèt habeat necessariam connexionem cum illo, vt supra ostendi disp. 19. c. 3. ergo ideo sessio pendet inhæsiue à subiecto, quia est accidẽs.

Assertio prima sit, actio creatiua non est distincta à parte rei ab agente & termino. Ita D. Thom. vbi supra & etiam in eadem 1. p. q. 19. art. 1. ad 2. & 3. & auctores secundæ, & tertiæ sententiæ. Probatur aperte ex dictis, actio creatiua est in sua entitate formaliter inde pendens à subiecto, sed omnis actio distincta ab agente, & termino est in sua entitate formaliter dependens à subiecto, ergo actio creatiua non est distincta ab agente & termino: consequentia est euidens, Maior ostensa est, n. 6. minorem autem sic probo, accidens vt sic formaliter est in sua entitate formaliter pendens inhæsiue à subiecto vt monstraui n. 7. sed actio quæuis distincta ab agẽte, & termino est verè accidens, dico, in sua entitate formaliter pendens inhæsiue à subiecto. Confirmatur, si actio creatiua, qua Deus in Eucharistia conseruat quantitatem, esset distincta ab agente & termino esset accidens sicut & ipsa quantitas, ergo cum accidens connaturaliter pendeat inhæsiue à subiecto, talis actio creatiua penderet inhæsiue, vel à Deo creante, vel à quantitate creata, atqui pendere non potest talis actio inhæsiue à Deo creante, cum Deus non possit esse subiectum, nec à quantitate creata, alioqui mutua causalitas à priori daretur inter actionem creatiuam, & qnantitatem creatam, quantitas enim fieret creatiue à priori per actionẽ creatiuam, & actio creatiua causaretur materialiter etiam à priori ab ipsa quantitate, quæ quidem mutua causalitas repugnat, vt probatum est supra disp. 22. cap. 1. ergo talis creatio non est distincta ab agente, & termino. 10

Dicat quis cum Suarez disp. 20. sect. 5. num. 2. 11 actionem creatiuam non pẽdere ab alio tanquam à subiecto, sed esse iutime in illo tãquam in termino, vel (vt alijs placet) esse in ipso tanquam in subiecto, cui adhæret, non vero, vt in subiecto, cui inhæreat, & à quo dependeat, nam cum actio creatiua sit ratio formalis, per quam res creata fit independens à subiecto, ipsa etiam debet esse independens ab illo, atque ita bene saluari, quod talis actio sit distincta

distincta ab agente & termino, & quod sit etiam creatiua hoc est à subiecto independens.

12 Sed contra: accidens vt sic formaliter, & vt opponitur substantiæ vt sic, non habet esse in alio intime tanquam in termino, nec esse in alio vt in subiecto, cui necessario adhæreat, sed habet esse in alio vt in subiecto, à quo inhæsiue dependeat vtostendi supra num. 6. Sed actio creatiua si esset, distincta ab agente, & termino, maximè creatio quantitatis in Eucharistia esset verè accidens vt proabaui numero 6. ergo talis actio creatiua si esset distincta ab agente & termino etiam si esset ratio formalis, qua res creata fieret à subiecto independens, ipsa esset pendens inhæsiue à subiecto, sed vt hi fatentur, actio creatiua, qua res creata fit à subiecto independens non potest ipsa dependere à subiecto; ergo talis; actio creatiua non est distincta à fundamento & termino.

13 Assertio secunda sit. Actio creatiua distinguitur re ipsa à termino, & est ipsa volitio Dei, qua ipse vult absolute, & efficaciter esse rebus communicare sine dependentia à subiecto, ita expresse Diuus Thomas dicta quæst. 45. articulo 3. Vbi sic ait, *creatio actiue significata significat actionem diuinam, quæ est eius essentia*, Sed volitio Dei efficax & absoluta est actio intentionalis Dei, quæ est reipsa eius essentia: ergo in sententia Diui Thomæ creatio actiua est volitio absoluta Dei, S. Thomam sequuntur communiter Thomistæ, supra pro tertia sententia, commemorati & Fonseca ibidem relatus, qui de hac re bene & copiose disseruit.

14 Probatur ratione, actio creatiua non distinguitur reipsa ab agente, & termino vt probaui assertione prima, sed est distincta reipsa à termino, ergo est idem cum agente, scilicet Deo, atqui in Deo non est alia formalitas, in qua melius possit creatio consistere, quam volitio efficax, qua vult esse rebus creatiue communicare, hæc enim habet connexionem necessariam cum re creata, quod est proprium creationis, ergo actio creatiua est formalis volitio efficax Dei, qua vult esse rebus creatiue communicare, id est sine dependentia à subiecto. Tenet discursus, minor, in qua sola est difficultas, contra Vasquez vbi supra sic probatur, actio creatiua est respectus realis ad terminum creatum, nam totum eius esse tendit ad terminum, sed respectus realiter est semper ad terminum distinctum à seipsa, ac proinde ipse realis respectus etiam re ipsa distinguitur à suo termino vt probaui in logica disputatio 17. cap. 2. numero 19. & 20. ergo actio creatiua reipsa distinguitur à termino.

15 Hinc obserua primo, creationem actiuam esse volitionem absolutam Dei, non vt cumque acceptam, sed vt connotantem terminum actu creatum, qui illi actualiter existat, Probatur, non potest concipi creatio actualis vt sic formaliter, non concepto etiam termino actu per illam creato, qui illi actualiter coexistit, ergo volitio absoluta Dei non vtcumque accepta, sed vt connotans terminum actu creatum, qui illi actualiter coexistat, erit formaliter actualis creatio. Obserua secundo ea, quæ in hoc capite diximus solum esse intelligenda de creatione actiua, nam si de creatione passiua sit, distinguitur realiter ab agente scilicet à Deo creante, & consistit in ipso termino creato connotante volitionem creatiuam Dei, ratio est quia creatio passiua est ratio formalis, qua terminus oritur creatiue à Deo, ac respectus realis quo respicit vt sui principium ipsum Deum, sed respectus realis est ad aliud distinctum realiter, ergo creatio passiua realiter distinguitur à Deo, sed non est modus distinctus reipsa à Deo creante & à termino creato vt supra ostendi, ergo solum consistit in ipso termino creato connotante volitionem creatiuam Dei.

CAPVT III.

Argumenta aduersantia profligantur.

ADuersus ea, quæ superius statuimus aliqua sunt sane difficilia argumenta, concernunt enim difficultatem Theologicam actuum liberorum Dei, sed ea supponentes, quæ circa Dei libertatem fides, ac Theologia docent, physicè tantum hanc difficultatem examinabimus.

16 Obijciat aliquis primo: quando species sacramentales corrumpuntur in Eucharistia manet Deus, & manet eadem quantitas, quæ modo creatur à Deo, & tamen non manet actio creatiua, cum quantitas tunc non creetur, ergo actio creatiua, quando quantitas à Deo creatur separatur realiter à Deo creatore, & species ab ipsa quantitate, igitur distinguitur ab illis realiter, cũ nequeat res à se ipsa realiter separari. Respondeo, sicut ignis Babylonicus pro instanti *A.* erat proxime potens ad comburendum & pro instanti *B.* in quo tres pueri in illo iniecti fuerunt, non fuit proxime potens, ideo præcise, quia Deus habebat, actum liberum, quo volebat concurrere cum ipso igne ad comburendum in instanti *A.* & non concurrere cum illo in instanti *B.* ita similiter quantitas Eucharistiæ supposita consecratione pro tempore, quo species sacramentales manent incorruptæ, est creata à Deo; pro tempore verò, quo corrumpuntur species non est creata, ideo præcise, quia Deus habet volitionem absolutam, qua vult efficaciter creare quantitatem pro tempore incorruptionis specierum & non creare illam pro tempore illarum corruptionis: vnde in vtroque casu deficit potentia ac creatio solum, quoad denominationem non quidem ex defectu entitatis in recto, quam potentia ad comburendum & creatio includit, sed ex defectu entitatis in obliquo, scilicet ex defectu temporis pro quo solum voluit Deus concurrere cum igne, & quantitatem in Eucharistia creare, ex quo fit creationem illam secũdùm connotatũ illud temporis in obliquo distingui à Deo, non vero secundum entitatem quam in recto includit, quæ est ipsa entitas volitionis Dei semper perseuerans.

17 Obijciat secundo, actio eductiua, qua aliqua forma à Deo ex materia educitur, distinguitur à parte rei ab agente & termino, ideo præcise, quia eademmet forma quæ educitur à Deo, potest ab eodem Deo non educi, sed creari, atqui etiam eadem forma, quæ modo creatur à Deo, potest ab eodem Deo non creari, sed educi, ergo etiam actio creatiua distinguitur ab agente & termino. Respondeo actionem eductiuam ab agente & termino verè à parte rei distingui, non verò propter rationem in argumento assignatam, quam supra disput. 23. cap. 2. numero 9. diximus; in nostris forte principijs instari posse, sed propter aliam, quam ibi explicauimus, scilicet actio eductiua, cum sit etiam essentialiter passio & causalitas materialis vt alibi ostendimus est dependens à materia seu causa materiali, atque ideo non potest consistere in volitione diuina, quæ est omnino à materia independens, sed consistit in modo

quodam distincto, qui pendet à causa materiali actio verò creatiua est in se ipsa independens à materia, vt supra ostendi num. 5. & ideo non potest consistere in modo actionis distincto, qui necessario deberet à materia pendere, sed consistit solum in volitione absoluta Dei, quæ est omnino independens à materia.

18 Obiiciat tertio: ponamus, quod Deus creet Angelum in hoc instanti A aliqua actione totali, & quod postea in instanti *B.* alia secunda actione creatiua, etiam totali creet illum, quod diuinitus non repugnat. Tunc sic, quando in creatura est de nouo aliqua denominatio intrinseca, est etiam de nouo aliqua entitas positiua vel in recto, vel in obliquo, sed in hoc casu in instanti *B.* est de nouo in Angelo aliqua denominatio intrinseca passiue creati, ergo in instanti *B.* est de nouo aliqua entitas positiua in recto, vel in obliquo, à qua Angelus intrinsece denominatur passiuè creatus, atqui in instanti *B.* non est de nouo entitas Dei, nec entitas Angeli, ergo creatio à qua Angelus intrinsece denominatur passiuè creatus, est entitas aliqua de nouo distincta ab entitate Dei, & entitate Angeli creati. Tenet discursus, maior primi syllogismi probatur, id, quod contradictorie opponitur nihilo, est entitas passiua vel in recto vel in obliquo, vt per se constat, sed quando est de nouo aliqua intrinseca ac realis denominatio in creatura, est de nouo aliquid, quod contradictorie opponitur nihilo, quia denominatio realis contradictorie opponitur negationi talis denominationis quæ quidem negatio est nihilum, ergo quando est de nouo aliqua intrinseca, ac realis de nominatio in creatura, est etiam de nouo aliqua entitas positiua vel in recto, vel in obliquo, minorem primi syllogismi sic ostendo. Creatio positiua distinguitur ab agente, & est intrinseca in ipso termino scilicet in Angelo creato, vt ostendi num. 13. Sed in prædicto casu Angelus in secundo instanti *B* est de nouo secundo creatus passiue per tertiam illam creationem totalem ipsius, ergo in tali instanti *B.* est in Angelo aliqua denominatio noua & intrinseca passiuè creati.

19 Sed obseruo primo: vt argumentum dissoluam, Deum posse habere in se nouam volitionem ac denominationem liberam absque noua entitate positiua, nec in recto, neć in obliquo, Probatur clare, potest Deus habere volitionem liberam, qua denominetur volens non creare Angelum quemdam possibilem propter aliquem finem, & potest etiam habere aliam volitionem liberam, qua denominetur volens non creare eumdem Angelum propter alium diuersum finem. Tunc sic, in hoc casu datur in Deo noua denominatio, ac volitio libera, qua vult non creare, eumdem Angelum propter alium finem, & tamen non datur entitas aliqua de nouo, nec in recto nec in obliquo, quæ alias etiam non esset, vt ergo Deus potest habere in se nouam volitionem ac denominationem liberam absque noua entitate positiua, nec in recto, nec in obliquo, daretur autem in tali casu esse in Deo aliqua noua entitas virtualiter, non vero realiter, hoc est, ita se habet Deus, & denominatur de nouo volens formaliter, ac si realiter noua aliqua entitas in illo esset, cum vero non sit in illo noua entitas realiter hoc enim est esse in illo nouam entitatem æquialenter, ac virtualiter, de quo alibi.

20 Obserua secundo, ad hoc, vt in creatura sit aliqua intrinseca denominatio sufficit, quod Deus de nouo habeat aliquam liberam volitionem ac denominationem intrinsecam. Probatur clare, ex eo præcise, quod Deus non habeat volitionem liberam concurrendi cum igne, ignis non est proxime potens ad comburendum, & ex eo præcise, quod Deus habeat volitionem liberam concurrendi cum igne, ignis est causa proxima potens ad comburendum, Tunc sic, in hoc casu est tantum in Deo quædam volitio libera concurrendi, & tamen est in creatura scilicet igne noua denominatio intrinseca, cum sit de nouo, ac intrinsece causa proxime potens ad comburendum, ergo ad hoc vt in creatura sit noua aliqua denominatio intrinseca, sufficit quod in Deo sit de nouo aliqua volitio libera.

Neoterici quidam dicunt, esse ignem causam 21
proximam comburendi, esse extrinsecum ipsi igni, quia constituiiur formaliter causa proxima per auxilium naturale Dei extrinsecum ipsi oblatum, atque ita ratione nouæ volitionis diuinæ habere ipsam denominationem causæ proximæ ad comburendum non quidem intrinsecam, sed extrInsecam, quod non repugnat. Sed aduertant quæso, hi Recentiores non esse idem formaliter causam proximam & causam totalem, nam causa proxima diuiditur in totalem & partialem, causa proxima totalis dicit in recto omnem causam, quæ ad effectum necessario concurrit, & in obliquo debitam applicationem vtriusque, verbi gratia, Deus & ignis in recto connotata in obliquo debita eorum applicatione, sunt causa totalis proxima combustionis. Causa verò proxima partialis est in recto aliqua causa, quæ ad effectum concurrit, connotata in obliquo alrera concausa ad effectum requisita, & applicatione vtriusque, verbi gratia, entitas ignis in recto connotando in obliquo auxilium naturale Dei paratum ad concurrendum cum illo, & debitam applicationem ad passum est causa partialis proxima ad comburendum. Hoc posito, arguo sic, licet esse causam proximam totalem sit extrinsecum igni, quia talis causa includit etiam formaliter, & in recto ipsam causam primam, quæ est extrinseca igni, tamen esse causam proximam partialem, est denominatio intrinseca igni, quia in recto solum includit formaliter ipsam entitatem ignis connotato in obliquo auxilio parato causæ primæ, atqui ex eo præcise, quod non sit volitio libera Dei, qua paret hoc auxilium ignis non est causa partialis proxima ad comburendum, & ex eo præcise, quod sit, quasi de nouo volitio libera Dei, qua velit igni parare suum auxilium, ignis est causa partialis proxima ad comburendum, ergo sufficit, quod sit de nouo aliqua libera volitio, ac denominatio in Deo, vt sit noua aliqua denominatio etiam intrinseca in creatura.

His obseruatis iam patet ad obiectionem so- 22
lutio. Respondeo ergo vt sit in creatura noua denominatio intrinseca sufficere, quod in Deo sit quasi de nouo aliqua libera volitio. Deus autem. in eo casu haberet nouam volitionem creandi, quasi secundò Angelum in instanti *B.* atque ideo in Angelo esset in eo instanti *B.* noua denominatio intrinseca creati à Deo, vnde ad hoc vt sit de nouo aliquid, quod contradictorie opponatur nihilo, sufficit, quod in obliquo saltem sit de nouo aliqua entitas, vel realis, vel æquialenter, & virtualiter, atque ita, cum pro instanti *B.* sit in Deo noua entitas virtualiter & æquialenter, quia licet non habeat illam realiter, ita tamen se habet Deus, & ita denominatur de nouo creans quasi secundò Angelum in eo instanti, ac si tunc vere nouam entitatem haberet, quod est habere illam æquialenter & virtualiter, ideoque ex parte creaturæ scilicet Angeli, potest etiam de nouo dari noua denominatio intrinseca creati, quæ nihilo

con

contradictorie opponatur abſque alia entitate diſtincta intermedia, in qua ratio creationis conſiſtit.

Obijciat quartò, quantitas, quæ in Euchariſtia
23 creatur à Deo, etiamſi exiſtat, poteſt à Deo nõ creari, ſed ſi non crearetur per actionem diſtinctam ab agente, & termino, ſed tantùm actiue per volitionem Dei, & paſſiue ac intrinſece per ſe ipſam, non poſſet talis quantitas à Deo non creari, ſi in rerum natura exiſteret, ergo quantitas in Euchariſtia creatur per actionem creatiuam diſtinctam ab agente, & termino. Minor oſtenditur, quia calefactio, qua hic ignis calefacit pendet intrinſece per ſe ipſam ab hoc igne, etſi exiſtat, non poteſt non pendere, & fieri ab illo igne, ergo ſi quantitas Euchariſtiæ intrinſece per ſe ipſam pendet & creatur paſſiue à Deo, ſi exiſtat, non poterit non creari ab ipſo Deo. Reſpondeo calefactionem huius ignis per ſe ipſam eſſentialiter oriri ab hoc igne, & ideo non poſſe ab illo non oriri, quantitatem vero Euchariſtiæ per ſe ipſam quaſi accidentaliter creari à Deo, & idcirco poſſe eſſentialiter ab ipſo Deo non creari, ſed educi, itaque modus ob ſui imperfectionem habet quod eius eſſentia non conſiſtat in potentia, ſed ſolum in actuali exercitio, hoc eſt ſolum poteſt præſtare eum formalem effectum, quem actualiter præſtat, & non alium, & eapropter vnio reddens actualiter vnitas, hanc materiam & formam, non poteſt alias partes vnitas reddere, & ſubſiſtentia quæ hanc naturam reddet ſubſiſtentem, non valet aliam naturam ſubſiſtentem conſtituere, & actio etiam calefactiua huius ignis, cum ſit etiam modus, ſi actualiter oritur ab hoc igne, & illum agentem reddit, non poteſt ab alia cauſa oriri, nec illam agẽtem conſtituere, atque ideo talis actio, ita per ſe ipſam eſſentialiter actu fluit ab hoc igne, vt non poſſit non oriri ab illo, entitas verò perfecta, vel quaſi perfecta, v. g. quantitas Euchariſtiæ non conſiſtit eſſentialiter in actuali exercitio, ſed in aptitudine & potentia, & ita eſſentialiter eſt apta, vt poſita & connotata creatione actiua Dei ipſa quantitas per ſe ipſam, quaſi accidentaliter denominetur paſſiue creata à Deo, & eo connotato ablato non denominetur creata paſſiue, ſed per aliam actionem eductiuam diſtinctam ex materia accidentaliter educatur.

24 Obijciat quintò, Angelus v. g. non eſt creatus ab æterno, atque ita ab æterno non eſt eius creatio; ſed volitio, qua Deus voluit efficaciter creare Angelum, eſt ab æterno, ergo creatio actiua non conſiſtit formaliter in tali Dei volitione. Confirmatur, ſi creatio conſiſteret formaliter in volitione diuina, idem formaliter eſſet Deum eſſe volentem creare, ac Deum formaliter eſſe creantem, ſed Deus ab æterno eſt volens creare Angelum, ergo Deus ab æterno eſt creans Angelum ac proinde Angelus ab æterno eſt creatus, quod eſt contra fidem. Reſp. actionem creatiuam non eſſe volitionem Dei abſolute ſumptam ſed illam, vt connotantem effectum actu ſibi coexiſtentem, vt oſtendi n. 13. vnde licèt volitio diuina creandi Angelum ſit ab æterno cum tamen ab æterno non connotet Angelum vt actu ſibi coexiſtentem, ideo ab æterno non eſt quoad denominationem Angeli creatio, nec eſt Deus ab æterno creans, nec Angelus ab æterno creatus. Ad confirmationem reſpondeo, volitionem creandi vt ſic formaliter ſolum connotare Angelum, vt futurum, ipſam vero volitionem, quatenus creatio eſt formaliter connotare Angelum vt actu exiſtentem, atque ita volitio diuina, & creatio licet non diſtinguantur ſecundum id quod dicunt in recto, diſſident tamen ſecundum id, quod connotant in obliquo, vnde cum ab æterno Angelus ſit futurus non verò actu exiſtens, ideo ab æterno fuit ſimpliciter in Deo volitio creandi Angelum, & Deus volens, & Angelus volitus creari, non verò fuit ab æterno creatio Angeli, nec Deus vt creans, nec Angelus vt creatus.

Obijciat ſextò, Deus habet in tempore denomi- 25
nationem creantis, quam antea non habebat, ſed non habet in tempore denominationem intrinſecam quam antea non haberet, alias intrinſece mutaretur, ergo denominatio creantis non eſt intrinſeca Deo ac proinde creatio non conſiſtit in volitione diuina. Confirmatur, ſi Deus poſſet eſſe in tempore de nouo intrinſece creans, etiam poſſet eſſe in tempore de nouo aliquid cognoſcens, vel volens, ſed Deus non poteſt eſſe de nouo in tempore aliquid cognoſcens, aut volens, ergo Deus non poteſt eſſe in tempore de nouo intrinſece creans, ergo creatio non eſt volitio diuina. Reſpondeo, Deum habere de nouo in tempore intrinſecam denominationem creantis reſpectu Angeli, v. g. non vero per aliquam entitatem, ac formam, quam de nouo intrinſece recipiat, ſed per ſuammet entitatem, ac volitionem, quam ab æterno habuit, poſito tantum in tempore quodam extrinſeco connotato, ſcilicet Angelo exiſtente, & ideo Deum non intrinſece mutari, quia ad intrinſecam mutationem neceſſarium erat, quod nouam denominationem haberet ratione alicuius formæ, quam de nouo in ſe reciperet. Ad confirmationem dico, ſi Deus aliquid in tempore de nouo cognoſceret, quod ab æterno non cognouiſſet, eſſet ab æterno ignorans, quod eſt abſurdum, & ſi Deus in tempore vellet aliquod obiectum, quod ab æterno illud, ac omnes eius circunſtantias eodem modo cognoſcens, non voluiſſet, eſſet moraliter inconſtans, & mutabilis, quod eſt imperfectio in Deo, & idcirco Deus in tempore non poteſt de nouo aliquid cognoſcere, aut velle, quod non cognouerit, aut voluerit ab æterno, at vero ex eo, quod Deus in tempore ſit de nouo intrinſecece creans, quod ab æterno non habuerit, nullum ſequitur abſurdum, & ideo recte poteſt eſſe de nouo intrinſece creans in tempore, & creatio ipſa non diſtingui à Deo, ſed conſiſtere in volitione diuina.

CAPVT IV.

An creatura aliquid creare poßit.

CErtum eſt nullam creaturam hactenus quid- 26
quam creaſſe. Ita colligitur ex illo Eccleſiaſtes primo, *Vnus eſt altiſſimus creator omnipotens*, quare Auicenna errauit libro primo ſufficientiæ cap. 10. exiſtimans Angelum ſuperiorem creaſſe inferiorem, infimum vero creaſſe res corporeas, ſimiliter errauerunt Simon Magus & alij eius diſcipuli apud Irenæum libro 1. aduerſus hæreſes capite 20. creationem mundi non Deo ſed quibuſdam intelligentijs tribuentes, prius errauerunt Manichæi, & Albigenſes apud D. Antoninum 3. p. hiſtoriæ, titulo 19. cap. 1. rerum viſibilium creationem adſcribentes cuidam Deo ſeu principio malo, ſed his erroribus eliminatis,

Quærimus modo, an ſaltem creatura aliqua 27
poſſit aliquid creare, & ratio dubitandi eſt, quia non implicat, eſſe aliquã creaturam intellectualẽ, &

Angelicam, ita perfectam, quæ possit aliquid creare; quare ergo dari non poterit talis creatura creatrix virtute diuina. Confirmatur, creatura potest producere formam concurrente etiam materia, ergo etiam poterit illam producere, non concurrente materia, ac supplere ipsa concursum materialem, & causalitatem illius, ergo talis creatura potest illam formam creare: secunda consequentia est euidens, antecedens tenet: primam consequentiam sic probo, creatura aliqua poterit facere id, ad quod tantum requiritur virtus finita, sed ad producendam formam non concurrente materia, hoc est ad supplendum sua actione concursum ac causalitatem materiæ, cum talis materialis causalitas finita sit, sufficit virtus finita, vt per se constat, ergo creatura potest producere formam non concurrente materia, ac supplere materialem concursum & causalitatem ipsius.

28 Dicat antem quispiam primo, inter esse, & non esse rei, quando non mediat esse virtuale materiæ, cuius potentia educatur, esse infinitam distantiam, atq; ita ad hanc infinitam distantiam percurrendam, & extrahendam rem ex non esse ad esse nulla mediante materia qualiter fit per creationem, requiri virtutem infinitam, cum autem creatura habere non possit infinitam virtutem, ideo non potest aliquam rem

29 creare. Hæc est solutio, & ratio communis.

Sed impugnatur, nam esse solum differt, ac distat à non esse per suam entitatem, sed esse creatum habet entitatem limitatam ac finitam, ergo esse creatum tantum differt ac distat à non esse distantia limitata ac finita, ergo ad percurrendam hanc finitam distantiam, & extrahendam rem de non esse ad esse nulla mediante materia sufficiet virtus finita, ac per consequens poterit talis virtus creaturæ communicari. Consonat huic impugnationi D. Thomas in 4. dist. 5. quæst. 1. art. ad 3. vbi ait, inter esse & non esse mandari infinitam distantiam nisi tale esse sit infinitum.

30 Dicat secundo, affectum vniuersalissimum tribui solum causæ vniuersalissimæ, nempe Deo, cum autem effectus creationis, sit vniuersalissimus, est enim ratio entis, quæ vniuersalissima est, ideo solum potest tribui non quidem creaturæ, sed Deo, qui tantum est causa vniuersalissima, ac proinde creatura non valet aliquem effectum creare. Hanc rationem assignant ex D. Thoma 1. p. qu. 45. art. 5. plures ex Thomistis.

31 Sed impugnatur, quia non creatur ratio entis in communi, alias omnino entia crearentur, sed creatur hæc ratio entis determinata & particularis, v.g. hic numero Angelus, aut hæc numero natura rationalis, sed hęc ratio entis determinata & particularis, v.g. hic numero Angelus, nõ est effectus vniuersalissimus sed effectus particularis & determinatus, ergo id, quod hic, & nunc creatur, non est effectus vniuersalissimus, sed effectus determinatus, & particularis, ergo effectus creationis non debet necessario tribui causæ solum vniuersalissimæ, scilicet Deo, sed etiam tribui poterit causæ determinatæ & particulari scilicet creaturæ, ergo creatura poterit aliquem effectum creare.

32 Dicat tertio, quo maior est improportio cum effectu in illo, ex quo effectus producitur, eo maiorem virtutem requiri ad producendum talem effectum, vnde si in materia ex qua forma aliqua educitur sit aliqua improportio cum tali forma, maior virtus requiritur ad eam producendam, quam si nulla improportio esset, & si maior & maior in illa sit improportio cum re producenda maior, & maior virtus requiritur ad producendam illam, atque ita si sit summa improportio cum effectu in eo, ex quo effectus producitur, summa ac infinita virtus requiritur ad eum effectum producendum, cum ergo nihilum, ex quo per creationem effectus producitur summam habeat cum effectu improportionem, summa, ac infinita virtus requiritur ad creandum effectum, & idcirco, creatura, quæ finitæ virtutis est non valet aliquando creare, ita D. Thomas dicta quæst. 45. art. 5. ad secundum & tertium.

Sed non conuincit, nam etiam, quo perfectius 33
ac perfectius est, obiectum visibile, eo perfectior, ac perfectior est eius visio, & tamen ex eo quod Deus sit obiectum visibile infinitè ac summè perfectum, non sequitur quod visio creata Dei sit perfecta summè, ac infinitè sed solum, quod sit visio finita alicuius generis superioris, ergo similiter, licet quo maior, & maior est improportio cum effectu in eo, ex quo, effectus producitur, eo maior, & maior requiratur virtus ad eum effectum producendum, & nihilum habeat summam improportionem cum effectu creando, non sequitur inde requiri ad creandum effectum ex nihilo virtutem summam, ac infinitam, sed tantum requiri virtutem quamdam finitam alicuius generis superioris. Vrgeo à priori, nam ad supplendam & compensandam aliquam improportionem finitam, sufficit virtus finita, sed improportio, quam habet nihilum cum re creanda quæ per creationẽ compensatur, est tantum finita, ergo ad compensandam talem improportionem actione creatiua sufficit virtus finita: minor probatur, nihilum eatenus improportionatur cum re creanda, quatenus hæc res habet entitatem, quam ipsum non habet, sed talis entitas rei est solum limitata & finita, ergo nihilum improportionatur cum tali re, improportione solum limitata & finita.

Dicat quarto, modum operandi sequi modum 34
essendi, atque ita si principium completum pendet à subiecto, eius operatio necessario debet etiam à subiecto pendere, cum ergo quoduis principium completum creatum etiamsi sit creatura aliqua Angelica perfectissima sit aliquo modo dependens à subiecto, includit enim ad minus subsistantiam distinctam, per quam completur in ratione principij, quæque verè dependet à subiecto, ideo omnis operatio creaturæ, seu principij creati debet necessario esse dependens, à subiecto, & eapropter creatura non valet aliquid creare, creatio enim est operatio à subiecto independens. in hanc rationem recentiores quidam ingeniosi conspirarunt.

Sed impugnatur, si Angelus crearet quantitatem, 35
v. g. principium completum includeret naturam Angelicam omnino independentem à subiecto, quæ esset formaliter principium, ac virtus creandi, & etiam includeret modum subsistentiæ dependentem à subiecto, qui esset complementum principij, quia cum tale principium esset substantia compleretur per substantiam in ratione talis principij, atqui etiam actio creatiua in commuui sententia includeret ipsam essentiam creationis independentem à subiecto, quæ esset ratio creandi, & includeret etiam modum quemdam adhæsionis pendentem inhæsiue à subiecto, qui quidem modus esset complementum actionis creatiuæ, nam cum actio creatiua esset accidens, compleretur per adhæsionem in ratione talis actionis, ergo principium creatum creationis secundũ naturam, ac essentiam principij esset æquè independens à subiecto, ac actio creatiua secundum essentiã creationis, & etiã actio creatiua secundum modũ adhæsionis, quo cõpletur in ratione

actionis

actionis esset æque dependens à subiecto, ac esset principium secundū modum subsistātiæ, quo complatur in ratione principij; ergo licet modus operandi imitetur modū essendi, principium aliquod creatum completum potest aliquid creare.

36 Assertio tamen sit. Creatura vt causa principalis non potest aliquid creare seu ex nihilo aliquid producere, sed hæc virtus creatiua, principalis soli Deo competit, iia Maior in 4. dist. 1. D. Thomas 1. p. qu. 45. art. 5. & 2. contra gentes. cap. 21. Scotus in 4. dist. 1. qu. 1. Ochan in 2. qu. 7. Valentia 1. p. disput. 4. qu. 2. punct. 4. Suarez disp. 20. met. sect. 2. Vasquez 1. part. disp. 175. cap. 1. & 2. Albertinus tom. 1. corol. 17. physic. sect. 7. Granado 1. par. contr. 6. disp. 3. num. 2. Tanner. 1. p. disp. 6. num. 3. Ouiedo contr. 13. physic. part. 4. num. 10. Carleton disput. 41. physic. sect. 6. Murçia libro primo de generatione disp. 1. quæst. 6. Hurtado disp. 17. physic. sect. 7. & est communis sententia Theologorum contra Durandum in secunda distinct. 1. quæst. 4. cui subscribunt Arriaga disput. 11. physic. sect. 5. num. 97. & 99. & alij.

37 Hæc assertio variè à Doctoribus probatur: prima ratio assignari solet, quod effectus vniuersalissimus debeat reduci in causam vniuersaliſſimam nempe Deum, sed terminus creationis est vniuersalissimus nempe ens in quantum ens, ergo debet reduci in solum Deum: sed hæc ratio non conuincit, nam licet creatio respiciat ens vt sic, & hoc non, quia cum Deus sit ens, & per essentiam ens posset creari, vel respicit ens, vt ens, quatenus per creationem producit non solum alias rationes, & prædicta, in quauis re repertas, sed etiam rationem entis, actiones enim physicæ, primo sunt circa singularia & ratione illorum feruntur in rationes communes, sed in hoc sensu generatio etiam respicit ens, vt ens, cum non tantum calorem, sed etiam ens producat, ergo prædicta ratio non est sufficiens.

38 Secunda ratio est. Suarez disput. 20. met. sect. 2. num. 1. asserentis, quod si possibilis esset talis creatura deberet de facto dari, cum spectet ad perfectionem vniuersi, vt ex omni rerum serie aliquæ saltem creaturæ sint productæ, & (vt inquit Arriaga num. 99.) non repugnat creatura tam perfecta, vt ex natura sua habeat hanc virtutem creandi, sicut & videndi Deum connaturaliter. Sed contra, vnde probatur Deum creare omnia, quæ spectant ad perfectionem vniuersi, & non esse possibiles alias creaturas & series rerum, quas Deus de facto non creauit, & creare possit, vt de corpore simplici diximus capite vltimo primi libri de facto non dari; diuina vero virtute non repugnare, an autem dari possit aliqua substantia supernaturalis tam perfecta, quæ petat connaturaliter videre Deum, res est Theologica.

39 Tertia ratio est eminentissimi Caietani, prima parte quæst. 45 art. 5. quia quo maior est distantia inter terminum *à quo*, & terminum ad *quem*. maior virtus requiritur ab vno ad alterum reducendum, sed inter terminum creationis, nempe ens, & terminum eius, à quo, nempe nihil, est infinita distantia, videlicet inter esse & non esse, ergo ad creandum requiritur virtus infinita: sed nec hæc ratio concludit, quia tam terminus generationis procedit ex nihilo si per nihilum intelligatur negatio rei genitæ, cum nihil talis formæ actu sit in materia, ex qua educitur, quam terminus creationis. Secundo, non est infinita distantia inter rem finitam & eius negationem, cum hæc commensuranda sit cum rei perfectione, quæ cum finita sit, eius etiam distantia, erit finita & consequenter non potest infinite distare ab eius negatione Alias adducunt rationes, Vasquez supra cap. 2. & Hurtado disput. 12. physic. sect. 7. §. 69. videantur ibi.

Probatur modo efficaciter nostra assertio. Si 48
creatura aliquid crearet, ageret eademmet actione creatiua, qua agit Deus, sed creatura non potest agere eademmet actione creatiua Dei, ergo creatura non potest aliquid creare. Consequentia est euidens. Maior sic probatur, quando aliqua causa agit, vt subordinata alteri, maxime si sic summè subordinata illi, agit necessario eadem actione cum illa, vt auctoritate D. Thomæ & inductiue probaui supra disput. 15. cap. 2. num. 12. sed si creatura aliquid crearet, ageret vt causa summè subordinata Deo, nam cum summè dependeat à Deo, & subordinetur ipsi in essendo, summe subordinaretur illi in operando iuxta dicta eadem disput. 15. cap. 1. ergo si creatura aliquid crearet, ageret eadem actione creatiua cum ipso Deo: minorem etiam primi syllogismi sic ostendo. Actio creatiua Dei est eius volitio, atque ita idem est formaliter & in recto creare effectum ac velle formaliter, quod existat effectus, vt late ostendimus supra capite secundo, sed creatura non potest velle formaliter per volitionem diuinam vt ex Theologia suppono. Ergo creatura non potest creare formaliter per actionem creatiuam Dei, vel quod idem est, non potest agere eadem actione creatiua cum ipso Deo, maximè enim videtur spectare ad dignitatem Dei, vt aliquæ sint creationes & effectus, aut aliqua series operationum, quæ ipsi soli iure competant, saltem connaturaliter, vidimus enim res per se loquendo, quæ perfectiores sunt, & perfectiorem habere aliquam operationum seriem sibi correspondentem; sic viuentia habent operationem vitalem, animalia sensitiuam, vitalia intellectualem, ergo ens omnium perfectissimum debet habere seriem aliquam sibi peculiarem, quæ alijs non conueniat, sed non potest esse nisi creatio, ergo hæc saltem vt principalis est tam propria Dei, vt nullæ creaturæ possit communicari, vt passim docent sancti Patres.

Hinc infero creaturam nullo etiam ratione pos- 41
se concurrere vt instrumentum Dei ad creandum ita D. Thomas dicta quæst. 45. artic. 5. in corpore, quem sequitur Vasquez tomo secundo, in primam partem disput. 176. cap. 6. cum communi schola Thomistarum, oppositum verò docet Suarez disp. 20. met. sect. 3. cui plures recentiores acquiescunt. Nostrum autem corollarium sic ostenditur, si creatura concurreret ad creandum vt instrumentum Dei ageret eadem actione creatiua cum ipso Deo, ageret enim vt sūme illi subordinata, sed creatura non potest agere eadem actione creatiua cum ipso Deo, vt nuper ostendi, ergo creatura non potest concurrere ad creandum vt instrumentum Dei, quia inde sequeretur talem effectum ita essentialiter pendere à tali instrumento, vt si illud decederet, aut deficeret, non posset à solo Deo conseruari.

Secundo infero creare ex genere suo arguere vir- 42
tutem, ac perfectionem infinitam in agente, ita D. Thomas dicto art. 5. ad secundum & tertium. Probatur, creare est agere formaliter per volitionem diuinam, cum creatio sit volitio Dei, & idem formaliter sit velle, diuinum, quod creare, vt explicui capite secundo, sed velle & agere formaliter per volitionem diuinam arguit agens esse Deum, in quo est virtus, ac perfectio infinita, etenim non creatura, sed Deus solus potest formaliter velle

&

& agere per volitionem diuinam, ergo creare ex genere suo arguit in agente virtutem, ac perfectionem infinitam.

43 Tertio infero solutionem ad rationem dubitandi supra positam. Dico enim implicare, quod creatura aliqua aliquid creare possit propter rationem, quam supra n. 37. reddidimus. Ad confirmationem Respondeo ad compensandam causalitatem finitam actione finita sufficere virtutem finitam, ad compensandam verò causalitatem finitam, actione aliqua infinita requiri necessario virtutem infinitam. Actio ergo creata est actio infinita, cum in diuina volitione formaliter consistat, atque ita ad compensandam finitam causalitatem materiæ actione creatiua requiri virtutem infinitam, quæ cum creaturæ communicari non possit; ideo non potest aliquid creare.

CAPVT V.

An idem possit producere se ipsum.

44 REs dupliciter potest produci, vel per solam vnam actionem ortam ab omnibus causis, vel per duplicem actionem, alteram à causa principali sola, alteram à principali simul, & instrumentali. Item res potest produci in primo instanti, in quo incipit esse & conseruari in instantibus sequentibus: quærimus ergo an à re per vnam actionem à solo Deo, vel aliquo agente creato producta, possit noua actio dari ad eamdem rem terminata qua se secundo producat.

45 Pro meliori intelligentia præmitto primo: nullam rem posse se primo, producere. Probatur manifeste primo, quia prius est rem esse, quam operari, ergo prius debet supponi existens, ergo non potest primo, se ipsam producere, cum ad aliquid agendum, seu producendum debeat necessario supponi existens. Secundo, actio productiua rei (de qua loquimur) est physica, ergo debet procedere à principio physice existente, ergo non potest per illam se ipsam producere. Tertio non potest aliquid eleuari, siue vt causa principalis, siue instrumentalis, ad aliquid agendum, nisi existat, si enim aqua eleuetur ad causandam gratiam baptismalem necessario supponenda est, vt fundamentum eleuationis, alias non existens producet, quod implicat. Quarto, quia cap. 2. negauimus mutuam causalitatem inter causas physicas, non solum in eodem, sed etiam in diuerso genere causæ, ergo si inter duas res distinctas realiter repugnat mutua causalitas, & productio quoad primam productionẽ, quia nihil potest esse prius & posterius alio, multo magis repugnabit respectu sui ipsius, ergo nulla res potest se ipsã primo producere.

46 Præmitto secundo, nullam rem posse seipsam secundò producere naturaliter, est manifestum, quia vna res non potest aliam iam per vnam actionem ab aliqua causa productam stante illa actione de nouo producere, ergo multo minus poterit seipsam producere, antecedens autẽ probatur, quia actio ex genere & conceptu suo ordinatur ad ponendam rem extra omnes suas causas à parte rei, sed hoc optime præstatur per vnam actionem totalem, ergo euidenter alia superflueret, & consequenter nulla res naturaliter potest seipsam secundo producere. Quærimus ergo an res existens per vnam actionem possit diuinitus eleuari ad se secundo per aliam actionem producendam, v.g. ignis primo, à solo Deo productus in instanti *A.* possit in eodem instanti seipsum secundo producere.

47 Pauci ex modernis hanc difficultatem attigerunt, duæ tamen extant extremæ, sententiæ, prima asserit non posse rem vllam obedientialiter eleuari ad se secundo producendam, alioquin in diuinis productionibus non facile assignari posset realis distinctio vnius personæ ab alia. Ita Vasquez Card. de Lugo disp. 7. de Eucharistia sect. 2. n. 11. Moncæus disp. 10. c. 16. Ouiedo c. 9. p. 10. Hurtado disp. 9. Physic. sect. 13. Secunda sententia est Suarez in 3. p. disp. 50. sect. 4. Arriaga disp. 7. Physic. sect. 9. & n. 14. Thomæ Carleton disput. 19. Physic. sect. 1. & 2 qui asserunt non repugnare idem eleuari ad se secundo physice producendũ, & alij plures ex Recentioribus.

ASSERTIO prima, potest aliquid tanquam causa moralis se secundo producere. 48 In hac auctores vtriusque sententiæ conueniunt, & communiter Theologi. Probatur, nam iuxta communem sententiam Theologorum Christus meruit suam resurrectionem, ac proinde vt existens in vno tempore meruit existentiam sui pro alio. Secundo, Christus Dominus existens in cælo est causa moralis productionis sui corporis in Eucharistia, cum hæc, sicut nec finalis ad operandum per secundam actionem, requirat existentiam. Tertio, Angelus existẽs in vno loco vel tempore, potest mereri existentiam sui in alio, vel per nouam vbicationem, aut reproductionem, ergo nulla apparet repugnantia in eo, quod eadem res concurrat ad productionem sui ipsius, aut conseruetur in eodem loco retinendo priorem actionem, per quam primo fuit producta.

ASSERTIO secunda: potest eadem res per diuinam potentiam eleuari ad se secundo physice producendam, ita auctores secundæ sententiæ. 59 Et pro intelligentia etiam præmitto, quod quando dicimus aliquid producere se, non quoad primum esse, sed quoad secundum esse, non esse ita intelligendum, vt sint duo esse, aut duæ essentiæ à parte rei, sed vnicũ esse, & vnica essentia, quæ vt primo producitur dicitur accipere primum esse & per aliam actionem à priori actione aliquo modo dependentem, accipere secundum esse, nec secunda actio posset subsistere adæquate sine dependentia à prima actione sicut esset, si ab alia causa distincta oriretur, & non à seipsa, posse tamen secundam illam actionem, qua res secundo producitur, vocari conseruationem, vt in reali duratione, illa actio erit conseruatio, quæ ponitur post primum instans realis durationis, ita & illa secunda actio ordine naturæ non incongrue dici poterit conseruatio, cum natura saltem sit posterior prima actione, per quã res accipit primũ esse.

Probatur Assertio, quia præcipua ratio, cur idem 50 non possit seipsum producere, est, quia ad operandũ primo requiritur existentia vt ostendimus n. 44. & ideo nihil potest producere seipsum, cum ad illam physicam productionem necessario supponenda sit existentia, & ante primum esse nihil existit, sed hæc ratio non militat in secundo esse, ergo potest aliquis seipsum secundo producere. Minor probatur. Ad hanc secundam actionem iam res supponitur existens per primam actionem, quia per illam independenter ab actione secunda supponitur extra causas, ergo pro illo priori habet sufficientem existentiam & aptitudinem ad operandum, ergo poterit diuina virtute idem eleuari ad se secundo producendum. Cõsequentiam probo, nam effectus potest eleuari ad secundo producendum suam causam, ergo & idem potest eleuari ad se secundo producendum, cum non maior implicatio in vno, quam in alio apparere videatur. Confirmatur, quia id, quod non implicat contradictionem, non est Deo denegandum, sed in causa efficiente, quæ non requirit vnionem, sicut causa materialis & formalis,

lis, nulla apparet implicatio, ergo. Hæc vero Assertio amplius probabitur ex argumentorum solutione.

51 Obijciat quis primo, idem non potest esse prius se, cum producens sit prius producto, alias idem dependeret à se ipso, quæ omnia sunt absurda. Respondeo idem non esse prius se ipso, nec dependere à se ipso, quoad primum esse, non verò repugnare esse prius se ipso, & dependere à se ipso iam producto, per secundam, actionem, cum eadem supponatur entitas effectus per primam actionem producta, & per secundam, vt diximus eodem notabili num. 47. & cum huiusmodi actiones sint distinctæ, nõ implicat, vt effectus sit prior respectu vnius, & posterior respectu alterius. Hinc colliges illam dependentiam non esse propriam, sed secundum quid, seu quoad secundum esse, quæ in mutuis causis inuenitur, per secundam enim actionem res non existit simpliciter, sed solum secundum quid, & mouo alio titulo.

52 Objiciat quis secundo, si idem posset se ipsum producere, posset Pater æternus à se existens producere seipsum, cum non requiratur distinctio inter principium producens, & productum, ex quo maxime eneruaretur mysterium Trinitatis, cum ex duabus processionibus non argueretur esse tres personas, duas productas, & vnam improductam, quæ sit origo Trinitatis, ergo sicut in creatis potest eleuari effectus ad secundo producendum principium, à quo primo fuit productus, ita poterit Filius à Patre productus eleuari, & producere secundo Patrem, ergo ex duabus productionibus non licebit arguere esse tres personas in diuinis, quod est contra fidem. Respondeo in creatis posse idẽ supernaturaliter eleuari ad secundo producendum se ipsum, non verò id præstare posse naturaliter vt vidimus numero 45. in diuinis verò id repugnare, quia nihil potest esse Deo ipsi supernaturale, sed naturale, vt impeccabilitas, visio Dei, & alia & in ijs, quæ naturaliter fiunt, quando vna actio totalis est sufficiens, alia superfluit, ergo si hoc vitatur in natura, multo magis alia totalis & partialis in diuinis, vnde licet in creatis possit Deus ad ostendendam suam potentiam efficere, vt res secundo producat se, non tamen potest in diuinis hunc sibi finem præfigere, cum omnis operatio ad intra in diuinis sit omnino naturalis & necessaria, & consequenter nisi naturaliter hoc habeat, non potest id efficere, vt videre est in Spiritu Sancto, qui se ipsum etiam supernaturaliter non potest secundo producere, cum nihil supernaturale possit esse in Deo respectu sui ipsius, & naturaliter id omnino repugnet, vt apud omnes in confesso manifestum est, vt vidimus supra nu. 45.

CAPVT VI.

An eadem forma simul creari & educi queat.

53 REcentiores quidam autumant de potentia Dei absoluta rectè posse eandem formam simul creari, & educi. Ratio est, quia bene potest diuinitus eadem forma esse per se radicaliter, & simul esse à subiecto dependens formaliter, atqui ex eo præcisè, quod forma aliqua creatur, tantum habet esse per se radicaliter, & ex eo quod educatur, habet esse dependens à subiecto formaliter, ergo eadem forma diuinitus potest simul creari & educi. Consequentia est euidens: maior probatur, eadem forma potest esse dependens à subiecto radicaliter, & simul esse per se formaliter, vt patet in quantitate Eucharistiæ, ergo etiam econtra eadẽ forma potest esse per se tantum radicaliter, & simul esse dependẽs à subiecto formaliter: minorem etiam primi syllogismi sic probo; res habet esse per se formaliter per modũ superadditum subsistentiæ, sed res, vt præcisè creatur, non intelligitur habere modũ substantiæ formaliter, sed solum radicaliter, hoc est, habere entitatem creatam, ad quam connaturaliter consequitur modus ille subsistentiæ, ergo res vt præcisè creatur, est tantum per se radicaliter, quod verò, ex eo, quod res educatur sit dependens à subiecto formaliter, omnes fatentur, & ideo alia probatione non indiget.

54 Dicat quis, licet res vt creata formaliter ac præcise non includat modum subsistentiæ, aut perfeitatis distinctum, illum tamen modum sequi connaturaliter ac necessario ad rem creatam, atque ita rem, ex eo, quod creatur, esse necessario existenrem per se formaliter, & idcirco non posse simul educi, & esse dependentem formaliter à subiecto, ac creari, & esse per se formaliter independentem ab illo, sed contra, sicut res creata petit naturaliter modum perfeitatis, per quem formaliter sit existens per se, ita accidens petit naturaliter modum inhæsionis, per quem sit formaliter dependens à subiecto, sed accidens virtute diuina potest existere sine modo inhæsionis, & esse solum dependens à subiecto radicaliter, vt constat in quantitate Eucharistiæ, ergo etiam res creata diuinitus esse poterit sine modo perfeitatis existens per se radicaliter tantum, ergo ergo tunc poterit simul educi, seu dependere à subiecto formaliter.

55 Præmitto primo, duplicem esse dependentiam formæ à subiecto, & duplicem etiam perfeitatem, ac independentiam, aliam à priori, aliam à posteriori, dependentia formalis à priori est illa, qua forma ita dependet à subiecto, vt per illam etiam causetur ab illo, quæ consistit formaliter in actione eductiua, qua forma pendet, & causatur à subiecto, dependentia formalis à posteriori est illa, qua forma pendet à subiecto, ita vt per illam non causetur ab illo, quæ consistit in vnione formæ materialis cum subiecto, per quã licet forma non causetur à subiecto, aliquo tamen modo dependet ab illo, perfeitas autem ac independentia formalis à priori est illa ratio, per quam res ita causatur, vt formaliter non dependeat à subiecto, quæ consistit in actione creatiua, per quam res ita causatur, & fit independens à subiecto, vt à priori non dependeat formaliter ab illo. Perfeitas ac independentia à posteriori est illa ratio, qua formaliter res est independens à subiecto licet per eam formaliter non causetur, quæ consistit in modo subsistentiæ per quem formaliter res non causatur, sed tantum est formaliter independens à subiecto, vt latius explicaui supra, disput. 1. cap. 1. num. 5.

56 Præmitto secundo, perfeitatem ac independentiam à priori directè ac formaliter opponi cum dependentia etiam à priori, atque ita rem independentem formaliter à priori, à subiecto non posse simul esse formaliter dependentem à priori ab illo, probatur, dependere & independere, seu (quod idem est) non pendere, contradictorie opponuntur, ergo ea ratione, qua aliqua res est formaliter independens à subiecto, non potest simul esse formaliter dependens ab illo, ergo res independens formaliter à priori à subiecto, non potest esse simul dependens formaliter à priori ab ipso. Confirmatur, independentia à priori ita opponitur cum dependentia à priori sicut opponitur independentia à posteriori, cum dependentia à posteriori, sed independentia à posteriori à subiecto, scilicet rei subsistentia non potest esse simul cũ dependentia à posteriori, scilicet

cum

cum vnione inhæsiua talis rei, ergo nec independentia à priori potest esse simul cum dependentia eiusdem rei à priori, ergo res independens à priori à subiecto non potest simul esse pendens à priori ab illo.

67 Assertio sit, eadem res etiam de potentia absoluta non potest simul creari & educi, ita Arist. & D. Thomas, Carleton disp. 41. physic. sect. 8. Hurtado disp. 12 physic. sect. 6. §. 106. & communiter recentiores. Probatur, eadem res non potest esse simul independens à priori à subiecto formaliter, & dependens formaliter, & à priori ab illo, vt ostendi numero præcedenti, sed res ex eo præcise, quod creetur, est formaliter independens à priori à subiecto, & ex eo, quod educatur est dependens formaliter à priori ab illo, ergo eadem res non potest simul creari & educi: minor quo ad secundam partem ab omnibus admittitur, quoad primã verò partem sic ostenditur. Per id aliqua res est positiuè ac formaliter independens à priori à subiecto, per quod proximè est apta fundare, negationem dependentiæ à priori à tali subiecto; sed res per creationẽ est proximè apta fundare negationem à priori à subiecto, nam ex eo præcise quod res creata sit, omni alio secluso, non erit dependens à priori à subiecto, ergo res creata per creationẽ formaliter, & ex eo præcise quod creetur, est formaliter independens à priori à subiecto.

58 Hinc ad rationem supra positam, Respondeo rem ex eo præcise, quod creetur, esse formaliter independentem à priori à subiecto, & ideo non posse simul educi, quia indepẽderet formaliter à priori, & etiam formaliter, & à priori penderet à subiecto, quod apertè implicat, accidentia verò, quæ in Eucharistia creantur, non dependent à priori à subiecto formaliter, sed solum radicaliter, id est, petunt à subiecto educi, & ab illo à priori dependere, & ideo rectè possunt esse per se, & non dependere à priori à subiecto formaliter, quia inde nulla sequitur implicatio vt constat.

59 Sed quærat quis, an forma rationalis, quæ modo creatur, possit diuina virtute non creari; sed educi. Non defuere, qui in partem affirmatiuam propenderent. Arbitror tamen ego omnino implicare. Ratio est, influxus alicuius causæ in effectũ non potest compensari, nisi per aliũ influxum æque nobilem, vel nobiliorẽ, sed influxus creatiuus, quo forma rationalis à Deo creatur est longè nobilior quouis alio influxu eductiuo, ille enim arguit in causa virtutem infinitam, iste verò tantum finitam, vt omnes fatentur, ergo influxus creatiuus, quo modo connaturaliter creatur forma rationalis, non potest compensari per concursum eductiuum, igitur forma rationalis, quæ modo creatur, nõ potest non creari, & solum educi. Confirmatur, forma substantialis spiritualis tam est secundum se independens à subiecto sustentationis, quam forma substantialis materialis, est secundum se independens à subiecto inhæsionis, quia forma substantialis spiritualis tam opponitur formæ substantiali materiali, quæ secundum se dependet à subiecto sustentationis quam forma substantialis materialis opponitur formæ accidentali, quæ secundum se dependet à subiecto inhæsionis; atqui forma materialis substantialis non potest etiam diuinitus dependere à subiecto inhæsionis, ergo forma substantialis spiritualis nec etiam diuina virtute poterit dependere à subiecto sustentationis, sed educi est formaliter dependere à subiecto sustentationis, ergo forma rationalis non potest educi.

* * *

DISPVTATIO XXV.

De infinito.

QVATVOR capita continebit. In primo inquiro an infinitum naturæ viribus dari queat? In secundo, an aliquod infinitum possit diuinitus procreari. In tertio, contraria argumenta diluuntur. In quarto, an Deus actu infinita cognoscat.

CAPVT I.

An infinitum naturæ viribus dari queat.

SIc infinitum definio, *infinitum est id, quod fine caret*, hoc est, quod in ea ratione, qua dicitur infinitum termino non circunscribitur, & si quis illud assumere aut numerare conetur, id quidem numquam percurret adæquatè nec ad terminum perueniet, sed vt docet Arist. hoc lib. 3. cap. 7. semper aliquid extra erit, nimirum aliquid restabit numerandum, vel assumendum. 1

Hoc autem infinitum primò diuiditur in infinitum in potentia & in infinitum in actu; infinitum in potentia est id, quod habet actu partes finitas, & potest habere plures & plures sine fine, & ita dicitur etiam infinitum sincathegorematice, id est, infinitum cum aliquo addimento, scilicet solum secundum causas possibiles, quæ ei aduenire possunt. Infinitum in actu est illud, quod actu habet partes infinitas, id est, partibus, quas in se actualiter includit nullus finis præfigi potest, & ideo dicitur etiam infinitum cathegorematice, videlicet quod sine vllo addito est absolutè infinitum. 2

Secundo, diuiditur infinitum in infinitum secundum essentiam, quod est id, quod in perfectione essentiali terminum vllum non habet, & in infinitum secundum intensionem, quod in intensione graduali nullo fine circunscribitur, & in infinitum secundum quantitatem, seu extensionem, quod in extensione, & magnitudine termino caret, & in infinitum secundum multudinem, quod tot vnitates includit, vt inter illas non possit vltima designari, alterum est infinitum secundum durationem quod saltem ab æterno, vel in æternum durat, de quo infra lib. 8. 3

Tertio diuiditur infinitum in infinitũ quocumq; modo, & infinitum simpliciter. Infinitũ quocumq; modo est id, quod licet fine careat, petit tamen in ea ratione dari aliud maius infinitum, vt tota hominum possibilium multitudo est infinitum multitudinis quocumque modo, quia licet fine careat multitudo oculorum, cum singuli homines binos oculos habeant, in ratione multitudinis est maius infinitum. Iufinitum simpliciter est id, quod fine caret, & in ea ratione non potest dari aliud infinitum maius, vt infinita omnium rerum possibilium multitudo est infinitum simpliciter secundum multitudinem, quia in ratione veræ multitudinis non potest aliud maius infinitum assignari; quærimus, ergo an aliquid infinitum ex dictis dari possit naturaliter à parte rei. 4

Assertio prima: infinitum cathegorematice secundum essentiam, & secundum intensionem non potest dari naturaliter à parte rei, ita Arist. hic cap. 5. & 6. Magist. in 1. dist. 32. D. Thom. 1. p. q. 7. art. 3. & 4. quæst. 5

quæſt. 50. art. 1. ad 3. & artic. 2. ad 4. & in 1. diſt. 43. q. 1. art. 2. Caiet. Zumel, Nazarius, Valentia 1. p. diſp. & quæſt. 7. p. 1. Ferrara 2. contra gent. cap. 81. Capreolus, Ægidius, Herueus, Scotus in 2. diſt. 1. q. 3. Conimbricenſes cap. 8. q. 2. Rubius q. 3. Maſius, Veracruz, Valeſius, Fonſeca 7. met. cap. 2. quæſt. 2. ſect. 3. Suarez diſp. 30 met. ſect. 17. Albertinus, Hurtado diſp. 13. phyſic. ſect. 1. Arriaga diſp. 13. phyſic. ſect. 3. Carleton diſp. 16. phyſic ſect. 2. & 3. Auerſa tom. 1. Philoſophiæ q. 24. ſect. 5. Complutenſes diſp. 18. phyſic. q. 1. & 2. Murçia 3. phyſic. diſput. 1. quæſt. 2. & omnes Philoſophi, & Theologi communiter. Non poſſe dari ſecundum eſſentiam infra cap. 2. num. 14. probabo, non poſſe dari ſecundum intenſionem ſic probo, ſi aliqua cauſa naturalis poſſet naturaliter efficere accidens infinite intenſum cathegorematice, eſſet vel cauſa vniuoca, vel cauſa æquiuoca, ſed nec cauſa vniuoca, nec cauſa æquiuoca poteſt illud naturaliter efficere, ergo nulla cauſa naturalis poteſt naturaliter efficere accidens infinite intenſũ, cathegorematice, ac proinde tale infinitum non poteſt dari naturaliter. Minorem, quoad cauſam vniuocam ſic oſtendo. Cauſa vniuoca debet in ſe formaliter habere totam perfectionem effectus, ſed non datur naturaliter de facto accidens infinite intenſum cathegorematice vt patet experienria, ergo non datur naturaliter cauſa vniuoca, quæ poſſit naturaliter efficere accidens infinite intenſum cathegorematice: eadem minor, quoad cauſam æquiuocam ſic probatur. lux eſt cauſa æquiuoca caloris etiamſi remiſſa ſit, & tamen lux remiſſa non valet producere calorem intenſum infinite, alias illum de facto produceret, cum ſit cau a neceſſaria, quæ agit naturaliter quantum poteſt, ergo cauſa æquiuoca non poteſt producere naturaliter accidens intenſum infinite.

6 Asserтio ſecunda, non poteſt dari naturaliter infinitum cathegorematice ſecundum quantitatem & ſecundum multitudinem in rebus corporeis. Probatur, non poteſt naturaliter produci aliquid niſi intra ſpatium huius vniuerſi, nam omnia, quæ naturaliter producuntur pertinent ad illud, & debent eſſe intra illud, ſed quantitas infinite extenſa, & multitudo rerum materialium, infinita cathegorematice, non poteſt eſſe aut produci intra ſpatium huius vniuerſi, quod tantum eſt finitum, ergo naturaliter produci non poteſt quantitas infinite extenſa, aut multitudo rerum materialium infinita cathegorematice, ac proinde non poteſt dari naturæ viribus infinitum cathegorematice ſecundum extenſionem, & multitudinem in rebus materialibus.

7 Assertio tertia, non poteſt dari naturaliter in aliquo determinato tempore infinitum categorematice ſecundum multitudinem in rebus ſpiritualibus, v. g. non poſſunt dari actu infiniti actus intellectus, aut voluntatis. Probatur, ſi darentur ſimul naturaliter infiniti actus intellectus, vel illos omnes produceret intellectus ſimul in aliquo inſtanti, vel ſucceſſiue in tempore vnum poſt aliud, ſed intellectus non poteſt infinitos cathegorematice, actus producere ſimul in eodem inſtãti, quia deberet habere ſpecies impreſſas, cathegorematice infinitas, quas de facto naturaliter non habet, nec illos poteſt habere ſucceſſiue in tempore, quia ad id neceſſarium eſſet quod fuiſſet iam tranſactum tempus actu infinitum, ante quodvis autem tempus determinatum non eſt infinitum in actu, ſed finitum tantum tempus dilapſum eſt, ergo in tempore determinato non poſſunt dari naturaliter infiniti cathegorematice actus intellectus, ac proinde nec infinitum multitudinis in rebus ſpiritualibus.

Obijciat aliquis, quantitas illa, quæ habet ſub ſe infinitas quantitates magis, ac magis extenſas in infinitum, eſt infinita cathegorematice ſecundum extenſionem; ergo res quæ ſub ſe habet infinitas alias magis, ac magis perfectas in eſſentia in infinitum erit cathegorematice infinita ſecundum eſſentiam, ſed Angelus continet ſub ſe infinitas ſpecies animalis magis, ac magis perfectas in eſſentia in infinitum, ergo Angelus eſt res infinita cathegorematice ſecundum eſſentiam ergo cũ Angelus detur naturaliter, naturaliter etiam erit aliquod infinitum cathegorematice ſecundum eſſentiam. Reſp. ad hoc vt aliqua res infinitas alias excedat in eademmet actione, in qua ipſæ ſe magis ac magis in infinitum excedunt, requiri quod talis res in ea ratione ſit actu infinita, ad hoc vero, vt infinitas illas res ſuperet in alia ratione, ſufficere, quod talis res ſit finita in genere nobiliori, vnde cum quantitas illa in eadem ratione ſcilicet in ratione extenſionis ſuperet infinitas quantitates magis ac magis in infinitum extenſas, ipſa quantitas debet neceſſariò eſſe infinite extenſa cathegorematice, Angelus verò, cum non in eadem, ſed in alia ratione ſuperet infinitas ſpecies animalium magis ac magis in infinitum in eſſentia ſe excedentes, non eſt neceſſariò ſubſtantia infinita cathegorematice ſecundum eſſentiam, ſed ſufficit, quod ſit finita in genere Angelico excellentiori.

9 Sed quæris, an dari poſſit naturaliter infinitum ſincathegorematice, Cẽſeo primò, nõ poſſe dari infinitum ſecundum quantitatem, & ſecundum multitudinem in rebus materialibus, quia cum ſpatium huius vniuerſi finitum ſit quantitate aliqua finita, & finita etiam multitudine rerum materialium replebitur, ac proinde maior alia quantitas, aut multitudo non poterit naturaliter in infinitum produci iuxta dicta n. 7. Cenſeo ſecundò, dari poſſe naturaliter infinitum ſincathegorematice ſecundum multitudinem in rebus ſpiritualibus. Angeli enim non tot cognitiones producet, quot non valeant per æternitatem plures, & plures in infinitum producere. Cẽſeo tertiò, non repugnare dari naturaliter infinitum ſincathegorematice ſecundum eſſentiam & intenſionem. Probatur, ſi aliqua ratione hoc repugnaret, maximè, quia cauſa naturalis, quæ poſſet producere accidens magis, ac magis intenſum in infinitum, & ſpecies perfectiores, & perfectiores ſine fine, eſſet infinita, quod non competit cauſæ naturali creatæ, ſed licèt id poſſet facere aliqua cauſa naturalis, non eſſet infinita, ergo id naturaliter non repugnat. Minor probatur, res finita nobilioris generis poteſt continere infinitas res magis, ac magis perfectas in infinitum inferioris generis, vt multis exemplis fit perſpicuum. ergo cauſa aliqua naturalis finita generis nobilioris poteſt continere & efficere naturaliter plures & plures gradus intenſionis ſine fine, & ſpecies perfectiores, ac perfectiores in infinitum generis inferioris, ergo licet totum illud poſſet cauſa naturalis, non eſſet infinita.

CAPVT II.

An aliquod infinitum poßit diuinitus procreari.

10 OMiſſo Abaylardi errore, quem poſtea ſecutus fuit Vviclef, vt refert Vvaldenſis, tomo 1. libro 1. capite 10. aſſerentis Deum non poſſe aliud efficere præter res iſtas, quas fecit, ac futurus

est,que merrorem Concilium Constantiense sessione 15.damnauit, solum quærimus in præsenti, an de potentia absoluta dari possit infinitum aliquod à parte rei,tam cathegorematice, quam sincathegorematice.

11 Tres adinuenio sententias. Prima sententia est non posse dari à parte rei nec cathegorematice, nec sincathegorematice infinitum secundum essentiam & intentionem, hoc est,non posse à Deo creari tam perfectam speciem ac essentiam finitam rei, vt illa vltima sit, nec possit alia perfectior etiam diuinitus procreari, ita Aureolus,vt refert capreolus in primo dist. 43.q. vnica art. 2. in argumentis contra sextam conclusionem & Durandi in primo dist. 14. quæst.2.& similiter posse à Deo tam intensam qualitatem produci,& licet finita sit illa intensio sit vltima, & non possit vlla ratione alia maior intensio produci.Ita de gratia habituali Christi,& alijs qualitatibus sensit Scotus in 3.dist.13.q.4.§. ad primam quæstionem dico, Henrricus quodlibeto8. dist. 44. quæst.2.& quodlibeto 5.lib.5.dist.5.quæst.1.Baconnius in 1. dist. 34. & acriter ex Recentioribus defendit Arriaga supra sect. 1. Secunda sententia est Deum de potentia absoluta posse à parte rei producere infinitum tantum sincathegorematice,hoc est, perfectiorem & perfectioremessentiam,intensiorem & intensiorem qualitatem sine fine & sic de alijs.Ita D.Thomas 1.p.quæst.7. art.2.3.& 4.q.25.art.6.& 1. de potentia artic. 2. ad nonum,& de veritate quæst. 20.artic.4.in 1.dist. 43. quæst.1. artic.3. & 2.contra gent.cap.26.Suarez disput.30.met.sect.17. num.19. Fasolis 1.p.quæst.7. art. 2.& 4. disput. 11.num.13. Hurtado disput. 13. Physicor. sect. 3. Ouiedo controuers.14.Physic. p.7.num.1. Caietan. Zumel, Capreolus in 1. dist. 43. quæst. vnica artic. 2.Herueus quodlibeto 7.quæst. 2. Soncinas 17. met. quæst. 5. Masius, Rubius, Complutenses disput. 18. Physic. quæst.2.Carleton disp. 46. Physic. sect.8.cum communi Philosophorum schola. Tertia sententia est diuinitus posse Deum in quouis genere infinitum etiam cathegorematice procreare excepto infinito secundum essentiam, quod tantum sincathegorematice, & in potentia infinitatem habet; ita Vasquez 1.p.disp. 26.cap.2.& 3. Ocham in 2.dist.1.q. vnica & quodlibeto 2.quæst.5.Gregorius in 2.dist. 6.quæst. 6. Hurtado disp. 13. Physicor.sect.2. & 3. Arriaga disp.13.Physicor.sect.4.Ouiedo controuers. 14.Physicor.p.4.num.10.Fasolis 1.p.quæst. 7.artic.3. 4. quam opinionem probabilem reputant Conimbricenses lib.5.Physicor.cap.8.quæst.1.& 3.eamque doctissimi Recentiores amplexantur alios sequuti, quos ipsi referunt artic. 1. Quibus etiam ego subscribo.

12 Assertio prima: de potentia Dei absoluta dari potest infinitum sincathegorematice in quouis genere etiam secundum essentiam.Ita Diuus Thomas dicta quæst.25.artic.6. & ibi Vasquez, Molina & omnes communiter, & pro hac assertione stant omnes illi, qui docent data quauis creatura ita perfecta posse aliam & aliam perfectiorem creari, quod est affirmare infinitum sincathegorematice non repugnare per diuinam potentiam. Ita etiam auctores secundæ sententiæ.Probatur,id,quod clare non implicat, non est negandum omnipotentiæ diuinæ, sed quauis essentia creata quamtumcumque perfecta non implicat aliam perfectiorem procreari, ergo Deus de potentia absoluta quauis essentia quamtumcumque perfecta creata potest aliam perfectiorem, & perfectiorem producere, ac proinde poterit dari sincathegorematice in finitum secundum essentiam:minorem sic probo:illa essentia creata,vel creabilis, quam tu supremam appellas, ideo solum potest produci à Deo,quia ipsa in se est finita,& non includit prædicata contradictoria, sed essentia alia finite perfectior esset etiam finita,quia, quod finite excedit finitum,est finitū, & nulla prædicata contradictoria in similitudine essent, aliàs contradictionem assigna, ergo quacumque essentia creata non implicat à Deo aliam perfectiorem procreari, Confirmatur, quæuis essentia creata est summe distans à Deo in perfectione essentiali, ergo non implicat alia perfectior essentia creari, quæ non accedat ad perfectionem Dei. Idem argumentum fieri potest ad probandum infinitum in potentia secundum intensionem & extensionem & 13
multitudinem.

Obiiciat quis, si quauis essentia creata posset à Deo alia perfectior in infinitum creari,essent possibiles infinitæ essentiæ creatæ se magis,ac magis in infinitum excedentes in perfectione essentiali,ergo in tota illa collectione creaturarum possibilium esset infinita perfectio essentialis, quæ quidem in creatis repugnat.

Respondeo,illam perfectionem essentialem, quæ in ea creaturarum possibilium collectione claudetur,non fore infinitam simpliciter, & intensiue, quia tota illa quasi terminatur, ac finitur in perfectione creaturæ, & etiam quia ea perfectio non inuenitur in vna entitate,sed in infinitis simul sumptis,esse vero infinitam perfectionem essentialem extensiue,& secundum quid,quia continet infinitarum perfectionum collectionem, & in ratione perfectionis essentialis creatæ, non habet finem, hæc autem essentialis perfectio infinita secundum quid 14
recte potest in creatis reperiri.

Assertio secunda: infinitum cathegorematicè secundum essentiam implicat à Deo produci. In hoc omnes vnanimiter conueniunt. Probatur primo ex illo Sapientiæ 12. *Omnia fecisti, in numero, pondere,& mensura*, Sed hæc verba repugnant infinito secundum essentiam,ergo. Secundo ex Diuo Thoma 1.p. quæst. 7. articulo 2. vbi loquens de essentia creata sic concludit, *quia habet esse, & non est suum esse, necesse est,quod ipsi etiam eius esse sit receptum,& contractum ad determinatam naturam, vnde non potest esse infinitum simpliciter*, Ex quibus verbis manifeste ostenditur repugnare creaturam aliquam infinitam simpliciter secundum essentiam; Probatur ratione, essentia, quæ in se est simpliciter limitata,ac finita non potest esse simpliciter infinita, atqui quæuis essentia,quæ à Deo causetur, vel producatur est simpliciter limitata,& finita vt monstraui supra disput. 13. cap. 1. numero 6. ergo quæuis essentia quæ à Deo causetur, aut producatur, non potest esse simpliciter infinita, ergo à Deo nequit simpliciter infinitum produci, secundum essentiam.

Confirmatur primo, infinitum cathegorematice in ea ratione, qua est infinitum, non potest finiri, sed quæuis essentia producibilis à Deo in ratione perfectionis essentialis finitur essentialiter in perfectione creaturæ, ergo nulla creatura producibilis à Deo, est infinita cathegorematice secundum essentiam, vel perfectionem essentialem.

Confirmatur secundo: Omnis natura creata & completa constat genere & differentia, ergo nequit esse infinita secundum essentiam, ex eo enim Deus secundum Diuum Thomam, Dionysium, & alios Patres,est infinitus in essentia,quia non est in aliquo genere, nec constat genere,& differentia, cum autē omnis creatura conster genere,& differētia

&

& sit terminata proprijs terminis, & lineis, nequit esse infinita, infinitum enim secundum essentiam hoc modo terminari non potest, ergo.

15 Objiciat aliquis, Deus potest producere actu infinitas creaturas, & essentias, quæ se magis, ac magis in infinitum excedant in perfectione essentiali, vt infra dicemus, ergo aliqua essentia illarum infinitas alias excedet, ac proinde erit simpliciter infinita. Resp. in illa infinita collectione creaturarum non fore aliquam essentiam quæ esset vltima, alioquin illa collectio non esset infinita, sed finita; & ideo non dari inter illas essentias aliquam, quæ alias omnes infinitas excederet, & esset simpliciter infinita, immo etiam si aliqua daretur essentia infinitas alias superans in perfectione essentiali, illa non necessariò esset infinita simpliciter, sed finita solum in nostro genere nobiliori vt supra n. 8 dictum est.

16 Assertio tertia. De potentia Dei absoluta dari potest infinitum cathegorematice secundum extensionem, intensionem, ac multitudinem. Ita auctores tertiæ sententiæ. Hæc autem assertio primo probatur, Deus de potentia absoluta potest facere totum id, quod non implicat, alias non esset omnipotens, sed non implicat produci à parte rei infinitum cathegorematice secundum extensionem, intensionem, & multitudinem, vt sequenti capite ex solutione argumentorum constabit; ergo Deus de potentia absoluta potest facere infinitum cathegorematice secundum extensionem, intensionem, & multitudinem.

17 Secundò probatur: ens reale potest actu existere, in eo enim differt à chimera, quod chimera non potest existere actu, ens vero reale potest actu existere, sed aggregatum ex infinitis Angelis possibilibus est verè ens reale; ergo aggregatum ex infinitis Angelis possibilibus potest actu existere, ac proinde dari potest cathegorematice infinitum; Minorem ostendo, ens reale est id, quod constat partibus realibus, & non includit in se prædicata contradictoria, sed aggregatum illud ex infinitis Angelis possibilibus constat ex partibus realibus & includit in se prædicata contradictoria, vnus enim Angelus alteri reipsa non contradicit, ergo tale aggregatum ex infinitis Angelis possibilibus est ens reale.

18 Tertiò probatur: in cognitione diuina datur infinitum in actu, & cathegorematice, hoc est, multitudo, & collectio creaturarum possibilium, omnis quantitatis extensio, & tota intensio possibilis, vt sunt in cognitione diuina actu non habent finem, vt c. 4. ostendam, ergo etiam dari potest infinitum cathegorematice in actu existentiæ, patet consequentia, quia potissimæ rationes aduersariorum æquè militant contra infinitū in actu cognitionis, ac contra infinitum in actu existentiæ, vt intuenti apparebit, ergo si adhuc datur necessariò infinitum in actu cognitionis, dari etiam potest in actu existentiæ.

CAPVT III.

Contraria argumenta diluuntur.

ADuersus sententiam, quam modo tertia assertione statuimus, plura afferuntur argumenta; difficiliora afferam, & eo dabo.

19 Objiciat quispiam primò, Deus non producit effectum nisi ex determinata intētione circa illum, sed si produceret infinitum non haberet determinatam intentionem circa illud, ergo Deus producere non potest actu infinitum. Confirmatur, numerus sumit speciem ab vltima vnitate, sed numerus infinitus non haberet vltimam vnitatem à qua specificaretur; ergo dari non potest actu numerus infinitus: Vrgeat, infinitum non potest augeri, sed si posset dari infinitum in actu v. g. infiniti homines, tale infinitum posset augeri, nam si Deus ex illis quatuor homines destrueret, adhuc maneret actu infinitum secundum multitudinem, infinitum enim, dempto finito, adhuc remanet infinitum, etsi iterum illos quatuor homines produceret, infinitum illud, quod remanserat, augeretur, ergo implicat dari actu infinitum. Respondeo, Deum sicut habet determinatam cognitionem circa infinitum, ita etiam habere posse circa illud determinatam intentionem, & sic producere tale infinitum. Ad confirmationem dico, numerum finitum specificari ab vltima vnitate, quam habet, non vero numerum infinitum, cum illa careat, vel melius dico, numerum specificari ab omnibus vnitatibus, quas in se includit, numerum quidem finitum ex finitis, ex quibus est vltima vnitas, numerum vero infinitum ex infinitis, in quibus vnitas vltima non reperitur. Ad aliam confirmationem dico infinitum posse augeri, & esse vnum maius alio materialiter, hoc est, habere plures vnitates, infinitum enim granorum plures vnitates habet, quam infinitum malogranatorum, infinitum vero formaliter, vt dicit præcisè entitatem finis, non posse augeri, nec vnum esse maius alio, nam vt sic formaliter consistit in indiuisibili, vt per se constat, obiecta autem facta solum probant infinitum posse augeri materialiter, quod fatemur.

Objiciat secundò: producantur infiniti homines 20
actu, & singuli eorum mittant singulos lapides in aceruum, lapides etiam erunt actu infiniti: iterum illi homines assumant ex illo aceruo singuli binos lapides, lapides quidem finientur, antequam omnes assumant, atque ita tales lapides sunt finiti, nam finitum est, quod finitur, ergo sequitur, quod lapides illi sint infiniti, & finiti, quod repugnat. Resp. in eo casu lapides illos finiri ab infinitis hominibus & alios infinitos homines remanere, qui lapides iterum non assumant, nam vnum infinitum hominum constat ex pluribus infinitis, non vero è contra, rationem infiniti finiri ab alio infinito, essentia enim Dei simpliciter infinita per infinitam Dei comprehensionem finitur.

Objiciat tertio, producat Deus infinitos homi- 21
nes in recta linea passu distantes versus oriens, & alios infinitos in ea linea passu etiam distantes inter se versus occidens, & omnes simul vno passu moueantur versus medium, in hoc casu ex vtraque parte lineæ, scilicet versus oriens, & versus occidens spatium vnius passus vacuum manebit, nam omnes illi homines, qui ex vtraque parte ad medium vno passu mouentur spatium vnius passus de nouo acquirunt, ille ergo homo, qui est iuxta spatium vacuum versus oriens, erit primus, & ille alter homo, qui est iuxta spatium aliud vacuum versus occidens erit vltimus; ergo in illa infinita collectione hominum, qui in recta linea ponuntur, datur primus, & vltimus, quod est contra rationem infiniti, implicat ergo dari actu infinitum.

Respondeo, in prædicto casu omnes illos homines simul non posse ex vtraque parte lineæ moueri ad medium, quia ad motum requiritur, quod sit terminus *à quo*, cum autem ex neutra parte illius lineæ sit terminus à quo moueantur homines illi, quia linea est infinita, & homines

mines sunt infiniti, ac proinde sine termino, ideo neutra parte lineæ possunt simul moueri versus medium, potest ergo quilibet homo seorsim ad quamvis partem moueri, & etiam omnes simul versus latus, non vero versus medium, quia non habent terminum, quem relinquant, quo cessat vis argumenti.

22 Objiciat quartò, Demus, quod sit in subiecto calor infinite intensus, hoc est infiniti gradus caloris se perficientes, & Deus in eodem subiecto inducat vnum gradum frigiditatis, iste quidem gradus frigoris expellet naturaliter ab illo subiecto vnum gradum caloris, cum quo opponitur, tunc sic arguo, primus gradus frigoris solum opponitur cum vltimo gradu caloris, sed in dicto casu ille primus gradus frigoris expellit vnum gradum caloris, cum quo opponitur; ergo expellet gradum caloris vltimum; ergo ille calor infinite intensus habet vltimum gradum caloris, quo eius intensio finiatur, ac proinde non erat intensus infinite.

Respondeo, primum gradum frigoris opponi cum vltimo gradu caloris, hoc est, cum illo, qui vltimo requiritur naturaliter ad introductionem formæ ignis, atque ita in tali casu primus gradus frigoris in subiecto introductus expelleret gradum octauum caloris qui vltimo requiritur naturaliter ad generationem ignis, & consequenter etiam expelleret alios infinitos gradus caloris superiores, qui sine gradu illo octauo non possent naturaliter existere. Ex quo fit intensionem talis caloris non habere vltimum gradum caloris, sed esse infinitum.

23 Objiciat quintò, gradus albedinis possibiles sunt infiniti, producat ergo Deus in subiecto omnes gradus intensionis albedinis possibiles, vno tantùm excepto, tunc gradus illi producti erunt actu infiniti, & albedo erit infinite intensa, quia infinitum dempto finito remanet infinitum: iterum Deus producat illum alium gradum albedinis in eodem subiecto, iam albedo illa erit magis intensa, quia habebit plures gradus albedinis, quam antea: arguo sic, maior intensio qualitatis solum fit per additionē noui gradus ad vltimum præexistentem; sed in dicto casu albedo infinite intensa magis intenditur per illum nouum gradum, quem Deus producit, ergo iste nouus gradus albedinis necessariò additur ad vltimum gradum albedinis præexistētem, ergo albedo illa infinite intensa habebat vltimum, gradum intensionis, ac proinde erat tantum finite intensa. Resp. in eo casu albedinem infinite intensam non posse magis intendi formaliter per illum nouum gradum aduenientem, quia non habet vltimum gradum, cui nouus gradus vniatur, atque ita subiectum cum nouo illo gradu albedinis non esset magis album intensiue, sed solum extensiue, quia non haberet magis intensam albedinem sed tantum plures gradus albedinis.

24 Objiciat sextò, si esse posset actu aliquod infinitum in creatis, posset dari visio Dei infinite intensa, ergo talis creata visio infinita Deum cognosceret infinite, ac proinde Deum comprehēderet, quod est impossibile. Resp. licèt talis visio creata Dei infinite intensa Deum infinite cognosceret, & omnia quæ sunt formaliter, & eminenter in Deo (quod non credo) non esset Dei comprehensio, quia ex parte modi non esset cognitio adæquata respectu Dei, hoc est, nō esset tam perfecta in ratione cognitionis, ac est perfectus Deus in ratione obiecti, vt per se constat, quod ad rationem comprehensionis necessario desideratur, de quo alibi.

Objiciat septimò, si daretur infinitum in actu, v.g. si esset in lapide grauitas infinite intensa, lapis 25
ille versus centrum motu summe ac infinite veloci per spatium diuisibile naturaliter moueretur, sed implicat lapidem per spatium diuisibile moueri naturaliter motu summe, ac infinite veloci; ergo implicat, quod detur actu grauitas intensa infinite. Minor probatur, si lapis motu summe veloci moueretur, talis motus fieret in instanti, nam si in tempore fieret, non esset summe velox, quia sicut nullum tempus datur ita breue, quo aliud breuius, & breuius in infinitum esse non possit, ita motus non potest fieri in tam breui tempore, quod non possit fieri in alio breuiori, atq; ita in tempore non potest esse motus ita velox, quod alter velocior esse non possit, vnde si motus illius lapidis esset summe, ac infinite velox, fieret necessario in instanti, atqui lapis non potest naturaliter moueri per spatium diuisibile in instanti, alias esset simul naturaliter in pluribus locis, ergo implicat lapidem illum per spatium diuisibile moueri motu summe ac infinite veloci.

Respondeo, illum motum lapidis, qui infinitam grauitatem haberet fore in tempore, ac summe velocem, ita vt alter motus velocior esse non posset, nam tempus solum componitur ex finitis instantibus, vt inferius dicam, & in quouis instanti lapis ille sine vlla interruptione, & morula adæquate moueretur, quod quidem est summa cum velocitate moueri, recte ergo stat, quod grauitas lapidis sit infinita, & eius motus summe velox, & tamen quod non fiat in instanti.

Objiciat octauò, producat Deus duas lineas actu 26
infinitas, quæ ab eodem puncto indiuisibili in infinitum ad modum trianguli protrahantur, quo magis hæ lineæ distant inter se, eò maius spatium est inter illas, sed cum sint actu infinitæ, distant infinite à puncto; ergo distant etiam infinite inter se, atque ita infinitum spatium interijcitur inter illas, sed implicat infinitum inter duas lineas concludi, hoc enim est terminum & finem habere, quod est contra rationem infiniti; ergo illæ lineæ nec distant infinite à puncto, neque inter se, nec ipsæ possunt esse infinitæ; Resp. cum illæ lineæ infinitæ non habeant in se ipsis partes aliquas determinatas, quæ infinite distent à puncto, vel inter quas infinitum spatium interijciatur, fateor tamen infinitum spatium interijci inter partes earum indeterminatas, hoc autem non est spatium illud infinitum termino, ac fine concludi, nam ad rationem termini, ac finis requiritur, quod sit aliquid determinatum, quod saltem à Deo possit designari, non ergo sequitur quod finiatur infinitum.

Objiciat nonò, producatur aliqua virga infinita 27
versus vtramque partem, quæ scilicet sursum infinite ascendat, & deorsum etiam descendat infinite, deinde auferat Deus circa medium illius virgæ quatuor palmos, & virga superior duos palmos descendat, & virga inferior alios duos palmos ascendat, & iterum connectantur, virga superior quæ duos palmos descendit, versus partem superiorem alios duos palmos spatij vacuos relinquit; ergo versus illam partem habet terminum ac proinde est finita. Similiter virga inferior quæ alios duos palmos spatij ascendit, versus partem inferiorem duos etiam palmos spatij vacuos relinquit; ergo versus illam partem habet terminum, & est finita; ergo tota illa virga quam infinitam dicebas, versus vtranque partem termino clauditur; & est finita; Respondeo, virgam illam inferiorem versus partem superiorem posse totam

totam illam verſus latera moueri, & etiam quamuis eius partem ſeorſim verſus medium, totam verò ſimul non poſſe deſcendere, & moueri circa medium, quia non habet verſus partem ſuperiorem, cum infinita ſit, terminum *à quo*, quem relinquat, quod ad talem motum neceſſario requiritur, & idem proportionaliter dico, de altera linea infinita verſus partem inferiorem, vt ſupra inſinuaui in ſimili caſu numero 21.

18 Obijciat decimo, creentur infiniti homines, & producatur aliqua linea quæ tot habeat palmos, quot ſunt homines illi infiniti, hæc quidem linea erit actu infinita, fiat deinde altera linea, quæ tot palmos habeat, quot habent manus homines illi, ita linea erit maior, & magis extenſa, quam illa, infinite, ergo non erat infinita. Reſpondeo primam lineam eſſe infinitam tantum verſus vnam partem, ſecundam verò lineam eſſe infinitam verſus vtramque partem, & ideo bene ſaluari, quod prima linea ſit infinite extenſa, & quod ſecunda linea ſit maior, & magis extenſa, quam illa infinite.

19 Sed vrgeat, efficiat Deus aliquam tertiam lineam, quæ tot habeat palmos, quot digitos habent homines illi, hæc tertia linea erit maior, & magis extenſa, quam ſecundam, ergo ſecunda linea non erat extenſa infinite verſus vtramque partem. Reſpondeo in tali caſu implicare, quod Deus faceret tertiam illam lineam quæ tot haberet palmos, quot digitos haberent homines illi infiniti, quia cum ſecunda alia linea quæ tot ſolum habeat palmos, quot haberent manus illi infiniti homines, eſſet infinite extenſa verſus vtramque partem, vt monſtratum eſt, repugnat apertè dari alteram lineam rectam quæ habeat plures partes vt ſit magis extenſa quam illa.

30 Obijciat vndecimo, omnis quantitas habet figuram; quia figura eſt paſſio quantitatis, quæ illam naturaliter comitatur, ſed figura eſt terminatio quantitatis, ergo omnis quantitas eſt neceſſario terminata, ergo non poteſt dari quantitas ſine termino, quæ ſit infinita, Reſpondeo figuram eſſe paſſionem quantitatis finitæ, non verò quantitatis infinitæ, atque ita poſſe recte dari quantitatem aliquam infinitam, quæ non ſit terminata per figuram.

31 Obijciat duodecimo, ſi poſſet dari actu infinitum, Deus poſſet producere omnia infinita, quæ poteſt, ſed implicat Deum producere omnia infinita, quæ poteſt, quia eius diuina potentia maneret exhauſta, cum aliud non poſſit producere, quod eſt abſurdum, ergo non poteſt dari actu infinitum. Reſpondeo ſicut potentia generatiua infinita, quæ eſt in Patre Æterno, licet non poſſit alium Filium producere, non eſt exhauſta, ſed perfecta, quia actu producit Filium infinitum, quem poteſt producere, ita omnipotentia Dei in prædicto caſu, licet aliam rem non poſſit producere, non eſſe exhauſtam, ſed perfectam, quia actu produceret, & conſeruaret res omnes infinitas, quas producere poſſet, deinde poſſet eas anihilare, & iterum illas producere, atque ita nulla via Dei virtus exhauriretur, & ſi efficeret à parte rei omnia poſſibilia infinita.

CAPVT IV.

An Deus actu infinita cognoſcat.

32 HÆc controuerſia agitatur admiſſa gratis ſententia communi, quæ aſſerit non poſſe dari à parte rei infinitum in actu, & quæritur, an ſaltem tale infinitum in actu, & cathegorematice dari poſſit in cognitione diuina, nonnulli aſſerunt Deum non cognoſcere infinita actu, & cathegorematice, ſed tantum infinita ſincathegorematice & in potentia, ita Durandus in 1. diſt. 39. quæſt. . cui acquieſcit Suarez tom. 1. in tertiam partem diſput. 26. ſect. 3. verſus finem.

Assertio tamen ſit, Deus per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ cognoſcit poſſibilia actu, & cathegorematice. ita D. Thomas 1. p. quæſt. 14. art. 2. quæſt. 25. artic. 3. & tertia parte quæſt. 10. artic. 2. ad 3. primo contra gentes, cap. 69. & ſecundo contra gent. cap. 22. Molina, ibidem. & Vaſquez diſp. 63. cap. 2. D. Auguſtinus quæſt. 12. de ciuitate Dei cap. 18. Didacus Ruiz de Montoia de ſcientia Dei, diſput. 20. ſect. 3. & 4. Herize 1. part. diſput. 16. cap. 4. Becanus de ſcientia cap. 10. quæſt. 3. Alarcon 1. p. tract. de ſcientia Dei diſp. 3. cap. 3. Plaça lib. 3. phyſic. diſp. 2. quæſt. 4. Murçia 3. phyſic. diſp. 2. qu. 4. Carleton ſupra ſect. 3. & alij plures. 33

Probatur primo, ex Auguſtino loco citato, qui de numero poſſibilium loquens, ſic ait: Reſtat eis, vt dicere audeant, &c. quod non omnes numeros Deus nouerit, eos quippe infinitos eſſe certiſſimum eſt. Et infra, Abſit itaque vt dubitemus, quod ei notus non ſit omnis numerus, quamuis infinitorum numerorum nullus ſit numerus, non tamen eſt incomprehenſibilis ei, cuius ſcientiæ non eſt numerus. Quid clarius? Secundo ex D. Thoma 1. part. quæſt. 25. artic. 3. vbi ſic ait: Cum potentia dicitur ad poſſibilia cum Deus omnia poſſe dicitur, nihil rectius intelligitur, quam quod poſſit omnia poſſibilia, & ob hoc omnipotens dicitur. Et ſecundo contra gent. cap. 27. *virtus diuina*, inquit, *ad omnia illa ſe extendit, quæ rationi entis non repugnant*, & paulopoſt, *omnia igitur Deus poteſt, quæ in ſe rationem non entis, hoc eſt, chimeræ non includit*, & tandem ex illo Matth. 9. *Omnia poſſibilia ſunt, credenti*, ergo nihil certius ex his teſtimonijs, & Theologis dici poteſt, quam ſcientiam Dei extendi ad omnia poſſibilia, etiamſi actu infinita ſint in cognitione diuina. 34

Probatur ratione: illa ſunt infinita actu, & cathegorematice, quibus, vt actu ſunt ſimul, non poteſt finis, ac terminus aſſignari, ſed omnibus creaturis poſſibilibus, vt actu ſunt ſimul in cognitione diuina, non poteſt vllus finis, & terminus aſſignari, ergo omnes creaturæ poſſibiles vt ſunt in cognitione diuina ſunt actu, & cathegorematice, infinitæ. Minor oſtenditur primo, Deus non tot creaturas finitas poteſt producere, quod non poſſit aliam, & aliam in infinitum producere, vt monſtraui ſupra n. 12. ſed ſi creaturis poſſibilibus, vt ſunt ſimul in cognitione diuina, poſſet finis & terminus aſſignari, omnes illæ collectim ſumptæ eſſent actu finitæ, atque ita ſi Deus omnes illas creaturas poſſibiles actu produceret, efficeret quidem ſolum creaturas actu finitas, & aliam non poſſet producere, ergo omnibus creaturis poſſibilibus, vt ſunt ſimul in cognitione diuina, non poteſt finis ac terminus aſſignari. Secundo oſtenditur minor, ſi omnes creaturæ poſſibiles actu exiſterent, creaturis actu exiſtentibus non poſſet finis præfigi, ſed omnes creaturæ poſſibiles actu ſunt in cognitione diuina, ergo creaturis poſſibilibus, vt exiſtentibus obiectiuè in cognitione diuina non poteſt terminus præfigi. 35

Confirmatur. Poſſibilia, quæ Deus cognoſcit, & quæ ſunt actu in cognitione diuina ſunt infinita vel actu vel in potentia, vt omnis ſchola admittit, ſed non ſunt infinita in potentia, ergo ſunt infinita in actu, ergo Deus cognoſcit actu infinita Probatur minor, infinitum in potentia 36

est illud, quod actu includit partes, seu vnitates finitas, & in potentia infinitas, quæ possunt actu esse, vt supra diximus n. 2. sed præter res possibiles, quæ cognoscuntur à Deo, & sunt actu in cognitione diuina, non dantur aliæ infinitæ res in potentia, quæ non cognoscantur, & sint, sed tantum possunt cognosci, & esse in diuina cognitione, etenim omnes res possibiles non solum in potentia, sed actu cognoscuntur actu necessariò à Deo, etsi actualiter sint in cognitione diuina; ergo possibilia, quæ à Deo actu cognoscuntur, non sunt infinita in potentia, vt sunt in diuina cognitione.

37 Obijciat aliquis primò, Deus eo modo cognoscit possibilia infinita, quo illa in se ipsis sunt infinita, sed possibilia, iuxta communem opinionem, quam supponimus, non sunt infinita in actu, sed tantum in potentia, cum non possint omnia simul actu à parte rei existere; ergo Deus non cognoscit possibilia infinita in actu, sed solum in potentia. Resp. omnia possibilia respectu actualis existentiæ realis in rerum natura esse iuxta communem non infinita in actu, sed tantum in potentia, quia omnia illa possibilia simul non valent naturaliter existere in rerũ natura, at verò respectu existẽtiæ obiectiuæ in cognitione diuina esse actu, & cathegorematice infinita, quia omnia possibilia sunt actu in Dei cognitione, & illis vt sic simul existentibus in tali diuina cognitione non potest finis assignari, Deus ergo cognoscit possibilia infinita actu, & cathegorematice, non provt sunt à parte rei, sed provt sunt intentionaliter in cognitione diuina.

38 Obijciat aliquis secundò, non potest dari quantitas infinite parua; ergo nec infinite magna; Secundò, si posset dari corpus infinitum, posset moueri, sed non potest moueri; ergo antecedens probatur, non posset moueri motu recto, quia infinite extenderetur corpus illud versus omnem partem, & consequenter replet omne spatium; ergo versus vllam partem posset moueri non motu circulari, quia iuxta Euclidem & Mathematicos, quævis duæ lineæ coniunctæ in centro, quo longius protenduntur, eo magis distant, cum hic protendatur in infinitum, distabunt infinite; ergo corpus illud non posset moueri circulariter. Tertiò, si daretur infinitum in actu; ergo & lumen gloriæ infinitæ intensionis posset dari, & si illud infundatur animæ, aut Angelo, videbit omnia in Deo, & consequenter comprehenderet ipsum, quod est absurdum; ergo & illud ex quo sequitur.

Obiecta sic dissoluo, ad primum Resp. negando consequentiam, quia si daretur quantitas infinite 39
parua, continuum componeretur ex indiuisibilibus, quod est contra Arist. qui asserit componi ex partibus & punctis, quæ separata existere possunt. Ad secundum, dico in sententia probabili admittente vnum infinitum maius alio, nullam inueniri repugnantiam in eo, quod corpus illud moueatur versus vnam partem, quin occupet totum spatium possibile, quia non esset immensum, vel dic secundam lineam vel funiculum esse infinite protensum versus orientem, & moueri etiam posse versus septentrionem, vel meridiem secundum quamlibet sui partem, licèt non tantũ simul posset pati varias alterationes à Deo. Ad tertiũ resp. dato, quod produceretur lumen gloriæ infinitũ, & animæ aut Angelo infunderetur sicut de facto de gratia habituali in anima Christi Domini philosophantur plures Theologi, ex eo tamen non sequeretur vel cognosci omnia in Deo, vel Deum comprehendi, cum non cognosceretur in quantum cognoscibilis est, & ea perfectione, qua potest cognosci, tam intensiue, quam extensiue, ex parte cognoscentis, & obiecti cogniti de quo late in materia de scientia Dei.

Hinc infero, Deum etiam per scientiam visionis 40
cognoscere res futuras actu infinitas, provt sunt in ipsa cognitione diuina. Probatur clare, quia Deus videt per scientiam visionis res omnes, quæ futuræ sunt per totam æternitatem, sed omnibus rebus futuris, per totam æternitatem, vt sunt simul in Dei cognitione, non potest finis non præfigi, ac proinde sunt actu infinitæ, vt in tali cognitione existunt; ergo Deus per scientiam visionis cognoscit res futuras, actu infinitas, provt sunt in ipsa cognitione diuina. Dices, in nullo tempore existunt creaturæ infinitæ in actu, ergo creaturæ non sunt actu infinitæ, ergo Deus non videt creaturas actu infinitas futuras. Resp. in nullo tempore determinato extituras esse creaturas actu infinitas, per totam vero æternitatem futuras esse creaturas sine fine, & cum illas omnes simul Deus videat, omnes illæ sunt actu infinitæ, provt sunt in cognitione diuina.

Et de tertio tractatu in librum tertium & quintum Physicorum dicta sint satis.

TRACTATVS QVARTVS,

In librum quartum & sextum Physicorum.

POST QVAM Philosophus de ente naturali vt mobili, ac de ipso motu disseruit, cum motus in loco fiat, & præcipuus motus, scilicet motus localis locum respiciat, in hoc libro quarto agit de loco, & quia locus magnam cum vacuo affinitatem habet, etiam de vacuo disputat, & cum etiam motus tempore mensuretur, de tempore tractatum aggreditur, & postea cum motus de continuorum genere sit, in libro sexto de continuo disceptationem instituit. Nos vero, quia tempus est quædam continui species, prius de continuo vt sic, deinde de duratione, ac tempore disseremus, & Philosophi doctrinam nostris disputationibus explanabimus.

DISPV

DISPVTATIO XXVI.

De loco, & vacuo.

OCTO capita continebit. In primo, locus realis extrinsecus explicatur. In secundo. Quid sit spatium imaginarium ostenditur. In tertio, an vbicatio distinguatur reipsa à re vbicata, & in quo eius formalis ratio consistat? In quarto, quotuplex, vbicatio sit, & quibus rebus conueniat? In quinto, an idem corpus possit esse simul in duobus locis adæquatis circumscriptiuè? In sexto, an corpus in duplici loco existens eadem vtrobique accidentia ex natura rei retineat? In septimo, an corpus existens in duobus locis, in vno possit habere diuinitus formas, quibus in alio careat? In octauo. Quid sit vacuũ, & quæsita alia expediuntur.

CAPVT I.

Locus realis extrinsecus explicatur.

1 LOcus realis extrinsecus sic ab Aristotele lib. 4. cap. 4. cum communi schola definitur: *est vltima superficies corporis continentis immobilis*, id est illa superficis extrema, per quam corpus immobiliter rem ambit, & circumscribit, vnde locus auium est aër, à quo circumdantur, & locus piscium est aqua, à qua ambiuntur.

2 Hæc autem communis loci realis definitio sic intelligenda est, vt non superficiès corporis nude sumpta, sed ipsa vt connotans talem determinatam vbicationem, ac extensionem localem sit verè locus alterius. Ratio est quia locus realis debet continere rem locatam, & esse immobilis, vt ex prædicta eius definitione colligitur, sed superficies secundum se præcisè continet rem locatam, at vero non est immobilis, cum possit ad aliam partem moueri, ipsa autem superficies, vt connotat talem determinatam vbicationem & extensionem localem qua hic affixa est, est immobilis, ergo superficies corporis non quidem secundum se nudè sumpta sed vt connotat determinatam vbicationem & extensionem localem, est vere locus.

3 Sed petis quare locus dicatur immobilis, cum vas possit moueri localiter, homo, terra, & alia Respondeo ab Aristotele & Philosophis, dici communiter locum continentem immobilem, non quia absolute immobilis sit, sed quia potest manere immotus, etiam si corpus in illo contentum moueatur, vt constat in dolio, quod immotum manet, etiam si ab illo vinum extrahatur, quod erat in ipso vt in loco; columna flante vento non mouetur, sicut aër, cum semper aquis succedat; improprie enim aliquid vocatur immobile, eo quod licet possit moueri, non tamen necessario mouetur, ad motum alterius, in quo sensu non solum superficies, sed etiam ipsum corpus contentum dici potest immobile, nec *immobile* dicit locum realem coniunctum cum vbicationibus, quia licet verum sit Petrum, vt est sub sessione non posse moueri, absolute tamen est mobilis, quia potest moueri, & mutare locum extrinsecum retinendo eumdem moraliter, non adæquate, sed ex parte cum vbicatio ipsa superficiei ambientis ingrediatur constitutionem loci extrinseci in ratione immobilis.

4 Obijciat aliquis primo, loco commutato res non mouetur localiter, sed non mutata superficie res localiter mouetur, aqua enim intra vas inclusa, cum mouetur vas, ipsa localiter mouetur, & tamen non mutat superficiem, sed semper ab eadem vasis superficie continetur, ergo superficies non est locus. Respondeo superficiem illam vasis secundum se nude sumptam non esse locum, quia est mobilis, esse verò locum ipsam superficiem vt connotantem talem determinãtam vbicationem vt nuper dixi, cum ergo in prædicto casu mutetur vbicatio talis superficiei, quia superficies illa vasis verè mouetur, & aliam vbicationem acquirit, ideo mutatur locus, quando aqua mouetur, mutatur enim superficies illa vt connotat vbicationem & habet rationem loci.

5 Obiiciat secundo, quando res mutat locum ipsa necessario localiter mouetur, quid enim est aliud moueri localiter, quam locum mutare, atqui res aliquando mutat superficiem, à qua continetur, etiam vt connotantem talem determinatam vbicationem, turris enim immota manens, modo ab hac aëris superficie connotante hanc numero vbicationem continetur, modo ab alia aeris superficie connotante aliam distinctam numero vbicationem circumscribitur, ergo superficies continens etiam vt connotat talem determinatam vbicationem non est vere locus. Respondeo rem moueri localiter esse solum mutare locum intrinsecum, scilicet vbicationem, quæ est per se terminus motus localis, non verò mutare præcisè locum extrinsecum, qui non est per se terminus motus, atque ita licet mutata aëris superficie à qua terris continebatur, ipsa immota persistat, talis superficies est locus extrinsecus illius. Deinde omnis aëris superficies, à qua turris ambitur, cum habeat moraliter eamdem indistantiam ab ipsa turri, censetur etiam moraliter habere eamdem vbicationem, & esse idemmet locus extrinsecus, ac proinde saltẽ moraliter habet turris eumdemmet locum extrinsecum quando immota perseuerat.

6 Obiiciat tertio, res spiritualis est in loco, & tamen non continetur ab aliqua superficie corporis; ad hoc enim necessarium est quod res cum ipsa superficie corporea quantitatiue coæquetur, quod conuenire non potest rei spirituali, ergo superficies corporis continentis non est vere locus. Respondeo superficiem vltimam corporis continentis non esse locum rei spiritualis quæ sic contineri nequit, vt argumentum conuincit, esse tamen locum rei materialis, quæ sic valet ab altera contineri, vnde res spiritualis non est in loco extrinseco reali, sed tantum habet vbi extrinsecum per quod coexistit spatio reali, vel imaginario.

7 Obijciat quarto, locus non est in alio loco reali, sed vltima superficies corporis continetur à proxima alia superficie eiusdem corporis, atque ita est etiam in illa tanquam in loco; ergo vltima superficies corporis continentis non est locus. Respondeo ad rationem loci realis extrinseci requiri, quod non continuetur cum re locata, alias vnum constitueret cum illa, atque ita res esset in se ipsa tamquam in loco, quod repugnat, cum ergo vltima superficies corporis continuetur cum alia proxima superficie eiusdem corporis, à qua continetur, ideo hæc non est locus illius.

8 Obijciat quinto, si Petro manente, Deus omnia alia realia corpora annihilaret, Petrus esset in loco, & tamen tunc continetur aliqua superficie corporis, ergo hæc superficies non est locus. Confirmatur cælum empyreum de facto est in loco, & tamen

non continetur alia vlteriori corporis superficie, nullum enim existit corpus vltra cælum empyreum, à quo possit circumscribi, ergo superficies corporis non est locus. Respondeo in prædicto casu Petrum non fore in loco extrinseco reali, sed tantum in spatio imaginario, in quo solum cælum empyreum de facto existit, cum non habeat superficiem corporis alterius, à qua ambiatur, quæ est locus extrinsecus realis.

CAPVT II.

Quid sit spatium imaginarium ostenditur.

9 NOnnulli censent spatium imaginarium esse negationem rei, vt vbicatæ, ac præsentis, id est negationem ipsius vbicationis, atque præsentiæ localis. Ita sentire videntur Vasquez 1.p.disp. 29.cap. 3.num.11.& 12. Arriaga disp.14. Physic.sect.3.n.63. Ouiedo controuers.15.p.2.n.1.Monçeus disp. 1.c. 2. & 8.P.Hurtado disp.14. Physic.sec.2.n. 25. Sed impugnatur primo, spatium imaginarium dicitur communiter esse id, cui res vbicata est præsens, sed res vbicata non est præsens negationi suæ vbicationis, tunc enim non est talis negatio, cum ipsa vbicatio per quam destruitur existat; ergo negatio vbicationis atque præsentiæ localis non est spatium imaginarium. Secũdo, Deus est etiam in spatio imaginario, vt tenet communis sententia, & tamen non est in vera aliqua negatione sui vt præsentis localiter, nam sicut ens positiuum vt sit verum requiritur, quod possit esse positiue absque fictione intellectus, ita negatio vt sit vera, requiritur quod absque fictione possit esse negatiue, negatio autem Dei vt præsentis nullo modo potest esse etiam negatiue, cum Deus omnino necessario ac per essentiam sit præsens atque ita non datur vera negatio Dei vt præsentis, in qua Deus verè existat, ergo talis negatio Dei vt præsentis non est spatium imaginarium, igitur nec negatio alterius rei, vt vbicatæ & præsentis localiter potest spatium imaginarium appellari.

10 Opinantur alij spatium imaginarium esse quãdam non repugnãtiam & capacitatem ad hoc vt corpus sit ibi præsens, quæ quidem capacitas re præsente manet expleta, & ita res locata dicitur esse in illa. Ita Molina 1.p.q.8.art.1.disp.3. Fonseca 5.met. c.5.q.1. Conimbr.lib.4.Physic.c.5.q.1.art.2.& l. 8.c.10. q.2. Arriaga 4. P. Hurtado disp.14. Physic.sect.2.n.15 & alij. Sed impugnantur, si talis capacitas daretur, esset quidem vel aliquid reale positiuum, vel aliquid negatiuum, sed non est aliquid reale positiuum nec aliquid negatiuum, ergo non est talis capacitas in qua tale spatium imaginarium consistat. Minor in qua est difficultas probatur, & primum illam capacitatem non esse aliquid reale positiuum patet, quia ante mundi creationem dabatur talis capacitas & de facto datur extra cælum empyreum, vt aduersarij fatentur, sed ante mundi creationem non fuit, & de facto extra cælum empyreum non est aliquid reale positiuum, ergo talis capacitas non est aliquid reale positiuum. Deinde illam capacitatem non esse aliquid negatiuum, sic ostenditur, si omne ens reale positiuum possibile de facto simul existeret, virtute diuina, esset adhuc prædicta capacitas vt aduersarij admittunt, & tamen tunc non esset aliquid negatiuum, nam præsente omni ente reali positiuo omnis negatio euanescit, ergo illa capacitas non est aliquid negatiuum.

11 ASSERTIO ergo sit. Sicut corpus reale extensum habens longitudinem, latitudinem, ac profunditatem actualem, est spatium reale, quo rerum vbicationes metimur, ita corpus extensum possibile habens longitudinem, latitudinem & profunditatem possibilem, quod ex modo concipiendi, vt existens, imaginamur, est spatium imaginarium, quo vtimur ad rerum vbicationes mensurandas, ita auctores n. 8.& 9. enumerati, & est cõmunis inter Philosophos. Probatur, quia spaitum imaginarium, vel est negatio rei vt præsentis, vel capacitas ad hoc vt corpus sit ibi, vel corpus extensum possibile, non enim est aliud, in quo possit formaliter consistere, atqui spatium imaginarium non est formaliter negatio rei vt præsentis, nec capacitas illa ad hoc vt corpus sit ibi vt monstratum est n. 9.& 10. ergo tale spatium est solum corpus extensum vt possibile, maxime quia hoc modo recte spatium imaginarium explicatur.

Sed quærat quis, quid sit rem esse præsentem spatio imaginario. Respondeo nihil aliud esse quam rem habere vbicationem actualem correspondentem illi vbicationi, quam corpus possibile (quod est spatium imaginarium) habere potest, hoc est, esse rem proxime aptam vt si corpus illud possibile, vt est possibile, existeret, illi vere actu co existeret. Ratio est, quia esse rem præsentem spatio imaginario non est, idem ac rem esse præsentem spatio reali, sed rem esse præsentem spatio reali est habere vbicationem correspondentem vbicationi, quam habet corpus reale in esse actuali, ergo esse rem præsentem spatio imaginario non est habere vbicationem correspondentem vbicationi, quam habet corpus reale in esse actuali, sed tantum habere vbicationem correspondentem vbicationi, quod habet corpus extensum in esse possibili. 12

Hinc infero Deum esse præsentem spatijs imaginarijs. ita Molina 1.p.q.8. art. 1. disp. 3. & Suarez disp. 30. met. sect. 7. n. 3. & lib. 4. de Angelis cap. 3. Arriaga disp. 14. Physic. sect. 4. Lessius lib. 2. de diuinis perfectionibus cap. 2. Monceus supra sect. 2. & 8. Hurtado disp. 24. Physic. sect. 3. Carleton disp. 33. Physic. sect. 4. Raynaudus disp. 7. q. 1. art. 6. Albertinus in prædimento Vbi, q. 2. Arrubal, Gamechus, Becanus. Valentia 1.p.disp. 1 q. 8. Maior in dist. 37. q. 2. & in 2. dist. 1. q. 1. Sotus 4. Physic. q. 2. Caietanus in cap. 12. Ioan. & alij, qui omnes hanc sententiam præclaris sanctorum Patrum testimonijs illustrant ex Augustino 21. de ciuitate Dei cap. 5. & lib. 7. confessionum cap. 5. 13

Primo probatur ex illo Iob. 11. vbi de Deo dicitur, *excelsior cælo est*, & canit Ecclesia, quem totus non capit orbis in tua se clausit, &c. & ad Hebr. 5. in quibus & alijs ostenditur Deum diffundi vltra orbes & cælos, & esse intime præsentem illis spatijs imaginarijs, quæ supra cælum empyreum in immensum protenduntur, & esse intra omnia, & extra omnia intrinsecum & extrinsecum, circumfusum, ita Heronymus in c. 66. Esaiæ, Augustinus in appendice de essentia diuina, Dionysius de diuinis nominibus cap. 1. Deus inquit, in cælo est atque in terra in mundo, circa mundum, supra mundum & supra cælum, Gregorius Hom. 17. in Ezechielem, Deus inquit, est interior, & exterior, replendo interior, circumdando exterior. 14

Probatur aperte ex dictis, rem esse præsentem spatio imaginario est habere vbicationem actualem correspondentem vbicationi, quam habet corpus extensum, (quod est spatium imaginarium) in esse possibili, vt nuper diximus, atqui Deus habet actualem vbicationem correspondentem omnibus infinitis vbicationibus quas habere potest corpus extensum, vel (quod idem est) quas habet in esse 15

possi

possibili, nam Deus per suam immensitatem est proxime aptus, vt si corpus illud possibile cum infinita vbicatione & extensione, actu existeret illi adequate coexisteret, ergo Deus est præsens omnibus spatijs imaginarijs. Confirmatur, quia Deus extitit ante omne tempus reale in tempore imaginario, alioquin non extitisset verè ante mundi constitutionem, quod nullo modo dici potest, ergo similiter modo extitit in spatijs imaginarijs, aliàs Deus mutaretur, & esset in duobus locis discontinuatis, quæ omnia absurda sunt, ergo, &c.

16 Contrariam sententiam tuentur S. Bonauentura in 1. dist. 37. art. 1. q. 2. Scotus in 1. d. 1. q. 17. Ricardus in 1. dist. 37, art. 1. q. 7. Capreolus dist. 37. q. vnica Scoti, Vasquez 1. p. dist. 29. cap. 2. 3. & 4. Granado 1. p. q. 5. disp. 3. sect. 2. Monçeus disp. 1. cap. 2. Fassolus 1. p. q. 2. art. 2. disp. 3. Ouiedo controuers. 15. Physic. p. 3. n. 5. Tanner 1. p. disp. 2. q. 2. dub. 4. qui omnes asserunt Deum in spatijs imaginarijs non existere, Probatur, quia vnum existere in alio, vel quod idem est coexistere illi est vtrumque actu existere simul, atqui quando existit Deus, spatium imaginarium actu simul non existit, ergo Deus non existit in spatio imaginario. Confirmatur, Deus non existit in nihilo, sed spatium imaginarium cum non existat est nihilum, ergo Deus non existit in spatio imaginario.

17 Respondeo vnum, existere in alio vt in spatio reali esse vtrumque simul actualiter existere, hoc est, habere, vnum vbicationem actualem correspondentem vbicationi quam actualiter habet aliud, vnum vero existere in alio vt in spatio imaginario non esse vtrumque existere simul actualiter, sed vnũ actu existere actualiter, & aliud simul existere possibiliter, hoc est, habere vnum vbicationem actualem correspondentem vbicationi, quam aliud habet in esse possibili; cum ergo Deus habeat vbicationem ac immensitatem actualem correspondentem omni vbicationi, quam corpus extensum habet in esse possibili, ideo Deus existit in illo tanquam in spatio imaginario. Ad confirmationem concedo Deum non esse in nihilo, id est in eo, quod non habet esse reale actuale non possibile, vt chimera, esse vero in nihilo, id est, in eo, quod licet non habeat esse actuale, habet tamen esse possibile, quale est spatium imaginarium.

Non inficior in hac re esse solum inter auctores
18 de nomine dissensionem, nam Vasquez admittit cum Suarez Deum habere vbicationem correspondentem vbicationi quam habet corpus extensum in esse possibili, hoc ergo vocat Suarez Deum esse in spatio imaginario, deinde Suarez, etiam admittit cum Vasquez Deum ita existere in loco vt spatium imaginarium actualiter non existat, hoc ergo appellat Vasquez Deum non esse in spatio imaginario, igitur in re conueniunt omnes, licet in vocibus discrepent, nos vero cum communiori sententia cui sancti fauent, loquamur.

CAPVT III.

An vbicatio distinguatur re ipsa à re vbicata, & in quo eius formalis ratio consistat.

19 OPinantur quidam vbicationem per quam formaliter res existit in loco esse præcise denominationem desumptam à loco reali extrinseco, & ab ipsa re locata, sicut similitudo inter duo alba est solum denominatio desumpta ab ipsis extremis albis. Censent alij vbicationem esse modum intermedium distinctum à re locata & à loco ipso, esseque veram relationem actualem talis rei ad locum realem, vel saltem ad spatium imaginarium. Alij arbitrantur vbicationem esse modum distinctum non vero entitatem respectiuam, sed absolutam, per quam res est alicubi, hoc est, est apta proxime distare vel coexistere alteri rei, si forte sit possibilis, vt existat. His subscribo.

Assertio prima: vbicatio qua res est in hoc loco 20
reali, distinguitur à parte rei ab ipsa re locata, & à loco reali Ita Suarez disput. 51. metaphysicæ sect. 1. num. 14. Molina 1. p. q. 52. artic 1. disp. vnica membr. 5. Albertinus tom. 2. præd. Corollario 15. disp. 1. 3. & 4. Iann. disp. 5. de Angelis q. 2. disp. 2. n. 1. Murcia hic disp. 1. q. 4. Plaça 4. Physicor. disp. 1. q. 4. Toletus lib. 4. Physicor. q. 3. concluf. 2. Valesius controuers. 20. & 23. Hurtado disp. 14. Physicor. sect. 2. Arriaga disp. 14. sect. 2. & numero 49. Ouiedo controuers. 15. Physicor. p. 4. numero 3. Carleron disp. 34. Physicor. sect. & alij contra Valentiam 1. p. disp. 4. q. 3. punct. 3. Coninch de Sacramentis q. 5. art. 4. Sotum, Soncinam & alios. Probatur primo, cum quis mouetur ad hunc locum, motus ille, cum sit vera actio de prædicamento actionis, actiue constituit illũ in loco isto, ergo talis motus agit physice aliquid per quod formaliter homo ille in tali loco constituitur, sed non agit rem locatam nec locum ipsum extrinsecum realem, ergo agit modum vbicationis ab illis distinctum, per quem res in loco formaliter constituatur, ergo vbicatio est modus aliquis intermedius à re locata, & à loco distinctus. Probatur secundo à priori, potest esse hæc numero res, & hic numero locus realis extrinsecus, & tamen hæc res non esse vbicata in hoc loco, cum possit in alio loco existere; ergo hanc numero rem esse vbicatam in hoc numero loco, est aliquid re ipsa distinctum ab hac numero re, & ab hoc numero loco, ergo vbicatio est modus distinctus.

Obijciat aliquis potuit esse hæc numero quan- 21
titas Eucharistiæ, & hic numero Deus, & non esse quantitas passiue creata à Deo, sicut modo est, & tamen passiua creatio non distinguitur reipsa ab ipsa quantitate & à Deo, vt dictum est supra disput. 24. cap. 3. ergo licet esse potuerit hæc numero res & hic numero locus, & talis res non esset vbicata in tali loco, adhuc vbicatio non distinguetur reipsa ab hac numero re & ab hoc numero loco. Dices, quantitatem Eucharistiæ potuisse non esse passiue creatam, etiam nullo modo deficiente, quia Deus potuit habere decretum quo nollet ipsam creari. Sed contra, ergo etiam hæc res, nullo modo deficiente, potuit non esse in hoc loco vbicata, quia potuit Deus habere aliud decretum, quo vellet talem rem in hoc loco non vbicari. Hoc argumentum magnificant quidam Recentiores existimantes, si semel admittatur posse quantitatem sine modo distincto esse passiue creatam, & non esse passiue creatam pro sola variatione decreti diuini, consequenter esse necessario dicendum posse sine modo distincto esse rem vbicatam, aut non vbicatam, durantem nunc, aut non durantem, vnitam aut non vnitam, &cæt. pro sola diuersitate decreti diuini. Sed longè dispar est ratio in his rebus vt constabit.

Respondeo duplex esse genus formæ denominãtis, 22
alia est forma, quę tantum in existendo pendet à decreto Dei, ex suppositione vero, quod eius entitas conseruetur, & existat in subiecto, non pendet ab alio Dei decreto in denominando, quia scilicet in tali denominatione formaliter non includitur

respectus ad aliud decretum diuinum, hoc modo se habet forma albedinis existens in subiecto, pendet enim in existendo à decreto Dei volentis illum producere, ex suppositione verò quod iam sit producta in subiecto non pendet ab alio decreto Dei, in denominando subiectum illud album. Alia est forma, quæ etiam postquam producta est à Deo pendet in denominando ab alio decreto Dei, quia scilicet in tali denominatione includitur respectus ad aliud decretum diuinum; v. gratia entitas potentiæ ac causæ creatæ non denominat formaliter illam proximè potentem etiam partialiter causare, (quamtumuis à Deo conseruetur & existat,) nisi dependenter ab alio Dei decreto, quo ipse Deus velit esse paratus ad concurrendum cum illa, & defectu huius decreti ignis Babylonicus, cum tres pueri in ipsum iniecti fuerunt, non fuit etiam partialiter proximè potens ad comburendum.

23 Hoc ergo posito creatio passiua non solum in existendo sed etiã in denominando formaliter pendet ab alio decreto Dei, & dicit respectum ad illud, nã creatio passiua vt sic formaliter dicit respectũ ad creationem actiuam, creatio autẽ actiua est decretũ Dei volentis creare, vt ostensum est, disp. 24. cap. 2. atque ita creatio passiua vt sic formaliter includit respectum ad tale decretum Dei, vnde bene potest esse entitas, ac forma creationis passiuæ, & non denominare rem passiuè creatam solum ex defectu illius decreti diuini, quod necessario requiritur ad talem denominationem formalẽ, quare ex eo quod potuerit esse hæc quãtitas Euchariſtiæ, & hic Deus, & quantitas non esse passiuè creata à Deo, si modo est, non sequitur, quod passiua creatio distinguatur à quantitate, nam forma ac entitas creationis passiuæ identificata cum illa quantitate pendet in denominando formaliter à decreto Dei volentis creare, & solum ex defectu huius decreti non denominatur formaliter ac intrinsece quãtitas per se ipsam passiue creata. At verò forma volitionis (& idem dico de alijs) pendet tantum in existendo à decreto Dei, non verò in denominando ex suppositione quod existat, nam denominatio formalis rei vbicatæ vt sic formaliter non includit aliquem particularem respectum ad decretum Dei, atque ita si talis forma vbicationis verè sit, & conseruetur à Deo, non potest non esse denominatio formalis rei vbicatæ in loco, cum ergo in casu prædicto existat hæc numero res, & hic numero locus extrinsecus, & non sit formalis denominatio huius rei vt vbicatæ in hoc loco, sequitur euidenter, quod ibi non est forma vbicationis respectu talis loci, nam si esset cum non dependeat in denominando à decreto Dei necessario denominaret rem illam vbicatam in illo loco, ac proinde talis vbicatio est forma distincta à parte rei ab hac numero re, & ab hoc numero loco. Non ergo licet à creatione passiua ad vbicationem, & alias formas arguere, cum dispar ratio reluceat, quæ non infrequenter præ oculis habenda est.

24 Objicies secundo, potest Deus tollere omnem vbicationem à Petro Salmant. existente, quoad cætera immutato, sed tunc iam Petrus esset alicubi iuxta Aristotelem 4. physic. cap. 1. tex. 1. *nam quod nullibi est nihil est.* ergo vbicatio nec natura est, nec distinguitur. Minor probatur, nam Petrus tunc esset alicubi, & tamen non acquisiuit nouam correspondentiam ad aliud spatium, cum non possit illud acquirere sine noua vbicatione, ergo erit Salmant. sine vbicatione. Maior probatur, quia vbicatio est effectus proueniens à posteriori ab ipso Petro, ergo sicut materia prima potest denudari diuina virtute omni forma, ita & Petrus vbicatione. Respondeo negando maiorem & minorem vtriusque syllogismi, nam ratione circumstantiarum spatij, & negationum vndique in infinitum diffusarum implicat, aliquid esse quin sit penetratum cum aliqua parte illarum, & intime præsens in loco, & consequenter cum vbicatione per quam res constituitur in hoc potius tempore, & loco quam in alio.

Objicies tertio, prius natura, quam ponatur vbicatio, datur effectus formalis vbicationis, ergo vbicatio est superflua, antecedens probatur, prius natura quam Petrus v. g. producat aut recipiat vbicationem in hoc spatio, potius quam in alio, debet esse in hoc spatio potius quam in alio, quia prius est esse hic, quam operari hic, ergo antecedenter ad operandum hic seu in hoc spatio, debet esse hic, ergo prius natura debet esse hic, quam habeat hanc vbicationem, ergo vbicatio non est ratio formalis per quã Petrus est hic. Respondeo negando vtrumque antecedens, licet enim approximatio, & applicatio sit conditio prærequisita ad alias operationes, non tamen ad productionem vbicationis v. g. subsistentia requiritur ad alias operationes iuxta illud Aristotelis, actiones sunt suppositorum, non tamen est prærequisita tanquam conditio ad productionem sui, sicut etiam dicere solemus, omnia teget cælum præter seipsum, quare Petrus prius natura non habet vbicationem, sed præscindit ab ea, & illam habet in toto instanti reali, quæ antecedenter requiritur ad externas operationes, non verò ad productionem ipsius vbicationis, nec ad operationes externas, nam si Deus per impossibile constitueret Angelum extra locum, seu nullibi spoliatum omni vbicatione, posset Angelus tam expedite ac modo actus intellectus & voluntatis efficere, ergo non tam vbicatio requiritur ad actus internos, quam ad operationes externas. 25

Assertio secunda, modus vbicationis distinctus à re locata non est vera transcendentalis relatio ad locum realem, nec etiam ad spatium imaginarium. Ita recentiores non indocti, ac primum vbicationes non esse relationem transcendentalem ad locum realem, sic probo, cælum empyreum & Christus Dominus, qui iuxta probabiliorem sententiam supra superficiem conuexam ipsius cæli empyrei existit, veram habent vbicationem, cum verè distent à terra, quæ distantia est effectus formalis vbicationis, & tamen non habent locum realem extrinsecum, nulla enim est ibi superficies alterius corporis, qua cælum empyreum & Christus Dominus contineantur, ergo vbicatio non dicit relationem transcendentalem ad locum realem extrinsecum. Deinde, vbicationem non esse relationem transcendentalem ad spatium imaginarium probatur, etiamsi corpus extensum nõ esset possibile, Angelus existens haberet veram vbicationem, sicut modo habet, posset enim tunc moueri, motus autem ad vbicationem terminatur, atque ita tunc esset in Angelo vera vbicatio, & tamen tunc non daretur spatium imaginarium, quia corpus extensum non esset possibile, in quo spatium imaginarium consistit, vt dictum est supra capite secundo, ergo vbicatio non est relatio transcendentalis ad spatium imaginarium. Confirmatur, ita se habet vbicatio ad spatium, sicut se habet duratio ad tempus vt omnes admittunt, sed duratio non est relatio transcendentalis ad tempus reale aut imaginarium vt monstrabo infra disput. 28. capite secundo, ergo vbicatio etiam non est relatio transcendentalis ad spatium reale aut imaginarium. 26

Objiciat

27 Objiciat quiſpiam primo, vbicatio eſt ratio formalis per quam res eſt in loco, ſed non in loco intrinſeco, hoc eſt, in ipſamet vbicatione, quia potius vbicatio eſt in re locata, quam res locata ſit in vbicatione, ergo vbicatio eſt ratio, per quam res eſt in loco extrinſeco, ergo eſt relatio ad illum. Reſpõdeo ſicut natura per ſubſiſtentiam eſt in ſuppoſito, non quia natura quaſi inhæreat, & ſit in ſubſiſtentia, potius enim ſubſiſtentia quaſi inhæret, & eſt in ipſa natura, ſed quia per ſubſiſtentiam formaliter natura ſuppoſitatur, ita ſimiliter res per vbicationem eſt in loco intrinſeco, non quia res inhæreat, vel ſit in vbicatione, potius enim vbicatio inhæret & eſt in ipſa re, ſed quia per vbicationem intrinſecè ac formaliter res locatur, id eſt, fit proximè apta, quantum eſt ex ſe ad diſtandum vel coexiſtendum alteri rei, ſi exiſtat modo inferius explicando.

28 Objiciat ſecundo, vbicatio eſt præſentia localis, ſed præſentia localis eſt relatio realis ad aliud, cui res per illam eſt præſens, ergo vbicatio eſt relatio realis ad aliud, cui res eſt præſens, atqui illud aliud cui res eſt præſens eſt locus, ergo vbicatio eſt relatio realis ad locum. Reſpondeo vbicationem ſecundum ſe eſſentialiter non eſſe localem præſentiam actualem & abſolutam, ſed ſolum aptitudinalem, & ſub conditione, eſt enim ratio formalis, per quam res eſt proximè apta vt ſi fortè alia exiſtat cum ſimili vbicatione, ſit præſens illi, vnde talis vbicatio abſolutè & quoad eſſentiam non eſt entitas relatiua, ſed abſoluta, conditionatè verò eſt quoad denominationem relatiua, nam ſi alia res eodem modo exiſtat, res iſta per vbicationem formaliter denominatur præſens illi & relata ad illam ſicut entitas abſoluta albedinis, ſi ponatur alia albedo, per ſe ipſam denominatur ſimilis illi, ac relata ad ipſam. Vbicatio ergo abſolutè & ſimpliciter eſt forma abſoluta, & ex ſuppoſitione tantum, quod alia res exiſtat relatio prædicamentalis dicitur in ordine ad illam.

29 Objiciat tertio, vbicatio eſt ratio, per quam res dicitur eſſe hic, vel illic, & magis vel minus diſtare ab alia, ſed eſſe hic, vel illic eſt rem coexiſtere huic vel illi, extrinſeco ſpatio, & rem magis, vel minus ab alia diſtare, eſt maius, vel minus ſpatium inter illas intromitti, ergo vbicatio ſemper eſt ordo & relatio realis ad extrinſecum ſpatium. Reſp. rem eſſe hic vel illic abſolutè & ſimpliciter nihil aliud eſſe, quam habere hanc, vel illam vbicationem abſolutam, & rem magis vel minus diſtare ab alia, eſſe habere vbicationem abſolutam magis, vel minus diſſimilem illi vbicationi abſolutæ, quam habet altera, vnde Angelus, qui has vbicationes in ſe ipſis intuetur, ſecluſo extrinſeco ſpatio cognoſcit rem eſſe hic vel illic, & magis vel minus diſtare ab alia. Nos verò, quia has rerum vbicationes clarè in ſeipſis non conſpicimus, vtimur ſpatio extrinſeco, quod experimur, vel imaginamur, ad tales rerum diſtantias, & vbicationes metiendas, ſicut etiam vtimur vlna ad aliquas quantitates abſolutas menſurandas, licet ipſa quantitas non ſit relatio tranſcendentalis ad vlnam ſed entitas abſoluta.

30 Assertio tertia: vbi, ſeu vbicatio eſt modus quidam diſtinctus, per quem res dicitur eſſe alicubi, id eſt, eſt ratio per quam res eſt, quantum eſt ex ſe proximè apta ad diſtandum ab alia, vel coexiſtendum illi, ſi forte alia res exiſtat, à cuius poſſibilitate & exiſtentia præſcindit, ita doctiſſimi Recentiores. Probatur, quia vbicatio vel conſiſtit in denominatione deſumpta præciſe ex re locata, & ipſo extrinſeco loco, vel in actuali relatione tranſcendentali ad ſpatium reale aut imaginarium, vel ſolum in hac conditionali aptitudine ad diſtandum vel coexiſtendum alteri rei, ſi exiſtat, atqui vbicatio non conſiſtit in extrinſeca illa denominatione vt oſtendi numero 16. nec in actuali relatione tranſcendentali ad ſpatium vt probaui numero 20. ergo ſolum conſiſtit vbicatio in hac conditionali aptitudine, qua res eſt proximè apta quantum eſt ex ſe, vt coexiſtat, aut diſtet ab alia re, ſi fortè exiſtat.

Hinc infero primo, vbicationem ſolum ſpecificari per ſe à ſubiecto, non verò ab ſpatio. Probatur, ab illo præciſe res ſumit ſpeciem per ſe, quod ipſa per ſe, & eſſentialiter reſpicit, ſed vbicatio per ſe & eſſentialiter reſpicit ſubiectum non verò ſpatium vt dictum eſt, ergo tantum ſpeciem ſumit per ſe à ſubiecto, non verò ab ſpatio. 31 Secundo infero, vbicationem non eſſe ſubſtantiam ſedaccidens rei creatæ, ſemper enim aduenit rei conſtitutæ iam in ſua eſſentia, quod eſt proprium accidentis. Tertio, infero, vbicationem non diſtingui à ſubiecto realiter, ſed tantum ex natura rei vt modum à re, quia vbicatio nequit etiam de potentia abſoluta eſſe ſine ſubiecto, quod actu afficiat, atque ita eſt modus illius.

CAPVT IV.

Quotuplex vbicatio ſit, & quibus rebus conueniat.

DE hac re latè Suarez diſput. 51. met. ſect. 6. Petrus Hurtado diſput. 12. met. ſect. 6. *vbi ſex vbicatio*, alia eſt increata, ac infinita, alia finita, & creata, *vbicatio* increata eſt ratio per quam res aliqua connaturaliter, ac per eſſentiam neceſſario exiſtit in omni loco, quæ, ſi abſoluta ſit, immenſitas appellatur, & eſt vnica ac proprijſſima ſolius eſſentiæ Dei, *vbicatio* autem creata eſt duplex, alia circunſcriptiua, alia definitiua. Vbicatio circumſcriptiua eſt ratio per quam formaliter res eſt commenſuratiue in loco, tota ſcilicet in toto loco, loco, & pars eius in parte loci, ad quam naturaliter conſequitur, quod res ſit vbicata, poſſit ab alio corpore circumſcribi, & ideo vbicatio, ac præſentia circumſcriptiua vocatur, quia pars parti, & totum toti correſpondeat, ita, vt vnum corpus quantitatiue, ſit impenetrabile cum altero. Vbicatio verò definitiua eſt ratio per quam formaliter res eſt indiuiſibiliter in loco, ſcilicet tota res in toto loco, & tota in qualibet parte loci, quia pars non correſpondet parti, commenſuratiue, quomodo Angelus, & anima rationalis ſunt in loco, quia verò res creata naturaliter hoc modo ſpirituali vbicata non eſt apta à corpore circumſcribi, ac ſemper in loco definitiuo, & determinato exiſtit, ideo non circumſcriptiua, ſed vbicatio definitiua appellatur. Præſentia verò, ac vbicatio ſacramentalis, quam habet corpus Chriſti in Euchariſtia aliquid habet præſentiæ circumſcriptiuæ, cum ſit non ſolum ratione ſpatij, ſed etiam ratione ſubiecti diuiſibilis, plus tamen habet præſentiæ definitiuæ, cum per illam Chriſti corpus totum ſit in toto loco, & totum in qualibet parte loci, & ideo talis præſentia, & vbicatio ſimpliciter poteſt dici definitiua, appellatur definitiua, quia non ſolum corpus Chriſti reddit penetratum cum quantitate panis, ſed etiam omnes partes corporis 32

Chriſti

Christi penetratas inter se, vt quantitatem capitis cum quantitate manus, quia corpus Christi est in singulis partibus & punctis spatij, sine vlla tamen permutatione, aut partium confusione, hoc enim habet speciale *vbi* Sacramentale, quod singulæ eius partes vniantur toti corpori Christi, & reddat omnes eius partes penetratas inter se, quod nulli alteri vbicationi conuenit. His positis dubium est, quæ res propria præsentia locali, & vbicatione gaudeant.

33 Assertio prima sit, substantia spiritualis v. g. Angelus vel anima rationalis habet veram vbicationem definitiuam independenter ab omni corpore, cui coexistat. Ita Suarez disput. 51. met. sectione tertia & quarta, Molina prima parte quæst. 52. art. 1. Caietanus, Petrus Hurtado disp. 12. met. sectione sexta, Arriaga disput. 14. physic. sect. 5. Carleton disput. 34. physic. sect. 5. Murçia, Plaça, Oña, Auersa, D. Thomas prima parte, quæstione quinquagesima, articulo primo & secundo, & omnes eius discipuli etiam si dissentiant in modo illos constituendi in loco, Valent. tomo primo, disputatione quarta, quæstione tertia, punct. 2. & 3. & communiter Recentiores contra Vasquez prima parte, disput. 188. capite secundo num. 29. vbi ait eatenus esse Angelum in loco, quatenus pro sua voluntate habet quemdam modum, quo alicui corpori vnitur, qua vnione cum corpore, si vt potest pro libito suo, Angelus careret, non esset vbicatus, aut præsens loco, atque ita sentit substantiam spiritualem creatam propriam non habere vbicationem nisi dependenter à corpore.

34 Nostra verò assertio, quæ illi directè opponitur sic ostenditur, substantia quæ mouetur, veram habet vbicationem, nam vbicatio est terminus motus, atqui substantia spiritualis independenter à corpore, verè mouetur, anima enim rationalis Christi in triduo mortis quando fuit ab omni corpore dissita, descendit ad inferos, vt fides testatur, quod sine vero motu locari fieri non posset, ergo substantia spiritualis veram & propriam habet vbicationem independenter à corpore. Confirmatur, ponamus quod vnus Angelus sit in cælo empyreo, & alter in terra & quod postea Deus Angelis immotis manentibus omnia corpora in nilum redigat, nonne vnus Angelus manebit distans ab alio? quis non videat? sed distantia est effectus formalis vbicationis, ergo destructo omni corpore quiuis Angelus in hoc casu veram haberet vbicationem non ergo pendet eius vbicatio à corpore.

35 Sed respondet Vasquez tom. 2. in primam partem disput. 195. capite tertio, à numero septimo, substantiam spiritualem vel illam, quæ modo spirituali existit, quale est corpus Christi in Eucharistia non habere distantiam ab alio per se, & ratione sui, sed tantum per accidens, & ratione corporis, cui est vnita, quod per se ab altero distat, vnde Angelus, qui est vnitus cælo empyreo, & alter Angelus, qui esset coniunctus terræ, distarent tantum per accidens, scilicet ratione cæli & terræ quibus vniuntur, quæ quidem verè distant inter se, quapropter si Deus in nihilum redigeret omnia corpora scilicet cælum & terram, &c. Angeli nullam haberent distantiam, quia tunc non esset vnita corporibus quorum ratione distabant, ac proinde nec vllam in hoc casu vbicationem haberent. Hæc autem doctrina displicet, & hac ratione impugnatur: substantia spiritualis, scilicet anima rationalis Christi Domini, cum in triduo mortis illius triumphans ad inferum descendit fuit verè præsens inferno, & distans à cælo, aliàs si inferno non fuisset præsens, nec à cælo distasset non esset cur diceretur potius descendisse tunc ad infernum quam ascendisse ad cælum, atqui anima rationalis Christi in illo triduo nulli fuit corpori vnita, alioqui talis anima cum corpore, cui esset vnita, etiam tunc verum humanum compositum hoc est, hominem constitueret, quod non fert sana doctrina, ergo substantia spiritualis, scilicet rationalis anima non solum per accidens, & ratione corporis, cui sit vnita, sed etiam per se, ratione sui, ac independenter à corpore habet veram præsentiam ac distantiam, ac proinde etiam independenter ab illo veram habet vbicationem.

Hanc autem Angeli vbicationem esse definitiuam patet clarè, quia per illam Angelica & spiritualis substantia existit in loco indiuisibiliter, scilicet tota in toto loco, & tota in qualibet parte loci, qui est formalis effectus vbicationis definitiuæ. Sed quærat aliquis, an talis Angeli vbicatio sit omnino indiuisibilis, Vasquez tomo secundo in primam partem, disp. 188. cap. 7. num. 30. cui plures alij acquiescunt, docet esse omnino in sua entitate indiuisibilem licet per illam Angelus spatio diuisibili coexistat, ratio est quia, si talis vbicatio Angelica esset diuisibilis non foret spiritualis, sed materialis & aliena ab Angelo, diuisibilitas enim est propria rei materialis. Suarez tomo secundo met. disp. 40. sect. 8. num. 11. sentit vbicationem Angeli esse verè diuisibilem pro diuisibilitate spatij, cui Angelus per illam coexistit; cui etiam plures recentiores acquiescunt, ratio est, quia Angelus existens in toto spatio huius gymnasij ex eo præcise, quod desinat esse in vno indiuisibili spatij, non est credibile amittere vbicationem integram ad totum spatium, in quo adhuc persistit, ergo tantum amittit vbicationem ad illud indiuisibile spatij, quod deserit, & retinet vbicationem ad aliud spatium in quo persistit, ergo tota illa Angeli vbicatio ad totum illud spatium erat composita, & diuisibilis. 36

Arbitror tamen ego naturaliter non implicare 37
Angelum habere vbicationem indiuisibilem ad spatium diuisibile, nec etiam implicare habere vbicationem, ac præsentiam diuisibilem, quam verò de facto habeat, diuisibilem ne, an indiuisibilem, incertum est, non definio, pluribus fortasse est credendum, qui dicunt esse diuisibilem. Porro non implicare naturaliter talem Angeli vbicationem ad spatium diuisibile esse indiuisibilem, probatur, non minus essentialiter respicit cognitio Angeli suum obiectum, quam Angeli vbicatio respicit spatium seu terminum, atqui non implicat naturaliter dari cognitionem omnino indiuisibilem ad obiectum extensum & diuisibile, imo sæpissimè datur, ergo non implicat etiam naturaliter dari vbicationem omnino indiuisibilem ad spatium extensum & diuisibile. Nec arbitror incredibile, quod Angelus amittens præsentiam & vbicationem ad hoc indiuisibile spatij, integram vbicationem ad totum spatium amittat, & aliam requirat, cum talis vbicatio respectu totius spatij sit simplex, & indiuisibilis, ac ita non possit per partes amitti, quo dissoluitur ratio facta pro sententia P. Suarez. Non etiam implicare Angeli vbicationem pro diuisibilitate spatij esse diuisibilem, Probatur, quia scientia, v.g. physica est spiritualis, & tamen est composita & diuisibilis in plures habitus partiales vt ostendi supra in procemio num. 2. ergo licet Angeli vbicatio ad spatium diuisibile sit spiritualis, potest esse diuisibilis, etenim non omnis diuisibilitas est propria rei materialis, sed tantum diuisibilitas quantitatiua, nam ratio formalis rei spiritualis non

con

conſiſtit in eo, quod ſit indiuiſibilis ſed in eo quod non petat quantitatem, quod eſt proprium rei materialis vt alibi declarabimus, quo diluitur ratio facta pro ſententia P. Vaſquez.

38 Assertio ſecunda ſit, ſubſtantia realis corporea per ſe, ac ratione ſui, & independenter ab alio extrinſeco, veram habet vbicationem circumſcriptiuam, ita omnes communiter, inter quos etiam eſt Vaſquez tom. 1. in 1. p. diſp. 29. cap. 3. à n. 15. & omnes alij relati numero 33. Probatur, res, quæ mouetur localiter veram habet vbicationem, quia vbicatio eſt terminus motus localis, ſed quæuis ſubſtantia realis corporea per ſe ac ratione ſui eſt apta moueri, & de facto à ſe vel ab alio mouetur, eſt enim natura, quæ eſt principium motus iuxta dicta ſupra diſputatione 12. cap. 1. ergo quæuis ſubſtantia realis corporea per ſe, ac ratione ſui propriam habet vbicationem. Confirmatur, quæuis ſubſtantia corporea eſt præſens vel diſtans ab alia per ſe, & ratione ſui, cælum enim & terra, etiamſi omnia alia corpora deſtruerentur vere inter ſe diſtarent, ſed præſentia ſeu diſtantia eſt formalis effectus vbicationis, ergo quælibet ſubſtantia realis corporea per ſe ac ratione ſui propriam habet vbicationem. Hanc autem vbicationem eſſe circumſcriptiuam patet, quia per illam ſubſtantia exiſtit in loco commenſuratiue, tota ſcilicet in toto loco & pars eius in parte loci.

39 Assertio tertia ſit. Accidentia etiam habent propriam vbicationem diſtinctam re ipſa ab vbicatione ſubſtantiæ. Ita Suarez diſput. 51. ſect. 5. & auctores citati num. 33. & communiter Recentiores. Probatur primo: manet accidens cum ſua vbicatione, & tamen perit vbicatio ſubſtantiæ vt monſtrat myſterium Euchariſtiæ, vbi manet præſentia & vbicatio accidentium, cum accidentia vere locata maneant, & non manet vbicatio & præſentia ſubſtantiæ panis, cum talis ſubſtãtia præſens & locata non maneat, ergo accidens propriam habet vbicationem diſtinctam ab vbicatione ſubſtantiæ. Probatur ſecundo, ſi accidens verbi gratia albedo pereat, & maneat ſubſtantia, tunc perit præſentia & vbicatio accidentis, cum accidens iam præſens, & vbicatum non maneat, & tamen manet præſentia, & vbicatio ſubſtãtiæ vt ſuppono ergo præſentia & vbicatio accidentis diſtincta eſt ab vbicatione ſubſtantiæ.

40 Assertio quarta ſit; modus propriam habet vbicationem diſtinctam ab vbicatione rei. Ita auctores citati num. . & communiter Recentiores. Probatur, maner aliquando vbicatio, ac præſentia localis rei, & perit vbicatio, & præſentia localis modi, cum enim homo generatur in ſequenti inſtanti perit actio prima generatiua, atque ita perit vbicatio & præſentia localis illius, & manet res genita, ac proinde manet vbicatio, & præſentia localis rei, ergo modus propriam habet vbicationem diſtinctam ab vbicatione mei.

41 Sed obiiciat quis, modus habet vbicationem diſtinctam ab vbicatione alterius rei, ergo actio, qua producitur vbicatio alicuius rei, habet etiam vbicationem diſtinctam, & hæc ſecunda vbicatio alia actione producetur, quæ habebit etiam vbicationem diſtinctam, & hæc tertia vbicatio alia producetur actione, quæ diſtinctam etiam habebit vbicationem, & ſic de alijs, atque ita daretur proceſſus in infinitũ. Reſp. actionẽ, qua producitur vbi alicuius rei, habere vbicationem diſtinctam ab vbi producto talis rei, non vero habere vbicationem diſtinctam à ſe ipſa, nam cum illa actio qua producitur vbi alicuius rei ad talem locum ſit etiam eſſentialiter affixa ipſi loco, ſi exiſtat, & non poſſit nõ eſſe in illo, ideo talis actio per ſe ipſam eſſentialiter eſt in illo loco & non per vbicationem diſtinctam, quo ceſſat proceſſus in infinitum.

CAPVT V.

An res aliqua poßit eſſe, & nullibi eſſe.

42 Difficultas hæc à paucis agitatur, duplex in ea extat ſententia prima affirmatiua, quam tuẽtur Vaſquez 1. p. diſp. 188. num. 25. & 27. Moncæus 1. p. diſp. 19. ſect. 2. num. 6. Ouiedo controuerſ. 15. phyſic. p. 7. quos moderni ſequuti ſunt: quidam aſſerentes rem tantum indiuiſibilem vt Angelum & animam rationalem poſſe nullibi ſeu ſine vbicatione exiſtere, non vero hominem aut rem compoſitam; alij vero poſſe hominem & res alias compoſitas. Secunda vero ſententia eſt probabilior, quæ affirmat vllam rem ſiue ſimplicem ſiue compoſitam, etiam diuinitus non poſſe nullibi eſſe, ſeu priuari vbicatione, & abſolui à loco, ita Suarez lib. 4. de Angelis cap. 3. num. 5. Arrubal diſp. 123. cap. 1. Molina 1. p. quæſt. 52. artic. 1. diſput. 1. num. 27. Bubalus quæſt. 52. de Angelis artic. 1. quæſt. 1. difficultate vltima, Hurtado diſp. 1. de anima ſect. 6. Arriaga diſp. 14. phyſic. ſect. 4. concl. 2. Valentia 1. p. diſp. 4. quæſt. 3. punct. 2. & alij.

43 Assertio prima: repugnat etiam per diuinam potentiam rem aliquam eſſe, & nullibi eſſe. Probatur, implicat per diuinam potentiam vt aliquid producatur extra ſuas cauſas, & quod non contineatur in aliqua parte ſpatij ſaltem imaginarij, ſeu quod non ſit intime præſens negationibus in infinitum diffuſis, nam iuxta Diuum Nazianz. & Auguſtinum *quod nullibi eſt, nihil eſt*, ergo implicat rem aliquam ad extra produci, & abſolui ab omni vbicatione: antecedens probatur, & ſupponamus probationi, Deum creaſſe Angelos ante hunc mundum corporeum, vel illum ijs intra hunc mundum corporeum creatis permittere extra mundum exire quod omniporentiæ diuinæ poſſibile eſt, tum ſic, in neutro caſu Angelus poſſet abſolui ab vbicatione, ergo in nullo caſu poteſt Angelus, ſiue intra ſiue extra hunc mundum corporeum creetur, exiſtere ſine vbicatione, antecedens probatur, poſito Angelo extra mundum poſſet Deus creare corpus realiter præſens in Angelo, ſine reali mutatione Angeli, ergo tunc Angelus inciperet habere relationem præſentiæ ad tale corpus, poteſt enim Deus pro ſuo libito creare corpus vbi voluerit, ergo ſignum euidens eſt antea habuiſſe fundamentum talis relationis, quod eſt intrinſecum vbi, vnde ſi Deus prius creaſſet Angelos & poſtea mundum, fieri potuiſſet quod mundus inciperet continere illos Angelos ſine ipſorum mutatione; ergo non poteſt fingi caſus in quo Angelus, ſeu res extra cauſas producta abſoluatur ab omni vbicatione, nam vbicatio intrinſece comitatur omnem realem entitatem debita proportione iuxta capacitatem vtriuſque.

44 Probatur ſecundò: nihil creatum exiſtere poteſt, cui ſaltem Deus non ſit intime præſens, quia de fide ſanctum eſt Deum per ſuam immenſitatem eſſe intime præſentem omni creaturæ, ita vt illi non ſit liberum eſſe in vna potius quam in alia, cum ſit vbique, ergo nulla res exiſtere poteſt, quæ non ſit alicubi, conſequentia ſequetur clare, nam ſi Deus creaturæ, Angelo verbi gratia eſt intime præſens conſequenter Angelus erit etiam Deo intime præſens, cum hæc ſint correlatiua, ergo nequit creari vlla res, quæ abſoluatur ab omni loco, cum hæc mutua præſentia formaliter

constituat rem in loco, seu alicubi. Confirmatur, quia Angelus ille intime præsens Deo, non est præsens illi vt existenti vbique, sic enim esset immensus, ergo intimè præsens Deo vt habenti talem virtualem determinationem, ergo Angelus tali virtuali Dei determinationi particulariter respondet, ergo certam & determinatam habet vbicationem per quam vni virtuali Dei determinationi respondet potius quam alteri, tum sic, Angelus non per suam meram entitatem præcise est intimè præsens illi virtuali Dei determinationi, nam Angelus ex se est indifferens, vt huic potius particulari Dei determinationi, quam alteri correspondeat,& non determinatur ad hanc potius quam ad illam per Dei immensitatem, quæ etiam est indifferens, ergo aliqua debet dari determinatio in Angelo, per quam huic potius virtualitati immensitatis Dei respondeat quam alteri, hæc vbicatio, ergo per illam est intimè præsens.

45 Assertio secunda: implicat etiam per diuinam potentiam rem aliquam existere extra causas, & non esse in aliquo tempore, & determinata duratione, siue reali, siue imaginaria, ita auctores secundæ sententiæ, numero quadragesimo secundo. Probatur, implicat etiã per diuinam potentiam rem aliquam existere extra causas, & non esse in aliquo tempore & determinata duratione reali, vel imaginaria, ergo implicat rem esse & absolui à duratione reali, vel imaginaria, in aliqua parte spatij. Consequentia est euidens, quia sicut se habet vbicatio ad diuersa loca, ita duratio ad diuersa tempora, siue vera, siue imaginaria, ergo sicut res potest existere,& non,in hoc loco,sed in alio & econtra,ita res potest durare, & non, in hoc tempore, sed in alio, etiamsi duratio non distinguatur à re durante, antecedens probatur, quia implicat concipere aliquid esse extra causas, quin vnum ex his tribus ei competat, fuit, vel est, vel erit, ergo implicat rem absolui ab omni duratione, siquidem debet necessario habere vel præteritam, præsentem, vel futuram, & consequenter repugnat rem esse, & non existere in aliqua parte spatij realis vel

46 imaginarij, debet ergo res esse alicubi.

Probatur secundo, ponamus Deum producere Angelum aliquem vel hominem sine duratione, aut in nullo instanti, aut sine vllo instanti aut tempore, ergo sicut Angelum & hominem illum Deus produxit sine duratione, poterit eum destruere, & hominem illum mori, sed hæc omnia destrui, mori, & subtrahere concursum, essentialiter supponunt successionem, seu existere negationem illius rei, quæ fuit, alias quare modo Antichristus, licet non existat, non tamen est mortuus, quia existit negatio eius existentiæ, sicuti si in aliquorum sententia res potuisset produci ab æterno, non potuisset ab æterno destrui, quia destrui dicit successionem, seu non esse aliquid quod fuit,ergo cùm certum sit Angelum illum posse annihilari, & hominem illum destrui, ac mori, à fortiori debet interuenire duratio, vel successio, ergo incogitabile est rem esse sine duratione reali vel imaginaria vt contingit in Deo ante hunc mundum conditum, qui in æternitate existebat, non tamen coexistebat ex defectu temporis, quod adhuc non fluxerat, alia adducunt argumenta, Arriaga & Carleton locis supra citatis.

47 Sed objiciat aliquis, primo, res producit suam vbicationem & durationem, ergo est illis prior & independens, ergo quæuis res poterit existere, etiam si duratio & vbicatio ab ea separetur, cum duratio & vbicatio non sit de intrinseco conceptu & constitutiuo rei, ergo illis ablatis non sequitur rem debere perire, cum maneant illius intrinseca prædicata: secundo, non sequuntur duo contradictoria ex eo quod res existat sine duratione aut vbicatione, ergo non est Deo denegandum. Tertio, potest sol diuinitus existere sine luce, ignis sine calore, ergo & Angelus sine vbicatione aut duratione,seu nullibi.

Obiecta sic diluo. Ad primum Respondeo, rem 48
non producere suam vbicationem,vt multi asserunt, & si eam producat,& sit prior,nõ inde infertur posse existere sine duratione, aut vbicatione,est exemplum in homine iusto, qui pro aliquo priori indifferens est ad peccandum, & non peccandum, ergo & ad gratiam, & illius negationem, si enim non peccet, habebit adhuc gratiam, si peccet, habebit illius negationem, ecce, quo modo homo est prior ijs, quorum vtroque etiam diuinitus non potest carere: similiter, etsi res prior existat & producat durationem aut vbicationem, sine illis nec diuinitus esse poterit. Ad secundum dico,non esse contradictoria formaliter, esse verò contradictoria arguitiue, quod sufficit vt eidem subiecto non conueniant, vt amare idem & odisse simul, quia hoc conceptu est difficillimum, & cum non minus imo magis inconceptibile sit non posse aliquid existere,& non in aliqua parte spatij imaginarij,aut Deo non coexistere, affatim hoc est negandum. Ad tertium Respondeo, negando consequentiam, quia spatium imaginarium & tempus sunt infinite diffusa,lux autem hoc non habet, nam si etiam esset lux in infinitum diffusa sicut spatium imaginarium, nec diuinitus posset existere sol, quin esset intimè præsens alicui parti lucis, quia per infinita spatia diffunderetur & extenderetur sicut ipsum spatium imaginarium.

CAPVT VI.

An idem corpus possit esse simul in duobus locis adæquatis circumscriptiue.

NOn est sermo an eadem res possit esse in duo- 49
bus locis inadæquatis non discontinuatis, nam anima rationalis tota est in capite, tota in pede, & tota in singulis partibus corporis, & Angelus est totus in prima & vltima parte suæ sphæræ,& simul in omnibus partibus intermedijs. Suppono igitur primo,eamdem rem saltem completam vi agentium naturalium in duobus locis adæquatis & totalibus, seu discontinuatis existere non posse, ratio est quia res quæuis, suapte natura est limitata, ergo petit & limitatum locum, quo expleatur eius naturalis capacitas, sed per vnam vbicationem adæquatam expletur eius capacitas, ergo naturaliter solum vendicat vnum corpus, vnum locum, sicut materia prima, vnam formam, & vnus ignis calorem vt octo, non duos calores vt octo. Secundo, quia si posset res aliqua esse in duobus locis simul, ergo & in pluribus sine fine, & ideo in simili negatur materiam primam naturaliter posse simul duas formas substantiales recipere, quia nullus numerus formarum assignari posset, quarum simul esset susceptiua. Tertio, quia quodlibet corpus habet suam quantitatem, qua afficitur, siue distincta sit à materia siue non, per quam excludit aliud corpus ab eius loco, quia vna quantitas cum alia est impenetrabilis naturaliter, quia habet

caren

carentiam vbicationis, ergo naturaliter idem corpus quantum vi agentium naturalium non poterit eſſe in duobus locis adæquatis & totalibus.

50 Suppono ſecundo, nec aliquam formam materialem ſubſtantialem poſſe vi agentium naturalium produci, aut collocari in diuerſis locis adæquatis ac diſcontinuis. Probatur primo, argumento facto numero præcedenti. Secundò, quia aloquin non poſſemus ſcire an de facto non ſit eadem forma ignis, vbicumque ignis eſt, & non diuerſa pro diuerſitate loci. Tertiò quia miraculum cenſetur quodcumque eſt in duobus locis, ergo id naturaliter repugnat. Quartò, ſi forma materialis vi agentium naturalium poſſet ſtatui in diuerſis locis diſcontinuatis, ſequetur poſſe etiam compoſitum eadem ratione in duobus locis collocari, ergo nulla forma ſubſtantialis materialis vel accidentialis vi agentium naturalium poteſt conſtitui in duobus locis diſcontinuatis.

51 Suppono tertio, duo corpora diuinitus recte poſſe in eodem ſimul loco penetrari, quod quidem fidei exempla demonſtrant, nam Chriſtus Dominus illæſo Virginis clauſtro ortus eſt, & poſt reſurrectionem clauſis foribus ad Diſcipulos introiuit, & in ipſius Aſcenſionem cælos penetrauit, quæ omnia & ſimilia alia ſine mutua duorum corporum penetratione, & præſentia in eodem loco nequeunt accidere. Hinc ſumitur ratio à priori, quia ſcilicet quantitas ſolum reddit formaliter corpus impenetrabile cum alio naturaliter, ac iuxta naturæ leges, ergo præter leges naturæ recte poterunt duo corpora quanta ſimul in eodem loco ſupernaturaliter penetrari.

52 Suppono quartò, idem corpus poſſe diuinitus eſſe ſimul in duobus locis adæquatis vel in vtroque definitiue vel in vno definitiue, & alio circumſcriptiue. Hoc etiam eſt fide ſanctum, nam idem corpus Chriſti eſt ſimul in duobus hoſtijs diſtantibus definitiue, ac etiam in cælo exiſtit circumſcriptiue & in Euchariſtia definitiue; Dubium tamen eſt, an idem corpus valeat diuinitus eſſe ſimul in duobus locis adæquatis circumſcriptiue.

53 Multorum ſententia eſt repugnare idemmet corpus exiſtere ſimul in duobus locis adæquatis & diſcontinuis circumſcriptiue, eam tenet Diuus Thomas in 4. diſt. 10. quæſt. 2. artic. 5. ad 5. 6. & 7. & diſt. 44. quæſt. 2. artic. 2. 3. p. quæſt. 75. artic. 1. & quæſt. 77. articulo 5. & quodlibeto 8. articulo 1. Diuus Auguſtinus lib. 10. contra Fauſtum cap. 11. Anſelmus in menologio cap. 20. Bonau. in 4. diſt. 44. articulo de dote ſubtilitatis. Durandus in 4. diſtinctio 10. quæſtione 4. & diſtinctione 44. quæſt. 6. Henricus quodlibeto 9. quæſtione 32. Herbeus quodlibeto 11. quæſtione 13. Godfredus ibidem Dionyſius Chartuſianus in 4. diſtinct. 13. quæſt. 3. dub. 1. Capreolus, Palud. Ferrara quarto contra gentes cap. 68. Oña 4. Phyſic. quæſt. 2. artic. 7. Vaſquez in 3. p. diſput. 189. cap. 4. & 5. Complutenſes diſputatione 19. de loco, quæſtione 8. numero 71. & communiter Thomiſtæ, quibus alij recentiores acquieſcunt, præter Sotum & Caietanum qui aſſerunt ſanctum Doctorem loquutum fuiſſe de potentia ordinaria. Secunda ſententia oppoſitum affirmat.

54 ASSERTIO tamen ſit, idem corpus poteſt diuinitus eſſe ſimul in duobus locis adæquatis & diſcontinuis circumſcriptiue. Ita ſubtilis Doctor in 4. diſtinct. 10. quæſtione 2. Alenſis 4. p. quæſtione 11. articulo 1. Ricardus in 4. diſtinctione 10. quæſtione 2. articulo 2. Ocham in 4. dubio 6. Maior in 4. diſtinctione 10. quæſtione 4. Alanus lib. 1. de Sacramento Euchariſtiæ ſectione 1. numero 19. Sotus libro 4. phyſic. & in 4. diſtinctione 10. quæſtione 1. artic. 3. Bellarminus tom. 3. ſect. 3. de Euchariſtia cap. 3. Suarez tom. 3. in 3. p. diſputatio 48. ſectione 4. concluſione 3. qui plures patronos refert pro hac ſententia quam & aptiorem eſſe principijs fidei, & ad confundendos hæreticos docet etiam ibidem Valentia tom. 4. diſputatio 6. quæſtione 1. puncto 1. numero 2. Cardinalis de lugo diſputatione 5. de Euchariſtia ſectione 1. numero 12. Coninch. 3. p. quæſtione 75. articulo 4. Murcia 4. Phyſic. diſputatione 1. quæſtione 7. Plaça 4. Phyſic. diſput. 1. q. 10. Fonſeca 5. met. cap. 4. quæſt. 4. ſect. 5. Conimbricenſes 4. phyſic. cap. 5. quæſtione 5. articulo 2. Rub. ibidem Hurtado diſputatione 14. Phyſic. ſect. 5. Arriaga diſputatione 14. phyſicor. ſectione 8. ſubſectione 2. Ouiedo controuerſ. 15. phyſic. punct. 9. Thomas Carleton diſp. 35. phyſic ſectione 3. & 4.

Probari poteſt hæc ſententia primo ex illo actorum tertio. *Quem oportet cælum ſuſcipere vſque ad tempus reſtitutionis omnium*; Sed Chriſtus poſt aſcenſionem in cælum illud non dereliquit, ſed in illo eſt de facto in ſua propria ſpecie circumſcriptiue vſque dum veniat dies iræ, & amarus valde videlicet magni iudicij Dei, & tamen conſtat Chriſtum poſt aſcenſionem in cælum multis viris ſanctis & illuſtribus in terra apparuiſſe, vt teſtantur ſcripturæ & Eccleſiæ Patres & præcipue Diuus Paulus prope Damaſcum, vt conſtat ex illis verbis, *Ego ſum Ieſus, quem tu perſequeris*. Quibus manifeſte oſtenditur Chriſtum Dominum fuiſſe ſimul in cælo, & in aëre circumſcriptiue, ergo iam idem corpus poteſt eſſe circumſcriptiue in duobus locis adæquatis, & diſcontinuis. Idem probat Diuus Auguſtinus lib. de cura pro mortuis cap. 16. ijs verbis: Alij ſunt humanarum limites rerum, alia diuinarum ſigna virtutum, alia ſunt, quæ naturaliter, alia quæ mirabiliter fiunt, & ijs ſimilia inueniuntur apud Patres, & pro comperto habet ſanctus Doctor ex his animas ſanctorum ſimul eſſe poſſe in duobus locis in cælo, & in terra, ergo poterit aliquod corpus eſſe ſimul in duobus locis diſcontinuis. 55

Probatur etiam ratione: id, quod aperte non implicat poteſt eſſe virtute diuina, ſed non implicat idem corpus eſſe in duobus locis circumſcriptiue. Minor probatur non implicat idem corpus eſſe ſimul in duobus locis definitiue vt oſtendi numero 52. nam fides diuina docet quod idem corpus Chriſti in Euchariſtia eſt in diuerſis locis definitiue, cum contineatur ſub diuerſis hoſtijs etiam loco diſtinctis, ſimiliter idem corpus Chriſti circumſcriptiue exiſtens in cælo, non repugnat eſſe definitiue in Euchariſtia in hoſtia conſecrata, ſed de facto datur vt fide diuina veneramur & adoramus, ergo non implicabit etiam idem corpus ſimul eſſe in duobus locis adæquatis, & diſiunctis circumſcriptiue: hanc conſequentiam probo, negari non poteſt idem corpus poni in duobus locis adæquatis definitiue, vel in altero circumſcriptiue, vel in altero definitiue, ergo nec negari poterit poni idem corpus in duobus locis adæquatis & diſcontinuis circumſcriptiue, nam vltra miraculum ponendi idem corpus in duobus locis, eſt aliud miraculum, nempe ponendi rem materialem & quantitatiuam totam in toto, & totam in qualibet parte, nam præſentia Sacramentalis altior eſt præſentia circumſcriptiua, cum hæc ſit connaturalis, illa 56

supernaturalis, ergo si corpus Christi cum præsentia circũscriptiua in cælo sit præsens in Eucharistia in hostia consecrata definitiue, multo melius poterit fieri præsens per præsentiam sibi connaturalem & propriam, qualis est circumscriptiua nam facilius est statuere idem corpus in duobus locis modo ei proportionato, quam improportionato, ergo non repugnabit idem corpus poni in duobus locis adæquatis, & disiunctis circumspcriptiue, quæ maior in vno quam in alio implicatio est.

57 Sed dicet aliquis esse rem in loco circumscriptiue est loci finibus claudi, atque ita non esse extra illum, si autem idem corpus existens in vno loco, circumscriptiue etiam simul in alio circumscriptiue existeret, non clauderetur in illo loco, sed esset extra illum, ac proinde corpus existens in vno loco circumscriptiue non potest simul in alio circumscriptiue existere, sed impugnatur, esse corpus in loco circumscriptiue, non est ita à loco contineri, vt non sit etiam extra illum, etenim Christus Dominus existit in cælo circumscriptiue, ac simul est extra illum locum in Eucharistia definitiue, ergo licet corpus sit in vno loco circumscriptiue poterit etiã diuinitus in alio circumscriptiue existere. Ratio à priori est, quia corpus existens in vno loco circumscriptiue solum naturaliter exigit non esse in alio loco simul circumscriptiue, sed Deus de potentia absoluta potest operari contra exigentiam rei naturalem, licet enim accidentia petant naturaliter educi ex subiecto de potentia Dei absoluta in Eucharistia, non educuntur ex subiecto sed creantur, ergo de potentia Dei absoluta corpus existens in vno loco circumscriptiue poterit simul in alio circumscriptiue existere.

58 Verum occurrat quis dicens rem esse in loco circumscriptiue importare essentialiter quod res ita claudatur in loco, vt non sit in alio extra illum circumscriptiue licet possit esse in alio definitiue, & ideo corpus Chri existens in loco cælesti circumscriptiue, simul esse potest in alio loco extra illum scilicet in Eucharistia definitiue, non verò potest esse in alio etiam loco circumscriptiue. Sed contra: petis principium, & respondes idem per idem, quod sic ostendo, tu dicis idem corpus non posse esse simul in duobus locis circumscriptiue, & rationem reddis scilicet quia esse corpus in loco circumscriptiue est ita claudi loco, vt non possit esse simul in alio circumscriptiue, atqui corpus ita claudi circumscriptiue in vno loco, vt non possit esse in alio loco circumscriptiue est formaliter idem, ac dicere corpus non posse esse simul in duobus locis circumscripriue, ergo ideo dicis corpus non posse esse in duobus locis circumscriptiue, quia non potest esse in duobus locis circumscriptiue, quod est petitio principij.

59 Confirmatur principaliter Assertio, possunt duo corpora quanta & extensa & habentia duas vbicationes circumscriptiuas poni diuinitus in eodem loco, ergo & idem corpus in diuersis. Antecedens probatur, quia sicut idem corpus existens in vno loco circumscriptiue petit naturaliter non esse simul naturaliter in alio loco circumscriptiue ita duo corpora quanta & extensa existentia in duobus locis petunt naturaliter simul non penetrari in eodem loco, quantitas enim dat illis naturalem impenetrabilitatem vnius cum alio, sed diuina virtute duo corpora quanta possunt in eodem loco simul penetrari vt monstraui num. 51. ergo etiam diuinitus idem corpus existens circumscriptiue in vno loco poterit in alio circumscriptiue existere: maior est certa, quia non est de essentia quantitatis esse actu impenetrabiliem sed solum ex natura sua, sicut ignis naturaliter petit calorẽ, & accidens subiectum & sicut ignis diuinitus potest esse sine calore, & accidens sine subiecto, ita quantitas sine eo, quod actu sit impenetrabilis, minor abunde constat in natiuitate & resurrectione Christi Domini, quando corpus ipsius penetrabatur cum purissima carne virginis matris & lapide sepulchri, Christus enim nec nascens imminuit integritatem matris, nec resurgens reuoluit lapidem ab ostio monumenti, & post resurrectionem ingressus est ad discipulos clausis ianuis, ergo sicut non repugnat duo corpora quanta & extensa inter se supernaturaliter penetrari, ita non repugnabit, quod idem corpus ponatur simul supernaturaliter in duobus locis adæquatis, & discontinuis circumscriptiue, quia sicut Deus potest nẽgare huic, quod ipsi naturaliter debetur videlicet impenetrabilitas, ita alteri supernaturaliter concedere, quod illi naturaliter non debebatur, quę etiam in hoc implicãtiæ ratio apparet?

Obijciat aliquis primo idem corpus non potest 60
naturaliter poni simul in duobus locis; atqui si idem corpus posset esse diuinitus in duplici loco simul, posset etiam naturaliter poni simul in duobus locis, ergo idem corpus non potest esse diuinitus in duplici loco simul. Minor ostenditur, quando res duplici motu mouetur, adquirit duplicem præsentiam localem, & ponitur in duplici loco, sed si idem corpus esset diuinitus in duobus locis, posset naturaliter in illis duplici motu moueri, etenim si idem homo esset simul Romæ & Vallisoleti vtrobique naturaliter se mouere posset pro sua libertate. Similiter si immane saxum Romæ & Vallisoleti poneretur in medio aëris, naturali virtute & grauitate vtrobique ad locum infimum moueretur. Ac etiam si lapis in his duobus locis diuinitus collocaretur Romæ posset à Ioanne, & Vallisoleti à Petro simul naturaliter moueri, ergo idem corpus naturaliter acquireret duas vbicationes, ac præsentias locales, & poneretur simul in duobus locis.

Respondeo cum corpus non habeat naturalem 61
virtutem passiuam ad habendas simul duas vbicationes ac præsentias locales, sed vnam tantum hanc vel illam, necesse est, quod si corpus diuinitus ponatur simul in duobus locis habeat in vno præsentiam localem per virtutem naturalem & in alio per virtutem obedientialem, atque ita quod in vno loco præsentia & vbicatio producatur aut conseruetur actione naturali, & in alio producatur aut conseruetur alia præsentia, & vbicatio actione omnino supernaturali. Vnde cum naturali virtute possit suppleri id, quod in vno loco præstat actio naturalis, scilicet causare naturaliter eius vbicationem potest corpus in illo loco moueri naturaliter, cum vero virtute naturali non possit suppleri id, quod in alio loco præstat actio supernaratulis, scilicet causare supernaturaliter illius vbicationem, atque præsentiam locadem, non potest in tali loco corpus moueri naturaliter. Ac proinde homo, immane saxum in aëre positum, & lapis, si in duobus locis simul existerent in vno loco in quo eorum vbicatio fieret actione narurali possent naturaliter à se vel ab alio moueri, secus vero in alio loco, in quo ipsorum præsentia localis, ac vbicatio fieret actione supernaturali, quæ per naturalem virtutem compensari non posset, & eapropter corpus in duobus locis diuina virtute existens non posset naturaliter simul poni in duplici loco totali. Sed obseruare oportet, cum dico corpus in eo loco in quo eius vbicatio cõseruatur actione supernaturali non posse naturaliter moueri, intelligẽdum esse

esse non posse ibi moueri manendo simul in alio loco, in quo naturaliter existit, nam absente etiam in illo priori loco potest naturaliter moueri expellendo vbicationem, quam habebat in alio loco per nouam vbicationem naturaliter per motum acquisitam, quæ cum illa incompossibilis est, at verò in loco, in quo vbicatio talis corporis conseruatur actione naturali, rectè potest corpus naturaliter moueri, etiam si simul in illo altero loco supernaturaliter permaneat vt nuper monstratum est.

62 Objiciat secundo, id quod in vno loco concluditur non potest esse extra illum, sed quando corpus est in vno loco circumscriptiue, in tali loco continetur, & concluditur, ergo non potest esse extra illum, atqui si esset simul idem corpus in alio loco circumscriptiue esset extra locum illum, ergo idem corpus non potest esse simul in duobus locis circumscriptiue. Respondeo id, quod circumscribitur, continetur, & concluditur vno loco, non posse esse naturaliter extra illum, posse vero esse extra illum supernaturaliter vt ostendi num. 55. & ideo corpus existens circumscriptiue in vno loco potest non quidem naturaliter, sed diuinitus esse simul circumscriptiue in alio, sed potest esse definitiue, nam esse definitiue in loco, si vim vocis spectemus dicit etiam definiri loco illo, seu loci illius finibus contineri, & consequenter nec posset esse in duobus locis definitiue, quod est contra fidem.

63 Objiciat tertio, si idem corpus posset diuinitus esse simul in duobus locis, posset etiam esse in pluribus ac infinitis, sed idem corpus non potest esse in infinitis locis, aliàs eius præsentia & vbicatio esset immensitas, quæ solius Dei est propria, ergo idem corpus non potest esse simul in duobus locis. Respondeo hoc argumentum æque probare idem corpus non posse esse simul in duobus locis definitiue, quod fidei contradicit. Deinde dico non implicare, quod idem corpus supernaturaliter ac diuinitus esset vbicatum in infinitis locis, talis enim vbicatio non esset immensitas, quia tale corpus per illam esset in infinitis locis supernaturaliter, contingenter, & per accidens, non vero connaturaliter, necessario, ac per essentiam, quod quidditatiue requiritur ad rationem immensitatis, vt dictum est supra num. 52. vnde sicut in sententia communi non implicat, quod eadem creatura ab æterno & in æternum existeret, & tamen eius duratio non esset æternitas, quia non esset per essentiam sed participata & accidentalis, ita etiam non repugnat quod idem corpus diuinitus esset in omnibus locis & tamen eius vbicatio non esset immensitas, quia non esset per essentiam, sed participata, & accidentalis.

64 Objiciat quarto, idem corpus non potest distare à se ipso, quia relatio distantiæ est inter diuersa, sed si idem corpus posset esse in duobus locis, idem existens Romæ distaret à se ipso existente Vallisoleti, ergo idem corpus non potest in duobus locis constitui. Confirmatur, quia etiam sequeretur, quod puer, qui tantum haberet virtutem ad sustinendum pondus vnius libræ, mille libras naturaliter sustineret, nam idem puer diuinitus in mille locis simul existens, in quolibet sustinere posset pondus vnius libræ, ac per consequens in omnibus mille locis, mille libras sustineret, quod est absurdum. Respondeo quod corpus idem Romæ & Vallisoleti existens non distaret à se ipso secundum se, cum à se ipso non distinguatur, præsentiam verò localem illius ad vnum locum, & præsentiam localem eiusdem ad alium locum distare verè inter se, quia istæ præsentiæ locales essent inter se distinctæ & separatæ ab inuicem. Ad confirmationem dico, quod ex eo, quod puer ille poneretur in mille locis non crescerct eius naturalis virtus, quæ non est independens à loco, atque ita si tantum haberet virtutem naturalem ad sustinendum pondus vnius libræ, & illud in vno iam loco sustinebat, in alijs omnibus locis non posset amplius naturaliter sustinere, quia iam eius virtus naturalis esset expleta.

65 Objiciat quinto, corpus locatum necessario debet adæquari cum loco, sed si corpus existeret simul in duobus locis adæquatis, tale corpus locatum non adæquaretur cum loco, nam corpus, verbi gratia, esset vnius palmi, & duo illa loca, in quibus esset, spatium duorum palmorum continerent, ergo idem corpus non potest esse simul in duobus locis. Respondeo, corpus locatum necessario debere adæquari cum ipso loco, non quidem secundum quantitatem, sed solum secundum actualem extensionem, corpus autem in duobus locis existens haberet duas extensiones duorum palmorum, & ita adæquaretur cum illis locis, quæ etiam duorum palmorum spatium continerent.

CAPVT VII.

An corpus in duplici loco existens eadem vtrobique accidentia ex natura rei retineat.

66 COrpus in aliquo loco existens aliqua habet accidentia, quærimus ergo, an si diuinitus idem corpus in alio simul loco collocetur debeat in illo naturaliter habere eadem numero accidentia quæ in isto loco habet, an vt talia accidentia secum etiam ferat ad alium locum nouum aliud miraculum requiratur. Nonnulli censent corpus diuinitus in duobus locis existens non habiturum ex natura rei, ac sine nouo miraculo in vno loco eadem numero accidentia, quæ habet naturaliter in alio. Ita Maior in 4. dist. 10. q. 5. Ochamus in quarto q. 4. & alij.

67 Sed antequã quæstio definiatur, obserua accidentia alia esse dependentia à tali determinato loco, vt situs, vbicatio: alia esse à loco absoluta, vt albedo, nigredo, deinde alia esse accidentia propria, quæ habent conuersionem cum subiecto, vt calor respectu ignis, & frigiditas respectu aquæ, alia esse accidentia communia, quæ nullam habent cum subiecto connexionem, vt albedo respectu hominis & lux respectu aëris. De quibus omnibus præsens controuersia diluenda est.

98 Assertio prima, corpus in duobus locis existẽs nõ potest vtrobiq; habere eadem accidentia dependentia à loco, v.g. eumdẽ situm, eamdẽ vbicationem, in hac omnes cõueniunt. Probatur apertè, id, quod est essentialiter alligatum vni loco non potest esse in alio, sed hæc accidentia dependentia à loco, scilicet hæc vbicatio, hic situs, sunt essentialiter alligata huic loco, ergo non potest esse in alio, ergo corpus in duobus locis existens non potest vtrobique habere eadem accidentia dependentia à loco.

69 Assertio secunda, corpus in duobus locis existens vtrobiq; habet cõnaturaliter omnia accidentia absoluta propria. Probatur, cũ aliquod corpus ponitur in alio loco ponitur necessario id, quod habet connexionẽ cũ illo, vt docet Cõcil. Trid. sess. 13. c. 3. ait enim cũ hostia consecratur, esse ex vi Verborum sub specie panis ipsum Christi corpus, & etiã esse ibi sub eadem specie sanguinẽ & animam eiusdẽ Christi, ratione connexionis, & concomitantiæ, quã cum ipso corpore habent, atqui hæc accidentia propria habent etiam connexionem cum subiecto, scilicet

cum corpore, ergo corpus in duobus locis existens habet vtrobique eadem accidentia propria, & ideo iuxta communem sententiam Christus Dominus omnia accidentia propria quæ habet in cælo, si à loco non pendeant, retinet in Eucharistia.

70 Assertio tertia, corpus in duobus locis existens eademmet numero accidentia à loco absoluta etiam communia, quæ habet in vno loco, retinet ex natura rei in alio alio. Ita D. Thomas 3. p. q. 76. art. 1. & quæst. 81. art. 4. Scotus & alij, quos recensel, Suarez tom. 3. in 3. p disp. 48. sect. 6. in principio, idem sentit Alensis, Altisiodorensis lib. 4. summæ Tract. 5. art. 5. quæst. 6. Ægidius Theoremente 49. de Eucharistia, Soto lect. 6. de Eucharistia, Innocentius lib. 4. de Eucharistia cap. 6. Petrus Hurtado disp. 14. physic. sect. 5. Arriaga disp. 14. physic. sect. 9. Carleton disp. 3 c. physic. sect. 6. & 7. Murcia 4. physic. disp. 1. q. 8. Plaça 4. physic. disp. 1. quæst. 11. Complutenses, & plures Recentiores. Probatur, corpus vbicumque sit, habet ex natura rei omnia sua accidentia, quæ non dependent ab aliquo determinato loco, sed accidentia absoluta etiam communia non dependent ab aliquo determinato loco, ergo corpus existens in duobus locis eadem accidentia communia ex natura rei in vtrobique habebit. Tenet consequentia cum minori. Maior autem probatur primo, corpus Christi Domini habens in cælo vnionem cum diuinitate, habet etiam illam existens in Eucharistia vt definit Trid. sessione 13. cap. 3. sed non alia ratione, nisi quia talis vnio cum diuinitate est forma quædam conueniens corpori Christi indepẽdenter à loco vt fatentur cõmuniter Theologi, ob eamdem etiam rationem asserentes Christum retinere in Eucharistia eademmet accidentia communia absoluta, quæ habet in cælo, ergo corpus vbicumque sit, habet omnia sua accidentia etiam communia, quæ non dependent à loco. Probatur secundo eadem minor à priori, quando manet id, ratione cuius formaliter accidentia corpori conueniunt, semper eadem accidentia ipsi conueniunt, atqui licet corpus in mille locis ponatur, & vbicumque sit, manet ibi id, ratione cuius formaliter accidentia absoluta & communia illi in vno loco conueniunt, nam talia accidentia à loco absoluta non conueniunt corpori ratione loci, qui per accidens se habet ad illa, sed solum ratione subiecti, quod quidem in quocumque loco manet omnino idem, ergo corpus in quocumque loco sit, habet omnia sua accidentia communia absoluta, scilicet quæ non dependent à loco.

71 Confirmatur principaliter, ideo quando vnum corpus ex hoc loco ad alium naturaliter mouetur, retinet ex natura rei eadem accidentia absoluta etiã communia in secundo loco, quæ antea in primo, loco habebat, v.g. calorem, albedinem & similia quia hæc accidentia non conueniunt corpori ratione loci, sed tantum ratione subiecti, & subiectum in vtroque loco manet idem, atqui quando corpus in vno loco existens ponitur diuinitus etiam in alio, vtrobique manet subiectum idem, & accidentia cõmunia absoluta à loco non conueniunt illi ratione loci, sed ratione talis subiecti, ergo quando corpus idem ponitur diuina virtute simul in duobus locis, accidentia absoluta communia, quæ habet in vno, retinet ex natura rei in alio.

72 Obijciat autem quis primo, corpus in duobus locis existens non potest vtrobique habere eademmet accidentia, nisi talia accidentia sint in duobus locis, atqui accidentia non possunt ex natura rei, nisi tantum miraculose, & supernaturaliter esse simul in duobus locis, ergo idem corpus in duobus locis existens non potest ex natura rei vtrobique eadem accidentia habere. Resp. absolute ac simpliciter nulla facta suppositione non posse accidentia in duplici loco existere nisi miraculose & supernaturaliter, at vero ex suppositione primi miraculi, scilicet, quod idem corpus in duobus locis simul existat, magis esse naturæ consentaneum, quod accidentia illa in vtroque loco sint ac subiecto inhæreant, propter rationem prædictam, sicut absolute & simpliciter corpus non potest nisi miraculose, & supernaturaliter dotibus gloriæ vestiri, ex suppositione verò, quod anima intra corpus aliquod sit locata, connaturale est, quod in corpore dotes etiam gloriæ eluceant, vnde cum corpus Christi Domini, cuius anima semper beatitudine fruebatur, glorioſum etiã in die transfigurationis apparuit, non fuit miraculũ; sed cessatio miraculi, vt Theologi testantur.

Obiiciat secundo, corpus in duobus locis simul existens, in vno v.g. à sole illuminatur, ab obiecto 73
sensibili immutatur per speciem, vt illud videat, & ab igne naturaliter calefit; in alio vero loco nec à sole illuminatur, nec immutatur per speciẽ ab obiecto sensibili, vt illud videat, nec ab igne naturaliter, calefit, quia suppono solem, obiectum sensibile, & ignem tantũ existere in vno loco, & etiam non posse agere naturaliter indistãs ergo corpus in duobus locis existẽs habebit ex natura rei in vno loco, speciẽ, ac visionem sensitiuam & calorem, quæ non habeat naturaliter in alio, atqui hæc omnia sunt accidentia absoluta, vt constat, ergo corpus in duobus locis existens non habebit ex natura rei vtrobique eadem accidentia absoluta. Resp. corpus illud habiturum etiam in alio loco omnia ista accidentia, scilicet lucem, speciẽ, ac visionẽ sensitiuam & calorem ac alia similia, quia Deus connaturaliter ex suppositione primi miraculi produceret aliam nouam vbicationem ac præsentiam localem, qua illa accidentia etiã in alio loco in corpore existerent, & etiam aliam nouam vbicationem, qua actio causæ creatæ productiua illorum accidẽtium in vtroque loco esset vnde agens creatum v.g. sol vel ignis &c. ageret in vtroque loco illa accidentia quoad substantiã in eo corpore, nec inde sequitur, quod operaretur in distans cõtra naturã: sicut Deus, licet sit in aliquo loco, in quo ego non sum, quia vero est etiam in hoc loco vbi ego sum, non distat à me, ita similiter, licet corpus illud esset in aliquo loco, in quo nõ esset causa creata, quia tamen esset etiam in hoc loco in quo est causa creata, non esset absolute distans ab illa, atque ita talis causa efficiens in illo corpore in duplici loco existenti eadem accidentia vtrobique non operaretur in distans.

Obiiciat tertio. Angelus v.g. in duobus locis exi- 74
stens non haberet naturaliter vtrobique eumdem numero actum vitalem, ergo non haberet naturaliter in vtroque loco eadem accidentia absoluta. Cõsequentia patet, quia actus vitalis est accidens à loco absolutum: antecedens autem sic probo, si Angelus ex natura rei vtrobique haberet eumdem actum vitalem, illum naturaliter produceret; & poneret in vtroque loco, quia actus vitalis connaturaliter petit ab intrinseco produci à principio vitali, sed Angelus non potest naturaliter producere ac ponere eumdem actum vitalem simul in duplici loco, ergo Angelus in duobus locis existens non haberet naturaliter vtrobique eumdem numero actum vitalem. Suarez dicta disput. 48. sectione 6. sentit hominem vel Angelum, si in duobus locis existeret cum eadem specie obiecti naturaliter eliciturum & collocaturum in vtroque loco eumdem numero actum intellectus, aut voluntatis, sed non bene, quia ille actus vitalis intellectus non habet potentiam naturalem passiuam ad habendas simul

ſimul duas vbicationes, atque præſentias totales, alias poſſet res etiam exiſtens in vno loco duplici motu moueri ad duo loca adæquata diuerſa, ſi enim res habet naturaliter potentiam ad duas totales præſentias, & ad duo loca totalia diuerſa, quare implicabit talem rem duplici motu ea loca acquirere naturaliter, ergo actus ille vitalis intellectus tantum habet potentiam obedientialem ad habendas ſimul duas vbicationes & præſentias locales, atqui potentia obedientialis non ſubijcitur potentiæ actiuæ naturali, ſed tantum ſupernaturali, vt conſtat, ergo Angelus in duobus locis exiſtens non poterit naturali virtute ac potẽtia dare eidem actui vitali duas ſimul præſentias locales, ac proinde nec illum naturaliter producere, & collocare in duobus locis totalibus. Reſp. Angelum eliciturum naturaliter vtrobique actum illum vitalem quoad eſſentiam ac ſubſtãtiam illius, eum vero non collocaturum in vtroque loco, ſed ipſe Angelus efficeret tantum præſentiam localem talis actus ad vnum locum, & Deus ex ſuppoſitione primi miraculi connaturaliter efficet aliam præſentiam localem eiuſdem actus in alio loco, ac proinde Angelus in duobus locis exiſtens in vtroque haberet ex natura rei eiuſdemmet actum vitalem.

75 Obijciat quartò, anima rationalis exiſtens in capite habet vnionem cum materia capitis, quam quidem non habet eadem rationalis anima, vt exiſtens in pede, & tamen talis vnio eſt à loco abſoluta, ergo res in duobus locis exiſtens poteſt in vno ex natura rei habere aliquam formam à loco abſolutam, quam non habeat in alio. Reſp. rem exiſtentem in duobus locis inadæquatis, qua ratione exiſtit anima rationalis in capite, & in pede, non habere naturaliter in vno omnem formam abſolutam à loco, quam habeat in alio, nam eo ipſo, quod vnus locus in quo res exiſtit, ſit inadæquatus, denotat eſſe alium locum inadæquatum, in quo res habeat ea quæ non habet in iſto, vnde cum anima rationalis ſit in pede, vt in loco inadæquato, non habet in illo naturaliter vnionem cum capite, ſed denotat eſſe etiam in alio loco inadæquato, ſcilicet in ipſo cap. in quo talem vnionem habeat. Cum vero res exiſtit in loco adæquato non denotat per ſe, & naturaliter eſſe etiam in alio, atque ita in tali adæquato loco omnia ſua accidentia ac formas abſolutas debet ex natura rei habere, & ſi diuinitus in duobus locis adæquatis collocetur in vtroque ob eandem rationem debet prædicta omnia accidentia retinere.

76 Ex dictis infero, quod ſi aliquis diuina virtute in duplici loco adæquato ſimul exiſtens in vno recipiat læthale vulnus, in alio etiam loco ex natura rei idem læthale vulnus habebit, & ſi in vno aliqua forma priuetur à loco abſoluta, in alio etiam connaturaliter eademmet forma priuabitur, & ſi aquæ in vno loco, altera portio aquæ ſuperadditur ita vt illa habeat nouam vnionem continuatiuam cum iſta, etiam eidem aquæ in alio loco exiſtenti, ibi talis portio aquæ ſuperaddetur, & acquiret eandem nouam vnionem continuatiuam cum illa, quia hæc omnia prædicata, ſiue poſitiua, ſiue priuatiua ſunt abſoluta ac independentia à loco & ipſum ſubiectum ex natura rei ſequuntur.

CAPVT VIII.

An corpus exiſtens in duobus locis in vno poſſit habere diuinitus formas, quibus in alio careat.

77 MOnſtratum eſt capite præcedenti corpus in duobus locis exiſtens eaſdemmet formas à loco abſolutos quas habet in vno loco, habiturum ex natura rei in alio, nunc quærimus an de potentia abſoluta poſſit poni idem corpus in duobus locis, & quod formæ, ſeu accidentia abſoluta, quæ habet in vno loco non ponantur cum ipſo in alio, ſed hîc corpus habeat albedinem v. g. & illic illam non habeat: negare videtur Scotus in 4. diſt. 10. q. 4.

78 ASSERTIO tamen ſit, idem corpus de potentia abſoluta poteſt eſſe in duobus locis, & non habere in vno loco eaſdemmet formas abſolutas, quas habet in alio. Ita Marſilius, Sotus, & Gabriel, quos refert, & ſequitur Suarez dicta diſp. 48. ſect. 5. §. 3. *opinio*, & tom. 3. in 3. p. diſp. 48. ſect. 5. Cardinalis Lugo diſp. 5. de Euchariſtitia ſect. 2. n 35. Hurtado diſp. 14. phyſic. ſect. 5. n. 68. Arriaga diſp. 14. phyſic. ſect. 10. n. 14. Plaça lib. 4. phyſic. diſput. 1. quæſt. 1. Murçia 4. phyſic. diſp. 1. quæſt. 8. Carleton diſp. 35. ſect. 7. cap. 8. Ouiedo controuerſ. 15. phyſic. p. 10. num. 14. contra Scotum in 4. diſtinct. 10. quæſt. 4. Fabrum ibidem diſp. 37. cap. 4. Vaſquez 3. p. diſp. 189. cap. 4. & alij plures.

Probatur ſecundò, id, quod non implicat, poteſt eſſe de potentia Dei abſoluta, ſed non implicat corpus exiſtens in duobus locis habere in vno formas, quas non habet in alio, ergo de potentia Dei abſoluta poterit idem corpus exiſtens in duobus locis formas aliquas habere in vno, quas non habet in alio. Minor conſtabit primò, ex clara ſolutione argumentorum. Secundò, quia in hoc eadem eſt ratio de formis abſolutis à loco, ac de formis, quæ à loco dependent, etenim tam contradictorie opponitur extenſio localis, quæ à loco dependet, cum negatione ipſius extenſionis, quam albedo, quæ eſt abſoluta à loco, cum negatione ipſius albedinis: atqui idem corpus in duobus locis exiſtens poteſt habere; imo neceſſariò habet in vno loco aliquam formam à loco dependentem, ſcilicet extenſionem localem, quam non habeat in alio, corpus enim Chriſti in cælo habet localem extenſionem, & illam non habet in Euchariſtia, ergo idem corpus in duobus locis exiſtens poteſt in vno habere aliquam formam à loco abſolutam, v. g. albedinem, quam non habeat in alio. Tertiò, quia vnio animæ rationalis cum materia capitis eſt forma quædam modalis à loco abſoluta, & tamen anima rationalis vt exiſtens in capite habet talem vnionem, & illam non habet, vt exiſtens in pede, ergo non implicat, quod eadem res in duobus locis exiſtens habeat in vno formam aliquam abſolutam quam non habeat in alio.

79 Probatur ſecundò principaliter, accidentia non ſunt in loco per localem præſentiam & vbicationem ſubſtantiæ ſed per aliam præſentiam ac vbicationem ab illa reipſa diſtinctam, & mutuo ſeparabilem vt oſtendi ſupra cap. 4. num. 32. ergo poteſt ſubſtantia fieri præſens & vbicata in aliquo loco, abſque eo quod eius accidentia ſint localiter præſentia & vbicata in illo; ergo eodem modo poſtquam ſubſtantia & accidentia ſint in aliquo loco vbicata, poterit ſubſtantia diuinitus habere præſentiam & vbicationem in alio loco abſque eo, quod accidentia habeant præſentiam & vbicationem in illo, ergo eadem ſubſtantia in duplici loco exiſtens poterit in vno diuina virtute habere aliqua accidentia quæ non habeat in alio.

80 Obijciat autem quis primò eadem res non poteſt ſimul habere prædicata contradictoria, ſed ſi idem corpus in duobus locis exiſtens poſſet habere in vno formam v. g. albedinem, quam non haberet in alio, haberet prædicata contradictoria, ſcilicet eſſe album, & non eſſe album, ergo corpus non poteſt hebere in vno loco formam, quam non

habeat in alio. Respondeo, casu, quo idem corpus in vno loco haberet albedinem, & illam non haberet in alio, verè diceretur de illo quod esset album, quia ad hoc sufficit, quod in vno loco habeat albedinem; falso verò diceretur, quod non esset album, quia vt hoc esset verum necessarium erat, quod in nullo loco haberet albedinem, sicut non potest dici vere quod corpus Christi non habet localem extensionem, quia licet illam non habeat in Eucharistia, habet tamen talem extensionem in cælo, ac proinde in nostra sententia non sequitur eidem corpori conuenire prædicata contradictoria.

81 Obijciat secundò, idem homo non potest simul habere amorem & odium, assensum & dissensum respectu eiusdem obiecti, atqui si homo in duobus locis existens possit habere in vno formas, quas non haberet in alio, posset habere simul saltem in diuersis locis amorem & odium, assensum & dissensum respectu eiusdem obiecti, nam licèt ille homo in primo loco habeat amorem obiecti, illum tamen non habet, in secundo, atque ita poterit in hoc secundo loco habere respectu eiusdem obiecti actum odij & similiter licèt in primo loco habeat assensum talis obiecti, illum tamen non habet in secundo, ac proinde poterit in hoc secundo loco habere respectu eiusdem obiecti actum dissensus, ergo homo in duobus locis existens non potest in vno habere formas, quas non habeat in alio. Resp. amorem & odium, assensum & dissensum opponi contradictoriè virtualiter respectu eiusdem subiecti in ordine ad idem obiectum independenter à loco, cum ergo licèt homo sit in duobus locis, maneat idemmet subiectum, vt constat, ideo implicat contradictionem virtualem quod dentur simul in illo etiam in diuersis locis amor, & odium, assensus & dissensus in ordine ad idem obiectum, talem vero esse inter hos actus oppositionem in libris de anima ostendemus.

82 Obijciat tertiò, si idem corpus in duobus locis existens non haberet necessariò in vno eademmet accidentia, quæ haberet in alio, sequeretur idem corpus posse simul naturaliter habere calorem intensum, & frigiditatem intensam, hoc autem implicat, ergo. Probo sequelam, ponamus idem corpus capax caloris & frigoris simul existere Romæ & Vallisoleti, & ipsi Romæ applicari agens vehementer calefaciens, & eidem Vallisoleti applicari agens vehementer infrigidãs, tunc sic, corpus istud Romæ non habet frigiditatem, ergo agens vehementer calefaciens illi Romæ applicatum intensum in illo calorem ibi naturaliter producet, similiter idem corpus Vallisoleti non habet calorem, ergo agens vehementer infrigidans ipsi Vallisoleti applicatum naturaliter etiam in illo ibidem intensam frigiditatem producet, ergo idem corpus saltem in diuersis locis habebit simul naturaliter intensum calorem, & intensam frigiditatem.

83 Suarez dicta disp. 48. sect. 6. libens fatetur idem corpus posse in eo casu naturaliter habere simul intensum frigus, & calorem intensum in diuersis locis. Sed impugnatur, nam cum istæ qualitates sint omnino absolutæ & independentes à loco non pugnant inter se ratione loci, sed tantum ratione subiecti, secundum se, quod non habet naturaliter virtutem ad eas formas simul sustinendas, atqui etsi corpus sit in duobus locis existens, est idemmet subiectum, eius virtus passiua naturalis neque crescit, neque augetur, ergo si corpus illud existens in vno loco non potest naturaliter intensum calorem & intensam frigiditatem recipere, nec illam poterit recipere naturaliter etiam in duobus locis existens.

Respondeo, ergo cum potentia passiua ac receptiua subiecti non crescat vt dictum est, ex multiplicatione locorum, idem corpus in multis locis existens eas tantum formas posse in illis simul naturaliter recipere, quas in vno tantum loco existens recipere posset, atque ita in casu argumenti illa contraria agentia in diuersis locis eidem subiecto applicata, eodem modo se habere respectu illius, ac si in eodemmet loco ipsi subiecto applicarentur, pugna esset inter illa, & vnũ agens alterum retardaret, ac denique fortius vinceret, & suam formam introduceret, quod si æqualia essent agentia, vnum alterum impediret, & neutrum induceret in subiecto suam qualitatem in gradu intenso, quapropter numquam idem corpus simul naturaliter haberet etiam in locis diuersis calorem intensum, & frigiditatem intensam. 84

Obijciat quartò, ex nostra sententia sequi posse eundẽ hominem in duobus locis simul existentẽ in vno mori, aut annihilari, & in alio non annihilari, nec mori, quia in vno poterit homo habere vnionem animæ cum corpore, & actionem conseruatiuam Dei, in quo eius vita & conseruatio consistit, & in alio amittere talem vnionem & actionem conseruatiuã, in quo eius mors, seu annihilatio formaliter sita est. Resp. facile hominẽ mori, aut annihilari esse formaliter quod in nullo loco simpliciter sit vnio animæ rationalis cum corpore nec actio conseruatiua ipsius hominis, ex eo autem quod homo existat in vno loco est etiam in illo vnio animæ rationalis cum corpore, & actio conseruatiua ipsius hominis vt per se constat, atque ita ex eo, quod homo sit in vno loco, est impossibile quod in alio loco moriatur, & annihiletur à Deo, sed tantum eius vnio aut actio conseruatiua desinet esse in illo loco, vnde non datur in hac sententia quod homo in diuersis locis simul viuat, ac conseruetur, & moriatur, ac annihiletur à Deo. 85

Sed vrgeat aliquis, quando corpus hominis habet formam rationalem verè est viuens, & quando habet formam cadaueris, est verè mortuum, sed in hac sententia potest idem corpus habere simul in diuersis locis in vno formam rationalem, in alio formam cadaueris, ergo potest simul in diuersis locis in vno esse viuens, & in alio mortuum. 86

Respondeo, idem corpus in diuersis locis non naturaliter, sed supernaturaliter tantum posse simul habere duas formas substantiales, scilicet formam rationalem & formam cadaueris, sicut eas posset habere in eodem loco, in eo autem casu corpus illud solum esse viuens, non mortuum, quia ad hoc non sufficit habere formam cadaueris, sed necessariò requiritur priuari forma rationali, quam tunc haberet.

CAPVT IX.

Quid sit vacuum, & quæsita alia expediuntur.

87 V*Acuum est locus carens corpore, & aptus illo repleri*, hoc est, vltima superficies corporis ambientis nullum actu corpus, sed inanem quandam intercapedinem suo ambitu circumscribens, habens tamen capacitatem ad corpus intra ipsius latera concludendum, vel (quod recidit in idem) vacuum *est vastitas quædam inanis inter latera corporis ambientis*, differt à spatijs imaginarijs extra cælum, sicut priuatio à negatione, quia illa spatia non exigunt habere corpus, ideo habent negationem illorum, vacuum autem dicit exigentiam corporum,

corporeum, ex quo fit, nec ante mundi creationem fuiſſe, nec modo extra cælum empyreum de facto dari propriè & ſtrictè vacuum quia licèt ſit inanis quædam vaſtitas, attamen non intercipitur inter latera corporis continentis, quod etiam ad propriam rationem vacui deſideratur. Illa tamen ſpatia imaginaria aliquo modo dici poſſunt vacuum, quia ſaltem diuinitus poſſunt repleri corpore.

88 Hoc autem vacuum quis ambigat poſſe diuinitus dari; cum cæleſti circulo immoto manente poſſit Deus de potentia abſoluta omnia alia interiecta corpora annihilare, & alijs corporibus quæ eſſent confluxura ad illum locum replendum, negare concurſum ad mouendum, quo facto daretur ſtrictè vacuum, ergo ſicut modo eſt extra cælum, & hîc erat ante mundi productionem poterit modo diuinitus dari. Ita D. Thom. in 2. diſtinct. 1. quæſt. 1. art. 5. Henricus quodlibeto 15. quæſt. 1. Ricard. in 2. diſt. 14. quæſt. 3. Conimbricenſes lib. 4. phyſic. cap. 9. quæſt. 2. art. 1. Arriaga diſp. 14. phyſic. ſect. 11. de vacuo, Carleton diſp. 32. phyſic. ſect. 1. Complutens diſp. 20. de vacuo quæſt. 2. num. 9. Murçia 4. phyſic. diſp. 2. q. 1. Plaça 4. phyſ. diſp. 2. quæſt. 1. cui ſententiæ libenter ſubſcribunt omnes Philoſophi Catholici.

89 Dubium tamen eſt, an vacuum poſſit dari & accidere naturaliter? antiqui quidam Philoſophi partem affimatiuam ſectati ſunt, aſſerentes vacuum de facto dari, nonnulli verò Neoterici illud in rerum natura per breue tempus admittunt, his tamen omnibus communis Philoſophorum ſchola cum Ariſtotele reſtagatur.

90 ASSERTIO ergo ſit, non poteſt naturaliter dari in rerum natura vacuum etiam per breue tempus. Ita Ariſt. in hoc lib. 4. à c. 5. vſq; 9. S. Thom. ibidem, Conimbricenſes in hoc lib. c. 9. q. 1. art. 3. Complut. ſupra q. 1. Arriaga diſp. 14. phyſ. ſect. 11. P. Hurt. diſp. 14. phyſ. ſect. 6. Murçia 4. phyſ. diſp. 2. q. 1. Plaça 4. phyſ. diſp. 2. q. 1. & omnes recentiores communi ſuffragio adhærent, & ad hanc ſententiam comprobandam plures à priori afferunt Conimbr. rationes, quas elegantes iudico, non efficaces, aliam rationem adducunt recentiores non indocti, quæ veroſimilior apparet.

91 Pro cuius explicatione obſeruo primò, eandemmet materiam ſeu quantitatem ſine vlla ipſius additione ac diminutione non poſſe maius ſpatium occupare quam antea niſi aliqua eius pars ſit ſimul in duplici loco, ſeu ſpatio, nec etiam poſſe minus ſpatium occupare, quam antea, niſi aliquæ ipſius materiæ partes ſimul, in eodem loco, ac ſpatio penetrentur vt fusè in libris de generatione oſtendam. Hanc autem penetrationem omnes fatentur eſſe naturaliter impoſſibilem, & ratio ipſa id ſuadet, vt etiam alibi demonſtrabo. Obſeruo ſecundò, Deum in primordijs mundi, quando hoc vniuerſum creauit in hoc ſpatio, quod occupat, totum hoc ſpatium repleuiſſe materia prima ita, vt cuilibet indiuiſibili ſpatij correſponderet localiter aliquod indiuiſibile materiæ primæ, hîc enim videtur perfectior, & aptior modus hoc vniuerſum conſtituendi, nec apparet ratio quare cenſeatur Deus condidiſſe hoc vniuerſum pluribus vacuitatibus ac foraminibus interciſum, ac interruptum & non potius id
92 creaſſe vndequaque integrum, & completum.

His obſeruatis probatur primò, ex Ariſtotele in hoc lib. c. 8. & 9. qui eam pluribus rationibus confirmat & præcipue 1. met. cap. 1. vbi ait, *oportere mundum hunc contiguum eſſe lationibus ſuperioribus, id eſt, corporibus cæleſtibus vt inde eius virtus regatur & gubernetur*, ex quibus colligit oportere omnia corpora eſſe contigua ad recipiendam cæleſtem influetiam media qua conſeruentur in vniuerſo, ſicut ad perfectionem alicuius totius corporis pertinet, vt eius partes inter ſe vniantur, ſi enim daretur vacuũ in rerum natura, influentia, cæleſtis nõ poſſet communicari corporibus inferioribus, cum nulla virtus naturalis poſſet trãſire ad extremũ niſi per medium, ergo cum in vacuo nullum ſit ſubiectum in quo poſſit recipi talis cæleſtis influentia vt exinde ad alia corpora traducatur, ideo repugnat vacuum in rerum natura vi alicuius agentis ſublunaris, quia illud eſſet fruſtra, quod natura ſemper abhorret.

Probatur primò, noſtra ſententia à priori, vna pars 93
materiæ ſeu quantitatis non poteſt naturaliter cum alia in eodẽ loco penetrari, ſed ſi modo in hoc vniuerſo daretur aliquod ſpatiũ vacuũ vna pars materię neceſſariò penetraretur in eodẽ loco cum alia, ergo nõ poteſt naturaliter dari in hoc vniuerſo ſpatium aliquod vacuum. Minor probatur, eadẽmet materia ſine vlla ſui ipſius diminutione non poteſt minus ſpatium occupare, quã antea, niſi vna pars materiæ in eodem loco ſit, & penetretur cum alia, vt obſeruaui n. 69. ſed ſi modo daretur in hoc vniuerſo aliquod ſpatium vacuum, materia huius vniuerſi quæ ſemper eadem ſine diminutione manet, occuparet minus ſpatium, quam antea, quia antea in principio mũdi talis materia vniuerſum ſpatium ſine vlla vacuitate, & interruptione occupabat vt ibidẽ etiam obſeruauimus, nunc autem non occuparet totum vniuerſi ſpatium, cum aliqua eius pars maneret vacua, atque ita minus ſpatium occuparet, quam antea ergo ſi modo aliquod ſpatium daretur vacuum, vna pars materiæ neceſſariò penetraretur cum alia.

Probatur ſecundò, efficacius ab experientia, nam 94
ſi quis per fiſtulam aquæ ſuperpoſitam aërem abſumat, & attrahat, ipſa aqua ſuæ grauitatis oblita ſurſum naturaliter aſcendit, ne in latera fiſtulæ vacuũ accidat, ſimiliter latera follium compreſſa non poſſunt naturaliter diuelli, niſi aperto artificio, quo aër impediatur ad interceptum ſpatium, ne detur vacuum implendum. Item tabula perfectè plana cũ alia etiam perfectè plana coniuncta non poteſt ab illa ſimul abiungi, ſed ſucceſſiue & per partes vt ſpatium intermedium ab aëre circunſtante poſſit ſucceſſiue repleri, ſic etiam iuxta ſententiam communem (à cuius virtute nunc abſtraho) quando in vaſe vndique perfectè obturato aqua incluſa per gelidam qualitatem condenſatur, & minus ſpatium occupat, in inſtanti antecedenti diſrumpitur vas, vt ab aëre introeunte ſpatium ab aqua relictum occupetur.

Deinde aqua in clepſidra non egreditur per foramina inferiora aperta clauſo tantum foramine ſuperiori, quia non eſt, quo aër ingrediatur ad ſpatium, quod aqua deſereret, occupandum, atque ita vacuum daretur, his & aliis experientijs conſpicitur, quanto ſtudio natura vacuum declinare conetur, vacuum ergo dari non poteſt naturaliter.

Obijciat aliquis primò, corpus quadratum non 95
poteſt corpus aliud rotundum intra ſe continere, quin in illius angulis detur vacuum corporis contenti, & corporis continentis vt per ſe conſtat, ſed iuxta receptam ſententiam cælum empyreum eſt corpus quadratum, & aliud cælum immediatum, quod intra ſe continet, eſt ſphericum, & rotundum; ergo in angulis cæli empyrei datur vacuum cæli quadrati continentis, & cæli rotundi ab eo contenti, atqui non eſt imaginabile, corpus aliud, quod intra illos angulos ad vitandum vacuum poſſit naturaliter intromitti, ergo

intra

intra angulos cæli empyrei datur naturaliter vacuũ. Resp. cælũ empyreum secundum superficiem conuexam esse, quadratum, at secundum superficiem concauam aliud cælum intra se continentem esse rotundum, atque ita perfectè adæquari alteri cælo rotundo ab ea contento, & eapropter in angulis cæli empyrei nullum vacuum intercipitur.

96 Objiciat secundo, quando corpus Christi Domini in ipsius ascensione cælos penetrauit, aliquod spatium deseruit intra ambitum lunæ, quod antea occupabat, sed hoc spatium: non potuit à materia prima, huius vniuersi naturaliter repleri, ergo tale spatium datur de facto vacuum: minor probatur, eademmet materia sine additione nouæ partis non potest occupare maius aliquod spatium quam antea occupabat naturaliter, nisi aliqua eius pars in duobus locis constituatur vt notatum est supra num.69. sed in dicto casu materia huius vniuersi, si repleret spatium relictum à corpore Christi, maius spatium occuparet, quam antea, quia spatium hoc relictum à corpore Christi, materia quæ modo est intra ambitum lunæ, non occupabat, ergo talis materia non potest tale spatium desertum à corpore Christi occupare, nisi in duobus locis aliqua pars materiæ constituatur, atqui materia prima non potest naturaliter in duobus locis constitui, ergo materia quæ modo est intra ambitum lunæ non potuit spatium illud relictum à corpore Christi, naturaliter occupare, ac proinde tale spatium erit vacuum. Respondeo, Deum in eo casu miraculoso produxisse nouam aliquam partem materiæ sub aliqua forma, à qua tale vacuum repleretur.

97 Objiciat tertio, cum corpus naturaliter mouetur, non mouetur spatium à corpore expletum, aliàs vnum corpus penetraretur naturaliter tum alio, quod repugnat, ergo mouetur per spatium vacuum, ergo vacuum naturaliter datur. Respondeo, corpus moueri per spatium, quod immediatè ante eius motum erat repletum alio corpore subtiliori, aëre nimirum, vel aqua, quod illi cedit, & locum proprium relinquit, vt immediatè post illius discessum ab illo corpore repleatur, & ipse aër explet statim spatium, quod corpus motum relinquit, atque ita vacuum non potest dari naturaliter.

98 Ex dictis infero non posse virtute Angeli dari in rerum natura aliquod spatium vacuum. Ita D. Thomas de malo qu. 16. art. 10. ad vltimum, Conimbricenses 4. physic. cap. 9. qu. 3. art. 10. Rubius ibidem de vacuo qu. 2. num. 4. Complutenses disput. 10. de vacuo, qu. 2. Plaça 4. physic. disp. 2. quæst. 1. Hurtado disput. 14. physic. sect. 6. Arriaga, Ouiedo contr. 15. physic. p. 12. & communiter recentiores, licet Carleton disput. 32. physic. sect. 1. oppositum censet probabile.

99 Probatur primo, ex illo Paul. ad Hebr. 2. *Non enim Angelis subiecit Deus orbem terræ*, & D. Thomas supra relatus agens de naturali virtute demonum, quæ non est maior, quam Angelorum, sic ait, *Licet Dæmones possint mouere aliquam partem terræ, non sequitur, quod possint mouere totam terram, quia hoc non est proportionatum naturæ ipsorum vt mutent ordinem elementorum mundi.* Ex quibus verbis desumitur efficax argumentum ad probandam nostram positionem, nam ordinem naturalem ac communem vniuersi non potest inuertere nisi solus Princeps, & autor vniuersalis naturæ, tum etiam quia Angelus non potest facere naturaliter, quod vnum corpus cum altero penetretur, ad hoc enim requiritur virtus supernaturalis, sine hac autem penetratione non potest dari vacuum vt supra ostendi num. 70. Dices Angelus potest aliquod corpus, verbi gratia, aquam ex suo loco extrahere & impedire, ne aliud corpus, verbi gratia, aër in eum locum ingrediatur, cum ipse Angelus sit longe potentior aëre, ergo tunc locus ille virtute Angeli manebit vacuus. Sed nego posse Angelum impedire, ne aër in eum locum intret, ad vitandum vacuum, quia tunc aër impelleretur à Deo autore naturali, & ideo non posset ei ab Angelo resisti.

100 Verum quærat primo, aliquis an corpus moueretur in vacuo. Respondeo, posse corpus in vacuo naturaliter moueri. Ita D. Thomas hic lect. 12. & in 4. dist. 44. quæst. 2. artic. 1. Philoponus in hoc libro tex. 75. Scotus in 2. dist. 2. quæst. 9. hic quæst. 3. artic. 3. Toletus quæst. 9. Conimbricenses libro quarto physic. cap. 9. quæstione quarta & quinta, Rubius ibidem quæst. 1. §. communis sententia, Masius, Complutenses disput. 20. de vacuo quæst. 3. §. 2. Plaça 4. physic. disp. 2. quæst. 3. Murçia 4. physic. disput. 1. de vacuo quæst. 2. Carleton disput. 32. physic. sect. 1. Hurtado disput. 14. physic. sect. 6. Arriaga disp. 14. physic. sect. 11. & est communis inter antiquos & recentiores. Probatur, ad hoc vt corpus moueatur sufficit, quod sit virtus motiua, & terminus motus, sed etiam si vacuum daretur inter cælum & terram, homo in terra existens haberet eamdem virtutem motiuam, quam modo habet, & tunc etiam esset terminus motus, scilicet vbicatio ac præsentia localis, quæ à loco reali extrinseco est independens vt supra monstratum est capite tertio, imo & daretur etiam tunc spatium imaginarium, ergo tunc homo etiam in vacuo moueretur. Confirmatur: Christus Dominus, modo iuxta probabiliorem sententiam existens supra superficiem conuexam cæli empyrei potest ibi naturaliter se mouere, & tamen supra cælum empyreum non datur locus realis, sed vastitas quædam inanis, ergo etsi in prædicto casu esset super terram spatium innene, & vacuum homo per tale vacuum posset naturaliter moueri.

101 Secundo quærat, an possit esse in vacuo motus successiuus? affirmatiuè Respondeo. Probatur ex D. Thoma supra lect. 12. vbi loquens de duratione motus, sic ait, vnde substracto tempore, quod additur ex impediente, remanet tempus naturalis velocitatis, sed tempus naturalis velocitatis fieri non potest nisi in motu successiuo, quia si supponamus à cælo lunæ vsque ad terram columnam quamdam fixam, & reliquum spatium vacuum, tunc si aliquod corpus habens magnitudinem vnius vlnæ descenderet iuxta, illam columnam à cælo vsque ad terram non posset in vno & eodem instanti esse simul iuxta omnes illius columnæ partes, ergo esset prius iuxta priores & deinde iuxta posteriores, & consequenter in illo decensu verè & realiter consumeretur tempus, ergo non moueretur in vacuo motu instantaneo, sed successiuo.

102 Probatur etiam si inter cælum & terram daretur vacuum, posset per spatiũ imaginarium vnius leucæ, v.g. homo super terram moueri. vt ostendi numero præcedenti, atqui per tale spatium non moueretur homo in instanti, alias simul acquireret plures præsentias ac vbicationes adæquatas, & esset simul in pluribus locis adæquatis, quæ sunt intra illud spatium, quod quidem repugnat naturaliter, ergo homo per tale spatium imaginarium ac vacuum moueretur successiuè, posset vero Deus, diuinitus mouere illud corpus in instanti non per motum localem propriè dictum, sed per quamdam mutationem indiuisibilem. Objicies Aristotelem lib. 4. Physic. cap. 8. asserentem motum in vacuo fore necessario instantaneum sed non ex propria, sed ex

aliorum

aliorum ſententia loquitur vt Conimbricenſes hîc capite 9.quæſtione 5.art.2.ipſius mentem interpretantur,& communiter recentiores.

103 Tertiò quærat,an ſi daretur vacuum inter cælum & terram, & lapis dimitteretur iuxta cælum, ſiſteret ne an moueretur ad terrã. Reſp.in eo caſu lapidem immotum iri naturaliter, quia res naturaliter non mouetur niſi ad locum aptiorem ad recipiendum cæleſtem influxum,quo conſeruetur,lapis autem cælo coniunctus eſſet in loco aptiori ad recipiendum in ſe influxum cæleſtem,quam ſi eſſet in terra,in quam propter vacuum intermedium non poſſet cælum ſuas influentias & qualitates immittere, atque ita lapis in tali caſu ibi naturaliter quieſceret iuxta cælum,imo propter eandem rationem terra ſurſum naturaliter aſcenderet,& cælo agglutinaretur,vt eius foueretur influxu,vide P.Hurtado diſp.14.de loco ſect.6. qui hæc & alia quæſita breuiter & bene diluit.

104 Hic etiam obſerua duplex eſſe medium quo natura vacuum vitat,aliud poſitiuum,ſcilicet motum,quo aqua v. g. ſurſum vt vacuum repleat, aſcendit:aliud negatiuum, videlicet reſiſtentiam qua v. g. latera follium compreſſa motui impellentis, ne diuellantur clauſo orificio,& vacuum detur, reſiſtunt,vtrumque autem medium, tam negatiuum, quam poſitiuum,ſi non adſit cauſa creata expedita, à qua commode exhiberi poſſit, præſtatur ab ipſo Deo,vt autore naturali.

DISPVTATIO XXVII.

De compoſitione continui.

SEptem capita continebit. In primo inquiro,an continuum actualiter componatur?In ſecundo, an in continuo indiuiſibilia inueniantur?In tertio,an continuum ex infinitis partibus proportionalibus ac punctis indeterminatis coaleſcat?In quarto,an continuum conſtet ex finitis ſolum indiuiſibilibus quæ omnino indiuiſibilia ſint?In quinto,continuum tantum componitur ex finitis reipſa indiuiſibilibus quæ ſint diuiſibilia virtualiter?In ſexto,omnia difficilia in hac ſententia enodantur? In ſeptimo, quædam quæſita expediuntur.

CAPVT I.

An continuum actualiter componatur.

1 COntinuum proprie non eſt aliquid conſtans ex actu & potentia vt Angelus;ſeu ex materia & forma vt compoſitum phyſicum, eſt tamen totum quoddam actuale reſultans ex pluribus partibus inter ſe integraliter vnitis, vt partes ligni & aquæ,& aliæ huiuſmodi,aliqui Philoſophi ex antiquis vt Auerroes,Simplicius,Themiſtius, & ex recentioribus non indocti, vt Albertinus in prædicamento quantitatis diſp.3.q.6.Faſolis 1.p.q.7. art.1. diſp.7.Tannerus 1.p.diſp.2.q.4. dub.2.membr.24.vt continui difficultates euadant opinati ſunt continuum ſecundum ſe nõ eſſe actualiter compoſitum, nec actu partes habere,ſed ſolum in potentia, atq; ita eſſe entitatem quandam ſimplicem formaliter, & compoſitum tantum virtualiter quatenus opera, aut deſignatione agentis naturalis in plures poteſt partes diſſecari.Hæc autem ſententia male in ſchola audiuit apud Philoſophos,ideoque ab omnibus communiter relegatur.

ASSERTIO ſit, continuum actu & formaliter eſt 2
compoſitum ex partibus determinatis actu,& formaliter diſtinctis.Ita Ariſt.1.de quantitate,& 5.met. c.6.& in præſenti c.1.2.& 3. text.29. D.Thom. ibidem & opuſc.36.cap.2.q.28.de veritate art.2.ad 10. & in hoc lib.lect.8.D.Auguſt.de quantitate animæ cap.11.& 12.confeſſionum c.14. vſq; ad 18. Suarez diſp.40.met.ſect.5.Toletus lib.6.phyſ.q.1. concl.3. Conimbr.6.phyſ.c.2.q.1.art.2.& 3.Rub.6.phyſ.tr.de continuo n.40. Murçia 6.phyſ. diſp.1. q.6. Plaça 6. phyſ. diſp.1.q.1.Hurt.diſp.15.phyſic.ſect.1. Arriaga diſp.16.phyſ. ſect. 2. num. 14. Ouiedo controu.17. phyſ.p.1.num.2.Greg. in 1. diſt.24. q.1.art.2. Simplicius,Philoponus,Deça, Caiet.Soncinas, Complutenſes diſp.25.phyſ.q.3.& alij plures,quam ſententiam erudite tradit D. Libertus, Fromondus opere de continuo, & communis Philoſophorum ſchola.

Probatur, eſſe aliquid compoſitum ex partibus 3
actu & formaliter diſtinctis nihil eſt aliud, quam conſtare ex partibus quarum vna actu, & formaliter non ſit alia, ſedcontinuum conſtat ex partibus quarum vna actu, & formaliter non eſt alia, ergo continuum eſt compoſitum ex partibus actu,& formaliter diſtinctis. Minor oſtenditur, quando duæ portiones aquæ,quæ erant ſeparatæ iunguntur, & ex illis vnum continuum reſultat, quælibet portio aquæ ex illis eadem eſt eſſentialiter in ſeipſa poſt coniunctionem cum alia,ac erat ante coniunctionẽ cũ illa,ſed ante coniunctionem,quælibet aquæ portio actu,& formaliter non erat alia, ſed erat formaliter diſtincta ab illa; ergo etiam poſt coniunctionem illarum,quælibet portio aquæ actu,& formaliter non eſt alia, igitur continuum, quod ex illis aquæ portionibus reſultat conſtat verè ex partibus quarum vna actu,& formaliter non ſit alia. Confirmatur, hoc continuum ſcilicet homo conſtat ex brachio,& pede,ſed pes diſtinguitur actu,& formaliter à brachio;ergo hoc continuum conſtat ex partibus actu & formaliter diſtinctis.

Dicant verò aduerſarij,eo ipſo quod ſaltem mẽte 4
pes,& brachium deſignentur fieri iam diuiſionem partium actualem,& formalem,quæ ante talem deſignationem,erat ſolum virtualis & in potẽtia. Sed cõtra:deſignatio extrinſeca intellectus nõ immutat intrinſece & eſſentialiter partes continui ſcilicet pedem,& brachium, ſed ſolum cognoſcit id quod ipſæ partes habent intrinſece, atqui partes illæ ſcilicet pes,& brachium poſt extrinſecam illam mentis deſignationem ſunt intrinſece, ac eſſentialiter actu & formaliter diſtinctæ,ergo etiam ante talem deſignationem erant intrinſece,ac eſſentialiter actu & formaliter diſtinctæ,igitur continuum ſecũdum ſe componitur ex partibus actu, & formaliter diſtinctis. Hoc tã euidens mihi eſt,vt omnino otioſũ iudicẽ plures ad id probandũ rationes accumulare.

Dicat ſecundò, Ariſt. varijs in locis dicentem in 5
continuo non eſſe partes actu, ſed potentia & actu vnum,& ex pluribus entibus in actu nõ poſſe fieri vnum ens per ſe,& conſequenter partes in cõtinuo non diſtingui actu ſed tãtum potentia.Reſp.partes in cõtinuo non eſſe actu per modum entium completorum per ſe,ſed vt complentes aliam entitatem vt partes aquę,quæ etſi eſſentialiter ſint completæ, integraliter vero ſunt incompletæ,quia ordinantur ad integrandam aliam maiorem entitatem,vnde etſi actu ſint entia realia diſtincta;ordinantur tamen ad conſtituendum vnum per ſe integrale, nam caput manus,pedes,&c. ſunt vnus homo, omnes partes

ignis

ignis sunt vnus ignis, & omnes partes aquæ in mari vnum mare, vnde integraliter sunt incompletæ & admittunt augmentum & constituunt vnum per se, non ex materia & forma, sed ex partibus integralibus vt n. 1. diximus.

6 Sed pro maiori elucidatione obserua aliud esse habere partes distinctas, aliud habere partes inter se separatas. Habere partes distinctas est formaliter habere partes, quarum vna non sit alia, cum ergo continuum cõstet ex partibus quarum vna actu, & formaliter non est alia, ideo continuum habet partes actu & formaliter distinctas. Habere autem partes separatas est habere partes, quarum vna non sit vnita & coniuncta cum alia, cum ergo continuum constet ex partibus, quarum vna non sit actu & formaliter disiuncta ab alia, sed solum possit disiungi ab illa, ideo continuum non habet partes dissitas ac separatas actu & formaliter, sed solum in potentia, quo pacto illi qui dixerint continuum non habere actu partes, sed in potentia, intelligendi sunt.

Hoc autem continuum, quod ex partibus con-
7 stat determinatis, est duplex: aliud permanens, alterũ successiuum. Continuum permanens est id, quod habet suas partes simul extensas inordine ad locum, vt lignum, aqua. Continuum vero successiuum est illud, quod non habet simul suas partes, sed tantum successiue vnam post aliam vt motus, tempus. De vtroque in hac disp. differimus.

CAPVT II.

An in continuo indiuisibilia inueniantur.

8 INdiuisibile est id, quod non potest in duo extrema secari. Hoc autem in quãtitate si sit diuisibile versus longitudinem & latitudinem, insectile vero versus profunditatem dicitur superficies, si vero sit diuisibile versus longitudinem, versus latitudinem autem, ac profunditatem sit indiuisibile, vocatur linea, si sit indiuiduum ac insectile versus longitudinem, latitudinem & profunditatem, punctum appellatur, in motu vero entitas quæ tota est simul, & nõ habet prius & posterius dicitur *mutatum esse*, in tẽpore autem, ea entitas, quæ prius & posterius non includit, vocatur instans quæ quidem scilicet *mutatum esse* & instans, ideo indiuisibilia dicuntur, quia in partes priores & posteriores diuisibilia non sunt. Quærimus ergo an in continuo, permanenti ac successiuo istæ entitates insectiles, ac indiuisibiles reperiantur.

9 Opinantur aliqui in continuo hæc indiuisibilia non dari. Ita Durand. in 2. q. dist. 2. q. 4. Greg. in 2. distinct. 2. art. 1. Ochamus in sua dialectica cap. de quantitate & alij ex nominalium schola, consentit Pereira lib. 10. suæ Philosophiæ c. 6. §. restat nunc. Fauet etiam Fonseca 5. met. c. 16. q. 6. sect. 1. qui vnicam tantum in continuo superficiem terminatiuam admittit, & alia omnia indiuisibilia inficiatur.

10 ASSERTIO tamen sit, in continuo tam permanenti, quam successiuo prædicta omnia indiuisibilia inueniuntur. In hac assertione Arist. Zeno, & Anaxagoras cum suis sectatoribus infra citandi conueniũt & D. Thom. opusc. 36. c. 2. quodlibeto 7. c. 9. ad 2. & q. 28. de veritate art. 2. ad 10. Alensis lib. 3. met. c. 5. Scotus in 2. dist. 1. q. 3. & dist. 2. q. 4. Sotus in prædicamentis Caiet. 3. p. q. 4. art. 2. Fonsec. 5. met. cap. 15. Suar. disp. 40. met. sect. 5. n. 13. Conimbr. 6. phys. c. 2. q. 1. art. 2. Rub. 6. phys. tract. de continuo n. 14. & 15. Murçia 6. phys. disp. 1. q. 1. Plaça 6. phys. disp. 1. q. 1. Hurt. disp. 15. phys. sect. 2. Ouiedo controuers. 17. phys. p. 1. n. 4. & 5. Complut. disp. 25. physic. q. 1. n. 1 Carleton disp. 43. physic sect. 2. & communiter recentiores non tamen eodem modo eam explicant, quidam enim admittunt puncta terminatiua, & negant continuatiua; alij è contrario admittunt puncta cotinuatiua, & negant terminatiua.

Probatur primo: in continuo permanenti, ac pri- 11
mum in illo esse puncta sic ostendo: si corpus perfecte sphæricum aliud perfecte planum contingat non tanget illud in parte aliqua diuisibili, alioqui si in parte diuisibili illud attingeret, corpus perfecte sphæricum aliquam haberet planiciem per quam cum illa parte diuisibili plani, quã tãgeret adæquaretur, atque ita partes extremæ illius planitiei cum alijs emineant magis distarent à centro quã partes mediæ, ac proinde corpus illud non esset perfecte sphæricum ad cuius rationem desideratur, quod omnes eius partes æqualiter distent à centro, ergo corpus illud perfecte sphæricũ tãgeret aliud perfecte planũ in pũcto indiuisibili, etsi sæpe illud cõtingat, sæpe in pũcto indiuisibili attinget, ergo in illo continuo perfecte plano dãtur puncta indiuisibilia.

Similiter ostendi potest lineam in continuo in- 12
ueniri, nam si cilindrus, hoc est, columna perfecte rotũda, tangat corpus perfecte planum, tanget illud in aliquo diuisibili versus longitudinem, non vero in aliquo diuisibili versus latitudinem, aliàs colũna illa versus latitudinem aliquam haberet planitiem, per quam cum parte illa plani diuisibili versus latitudinem, quam attingeret, adæquaretur, atque ita non esset perfecte rotunda vt supra in simili ostendi, ergo colmna illa perfecte rotunda tangeret planum in aliqua eius entitate diuisibili versus longitudinem, & indiuisibili versus latitudinem, quæ est linea, igitur in illo continuo perfecte plano linea etiam indiuisibilis reperitur.

Hoc etiam modo monstrari potest dari superfi- 13
ciem, quia si duo perfecte plana se contingant, se tangent in aliqua entitate diuisibili versus longitudinem & latitudinem, non vero diuisibili versus profunditatem, aliàs si in entitate etiam diuisibili versus profunditatẽ se attingerent, vna entitas plani cum alia entitate alterius plani penetraretur quod naturaliter implicat, ergo vnum planum tanget aliud, in aliqua entitate diuisibili versus longitudinem & latitudinem & indiuisibili versus profunditatem, quæ est superficies. Confirmatur, quando corpus omnino opacum illuminatur non recipit lumen in aliqua sui entitate diuisibili versus profunditatem, alioquin etiam intra ipsam profunditatem illuminaretur, atque ita non esset omnino opacum, sed diaphanum, ergo reciperet lumen in aliqua entitate indiuisibili versus profunditatem, quæ quidem est superficies.

Probatur secundò, in continuo successiuo, nunc 14
de præsenti existit aliquid temporis, sed nunc de præsenti non existit aliqua pars temporis diuisibilis habens prius & posterius, implicat enim prius & posterius simul de præsenti existere vt per se constat, ergo nunc existit instans indiuisibile temporis, ergo in continuo successiuo, scilicet in tempore indiuisibilia inueniuntur. Cõfirmatur. Si Deus modo crearet Angelum, talis creatio esset tota simul ac indiuisibiliter, sicut & ipse Angelus, sed si talis creatio Angeli esset in aliqua parte temporis diuisibili includente prius & posterius, creatio ipsa non esset tota simul, ac diuisibiliter, sed successiue, ac indiuisibiliter, haberet enim prius, & posterius, sicut & ipsa pars temporis, cum qua coaptaretur, ergo talis creatio Angeli non esset in parte temporis diuisibili, sed solum in aliquo instanti temporis indiuisibili; ergo dantur in tempore instantia indiuisibilia. Vrgeo, quiuis motus finitus terminatur ac finitur, ergo datur in illo aliquid motus, quod sit vltimus terminus illius, sed pars motus diuisibilis

non

non poteſt eſſe vltimus terminus illius, cum ſemper vltra quamlibet partem motus diuiſibilem ſit alia, & alia pars motus diuiſibilis vſque in infinitum, ergo datur in motu aliquod mutatum eſſe indiuiſibile, ergo in continuo etiam ſucceſſiuo indiuiſibilia ſunt.

15 Sed objiciat aliquis, indiuiſibilitas eſt propria rei ſpiritualis, ſed continuum nõ eſt ſpirituale, ſed materiale, ergo in continuo nullum datur indiuiſibile, aliàs ſequeretur fore materiale & ſpirituale, quod implicat. Reſpondeo non eſſe proprium rei ſpiritualis eſſe indiuiſibilẽ, vbi enim Angelicum poteſt eſſe diuiſibile, & tamen eſt ſpirituale, ſolum ergo eſt de ratione rei ſpiritualis independentia à quantitate, cum vero indiuiſibilia continui pendeant à quantitate, ideo licet inſectilia ſint, non ſunt ſpiritualia, ſed materialia. Alia argumenta quæ aduerſus noſtram concluſionem fieri ſolent, potius partes proportionales, quam indiuiſibilia impugnant, vel ad minus ſolum vrgent illos, qui partes proportionales admittunt, nos vero partes proportionales negabimus, & idcirco contra nos illa argumenta non militant.

CAPVT III.

An continuum ex infinitis partibus proportionalibus, ac punctis indeterminatis coaleſcat.

16 ARiſtoteles cum vniuerſa peripatetica ſchola, quẽ omne fere eius poſteri vna omnium conſpiratione ſequuti ſunt aſſerit in hoc lib. 6. componi continum ex infinitis partibus, quarum quæuis in alias duas, & quælibet iſtarũ in duas alias, & quæuis etiam earũ in alias duas, & ſic in infinitum poſſit diuidi, & etiã ex infinitis indiuiſibilibus indeterminatis, quæ deſignari non poſſint, quibus illæ partes copulantur, eas autẽ partes appellant indeterminatas, quia deſignari nõ valent: cõmunicantes etiã, quia aliæ in alijs includuntur, item proportionales, quia quæuis earum quadã proportione diuiditur in duas mediationes & quæuis medietas in alias duas, & ſic de alijs, atq; ita ratione huius proportionis, quã hæ medietates ſeruãt partes proportionales dicũtur. idẽq; in cõtinuo permanẽti ac ſucceſſiuo cõſtituũt.

17 Assertio tamen ſit. Continuũ tam permanens, quam ſucceſſiuũ ex infinitis partibus proportionalibus. ac infinitis punctis indeterminatis non cõſtat. ita auctores cap. præcedenti n. 1. citati. Probatur primo, ſi ſpatium, v.g. vnius palmi infinitas partes proportionales haberet vnã poſt aliam in ordine ad locum, nunquam poſſet ab aliquo tale ſpatium vltimo pertranſiri, hoc autẽ eſt ridiculum & falſum vt oculus experitur, ergo ſpatium illud continuũ infinitas partes proportionales non habet. Maior probatur, vt aliquis vltimo aliquod ſpatium pertranſeat, requiritur, quod tandem accedat ad aliquam partem illius ſpatij, vltra quam nõ ſit alia pertranſeunda, ſi enim vltra quamlibet ſpatij partem, quam pertranſit, reſtat ſemper alia per tranſeunda, nunquam eas partes finiet, nec vltimo illud ſpatium percurret, ſicut ſiquis aliquam multitudinem numerans, nunquam numeraret aliquam vnitatem vltra quam non reſtaret alia numeranda, illam quidem nunquam numerare finiret, atqui ſi ſpatium illud continuum vnius palmi haberet infinitas partes proportionales vnam poſt aliam, in ordine ad locũ, mobile nunquam ſucceſſiue accederet ad aliquam partem illius ſpatij, vltraquam non reſtaret alia pertranſeunda, cũ quæuis pars proportionalis ſit diuiſibilis in alias duas, quarum alia prius & alia poſterius debet ſucceſſiue percurri, ergo ſi ſpatium illud continuum habent infinitas partes, numquam ab aliquo poſſet vltimo pertranſiri.

Dicat aliquis: motum etiam, quo homo per illud 18
ſpatium moueretur habiturum eſſe infinitas partes proportionales, & ideo per talem motũ poſſe infinitas partes illius ſpatij vltimo pertranſiri. Sed contra eadem ratione, probo motũ illum non poſſe vnquam finiri, quia cum vna pars illius motus ſit ſucceſſiue poſt aliã, vt ille motus vltimo finiatur, requiritur, quod tamdem ſit aliqua eius pars, vltra quam non ſit futura alia, ſi enim vltra quamuis partẽ illius motus aduenientẽ, alia neceſſario eſt futura, nunquã illæ partes exhaurientur, vt ſupra in ſimili oſtendi, ſed ſi motus ille per ſpatiũ vnius palmi haberet infinitas partes proportionales, vnam ſucceſſiue poſt aliam in ordine ad tempus, nunquam aduenirent aliqua pars talis motus vltra quam nõ eſſet futura alia, quia quæuis pars proportionalis motus eſt diuiſibilis in alias duas, alterã priorem ſeu præteritam, quæ debet eſſe prius, & aliam poſterioreẽ ſeu futurã, quæ debet exiſtere poſterius, ergo ſi ille motus haberet infinitas partes, nunqnam poſſet vltimo finiri.

Rurſus dicat, ſpatiũ illud continuum vnius pal- 19
mi, licet infinitas partes proportionales includat, eſſe tamen quantitatem aliquam determinatam & finitam, & ideo breui poſſe vltimo pertranſiri. Sed cõtra, licet continuum illud vnius palmi, quantitas finita & determinata ſit, tamen ſi Deus aut Angelus illud ſucceſſiue in ſuas partes proportionales diuideret, per totam æternitatem nunquam illud vltimo diuideret, ideo præciſe, quia ſemper quando diuideret vnã partem, alia reſtaret neceſſario diuidenda, atqui licet continuum illud quantitas quædam determinata ſit, ſi tamen infinitas partes proportionales includat, mobile quando percurrat vnam partem illius ſpatij continui, ſẽper reſtabit neceſſario alia pars illius ſpatij pertranſeunda, ergo ſpatium illud continuum, licet quantitas finita & determinata ſit, ſi tamen infinitas partes proportionales includeret, nunquam poſſet à mobili vltimo pertranſiri.

Probatur ſecundo principaliter, indiuiſibile tan- 20
git in continuo permanenti duo extrema ipſi immediata, ſed non tangit extrema diuiſibilia, ergo tangit alia duo indiuiſibilia ipſi immediata, ergo in hoc continuo non dantur partes proportionales diuiſibiles, ſed ſolum indiuiſibilia immediata. Minor oſtenditur, res, quæ tangit aliam in eo, in quo tangit formaliter coæquatur, & commenſuratur cum illa, ſed indiuiſibilis non poteſt coæquari, & commenſurari cum diuiſibili, hoc enim includit partes, illud vero caret illis, ergo indiuiſibile non poteſt tangere formaliter diuiſibile, ergo illud punctum continui indiuiſibile, non tangit formaliter extrema diuiſibilia.

Dicat quis indiuiſibile non poſſe tangere forma- 21
liter partem diuiſibilem determinatam, poſſe verò tangere partem indeterminatam. Sed contra pars continui quantumcunque indeterminata ſit, eſt formaliter diuiſibilis, & claudit prius & poſterius in ordine ad locum, ſed punctum indiuiſibile non eſt formaliter diuiſibile, nec claudit prius, & poſterius in ordine ad locum, ergo punctum indiuiſibile non poteſt coæquari, & commenſurari cum parte continui quantuncunq; indeterminata, ergo tale indiuiſibile non poteſt formaliter tangere partem continui indeterminatam. Confirmatur: pars indeterminata continui includit eſſentialiter prius & poſterius in ordine ad locum, ſed punctum indiuiſibile non poteſt tangere illã, vt includit illud poſterius, ergo punctũ indiuiſibile non poteſt tangere formaliter partẽ continui indeterminatã. Probatur minor. quando aliqua res includit eſſentialiter aliquid

quid prius, & aliquid posterius in ordine ad locum non potest alia res tangere formaliter illas secundum illud posterius,quin penetretur cũ illa secundum illud prius, sed pars indeterminata continui claudit essentialiter aliquid prius, & aliquid posteriorius in ordine ad locum,cum sit diuisibilis, ergo punctum indiuisibile immediate non potest tangere talem partem secundum illud posterius quin penetretur cum illa secundum illud prius,quod includit,atqui punctum indiuisibile cõtinui, cum sit impenetrabile, & quantum & ipsa etiam pars quanta, & impenetrabilis sit,non potest naturaliter penetrari cum tali parte indeterminata secundum illud posterius,quod includit; ergo tale indiuisibile non potest formaliter tangere partem illam secundum illud posterius.

22 Probatur tertiò principaliter, in tempore post vnum instans indiuisibile sequitur immediate aliquid temporis,sed non sequitur immediate aliqua pars temporis diuisibilis,quia talis pars quantumvis indeterminata includit essentialiter prius & posterius,& saltem secundum illud posterius non potest sequi immediate post instãs cum mediet necessariò illud prius,atque ita pars temporis diuisibilis etiam indeterminata non potest sequi immediate post instans, ergo sequitur immediate post illud aliud instãs indiuisibile,ergo tẽpus non ex partibus diuisibilibus sed solum ex instantibus indiuisibilibus constat.Confirmatur,instans temporis indiuisibile immediate postquam est,statim desinit esse in duratione temporis sequenti,non enim per tempus durat,vt omnes admittunt,sed tale instans indiuisibile non desinit esse in parte temporis diuisibili, quantumvis indeterminata;ergo desinit esse in alio instanti tẽporis indiuisibili, ergo post vnũ instans, sequitur immediate aliud,atque ita tempus ex solis instãtibus indiuisibilibus coalescit. Minor probatur instans temporis cum non habeat partes,sed indiuisibile sit,necessariò desinit esse,non quidem successiue, & diuisibiliter, sed simul ac indiuisibiliter, sed si instãs desineret esse in parte tẽporis diuisibili quãtũvis indeterminata,desineret esse non simul,& indiuisibiliter, sed successiuè, & diuisibiliter, talis enim desitio instãtis haberet prius & posterius,sicut ipsa pars indeterminata temporis diuisibilis, in qua esset,ergo instans indiuisibile tẽporis nõ desinit esse in parte diuisibili tẽporis quãtũuis indeterminata.

23 Probatur quartò principaliter, ponamus quod aliquod cõtinuum v.g.lignum in dimidia parte sit intense calidum & in altera dimidia sit intense frigidum ita vt duæ illæ qualitates intensæ caloris & frigoris in medio continui se contingant, in hoc casu vltimum indiuisibile terminatiuum caloris subiectatur in alio indiuisibili quantitatis,quod sit in medio continui, & aliud vltimum indiuisibile terminatiuum frigiditatis subiectaretur in alio distincto indiuisibili illius quantitatis, quod sit in medio continui, quia indiuisibile caloris & indiuisibile frigoris in gradu intenso contrariantur inter se,& ita non possunt esse naturaliter in eodem subiecto indiuisibili, atqui illa indiuisibilia caloris & frigiditatis essent proxima & immediata inter se, nam vnum aliud contingeret vt supponimus, ergo indiuisibilia quantitatis in quibus subiectantur sunt etiam proxima & immediata inter se, ergo in quantitate continua post vnum indiuisibile non sequitur immediate pars diuisibilis, sed solum aliud indiuisibile,ac proinde continuum non constat ex partibus sed tantum ex indiuisibilibus.

24 Dicat quis cum P.Suarez tom.2. met. disput.40. sect.5 n.65. in prædicto casu vnam qualitatem ex illis nõ habere vltimum indiuisibile terminatiuum, atque ita non esse intrinsece sed tantum extrinsece terminatam,& eapropter, nec in ipsis qualitatibus intensis, nec in quantitate inueniri duo inuisibilia immediata. Sed contra res non potest esse naturaliter sine eo, quod est naturaliter terminus, & complementum illius & ideo natura nõ potest naturaliter esse sine subsistẽtia,quia subsistẽtia est vltimus terminus,& complementum naturæ, sed vltimum indiuisibile terminatiuum qualitatis est naturaliter terminus & complementum illius, vt communis sententiæ sectatores etiam admittunt,ergo qualitas non potest esse sine vltimo indiuisibili terminatiuo ergo illæ qualitates habẽt duo indiuisibilia terminatiua coniũcta,atq; ita redit argumentũ cũ sua vi.

His,& alijs rationibus nostra ostenditur assertio,& falsitas communis sententiæ quæ continuum ex infinitis partibus proportionalibus ac punctis indeterminatis componit, aperta, me quidem iudice demonstratione conuincitur. 25

CAPVT IV.

An continuum constet ex finitis solum indiuisibilibus quæ omnino indiuisibilia sint.

ZEno Philosophus perilluſtris, & Stoicorum schola(vt referunt Conimbr.hic c.2. q.2.art.1.) Pythagor. Democrit. Leucippus,& pleriq; alij qui in illa ætate floruerũt,opinati sunt continuum solum componi ex determinatis partibus quæ tandem in quædam finita indiuisibilia resolui possint atq; ita continuum solũ constare ex finitis & immediatis indiuisibilibus quæ omnino indiuisibilia sint,scilicet quantitatem ex solis finitis punctis, & tempus ex finitis tantũ instantibus indiuisibilibus conflari.Hanc Zenonis opinionẽ cõmunis sententiæ autoritate sepultam ingeniosi, & non pauci recentiores suscitarũt,quibus adhærere videntur Granados,Herice 1.p.tr.4.disp.43.cap.2. n.6.& Arriaga disp.16.phys. & alij non pauci in manuscriptis. 26

Assertio tamen sit, Continuum non componitur ex solis finitis indiuisibilibus quæ omnino indiuisibilia sunt. Ita Arist.in præsenti,D.Thom.cum omni schola,D.Aug.lib.de quiete animæ cap.11.& 12. vbi expresse docet punctum esse copulationem partium,& per ipsum diuidi lineam, & ita in linea ponit partes diuisibiles,& pũcta indiuisibilia, Suar. disp.40.met.sect.5.n.35.acriter Hurt. disp.15. phys. sect.5.subsect.2.n.88.Conimbr. lib.6.phys.c.2. q.2. art.2.Murçia lib.6.phys.disp.1.q.5.Rub.lib.6. phys. tract.de continuo num.40.Plaça 6.phys. disp.1. q.7. Complut.disp.25.phy.q.2.Carleton disp.45.physic. sect.1.& fere vniuersa schola. 27

Hæc assertio sic ab Arist.hîc,& schola ipsius probatur.indiuisibile additũ indiuisibili non facit maius,ergo nec facit extensũ,ergo nec facit cõtinuum, ergo continuũ nõ potest cõstare ex solis indiuisibilibus:prima consequẽtia patet,quia vnũ indiuisibile nõ est extensũ,ergo si vnũ indiuisibile additũ alteri facit aliquid maius, quã si vnũ indiuisibile nõ faciet extensũ.Secunda consequẽtia etiã liquet,quia continuũ est extensũ,ergo si nõ facit extensũ non facit continuũ.Tertia consequẽtia ex se constat, antecedẽs sic probatur, res quæ est in eodẽ loco penetrata cũ alia,non facit in ordine ad locũ aliquid maius cũ illa,sed vnũ indiuisibile additũ alteri,& tangẽs illud immediate est necessariò penetratũ in eodẽ loco cũ illo,ergo vnũ indiuisibile additũ alteri,& tãgens illud immediate nõ facit cũ illo aliquid maius.Minor probatur,vna pars nõ potest tãgere adæquate aliam partẽ nisi in eodẽ loco sit penetrata cum illa, ergo nec vnũ indiuisibile potest adæquate tangere alterũ indiuisibile,nisi in eodem loco sit penetratum cum illo, 28

illo, atqui cum indiuiſibile non habeat partes, eo ipſo, quod tangat immediate aliud indiuiſibile, tangit illud adæquate, ergo indiuiſibile tangens aliud indiuiſibile eſt neceſſario penetratum in eodem loco cum illo.

29 Sed hæc ratio quam ſic communis ſententia extollit, vt ſibi demonſtratio videatur, mihi videtur, infirma, opinor enim vnum indiuiſibile poſſe tangere aliud indiuiſibile quin penetretur in eodem loco cũ illo, atque ita facere maius, quod ſic oſtendo primo in caſu poſito ſupra n. 20. indiuiſibile caloris intenſi terminatiuum, & aliud indiuiſibile terminatiuũ intenſæ frigiditatis ſe in medio ligni contingunt, & tamen in eodẽ loco naturaliter non penetrantur, quia intenſa frigiditas, & intenſus calor non poſſunt naturaliter inueniri in eodem ſubiecto quanto, ſed in diuerſis, ac proinde non poſſunt eſſe in eodem loco, ſed in diuerſis; nam diuerſa ſubiecta, quanta ſunt neceſſario in diuerſis locis, ergo vnum indiuiſibile poteſt tangere aliud, quin penetretur cum illo.

Secundo à priori, vnum quantum non poteſt cum alio quanto naturaliter penetrari, quia effectus formalis quantitatis eſt reddere aliquid impenetrabile naturaliter cum alio quanto, ſed quodlibet indiuiſibile materiæ eſt quantũ, cũ quãtitate afficiatur ergo vnum indiuiſibile materię non poteſt naturaliter penetrari cum alio indiuiſibili, ergo licet vnum naturaliter tangat aliud non penetrabitur in eodem loco cum illo.

30 Tertio poteſt in ipſa communi ſententia, inſtari, nam diuiſibile additum parti, vel tangens illã non penetratur cum illa, ſed facit aliquid maius maior enim quantitas eſt, palmus quãtitatis, & punctum, quam ſolus palmus ſine puncto, & maius tẽpus eſt hora, & inſtans, quam ſola hora ſine inſtanti, quis hoc non videat? Ergo ſimiliter vnum indiuiſibile additum alteri, & tangens illud non penetrabitur cum illo, ſed faciet aliquid maius.

Nonnulli Recentiores opinantur indiuiſibile eſſe modum quendam penetratum cum ipſa parte diuiſibili, ſcilicet punctum indiuiſibile quantitatis eſſe ſimul in eodem loco cum parte diuiſibili quãtitatis, & inſtans indiuiſibile temporis eſſe ſimul in eademmet duratione cum parte diuiſibili temporis. Sed contra primo, quando duo corpora perfecte plana ſe tangũt, pars diuiſibilis, quantũuis indeterminata vnius non penetraretur cum parte diuiſibili indeterminata alterius, ſed tantum iuxta communem ſententiam, quam hi moderni tuentur, ſuperficies indiuiſibilis vnius plani in eodem loco penetratur cum ſuperficie indiuiſibili alterius, quia adæquate ſe tangant, ſed ſi quæuis ſuperficies eſſet in eodem loco penetrata cum parte diuiſibili quantitatis quã tãgit, impoſſibile eſſet, quod illæ ſuperficies vtriuſque plani eſſent in eodem loco penetratæ, & quod partes diuiſibiles, cum quibus ipſæ penetrãtur, non penetrarentur interſe, ergo ſuperficies indiuiſibilis nõ eſt in eodem loco penetrata cum parte diuiſibili, quam attingit. Secundo, vnum punctum quantitatis non eſt in eodem loco penetratum cum alio puncto eiuſdem quantitatis, vt omnes admittũt, ſed ſi punctum eſſet penetratum cum parte quam tangit, eſſet etiam penetratum cum alio puncto, ergo punctum non eſt in eodem loco penetratum cum parte quam tangit, minor probatur, quamlibet partem ad minus tangunt duo puncta, per quæ ipſa cum alijs partibus continuatur, ergo ſi punctũ tangens partẽ eſt penetratum cum ipſa parte, duo illa puncta erunt penetrata in eodẽ loco cum tali parte, atqui illa, quę ſunt penetrata vni tertio, euidens eſt eſſe penetrata inter ſe, ergo ſi punctum tangens partẽ penetratur cũ ipſa parte, duo illa puncta erunt inter ſe penetrata. Tertio inſtans tẽporis, cum indiuiſibile ſit, non habet prius & poſterius in duratione, ſed indiuiſibiliter exiſtit, & durat, ſed ſi inſtans eſſet ſimul cum parte diuiſibili tẽporis, haberet in ſua duratione prius, & poſterius, atque ita non duraret indiuiſibiliter, quia pars temporis, cũ qua eſſet ſimul includit in duratione prius ac poſterius, & eſt diuiſibilis, ergo inſtans temporis indiuiſibile non eſt ſimul cum parte diuiſibili eiuſdem temporis.

Confirmatur, quælibet pars diuiſibilis temporis per vnũ inſtans indiuiſibile continuatur cum parte temporis antecedenti, & per aliud inſtans indiuiſibile continuatur cum alia parte temporis ſubſequenti; ergo ſi inſtãs, per quod vna pars continuatur cum alia, exiſtit ſimul cum illa, duo illa inſtantia quæ continuant illam partem cum alijs, ſimul exiſtent cum tali parte, ergo illa duo inſtantia tẽporis etiam exiſtent ſimul inter ſe, quia quæ exiſtũt ſimul cum vno tertio, exiſtũt ſimul inter ſe, atqui duo inſtantia temporis iuxta omnium ſententiam non exiſtunt nec poſſunt exiſtere ſimul, ergo inſtans indiuiſibile non exiſtit ſimul cum parte diuiſibili temporis. Monſtratum igitur eſt indiuiſibile additum parti non penetrari cum illa, atque ita cum ipſa efficere aliquid maius.

Hinc ad rationem cõmunis ſententiæ dico vnam rem tangere adæquate aliam non eſſe formaliter penetrari in eodem loco cum illa, ſed tantum eſſe iuxta illam ita, vt inter eas non poſſit res alia interijci, cum autẽ pars diuiſibilis includat eſſentialiter prius & poſterius, non poteſt vna pars tangere aliã partem & eſſe iuxta illam ſecundũ illud poſterius, quin penetretur cum illa, ſecundum illud prius, quod includit, cum illo vero poſteriori, quod tangit talis pars, non penetratur, ſed eſt tantum iuxta illud; at punctũ continui, cum omnino indiuiſibile ſit, non includit prius & poſterius, atque ita poteſt vnum punctum tangere adæquate aliud, quin penetretur cum illo, ſed tantum ſit proxime iuxta illud, & idcirco punctum indiuiſibile additum alteri facit cum illo aliquid maius talia ergo via noſtra Aſſertio firmanda eſt. 31

Probatur primo efficaciter Aſſertio. Quando per eamdẽ horam aquila & teſtudo continuo mouentur velocius mouetur & maius ſpatiũ percurrit aquila, quã teſtudo vt per ſe conſtat, atqui ſi continuũ tantum conſtaret ex finitis indiuiſibilibus quę omnino indiuiſibilia ſint, in tali caſu nõ moueretur velocius nec maius ſpatium percurreret aquila, quã teſtudo, ergo continum non conſtat ex finitis tantum indiuiſibilibus quæ omnino indiuiſibilia ſint: minor probatur, ponamus claritatis gratia, quod hora illa, per quã aquila & teſtudo cõtinuo mouentur habet ſolum centum inſtantia, arguo ſic, aquila in quouis inſtanti, in quo mouetur, non plus acquirit quam vnum indiuiſibile ſpatij, alias in eodem inſtanti eſſet naturaliter in duobus locis, quod implicat; ergo aquila ſe mouens continuo per illam horam, quæ centum inſtantia includit centum tantum ſpatij indiuiſibilia percurrit. Sed teſtudo etiam in quouis inſtanti vnum ſpatij indiuiſibile acquirit, nam in quolibet inſtanti, cum in illo moueatur, acquirit aliquid ſpatij, & non poteſt minus ſpatij acquirere, quam vnum indiuiſibile, ergo etiam teſtudo ſe continuo mouens per illam horam, quæ centum inſtantia claudit, centum ſpatij indiuiſibilia percurrit, ſicut aquila, igitur in dicto caſu non velocius mouetur, nec maius ſpatium per currit aquila, quam teſtudo. 32


33 Dicat aliquis cum Galeno l. de cognoscēdis pulsibus c. 1. quem refert Valles. l. 3. controuers. c. 8. motus velocitatem ac tarditatē consistere in eo quod paucioribus aut pluribus morulis interrumpatur, has autem morulas sensu à nobis non percipi, quia minutissimæ sunt, sicut econtra motus aliquando non percipitur, quia exiguus, vt videre est in motu indicis horologij, qui, licet continuo moueatur, visu à nobis non discernitur. Vnde cum motus testudinis pluribus & crebrioribus interrumpatur morulis quam motus aquilæ, ideo ille tardior, iste velocior est, & per illam horam plus spatij percurrit aquila quam testudo.

34 Sed impugnatur primo, si tarditas, aut velocitas motus ex pluribus seu paucioribus morulis sumeretur, sæpe motus haberet plures morulas, quam indiuisibilia motus, sed motus ille percipitur, ergo potiore iure eius morulæ perciperentur, atqui hæ morulæ non percipiuntur à nobis, vt aduersarij concedunt, ergo tarditas aut velocitas motus non sumitur ex his morulis: maior ostenditur, motus tardus tot habere morulas, quot motus velox haberet indiuisibilia supra indiuisibilia illius motus, v. g. si motus tardus habet tantum quatuor indiuisibilia motus, & motus velox intra idem tempus habet octo indiuisibilia, motus ille tardus habebit quatuor morulas, quia motus velox habet quatuor indiuisibilia motus supra illa quatuor indiuisibilia motus supra illa quatuor indiuisibilia quæ motus tardus includit, atqui motus aliquis in centuplo velocior alio, qualis est motus primi mobilis respectu motus hominis habet in se centum totidem indiuisibilia motus supra indiuisibilia motus tardi scilicet motus hominis, ergo motus hominis centum totidem habet morulas ac habet indiuisibilia ipsius motus, ergo in tali casu longe plures sunt morulæ, quam indiuisibilia motus, si ergo mille v. g. motus indiuisibilia percipimus, quare centum totidem, id est, centum mille morulas non perciperemus.

35 Impugnatur secundò, si immane saxum in medio aëris dimittatur, maior erit in quouis instanti virtus motiua intensissimæ grauitatis illius saxi versus centrum, quam sit virtus restitiua exigui aëris, ergo in quolibet instanti vehemens virtus illius saxi vincet, ac superabit exiguam virtutem restitiuam aëris, ergo in quouis instanti immane illud saxum deorsum mouebitur, igitur illius motus nulla morula interrumpetur. Atqui si aliud saxum in duplo grauius in aëre dimitteretur velocius deorsum moueretur, quam illud, ac per consequens illud moueretur tardius, ergo talis velocitas, ac tarditas motus, cum ibi, vt ostendi, nulla morula intercedat ex morulis non desumitur. Confirmatur, in dicto casu immane saxum in aëre dimissum in aliquo saltem determinato instanti vinceret resistentias aëris & moueretur, ergo in quouis etiam instanti illam vincit, & mouetur: patet consequentia: eadem virtus motiua & impulsiua est in saxo, & eademmet vis restitiua est in aëre in aliquo quouis instanti ac est in illis, in hoc instanti, in quo saxum mouetur, ergo si virtus impulsiua saxi in hoc instanti vincit resistentiam aëris, & mouetur, etiam in quouis alio instanti illam vicet, & saxum mouebitur, ergo nulla morula in eius motu interueniet, & tamen esse potest vt monstraui, alter motus eo velocior, ergo velocitas, aut tarditas motus non desumitur ex morulis. Hoc sane perspicuum, & valde mirabile esset grauissimum saxum in medio aëris pluribus horæ instantibus detineri.

Impugnatur tertiò, quando rota circulariter mouetur, circulus maior illius rotæ velocius 36
mouetur, & tardius circulus minor, quia ille in eodem tempore maius spatium percurrit quam iste, & tamen motus circuli minoris non habet plures morulas, quam motus circuli maioris, non enim habet plures morulas, quam motus circuli maioris, non enim indiuisibilia circuli minoris aliquando morantur & quiescunt, quando indiuisibilia circuli maioris mouentur, alias indiuisibilia circuli minoris discontinuarentur, cum indiuisibilibus circuli minoris, atque ita tota illa rota etsi ferrea ac durissima disrumperetur, quod est ridiculum, ergo maior velocitas, aut tarditas motus ex paucioribus & pluribus morulis non desumitur.

Recentiores quidam dicunt, licèt quiescente 37
circulo minori, moueatur circulus maior, indiuisibilia circuli maioris non discontinuari cum indiuisibilibus circuli minoris, quia circulus maior supra circulum minorem mouetur, quemad modum licèt circulus concentricus, ille scilicet, qui est proximè iuxta centrum moueatur quiescente centro, indiuisibilia circuli concentrici non discontinuantur cum centro, quia mouentur supra ipsum.



Hæc tamen solutio demonstratiuè refellitur: ponamus claritatis gratia in circulo maiori tria indiuisibilia signata. *A. B. C.* & in circulo minori vnū indiuisibile *A.* quod correspondeat, & immediatum sit alteri indiuisibili, *A.* circuli maioris, arguo sic, indiuisibile *A.* circuli minoris est immediatè vnitum, & continuatum cum alio indiuisibili *A.* circuli maioris, non verò cum indiuisibili *B.* nec cum indiuisibili *C.* quæ aliqua ratione distant ab illo, sed quando circulus maior mouetur, & circulus minor quiescit, indiuisibile *A.* circuli maioris ponitur in loco, in quo antea erat indiuisibile *B.* & indiuisibile *A.* circuli minoris manet in eodem loco, ergo iam indiuisibile *A.* circuli minoris non manet immediatè vnitum & continuatum cum indiuisibili *A.* circuli maioris sicut antea.


Patet euidenter consequentia: antea indiuisibile *A.* circuli minoris non erat immediatè vnitum & continuatum cum indiuisibili *B.* circuli maioris, quia erat aliqua ratione distans ab illo, & solum erat immediate vnitum cum alio indiuisibili *A.* circuli maioris, cum quo erat proximè coniunctum, sed modo indiuisibile *A.* circuli maioris ponitur in eodem loco, in quo erat diuisibile *B.* atque ita fit æque distans ab alio indiuisibile *A.* circuli minoris, ac antea erat distans indiuisibile *B.* ergo indiuisibile *A.* circuli minoris non manet modo immediate vnitum, & continuatum cum alio indiuisibili *A.* circuli maioris, sicut antea erat, vnde licèt indiuisibilia circuli concentrici moueantur semper supra idem centrum, cum quo vniuntur immediate & ideo non discontinuantur ab illo, indiuisibilia verò circuli maioris non mouentur supra eademmet indiuisibilia circuli minoris, cum quibus immediate

mediate vniuntur, vt monſtratum eſt, & idcirco immediate diſcontinuarentur ab illis, & rota illa frangeretur.

38 Probatur ſecundò principaliter aſſertio, cera concreta vnius palmi ſine aduentu nouæ quantitatis poteſt rareſcere & occupare maius ſpatium, quam nunc occupat, v. g. modo occupat ſpatium vnius palmi, & poteſt tunc occupare duos palmos ſpatij, ſed ſi continuum conſtaret ex ſolis punctis indiuiſibilibus non poſſet ſine aduentu nouę quantitatis occupare maius ſpatium, atq; ita non poſſet rareſcere, ergo continuum non conſtat ex ſolis punctis.

Minor probatur, demus, quod cera illa concreta vnius palmi habeat in ſe centum puncta indiuiſibilia præcisè, ſed quoduis indiuiſibile ceræ eſt in proprio, ac diſtincto indiuiſibili ſpatij, ergo centum illa indiuiſibilia ceræ concretæ occupant neceſſariò alia centum indiuiſibilia ſpatij, ergo non poſſunt maius aliquod ſpatium, hoc eſt, plura quam centum ſpatij indiuiſibilia occupare, niſi aliqua indiuiſibilia ceræ ſint ſimul in duobus locis, hoc autem implicat naturaliter, vt ipſi aiunt, ergo illa indiuiſibilia ceræ concretæ non poſſunt maius ſpatium occupare, ac proinde nec cera poteſt rareſcere, quod eſt manifeſte falſum. Dicat quis aliqua corpuſcula extranea per poros ceræ intromitti, quorum ratione ipſa cera maius occupat ſpatium, dilatatur, ac rareſcit, ſed hæc ſolutio perſpicuè in lib. de generatione impugnabitur.


39 Probatur tertiò principaliter, in eadem rota circulus maior plura indiuiſibilia includit quam circulus minor in ipſo incluſus, ſed ſi continuum ex ſolis finitis indiuiſibilibus conſtaret, circulus maior non plura haberet indiuiſibilia quam circulus minor, ergo continuum non componitur ex ſolis indiuiſibilibus.



Minor probatur, ſi à quolibet puncto indiuiſibili circuli maioris ducatur aliqua linea recta vſque ad centrum, (quod poſſe à Deo fieri quis ambigat?) quælibet linea ex his tanget, ac penetrabit aliquod diſtinctum punctum indiuiſibile circuli minoris, quod non penetret alia, nam omnes illæ lineæ non ſe tangunt, ac penetrant, quouſque accedant ad centrum, ergo in circulo minori tot ſunt indiuiſibilia puncta, quot ſunt lineæ ductæ à circulo maiori, atqui in circulo majori non plura ſunt puncta indiuiſibilia quam ſunt lineæ ab eo ductæ, nam à quouis puncto indiuiſibili ipſius ducitur vna linea, vt ſupponimus, ergo in circulo maiori non plura ſunt indiuiſibilia, quam in circulo minori.

Dicat aliquis duas lineas ductas à duobus diſtinctis indiuiſibilibus circuli maioris tangere, & penetrare idemmet indiuiſibile circuli minoris. Sed contra, omnes illæ lineæ ſunt rectæ vſque ad centrum, vt à mathematicis demonſtratur, ſed ſi duæ lineæ tangerent ac penetrarent idemmet indiuiſibile circuli minoris, & in illo coniungerentur, exinde non irent rectæ vſque ad centrum, ſed vna ſaltem illarum eſſet obliqua, vt intuenti conſtabit, ergo duæ lineæ non poſſunt tangere idem, ſed diſtantia indiuiſibilia circuli minoris.

D. I. Epiſc. Calagurrit. Curſ. Philoſoph.



40 Probatur quartò, principaliter, in aliquo perfectè quadrato linea coſtalis nõ tot habet puncta indiuiſibilia, quot habet linea diametralis, hæc enim eſt maior illa. ſed ſi continuum conſtaret ex ſolis indiuiſibilibus linea coſtalis tot haberet puncta indiuiſibilia, quot haberet linea diametralis, ergo continuum non conſtat ex ſolis indiuiſibilibus. Minor oſtenditur, ducat Deus à quouis puncto indiuiſibili lineæ coſtalis aliquam lineam rectam ad alteram lineam coſtalem, quælibet linea ex iſtis tangit ac penetrat aliquod punctum indiuiſibile lineæ diametralis, & omnes iſtæ lineæ ductæ à coſta in coſtam tangunt, ac penetrant omnia puncta indiuiſibilia lineæ diametralis, ergo tot ſunt lineæ, quot ſunt puncta indiuiſibilia in linea diametrali, atqui in linea coſtali tot etiam ſunt puncta indiuiſibilia, quot ſunt lineæ ductæ à coſta in coſtam, nam à quouis puncto indiuiſibili lineæ coſtalis ducitur vna linea; ergo de primo ad vltimum tot ſunt puncta indiuiſibilia in linea coſtali, quot ſunt in diametrali. Dices, propter diuerſam ac inæqualem poſitionem lineæ diametralis aliquam lineam ductam à coſta in coſtam per aliquod ſui indiuiſibile tangere, & penetrare duo indiuiſibilia lineæ diametralis, licèt alia tangat & penetret tantum vnum, atque ita plura eſſe indiuiſibilia lineæ diametralis, quam coſtalis. Sed contra: duo indiuiſibilia lineæ diametralis occupant duo diſtincta & adæquata indiuiſibilia ſpatij, ergo ſi aliqua linea ducta à coſta in coſtam per aliquid ſui indiuiſibile tangeret ac penetraret duo indiuiſibilia lineæ diametralis, tale indiuiſibile illius lineæ eſſet ſimul in duobus ſpatij indiuiſibilibus adæquatis ac proinde in diuerſis locis. Sed idem indiuiſibile, vt ipſi admittunt, non poteſt eſſe naturaliter in duobus ſpatijs, & locis adæquatis, ergo quælibet linea ducta à coſta in coſtam per aliquid ſui indiuiſibile non tangit, ac penetrat duo puncta indiuiſibilia, ſed vnum tantum indiuiſibile lineæ diametralis.

Hinc infero multò minus componi continuum ex infinitis ſolum indiuiſibilibus, quæ omnino 41
indiuiſibilia ſint, vt ſenſit Anaxagoras, iuxta Tol. hic cap. 2. q. 1. §. ſecunda ſententia, cui omnes eius aſſeclæ, & nunc quidam recentiores acquieuerunt, hæc autem opinio vtriuſque ſententiæ Ariſtotelis, & Zenonis difficultatibus implicatur, vt ex ſupradictis conſtat, & inſuper hac etiam ratione reijcitur: res, quæ ſunt recto ordine ſucceſſiuo conſtitutæ, vna poſt aliam, ſi in illis aſſignatur prima, & vltima, non ſunt infinitæ, ſed finitæ, infinitum enim non poteſt finibus circumſcribi, ſed indiuiſibilia lineæ vnius palmi v. g. ſunt recto ordine ſucceſſiuo conſtituta in ordine ad locum, ſcilicet vnum poſt aliud, & poteſt in illis aſſignari primum & vltimum, nam indiuiſibile terminatiuum lineæ ex vna parte eſt primum, & aliud indiuiſibile terminatiuum ex altera parte lineæ eſt vltimum, ergo indiuiſibilia talis lineæ non ſunt infinita, ergo continuum non conſtat ex indiuiſibilibus infinitis.

***

CAPVT V.

Continuum tantum componitur ex finitis re ipsa indiuisibilibus, quæ sint diuisibilia virtualiter.

42 NObiles quidam Neoterici,& ingenio non mediocri arbitrati sunt continuum solum conflari ex finitis indiuisibilibus scilicet quantitatem ex infinitis tantum punctis,& tempus ex finitis solum instantibus, quæ quidem omnia licet sint insectilia, ac indiuisibilia realiter, virtualiter tamen & æquialenter diuisibilia sint. Hæc quidem sententia, alijs ob solam sui nouitatem inuisa, mihi magnopere arrisit, vera, ac subtilis visa est, illamque libens amplector,& explicare conabor.

43 Obseruo primo, aliquid esse indiuisibile realiter, & diuisibile virtualiter, nihil esse aliud, quam non posse reipsa in duas partes, ac indiuisibilia secari, æquialere tamen pluribus indiuisibilibus Zenonis ita, vt tantum valeret, quantum illa si darentur, quod præclaris exemplis potest mirifice illustrari. Primo æternitas Dei est indiuisibilis realiter, & diuisibilis virtualiter, quia reipsa non potest in plures durationes diuidi, æquialet tamen pluribus reipsa distinctis durationibus, si dentur. Secundo diuina immensitas est indiuisibilis realiter, & diuisibilis virtualiter, quia re ipsa non potest diuidi in plures vbicationes, æquialet tamen pluribus reipsa distinctis vbicationibus creatis. Tertio, natura humana dicitur iuxta communem sententiam indiuisibilis realiter, & diuisibilis virtualiter, quia reipsa non potest diuidi in plures naturas, æquialet tamen pluribus alijs naturis reipsa diuersis, nam quatenus viuens æquialet plantæ, quatenus animalis, æquialet naturæ equinæ, & quatenus intellectualis æquialet naturæ Angelicæ. Hoc ergo modo punctum quodlibet quantitatis, aut instans temporis est indiuisibile realiter, & diuisibile virtualiter, quia re ipsa non potest in plura diuidi, æquialet tamen pluribus punctis, & instantibus Zenonis, & tantumdem valeret, ac illa si darentur.

44 Obseruo secundo, ad hoc, vt vnum indiuisibile quantitatis, v. g. existat adæquate in alio indiuisibili spatij diuisibili virtualiter necessario requiri, quod habeat quatuor, v. g. vbicationes, vel vnam illis æquialentem respectu illius ita, vt per quamlibet earum coexstat toti indiuisibili spatij inadæquate, & per omnes illas quatuor vbicationes, aut vnam eis æquialentem toti coexistat adæquatè. Probatur, ad hoc vt vnum indiuisibile quantitatis esset in quatuor spatij indiuisibilibus Zenonis, necessario requireretur, quod haberet quatuor vbicationes, aut vnam illis æquialentem, atqui vnum indiuisibile spatij diuisibile virtualiter æquialet quatuor, v.g. indiuisibilibus Zenonis, vt nuper explicuimus, ergo vt vnum indiuisibile quantitatis existat in vno indiuisibili spatij diuisibili virtualiter, requiritur quod habeat quatuor vbicationes, aut vnam æquialentem illis. Confirmatur, quia natura humana æquialet tribus naturis distinctis, scilicet naturæ plantæ, naturæ bruti, & naturæ Angeli, vt iam ostendi, vt cognoscatur adæquate, requiruntur tres cognitiones distinctæ, alia, qua cognoscatur vt viuens sicut planta, alia qua cognoscatur, vt sensitiua, vt equus, alia vt intellectualis sicut Angelus, nam licet quæuis istarũ cognitio cognosceret totam & adæquatam naturam humanam ex parte obiecti, non verò cognosceret illam totaliter, & adæquatè ex parte modi, vt latè in Logica ostendi tract. 2. disput. 5. atque ideo tres requiruntur cognitiones, vel vna æquialens tribus vt talis natura humana adæquate cognoscatur, atqui vnum etiam indiuisibile spatij diuisibile virtualiter æquialet quatuor, v.g. indiuisibilibus Zenonis, vt supra diximus, ergo vt vnum indiuisibile quantitatis illi coexistat adæquate, requiruntur quatuor vbicationes, nam licet quæuis earum vbicatio sufficiat, vt indiuisibile quantitatis coexistat toti, & adæquato indiuisibili spatij ex parte termini, non verò vt illi coexistat totaliter, & adæquate ex parte modi, sed ad id omnino necessariæ sunt quatuor distinctæ vbicationes, vel vna æquialens illis. Eodem modo dicendum est ad hoc, vt aliqua res coexistat adæquate vni instanti temporis diuisibili virtualiter, requiri quatuor, v. g. durationes, vel vnam æquialẽtem illis, quia vnum instans temporis diuisibile virtualiter æpuialet quatuor, v.g. instantibus Zenonis, ad quibus adæquate coexistendum quatuor durationes, aut vna æquialens illis requiruntur.

45 Obseruo tertio, idem punctum indiuisibile quantitatis, quod potest simul naturaliter existere in vno indiuisibili spatij adæquate, posse etiam simul naturaliter existere in quatuor, v. g. spatij indiuisibus inadæquate. Probatur, non plus est existere in quatuor spatij indiuisibilibus inadæquate, quam existere in vno tantum spatij indiuisibili adæquate, ergo punctum quantitatis, quod potest simul naturaliter existere in vno spatij indiuisibili adæquate, potest etiam simul naturaliter existere in quatuor, v. g. spatij indiuisibilibus indæquate, antecedens, probatur, idem punctum existere in quatuor spatij indiuisibilibus inadæquate, est tantum habere in se quatuor partiales vbicationes in ordine ad illa, per quas existere posset adæquate quatuor indiuisibilibus Zenonis, si darentur, sed existere in vno spatij indiuisibili adæquate, est etiam idemmet punctum habere quatuor alias partiales vbicationes in ordine ad illud, per quas posset adæquate coexistere quatuor indiuisibilibus Zenonis, si darentur, vt ostensum est num. 40. vnum enim spatij indiuisibile, quod modo est, æquialet quatuor, aut pluribus indiuisibilibus Zenonis, vt explicui num. 39. ergo non plus est existere in quatuor spatij indiuisibilibus inadæquate, quam existere in vno spatij indiuisibi adæquate. Confirmatur, quia obiectum, scilicet homo adæquate consideratum, nempe, quatenus est corpus viuens, animal, ac intellectuale, continet æquialenter quatuor obiecta distincta considerata inadæquate, scilicet continet lapidem, quatenus præcisè est corpus, plantam, quatenus præcisè est viuens, & brutum quatenus præcisè est animal & Angelum quatenus præcisè est intellectualis. Ideo intellectus, qui potest simul naturaliter attendere, & cognoscere hoc obiectũ scilicet hominem adæquate, nempe quatenus est corpus viuens, animal, ac intellectuale potest etiam simul naturaliter attendere, & cognoscere quatuor illa obiecta distincta inadæquate, scilicet lapidem, quatenus est præcisè corpus, & plantam, quatenus est præcisè viuens & brutum, quatenus est præcisè animal, & Anlum quatenus est præcisè intellectualis, atqui vnum indiuisibile spatij adæquate sumptũ, scilicet quatenus correspondet quatuor, v.g. indiuisibilibus Zenonis continet æquialenter quatuor alia spatij indiuisibilia inadæquate sumpta, scilicet quatenus quoduis illorum præcisè correspondet vni indiuisibili Zenonis, vt per se constat, ergo idem punctum quantitatis, quod potest simul naturaliter existere in vno spatij indiuisibili adæquate, nempe vt correspondet quatuor indiuisibilibus Zenonis potest etiam simul naturaliter existere in quatuor spatij

indiui

indiuiſibilibus inadæquate, nimirum, quatenus quodlibet illorum inadæquate acceptum correſpondet præcisè vni indiuiſibili Zenonis.

46 Assertio ergo ſit: continuum tam permanens, quam ſucceſſiuum ſolum componitur ex finitis indiuiſibilibus quæ tantum ſint inſectilia ac indiuiſibilia realiter, virtualiter vero, & æquialenter diuiſibilia ſint. Hæc Aſſertio peculiaris forsã aliquibus videbitur, in re tamen non recedit à communi ſententia, eſt tamen ingenioſa & vera ſi ea apprimè penetretur, cui etiam cum Zenone acquieſcunt recentiores citati ſupra c. 4. n. 14. alij tamen ſententiam Zenonis explicant vt conſtabit illam attente conſideranti. Probatur, continuum componitur, vel ex infinitis partibus proportionalibus ac punctis indeterminatis, vel ex ſolis infinitis ſeu finitis indiuiſibilibus omnino indiuiſibilibus reipſa, quæ virtualiter diuiſibilia ſint, quod enim aliud medium excogitari poteſt? atqui continuum non conſtat ex infinitis partibus proportionalibus, ac punctis indeterminatis, nec ex ſolis infinitis, ſeu finitis indiuiſibilibus vt c. 3. & 4. aperta eſt demonſtratione conuictum, ergo continuum tantum componitur ex finitis indiuiſibilibus reipſa, quæ virtualiter diuiſibilia ſint. Maximè cum hac via omnia difficilia ſuperentur, vt ex dicendis conſtabit.

47 Obijciat aliquis primò, continuum ita proportionatur cum ſpatio imaginario vt cuilibet indiuiſibili ſpatij imaginarij correſpondeat vnum indiuiſibile continui, atqui indiuiſibilia ſpatij imaginarij ſunt omnino indiuiſibilia, & non diuiſibilia virtualiter, ergo indiuiſibilia continui etiam nec virtualiter diuiſibilia ſunt. Idem argumentum fieri poteſt de inſtanti indiuiſibili temporis realis reſpectu inſtantis indiuiſibilis temporis imaginarij, cui correſpondet. Reſp. ſpatium ac tempus imaginariũ eſſe corpus ipſum ac tempus reale vt poſſibile, corpus autem ac tẽpus reale poſſibile eadem habet indiuiſibilia in eſſe poſſibili, quæ habent corpus ac tẽpus reale exiſtens in eſſe exiſtente, vnde cum corpus, ac tempus reale exiſtens habeant in eſſe exiſtente indiuiſibilia, quæ virtualiter diuiſibilia ſint, etiam ipſum corpus, ac tempus reale vt poſſibile habent in eſſe poſſibili indiuiſibilia realiter, quæ ſint virtualiter diuiſibilia, ac proinde ſpatium etiam ac tempus imaginarium conſtat tantum ex indiuiſibilibus reipſa, quæ ſint diuiſibilia virtualiter, quo vis argumenti corruit.

48 Obijciat ſecundo, non implicat produci à Deo aliquod corpus, ac tempus, quæ habeant in ſe indiuiſibilia omnino indiuiſibilia virtualiter, ergo poſſibile eſt aliquod corpus ac tempus, quæ habeãt in eſſe poſſibili indiuiſibilia omnino indiuiſibilia etiã virtualiter, ſed hoc eſt, vt dictum eſt, ſpatium ac tẽpus imaginarium, ergo datur ſpatium ac tempus imaginarium, quæ habeant tantũ indiuiſibilia omnino indiuiſibilia etiam virtualiter, quo redit argumentum primum ſupra factum, ſcilicet omne continuum correſpondens tali ſpatio, aut tempori imaginario, ac proportionatum cum illo habiturum eſſe ſolum indiuiſibilia omnino indiuiſibilia etiam virtualiter. Reſp. implicare omnino produci à Deo aliquod corpus, aut tẽpus quod habeat indiuiſibilia omnino indiuiſibilia etiam virtualiter, vt à Zenone aſſignata ſunt quia ſi ſemel tale corpus, aut tempus habens indiuiſibilia omnino indiuiſibilia etiam virtualiter, eſſet poſſibile, omne continuum tam permanens, quam ſucceſſiuum, quod etiam de facto datur, conſtaret ex indiuiſibilibus omnino indiuiſibilibus etiam virtualiter vt argumentum conuincit, implicat autem continuum de facto componi ex ſolis indiuiſibilibus quæ ſint etiam indiuiſibilia virtualiter, vt monſtraui cap. 4. quia ſcilicèt eſſe non poteſt tarditas, & velocitas in motu, nec raritas, ac denſitas in quantitate, atque ideo implicat etiam poſſe à Deo produci aliquod corpus ſeu tempus, quod habebit indiuiſibilia, quæ etiam virtualiter indiuiſibilia ſint, quo ceſſat vis argumenti.

Obijciat tertio, indiuiſibile eſſe diuiſibile virtualiter nihil eſt aliud, quam æquialere pluribus indiuiſibilibus Zenonis, ſed vnum indiuiſibile continui, quod modo datur, non æquialet pluribus indiuiſibilibus Zenonis, cum hæc omnino impoſſibilia ſint, vt fatemur, & res non æquialeat rebus impoſſibilibus; ergo indiuiſibile continui, quod modo datur, non eſt diuiſibile virtualiter, non quia abſolute æquialeat pluribus indiuiſibilibus Zenonis, hæc enim impoſſibilia ſunt, ſed quia illis æquialet conditionate, hoc eſt, illis æquialeret, ſi darentur, quemadmodum etiamſi non eſſent poſſibiles durationes creatæ, adhuc æternitas Dei eſſet virtualiter diuiſibilis, quia licèt abſolute non æquialeret pluribus durationibus creatis, quæ eſſent impoſſibiles, illis tamen æquialeret conditionate, hoc eſt, tantumdem valeret, ac illæ, ſi darentur. 49

Obijciat quartò, ſi vnum indiuiſibile continui æquialeret pluribus indiuiſibilibus Zenonis, poſſemus ſignare quot indiuiſibilibus æquialeret, atqui ſignare non poſſumus quot indiuiſibilibus Zenonis vnum indiuiſibile, quod modo datur, æquialeat, non enim eſt ratio, cur potius quatuor, quam ſex, aut octo indiuiſibilibus æquialere dicatur, ergo vnum indiuiſibile continui, quod modo datur, non æquialet pluribus indiuiſibilibus Zenonis, ac proinde non eſt virtualiter diuiſibile. Reſp. ſicut ad hoc, vt forma ignis in materia introducatur, prærequiruntur in ipſa aliquot gradus caloris, quia licèt à nobis non poſſint certo ſignari, poſſunt tamen ſignari à Deo, & nos gratia claritatis, quaſi ex bono & æquo dicimus eſſe octo, ita ſimiliter vnum indiuiſibile continui, quod modò datur, æquialere aliquot indiuiſibilibus Zenonis, quia licèt à nobis non poſſint certo ſignari, quot ſint, poſſunt tamen ſignari à Deo, & nos claritatis gratia, quaſi ex bono, & æquo dicimus eſſe decem, aut duodecim, atque ita noſtrum indiuiſibile quod pluribus illis æquialet, eſt diuiſibile virtualiter. 50

Obijciat quintò, eſſe indiuiſibilem realiter, & diuiſibilem virtualiter eſt proprium rei ſpiritualis, ideo enim Angelus, licèt reipſa indiuiſibilis ſit, eſt diuiſibilis virtualiter, hoc eſt, æquialet diuerſis ſpatijs, quia eſt ſpiritualis, ſed indiuiſibilia continui non ſunt ſpiritualia, ſed materialia, ergo indiuiſibilia continui non ſunt diuiſibilia virtualiter. Reſp. non eſſe proprium rei ſpiritualis eſſe reipſa indiuiſibilem, & virtualiter diuiſibilem, ſed etiam poſſe competere rei materiali, anima enim materialis equi iuxta communem D. Thom. & Thomiſtarum ſententiam eſt indiuiſibilis, & tamen, cum totam materiam informet, ac ſi reipſa forma diuiſibilis eſſet, eſt in eorum opinione diuiſibilis virtualiter, non ergo eſt contra rationem rei materialis, nec proprium rei ſpiritualis habere indiuiſibilitatẽ realem cum diuiſibilitate virtuali, eſt autem proprium rei ſpiritualis non dependere à materia cum vero indiuiſibilia continui à materia pendeant, ideo licèt reipſa ſint indiuiſibilia, & diuiſibilia virtualiter, non ſunt ſpiritualia, ſed materialia. 51

* * *

CAPVT VI.

Omnia difficilia in hac sententia enodantur.

52 INfero ex nostra sententia primo,qua ratione maior,aut minor tarditas, ac velocitas motus facile possint exponi.Itaque aquila,& testudo per quatuor v. g. horæ indiuisibilia continuo , & sine vlla prorsus morula , ac interruptione mouentur, & tamen velocius mouetur, & maius spatium percurrit aquila quam testudo,quia aquila in primo instanti, cum velociter moueatur,acquirit v.g. quatuor vbicationes, vel vnam adæquatam illis æquaualentem per quam adæquate existit in primo indiuisibili spatij & in secundo instanti acquirit aliam adæquatam vbicationem per quam existit adæquate in secundo spatij indiuisibili, & in tertio instanti acquirit aliam vbicationem adæquatam per quam adæquate existit in tertio indiuisibili spatij,& in quarto instanti acquirit aliam adæquatam vbicationem,per quam existit adæquate in quarto spatij indiuisibili, atque ita aquila in illis quatuor horæ instantibus in quibus continuo mouetur , quatuor spatij indiuisibilia percurrit, Testudo vero in primo instanti, cum tarde moueatur , acquirit solum vnam inadæquatam vbicationem,perquam existit tantũ inadæquate in primo spatij indiuisibili , vt præcise æquialet vni indiuisibili Zenonis,& in secũdo instanti acquirit aliam vbicationem inadæquatam,per quas adhuc inadæquate existit in eodem primo indiuisibili spatij, vt æquialet duobus indiuisibilibus Zenonis,& in tertio instanti acquirit aliam vbicationem inadæquatam , per quas adhuc etiam inadæquate existit in eodem primo spatij indiuisibili vt præcise æquialet tribus indiuisibilibus Zenonis, & in quarto instanti acquirit aliam vbicationem, per quam & alias præcedentes existit iam adæquate in eodem primo indiuisibili spatij,vt correspondet, & æquialet quatuor indiuisibilibus Zenonis,atque ita testudo in quatuor illis horæ instantibus in quibus continuo mouetur ; non percurrit quatuor indiuisibilia spatij, vt aquila sed vnum tantum percurrit spatij indiuisibile , vnde in eodem tempore velocius mouetur,& maius spatium percurrit aquila, quam testudo.

53 Hoc autem potest apprime explicari casu , quo Angelus velocior, & aliquis homo tarde , sine vlla tamen morula intentionaliter per quatuor horæ instantia moueantur,hoc est,intelligant, ac cognoscãt naturam humanam,alia ve obiecta, Angelus enim in primo instanti eliciet cognitionem adæquatam, qua cognoscat adæquate naturã humanam vt est corpus,viuens,animal intellectuale &c. & in secundo instanti eliciet cognitionem adæquatam qua adæquate cognoscet naturam leonis,& in tertio instanti eliciet aliam cognitionem adæquatam qua adæquate cognoscet naturam equi,& in quarto instanti eliciet aliam cognitionem adæquatam , qua adæquate cognoscet naturam plantæ , atque ita in illis quatuor instantibus Angelus,qui velociter intelligit,cognoscet quatuor obiecta diuersa, scilicet naturam humanam,naturam leonis, naturam equi, ac naturam plantæ , Homo vero ille , qui tarde intelligeret in primo instanti eliceret cognitionẽ inadæquatam,qua licet totam naturam humanam cognoscceret ex parte obiecti, illam tamen inadæquate cognoscceret ex parte modi,scilicet solum quatenus est substantia corporea,& in secundo instanti eliceret aliam cognitionem inadæquatam , qua ex parte modi inadæquate cognoscceret eamdẽ naturam humanã etiam quatenus est viuens præcise,& in tertio instanti eliceret aliam cognitionem inadæquatam, qua inadæquate cognoscceret eamdem naturam humanam , etiam quatenus est animalis solum, & in quarto instanti eliceret aliam vltimã cognitionem, qua vltimo cognoscceret eamdem naturã humanam etiam quatenus est intellectualis , atque ita in his quatuor horæ instantibus,homo iste,qui tarde moueretur, non cognoscceret quatuor diuersa obiecta, sicut Angelus, sed vnum tantum obiectum, scilicet naturam humanam , licet vterque sine vlla morula in omni illo instãti moueatur intellectualiter,& intelligat,sic ergo licet in illis quatuor horæ instantibus aquila,& testudo sine vlla morula physice moueantur , Testudo non percurrit quatuor indiuisibilia spatij,vt aquila , sed tantum successiue acquirit quatuor inadæquatas vbicationes ad primum indiuisibile spatij, diuisibile virtualiter,quibus in illo, vt æquialet quatuor indiuisibilibus Zenonis adæquate existit,ac proinde in eodem tempore, quamuis testudo non quiescat,velocius mouetur aquila, quam testudo.

Obiiciat aliquis primo , instans primum in quo testudo mouetur,est virtualiter diuisibile, & æqui- 54
alet quatuor v.g.instãtibus Zenonis, ergo vel mouetur testudo in illo primo instanti adæquate, hoc est in illo, vt æquialẽte quatuor instantibus Zenonis, vel solum mouetur in tali instanti inadæquate, id est in illo,vt præcise æquialente vni primo instanti indiuisibili Zenonis.Si primum dicatur, ergo testudo,quando mouetur in illo primo instanti, vt æquialenti vni primo instanti indiuisibili Zenonis,acquirit vnam partialem vbicationem,in primo indiuisibili spatij,& quando mouetur in eodem instanti vt æquialenti secũdo instanti indiuisibili Zenonis , acquirit aliam partialem vbicationem in eodem primo indiuisibili spatij , & quando mouetur in eodem primo instanti vt æquialenti tertio instanti indiuisibili Zenonis, acquirit aliam partialem vbicationem in eodem primo indiuisibili spatij,& quando mouetur in eodem instanti primo vt æquialente quarto instãti indiuisibili Zenonis acquirit aliam partialem vbicationem in eodẽ primo spatij indiuisibili , ac proinde testudo in primo instanti reali quatuor vbicationes acquiret , quibus adæquate existat in primo indiuisibili spatij sicut aquila.Si autem secundum dicatur,ergo testudo in illo primo instanti reali, vt æquialenti tribus vltimis instantibus indiuisibilibus Zenonis,non mouetur,sed moratur , & quiescit, igitur in motu tardo tandem admittimus morulas , quas impugnamus.

Respondeo testudinem moueri in illo primo in- 55
stanti reali adæquate ex parte termini,id est, motus testudinis durat in toto , ac adæquato illo instanti reali,quod formaliter æquialet quatuor instãtibus indiuisibilibus Zenonis,ipsã vero testudinẽ moueri in eo instanti reali, inadæquate solũ ex parte modi, hoc est, motus testudinis non habet in eo instanti durationem adæquatam quam petit instans illud,vt æquialens quatuor instantibus Zenonis,sed tantũ habet durationem inadæquatam , quam petit tale instans, vt præcise æquialet vni primo instanti indiuisibili Zenonis. Hinc vero nõ sequitur testudinẽ morari,& quiescere reipsa in illo primo instanti,vt æquialet tribus vltimis instantibus indiuisibilibus Zenonis , nam ad hoc , vt aliqua res re vera moretur , & quiescat in aliquo instanti , requiritur, quod verè non moueatur , in toto illo instanti ex parte termini , cum autem testudo moueatur in toto illo primo instanti ex parte termini secundum totum,quod formaliter includit,vt dictum est,ideo testudo in eo instanti re vera non quiescit, nec moratur,

moratur, ſed tantum virtualiter ex parte modi ita ſe habet, ac ſi quieſceret, ſicut cum quis cognoſcit hominem, fuſe ſub ratione præciſe animalis, reuera non poteſt dici, quod non cognoſcit rationale, quia illa cognitio ex parte obiecti totam hominis entitatem, animalitatem ſcilicet & rationalitatem cognoſcit, virtualiter tamen & ex parte modi ita ſe habet, ac ſi non cognoſceret rationale.

56 Objiciat ſecundo: teſtudo in primo inſtanti acquirit vnam vbicationem per quam exiſtit in toto hoc primo indiuiſibili ſpatij, ergo cum in ſecundo inſtanti mouetur, non acquirit naturaliter aliam ſimilem vbicationem ad idem primum indiuiſibile ſpatij, ſed aliam vbicationem, qua exiſtat in ſecundo ſpatij indiuiſibili, atque ita in pluribus inſtantibus plura ſpatij indiuiſibilia percurrit. Patet conſequentia, quia natura humana per vnam ſubſiſtentiam quam habet, eſt tota illa ſubſiſtens, & non poteſt ſimul naturaliter habere aliam ſimilem ſubſiſtentiam qua ſubſiſtat, ergo ſi teſtudo per primam vbicationem, quam acquiſiuit in primo inſtanti eſt exiſtens in toto hoc primo indiuiſibili ſpatij, in ſecundo inſtanti non poteſt acquirere aliam vbicationem, qua exiſtat in eodem primo ſpatij indiuiſibili, ſed qua exiſtat in ſecundo ſpatio. Reſp. naturam humanam per vnam ſubſiſtentiam eſſe totam illam ſubſiſtentẽ adæquate, & ideo habere non poteſt naturaliter aliam etiam ſubſiſtentiã qua ſubſiſtat, quia hæc eſſet omnino ſuperflua, teſtitudinem vero per primam illam vbicationem, quam in primo inſtanti acquirit, eſt in toto illo primo indiuiſibili ſpatij non tamen adæquate, ſed tantum inadæquate, quia cum illud ſpatium indiuiſibile ſit diuiſibile virtualiter, & æquiualeat quatuor, v.g. indiuiſibilibus Zenonis, teſtudo per primam illã vbicationem exiſtit in illo, vt præciſe æquiualeat vni indiuiſibili Zenonis, & ita ſolum inadæquate exiſtit in illo, ac proinde vt in eodem primo indiuiſibili ſpatij adæquate exiſtat, requiruntur aliæ vbicationes quas ipſa teſtudo in ſequentibus inſtantibus acquirit, ſicut cum quis cognoſcit hominem ſub ratione animalis, per talem cognitionẽ totam entitatẽ hominis ex parte obiecti cognoſcit, & tamẽ quia ex parte modi illum inadæquate cognoſcit poteſt habere aliã cognitionẽ, qua ipſum etiã cognoſcat ſub ratione rationalis.

57 Objiciat tertio: teſtudo in primo inſtanti acquirit vnam ſaltem inadæquatam vbicationem in primo indiuiſibili ſpatij, ergo quando in ſecundo inſtanti mouetur, acquirit aliam inadæquatam vbicationem in ſecundo indiuiſibili ſpatij & ſic de alijs, ergo in ijſdem horæ inſtantibus tot ſpatij indiuiſibilia teſtudo inadæquate percurret, quot percurrit aquila adæquate. Primam conſequentiam ſic probo, motus teſtitudinis in primo inſtanti tantum acquirit inadæquatam durationem ad tale primum inſtans, & tamen in ſecundo inſtanti acquirit aliam durationem inadæquatam, non reſpectu primi inſtantis, ſed reſpectu inſtantis ſecundi, ergo licet teſtudo in primo inſtanti acquirat inadæquatam vbicationem in primo indiuiſibili ſpatij, in ſecundo inſtanti acquiret aliam inadæquatã vbicationem non reſpectu primi indiuiſibilis ſpatij, ſed reſpectu ſpatij ſecundi. Reſp. cum aduenit inſtans ſecundum iam non manet inſtans primũ, ſed præterijt, atq; ita motus in ſecundo inſtanti non poteſt acquirere durationem inadæquatam reſpectu primi inſtantis, ſed ſolum reſpectu ſecundi: at in ſecundo inſtãti adhuc manet primũ ſpatij indiuiſibile, in quo teſtudo pro primo inſtanti habuit tantum vbicationem inadæquatã, & ita poteſt in ſecundo inſtanti aliam vbicationem inadæquatam acquirere, qua magis adæquate exiſtat in eodem primo indiuiſibili ſpatij, vnde de facto teſtudo in ſecundo inſtanti acquirit vbicationem inadæquatam, non in ſecundo, ſed tantum in eodem primo ſpatij indiuiſibili, quia vt acquireret vbicationem in diuerſo ſpatio, requiritur neceſſario quod velociter moueretur, cum vero teſtudo non velociter ſed tarde moueatur, ideo in ſecundo inſtanti non acquirit vbicationem reſpectu alterius diuerſi, ſad ſolum reſpectu eiuſdem ſpatij.

Infero ſecundo principaliter, qua ratione, in rota circulus minor, & circulus maior, ille tarde, hic velociter moueantur abſque eo, quod indiuiſibilia circuli maioris ab indiuiſibilibus circuli minoris diſcontinuentur. Supponamus prius quodlibet indiuiſibile rotæ, & ſpatij, in quo ipſum eſt æquiualere quatuor, v. g. indiuiſibilibus Zenonis, atque ita quodlibet indiuiſibile rotæ habere quatuor vbicationes, vel vnam æquiualentem in eodem indiuiſibili ſpatij, per quas adæquate exiſtit in illo, & quouſque tale indiuiſibile adæquate in vno ſpatio exiſtat, non tranſire ad aliud. Quando vero tale indiuiſibile inadæquate per motum tranſit ad ſecundum ſpatium, hoc eſt, acquirit duas v. g. vbicationes in illo, retinet duas vbicationes, quas habet in primo ſpatio, ita, vt per duas vbicationes, quas retinet, ſit inadæquate in primo indiuiſibili ſpatij, & per alias duas, quas acquirit, ſit etiam inadæquate in alio ſecundo ſpatij indiuiſibili, & per omnes iſtas quatuor vbicationes in vtroque ſpatio indiuiſibili, vt in vno loco adæquate exiſtat. Hæc omnia conſtant ex ſupradictis, deinde claritatis gratia ſignemus in circulo maiori quatuor indiuiſibilia: *A.B.C.D.* & totidem alia quatuor in circulo minori ſcilicet, *A.B.C.D.* illis immediate correſpondentia, ita, vt indiuiſibile *A.* circuli minoris immediate continuetur cum alio indiuiſibili *A.* circuli maioris, & indiuiſibile *B.* circuli maioris immediate continuetur, & vniatur cũ alio indiuiſibili *B.* circuli maioris, & ſic de alijs cum ſua proportione. 58

Hoc poſito quando in primo inſtanti rota mouetur circulariter, indiuiſibile *A.* circuli maioris mouetur velociter, & acquirit tres vbicationes in ſpatio, in quo erat antea indiuiſibile *B.* eiuſdem circuli, & indiuiſibile *B.* eiuſdem circuli, & indiuiſibile *A.* circuli minoris, etiam in tali inſtanti, non ita velociter mouetur, & ita acquirit duas tantum vbicationes in ſpatio, in quo erat indiuiſibile *B.* eiuſdem circuli. Ecce in primo inſtanti motus indiuiſibile *A.* circuli maioris ponitur, & exiſtit cum triplici vbicatione in ſpatio, in quo erat indiuiſibile *B.* eiuſdem circuli, & indiuiſibile *A.* circuli minoris ponitur, & exiſtit cum duplici ſaltem vbicatione in ſpatio, in quo erat indiuiſibile *B.* eiuſdem circuli, atqui indiuiſibile *B.* circuli maioris, & indiuiſibile *B.* circuli minoris, erant antea immediate vnita, & continuata, vt iam præmiſimus, ac proinde indiuiſibile *A.* circuli maioris & indiuiſibile *A.* circuli minoris, cum modo maneant in illorum ſpatijs, manent etiam inter ſe immediate vnita, & continuata, quando vero rota in ſecundo inſtanti mouetur, indiuiſibile *A.* circuli maioris acquirit alias tres vbicationes, vnam in ſpatio, in quo primo fuit indiuiſibile *B.* quæ illi deerat, & alias duas in ſpatio, in quo erat antea indiuiſibile *C.* atque ita in hoc ſecundo inſtanti indiuibile *A.* circuli maioris retinet duas vltimas vbicationes in ſpatio, in quo primo erat indiuiſibile *B.* & acquirit alias duas in ſpatio in quo erat indiuiſibile *C.* in hoc autẽ ſecundo inſtanti etiã mouetur indiuiſibile *A.* circuli minoris, & acquirit duas vltimas vbicationes, quæ illi deerant, vt eſſet adæquate in ſpatio, in quo primo fuit indiuiſibile *B.* 59

eiuſdem

eiusdem circuli, ecce in hoc secundo instanti motus indiuisibile *A.* circuli maioris, licèt sit cum duplici vbicatione, in spatio, in quo erat antea indiuisibile *C.* etiam manet & existit cum alia duplici vbicatione in spatio, in quo primo erat indiuisibile *C.* eiusdem circuli, & indiuisibile *A.* circuli minoris in eodem instanti manet solum cum quadruplici vbicatione in spatio, in quo primo erat indiuisibile *B.* eiusdem circuli, atqui antea indiuisibile *B.* circuli maioris, & indiuisibile *B.* circuli minoris erant inter se immediate continuata, vt præmissum est, ac proinde modo indiuisibile *A.* circuli maioris, & indiuisibile *A.* circuli minoris, quæ in illorum spatijs manent etiam sunt immediate continuata & vnita. Quando autem in tertio instanti rota mouetur, indiuisibile *A.* circuli maioris acquirit alias tres vbicationes duas vltimas, quæ illi deerãt in spatio, in quo primo fuit indiuisibile *C.* & aliam primam vbicationem in spatio, in quo antea erat indiuisibile D. atq; ita in tali instanti indiuisibile *A.* circuli maioris retinet tres vbicationes in spatio in quo primo fuit indiuisibile *C.* & acquirit vnam primam vbicationem in spatio in quo antea erat indiuisibile D. eiusdẽ circuli, & in hoc tertio instãti indiuisibile *A.* circuli minoris etiam mouetur, & acquirit duas vbicationes in spatio, in quo antea erat indiuisibile *C.* & admittit duas primas vbicationes ex illis quatuor quas antea habebat in spatio indiuisibilis *B.* ecce in hoc tertio instãti indiuisibile circuli maioris, licèt sic cum vna vbicatione in spatio, in quo erat indiuisibile *D.* existit etiam cum triplici vbicatione in spatio, in quo primo erat indiuisibile *C.* eiusdem circuli, & indiuisibile *A.* circuli minoris in eodem tertio instãti, existit cum duplici vbicatione in spatio, in quo antea erat indiuisibile *C.* eiusdem circuli, atqui indiuisibile *C.* circuli maioris, & indiuisibile *C.* circuli minoris erant antea immediate continuata, & coniuncta, vt præmisimus, ac proinde indiuisibile *A.* circuli maioris, & indiuisibile *A.* circuli minoris, quæ in illorum spatijs manent, etiã sunt immediate vnita, & cõtinuata inter se. Mouentur ergo in omnibus his instantibus circulus maior, & circulus minor, ille velociter, iste tarde, & tamen indiuisibilia vnius circuli ab indiuisibilibus alterius circuli non discontinuantur.

60 Infero tertio principaliter, qua ratione raritas, ac densitas sine additione, aut diminutione nouæ quãtitatis possit accidere, itaq; cera tunc rarescit, quando ratione alicuius qualitatis v.g. caloris, quodlibet indiuisibile ceræ, quod erat adæquate in vno tãtum indiuisibili spatij, ponitur, & existit in pluribus spatij indiuisibilibus in singulis indæquate atque ita talis cera maius spatium occupat, ac dilatatur. Tũc vero cera condensatur, quãdo ratione alterius qualitatis v.g. frigoris, quodlibet indiuisibile ipsius ceræ quod erat in pluribus indiuisibilibus spatij in singulis inadæquate ponitur, & existit in pauciori-bus vel in vno tantum spatij indiuisibili adæquate, atq; ita cera illa minus spatiũ occupat, & coangustatur. Hanc autem sententiam fusè in lib. de gener. disp. 6. c. 2. & 3. exponemus, & plura difficilia argumenta quæ aduersus illam militant, enodabimus.

61 Infero quarto principaliter, qua ratione licèt ab omnibus indiuisibilibus circuli maioris in rota ducãtur totidem lineæ rectæ vsq; ad centrum, & omnes illæ lineæ transeant per indiuisibilia circuli minoris non sequatur exinde tot esse indiuisibilia in circulo minori quot sunt in maiori. Dicimus enim duas lineas ductas à duobus indiuisibilibus circuli maioris tangere, & penetrare inadæquate idemmet indiuisibile circuli minoris, ex quo non sequitur non fore rectas vsque ad centrum, nam si in circulo minori essent octo indiuisibilia Zenonis, & vna linea tangeret primum indiuisibile, & alia tangeret indiuisibile octauum, tenderent rectæ vsque ad cẽtrum vnum, ergo indiuisibile circuli minoris, quod modo datur, æquiualet octo, aut pluribus indiuisibilibus Zenonis, vt supra explicatum est, & vna linea tangit illud inadæquate, scilicet solum vt æquiualet primo indiuisibili Zenonis, & alia linea tangit illud etiam inadæquate, videlicet vt æquiualeat octauo indiuisibili Zenonis, atque ita tales lineæ licèt idem indiuisibile attingunt, sunt verè rectæ vsque ad centrum.

62 Infero quintò principaliter, qua ratione, licèt ab omnibus indiuisibilibus vnius costæ ducãtur lineæ rectæ ad aliam costam, & hæ lineæ tangant, & penetrent omnia indiuisibilia diametri, non sequatur tot esse indiuisibilia in linea costali, quot sunt in diametrali, nam aliqua linea ducta à costa in costam per vnum sui indiuisibile attingit, & penetrat duo indiuisibilia lineæ diametralis propter diuersam positionem ipsius, ad quod requiritur, quod illud idiuisibile talis lineæ sit simul inadæquate in illis duobus spatijs, in quibus sũt duo illa indiuisibilia, quæ penetrat, lineæ diametralis, quod nullum est inconueniens, sed necessario dicẽdum iuxta nostram opinionẽ vt constat ex dictis supra c. 5. n. 41.

63 Monstrauimus iam ea omnia in hac sententia extricari, quæ aliàs inextricabilia videntur, quod quidem leue non est eius veritatis indicium. Redolet (inquiunt quidam) nouitatem. Ego fateor, sed non ideo placet quia noua, sed quia vera, cum enim vetusta, atq; communis sententia tot difficultatum fluctibus agitetur, tantisque vndequaque sit implicationibus irretita, non leuis animi, sed acris ingenij est, aliam particularem, ac nouam in qua recte omnia saluentur, sententiam inuestigare quam ab alijs adinuentam elucidauimus.

CAPVT VII.

Quædam quæsita expediuntur.

64 QVæritur primo, an indiuisibilia continui sint modi tantum, an res? in nostra sententia quæ ex solis indiuisibilibus continuum componit, certum est non esse modos, sed res, quia cum modus esse non possit sine re, cuius sit modus, non potest totum aliquod componi ex solis modis, sed ex rebus, si ergo continuum componitur ex solis indiuisibilibus, hæc non sunt modi, sed res: quæstio solum procedit in sententia communi quæ in continuo partes, & indiuisibilia admittit, & inquirimus an talia indiuisibilia sint modi tantum, an res? Recentiores quidam dicunt non esse res, sed modos.

65 Arbitror tamen non esse modos, sed res, ita Aristoteles in hoc lib. & 4. phys. text. 9. Suarez disp. 40. met. sect. 5. n. 35. Conimb. 6. phys. c. 2. q. 1 art. 2. assertione 3. Hurt. disp. 15. phys. sect. 3. Murçia lib. 6 phys. disp. 1. q. 3. Probatur primo, in continuo successiuo; modus non potest esse sine re, sed instans indiuisibile temporis existit sine parte temporis, quæ esset res, nam instans non existit simul cum parte, etiam in opinione communi, vt monstraui supra cap. 4. num. 26. ergo instans temporis indiuisibile non est modus, sed res.

66 Probatur secundò, in continuo permanenti: nam si indiuisibile esset modus, qui per seipsum actualiter & essentialiter partes modificaret, indiuisibile continuatiuum esset essentialiter continuatiuum, & non posset fieri terminatiuum, & indiuisibile terminatiuum esset essentialiter terminatiuum, & non posset fieri continuatiuum atq; ita idemmet indiuisibile secundum se non posset esse continuatiuum,

&

& terminatiuum, atqui idem indiuisibile potest secundum se saltem diuisiue esse continuatiuum, & esse terminatiuum, ergo tale indiuisibile in continuo permanenti, non est modus, sed res: minor probatur, quãdo ignis calorem producit in manu, vt in hoc instanti producit in illa aliquod indiuisibile caloris, potest Deus immediate post tale instãs dare suum concursum, vel negare illum ad calorem vlterius producendum, sed si Deus dat suũ concursum igni, ignis producet in manu aliam partem caloris, quæ cum alia continuetur, atque ita illud indiuisibile caloris in illo instanti immediate antea productum erit continuatiuum, si verò Deus negat igni suum concursum, ignis post illud instans non producet aliam partem caloris, atque ita indiuisibile caloris in tali instanti productum idemmet erit vltimum, ac proinde terminatiuum, ergo idem indiuisibile secundum se potest esse, continuatiuum & terminatiuum.

67 Quæritur secundò, an indiuisibilia continui vniantur vnione distincta? vniri certum est, nam continuum in hoc differt à contiguo, quod partes continui sunt vnitæ inter se, partes verò contigui non sunt vnitæ, sed tantum simul; quæstio verò est, an vniantur indiuisibilia continui vnione ab illis distincta. Arbitror vnione distincta vniri, quia hæc indiuisibilia cum nõ sint modi, sed res, potest vnum ab altero separari, tunc erunt talia indiuisibilia, & non erit vnio inter ipsa, ergo vnio est distincta ab illis.

68 Quæritur tertiò, an vna simplici, an duplici partiali vnione vniãtur inter se? arbitror duplici vnione vniri, nam quodlibet indiuisibile adæquate sumptum est intrinsece completum, atque ita petit intrinsece compleri per vnionem cum alio, ergo vnio, qua duo indiuisibilia continuantur & vniuntur debet esse intrinseca, cuiuis indiuisibili. Sed eadem simplex vnio, cum sit modus, non potest esse intrinseca vtrique vt supra tract. 1. disp. 10. cap. 3. in simili monstratum est, ergo debet necessariò interuenire duplex partialis vnio.

69 Quæritur quartò, an partes continui vniantur solum per accidens, an per se? arbitror vniri per se, quia tunc partes vniuntur per se quando vna petit vniri cum alia, & compleri per illam, sed vna pars aquæ v.g. petit vniri cum alia, & compleri per illam, non tamẽ in ratione totius essentialis, sed tantum in ratione totius integralis, ergo partes continui v. g. aquæ vniuntur & continuantur per se.

70 Infero ex dictis in hac disp. 1. indiuisibile, cui alia duo indiuisibilia vniuntur esse continuatiuum, indiuisibile vero vltimum, quo aliquod continuum finitur, esse terminatiuum. Infero secundò puncta vnita tantum versus longitudinem esse lineam, vnita vero etiam versus latitudinem esse superficiem, vnita autem etiam versus profunditatem esse corpus. Infero tertiò vnum indiuisibile continui, si ab aliis diuinitus separetur, posse cõtinuo localiter moueri, quia si aliqua ratione non possit moueri successiue maximè quia spatium continuum, per quod debet moueri habet partem diuisibilem cui indiuisibili proportionari non potest, sed spatium continuum non habet partem diuisibilem, sed plura tantum indiuisibilia, ergo indiuisibile potest moueri per illud; Hic nonnulli agunt de inceptione, & desitione motus, de quo commodius in lib. de ortu, & interitu differemus.

***

DISPVTATIO XXVIII.

De duratione, ac tempore.

QVINQVE capita continebit. In primo inquiro, in quo ratio formalis durationis sita sit? In secundo, an duratiõ à re, quæ durat existentia ac tempore distinguatur. In tertio, obiectiones diluuntur. In quarto, an duratio sit reipsa diuisibilis & successiua? In quinto, Quid sit tẽpus, & quæ ipso mẽsurantur.

CAPVT I.

In quo ratio formalis durationis sita sit.

MVlti censent durationem esse formaliter solam rei permanentiam ac perseuerantiam in suo esse, ita vt ad illam duo instantia necessariò requirantur. Primum in quo res sit. Secundum in quo in suo esse persistat, ita Suarez tom. 2. met. disp. 50. sect. 2. n. 9. quem sequitur Hurtado disp. 17. met. sect. 1. §. 4. & alij. Sed impugnantur, quia homo v. g. vt præcisè existens in primo instãti habet durationem, ergo duratio non est formaliter perseuerantia in esse. Minor probatur, sicut res per solam vbicationẽ fundat relationem distantiæ aut indistantiæ, ita per solam durationem fundat relationem prioris & posterioris. Sed homo vt præcisè existens in primo instãti fundat relationẽ prioris, & posterioris, quia vt sic est prior alio homine postea futuro, & est posterior alio homine præterito, ergo homo vt præcisè existens in primo instanti habet durationem. Confirmatur efficaciter, Deus ab æterno verè durat, cum eius æternitas verè ac formaliter duratio sit. Sed Deus ab æterno non perseuerat in suo esse, cum ante instans æternitatis non sit aliud instans prius, in quo Deus habuerit esse, & in eo postea in instanti æternitatis persistat; ergo duratio vt sic non est perseuerantia in esse.

Dicat aliquis æternam Dei durationem esse eminenter perseuerantiam in esse, cum sit excellentior, & nobilior duratione creata, quæ formaliter perseuerantiam includit. Sed contra, Deus, vt sic formaliter est eminenter lapis, id est, est entitas perfectior, ac excellentior, lapide, & tamen Deus absolute, & simpliciter non est lapis, ergo licèt duratio æterna sit eminenter perseuerantia, id est, sit duratio nobilior, & excellentior ipsa perseuerantia, absolute & simpliciter talis Dei duratio non erit perseuerantia, igitur duratio, vt sic, vt abstrahit à duratione creata, & à duratione increata, & æterna, non est absolutè, & simpliciter perseuerantia.

Opinantur alij durationem esse formaliter quãdam connotationem ac relationem coexistentiæ ad tempus extrinsecum reale, vel imaginarium. ita Ochamus in 2. quæst. 10. & Gabriel. in 2. dist. 2. quæst. 1. art. 1. & recentiores communiter. Sed impugnatur, si per possibile, aut impossibile nullum esset tempus, existens, nec possibile, non esset tempus reale, nec imaginarium, quia tempus vt existens est tempus reale, & tempus vt possibile dicitur tempus imaginarium, vt infra dicam, sed in tali casu Angelus creatus à Deo verè duraret, ergo duratio non est connotatio, seu relatio coexistentiæ ad tempus reale, vel imagi

imaginarium, minor ostenditur, Angelus creatus à Deo posset ab ipso Deo annihilari, & posset etiam conseruari pro libito Dei, sed Angelum conseruari à Deo, est perseuerare in suo esse, ergo in tali casu Angelus creatus & non postea annihilatus, sed conseruatus à Deo in suo esse perseueraret, ergo duraret: patet hæc consequentia, licet non omnis duratio sit perseuerantia in esse, tamen omnis perseuerantia in esse est duratio, vt omnes admittunt, ergo si Angelus in prædicto casu perseueraret in suo esse, vere in tali casu Angelus duraret.

4 Dicat aliquis durationem Angeli esse ordinem ac relationem realem ad tempus reale, vel possibile, scilicet imaginarium, atque ita ex eo, quod non sit tempus reale nec possibile sequi non fore possibilem durationem Angeli, & cum existentia Angeli dicat ordinem ad eius durationem, nec fore possibilem Angeli existentiam. Sed contra: de ratione formali durationis, quatenus duratio est, non est respicere vel connotare tempus reale, vel possibile scilicet imaginarium, ergo nec est de ratione durationis Angeli, ergo in prædicto casu etiamsi non esset tempus reale vel possibile, Angelus esset existens, & duraret. Probatur antecedens, Deus vere ab æterno durat, & Angelus etiam duraret, si ab æterno produceretur, quod iuxta sententiam communem non repugnat, sed ab æterno non datur tempus reale existens, nec possibile, scilicet, imaginarium, quia res successiua, quale est tempus, non potest esse ab æterno actu, & cathegorematice, vt lib. 8. monstrabo, ergo aliqua duratio vera potest dari, quæ non respiciat tempus reale vel imaginarium, ergo non est de ratione durationis vt sic respicere tempus reale vel imaginarium.

5 Assertio ergo sit. Duratio est forma quædam absoluta, qua res, quantum est ex se, est proximè apta, vt sit prius, simul aut posterius, respectu alterius rei, solum conditionate, hoc est, si forte talis res sit possibilis, aut existat. Probatur, quia duratio vel consistit formaliter in perseuerantia in esse, vel in connotatione temporis realis aut imaginarij, vel in dicta conditionata aptitudine ad coexistendum alteri, si forte existat, non enim apparet aliud, in quo formaliter possit duratio consistere, sed non consistit in perseuerantia in esse, nec in connotatione temporis realis, aut imaginarij, vt nuper ostensum est, ergo consistit solum in aptitudine illa conditionata, ad coëxistendum alteri, si forte existat, sed quia nos hanc absolutam durationem rerum in se ipsa clare non intuemur, illam per tempus extrinsecum metimur, & explicamus, sicut, licèt quantitas panni absoluta sit, quia verò eius in seipsa extensionem non penetramus vtimur, vlna ad illam mensurandam, & cognoscendam.

6 Obijciat quispiam: Petrus existens, ac durans in hoc tempore per durationem est formaliter præsens illi, ergo talis duratio est præsentia ad hoc tempus, sed præsentia ad hoc tempus est formaliter connotatio, & relatio ad illud, ergo talis duratio Petri est absolute connotatio ac relatio ad tempus. Respondeo durationem illam Petri quoad entitatem esse absolutam, quia posset esse sine illo tempore, esse verò in eo casu quoad denominationem relatiuam, quia ex suppositione quod detur, & existat tempus, res per suam durationem formaliter denominatur præsens, & relata ad illud, sicut licèt albedo sit quoad entitatem absoluta, posita alia albedine denominatur similis illi, & relata ad illam. Recognosce dicta supra disp. 26. c. 3. à n. 20. quæ hic proportionaliter applicanda sunt.

Hæc autem duratio, alia est increata, alia creata, duratio increata, quæ æternitas appellatur, est teste Boetio lib. 5. de consolatione, *interminabilis vitæ tota simul, atque perfecta possessio.* 7
hoc est, est quædam indiuisibilis, ac simultanea duratio, quæ vlla ex parte scilicet ante & post, non est apta terminari, & per illam Deus necessariò, & per essentiam est aptus proximè, quantum est ex se ad coexistendum omnibus rebus, si existant, vnde licèt Angelus ab æterno & in æternum duraret, talis duratio non esset æternitas, tum quia non esset interminabilis, sed terminabilis, tum quia non esset necessaria, ac per essentiam, sed participata, & contingens, ac proinde æternitas solius Dei duratio est. Duratio verò creata, alia est duratio rei successiuæ, vt duratio motus primi mobilis, quæ solet vocari tempus, de quo infra, alia est duratio rei pemanentis, & hæc est duplex, alia est duratio rei indefectibilis natura sua, vt duratio Angeli quæ dicitur æuum, alia est duratio rei natura sua defectibilis, vt duratio equi, vel leonis.

CAPVT II.

An duratio à rei, quæ durat, existentia ac tempore distinguatur.

Non est controuersia de duratione increata, quam quidem compertum est à diuina existentia non distingui, sed solum, quæstio procedit de duratione creata Petri, v.g. an ab ipsius existentia & tempore cui coexistat, verè à parte rei dissideat. 8

Opinio celebris est durationem rei ab eius existentia ac tempore extrinseco non distingui, sed vel esse denominationem quandam partim intrinsecam desumptã ab existentia rei durantis, partim extrinsecam desumptam à tempore, vel esse solum denominationem intrinsecam desumptam in recto, ab ipsa rei existentia, connotato tempore in obliquo tanquam termino, vel connotata ipsius rei præexistentia in aliquo priori instanti. Ita Molina 1 part. quæst. 10. art. 5. disp. 1. Vasquez ibidem disp. 33. cap. 3. Valentia etiam ibidem disp. 1. punct. 3. Suarez tom. 2. metaph. disput. 50. sect. 1. §. resolutio quæstionis. qui pro eadem sententia plures patronos recenset, quos multi recentiores imitantur, maximè P. Hurtado disputat. 17. metaphysic. sect. 2. & 3.

Assertio tamen sit. Omnis duratio creata rei permanentis ab ipsius existentia & tempore extrinseco verè à parte rei distinguitur. Ita Aristot. in præsenti capite & 4. physic. cap. 11. & 9. metaphysic. text 29. D. Bonauentura. in 2. distinct. 2. 1. part. distinct. art. 1. quæst. 1. & 3. D. Augustin. 12. Confessionum cap. 2. 3. & 24. D. Thomas super Aristotelem & 1. part. quæst. 16. art. 2. Ricard. in 2. distinct. 2. quæst. 2. art. 1. concluf. 3. Henricus quodlibeto 3. quæst. 15. Iauellus q. 10. huius libri, Complutenses disput 21. physic. q. 3. num. 34. Sotus lib. 4. physic. quæst. 4. Murçia, Bañez 1. part. quæst. 3. art. 4. dub. 1. ad 3. & plures alij discipuli D. Thomæ, Salas 1. 2. disputat. 2. sectione 12. num. 122. Conimbricenses in capite 2. cathegoriarum Aristotelis quæst. 3. artic. 1. & lib. 4. physic. capite 14. quæst. 2. art. 2. Rubius ibidem quæst. 4. §. expenditur vtraque sententia, & lib. 10. de prædicamentis quæst. vnica à n. 58. Plaça 4. physic. disput. quæst. 4. & probabilem illam censet Murçia lib. 4. 9

lib.4.physic.disput.3.quæst.4.§. dico 3. Arriaga disput.15.physic. sect.1. num.5. quam etiam probabilem reputat Vasquez 1.part. quæst.3. artic.4 dub.1. ad 3. Scotus in 2.dist.2. quæst.1. nouissime Thomas Conti, Carleton disp.38.physic.sect.2.& plurimi ex recentioribus.

10 Probatur primo, Petrus v.g. potest existere præcisè & absolute, & esse absolute etiam hoc tempus *B.* & tamen ipse Petrus reipsa non durare in hoc tempore *B.* ergo duratio Petri in hoc tempore *B.* reipsa distinguitur ab existentia Petri, & ab hoc tempore *B.* Consequentia videtur euidens, quia si possent esse simul hoc album, & illud album, & non esse similia, euidens esset, similitudinem reipsa distingui ab illis simul existentibus, ergo si Petrus potest existere præcisè & absolute ac existere absolute hoc tempus *B.* & tamen Petrus non esse durans in hoc tempore *B.* euidens videtur durationem distingui reipsa ab existentia Petri, & ab hoc tempore B. antecedens autem sic probo. Ponamus, quod Petrus existat in tempore *A.* & quando datur tempus *B.* non existat, arguo sic, in hoc casu Petrus existit absolute & præcisè, nam vt res absolute existat, non requiritur quod existat in omni tempore, sed sufficit, quod in aliquo tempore habeat existentiam, hoc enim sufficit, vt sit obiectum visionis intuitiuæ Dei, quæ ad rei existentiam terminatur, & etiam in tali casu vere existit tempus *B.* & tamen Petrus non coexistit, nec durat in tempore *B.* vt per se constat, ergo Petrus potest existere præcisè, & absolutè, & etiam absolutè existere tempus *B.* & tamen Petrus ipse non coexistere, nec durare in tali tempore *B.*

11 Dicat aliquis durationē Petri in hoc tempore *B.* non esse existentiam Petri præcisè sumptam, & existentiam temporis etiam præcisè acceptam, sed esse existentiam Petri vt connotantem formaliter tempus *B.* hoc est, Petrum ipsum vt existentem, quando tempus *B.* existit, Sed contra, in prædicto casu datur existentia Petri absolutè & præcisè sumpta, & datur existentia temporis *B.* etiam absolutè accepta, & tamen non datur reipsa hoc, quod est existentiā Petri connotare tempus *B.* aut Petrum ipsum existere, quando tempus *B.* existit, vt clare ex suppositione colligitur, ergo hoc quod est existentiam Petri connotare tempus *B.* aut Petrum ipsum existere, quando tempus *B.* existit, est aliquid reipsa distinctum ab existentia Petri absolute & præcisè sumpta, & ab hoc tempore *B.* sed hæc connotatio, vt ipsi asserunt, est ipsa duratio, ergo duratio est aliquid reipsa distinctum ab existentia Petri absolutè sumpta, & ab hoc tempore *B.*

12 Dicat præterea hoc solum probare durationem illam distingui per rationem ab existentia Petri, & ab hoc tempore *B.* scilicet, quia concipitur natura Petri, vt præcisa ab illa connotatione tēporis *B.* non verò esse distinctam à parte rei. Sed contra visio intuitiua Dei, quæ non potest præscindere, videt in prædicto casu existentiam Petri, & existentiam temporis *B.* & tamen non videt existentiam Petri connotare tempus *B.* aut durare in illo, cum Petrus solum existat & duret in tempore *A.* vt supponimus, ergo talis connotatio, ac duratio Petri in hoc tēpore *B.* non præcisiue, sed reipsa separatur, ac distinguitur ab existentia Petri, & ab hoc tempore *B.* alias

13 à Deo videretur.

Probatur secundo principaliter, duratio qua Petrus hodie durat, & duratio, qua cras durat ipse Petrus, non est eademmet duratio, sed vna ab alio reipsa distincta, sed existentia qua hodie Petrus absolutè existit, & existentia qua cras existet ipse Petrus est eadēmet existentia, ergo quæuis duratio ex illis reipsa distinguitur & non est eadem cum ipsius Petri existentia: consequentia est euidens, quia si illæ durationes essent idē cum Petri existentia quæ esset in se vna & eadē, ipsæ etiam durationes essent idem inter se, quia quæ sunt eadem vni tertio, in creatis sunt idem inter se, ergo si illæ durationes, hodierna, scilicet, & crastina, non sunt idem inter se, sed vna ab alia distincta, & existentia Petri est vna & eadem, euidens est quamuis durationem ex illis esse distinctam reipsa, & non idem cum existentia Petri. Minor etiam patet, quia existentia Petri non distinguitur reipsa ab eius essentia, sed eadem est essentia Petri hodie, & cras, ergo eadem est existentia: maiorem autem sic probo, Petrus potuit habere durationem, qua hodie durat, & non habere durationem qua durat cras, potuit enim hodie conseruari, & cras annihilari à Deo, ergo duratio qua hodie, durat potuit reipsa separari à duratione, qua durat cras, sed res non potest reuera separari à se ipsa, ergo duratio, qua hodie Petrus durat, non est eadem, sed distincta reipsa à duratione, qua durat cras.

Dicat autem quispiam: durationē, qua hodie Petrus durat, duo essentialiter includere, in recto existentiam Petri, & in obliquo tempus hodiernum; durationē verò, qua Petrus cras etiam durat, duo essentialiter includere, in recto eamdēmet Petri existentiam, in obliquo tēpus crastinum: vnde duratio, qua hodie Petrus durat, & duratio, qua cras durat ipse Petrus, non distinguuntur, nec separantur inter se secundū id, quod dicunt præcisè in recto, cum semper maneat eadē existentia Petri, distinguuntur verò inter se, ac separantur reipsa tales Petri durationes secundum id, quod dicunt in obliquo, cum reipsa tempus hodiernum à crastino distinguatur, ex quo solum fit durationem Petri, non quidem secundum id, quod dicit in recto, sed solum secundum tempus connotatum in obliquo reipsa ab existentia distingui. 14

Sed contra: duratio, qua hodie Petrus durat, & duratio, qua cras durat ipse Petrus, distinguuntur ratione alicuius entitatis, quam ipsæ durationes per se includant, vel in recto, vel in obliquo, vt data solutio admittit, sed non distinguuntur ratione alicuius entitatis, quam illæ durationes includant per se in obliquo, ergo distinguuntur tales durationes inter se ratione alicuius entitatis, quam ipsæ includant in recto, ergo quæuis duratio ex illis reipsa etiam in recto distinguitur ab existentia Petri, Minor ostenditur. Si duratio aliquid per se includeret in obliquo, maximè tempus reale vel imaginarium, vt aduersarij fatentur, sed duratio non includit per se, nec connotat in obliquo tempus reale, aut imaginarium, vt supra cap. 1. num. 3. & 4. apertè monstratum est, ergo duratio non includit per se, aut connotat aliquid in obliquo, ergo duratio, qua hodie Petrus durat, & duratio, qua cras durat ipse Perrus, non distinguuntur re reipsa, ratione alicuius entitatis, quam ipsæ per se includunt in obliquo. 15

Probatur tertio principaliter, vbicatio, qua Petrus est in hoc loco, est aliquid reipsa distinctum ab existentia Petri, & ab ipso loco, vt aduersarij concedunt, ideo quia Petrus potuit existere & non esse vbicatus in hoc loco, sed in alio, sed similiter Petrus potuit existere, & non esse durans in hoc tempore, sed in alio, vt per se constat, ergo duratio Petri in hoc tempore est aliquid reipsa distinctum ab existentia Petri, & ab hoc tempore. 16

Dicat quis Petrum constitui in hoc loco per verū motū localē ipsius Petri, quo producitur eius vbicatio in tali loco, cū autē per talē motū non producātur existētia Petri, nec ipse locus, colligitur illā Petri 17

vbicationē productam esse aliquid reipsa distinctū ab ipso loco, & ab existentia Petri; at Petrū non durare in hoc tēpore per motum ipsius, sed per defluxum tēporis, atq; ideo per suam existentiā sine duratione distincta posse existere, & durare in tali tēpore, sed contra, si per possibile aut impossibile res aliqua v.g. Petrus talē haberet naturam vt licet à principio, quo crearetur à Deo, possit in'quouis loco cōstitui, hoc, vel illo, tamen ex suppositione quod poneretur in vno loco, non possit vlla ratione moueri ad alium. in hoc casu, vbicatio, qua Petrus existeret in hoc loco, licet non posset esse per motum localem acquisita, esset aliquid reipsa distinctum ab existentia Petri, & ab ipso loco, non alia ratione, nisi quia absolutè potuit existere Petrus & non esse in alio loco, sed etiam absolutè potuit existere Petrus, & non esse in hoc tempore, ergo licet talis duratio Petri in hoc tempore non sit per motum Petri acquisita, erit aliquid distinctum te ipsa ab existentia Petri, & à tali tempore.

18 Hinc infero etiam durationem rei successiuæ, scilicet motus, esse reipsa distinctam ab existentia motus. Probatur: hic motus qui durat in hoc tempore, potuit existere absolutè, & existere etiam absolutè hoc tempus, & tamen non durare talis motus in hoc tempore, sed tantùm in alio, potuit enim volente Deo eumdem motum, qui in hoc tempore fit, in alio tempore fieri, & non in isto, quod sufficeret, vt absolutè existeret motus, & non duraret in hoc tempore, ergo duratio rei successiuæ scilicet motus reipsa distinguitur ab existentia ipsius.

CAPVT III.

Obiectiones diluuntur.

19 OBiectio prima, quia ex eo præcise, quod concipimus duo alba simul existentia secluso quouis alio, concipimus illa esse similia, ideo similitudo non est aliquid reipsa distinctum ab illis albis simul existentibus vt in Logica disput. 17. cap. 3. dictum est, sed ex eo præcise, quod concipiamus Petrum existere in hoc tempore, concipimus Petrum durare, secluso quouis alio, ergo duratio non est aliquid reipsa distinctum ab existentia Petri, & ab ipso tempore. Respondeo eo ipso, quod concipiamus Petrum existere in hoc tempore, concipimus Petrum durare, sed ibi necessario imbibitur, & concipitur modus distinctus durationis, cuius effectus formalis est reddere Petrum existentem in tali tempore, atque ita semper duratio est distincta ab existentia Petri, quæ non dat illi esse existentem in hoc tempore, sed esse existentem absolutè. Ex eo autem quod concipimus duo alba simul existentia non imbibitur, aut concipitur necessario modus distinctus similitudinis, quia eius effectus formalis non est reddere alba simul existentia sed reddere illa similia, vnde si ex eo præcise quod illa alba concipiantur, vt simul existentia concipiuntur vt similia, bene sequitur similitudinem non distingui ab illis albis simul existentibus.

20 Obiectio secunda: res, quæ perseuerat, & persistit in suo esse, durat, sed Petrus per suam existentiam præciso illo modo distincto durationis persistit verè in suo esse, ergo per suam existentiam præciso quouis modo distincto durationis verè durat. Minor probatur, Petrū perseuerare, & persistere in suo esse, est in secundo instanti existere, sed Petrus in secundo instanti existit per suam existentiam præciso modo distincto durationis, ergo Petrus per suā existentiam persistit in suo esse præciso modo distincto durationis. Probatur minor, in secūdo instāti Petrus vt existens est prior modo distincto durationis; quia vt existēs est causa illius, sed in tali secundo instanti Petrus pro illo priori non existit per modum distinctum durationis, siquidem pro eo priori est ab illo modo præcisus, ergo in secundo instāti Petrus pro illo priori existit per suam existentiam ac per consequens, per illam persistit. Respondeo, Petrum existentem vt præcisum pro illo priori à modo distincto durationis vere existere absolutè per suam propriam existentiam non vero existere in secundo instanti, hoc enim solum aduenit formaliter illi per modum illum distinctum durationis, à quo tunc præscinditur, sicut idem Petrus existens vt prior & præcisus à modo distincto vbicationis absolutè per suam existentiam existit, non vero existit in loco, hoc enim aduenit illi per modum distinctum Vbicationis, à quo tunc est præcisus ac proinde Petrus non per suam existentiam sed per modum dictum durationis in suo esse persistit ac durat.

Obiectio tertia, si duratio Petri v.g. esset multiplex, & distincta ab eius existentia, maximè quia 21
Petrus per eandem simplicem entitatem ac durationem non potest coexistere diuersis partibus temporis decurrentis, sed Petrus per eamdem simplicem durationem potest coexistere diuersis partibus temporis decurrentis, ergo duratio Petri non est multiplex, ac diuersa ab eius existentia: minor probatur, arbor in medio fluminis insita, per eamdem simpliecm vbicationem coexistit diuersis partibus aquæ iuxta illam defluentibus, ergo similiter Petrus per eamdem simplicem durationem coexistit diuersis partibus temporis decurrentis. Resp. rem aliquam per eamdem simplicem vbicationem aut durationem posse coexistere diuersis partibus, quæ inter se similes vbicationes, siue durationes habeāt, illis verò non posse per eamdem simplicem vbicationem aut durationem coexistere, si habeant inter se diuersas vbicationes aut durationes, vnde cum omnes partes aquæ, quando iuxta arborem illam decurrunt, habeant omnino similes vbicationes, habent enim eamdem distantiam localem ab aliquo puncto fixo, v.g. à cælo empyreo, ex qua distantia vel indistantia locali vbicatio sumitur, ideo arbor illa in medio fluminis insita per eamdem vbicationem omnibus illis partibus aquæ iuxta illam decurrentis coexistit. Cum verò partes temporis defluentis non habeant similes durationes, sed diuersas inter se, non enim habent eamdem, sed diuersam distantiam temporalem ab aliquo puncto fixo, v.g. ab exordio mundi; nam pars prior est minus distans ab illo, quam pars posterior, & hæc magis distans quam illa vt per se constat, ideo Petrus non potest per eamdem durationem, sed per diuersam coexistere diuersis partibus temporis defluentis, ac proinde duratio Petri est multiplex ac distincta ab ipsius existentia quæ est vna, & eadem.

Obiectio quarta, Petrus per suam existentiam 22
coexisteret successiue illis modis durationis, qui ei successiue aduenirent; ergo etiam per suam existentiam successiue coexisteret diuersis partibus temporis successiue defluentibus, ergo illi modi distincti durationis non sunt necessarij. Antecedens sic probatur, Petrus verè coexisteret illis modis durationis ei successiue aduenientibus sed non coexisteret illis per alios modos durationis intermedios ac distinctos, nam de his idem argumentum facerem, scilicet an Petrus eis coexisteret per alios modos, & ita daretur processus in infinitum, nec etiam coexisteret Petrus illis modis durationis per ipsosmet modos, nam coexistentia est relatio realis, atque ita debet esse ad aliud, id est, ad terminum distinctum realiter

iuxta

iuxta dicta in Logica disput. 17. cap. 2. num. 19. & 20. ergo Petrus illis modis durationis coexisteret per se ipsum, scilicet per suam existentiam licet ei non simul, sed successiue aduenirent. Resp. Petrum per ipsasmet durationes formaliter coexistere eisdem durationibus ei successiue aduenientibus; illis (inquam) coexistere tanquam viæ, & vt *quo*, tempori verò coexistere tanquam termino principali, & vt *quod*. Duratio verò ac coexistentia est relatio realis ad terminum principalem, cui res per illam coexistit vt *quod*, atque ideo talis duratio, ac coexistentia reipsa distinguitur ab illo termino, scilicet à tempore, eadem verò duratio & coexistentia non est relatio realis ad viam, cui tantum res per illam coexistit vt *quo*, sed est ipsamet via, cui res v.g. Petrus vt *quo* per ipsammet durationem coexistit, sicut res coexistit localiter vbicationi per ipsammet vbicationem, & agens causat actionem per ipsammet actionem absque eo, quod vbicatio sit relatio realis ad ipsam vbicationem, sed solum ad terminum, scilicet, ad locum, nec actio sit ordo realis ad ipsam actionem & viam, sed solum ad terminum, videlicet ad effectum, ac proinde Petrus per suam existentiam formaliter illis modis durationis successiue non coexistit.

23 Obiectio quinta, ex eo præcise, quod res perseueret in suo esse, verè durat sed ex eo præcise quòd Petrus connotet conseruationem sui perseuerat in suo esse, ergo ex eo præcise, quod Petrus connotet actionem conseruatiuam sui verè durat, ac proinde duratio Petri non est modus alius distinctus ab ipso Petro. Resp. actionem productiuam Petri fieri conseruatiuam idem esse, ac talem actionem perseuerare, quod habet actio formaliter per modum aliquem durationis distinctum ei aduenientem, vnde sicut actio productiua Petri fit conseruatiua, hoc est perseuerans per modum durationis distinctum, ita ipse Petrus per eam actionem productus perseuerat in suo esse per alium durationis modum distinctum ac superadditum.

24 Sed vrgeat, actio productiua Petri ideo durat, & perseuerat per modum durationis distinctum, quia non habet nouum aliquod cõnotatum ratione cuius possit perseuerare, ac durare; sed Petrus habet nouum aliquod connotatum, ratione cuius possit perseuerare, ac durare, connotat enim de nouo modum illum durationis, qua actio sui dicitur conseruatiua, ergo Petrus per se ipsum cum illo nouo connotato, sine alio modo distincto durationis perseuerat, & durat. Confirmatur, vt res habeat nouam aliquam denominationem intrinsecam per se ipsam sufficit quod de nouo connotet aliquid extrinsecũ, hoc enim album intrinsecè per seipsum denominatur de nouo simile alteri ex eo præcise, quod de nouo connotet aliud album vt existens; sed Petrus de nouo connotat aliquid extrinsecum scilicet actionem sui vt conseruatiuam seu durationem talis actionis, ergo sufficit hoc, vt Petrus per se ipsum intrinsecè denominetur durans.

25 Respondeo, Petrum non posse durare per solam connotationem suæ actionis, vt conseruatiuæ, nam Petrus de facto durat non solum vt est entitas realis creata, sed etiam durat, vt est entitas realis præcisa à differentia creati, vt sic enim etiam concipitur esse in tempore, & apta alteri coexistere, quod est formaliter durare, & tamen Petrus vt est entitas præcisa à differentia creaturæ non connotat actionem sui conseruatiuam vt constat, ac proinde Petrus non durat per connotationem suæ actionis, vt conseruatiuæ, sed per proprium modum durationis à se distinctum, vnde non semper sufficit nouum connotatum ad nouam denominationem intrinsecam, cum diuersa ratio militet, vt constat ex dictis.

Verum instet, durare in secundo instanti Petrum in ratione entitatis creatæ connotat necessario conseruationẽ, ergo sufficit, quod de nouo connotetur, & ponatur talis conseruatio, vt entitas creata Petri per se ipsam intrinsece denominetur durans in tali instanti, sicut quia Petrum esse similem Ioanni connotat ipsum Ioannẽ tanquã terminũ, sufficit, quod ponatur talis terminus vt Petrus per seipsum sit similis illi. Resp. vt resultet in re noua denominatio intrinseca ex positione tantũ extrinseci connotati, requiri, quod talis denominatio pendeat ab illo non tantum communiter in ratione creatæ, sed specialiter in ratione denominationis, alias omnis denominatio posset refundi in nouum connotatum decreti Dei, similitudo ergo non modo in ratione similitudinis creatæ, sed etiã in ratione similitudinis pendet à termino, & ideo resultat solum ex positione termini, duratio vero Petri solum in ratione creatæ pendet à conseruatione Petri, & ideo non resultat ex præcisa positione illius sine alio modo distincto durationis existente in ipso Petro. 26

Obiectio sextò, Deus verè durat & coexistit rebus successiuis sicut Petrus, & tamen Deus durat & coexistit rebus successiuis per suammet existentiam sine modo durationis distincto, ergo Petrus etiã durat & coexistit rebus successiuis per suam tantum existentiam sine modo durationis à se distincto. Resp. duplex esse discrimen inter durationem Dei, & durationem creaturæ, v. g. Petri; primum, quia Deus ita durat in hoc instanti, vt non potuerit Deus existere, & non durare in illo, & ideo duratio Dei in tali instanti ab ipsius Dei existentia nõ distinguitur. Petrus vero ita durat in hoc instanti vt potuerit existere & non durare in illo, vt supra ostendi, & ideo Petri duratio in hoc instanti reipsa ab ipsius existentia dissidet. Secundum, quia duratio, qua Deus hodie durat, & duratio, qua ipse Deus durat cras, nõ est duplex duratio, vna ab alia distincta, sed vna duratio indiuisibilis simplicissima ac tota simul in quouis instanti, in quo Deus existit, & ideo talis duratio non distinguitur ab ipsa Dei existentia, at duratio qua Petrus hodie durat, & duratio, qua ipse Petrus cras durat sunt duæ durationes reipsa inter se distinctæ, vt supra monstraui, atque ita cum existentia Petri sit semper vna & eadem, talis duratio distinguitur à parte rei ab eius existentia. 27

Hoc autem potest apprimè explicari exemplo immensitatis diuinæ, & vbicationis creatæ. nam primo quia Deus ita per suam immensam vbicationem est in hoc loco, vt non potuerit Deus existere, & non esse in illo, ideo talis immensa vbicatio non distinguitur ab existentia Dei, quia vero creatura potuit existere, & non esse vbicata in hoc loco, ideo hæc vbicatio creata distinguitur re ipsa ab existentia creaturæ. Secundo, Deus simul habet in se indiuisibiliter totam suam infinitam ac immensam vbicationem, qua est aptus existere, & vbicari in omnibus locis, atque ita Deus per eamdem indiuisibilẽ entitatem infinitam diuersis ac omnibus locis coexitit, & ideo talis coexistentia ac infinita vbicatio non distinguitur ab entitate & existentia infinita Dei, creatura vero existens Vallisoleti tantum habet vbicationem, qua sit apta ibi existere, non vero habet vbicationem, qua sit apta existere Romæ. atque ita creatura non coexistit localiter diuersis locis per vnam simplicem vbicationem, sed per diuersas, & ideo talis vbicatio multiplex distinguitur ab eius existentia quæ est vna, & eadem: sic ergo Deus habet simul indiuisibiliter totam suam infinitam, ac æternam durationem, qua ipse est proximè aptus omnibus rebus temporaliter coexistere, atque ita per eam- 28

dem entitatem indiuisibilem infinitam durat, & coexistit Deus diuersis ac omnibus partibus temporis defluētis, & ideo talis æterna duratio ab ipsa Dei entitate ac existentia non dissidet, at Petrus in instanti hodierno habet durationem, qua hodie durat, non verò habet durationem qua durat cras, vt supra probatum est, atque ita Petrus non durat tempore hodierno, & crastino, nec coexistit illis per eamdem indiuisibilem, ac simultaneam durationem, sed per diuersas ei succesiue aduenientes, & ideo talis duratio à Petri existentia quæ est vna & eadem reipsa distinguitur.

29 Sed insurgat quis. Deum coexistere instanti hodierno non est idem, ac Deum coexistere instanti crastino, & tamen duratio diuina, qua Deus hodie, & cras durat non distinguitur à Dei existentia, ergo licet Petrum existere hodie & Petrum existere cras, non sit idem, duratio, qua Petrus hodie & cras existit, & durat, non distinguetur ab existentia Petri. Resp. Deum coexistere instanti hodierno, includere durationem Dei, & durationem instantis hodierni, licet ergo Deum coexistere instāti hodierno, & coexistere instanti crastino, vt dicit durationes instantium, non sint idē, sed diuersa; tamen vt præcisè dicit durationem Dei, est omnino idem, eadem nimirum indiuisibilis, ac simultanea duratio, & ideo talis duratio non distinguitur ab existentia Dei. At verò Petrum existere hodie, & existere cras, seu (quod idem est) Petrum coexistere instanti hodierno, & coexistere instanti crastino, etiam vt præcisè dicit durationem Petri, non est idem, hoc est, eadem duratio, sed diuersæ durationes vt ostendi num. 13. & ideo talis duratio distinguitur ab existentia Petri, quæ est omnino eadē.

30 Sed aduersus nostrā assertionem positam cap. 2. num. 9. noua quædam non mediocris emergit difficultas, quā nobiles recentiores inuenerunt, sic autem proponi potest; negatio lucis, v.g. eo modo, quo verè negatiue est absq; fictione intellectus, etiā negatiue verè durat, etenim nocte durant tenebræ, quæ sunt negatio, aut priuatio lucis; sed talis negatio non durat per modum durationis à se distinctum; ergo durat per se ipsam, si ergo hæc duratio negatiua negationis ab ipsa negatione non distinguitur, nulla est ratio qua probetur durationem passiuam distingui ab existentia rei quæ durat, cum in duratione illa negationis lucis possint omnes rationes instari. Minor autem sic ostenditur, negatio lucis non durat per modum distinctum durationis positiuum, vt per se constat, quia positiuum non potest afficere negationem; nec durat etiam per modum distinctum negatiuum, cum non possit talis modus negatiuus explicari; ergo negatio lucis non durat per modum durationis à se distinctum: Resp. negationem lucis durare per carentiam, aut negationem illius durationis positiuæ distinctæ à luce, per quam durare poterat ipsa lux; cum autem hæc negatio distinctionis lucis sit distincta ab alia negatione existentiæ lucis, sicut & ipsa lux existens ab eius duratione distinguitur, ideo negatio lucis durat per durationem negatiuam à se distinctam.

31 Objiciant autem; si negatio lucis haberet durationem à se distinctam haberet durationē diuisibilem, & succesiuam, sicut & ipsa lux vt dicam cap. 4. sed negatio lucis non durat per durationem succesiuam; ergo non durat per durationem à se distinctā: minor probatur, id succesiue durat, quod nō potest ab æterno durare, vt ostendam disp. 30. cap. 2. à n. 10. sed negatio lucis durat ab æterno, nā cum ipsa lux non possit esse, ac durare ab æterno vt dicam ibidem num. 11. sequitur necessario, quod ipsum non esse, ac negatio lucis sint ab æterno, ergo negatio lucis non durat succesiuè, ac proinde non habet durationem diuisibilem, & succesiuam. Respondeo, quod durat succesiue, & diuisibiliter in tempore, non posse ab æterno durare, si durare deberet per durationem etiam distinctam, succesiuam, & diuisibilem; posse verò ab æterno durare, si durare deberet tunc per durationem aliam indistinctam à seipsa, & indiuisibilem; negatio ergo lucis in tempore durat per durationem à se distinctam, succesiuam, & diuisibilem, quia contingenter durat in quouis tempore determinato, potuit etiam esse, & non durare negatiue in illo; ipsa vero negatio ab æterno debet durare per durationem indiuisibilem, & indistinctam id est per seipsam, quia cum lux non possit esse ab æterno; negatio ipsa lucis non contingenter, sed necessario ab æterno durat; sicut quia Deus necessariò durat in omni tempore, durat in illo per durationem à se indistinctam; ac proinde licet negatio lucis durat succesiue, & diuisibiliter in tempore, durat ab æterno negatiue, sicut Deus positiue per durationem indiuisibilem à se indistnctā.

Sed insurgant; eadem negatio lucis est hodie quæ 32
fuit ab æterno, nam eiusdem formæ semper est eadem negatio; & tamen hodie non est duratio illa æterna seu ab æterno, quia hodie ab æterno non durat; ergo duratio illa ab æterno distincta est ab ipsa negatione, ac proinde negatio lucis non durauit ab æterno per seipsam; Respondeo cum in nostra sententia duratio re vera non connotet necessariò aliquid extrinsecum, sed sit omnino absoluta vt ostendi cap. 1. aliquid durare, non est aliud quam habere in se formam durationis, & ab æterno durare tantum est habere in se formam durationis ab æterno; negatio autem lucis etiam hodie habet in se formam durationis ab æterno, scilicet seipsam, per quam ab æterno durauit vt monstratum est; & ideo talis negatio lucis etiam hodie ab æterno durat; quod nullum est inconueniens, cum Deus ob eamdem rationem etiam hodie ab æterno duret.

Verum vrgeant; etiam nunc habet negatio lucis 33
omnes suas durationes negatiuas, quas habere potest in æternū, quia habet carentias omnium durationum, quas lux per totam æternitatem potest habere, quæ quidem negationes, seu carentiæ durationum lucis sunt negatiuæ durationes negationis ipsius lucis, ergo si durare est præcisè habere formam durationis, cùm nunc habeat negatio lucis omnem formam negatiuā durationis in æternū, nunc etiam negatio ipsa durat in æternū, quod est apertè falsū, cùm possit postea esse lux, & durare in æternum, ac proinde negatio ipsius lucis in æternū non durare. Resp. durationē, per quā durat eo modo, quo est negatio lucis esse carentiā durationis lucis, non quidē negatiuam sed quasi priuatiuā, id est, carentiam durationis possibilis absolutè pro illo tunc, pro quo negatio illa durat, cùm autē pro hoc nunc, pro quo durat negatio lucis, non sint possibiles omnes durationes quas lux in æternū habere potest, istæ enim sunt priores & posteriores, & ita nō possunt esse pro eodem instanti, sed tantùm sit possibilis quædā determinata duratio, qua lux nūc durare poterat, ideo negatio lucis nunc non habet carentias priuatiuas omnium durationum, quas lux in æternum habere potest, sed tantùm carentiam priuatiuam cuiusdam determinatæ durationis qua nunc lux durare posset; ac proinde negatio lucis nunc non habet omnes suas durationes, quas habere potest in æternum, sed tantùm durationem quamdam huius instantis, & idcirco talis negatio nunc non durat in æternum, sed tantùm in hoc instanti.

Demum

Demum opponant ; id quod durat per durationem à se distinctam, licet nullum esset tempus extrinsecum nec reale, nec imaginarium, magis, ac magis durare posset successiuè ; sed si nullum esset tempus extrinsecum, reale, nec imaginatum, negatio lucis non potest concipi, qua ratione magis, ac magis posset durare successiuè ; ergo negatio lucis non durat per durationem à se distinctam; Respondeo etiam si nullum detur tempus extrinsecum reale, nec imaginarium negationem lucis posse magis, ac magis durare successiuè, ac primùm posset durare magis, ac magis, quia negationem illam durare est habere priuationem, seu carentiam alicuius durationis, quam lux non habet per totam æternitatem ; posset etiam in prædicto casu negatio lucis habere priuationes & carentias pluriũ ac plurium durationum, quas lux non haberet per totam æternitatem, atque ideo posset negatio lucis magis, ac magis durare ; Deinde posset etiam durare successiuè, quia durationes per quas duraret talis negatio lucis, essent solum carentiæ priuatiuæ durationum lucis, vt priuatiuæ formaliter ; istæ autem carentiæ priuatiuæ vt sic formaliter non essent simul, sed successiuè vna post aliam ; quia vt carentiæ priuatiuæ durationum lucis connotant necessariò vt possibiles ipsas durationes lucis, ipsæ autem durationes lucis etiam in eo casu, cum essent priores, & posteriores, non essent possibiles esse simul, sed successiuè vna post aliam ; atque ita ipsæ carentiæ harum durationum priuatiuæ vt sic formaliter non essent simul, sed successiuè vna post aliam ; ac proinde durationes per quas durat negatio lucis, essent successiuè vna post aliam, & eapropter negatio illa duraret successiuè, his argumentis illustrata magis manet nostra assertio. 34

CAPVT IV.

An duratio sit reipsa diuisibilis, & successiua.

DVrationem Dei esse reipsa indiuisibilem, ac totam simul, non est qui ambigat, licet per connotationem ad diuersa tempora, quibus coexistit, æquiualenter, ac virtualiter diuisibilis appelletur. Solum ergo de duratione creata quærimus, an re ipsa successiua ac diuisibilis sit, an vero indiuisibilis ac tota simul in recto ? Communis sententia asserit durationem rei permanentis, v.g. Angeli, vel Petri non esse diuisibilem, & successiuam, sed permanentem reipsa & indiuisibilem. Ita Suarez dicta disp. 50. sect. . à num. 8. Molina 1. p. qu. 10. artic. 5. disput. . Vasquez ibidem disput. 11. cap. 3. Valentia etiam ibi disput. 1. punct. 3. & alij, quos ipsi citant. 35

Assertio sit. Duratio creata cuiuslibet rei etiam permanentis, ac indiuiduæ est reipsa diuisibilis & successiua. Ita expresse docet D Bonauentura vbi supra, Hurtado disput. 17. met. sect. 4. cum multis. Arriaga disput. 15. physic. sect. 1. Carleton supra Plaça 4. physic. disp. 3. quæst. 7. & communiter recentiores cap. 3. num. 9. citati. Et idem tenentur asserere auctores omnes, qui illum in distinctione, durationis ab existentia sequuntur, quos ibi retulimus. Hæc autem assertio Patrum auctoritate munitur, nam Boetius libro 1. de Trinit. cap. 9. inquit : *tantum diuinum nunc perseuerat, nam nostrum semper fluit.* D. etiam Ansel. cum Deo loquens in Prosologio cap. 20. dicit : *an hoc quoque modo transis omnia etiam æterna, quia tua & illorum æternitas tota tibi præsens est, cum illa nondum habeant de sua æternitate, quod venturum est, sicut iam non habent, quod præteritum est.* Ecce D. Anselmus expresse distinxit inter durationem Dei æternam, & durationem creaturæ, quod illa sit semper præsens Deo, tota simul permanens, ac indiuidua, hæc vero sit diuisibilis, & successiua habens præteritum, & futurum, idem etiam docet D. Augustinus lib. de vera & falsa religione cap. 49. ad finem, vbi sic ait, *nihil autem in æterno præteritum & nihil futurum est, quia quod præteriit esse desiit, & quod futurum est, nondum esse cœpit, æternitas autem tantummodo est, & deinde quasi inferendo subnectit, sola ipsa humanæ menti dicere possit verissimè*, ego sum qui sum, *& de illo verissimè dici potuit, qui est, misit me ad vos.* asserit ergo Augustinus soli durationi increatæ, scilicet Dei æternitati competere esse totam simul, semper præsentem ac indiuiduam, ac proinde durationem creatam non esse semper præsentem ac totam simul, sed successiue, & diuisibilitatem habere ; non quidem, præcise ex parte temporis in obliquo connotati, hæc enim diuisibilitas, & successio etiam datur in æternitate, quæ connotat in obliquo tempus fluidum, igitur ex mente Sanctorum duratio creata est fluida & diuisibilis etiam in recto. 36

Probatur ratione, si duratio non esset diuisibilis, & successiua. sed tota simul permanens, ac indiuidua, Angelus hodie durans, cras etiã & in æternum duraret, sed Angelus hodie durans cras etiam & in æternũ non durat, ergo duratio Angeli non est permanens, ac tota simul, sed diuisibilis, & successiua. Consequentia est euidens, maior probatur, duratio vt talis formaliter est entitas absoluta, non connotans per se & necessario in obliquo tempus hodiernum vel crastinum reale, aut imaginarium, vt supra num. 3. & 4. monstratum est. ergo si Angelus hodie durans haberet simul formam absolutam qua cras & in æternum durabit, Angelus hodie durans, cras, & in æternum duraret, atqui si tota Angeli duratio esset simul permanens, & indiuidua, Angelus hodie durãs haberet formam, qua durabit cras & in æternum, vt per se constat, ergo si duratio Angeli esset tota simul, ac indiuidua, Angelus hodie durans cras etiam & in æternum duraret : minor etiam primi syllogismi sic probatur, Angelus hodie durans potest cras, imo in instanti sequenti á Deo annihilari, hoc enim est de ratione creaturæ ob eius limitationem, & infinitum dominium Dei, ergo Angelus hodie durans potest cras & in instanti sequenti non durare, idẽ enim est cras non durare Angelum, ac cras à Deo annihilari, sed si Angelus hodie durans cras etiam, & in æternum duraret, non posset cras & in æternum, imo & in instanti sequenti non durare, nam durare cras, & non durare cras sunt contradictoria, ergo Angelus hodie durans potest cras, & in æternum, imo & in instanti sequenti non durare. Hac etiam ratione conuincitur Angelum etiam per duo tantum instantia non posse per eandem durationem indiuisibilem, ac totam simul durare, alias Angelus durans in primo instanti non posset à Deo annihilari, & non durare in secundo, vt patet ex dictis, quod est contra rationem creaturæ, & infinitum dominium Dei. 37

Objiciat aliquis primo D. Augustinum lib. 12. de ciuitate Dei cap. 15. circa finem, vbi ait Angeli immortalitatem non esse præteritam, nec futuram, sed totam simul in Angelo, atqui immortalitas Angeli est eius duratio, ergo duratio Angeli non habet præteritum, nec futurum, sed est tota simul, ac proinde non est diuisibilis, & successiua, sed permanens, ac indiuisibilis. Respondeo D. Augustinum 38

dum dicit Angeli immortalitatem non esse successiuam, sed totam simul, nomine immortalitatis non intelligere durationem Angeli, nam soli æternitati Dei Augustinus prædictam indiuisibilitatẽ & simultatem attribuit, vt supra vidimus, sed intelligere solum ipsam naturam Angelicam esse naturaliter indefectibilem, quæ est tota simul indiuisibiliter, & nec futurum, nec præteritum includit.

39 Objiciat secundo: duratio Angeli debet esse proportionata ipsi Angelo, cuius est passio, sed substantia Angeli est permanens, & indiuisibilis, ergo etiam eius duratio debet esse indiuisibilis. & permanens, & non successiua, & diuisibilis. Respondeo durationem Angeli esse cum illo aliqua ratione proportionatam, non vero in omnibus commensuratam illi, nam Angelus est substantia & duratio est accidens. Angelus est entitas realis & duratio est entitas modalis, vnde talis Angeli duratio non est indiuisibilis & permanens sicut Angelus, sed diuisibilis & successiua; est vero spiritualis, sicut ipse Angelus, & eapropter cum illo proportionatur.

Objiciat tertio: Duratio Angeli non est tempus,
40 sed si duratio Angeli esset diuisibilis, & successiua esset tempus, esset enim apta aliorum motus mensurare, inquo consistit ratio temporis, vt postea videbimus, ergo duratio Angeli non est successiua & diuisibilis, sed potius indiuisibilis, & permanens. Respondeo, eam tantum durationem successiuam esse tempus, quæ communiter ab hominibus assumitur ad aliarum rerum durationes mensurandas, duratio autem rei permanentis, qualis est Angelus, licet successiua sit, non assumitur communiter ad aliarum rerum durationes mensurandas, sed sola duratio rei successiuæ qualis est motus, hæc enim clarius à nobis percipitur, quam illa, & ideo duratio successiua rei permanentis, scilicet, Angeli, non est tempus.

41 Objiciat quarto: res creata per eamdem indiuisibilem vbicationem potest diuinitus esse in pluribus, imo & in omnibus locis, ergo res etiam creata poterit per eamdem simplicem ac indiuisibilem durationem esse in pluribus, imo & in omnibus instantibus temporis. Cõfirmatur, Angelus per eandem indiuisibilem durationem potest à parte ante per æternitatem durare, si enim ab æterno crearetur, quod non implicat iuxta communem sententiam, per æternitatem duraret eadem indiuisibili duratione, cum in æternitate non sit diuisibilitas, & successio, ergo poterit etiam Angelus eadem indiuisibili duratione per quatuor temporis instantia durare, nam plus est per æternitatem durare, quam per quatuor instantia temporis. Respondeo, licet res creata per eamdem indiuisibilem vbicationem esset in omnibus locis, posset in sequenti instanti annihilari à Deo, & ideo non implicat rem creatam esse in omnibus locis per eamdem indiuisibilem vbicationem, at si res creata duraret per omnia, aut plura instantia temporis eadem indiuisibili, & simultanea duratione Angelus modo existens non posset in sequenti instanti annihilari à Deo vt supra ostendi, quod est contra limitationem creaturæ, & infinitum dominium Dei supra illam, & ideo repugnat rem creatam eadem indiuisibi, & simultanea duratione per plura instantia durare. Ad confirmationem dico antecedenti gratis admisso æternitatem Dei à parte ante vsque ad primum, instans temporis determinatum esse omnino indiuisibilem, atque ita pro vno tantum instanti indiuisibili reputari, quod solet dici instans æternitatis. Vnde sicut non implicat rem creatam eadem indiuisibili duratione per vnum instans durare, quia inde non sequitur, quod res modo durans immediate post non possit à Deo annihilari; in vno enim instanti non est diuisibilitas & successio, ita non repugnat creaturã eadem duratione indiuisibili per æternitatem vsque ad primum instans durare, quia inde non sequitur, quod res modo durãs non possit immediatè post à Deo annihilari, nam in illo nunc æternitatis nulla successio, ac diuisibilitas inuenitur. At in quatuor instantibus temporis datur realis diuisibilitas ac successio, atque ita si Angelus eadem duratione indiuisibili, ac simultanea per illa quatuor instantia duraret, Angelus in primo instanti durans non posset immediatè post in secundo, annihilari vt iam explicatum est, & idcirco non potest res eadem duratione indiuisibili per quatuor temporis instantia durare.

Ex dictis infero primo: durationem esse modum 42
accidentalem, modum quidem, quia non potest esse extra rem, quæ durat, accidentalem quia aduenit substantiæ constitutæ iam in propria ratione ac essentia rei. Infero secundo actionem, qua duratio producitur (idem dico de quouis alio modo durationi affixo) durare non per durationem à se distinctam, sed per se ipsam, quia talis actio, ac productio durationis per se ipsam est essentialiter affixa huic tempori, cui est affixa ipsamet duratio, & ideo per se ipsam essentialiter sine modo alio distincto existit, ac durat in illo tempore, alias daretur processus durationum in infinitum, vt supra disput. 26. cap. 4. num. 34. in simili de vbicatione monstratum est. Infero tertio, quamlibet aliam rem, siue substantialem, siue accidentalem, siue perfectam, siue modalem habere propriam durationem à se distinctam ob eamdem rationem proportionaliter, qua supra dicta disput. 26. cap. 4. probauimus quamlibet rem habere propriam vbicationem distinctam. Infero quarto, durationem, cum sit passio rei durantis verosimilius esse fieri ab ipsa essentia rei, cuius est passio, vt supra disputatione 17. cap. 4. numero 33. de omni passione in genere probatum est.

CAPVT V.

Quid sit tempus, & quæ ipso mensurentur.

LOngissime Conimbricenses lib. 4. Physicor. 43
cap. 14 per tres quæstiones, Complutenses disputatione 21. physicor. agunt de tempore, breuius moderni, vt Petrus Hurtado disput. 15. Physicor. sect. 6. Arriaga disput. 15. Physic. sect. 3. Carleton disp. 37. physic. sect. 2. cum Suario disp. 40. met. per plures sect. & nos, quæ de motu desiderari possunt tradidimus tract. 3. disput. 23. videantur ibi.

Nonnulli Philosophi autumarũt tempus adæqua- 44
te, & formaliter non esse quid reale, sed per aliquod ens rationis in propria, & adæquata temporis ratione compleri. Ratio est, quia ens reale est illud, quod actu potest existere, sed tẽpus non potest actu existere, ergo tẽpus nõ est quid reale, sed ens rationis, minor probatur, tempus non est instans indiuisibile sed pars diuisibilis includens prius, ac posterius, sed pars diuisibilis vt includens prius ac posterius non potest actu existere, quia quod actu existit non est prius nec posterius, sed præsens ac totum simul, ergo tempus non potest actu existere. Hæc ratio grauiter vrget communis sententiæ sectatores qui continuum ex partibus semper diuisibilibus componunt.

componunt. Nos vero facile dicimus tempus non esse ens rationis, sed ens reale, quia tempus solum conflatur ex finitis instantibus indiuisibilibus sibi immediate, ac vicissim succedentibus vt supra præcedenti disput. monstrauimus, sed à parte rei absque intellectus fictione actu existunt finita instantia indiuisibilia temporis sibi immediate & vicissim succedentia; ergo à parte rei ante intellectus fictionem existit tempus, atque ita est ens reale, & non rationis.

45 Hoc autem tempus iuxta Aristotelem hic c. 11. text. 10. *est numerus motus secundum prius & posterius* hoc est, est quædam mensura apta ad metiendam extensionem successiuam durationis cuiusque rei, maximè successiuæ scilicet motus, sicut enim licèt quantitas panni in se absoluta sit, quia tamen illam in se ipsa non penetramus, nec certo eius extensionem cognoscimus, vtimur vlna lignea ad talem eius extensionem mensurandam, & cognoscendam, ita similiter, licèt duratio cuiusque rei sit in se ipsa absoluta, quia tamen illam in se ipsa non certo cognoscimus, ideo vtimur aliqua mensura extrinseca ad successiuas aliarum rerum durationes mensurandas, & cognoscendas, quæ quidem mensura extrinseca tempus appellatur.

46 Sed obserua tempus duo essentialiter includere. Primò enim includit rem aliquam extensam, & successiuam, quæ apta sit, vt ad aliorum durationes mensurandas assumatur, qualis est quilibet motus successiuus, maximè motus primi mobilis, qui cum sit magis notus, velox, vniformis ac regularis, aptior est, vt assumatur per mensuram durationis aliarum rerum. Secundò, includit intrinsecam ac moralem hominum deputationem, qua communiter talis res successiua pro aliarum mensura assumitur, hoc autem propter rationes præfatas solum competit motui primi mobilis, qui tantum est communiter deputatus ad aliarum rerum durationes successiuas mensurandas, & idcirco solus motus primi mobilis absolutè & simpliciter est tempus quod in varias partes, scilicet in annos, menses, dies, noctes, horas & instantia dissecamus.

47 Verum adnotare oportet tempus non esse solum motum præcisum ab eius duratione nec solam durationem successiuam præcisam à motu, sed motum simul ac eius durationem, motum quidem, vt *quod* & eius durationem vt *quo*. Probatur, eo modo motus est tempus ac mensura aliorum motuum, quo quantitas vlnæ est mensura aliarum quantitatum, sed nec sola quantitas vlnæ præcisa ab eius extensione, nec sola eius extensio præcisa à quantitate, sed quantitas simul, ac extensio scilicet quantitas illa extensa est mensura aliarum quantitatum, quantitas quidem vt *quod*, & eius extensio vt *quo*; ergo nec solus motus præcisus à duratione, nec eius successiua duratio præcisa à motu, sed motus simul ac duratio, scilicet motus successiue durans est tempus, & mensura aliorum motuũ, motus scilicet vt *quod*, & eius duratio vt *quo*, duratio vero motus dicitur communiter tempus, non quia adæquate sit tempus, sed quia per illam vltimo & formaliter motus in ratione temporis atque mensuræ completur.

Hinc infero, hoc tempus quod nunc existit non 48
posse in alio tempore imaginario existere, nisi in hoc determinate, in quo est. Probatur, sicut hæc vbicatio est affixa essentialiter ad hoc spatium, ita vt non possit in alio loco aut spatio imaginario existere, ita hæc duratio est affixa essentialiter huic tempori, ita vt non possit in alio tempore imaginario existere, sed hoc tempus, quod de facto nunc existit, includit essentialiter hanc numero durationem, quæ nunc est, ergo hoc tempus, qnod nunc existit, non potest, nec potuit vnquam in alio tempore imaginario existere. Vnde hoc numero tempus quod non est, non potuit etiam diuinitus ante hoc nunc, nec etiam potest post hoc nunc iterum reproduci, quidquid dicat Suarez disput. 50. met. sect. 9. n. 14.

Sed quærat quis, quænam res tempore mensu- 49
rentur? Primò, æternitas Dei adæquatè & reipsa tempore mensurari non potest, tum quia ab æterno non potest esse tempus, vt infra ostendam, tum quia æternitas Dei est reipsa indiuisibilis, ac tota simul, non diuisibilis & successiua, quod necessarium erat, vt posset tempore mensurari, virtualiter tamen & æquiualenter talis æternitas Dei inadæquate saltem tempore mensurari non repugnat, cum virtualiter successiua, ac diuisibilis sit, vt docet Suarez dicta disp. 50. met. sect. 5. n. 12. Valentia 1. p. q. 10. art. 5. disp. 1. punct. 3. & alij. Secundò, duratio Angeli tẽpore mensurari potest, quia cum successiua sit, temporis successioni adaptatur, & ita possumus dicere Angelos tot annos durasse. Tertiò omnis duratio cuiusque rei materialis valet tempore mẽsurari ob eandem rationem, maximè cum corporea sit, & ipsi tempori proportionata.

Denique inquiri potest, quid sit tempus ima- 50
ginarium, & an Deus in illo existat? idem in hac re dicito seruata proportione, quod supra disp. 26. cap. 2. de spatio imaginario in simili dictum est. Sicut enim ibi diximus spatium imaginarium esse corpus extensum vt possibile, ita dicimus tempus imaginarium esse motum successiuum vt possibilem, & sicut tem esse in spatio imaginario non est aliud, quam actu habere vbicationẽ correspondẽtem illi vbicationi, quam habet corpus extensum in esse possibili, ita rem existere in tempore imaginario est solum habere actu durationem correspondentem illi durationi quam motus successiuus habet in esse possibili; cum ergo Deus non minus actu habeat durationem correspondentem durationi, quã habet motus successiuus in esse possibili, quã vbicationem correspondentem vbicationi, quam in esse possibili haber corpus extẽsum, ideo Deus non minus existit in tempore imaginario, quam in spatio imaginario.

Et hæc de Tractatu quarto, in librum quartum, & sextum Physicorum dicta sint satis.

TRACTATVS QVINTVS,

In librum ſeptimum Phyſicorum.

ARISTOTELES, in hoc libro de cauſa motus effectrice differit, motuſque comparat intrinſece, duo tamen præcipue docet. Primum eſt, mobile à ſe non moueri, ſed omne, quod mouetur, ab alio neceſſariò cieri; ex quo, ne detur proceſſus in infinitum, vnam primam omnium cauſam motricem Philoſophus deprehendit. Secundum eſt, agens debere neceſſariò appropinquari paſſo, vt in eo ſuam virtutem, & actiuitatem exerceat, & effectum aliquem operetur, quam Philoſophi doctrinam ſequenti diſputatione explanabimus.

DISPVTATIO XXIX.

An agens poßit in diſtans operari.

TRIA capita continebit. In primo inquiro, an agens in diſtans agere poſſit non agendo aliquid in medio. In ſecundo, an agens agendo aliquid in medio poſſit operari in diſtans? In tertio, Quædam quæſita expediuntur.

CAPVT I.

An agens in diſtans agere poſsit non agendo aliquid in medio.

1 OPinio aliquorum eſt agens poſſe naturaliter in paſſum à ſe diſtans operari, dummodo ſit intra certam ac determinatam ſphæram ſuæ actiuitatis, quæ iuxta cuiuſque agentis perfectionem penſanda eſt, poſſe (inquam) ſic agere in paſſum diſtans, etiam ſi in ſpatio intermedio non operetur. Ita Auicenna in ſuo lib. de anima ſect. 4. c. 4. adducens Hippocratem pro eadem ſententia Alexander Afrodiſæus c. met. Comment. 8. Scotus in 1. diſt. 37. q. vnica, Ocham, Gabriel, Baſolis, Macron & alij relati à Conimbr. hic cap. 2. q. 1. art. 2.

2 ASSERTIO tamen ſit, agens non poteſt vlla ratione agere in diſtans, ſi in ſpatio intermedio aliquid non operetur. Ita Ariſt. 7. phyſ. c. 2. D. Thom. ibidem lect. 2. & 3. 1. p. q. 8. art. 1. & 3. conta gent. c. 68. Caiet. ibidem, Ferrara 3. contra gent. cap. 68. Philoponus, Themiſtius, in ſua paraphraſi ſuper lib. 12. met. Capreolus in 1. diſt. 37. q. 1. art. 1. D. Bonau. ibidem in 1. p. diſt. art. 2. q. 1. Bañez, Zumel, Nazarius, Durand. in 1. diſt. 18. q. 1. Ægidius, Henricus, in ſumma art. 3. q. 5. Altiſiodorenſis lib. 1. ſummæ cap. 15. q. 1. ad 2. Molina 1. p. q. 8. art. 1. diſp. 2. Conimbr. lib. 7. phyſic. c. 2. q. 1. art. 2. Suarez diſp. 8. met. ſect. 8. n. 16. Rub. 7. phyſ. q. 1. n. 4. Hurt. diſput. 9. phyſ. ſect. 6. num. 70. Arriaga diſp. 5. phyſ. ſect. 6. n. 48. Carleton diſp. 36. phyſ. ſect. 2. & 3. Ouiedo controu. 18. phyſ. p. 1. n. 1. Murcia 2. phyſ. diſp. 4. q. 6. Plaça 2. phyſ. diſput. 1. quæſt. 7. Complutenſes diſput. 28. phyſic. quæſt. 3. & alij, Scotus vero licèt citari plerumque ſoleat pro contraria ſententia, videtur tamen quoad cauſas creatas expreſſe aſſerere non poſſe cauſas agere in diſtans, & ſic explicat Ariſt. loco ſupra allegato §. ad argumentum.

Probatur, agens naturale habet certam aliquam atque determinatam ſphæram diſtantiæ in agendo ita, vt in maiori diſtantia non poſſit operari, ſed ſi agens poſſit operari in diſtans non agendo aliquid in medio, nõ haberet aliquam determinatam ſphæram diſtantiæ in agendo, ſed in quauis diſtantia poſſet effectum operari; ergo non poteſt agens naturale operari in diſtans non agẽdo aliquid in medio. Minor probatur primò à ſimili, quia ſi intellectus poſſet cognoſcere obiectum diſtans non cognoſcendo aliquid in medio, non haberet determinatam ſphæram diſtantiæ in cognoſcendo, ſed in quauis diſtantia poteſt obiectum cognoſcere; ergo ſimiliter ſi agens naturale poteſt operari in diſtans non agendo aliquid in medio non habebit determinatam ſphæram diſtantiæ in operando, ſed in quauis diſtantia poterit operari: eadem minor probatur ſecundò à priori. Ideo agens habet determinatam ſphæram diſtantiæ in agendo, ita vt in maiori diſtantia non poſſit agere, quia eius virtus actiua in ſpatio intermedio impeditur, ac debilitatur, & ſi magna ſit diſtantia magnũque intercipiatur ſpatium tandem in illo conſumitur, atqui ſi agens poſſet operari in diſtans non agendo aliquid per medium, eius virtus actiua in intermedio ſpatio non impediretur, nec debilitaretur, cum nullam in illo actionem exerceret; ergo ſi agens poſſet operari in diſtans non agendo aliquid per medium, non haberet determinatam ſphæram diſtantiæ in agendo, ſed in quauis diſtantia poſſet operari. 3

Confirmatur principaliter. Sol corpore opaco interiecto non illuminat partes aëris poſt illud exiſtentes, illuminat vero illas, ſi ſolum interijciatur corpus diaphanũ, vt ipſa experientia docet. Sed hoc non alia ratione, niſi quia non illuminat corpus opacum intermedium, illuſtrat vero interceptũ corpus diaphanum, ergo Sol non poteſt agere ac illuminare partes aëris à ſe diſtantes, niſi agendo, & illuminando ſpatium intermedium. Dicat quis, virtutem illuminatiuam ſolis conſumi in vincenda reſiſtentia corporis opaci interiecti, & ideo non poſſe partes aëris poſt illud exiſtentes illuminare, non vero illam virtutem conſumi in illuminando corpus diaphanum, quod nullam habet reſiſtentiam, & ideo etiam illuſtrare reliquas partes aëris. Sed contra virtus agentis ſolum conſumitur in vincenda reſiſtentia poſitiua paſſi, id eſt, in expellenda forma contraria à ſubiecto capaci, tunc enim agit propriam formam in tali ſubiecto, vt formam aliam expellat, & ſic reſiſtentiam vincat, atque ita 4

eius

eius virtus debilitatur, non vero consumitur virtus agentis in vincenda tantum resistentia negatiua, hoc est, in capacitate subiecti, quia tunc nihil agit in subiecto, cum sit incapax, atque ita talis virtus non defatigatur, sed eadem perseuerat, atqui corpus opacum non habet resistentiam positiuam sed tantum negatiuam, hoc est, incapacitatem vt totum illuminetur, vt per se constat, ergo virtus illuminatiua solis non debilitatur, aut consumitur in vincenda resistentia corporis opaci, ergo poterit partes aëris post illud existentes illuminare.

Obijciat aliquis primò, fœminas vetulas fascinantes solo oculorum coniectu paruulos seu paruos pueros etiam in loco distanti existentes fascino lædere, vt referunt Arist. Plutarchus, Magister sententiarum, Albertus magnus & præcipue D. Thom. 1. part. quæst. 117. art. 3. ad 2. de hac re sic ait, *sic igitur cum anima aliqua fuerit vehementer commota ad malitiam sicut maximè in vetulabus contingit, efficitur aspectus eius venenosus, & noxius, maximè pueris qui habent corpus tenerum, & facile receptiuum impressionis, cui auctoritati consonat illud Poetæ, Nescio, quis, teneros oculis, mihi fascinat agnos.* Similiter experientia comprobatur, Piscem, qui torpedo vocatur, in brachium distans piscatoris, torpidinem inijcere, basiliscum etiam visu, homines distantes necare, magnetem attrahere ferrum, argentum viuum paleas eleuare & alia similia, ergo agens naturale potest in distans operari. 5

Respondeo, omnia illa effectus illos distantes operari non immediate per ipsorummet substantias, sed interuentu quarundam qualitatum malignarum existentium in oculo, aut alijs humoribus quas occulte per medium spatium mittunt, quæ quidem venenatæ qualitates & effectrices ad passa insensibiliter accedẽtes, in illis naturaliter illa mirabilia patrant, nec mirum, quod illæ qualitates malignæ aëri impressæ plus noceant infantibus qui ob maximam corporum teneritudinem facilius recipiunt quamlibet impressionem prædictarum qualitatum, quæ à nimia attentione, & vehementi imaginatione facile ad oculos perueniunt, & medijs illis spiritibus venenatis, aër proximus inficitur, & alteratio illa nocens causatur, seu fascinatio, vnde cum piscator torpedinem sentiens dimittit arundinem, statim torpedo cessat, signum ergo euidens est per arundinem à pisce eam fuisse qualitatem dimissam, quod docte, & erudite explicat Suarez disput. 18. metaph. sect. 5. à num. 24. & Conimbricenses, hic cap. 2. quæst. 1. art. 3. & sequentibus. 6

Obijciat secundò, experientia compertum est aquam in lebete existentem feruescere ab igne suppositio, fundum verò lebetis temperatum esse; ergo ignis ille suppositus illum feruorem, ac intensionem caloris in illa aqua producit absque eo, quod illũ producat in fũdo lebetis intermedio, alias fundus æque esset intense calidus, ac aqua feruens; ergo, agens potest operari in distans absq; eo, quod agat in medio. Resp. fundũ lebetis à principio æque vel magis calidum esse, quam aquam illi proximam, quia per intermedium fundum ignis suppositus aquam calefacit, cum verò postea partes imæ aquæ, quæ in fundo immediate erant, vi caloris tenuiores, & subtiliores fiant, sublime petunt, & cum aliunde partes supremæ illius aquæ, quæ nondum erant calefactæ, ratione frigoris, crassiores & grauiores sint, deorsum descendunt, ac fundo lebetis se approximant, & illud sua frigiditate temperant, atque ideo partes aquæ sursum existentes, suumque conseruantes calorem calidiores sint, quam fundum lebetis, vnde non fit ignem suppositum produxisse illum intensiorem calorem in aqua, & non per intermedium fundum lebetis, sed illum calorem in aqua produxisse prius alium æque vel magis intensum calorem in fundo lebetis producendo, qui postea per crassiores & frigidiores partes aquæ descendentes temperatus fuit. 7

Obijciat tertiò, phantasia existens in cerebro mouet & excitat distantẽ animalis appetitũ existentem in corde, & appetitus in corde existens mouet etiam potentiam motiuam, quæ existit in pede, & ab illo distat, ergo agens naturale potest operari in distans. Respondeo, phantasiam non mouere physice, sed tantum intentionaliter appetitum & non primariò, sed secundariò, quatenus mouet intentionaliter animam, cui appetitus, vt propria illius passio subiectus est, nam anima sic per phantasiam, ac apprehensionem mali, & boni intentionaliter mota vtitur appetitu, vt odium, seu appetitionem eliciat, atque ita ad hanc intentionalem motionem sufficit, quod phantasia sit immediate in anima, licèt sit distans ab appetitu, anima enim quæ mota à phantasia eo vtitur, semper est illi aliquo modo præsens. Similiter dico appetitum non physice & primario sed intentionaliter tantum, ac secundario mouere potentiam motiuam, quæ est in pede ad motum, quatenus animam immediate mouet, & allicit affectiue, vt talem motum efficiat media illa potentia motiua pedis, quæ ipsi animæ præsens, ac subiecta est, atque ita sufficit, quod ille appetitus sit præsens animæ, quam solum primario mouet, licèt sit distans à potentia motiua, quæ vt præsens & subiecta animæ, sequitur ductum illius: hoc solum est dictum in anima rationali, quæ indiuisibilis est, & tota in qualibet parte. Quid verò dicendum sit in anima materiali diuisibili, vbi magis argumentum vrget, dicam in lib. de anima. 8

Obijciat quartò, si hîc magnus ignis accendatur magis calefaciet passum sibi approximatum quam si tantum vltima superficies indiuisibilis illius ignis ibi adesset, ergo quando ignis accenditur, non solum calefacit passum vltima eius superficies, quæ est passo immediate approximata, sed etiam illud calefaciunt aliæ partes ignis posteriores, quæ sunt à passo distantes, cum inter illas & passum mediet vltima ignis superficies, & aliæ partes eiusdem ignis priores; atqui partes ignis posteriores non agunt aliquid in partibus prioribus, ac vltima superficie talis ignis, ergo ipsæ partes ignis posteriores calefaciunt, & agunt in passum distans absque eo, quod agant aliquid in medio. 9

Respondeo, ad hoc, vt agens naturale agat in passum non requiri, quod secundum omnes sui partes illi approximetur secundum aliquid sui, aliàs omnes partes agentis naturalis corporei deberent esse in eodem simul loco penetratæ, quod naturaliter repugnat, cum autem totus ille ignis accensus secundum aliquid sui sit immediate approximatus passo, ideo totus ille ignis passum calefacit, nec dicuntur partes posteriores ignis agere in passum distans non agendo aliquid per medium, nam partes priores illis non sunt medium inter agens, & passum cum ab ipso agente completo, scilicet à toto igne calefaciente non excludantur.

Infero primò, Deum non posse educere nec creare effectum à se distantem non agendo aliquid in medio, adeo, vt si Deus per impossibile non esset immensus, & esset omnipotens, vt modo est, & 10

non

non produceret aliquid per medium, non posset effectum à se distantem producere, est contra Vasquez tom. 1. in 1. part. disp. 28. cap. 4. & 5. Probatur, si Deus, ex data suppositione posset educere, seu creare effectum in aliqua distantia non agendo aliquid in medio, etiam posser creare aut educere illum in distantia infinita, cum sit agens infinitum. Sed implicat, etiam secluſa ratione immensitatis Deum producere effectum in distantia infinita, ergo etiam implicat Deum producere aliquem effectum in aliqua distantia non agendo aliquid per medium. Minor probatur, si non implicaret Deum agens increatum & infinitum agere effectum in infinita distantia nec etiam implicaret agens naturale ac finitum producere effectum in distantia finita, sicut quia non implicat agens infinitũ agere infinito modo effectum infinitum, non implicat etiam agens finitum agere finito modo effectum finitum, sed implicat agens naturale finitum agere effectum in distantia finita vt supra monstratum est à num. 2. ergo etiam implicat Deum agens infinitum agere, seu creare effectum in distantia infinita. Sed obserua quod ad hoc vt Deus creet aliquam effectum, non requiritur approximatio cum illo à priori, sed tantum à posteriori, quia prius natura est effectum creari, ac fieri à Deo, quam resultare ex illo vbicationem, per quam à Deo approximetur, hæc tamen vbicatio, & approximatio postea necessariò sequitur.

11 Infero secundò, creaturam per potentiam obedientialem non posse operari in distans non agendo aliquid in medio. Est contra Suar. tom. 1. in 3. p. disp. 31. sect. 6. asserentem humanitatem Christi Domini posse agere in distans per potentiam obedientialem. Probatur, potentia obedientialis id tantum potest quod potest Deus per potentiam ipsi naturalem, sed Deus per potentiam ipsi naturalem, (etiam præcisa ratione immensitatis) non potest agere in distans non agendo aliquid per medium, vt nuper ostendi, ergo res creata per potentiam obedientialem non potest agere in distans non agendo aliquid per medium. Vnde humanitas Christi, & Sacramenta non agunt in distans physice, sed tantum moraliter.

CAPVT II.

An agens agendo aliquid in medio posit operari in distans.

12 MVltorum sententia est, agens naturale non posse in passum à se distans operari, etiamsi per medium spatium aliquid continuo agat, quod ad effectus distantis physicam productionem conducat, sed necessariò requiri, quod agens per se ipsum immediate passo approximatum sit, vt in illo suam operationem exerceat. Ita D. Thom. & Arist. & plerique alij, quos supra num. 2. commemorauimus, quibus nonnulli recentiores suffragantur.

13 Assertio tamen sit. Agens naturale potest operari effectum in passum distans, si aliquid per mediũ sine interruptione agat, quod ad effectus distantis physicam productionem conducat. Ita Suar. tom. 1. met. disp. 18. sect. 8. à n. 13. Vasq. tom. 1. in 1. p. disp. 28. c. 2. n. 23. Conimbr. hic c. 2. q. 1. art. 2. & plures alij recentiores non indocti, Hurt. disp. 9. phys. sect. 6. concl. 2. Arriaga disp. 7. phys. sect. 6. concl. 2. Carlet. disp. 36. phys. sect. 2. Ouiedo controu. 18. physic. p. 3. num. 2. Hæc assertio non potest ratione à priori ostendi, à posteriori verò clarissimis experientijs, ex quibus tota sumitur Philosophia, monstranda est.

14 Probatur primo: Sol in speculo irradians maiorem, ac intensiorem lucem in illo producit quam in toto aëre intermedio, vt experientia est conspicuum; sed hæc maior ac intensior lux non potest physice produci ab alia luce proxima aëris intermedij, quæ vt dixi, remissior est, remissius enim in eadem ratione non potest agere intensius, ergo producitur lux illa intensior ab ipsa substantia aut luce solis distante, quæ in toto spatio intermedio lucem aliquam sine interruptione efficit, & in speculo vt in apriori materia lucem intensiorem producit, ergo agens naturale operatur in distans, agendo aliquid per medium.

15 Probatur secundò, aperta fenestra Sol partes cubiculo ei directè obiectas perfectè illuminat, in eisque intensam lucem producit, aliàs verò partes ad latera immediate existentes non ita perfectè illustrat, ergo talis intensa illuminatio, ac lux in partibus cubiculi directè ipsi soli obiectis non fit immediate à luce existente in aëre intermedio proximiori, sed à substantia, aut luce distante ipsius solis: patet consequentia, lux existens in aëre intermedio proximiori, quæ quidem est intra ipsum cubiculum æquè directè & immediate respicit partes cubiculi directe obiectas soli, ac alias partes ad latera existentes, ergo illa lux quantum est ex se, tam intense ac perfectè illuminat vnas partes, ac alias, ergo si partes directè obiectæ soli intensius illuminantur, quam aliæ partes ad latera existentes, maior illa intensio luminis non producitur à luce existente in aëre intermedio proximiori, sed à substantia aut luce distante ipsius solis.

16 Probatur tertio: quando substantia viuentis physice prolem attingit, in tota materia prolis, & in quauis eius parte etiam profunda formam substantialem viuentem, vel vnionem talis formæ cum materia physice in instanti producit, & tamen substantia viuentis v. g. matris non est approximata immediate toti materiæ, ac cuilibet parti etiam profundæ illius, aliàs si cum parte profunda materiæ esset approximata cum alia parte priori eiusdem materiæ naturaliter penetraretur, quod implicat, ergo agens naturale potest operari, & de facto operatur in partem passi non sibi immediate approximatam, sed distantem, dummodo agat aliquid per medium.

17 Probatur quartò, quia Sol producit metalla in viscеribus terræ, quæ tamen non producit in cælo, vel in aëre, similiter producit calorem in aëre, quem non producit in orbibus cælestibus, quia calor est qualitas corruptiua quæ in cælo recipi non potest; ergo potest agens naturale operari eundem effectum in distans operando aliquid in medio, quod conducat ad physicam productionem illius, nam licèt per se loquendo & cæteris paribus maior propinquitas passi conducat ad effectum citius & perfectius inducendum, hic tamen excessus potest cõpensari per peculiarẽ passi distantis dispositionẽ, quę non reperiretur in propinquo.

18 Obijciat aliquis primo D. Paulum actorum 17. Dei præsentiam in omnibus rebus ex immediata ipsius operatione inferentem, *non longe* (inquit) *abest ab vno quoque nostrum; in ipso enim viuimus, & & mouemur, & sumus*, ergo Deus & quælibet alia causa non potest vlla ratione operari effectum à se distantem, aliàs inepta esset consequutio D. Pauli, quod dicere nefas est.

Respondeo, D. Paulum ibi ex immediata Dei operatione non colligere physicam Dei præsentiam per

per immensitatem, sed tantum præsentiam Dei intentionalem, qua possit à nobis cognosci. Etenim Paulus arguebat Athenienses, quòd aram haberent dicatam ignoto Deo, & Deum ipsum non agnoscerent, atque ita hunc Deum ipsis ignotum cognoscere non esse difficile ostendit, quia in ipso (inquit) viuimus, & mouemur & sumus, hoc est, ab ipso omnia creata immediate producuntur, ac proinde ex nobis ipsis, ac omnibus alijs rebus tanquam ex effectibus ad illam supremam causam ac Deum inuestigandum ascendere, & in eius facile possumus cognitionem deuenire, & non existimare argento, vel auro, aut alijs rebus à Deo creatis illud esse diuinum esse simile, sed aliud infinite nobilius ac excellentius, à quo omnia suum esse, motum & vitam participant. Hæc expositio quadrat contextui Pauli, vt ostendit optime Vasquez 1.p.disp.28.c.4.à n.17.

19 Obijciat secundò, Regium vatem, qui psalm. 138. Deum alloquens, ita ait, *Si ascendero in cælum tu illic es, si descendero in infernum, ades: si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris*: & postea huius rationem reddens, inquit, *etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Ecce ex immediata Dei manutenentia & operatione eius in omnibus rebus, intimam præsentiam deprehendit, ergo nullo modo Deus, aut alia causa potest operari in distans. Resp. Regium vatem ibi non monstrare Deum esse in omni loco præsentem per immensitatem sed præsentem esse vbique per suam infinitam cognitionem, id est, omnia, quæ sunt in omni loco, cognoscere, vt ex ipsius psalmi contextu clare constat, incipit enim Psalmista: *Domine probasti me, & cognouisti me, tu cognouisti sessionem meam, & resurrectionem meam, intellexisti cogitationes meas de longe, semitas meas, & funiculum meum inuestigasti, & omnes vias meas præuidisti*, & statim idē alijs verbis prosequitur dicens, *Si ascendero in cælum, tu illic es*, scilicet per tuam cognitionem, quia omnia, quæ sunt in cælo intueris. *Si descendero in infernum, ades*, id est, etiam per cognitionem, qua omnia quæ in inferno sunt, cognoscis, & postea rationem reddens, ait, *etenim manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Hoc est, ideo per cognitionem ades in omni loco, & omnia cognoscis, quia omnia tua potentia tenes, omnia operaris, cum enim Deus scienter scilicet, per cognitionem operetur, si omnia operatur, euidens est omnia cognoscere, omnibusque per cognitionem adesse, qui est scopus illius psalmi, non verò quod immediata Dei præsētia physica ex eius operatione inferatur, & de hac cognitione seu operatione intentionali, & Dei prouidentia, qua omnia gubernat exponunt prædictum locum D. Hieronymus, Chrysostomus, Cardinalis Bellarminius, Genebrardus, & alij quos refert, & sequitur Hurtado supra n.90.

20 Obijciat tertiò, agens naturale tam distans est à passo, quando aliquid per medium spatium operatur, ac si per medium aliquid non operaretur, v. g. substantia vel lux ipsa solis æque distans est ab speculo, modo operetur lucem in spatio intermedio, modo illam non operetur, sed si tale agens scilicet Sol non ageret lucem per spatium intermedium non posset ratione distantiæ agere lucem intensam in speculo, ergo etiam si per medium agat aliquam lucem non poterit per se ipsum ratione eiusdem distantiæ agere lucem intensam in speculo.

Respondeo, quando Sol producit lucem in speculo, agendo aliquod lumen per spatium intermedium ex spatio intermedio, & speculo componi vnum passum completum, à quo Sol non omnino distat, sed aliqua ex parte illi approximatum est, quod sufficit, vt in toto illo spatio suam lucem diffundat, & illam in speculo magis intensam producat, sicut sufficit, quod ignis secundum aliquam partem sui sit passo approximatus, & totus ignis calorem in illo efficiat, at si Sol non operando aliquid in medio produceret lucem intensam in speculo, ipsum speculum esset passum completum & totale, à quo Sol omnino distaret, nec aliqua ex parte illi approximatus esset; implicat autem agens operari in passum omnino distans, cui nulla ex parte approximatum sit, & ideo etiam implicat solum agere lucem in speculo non efficiendo lumen per spatium medium.

Obijciat quartò, causa naturalis agit in hoc loco effectū, ergo illa necessariò in hoc loco est formaliter agens talem effectū, ergo necessariò existit in tali loco, quando in eo agit effectū. Resp. distinguendo primū cōsequens, ergo *causa in hoc loco necessariò est formaliter agēs effectū*. id est, necessariò est in hoc loco actio, per quam ipsa causa agens formaliter denominatur, concedo, id est, necessariò est in hoc loco entitas causæ, qua agens denominatur, nego: sufficit enim quod distans sit, & per spatium intermedium aliquid sine interruptione operetur, vt possit in hoc loco ab ea distante agere formaliter ipsum effectum. 21

Sit assertio secunda: agens naturale potest supernaturaliter operari in distans, nihil operando in medio. Est contra Molinam 1.part. quæst. 8. art. 1. disputat. 2. Rub. 7. physic. quæst. 2. cap. 2. eam tamen tuentur Tannerus 1. p. disp. 2. quæst. 4. dub. 3. num. 2. Ouiedo part. 3. num. 2. controuers. 18. physic. Arriaga supra concluſ. 2. num. 71. P. Hurtado disput. 4. physic. sect. 6. concluſ. 3. subsect. 4. n. 91. Carleton disp. 36. physic. sect. 1. & quotquot asserunt duo corpora diuinitus penetrari posse, & idem corpus in duobus locis poni posse circumscriptiue. 22

Probatur, quia licèt naturaliter dari non possit actio in distans, tamen non repugnat diuinitus suppleri à Deo illam distantiam, ergo potest diuina virtute dari actio in distans: antecedens probatur à paritate rationis, duo corpora naturaliter non possunt penetrari inter se, nec idem corpus simul statui in duobus locis, & tamen hæc duo possunt diuina virtute fieri, ergo & primum; non enim apparet maior ratio repugnantiæ in vno quam in alio casu.

Dices, vt res operetur hîc, debet esse præsens hîc, ergo vbi non est, nihil potest agere, & consequēter nec in distans operari. Resp. primò, hoc verū esse loquendo de potentia ordinaria, & actiuitate naturali agētis naturalis, nō vero loquēdo supernaturaliter. Resp. secundò, hoc argumentū conuincit in causa intrinseca, quæ nullo modo potest operari, vbi non est, quia eius operatio nihil aliud est, quam eius entitas subiecto communicata, in agentibus verò extrinsecis, res non habet difficultatem, quia actio non necessariò coniungitur cum principio transeunte, & Deus per diuinam virtutem potest supplere defectum actiuitatis, vt mille exemplis constat. 23

Infero ex dictis agens naturale, si agat aliquem effectum per spatium intermedium, qui ad alterius effectus diuersæ rationis ac speciei physicam productionem conducat, posse in passo distante talem effectum diuersæ rationis ac speciei operari. Probatur etiam experientia: docemur Solem efficere 24

in

in speculo à se distante lucem intensiorem, quam in medio, hoc est in spatio intermedio producit, v.g. quartum gradum lucis, & in speculo à se distante producit gradum quintum intensionis eiusdem lucis, sed gradus quartus, & gradus quintus intensionis lucis sunt etherogenei ac diuersæ rationis, vt ostendam in lib. de generatione, ergo Sol agendo aliquid per medium producit in loco distanti effectum diuersæ rationis, similiter idem Sol, agendo aliquando accidentia per medium, producit in viscеribus terræ, formam substantialem auri, quæ est diuersæ rationis, ergo &c.

CAPVT III.

Quædam quæsita expediuntur.

QVæritur primò, an requiratur, quod passum sit secundum omnes eius partes continuum vt in solo illo agens effectum producat? Censeo 25 non necessariò requiri, quod omnes partes passi sint continuæ, vt agens agat in illis, sed sufficere, quod ſsolum continguæ sint, Sol enim agens per medium aërem ac terram aliquas qualitates in ipsius terræ viscеribus plures effectus producit, & tamen aër non est continuus, sed tantum contiguus cum terra, ergo partes passi non debent esse continuæ, sed sufficit, quod contiguæ sint, vnde sicut partes agentis v.g. ignis, licet tantum contiguæ essent, omnes per modum vnius operarentur, & efficerent calorem in passo, ita partes passi, etsi tantum sint contiguæ, omnes ab agente eius effectum patiuntur.

Quæritur secundò, an sufficiat, quod agens agat per medium, non quidem per suam substantiam immediate, sed per aliquam qualitatem à se 26 productam, vt per se ipsum immediate possit in distans operari? Arbitror sufficere, si talis qualitas agat per medium vice eius, & tanquam virtus ipsius, quia Sol tantum per qualitatem lucis efficit lumen per spatium intermedium, & tamen per se ipsum immediate agit in passo distanti aurum, & alia huiusmodi; ergo sufficit agere per medium interuentu alicuius qualitatis ac virtutis, vt agens per se ipsum immediate agere possit in distans. Ratio à priori est, quia operari per medium virtutem illam nomine ac vice illius agentis est vere ipsum agens operari, sed sufficit, quod agens verè operetur per medium, vt possit agere in distans, ergo sufficit, quod agat per illam qualitatem, quæ est eius virtus, per medium vt possit per se ipsum agere in distans.

Quæritur tertiò, an causa creata naturalis aliquam habeat determinatam sphæram suæ actiuitatis, vltra quam nec per se ipsam, nec per virtutem 27 à se diffusam possit naturaliter operari? Resp. affirmatiue, vt patet experientia, ignis enim in tanta distantia calefacit, & non in maiori, & corpus luminosum in tanta distantia & non in maiori illuminat. Dicat quis, corpus luminosum producit in passo proximo lucem, v. g. vt quatuor & hæc lux producit in alio passo immediate aliam similem lucem vt quatuor & hæc aliam etiam vt quatuor & sic in infinitum, ergo corpus luminosum non habet determinatam sphæram suæ actiuitatis. Respondeo lucem (idem dico de alijs similibus qualitatibus,) non posse aliam lucem æquè intensam naturaliter producere sed aliquantulum remissiorem, vnde in casu argumenti lux illa, quæ veluti gradatim producitur, ita paulatim decrescet, & ad tam minimum gradum & quantitatem lucis tandem perueniet, vt aliam minorem lucem non valeat naturaliter producere, atque ita ibi terminabitur sphæra actiuitatis illius agentis.

In hoc etiam libro Aristoteles cap. 1. statuit omne, quod mouetur ab alio moueri, quod quidem si intelligatur de motu, hoc est, de actione qua ali- 28 quid fit, verum est, quia res non potest fieri à se ipsa, sed ab alia à se distincta, atque ita ne in infinitum ascensus procedat, deueniendum est ad aliquam primam causam, primumque motorem à nullo alio motu, ac factum, à quo omnia illa moueantur & fiant, qui dicitur Deus, vt ostensum est supra disp. 14. c. 2. si verò prædictum Philosophi axioma intelligatur de alio motu accidentali quo res iam constituta in suo esse postea mouetur, non est semper verum dicere, omne, quod mouetur, non à se, sed ab alio moueri, nam grauia, & leuia dū infimum aut summum locum naturaliter petunt, & ad illum descendunt, vel ascendunt, aqua, cum ad pristinam frigiditatem reducitur, viuentia cum functiones vitæ exercent, à se ipsis immediate mouentur, solum ergo in priori sensu præfatum Aristotelis axioma veritatem præsefert.

Et hæc de Tractatu quinto, in librum septimum, Physicorum dicta sint satis.

TRACTA

TRACTATVS SEXTVS,

In librum octauum Physicorum.

IN hoc libro agit iam Aristoteles de primo motore scilicet Deo, eiusque immobilitatem, æternitatem ac alia attributa ostendit. Duo præterea docet nimirum mundum fuisse ab æterno productum & Deum illum produxisse ex necessitate naturæ, in quibus aperte errauit contra principia fidei, vt sequenti disputatione explanabo.

DISPVTATIO VLT.

An mundus extiterit, essevè potuerit ab æterno?

DVo capita continebit. In primo inquiro, an mundus de facto fuerit necessariò, & ab æterno productus? In secundo an potuerit mundus ex æternitate creari.

CAPVT I.

An mundus de facto fuerit necessariò ab æterno productus.

ERror fuit Aristotelis in præsenti capite 1. tex. 1 4. & capite 10. libro 1. de cælo capite 10. & 12. & libro 7. textu 7. & 12. metaphysic. textu 30. & 48. quem sequuti sunt Auicenna, Simplicius & Auerroes, Deum ex necessitate naturæ ab æterno hoc vniuersum creasse, vt nuper diximus. Pro hoc Philosophi delirio plura congerit argumenta Pereira libro 15. suæ philosophiæ per varia capita, optimeque & erudite dissoluit, illa verò leuia, aut futilia sunt, & idcirco ea nunc silentio, obuoluam, & veritatem catholicam palam faciam.

2 ASSERT 10 prima sit, Deus non creauit mundum ex necessitate naturæ, sed omnino libere. Est certa de fide ex illo Pauli ad Ephes. capite 1. *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ*, hoc est libere & arbitrarie omnia producit. Probatur ratione, Deus non producit creaturas nisi volendo illas, cum Deus perfectè ac intellectualiter operetur, scilicet per intellectum & voluntatem, sed Deus non voluit ex necessitate naturæ, sed liberè mundum creare, ergo Deus liberè produxit mundum, & non ex necessitate naturæ. Minor probatur primò, omnis perfectio, quæ elucet in creatis, eminentiori modo reperitur etiam in Deo, atqui in creatis elucet libertatis perfectio, qua Angelus, aut homo vult libere, & non ex necessitate naturæ alia obiecta creata, ergo etiam in Deo reperitur hæc libertatis perfectio in volendis creaturis, ergo Deus libere voluit creare mundum, & non ex necessitate naturæ.

Secundo probatur à priori eadem minor, bonum creatum, cum finitum sit, & habeat admixtam aliquam rationem mali, non necessitat ad sui volitionem & amorem, hoc enim solum competit bono increato, & infinito clare viso, sed mundus est bonum aliquod creatum & finitum, ergo non necessitat diuinam voluntatem ad sui volitionem & amorem, ergo Deus libere voluit creare mundum & non ex necessitate naturæ.

Obijciat aliquis, Deus ita voluit creare mũdum, 3
vt non potuerit non velle mundum creare, ergo necessariò voluit mundum creare, ergo creauit mũdum ex necessitate naturæ. Vtraque consequentia est euidens: antecedens sic probatur, si Deus potuisset non velle creare mundum, hæc diuina volitio mundum creandi potuisset non esse in Deo, sed hæc diuina volitio mundum creandi, cum sit ipsum esse Dei omnino necessarium ac indefectibile, non potuit nõ esse in Deo, ergo Deus ita voluit creare mũdum, vt non potuerit non velle mundũ creare. Resp. volitionem diuinam creandi mundum nõ posse non esse in Deo, quoad entitatem, vt argumentum conuincit, potuisse tamen non esse in Deo, quoad denominationem, potuit enim illa entitas volitionis non denominare formaliter Deum volentem creare mundum, ad quod non requiritur, quod potuisset deficere in Deo aliqua entitas volitionis realiter, sed sufficit, quod tãtum potuisset deficere virtualiter & æquiualenter, hoc est, quod licèt nulla entitas volitionis deficeret in Deo reipsa, in ordine tamen ad non denominandum Deum volentem creare, ita se haberet, ac si deficeret. Sicut enim vt essentia diuinæ realiter cõmunicetur filio, non communicata realiter Paternitate non requiritur quod essentia Dei realiter distinguatur à paternitate, sed tantum quod distinguatur æquiualẽter ac virtualiter, id est, quod cum reipsa ab ea non distinguatur, ita se habeat, ac si ab illa reipsa distingueretur; ita similiter vt Deus possit libere denominari, & non denominari formaliter volens creare mundum, sufficit, quod entitas volitionis diuinæ, sit defectibilis virtualiter, id est, quod licet reipsa non possit vnquam deficere, ita se habeat, ac si realiter deficere posset. Sed de hoc in Theologia late: id tetigisse sufficiat.

4 ASSERT 10 secũda sit. Deus non ab æterno mundum, aut creaturam aliquam, sed in tempore creauit. Est etiam certa de fide ex illo Genes. 1. *In principio creauit Deus cælum, & terram*, vbi principũ significat initium temporis, ante quod non fuisset mundus productus, & ex Prou. 8. *antequam quidquam faceret à principio*, & ex illo Ioann. 17. *Clarifica me Pater claritate, quam habui priusquam mundus fieret*. ergo mundus productus fuit in tempore, vt definiuit etiam Lateranense Concilium sub Innocent. III. & sub Leone X. sess. 8. & habetur etiam in capite firmiter de summa Trinitate & fide catholica quam veritatem sic exponunt Ecclesiæ Patres, quos adducit Valentia tom. 1. disp. 3. quæst. 3. punct. 1.

5 Probatur ratione ad hominem contra Aristotelem: si ab æterno fuisset mundus productus cum omni serie, & continua successione generationum, vt Aristoteles vult, iam essent infiniti, v. g. homines generati, quia in tali casu generationes humanæ, ac homines geniti à parte ante terminum ac finem non haberent, ergo cum animæ rationales, vt pote spirituales, ac immortales semper persistant, modo iam essent actu infinitæ animæ rationales, atqui in sententia Aristotelis non potest dari etiam diuina virtute infinitum in actu, vt vidimus supra disputat. 25. cap. 3. in principio, ergo mundus non fuit ab æterno productus.

6 Obijciat autem quis, si mundus non fuisset à Deo ab æterno productus, esset vel quia Deus non posset illum producere, & hoc argueret defectum virtutis Dei, vel quia Deus, etsi posset tamen non vellet, & hoc argueret defectum bonitatis in ipso Deo, atqui in Deo nullus potest esse virtutis, aut bonitatis defectus, ergo mundus fuit ab æterno productus à Deo.

Respondeo, Deum non creasse mundum ab æterno, tum quia non potuit, non quidem ob defectum suæ virtutis, sed ob implicationem rei, quæ repugnat esse ab æterno, vt dicam capite sequenti: tum etiam, quia Deus, etsi posset noluit mundum ex æternitate creare ob altissimos suæ sapientiæ fines, quod non arguit defectum bonitatis, sed perfectissimum vsum suæ libertatis. Vide Valentiam dicta disputat. 3. quæst. 3. punct. 1. Pereira lib. 15. suæ philosophiæ Rubius hic tract. de origine durationis quæst. 1. Conimbricens. ibidem cap. 2. quæst. 3. & 4.

CAPVT II.

An potuerit mundus ex æternitate creari.

7 MVltas reperio sententias, prima sententia est mundum quoad omnia, quæ includit, scilicet quoad res permanentes quales sunt homo & Angelus & etiam quoad successiuas, quales sunt motus, & tempus, potuisse à Deo ab æterno procreari: D. Thom. 1. part. quæst. 46. artic. 2. opusc. 27. de æternitate mundi, 2. contra gent. cap. 38. in 2. distinct. 1. quæst. 1. art. 5. & quæst. 3. de potentia art. 14. Augustinus de ciuitate Dei cap. 11. & 12. de ciuitate Dei cap. 35. Anselmus in monologio cap. 8. Durand. in 2. distinct. 1. quæst. 2. Suarez disput. 20. metaphysic. sectione 6. numero 11. Vasquez 1. part. disput. 117. cap. 5. Molina 1. part. quæst. 48. artic. 2. Valentia 1. part. disp. 3. quæst. 3. punct. 2. Conimbricenses 8. physic. cap. 2. q. 6. artic. 2. Arriaga disput. 17. physic. sect. 2. num. 15. Carleton saltem quoad creaturas permanentes disputat. 39. physic. sect. 1. Ouiedo controuers. 19. physic. part. 1. num. 2. Capreolus, Gabriël, Ægidius, Ochamus, Henricus, Herueus, Soncinas, Paulus Venetus, Scotus, in 2. disput. 1. quæst. 3. Pereira, Plaça, 8. physic. disput. vnica, quæst. 3. Caietanus 1. part. quæst. 46. artic. 2. Nazarius, Masius, quos adducunt Complutenses disput. 29. physic. quæst. 3. num. 23. & est sententia communis inter Doctores.

8 Secunda sententia, est mundum potuisse ab æterno esse productum, quoad omnes res permanentes, & motus successiuos, non verò quoad seriem generationum viciſſim succedentium, quæ in mundo est. Ita Vasquez vbi supra cap. 5. Durand. in 2. dist. 1. quæst. 2. Sotus, Ferrara, Caietanus, etiam Conimbricenses supra, Oña, Burgens. in præsenti, imo D. Thom. supra quæst. 7. de potentia negare videtur quoad successiua, & seriem generationum mundum potuisse esse ab æterno.

Tertia sententia, est mundum potuisse ex æternitate creari quoad res permanentes, secus quoad motus, ac res alias successiuas. Ita Valentia 1. p. disp. 3. quæst. 3. punct. 2. §. 1. assertio. Toletus 8. phys. q. 2. Hurtado disp. 18. physic. sect. 2. & 3. Carleton supra sect. 4.

Quarta sententia est, mundum quoad res omnes. quas includit, tam permanentes, quam successiuas omnino repugnare ex æternitate produci. ita Bonauentura, in 2. dist 1. quæst. 2. Henricus quodlibeto 1. quæst. 7. quodlibeto 9. quæst. 17. Toletus 8. physic. quæst. 2. Conimbricenses supra art. 1. Ambrosius 1. exameron cap. 3. Basilius homil. 1. in exameron, Damas. 1. de fide cap. 9. August. lib. 12. de ciuitate Dei cap. 15. Hurt. disp. 18. phys. sect. 1. & 11. Albertus in sum. part. . tom. 1. quæst. 4. num. 2. & in 1. distin. 44. artic. 1. & in 2. distinct. 1. art. 10. Lessius lib. 4. de perfectionibus diuinis c. 2. Valentia 1. part. disput. 3. quæst 3. punct. 2. Murçia, 8. physic. disp. 1. qu. 3. Tannerus 1. p. disp. 6. quæst. 1. dub. 3. num. 11. Plaça 8. physic. disp. 1. quæst. 3. Oña 8. physic. quæst. 1. art. 4. & alij recentiores, quibus subscribo. 9

Sed obseruo dupliciter posse intelligi rem aliquam esse ab æterno, nimirum, vel cathegorematice, vel tantum sincathegorematice, esse rem ab æterno cathegorematice est talem habere durationem, vt nulla alia reipsa potuerit esse prior, qualis est duratio Dei, esse verò rem ab æterno sincathegorematice est talem habere durationem vt aliam priorem, & aliam priorem sine fine eademmet res habere potuerit. Hoc posito explicandum est, an res aliqua potuerit esse ab æterno, tum sincathegorematice, tum cathegorematicè. 10

Assertio prima, res creata, tam permanens quam successiua, (si illam excipias, quæ alicui tempori determinato essentialiter est affixa) potuit esse ab æterno sincathegorematice. In hac assertione omnes conueniunt. Probatur primò, esse rem ab æterno sincathegorematice est talem habere durationem vt aliam priorem, & aliam priorem sine fine habere potuerit, vt nuper obseruauimus, sed res creata tam permanens, quam successiua talem potest habere durationem, vt aliam durationem priorem, & aliam priorem sine fine habere potuerit, potuit enim prius & prius sine termino à Deo produci, ergo res creata tam permanens, quam successiua potest esse ab æterno sincathegorematice. 11

Probatur secundò, uon apparet ex quo capite id repugnet, ergo potuit esse ab æterno, antecedens probatur, non ex eo quod sit productio, quia Pater æternus genuit filium suum ab æterno, ergo non repugnat ex parte Dei, cũ possit efficere quidquid non inuoluit contradictionem, tandem non repugnat ex parte creaturæ, quia non sequeretur illam fore infinitam cathegorematice, nec ipsi Deo coæternam, nam vt inquit August. 12. de ciuitate Dei c. 15. *licèt Angeli semper fuissent, numquam tamẽ futuros coæternos creatori, ille enim (inquit) semper fuit æternitate immutabili, illi autẽ facti.* ergo creatura permanens, vel successiua potuit esse ab æterno sincathegorematice vel à parte post, in quo omnes cõueniũt. 12

Assertio secunda, series ordinata generationum viciſſim succedentium, quæ in mundo est, nõ potuit esse cathegorematice ab æterno. Ita Vasq. vbi 13

vbi ſupra, & auctores quartæ ſententiæ. Probatur, ſi ordinata ſeries generationum viciſſim ſuccedentium, quæ in mundo eſt, fuiſſet ab æterno cathegorematice, homines, v.g. iam producti per totam illam æternitatem eſſent actu infiniti, & actu finiti, hoc autem aperte implicat, vt per ſe conſtat, ergo ordinata ſeries generationum viciſſim ſuccedentium, quæ in mundo eſt, non potuit eſſe ab æterno cathegorematice. Et quidem homines iam genitos per totam illam æternitatem fore actu infinitos ſic oſtendo, ea, quæ per æternitatem continuo fiunt, ſi iam extiterint, ſunt actu infinita, ſi enim cogitationes Angelicæ, quæ futuræ ſunt continuo per totam æternitatem actu exiſterent, eſſent actu infinitæ, atqui ſi ſeries continua generationum eſſet cathegorematice ab æterno, iam extiſſent actu homines per totam illam æternitatem geniti, ergo actu fuiſſent homines geniti infiniti. Porro homines genitos fore etiam actu finitos, ſic probo: ea, quæ habent primum & vltimum ſunt actu finita, ſed homines geniti per æternitatem haberent primum & vltimum; ergo homines geniti per æternitatem eſſent actu finiti.

Minor probatur, illa collectio omnium hominum qui eſſent per æternitatem continuo geniti, non fieret à ſeipſa, ergo fieret ab alio ſcilicet à Deo qui ſolus vnum hominem efficeret, à quo illa ſeries generationum inciperet, iſte ergo homo à ſolo Deo genitus eſſet primus, atqui hîc homo, qui modo generatur, eſt vltimus ergo homines geniti per æternitatem haberent primum & vltimum.

14 Assertio tertia: nec motus nec tempus, aut res alia ſucceſſiua potuit cathegorematice ex æternitate produci. Ita auctores tertiæ & quartæ ſententiæ. Probatur, motus aut res alia ſucceſſiua eſſentialiter includit prius aut poſterius, ſed prius, ac poſterius non poſſunt eſſe cathegorematice ab æterno, ergo nec motus, aut res alia ſucceſſiua poteſt eſſe cathegorematice ab æterno.

Minor probatur: eſſe rem ab æterno cathegorematice eſt talem habere durationem, vt alia eſſe non poſſit prior, nihil enim poteſt eſſe prius illo, quod durat cathegorematice ab æterno, ſed illud poſterius, quod motus eſſentialiter includit, habet durationem, qua alia poteſt eſſe prior, alias ipſum non eſſet poſterius, ergo illud poſterius, quod motus eſſentialiter includit non poteſt eſſe ab æterno cathegorematice, ergo nec aggregatum illud, ſcilicet prius & poſterius poteſt eſſe cathegorematice ab æterno.

Confirmatur, ſi tempus ſucceſſiuum, quod duo, verbi gratia, indiuiſibilia includit, eſſet cathegorematice ab æterno, vel illa duo temporis indiuiſibilia eſſent ab æterno cathegorematice, vel vnum tantum eſſet ab æterno, & aliud ſequeretur in tempore, ſed duo illa indiuiſibilia temporis non poſſunt eſſe actu ab æterno, quia alias eſſent ſimul, nam quæ ab æterno ſunt, ſimul ſunt, implicat autem duo temporis indiuiſibilia eſſe ſimul, cum vnum ſit eſſentialiter prius, & aliud poſterius, nec etiam poteſt vnum durare ab æterno, & aliud ſequi in tempore, nam vnum indiuiſibile temporis non poteſt durare, niſi per inſtans, ſi autem duraret actu ab æterno, per æternitatem duraret, cum iam in illa non poſſet deſtrui à Deo, ergo tempus, quod illa duo indiuiſibilia includit, non
15 poteſt eſſe cathegorematice ab æterno.

Assertio quarta, res etiam creata permanens repugnat produci, ac durare cathegorematice ab æterno. Ita auctores quartæ ſententiæ. Hæc autem aſſertio ſic ab aliquibus probatur, rem permanentem, v.g. Angelum creari eſt produci ex nihilo, ſed Angelus ab æterno non poteſt produci ex nihilo, quia ſi Angelus ab æterno fieret, non præcederet nihilum, ac negatio ipſiuſmet Angeli, ergo Angelus non poteſt produci & creari ab æterno.

Sed hæc ratio eſt valde infirma, nam rem produci ex nihilo, non eſt produci præcedente negatione talis rei, ſed tantum fieri independenter à materia; Angelus ergo licèt non præcederet negatio illius, fieret ab æterno independenter à materia, atque ita poſſet ab æterno creari, alias etiam rationes inſufficientes adducunt, quas omitto.

Probatur ratione efficaci: ex dictis non poteſt 16
res permanens v. g. Angelus eſſe, ac durare ab æterno, niſi eius etiam duratio ab æterno ſit, ſed Angeli duratio non poteſt eſſe ab æterno cathegorematice, ergo nec Angelus eſſe poteſt ab æterno cathegorematice: minor probatur, res ſucceſſiua non poteſt eſſe cathegorematice ab æterno, vt num. 10. monſtratum eſt, ſed duratio Angeli eſt ſucceſſiua vt oſtendi diſp. 28. c. 4. ergo duratio Angeli non poteſt eſſe cathegorematice ab æterno.

Dicat quis Angelum non poſſe habere ab æter- 17
no durationem ſucceſſiuam, ac diuiſibilem, poſſe tamen habere durationem quaſi inſtantaneam, & indiuiſibilem, nam ſicut inſtans temporis eſt indiuiſibile, ita æternitas indiuiſibilis eſt vſque ad primum inſtans determinatum, atque ita ſicut Angelus per vnam durationem indiuiſibilem poteſt durare per vnum inſtans temporis, ſic per vnam indiuiſibilem durationem poterit per æternitatem durare vſque ad primum inſtans temporis determinatum, in quo aliam durationem acquirat. Sed contra: Angelus per vnam indiuiſibilem durationem non poteſt durare per tempus diuiſibile vt dicta diſp. 28. cap. 4. monſtrauimus. Sed ſi Angelus per durationem indiuiſibilem per æternitatem duraret vſque ad vnum inſtans temporis determinatum, in quo deſineret eſſe talis duratio, Anlus per talem ſimplicem durationem duraret per tempus aliquod diuiſibile, ergo Angelus non poteſt per eandem indiuiſibilem durationem durare per æternitatem: minor probatur, Angelus per illam durationem indiuiſibilem, qua ab æterno duraret, duraret vſque ad illud inſtans determinatum, in quo deſineret eſſe talis duratio, ſed ante quoduis inſtans temporis determinatum, in quo illa duratio deſineret eſſe, eſt ſignabile tempus diuiſibile, ergo Angelus per illam indiuiſibilem durationem, qua duraret ab æterno, duraret per tempus diuiſibile.

Obijciat aliquis, durare rem ab æterno cathe- 18
gorematice eſt habere actu infinita indiuiſibilia durationis à parte ante, ſed Angelus potuit habere infinita indiuiſibilia durationis à parte ante, ergo Angelus potuit durare ab æterno cathegorematice: minor probatur: Angelus poteſt habere infinita indiuiſibilia durationis à parte poſt, ergo etiam poteſt habere infinita indiuiſibilia durationis à parte ante.

Reſpondeo, habere infinita indiuiſibilia durationis à parte poſt, eſt tantum habere indiuiſibilia durationis infinita ſincathegorematice, hoc eſt, non tot actu habere, quin plura, & plura indiuiſibilia ſine fine poſſit habere aut habiturus ſit, & ideo non implicat Angelum habere infinitas partes; aut indiuiſibilia durationis à parte poſt, habere verò infinita indiuiſibilia durationis à parte ante, eſt habere indiuiſibilia

durationis infinita cathegorematice, quia iam actu infinita durationis indiuisibilia extitissent, & idcirco repugnat Angelum habere infinitas partes, ac indiuisibilia durationis à parte ante ac proinde implicat etiam durare ab æterno cathegorematice.

19 Sed vrgeat, non implicat dari diuinitus infinitum in actu, & cathegorematice vt supra disp. 25. cap. 2. & 3. monstratum est, ergo licèt infinita indiuisibilia durationis à parte ante forent infinita cathegorematice non implicat Angelum diuina virtute habere à parte ante infinita indiuisibilia durationis, atque ita non repugnabit durare ab æterno cathegorematice.

Respondeo, non implicare infinitum cathegorematice in extensione, intensione, & multitudine, quia rationes omnes implicationis diluimus vbi supra dicto cap. 3. implicare verò dari infinitum cathegorematice in duratione, hoc est, dari à parte ante indiuisibilia durationis actu infinita, quia si darentur aliqua indiuisibilia durationis, vel saltem vnum indiuisibile esset cathegorematice ab æterno, cum omnem illam collectionem durationis nulla alia duratio possit præcedere, implicat autem plura indiuisibilia, aut vnum indiuisibile durationis esse ab æterno cathegorematice, vt ostendimus num. 12. & 13. ac proinde implicat dari infinitum actu in duratione id est, indiuisibilia durationis cathegorematice infinita.

Ex dictis infero primo non dari ab æterno cathegorematice tempus imaginarium. Probatur, tempus imaginarium est motus successiuus possibilis vt diximus supra disput. 28. cap. 5. ad finem, sed motus successiuus non est possibilis ab æterno cathegorematice vt probatum est, ergo non datur ab æterno cathegorematice spatium imaginarium. Infero secundò, soli Deo competere durare cathegorematice ab æterno, quia id præcisè durat cathegorematice ab æterno, quod habet durationem indiuisibilem, ac totam simul, qua alia non possit esse prior, sed solus Deus habet durationem indiuisibilem, ac totam simul, qua prior alia esse non potest, vt sæpe diximus, ergo soli Deo competit durare cathegorematice ab æterno. 20

Et hæc de sexto tractatu, ac etiam de octo physicorum libris dicta sint satis. Ad maiorem gloriam Dei, & Deiparæ Virginis Mariæ. Laus Deo.



COMMEN

COMMENTARII ET DISPVTATIONES IN DVOS LIBROS ARISTOTELIS,

DE ORTV ET INTERITV, SIVE De Generatione, & Corruptione.

POSTQVAM Aristoteles in octo Physicorum libris egit de ente naturali in communi, descendit iam ad varias species entis naturalis in particulari. Ac primum in libris de cælo tractat, de ente naturali cælesti, & incorruptibili, quorum difficultates præcipuas iam in physicis enodauimus. Deinde in his libris de Ortu, & Interitu, siue de Generatione, & Corruptione, de ente generabili, & corruptibili disserit. Horum autem librorum obiectum principale attributionis intrinsecum, & ex intentione scientiæ vllum particulare assignatur, quia omnis cognitio aliorum, quæ in his libris pertractantur, ex se, & ex natura sua intrinsece ad vnius particularis obiecti notitiam non refertur. Obiectum verò attributionis extrinsecum, & ex intentione scientis est ens naturale vt generabile, quia Philosophus ad eius exactam, atque perfectam notitiam reliquorum, quæ hîc aguntur, cognitionem retulit.

TRACTATVS PRIMVS,

In librum primum de Ortu, & Interitu.

ARISTOTELES in hoc libro agit de generatione, & corruptione qua ens naturale generatur, & corrumpitur: de augmentatione ac diminutione qua crescit, coaugmentatur, aut minuitur; de alteratione, qua varias patitur qualitates: de actione, & reactione, ac resistentia passi, & de alijs adens generabile attinentibus, quæ omnia, ac Philosophi doctrinam nostris disputationibus explanabimus.

DISPVTATIO I.

Substantialis generatio, atque conuersio explanantur.

TRIA capita continebit. In primo inquiro, quid sit substantialis generatio? In secundo definitio generationis viuentis aperitur? In tertio, an generatio sit conuersio, & in quo hæc formaliter consistat?

CAPVT I.

Quid sit substantialis generatio.

GEneratio potest tripliciter vsurpari, amplè, 1
presè, & medio modo. Amplè accepta est quæuis productio rei cum dependentia à subiecto de

qua in physicis actum est. Presse sumpta est sola productio viuentis, quam sequenti capite explicabimus, medio modo vsurpata est substantialis eductio entis naturalis, cuius in præsenti essentiam,& rationem formalem inuestigamus.

2 Hæc itaq; generatio sic ab Arist.hic c.4.text.23. definitur, *est mutatio totius in totum nullo sensibili remanente, vt subiecto eodem.* Hoc est, est transitus materiæ ab esse vnius compositi ad esse alterius compositi, v. g. ab esse ligni ad esse ignis absque eo, quod ens naturale completum, quod sensibile appellatur, idem maneat sub vtraque forma substantiali, sicut in alteratione, qua aliquid ex calido v.g. fit frigidum manet idem ens naturale completum sub vtraque forma accidentali, sed hæc definitio non in generationem vt sic formaliter, sed in solam substantialem conuersionem apprime quadrat,vt capite 3. constabit. Vnde Aristoteles ibidem cap. 5. text. 25. alio modo sic generationes definit. *Generatio est mutatio à subſtantia in potentia in subſtantiam actu*, id est, est transitus materiæ à non esse seu priuatione compositi ad esse compositi. Hæc definitio arridet, illam tamen clarius ita liceat efformare. *Generatio substantialis est productio compositi naturalis ex materia illo priuata* vt quando producitur ignis ex materia ligni quæ præextitit sub priuatione ipsius ignis, talis actio vera generatio dicitur, vltima definitionis particula excludit ab hac generationis ratione primam generationem cæli, quia licèt fuit productio compositi naturalis ex materia, non verò ex materia illo priuata,vt diximus in physic. disp.1.c.2.

3 Sed quærat aliquis, quænam substantialis actio, productione formæ substantialis, an sola productio vnionis (quas supponimus reipsa inter se distingui, ex ijs, quæ in physicis diximus) sit substantialis generatio,de qua est sermo. Censeo quidem solam productionem vnionis substãtialis formæ cum materia non verò productionem formæ esse generationem, quæ in præsenti definitur, illam autem formæ substantialis productionem esse generationem fusè acceptam, quæ ad primum modum generationis spectat. Probatur primò, generatio hominis est verè generatio, quæ hic definitur, & tamen non est productio formæ,forma enim rationalis non gignitur, sed creatur, est verò productio solius vnionis, ergo generatio quæ hic definitur, non est productio formæ substantialis,sed sola productio vnionis. Probatur secundò à priori, generatio,quæ hic definitur, est productio compositi naturalis, vt constat ex prædicta definitione, sed productio formæ non est productio compositi, potest enim esse forma producta, & non esse compositum, productio verò vnionis est productio compositi, nequit enim esse vnio producta, & non esse compositum, & idcirco, quia vnio hominis generatur, licèt eius forma creetur, non dicitur homo creari, sed generari,ergo generatio, quæ hic definitur, non est productio formæ, sed sola productio vnionis. Probatur tertiò, quia vnio est forma compositi, vt compositum est, cum sit ipsa compositio, nam modo existunt anima & materia D. Petri, & non existunt compositum, quia non existit vnio animæ cum materia, ergo ad productionem vnionis & illius corruptionem dicitur compositum generari, seu corrumpi, ergo non in productione formæ, sed vnionis, generatio substantialis consistet, cum sola productio vnionis essentialem habeat connexionem cum composito, non verò productio formæ, quæ vel potest per creationem produci, vel esse improducta, & sola vnio produceretur, & consequenter productio compositi sequitur productionem vnionis non formæ.

Inquirat rursus an forma substantialis sit formalis terminus talis generationis cõpositi, an sola 4
vnio? Nonnulli sentiunt non formam, sed solam vnionem esse terminum formalem illius generationis, quia id est, terminus formalis generationis, quod per generationem formaliter generatur, vt nuper diximus, & clare in hominis generatione perspicitur, vbi forma rationalis creatur,& gignitur sola vnio, ergo non forma, sed sola vnio est terminus formalis generationis, ita sentire videntur Durand.in 1.dist.5.quæst.2.& Gabriel.q.3.art.1. notabili 4.

Opinor tamen terminum formalem generationis compositi esse formam substantialem, quæ illi 5
formaliter per talem generationem communicatur. Ita Caiet.1.p.q.41.art.3.Vasq.1.p.disp.162.cap.3.& tom.1.in 3.p.disp.19.c.2. P.Hurt.Carlet.Complut. Ioannes,à S.Thom.Arriaga, & communiter omnes Philosophi.Probatur,terminus formalis generationis est illud, quod generans intendit formaliter communicare termino generato,sed id,quod generans intendit formaliter communicare composito per generationem vnionis, est sola forma substantialis,ipsa enim productio vnionis est vnitio formę cum materia & communicatio formæ,qua compositum formaliter constituitur, ergo forma ipsa licèt per illam actionem non generetur,est terminus formalis generationis.Confirmatur,licèt natura diuina non generetur,quia tamen est id, quod generans diuinum intendit formaliter filio communicare,ideo iuxta communem Theologorum sententiam est formalis terminus generationis diuinæ,sed forma substantialis est id, quod generans creatum intendit formaliter composito seu filio communicare,vt iam ostendi, ergo licèt forma non generetur,sed sola vnio,ipsa forma erit terminus formalis generationis creatæ, vel, dicito,si malueris solam vnionem esse terminum formalem productum talis generationis,quia ipsa sola vnio formaliter ac immediate per generationem producitur,formam vero esse terminum formalem communicatum, quia ipsa sola formaliter per illam compositi generationem communicatur, quo ratio contrariæ sententiæ diluitur.

CAPVT II.

Definitio generationis viuentis aperitur.

6
S Thom.1.p.q.27.art.1.Damasc.lib.1.fidei Orthodoxæ c.8.ex Arist.lib.7.met.c.8.text.28.Alensis, 1.p.q.42.Membr.2.& 3.D.Bonau. in 1.dist. 13.q.2. Richard.in 1.dist.13.art.1.q.3.Maior in 1.dist.13.q.1. Suar.lib.6.de Trinitate c.1.n.4.Mol.1.p.q.27.art.2. Vasq.tom.2.in 1.p disp.123.c.1. Conimbr.lib.1.de generatione c.4.q.10. Hurt. de generatione disp.1. sect.1.Tanner.1.p.disp.4.q.2.dub.8. Meratius, 1.p. disput.44.Arriaga disp.1.de generat. sect.4. Ouiedo controu.2.de generar.Complut.& Ioann.à S. Thoma,Carleton disp.2.de generat.sect.1.& communis schola Theologorum, sic viuentium generationem definit:

7
Est origo viuentis à viuente à principio coniuncto in similitudinem naturæ. Singulas definitionis particulas exponamus.*Origo viuentis*,vt ab ista ratione generationis alia quæuis generatio,qua res nõ viuens v. g.ignis ab alio producitur excludatur, *à viuente*, vt etiam excludatur generatio alia, quæ viuens aliquod

aliquod imperfectũ à principio nonviuente, ſcilicet à ſole progignitur *à principio*, nẽpe quod viuẽs actiue concurrat ad productionem viuentis, & non paſſiue tantum, qua ratione Eua ex coſta Adæ efformata fuit & ideo talis actio ab hac ratione generationis reijcitur. *Coniuncto*, ſcilicet quod aliqua pars ſubſtantiæ generantis ſit in ſubſtantia genita, nam in creatis materia quæ in Patre erat ſub forma ſeminis, & in matre ſub forma ſanguinis, & ſeminis manet intrinſece in prole genita ſub eius forma viuenti, & in diuinis eadem natura diuina, quæ eſt in Patre generante, eſt etiam in filio genito, atque ita ſemper generans videt aliquid ſubſtantiale ſui in prole genita, ratione cuius hæc dicatur eſſe ab illo tanquam à principio intrinſeco coniuncto; *in ſimilitudinem naturæ* non ſufficit quod oriatur terminus genitus ſimilis in eſſentia ipſi generanti, ſed neceſſario, requiritur, quod procedat illi ſimilis in natura. In hoc eſſentia & natura differunt quod eſſentia eſt illa primaria ratio, qua res in ſuo eſſe formaliter conſtituitur, natura vero ſtrictè accepta eſt ipſa eſſentia viuentis, vt eſt radicaliter principium operandi & producendi aliud viuens. Ergo ad rationem huius genationis requiritur, quod terminus oriatur ſuo principio ſimilis in natura, hoc eſt, in eius eſſentia, vt radicaliter apta ſeipſam communicare, & producere aliud ſuppoſitum viuens. Hæc autem ſimilitudo non requiritur quod ſit in ſpecie infima, mulus enim eſt propriè & ſtrictè genitus à iumento & equa, à quibus ſpecie differt; ſufficit ergo quod ſit ſimilitudo in natura ſecundum rationem genericam, talis verò, vt ratione illius terminus genitus ſit capax bonorum parentum & in rationabilibus capax ſit mutuæ beneuolentiæ ipſorum, & erga ipſos.

8 Hinc rationem deprehendo, quare Verbum diuinum genitum, ac filius verè dicatur, non verò ſpiritus Sanctus; & Verbi diuini proceſſio ſit verè & ſtrictè generatio, non autem proceſſio ſpiritus Sancti, vtraque quidem proceſſio eſt origo viuentis à viuente, à principio coniuncto in ſimilitudinem eſſentiæ, nam etiam ſpiritus Sanctus ex vi generationis accipit à Patre, & Filio eſſentiam diuinam. At proceſſio Verbi eſt origo in ſimilitudinem naturæ, nam Verbum diuinum per proceſſionem accipit à Patre eſſentiam diuinam, vt eſt radicale principium ſe ipſam communicandi, & ſpirandi ac producendi aliud ſuppoſitum viuens increatum, ſcilicet ſpiritum Sanctum, & ideo talis Verbi proceſſio eſt ſtrictè generatio, & Verbum eſt proprie genitum ac Filius Patris æterni. Proceſſio verò ſpiritus Sancti non eſt origo illius à Patre, & Filio in ſimilitudinem naturæ, quia Pater, & Filius non dant per proceſſionem ſpiritui Sancto ſuam eſſentiam quatenus eſt principium ſeipſam cõmunicandi & producendi aliud ſuppoſitum viuens increatum, ſpiritus enim Sanctus nec ſpirat nec poteſt aliam diuinam perſonam ſpirare, & ideo eius proceſſio non eſt proprie generatio, nec ipſe eſt ſtrictè genitus nec filius, ſed tantum procedens & ſpiratus à Patre & Filio. Hanc rationem expreſſe attigiſſe videtur Concilium Florentinum ſeſſione vltima, vbi probans contra Græcos ſpiritum Sanctum etiam à Filio procedere, hæc inquit, *nam credentes ſpiritum Sanctum ex Filio nequaquam procedere, neceſſe eſt, vt intelligant ſpiritum à ſolo Patre procedere, & conſequenter non eſſe filium*: ecce apertis Verbis aſſerit Concilium, quod ſi ſpiritus Sanctus non procederet à Filio, ſcilicet à Verbo diuino ſed à ſolo Patre, Filius ſcilicet Verbum diuinum non eſſet Filius, etenim illa verba Concilij *& conſequenter non eſſe Filium*, non ad ſpiritum Sanctum, ſed ad ſolum Filium, ac Verbum diuinum ſunt referenda, aliàs Cõcilium nullum inferret abſurdum contra Græcos, qui etiam cum illo aſſerebant ſpiritum Sanctum non eſſe Filium, atqui Verbum tunc procederet à Patre vt ſimile in eſſentia diuina, & ſolum illi deeſſet procedere ab illo ſimile in natura ſcilicet in principio producendi, ac ſpirandi aliud ſuppoſitum viuens, ſcilicet ſpiritum ſanctum, ergo iuxta mentem Concilij ideo Verbum eſt Filius, & vere genitus quia oritur ſimilis Patri in natura, ſcilicet in principio ſpirandi, & conſequenter ideo ſpiritus Sanctus non erit verè genitus nec Filius, quia hoc modo non procedit à Patre & Filio.

Sed obſerua ea omnia, quæ in præfata generationis definitione explicuimus etiam plantæ conuenire, quæ ex ſemine alterius plantæ ſimilis producitur, atque ideo etiam plantam verè & proprie generari, non tamen habere nomen Patris aut Filij, quia hæc nomina tantum illis, quæ alicuius cognitionis; & amoris ſunt capacia communiter adaptantur vt primæ & ſecundæ perſonæ in diuinis & hominibus in creatis. 9

Sed inquirat rurſus quis, quænam ſit cauſa principalis in productione viuentium. Aliqui exiſtimant eſſe vnionem animæ rationalis cum corpore, per eam enim dicimus hominem generari, ergo illa erit principalis cauſa generationis viuentium; alij propriùs aſſerunt cauſam principalem generationis in viuentibus eſſe animam matris, cum illa ſemper ſit præſens effectui producto in prima illius productione, non ſic anima Patris, cum tunc temporis ſit diſtans, hæc vera ſunt apud Philoſophos & Medicos, qui tam matrem, quam fœminam efficienter ad generationem viuentium concurrere autumant. Conſule Hurtadum, qui longè de hac materia diſſerit diſp. 12. de generatione ſect. 5. 6. & Arriagam diſp. 11. de generat. ſect. 6. 10

Opinor tamẽ cum alijs Neotericis cauſam principalem tum in generatione hominis, tum aliorum viuentium quæ ex ſemine producuntur (non ex putredine vt vermis) eſſe ipſum ſemẽ ſecundũ illam partem magis ſubtilem & actiuam, quæ remanet in generatione fœtus, aliæ verò partes craſſiores ſimul cum ſanguine inſeruiũt pro materia ex qua corpus animalis compactum eſt. Probatur manifeſtè, generatio in conceptu ſuo eſſentiali dicit vnitionem animæ cum corpore, ſeu productionem vnionis inter illa, vt docuimus ſupra cap. 1. num. 3. Sed ſemen ſimul cum accidentibus poteſt vt cauſa principalis producere illam vnionem, ergo illud ſemen erit cauſa principalis: minor pobatur, non eſt cur ſemen non ſit perfectius hac vnione, cum ſemen ſit ſubſtantia cõpleta vnio, tantum modus, & quid incompletum, & magis quid ſubſtantiale, qua ſubſtãtia, ergo. Confirmatur, quia hac ratione aſſignamus vni formæ cauſam in generatione omnium viuentium, quæ naturali modo producuntur, nempe *ſemẽ* cum alij vnam aſſignant cauſam pro animalibus vt animam matris, aliam pro vegetatiuis, nempe cælum vel cauſam primam; pro plantis vero probabiliter dici poteſt ſemen tanquam cauſam principalẽ producere non ſolum vnionem ſed etiam ipſas formas ſubſtantiales plantarũ, maximè ſi habeãt vitam vegetatiuam vt inſinuant Ariſt. & D. Thom. nos verò æqualem concurſum vtrique parenti in actione generatiua fœtus tribuimus, non autem alij ſic, qui totum concurſum effectiuum tribuũt ſoli matri in qua ſententia Pater non tam propriè produceret Filium, quam Mater, cum ille non omnino concurreret effectiue ad prolem, in noſtra vero ſententia vterque parens eſt cauſa principalis prolis, 11

conueniendo effectiue ad eam per aliquid sui, quod in definitione generationis desideratur.

12 Sed objciat quis primo: vnio est perfectior semine, quia constituit intrinsecè hominem & alia composita substantialia. Secundo vnio est quid vitale, non sic semen. Tertio, actio generatiua est vitalis procedens à principio vitali, sed semen non est vitale, ergo non potest esse causa principalis generationis substãtialis. Obiecta sic dissoluo: ad primum, Resp. instando paritatem in materia prima quæ vt pars intrinseca constituit hominem, & tamen nullus dicet materim primam esse semine perfectiorem. Ad secundum dico vnionem non dici vitalem, quia in se vitam habeat, quia nec rationalem, sensitiuam. aut vegetatiuam habet, ergo nullã; sed quia spectat ad constitutiontm viuentis, quia producta vnione, constituitur viuens, materia etiã prima pertinet ad constitutionem viuentis, & tamen vita nõ viuit. Ad tertium. Resp. actionem generatiuam non dici vitalem immanenter, sed transeunter, sicut cum Deus solus producit hominem, vel Angelũ, producit quidem aliquid vitale, sed non vitali modo, sic etiam actio dicitur vitalis, quia tendit in terminum vitalem, sicut & vnio dicetur substantialis & conuersio, quia afficit terminum substantialem, alia autem, quæ ad formationem viuentium spectant magis medica sunt, quam nostri instituti.

CAPVT III.

An generatio sit conuersio, & in quo hæc formaliter consistat.

13 COnuersio *est transitus vnius rei in aliam.* vt quando lignum in ignem conuertitur, aut homo in cadauer mutatur; vbi duæ inueniuntur mutationes, altera priuatiua, positiua alia: mutatio priuatiua est transitus ab esse positiuo rei ad priuationem seu negationem ipsius, v.g. ab esse ligni ad priuationem ipsius ligni. Mutatio positiua est transitus à priuatione seu negatione rei ad esse positiuum illius, v.g. à priuatione ignis, quæ erat in ligno ad ipsum esse ignis; conuersio autem has duas mutationes essentialiter includit, quia per illam vna res desinit esse, & habet esse alia, cum sit transitus vnius rei in aliam. vnde conuersio debet necessario habere duos terminos positiuos, alterum, qui in aliud conuertatur, & desinat esse per conuersionem, & dicitur terminus *à quo*, alterum in quem conuertatur aliud, qui dicitur terminus ad quem.

14 Sed obseruare oportet, ad rationem conuersionis omnino necessario requiri prædictas duas mutationes, positiuam, & negatiuam esse inter se mutuo connexas, ita vt positio, aut existentia termini *ad quem*, inferat necessario desitionem termini *à quo*. & etiam inferatur ex ipsa. Probatur clarè, quando modò in vniuerso plura desinunt esse, & plura alia producuntur; non dicimus quamlibet rem ex illis, quæ desinunt esse, in quamlibet aliam ex illis, quæ producuntur, conuerti, quia productio vnius non habet connexionem cum desitione alterius, aliàs si hæc connexio non esset ad rationem conuersionis necessaria, nulla esset ratio, cur quælibet res, quæ desineret esse, in quamuis aliam, quæ inciperet, non conuerteretur; ergo ad rationem conuersionis, necessariò desideratur, quod positio aut existentia vnius cum desitione alterius necessariò connectatur.

15 Hæc autem conuersio sic explicatur: alia est accidentalis, quæ est transitus vnius entis accidentalis in aliud ens accidentale, v.g. frigidi in calidum, vbi dici potest frigidum fieri calidum, quia idem ens naturale completum manet sub vtraque forma frigoris, & caloris, quod præcisè secundum se tales denominationes patitur; alia est substantialis, quæ est transitus vnius substantiæ in aliam substantiam v.g. ligni in ignem, in qua dici potest ex ligno fieri ignem non verò lignum fieri ignem, quia non manet sub forma ignis idem ens naturale completum, quod habebat denominationem ligni, vt supra ex Aristotele notauimus numero 2. Item conuersio alia est formalis, quæ est transitus materiæ ab vna forma ad aliam, v.g. formæ ligni ad formam ignis, vel vnius informationis ad aliam informationem, v.g. informationis formæ rationalis ad informationem formæ cadaueris, nam informatio etiam est forma saltem modalis. Alia est materialis, quæ est transitus vnius materiæ in aliam, vt si vna forma inciperet (volente Deo) informare vnam materiam, & ex vi huius desineret informare aliam, quæ ab omni forma deserta naturaliter destrueretur. Rursus conuersio substantialis, alia est partialis, quæ est transitus partialis substantiæ in aliam substantiam partialem, vt formæ ligni in formam ignis, alia est totalis, quæ est transitus vnius substantiæ totalis, in aliam substantiam totalem, vt conuersio Eucharistica substantiæ panis in substantiam corporis Christi quæ à Concilijs & Patribus verè & propriè transubstantiatio appellatur. Omissa ergo conuersione accidentali solum quærimus in quonam formalis ratio conuersionis substantialis sita sit.

Tres adinuenio sentẽtias: prima sententia est, cõ- 16
uersion ẽ substantialem non esse formaliter actionẽ, aut desitionem aliquam, sed formalem quamdam denominationẽ ordinis in re, quæ desinit esse, relata ad aliam, quæ est causa talis decisionis tanquam ad terminum *ad quem*, ita vt per illam denominationem formalem, vna res denominetur non esse, quia alia est, vnde quando lignum in ignem conuertitur, licet interueniant ibi desitio ligni, & productio ignis, neutra tamen est formaliter conuersio, sed formalis illa denominatio ordinis, qua lignum denominatur non esse quia est ignis. Similiter ergo in Eucharistia conuertitur panis in corpus Christi, quamuis dentur ibi desitio substantiæ panis, & actio adductiua saltem substantiæ corporis Christi, neutra tamen est conuersio substantialis, sed formalis illa denominatio ordinis, qua substantia panis denominatur non esse, quia substantia quæ est sub accidentibus panis est verè substantia corporis Christi, hoc enim est vnam substantiã in aliam formaliter, & propriè conuerti. Ita Scotus in 4. dist. 11. qu. 1. Vasquez tom. 1. in 3. part. disp. 181. cap. 11. & sequentibus citans D. Thomam 3. part. qu. 75. art. 4. ad primum & in 4. dist. 11. qu. 1. art. 2. Bonauentura, in 4. dist. 11. part. 1. art. 1. qu. 2. Alensis 4. part. qu. 10. membr. 5. art. 3. & 4. Ricardus in 4. dist. 11. art. 1. qu. 5. Ferrara 4. contra gent. cap. 63. Cardinalis Bellarminus lib. 1. de Eucharistia cap. 18. Cardinalis de Lugo disp. 7. de Eucharistia sect. 6. Turrianus opusc. 14. disput. 1. dub. 5. Ouiedo controuers. 2. de generat. part. 5. num. 22.

Secunda sententia est conuersionem substantia- 17
lem esse formaliter actionẽ quãdam ex vi cuius absolute desinit esse aliqua substãtia, & alia substantia producitur non quidẽ necessario quoad aliquid substantiale, sed saltẽ secundũ aliquod ipsius munus accidẽtale: vnde si ex vi alicuius actionis hæc substantia panis destruatur, & sub eius accidẽtibus alia substãtia panis, quæ antea existebat, constituatur, ita vt solũ producatur accidentalis vnio, qua hæc substãtia panis de nouo sustẽtet accidẽtia illius, quæ desinit esse, talis actio erit vere substantialis conuersio

vnius

vnius ſubſtantiæ panis in aliam panis ſubſtantiam & ſic de alijs, ita Scotus in 4.diſt.11. q. 8. art. 2.§. quantum ad iſtum art. Carleton diſp. 3.de generatione ſect. 2.3.4. & 5. Suarez, Coninch, Tannerus, Alanus, Valentia, Hurtado, Meratius, Enricus, & alij, qui omnes actionem conuerſiuam conſtituunt, vel in eo quod terminum formalem illius conuerſionis reſpiciat, vel in illo modo accidentali nouiter producto.

18 Tertia ſententia eſt, conuerſionem ſubſtantialem eſſe neceſſario ac formaliter ſolam illam actionem, ex vi cuius deſinit eſſe vna ſubſtantia & producitur alia ſubſtantia quoad aliquid ipſius ſubſtantiale, hoc enim præciſe eſt vnam ſubſtantiam in aliam formaliter conuerti, vnde vt vna forma ſubſtantialis vere conuertatur in aliam, requiritur, quod ſit actio ex vi cuius vna forma ſubſtantialis deſinat eſſe, & alia forma ſubſtantialis abſolute producatur: ſimiliter vt ſubſtantia panis in Euchariſtia in ſubſtantiam corporis Chriſti Domini conuertatur debet neceſſario dari aliqua noua actio phyſica, ex vi cuius ſubſtantia panis deſinat eſſe, & ſubſtantia corporis Chriſti producatur. Ita Durandus in 4.diſt.11. q3. Capreolus in 4.diſt. 11. Sotus in 4. diſt. 9. q.2. artic.4. Cardinalis Alanus lib.1.cap.34.34.36.& 37. Suarez tom.3.in 3,p.diſp. 50. ſect.2.& 5. Coninch 3.p.q.75.art.4.dub.3. Valent.3.p. diſp.6.q.3 punct. 1. Enriquez lib.8. de Euchariſtia c.22.& 25. Moncæus diſp.11.cap.9.& 14. Meratius 3.p.diſp. 12.ſect.1.n. 2.& diſp.16.ſect.2. Præpoſitus 3.p.q.75. art. 8. diſp. 2. Tannerus 3.p. diſp. 5. q.4. n.53. Hurtado diſp.2. de generatione ſect.4.n.19. Arriaga diſp.1. de gener. ſect.3.n.17. D. Thomas 3.p.q.2.art.1. & alij.

19 Præmitto, vt vna ſubſtantia in aliam vere conuertatur, neceſſario requiri, quod ſubſtantia quæ conuertitur, abſolute deſinat eſſe. In hoc omnes ferè conueniter communiunt. Probatur, quando homo decedit, & in cadauer mutatur, anima rationalis non vere conuertitur in formam cadaueris, ſed tantum homo conuertitur in cadauer, ſed hoc non alia ratione, niſi quia anima rationalis abſolute non deſinit eſſe, ſed ſolum quod munus informandi, homo verò ex defectu vnionis abſolute deſinit eſſe, ergo vt vna res vere conuertatur ſubſtantialiter in aliam requiritur, quod abſolute deſinat eſſe quoad aliquid ſui ſubſtantiale. Hinc ſumitur ratio à priori, quia vnam ſubſtantiam conuerti in aliam eſt deſinere eſſe in illam iuxta acceptionem communem, ſed vna ſubſtantia non poteſt deſinere eſſe in aliam niſi abſolute deſinat eſſe in ſeipſa, ergo vt vna ſubſtantia vere conuertatur in aliam requiritur, quod abſolute deſinat eſſe in ſe ipſa.

20 Assertio prima: conuerſio ſubſtantialis non eſt ſola illa formalis denominatio ordinis in ſubſtãtia, quæ deſinit eſſe relata ad aliam ſubſtantiam quæ eſt cauſa illius deſitionis tamquam ad terminum, ratione cuius denominationis vna ſubſtantia denominetur non eſſe, quia alia ſubſtantia eſt, ſed neceſſario ac formaliter aliquam actionem includit. Hæc militat directè contra P Vaſquez vbi ſupra Probatur primo: Tranſubſtantiatio Euchariſtica panis in corpus Chriſti eſt vera ſubſtantialis conuerſio fide magiſtra, & tamen neceſſario ac formaliter includit aliquam actionem ex vi cuius ſit aliquo modo corpus Chriſti & deſinat eſſe panis, ergo conuerſio ſubſtantialis neceſſario ac formaliter aliquam actionem includit. Minor probatur, conuerti vnam ſubſtantiam in aliam eſt formaliter non eſſe vnam ex vi alterius, vel quia eſt alia, ſed ſecluſa aliqua actione, ratione cuius ſit aliquo modo corpus Chriſti, & deſinat eſſe panis nõ poteſt intelligi, quod ſubſtantia panis non ſit ex vi corporis Chriſti, vel quia eſt ſubſtantia corporis Chriſti, ergo ſecluſa tali actione non poteſt formaliter intelligi panem verè conuerti in corpus Chriſti, ergo hæc conuerſio ſubſtantialis aliquam actionem neceſſario ac formaliter includit. Minor oſtenditur, corpus Chriſti ſecundum ſe nullam habet oppoſitionem cum ſubſtantia panis, ergo ſecluſa actione, ratione cuius corpus Chriſti ſit, & panis deſinat eſſe, non poteſt intelligi, quod ſubſtantia panis non ſit ex vi ſubſtantiæ corporis Chriſti.

Dicat quis cum P. Vaſquez vbi ſupra & diſp.80. 21
cap.4. corpus Chriſti licet ſecundum ſe non habeat oppoſitionem cum ſubſtantia panis, habere tamen oppoſitionem cum illa ſuppoſita veritate verborum Chriſti. *Hoc eſt corpus meum* nam illud pronomen demonſtratiuum *hoc* cadens ſupra ſubſtantiam, quæ eſt ſub accidentibus panis, ſi ſub illis eſſet eorum ſubſtantia propria, ſcilicet ſubſtantia panis ſolum appellaret ſupra illam & faceret hunc ſenſum *ſubſtantia panis eſt corpus Chriſti.* quod eſt aperte falſum, vt ergo illa Chriſti Domini verba ſint vera requiritur, quod, ſub illis accidentibus non ſit ſubſtantia panis, ſed tantum ſubſtantia corporis Chriſti ſubrogata loco illius, ac proinde ſuppoſita veritate verborum corpus Chriſti habet oppoſitionem cum ſubſtantia panis, & hæc præciſa quauis actione non eſt ex vi ſubſtantiæ corporis Chriſti. 22

Sed impugnatur, vt vna ſubſtantia vere conuertatur in aliam neceſſario requiritur, quod terminus *à quo* non ſit vel deſinat eſſe ex vi termini ad quem, non quidem ob ſolam oppoſitionem extrinſecam, quam habet terminus *ad quem* cum termino *à quo* ſed propter oppoſitionem intrinſecam, quam habet vnus terminus cum alio in ratione termini, atqui ſuppoſita etiam veritate verborum corpus Chriſti non habet oppoſitionem intrinſecam in ratione termini ad quem cum ſubſtantia panis, ſed tantum extrinſecam, ſecluſa aliqua actione, atque ita Terminus *à quo* ſcilicet ſubſtantia panis non deſinit eſſe ex vi termini ad quem ſcilicet corporis Chriſti propter oppoſitionem intrinſecam in ratione termini, ſed tantum extrinſecam, ergo ſecluſa aliqua actione etiam poſita verborum veritate ſubſtantia panis non poteſt vere conuerti in ſubſtantiam corporis Chriſti. Maior probatur: ſi Deus haberet voluntatem extrinſecam, qua vellet ſub accidentibus panis eſſe ſolam ſubſtantiam hominis, tunc ſubſtantia panis deſineret eſſe vi ſubſtantiæ hominis propter oppoſitionem extrinſecam prouenientem illi ex extrinſeca voluntate Dei, & tamen vna ſubſtantia tunc vere non conuerteretur in aliam vt ipſe Vaſquez admittit vbi ſupra c.12. num. 127. ergo vt vna ſubſtantia vere conuertatur in aliam requiritur, quod deſinat eſſe ex vi alterius, non ob ſolam oppoſitionem extrinſecam, ſed propter oppoſitionem intrinſecam quam habet cum illa in ratione termini. Minor etiam ſic oſtenditur, corpus Chriſti ſecundum ſe præciſe eſt terminus *ad quem* talis conuerſionis, nam panis ſolum conuertitur in corpus Chriſti ſecundum ſe præciſe, & tamen corpus Chriſti ſecundum ſe præciſe non habet oppoſitionem cum ſubſtantia panis, ſed tantum aduenit illi extrinſece à veritate verborum, quæ eſt ipſi corpori extrinſeca, ergo etiam poſita veritate verborum corpus Chriſti non habet in ratione termini *ad quem* oppoſitionem intrinſecam cum ſubſtantia panis, ſed tantum extrinſecam.

Confirmatur principaliter, ſubſtantia creata panis 23
v.g. non poteſt adæquate cõuerti in ipſam deitatem vt omnes communiter fatentur, & ipſe Vaſquez concedit tom.3.in 3.p.diſp.184.c.4.n.31. Sed ſi conuerſio

uersio nullam actionem includeret, sed tantũ illam denominationem ordinis, qua vna res denominatur non esse, quia est alia supposita veritate verborum Christi, etiã substantia panis posset cõuerti in Deitatem adæquate, ergo conuersio non consistit formaliter in tali denominatione, ac relatione, sed aliquam actionem includit. Minor probatur, si Christus hæc verba proferret, *hæc substantia est deitas*, signatis accidentibus panis, deitas ex vi verborum haberet oppositionem cum substantia panis, sicut illam de facto habet corpus Christi, & substantia panis desineret esse ex vi deitatis suppositа illorum verborum veritate, sicut modo desinit esse ex vi corporis Christi, ergo sicut modo substantia panis conuertitur adæquatè in corpus Christi, tunc etiam substantia panis conuerteretur in deitatem adæquatè.

24 Assertio secunda, conuersio substantialis non est actio ex vi cuius aliqua substãtia desinit esse, & alia substantia solum producitur, quoad munus aliquod accidentale, v. g. quoad munus sustentandi accidentia, quæ ab alia substantia sustentabantur, sed necessario requiritur, quod per illam aliquid substantiale producatur. Hæc est contra auctores secũdæ sententiæ. Probatur primo, conuersio vt sic formaliter tam essentialiter petit terminũ *ad quem*, qui habeat esse per illam, quàm petit terminum *à quo*, qui per illam desinat esse, est enim conuersio transitus termini *à quo* ad terminum ad quem, sed conuersio substantialis petit necessario & essentialiter, quod aliqua substantia per modum termini *à quo*. desinat esse, non quidem, quoad munus aliquod accidentale, sed quoad aliquid essentiale, vt supra ostendi numero 15. ergo eadem substantialis conuersio petit necessario & essentialiter, quod aliqua substantia per illam producatur, non quidem quoad munus aliquod accidentale, sed quoad aliquid substantiale, aliàs habere non poterit veram rationem substantialis conuersionis.

25 Probatur secundo, conuersio vt sic formaliter est aliqua actio, vt iam ostendimus, & aduersarij, quos impugnamus, concedunt, sed non datur actio substantialis, quæ ex parte termini ad quem non producat aliquid substantiale, nam ab isto termino talis actio speciem sumit, ergo non datur etiam conuersio substantialis, qua ex parte termini *ad quem*. non fiat aliquid substantiale, atqui conuersio illa, qua vna substantia panis fieret vnita accidentibus quæ antea ab alia panis substantia sustentabantur, non efficit ex parte termini ad quem aliquid substantiale, sed tantum vnionem illam accidentalem, ergo illa non est verè conuersio substantialis.

26 Dicat aliquis, sicut actio qua alimentum conuertitur in substantiam hominis est conuersio formalis, quia licet per illam non producatur forma ex parte termini *ad quem*. scilicet anima rationalis, tamen per illam talis forma vnitur materiæ & informat ipsam materiam, ita similiter actionem, qua vna substantia ponitur sub accidentibus quæ ab alia substantia sustentabantur esse conuersionem substantialem, quia licet per eam substantia non producatur ex parte termini ad quem, tamen per talem actionem substantia accidentibus vnitur, & sustentat illa. Sed contra, ideo conuersio alimenti in substantiam hominis est conuersio formalis, quia per illam verè producitur aliqua vnio & informatio, quæ verè est forma saltem modalis, atqui per illam actionem, qua vna substantia ponitur sub accidentibus alterius, & ea accidentia sustentat, solum producitur vnio inhæsiua accidentium cum substantia quæ non est quid substantiale, sed merè accidentale, ergo talis actio non est conuersio substantialis vnius substantiæ in aliam, sed solum, conuersio accidentalis vnius compositi accidentalis in aliud compositum accidentale, scilicet vnius albi in aliud album. Consequentia tenet cum minori, maior autem sic probatur: conuersio, qua homo in cadauer conuertitur, est verè conuersio formalis, quia licet forma rationalis non desinat esse nec conuertatur in formam cadaueris, tamen informatio ac vnio formæ rationalis desinit esse & conuertitur in vnionem & informationem formæ cadaueris, quæ quidem vnio est verè forma saltem modalis, ergo ideo conuersio alimenti in substantiam hominis erit conuersio formalis, quia licet per eam non producatur forma rationalis nec in illam conuertatur forma alimenti, tamen huius informatio & vnio conuertitur in vnionem, & informationem formæ rationalis, & vtraque informatio, ac vnio est verè forma saltem modalis.

Confirmatur: actio, qua subiectum fit album, vel 27
frigidum, ponit substantiam sub accidentibus tanquam sustentantem illa, & tamen, quia tantum producit aliquid accidentale, non est actio substantialis, sed tantùm accidentalis, ergo prædicta conuersio licet per illam ponatur vna substantia sub accidentibus alterius tanquam sustentans ipsa, quia tamen per eam non producitur, nisi aliquid accidentale, non erit conuersio substãtialis, sed accidentalis.

Assertio tertia, substantialis conuersio est actio illa, ex vi cuius vna substantia desinit esse, & alia substantia producitur secundum esse aliquod substantiale. Ita auctores tertiæ sententiæ. Probatur primo auctoritate D. Thomæ 3. p. qu. 2. art. 1. vbi asserit nullam rem in Deum posse conuerti, eo, quod Deus est ingenerabilis & improducibilis, ergo S. Thomas supponit ad veram conuersionem desiderari terminum formalem productum, alioquin illius ratio esset inefficax, & non bene probaret.

Probatur secundo, substantialis conuersio neces- 28
sario est aliqua actio, scilicet, vel qua producatur aliquid accidentale, vel qua producatur aliquid substantiale, vt prima assertione ostendi, sed non est actio, qua producitur aliquid accidentale vt monstraui assertione secunda, ergo est actio, qua producatur aliquid substantiale. Confirmatur, conuersio substantialis est transitus vnius substantiæ in aliam substantiam vt omnes admittunt, sed actio ex vi cuius vna substantia desinit esse, & producitur verè alia substantia est strictè, & propriè transitus vnius substantiæ in aliã, ergo talis actio est verè conuersio substantialis. Confirmatur tertio, quia in quæstione de nomine standum est communiori acceptioni, sed communius docetur dari terminum productum actionis conuersiuæ, quam contrarium, ergo absolutè tenendum est substantialem conuersionem esse actionem ex vi cuius vna substantia desinit esse, & alia substantia producitur.

Objiciat aliquis primo, in Eucharistia potuit 29
esse vna substantialis conuersio substantiæ panis in substantiam corporis Christi absque actione, qua producatur substantia corporis Christi, ergo substantialis conuersio non est formaliter actio, qua aliqua substantia desinat esse, & alia substantia necessario producatur. Antecedens probatur ex Concilio Tridentino sess. 16. cap. 4. vbi docet Concilium, ex eo quod Christus Dominus verè dixerit *Hoc est corpus meum*. Ecclesiam intulisse substantiam panis in Eucharistia verè, ac necessario conuerti, ac transubstantiari in substantiam corporis Christi, atque ita id præcisè requiritur ad substantialem conuersionem Eucharisticam, quod requiritur, vt verificentur illa verba Christi Domini, atqui ex eo præcisè, quod substantia panis destruatur & ponatur sub

ſub accidentibus illius ſubſtantia corporis Chriſti, abſque alia actione, qua corpus Chriſti iterum producatur, ſunt vera illa Chriſti Domini verba, *Hoc eſt corpus meum*, ergo in Euchariſtia poteſt eſſe vera ſubſtantialis conuerſio ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti abſque actione, qua producatur ſubſtantia corporis Chriſti.

Reſpondeo Eccleſiam, vt definit Concilium, collegiſſe ſubſtantialem conuerſionem Euchariſticam 31
ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti, ex eo, quod prædicta verba Chriſti Domini ſint vera, non quidem ſpeculatiuè tantum, ſed etiam practice, eſſe autem practice vera eſt operari, & efficere, quod ſignificant, vnde cum verba illa Chriſti Domini directè ſignificent, non quidem, quod corpus Chriſti ſit in illo loco, alias diceret, *hic eſt corpus meum*. Sed quod ſubſtantia illa contenta ſub accidentibus panis ſit ſubſtatialiter corpus Chriſti, & etiam ſignificent indirectè talem ſubſtantiam non eſſe ſubſtantiam panis, nam ſi eſſet panis ſubſtantia non eſſet corpus Chriſti, ideo illa verba, quæ practice vera ſunt debent efficere directe, non quod corpus Chriſti ſit in illo loco, ſed quod ſubſtantia illa contenta ſub accidentibus panis ſit ſubſtantialiter corpus Chriſti, atque ita debet neceſſario eſſe actio productiua ſubſtantiæ corporis Chriſti, & etiam debent indirectè efficere quod ibi deſinat eſſe, ac deſtruatur ſubſtantia panis, quæ antea erat, quapropter ex veritate practica verborum Chriſti colligitur in Euchariſtia eſſe actionem ſubſtantialem ex vi cuius deſinat eſſe ſubſtantia panis, & producatur ſubſtantia corporis Chriſti, alias verba Chriſti Domini non eſſent practice vera, & in hac quidam actione illa ſubſtantialis conuerſio, & tranſſubſtantiatio conſiſtit. Hæc eſt genuina interpretatio Concilij quam huc vſque impugnatam non inuenio.

Objiciat ſecundo, ſi verba illa Chriſti Domini 32
verè efficerent ſubſtantiam corporis Chriſti in Euchariſtia Chriſtus efficeret ſeipſum, atqui res aliqua non poteſt efficere ſeipſam, aliàs diceret realem ordinem ad ſeipſam & eſſet prior ſeipſa, quod implicat, ergo verba Chriſti non efficiunt ſubſtantiam corporis Chriſti in Euchariſtia, ergo abſque actione productiua ſubſtantiæ Chriſti datur conuerſio ſubſtantialis in Euchariſtia. Reſp. cum cauſa phyſica cauſet per ſeipſam tanquam per rationem agendi non poſſe rē aliquam eſſe cauſam phyſicam ſui ipſius, ſequeretur enim quod eſſet prior ſeipſa, vt argumentū conuincit, cum verò cauſa moralis non cauſet per ſe ipſam, ſed per complacentiam operantis tanquam per rationē cauſandi iuxta dicta proportionaliter ſupra de cauſa finali diſp. 21. Phyſicorum cap. 2. recte poſſe aliquam rationē eſſe cauſam moralem ſui ipſius, non enim ſequitur, quod ipſa ſit ſeipſa prior, ſed quod complacentia operantis, quæ eſt ratio cauſandi, ſit tantum per ſe prior illa, quod non repugnat, cum ab illa diſtinguatur, vnde verba illa Chriſti Domini, vel ipſe Chriſtus non eſt cauſa phyſica ſui ipſius in Euchariſtia, eſt tamen cauſa moralis mouens per diuinam complacentiam tanquam per rationem cauſandi voluntatem Dei, vt ipſe ſolus efficiat phyſicè ſubſtantiā corporis Chriſti in Euchariſtia conuertendo ſubſtantiam panis in illam, quod non implicat, cum complacentia Dei in operibus Chriſti, quæ ſola eſt per ſe formalis ratio cauſandi moraliter, reipſa diſtinguatur à ſubſtantia corporis Chriſti, quæ vt producta, & exiſtens iam vna actione mouet, & allicit Deum, vt alia diuerſa actione ab illo iterū in Euchariſtia phyſice producatur, ſicut allicit ſanitas apprehēſa ad effectū ipſius.

Objiciat tertio, actio productiua ſubſtantiæ cor- 33
poris Chriſti, etſi in Euchariſtia detur, nō poteſt eſſe conuerſio ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti, ergo conuerſio ſubſtātialis Euchariſtica non includit formaliter actionem productiuā ſubſtantiæ corporis Chriſti. Conſequentia tenet. Antecedens ſic oſtendo, cōuerſio ſubſtantialis formaliter eſt illa ex vi cuius deſinit eſſe aliquid, vt terminus *à quo*, & eſt aliquid tanquam terminus *ad quem*, ſed ex vi actionis productiuæ corporis Chriſti in Euchariſtia, licet ſit corpus Chriſti, tanquam terminus *ad quem*, tamen non deſinit eſſe ſubſtantia panis tanquam terminus *à quo*, ergo talis actio, & ſi detur, non eſt ſubſtātialis conuerſio panis in corpus Chriſti. Minor probatur, actio phyſica, ratione ſui ſolum habet producere terminum *ad quem*, non verò deſtruere terminum *à quo*, dicitur autem ex vi alicuius actionis deſtrui terminus *à quo*, quia talis actio producit terminum *ad quem*, incompoſſibilem cum termino *à quo*, v.g. quia ignefactio producit formam ignis incompoſſibilem cum forma ligni, ex vi ignefactionis deſtruitur forma ligni, ſi autem forma ignis non haberet oppoſitionem cum forma ligni, nunquam hæc ex vi ignefactionis periret, atqui actio productiua corporis Chriſti in Euchariſtia ſolum producit terminum *ad quem*, ſcilicet corpus Chriſti nullo modo incompoſſibile cum ſubſtantia panis vt per ſe conſtat, ergo ex vi talis actionis, licet producatur corpus Chriſti tanquam terminus *ad quem*, non deſinit eſſe ſubſtantia panis tanquam terminus *à quo*. Huic argumento variæ adhibentur ſolutiones, quas non eſt huius loci examinare.

Reſpondeo tamen actionem dependentem à ſubiecto non poſſe ratione ſui, ſed tantum ratione termini *ad quem*, eſſe deſtructiuam termini *à quo*, vt argumentum conuincit, actionem verò independentem à ſubiecto etiam ratione ſui præciſe poſſe eſſe productiuam termini *ad quem*, & deſtructiuam termini *à quo*, licet vnus terminus ſecundum ſe non habeat incompoſſibilitatem cum alio, ratio eſt, quia actio independens à ſubiecto eſt formaliter volitio abſoluta Dei producendi rem, vt latè probaui diſput. 24. phyſic. cap. 2. atque ita idem formaliter eſt Deum agere rem, ac Deum abſolutè velle, quod res producatur. vnde cum Deus per eamdem indiuiſibilem volitionem poſſit formaliter velle, quod deſtruatur ſubſtantia panis vt iterum producatur in Euchariſtia ſubſtantia corporis Chriſti, quamuis hæc ſecundum ſe non ſit incompoſſibilis cum illa; ideo ex vi vnius actionis formaliter poteſt deſtrui ſubſtantia panis & produci corpus Chriſti, quamuis corpus Chriſti ſecundum ſe non ſit incompoſſibile cum ſubſtantia panis. talis ergo datur actio in Euchariſtia ratione ſui deſtructiua panis, & productiua corporis Chriſti, & ita eſt vera conuerſio. 34

Sed ſolutionem quis vrgeat, poteſt Deus velle 35
abſolutè, quod deſinat eſſe Angelus, & producatur Petrus abſque eo, quod Angelus conuertatur in Petum, ergo ex eo, quod Deus abſolutè velit, quod deſinat eſſe panis, & producatur corpus Chriſti, panis non conuertetur ſubſtātialiter in corpus Chriſti. Reſp. ſi Deus duplici volitione velit, quod deſinat eſſe Angelus, & quod producatur panis tanquam obiecta diſparata non ordinando ſua volitione vnum ad aliud, tunc Angelus non conuertetur in Petrum, quia in tali caſu ex vi volitionis, & actionis, qua producitur Petrus, non deſinit eſſe Angelus, ſed tantum per accidens ex vi alterius. Si verò Deus vnica volitione velit deſtruere Angelum vt producatur Petrus, ſua volitione ordinando deſitionem Angeli ad paſſiuam productionem Petri,

tunc

tunc Angelus conuertetur in Petrum, quia ex vi vnius actionis per se desinit esse Angelus,& producitur ipse Petrus.Hoc ergo modo ex vi vnius actionis,ac volitionis Dei,desinit esse panis, & producitur corpus Christi, & ideo panis conuertetur in corpus Christi.

36 Hinc infero primo,quamlibet rem, siue substantialem, siue accidentalem, siue corpoream posse in quamlibet aliam quæ creari possit,verè transmutari, & conuerti.Ita D.Thomas 3.part.qu.75. art.4. ad 3. & Theologi communiter, quos recenset, & sequitur Suarez ibi disp.50.sect.10.& hoc non debere fidelibus dubio verti docet Cardinalis Bellarminus lib.3.de Eucharistia cap.13. Carleton disp.3.de generat. sect.8. num.7. negat tamen, quoad res spirituales Vasquez tom.3.in 3.part.disp.84.cap.2. n.16. Probatur : vnam rem conuerti in aliam est ex vi vnius actionis formaliter ac per se desinere esse vnam, & produci aliam, sed ex vi vnius actionis independentis à subiecto, formaliter ac per se potest desinere esse res quælibet, & produci quælibet alia res,quæ creari possit, potest enim Deus vna volitione absolutè velle, vt quæuis res desinat esse, & quælibet alia producatur,in qua volitione Dei talis actio formaliter consistit, ergo quæuis res potest in quamlibet aliam conuerti.

37 Infero secundo,creaturam non posse conuerti in Deum sub ratione Dei, nec econtra, ita D. Thomas 3.part.qu.2. artic.1. Vasquez dicta disp.84. cap.4. Suarez vbi supra dicta disput.50. sect. 10. §. *vltimo addo*, & plures quos ipse refert. Probatur, quia vt vna res conuertatur in aliã requiritur,quod vna desinat esse,& producatur alia,vt supra mõstrauimus, sed Deus sub ratione Dei, nec potest desinere esse nec produci,ergo nec Deus potest conuerti in creaturam nec creatura in Deum. Potest tamen creatura in hoc compositum, scilicet corpus deificatum conuerti, vt admittit Vasquez vbi supra num. 32. quia hoc compositum simpliciter producitur, sufficit enim quod vnio illa inter deitatem & corpus possit produci,vt totum illud compositum absolutè producatur.

38 Infero tertio,ad conuersionem,quæ fit per actionem dependentem à subiecto, requiri quod sit aliquid commune termino *à quo*, & termino *ad quem*, ad conuersionem verò, quæ sit per actionem à subiecto independentem, quæ est formaliter ipsa volitio Dei, non requiri quod sit aliquid commune vtrique termino *à quo*, & ad quem, atque ita nullo manente accidente rei, quæ desinit esse posse rectè, in aliam conuerti. Prior pars,quam communis sententia amplectitur, sic probatur, conuersio vnius in aliud est actio ex vi cuius desinit esse vna res, & producitur alia,vt supra vidimus sed ex vi actionis dependentis à subiecto, non potest res aliqua desinere esse,nisi producat aliam incompossibilem cum illa vt ostensum est num. 28. ergo vt actio dependens à subiecto sit conuersio requiritur, quod producat aliquam rem cum alia incompossibilem, atqui vna res creata non est incompossibilis cum alia nisi in ordine ad aliquid commune, v. g. forma ignis non est incompossibilis cum forma ligni nisi in ordine ad eamdem materiam & subiectum vtrique commune, ergo ad conuersionem, quæ fit per actionem dependentem à subiecto,requiritur quod sit aliquid vtrique termino commune. Posterior verò pars,cui omnis schola refragatur, sic ostenditur:aliquid commune termino *à quo*,& termino *ad quem*, solum exigitur, vt terminus à quo desinat esse per se ex vi productionis termini *ad quem*, atqui absque eo quod sit aliquod accidens vtrique termino commune ex vi productionis termini *ad quem*, independenter à subiecto potest per se & formaliter desinere esse terminus *à quo*, cum talis actio sit volitio Dei, qua Deus absolutè vult, quod desinat esse vnus terminus, & fit alius vt supra vidimus, ergo ad conuersionem, quæ fit per actionem independentem à subiecto, non requiritur, quod sit aliquod accidens vtrique termino commune.

His positis iam principale quæsitum diluamus. 39
An scilicet generatio sit substantialis conuersio. Arbitror omnem generationem, quæ de facto accidit, specificatiuè & reipsa esse substantialem conuersionem, quia est transitus vnius formæ substantialis in aliam, in quo ratio conuersionis substantialis formaliter consistit,ipsam verò generationem, vt generatio est, reduplicatiuè & formaliter non esse conuersionem, quia vt generatio formaliter, ac præcisè est tantum productio compositi substantialis ex priuatione sui, in quo non inuenitur vera conuersio, cum non sit transitus vnius termini positiui in alium positiuum.Consule Conimbricenses hic cap.4.qu.11.art.2.

DISPVTATIO II.

An in omni generatione fiat resolutio vsque ad materiam primam.

TRIA capita continebit.In primo, inquiro, an quantitas, & alia accidentia soli materiæ, an toti composito inhæreant? In secundo, an alia accidentia materialia in quantitate, an in materia immediatè recipiantur? In tertio, an accidentia, quæ erant in corrupto,eadem numero in genito maneant, nec-ne?

CAPVT II.

An quantitas, & alia accidentia soli materiæ, an toti composito inhæreant?

CONtrouersia non procedit de accidentibus vitalibus quæ vel in sola forma,vel in toto composito recipiuntur, vt dicam in libro de anima, nec de accidentibus modalibus materiæ & formæ; certum enim est accidentia modalia materiæ recipi in sola materia & accidentia modalia formæ recipi in sola forma. Solum ergo quærimus vtrum alia accidentia corporea non vitalia, ac perfecta scilicet quantitas, calor, frigiditas, & similia in sola materia,an verò in materia & forma recipiantur.

Multorum sententia est accidentia materialia in 2
toto composito subiectari. Ita communis Thomistarum schola. Albert. Durand. Caietanus,Capreolus, Ferrara, Soncinas, & alij quos recenset Suarez tom.1.met. disp.14. sect.3. num.6. quibus acquiescunt,Conimbricenses lib.1. de generat.cap.4.q.18. artic.2. Fons.5.met.cap.28.quæst.20.sect.2. Vasquez tom.2.in 3.part.disp.129.num.30.& Rub.hic cap.4. tract.3.qu.7.n.17. Bannez 1. de generatione cap.4. qu.9.Flandria 5.met.q.15.art.17. Ioan. à S.Thoma, de generat. quæst. 9. art. 1. Complutenses lib.1. de generatione disput.3. qu. 4. qui omnes existimant esse apertam sententiam, D.Thomæ opusc. 31. cuius testimonia infra afferemus, & diluemus.

ASSERTIO sit. Quantitas,& alia accidentia ma- 3
terialia non in toto composito, sed in sola materia reci

recipiuntur. Ita commentator Auerroës, Simplicius, Amonius, Ægidius, Gregorius, Marsilius, & alij relati à Suarez vbi supra numero 10. quos ipse sequitur numero 43. idem tenent Fonseca 8. met. capite 1. quæstione 1. sectione 4. Conimbricenses hic capite 4. quæstione 4. articulo 1. Hurtado disputatione 6. physic. sectione 6. subsectione 1. §. 4. Arriaga disputatione 5. physic. sectione 2. numero 3. Carleton disputatione 15. physic. sectione 2. & disputatione 2. de generatione sectione 5. Murçia libro 1. de generatione, disputatione 1. quæstione 5. Ouiedo controuersia 1. de generatione part. 3. Pereira libro 5. Physic. capite 18. & plures ex antiquis, & recentioribus. Solet autem hæc assertio sic probari, in homine sola materia recipit quantitatem non verò forma rationalis, quia cum non sit capax, vt recipiat in se effectum formalem quanti, non potest naturaliter recipere formam quantitatis, ergo sola materia hominis est adæquate potens ad destruendam in se quantitatem, sed materia hominis, & aliorum entium, sublunarium est eiusdem speciei, vt in physic. docuimus disputatione 2. capite 2. ergo quæuis materia prima, se sola est adæquate potens vt recipiat quantitatem, ac proinde illam adæquate recipiet. Hæc tamen ratio, me quidem iudice non conuincit, nam accidentia vitalia materialia in homine, recipiuntur in materia, saltem vt in subiecto partiali iuxta communissimam sententiam, & tamen materia non est capax effectus formalis illorum accidentium vitalium, cum materia, non possit esse viuens, ergo similiter licet forma rationalis non possit esse capax effectus formalis quantitatis, nec possit dici formaliter quanta, poterit tamen vt subiectum partiale in se recipere formam quantitatis.

4 Probatur ergo conclusio efficacius: quando aliqua forma substantialis generatur, v. g. ex materia ligni gignitur forma ignis, in ipso generationis instanti sunt necessario in materia quantitas, & alia accidentia, quæ illam disponant ad formam ignis, non enim sufficit, quod tales dispositiones præcesserint in alio instanti reali antecedenti, vt disp. 3. cap. 1. monstrabimus, sed hæ dispositiones & accidentia in instanti generationis non recipiuntur in forma, ergo recipiuntur in sola materia: minor probatur, tales dispositiones, & accidentia non possunt esse in forma corrupti, quæ iam in instanti hoc generationis euanuit, nec etiam possunt recipi, & sustineri in forma geniti; cum illam præcedant, & ad ipsam recipiendam materiam præparent ac disponant, ergo hæ dispositiones, & accidentia in eo instanti non recipiuntur in forma.

5 Dicar verò aliquis: hæc accidentia & formam genitam esse mutuo causas in diuerso genere causæ, nam accidentia sunt causæ dispositiuæ respectu formæ genitæ, & forma genita est causa materialis receptiua ipsorum accidentium; in diuerso autem genere causæ mutua causalitas non repugnat. Sed contra: mutua causalitas non potest dari inter causas physicas etiam in diuerso genere causæ vt ostendi in physicis disput. 22. cap. 2. ergo accidentia quæ dispositiue causant physice formam genitam non possunt materialiter sustineri, & causari ab ipsa forma genita: vrgeo præterea, eadem res non potest esse simul prior, & posterior alia in eodem genere, vt aduersarij fatentur, sed si accidentia, quæ disponunt necessario materiam ad formam genitam, sustinerentur in ipsa forma genita, eadem accidentia essent simul priora, & posteriora in eodem genere formæ genitæ, ergo talia accidentia non sustinentur, nec recipiuntur in forma genita. Minor probatur, & primum accidentia illa fore posteriora in genere causæ materialis, forma genita ex se liquet, quia sustentarentur, & causarentur materialiter ab illa, porrò fore etiam priora ipsa forma genita in eodem genere causæ materialis, sic probo, in eodem priori, in quo est causa proxima, est etiam conditio ex parte illius necessario requisita ad causandum, quia non potest esse, nec concipi causa proxima, quin sit, & concipiatur conditio ex parte illius necessario requisita, vt ipsa possit causare, sed hæc accidentia ac dispositiones sunt conditiones quædam necessario requisitæ ex parte materiæ vt ipsa materia possit proxime causare materialiter formam genitam, ergo in eodem priori, in quo est materia, vt causa proxima formæ genitæ sunt etiam illa accidentia, atque materia, quatenus causa proxima formæ genitæ est prior in genere causæ materialis ipsa forma genita, ergo etiam accidentia sunt priora forma genita in eodem genere causæ materialis, igitur si hæc accidentia reciperentur, & sustinerentur in forma genita, essent in eodem genere priora & posteriora ipsa forma genita.

Confirmatur principaliter assertio, illa accidentia, 6
quibus materia ligni ante instans generationis disponitur ad formam ignis, non recipiuntur in forma ligni, ergo recipiuntur in sola materia, & non in toto composito: antecedens probatur, non potest recipere naturaliter dispositiones ad aliquam formam res illa, quæ non est apta ad habendam in se naturaliter talem formam, ideo enim materia prima cælestis non potest naturaliter recipere dispositiones ad formam ignis, quia non est apta ad habendam in se naturaliter formam ignis, sed forma ligni non est apta ad habendam in se naturaliter formam ignis, ergo accidentia & dispositiones ad formam ignis non recipiuntur naturaliter in forma ligni. Vnde si materia sola valet à se sustinere accidentia, quæ sunt dispositiones ad aliam formam, non est ratio, cur non possit etiam se sola recipere alia accidentia, quæ dispositiones non sunt.

Objiciat autem quis primo, Aristotelem in Præ- 7
dicamentis capite de substantia, vbi ait accidentia, non esse in materia, nec in forma, sed in prima substantia, hoc est, in toto composito. Deinde D. Thomam, 1. parte quæstione 76. articulo 6. asserentem materiam non nude sumptam, sed vt informatam & actuatam per formam substantialem, accidentia & dispositiones recipere, ergo accidentia non in sola materia, sed in toto composito subiectantur. Respondeo subiectum accidentium aliud esse subiectum *quod* ac denominationis, quod principaliter, & complete per accidentia tale denominatur, aliud esse subiectum *quo*, ac inhæsionis, cui præcise inhæreant accidentia, & ratione cuius totum denominatur. Compositum, ergo est subiectum *quod*; ac subiectum denominationis accidentium, quia totū compositum est, quod principaliter denominatur album, vel nigrum, &c. quod solum docet, & intendit Aristoteles in illo loco. Sola verò materia est subiectum *quo*, ac subiectum inhæsionis, quia illi tantum inhærent accidentia & ratione illius totum compositum denominatur, sicut enim ratione solius materiæ corporeæ totus homo denominatur corporeus, ita ratione solius materiæ cui tantum inhæret albedo, totū compositum denominatur album. Ad testimoniū D. Thomæ Resp. Doctorē Angelicū solum dicere materiam prius actuari forma substantiali,

quam recipiat accidentia, quod potest intelligi vel de sola prioritate intentionis, quia scilicet agens naturale prius intendit formam substantialem, quàm accidentalem, vel si de prioritate etiam in executione intelligatur, solum sequitur formam substantialem prærequiri, non vt rationem formalem recipiendi, & causandi accidentia, sed tantum vt conditionem necessariam ad hoc vt materia illa accidentia recipiat, sed subsistentia prærequiritur vt natura operetur, non quidem vt formalis ratio agendi, sed tantum vt conditio necessaria ad agendum & operandum. Vnde sola materia formaliter causat, ac recipit accidentia.

8 Obiciat secundo, effectus formalis formæ est ipsa forma immediatè recepta, ac communicata subiecto, sed tam forma materialis quam materia habet in se effectum formalem quantitatis, cum quælibet illarum formaliter denominetur quanta, ergo quantitas est immediatè recepta, & communicata, tam formæ materiali, quàm materiæ tamquam subiecto, ergo quantitas ac per consequens alia accidentia non in sola materia, sed etiam in forma materiali subiectantur. Respondeo formam materialem esse impenetrabilem, & quantam non per se, & ratione sui, sed per accidens ratione materiæ cum qua vnita, & & penetrata est, sed in omnium sententia, accidentia corporea etiam sunt impenetrabilia & quanta non in se, sed in materia quanta cum qua vniuntur & penetrantur, cum enim materia ratione propriæ quantitatis formaliter sit quanta, & impenetrabilis cum alio corpore, sequitur necessariò quod ea omnia, scilicet forma substantialis, & accidentia, quæ in eodem loco cum illa vnita & penetrata sunt non in se, sed in ipsa materia, quanta etiam & impenetrabilia reddantur, & idcirco quantitas non formæ substantiali, nec accidentibus, sed soli materiæ inhæret.

9 Sed insurgat, ideo materia in seipsa est intrinsece, ac formaliter quanta, quia est formaliter corporea, sed etiam forma materialis est formaliter corporea, ergo etiam forma substantialis materialis erit in se ipsa intrinseca & formaliter quanta, ergo quantitas etiam intrinsecè recipitur in forma materiali, hoc verò argumentum æque militat in forma accidentali corporea. Respondeo, ergo materiam ideo esse ratione sui intrinsece, ac formaliter quantam, quia cum sit primum subiectum, non supponit aliud subiectum, ac materiam cuius possit quantitate, ac impenetrabilitate defendi, cum forma substantialis corporea supponat ipsam materiam quantam, cuius quantitate ac impenetrabilitate possit esse immunis ab actuali suarum partium inter se, & cum alio corpore penetratione, ideo talis forma licet corporea sit, non habet sibi intrinsecam quantitatem, qua intrinsece reddantur quanta. Deinde quantitas est præuia dispositio ad formam non verò ad materiam, vt infra dicemus, & eapropter non in forma, sed in sola materia potest intrinsece sustentari.

10 Vrgeat, forma rationalis nulla ratione est quanta, & tamen vnitur, & penetratur cum materia intrinsecè quanta, ergo si forma substantialis corporea aliquo modo quanta dicitur non haber præcise vniri cum materia intrinsece quanta, sed etiam in se recipiet intrinsece quantitatem. Respondeo vt aliqua forma possit dici aliquo modo quanta, non in se sed in materia intrinsece quanta, cum qua vnitur, requiritur, quod talis forma habeat in se partes extra partes, quæ possint saltem, per accidens tali impenetrabilitate gaudere, ita vt vna pars illius non possit penetrari cum alia. Vnde cum forma substantialis corporea habeat partes distinctas inter se, secus forma rationalis, idcirco sola forma corporea, non verò rationalis potest etiam ratione materiæ quasi per accidens, denominari quanta.

Objiciat tertiò, passiones rei immediatè subiectantur in ipsa re, sed accidentia aliqua materialia, v. g. & siccitas sunt passiones formæ ignis, ergo subiectantur immediate in forma ignis. Respondeo, prædicta accidentia esse passiones formæ ignis, non quidem secundum se præcise expectatæ, sed vt constituit compositum, quod est ignis, atque ita debent intrinsece recipi in ipso composito ignis, siue ratione materiæ, quia scilicet recipiantur in sola materia, siue ratione etiam formæ, quia subiectentur etiam in forma, illa autem accidentia cum sint dispositiones etiam ad formam, non subiectantur in forma, sed in sola materia, & ideo sunt in composito ignis (cuius sunt passiones) ratione solius materiæ, & non ratione formæ. 11

Objiciat quartò, potentia passiua ad formas substantiales, & potentia passiua ad formas accidentales differunt inter se, cum ipsi actus, scilicet forma substantialis & accidentalis sint inter se diuersi, sed potentia passiua ad formas substantiales est sola materia, ergo potentia passiua ad formas accidentales est simul materia & forma. Confirmatur, materia prius respicit formam substantialem, cum qua constituit ens per se quam formam accidentalem, cum qua constituit ens per accidens, ergo prius recipit formam substantialem, & mediâ illâ recipit formam accidentalem. Respondeo, potentiam passiuam ad formam substantialem, & potentiam passiuam ad formam accidentalem in recto præcisè non differre, quia vtraque potentia in recto præcise dicit solam materiam, differre verò in obliquo quia vna connotat receptionem formæ substantialis, & alia receptionem formæ accidentalis, vt in potentijs actiuis ad formas substantiales, & ad formas accidentales sæpè accidit. Ad confirmationem dico materiam prius intentione respicere formam substantialem, quam accidentalem, prius tamen in executione recipere formam accidentalem, quàm substantialem, quia quod est primum in intentione est vltimum in executione. Immo etiam si materia prius in executione recipiat formam substantialem, quam accidentalem, non sequitur, quod forma substantialis recipiat in se accidentia, sed solum quod sit conditio vt in materia recipiantur iuxta dicta supra num. 7. 12

CAPVT II.

An alia accidentia materialia in quantitate an in materia immediate reciptantur.

13 SVppono non esse controuersiam de accidentibus modalibus materiæ, aut quantitatis, illa enim in sola materia, hæc in sola quantitate immediate recipiuntur, nam materia sine quantitate & quantitas separata à materia proprium haberet

haberet modum vbicationis, ac durationis &c. ſolum ergo quærimus an alia accidentia abſoluta v.g. calor, albedo, & ſimilia immediate in quantitate, an in ſola materia ſubiectentur.

14 Opinantur quidem accidentia hæc materialia immediate tantum recipi, ac ſuſtentari in materia Ita Gregorius in 2.diſtinct.12.quæſt.2.artic.2.Marſilius in 4.quæſt 9.artic.2. & nominalium ſchola, quos refert Suarez tom. 1. in 3. part. diſputat. 56. ſect.3.quibus nonnulli recentiores acquieſcunt, vt Petrus Hurtado diſp.6.phyſicorum ſect.6.§.55. Arriaga diſput. 5. phyſic.ſect.2.num. 37.

15 ASSERTIO tamen ſit. Accidentia materialia in ſola quantitate immediate recipiuntur tanquam in potentia, ac virtute ipſius materiæ. Ita Diuus Thomas 3. part.quæſt. 77.artic.2.& 4.contra gent. cap. 65.Diuus Bonauentura artic 1.quæſt.3. Henricus quodlibeto 8.quæſt. 15. Seruius, Palud. Albertus Magnus in 4.diſtinct. 12. artic. 6. Richardus in 4.diſt.12.quæſt. 2. Alexander 4. part. quæſt.40. membr. 1.& 2.Gregor.diſt. 12. quæſt. 2. Capreolus in 2.diſtinct.18.quæſt.vnica, Sotus, Conimbricenſes 1. de generatione cap.4.quæſt. 4. artic 2.Suarez ſupra dicta ſect.3. & diſput.14.metaphyſic. ſect.4. & eſt communis inter recentiores.

Probatur primò. agentia naturalia, quæ hoſtiam in Euchariſtia circunſtant producunt in illa humiditatem ac frigus, & calorem, ac ſiccitatem expellunt, vt ſenſus ipſe experitur, ergo hæc accidentia habent in Euchariſtia aliquod commune ſubiectum ſcilicet quantitatem, cum non ſit ibi materia panis, aliàs nec frigus calorem expelleret quia eorum pugna eſt tantum in ordine ad idem ſubiectum, nec agentia naturalia poſſent in hoſtia humorem & ſiccitatem producere, quia illa ex nihilo procrearent, quod eorum virtutem ſuperat.

16 Dicat autem quis corrigendos eſſe ſenſus, quia hoſtia re vera virtute agentis creati naturalis non humectatur, nec incaleſcit, ſed Deus ad occultandum myſterium facit diuinitus ibi totum id, quod facerent agentia naturalia, ſi eſſent ſubiectum commune accidentium.

Sed contra: ſenſus corrigendi non ſunt, niſi cogat ad id fides, aut ratio euidens naturalis, atqui nec fides docet, nec ratio naturalis ſuadet hoſtiam virtute agentis naturalis non ſiccari, & incaleſcere, ſed virtute diuina tot quotidie ibi miracula abſque neceſſitate patrari, ergo cum ſenſus noſtri experiuntur aquam humectare hoſtiam, & ignem illam ſiccare, ipſi corrigendi non ſunt.

17 Probatur ſecundò, à priori, ſicut formæ ſubſtantialis eſt proprium agere, ita materiæ eſt proprium pati, atque ita ſicut forma ſubſtantialis agit accidentia communia, ita materia ipſa accidentia patitur, atqui forma ſubſtantialis agit accidentia communia media aliqua potentia actiua accidentali, quæ immediate talia accidentia operatur, forma enim ignis agit calorem medio alio calore, & forma aquæ facit frigus medio alio frigore, & ſic de alijs, vt oſtendimus in phyſicis diſputat. 17. cap. 4. ergo materia etiam patitur, ac recipit eadem accidentia media aliqua potentia accidentali, ſcilicet media quantitate, quæ immediate in ſe talia accidentia recipiat.

18 Obijciat aliquis primò, accidentia materialia, verbi gratia calor, & ſiccitas non diſponunt quantitatem, ſed tantum materiam primam ad recipiendam formam ignis, cum ſola materia & non quantitas talem formam ignis recipiat, ſed accidentia iſta ſolum diſponunt informando, ergo non quantitatem ſed ſolam materiam informant, atqui ſi tantum reciperentur immediate in quantitate non informarent materiam ſicut accidentia vnita formæ ſubſtantiali, quæ recipitur in materia non informant ipſam materiam, ergo illa accidentia non in quantitate, ſed in ſola materia recipiuntur immediate.

Reſpondeo, recipi accidens in materia medio aliquo, quod non ſit virtus receptiua materiæ eſt verè non recipi in illa, nec illam informare, recipi verò accidens in materia medio aliquo quod ſit virtus receptiua materiæ ordinata ad recipiendum nomine & vice illius, eſt vere recipi in ipſa materia & informare illam, ſicut cum ignis calefacit medio calore tanquam virtute eius actiua ordinata ad operandum vice illius, verè ac ſimpliciter calefacit.

Accidentia ergo vnita ſoli formæ ſubſtantiali recipiuntur in materia media ipſa forma ſubſtantiali, quæ non eſt potentia receptiua materiæ & ideo vere, ac per ſe non recipiuntur in materia nec informant illam, accidentia verò, vnita immediate quantitati recipiuntur in materia media ipſa quantitate, & virtute ipſius materiæ ordinata naturaliter ad recipiendum vice illius, & ideo propriè & per ſe talia accidentia recipiuntur in materia licèt non immediatione ſuppoſiti, ſaltem immediatione virtutis, quod ſufficit, vt illam propriè informent, ac diſponant ad formam ſubſtantialem recipiendam, vniuntur ergo accidentia immediate quantitati, non vt ipſam diſponant, ſed vt media illa, materia recipiat accidentia, ac per ipſa diſponatur.

Obijciat ſecundo, materia non recipit formam ſubſtantialem media quantitate tanquam virtute receptiua, ſed per ſe ipſam, ergo nec formam accidentalem.

Deinde Conciliũ Conſtantienſe ſeſſione 8. hanc propoſitionem condemnat. *Accidentia panis non manent ſine ſubiecto in ſacramento*, atqui ſi accidentia ſubiectarentur in ſola quantitate, accidentia Euchariſtiæ non manerent ſine ſubiecto cum ibi vera quantitas remaneat, in qua reciperentur alia accidentia, ergo accidentia non ſubiectantur in quantitate.

Reſpondeo, materiam non recipere formam ſubſtantialem media quantitate, & virtute receptiua, quia vnitur per ſe, & facit vnum per ſe cum forma ſubſtantiali, quod facere non poſſet ſi quantitas illa accidentalis mediaret, quia vnio ſubſtantiæ cum accidenti eſt vnio per accidens.

At verò materia, cum accidentibus non facit vnum per ſe ſed tantum vnum per accidens; & ideo bene poteſt illa recipere media quantitate, ac potentia accidentali, Concilium autem Conſtantienſe nullam ingerit difficultatem, ſolum enim definit non manere in Euchariſtia ſubiectum in quo omnia illa accidentia, ſcilicet quantitas, albedo, & reliqua recipiantur, quod verum eſt, etſi accidentia alia in quantitate ſubiectentur, nam ſemper ipſa quantitas, quæ verè eſt accidens ſine ſubiecto manet.

***

CAPVT III.

An accidentia, quæ erant in corrupto, eadem numero in genito maneant.

19 NOn est sermo de accidentibus quæ sunt passiones formæ corruptæ, nec de illis, quæ repugnant formæ, quæ generatur, hæc enim certum est in genito naturaliter non manere, sed cum forma ipsa corrumpi. Solum ergo quærimus, vtrum accidentia communia corrupto, & genito consentanea, eadem, quæ in corrupto erant, in genito perseuerent.

20 Communis ac celebris in schola Thomistarum sententia, est nullum ac cidens ex ijs, quæ erant in corrupto, manere in genito, sed composito substantiali ratione formæ pereunte omnia eius accidentia euanescere & resolutionem fieri vsque ad materiam primam: ita Caietanus, Durandus, Capreolus, Ferrara, Scotus, & alij, quos refert Suarez tom. 1. met. disputatione 14. sectione 3. num. 6. Bannez, Complutenses libro 1. de generatione disputatione 3. quæstione 6. Ioan. à S. Thoma quæst. 7. de generatione articulo 5. quibus adhærent Conimbricenses hic capite 4. quæstione 18. articulo 2. Fonseca 8. met. capite 1. quæstione 1. sectione 5. alia tamen nisi fundamento. Idem indicat Vasquez tomo 3. in 3. parte disputatione 187. numero 22. Rubius de generatione 14. tractatione 2. quæstione 4.

21 ASSERTIO tamen sit. Plura accidentia, quæ erant in corrupto eadem numero in genito perseuerant, & resolutio fit vsque ad materiam primam. Hanc sententiam tenent Auerroes, Simplicius, Philoponus, Aureolus, Marsilius, Venetus, Ægidius, citati à Suarez dicta sectione 3. numero 20. item Auicenna, Henricus, Gandauensis, Gregorius, Gabriel, Ochamus relati à Conimbricensibus hic capite 4. quæstione 18. articulo 1. quibus subscribunt Cardinalis Toletus hic quæstione 7. Pereyra lib. 5. suæ Philosophiæ capite 18. & nouiter Auersa tomo 2. quæstione 37. sectione 6. Suarez vbi supra articulo 20. Murçia libro 1. de generatione disputatione 1. quæstione 5. Hurtado disput. 7. de generatione sectione 5. Arriaga disput. 5. physic. sectione 2. numero 11. Ouiedo controuersia prima de generatione puncto 3. Carleton disputat. 1. de generatione sectione 2. & 3. & hanc etiam opinionem probabilissimam reputat Molina in concordia quæstione 14. art. 13. disput. 44. circa finem, etsi ob solam auctoritatem Philosophi, contrariæ sententiæ adhæreat, citatur etiam pro ea Angelicus præceptor 3. part. qu. 9. art. 3. ad 2. & Philosophus 1. de generatione capite 4. text. 24. Ioan. Martinus libro 1. de generatione cap. 4. quæst. 5. Auersa tomo 2. physicæ quæst. 37. sect. 6. & communiter recentiores Societatis.

22 Probatur primo, ex Aristotele libro 1. de generatione cap. 24. vbi asserit substantiam genitam aliquas affectiones habere substantiæ corruptæ his verbis, *si aliqua maneat passio eadem contrarietatis in genito & corrupto, vt quando ex aere, fit aqua, si ambo transparentia aut frigida, non oportet huius alteram passionem esse in quam transmutatur, hoc est, quando eiusdem rationis qualitas communiter inuenitur in genito & corrupto, non oportet aliam esse in vno, ac in alio, sed erit eadem quoque numero in vtroque*, ergo ex mente Philosophi non fit resolutio vsque ad materiam primam & libro 2. text. 25. idem docet, quod quando elementa symbolica interse transmutantur, videlicet quæ in aliqua qualitate communicant vt aqua, & aër quibus communiter est humiditas, facilius transmutari, quia altera qualitas elementi corrupti semper remanet in elemento de nouo producto, sic enim habet text. 27. *quando aquæ corruptum fuerit frigidum, ignis autem secum, aër erit, relinquitur enim huius quidem calidum, illius autem humidum*, ergo sentit eamdem singularem qualitatem, quæ erat in corrupto, remanere in genito, & præcipuè lib. 2. capite 1. text. 6. hæc habet verba, *verum enim vero, cum ad hunc modum ex materia corpora prima constent, de hisce quoque determinemus oportet supponentes materiam inseparabilem quidem, sed contrarijs subiectam, principium ac primum esse, non enim calor frigori, nec frigus calori, sed quod subjicitur vtrique materia existit*, quid clarius.

Probatur secundo auctoritate, D. Thomæ 3. part. q. 9. art. 3. ad secundum, vbi ait, sicut calor, quo materia ligni disponitur ad formam ignis, non cessat sed manet adueniente forma ignis, sic similiter scientiam infusam, qua Christus disponitur ad scientiam beatam, non cessare, sed manere adueniente scientia beata; sed adueniente scientia beata non cessat, sed manet in Christo eadem numero scientia infusa, quæ antea erat, vt omnes fatentur, ergo adueniente forma ignis, manet etiam in materia idem numero calor, quo antea sub forma ligni eadem materia disponebatur ad formam ignis, aliàs illud simile Doctoris Angelici non teneret, ergo idem accidens, quod erat in ligno iam corrupto, manet iuxta D. Thomam in igne genito. Idem 4. contra gent. capite 81. ad secundum, docet abscedente forma substantiali ac specialiter in morte hominis permanere easdem dimensiones quantitatiuas, idem in 4. distinctione 11. quæstione 1. articulo 1. quæstincula 3. ad 4. & distinctione 44. quæstione 1. articulo 1. quæstiuncula prima ad tertium ex quibus testimonijs validum habet argumentum ad nostram sententiam comprobandam ex auctoritate D. Thomæ, vt merito censeri possit huic sententiæ non leuiter fauere. 23

Probatur primo ratione, non potest dici accidentia, quæ remanent in corpore nouiter genito, tunc illa omnia de nouo produci, quia nequit assignari talis causa producens, ergo. Antecedens probatur, nam in cadauere animalis, v. g. nuper mortui inuenitur, non solum quantitas, sed etiam figura, color & aliquis calor, sed hæc accidentia non possunt dici nouiter genita in instanti corruptionis à forma præcedente, de qua tunc valet dicere. *Nunc primo non est.* Neque possunt produci à forma cadaueris, quia illa accidentia sunt omnino impertinentia ad formam cadaueris, & ex parte contraria, ergo est euidens eadem in genito, & corrupto manere. 24

Dices extitisse immediatè antea, & materiam figillaram reliquisse ad recipiendum potius hanc, quam illam formam; sed impugnatur, quia illa figillatio aliquid substantiale non est, aliàs daretur præter materiam & formam & vnionem aliquid substantiale; propterea non sufficit immediatè antea extitisse, si in momento generationis non existunt, aliàs solum daretur extrinseca denominatio præteritæ existentiæ illorum accidentium, ac proinde in illo instanti, in quo forma substantialis educitur de potentia materiæ, nulla dabitur actualis, & positiua determinatio dispositionum existentium. 25

Dices secundò, adhuc corruptis accidentibus præexi- 26

præxistentibus non introduci formam in materiam indispositam, quia in ipso puncto generationis formæ, introducuntur in materiam effectiuè dispositiones ei congenitæ, & connaturales, quæ licet in genere causæ efficientis subsequantur formam; in genere tamen causæ materialis sunt priores ipsa. Sed impugnatur primo, ex mutua causalitate in eodem, & in diuerso genere causæ multoties impugnata: secundo, quia si ipsi asserunt accidens in virtute substantiæ immediatè effectiuè attingere productionem substantiæ, ergo accidens debet necessario existere in instanti generationis: consequentia tenet, quia vt physicè influat debet physice existere, tum sic: vel accidens illud existit in agente, vel in passo, si inpasso, illud accidens à forma nouiter genita efficienter non procedet, aliàs causæ sibi inuicem essent causæ in eodem genere causæ, quod ipsi negant, si in agente, calor insidens igni generanti, cum agens naturale sit debite approximatum passo similem alium calorem in eo producit, ergo materia non subjicietur sola ipsi generationi, quod nos intendimus.

17 Probatur primo, si aliqua ratione accidentia corrupti non manerent eadem numero in genito, maximè, quia non maneret idem subiectum accidentium, sed manet in vno termino idemmet subiectum accidentium, ergo eadem etiam accidentia manent in genito, quæ erant in corrupto: consequentia est euidens. Maior à Thomistis admittitur: minorem autem sic probo. Subiectum accidentium non est totum compositum, sed sola materia prima, vt supra capite 1. monstratum est, sed manet in genito, & in corrupto eadem numero materia prima, ergo manet etiam idem numero subiectum accidentium. Dicat autem quis, solam materiam esse subiectum accidentium non verò nudè sumptam, sed vt completam per formam substantialem, quæ est conditio necessario requisita vt materia recipiat accidentia, atque ita accidentia dependentiam à forma substantiali, & illa pereunte euanescunt, ita Fonseca, & Conimbricenses vbi supra. Sed accidentia recepta in sola materia eatenus pendent à forma substantiali, quatenus pendent à materia, quæ per se completur per formam, & dependet ab ipsa forma, sed corrupta vna forma, à qua materia immediatè pendebat, & genita alia manet eadem numero materia, ergo potiori iure corrupta vna forma substantiaeli, à qua accidentia vt à conditione pendebant mediatè, & genita alia forma manebant eadem numero accidentia. Confirmatur, licet operatio humanitatis Christi pendeat vt à conditione à subsistentia diuina, quia actiones sunt suppositorum, tamen si humanitas amitteret subsistentiam diuinam, & mox aliam subsistentiam acquireret, maneret eadem numero operatio humanitatis, quæ antea erat, quis ambigat? Sed quando materia amittit vnam formam substantialem corruptam mox acquirit aliam genitam, ergo eadem numero accidentia, quæ antea vt à conditione pendebant à forma corrupta permanebunt aduenient forma

18 genita.

Probatur secundo, si ob aliquid accidentia corrupti non manerent in genito, maximè, quia subiectantur in toto composito, scilicet in materia & forma, atque ita pereunte forma perit subiectum, atqui alia forma genita succedit, quæ successiue eademmet accidentia causat materialiter, ac subiectat, ergo etiam si in toto composito accidentia recipiantur, accidentia corrupti eadem-

met manent in forma genita. Minor sic probatur: idem numero effectus potest successiuè à diuersis causis verè causari, idem enim calor à Sole productus postea causatur, ac conseruatur ab igne, vt omnes fatentur, ergo eademmet accidentia poterunt etiam materialiter à diuersis causis successiuè causati, scilicet, si successiuè applicentur, atqui quando vna forma corrumpitur, & generatur alia, forma genita æquè manet applicata, ac erat corrupta, ergo forma genita causabit & conseruabit materialiter successiuè eademmet accidentia, quæ causabat, & recipiebat forma corrupta. Dicat quis accidentia disponere materiam ad formam genitam, quæ ab illis accidentibus dispositiuè causatur, & ideo non posse ipsam formam genitam causare materialiter ac recipere in se ea accidentia. Sed contra: hæc quidem soluto in mea sententia teneret, qui mutuam causalitatem rejicio, non verò in sententia Thomistarum, qui mutuam causalitatem admittunt: arguo ad hominem: ipsi non reputant inconueniens accidentia disponere ad formam genitam, & sustentari, & recipi in ipsammet forma genita, ergo eademmet accidentia, quæ disponebant materiam ligni ad formam ignis, & antea recipiebantur etiam in forma ligni, potuarunt forma ligni pereunte, & succeeente forma ignis recipi, & sustentari successiuè in ipsa forma ignis.

Probatur tertio, in Thomistarum sententia magis pendet materia prima, ab existentia formæ, quam accidentia materialia pendeant ab ipsa forma, nam ipsi dicunt materiam primam nec diuinitus esse posse sine existentia formæ, per quam etiam existit materia; accidentia verò materialia possunt diuina virtute esse absque forma substantiali vt accidit in Eucharistia, atqui corrupta vna existentia formæ, & succedente alia existentia alterius formæ manet eadem numero materia prima, ergo corrupta vna forma substantiali, & succedente alia substantiali forma manebunt etiam à fortiori eadem numero accidentia. Dicat quis accidentia indiuiduari à subiecto, atque ideo pereunte hoc numero subiecto, scilicet hac numero forma substantiali, in qua etiam accidentia subiectantur, hæc etiam numero accidentia necessario perire. Sed contra: accidentia non indiuiduantur à subiecto, scilicet à forma substantiali formaliter & intrinsece, sed tantum exirinsecè, & terminatiue, quatenus ab eo dependent, & habent ordinem & connexionem, cum illo: sed materia prima, magis dependet ab existentia formæ, & habet strictiorem ordinem & connexionem cum illa, quam accidentia cum suo subiecto, vt nuper ostendi, ergo magis indiuiduatur materia prima abexistentia formæ, quam accidentia à suo subiecto, scilicet forma substantiali; atqui pereunte vna existentia formæ, & succedente alia, non obstante prædicta indiuiduatione manet eadem numero materia prima, ergo similiter non obstante indiuiduatione, quam accidentia à subiecto desumunt, corrupta vna forma substantiali, & succedente alia manebunt eadem numero accidentia. 29

Probatur quarto, experientia omnis Philosophiæ magistra compertum est manere in cadauere genito, eamdem extensionem, eamdem figuram, eamdem organizationem, eumdem calorem, eamdem creationem, quæ erant in homine viuo iam corrupto, ergo eadem accidentia corrupti manent in genito. Dicat quis sensum corrigendum esse, non enim sunt in genito eadem 30

numero accidentia, quæ erant in corrupto, sed alia similia. Sed contra: sensus corrigendus non est nisi ad id fides adstringat diuina, aut ratio eiusdem naturalis, sed nec fides docet in genito non manere eadem numero accidentia corrupti, sed alia similia, nec id ratio naturalis suadet, vt constat ex dictis; ergo in hac re sensus non est corrigendus. Deinde quando homo nimio frigore decedit, & in cadauere manet in visceribus aliquis calor, si iste calor est alius & distinctus ab illo calore, qui antea erat in homine, rogo à quonam talis calor in cadauere de nouo producitur, non à frigore circunstante, frigus enim calorem nequit producere, non ab ipsa forma cadaueris, nec ab agente extrinseco, à quo fuit producta, quia cum forma cadaueris ad sui conseruationem non petat magis calorem, quam frigus, non est cur agens extrinsecum producens, formam cadauericam, in ea calorem producat, cum talis calor à tali forma dimanet, ergo necesse est dicere manere in cadauere genito eundem numero calorem, qui antea erat in homine iam corrupto.

31 Objiciat quispiam primò, Aristotelem hic capite 1. text. 23. dicentem generationem esse mutationem totius in totum nullo sensibili remanente, hoc est nullo perseuerante accidenti materiali, quod possit sentiri. Deinde objiciat eumdem Philosophum in prædicamentis capite de substantia, vbi ait, destructis primis substantijs, hoc est, compositis naturalibus, impossibile esse aliquid remanere, ergo accidentia compositi, quod destruitur, non manent in genito. Respondeo sensibile ab Aristotele dici totum compositum substantiale completum quod est subiectum *quod* accidentium vt probat optime Hurtado hic disputatione 1. sectione 1. §. 1. cum autem in generatione non maneat idem compositum substantiale completum, quod antea erat subiectum *quod* accidentium, ideo Philosophus ait non manere in generatione idem sensibile, ac proinde dixit generationem esse mutationem totius in totum nullo sensibili remanente vt *subiecto eodem*, quæ vltima verba non possunt aceidentibus accommodari, sed tantum enti substantiali completo, quod est eorum subiectum, & sensibile appellatur. Ad aliud Aristotelis testimonium dico debere intelligi de destructione totali primæ substantiæ hoc est, substantialis compositi, tunc enim impossibile est aliquid remanere, secus si tantam destruatur partialiter, nam cum homo corrumpitur, quia perit eius vnio, manent in anima rationali eadem accidentia quæ antea erant, vel dici potest destructo ente naturali nihil remanere, id est non posse de illo dici vllum prædicatum essentiale; quod antea illi competebat, rectè autem possunt aliqua etiam accidentia in matetia perseuerare.

32 Objiciat secundo D. Thomam 1. parte, quæstione 76. articulo 6. in corpore vbi ait, materiam primam prius necessario habere formam substantialem quam dispositionem aut formam aliquam accidentalem, atqui si abscendente forma rationali, & genita forma cadaueris, manerent in materia prima eadem numero accidentia, quæ antea erant, non prius haberet materia prima, formam substantialem cadaueris, quam ipsa accidentia, sed prius haberet accidentia, quam talem formam substantialem, ergo non manent in genito iuxta D. Thomam, eadem numero accidentia, quæ antea in corrupto erant. Respondeo D. Thomam loqui solum de prioritate naturæ, non de prioritate temporis, ac docere materiam primam, prius natura habere formam substantialem, quam accidentalem, quia putat formam substantialem aliquo modo causare formam accidentalem, res autem, quæ est posterior tempore quam alia, potest esse prior natura respectu illius, cum enim aliqua lucerna lumen in cubiculo producit, & post aliquod tempus alia lucerna accenditur in eodem cubiculo, & illa extinguitur, hæc secunda lucerna causat, & conseruat lumen à prima productum, atque ideo est prior natura ipso lumine, & tamen lumen fuit prius tempore tali lucerna vt constat; rectè ergo potest res posterior tempore, quàm alia esse prior natura respectu illius. Hoc igitur modo accidentia quæ erant in homine, licet tempore antecedant formam substantialem cadaueris modo genitam, hæc tamen, cum generatur in sententia D. Thomæ est aliquo modo causa talium accidentium, ac proinde est prior natura illis. Vnde licet eadem numero accidentia corrupti in genito perseuerent, forma substantialis est natura prior forma accidentali.

Objiciat tertio, si forma substantiali corrupta, 33
manerent eadem numero accidentia quæ antea erant, strictior esset vnio accidentalis, quam vnio substantialis, atqui strictior est vnio substantialis, quam accidentalis, illa enim ens per se, hæc verò ens per accidens constituit, ergo corrupta forma substantiali non manent eadem accidentia, quæ antea erant. Confirmatur, accidentia subiectantur in toto composito, ergo destructo composito pereunt accidentia. Respondeo vnionem accidentalem posse esse strictiorem, vnione substantiali, strictius enim anima rationalis vnitur cum suis potentijs, quam cum materia cum hac possit, illis non possit naturaliter spoliari. Ad confirmationem, antecedens est falsum, & mala consequentia, vt patet ex supradictis.

DISPVTATIO III.

De causa disponente ad generationem, & alijs ad ipsam attinentibus.

DVo capita continebit. In primo inquiro, an aliqua accidentia præuiè disponant ad formam genitam? In secundo, quædam quæsita enodantur. 1

CAPVT I.

An aliqua accidentia præuiè disponant ad formam genitam.

COmpertum est saltem remote ante instãs generationis requiri de facto aliqua accidentia in materia quæ illam antecedenter disponant ad formam genitam recipiendam: nam materia sub forma aquæ, v. g. habet humorem & frigiditatem intensam, cum quibus non compatitur forma ignis, ergo vt materia illa recipiat in se formam ignis, requiritur, quod præuiè illæ qualitates expel

expellantur, expelluntur autem formaliter per alia accidentia contraria, ſcilicet per calorem,& ſiccitatem, ergo talia accidentia debent prævie ſaltem remotè diſponere materiam aquæ,vt poſſit recipere formam ignis. Quærimus verò,an in ipſo generationis inſtanti aliqua accidentia prævie materiam neceſſariò diſponant ad formam genitam.

2 Negantem partem videtur (ſaltem in re) tenere ſchola Thomiſtarum,aſſerens omnia accidentia, quibus antea diſponebatur materia in ipſo inſtanti generationis corrumpi, & materiam illis omnibus denudatam in eo inſtanti formam ſubſtantialem genitam recipere. Hanc etiam ſententiam expreſſe docet Molina in concordia q. 14. art. 13.diſp.44. circa finem.

3 ASSERTIO tamen ſit. In ipſo etiam generationis inſtanti aliqua accidentia in materia requiruntur quæ ipſam præparent,ac diſponant ad formam genitam recipiendam. Ita Diuus Thomas in 4. diſtinct. 49.quæſt. 2. artic. 6. in corp. quem locum optime expendit Hurtado hîc diſputat. 2. ſect. 1. ſubſect. 1. §. 3. & 4. Caietanus 1. part. quæſt. 76. artic. 6. Conimbricenſes 1. de generatione cap. 4. quæſt. 18. artic. 3. Ioann. à S. Thoma quæſt. 1. de generatione artic. 7. Suarez diſputat. 14. metaph. ſect. 3. num. 37. & tom. 3.de gratia lib. 8. cap. 13. num. 10. ac idem docent omnes philoſophi communiter.

Probatur:materia ſublunaris (de qua ſolum eſt ſermo)cũ ſit ex ſe indifferens ad plures formas ſubſtantiales, vt hanc potius formam quam aliam de facto recipiat debet neceſſario determinari ad illam; ſed materia non poteſt determinari formaliter ad aliquam formam niſi per accidentia ipſius formæ, quæ illam prævie diſponant, præparent, ac coarctent ad ipſam formam recipiendam, potius quam aliam; ergo vt materia hæc in ipſo generationis inſtanti formam genitam recipiat, debet habere aliqua accidentia quibus præparetur ad illam.

4 Dicat autem quiſpiam primo, materiam ligni verbi gratiâ, quæ ante inſtans generationis habuit accidentia caloris, & ſiccitatis, quibus diſponebatur ad formam ignis, licet in inſtanti generationis hæc accidentia euaneſcant,manere tamen ex vi illorum ſigillatam, ac proinde determinatam ad recipiendam formam ignis.

Sed impugnatur: hæc ſigillatio, ac determinatio materiæ ad formam ignis in inſtanti generationis vel eſt aliquid eſſentiale ipſi materiæ,vel aliquod accidens ipſi intrinſecum, vel pura denominatio extrinſeca, qua denominatur habuiſſe accidentia ignis iam deſtructa. Sed hæc ſigillatio non eſt aliquid eſſentiale materiæ, quæ ſecundum ſuam eſſentiam indifferens eſt ad omnes formas, nec eſt pura denominatio extrinſeca, qua extrinſece denominatur habuiſſe accidentia ignis iam deſtructa, tum quia hæc extrinſeca denominatio non tollit, quominus materia nunc in inſtanti generationis ſit omni accidenti denudata, atque ita ſecundum ſe non ſigillata & determinata ad formam ignis, ſed ad quamlibet indeterminata, ac indifferens, tum etiam quia eadem materia ſicut extrinſece denominatur habuiſſe antea accidentia ignis, quæ iam perierunt, ita denominatur etiam extrinſece habuiſſe in alio tempore antecedenti accidentia aquæ v.g. quæ iam deſtructa ſunt,non verò manet nunc ſigillata, ac determinata ex vi talis denominationis extrinſecę ad formam aquæ,ac proindenec per illam denominationem extrinſecam manebit nunc ſigillata, ac determinata ad formam ignis, ergo talis ſigillatio ac determinatio materiæ in hoc inſtanti generationis eſt aliquod accidens intrinſecum illi, quo ipſa ad formam genitam recipiendam intrinſece determinetur,ac diſponatur.

Dicat ſecundo,prædicta accidentia, ac diſpoſitiones v. g. calorem & ſiccitatem ſolum ad generationem requiri, vt contraria accidentia ſcilicet humor, & frigiditas expellantur, cum autem tantum hoc fiat ante inſtans genrationis, ideo in ipſo generationis inſtanti non requiritur, quod materia diſponatur aliquibus accidentibus ad formam ignis, quia ipſa materia vt ſubiecta huic agenti ipſi applicato ſcilicet igni, & non alteri, ſatis determinata eſt ad recipiendam formam ignis potius quàm aliam. 5

Sed impugnatur, nam ſæpe in inſtanti generationis materiæ applicatur agens æquiuocum v. g. Sol potens efficere diuerſas formas ſubſtantiales in tali materia,ſcilicet formam auri, & formam argenti; ergo materia vt pure ſubiecta tali agenti erit tunc omnino indifferens ad vnam aut aliam formam recipiendam, ergo debet in tali inſtanti neceſſariò, præparari aliquibus accidentibus formæ argenti, vt illam potius recipiat,quàm formam auri. 6

Dicat tertiò, eo ipſo, quod materia immediate ante inſtans generationis habuerit accidentia vltimo diſponentia ad formam argenti, vel ignis, in ſequenti generationis inſtanti, naturali ſequela neceſſariò habere ac recipere formam argenti, vel ignis, quia ad vltimam diſpoſitionem naturaliter forma ſubſtantialis conſequitur. 7

Sed impugnatur, quia illud axioma verum tenet ſi vltima diſpoſitio ſit, ac maneat in generationis inſtanti, ſecus ſi in illo euaneſcat; nam ſi in inſtanti generationis perit diſpoſitio, iam in illo manet materia ſecundum ſe denudata, ac indifferens ad omnes formas, non aliter, ac ſi nunquam talem diſpoſitionem ad formam ignis habuiſſet, vt ſupra num. 4. monſtratum eſt, ergo non eſt cur naturali ſequela in tali inſtanti forma ignis potius quàm alia forma in materia recipiatur.

Deinde ante inſtans generationis non datur in materia aquæ v. g. vltima diſpoſitio ad formam ignis, aliàs tunc etiam eſſet forma ignis,nam eſſet calor vt octo in materia, atque ita nullus eſſet in illa gradus frigoris, ergo nec tunc eſſet in materia forma aquæ, quæ ſine aliquo frigore conſeruari non poteſt, cum autem materia non poſſit exiſtere ſine forma. ſequitur, quod tunc ante inſtans generationis eſſet in materia illa forma ignis, ſi ergo ante inſtans generationis non datur in materia forma ignis, nec etiam tunc datur in materia vltima diſpoſitio ad illam, ergo non ideo naturali ſequela producitur in inſtanti generationis forma ignis, quia antea præceſſerit vltima diſpoſitio ad ipſam.

Dicat quartò, eadem accidentia quæ à forma genita in inſtanti generationis dimanant in genere cauſæ efficientis & materialis, ipſam præcedere in genere cauſæ diſpoſitiuæ,& materiam in eo inſtanti præparare, atque diſponere ad illam, in hoc tandem recidit ſchola Thomiſtica, cui ſubſcribunt Conimbricenſes hic cap. 4. quæſt. 18. artic. 3. concluſ. 2. Sed iam hoc eſt admittere prævias aliquas diſpoſitiones ad formam genitam,in ipſo etiam generationis inſtanti, quod noſtra concluſio intendit.

Deinde impugnantur & probo debere in tali inſtanti præcedere aliqua accidentia, & diſpoſitiones

quæ ab ipsa forma genita præcedant, tum quia mutua illa causalitas repugnat vt monstraui in physicis disputat. 22. cap. 2. & supra disputat. 2. cap. 1. num 5. tum etiam quia Sol applicatus in instanti generationis materiæ est secundum se indifferens ad producendam in illa formam auri ex qua procedant accidentia, ac dispositiones ad talem formam auri, & ad producendam etiam formam argenti in eadem materia, ex qua dimanent accidentia & dispositiones ad formam argenti, ergo vt hanc potius formam auri cum his accidentibus, quam illam formam argenti cum illis accidentibus in materia producat, debet necessariò esse in eo instanti in materia aliqua accidentia quæ illam præuie determinent ad formam auri cum suis passionibus, potius quam ad formam argenti.

8 Hinc infero etiam quantitatem in ipso instanti generationis necessariò præire, ac disponere ad formam genitam, præcedunt enim necessariò aliqua accidentia materialia ad talem formam disponentia, Hæc autem immediate subiectantur in quantitate vt probaui disput. 2. cap. 2. ergo necessariò in eo instanti præcedit quantitas. Sed quærat quis an quantitas etiam per se, & ratione sui ad formam genitam requiratur dispositiue?

Respondeo, etiam per se requiri vt dispositionem communem ad omnem formam, ratio est, quia vt forma extensa in materia introducatur, requiritur necessariò quod ipsa præsupponatur perfectè extensa, fit autem perfectè extensa materia per quantitatem, nam licèt extensio adueniat materiæ à modo aliquo distincto à quantitate, perfectio verò extensionis scilicet, quod in amissibilis sit, & partes penetrari non possint, præstatur à quantitate, ergo quantitas ratione sui debet in materia præsupponi ad formam genitam.

CAPVT II.

Quædam quæsita euodantur.

9 INquirat autem quis primò, quænam accidentia concurrant ad formam genitam, illa nè, quæ sunt in agente, an illa quæ sunt in passo? Thomistæ communiter asserunt accidentia tantum quæ sunt in passo, concurrere ad formam genitam, quos imitantur Tolet. hîc cap. 4. quæst. 7. & Conimbricenses qap. 18. art. 3. Sed inconsequenter loquuntur, nam ipsi dicunt accidentia quibus disponebatur passum, scilicet materia ad formam generandam in instanti generationis euanescere, & iam non existere, cum resolutio fiat vsque ad materiam primam sed id, quod non existit non potest aliud physice causare, nam quod realiter non est, quomodo poterit alteri esse reale communicare, ergo ex illorum principijs euidenter sequitur accidentia, quæ sunt in passo scilicet in materia non posse efficere formam genitam.

Opinantur alij sola accidentia, quæ sunt in agente formam genitam producere, non verò accidentia, quæ sunt in materia, sed non bene, quia hæc etiam sufficienter applicata sunt, & æqualem habent virtutem ac illa. Arbitror ego, tam accidentia quæ sunt in materia quam quæ sunt in agente producere formam genitam, quia quælibet ex illis habent æqualem virtutem, ac sufficientem applicationem.

Dices; ergo dantur duæ causæ instrumentales totales respectu eiusdem effectus. Nego, quia Deus vt causa prima attemperat suum concursum ita, vt illa accidentia quælibet seorsim per modum causæ instrumentalis partialis, & vtraque simul per modum vnius causæ instrumentalis totalis ad eundem effectum concurrant. Hæc autem dicta sunt gratis admissa sententia eorum, qui dicunt accidentia attingere physice productionem substantiæ, quod negaui in physicis disp. 17. cap. 3. atque ita in mea sententia nulla accidentia producunt physice formam genitam.

Inquirat secundò, an generatio reipsa ab alteratione distinguatur? Negant aliqui asserentes generationem esse terminum alterationis, sed certum omnino est generationem esse actionem reipsa ab alteratione distinctam. 10

Probatur, actiones diuersificantur ex terminis, sed generatio, & alteratio habent reipsa diuersos terminos, hæc enim producit accidens, illa substantiam, ergo generatio reipsa est distincta ac diuersa ab alteratione. Confirmatur: potest dari alteratio, qua vltima dispositio ad formam ignis in materia producatur, & diuinitus impediri, quod sequatur generatio, nulla enim in hoc implicatio reperitur, ergo generatio ab alteratione distinguitur, dicitur autem generatio terminus extrinsecus alterationis quia alteratio, qua producitur dispositio ad formam, ordinatur ad generationem formæ.

Inquirat tertiò, an generatio sit instantanea, an successiua? Non est modo sermo de successione extensiua, qua per varias partes materiæ ipsa generatio extendatur, sed tantum de successione intensiua, qua in eadem materiæ parte ipsa generatio paulatim crescat, & augeatur. 11

Opinor cum communi schola generationem non esse successionem intensiue, sed instantaneam. Ratio est quia vt aliqua actio sit intensiue successiua, requiritur quod eius terminus sit intensibilis, hoc est, quod possit habere plures gradus intensionis quorum vnus post alium producatur, atqui forma substantialis, quæ est terminus generationis, non est intensibilis, nec habere potest plures gradus intensionis, sed in indiuisibili consistit, vt omnes admittunt, intensio enim est propria qualitatis, ergo generatio non est actio intensiue successiua sed instantanea.

Obijciat quis, quando vltima dispositio ad formam producitur in materia tunc forma substantialis generatur, sed vltima dispositio ad formam producitur in tempore ac proinde successiue. ergo forma etiam in tempore successiue generatur. Respondeo, in mea sententia continuum ex solis indiuisibilibus componente, vltimam dispositionem finiri in instanti indiuisibiliter, & ideo etiam in instanti formam substantialem generari. In sententia verò communi, quæ partes & indiuisibilia admittit dicendum est, vltimam dispositionem fieri successiue in tempore, terminari verò in instanti per primum sui non esse, & in eo instanti gigni formam substantialem.

Inquirat quartò, an mater verè concurrat actiue ad prolem? Negat Aristoteles & omnes Peripatetici: affirmant grauissimi Medici. Censeo primò, matrem præstare ad generationem verum semen, in quo etiam sit virtus formatiua prolis, sicut in semine Patris, tum quia id clare Anatomistæ demonstrant, tum etiam quia alias filius non referret matrem, nec illi assimilaretur vt probat bene Hurtado, hic disputat. 2. sect. 5. subsect. 1. illum consule, & Conimbricenses hic cap. 4. quæst. 27. 12

Censeo

Censeo secundo, substantia matris per se ipsam physicè influere in substantiam prolis.

Probatur, causa actiua applicata influit physicè in effectum, sed substantia matris secundum se est causa actiua substantiæ prolis, & est sufficienter applicata materiæ fœtus, quam intra sua viscera habet; ergo substantia matris physicè influit in substantiam prolis.

Minor probatur, substantia per se ipsam est immediate actiua alterius substantiæ vt ostendi in physicis disputat. 17. cap. 3. atque ita sicut substantia corporea non viuens est immediate actiua alterius substantiæ non viuentis, ita substantia corporea viuens est immediate actiua alterius substantiæ viuentis, sed mater est substantia corporea viuens & eiusdem speciei cum substantia Patris, ergo substantia matris est secundum se immediate actiua substantiæ prolis.

DISPVTATIO IV.

De corruptione substantiali.

DVo capitâ continebit. In primo, Quid sit corruptio, & quædam de illa expediuntur. In secundo, de inceptione, ac desitione rerum.

CAPVT I.

Quid sit corruptio, & quædam de illa expediuntur.

1 CO*rruptio est suspensio actionis generatiuæ connotans desitionem rei in materia, in primo instanti.* Cuius definitionis verba breuiter explanabo. *Suspensio actionis generatiuæ.* Nam si sit tantum desitio ac suspensio actionis creatiuæ, non erit verè corruptio, sed potius annihilatio vt statim dicam, *connotans desitionem rei.* Si enim detur suspensio, & desitio actionis generatiuæ, quæ non connotet desitionem rei, sed res, quæ antea generabatur, modo destructa actione generatiua per aliam actionem creatiuam conseruatur à Deo vt res de facto se habet in accidentibus Eucharistiæ, tunc quidem talis suspensio actionis generatiuæ non est propriè corruptio rei, quia non connotat eius desitionem, *in materia*, quia sicut fieri rem ex materia, ac in materia requiritur ad rationem generationis, ita desinere rem in materia requiritur ad rationem corruptionis; vnde si cum forma desinit esse non maneat materia sed totum compositum destruatur, talis formæ desitio strictè corruptio non erit, sed tantum destructio formæ potest appellari, quo pacto desinit esse forma substantialis panis in Eucharistia, quia simul cum illa eius materia destruitur. *in primo instanti.* Nam in alijs instantibus præter primum, licèt verè non sit res antea corrupta, nec actio illius, tamen tunc non dicitur corrumpi, cum proinde nec est tunc corruptio illius.

2 Sed inquirat quispiam, quid sit annihilatio, & quomodo à corruptione dissideat? Nonnulli censent annihilationem esse præcisè suspensionem actionis creatiuæ, nam sicut per creationem res incipit esse ac producitur ex nihilo, id est, ex nullo subiecto, ita per solam suspensionem creationis res desinit esse in nihilum, hoc est, in nullum subiectum, ex quo antea educeretur, ac proinde annihilatur, ex quo inferunt materiam panis in Eucharistia, cum desinat esse per suspensionem actionis creatiuæ, verè annihilari. Gabriel, Major, Ochamus, citati à Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 50. sect. 7. in principio.

Alij opinantur annihilationem esse suspensionem actionis creatiuæ rei desinentis in nihilum, id est, non desinentis ex vi alterius rei positiuæ, in quam per se conuertatur, aliàs res non desineret in nihilum sed in aliquid positiuum. Vnde cum substantia panis in Eucharistia desinat esse ex vi productionis corporis Christi in quod conuertitur, ideo licèt desinat esse per suspensionem actionis creatiuæ, verè non annihilatur. Ita Vasquez tom. 3. in. 3. p. disp. 83. cap. 3. & omnes Theologi communiter.

Prior opinio magis Philosophica videtur. Posterior magis Theologica, & aptior ad mysterium Eucharistiæ contra hæreticos explicandum, & ea propter istam amplector. Itaque duo ad veram annihilationem desiderantur, primum quod sit suspensio actionis creatiuæ, & ideo destructio luminis, licèt in nihilum abeat, non est annihilatio, vt omnes admittunt. Secundum, quod res per illam desinat esse in nihilum; ita, vt non desinat esse ex vi alterius rei, in quam verè conuertatur. Hæc autem non requiruntur ad corruptionem, & idcirco annihilatio à corruptione dissidet.

Causæ corruptionis quatuor possunt assignari. 3
Causa finalis est forma genita, nam forma ligni verbi gratia corrumpitur propter formam ignis, quæ gignitur. Causa materialis est ipsa materia in qua corrumpitur forma, sicut enim materia in qua forma generatur est causa materialis generationis, ita eadem materia in qua forma corrumpitur, est causa materialis corruptionis.

Causa efficiens est illud agens, quod suspendit actionem, qua antea conseruabat formam, nam quemadmodum agens quod efficit, & præstat actionem, qua generatur, est causa efficiens generationis, sic etiam agens, quod suspendit, & omittit actionem, qua suspensione corrumpitur forma, est causa efficiens corruptionis formæ.

Causa formalis late accepta est forma genita, quæ habet duplicem effectum formalem, alium ptimarium, alium secundarium: effectus formalis primarius formæ genitæ v. g. formæ ignis est reddere materiam ignitam, qui cum non distinguatur ab ipsa forma vt communicata subiecto, si forma in subiecto sit, non potest talis effectus impediri, aut suppleri à Deo. Effectus autem secundarius talis formæ est expulsio, & corruptio alterius formæ præexistentis in materia, scilicet formæ ligni, qui cum verè distinguatur ab ipsa forma subiecto communicata, etiam si forma in subiecto sit potest impediri à Deo. Vtrumque autem effectum forma dicitur causare formaliter, quia illos causat per se ipsam sine alio influxu intermedio. Hoc autem strictè, & rigotosè loquendo non est causare, sed tantum formalizare, vt dictum est supra in physicis disp. 10. cap. 1.

Hinc iam facile intelligitur, in quo sensu ve- 4
rum teneat commune illud Philosophorum effatum, generatio vnius est corruptio alterius, desumptum ex Aristotele hic cap. 3. text. 17. & 20. & quidem in formis accidentalibus non semper tenet, nam generatio lucis non est corruptio alterius

forma

formæ contrariæ, cum nulla alia forma contrarietur luci.

Deinde in formis substantialibus non est verum in sensu formali, nam generatio formæ ignis, cum sit aliquid reale positiuum, non est formaliter corruptio formæ ligni, quæ solum est aliquid negatiuum. At tamen in sensu causali semper de facto generatio vnius formæ substantialis est corruptio alterius, hoc est, generatio vnius formæ causat, & infert alterius formæ corruptionem, non quidem necessariò alterius formæ realis, nam quando generatur cadauer in materia hominis, nulla ibi forma realis corrumpitur, cum semper persistat forma rationalis hominis, sed tantum necessariò causat corruptionem alterius formæ saltem modalis, scilicet vnionis substantialis materiæ cum forma, nam in prædicto etiam casu cum forma cadaueris generatur, vnio formæ rationalis cum materia verè corrumpitur, vel etiam generatio vnius compositi est corruptio alterius compositi, quod in omni casu semper est verum.

5 Verum quærat aliquis, an forma genita sit prior formæ corruptione, vel è contra? In primis forma genita non est prior tempore in materia quam forma alia corrumpatur, alias in aliquo instanti haberet simul materia formam genitam, & formam, quæ postea corrumpenda erat, quod naturaliter implicat, nec etiam corruptio vnius formæ est prior tempore, quam forma alia sit genita, alioquin in instanti corruptionis materiæ nullam haberet formam, nec corruptam, quia iam non esset, nec aliam generandam, cum tunc nondum esset genita, quod repugnat.

Deinde forma genita est prior natura corruptione alterius formæ, hæc autem corruptio non est vlla ratione prior natura illa forma genita, ratio est, quia formæ corruptio pendet ab alia forma genita, tanquam ab eius causa, atque ita à priori, forma verò genita solum pendet à corruptione alterius tanquam ab eius effectu necessariò consequuto à posteriori.

6 Obijciat quis, forma ignis pugnat cum forma ligni, & illam à materia expellit, ergo hæ formæ simul congrediuntur eandem materiam, aliàs quo pacto pugnare poterunt, ergo forma ignis genita prior est in aliquo instanti temporis, quam corruptio formæ ligni.

Ridicula sane obiectio, prædictæ enim formæ pugnant inter se non per militarem congressum (vt quidam dicunt) sed per incompossibilitatem formalem earum, ratione cuius eo, ipso, quod vna ingrediatur in materiam tunc necessario debet expelli alia, & primum esse vnius in materia est necessariò primum non esse alterius in eadem materia.

Vnde miror, viros aliàs doctos hac ratione ita deceptos fuisse, vt docerent sententiam improbabilem in Philosophia, scilicet duas formas contrarias esse simul naturaliter in eadem materia & opinionem non bene audientem in Theologia scilicet gratiam & peccatum mortale esse simul pro aliquo instanti in homine, de quo alibi.

7 Præterea potest inquiri an corruptio sit naturalis enti sublunari? Respondeo, corruptionem esse enti sublunari naturalem, hoc est, naturalem aptitudinem, & capacitatem illius, quia ens sublunare est natura sua capax corrumpi, non vero esse naturalem ipsi enti sublunari, id est, iuxta inclinationem illius, quia ens non inclinatur naturaliter in sui destructionem.

Sed petis, corruptio nè intenditur à natura Corruptio formæ accidentalis aliquando à natura per se intenditur; lux enim corrumpitur naturaliter absque eo, quod alia forma intendatur, vel generetur, vel potest cessare ab aliquo actu intellectus, vel sensuum nullo alio loco illius producto. Corruptio autem formæ substantialis non intenditur à natura per se, ac ratione sui, sed per accidens, & ratione alterius, quia cum natura intendat bonum vniuersi, non intendit destructionem formarum, quæ in eo sunt, nisi vt aliæ generentur, neque enim materia prima naturaliter omni forma potest expoliari, an autem homo in se habeat principium intrinsecum corruptionis, & possit perpetuo viuere, primum pertinet ad Medicos: Secundum ad Theologos positiuos, videri tamen possunt de hoc Petrus Hurtado disputatione 1. de generatione sectione 10. subsect. 3. & Carleton disputat. 4. de corruptione sectione 3. & 4.

CAPVT II.

De inceptione, ac desitione rerum.

8 MIrum est, quanta Philosophi dixerint de inceptione & desitione rerum, vt rem alias facilem, tenebrosam, & obscuram reddiderint. Iuniores tamen eam clarius tradiderunt, vt videre est apud Conimbricenses numero sequenti, Hurtadum disputat. 15. physic. de compositione continui sect. 8. Arriagam disp. 16. de generatione sect. 1. & alios, nos verò iuxta principia iacta de continui compositione solita breuitate & claritate rem definimus.

9 Communis sententia, quæ tempus ex partibus proportionalibus ac instantibus componit, quatuor adinuenit modos, duos, quibus res incipiant, & duos quibus desinant esse, nimirum incipere intrinsece *per primum sui esse*, aut extrinsece *per vltimum sui non esse*, & desinere esse intrinsece, *per vltimum sui esse*, aut extrinsece *per primum sui non esse*, quæ breuiter explanabo. *Incipere rem per primum sui esse* intrinsece est quod in aliquo determinato instanti sit verum dicere, nunc res vere est, & immediate antea non erit: & dicitur modus incipiendi intrinsece, aut per instans intrinsecum, quia illud primum esse, quod res habet in tali instanti determinato, est intrinsecum ipsi rei. Incipere extrinsece *per vltimum sui non esse*, est quod in aliquo instanti determinato sit verum dicere, nunc res verè non est, & immediate post erit, & dicitur modus incipiendi extrinsece, aut per instans extrinsecum, quia illud non esse rei quod datur in illo vltimo instanti determinato, est extrinsecum ipsi rei.

Desinere autem rem intrinsece *per vltimum sui esse*, est quod in aliquo instanti determinato sit verum dicere nunc res vere est; & immediate post non erit, & dicitur modus desinendi intrinsece, vel per instans intrinsecum, quia tale esse vltimum, quod res habet in eo instanti est intrinsecum ipsi rei, melius diceretur modus desinendi extrinsece, aut per instans extrinsecum, quia tale esse, quod res habet in eo instanti est extrinsecum desitioni rei.

Desinere rem extrinsece *per primum sui non esse* est, quod in aliquo instanti determinato sit verum dicere nunc res non est, & immediate antea erat, & dicitur modus desinendi extrinsece, aut per instans

extrin

extrinsecum, quia illud primum non esse rei, quod datur in illo instanti, est extrinsecum ipsi rei, & melius diceretur modus desinendi intrinsecè, aut per instans intrinsecum, quia tale primum non esse rei, quod datur in eo instanti, est intrinsecum desitioni talis rei.

10 Ad hæc obseruare oportet res creatas esse in duplici differentia, alias esse permanentes, quæ incipiunt, aut desinunt esse secundum totum esse simul, vt Angelus, anima rationalis, forma substantialis, & similia; alias esse per se vel per accidens successiuas, quæ per se, vel per accidens incipiunt, ac desinunt esse successiuè paulatim, atque per partes, vt motus, tempus, calor paulatim productus & id genus alia.

Quærimus ergo, quomodo hæc omnia incipiant, ac desinant esse? Communis sententia docet res permanentes sẽper incipere per primum sui esse ita, vt in aliquo instanti determinato sit verum dicere nunc res est, & immediate antea non erat, & desinere esse *per primum sui non esse*, ita, vt in aliquo instanti determinato sit verum dicere nũc res non est, & immediate antea erat, res verò successiuas incipere semper *per vltimum sui non esse*, ita, vt in aliquo instanti sit verum dicere, nunc non est motus, & immediate post erit & desinere esse *per primum sui non esse*, ita, vt in aliquo instanti sit verum dicere, nunc non est motus, & immediate antea erat. Ita Conimbricenses libro 8. physic. capite 8. quæstione 2. articulo 2. & 3. Toletus 6. physic. quæstione 4. Rubius ibi quæstione 2. Sotus quæstione 3. & omnes Aristotelici communiter.

Hæc tamen opinio iuxta principia sententiæ
11 communis potest efficaciter impugnari. Ac primum rem indiuisibilem ac totam simul non incipere, *per primum sui esse*. sed posse etiam incipere *per vltimum sui non esse*, sic probo, cum nunc forma ignis ab alio igne generatur, Deus immediate post se solo potest alia actione distincta indiuisibili, ac tota simul conseruare talem formam, ergo illa actio conseruatiua indiuisibilis Dei incipiet esse immediate post instans, in quo fuit actio ignis generatiua, atqui quod incipit esse immediate post instans, incipit esse in tempore, ac proinde non *per primum sui esse*, sed per *vltimum sui non esse*, vt constat ex dictis, ergo actio illa Dei conseruatiua indiuisibilis, ac tota simul *incipit esse per vltimum sui non esse*.

Confirmatur. Peccator, qui in hoc instanti determinato est in peccato mortali potest immediate post elicere actum contritionis, quo iustificetur, ergo actus contritionis potest incipere esse immediate post instans scilicet in tempore, sed quod ignis incipit in tempore dicitur tantum incipere, *per vltimum non esse sui*: ergo actus contritionis, licèt permanens, ac indiuisibilis sit, potest incipere *per vltimum sui non esse*.

Deinde rem etiam indiuisibilem ac totam simul posse etiam desinere esse *per vltimum sui esse*, & non semper desinere, *per primum sui non esse*, sic monstro: instans temporis desinit esse immediate postquam est, atque ita desinit esse in tempore Angelus, qui in hoc instanti creatur potest immediate post à Deo annihilari, atque ita Angelus potest etiam in tempore desinere esse: cum habeo in hoc instanti determinato actum amoris Dei, possum immediate post libere ab illo cessare, atque ita talis actus desinet esse in tempore, atqui quæ desinunt esse in tempore desinunt esse, non quidem *per primum sui non esse*, sed solum *per vltimum sui esse* vt constat, ergo instans, Angelus, & amor Dei, quæ sunt res indiuisibiles, ac totæ simul desinunt esse *per vltimum sui esse*.

Porrò rem successiuam verbi gratia motum non 12
necessariò incipere *per vltimum sui non esse*, sed posse incipere *per primum sui esse*, sic probo, sicut esse motus, habet prius, & posterius positiuè, ita non esse motus habet prius, & posterius negatiuè, nam sicut motus paulatim atque per partes est, ita paulatim, atque per partes desinit esse in instanti *per primum sui non esse*, licèt tale non esse illius successiuum sit, vt aduersarij concedunt, ergo motus etiam potest incipere in instanti *per primum sui esse* licèt tale esse motus sit successiuum.

Confirmatur, non magis implicat rem successiuam, ac diuisibilem esse, ac incipere in instanti indiuisibili, quam rem indiuisibilem, ac totam simul esse ac incipere in tempore successiuo ac indiuisibili, sed res indiuisibilis, ac tota simul potest esse ac incipere in tempore diuisibili. vt numero præcedenti monstraui ergo res successiua ac diuisibilis scilicet motus potest esse, ac incipere in instanti, igitur incipere potest *per primum sui esse*.

Deinde rem successiuam scilicet motum non desinere esse in instanti *per primum sui non esse*, sic monstro. Ideo in sententia communi motus non incipit in instanti *per primum sui esse*, quia esse motus est successiuum & habet prius ac posterius, prius enim non est vna pars motus, quam alia; ergo etiam motus non desinit esse in instanti *per primum sui non esse*.

His difficultatibus implicatur inceptio, aut desi- 13
tio rerum in sententia communi, quæ tempus ex infinitis partibus ac instantibus componit, ideo etiam hæc sententia repellenda. At hoc facile explicatur in nostra opinione, quæ tempus ex solis finitis instantibus indiuisibilibus conflat. Ideo etiam hæc opinio admittenda & amplexanda est. Dico ergo iuxta hanc sententiam rem indiuisibilem ac totam simul incipere in illo instanti, in quo primò habet totum suum esse indiuisibile, & desinere esse in eo instanti, in quo primo non habet, sed amittit totum suum esse indiuisibile.

Rem verò successiuam verbi gratia motum incipere in illis instantibus in quibus primò habet suũ esse successiuum, & desinere in illis instantibus in quibus primò suum esse successiuum non habet, sed amittit. Hæc de rerum desitione & corruptione sufficiant, alia curiosè tractant Hurtado & Conimbricenses hic, consulite illos.

DISPVTATIO V.

De argumentatione substantiali.

QVINQVE capita continebit. In primo inquiro, quid & quotuplex sit augmentatio substantialis? In secundo, an substantialis augmentatio re ipsa in specie, à prima generatione dissideat? In tertio, an augmentatio substantialis sit successiua & continua? In quarto de potentia nutritiua, ac de ipsa nutritione. In quinto de maximo, & minimo rerum naturalium.

***

CAPVT

CAPVT I.

Quid, & quotuplex sit augmentatio substantialis.

1 SVppono augmentationem esse rationem, seu actionem illam, per quam res ex minori fit major; sicut è contra diminutio est desitio actionis qua res ex maiori fit minor. Hæc autem augmentatio, alia est accidentalis, quæ est mutatio rei, à minori ad maiorem quantitatem, & vocatur accretio, cui diminutio accidentalis opponitur, quæ est mutatio negatiua rei à maiori ad minorem quantitatem, & decretio dicitur. Alia est augmentatio substantialis cuius rationem inquirimus.

2 Augmentatio ergo substantialis sic definitur, *est transitus seu mutatio à minori ad maiorem substantiam.* Particula illa *transitus seu mutatio*, obtinet vicem generis, quia per id conuenit hæc augmentatio cum omnibus alijs mutationibus. Alia verba ponuntur loco differentiæ, quia per illa hæc augmentatio substantialis diffidet à prima generatione, vt generatio est formaliter, quæ non est mutatio ad maiorem substantiam sed ad substantiam præcise, ab alteratione, quæ est mutatio ad qualitatem, & ab accretione quæ est transitus ad maiorem quantitatem, ac etiam à diminutione substantiali, quæ non est mutatio à minori ad maiorem substantiam, sed potius à substantia maiori ad substantiam minorem.

3 Sed pro maiori declaratione obserua terminum *ad quem* augmentationis substantialis esse aliquid positiuum, scilicet maiorem substantiã, terminum verò *à quo* illius esse formaliter aliquid negatiuum, seu priuatiuum, scilicet priuationem maioris substantiæ: item terminum *ad quem* diminutionis substantialis esse aliquid priuatiuum, scilicet priuationem maioris substantiæ, terminum autem *à quo* ipsius esse aliquid positiuum, scilicet maiorem substantiam, vnde sicut generatio & corruptio differunt inter se essentialiter, quia generatio est mutatio à priuatione substantiæ ad ipsam substantiam corruptio vero est mutatio negatiua à substantia ad priuationem talis substantiæ; ita similiter augmentatio, & diminutio essentialiter inter se differunt, quia augmentatio est mutatio à priuatione maioris substantiæ ad ipsam maiorem substantiam: diminutio vero est mutatio negatiua à maiori substantia ad priuationem maioris substantiæ.

4 Obijciat quis: quando ægrotus nutritur, sæpe plures partes per diminutionem amittit, quam per nutritionem acquirit, ergo talis nutritio non est mutatio à minori ad maiorem substantiam, & tamen talis nutritio est augmentatio substantialis, ergo substantialis augmentatio non est mutatio à minori ad maiorem substantiam.

Respondeo, ad rationem augmentationis solum requiri, quod ex vi ipsius præcisè secluso quouis alio quod accidere potest per accidens, res à minori ad maiorem substantiam transeat, hoc est, quod res illa posita augmentatione maiorem substantiam habeat, quam haberet, si ipsa non esset, ægrotus autem licèt per accidens ob noxiam aliquam qualitatem plures partes substistentiæ deperdat quam per nutritionem, & augmentationem acquirit, tamen per se ex vi illius augmentationis præcisè habet aliquam maiorem substantiam, quam non haberet, si ipsa augmentatio non esset, atque ita augmentatio substantialis, quantum est ex se, semper est mutatio à minori ad maiorem substantiam.

Prædicta autem substantialis augmentatio, alia 5
est totalis, quæ est transitus à minori substantia totali ad maiorem substantiam totalem, alia partialis, quæ est transitus à minori substantia partiali ad maiorem substantiam partialem, hæc autem est duplex, alia est augmentatio materialis, quæ est transitus à minori materia ad maiorem materiam: alia est augmentatio formalis, quæ est transitus à minori forma ad maiorem formam substantialem, verbi gratia, quando aqua augmentatur per additionem alterius aquæ, additur materiæ aquæ noua pars materiæ aquæ, & formæ aquæ additur noua pars formæ aquæ, & vnioni inter materiam & formam aquæ additur etiam noua vnio inter materiam & formam alterius aquæ.

Vnde triplex datur actio, alia qua vnio iner materiam & formam aquæ additur vnioni materiæ & formæ aquæ præexistenti, & hæc est augmentatio totalis, quia sicut generatio, generat vnionem inter materiam & formam, generat totum, & est generatio totalis, ita augmentatio, quæ superaddit vnionem inter materiam & formam aquæ alteri vnioni inter materiam & formam alterius aquæ, superaddit vnum totum alteri toti, & est augmentatio totalis. Alia est actio, qua noua materia aquæ additur alteri materiæ aquæ, & hæc est augmentatio partialis materialis. Alia est actio, qua noua pars formæ aquæ additur alteri formæ aquæ, & hæc est augmentatio formalis.

Hæc item substantialis augmentatio, alia est 6
simplex, quæ est transitus à minori ad maiorem substantiam absque eo, quod aliqua pars formæ de nouo per illã producatur, vt quando aquæ superadditur altera aqua: alia est aggeneratio in qua etiam forma aliqua generatur, & superadditur alteri, vt quando ignis per stupam serpit & augmentatur, hæc autem est etiam duplex, alia est aggeneratio inanimatorum, quæ nomine aggenerationis affertur; alia est aggeneratio, & augmentatio viuentium, quæ nobilior est, atque nutritio appellatur.

CAPVT II.

An substantialis augmentatio reipsa in specie à prima Generatione dissideat.

TRiplex datur augmentatio substantialis, nimirum simplex augmentatio, aggeneratio, & nutritio, vt superius explicuimus. De singulis illis inquirimus, an à prima actione generatiua in specie distinguatur: nonnulli vniuersaliter negant. 7

ASSERTIO prima sit, augmentatio simplex substantialis reipsa distinguitur specie à prima generatione. In hac omnes conueniunt.

Probatur, tunc aliqua actio differt specie ab alia, quando vna habet essentialiter aliquid, quod non habet alia, sed augmentatio simplex aquæ, verbi gratia non habet producere formam substantialem aquæ, quod habet essentialiter prima generatio aquæ, ergo simplex augmentatio substantialis aquæ vere distinguitur in specie à prima

genera

generatione aquæ. Probatur ſecundo, ad variationem actionis ſufficit variatio termini partialis, ſed terminus partialis eſt diuerſus in augmentatione ſimplici à prima generatione, ergo & aggeneratio à prima generatione. Minor probatur, quia vnus terminus augmentationis eſt vnio continuatiua materiæ, vt cum ignis conuertit in ſe aërem, ſed hæc vnio continuatiua non reperitur in prima generatione vt cum ignis primo producit alium ignem, ita tamen vt conuertatur ignis productus cum producente vt fit, cum accendit carbones ſibi proximos, quos tamen ſibi non vnit; ergo diuerſus eſt terminus formalis augmentationis à prima generatione, ergo ſimplex augmentatio ſubſtantialis ignis aut aquæ, ſpecie differt à prima generatione.

8 Assert 10 ſecunda ſit, aggeneratio non diſtinguitur ſpecie à prima generatione ſed eſt eiuſdem rationis ſpecificæ cum illa. Probatur, totum id, quod claudit eſſentialiter aggeneratio ignis, v. g. claudit etiam eſſentialiser ignis generatio & è contra, ergo ſunt eiuſdem ſpeciei: conſequentia eſt euidens, antecedens ſic oſtendo, aggeneratio formalis ignis ſolum claudit eſſentialiter productionem formæ ſubſtantialis ignis, & productionem vnionis qua talis forma partialis ignis cum alia forma partiali ignis continuetur; atqui prima generatio ignis eriam claudit productionem formæ ignis, & productionem vnionis, qua aliqua pars talis formæ cum alia parte eiuſdem formæ continuetur, nam talis continuatio partium formæ ignis genitæ tunc ab aliquo fit, & non eſt aliud, à quo fiat, niſi à primo generante, nec plus aliud talis generatio eſſentialiter includit, ergo totum id, quod claudit eſſentialiter aggeneratio ignis, claudit etiam prima ignis generatio, & è contra.

9 Dicat autem quiſpiam primò, primam ignis generationem terminari ad ſubſtantiam totalem, aggenerationem verò ad ſubſtantiam partialem, & ideo ſpecie differre. Sed contra, demus, quod per primam generationem producatur ſubſtantia ignis vnius palmi, quæ verè eſt ſubſtantia totalis, atqui per aggenerationem etiam ſæpè producitur alia ſubſtantia ignis vnius etiam palmi, ergo etiam per aggenerationem producitur ſubſtantia totalis, quod enim hæc ſubſtantia per aggenerationem cum illa altera vniatur, & continuetur, ſicut non tollit, quod illa primo generata per ſe & ſimpliciter ſit totalis, ita nec tollit, quod hæc ſimilis ſubſtantia aggenerata per ſe, ac ſimpliciter ſit totalis.

Vrgeo, etiamſi ſubſtantia ignis primo generata ſit totalis, & ſubſtantia ignis poſtea aggenerata ſit partialis, tamen non differunt in ſpecie, ſed ſunt eiuſdem ſpeciei ignis, vt per ſe conſtat, ergo licèt prima generatio ignis ſit productio ſubſtantiæ partialis, non diſtinguentur ſpecie ſed erunt eiuſdem ſpeciei.

10 Dicat ſecundo, aggenerationem ſecundum ſe eſſentialiter ſupponere aliquam formam ignis, verbi gratia cui alia pars formæ continuetur, generationem verò iam non ſupponere; ſed illam primo producere, & idcirco has actiones differre ſpecie. Sed contra, aggeneratio ignis, quatenus præcisè includit productionem formæ ignis, non neceſſariò ſupponit aliquam formam ignis, nec enim apparet ratio, quare vt ſic præcisè illam ſupponat, ſupponit verò illam, quatenus includit in ſe productionem vnionis, qua pars formæ ignis vnitur, & continuatur cum alia parte formæ ignis, atqui prima actio generatiua, licèt quatenus includit productionem formæ ignis præcisè, non ſupponat aliquam formam ignis, tamen vt etiam includit productionem vnionis, qua vna pars formæ ignis genitæ vnitur & continuatur cum alia parte formæ ignis etiam genitæ ſupponit ipſam formam ignis, cum talis vnio, & continuatio partium formalium ex ipſis partibus formæ ignis educatur, ergo ſicut prima generatio non ſupponit aliquam formam, ita nec aggeneratio, & ſicut aggeneratio ignis ſupponit aliquam formam ignis, ita & prima generatio, atque ita ſpecie non differunt.

Dicat tertiò, aggenerationem ignis, v.g. quatenus aggeneratio eſt formaliter, eſſe non ſolum productionem formæ, ſed etiam vnitionem vnius partis formæ cum altera parte formæ, primam verò generationem vt formaliter generatio eſt, eſſe ſolum productionem formæ ex materia, in hoc enim tota ratio generationis ſaluatur, atque ideo aggenerationem, & primam generationem ſpecie inter ſe differre. Sed contra, hoc tantum probat conceptum formalem aggenerationis & conceptum formalem generationis eſſe formaliter diuerſos, quod non inficior, non verò probat primam generationem ignis ſecundum totum, quod reipſa includit, ſpecie diſſidere ab ignis aggeneratione, nam prima ignis generatio reipſa eſt productio formæ ac vnitio vnius partis formæ cum alia parte eiuſdem formæ, nam cum vna pars formæ ignis generatur vnita cum alia parte eiuſdem formæ, talis vnio etiam fit à primo generante, atqui aggeneratio ignis nihil aliud includit, quam eſſe productionem formæ, & vnitionem vnius partis formæ cum alia parte eiuſdem formæ, ergo prima generatio reipſa totum includit, quod claudit aggeneratio, ac proinde non diſſident in ſpecie. 11

Assert io tertia: Nutritio differt ſpecie à prima generatione viuentis. Probatur, res illæ differunt inter ſe ſpecie, quarum vna habet aliquid eſſentialiter, quod non habet alia, ſed nutritio habet aliquid eſſentialiter, quod non habet prima generatio viuentis, ergo nutritio differt ſpecie à prima generatione viuentis. 12

Minor probatur, nutritio habet eſſentialiter ita eſſe à principio intrinſeco, quod non poſſit naturaliter à principio extrinſeco promanare vt ipſa experientia docet, numquam enim ab agente extrinſeco applicato viuens augetur, & nutritur, atqui prima generatio progreditur ab agente extrinſeco, vt per ſe conſtat, ergo aliquid habet eſſentialiter nutritio, quod non habet prima generatio.

Huius autem ratio eſt, quia ſubſtantia viuens, quæ producitur, ſi ſupponatur alia ſubſtantia cui addenda ſit, repugnat fieri à principio intrinſeco, vt experientia teſtatur, ſi verò non ſupponatur alia ſubſtantia cui illa addenda ſit, bene poteſt, ac non repugnat fieri ab extrinſeco, ſed nutritio attingit ſubſtantiam viuentem ſub ratione repugnantis fieri ab extrinſeco, generatio verò attingit illam ſub rarione non repugnantis, cum nutritio vt ſic formaliter ſupponat aliquam ſubſtantiam viuentem cui alia ſuperaddatur, generatio autem vt ſic formaliter, cum non ſupponat, ergo nutritio eſſentialiter repugnat fieri ab agente extrinſeco, generatio autem non repugnat eſſe ab agente extrinſeco, ac proinde hæ actiones differunt eſſentialiter.

13 Confirmatur primò, quia distinctio essentialis desumitur ex collectione omnium accidentium & proprietatum duarum rerum, sed collectio proprietatum generationis est valde diuersa à collectione proprietatum; nutritiones ergo specie differunt. Minor probatur, quia generatio prima petit plura organa, & dispositiones, quæ nutritio non exigit, vt constat in productione & nutritione omnium animalium viuentium.

Confirmatur secundò, quia diuersum principium datur in viuentibus in productione, & nutritione, nam in prima generatione vt ostendimus supra disputatione 1. capite 2. vnio inter materiam & formam producitur à semine, nutritio vero ab ipso viuente, ergo à fortiori debent esse specie diuersæ.

14 Sed obijciat quis, actiones specificantur ab agente, & termino; sed nutritio & generatio viuentis habent idem specie agens, & eundem specie terminum, scilicet eamdem substantiam viuentem, ergo sunt eiusdem speciei.

Confirmatur, ideo ignis generatio, & eius aggeneratio sunt eiusdem speciei, quia vtraque habet idem specie agens & eundem specie terminum; sed similiter nutritio & generatio viuentis habent idem specie agens & eundem specie terminum, ergo sunt eiusdem speciei.

Respondeo, etiam actiones specificari ex diuerso modo tendendi; simplex enim apprehensio, & iudicium ab eodem intellectu, & circa eumdem terminum, seu obiectum sunt diuersæ speciei ob solum diuersum modum tendendi, nutritio autem, ac generatio viuentis habent diuersum modum tendendi, illa enim est à principio intrinseco, ista ab extrinseco, vt supra explicatum est, & idcirco specie differunt.

Ad confirmationem respondeo, ignis generationem, & aggenerationem ipsius non habere diuersum modum tendendi, cum vtraque possit procedere ab agente extrinseco, & ideo non sunt diuersæ specie, sicut generatio, & nutritio.

CAPVT III.

An augmentatio substantialis sit successiua, & continua.

15 MVltorum sententia est in opinione communi, quæ tempus ex infinitis partibus proportionalibus & instantibus temporis componit augmentationem esse successiuam & continuam. Ita Marsilius, Albertus Saxoniæ, Venetus, Sotus, & alij quos referunt, & sequuntur Rubius capite 5. tractatu de augmentatione quæstione 3. num. 27. & Conimbricenses ibidem capite 5. quæstione 16. articulo 2. citatur etiam Diuus Thomas 3. parte quæstione 33. articulo 1. in corp. & ad 4. Sed non multum vrget, vt bene explicat Hurtado hic disputatione 3. sectione 3. subsect. 1. in principio, ratio autem illorum est, quia agens naturale agit vniformiter, difformiter, id est, prius agit in partibus passi vicinioribus quam in remotioribus: ergo quando ignis applicatur ligno, augetur, & augmentatur agendo ignem prius in parte ligni propinqua, & deinde illum paulatim producendo in alijs partibus remotis; ergo talis augmentatio non in instanti sed continuo & successiuè fit.

Sed hæc sententia potest multipliciter impugnari primò, quando forma viuens primo generatur in determinata materia prolis, non sunt omnes partes materiæ prolis æque approximatæ agenti, hoc enim non est penetratum cum illis, sed aliquæ partes illius materiæ sunt ipsi viciniores, aliæ remotiores, & tamen agens illud simul ac instanti producit in tota illa materia ac omnibus illis partibus formam substantialem prolis, ergo licèt in aggeneratione partes aliquæ passi sint agenti viciniores, & aliæ remotiores, poterit agens per augmentationem in aliqua determinata materia ac in omnibus partibus formam aggenerare in instanti. 16

Secundò impugnatur, materia prima non potest naturaliter manere absque omni forma substantiali, sed si augmentatio fieret successiue potest naturaliter materia prima manere absque omni forma substantiali, ergo augmentatio non fit successiue sed tantum in instanti. 17

Minor probatur, in sententia eorum qui admittunt dari minimum naturale in non viuentibus id est, dari materiæ quantitatem ita minimam vt in minori non possit forma illius naturaliter conseruari, arguo sic. cum viuens nutritur successiue, destruit etiam successiue formam cibi, & illum in propriam substantiam conuertit producendo in illo formam viuentis, ergo aliquando deueniet cibus ad minimum naturale, hoc est, ad tam minimam materiæ quantitatem, vt in minori non possit naturaliter conseruari, ergo si in hac quantitate, ac materia minima cibi fit etiam nutritio successiue, viuens destruet formam cibi & propriam formam inducet in prima medietate illius minimi prius, quam in alia secunda medietate, igitur in illo principio hæc secunda medietas materiæ minimæ manebit absque omni forma. Patet ista consequentia, nam in tali priori viuens non inducet suam formam viuentem in secunda medietate materiæ minimæ, sed tantum in prima medietate, vt supponimus, atque ita tunc hæc secunda medietas materiæ minimæ non habet formam viuentem, sed forma cibi, quam antea habebat non potest iam in tali instanti in illa medietate materiæ minimæ naturaliter conseruari, nam forma aliqua non potest conseruari naturaliter in materia minori eiusdem minimo naturali, atque ita illa secunda medietas in illo priori non habet formam cibi, ergo in tali priori maneret naturaliter illa secunda medietas materiæ minimæ absque omni forma substantiali.

Tertiò impugnatur, tunc in materia producitur forma substantialis, quando in illa vltima dispositio inducitur, vt per se constat, sed vltima dispositio vt sic formaliter non producitur in materia successiue, & continue, sed per instantia discreta, ergo forma substantialis per aggenerationem aut nutritionem non producitur successiue, & continuè, sed per instantia discreta. Minor probatur: dispositio vltima vt sic formaliter non includit prius, ac posterius, nam si includeret aliquid prius, non esset vltimum. sed id, quod producitur in parte temporis diuisibili, habet prius & posterius, ergo dispositio vltima vt sic, formaliter non producitur in parte temporis diuisibili, sed in instanti indiuisibili, atqui iuxta opinionem communem vnum instans indiuisibile non est immediatum alteri instanti, sed discretum ab illo, cui mediet inter illa pars temporis, ergo dispo- 18

sitio

sitio vltima vt sic formaliter fit per instantia discreta.

Dicat quispiam, vltimam dispositionem ad
19 formam substantialem non ideo dici vltimam, quia non includat aliquid prius, sed quia vltra totam illam non requiritur aliud, vt forma producatur, atque ita sæpe produci vltimam dispositionem ad formam immediate post instans in parte temporis diuisibili, & consequenter etiam immediate post instans in tali parte diuisibili temporis formam substantialem continui per aggenerationem produci.

Sed contra: vltima dispositio ad formam producitur successiuè in parte diuisibili temporis, ergo in prima medietate illius partis tantum producitur medietas prima vltimæ dispositionis, & non tota dispositio vltima; ergo in prima medietate partis temporis non producetur forma substantialis, hæc enim produci non potest nisi prius producatur tota dispositio vltima, sed illa prima medietas partis temporis sequitur immediate post instans, ergo iam immediate post instans non producitur in parte temporis diuisibili forma substantialis, ergo tantum fit in instanti, ac proinde aggeneratio formæ fit tantum per instantia discreta.

10 His rationibus permoti dixerunt alij augmentationem substantialem non esse successiuam & continuam, sed instantaneam videlicet agens, quod augmentatur, in tempore materiam approximatam disponere, & in instanti dispositionem vltimam complere, & formam substantialem aggenerare, & tursus in tempore disponere alteram partem materiæ & in instanti vltimam illius dispositionem complere, & formam aggenerare ac proinde formæ substantialis aggenerationem semper fieri per instantia discreta. Ita Auerroes libro 3. physic. commentario 8. Albertus libro 8. textu 27. Scotus in 4. distinctione 44. quæstione 5. Capreolus in 1. distinctione 17. quæstione 2. articulo 2. Soncinas 8. metaphysic. quæstione 22. & 28. Toletus libro 1. de generatione quæstione 11. Hurtadus de generatione disputatione 3. sectione secunda numero 28. Arriaga disputatione 2. de generatione sectione 3. numero 26. citatur etiam Diuus Thomas 8. physic. textu 23. & 2. secundæ quæstione 14. articulo sexto in corpore & alij apud Conimbricenses.

21 Sed hæc quidem sententia difficultate non vacat; nam quando ignis augmentatur per stupam experimur augmentari, & non experimur illum ab augmentatione quiescere, atqui si talis augmentatio ignis fieret solum per instantia discreta, & in partibus temporis intermedijs non fieret, sed ignis quasi quiesceret, potius experiremur, & perciperemus ignem ab augmentatione quiescere, quam augmentari; ergo talis augmentatio continuo fit, & non tantum per instantia discreta.

Minor probatur, partes temporis diuisibiles plus temporis continent, quam sola instantia indiuisibilia vt per se constat, ergo si ignis in omnibus partibus temporis ab augmentatione quiesceret, & solum augmentaretur per instantia discreta, per plus temporis ab augmentando quiesceret, quam augmentaretur, ergo potius experiremur, & perciperemus ignem quiescere, & non augmentari, quam augmentari.

Confirmatur, ideo maior tarditas motus non potest sumi ex pluribus morulis, quia sequeretur quod quando homo mouetur, plures haberet morulas, quam partes motus, & plus quiesceret, quam moueretur, atque ita potius perciperemus hominem quiescere quam moueri contra ipsam experientiam vt aduersarij fatentur, & nos ostendimus in physicis disputatione 27. capite 4. numero 30. Sed etiam si ignis augmentatio fieret tantum per instantia discreta, & in partibus temporis, morulæ interijcerentur, plus ignis quiesceret, quam augmentaretur, atque ita potius perciperemus illum ab augmentatione quiescere, quam augmentari, quod est contra ipsam experientiam, ergo talis augmentatio fit etiam continuo in tempore, & non tantum per instantia discreta.

Arbitror ergo in sententia communi, quæ 22
tempus ex infinitis partibus & instantibus componit, ægre posse hanc quæstionem extricari, in nostra vero opinione, quæ tempus ex infinitis tantum instantibus sibi immediate succedentibus constituit, facile dicimus aggenerationem, seu nutritionem successiuam & continuam esse. Videtur expressa sententia Aristotelis libro 6. physic. textu 49. vbi eodem modo loquitur de motu augmentationis, ac de motu locali, & vtrumque sirum esse in continuo fluxu affirmat Diuus Thomas ibidem & 3. parte quæstione 33. articulo 1. ad 4. etsi eius mens in hac parte videatur dubia, Gregorius in 1. distinctione 17. quæstione 2. articulo 1. Sotus lib. 1. physic. quæstione 4. articulo 3. ad 7. Iandunus libro 8. physic. quæstione 7. Pererius libro 14. physic. capite 2. ad 7. Marsilius libro 1. de generatione quæstione 14. Conimbricenses libro 1. de generatione capite 5. quæstione 16. articulo 2. Rubius libro 1. de generatione capite 5. tractatu de augmentatione quæstione 3. numero 27. Murçia libro 1. de generatione disputatione 3. quæstione 3. Auersa tom. 2. physic. quæstione 39. sectione 2. Carleton de generatione disputatione 5. sectione 2. Ioannes à sancto Thoma quæstione 8. de generatione articulo 4.

Probatur, nam experientia magistra ignis non 23
per vnum tantum instans, sed per plura temporis instantia augmentatur, & aggeneratur, sed in tali sententia hæc instantia sunt sibi immediate & continuo succedentia, ergo ignis aggeneratur per plura temporis instantia sibi immediate & continuo succedentia, sed hoc formaliter est aggenerari continuo, & successiue ergo talis aggeneratio continuo successiue fit.

Confirmatur, quia augmentatio est verus motus, vt distinguitur contra mutationem vt docet Philosophus 5. phys. sed motus non potest esse in instanti, vt ibidem etiam ostendimus, ergo augmentatio est motus successiuus, & tamen nutritio & augmentatio per se loquendo fiunt ex parte temporis sicque continue, & successiue, ergo. Probatur minor, quia vltima dispositio ponitur in parte temporis, quia agentia naturalia naturaliter, & per se loquendo agunt vniformiter per suam sphæram successiue, ergo pars fotmæ consequuta ad dispositionem producetur successiue, & in parte temporis, at non requiritur quod dispositio sit in subiecto vllo tempore, vel instanti ante formam ergo eodem tempore; quo ponitur vltima dispositio, poni potest forma seu pars formæ ad quam disponit cum sola prioritate naturæ, ergo potest fieri continue, & consequenter aggeneratio,

generatio, & nutritio possunt fieri continuè, & successiuè.

Verum obstat secundum argumentum supra factum numero 16. quo probatur, si nutritio successiuè fiat, prius esse corrumpendam formam cibi & inducendam formam viuentem in prima medietate minimi naturalis ipsius cibi, quam in secunda illius medietate, ac proinde hanc secundam medietatem talis minimi mansuram naturaliter absque omni forma.

24 Respondeo, nos non admittere minimum naturale in rebus non viuentibus vt dicam capite 5. vnde cum cibus non sit viuens, non datur minimum naturale cibi, quo vis argumenti corruit.

CAPVT IV.

De potentia nutritiua ac de ipsa nutritione.

25 CVm potentias animæ ab ipsa substantia animæ non distinguam in libris de anima, nec potentia nutritiua à generatiua distinguatur. Potentia nutritiua habet in qualibet parte corporis proprias dispositiones requisitas, vt possit actum nutritionis exercere, & ideo dicitur esse diffusa per totum corpus.

Generatiua verò determinatam habet à natura sedem in aliqua parte corporis, vbi solum habet dispositiones, & requisita vt possit exercere actum generationis, & ideo ibi solum dicitur hæc potentia residere; sicut potentia visiua, quæ est idem cum anima, quia in oculo solum habet dispositiones ad videndum, dicitur esse tantum in ipso oculo sed omissa potentia nutritiua de ipso actu nutritionis disseramus.

26 Suppono nutritionem esse omnino necessariam, vt viuens naturaliter conseruetur. In hoc omnes conueniunt. Ratio autem est, quia vita cuiusque viuentis pendet à calido, & humido, à calido quidem vt præcipua conditione ac dispositione requisita ad eius conseruationem; ab humido verò etiam vt à pabulo ipsius caloris, quod quidem humidum, si consumatur, etiam calorem extinguit, & vitam finiri necesse est: atqui humidum continuò vel à calido ipsum euaporante, vel ab agente extrinseco ambiente ipsum exsiccante minuitur, ac tandem consumitur, nisi media nutritione per humidum cibi, qui in viuentis substantiam conuertitur, illius dispendia reparentur; ergo nutritio necessaria est, vt humidum, quod est pabulum caloris, & vita, quæ in illo fundatur, possit conseruari naturaliter.

27 Hæc autem nutritio plures dispositiones præmittit. Prius enim cibus dentibus in ore atteritur, & lingua, ac saliua alteratur, deinde in stomachum, siue ventriculum vehitur, vbi prima illius concoctio fit, & resultat quædam massa alba quæ vocatur Chylus detractis excrementis, quæ expelluntur: deinde Chylus defertur per venas meseraicas in quibus secundò alteratur, defertur ad iecur, vbi secunda illius concoctio fit, ex qua tres portiones resultant, alia subtilior, quæ alijs supereminet, & ponitur in vesica fellis, alia terrestris, quæ subincidit alijs, & attrahitur à liene, ac est nutrimentum illius, alia quasi media, quæ rubro iecoris colore perfunditur, & est sanguis, qui per venam cauam ad alias venas transmissus intra illas tertio alteratur, & per omnes partes corporis distribuitur, quæ intra suos poros illum attrahunt, retinent, vt ibi tertia illius concoctio fiat, ac tandem, eum in propriam substantiam conuertunt, quo quælibet pars nutritur.

Sed pro maiori explicatione obseruo non 28
vnam, aut alteram partem viuentis, sed omnes, ac singulas eius partes vere nutriri, ac diminui, & quidem quamlibet nutriri patet primò experientia, quæ omnes, & singulas partes infantis quæ exiguæ sunt, ipso iam viro cernimus coaugmentatas.

Secundò ratione, quia quælibet pars habet poros, intra quos attrahat, & retineat sanguinem, & etiam habet calorem natiuum, quo illum concoquat, & virtutem nutritiuam, quo illum in propriam substantiam transmutet, quod est seipsam nutrire, ergo quælibet pars verè nutritur.

Portò etiam quamlibet partem posse diminui, etiam patet, quia pars illa, quæ nutritur, potest minui & aliquando minuitur, nam ab absimilibus cibi qualitatibus, sæpè plus dispendij accipit, quam per nutritionem recipiat incrementi, sed quæuis pars nutritur, ergo etiam quælibet pars potest minui.

Hinc infero, qua ratione pueri coaugmen- 29
tentur secùs verò minuantur, & viri in eodem statu perseuerent. Pueri quidem, cum habeant acriorem & robustiorem calorem, & partes corporis humidiores, ac duciliores, possunt illas magis dilatare, & plus alimenti intra poros recipere, totumque illud vi, aut acrimonia natiui caloris in propriam substantiam transmutare, atque ita plures partes materiæ per nutritionem acquirunt, quam per repassionem à contrarijs qualitatibus deperdant, & ideo simpliciter augmentantur.

Senes verò, cum habeant partes corporis magis siccas, ac duriores, non possunt illas nimis dilatare, & ita parum alimenti intra poros recipiunt, & cum iam calor in illis langueſcat, pauciores partes vi caloris, & nutritionis acquirunt, quam per repassionem deperdant, & idcirco minuuntur. Viri autem media via procedunt, & nec plures, nec pauciores, sed tot partes (moraliter loquendo) per nutritionem acquirunt, quot per passionem à contrarijs qualitatibus amittant, & ideo nec crescunt, nec minuuntur, sed permanent in eodem statu.

Sed quærat quispiam, quid sit spiritus vitalis 30
ac animalis, & quomodo intra corpus efformentur? Sanguis in iecore confectus, qui per totum corpus distribuitur secundum aliquam eius partem defertur ad cor, vbi, cum resideat ibi fons natiui caloris, magis elaboratur, attenuatur, & concoquitur, & hic sanguis sic elaboratus, subtilis, ac nimio calore affectus, dicitur spiritus vitalis quia per totum corpus transmissus propria subtilitate facilius poros ingreditur, & sui caloris acrimonia magnopere ad cætera vitæ iuuat, scilicet ad actiones nutritionis, & ex illo etiam simul cum alio sanguine semẽ conficitur, cum illa mirabili virtute formatrice prolis. Hi autem spiritus vitales ascendũt ad cerebrum, vbi magis elaborantur concoquuntur, & extenuantur, qui quidem acriores ac subtiliores spiritus animales appellantur, quia

ad

ad opera animalis, ſcilicet ad ſenſationes deſeruiunt, quatenus illas quaſi partes penetrant, eaſque ad modum auræ demulcent, & ſuo calore reſtaurant, hic plura à medicis agitantur, quæ illis, non nobis vtilia ſunt. Conſulite Conimbricenſes in præſenti capite 5. & Hurtado ſupra ſectione 5.

CAPVT V.

De maximo, & minimo rerum naturalium.

COmmunis Philoſophorum ſchola quatuor adinuenit terminos, duos verſus magnitudi-
31 nem, ſcilicet *maximum quod ſic & minimum, quod non*, & duos alios verſus paruitatem, ſcilicet *minimum quod ſic, & maximum quod non*, quibus res naturales definiantur. *Maximum quod ſic* eſt illa quantitas materiæ, quam res aliqua valet attingere, & non maiorem, & dicitur terminus intrinſecus magnitudinis, quia eſt vltimum, quod à tali re verſus magnitudinem intrinſece attingi poteſt. *Minimum quod non*, eſt illa quantitas materiæ, quam res attingere non poteſt, & minorem illa poteſt, & dicitur terminus extrinſecus magnitudinis, quia eſt vltimum verſus magnitudinem quod à tali re non poteſt attingi. *Minimum quod ſic* eſt illa quantitas materiæ, quam res aliqua habere poteſt, & minorem non poteſt, & dicitur terminus intrinſecus paruitatis, quia eſt vltimum, quod à tali re verſus paruitatem intrinſece poteſt attingi. *Maximum quod non*, eſt illa quantitas materiæ, quam res aliqua habere non poteſt, & maiorem illa poteſt, & dicitur terminus extrinſecus paruitatis, quia eſt vltimum, quod à tali re verſus paruitatem attingi non poteſt. Hoc ergo poſito, quærimus an omnes res materiales verſus paruitatem & magnitudinem aliquo termino naturaliter definiantur.

32 ASSERTIO prima ſit viuentia verſus magnitudinem, & paruitatem aliquo termino naturaliter definiuntur intrinſece. Ita Ariſtoteles 1. phyſic. capite 4. & 4. de generatione animalium capite 4. Diuus Thomas ibidem lectione 9. & 1. parte quæſtione 7. articulo 3. Murcia hic diſputatione 3. quæſtione 1. Conimbricenſes 1. phyſic. capite 4. quæſtione 1. articulo 2. Caietanus 1. parte quæſtione 7. articulo 3. Capreolus in 2. diſtinctione 19. q. 2. articulo 3. Gregorius in 1. diſtinctione 11. quæſtione 2. articulo 3. Durandus in 2. diſtinctione 18. quæſtione 1. Arriaga diſputatione 2. de generatione ſectione 4. numero 52. Rubius 1. phyſic. capite 4. quæſtione 1. §. 2. *opinio affirmatiua*, quibus ipſe etiam §. 8. *vera ſententia acquieſcit*. Carleton diſputatione 6. de generatione ſectione 2. & plures alij Philoſophi. Et quidem intrinſece terminari verſus magnitudinem ſic probatur: calor natiuus viuentis ab alimenti qualitatibus abſimilibus repatitur, ac recipit aliquid diſpendij, atque ita in dies ita langueſcit, vt viuens medio illo non plures partes per nutritionem acquirat quàm per repaſſionem amittat; ergo quoduis viuens ad tantam quantitatem accedit, vt non poſſit coaugmentari, nec valeat naturaliter maiorem quantitatem habere, ergo viuens habet naturaliter terminum intrinſecum ſuæ magnitudinis.

Porrò habere etiam viuens terminum intrinſecum paruitatis ſic oſtenditur, viuens petit & requirit naturaliter plures organizationes oppoſitas, quæ non poſſunt eſſe in eadem parte materiæ, ergo requirit, vt conſeruetur naturaliter, aliquas partes determinatas materiæ, quæ poſſint debite organizari, ergo in minori materia non poſſet tale viuens conſeruari naturaliter igitur iam habet terminum intrinſecum paruitati,.

Confirmatur experientia, qua compertum eſt numquam equum montis magnitudinem attingere, nec ad muris exiguitatem diminui, ergo quia habet terminum aliquem ſuæ magnitudinis, & paruitatis.

Obijciat aliquis primò, viuens in quantacumque materiæ quantitate conſtituatur, ſi ei noxia 33
aliqua qualitas adueniat, rarefiet, & intumeſcet, ergo maiorem habebit quantitatem, ergo nulla quantacumque quantitas eſt maximum quod ſic, ac intrinſecus terminus viuentis.

Reſpondeo, quando res aliqua intumeſcit, & rarefit non acquirere nouam quantitatem, ſed tantum nouam extenſionem, quæ eſt modus intrinſecus diſtinctus à quantitate, vnde viuens habet quantitatem illam, quæ eſſet terminus ſuæ magnitudinis, etſi poſſit ratione qualitatis noxiæ rarefieri, & intumeſcere, & maiorem extenſionem habere, quia tunc tantum habet terminum quantitatis non verò terminum extenſionis, quem ſi haberet, tali rarefactioni, & tumori naturaliter repugnaret.

Obijciat ſecundò ſumamus determinatam materiam quæ ſit *minimum quod ſic* viuentis, in alia 34
minori poteſt forma viuens naturaliter introduci, ergo illa non erat *minimum quod ſic*, ac terminus intrinſecus paruitatis talis viuentis.

Probatur antecedens, in illa determinata materia quam minimum naturale appellas, generans introducit ſucceſſiue formam viuentem, id eſt, prius in prima eius medietate, & poſtea in alia ſecunda medietate illius, quia agens naturale agit vni formiter difformiter, ſcilicet prius in parte proximiori, quam in remotiori, ergo in illo primo inſtanti in prima medietate illius minimi, non in ſecunda forma viuens naturaliter introducitur, ergo in alia quantitate minori quam ſit illa, quam vocas minimum naturale poteſt forma viuens naturaliter introduci.

Reſpondeo, illud commune axioma agens naturale agit vniformiter difformiter; ſcilicet prius in parte proxima quam in diſtanti non eſſe intelligendum phyſicè, & ſtrictè, ita vt in quauis particula, & puncto materiæ proximiori agat prius, quam in alia particula, & puncto materiæ remotiori, ſed intelligendum eſſe, quaſi moraliter, & latè, ita vt ſi paſſum habeat plures partes determinatas, quarum quæuis ad minus ſufficiat minimum naturale conſtituendum prius agat agens in proximiori, quam in alia magis remota, ſimul verò, & in quauis parte illarum determinata.

Vnde cum generans formam viuentem producit eam in determinata illa materia quæ eſt minimum naturale viuentis, totam in inſtanti introducit, atque ita in materia alia minori minima nequit forma viuens introduci naturaliter.

Obijciat tertiò, demus viuens iam habere totam illam materiam & quantitatem, quæ ſit 35
terminus eius magnitudinis tale viuens tunc verè

nutrietur, ergo nouam aliam materiam & quantitatem acquiret maiorem illa, quam antea habebat; ergo quantitas, & materia quam antea habebat, non erat terminus suæ magnitudinis.

Respondeo, si viuens ad eum statum accederet vt haberet totam illam materiam quæ est terminus suæ magnitudinis, calor illius natiuus iam ita langueſceret, vt deinceps tot, imo plures forte partes materiæ per repassionem à contrarijs continuo perderet quàm per nutritionem acquireret, ac proinde nunquam maiorem quantitatem posset naturaliter obtinere.

36 Assertio secunda sit, non viuentia, quantum est ex se, si non habeant ordinem, & connexionem cum viuentibus nullo intrinseco termino versus magnitudinem definiuntur. Ita Aristoteles, Diuus Thomas, Scotus, Ochamus, & alij relati à Conimbricenses libro primo physic. capite 4. quæstione 1. articulo 4. quibus & ipsi acquiescunt, & P. Rubius ibi quæstione 2. §. quæ in hac re certa, & recentiores communiter assertione præcedenti citati.

Probatur, quia ignis, verbi gratia in quantacumque finita quantitate construatur, si ei applicetur stupa illam comburet, & quantum est ex se maiorem quantitatem naturaliter habebit, ergo quantum est ex se nulla quantitate definitur, quæ sit terminus extrinsecus suæ magnitudinis. Dixi semper (quantum est ex se) quia iuxta naturæ leges nullum corpus extra spatium huius vniuersi protrahi potest, dixi etiam non viuentia quæ non habent ordinem, & connexionem cum viuentibus non habere terminum magnitudinis, nam si talem connexionem cum illis habeant termino intrinseco definientur, atque ita materia embrionis est versus magnitudinem definita, quia ex illa postea generatur viuens, & etiam definita est materia cadaueris, qui prius extitit sub forma viuenti.

Obijciat quis, naturam non viuentem consequitur extensio quantitatis, seu materiæ & intensio
37 qualitatis, sed intensio est naturaliter versus magnitudinem definita, ergo etiam extensio debet esse naturaliter versus magnitudinem definita; ergo etiam natura non viuentium habet intrinsecum terminum magnitudinis.

Respondeo, intensionem versari circa eandem partem essentiæ, & cum quæuis pars essentiæ non viuentis sit finita, ideo intensio debet etiam esse finita; extensio verò versatur circa diuersas partes talis naturæ, & cum natura non viuentium possit habere plures, & plures partes in infinitum, ideo habere potest maiorem, & maiorem extensionem in infinitum, & nullo versus magnitudinem termino intrinsece definiri.

38 Assertio tertia sit, non viuentia nullo etiam versus paruitatem temino intrinseco definiuntur, si homogenea sint, qualia sunt ignis, & aqua ac similia, ita Scotus in 2. distinctione 2. quæstione 9. & 5. metaphysic. quæstione 9. Ochamus, Vallesius, & Venetus relati à Rubio vbi supra quæstione 2. in principio, quos ipse sequitur infra §. breuis controuersiæ resolutio, quibus etiam acquiescit Suarez tom. 3. in 3. parte disputatione 52. sectione 2. paragrapho, secunda sententia, contra reliquos Philosophos communiter, & auctores primæ assertionis.

Probatur, animata ideo petunt talem determinatam materiam ita vt in minori non valeant naturaliter conseruari, quia debent habere plures organizationes oppositas, quæ non possunt naturaliter in eadem materiæ parte cohærere, sed inanimata homogenea non petunt oppositas organizationes, sed tales dispositiones, quæ valent in eodem puncto materiæ consistere, vt constat, ergo inanimata homogenea non exigunt determinatam materiam, ita vt in minori non valeant naturaliter conseruari.

Confirmatur, signa in ligno minimum naturale ignis, si tale minimum secundum primam sui medietatem præcisè esset intra sphæram actiuitatis ignis, non verò secundum aliam medietatem illius, ignis verè in illa prima medietate minimi produceret calorem vt octo, ergo etiam produceret in illa formam ignis, ergo in minori materia quàm esset illud minimum, quod signasti, potest forma ignis naturaliter conseruari, ac per consequens illud non erat verè minimum naturale ignis, nullus ergo datur terminus illius intrinsecus versus paruitatem.

Obijciat aliquis primo experientiam, qua cõstat, 39
nunquam de facto ignem verbi gratia in minutissimis materiæ patticulis conseruari, ergo petit naturaliter aliquam determinatam materiam in qua naturaliter conseruetur.

Secundò quæuis res petit naturaliter materiam aptam, vt possit operari, sed ignis verbi gratia existens præcisè in vno puncto indiuisibili materiæ non potest operari, ergo requirit maiorem aliam materiam in qua operatur, & conseruatur.

Tertiò quæuis res materialis completur naturaliter per trinam dimensionem quantitatis, scilicet versus longitudinem, latitudinem, & profunditatem, quæ quidem trina dimensio est passio illius, sicut subsistentia est passio, & cõplementum naturæ, sed natura non potest naturaliter conseruari absque subsistentia, ergo nec res materialis absque trina dimensione, atqui hæc trina dimensio includit necessariò aliquam partem determinatam materiæ, ergo res quæuis materialis petit necessariò aliquam partem determinatam materiæ, vt possit naturaliter conseruari. 40

Hæc autem facile diluo. Ad primum dico ignem in minutissimis particulis de facto non conseruari, non quia ille secundum se petat ad sui conseruationem aliquam determinatam materiam sed quia ab extrinseco contrario facile vincitur.

Ad secundum respondeo, ignem existentem in aliquo materiæ indiuisibili per se elicere quantum est ex se, si non obstet resistentia passi indiuisibile caloris, & indiuisibile ignis, quod sufficit vt possit in tali puncto materiæ ignis naturaliter conseruari.

Ad tertium dico, quantitatem esse passionem, & complementum rei materialis, non verò trinam dimensionem, quod probandum erat, indiuisibile autem ignis haberet indiuisibile quantitatis, ac proinde absque trina dimensione esset naturaliter impletum.

***

DISPV

DISPVTATIO VI.

De raritate, ac densitate.

TRIA capita continebit. In primo diuersa aliorum placita confutantur. In secundo, quomodo raritas ac densitas accidant aperitur. In tertio, aduersantia argumenta conuelluntur.

CAPVT I.

Diuersa aliorum placita confutantur.

CORpus per rarefactionem quodammodo crescit, & augmentatur, & per condensationem minuitur, ideo postquam de perfecta augmentatione, ac diminutione est actum, de imperfecta iam, id est, de raritate, & densitate disserimus. Rarum est, *quod parum habet materiæ sub magnis dimensionibus*, scilicet sub magna extensione. Densum verò est, quod multum habet materiæ sub paruis dimensionibus, videlicet sub parua extensione. Ita Aristoteles libro 4. physic. text. 84. & libro 7. text. 15. & D. Thomas 1. part. quæstione 92. artic. 3. ad primum, & 3. part. quæst. 77. art. 2. ad tertium, & Philosophi communiter. Modo autem inquirimus quo pacto raritas, ac densitas, quas experimur de facto accidant.

2 Nonnulli censent corpus tantum per acquisitionem nouæ quantitatis rarescere, & solum per amissionem partis quantitatis condensari, nec alio modo posse raritatem ac densitatem accidere. Ita Scotus, Caietanus, Bassolus, Hispalensis, & alij quos referunt Conimbricenses hic capite 5. quæstione 17. articulo 2. quibus acquiescit Toletus libro 4. physic. quæstione 11. Hæc tamen sententia impugnatur, si quando cera vnius palmi rarescit, & fit duorum palmorum acquireret supra quantitatem vnius palmi præexistentem, aliam nouam quantitatem alterius palmi, vna quantitas penetraretur cum alia; sed vna quantitas non potest naturaliter cum alia quantitate penetrari, cum quælibet natura sua sit cum alia impenetrabilis, ergo quando cera prædicto modo rarescit, non acquirit nouam illam quantitatem. Consequentia tenet cum minori, maior autem sic monstratur, quantitas vnius palmi de nouo per rarefactionem acquisita, cum non possit esse extra subiectum, subiectatur in ijsdemmet partibus substantiæ ceræ, quæ antea erant, nam cera per rarefactionem non acquirit nouas partes substantiæ vt omnes admittunt, sed quantitas vnius palmi antea præexistens manet etiam subiectata in ijsdem partibus substantiæ ceræ, quæ antea erant, cum absque subiecto non maneat, ergo vtraque quantitas in eadem substantia ceræ subiectatur, atqui quantitas penetratur cum ea re, in qua intrinsecè subiectatur, ac recipitur; ergo vtraque quantitas præexistens scilicet, & de nouo acquisita cum eadem substantia ceræ penetratur, igitur illæ etiam quantitates penetrantur inter se vna cum alia. Patet euidenter, quæ sunt penetrata vni tertio, sunt penetrata inter se, sed illæ duæ quantitates sunt penetratæ cum vno tertio, scilicet cum substantia ceræ, ergo sunt penetratæ inter se vna cum alia.

Dicat aliquis primo, quando cera vnius palmi 3
rarescit, & fit duorum palmorum antiquam quantitatem vnius palmi prorsus amittere, & aliam nouam, ac totalem quantitatem duorum acquirere. Ita Godofredus, Marsilius, & Pomponacius relati à Conimbricensibus vbi supra. Sed contra: quando sunt in duplo plures partes formæ quam partes materiæ, non possunt omnes illæ partes formæ esse in illa materia, nisi duæ partes formæ simul sint, ac penetrentur in eadem parte materiæ, v. g. quatuor partes formæ corporis non possunt esse in duabus partibus materiæ, nisi duæ partes talis formæ simul penetratæ sint in eadem parte materiæ, sed partes quantitatis duorum palmorum de nouo per rarefactionem acquisitæ sunt in duplo plures quam partes substantiæ ceræ, quæ rarefit, ergo partes omnes quantitatis de nouo acquisitæ non possunt esse in substantia ceræ, quia duæ partes quantitatis simul sint, ac penetrentur in eadem parte substantiæ ceræ: minor probatur, quantitas de nouo per rarefactionem in prædicto casu acquisita est duplo maior, quam alia quantitas, ceræ præexistens etiam corrupta; hæc enim erat tantum vnius palmi, illa verò est duorum palmorum, atque ita quantitas acquisita plures in duplo habet partes quantitatis, quam quantitas illa iam corrupta, atqui substantia ceræ non plures modo habet partes substantiæ quam erant partes quantitatis vnius palmi iam corruptæ, nam cuilibet parti, & indiuisibili substantiæ ceræ sua distincta pars, & indiuisibile quantitatis respondebat, & per rarefactionem substantia ceræ non acquisiuit nouas partes substantiæ, ergo de primo ad vltimum, quantitas de nouo acquisita plures in duplo habet partes quantitatis, quam sint partes substantiæ ceræ.

Dicat secundo, substantiam non habere ex se 4
partes nisi formaliter per quantitatem, vnde substantia ceræ cum parua quantitate habet paucas etiam partes substantiæ & eadem cum maiori quantitate, habet plures partes substantiæ in quibus maior illa quantitas subiectetur. Sed contra: substantia non per quantitatem sed per se ipsam formaliter, vt à quantitate distinguitur, habet partes extra partes, vt clarè in Logica disputatione 23. capite 3. ostendi. Deinde eo gratis dato, rarum est id, quod sub magnis dimensionibus parum habet materiæ, hoc est, paucas habet materiæ partes, sed si raritas fieret per accessum nouarum partium quantitatis, rarum sub magnis dimensionibus non paucas, sed plures haberet partes materiæ, plures enim haberet partes quantitatis, & tot haberet partes materiæ, quot quantitatis, cum materia per quantitatem formaliter habeat partes, vt tu admittis, ergo rarefactio non fit per accessum nouarum partium quantitatis.

Multi autumant corpus ideo rarefieri, quia sine 5
additione nouæ quantitatis maiorem comparat intensionem, ideo verò condensari, quia sine amissione partis quantitatis ad minorem extensionem comprimitur, siue hic sit primarius effectus raritatis, ac densitatis, siue secundarius proueniens ab aliqua qualitate, quæ talem maiorem, vel minorem corporis extensionem deposcat, in qua raritas, ac densitas primario consistant, hoc autem totum in hac sententia saluatur absque eo, quod vnum indiuisibile materiæ, vel quantitatis in duobus indiuisibilibus spatij possit simul existere,

ita communiter Thomistæ, & alij quos referunt, & sequuntur Conimbricenses hic capite 5. quæstione 17. articulo 3. & Rubius ibidem tractatu de rarefactione, quæstione 1. numero 128. quibus subscribit Suarez tomo 3. in 3. parte disput. 56. sect. 2. & disput. 57. sect. 2.

6 Hæc tamen sententia impugnatur, quando plura sunt indiuisibilia spatij, quam indiuisibilia rei locatæ non possunt hæc esse in omnibus illis, nisi vnum indiuisibile rei locatæ sit in duobus aut pluribus indiuisibilibus spatij, verbi gratia duo indiuisibilia substantiæ non possunt esse in quatuor indiuisibilibus spatij, nisi vnum indiuisibile substantiæ sit simul in duobus indiuisibilibus spatij, sed quando cera, quæ condensata occupabat spatium vnius palmi, per rarefactionem extenditur ad occupandum spatium duorum palmorum, plura sunt indiuisibilia huius spatij in omni sententia quam indiuisibilia illius ceræ, ergo non potest cera esse in omnibus illis indiuisibilibus spatij duorum palmorum, nisi vnum indiuisibile ceræ sit simul in duobus aut pluribus indiuisibilibus spatij. Minor monstratur; spatium vnius palmi, quod modo cera occupat, tot habet indiuisibilia spatij, quot sunt indiuisibilia ceræ, nam cuilibet indiuisibili spatij, vnum tantum ceræ indiuisibile correspondet, sed hæc cera quando per rarefactionem extenditur ad spatium duorum palmorum, non acquirit alia noua indiuisibilia ceræ, vt tu admittis, ergo cera iam rarefacta, & extensa ad spatium duorum palmorum non plura habet indiuisibilia ceræ, quam sint indiuisibilia spatij vnius palmi, quod antea occupabat, atqui indiuisibilia spatij duorum palmorum plura sunt, quam indiuisibilia spatij vnius palmi, nam hæc includunt, & alia plura, ergo etiam indiuisibilia spatij duorum palmorum plura sunt, quam indiuisibilia ceræ.

7 Dicat quispiam indiuisibilia ceræ esse indeterminata, ac infinita, & ideo posse adæquari indiuisibilibus spatij duorum palmorum. Sed contra: indiuisibilia spatij vnius palmi etiam sunt indeterminata, & infinita, & tamen plura sunt indiuisibilia spatij duorum palmorum quam illa, ea enim includeret, & alia plura, ergo licet indiuisibilia ceræ sint indeterminata & infinita, cum non plura sint, vt ostendi quam indiuisibilia spatij vnius palmi, indiuisibilia spatij duorum palmorum longe erunt plura, quam indiuisibilia ceræ, ergo indiuisibilia illius ceræ, etsi infinita sint non possunt adæquari indiuisibilibus spatij duorum palmorum.

Confirmatur, omnia malogranata possibilia actu infinita sunt, & tamen non possunt adæquari omnibus granis, quia hæc illis plura sunt, sed indiuisibilia spatij duorum palmorum sunt plura indiuisibilibus illius ceræ, vt iam monstraui, ergo indiuisibilia, ceræ no possunt adæquari omnibus indiuisibilibus spatij duorum palmorum.

8 Confirmatur principaliter impugnatio: quando plura sunt indiuisibilia rei locatæ, quam indiuisibilia spatij, non possunt illa omnia esse in istis, nisi duo aut plura indiuisibilia rei locatæ simul sint ac penetrentur in vno indiuisibili spatij, verbi gratia quatuor indiuisibilia substantiæ non possunt esse in tribus indiuisibilibus spatij, nisi duo indiuisibilia substantiæ sint penetrata in vno indiuisibili spatij; atqui quando cera vnius palmi per condensationem comprimitur ad spatium semipalmi, plura sunt indiuisibilia ceræ; quam indiuisibilia spatij semipalmi, ergo tota illa cera non potest esse per condensationem in spatio semipalmi, nisi plura indiuisibilia ceræ sint penetrata in vno indiuisibili spatij, quod naturaliter implicat: minor patet, illa cera tot habet indiuisibilia ceræ, quot sunt indiuisibilia spatij vnius palmi, quod occupat, nam cuilibet indiuisibili talis spatij in omni sententia vnum ceræ indiuisibile correspondet, sed cera per condensationem ad semipalmum nullum admittit indiuisibile ceræ, vt tu fateris, ergo cera condensata ad spatium semipalmi, tot habet in se indiuisibilia ceræ, quot sunt indiuisibilia spatij vnius palmi, atqui indiuisibilia spatij vnius palmi plura sunt, quam indiuisibilia spatij semipalmi, nam hæc, & alia in se includunt, ergo etiam indiuisibilia ceræ plura sunt, quam indiuisibilia spatij semipalmi, ergo &c.

9 Opinantur alij corporis rarefactionem accidere ex eo, quod corpus intra se habeat quosdam poros, ac sinus, intra quos admittat quædam extranea corpuscula quorum ratione partes corporis dilatentur & ipsum corpus rarefiat; condensationem verò fieri ex eo, quod tale corpus hæc corpuscula à se expellat, ratione cuius partes corporis constipantur, & comprimuntur, & ipsum corpus condensatur; in aqua enim quæ incalescit, & rarefit, apparent in suprema eius superficie quædam bullæ, quæ etiam eadem ratione in profunditate erunt, indicantes rarefactionem fieri per huiusmodi poros, & corpuscula in eos introducta quibus partes dilatantur, & liberius existunt. Ita Ochamus opusculo de Eucharistia, Gabriel, in Canonem lectione 45. Vallesius libro 4. physic. text. 84. & in controuersijs ad Tyrones quæstione 27. & alij relati à Magist. Bannes libro 1. de generatione quæstione 12. qaam etiam probabilem reputat Scotus in 4. distinctione 12. quæstione 4. §. quantum ad istam opinionem, eamque plures recentiores sequuntur.

10 Hæc tamen sententia impugnatur primo, quando vas plenum aqua calida, & vndique perfectè obturatum frigoris opponitur inclementiæ, & talis aqua glaciat, & condensatur, ipsum vas etsi æneum, teste experientia, disrumpitur, & quidem non alia ratione, nisi quia aqua antea calida, & rara, iam frigida, & condensata comprimitur, & aliquod spatium intra vas relinquit, atque ita necesse est vas illud perfringi, vt ad illud spatium replendum, quod aqua deserit, ingrediatur, ne vacuum in natura contingat, atqui si rarefactio, aut condensatio fieret per plura aut pauciora corpuscula in poros aquæ introductæ spatium, quod aqua condensata relinqueret intra vas, ab illis corpusculis, quæ intra aquam raram extiterant, repleretur, atque ita necesse non esset vas illud disrumpi, ergo rarefactio, & condensatio non fit per corpuscula prædicta.

11 Dicat autem quis primo, vas illud disrumpi, non quidem quia debeat ingredi aër ad replendum aliquod vacuum, sed quia ob nimium frigus destruitur temperamentum necessario requisitum ad vasis conseruationem, sicut etiam eadem ratione vas vitreum frangitur nimio calore ignis. Sed contra, si nimium frigus destrueret temperamentum requisitum ad conseruationem vasis, & ideo vas frangeretur, etiam si vas non esset plenum aqua, vel non esset vndique perfectè obturatum, ipsum frigus tale vasis temperamentum destrueret, & vas disrumperetur, sicut etiam vas vitreum,

licet

licet non ſit plenum aqua, nec vndique perfectè opertum & obturatum ignis calore perfringitur, atqui vas, ſi non ſit plenum aqua, & vndique perfectè opertum, & obturatum, nunquam frigore diſrumpitur, vt experientia monſtrat, ergo ſi vas aqua plenum, & perfectè obturatum per aquæ congelationem, & condenſationem diſrumpitur, non eſt præciſe ratione frigoris, ſed quia aër ingredi debet ad ſpatium, quod aqua deſerit explendum.

12 Dicat ſecundò, ſuptemam aquæ ſuperficiem intra vas prius congelari, atque ita corpuſcula, quæ erant in aquæ viſceribus illac exire non poſſe, & idcirco neceſſum eſſe vas illud diſrumpi, vt corpuſcula illa aquæ, quæ per ipſius condenſationem expelluntur, egrediantur. Sed contra, natura ſemper faciliora, aggreditur, ſed facilius eſt tenuiſſimam illam ſuperiorem aquæ ſuperficiem congelatam perfringi, quàm vas æneum, ac duriſſimum diſrumpi, ergo non vas æneum, ſed illa ſuperficies ſuperior aquæ congelatæ frangeretur naturaliter, vt aquæ corpuſcula egrederentur, ergo ſi vas diſrumpitur, ideo eſt, vt aër intret ad replendum vacuum.

13 Impugnatur ſecundò, cum ampulla vitrea, Hiſpanè ventoſa, infirmo applicatur, & materia ignis rara in aërem reſoluitur, ac condenſatur, & intra eamdem ampullam aliquod ſpatium relinquit, caro infirmi ad hoc ſpatium replendum aſcendit, & eleuatur, atqui ſi raritas fieret per corpuſcula introducta, ſpatium ab illa materia per condenſationem relictum ab ipſis corpuſculis, quæ intra ignem rarum erant, occuparetur, & ita ad illud replendum caro infirmi non aſcenderet, ergo raritas non fit per corpuſcula introducta.

14 Dicat quis illa corpuſcula, quæ extiterant intra ignem, eſſe veluti ignita, & ſurſum euolare, & per poros ampullæ vitreæ foras exire, atque ita intra ampullam ipſam aliquod ſpatium relinquere, ad quod replendum eleuatur caro infirmi. Sed contra primò, vt corpuſcula aquæ congelatæ intra vas æneum egrederentur, aſſeruiſti ſupra numero 12. vas æneum neceſſario diſrumpi, ergo potiori iure vt corpuſcula materiæ exiſtentis intra ampullam vitream egrediantur, debet neceſſario diſrumpi ipſa ampulla vitrea, facilius enim vas virreum perfringitur, quam vas æneum: ſed ampulla vitrea in caſu prædicto non perfringitur, vt docet experientia, ergo non egrediuntur corpuſcula. Secundò tam ignita, ac leuia erant corpuſcula illa ignis, exiſtente ipſo igne intra ampullam, quam illo extincto, ſed exiſtente igne, talia corpuſcula non ſurſum euolabant, nec egrediebantur per poros ampullæ, tunc enim quando durat ignis, caro infirmi non aſcendit, nec eleuatur, vt experimur, ergo etiam extincto igne illa corpuſcula non euolant, nec egrediuntur per poros ampullæ.

15 Impugnatur tertiò, ſi raritas fieret per hæc corpuſcula introducta, illa quidem vel haberent naturam ignis, vel naturam aëris, non enim apparet quam aliam naturã corpuſcula iſta ſubtilia habere poſſint, ſed non habent naturam ignis, nec naturam aëris, ergo raritas non fit per prædicta corpuſcula. Et quidem non habere naturam ignis probatur, quia alias cum ignis ſit ſemper rarus, ipſa etiam corpuſcula eſſent rara, & intra ſe alia corpuſcula haberent, & hæc alia, quod eſt ridiculũ, item talia corpuſcula ignis continuarentur cum igne, cum eſſent eiuſdem naturæ, atque ita ignis non eſſet rarus, ſed ſumme denſus, nulla enim intra ſe haberet corpuſcula extranea, ratione quorum partes ignis dilatarentur, quod eſt contra omnem Philoſophiam, & experientiam. Porro non etiam habere talia corpuſcula naturam aëris probatur, tum quia aër eſſet ſumme denſus, vt modo probaui in igne, ſi illa habent naturam ignis, tum etiam, quia ignis omnia corpuſcula aëris, quæ intra ſe haberet, facile in ſe acri ſua actiuitate conuerteret, atque ita nullam raritatem, ſed ſummam denſitatem haberet.

Arbitrantur alij corpus rarefieri per interſtitia 16
quædam inania ac vacuitates exiguas plures, vel pauciores, quas intra ſe habet, quarumque ratione partes ipſius corporis dilatantur, condenſari verò, ex eo, quod partes corporis conſtipatæ has vacuitates adimplent. Ita quidam Philoſophi antiqui, quorum ſententiam iam antiquatam alij recentiores Philoſophi ſuſcitarunt. Sed contra nulla nec exigua vacuitas poteſt dari naturaliter, ergo rarefactio non accidit per vacuitates exiguas. Conſequentia eſt euidens; antecedens ſic oſtenditur in clepſidra operto foramine ſuperiori nulla guttula aquæ egreditur per foramina inferiora, arguo ſic, gutula aquæ immediata foramini inferiori, licet grauis ſit, & petat deorſum deſcendere, & à nullo detineatur, naturaliter non deſcendit, non alia ratione, niſi quia ſupra ipſam alia guttula aquæ deſcenderet, & alia ſupra iſtam, & cum clauſo foramine ſuperiori, non poſſit ingredi aër, ad replendum vacuum exiguum, quod guttula illa deſereret, daretur intra clepſidram aliqua exigua vacuitas, ob quam vitandam guttula illa aquæ contra propriam naturam detineretur, ergo natura vitare intendit quamlibet vacuitatem exiguam, ergo nulla nec exigua vacuitas poteſt dari naturaliter.

CAPVT II.

Quomodo raritas, & denſitas accidant, aperitur.

SVppono ex ijs, quæ in Phyſica diximus diſpu- 17
tatione 2. capite 5. quodlibet indiuiſibile materiæ, ſeu quantitatis, quod adæquate eſt in vno indiuiſibili ſpatij, poſſe naturaliter eſſe in quatuor, aut in pluribus ſpatij indiuiſibilibus, in ſingulis inadæquate, ita tamen vt in illis omnibus collectiue adæquate exiſtat, id eſt, tanquam in vno loco adæquato, ſicut enim iuxta communem D. Thomæ ac Thomiſtarum ſententiam anima talis equi, verbi gratia indiuiſibilis eſt, atque ita tota eſt in capite, tota in manu, tota in pede, & tota in ſingulis partibus inadæquate, in omnibus verò collectiuè eſt tanquam in vno ſubiecto adæquato, ita ſimiliter vnum indiuiſibile materiæ, ſeu quantitatis poteſt eſſe ſimul in pluribus indiuiſibilibus ſpatij, in ſingulis inadæquate, & in omnibus collectiuè tanquam in vno loco adæquato. Ratio eſt, quia non plus eſt indiuiſibile materiæ eſſe inadæquate in quatuor, verbi gratia, indiuiſibilibus ſpatij, quam eſſe adæquate in vno tantum ſpatij indiuiſibili, ſed vnum indiuiſibile materiæ poteſt eſſe naturaliter adæquate in vno indiuiſibili ſpatij, ergo etiam poteſt eſſe naturaliter in quatuor, v g. ſpatij indiuiſibilibus

in

inadæquate. Maior probatur, vnum indiuisibile spatij, quod de facto datur æquiualet pluribus, verbi gratia quatuor indiuisibilibus Zenonis, est enim virtualiter diuisibile, atque ita vt vnum indiuisibile materiæ sit adæquate in vno indiuisibili spatij, debet habere quatuor vbicationes, aut vnam illis æquialentem, per quas coexistat localiter illi spatij indiuisibili vt æquialenti quatuor indiuisibilibus Zenonis, sed vt idem indiuisibile materiæ sit in quatuor spatij indiuisibilibus inadæquate sufficit, quod habeat alias quatuor vbicationes, nam per quamlibet illarum coexistet localiter vni indiuisibili spatij, vt præcise æquialenti vni indiuisibili Zenonis, quod est esse in singulis illis indiuisibilibus spatij inadæquate, ergo non plus est esse simul in quatuor spatij indiuisibilibus inadæquate, quam esse in vno tantum spatij indiuisibili adæquate. Consule dicta supra in Physica disput. 27. cap. 5. num. 41.

18 Assertio ergo sit. Corpus rarefieri est quodlibet eius indiuisibile quod antea erat in vno tantum indiuisibili spatij adæquate, ex vi alicuius qualitatis poni in pluribus spatij indiuisibilibus in singulis inadæquate, quo partes talis corporis tumescunt, ac dilatantur. Condensari verò est quoduis eius indiuisibile, quod antea erat, in pluribus indiuisibilibus spatij inadæquate ex vi alicuius qualitatis poni in paucioribus aut in vno tantum spatij indiuisibili adæquate, quo partes ipsius corporis comprimuntur, & constipantur. Ita Aristoteles 7. physic. text. 21. & 4. physic. text. 86. D. Thomas ibidem & 10. de generatione lectione 14. vbi sic ait, *quod transmutatio rarefactionis non potest dici augmentum, sed alteratio, fit enim secundum transmutationem passibilium qualitatum, scilicet rari, & densi*, & 3. parte quæstione 77. articulo 2. ad 3. *rarum*, inquit, *& densum sunt qualitates quædam consequentes corpora ex hoc, quod habent multum vel paruum de materia sub dimensionibus*, & secunda secundæ, quæst. 2. artic. 2. ad primum, Gregorius in 2. distinctione 12. quæstione 2. articulo 1. Capreolus in secundo distinctione 28. Soncinas libro 8. met. quæstione 27. Durandus in primo distinctione 17. quæstione 7. numero 21. & in secundo distinctione 18. quæstione 1. Sotus capite de quantitate in Logica quæstione 2. Fonseca 5. met. capite 13. sectione 4. ad secundum Conimbricenses libro 1. de generatione capite 5. quæstione 17. articulo 3. Rubius libro 1. de generatione capite 5. tractatu de rarefactione, quæstione 1. numero 128. Huttado de generatione disputatione 4. sectione 4. & 5. Murçia libro 4. physic. disputatione 2. quæstione 3. Complutenses 1. de generatione disputatione 7. quæstione 2. & 3. Ioan. à S. Thoma quæstione 7. de generatione articulo 1. Carleton disputatione 12. de rarefactione sectione 4. Ouiedo de generatione controuersia 7. parte 5. numero 1. plures refert Auersa tomo 2. Physicæ quæstione 38. sesectione 5.

19 Probatur, rarefactio fit, vel per additionem nouæ quantitatis, aut extensionis, vel per extranea corpuscula per poros introducta, vel per exiguas aliquas vacuitates, vel ex eo, quod vnum indiuisibile materiæ possit in pluribus indiuisibilibus spatij in singulis inadæquate constitui. Sed non fit rarefactio per additionem nouæ quantitatis aut extensionis, nec per vacuitatem exiguam vt capite primo monstratum est; ergo rarefactio fit ex eo, quod indiuisibile quodlibet materiæ possit in pluribus spatij indiuisibilibus in singulis inadæquate constitui. Confirmatur, quia hoc non implicat vt constat ex supradictis & constabit etiam ex dicendis cap. 3. & hoc modo mirè raritas ac densitas aliàs inextricabiles explicantur.

Sed quærat aliquis an raritas, aut densitas formaliter consistat in actuali vbicatione ex tempore, seu compressione, qua indiuisibilia corporis dilatantur, aut comprimuntur, an consistat in qualitate illa, ex qua actualis partium extensio, siue compressio resultat? Nonnulli tenent raritatem consistere formaliter in sola extensione actuali partium in ordine ad locum. Ita sentire videntur Aristoteles in primo prædicamento qualitatis, & D. Thomas libro secundo de generatione lectione secunda, asserentes raritatem non esse qualitatem, sed positionem partium. Multi alij censent raritatem consistere formaliter in quadam qualitate, ex qua actualis partium extensio pullulat. Ita D. Augustinus, Damascenus, Boëtius, Durandus, Caietanus, & alij plures, quos refert, & sequitur Rubius hic tractatu de rarefactione, quæstione 2. à num. 147. & pro hac sententia affert expressa D. Thomæ, & Aristotelis testimonia. 20

Opinor ergo raritatem duplicem habere effectum, alium primarium, alium secundarium, effectus formalis primarius raritatis, est tantum petere naturaliter maiorem extensionem, atque ita consistere formaliter in sola qualitate, ex vi cuius partes corporis petunt naturaliter dilatari. Effectus autem secundarius est habere actualiter corpus maiorem præsentiam in ordine ad locum. Et ita consistit in illa actuali extensione locali, quæ quasi in genere causæ efficientis resultat, ab illa qualitate, ac proinde absque extensione in ordine ad locum potest diuina virtute formaliter, ac primario raritas, aut densitas inueniri. 21

Probatur, sanguis Christi Domini in Eucharistia rarior est, quam ossa ipsius, quis hoc dubio vertat, & tamen sanguis non habet in Eucharistia extensionem localem, sed tantum habet qualitatem ex vi cuius illam extensionem petit, ergo raritas formaliter, ac primario non consistit in actuali extensione, sed in illa qualitate licet extensio illa sit effectus secundarius raritatis, vnde cum Aristoteles & D. Thomas docent raritatem esse qualitatem, loquuntur de illa secundum effectum eius primarium, cum vero dicunt non esse qualitatem, sed positionem partium, de raritate loquuntur secundum effectum eius secundarium.

Sed objiciat quis, raritas, ac densitas, cum inter se opponantur, non possunt habere eumdemmet effectum etiam secundarium, sed si in prædicta qualitate consisterent possent raritas, ac densitas habere eumdemmet effectum secundarium, ergo raritas ac densitas non consistunt in tali qualitate. Minor probatur. quando cera duorum palmorum habet qualitatem, qua condensatur, & comprimitur ad spatium vnius palmi, & alia cera semipalmi habet aliam qualitatem, qua rarescit & dilatatur ad spatium vnius palmi, tales qualitates conferunt connaturaliter eamdemmet actualem extensionem vnius palmi, qui est illarum effectus secundarius, ergo si raritas, ac densitas in his qualitatibus formaliter consistunt, possunt habere eumdemmet effectum 22

secun

secundarium. Respondeo in prædicto casu qualitatem illam, quæ est raritas ceræ, causare tanquam effectum secundarium extensionem illam vnius palmi, quam antea cera non habebat, aliam verò qualitatem quæ est densitas alterius ceræ causare & inferre, vt effectum eius secundarium, non quidem extensionem actualem vnius palmi, hæc enim est effectus alterius qualitatis, ac raritatis, quæ in illa etiam cera reperitur, sed tantum causare carentiam maioris extensionis, scilicet duorum palmorum, quam antea cera rarefacta habebat, ac proinde semper raritas, ac densitas habent diuersos effectus secundarios,

23 Hinc fit idemmet corpus posse simul esse rarum, ac densum respectu diuersi connotati, nam vt habet qualitatem aliquam, quæ infert actualem aliquam extensionem maiorem alia, quam posset habere, est verè rarum, vt verò habet aliam qualitatem, quæ infert carentiam alterius maioris extensionis, quam habere posset, est verè densum. Sed petis an raritas aut densitas sit qualitas aliqua distincta à primis qualitatibus calore scilicet, & siccitate, frigore, & humiditate? De raritate corporis cælestis certum est esse qualitatem ab illis distinctam, cum ibi hæ primæ qualitates non reperiantur, raritatem autem, ac densitatem corporis sublunaris, puto ab illis qualitatibus non distingui, nullam enim rationem inuenio ad aliam quintam qualitatem admittendam, nam sicut quidam dicunt ex primis qualitatibus resultare aliam qualitatem, quæ est raritas ex qua pullulat maior actualis extensio, dicam ego ex ipsis primis qualitatibus maiorem corporis extensionem immediatè resultare, ac proinde in illis, & non in qualitate alia consistere raritatem formaliter.

CAPVT III.

Aduersantia argumenta conuelluntur.

24 ADuersus nostram sententiam, quam præcedenti capite enucleauimus, recentes insultant physic. non tam rationibus quam conuitijs, rationes enim facile enodantur vt constabit.

Objiciat primo, res illa quæ tota existit in toto loco, & tota in qualibet parte loci est spiritualis, vt cernimus in Angelo, & anima rationali, sed indiuisibile materiæ seu quantitatis non est spirituale, sed materiale, ergo tale indiuisibile materiæ non potest esse naturaliter totum in toto loco, & totum in qualibet parte loci, ergo non potest tale indiuisibile materiæ esse totum in quatuor indiuisibilibus spatij, & totum in quolibet spatij indiuisibili, ergo raritas non fit ex eo, quod idem indiuisibile materiæ in pluribus spatij indiuisibilibus naturaliter constituatur. Respondeo non competere soli rei spirituali esse: naturaliter totam in toto loco, & totam in quolibet indiuisibili loci, sed etiam posse competere rei indiuisibili materiali, nec ideo Angelum & animam rationalem spirituales esse, quia non pendent à quantitate, cum autem indiuisibile materiæ pendeat à quantitate, ideo licet sit totum in toto spatio, & totum in quouis indiuisibili spatij, est verè materiale, nam illo modo existere in loco non conuenit rei, quia spiritualis, sed quia indiuisibilis, quod etiam datur in re materiali, vnde sicut vbi Angelicum ad spatium diuisibile, quia diuisibile est in se, licet sit spirituale, est totum in toto loco, & pars illius in parte loci, ita indiuisibile materiæ, quia indiuiduum est in se realiter, ac tantum diuisibile virtualiter, licet sit materiale potest esse totum in toto loco, & totum in qualibet parte loci.

Objiciant secundo, vna res non potest esse naturaliter in duobus locis sibi adæquatis, vt constat, sed vnum indiuisibile spatij est locus adæquatus vni indiuisibili materiæ, cum sit omnino commensuratum cum illo, ergo vnum indiuisibile materiæ non potest esse naturaliter in duobus indiuisibilibus spatij, aliàs naturaliter existeret in duobus locis sibi adæquatis. Respondeo vnum indiuisibile materiæ, quod de facto datur, esse diuisibile virtualiter, & æquialere quatuor, verbi gratia materiæ indiuisibilibus Zenonis, & vnum etiam spatij indiuisibile quod de facto datur, esse diuisibile virtualiter, & æquialere quatuor, verbi gratia spatij indiuisibilibus Zenonis, atque ita vt vnum indiuisibile materiæ de facto sit adæquatè in vno spatij indiuisibili, vt in loco sibi adæquato, debet habere quatuor vbicationes, aut vnam illis æquialentem, si autem vnam tantum simplicem vbicationem habeat in vno indiuisibili spatij, erit solum inadæquate in illo vt in loco inadæquato, potest ergo idem indiuisibile materiæ habere quatuor simplices ac inadæquatas vbicationes in quatuor indiuisibilibus spatij, atque ita erit in illis sigillatim, vt in pluribus locis inadæquatis & in eis omnibus collectiue vt in loco vno sibi adæquato, recte ergo potest esse vnum indiuisibile materiæ in pluribus indiuisibilibus spatij absque eo, quod sit simul in duobus locis sibi adæquatis. 25

Objiciant tertio, quando corpus rarefit, quoduis eius indiuisibile ita est inadæquate in pluribus indiuisibilibus spatij, vt licet quodlibet indiuisibile spatij æquialeat quatuor indiuisibilibus Zenonis, tamen quoduis indiuisibile corporis fit in indiuisibili spatij, vt præcise æquialente vni indiuisibili Zenonis, non verò æquialente alijs tribus Zenonis indiuisibilibus, ergo quodlibet indiuisibile spatij vt æquialens alijs tribus indiuisibilibus Zenonis, manet vacuum, igitur per rarefactionem datur aliqua vacuitas in natura, quod supra capite primo numero 16. impugnatum est. Respondeo, vt aliqua vacuitas detur in aliquo indiuisibili spatij necessario requiri, quod aliquid sit in ipso spatio indiuisibili, cui indiuisibile corporis re vera localiter non coexistat, nihil autem est in tali spatio indiuisibili, cui aliquod indiuisibile corporis localiter, ac re vera non coexistat, nam licet coexistat illi inadæquate, tamen hæc inadæquatio solum se tenet ex parte modi, quia non coexistit illi spatio indiuisibili totaliter, hoc est, omni vbicationi, qua potest illi coexistere, non verò talis inadæquatio se tenet ex parte termini, quia indiuisibile corporis toti spatio indiuisibili verè coexistit, ac proinde in tali spatio nulla vacuitas reperitur. 26

Obiiciat quarto: indiuisibile materiæ, quod est in hoc spatio indiuisibili *A.* vnitur, & continuatur immediate cum indiuisibili materiæ, quod est in proximo spatio indiuisibi *B.* & potest 27

test etiam diuidi, & secari ab illo, sed si idem indiuisibile materiæ esset simul in pluribus spatij indiuisibilibus, scilicet in spatio indiuisibili, *A.* & in spatio indiuisibili, *B.* sequeretur, quod indiuisibile materiæ, quod est in hoc spatio indiuisibili, *A.* non esset vnitum & continuatum cum indiuisibili materiæ quod est in proximo spatio indiuisibili *B.* nec posset diuidi ab illo, res enim non potest cum seipsa continuari, nec diuidi à se ipsa, ergo idem, indiuisibile materiæ non potest esse in pluribus spatij indiuisibilibus.

Respondeo, indiuisibile materiæ, quod est in hoc spatio indiuisibili, *A.* non posse continuari cum indiuisibili materiæ, quod est in proximo indiuisibili spatio *B.* nec diuidi ab illo in corpore raro, quia est idemmet indiuisibile materiæ quod inadæquate in vtroque illo spatio indiuisibili per rarefactionem existit, continuari vero cum indiuisibili alio materiæ sibi immediato, quod erit in spatio indiuisibili *D.* aut *E.* & posse diuidi ab illo, nec in hoc rationem vllam absurditatis aut implicationis inuenio.

28 Obijciat quinto vnum punctum indiuisibile materiæ potest esse in pluribus spatijs inadæquate, ergo nulla est ratio, cur non dicamus totum Petrum esse vnum tantum punctum indiuisibile inflatum, ac intumescens, deinde etiam possetcera verbi gratia quæ modo est in spatio vnius palmi, tota simul in illo eodem modo manens, in alio etiam spatio vnius palmi cum eadem commensuratione constitui, quod nullus dicet.

Respondeo facile, vnum indiuisibile materiæ, cum valde finitum, ac limitatum sit, licet possit esse inadæquate in octo aut decem, verbi gratia spatij indiuisibilibus, quia vnum indiuisibile, quod de facto datur æquiualet virtualiter decem indiuisibilibus Zenonis, non tamen posse esse in illis prope infinitis spatij indiuisibilibus quæ occupantur à corpore Petri. Cuius signum euidens est, quod vna pars Petri potest ab alia secari, & diuidi, vt docet experientia quod quidem non posset dari, si vnum tantum materiæ indiuisibile sic inflatum, & tumescens esset in Petro. Ad aliud inconueniens dico non posse ceram illam, quæ est commensuratiue in spatio vnius palmi totam simul in alio etiam spatio vnius palmi, eadem commensuratione constitui, quia sequeretur vnum indiuisibile ceræ fore in duobus spatij indiuisibilibus inter se distantibus absque eo, quod esset in spatio intermedio, quod est naturaliter impossibile, scilicet non potest esse vnum indiuisibile materiæ in pluribus spatij indiuisibilibus ita inter se coniunctis, vt vnum locum conficiant.

29 Obijciat sexto, quoduis indiuisibile materiæ existit in loco, & existit in tempore, sed vnum materiæ indiuisibile non potest esse simul etiam inadæquate in duobus indiuisibilibus temporis, ergo nec potest esse simul inadæquate in duobus indiuisibilibus loci.

Respondeo duo instantia indiuisibilia temporis non posse esse simul, cum vnum veniat post aliud, & ideo vnum indiuisibile materiæ non posse esse simul etiam inadæquate in duobus instantibus temporis indiuisibilibus, duo autem indiuisibilia spatij, ac loci simul de facto existere, atque ita non implicare, quod idem indiuisibile materiæ sit simul inadæquate in duobus indiuisibilibus loci.

Obijciat septimo, si quodlibet punctum materiæ ex eo rarefieret, quod in pluribus indiuisibilibus spatij inadæquate ponatur, Angelus etiam posset rarescere, sed Angelum rarescere, est ridiculum, ergo indiuisibile materiæ non ex eo rarefit, quod ponatur inadæquate in pluribus indiuisibilibus spatij. 30

Respondeo raritatem esse qualitatem quamdam ex vi cuius res corporea naturaliter maiorem accipit extensionem, qua in pluribus indiuisibilibus spatij existat vt diximus supra numero 20. in Angelo autem non datur talis qualitas ex vi cuius res corporea naturaliter maiorem accipiat extensionem, sed ipsa substantia Angelica spiritualis, se libere in pluribus loci indiuisibilibus collocat, & ideo in Angelo non est raritas. Alia argumenta oppositum supra in Physicis disputatione 27. cap. 5. ibique diluta sunt. Sed quærat quis, an vnum punctum secundum se præcise vere rarefiat? Respondeo punctum non rarefieri, *vt quod*, hoc enim est totum aliquod continuum plus loci occupare, quam antea, quod non conuenit puncto, cum ipsum non sit continuum, rarefieri vero vt quo, quia ex eo, quod punctum plus loci occupet, totum continuum, quod ex illo puncto, & alijs coalescit verè dicitur rarefieri.

DISPVTATIO VII.

De alteratione, intensione ac remissione.

SEptem capita continebit. In primo inquiro, quid sit, & quo tuplex alteratio. In secundo, an intensio fiat per additionem gradus ad gradum. In tertio, aduersantia argumenta profligantur. In quarto, an gradus intensionis homogenei, an eterogonei sint? In quinto, an alteratio sit successiua & continua? In sexto, de terminis intensionis ac extensionis. In septimo, an solæ qualitates intendantur.

CAPVT I.

Quid sit, & quotuplex alteratio.

ALterationis nomen ab altero, seu à faciente alterum deriuatur, sicut differentia, & principium, vt suis locis dictum est faciunt alterum, & aliud; ly enim alterum indicat differentiam accidentalem, ly aliud differentiam substantialem, quare trifariam, potest alteratio sumi, fuse, stricte, & medio modo, fuse sumpta est modus ad aliquam qualitatem, siue materialem, siue spiritualem, siue non habentem contrarium, siue contrario obnoxiam, siue non disponentem ad generationem, siue quæ ad generationem disponat, quo pacto etiam productio lucis, seu intellectionis, aut amoris est vere alteratio: stricte accepta est motus ad eam præcise qualitatem, quæ ad generationem disponit, vt productio caloris, vel frigoris: medio modo alteratio vsurpata tendit ad qualitatem 1

con

contrario obnoxiam, vt productio albedinis, quamuis autem alteratio solum stricte accepta directe ad hunc tractatum attineat, amplioris verò doctrinæ gratia de illa medio modo sumpta in præsenti disseremus.

2 Hæc itaque alteratio *est motus ad qualitatem sensibilem contrario obnoxiam*, quam Aristoteles hoc primo libro text. 23. sic definit, *quod alteratio est, quod manente subiecto sensibili transmutatur in eius passionibus aut contrarijs motibus, aut entibus medijs*; motus ponitur loco generis quia per id conuenit alteratio cum generatione, & augmentatione, quæ veram obtinent rationem motus, dicitur ad qualitatem sensibilem contrario obnoxiam ad excludendas qualitates spirituales circa habitus & actus quæ proprie non sunt motus, nec habent contrarietatem, vt lux, figura, & alia: alteratio verò proprie respicit qualitates contrarias, & corruptiuas, eo quod alteratio ex natura deseruit generationi, & corruptioni, quare D. Thomas in 3. 3. distinct. 15. quæst. 2. articulo 1. colligens omnes conditiones alterationis, inquit, *quod adhuc, quod sit alteratio requiritur ex parte alterati, quod sit res per se subsistens, aliter enim subiectum motus esse non potest, & quod sit corpus, quia solum tale mouetur, & quod habeat naturam contrarietati subiectam, quia alteratio est motus inter contrarias qualitates*, quæ verba ponuntur loco differentiæ, quia per illa differt alteratio à generatione, quæ est motus ad substantiam & ab augmentatione quæ est motus ad maiorem substantiam, seu quantitatem, & etiam ab alia alteratione late accepta verbi gratia, illuminatione quæ est motus ad qualitatem non habentem contrarium.

3 Obijciat autem quis, si Deus crearet qualitatem, verbi gratia, albedinem, & illam vniret subiecto, quod antea illa carebat, vera daretur alteratio, nam subiectum esset alterum accidentaliter, ac antea erat, & tamen ibi nullus esset motus, etenim creatio motus non est, ergo alteratio vt sic non est motus. Respondeo in tali casu proprie & rigorose veram non esse alterationem, quia ad propriam rationem alterationis, requiritur, quod subiectum sit alterum accidentaliter, non quidem ample tantum, & vniuersaliter ex eo præcise, quod habeat qualitatem aliquam sibi vnitam, quam antea non haberet, sed alterum specialiter & stricte ex eo, quod verè patiatur, & sustentet in se aliquam qualitatem, in illo autem casu subiectum esset tantum ample, & vniuersaliter alterum, non vero specialiter, & stricte, quia tantum haberet sibi vnitam qualitatem, illam tamen verè in se non pateretur, nec sustentaret, ac proinde ibi verè & propriè non daretur alteratio, quæ sine passione & motu dari non potest.

4 Diuiditur alteratio in alterationem particulariter sumptam, extensionem, & intensionem, alteratio particulariter sumpta est motus, quo acquiritur qualitas secundum se, vt productio prima caloris in subiecto, extensio est motus, quo qualitas inproducta ad nouam partem subiecti dilatatur, hoc est, producitur in alia parte subiecti nouus qualitatis gradus, qui cum præexistente proximè continuetur, vt cum calor per totam manum distenditur. Intensio est motus quo qualitas aliqua in eadem subiecti parte fortior, & vehementior fit, vel quia ipsi aduenit nouus gradus qualitatis, vel quia ipsa magis in subiecto radicatur vt supra vidimus. Huic opponitur remissio, quæ est motus quidam negatiuus, quo qualitas antea intensa debilior fit, vel quia aliquem admittit gradum, vel quia minus est radicata in subiecto.

Hinc infertur apertum discrimen inter ex- 5
tensionem, & intensionem, hæc enim circa eamdem, illa circa diuersas subiecti partes versatur. Sed obseruandum in qualitatibus vitalibus, ac similibus quæ obiecta aliqua respiciunt earum extensionem desumi necessario ex ordine ad diuersa obiecta, intensionem verò in ordine ad obiectum idem, scientia enim tunc dicitur extendi, quando alias, & alias veritates attingit, tunc intendi quando eamdem veritatem clariùs, & clariùs cognoscit. In quauis autem intensione (idem de extensione dico) possumus distinguere intensionem in fieri, quæ est ipse motus & actio, qua qualitas fortior fit, & intensionem in facto esse, quæ est qualitas ipsa vehementior in eadem parte subiecti, vel in ordine ad idem obiectum, priùs autem de intensione in facto esse, postea de ipsa in fieri disseremus, quales autem alterationes sint, & dicantur illæ, quæ erunt in corporibus Beatorum, & damnatorum non est huius loci, nec enim illæ fierent propriè cum motu. Videatur Ioan. à S. Thoma quæstione tertia de generatione, art. 1. qui erudite de illis differit.

CAPVT II.

An intensio fiat per additionem gradus ad gradum.

OMnibus compertum est, cum qualitas intenditur, aliquid de nouo aduenire, aut fieri, quod antea non esset, quod quidam euidenti ratione monstratur, quia cum est nouus effectus, ac denominatio formalis absoluta quæ antea non erat, debet necessario esse, ac fieri noua forma, à qua talis effectus proueniat, sed cum calor in manu igni applicata intenditur, est nouus effectus, acde nominatio formalis absoluta in manu quæ antea non erat, nam modo est, ac denominatur magis calida, quod antea non habebat, ergo necessario est, ac fit de nouo aliqua forma, vel saltem aliquid ratione cuius talis denominatio proueniat. Confirmatur, quando gratia in iusto intenditur, Deus magis complacet in illo, quam antea, ergo Deus videt modo aliquid in iusto, quod non videbat antea, nam si antea etiam illud videret, etiam complaceret magis in illo, sicut modo, ergo quando gratia intenditur, aliquid necessario fit. Controuersia tamen est, quidnam fiat, ratione cuius qualitas intendatur. 6

Censent aliqui qualitatem intendi non ex eo, 7
quod aliquid fiat positiue, sed tantum ex eo, quod fiat aliquid negatiue, hoc est, non ex eo, quod aliquid, qualitatis producatur, sed ex eo solum quod contraria qualitas expellatur. Insinuat Ægidius quodlibet 2. quæstione 14. & libro primo de generatione quæst. 18. & 23.

Sed impugnatur primo, qualitas lucis intenditur, vt docet experientia, & tamen nullum habet contrarium, quod expellatur, ergo intensio non fit præcise per expulsionem contrarij. Secundo, gratia iustificans, cum primum est in subiecto expellit totum suum contrarium, scilicet lethale pec-

catum, & tamen postea per bona opera sine expulsione vlteriore contrarij scilicet peccati magis, ac magis intenditur; ergo maior intensio non fit præcisè per abiectiones contrarij: tertio, quia calor paulatim intenditur, vt experimur, ergo eius contrarium scilicet frigus paulatim etiam expellitur, vt paulatim talis caloris intensio fiat, ergo in eadem parte subiecti plures sunt gradus frigoris, aliàs non paulatim, sed simul frigus expelleretur, ergo frigus per productionem illorum graduum in eodem subiecto potest intendi, & non præcisè per abiectiones contrarij.

8 Nonnulli dixerunt intensionem qualitatis fieri ex eo, quod intra eandem speciem alia perfectior qualitas producatur, & alia desinat esse. Ita Gofredus quodlibeto 11. quæstione 3. & Durandus in 1. distinctione 17. quæstione 7. numero 25. Sed impugnatur primo, si in intensione qualitas imperfecta periret, & alia perfectior qualitas produceretur, etiam in remissione econtra, qualitas perfecta periret, & alia qualitas imperfecta intra eandem speciem produceretur, atqui in remissione, verbi gratia, cum calor intensus aquæ ab aëre ambiente, ac refrigerante paulatim remittitur, non ita corrumpitur perfecta qualitas caloris, vt alia qualitas imperfecta caloris ibi de nouo producatur, cum ibi nullum sit agens, à quo possit calor naturaliter produci, non ab aqua, quæ potius in frigiditatem inclinat, non ab ac re refrigerante ambiente vt per se constat, non à Deo authore naturali, cum aqua non petat secundum se, vt calor in ea producatur, atque ita nulla est ibi causa, à qua talis qualitas imperfecta caloris possit de nouo produci, ergo nec in intensione perit qualitas imperfecta, ita vt intra eamdem speciem alia perfectior qualitas producatur. Secundo in eo instanti, in quo iustus elicit actum charitatis, habitus charitatis præexistens intenditur, & tamen talis habitus præxistens in illo instanti non perit, vt alius perfectior producatur, ergo quando qualitas intenditur non perit qualitas præexistens, vt alia nobilior efficiatur.

Minor probatur, actus ille charitatis in eo instanti pendet physice ab aliquo habitu charitatis, sed non fluit, nec pendet physice ab habitu perfectiori postea adueniente, hic enim est posterior tali actu, cum detur ratione illius, ergo actus illa charitatis fluit, ac pendet physice in eo instanti ab habitu charitatis præexistenti, atqui id, à quo actus ille charitatis physice in eo instanti pendet, ac fluit debet necessario non perire, sed esse in eodem instanti, ergo in illo instanti, in quo est actus charitatis, & habitus charitatis intenditur, non perit habitus charitatis præexistens & alius perfectior producitur.

9 Opinantur alij qualitatem intendi ex eo præcise, quod eadem qualitas vi alicuius agentis existentiam imperfectam amittat, & aliam perfectiorem existentiam acquirat, remitti verò ex eo, quod amittat perfectam existentiam & aliam existentiam imperfectiorem acquirat in ordine ad idem subiectum, ita Ægidius quodlibeto 2. quæstione 14. & Astudillo 1. de generatione quæstione 8. relati à Suarez disputatione 46. met. sectione 1. numero 5.

Sed impugnantur eodem modo, primo, quia cum producere aliquid non sit aliud, quam ipsi existentiam communicare, producere existentiam alicuius rei erit formaliter producere rem, sed in remissione, verbi gratia, quando qualitas caloris aquæ ab aëre ambiente, ac refrigerante remittitur, nulla nec imperfecta producitur qualitas caloris, vt monstraui numero 8. ergo nulla etiam in illa caloris remissione nec imperfecta producitur existentia talis qualitatis, ergo qualitas non semper ex eo remittitur, quod pereat eius perfecta existentia & alia imperfecta existentia in subiecto producatur. Secundo, quando quis iustus elicit in hoc instanti, *A.* actum charitatis, quo habitus charitatis in eodem instanti intenditur, talis actus pendet tunc ab habitu, vt existenti, atque ita pendet à priori, ab existentia talis habitus, sed non pendet ab existentia illius perfectiori postea adueniente, hæc enim est illo posterior, cum detur ratione illius, ergo pendet physice ab existentia talis habitus imperfecta, igitur in eo instanti, in quo habitus charitatis intenditur, manet adhuc in illo imperfecta existentia, quam antea habebat, ac proinde intensio qualitatis non fit ex eo, quod imperfectam amittat existentiam & aliam perfectiorem acquirat.

10 Celeberrima in scholis Thomistarum satisque plausibilis sententia est, qualitatem intendi, esse eamdemmet indiuisibilem formam magis ex subiecto educi, illi perfectius vniri, fortiusque dominari, & altiores agere radices in illo, quod qualitatem intendi per maiorem radicationem appellant, dicunt enim, quod sicut anima rationalis licet sit formaliter indiuisibilis, est diuisibilis virtualiter extensiue, atque ita potest habere plures vniones ad diuersas partes subiecti, ac si reipsa diuisibilis esset, ita similiter qualitas, quamuis sit formaliter indiuisibilis, est diuisibilis virtualiter intensiue, atque ita potest habere plures perfectiores, ac perfectiores vniones ad eamdem partem subiecti, quibus magis in subiecto radicetur, & in hac perfectiori vnione maiorique radicatione eius intensio consistit. Eam tenent omnes Thomistæ communiter Diuus Thomas in 1. distinctione 17. quæstione secunda articulo 2. & quæstione 1. de veritate articulo 11. & 12. quæstione 52. articulo 2. & 2. 2. quæstione 24. articulo 5. Caietanus 1. 2. quæstione 52. articulo 2. & 2. 2. quæstione 24. articulo 4. & 5. Capreolus in 1. distinctione 17. quæstione 2. articulo 1. Ægidius libro primo de generatione quæstione 19. Henricus quodlibeto quinto quæstione 5. Soncinas 8. met. quæstione 21. Bannez 2. 2. quæstione 24. articulo 2. Medina 1. 2. quæstione 52. articulo primo & secundo, Sotus in prædicamento de qualitate, & 4. physic. text. 82. Complutenses libro primo de generatione disputatione 4. quæstione 8. Ioan. à S. Thoma de generatione quæstione quarta articulo secundo, citatur etiam Valentia 1. 2. disput 4. quæstione ..... punct. 2.

11 Assertio tamen sit, qualitas non intenditur per solam perfectionem vnionem, ac maiorem radicationem in subiecto modo explicato, sed per additionem noui, ac distincti gradus qualititatis, qui cum alio præexistenti in eadem parte subiecti copulatur. Ita Sotus in 1. distinctione 17. quæstione tertia, Ocham in 2. distinctione 17. quæstione sexta, S. Bonaventura in secunda parte distictione .... articulo primo quæstione prima, ad secundum, Albertus in 1. distinctione 17. artic. 10. Gregorius ibidem

ibidem quæstione 4. articulo 1. Gabriel in 1. distinctione 17. quæstione 6. Toletus libro 4. physic. quæstione 12. & libro 1. de generatione artic. 3. quæstione 4. Suarez disputatione 46. met. sectione 1. numero 29. & 34. Vasquez 1. 2. disput. 82. capite 2. & 3. Fonseca 8. met. capite 3. quæstione 2. Valentia 2. tomo 2. disputatione 4. quæstione 4. puncto 2. in fine Rubius libro primo de generatione capite 4. tractatu 3. quæstione 5. numero 145. Murcia libro primo de generatione disputatione 2. quæstione 4. Hurtado disputatione 5. de generatione sectione 4. numero 41. Tann. 2. 2. disput. 2. quæstione 2. dubitatione 4. numero 126. Arriaga disput. 3. de generatione, sectione 1. numero 17. Oviedo controuers. 4. de generatione part. 1. numero 32. Carleton disputatione 9. de generatione sectione 3. Granados, & alij relati à Suarez & Complutensibus. Ioan. Martinius libro 1. de generatione capite 4. quæstione 2. & communis fermè Philosophorum, & Theologorum sententia est, & eam clarè tenere videtur Princeps Aristoteles 4. physic. text. 84. vbi ait, *eodem modo, quo ex frigido fit calidum, ex calido fieri magis calidum*, sed ex frigido fit calidum per productionem veri caloris, qui antea non erat in subiecto, ergo & ex calido fit magis calidum per productionem caloris, qui antea non fuit in subiecto.

12 Probatur primo, si aliqua ratione non possit intensio fieri per additionem gradus ad gradum maximè, quia illi gradus, vel essent tantum distincti numero inter se, & sic non possunt simul esse in eodem subiecto, vel essent diuersi specie, & sic non possunt vniri per se vt arguunt aduersarij, atqui hæc etiam ratio æque militat contra maiorem radicationem, ac perfectiorem vnionem, quam ipsi admittunt, atque ita non est sufficiens; ergo nulla est ratio, quare intensio qualitatis non fiat per additionem gradus ad gradum. Minor probatur, vt qualitas intendatur magisque in subiecto radicetur, debet aduenire, alia etiam perfectior vnio, quæ cum alia vnione præxistente componatur, & maiorem qualitatis radicationem constituat, ergo illæ vniones, vel sunt inter se distinctæ numero vel etiam diuersæ specie; si primum dicas, ergo non possunt esse illæ vniones simul in eodem subiecto: nam accidentia, vt tu dicis, indiuiduantur à subiecto, si autem secundum asseras, ergo non possunt illæ vniones per se vniri, vt vnam maiorem intensionem, & radicationem constituant, igitur prædicta ratio, quæ impugnat additionem gradus ad gradum, quam asserimus, æque militat contra maiorem radicationem & vnionem, quam tu admittis.

13 Dicat quis, quando qualitas intenditur, & perfectior vnio ei aduenit, qua magis radicetur in subiecto, vnionem præxistentem talis qualitatis cum subiecto non manere, sed perire, atque ita prædictam rationem non procedere contra hanc sententiam. Sed contra primo, si in intensione qualitatis vnio imperfecta periret, & alia perfectior vnio de nouo produceretur, etiam in remissione vnio perfecta periret, & alia vnio eiusdem qualitatis imperfectior de nouo produceretur, atqui in remissione non producitur noua vnio imperfecta qualitatatis, alia perfecta pereunte. cum enim calor intensus aquæ paulatim ab aëre ambiente refrigerante remittitur, nulla est causa, à qua vnio imperfecta caloris cum aqua possit de nouo produci, sicut nec ipse calor, vt monstraui supra numero 8. & 9. ergo nec in intensione producitur perfectior vnio imperfecta pereunte. Secundo cum iustus elicit in hoc instanti, *A.* actum charitatis, quo habitus charitatis intenditur, ac perfectius subiecto vnitur, talis actus pendet à priori tanquam à conditione ab vnione habitus charitatis cum subiecto, habitus enim charitatis non potest iuxta aduersarios influere in actum nisi prius vniatur subiecto, scilicet voluntati, sed actus ille charitatis non pendet à priori in tali instanti ab vnione perfectiore, quæ postea aduenit, hæc enim est posterior illo, cum detur ratione illius, ergo talis actus charitatis pendet à priori in hoc instanti. *A.* in quo habitus intenditur ab vnione imperfecta præexistente talis habitus cum subiecto, ergo vnio imperfecta præexistens, non perit, sed manet quando habitus intenditur.

Probatur secundo, calor intensus vehementius 14
calefacit, quam remissus, ergo plus habet actiuitatis, ac virtutis calefactiuæ calor intensus, quam remissus, alias æque vterque calefaceret, sed actiuitas, ac virtus calefactiua non est in vnione caloris cum subiecto, sed in ipso calore secundum se, ergo calor intensus non solum habet perfectiorem vnionem cum subiecto, quam remissus, sed etiam plures gradus caloris secundum se. Dicat quis calorem habere in se quamdam latitudinem intensiuam virtualem ad calefaciendum, ita vt posita vnione imperfecta cum subiecto imperfectè secundum se calefaciat, posita verò vnione perfectiori perfectius ac vehementius calefaciat, non quia vnio illa sit virtus calefactiua, sed quia est conditio, vt virtus calefactiua caloris se perfectius explicet in actum secundum.

Sed contra: vnio caloris cum subiecto eatenus præcisè requiritur ad calefaciendum quatenus requiritur vt calor existat, sicut vnio quantitatis cum substantia eatenus solum requiritur ad hoc, vt quantitas recipiat alia accidentia, quatenus requiritur, vt existat ipsa, atque ita quantitas in Eucharistia existens creatiuè absque vnione cum subiecto, æque bene recipit alia accidentia, ac si esset vnita substantiæ, ergo si vehemens calor ignis totus ille existat creatiue conseruatus à Deo extra subiectum, æque bene calefaciet, ac si esset vnitus subiecto scilicet igni, atque ita vehementius tunc calefaceret, quam calor remissus aquæ, atqui tunc non calefaceret vehementius ratione perfectioris vnionis cum subiecto, cum extra subiectum esset, ergo calefaceret ratione perfectioris caloris, quem in se haberet, ergo modo etiam ideo vehementius calefacit calor ignis intensus quam remissus, quia habet in se plures gradus caloris.

Probatur tertio, sensus scilicet potentiæ visiuæ 15
percipit maiorem luminis intensionem, vt demonstrat experientia, ergo maior luminis intensio est aliquid de nouo adueniens, quod sit obiectum potentiæ visiuæ sensitiuæ, aliàs ab illa non posset percipi, atqui sola vnio perfectior luminis cum subiecto non est in seipsa obiectum potentiæ visiuæ sensitiuæ, hæc enim potentia solum fertur ad colorem, ac lucem, vnio autem illa, neque est calor, nec lux, sed vnio lucis, sicut vnio albedinis cum subiecto non est albedo, ergo maior intensio luminis non est

præcisè perfectior vnio talis qualitatis cum subiecto, sed etiam nouus gradus lucis. Dicat quis posita illa perfectiore vnione, ac radicatione luminis in subiecto, iam tale lumen in se ipso est magis intensum & ideo maior illius intensio à sensu percipitur.

Sed contra: illa maior intensio luminis, vel solum addit supra lumen remissum, quod antea erat, perfectiorem vnionem cum subiecto, vel superaddit, etiam nouum aliquem gradum lucis: si dicas addere supra lumen remissum solam vnionem perfectiorem, ergo cum hæc vnio non sit obiectum sensus, non poterit sensu percipi maior intensio luminis, quod est absurdum: si vero asseras etiam superaddere nouum gradum lucis, ergo intensio fit per additionem noui gradus.

Probatur quartò, gratia & charitas, quando
16 intenditur perficitur in essentia gratiæ, aut charitatis, vt docet generaliter Diuus Thomas. 2. 2. quæst. 24. articulo 4. ad 3. Vbi ait *propriam vocem ignorare, qui dicunt qualitatem, cum intenditur, non augeri secundum suam essentiam*, atqui si illi non adueniret nouus gradus gratiæ, aut charitatis, sed tantum perfectior vnio ipsius cum subiecto, gratia aut charitas non augeretur, ac perficeretur in essentia gratiæ, aut charitatis, sed solum quasi accidentaliter in ratione vnitæ, ergo cum gratia aut charitas intenditur, adueniet illi nouus gradus gratiæ, aut charitatis, & non tantum perfectior vnio ipsius cum subiecto: minor probatur: ex eo, quod natura humana Christi habeat perfectiorem vnionem cum supposito, quam natura Petri non est magis perfecta in essentia naturæ humanæ, quam illa, sed solum quasi accidentaliter in ratione vnitæ, quia scilicet talis vnio est extra essentiam talis naturæ, sed etiam vnio gratiæ aut charitatis cum subiecto est extra essentiam talis gratiæ, ergo ex eo præcisè, quod gratia habeat perfectiorem vnionem cum subiecto, non erit magis perfecta in essentia gratiæ, sed solum quasi accidentaliter in ratione vnitæ, igitur vt talis gratia intendatur, & perficiatur in essentia gratiæ, debet necessario aduenire nouus gradus gratiæ.

Confirmatur, visio Dei intensior clarius repræsentat Deum, quam visio remissa, ergo aliquid est in visione intensa, quod det formaliter illi esse clariorem repræsentationem Dei, quod non sit in visione Dei remissa; sed hoc non potest esse sola vnio visionis cum subiecto; hæc enim nullo modo est repræsentatio clara Dei, cum non sit visio, sed tantum vnio visionis, atque ita non potest ipsa secundum se formaliter visioni præbere, quod clarius repræsentet Deum; ergo est necessario in visione Dei intensa aliquis visionis gradus, à quo maiorem claritatem in repræsentando accipiat formaliter, qui non sit in visione Dei remissa, igitur intensio fit per additionem gradus ad gradum. Vrgeo efficaciter, quando visio remissior alicuius obiecti magis intenditur, obiectum immediate denominatur de nouo magis expressum, sed non accipit hanc nouam denominationem ab vnione perfectiori visionis cum intellectu, hæc enim vnio non respicit, nec attingit obiectum, quia non est vnio visionis cum obiecto, sed tantum cum potentia, ac proinde non denominat obiectum, ergo illa denominatio noua magis expresse prouenit obiecto à noua entitate visionis, quæ intenditur.

CAPVT III.

Aduersantia argumenta profligantur.

CONtrariæ sententiæ sectatores, nonnulla congerunt argumenta, tum ab auctoritate, tum à ratione posita, quæ breuiter enodabimus.

Obijciant primo, Aristotelem lib. 8. Physicor. textus 84. dicentem ex calido fieri magis cali- 17
dum nullo facto in materia calido, hoc est, nullo addito calore, ergo calor solum intenditur iuxta Philosophum per maiorem radicationem in subiecto, & non per additionem gradus ad gradum.

Respondeo Aristotelem solum docere calidum fieri magis calidum nullo alio addito subiecto calido, sed solum per additionem noui gradus caloris in eadem parte subiecti.

Obijciant secundo D. Thomam in 1. dist. 17. 18
q. 1. art. 2. & 1. 2. q. 52. art. 2. & 2. 2. q. 24. art. 5. vbi clarissime docet qualitatem non augeri, nec intendi per additionem formæ ad formam, sed ex eo, quod subiectum melius participat eamdem formam, ergo intensio iuxta S. Thomam, tantum fit per maiorem radicationem. Respondeo ex modo communi loquendi D. Thomæ ad hoc, vt dicantur plures numero formæ, vel plures numero gradus formæ non sufficere, quod sint in tali forma aliquæ partes ipsius, quarum vna realiter non sit alia sed insuper etiam requiri, quod habeant distincta subiecta, nam S. D. 1. p. quæst. 50. art. 4. in corp. inquit, quod impossibile esset dicere quod essent plures albedines separatæ, cum albedines non sint plures, nisi secundum quod sunt in pluribus substantijs, & tamen certum est, quod albedo Petri, & albedo Pauli, si essent à subiectis diuinitus separatæ (quod non repugnat) ita se haberent, quod vna essentialiter non esset alia, quia essent eædem, quæ modo sunt, & modo essentialiter non sunt idem, igitur in modo loquendi D. Thomæ, vt dicantur plures formæ, vel plures numero gradus formæ, non sufficit, quod sint in forma aliquæ partes illius, quarum vna reipsa non sit alia, sed etiam requiritur, quod habeant distincta subiecta, aliàs omnes illæ partes, si in eodem subiecto sint in eius sententia vnam formam, & qualitatem constituunt. Cum autem qualitas, ac forma intenditur, sunt in tali forma aliquæ ipsius partes, quarum vna non est alia reipsa & ideo fit augmentum ex parte formæ, vt docet S. Doctor 3. parte quæst. 7. articulo 11. in corpore, & dicitur etiam forma augeri non præcisè secundum radicationem, sed secundum essentiam ipsius, vt exprimit idem Diuus Thomas. 2. 2. quæstione 24. articulo 4. ad 3. quod quidem verum non esset, nisi in ipsa essentia formæ, aut qualitatis darentur hæ partes formæ, quarum vna re ipsa non sit alia, quia vero istæ partes eiusdem formæ quando intenditur, non habent distincta subiecta sed idem numero subiectum, ideo, licet vna pars formæ realiter non sit alia, Diuus Thomas dicit iuxta ipsius modum communem loquendi non esse plures numero formas, nec plures num.

gradus

gradus formæ, sed vnam tantum numero formam, & intensionem non fieri per additionem distinctæ numero formæ ad formam, aut distincti numero gradus formæ ad gradum formæ, sed ex eo, quod eadem numero forma perfectior sit in se, & perfectius insit subiecto, scilicet ratione partium ipsius formæ, quibus illa in ordine ad idem tantum subiectum in ratione formæ perficitur, & magis ipsi subiecto dominatur; at vero cum nos vocemus distinctas numero formas, vel distinctos numero gradus formæ, illos, quorum vnus non sit alius reipsa, licet in eodem sint subiecto ideo recte dicimus intensionem fieri per additionem distinctæ formæ ad formam, & distincti gradus ad gradum, & non re, sed solum modo loquendi, à Diui Thomæ sententia discrepamus. Consule P. Hurtado hic disputatione 5. sectione 5. qui mire in hac re mentem Doctoris Angelici declarauit.

19 Obiiciant tertio, si intensio formæ fieret per additionem gradus ad gradum, vel illi gradus essent inter se solo distincti numero, vel essent diuersi specie. si sint solo numero distincti, ergo non possunt esse in eodem subiecto, nam accidentia indiuiduantur à subiecto, si vero sint diuersi specie, ergo non possunt per se vniri, vt constituant per se vnam qualitatem intensam, quia quæ specie differunt, per se non vniuntur, ergo nullo modo potest fieri intensio formæ per additionem gradus ad gradum.

Respondeo formas completas, quando vna dat formaliter idemmet subiecto quod dat formaliter alia, indiuiduari naturaliter à subiecto, ita vt non possint simul in eodem subiecto existere naturaliter, vna enim illarum esset otiosa, at vero duæ formæ partiales, aut duo gradus eiusdem formæ, quorum vnus complet alium & aliquid dat formaliter subiecto, quod non dat formaliter alius, recte possunt esse simul naturaliter in eodem subiecto, nam ex se ipsis formaliter indiuiduantur, ac distinguntur numero: item dicere quis posset illos gradus esse diuersos specie partiali, quod non obest, quominus per se vniantur, materia enim & forma substantialis differunt partiali specie, & tamen per se vniuntur, vt vnum per se constituant.

20 Obijciant quarto essentia cuiusque rei consistit in indiuisibili, essentia enim comparatur numero qui in indiuisibili consistit, sed si qualitas, verbi gratia, calor intenderetur, per additionem gradus ad gradum, essentia caloris non consisteret in indiuisibili, quin potius reipsa esset diuisibilis in plures gradus caloris, ergo qualitas non intenditur per additionem gradus ad gradum. Respondeo essentiam cuiusque rei consistere in indiuisibili metaphysice, id est, in quodam numero prædicatorum essentialium, ita indiuisibili, vt si vnum tantum ex illis prædicatum deficiat, essentia talis rei non maneret, non vero consistere essentiam rei in indiuisibili, physice, hoc est in entitate quæ physice indiuisibilis sit, nam essentia hominis physice diuisibilis est in corpus, & animam ex quibus constat, vnde qualitas intensa licet eius essentia metaphysice consistat in quodam numero indiuisibili prædicatorum essentialium, physice tamen diuisibilis est in plures gradus eiusdem qualitatis, ex quibus eius intensio resultat.

21 Obijciat quinto si intensio fieret per additionem gradus ad gradum posset naturaliter qualitas habere infinitos syncathegorematice gradus intensionis, sicut habere potest infinitos gradus extensionis, ac proinde posset esse in ratione formæ infinitæ perfecta intensiue; Sed hoc naturaliter repugnat; ergo intensio qualitatis non fit per additionem gradus ad gradum.

Respondeo primo, iuxta communem sententiam, gradus extensionis in qualitate esse eiusdem rationis, & ideo, licet infiniti sint; conficiunt vnam perfectionem finitam proportionatam cum qualitate, & idcirco possibiles sunt gradus extensionis infiniti syncathegorematice, gradus vero intensionis sunt diuersæ rationis, & vnus perfectior, ac nobilior alio, atque ita si infiniti essent, constituerent vnam intensionem, ac perfectionem aliqua ratione simpliciter infinitam, non ita proportionatam cum ipsa qualitate secundum se, & eapropter non possunt dari naturaliter infiniti gradus intensionis, agens enim naturale valet producere finitam perfectionem proportionatam cum essentia qualitatis, non vero perfectionem infinitam non ita proportionatam cum illa.

Respondeo secundo, iuxta mea principia non implicare, quod qualitas naturaliter intendatur in infinitum, ac sit intensiue infinita syncathegorematice, vt ostendi in physicis disputatione 25. cap. 1. numero 9. quo vis argumenti corruit.

CAPVT IV.

An gradus intensionis homogenei, an eterogenei sint.

MVlti qui nobiscum asserunt qualitatem augeri, & intendi per additionem gradus ad gradum sentiunt hos gradus intensionis non esse eterogeneos, ac dissimiles inter se, sed homogeneos ac similes adeo, vt gradus qui modo est primus potuerit esse secundus, & contra gradus, qui modo est secundus potuerit esse primus, & sic de alijs, ita Albertus mag. Scotus, Bonauentura, Ricardus, Ochamus Gabriel. Greg. Tolet. Conimbricenses & alij, quos refert, & sequitur Rub. hic cap. 4. tract. 3. quæst. 5. num. 157. ad finem, quibus acquiescit Vasquez tom. 1. in 1. 2. disp. 82. cap. 6. Marcinius lib. 1. de generatione q. 3. c. 4. Arriaga hic disput. 3. sect. 3. Ouiedo controuersia 4. p. 2. num. 62. 22

Assertio tamen sit. Gradus intensionis non sunt omnino similes & homogenei, sed eterogenei, ac dissimiles, ita vt gradus qualitatis, qui modo est primus, essentialiter sit talis, & non supponat alium, nec possit esse secundus, & gradus qui modo est secundus, sit etiam essentialiter talis, vt supponat alium gradum primum & non possit esse primus, & sic de alijs. Ita Durandus in 1. dist. 17. quæstione 7. Suarez disputatione 46. met. sectione .... n. 30. & 38. Caiet. secunda secundæ q. 24. art. 7. Hurtado disp. 5. de alteratione, sectione 2. num. 98. Murcia libro 1. de generatione disput. 2. qu. 5. §. *dico secundo* Carleton disput. 10. de generatione sectione 2. conclus. 4. & sect. 3. & recentiores communiter. Probatur primo, calor vt duo non potest facere 23

tertium gradum caloris in subiecto approximato, vt omnis fert Philosophia, & experientia confirmat, sed si gradus primus caloris esset eiusdem omnino rationis cum gradu primo, calor vt duo posset efficere tertium gradum caloris in subiecto approximato, ergo tertius gradus caloris non est eiusdem rationis cum gradu primo; ergo tales gradus sunt etherogenei, ac diuersæ rationis: antecedens sic monstratur. Agens, quod potest facere vnum gradum qualitatis, potest etiam facere alium, qui sit eiusdem omnino rationis cum illo, & ideo potest eamdem qualitatem extendere per subiectum producendo plures, ac plures gradus qualitatis eiusdem rationis in illo, sed calor vt duo potest agere in subiecto primum gradum caloris, ergo si gradus tertius caloris sit eiusdem rationis omnino cum primo gradu, calor vt duo poterit etiam agere primum gradum caloris in subiecto.

24 Dicat quispiam agens naturale non posse agere in sibi simile, atque ita eo ipso, quod calidum vt duo producat alios duos gradus caloris primum scilicet & secundum in subiecto, non potest in illo alium tertium gradum caloris producere, quia inuenit illud iam sibi perfectè simile scilicet calidum etiam vt duo. Sed contra: agens naturale non potest de facto agere in subiectum aut passum sibi simile, sed si gradus intensionis essent homogenei, ac eiusdem omnino rationis, posset agens naturale agere in passum simile; ergo gradus intensionis non sunt homogenei, & eiusdem rationis, sed etherogenei, ac dissimiles. Minor ostenditur, tunc agens naturale potest efficere in passo aliquem effectum, quando ex parte agentis est virtus naturalis ad illum, & ex parte passi est etiam naturalis capacitas ad eum recipiendum, & ex parte effectus ipse naturaliter non implicat, sed calidum vt duo habet virtutem naturalem ad producendum vnum gradum caloris, qui à te vocatur tertius; potest enim producere gradum primum qui est eiusdem omnino rationis cum gradu tertio, immo idemmet numero gradus potest esse primus, secundus autem tertius, atque ita cum calidum vt duo habeat virtutem ad producendum gradum primum caloris, & habebit virtutem ad producendum gradum tertium; deinde passum etiam habet capacitatem naturalem ad illum gradum tertium caloris recipiendum, vt per se constat, & ipse etiam gradus tertius, naturaliter non implicat, vt omnes fatentur, ergo calidum, vt duo poterit in passo calido etiam vt duo producere tertium gradum caloris, igitur agens naturale poterit agere in passum sibi simile.

25 Probatur secundo, maior est perfectio intensiua, quam extensiua, illa enim est perfectio simpliciter, hæc verò tantum secundum quid, & ideo aggregatum ex Deo, & creatura potest dici perfectius extensiue solo Deo, non verò intensiue, atqui si gradus intensionis essent homogenei, & eiusdem omnino rationis, non esset maior perfectio qualitatis intensiua, quam extensiua, ergo gradus intensionis non sunt homogenei ac eiusdem omnino rationis. Minor probatur, perfectio qualitatis non sumitur ex vnione ipsius qualitatis cum subiecto, sed ex vnione vnius gradus qualitatis cum alio gradu qualitatis, qua ipsa in ratione qualitatis perficitur, sed si gradus intensionis essent homogenei, ac eiusdem rationis, licet qualitas extensa vniretur cum eodem subiecto, & qualitas extensa cum distincta parte subiecti, tamen vnio vnius gradus qualitatis cum alio esset eiusdem rationis in intensione, ac in extensione, cum in vtraque gradus eiusdem prorsus rationis vnirentur, ergo si gradus intensionis essent homogenei, tam perfecta esset qualitas extensa, quam qualitas intensa, ac proinde non esset maior perfectio intensiua, quam extensiua, si ergo est maior, dicendum est gradus intensionis esse dissimiles, & etherogeneos.

Objiciat quispiam primo, si Deus ponat plures gradus albedinis similes, ac homogeneos inter se vnitos in eodem subiecto, tale subiectum erit magis album, quam si vnum tantum gradum albedinis haberet, scilicet vel extensiue, vel intensiue, sed non esset magis album extensiue, nam extensio versatur circa diuersas partes subiecti, ergo esset magis album extensiue, ergo ex pluribus gradibus qualitatis homogeneis intensio resultat. 26

Respondeo in prædicto casu subiectum non esse magis album intensiue, quia gradus illi sunt eiusdem rationis & non faciunt maiorem perfectionem simpliciter, sed tantum secundum quid, qualis est perfectio non intensiua, sed extensiua, nec etiam propriè, & strictè esse magis album extensiuè, quia gradus illi non sunt in diuersis subiectis, sed in eodem quod habet perfectio qualitatis intensiua; esse verò magis album, quasi extensiuè, quia cum gradus illi essent similes, ac eiusdem rationis, quales sunt gradus extensionis, magis extensionem, quam intensionem imitaretur.

Objiciat secundo, si gradus secundus albedinis esset diuersæ rationis à gradu primo, gradus secundus eminenter, ac formaliter contineret in se gradum primum, eminenter quidem quia esset perfectior illo, ac ipsum posset producere, formaliter etiam, quia etiam gradus secundus esset forma actuans subiectum sicut gradus primus, ergo aduenient gradu secundo esset superfluus, ac proinde expelleretur à subiecto gradus primus, sed aduenient gradu secundo, gradus primus non expellitur à subiecto, ergo gradus secundus non est diuersæ rationis à gradu primo. 27

Respondeo gradum secundum albedinis, licet diuersæ rationis à gradu primo non continere illum in se eminenter eminentia actiuitatis, quia non potest illum producere, gradus enim primus solum potest produci ab alio gradu primo qui est magis proportionatus cum illo, nam res perfectior non semper valet producere imperfectiorem, cum Angelus perfectior homine non possit producere hominem, gradum verò secundum continere in se, primum eminenter eminentia tantum perfectionis, quia est perfectior, & excellentior illo, sed non continere illum in se formaliter, nam licet gradus secundus sit forma actuans idem subiectum, quod actuat gradus primus, tamen cum sit forma dissimilis ac diuersæ rationis, dat illi subiecto dissimilem effectum formalem, & non eumdem, quem dat ipsi gradus primus, vnde sicut cognitio supernaturalis est perfectior

cognitione

cognitione naturali circa idem obiectum, & est forma actuans idem subiectum, scilicet eandem animam, quam actuat cognitio naturalis, tum quia cognitio supernaturalis dat subiecto dissimilem effectum formalem, & non eundem quem dat illi cognitio naturalis, ideo hæc non est superflua, nec expellitur præsente illa; ita similiter, licèt gradus secundus albedinis sit perfectior gradu primo, & sit forma actuans idemmet subiectum, quod actuat gradus primus, tamen quia gradus secundus dat dissimilem effectum formalem subiecto, & non eundem, quem dat illi formaliter gradus primus, ideo gradus primus non est superfluus, nec expellitur adueniente gradu secundo.

38 Obijciat tertiò, cum quis accedit ad Sacramentum cum dispositione, vt vnum verbi gratia cum primo gradu attritionis, datur illi tantum ratione illius gratia, vt vnum, scilicet primus gradus gratiæ, aut alius gradus, qui sit eiusdem rationis, atque valoris cum illo, atqui si ille, qui accedit ad Sacramentum cum tali dispositione, habeat iam gratiam vt quatuor, datur illi ratione illius dispositionis gradus quintus gratiæ, ergo gradus quintus gratiæ est eiusdem rationis, atque valoris cum gradu primo.

Confirmatur, cum quis elicit tres actus meritorios, v. g. actum temperantiæ, actum religionis, & actum charitatis, cuilibet actui ex his idem præmium, & gradus gratiæ correspondet modo ante alios duos, modo post illos fiat, atqui si vnus actus ex illis, verbi gratia actus temperantiæ fieret ante alios duos, correspon-deret illi primus verbi gratia gradus gratiæ, & si fieret post alios duos, corresponderet illi gradus tertius, nam primus & secundus gradus gratiæ alijs duobus actibus prioribus responderent, ergo gradus gratiæ primus & gradus tertius est idem præmium, ac idem gradus, scilicet eiusdem rationis. Vrgetur, si Deipara virgo in vltimo vitæ instanti actum aliquem bonum valdè remissum eliceret non correspon-deret illi maius præmium gratiæ, & gloriæ, quam illud, quod correspondet omnibus simul actibus feruentissimis quos B. Virgo toto suæ vitæ decursu elicuit atqui si gradus intensionis essent diuersæ rationis in qualitate, verbi gratia, in gratia, illi actui remisso Virginis, si daretur, responderet maius præmium gratiæ, & gloriæ, quam omnibus alijs simul actibus feruentissimis totius vitæ eiusdem Virginis, ergo gradus intensionis non sunt diuersæ rationis.

Minor probatur, gradus gratiæ, & gloriæ eminentior, & excellentior alijs gradibus inferioribus est maius præmium, quam illi; sed illi actui remisso Virginis, si daretur, responderet vnus gradus gratiæ & gloriæ eminentior, ac excellentior omnibus alijs gradibus gratiæ, qui correspondent omnibus actibus feruentissimis totius vitæ eiusdem Virginis, cum ille caderet supra istos, ergo tali actui remisso responderet maius præmium, quam illis actibus feruentissimis.

92 Respondeo, gratiam & dignitatem subiecti moraliter significare actum, atque ita maior est dispositio attritio vt vnum in subiecto grato vt quatuor, quàm eadem attritio, vt vnum in subiecto non grato, & ideo isti datur primus gradus imperfectus gratiæ, illi verò datur gradu s quintus gratiæ longè perfectior primo.

Ad primam confirmationem dico, non correspondere idem præmium, ac eundem gradum gratiæ illi actui, si fiat ante alios duos, ac si fiat post illos, nam si fiat post tales actus meritorios, inuenit subiectum in virtute eorum habens maiorem gratiam, & dignitatem, quæ etiam dignificat talem actum, & facit illum condignè meritorium perfectioris gradus gratiæ, quem absque tali subiecti gratia, ac dignitate non meruisset. Vnde si talis actus fieret ante alios duos solum mereretur primum aut secundum gradum gratiæ, si autem post illos fieret, mereretur tertium aut quartum, quod nullum est inconueniens, sed necessariò dicendum in sententia quæ adstruit crescere meritum ex dignitate subiecti.

Ad secundam confirmationem respondeo, quod Virgo Deipara per illum actum remissum, si daretur, mereretur gradum gratiæ eminentiorem, ac excellentiorem alijs omnibus gradibus quos toto vitæ decursu per omnes actus feruentissimos meruisset, quia talis actus remissus dignificaretur moraliter à tota illa gratia ac dignitate subiecti acquisita per actus illos, ac esset veluti effectus illorum, qui omnem eorum dignitatem & valorem in se moraliter clauderet, & insuper etiam adderet suam propriam bonitatem specificam, & ideo non mirum si perfectiorem gradum maiusque præmium gratiæ & gloriæ, quam actus omnes feruentissimos mereatur.

Sed addo, etiam si ex maiori gratia, & dignitate subiecti non crescceret ratio meriti, vt alio- 39
rum opinio fert, si iustus habens v. g. gratiam vt centum, eliceret gratiam charitatis vt vnum, daretur illi pro tali actu gradus gratiæ centesimus primus, qui alijs gradibus inferioribus excellentior esset, ratio est, quia Deus debebat dare iusto pro tali actu bono vnum gradum gratiæ saltem primum, ex suppositione autem, quod ille iustus habebat gratiam vt centum, non poterat Deus illi connaturaliter dare vnum gradum gratiæ, nisi daret illi gradum gratiæ centesimum primum, quia iam iustus habebat omnes alios gradus gratiæ infra illum, atque ita vel Deus erat denegaturus iusto bene operanti vnum gradum gratiæ, quem eius meritum exigebat, vel daturus erat illi connaturaliter gradum gratiæ centesimum primum qui eius meritum superabat. Dignius autem est liberalitate Dei, qui præmiat vltra condignum dare iusto pro bono opere remisso gradum illum centesimum primum qui eius meritum excedebat, quam illi vnum gradum gratiæ negare, quem eius meritum postulabat, ac proinde Deus in prædicto casu præmiaret vltra condignum & quasi per accidens pro illo actu charitatis, vt vnum gradum gratiæ excellentissimum, scilicet centesimum primum iusto bene operanti conferret.

Obijciat quarto, si gradus intensionis essent 31
diuersæ rationis, & vnus essentialiter esset tertius, alius essentialiter quartus, &c. vnus etiam gradus daretur, qui essentialiter esset primus, sed non potest dari in qualitate vnus gradus, qui sit essentialiter primus; nam cum continuum ex partibus infinitis semper diuisibilibus componatur, ille gradus esset diuisibilis in alios duos, quorum alius esset prior, & alius posterior, ac proinde ille non esset primus, ergo gradus intensionis non sunt diuersæ rationis.

Respondeo, hoc argumentum solum vrgere illos, qui continuum ex partibus infinitis proportionalibus componunt, non verò aduersus nos militare, qui illud ex finitis tantum indiuisibilibus conflamus, primus enim gradus erit indiuisibile quoddam primum, & secundum indiuisibile secundum & sic de alijs.

32 Obijciat quintò, si gradus intensionis essent diuersæ rationis & vnus essentialiter perfectior alio, qualitas claudens in se omnem intensionem possibilem haberet essentialem perfectionem simpliciter infinitam, sed nulla res creata potest habere essentialem perfectionem simpliciter infinitam, vt docuimus in Philosophia disput. 25. cap. 2. & 3. ergo gradus intensionis non sunt diuersæ rationis.

Maior probatur, illa res habet perfectionem essentialem simpliciter infinitam, quæ habet infinitas formalitates, ac perfectiones, quarum vna gradatim sit essentialiter perfectior alia vsque in infinitum, sed qualitas claudens in se omnem intensionem possibilem habet in se ipsa infinitas perfectiones, ac gradus, quorum vnus sit essentialiter perfectior alio gradatim vsque in infinitum, ergo talis qualitas habet perfectionem essentialem simpliciter infinitam.

Respondeo, illam qualitatem, quæ claudat in se omnem intensionem possibilem habituram in se perfectionem essentialem aut indiuidualem infinitam simpliciter in ratione talis qualitatis, quod non repugnat, non verò simpliciter infinitam in omni genere, est enim creata, & ideo simpliciter finita.

33 Obijciat sextò, gradus intensionis, si essent diuersæ rationis essent diuersæ speciei, quia gradus primus magis differret à gradu secundo quam ab alio gradu etiam primo, ab alio autem gradu primo differret numero, ac proinde à gradu secundo differret specie; sed ea, quæ specie diuersa sunt, non possunt per se vniri, vt vnum per se constituant, homo enim, & equus quomodo inter se vniantur? ergo gradus intensionis, si essent diuersæ rationis, non possent per se vniri, vt vnam intensam qualitatem constituerent, ergo tales gradus non sunt diuersæ rationis.

Respondent aliqui, tales gradus differre specie partiali tanquam partes eiusdem qualitatis intensæ, quæ constituit speciem totalem, vnde sicut in plurium sententia partes animæ materialis differunt partialiter in specie, & tamen per se vniuntur, vt componant vnam animam totalem, ita gradus intensionis, licet partialiter specie differant possunt per se vniri vt constituant vnam qualitatem totalem.

34 Arbitror tamen ego hos gradus intensionis non habere diuersitatem specificam, sed tantum diuersitatem ac in æqualitatem quandam indiuidualem. Ratio est quia ad diuersitatem specificam requiritur, quod vna res habeat essentialiter aliquid notabile, quod non habeat alia, si autem notabile non sit, non erit diuersitas specifica, sed tantum indiuidualis intra eandem speciem, visio enim beata qua vnus Beatus videt octo creaturas, in Deo habet essentialiter aliquid quod non habet alia visio beata, qua alius Beatus duas tantum creaturas videat, & tamen iuxta communem omnium Theologorum sententiam vna visio beata non est diuersa specie ab alia, quia non habet aliquid notabile, quod non habeat alia, atque ita necessariò requiritur ad specificam diuersitatem, quod vna res essentialiter habeat aliquid notabile, quod non habeat primus gradus eiusdem albedinis, quilibet enim gradus est verè albedo, quod autem sit primus, secundus, aut tertius, licèt aliquid sit, dignum tamen consideratione ac notabile non est, ergo tales gradus non habent diuersitatem specificam, sed tantum indiuidualem, vnde ex eo, quod gradus primus magis differat à gradu secundo quam ab alio gradu primo, solum sequitur, quod primus gradus habet aliquam dissimilitudinem, & inæqualitatem indiuidualem cum gradu secundo quam non habet cum alio primo. Hoc verò posito scilicet hos gradus non differre specie, nihil obesse potest quominus in eodem subiecto per se vniantur, vt vnam intensam qualitatem per se conficiant.

Verum fortasse quis vrgeat, si duo accidentia solo numero distincta sint in eodem subiecto, 35
vnum erit superfluum, vt si essent in Petro duæ albedines, vna esset superflua, ergo si gradus intensionis, primus scilicet & secundus sint solo numero distincti in eodem subiecto, alter illorum erit superfluus. Hoc argumentum magis vrget eos, qui dicunt gradus intensionis esse etiam indiuidualiter homogeneos. Nos autem dicimus, quod quando sunt in eodem subiecto duo accidentia eiusdem speciei, quorum vnum dat aliquid formaliter subiecto, quod non dat formaliter aliud, nullum eorum est superfluum, vt in eodem intellectu est species intelligibilis Ioannis, & species Petri, quæ quidem sunt eiusdem rationis & speciei, & tamen quia vna dat intellectui posse videre Ioannem, & alia dat illi posse videre Petrum, nulla illarum est superflua.

Cum autem gradus primus, & secundus, licèt sint eiusdem speciei, ita se habeant, vt vnus det formaliter subiecto aliquid, quod non dat formaliter alius, gradus enim secundus albedinis dat subiecto esse perfectè album ita, vt supponat in eo alium gradum, quod non dat illi primus gradus albedinis, & è contra, ideo nullus gradus ex illis est superfluus.

CAPVT V.

An alteratio sit successiua & continua.

EGimus de intensione in facto esse, iam de ipsa intensione, ac extensione in fieri, id est de ipsa actione alteratiua qua qualitas intenditur, ac extenditur, differendum est; & in primis inuestigandum an sit successiua & continua. Compertum autem est, alterationem aliquam posse in instanti fieri; solaris enim illuminatio, qua aër alteratur in instanti fit; solum ergo disquirimus an aliqua alteratio siue in intensione siue in extensione qualitatis possit esse continua, an omnis per instantia discreta fiat? censent aliqui nullam alterationem esse continuam, sed omnem fieri per instantia discreta ita, vt in vno instanti agens alteret subiectum, & in tempore sequenti quiescat, & illud disponat, vt in alio instanti iterum subiectum alteret, & sic de alijs. Ita Capreolus, Soncin. Ferr. & Iauellus citati à Rub. hic c. 4. tract. 3. q. 1. n. 111. Zenardus, Simplicicius, Temistius, 36

Auer

Auerroes, adducunt pro hac ſententia Ariſtotelem 8.phyſic. text. 23. aſſerentem dicere alterationem fieri continuè eſſe perſpicuis rebus aduerſari. Sed non loquitur Ariſtoteles de continuitate, hoc eſt de ſucceſſione continua per aliquod breue tempus, ſed de continuitate, id eſt, de ſucceſſione perenni, quo pacto alteratio non eſt continua.

37 ASSERTIO tamen ſit, alteratio tam extenſiua quam intenſiua eſt ſucceſſiua, & continua. Hæc eſt ſententia Ariſtotelis vt probat Rubius vbi ſupra numero 113. quam ſequuntur etiam eius expoſitores communiter, quibus acquieſcunt Rubius ibidem, Conimbricenſes hic capite 4. quæſt.2. artic. 2. Suarez diſpur. 46. met. 5. ſectione 3. numero 8. Ioan. à S. Thoma quæſtione 3. de generatione articulo 3. Complutenſes libro primo de generatione diſputatione 5. quæſtione ..... Auerſa tomo ſecundo phyſic. quæſtione 39. ſectione 2. Ioan. Martinius libro primo de generatione capite 4.quæſt.3. Arriaga diſput. 5. de generatione ſectione 5. Hurtado, Carleton, & alij.

Probatur primo, ex Ariſtotele 3. phyſic. capite 2. text. 1. & 4. lib. capite 11. text. 99. vbi ſic ſcribit, *cum autem id, quod mouetur ex aliquo ad aliquid moueatur, magnitudoque omnis continua ſit, magnitudinem motus conſequitur*, ex Ariſtotele ex continuitate magnitudinis continuitatem motus manifeſtat, & proſequitur, *quod enim magnitudo continua ſit, motus quoque continuus eſt, quod autem motus & tempus*, idem oſtendit 5. met. capite 13. text. 18. & 5. phyſic. capite 4. text. 41. docens vnitatem motus, vnitatem temporis requirere, his verbis, *ideo motus, qui ſimpliciter continuus, vnuſque eſt, ſpecie idem ſit, & vnius, & in vno tempore neceſſe eſt*, in quibus Ariſtoteles tria requirit, quo motus ſit vnus, ſcilicet vt ſit vnus ſpecie, idem mobile, idemque tempus, alteratio ergo quam Ariſtoteles in proprijs motibus enumerat, non ſolum ſucceſſiua, ſed etiam continua eſt.

38 Probatur primo, in extenſione, agens naturale prius agit in partibus paſſi propinquis, poſtea in remotis, quia agit vniformiter, difformiter, ergo ignis calefaciens aliquod paſſum, prius calefacit partem illius magis propinquam, poſtea aliam non ita propinquam, & ſic de alijs, ergo talis calefactio & alteratio eſt ſucceſſiua, & continua. Dices ignem in primo inſtanti calefacere primam partem paſſi, in tempore verò ſequenti non alterare aliam partem eiuſdem paſſi ſed quieſcere.

Sed contra, ideo ignis in primo inſtanti agit calorem in parte propinqua paſſi, quia medio ſuo calore eſt intimè approximatus illi, ſed in tempore ſequenti, ignis medio calore in primo inſtanti producto in parte propinqua paſſi eſt etiam intimè approximatus alteri parti paſſi, quæ antea erat remota, ergo etiam ignis in tempore illo immediatè ſequenti aget calorem in altera parte paſſi, ergo non quieſcit, ſed extendit continuè calorem.

39 Probatur ſecundo, in intenſione, quo magis approximatum eſt agens alicui paſſo, eo fortius, intenſius ac vehementius agit in illud, vt experientia demonſtrat, quo magis enim agens luminoſum ſcilicet ſol iſti hemiſpherio approximatur, eo intenſiorem, ac vehementiorem lucem agit in illo, ſed agens naturale, verbi gratia, idem ſol ſucceſſiuè & continuè per motum localem approximatur magis ac magis paſſo, ſcilicet iſti hemiſpherio, nam talis motus localis eſt continuus, ergo ſucceſſiuè, & continuè magis, ac magis intenſam qualitatem videlicet lucem agit in illo, ergo talis alteratio verſus intenſionem eſt ſucceſſiua, & continua.

Dicat quis, agens naturale in quouis inſtanti, 40
ac duratione aliquid agere, tamen in inſtanti agere propriam qualitatem, verbi gratia calorem, aut lucem, in duratione verò ſequenti non agete calorem aut lucem, ſed diſponere ſubiectum agendo in illo aliquam raritatem, vt poſtea in alio inſtanti iterum calorem in eo producat, ac illum intendat: Sed contra: agens naturale non poteſt diſponere ſubiectum niſi agendo in illo aliquam diſpoſitionem, ac qualitatem, atque ita alterando illud, ſed diſponit ſubiectum in tempore diuiſibili, ac proinde ſucceſſiuè, & continuè, vt tu admittis, ergo alterat illud etiam continuè, ergo iam datur aliqua alteratio continua.

Confirmatur, calor vel eſt radix raritatis, vel eſt ipſa raritas, vt dictum eſt ſupra diſputatione 6. capite 2. ſed per ſe agens naturale, verbi gratia ignis in tempore ſucceſſiuè & continuè agit in ſubiecto raritatem, qua illud diſponat, ergo etiam in tali tempore continuè agit calorem in illo, ergo talis calefactio & alteratio ſecundum intenſionem eſt continua.

Vrgeo, ſi vas plenum aqua vndique perfectè obturatum radijs ſolis opponatur, Sol producet calorem in tali aqua, & illum magis, ac magis intendet, & tamen non producet in tali aqua aliquam raritatem qua diſponatur, aliàs vas obturatum confringeretur non valens capere aquam raram, ergo agens naturale non producet in paſſo raritatem, qua illud diſponat ad calorem.

Objiciat quiſpiam primo, alteratio nonnul- 41
lis morulis interrumpitur, vna enim eſt velocior alia, ergo mobile, quod alteratur aliquando moratur, & ab alteratione quieſcit, ergo talis alteratio non eſt continua. Reſpondeo licet alteratio aliquibus morulis interrumpatur ob reſiſtentiam contrarij ſecundum aliquam tantum eius partem, ſine interrruptione fieri, & eſſe continuam, quod ſolum aſſerimus, non enim dicimus ſecundum omnes eius partes adæquate fieri continuè, ſed tantum in aliqua eius parte veram ſucceſſionem & continuitatem dari, quæ quidem à morulis non impeditur.

Objiciat ſecundo, datur pars quædam deter- 42
minata minima qualitatis ita, vt non poſſit eſſe naturaliter alia minor, ſed ſi alteratio continuè fieret, poſſet dari naturaliter alia pars minor illa parte minima qualitatis, nam hæc etiam minima pars qualitatis ſucceſſiue, & continuè fieret, atque ita prima eius medietas priùs fieret, quam medietas ſecunda, ac proinde in illo priori inſtanti daretur tantum illa prima medietas minimi qualitatis, quæ eſſet pars minor ipſa qualitate minima, ergo alteratio non eſt ſucceſſiua, & continua.

Reſpondeo primo, non dari minimum diuiſibile in qualitate vt capite ſequenti oſtendam, quo ceſſat vis argumenti. Secundo dico quod ſi tale minimum qualitatis daretur, totum illud produceretur in primo inſtanti, vt

vlterius

vlterius successiue & continue progrederetur alteratio ad illam qualitatem extendendam vel intendendam, ac proinde alteratio esset continua.

43 Obijciat tertiò, si alteratio posset esse successiua, & continua, vltima dispositio ad formam substantialem, cum per alterationem producatur posset, successiue, & continue produci, atqui vltima dispositio ad formam substantialem non potest continue produci, nam cum vltima dispositio, vt sic formaliter sit indiuisibilis, non potest in tempore diuisibili fieri, sed tantum in instanti; instantia autem temporis non sunt continua, sed discreta, mediant enim partes proportionales temporis, atque ita vltima dispositio vt sic formaliter non potest successiue, & continue produci, ergo alteratio non potest esse successiua, & continua.

Respondeo, in sententia communi, quæ partes proportionales admittit, dicendum fore vltimam dispositionem non posse continue fieri, sed discrete, vt argumentum conuincit, hoc tamen non tollere, quod aliæ alterationes, quibus subiectum non disponatur vltimò ad formam, sint successiuæ, & continuæ. In nostra verò sententia quæ tantum in tempore indiuisibilia instantia admittit sibi continuo succedentia, facile dicimus vltimam dispositionem non fieri in tempore, sed in instanti, & tamen non fieri per instantia discreta, sed continua.

44 Obijciat quartò, habitus intenditur per actus, sed actus non fiunt continuè, sed discretè, non enim quis elicit in hoc instanti vnum actum, & in sequenti instanti alium actum similem, & in sequenti alium similem, & sic de alijs, sed modo elicit vnum actum, & post aliquod tempus elicit alium &c. ergo alteratio, qua habitus intenditur, non est continua.

Respondeo, habitum etiam extendi per conseruationem, & continuationem eiusdem actus, cum autem homo conseruet eumdem actum, & in illo perseueret successiue, & continue, ideo intendit habitum etiam successiue & continue, ac proinde talis alteratio est continua.

CAPVT VI.

De terminis intensionis, ac extensionis.

45 COntrouersia est, an dentur termini in intensione ac extensione qualitatis, termini quidem tam secundum magnitudinem, hoc est, qualitas ita intensa vel extensa, vt alia magis intensa, vel extensa esse non possit, quam secundum paruitatem, id est, qualitas cum tam exigua intensione, aut extensione, vt alia minus extensa vel intensa esse non possit. Sermo autem est de qualitatibus naturalibus infinite, de qualitatibus supernaturalibus nonnihil etiam dicemus.

46 ASSERTIO prima sit, in qualitate secundum extensionem non datur, quantum ex se, terminus versus magnitudinem, nec versus paruitatem, hoc est, non datur qualitas ita maxima in extensione vt maior alia esse non possit, quantum est ex se, nec datur qualitas diuisibilis ita minima, vt alia minor esse non possit. Ita Rubius hic capite 4. titulo 3. quæstione 6. numero 180. & alij. Et quidem non terminari versus magnitudinem patet, quia quantumcumque calor ignis extendatur cum ipso igne, si ei stupa applicetur, calor producetur in ipsa stupa, atque ita extendetur, ac maior fiet, ergo nulla potest dari qualitas verbi gratia, caloris ita extensa, vt quantum est ex se magis extensa esse non possit.

Porrò qualitatem etiam non terminari versus minimum probatur, quia in sua sententia motus alterationis, qua extenditur qualitas incipit in tempore, id est, per vltimum sui non esse, ergo illa prima pars determinata qualitatis, quam vocas minimam producta est in tempore successiue, ergo prius fuit producta prima medietas illius, & posterius secunda medietas, quia quod in tempore producitur, fit secundum prius & posterius, ergo iam in illo priori datur qualitas in intensione minor minima, ergo nulla datur qualitas minima; Confirmatur quæritur si illa minima pars, in qua solum dicis, & non in minori posse qualitatem caloris cóseruari, sit tantum secundum primam eius medietatem intra sphæram actiuitatis lucis, non vero secundum aliam secundam medietatem, tunc quidem lux producet in primo instanti calorem in illa prima medietate materiæ non vero in secunda, ergo in minori materia seu quantitate potest esse naturaliter qualitas caloris, igitur illa, quam antea assignabas non erat minima.

ASSERTIO secunda sit, in qualitate naturali, quantum est ex se, non datur terminus versus magnitudinem, nec versus paruitatem in intensione, id est, non potest dari qualitas tam intensa, vt quantum est ex se non possit esse intensior, nec potest dari cum tam exigua intensione diuisibili, vt cum alia minori esse non valeat. Ita saltem quoad secundam assertionis partem sentiunt Suarez tomo 2. metathysic. disputatione 46. sectione 4. numero 7. Sotus, & Conimbricenses ab ipso relati numero 5. quibus acquiescit Rubius hic capite 4. titulo 3. quæstione 6. numero 167. & recentiores communiter aduersus Soncin. Iandunum & Toletum, quos adducit idem Suarez numero 3. nam aër & ignis, id est, qualitates aëris & ignis non requirunt certam organizationem & diuersitatem dispositionum in varijs sui partibus; ergo per se non petunt terminum paruitatis in intensione. Dixi per se, nam per accidens ratione scilicet contrarij possunt petere minimum; sicut possunt etiam petere per accidens terminum magnitudinis, ratione scilicet cæli ambientis, cuius limites ignis, & aliæ res sublunares excedere non valent, vt ostendimus disputatione 5. capite 5. assert. 2. Ac primum non dari in qualitate naturali terminum intensionis versus magnitudinem sic ostendo: signata quacumque intensione finita in qualitate naturali, illa qualitas, quantum est ex se naturaliter non repugnat, quod sit intensior, ergo in qualitate naturali quantum est ex se, non datur terminus intensionis versus magnitudinem. Consequentia est euidens. Antecedens autem sic probo: nulla est implicatio naturalis in eo, quod qualitas aliqua, quæ est in sua essentia finita habeat connaturaliter intensionem limitatam ac finitam, sed signata quacumque intensione finita in qualitate, alia intensio aliquantulum maior, erit etiam intensio finita, ergo signata quacumque intensione 47

ſione finita in qualitate non implicat naturaliter eſſe alia maior intenſio eiuſdem qualitatis, vel quod ſit intenſior qualitas illa. Conſule quæ diximus ſupra in Philoſophia diſputat. 25. cap. 1. numero 9.

48 Deinde non habere qualitatem terminum intenſionis verſus paruitatem, probatur, quia in aduerſariorum ſententia motus, quo qualitas intenditur, incipit per vltimum ſui non eſſe, id eſt, in tempore ſucceſſiue, ergo prima illa pars minima intenſionis qualitatis (ſi datur) ſucceſſiue in tempore fit, ſcilicet prima eius medietas prius, & ſecunda eius medietas poſterius, quia quod in tempore fit, producitur ſecundum prius & poſterius, ergo iam in illo priori datur tantum prima medietas illius partis minimæ intenſionis, ac proinde datur quædam intenſio minor illa minima quam tu aſſignas, ergo nulla datur pars qualitatis diuiſibilis minima ſecundum intenſionem. Confirmatur, quia cum gradus intenſionis heterogenei ſint vt oſtendimus capite 4. gradus primus & gradus ſecundus differunt eſſentialiter inter ſe, & non in alio, niſi quod primus non habet connexionem cum ſecundo gradus autem ſecundus habet connexionem cum primo, ſed ſi daretur minima quædam intenſio diuiſibilis qua minor alia eſſe non poſſet naturaliter, cum talis intenſio minima includeret ad minus gradum primum & ſecundum, tales gradus non poſſent diſtingui eſſentialiter, nam ſi gradus ſecundus haberet naturalem connexionem cum primo, ita gradus primus haberet connexionem naturalem cum gradu ſecundo & non poſſet eſſe naturaliter ſine illo, ergo nulla datur intenſio minima, qua minor eſſe non poſſit naturaliter.

49 Obijciat autem quis, ſi qualitas non haberet naturaliter, quantum eſt ex ſe, terminum ſuæ intenſionis, cauſa æquiuoca alicuius qualitatis rectè applicata paſſo magis, ac magis in infinitum intenderet talem qualitatem, ſed Sol eſt cauſa æquiuoca lucis in ſe ipſo, & ſemper eſt rectè applicatus ſibi tanquam paſſo, ergo ſol magis, ac magis in infinitum intenderet lucem, cuius contrarium experimur.

Secundò, qualitas ſemper inhæret alicui ſubſtantiæ cuius ſit qualitas, ſed ſubſtantia petit connaturaliter qualitatem in tanta intenſione, & non in minori, ergo qualitas debet naturaliter habere tantum intenſionem, & non minorem.

Ad primum Reſpondeo, ſolem, quantum eſt ex ſe non poſſe producere lucem infinite intenſam actu, ſed intenſiorem & intenſiorem indeterminate, atque ita ad auctorem naturæ pertinere illum determinare taxando illi ſuum generalem concurſum ad tantam intenſionem lucis, & non ad maiorem, & ideo proxime non poteſt Sol lucem magis intedere in infinitum.

Ad ſecundum reſpondeo, qualitatem vt eſt diſpoſitio ad formam ſubſtantialem conſeruandam, forte aliquam determinatam intenſionem exigere, & minorem habere non poſſe, at verò qualitatem ſecundum ſe præcisè nullam petere intenſionem, ita minimam vt ſine illa eſſe naturaliter non poſſit, vt probatum eſt, ac proinde qualitas ſecundum ſe præcisè non habet terminum intenſionis ſecundum paruitatem.

50 Sed quid dicendum de qualitatibus ſupernaturalibus, verbi gratia de gratia, aut viſione Dei? Cenſeo etiam ſecundum magnitudinem nullam habere terminum intenſionis. Ita Diuus Thomas 1. 2. quæſtione 24. articulo 7. diſſentiunt Scotus in 5. diſtinctione 13. quæſtione 4. §. *ad primam quæſtionem dico*, & alij.

Probatur, data gratia in anima iuſti in quantacumque intenſione finita, non repugnat ex parte potentiæ paſſiuæ obedientialis animæ, nec ex parte ipſius gratiæ quod intenſior fiat, ergo poteſt intenſior fieri: & quidem non repugnare ex parte potentiæ Dei, perſpicuum eſt, cum Dei potentia ſit infinita: non repugnare etiam ex parte potentiæ obedientialis paſſiuæ animæ iuſti ex eo liquet, quia hæc obediendo ſe extendet ad omnem effectum ad quem imperando ſe extendit potentia Dei: non etiam repugnare ex parte ipſius gratiæ, probatur, ſi ex parte gratiæ repugnaret, maximè quia ſi daretur maior intenſio in illa, darentur duo contradictoria, atqui etiam ſi eſſet maior alia intenſio, in tali gratia non darentur duo contradictoria, non enim qualitas illa eſſet finita, & infinita, ſed tantum eſſet finita, nam illa maior intenſio quæ aduenire, eſſet actu finita, ergo nec ex parte etiam ipſius gratiæ repugnat, quod quantumcumque intenſa ſit, poſſit intenſior fieri. Idem dicito de qualitatibus naturalibus quæ etſi naturaliter non poſſent in infinitum intendi, tamen ſupernaturaliter in infinitum intendi poſſent.

Verum pro complemento huius materiæ obſerua ex quatuor capitibus poſſe maiorem intenſionem prouenire. Primò ex eo, quod agens naturale magis approximetur paſſo, tunc enim fortius operatur. Secundò ex eo, quod magis vincat reſiſtentiam contrarij, quod antea obſiſtebat. Tertiò ex eo, quod cauſa naturalis, quæ ob ſui limitationem non poteſt in primo inſtanti omnem intenſionem producere, perſiſtat, & conſeruetur, vt actus naturalis, qui quo magis conſeruatur, magis habitum naturalem intendit. Quartò in actibus vitalibus maior intenſio reſultat ex maiori conatu, cum quo potentia operatur. 51

CAPVT VII.

An ſolæ qualitates intendantur.

COntrouerſia extendi poteſt ad omnia fere prædicamenta, an intenſionem admittant? certum autem eſt habitum ſeu habere non poſſe magis, ac magis intendi, cum in ſola denominatione extrinſeca conſiſtat, qua quis armatus, verbi gratia dicitur, aut veſtitus; quæſtio verò procedit de alijs, maximè de ſubſtantia, quantitate, & vbi. 52

Assertio prima, ſubſtantia non poteſt intendi, nec recipere magis ac minus. Ita omnes communiter. Probatur primo, quia ſi ſubſtantia poſſet intendi, & remitti, forma ſubſtantialis aquæ, & forma ſubſtantialis ignis poſſent eſſe ſimul in eodem ſubiecto in gradu remiſſo, ſicut calor remiſſus, & frigus remiſſum, nec aqua, quæ frigiditatem amittit, poſſet illam naturaliter recuperare, quia forma etiam ſubſtantialis remitteretur, & non peteret, nec producere poſſet naturaliter frigiditatem intenſam, quam amiſit, cuius oppoſitum experimur. 53

Proba

Probatur secundò à priori : quia substantia rei est fundamentum totius esse rei, in quo alia omnia fundantur, fundamentum autem debet esse firmum, ac immobile, & idem semper perseuerare, ac proinde substantia semper debet esse eadem, & immobilis, & non suscipere magis ac minus.

54 Assertio secunda : quantitas non potest intendi, ac remitti, nec suscipere magis ac minus. Ita omnes communiter. Probatur, passio rei commensuratur cum ipsa re, sed substantia corporea cuius propria passio est, quantitas, non potest intendi, & remitti, vt nuper ostendi, ergo quantitas commensuratur cum illa, atque ita non potest intendi & remitti. Dices, etiam calor est passio ignis, qui non intenditur, & taipse calor intenditur. Respondeo calorem non solum esse passionem ignis, sed etiam dispositionem ad varias formas ; & quia dispositio est, intenditur, ac remittitur.

Sed vrgeas, etiam quantitas est dispositio ad plures formas, quæ in materia talem quantitatem præmittunt. Respondeo, quantitatem esse dispositionem communem ad plures formas, atque ita licèt eodem modo se habeat, potest ad illam disponere, omnes enim formæ habent eandem dispositionem communem, calorem verò esse dispositionem particularem ad varias formas, cum autem dispositio particularis respectu diuersarum formarum debeat esse diuersa, ideo calor debet necessario intendi ac remitti, vt in tali gradu intensionis sit dispositio ad vnam formam, & in diuerso gradu sit dispositio ad diuersam formam.

55 Assertio tertiò, qualitates sed non omnes ratione sui possunt intendi ac remitti. Ita communis schola, qualitates quidem intendi, patet experientia, nam calor in nobis intenditur, frigus etiam suscipit magis ac minus, & sic de alijs: non intendi omnes qualitates ex eo probatur, quia passiones substantiæ quæ non sunt dispositiones particulares ad diuersas formas, commensurantur cum ipsa substantia, atque ita non possunt intendi, sicut illa non est intensibilis, atqui plures qualitates scilicet intellectus, & voluntas, & aliæ similes, sunt passiones substantiæ & non sunt dispositiones particulares ad diuersas formas, ergo tales qualitates non possunt intendi. Consultò dixi qualitatem ratione sui posse intendi, nam actio, aut passio, qua qualitas intensa producitur, relatio, ac similitudo, qua vna qualitas intensa est similis alteri qualitati intensæ, ac etiam duratio, qua qualitas intensa durat, aliquam in se videntur participare intensionem, sed quia talis intensio non conuenit illis primario ratione sui, sed tantum ratione termini scilicet qualitatis intensæ, ideo illa omnia non dicuntur intendi, ac successiuè, inquam, suscipere magis, ac minus per se ratione sui, sed per accidens ratione termini.

56 Assertio quarta, nec etiam Vbi potest intendi autem remitti. In hac etiam omnes conueniunt. Probatur, res illa, cuius formalis ratio ac effectus non est diuisibilis sed indiuisibilis, non potest intendi ac remitti, atqui ratio ac effectus formalis vbicationis est omnino indiuisibilis, nulla enim apparet diuisibilitas, quæ possit in vbicatione inueniri, nam eius effectus formalis est ponere rem in loco, quod indiuisibiliter per quodlibet vbi præstatur, ergo Vbi non potest intendi ac remitti.

Sed obijciat quis: vt vnum indiuisibile materiæ sit adæquate & perfecte in vno indiuisibili spatij requiritur, quod habeat plures, quatuor, verbi gratia, vbicationes, quibus melius ac perfectius existat in illo, ergo eius vbicatio in ordine ad tale indiuisibile spatij magis, ac magis intenditur, ac proinde est intensibilis.

Respondeo, tunc illud Vbi per alias vbicationes perfectiores aduenientes non intendi, sed quasi extendi, quia licet omnes illæ vbicationes versentur circa idemmet spatium indiuisibile, ac vnum formaliter & realiter, versantur tamen circa illud, vt diuisibile, ac multiplex æquiualenter, ac virtualiter, vnum enim indiuisibile, quod modo est, æquiualet pluribus indiuisibilibus Zenonis, vt dictum est in physica disputatione 27. capite 5. & 6. & etiam supra disputatione 6. capite 2. & 3. vnde quemadmodum, quando cognosco hominem quatenus præcisè est animal, & statim cognosco illud, quatenus etiam est rationale, illa prima cognitio non intenditur, sed extenditur, quia licèt obiectum illud, scilicet homo vt est animal, & vt est rationale sit vnum ac indiuisibile realiter, est tamen multiplex ac diuisibile virtualiter ; ita similiter quando vnum indiuisibile materiæ habet quatuor, verbi gratia vbicationes ad vnum indiuisibile spatij, talis vbicatio non intenditur, quia versatur circa spatium illud realiter indiuisibile, quod tamen est diuisibile, ac multiplex æquialenter ac virtualiter.

DISPVTATIO VIII.

De dissimilitudine, & resistentia passi, ac de actione, & repassione.

QVATVOR capita continebit. In primo inquiro, an agens agat in passum sibi simile ? In secundo, an agens naturale possit passum sibi perfectè assimilare ? In tertio, quid sit resistentia & quomodo passum agenti resistat ? In quarto, an passum reagat in ipsum agens, & agens ab ipso passo repatiatur ?

CAPVT I.

An agens agat in passum sibi simile.

DVplex est similitudo, alia essentialis, alia gradualis, similitudo essentialis est quando habent aliqua duo formas eiusdem speciei ; quo pacto calidum, vt vnum, & calidum vt duo, vt sic formaliter, habent similitudinem essentialem, & specificam, quia calor vt vnum & calor vt duo sunt eiusdem speciei. Similitudo gradualis est quando duo habent formas aliquas in eodemmet gradu intensionis, qua ratione sunt similia duo calida vt vnum, vel duo calida 1

calida vt quatuor compertum est agens naturale posse in passum sibi simile essentialiter operari, si sit illi dissimile gradualiter, calidum enim vt tria in calido vt vnum, aliquem gradum caloris naturaliter producit. Dubium tamen est an agens naturale possit agere in passum sibi simile etiam gradualiter, verbi gratia, calidum vt vnum in aliud calidum vt vnum? Nonnulli affirmant. Ita Toletus hic capite 7. quæstione 13. Marsilius, Sotus, & Niphus relati à Conimbricensibus hic cap. 9. q. 2. art. 3.

Assertio tamen sit, agens naturale non potest agere in passum sibi simile, scilicet calidum vt vnum non potest agere in calidum, vt vnum, nec calidum vt duo in aliud calidum, vt duo, & sic de alijs. Hæc est communis inter Philosophos, & primum principium in Philosophia vt tradit Aristoteles in hoc libro 1. capite 7. text. 48. nam si simile vt tale ageret in sibi omnino simile, ageret in se ipsum, quod absurdum reputat, & 5. metaphysic. cap. 12. text. 17. & lib. ... capite 1. textu 2. definiens potentiam actiuam, ait, est principium transmutandi aliud, in quantum aliud, sed finis agentis est reddere simile sibi quidquid est aliud; ergo in omnino simile nihil aget, præterea Auerroes 4. physic. comm. 71. expresse ex Aristotele docet omnem physicam actionem vnius in alterum fundari in victoria & excessu, iuxta illud commune proloquium, actio procedit à proportione maioris inæqualitatis, sed omnimoda similitudo respuit victoriam, excessum excludit, ergo simile non potest in sibi simile agere. Ita etiam docet D. Thomas 1. de generatione capite 7. lect. 19. Suarez disput. 18. metaphysic. sect. 9. numero 7. Ioann. à sancto Thom. quæstione 5. de generatione art. 2. Complutenses 1. de generatione disputatione 8. quæstione 2. Bañez, Rubius, Conimbricenses, Arriaga, Carleton disputatione 10. de generatione sectione 4. & 5. Ioannes Martinius libro 1. de generatione cap. 9. quæstione 1. & communiter omnes.

Probatur, si calidum vt vnum posset agere in passum calidum etiam vt vnum, ageret in illo, vel primum gradum caloris, vel gradum secundum, sed nullum ex his potest, ergo calidum vt vnum non potest agere in passum calidum etiam vt vnum, atque ita non potest agere in passum sibi simile: & quidem calidum vt vnum non posse in passo calido vt vnum, primum gradum caloris producere, sic ostenditur: duo primi gradus caloris non possunt esse simul naturaliter in eodem subiecto, alius enim illorum esset superfluus, tum quia quinis eorum idemmet præstaret formaliter eidem subiecto, quod alius præstaret, scilicet esse formaliter calidum vt vnum, tum etiam quia superfluo duo gradus eiusdem qualitatis iunguntur, nisi reddant qualitatem magis extensam vel magis intensam, duo autem primi gradus caloris in eodem subiecto coniuncti non redderent qualitatem caloris magis extensam, quia extensio versatur necessariò circa diuersas partes subiecti, nec magis intensam, quia intensio petit necessariò gradus diuersæ rationis, vt monstraui supra disputatione 7. numero 26. atque ita duo primi gradus caloris superfluè in eodem subiecto iungerentur, quod valde exhorret animam, atqui in nostro casu passum habet iam primum gradum caloris cum sit calidum, vt vnum, vt supponimus, ergo agens calidum vt vnum non potest in illo primum gradum caloris producere.

Porrò non posse etiam in illo secundum gradum caloris producere sic monstratur, agens naturale non potest producere effectum, quem in se eminenter vel formaliter non contineat, sed agens calidum tantum vt vnum non continet in se eminenter, nec formaliter secundum gradum caloris: etenim secundus gradus est diuersæ rationis perfectior, ac excellentior gradu primo, vt monstratum est dicta disputatione 7. numero 26. & agens vt supponimus non habet nisi gradum primum; ergo non potest producere in passo gradum secundum.

Dicat autem quispiam, agens calidum vt vnum aliquando esse nimis densum, & extensiue plures partes caloris habere, quam passum calidum etiam vt vnum, quod sit nimis rarum, & ratione huius densitatis ac inæqualitatis posse agens calidum vt vnum in passo calido vt vnum secundum gradum caloris producere.

Sed contra primo, agens non potest naturaliter producere effectum, quem in se non continet eminenter aut formaliter, ideo enim intellectus sine lumine gloriæ non potest efficere visionem Dei, quia illam nullo modo continet, sed licèt agens calidum vt vnum sit nimis densum, pluresque extensiue habeat gradus caloris, omnes isti gradus simul non continent eminenter nec formaliter secundum gradum caloris, quia omnes illi gradus manent intra rationem gradus primi, qui est diuersæ rationis ac imperfectior gradu secundo, sicut infiniti gradus caloris non continent nec eminenter, nec formaliter primum gradum lucis quia omnes illi gradus manent intra rationem gradus caloris, qui est diuersæ rationis, & imperfectior luce; ergo licet agens calidum vt vnum nimis intensum sit, & plures extensiue habeat gradus caloris, non potest in passo raro calido etiam vt vnum secundum gradum caloris producere.

Secundò, si calidum vt vnum densum posset secundum gradum caloris producere in alio calido vt vnum raro, verbi gratia, ferrum calidum vt vnum in aqua calida vt vnum, sequeretur, quòd hæc duo possent se mutuo intendere vsque ad summum gradum caloris, quod est absurdum, & contra experientiam. Sequi autem sic probatur, si ferrum calidum vt vnum ageret in aqua calida vt vnum, secundum gradum caloris, iam aqua esset calida vt duo, ergo posset aqua calida vt duo agere in ferro calido vt vnum secundum gradum caloris. Deinde ferrum calidum vt duo ratione suæ densitatis ageret in aqua rara calida vt duo tertium gradum caloris, ergo aqua calida vt tria posset etiam in ipso ferro calido vt duo agere tertium gradum caloris.

Postea ferrum calidum vt tria ratione suæ densitatis ageret in aqua calida vt tria quartũ gradum caloris, igitur aqua calida iam vt quatuor ageret etiam in ipso ferro calido vt tria quartum gradum caloris, & sic de alijs vsque ad gradum summum, ergo si simili ratione suæ densitatis agit in simile gradum aliquem perfectiorem poterunt duo calida vt vnum vsque ad gradum summum se intendere.

Obijciat aliquis primò, quando Sol irradiat in speculo per reflexionem intensius lumen

lumen producitur in aëre proximo, quam in aëre intermedio vt demonstrat experientia, ergo lumen remissum quod est in aëre intermedio, vel in speculo producit in illo aëre proximo lumen intensius, ac proinde simile lumen intendit, & agit in sibi simile. Respondeo, lumen intensissimum solis agens actione continua per intermedium spatium producere in speculo tanquam in subiecto aptiori lumen intensius, quam in spatio intermedio, quod quidem lumen intensius in speculo productum actione reflexa intendit lumen, quod erit remissum in aëre proximo, atque ita numquam lumen remissum agit intensius, nec intendere valet aliud lumen sibi simile. Idem argumentum fit, & eodem modo soluitur in calore, qui per reflexionem intenditur à corpore opaco.

6 Obijciat secundò, aqua congelatur ab aëre, qui in illa frigiditatem producet, & tamen frigiditas talis aquæ est intensior frigiditate aëris, cum aër non congeletur, ergo aliqua frigiditas in passo frigido intensiorem aliam frigiditatem producit, ac proinde agit in simile. Respondeo, aquam congelatam non habere in se maiorem frigiditatem, quam aër infrigidans, à quo congelatur, licèt ob aquæ congelatæ densitatem, magis eius frigiditas sentiatur quam frigiditas aëris, densitas enim in agente, licèt non conducat, vt qualitas illius agat gradum aliquem se perfectiorem vt monstraui num. 3. deseruit verò vt talis qualitas, melius, celerius, ac citius, & secundum omnem suam intensionem qua potest agere operetur, & ideo eius effectus magis sentitur, quam effectus alterius similis, & æque intensæ qualitatis, quæ sit in subiecto non denso. Nec obstat, quod aër sua frigiditate non congelatur, sicut aqua, congelatio enim non prouenit à sola frigiditate, aqua enim suæ nturæ relicta non esset congelata, & tamen esset summe frigida, sed prouenit etiam à siccitate, aut alijs qualitatibus quæ in aëre non reperiuntur.

7 Obijciat tertiò, ferrum candens non habet in se calorem summe intensum, aliàs non retineret formam ferri, sed haberet formam ignis, & tamen in stupa, aut alio passo approximato summe intensum calorem producet, cum in illo producat ignem, ergo vnus calor potest similem calorem magis intendere, & agere in simile. Respondeo intra poros ferri latere aliquas particulas ignis in quibus est calor summe intensus, à quo alius calor summe intensus in passo approximato
8 producitur.

Obijciat quartò, qualitas seipsam intendit, frigiditas enim aquæ putealis, quando aqua tempore æstiuo à suo contrario scilicet calore obsidetur, intensior fit ac erat tempore hyemis, vt testatur experientia, ergo vna qualitas potest etiam aliam similem qualitatem intendere, & agere in passum sibi simile. Respondeo, alijs solutionibus prætermissis, tempore hyemis latere in visceribus aquæ putealis, quasdam exhalationes calidas, quæ ob densitatem medij frigore nimio compressi, non possunt sublime petere sed manent intra ipsam aquam, & eius frigiditatem diminuunt, atque ideo tunc aqua non est intense frigida, cum verò tempore æstiuo talis aqua putei à suo contrario scilicet calore obsidetur, iam medium non est frigore compressum, sed calore dilatatur, & calidæ illæ exhalationes supra conscendunt & aquam deserunt, & illa ad suam naturalem ac intensam reducitur frigiditatem, quæ quidem non ab antiqua frigiditate remissa, sed ab ipsa substantia aquæ producitur, quia est passio illius. Et hoc vocant Philosophi qualitates à suo contrario obsessas per Antiperistasim magis roborari, ac intendi. Consule de hac re Suarez dicta disputat. 18. metaphysic. sect. 9. à numero 14.

Obijciat quintò, si duo specula sibi mutuo è 9
regione opponantur, erunt in eodem medio duæ simul species intentionales, alia directa, altera reflexa eiusdemmet obiecti, sed tales species sunt qualitates quædam eiusdem prorsus rationis, ergo duæ qualitates eiusdem prorsus rationis, possunt esse naturaliter in eodem simul subiecto, ergo calidum, vt vnum poterit in alio calido vt vnum, licet habeat primum gradum caloris alium primum gradum caloris eiusdem rationis producere, ac proinde agere in simile.

Respondeo, quamuis speciem intentionalem ex illis habere aliquid in modo repræsentandi obiectum quod non haberet alia, nam species directa repræsentaret obiectum quasi à fronte, species verò reflexa illud repræsentat quasi à tergo, & ideo nulla illarum est superflua, licet simul sint in eodem subiecto. Si autem duo primi gradus caloris essent simul in eodem subiecto, vnus non haberet, nec daret subiecto aliquid, quod non haberet, ac daret formaliter alius & ideo vnus illorum esset superfluus, ac proinde illi duo gradus primi non possunt in eodem subiecto naturaliter inueniri. 10

Hæc autem quæ hucusque diximus, solum intelligenda sunt de qualitatibus quæ sunt eiusdem rationis, ac speciei, vna enim ex istis non potest aliam similem æque intensam magis intendere, vt probatum est; si verò tales qualitates sint diuersæ speciei, & vna eminentior alia, recte poterit vna qualitas aliam æque intensam magis intendere, verbi gratia lux vt quatuor potest agere calorem vt sex, quia cum lux ex genere suo sit excellentior calore, continet eminenter intensionem illam maiorem caloris, quod sufficit, vt possit talem intensionem producere.

CAPVT II.

An agens naturale possit passum sibi perfectè assimilare.

SEnsus quæstionis est, an calidum vt quatuor possit naturaliter in passo caloré vt quatuor producere, vel lucidum vt sex possit in passo producere lucem vt sex, hoc enim est agens sibi passum in intensione perfectè assimilare. Vbi sermo non est de actione substantiali sed de accidentali, nec de accidentali extensiua, sed de intensiua, vt constat exemplis adductis. 11

ASSERTIO sit, agens naturale non potest directè passum sibi perfecte assimilare. Ita auctores citati capite præcedenti numero 2. & Carleton 7. de alteratione sectione 6. Ioannes Martinius libro 1. de generatione cap. 9. quæst. 1. & primum de qualitate habente contrarium sic ostenditur: calidum, verbi gratia, agens in passum frigidum repatitur ab illo aliquem gradum frigoris, quo eius calor minuitur, etsi

ersi antea erat calidum vt sex, fit iam calidum tantum vt quatuor, ergo non potest iam agere in frigido sex gradus caloris, quos antea calidum habebat, sed tantum quatuor, ergo calidum illud vt sex non potest passum sibi perfectè assimilare. Idem de qualitate nullum habente contrarium verbi gratia de luce sic monstratur, si lux v. g. vt quatuor posset in passo approximato lucem vt quatuor producere, quæuis exigua lucerna, quæ hic lucem vt quatuor produceret, totum vniuersum illuminaret, nam illa lux vt quatuor ageret in passo immediato alteram lucem vt quatuor & hæc aliam, & sic in infinitum, quod est absurdum, igitur dicendum est lucem vt quatuor tantum producere lucem vt tria, & lucem vt tria agere vt lucem vt duo, & lucem vt duo efficere lucem vt vnum, atque ita lux numquam facit aliam lucem perfectè similem.

12 Obijciat aliquis primo sicut gradus primus caloris potest producere alium gradum caloris primum, ita gradus octauus caloris potest producere alium gradum caloris octauum, cum eadem sit ratio, & gradus primus sit longe nobilior primo, sed si vna qualitas non posset aliam sibi perfectè assimilare, gradus octauus non posset producere naturaliter alium gradum octauum caloris, numquam enim eius potentia posset reduci ad actum, alioquin qualitatem caloris produceret sibi perfectè similem, ergo vna qualitas potest aliam sibi perfectè assimilare. Respondeo, vnum gradum intensionis non posse alium naturaliter producere sibi similem nisi ab alio gradu superiori foueatur, aliàs nulla in agente naturali daretur sphæra actiuitatis vt in assertione diximus, cum autem gradus primus caloris foueatur à gradu secundo, potest alium gradum primum caloris producere, quem producere non valeret, nisi foueretur à secundo: cum verò gradus octauus non habeat supra se alium superiorem gradum, nec illum possit habere naturaliter, à quo foueatur, ideo naturaliter non potest alium gradum octauum producere, nec obstat quod gradus octauus sit excellentior primo qui est operatiuus, nam etiam substantia angelica est excellentior substantia corporea, & tamen hæc est operatiua alterius substantiæ non illa, & etiam dici potest gradum octauum esse operatiuum aliorum graduum inferiorum, vt probabilis opinio fert.

13 Obijciat secundò demus, quod lux vt quatuor sit proximè applicata passo, arguo sic, gradus quartus lucis tam operatiuus est alterius gradus quarti lucis, ac gradus primus lucis est operatiuus alterius gradus primi eiusdem lucis, & tam applicatus est passo vnus ac alius. Sed gradus primus lucis producit in passo alium gradum primum lucis; ergo gradus quartus lucis agit etiam in passo alium gradum quartum lucis, igitur lux vt quatuor producit alteram lucem vt quatuor sibi perfectè similem.

Respondeo, in prædicto casu gradum primum lucis habere supra se gradum secundum, tertium, & quartum à quibus foueatur, & ideo producere alium gradum primum lucis, gradum verò quartum lucis non habere tunc supra se gradum alium superiorem, à quo foueatur, quia ibi non datur, vt supponimus gradus quintus, & idcirco non agere alium gradum quartum lucis non ex defectu actiuitatis, aut approximationis ad passum, sed ex defectu illius conditionis, quam experientia mõstrat necessariò ad agendũ requiri.

Obijciat tertiò: substantia, verbi gratia, ignis producit alium ignem sibi perfectè similem, ergo accidens v. g. calor agit alium calorem sibi etiam perfectè similem. Respondeo, sicut substantia ignis v. g. producit aliam substantiam ignis sibi perfectè similem specifice & essentialiter, ita qualitatem caloris agere aliam qualitatem caloris sibi perfectè similem specifice & essentialiter, at verò sicut qualitas caloris intensa non producit aliam qualitatem caloris sibi perfectè similem intensiue & gradualiter, non ita substantiam ignis non agere aliam substantiam ignis sibi similem intensiue, & gradualiter; tum quia substantia non habet gradualem intensionem vt monstraui disp. 7. n. 51. tum etiam quia cum substantia sit quasi prima ratio ac fundamentum totius esse rei, si semper vna substantia aliam deteriorem produceret, non esset aliquid à quo tale damnum ac dispendium resarciretur, atque ita cito corrueret; aliter se res habet in qualitate, nam licèt qualitas intensa caloris aliam imperfectiorem, ac remissiorem producat, eius dispendium potest resarciri à substantia ignis, à qua calor intensus resultat. 14

CAPVT III.

Quid sit resistentia, & quomodo passum agenti resistat.

REsistentia est triplex, alia negatiua, alia effectiua, alia formalis. Resistentia negatiua datur quando aliquod corpus est incapax ad recipiendum actionem, aut qualitatem agentis, quo pacto corpus cæleste calefactioni, & corpus opacum illuminationi resistit. Resistentia effectiua datur, quando passum sua actione expugnat agens, & eius vires debilitat, quibus agebat in illud, qua ratione passum frigidum resistit agenti calido agendo in illo frigiditatem, & eius calorem minuendo, quo in passum frigidum agebat. Resistentia formalis est ratio illa qua sine vlla actione passum actionem agentis remoratur, de qua præcipue in hoc capite disserimus, & eius rationem inuestigamus. 15

ASSERTIO ergo sit, resistentia formalis est forma illa, quæ ratione suæ naturæ ac informationis petit à Deo aliquo modo conseruari ad præsentiam agentis contrarij & habet oppositionem ac impossibilitatem cum illo, ratione cuius eius actionem impedit, aut retardat. Hoc modo resistit saxum durissimum conanti ipsum scindere, nam illa durities ac vnio, qua illæ partes saxi inter se constipatæ sunt, petit à Deo aliquo modo conseruari ad præsentiam agentis, quod conatur illud scindere, & cum eius scissione incompossibilitatem habet, & ideo eius actionem retardat. similiter frigus intensum ratione suæ informationis etiam secluſa reactione petit conseruari à Deo ad præsentiam caloris remissi, vel parum intensi, & eius calefactionem impedit, aut retardat, quia etiam formaliter ratione sui habet oppositionem & incompossibilitatem cum illa, & ideo illi formaliter resistit. 16

Hæc est doctrina Philos. in præs. c. 7. D. Thom. in 4. dist. 11. q. 1. art. 1. quæstiunc. 3. ad 2. & dist. 3. q. 1. a. 3. q. 1. ad 3. M. Bañ. 1. de gen. c. 5. q. 3. Ioan. à S. 17

Thoma quæstione 5. de generatione articulo 3. Ioannes Martinius libro 1. de generatione cap. 9. quæstione 1. Carleton, Arriaga & aliorum, quam ratione probamus manifesta, quia resistere ex proprio conceptu nihil aliud est, quam retardare, seu impedire aliud ne fiat, quod potest, vel non ita facile, vbi autem agentia sunt contraria, cum detur pugna inter illa, quia actio vnius conatur destruere, vel minuere alterum, consequenter datur debilitatio virtutis vnius ab altero, virtus autem debilitata retardatur, & impeditur, ergo resistitur illi, vt cum ignis agit in aquam, vel è contra, vel ex defectu alicuius dispositionis, vt cum agens impedit, ne agat, aut ne explicet totam suam virtutem, vt cum calor informans aquam resistit illi ne redeat in suam pristinam frigiditatem, quæ licèt non sit resistentia actiua, quia accidens non potest agere in subiectum, erit formalis per quam petit à Deo aliquo modo conseruari ad præsentiam agentis contrarij, cum habeat oppositionem ac impossibilitatem cum illo, & ratione cuius eius actionem impedit, & retardat.

18 Hinc colligo primo dari posse veram resistentiam formalem sine potentia ad agendum, saxi enim durities non agit, & tamen scissioni formaliter resistit, & ratio à priori est, quia hæc resistentia non conuenit rei ratione actionis, sed tantum ratione suæ naturæ, ac informationis, vt patet ex dictis.

Colligo secundò, posse in eadem qualitate inueniri resistentiam formalem, & potentiam ad agendum, vel (quod idem est) potentiam resistitiuam, & potentiam actiuam, quæ tantum ex modo concipiendi distinguantur penes diuersa connotata, eadem enim qualitas frigoris vt connotat gradum frigoris quem potest producere, est potentia actiua, & vt connotat calefactionem, quam impedit formaliter, ac retardat, dicitur potentia resistiua.

Colligo tertiò, posse eandemmet qualitatem esse multum actiuam, & parum resistitiuam, & è contra, nam experientia demonstrat calorem magnam actiuitatem habere, & resistentiam exiguam, & ratio etiam suffragatur, quia hæc resistentia non est ad mensuram actionis, sed ad mensuram ipsius naturæ, & informationis, ratione cuius petit conseruari à Deo ad præsentiam agentis, & habet oppositionem cum illo.

19 Vnde etiam perspicuum est actionem non posse dari nisi à proportione maioris inæqualitatis, vt commune fert Philosophorum axioma, quod quidem non ita debet intelligi, vt agens debeat esse magis intensum, quam passum, vt possit agere in illud; calidum enim vt tria agit sæpe in frigidum, vt quatuor sed ita explicari debet, vt agens maiorem habere debeat virtutem ad agendum, quam passum ad resistendum, aliàs non aget in illud. Ratio est manifesta, quia quando agens agit in passum, verbi gratia calidum, agit in frigidum, datur victoria ex parte agentis, quod actiuitate sua debellat & vincit resistentiam frigidi, sed non posset agens calidum vincere resistentiam frigidi nisi maiorem haberet virtutem ad agendum, quam passum frigidum ad resistendum, ergo vt agens agat in passum, v. g. calidum in frigidum debet esse maior virtus in agente ad agendum quam in passo ad resistendum; & hoc modo oritur actio à proportione maioris inæqualitatis.

Sed quærat quis, quænam ex primis qualitatibus sint magis actiuæ, & quænam magis resistitiuæ? Dico eas esse minus resistitiuas, quæ sunt magis actiuæ, & quæ sunt minus actiuæ, esse magis resistitiuas. Vnde calor est summe actiuus, deinde frigus, postea humor, demum siccitas, & è conuerso, siccitas est summe resistitiua, deinde humor, postea frigus, demum, calor. 20

Dices, humiditas debellat, & expellit siccitatem, & eius resistentiam vincit; ergo si humiditas est in tertio loco actiua, siccitas non est summe resistitiua, aliàs ab humoris actiuitate resistentia siccitatis non vinceretur.

Respondeo, resistentiam siccitatis esse summam, non quia omnem actiuitatem deuincat, sed quia maior est quauis alia resistentia alterius primæ qualitatis, ac proinde licèt in hoc sensu siccitas sit summe resistitiua, rectè potest ab humore vinci eius resistentia.

Hic controuerti solet, an res aliqua in primo & secundo instanti agenti resistens, eademmet omnino in sua virtute non immutata, in tertio instanti non valeat eidem agenti resistere? Recentiores quidam sæpè hoc euenire affirmant, vt sic motus velocitatem ac tarditatem per plures, ac pauciores morulas defendant, sed id sane non percipio, nam in causis naturalibus ac physicis idem quatenus idem semper est natum facere idem. Sed in tertio instanti manet in re eademmet virtus resistitiua nullo modo immutata, quæ erat in primo & secundo instanti, & eadem etiam est in agente virtus, quæ antea erat; ergo si in primo & secundo instanti hæc virtus resistitiua rei resistebat illi virtuti actiuæ agentis, etiam in tertio instanti eadem virtus resistitiua rei resistet eidemmet virtuti actiuæ eiusdem agentis. 21

CAPVT IV.

An passum reagat in ipsum agens, & agens ab ipso passo repatiatur.

REactio est actio reciproca, qua passum aliquid producit in agente, quod agit directè in illud, vt quando frigidum producit frigiditatem in calido, à quo ipsum calefit. Repassio est passio reciproca, qua agens recipit aliquid à passo, quod patitur directè aliquam formam ab illo, vt quando calidum recipit frigiditatem à passo frigido, quod patitur calorem ab ipso: vt autem passum reagat in ipsum agens, & agens à patiente repatiatur, requiritur primo quod agens sit capax ad recipiendum effectum passi, vnde inter cælum, & hoc Vniuersum sublunare non datur reactio, aut repassio, quia licèt cælum in illud agat, non est capax ad recipiendum aliquem effectum illius. Secundo requiritur, quod agens sit intra sphæram actiuitatis patientis, vnde si calidum agens in frigidum non sit intra sphæram actiuitatis frigidi, non repatietur ab illo. Controuersia verò est, an quando agens est intra sphæram actiuitatis sui passi, & est capax effectus illius, ita agat in illud, vt passum simul reagat in ipsum agens, & hoc repatiatur ab illo. 22

ASSERTIO sit, agens quando agit in passum sibi contrarium, repatitur ab illo, & passum reagit in ipsum ita vt reciproce se debellent, licèt fortius 23

fortius tandem vincat. Ita Aristoteles in hoc libro 1. de generatione capite 7. textu 14.& Diuus Thomas ibidem lect.10. libro 2. cap.4. & libro 3. physic.cap.2.sed expresse eam tradit 4.lib. de generatione animalium capite 3. ijs verbis, *Omne agens patitur etiam à patienti, vt quod secat, hebetatur ab eo quod secatur: quod calescit, refrigeratur à calescente, denique quodcumque mouet excepto primo, mutuò mouetur aliquo motuò* quam tenent etiam Medici, vt Galenus & Auicenna Conimbricenses hic capite 9. quæstione 3. Complutenses libro 1. de generatione disputatione 8. quæst. 4. Ioann. à sancto Thoma quæstione 5. de generatione articulo 4.& plures ex antiquis, & recentioribus, Ioannes Martinius libro 1. de generatione quæstione 2. Arriaga disputatione 3. de generatione sect.12. Carleton disputatione 8. de generatione sectione 1.& 2.

24 Probatur primò experientia, qua videmus ferrum candens aquæ frigidæ immersum illam calefacere,& refrigerari ab illa. Secundò, quia sine hoc qualitatum congressu, quo mutuo se debilitant, & expugnant, non generarentur corpora mixta quæ ad illas qualitates sic continua pugna refractas consequuntur. Tertiò à priori, quia vt aliquid agat in aliud, sufficit, quod habeat virtutem actiuam, & aliud sit capax eius effectus, & intra sphæram illius, & maior sit eius actiuitas, quam resistentia istius, sed quando aqua calida agit in niuem illam calefaciendo, nix habet virtutem actiuam ad refrigerandam aquam, & aqua est capax eius effectus, & intra sphæram illius, ac maior est actiuitas niuis ad refrigerandum, quam resistentia aquæ calidæ, quia calor parum resistit, ergo nix reaget in ipsam aquam calidam,& hæc repatietur à niue.

25 Obijciat aliquis primò, non potest idem subiectum contrarijs simul motibus alterari, vt probatum est in physica disputatione 23. cap. 7. sed si agens quando agit in passum, ab illo repateretur, idem subiectum contrarijs simul motibus alteraretur, verbi gratia, frigefactione, & calefactione, ergo agens quando agit in passum non repatitur ab illo.

Minor: probatur primò: ponamus, quod ignis quatuor palmorum agens in niuem tantum secundum primum palmum ignis sit intra sphæram actiuitatis niuis, arguo sic, in illo instanti, in quo ignis agit calorem in niue, nix agit aliquem gradum frigoris in primo palmo ignis, vt tu asseris, atque ita ille primus palmus ignis alteratur motu frigefactionis, atqui in eodem etiam instanti tres alij palmi ignis posteriores producunt calorem in primo illo palmo ignis, nam calorem producunt in niue, quem producere non possent, nisi efficerent eum calorem in spatio intermedio, scilicet in primo illo palmo ignis, atque ita primus iste palmus ignis mouetur etiam in illo instanti motu calefactionis; ergo si agens in passum ab ipso passo repatitur formam contrariam, idem subiectum scilicet idem palmus ignis motibus contrarijs alteratur, scilicet frigefactione & calefactione. Secundò probatur eadem minor, ponamus, quod inter ignem & niuem interijciatur spatium vnius palmi, ignis producit calorem in niue, atque ita illum etiam calorem producit in illo spatio intermedio, quia agens non potest agere in distans nisi etiam agat in medio iuxta dicta supra in Philosophia disp.29.cap.1. similiter nix per te reagit in ipsum ignem frigiditatem, atque ita eam etiam frigiditatem producit in illo spatio intermedio, ob rationem dictam, ergo illud spatium intermedium simul incalescit, ac frigefit, igitur si passum reagit in ipsum agens, idem subiectum contrarijs simul motibus alteratur.

Respondeo, negando minorem scilicet sequi, 26
quod idem subiectum simul contrarijs motibus alteretur. Ad primam eius probationem dico, in eo instanti, in quo nix sua actiuitate vincit resistentiam illius ignis, & in primo ignis palmo gradum aliquem frigiditatis reagit, alios tres palmos ignis posteriores non efficere calorem in primo illo palmo ignis, quia licet in eo instanti calorem in niue producant, ad id tamen non requiritur, quod efficiant illum calorem in primo palmo ignis, sed quod totus ignis, quod vnum constituit agens secundum aliquid sui sit approximatus niui, hoc enim sufficit, vt talis ignis secundum omnes sui partes in niuem calorem influat. Ad secundam dico in prædicto casu ignem, & niuem producere calorem, & frigus in illo spatio intermedio, non verò in gradu, in quo tales formæ contrariantur, nam si ignis agit in niue, & in illo spatio medio, quinque gradus caloris, nix reaget tantum in igne,& in eodem spatio medio tres gradus frigoris; calor autem vt quinque & frigus vt tria, contrarietatem non habent, & si ignis agit in niue, & in illo spatio medio calorem vt quatuor, nix reaget in igne, & in eodem spatio medio frigus vt quatuor, quæ quidem non sunt contraria, etiam in eodem subiecto ac proinde numquam idem subiectum contrarijs motibus alteratur.

Obijciat secundò, aut agens est fortius passo 27
aut æquale, seu debilius: si fortius; ergo semper vincit, illud, & numquam vincitur, nec repatitur ab illo, si verò sit æquale, vel debilius, ergo numquam agit in passum, sed tantum patietur ab illo.

Respondeo, agens v. g. calidum fortius esse in agendo, quam passum scilicet frigidum sit in resistendo, & ideo agere in illud, & è contrà, etiam passum nempè frigidum fortius esse in agendo, quam agens scilicet calidum sit in resistendo iuxta dicta supra num. 18. & ideo passum reagere etiam in ipsum agens, & hoc repati frigiditatem ab illo.

Obijciat tertiò, agens sibi assimilat perfectè 28
passum, nam ignis, qui est calidus vt octo, agit in passo alium ignem, qui etiam habet calorem vt octo, atque ita agens, & passum etiam in calore fiunt similia perfectè, sed si agens à passo repateretur, & aliquod haberet suæ qualitatis dispendium non assimilaret sibi perfectè passum iuxta dicta supra numero decimo. ergo agens non repatitur à passo.

Respond. agens per actionem accidentalem non posse directè sibi assimilare perfectè passum vt monstraui dicto num. 10. posse tamen illud sibi assimilare indirectè, etiam si repatiatur ab illo, nam ad hoc vt ignis agat in passo alium ignem, sufficit, quod in illo producat sex aut septem gradus caloris, ex quibus cum siccitate ignis genitus resultat, ex quo emanat calor vt octo, & cum postea ignis generans semoto contrario damnum sibi ab illo illatum resarciat, & ad pristinum octauum caloris gradum se naturaliter reducat, agens, & passum saltem indirectè manent in calore similia perfectè.

29 Hic solet discuti, an semper necessaria sit realis distinctio iner agens, & passum. Videtur sauere illud Aristotelis pronunciatum: omne, quod mouetur, ab alio mouetur. Sed intelligendum est, vt veritatem contineat, de motu, id est, de causalitate, ac productione rei, vt sensus illius sit omne, quod producitur, ac causatur ab alio debet causari, ac produci, cum nulla res possit esse causa sui ipsius, & inde etiam cum dari non possit processus causarum in infinitum, vnum primum motorem causam increatam ac Deum Philosophus deprehendit. Censeo ergo non semper esse distinctionem reipsa inter agens, & passum; nam grauia, & leuia seipsa mouent, hæc sursum, illa deorsum, & omnes potentiæ vitales ab intrinseco mouentur, & idem est agens & patiens in illis, vt dicam in libris de anima.

Et hæc de Tractatu primo in librum primum, de generatione & corruptione dicta sint satis.

TRACTATVS SECVNDVS,

In librum secundum de generatione, & corruptione.

POSTQVAM Aristoteles in primo libro, de generatione, augmentatione, alteratione, & alijs ad id attinentibus disseruit, iam in hoc secundo libro, de elementis, eorumque qualitatibus, transmutatione, grauitate, ac leuitate disquirit, nec non de mixtione, mixtis, varijsque eorum temperamentis disceptat. Cuius nos doctrinam, quæ non tam vtilitati, quam curiositati inseruit, sequenti disputatione explanabimus.

DISPVTATIO IX.

De elementis, eorum qualitatibus, ac Mixtis.

SEPTEM capita continebit. In primo inquiro, quænam elementa sint, & an maneant formaliter in mixto? In secundo, quæ sint primæ qualitates, & quomodo singulis elementis conueniant? In tertio, an qualitates symbolicæ sint diuersæ, an eiusdem speciei? In quarto, quo pacto elementa transmutentur? In quinto, quam figuram, ac situm habeant elementa? In sexto, enodantur dubiola circa grauitatem, ac leuitatem elementorum. In septimo, de mixtione, ac mixtis & eorum temperamentis.

CAPVT III.

Quænam elementa sint, & an maneant formaliter in mixto.

1 SVmitur elementum varijs modis. Primo, pro quouis principio constitutiuo alicuius rei, qua ratione litteræ dicuntur orationis elementa. Secundo, pro principio generationis, quo pacto, materia, forma & priuatio, quæ sunt generationis principia etiam elementa dicuntur. Tertio, pro sola materia prima, quæ, quia ex illa omnia hæc sublunaria procreantur, solet elementum vocari. Quarto, pro quatuor vulgatis, scilicet igne, aëre, aqua, & terra de quibus alijs omissis, solum agimus in præsenti.

2 Elementum sic ab Aristotele 5. met. capite 3. text. 4. definitur: *Est id, ex quo primum insito, ac indiuisibili specie in aliam speciem aliquid componitur.* Hoc est, elementum non componitur ex alijs specie diuersis: & alia compouuntur ex ipso. Hæc tamen definitio etiam conuenit materiæ primæ & formæ substantiali, quæ ex alijs diuersis in specie non componuntur, & tamen ipsæ alia, scilicet elementa naturalia componunt, idem autem Aristoteles libro 3. de cælo capite 3. text. 31. aliam strictiorem elementi definitionem constituit, ait enim elementum esse id, *in quod cætera corpora diuiduntur, in quibus ineſt, aut potentia, aut actu, ipsum autem est indiuisibile in diuersa secundum speciem.* Hæc definitio solum conuenit vulgatis elementis, non verò materiæ, aut potentiæ substantiali secundum se: nam illa verba, *cætera corpora.* indicant vulgata elementa quæ definiuntur, esse etiam corpora completa quod materiæ & formæ non potest conuenire, explicatior tamen est elementi definitio, quam tradit Collegium Conimbricense hic cap. 3. quæstione 1. articulo 1. scilicet *elementum est corpus simplex, in quod alia corpora resoluuntur.* Corpus excludit materiam & formam, quæ non sunt corpora, sed partes corporis. Simplex excludit mixta quæ simpliciter non sunt, in quod alia corpora resoluuntur, excludit corpora cælestia, quæ cum non sint virtualiter in mixtis in illa non resoluuntur corta mixta.

3 Hæc autem elementa sunt quatuor, non plura pauciora vè, nimirum ignis, aër, aqua, & terra. Ita omnes Philosophi communiter. Probatur, cuilibet elemento conuenit prima qualitas in summo, ita vt vna non possit competere duobus elementis aut alteri mixto in gradu summo, nec duæ qualitates

tates summæ possint vni elemento competere, sed singulæ primæ qualitates singulis elementis in gradu summo adaptantur, vt ex dicendis constabit, sed sunt tantum, quatuor, primæ qualitates scilicet calor, frigus, humor, & siccitas vt capite secundo dicemus, ergo sunt etiam quatuor præcisè elementa, scilicet ignis, aer, aqua, & terra, & non pauciora, nec plura.

4 Sed obserua prædicta elementa non constitui tantum formis accidentalibus nimirum primis illis qualitatibus præfatis, vt aliqui voluerunt, sed formis substantialibus essentialiter componi. Ita communis Peripateticorum schola cum suo Principe Aristotele quem sequuntur antiqui & moderni, quos referunt, & sequuntur Conimbricenses libro 2. de generatione quæst. 1. artic. 2. Auersa qu. 41. de elementis sect. 3. Complutenses Suarez, Arriaga, Ioan. à S. Thoma qu. 1. de elementis, Ioan. Martinius cap. 1. disp. 2. lib. 12. de generatione sect. 5. Hurtado, Carleton, & communiter omnes. Probatur, quodlibet elementum secundum suam essentiam est ens per se, sed si tantum constitueretur ex materia & forma accidentali, non esset ens per se, sed ens per accidens, accidens enim cum substantia ens per accidens constituit; ergo elementum non constituitur secundum suam essentiam forma accidentali, sed substantiali.

Confirmatur, aqua substantialiter, & specifice differt ab igne, sed non differt substantialiter & specifice ab illo ratione materiæ, quæ in omnibus entibus sublunaribus est eiusdem speciei. vt ostendimus in physic. disput. 6. capite 2. ergo datur in quouis istorum præter materiam primam altera pars substantialis, & specifica, per quam differant substantialiter, & essentialiter; sed id appellamus formam substantialem, ergo elementum constat ex forma substantiali.

5 Hoc ergo posito inquirimus, an elementa secundum suas formas substantiales maneant formaliter in mixto, an verò tantum maneant in illo virtualiter, quatenus eorum qualitates, & accidentales virtutes maneant in ipso. Antiqui quidam Philosophi autumarunt elementa secundum formas substantiales in mixto formaliter manere, quos postea sequuti sunt M. Albertus, Philopponus, Gregorius & alij plures, maximè rei medicæ professores, quos citant, aut memorant Conimbricenses lib. 1. de generatione cap. 1. quæst 3. art. 2.

6 Assertio tamē sit, formæ substantiales elementorum non manent formaliter in mixtis, sed tantum dicuntur elementa in mixtis manere virtualiter, quatenus eorum qualitates, ac virtutes insident in illis. Ita Aristoteles, D. Thomas & omnes Philosophi communiter, quos recensent Conimbricenses vbi supra, & relati auctores numero 4. Probatur, si formæ substantiales elementorum manerent in mixto, vel essent simul in eadem parte materiæ, vel in diuersis materiæ partibus eiusdem mixti, sed nec in eadem parte materiæ, nec in diuersis materiæ partibus eiusdem mixti, possunt dari naturaliter formæ substantiales elementorum, ergo formæ substantiales elementorum non manent formaliter in mixto. Ac primum formas elementorum substantiales non posse esse simul in eadem parte materiæ iam supra in Philosophia disput. 10. cap. 4. monstrauimus. Deinde non posse esse in diuersis materiæ partibus eiusdem mixti: probatur primo, materiæ, quæ habent diuersas specie formas substantiales non possunt naturaliter continuari, nam continuatio est inter res eiusdem speciei, sed formæ substantiales elementorum sunt diuersæ in specie, ergo partes materiæ, in quibus hæ formæ insident, non possunt naturaliter continuari inter se, atqui omnes partes materiæ eiusdem mixti sunt inter se continuæ, ergo formæ substantiales elementorum non possunt naturaliter esse in diuersis materiæ partibus eiusdem mixti. Probatur secundo, partes quæ habent diuersas specie formas substantiales, quales sunt formæ elementorum, non sunt homogeneæ, sed etherogeneæ, tam substantialiter, quam accidentaliter, sed partes mixti, v.g. auri, aut argenti sunt homogeneæ, ergo in partibus mixti, non sunt diuersæ formæ substantiales elementorum. Probatur tertio, si in auro essent formaliter forma substantialis ignis, & forma substantialis aquæ, vna pars auri calefaceret, & combureret, & alia infrigidaret, & humectaret passum sibi approximatum, atqui tales effectus in eo mixto, scilicet in auro non experimur; ergo in partibus illius non insidet formaliter forma ignis, & forma aquæ.

7 Objiciat autem quis primo, quando duo elementa congrediuntur, vel vnum est fortius alio, & tunc illud in se conuertet, vel est debilius illo, & tunc conuertetur in ipsum, vel habent æquales vires, & tunc nullum ex illis ab altero destruetur, sed manebit forma substantialis vtriusque & tamen tunc datur mixtum, ergo formæ substantiales vtriusque elementi manent formaliter in mixto. Respondeo quando elementa quæ cogrediuntur, habent æquales vires se mutuo expugnare, & proprias virtutes ac qualitates infringere, quæ quidem qualitates sic refractæ non valent conseruare formas substantiales illorum elementorum, sed tantum materiam illam disponunt proximè ad formam substantialem mixti, quæ in ea materia disposita, formis alijs elementorum destructis, introducitur, ac proinde non manent in mixto formæ substantiales elementorum, sed tantum eorum qualitates, ac virtutes.

8 Objiciat secundo, vbi sunt passiones, ac proprietates alicuius substantialis formæ, ibi manet ipsa forma, quæ habet connexionem cum illis, sed in quouis mixto manent primæ qualitates, quæ sunt passiones, ac proprietates formarum substantiarum elementorum, ergo in quouis mixto manent etiam ipsæ formæ substantiales elementorum. Respondeo primas qualitates esse proprias passiones elementorum, non quidem in gradu remisso, sed in gradu summo, vel excellenti, cum autem in mixto hæ qualitates non maneant in gradu summo, vel excellenti, sed refractæ, & ad mediocritatem reductæ, ideo non manent tales qualitates in mixto, quatenus sunt propriæ passiones elementorum, ac proinde nec ipsa elementa manent formaliter in illo.

9 Objiciat tertio, quodlibet corpus resoluitur in ea, quæ sunt formaliter in ipso, sed mixtum resoluitur in elementa, cum enim lignum accenditur resoluitur in aquam, scilicet in vaporem, qui ex illo exit, in terram scilicet, in cinerem, in aerem, scilicet in fumum, & in ignem, scilicet in flammam accensam, ergo talia elementa sunt formaliter in mixto. Respondeo mixtum non resolui in ea, quæ in se formaliter habeat, sed tantum in ea, cuius dispositionibus eius materia præparatur, ac disponitur, cum ergo matetia ligni in casu argumenti præparetur dispositionibus ignis, fumi, cineris, & vaporis, ideo resoluitur tale lignum in ignem, cinerem, fumum, & vaporem,

non

non verò quia ista omnia essent formaliter in ipso ligno, maxime cum illa tria, scilicet cinis, fumus, & vapor non sint elementa terræ, aëris, & aquæ, sed quædam mixta imperfecta illis simillima.

10 Obijciat quartò, elementa aliquo modo manent in mixto, vt omnis schola fatetur, sed non dicuntur manere elementa in mixto, quia eorum virtutes & qualitates in ipso insideant, alioqui vnum elementum maneret, ac esset in alio, v.g, ignis in aëre, cum eius virtus & qualitas, scilicet calor insideat in illo, ergo ideo manent, quia formæ substantiales elementorum manent in ipso mixto. Respondeo, elementa in mixto manere, non quia eorum formæ substantiales maneant in illo, vt monstratum est, nec etiam quia aliqua præcisè virtus, ac qualitas elementi sit in mixto, aliàs vnum elementum esset in alio, vt argumentum conuincit, sed ideo præcisè, quia vtraque virtus ac qualitas conueniens cuilibet elemento in mixto formaliter reperitur; in illo enim omnes quatuor primæ qualitates refractæ, & attemperatæ aggregantur, hoc autem non habet vnum elementum respectu alterius, nam si conuenit cum illo in vna qualitate in alia differt ab illo, & eaproptet vnum elementum in alio elemento non insidet.

11 Hinc colligo, quomodo debeat intelligi id, quod communiter ex Arist. dicitur, scilicet quod mixtio, ex qua mixtum resultat, sit plurium mixtilium, id est, elementorum vnio non quidem secundum eorum formas substantiales, quæ in mixto non vniuntur, sed pereunt quando gignitur forma mixti, sed tantum secundum qualitates, ac formas elementorum accidentales, quæ in ipso mixto aggregantur & vniuntur, & earum ratione elementa insident virtualiter in illo.

CAPVT II.

Quæ sint primæ qualitates, & quomodo singulis elementis conueniant.

12 ILlæ qualitates sunt primæ, quæ nec ex se ipsis, nec ex alijs causantur, & aliæ causantur ex illis. Sed obserua, cum dicimus qualitates primas non causari ex alijs, solum significare non prodire ex alijs qualitatibus, quæ corporibus sublunaribus propria sint, nec communia sint etiam corporibus cælestibus, aliàs calor non esset qualitas prima, cum ab alia qualitate scilicet à luce, quæ etiam competit corpori cælesti, efficiatur. Ex primis autem qualitatibus fiunt aliæ, quæ secundæ qualitates appellantur, vel immediate, vt sunt aliqui calores, qui proximè à primis qualitatibus proficiscuntur, vel saltem mediate quatenus primo, & per se disponunt, ac dispositiue causant formas substantiales, ex quibus postea secundæ qualitates naturaliter resultant.

13 Primæ qualitates sunt quatuor, non plures, neque pauciores, vt communis Philosophorum opinio fert. Probatur, primæ qualitates sunt illæ, quæ non causantur ex alijs, modo nuper explicato, & ex ipsarum aggregatione, & congressu omnia mixta, ac aliæ secundæ qualitates resultant, sed tantum istæ quatuor qualitates, scilicet calor, frigus, humor, & siccitas non causantur ex alijs modo prædicto, & ex ipsarum aggregatione & congressu omnia mixta, & aliæ secundæ qualitates resultant, nec alia poterit præter illas assignari, quæ id muneris præstet, vt experientia demonstrat, ergo tantum dantur quatuor qualitates primæ, scilicet calor, frigus, humor, & siccitas.

Hinc infero primo, non dari aliam primam, 14
qualitatem, quæ solet quinta qualitas appellari, à qua illæ quatuor primæ qualitates conseruentur & debilitatæ, ac remissæ instaurentur, ac resarciantur, tum quia talis qualitas est sine necessitate conficta, omnino otiosa, ac superflua, cum quatuor primæ qualitates possint flui ab ipsa essentia, ac substantia rei & ab illa restaurari, vt ostendi in physic. disput. 17. capite 4. tum etiam quia aliæ quatuor primæ qualitates non essent primæ, quia ab alia qualitate propria corporis sublunaris produceretur. Immo nec ipsa quinta qualitas esset prima, quia ex congressu aliarum qualitatum essentia aquæ verbi gratia produceretur, ex qua illa quinta qualitas resultaret, quod est proprium qualitatis secundæ.

Infero secundo secundam qualitatem non esse quatuor illas primas qualitates refractas, sed qualitatem aliam ab illis reipsa distinctam. Ratio est aperta, quia nigredo, verbi gratia corui, licèt ipse nimium frigeat, vel nimium exsiccetur, humectetur, aut incalescat, semper eadem perseuerat, atqui si talis nigredo esset tantum aggregatio primarum qualitatum in tali dispositione, ac temperie, quauis qualitate ex illis nimium excrescente nigredo illa destrueretur, nam destrueretur illa qualitatum temperies, ergo qualitas secunda qualis est nigredo, non est temperies aliqua primarum qualitatum, sed qualitas alia reipsa ab illis distincta, quærimus verò quo pacto primæ qualitates singulis elementis con- 15
ueniant.

Assertio sit, quodlibet elementum habet vnam primam qualitatem in summo, id est, in gradu vt octo, & alteram prope summum in gradu excellenti, hoc est in gradu vt sex, nimirum ignis habet calorem in summo, & propè summum, aër habet humorem in summo, & calorem propè summum, aqua habet frigiditatem in summo, & humorem propè summum, & terra habet siccitatem in summo, & frigiditatem propè summum. Ita Aristoteles in hoc 2. libro capite 2. à text. 7. & capite 3. text. 23. & libro de sensu, & sens. cap. 4. vbi igni peculiariter calorem attribuit, & 2. metaphysic. cap. 1. text. 4. quo loco ignem calidissimum esse ait, idem asserunt D. Basilius Hom. 4. exameron. Diuus Ambrosius libro. 4. exam. cap. 4. D. Damas. in suis physic. cap. 12. Empedocles, vt refert Plutarcus in lib. de primo frigido, Conimbricenses 2. de generatione quæst. 4. artic. 1. Magister Banez lib. 2. de generatione cap. 3. quæst. 4. & citatur etiam D. Thom. 1. part. quæst. 69. artic. 1. ad 5. licet oppositum probabile iudicauerit 2. de generatione lect. 3. Carleton disput. 12. de generatione sect. 3. Arriaga disput. 4. de elementis sectione 2. & 3. Ioan. à sancto Thoma quæst. 10. de generatione artic. 3. Auersa copiosè quæst. 41. de elementis sect. 7. Ioan. Martinius libro 2. de generatione cap. 2. & 3. Hurtado disput. 6. de generatione sect. 1. & omnes Philosophi communiter & plures Theologi.

Et primum, in genere cuilibet elemento con- 16
uenire primam aliquam qualitatem in summo gradu intensionis probatur, quia cum aliqua qualitas conuenit primo & per se alicui essentiæ,

vt

vt paſſo illius conuenit illi naturaliter imperfectori gradu, quia non eſt aliud, in quo melius poſſit talem gradum intenſionis ac perfectionis habere, atqui aliqua qualitas proxima conuenit primo, & per ſe cuiuis elemento vt experientia demonſtrat, ergo talis qualitas conuenit illi in gradu perfectiori, ſcilicet in gradu ſummo, deinde alteram qualitatem primam, quam etiam experimur cuiuis elemento competere, non illi conuenire in gradu ſummo, ſed tantum in gradu inferiore excellente, ac prope ſummum.

Probatur: diuerſæ eſſentiæ debent habere diuerſas paſſiones ſaltem in gradu, cum paſſiones conſequantur ad eſſentias, & proportionentur cum illis, ſed quæuis ex quatuor primis qualitatibus conuenit vni ex quatuor elementis in gradu ſummo, vt probauimus, ergo non poteſt conuenire alteri diuerſo elemento in eodem gradu ſummo, ſed tantum in gradu excellenti prope ſummum, ergo quodlibet elementum, quod habet vnam qualitatem in ſummo, habet aliam, quæ in alio elemento ſit in ſummo gradu, & in ipſo ſit tantum in gradu excellenti prope ſummum.

Sed in in particulari ſingula illa elementa habere ſingulas illas qualitates in ſummo ordine 17
prædicto, ſic probo, quatuor illæ primæ qualitates conueniunt in ſummo quatuor elementis vt iam oſtendi, ſed ignis habet ſummum calorem, vt experientia demonſtrat, tum quia alia elementa intenſe calefacit, tum quia ignis eſt ſumme actiuus, quod eſt proprium caloris, & terra habet etiam ſummam ſiccitatem, tum quia eſt ſumme paſſiua, ac reſiſtitiua, quod eſt proprium ſiccitatis, tum etiam quia in ſcriptura propter maximam eius ſiccitatem terra per antonomaſiam arida nuncupatur; ergo humor, & frigiditas in gradu ſummo conueniunt aquæ, & aeri; atqui aqua habet ſummam frigiditatem, tum quia directe gerit inimicitias cum igne, qui eſt ſumme calidus, tum etiam quia aqua eſt magis denſa, quam aer, quod eſt proprium frigiditatis, ergo habebit humorem ſummum, igitur ignis habet calorem in ſummo, aer ſummum humorem, aqua ſummam frigiditatem, ac terra habet ſiccitatem in ſummo.

18 Porro habere etiam elementa ſingula ſingulas illas primas qualitates in gradu excellenti prope ſummum ordine ſupra dicto, ſic probatur: ignis habet ſiccitatem in gradu excellenti, & aqua habet etiam humorem in gradu excellenti, vt experientia teſtatur, illa enim multum exſiccat, & hæc non parum humectat, ergo duæ aliæ qualitates, ſcilicet calor & frigus conueniunt in gradu excellenti aeri, & terræ; atqui aer habet calorem in gradu excellenti, cum valde rarus ſit, & facile in ignem conuertatur, quæ ſunt excellentis caloris effecta, ergo terra habet in gradu excellenti frigiditatem, igitur ignis habet ſiccitatem prope ſummum, aer calorem, aqua humorem, ac terra frigiditatem.

19 Confirmatur principaliter aſſertio, quia elementa ita ſunt naturaliter diſpoſita, ac qualitatibus prædita, vt in illis quædam naturalis harmonia, & diſcors concordia ſeruetur, vt ſic poſſint inimicitia quadam amicabili conſeruari, atque ita quodlibet elementum habet cum alio elemento proximo vnam qualitatem ſymbolicam, qua conuenit, & aſſociatur cum illo, & aliam qualitatem diſſymbolam, qua differt & pugnat cum illo, ſed ex eo, quod ſingula elementa habeant vnam qualitatem in ſummo, & alteram prope ſummum ordine ſupra dicto datur mirabilis hic conceptus, & diſcors concordia in illis, nam ignis per ſiccitatem differt & pugnat cum aere humido, & per calorem, cum aer ſit etiam calidus, conuenit cum illo, & aer per calorem pugnat cum aqua frigida, & per humorem conuenit cum illa, quæ etiam eſt humida, & aqua per humorem pugnat cum terra ſicca, & per frigiditatem conuenit cum illa, quæ etiam eſt frigida, ergo ſingula elementa habent binas illas qualitates, alteram in ſummo, alteram prope ſummum ordine ſuperius dicto.

Objiciat aliquis primo, aqua magis humectat manum in illa immerſam quam aer, vt 30
experimur, ergo aquæ humiditas eſt maior humore aeris, ergo aer non eſt humidus in ſummo. Confirmatur primo, id quod aqua humectat, aer ſuo afflatu exſiccat, ergo aer non habet humiditatem in ſummo, ſed aqua erit humidior ipſo. Confirmatur ſecundo, aqua tempore pluuiæ aerem humectat, ergo aqua eſt humidior aere.

Reſpondeo, aquam magis paſſum humectare, quam aerem, quia habet maiorem denſitatem, & ratione illius producit omnem humiditatem quam valet producere, ſecus verò aer, cum ſit rarus, vnde quemadmodum ferrum candens maiorem ac intenſiorem calorem in paſſo producit, quam aer ipſo calidior, quia habet maiorem denſitatem, ita ob eamdem denſitatem maiorem, aqua producit in paſſo intenſiorem humorem, quam aer humidior. Ad confirmationem primam dico aerem non directè, ſed indirectè exſiccare paſſum humectatum ab aqua, quia ipſe aer non producit ſiccitatem in illo, ſed peregrina frigiditate tale paſſum comprimendo, partes eius tenuiores, ac humidiores expellit, & ſuo calore vapores aliquos ab eodem paſſo eleuando, illud quaſi diſponit, & aptat, vt directè ab alio agente exſiccetur. Ad confirmationem ſecundam dico, aquam tempore pluuiæ non humectare aerem producendo in illo humiditatem, ſed illi ſeipſam interſerendo, & ratione eius denſitatis, magis eius humiditas ſentitur.

Objiciat ſecundo, illa qualitas eſt propria ele- 31
menti quam ipſum elementum ſemoto agente extrinſeco, naturaliter acquirit, atqui aer tempore hyemis, ſemoto extrinſeco agente, nempe ſole, non calorem, ſed frigiditatem acquirit, vt experimur, ergo non calor, ſed frigiditas eſt propria qualitas aeris. Confirmatur, in media regione aeris nix, & grandines generantur, quæ non calor, ſed frigiditate caleſcunt, ergo aer non habet in gradu excellenti calorem, ſed frigiditatem. Reſp. aerem tempore hyemis recedente ſole non refrigerari à ſe, ſed à cæleſtibus influentijs, & à vaporibus terreis frigidiſſimis, qui interſeruntur in ipſum eiuſque natiuum calorem expellunt, ac peregrinam frigiditatem inducunt. Ad confirmationem dico ex pluribus vaporibus aqueis, ac terreſtribus, qui ſolis repurcuſſionem fugientes, & in media aeris regione coeuntes ſe per antiperiſtaſim & ipſum aerem infrigidant, & conſtipant, niues, & grandines frigidiſſimas generari, hoc autem frigus non eſt aeri connaturale, ſed aduentitium. 32

Objiciat tertio, ſi aqua eſſet ſummè frigida, in ſua ſphæra ac ſtatu cõnaturali ſemper eſſet congelata,

cum hæc congelatio ex intensa frigiditate proueniat, sed aqua in suo statu connaturali non est congelata, ergo non est summe frigida : Confirmatur, si aqua esset magis frigida, quam humida, facilius exsiccaretur, quam calefieret, sed facilius calefit, quam exsiccatur, vt ostendit experientia, ergo non est magis frigida, quam humida. Respondeo, congelationem non à sola frigiditate causari, sed ab illa, & siccitate aliqua, ac alia tertea influentia, cum autem aqua in suo statu naturali, licet esset summe frigida non haberet succitatem sufficientem. ac aliam terream influentiam, ideo in statu naturali non congelaretur. Ad confirmationem dico aquam facilius ab igne calefieri, quam exsiccari, non quia ipsa sit magis humida, quam frigida, sed quia calor ignis longè magis actiuus est, quam siccitas, vt superius diximus.

23 Verum inquirat quis, an in quolibet elemento, v.g. in igne, qui est tantum siccus in gradu excellenti, non summe, sed prope summum, scilicet habet siccitatem, vt sex, sit etiam connaturaliter alia contraria qualitas, videlicet humor in gradu remisso vt duo ? Sequor partem affirmantem cum pluribus recensitis num. 15. Carleton supra sectione 3. num. 7. Ouiedo hic controuersia 8. part. 5. num. 3. Hurtado disput. 6. de generatione sectione 5. D. Thomas prima parte quæst. 69. articulo 1. ad 5. Auersa supra sectione 8. Conimbricenses lib. 2. de generatione cap. 3. quæstione 5. aritculo 4. & alij, quos ipsi citant aduersus alios, qui negantem partem tuentur, ac primum de facto ignem illos duos gradus humiditatis habere perspicuũ est, quia aër qui humiditate pollet, igni vicinus inuenit in ipso igne materiam aptam ad excipiendum humorem vt duo, & nullam ad id inuenit resistentiam, quia siccitas vt sex, quam habet ignis, recte compatitur simul cum humore vt duo, ergo de facto aër producit in igne humiditatem vt duo. Porro etiam ignem in suo statu connaturali habere humorem in gradu remisso, vt propriam dispositionem ipsius, sic probo : si in igne siccitas crescerct vsque ad summum gradum, destrueretur ignis, non enim potest naturaliter habere siccitatem vt octo, quod est proprium solius terræ, atqui si aliquis humor in gradu remisso non esset connaturalis igni, ac propria dispositio ipsius, etiam si eius siccitas crescerct vsque ad gradum summum, non destrueretur ignis, quia ibi remaneret tota dispositio naturalis ad ipsum ignem, scilicet calor intensus, & siccitas vt sex, ergo aliquis humor in gradu remisso est connaturalis igni, ac propria dispositio requisita ad conseruationem illius.

CAPVT III.

An qualitates symbolicæ sint diuersæ, an eiusdem speciei.

24 SYmbolicæ qualitates dicuntur, quæ nomine, & appellatione conueniunt, vt calor igneus, & calor solis, calor elementalis, & calor vitalis animalis, calor etiam ignis, & calor aeris, & sic de cæteris primis qualitatibus. Quærimus ergo an hæ qualitates symbolæ differant inter se, an conueniant in specie ? Nonnulli opinati sunt, calorem cælestem, hoc est, causatum à sole esse eiusdem speciei cum calore animalis, at verò differre vtrumque in specie à calore elementali scilicet ignis, vel aëris.

Assero primo, calor ignis & calor solis sunt eiusdem speciei. Ita Aristoteles 1. de generatione text. 24. & libro secundo, text. 25. primo de cælo text. 10. & 10. met. capite 17. & præcipuè 2. de anima text. 130. Conimbricenses 2. de generatione capite tertio quæstione sexta, Toletus eodem libro quæstione 7. Aretius quæstione 12. Hurtado disputatione 6. de generatione sectione 6. Arriaga disputatione 4. de generatione sectione 3. Carleton disputatione 12. de generatione sectione 4. Conimbricenses libro 2. de generatione capite 3. quæstione 7. Auersa quæstione 41. de elementis sectione 9. Ioan. Martinius supra capite 6. Ioan. à S. Thoma quæstione 10. de generatione articulo 3. & communiter omns Philosophi. 25

Probatur, vna qualitas non potest intendere formaliter aliam nisi sit eiusdem speciei, sed calor solis intendit formaliter calorem causatum ab igne, & econtra calor ignis intendit formaliter calorem causatum à sole, vt experientia demonstrat, ergo calor causatus ab igne, & calor causatus à sole sunt eiusdem speciei. Confirmatur, sol in speculo irradians, per reflexionem alefaciens stupam, ignem in illa producit, vt experimur, ergo calor productus à sole est dispositio, vt generetur ignis, sed dispositio ad ignis generationem est etiam dispositio ad eius conseruationem ac manet in ipso igne, ergo calor productus à sole est connaturalis dispositio ignis, ac proinde est idem specie, immo & numero cum calore ignis.

Assero secundo, calor elementalis & calor animalis sunt etiam eiusdem speciei. Ita communis schola, & auctores numero præcedenti citati. Et Alexander, D. Thomas 2. de anima circa text. 41. Albertus tract. 2. capite 4. Auerroes, Cimara 12. met. capite 3. quæstione 7. Aresius quæstione 13. Achilius de elementis, & probatur manifestè ex Aristotele lib. 2. de anima text. 130. qui loquens de nostris sensibus, sic inquit, *ignis aut nullius est, aut communis omnibus, nihil enim sine calore sensitiuum est*, & libro de iuuentute cap. 10. idem docet, *concoctio, per quam alimentum fit animalibus neque sine anima, neque sine caliditate est, igne enim operantur omnia*, & infra subdit, *alias virtutes animæ impossibile est existere sine nutritiua, hanc autem sine naturali igne, in hoc enim natura igniuit ipsam.* Ex quibus omnibus verbis etiam infertur, elementum ignis ad omnes sensus ratione caloris, & siccitatem animalis esse eiusdem rationis cum calore ignis. 26

Probatur: calor elementalis intendit formaliter calorem animalis, & ideo illi solent applicari medicamenta calida, & etiam cibis calidis vescitur vt vitalis eius calor augeatur, ergo calor iste elementalis, & calor animalis sunt eiusdem speciei, alioquin vnus formaliter non extenderetur per alium. Confirmatur, oua super clibanum calore ignis subiecti pullos edunt, sicut si à vitali calore gallinæ incubantis fouerentur, ergo calor elementalis ignis, & calor gallinæ vitalis sunt eiusdem speciei. 27

Assero tertio : calor ignis est eiusdem speciei cum calore aeris, & frigiditas aquæ cum frigiditate terræ, & sic de alijs. Ita omnes communiter. Probatur, calor ignis intendit formaliter calorem aeris, ergo sunt eiusdem speciei. 28

Conse

Confirmatur calor qui disponit ad generationem aeris, est etiam dispositio connaturalis ad ipsius aeris conseruationem, sed ignis suo calore disponit aquam, vt in eius materia generetur forma aeris, ergo talis calor ignis, manet in ipso aëre, & est dispositio connaturalis ad eius conseruationem, ergo calor ignis, & aëris est eiusdem speciei.

19 Sed obiiciat quis, diuersas in specie essentias consequuntur diuersæ in specie passiones, sed calor ignis, & calor aeris sunt passiones ignis, & aeris quæ sunt essentiæ specie diuersæ, ergo etiam calor ignis, & calor aeris sunt diuersi specie. Resp. essentias diuersas specie omnino dissymbolas habere diuersas specie passiones, essentias vero diuersas specie, & aliqua ratione symbolas, quales sunt ignis, & aer, non necessario habere omnes earum passiones diuersas specie, sed alias diuersas specie, scilicet siccitatem & humorem, & alias diuersas in solo gradu, vt calor, vt octo, qui est passio ignis, & calor vt sex, qui est passio aeris, ac proinde tales calores non differunt specie.

CAPVT IV.

Quo pacto elementa transmutentur.

30 ELementa alia sunt symbola, alia dissymbola, symbola elementa sunt illa, quæ conueniunt in aliqua qualitate excellenti, vt ignis, & aer, qui conueniunt in calore; aer, & aqua, quæ etiam in humore conueniunt. Elementa dissymbola sunt illa, quæ in vtraque qualitate summa & excellenti differunt, vt ignis calidus, & siccus, & aqua frigida & humida, aer humidus, & calidus, & terra sicca, & frigida. Quærimus ergo quo modo vnum elementum in aliud, siue symbola sint, siue dissymbola, vel in aliud corpus mixtum naturaliter transmutetur.

31 Assertio prima: vnum Elementum in aliud elementum symbolum naturaliter transmutatur. Ita Aristot. 2. de generatione, & Diuus Thomas, ibidem, & tex. 25. Toletus, Marsilius, Suesanus, Albertus, Conimbricenses lib. 2. de generatione, cap. 4. quæst. 2. Auersa quæst. 41. sect. 10. Arriaga disp. 4. de generatione sect. 3. Hurtado disput. 6. de generatione sectione 7. Petrus Garcia insignis Philosophus, Ioan. à S. Thoma q. 10. de generatione artic. 4. Ioan. Martinius lib. 2. de generatione c. 5. Carleton disp. 12. de generatione sect. 4. Ouiedo, & alij plures. Probatur, ignis naturaliter intendit calorem aeris vsque ad septimum vel octauum gradum, sed hoc posito producitur forma ignis, ergo aer naturaliter conuertitur, & transmutatur in ignem. Dicat quis, aer habet summam humiditatem oppositam siccitati, requisitæ ad formam ignis, ergo non conuertitur in ignem.

Respondeo, aerem vel ab alio extrinseco agente vel ab ipso igne recipere aliquos gradus siccitatis, qui cum calore intenso, qui est primaria qualitas ignis, sufficienter disponunt ad generationem ignis, ac proinde aerem in ignem naturaliter transmutari.

32 Assertio secunda, ex congressu elementorum, aliquando aliud tertium elementum, aliquando aliud mixtum generatur. Ac primum generari aliud tertium elementum sic ostendo, si ignis & aqua congrediantur, ignis potest intense calefacere aquam, & eius frigus expellere, atque ita erunt in materia aquæ intensus calor, & intensus humor ipsius aquæ, & similiter aqua potest intense humectare ignem, & eius siccitatem expellere, ita vt sint in materia ignis intensus humor, & intensus calor ipsius ignis, sed positis in materia intenso humore cum calore intenso, statim aer generatur, cum hæc sit propria dispositio aeris, ergo ex congressu elementorum verbi gratia ignis, & aquæ aliud tertium elementum scilicet aer generatur. Deinde generari etiam mixtum sic probo, possunt elementa ita congredi, & æquales vires habere, vt suas mutuo vires, ac qualitates infringant, & ad tales reducant mediocritates vt non possit in illis forma elementi conseruari. Sed hæ qualitates refractæ, & ad mediocritatem reductæ, quæ non valent conseruare formam elementi sunt propria dispositio ad mixtum, ergo tunc ex tali elementorum congressu generatur aliquod corpus mixtum.

Dicat quis, tunc non est agens naturale, à quo tale mixtum producatur, cum omnes illæ formæ elementales depereant, ergo non potest naturaliter produci. Respondeo progigni mixtum vel ab astris, vel à Deo auctore naturali supplente defectum causæ secundæ.

Assertio tertia: vnum elementum potest 33
aliud elementum dissymbolum in ipsum immediate transmutare. Ita Aristoteles hic cap. 4. tex. 24. & omnes eius, tam græci, quam latini expositores, quos memorant, & sequuntur Conimbricenses hic cap. 4. q. 1. artic. 2. aduersus Sotum 4. phys. q. 2. Themistium 5. physic. tex. 9. & alios, & Diuus Thomas hoc 2. lib. lect. 4. & q. 3. de potentia artic. 9. ad 9. & relati auctores n. 30. assertione 1. & manifeste probatur verbis Aristotelis & Diui Thomæ. §. prosequitur, vbi concludit, vniuersaliter manifestum est, quod quodlibet elementum ex quodlibet generatur sicque tenent supra I. Martinius & Ioann. à S. Thoma.

Probatur primo, experientia, qua videmus gut- 34
tulam aquæ in rogum magnum iniectam, statim ab igne absumi, & in ipsum transmutari. Probatur secundo à priori, vt generetur forma ignis, sufficit, quod in materia sit intensus calor verbi gratia calor vt 7. cum aliqua siccitate, nam cum siccitas non sit primaria qualitas ignis, sed solus calor ad absolutam ignis generationem non requiritur quod siccitas sit nimis intensa, sed sufficit quod nimis intensus calor cum aliqua siccitate in materia coniungatur. Sed ignis potest in aqua intensum calorem, scilicet, calorem vt 7. & aliquam siccitatem producere, cum ignis sit summe calidus, & excellenter siccus, ergo potest ignis immediate in se ipsum aquam ipsam transmutare.

Obiiciat quispiam, prius datur in aqua dis- 35
positio ad formam aeris, quam ad formam ignis, ergo prius, ac immediatius transmutatur aqua in aerem, quam conuertatur in ignem, antecedens patet: dispositio ad formam ignis est calor vt octo, vel vt septem, dispositio vero ad formam aeris est calor vt 6. aut vt 5. cum aliqua humiditate, sed prius in aqua producitur calor vt 5. quam calor vt 7. & cum eius humiditate coniungitur, ergo prius est in aqua dispositio ad formam aeris quam ad formam ignis. Confirmatur, cum in aqua producitur calor vt 5. iam corrumpitur forma aquæ, quia deest frigiditas

intensa, quæ ad naturalem eius conseruationem requiritur, ergo alia forma substantialis tunc in eius materia generatur, sed tunc non producitur forma ignis, cum non detur calor vt septem qui ad eius generationem desideratur, ergo producitur necessariò altera tertia forma substantialis, quæ si non sit forma aëris, erit saltem forma mixti, ergo aqua prius & immediatius in aërem, vel in mixtum, quam in ignem transmutatur.

36 Respondeo, ad naturalem aëris generationem non sufficere calorem vt quinque cum humiditate remissa v.g. vt quatuor, quia cum primaria qualitas aëris sit humor, est enim aër summe humidus, requiritur humor nimis intensus, vt aër naturaliter generetur, quando autem in nostro casu est in aqua calor vt quinque, est etiam aqua aliquo modo exsiccata, & tantum habet humorem vt quatuor, vel vt quinque, & ita non datur in illa sufficiens dispositio ad formam aëris, ignis autem progreditur intendendo calorem aquæ vsque ad gradum septimum, & sic illam immediate transmutat in seipsum.

Ad confirmationem dico aquam posse naturaliter conseruari cum remissa frigiditate, aqua enim lebetis ab igne subiecto calidissima parum habet frigiditatis, & tamen retinet formam aquæ, vnde quando in materia aquæ est calor vt quinque, nec forma aquæ corrumpitur, nec gignitur forma mixti, sed expectat, quod in ipsa intendatur humor, & sic conuertetur in aërem, vel quod magis intendatur calor, & sic immediate transmutabitur in Ignem.

37 Assertio quarta, elementa symbola facilius transmutantur inuicem, quam dissymbola v. g. facilius aër in ignem, quam aqua in ipsum ignem conuertitur. Ita Aristoteles D. Thom. & hic c. 4. & Philosophi communiter.

Probatur primò, ex Aristotele libro 2. de generatione text. 25. vbi ait, facilius est vnum, quam multa transmutare, clarius infra, quæcumque enim inquit, habent cognationem ad inuicem velox horum transmutatio est; quæcumque autem non habent, tarda, quibus Verbis aperte ostendit, citius fieri talem conuersionem. Ratio communis est, quia facilius expelletur vna tantum qualitas contraria, quam duæ; sed vt elementa symbola transmutentur, tantum expellitur vna qualitas contraria, vt verò transmutentur dissymbola, duæ contrariæ qualitates expelluntur, v.g. vt aër conuertatur in ignem, solum expellitur humor, nam in calore conuenit cum ipso igne, vt autem aqua in ignem conuertatur, debent expelli humor & frigus, ergo facilius transmutantur inuicem elementa symbola, quam dissymbola.

38 Obijciat aliquis, tam facile duæ qualitates expellunt duas alias qualitates contrarias, quàm vna præcisè qualitas superat vnam aliam qualitatem contrariam, quia eadem inter contraria est proportio vnius ad vnum, vt duorum ad duo, ergo tam facile calor & siccitas ignis expellunt frigus, & humorem aquæ quam siccitas eiusdem ignis expellit humorem aëris, ergo tam facile ignis, & aqua, quæ sunt elementa dissymbola, quam ignis, & aër, quæ sunt elementa symbola, transmutantur.

Respondeo, vt forma elementi generetur, non prærequiritur in materia vtraque eius qualitas in gradu nimis intenso, sed si vna illius qualitas sit in gradu nimis intenso, alia poterit esse aliquantulum remissa quando; autem congrediuntur elementa symbola, vnum inuenit in alio vnam ipsius qualitatem nimis intensam, atque ita sufficit, quod producat in illo aliam qualitatem propriam aliquantulum remissam, vt illud transmutet in seipsum. Cum verò congrediuntur elementa dissymbola, neutrum inuenit in alio aliquam ipsius qualitatem nimis intensam, atque ita debet in illo intensam aliquam qualitatem producere, vt illud in se conuertat, vnde cum facilius qualitas remissa, quam intensa producatur, facilius etiam elementa symbola transmutantur inuicem, quam elementa dissymbola.

CAPVT V.

Quam figuram, ac situm habeant elementa.

COmmunis resolutio est in superiori loco esse ignem affixum concauo cæli lunæ, 39
& post ignem sequi aërem, & post aërem sequi aquam, ac tandem post aquam in loco infimo insidere terram, quo circulùs orbis completur. Ex quo fit, cum concauum lunæ, cui adhæret ignis, sit circulare, & rotundum, & ipsum ignem in sua sphæra esse rotundum, & cum aër concauo etiam ignis affigatur, quod est rotundum, etiam ipsum aërem in sua sphæra naturali esse rotundum, & sic de alijs. De aëre nihil est considerationc dignum, de alijs verò elementis nonnihil circa situm disseremus.

Inquirat aliquis primò, an detur supra alia elementa sphæra superior ignis. Negant nonnulli. Affirmat omnis schola, cui subscribo. Primò, quia ignis sursum naturaliter ascendit, ergo quia superior est eius sphæra, quam naturaliter inquirit. Secundò quia res leuior habet superiorem locum, sed ignis est læuior alijs elementis, ergo habet naturalem superiorem locum præ illis. 40

Obijciat autem quis primo, ignis non conseruatur naturaliter sine nouo pabulo, vt experimur, at in loco supremo non est nouum pabulum, ergo ibi naturaliter non conseruatur ignis. Respondeo, ignem non posse hic sine nouo pabulo conseruari, quia si relinqueretur, rarissimum fit, & sic facile à contrario agente, quo hic obsidetur, & dissipatur; in loco autem supremo licèt rarissimus sit, non sunt agentia ipsi directe contraria, à quibus dissipetur, & ita sine nouo pabulo naturaliter conseruatur.

Obijciat secundo, si talis ignis daretur, aërem sibi vicinum sua acrimonia deuoraret, & destrueret. Nego, quia aëris humor intensissimus, ei resistit, & illius acrimonia cælestibus influentijs frigidissimis temperatur. Obijciat tertio, si ignis in supremo loco esset, à nobis videretur. Sed negatur quia tenuissimus est in sua sphæra. 41

Inquirat secundo, an aqua de facto sit eleuatior, & eminentior quam terra? Censeo aquam de facto non esse superiorem terra, sed potius terram esse eminentiorem aqua, licèt enim Deus à principio aquam produxerit super terram, postea vero vt terra posset ab hominibus habitari montium cacumina, & vallium cauitates constituit, intra quas concluſit aquas, atque ita terra eminentior est illis. Ita Molina de opere sex dierum

disp.

disp. 11. & Conimbricenses 2. de cælo, cap. 14. quæst. 4. artic. 2. & alij, aduersus aliquos, quos citant Conimbricenses ibidem artic. 1. qui contrariam partem sectantur Arriaga disp. 4. de generatione sect. 4. latissime de elementis, Auersa quæst. 41. & 42. per varias sectiones, Carleton, Ioannes Martinius, Ioannes à sancto Thoma, quæst. 10. de generatione artic. 3. & 4. & alij plures, etsi Arriaga num. 59. affirmet aquam aliqua ex parte esse altiorem ipsa terra.

Probatur primò, quia aqua si sit superior, & nullum adsit obstaculum, naturaliter fluit ad operiendam terram vt experientia demonstrat: sed aqua, si esset superior terra nullum haberet obstaculum, ne flueret ad operiendam illam, cur enim sine necessitate dicemus Deum continuo miraculo aquam superiorem detinere, ne fluat super terram, ergo si aqua esset superior terra, operiret naturaliter totam terram, ergo cum non operiat, non est superior illa.

Probatur secundò, si aqua esset eminentior terra, facilius, ac celerius nauis à mari appelleretur ad portum, quam à portu veheretur ad mare, ille enim est descensus, iste verò ascensus; atqui hoc nullus experitur, ergo aqua non est eminentior, aut eleuatior, quam terra.

42 Obijciat quis, flumina, quæ ingrediuntur in mare, ab ipso regredi ad terram, nam ad locum, vnde exeunt flumina reuertuntur, atqui si aqua maris non esset eminentior, sed inferior terra, non possent flumina ex illo regredi naturaliter ad terram, ergo aqua maris non est inferior, sed eminentior terra.

Respondeo, eatenus flumina quæ intrant in mare, exire ex illo, quatenus solis calore plures eleuantur vapores, qui in aquas pluuiales conuertuntur, quibus augentur flumina, vt iterum in mare fluant: necnon per terræ poros, ac rimas aqua dilabitur, quæ ab aridis terræ partibus etiam superioribus attrahitur, vnde fontes, ac etiam flumina originem ducunt. Alia argumenta vide apud Molin. vbi supra.

43 Inquirat tertiò, an terra quæ alijs subinsidet elementis ita sit stabilis, ac immobilis, vt à nullo moueatur? nonnulli censent terram ita esse vndequaque suis ponderibus ad æqualitatem libratam, vt quouis, impulsu, aut pondere de nouo addito tota terra contremiscat, & motu trepidationis moueatur, ita Vasquez tom. 1. in 1. 2. disput. 81. cap. 3. num. 20. Ratio est: supra punctum centricum indiuisibile terræ est omni ex parte æquale pondus, verbi gratia, quatuor partes grauitatis, quæ grauitant circa illud, & ipsum conantur impellere, vt se in eius loco naturaliter constituant, quia verò omni ex parte pugna, & impulsus est æqualis, aliæ partes grauitatis alijs partibus æqualiter resistunt, & sic punctum centricum stabile perseuerat, atqui si aliquod nouum pondus hac ex parte scilicet versus nos supra terram aduc datur, iam erunt versus nos quinque partes grauitatis, quæ punctum centricum terræ, indiuisibile impellant, & versus antipodas tantum erunt quatuor partes grauitatis, scilicet antea, quæ tali impulsui resistant; ergo cum maior sit hic impulsus, quam illa resistentia, punctum terræ centricum, ac per consequens tota terra versus antipodas aliquo modo mouebitur.

44 Arbitror tamen cum communi schola terram omnino stabilem esse, & quouis addito pondere nulla ratione motu trepidationis moueri, tum quia terra de facto non est perfecte sphærica, nec æqualibus ponderibus librata, vt montium altitudo, & vallium profunditas demonstrant; tum etiam quia si esset perfecte sphærica, partes superiores non grauitarent, nec alias impellerent versus centrum, quia quælibet terræ pars solum naturaliter petit esse intra illum infimum circulum, quo clauditur sphæra ipsius terræ, ita tamen vt vel sit in ipso puncto centrico, vel sit continuata cum alijs partibus terræ, quæ terminantur in illo: si verò sit aliquod pondus seu pars terræ extra infimum istum circulum, ac sphæram ipsius terræ illa quidem grauitabit, & impellet alias partes versus centrum, quia est extra propriam sphæram, & naturaliter appetit constitui in illa, tunc autem tota terra, quæ intra illum circulum clauditur, naturaliter resistit, ne extra suam sphæram ac circulum extrahatur.

Hinc fit, in casu nostro, pondus illud quod adijcitur supra terram, cum sit extra circulum, & sphæram ipsius terræ grauitare, & illam, quantum est ex se, impellere, totam autem terram, quæ est intra suam sphæram, resistere tali impulsui, ne à sua sphæra, & circulo connaturali extrahatur; atqui longe maior est resistentia totius terræ, quam impulsus illius ponderis, quod adijcitur, vel alius quiuis impulsus; ergo ratione illius ponderis quod adijcitur aut alterius cuiusvis impulsus non mouetur terra motu trepidationis, quo à suo circulo & sphæra connaturali aliquo modo eijciatur, quo soluitur ratio Patris Vasquez.

CAPVT VI.

Enodantur dubiola circa grauitatem, ac leuitatem elementorum.

REs, aliæ summum, aliæ imum, aliæ medium locum naturaliter occupant, vt concors sententia omnium Philosophorum fert, nam ignis est summe leuis, aër verò minus leuis, terra est summe grauis, aqua verò minus grauis, ita vt leuitas propriè conueniat igni, & aëri, illi quidem principaliter, & isti minus præcipuè, & grauitas congruit terræ, & aquæ, illi principaliter, & isti minus principaliter, ipsa experientia Magistra; cum autem grauitas & leuitas sint media, quibus res suis aptantur locis, quid sint, & quo pacto elementis deseruiant, nonnulla de illis in præsenti breuiter definimus. 45

Aristoteles lib. 4. de cælo cap. 1. text. 6. sic leuitatem & grauitatem definit, *id dici leue, quod sursum, graue quod deorsum fertur*, quæ definitio naturaliter intelligenda est sine vlla vi ab extrinseco, seu violentia impressa, quam interpretes sic transferunt, grauitas est ad locum inferiorem, leuitas ad altiorem inclinatio, & quædam vis in actu primo motiua. 46

Assertio prima, grauitas, ac leuitas ab ipsa substantia rei grauis, ac rei leuis reipsa non distinguuntur. Est contra sententiam communem, licèt ex principijs sententiæ communis inferatur. Eam tamen latè defendit Arriaga disp. 4. de generatione sect. 5. n. 72. 47

Probatur, vt aliqua substantia proprias passiones, & qualitates acquirat, non prærequiritur

in illa alia qualitas, non enim datur in substantia aquæ, verbi gratia, aliqua qualitas quinta quæ amissam frigiditatem restauret, & iterum eam acquirat, vt ex communi sententia ostendi disput 17. physic. capite 4. sed vbicatio ac præsentia in loco infimo est propria passio substantiæ terræ, ergo non prærequiritur in tali substantia terræ aliqua qualitas quæ illam præsentiam acquirat, sed illam acquiret per se ipsam. Sed id, per quod terra infimam præsentiam localem ac vbicationem acquirit, est grauitas; ergo grauitas terræ ab ipsius substantia à parte rei non distinguitur, & idem dicendum de ignis leuitate, proportione seruata.

48 Obijciat quis, eadem substantia rei manens, modo habet maiorem, modo minorem grauitatem, ergo grauitas ab ipsa rei substantia discriminatur, alias variata grauitate variaretur etiam ipsa substantia.

Respondeo, grauitatem ac leuitatem esse ipsam substantiam rei in recto connotantem hanc vel illam dispositionem accidentalem, vel qualitatum temperiem in obliquo, vnde hac temperie vel dispositione variata, eadem substantia magis vel minus grauitat, non quia varietur grauitas secundum id, quod dicit in recto, sed quia variatur secundum id, quod includit in obliquo, quod sufficit ad variationem effectus.

49 Assertio secunda: grauitas vel leuitas, etsi essent qualitates distinctæ à substantia specie inter se differrent. Ita communis sententia cum suo principio, Aristoteles lib. 1. de generat cap. 2. text. 8. quem sequitur D. Thom. Conimbricenses lib. 2. de generatione cap. 3. quæst. 4. artic. 1. Hurtado de opere sex dierum disp. 3. sect. 5. num. 59. Ouiedo controuers. 8. de generatione p. 7. num. 10. Carleton disp. 14. de generatione sect. 1.

Probatur: passiones, quæ consequuntur ad diuersas specie essentias nō vt symbolas, sed vt dissymbolas dissident etiam specie? Sed grauitas, & leuitas consequuntur ex hac suppositione ad diuersas specie essentias, verbi gratia ignem, & terram, & non vt naturas symbolas, sed vt naturas disymbolas, ergo differunt specie.

Dices, etiam leuitas ignis, & leuitas aëris consequuntur diuersas specie essentias, ergo sunt diuersæ specie, nego consequentiam, quia consequuntur illas essentias, vt symbolas inter se, scilicet vt conueniunt in ratione calidi, ex quo leuitas resultat.

50 Obijciat quis, grauitas & leuitas habēt effectus eiusdem speciei grauitas, enim producit præsentiam localem infimam, & leuitas producit præsentiam localem supremam, quæ quidem præsentiæ locales habeant eamdem speciem, ergo grauitas, & leuitas sunt eiusdem speciei.

Dicunt quidam grauitatem & leuitatem habere diuersoa fines, leuitas enim producit præsentiam localem, vt reddat corpus magis approximatum cælo, grauitas verò suam essentiam producit in loco infimo, vt reddat corpus magis à cælo distans, qui sunt fines diuersi, & ideo ipsas qualitates esse diuersas. Sed contra, corpus esse magis cælo approximatum est formaliter habere præsentiam localem in loco supremo, & esse corpus magis à cælo distans est formaliter habere præsentiam localem in loco infimo, sed habere præsentiā in loco supremo, & habere præsentiam in loco infimo, non sunt fines specie diuersi, cum tales præsentiæ sint eiusdem speciei, ergo esse corpus approximatum cælo, & esse distans ab illo, non sunt fines specie diuersi, nec ob prædictam rationem grauitas & leuitas erunt specie diuersæ. Respondeo ergo, differre specie grauitatem ac leuitatem non quidem ratione terminorum, quos producunt, sed ratione diuersarum naturarum, ad quas consequuntur vt supra monstratum est.

Assertio tertia, res non leuitat, nec grauitat, in propria sphæra. Ita communis schola. Probatur primo à priori, quia res grauitat, & leuitat, vt constituatur in sua sphæra, quæ est locus illi rei connaturaliter debitus, ergo cum est in illa, non grauitat, nec leuitat, res enim naturaliter non mouetur ad id quod iam possidet, consequendum. Probatur secundò, quia si aqua verbi gratia, in sua sphæra grauitaret, natatores non possent sustinere illam, sed illam sustinent, immo nec pondus aliquod sentiunt, ergo aqua aut res alia non grauitat in sua sphæra. 51

Obijciat aliquis, vter aëre plenus magis grauitat quam si esset inanis, ergo aër grauitat intra illum, & tamen aër est intra suam sphæram ergo res grauitat in sua sphæra. Respondeo, aërem illum esse refertum pluribus terreis corpusculis, quæ grauitant versus terram, & eorum ratione magis vtrem grauitare, non verò ratione aëris, qui, si purus esset non magis grauitaret vter aëre plenus, quam si esset vacuus, immo minus aëre ipsum eleuante, aut detinente, eius grauitas sentiretur, sicut papyrus contusa magis videtur grauitate, quam non contusa quia aër per poros illius inclusus, à quo aliquantulum leuabatur ex vi contusionis expulsus est. 52

Assertio quartò, non omnia grauia æqualiter grauitant, id est, non cum æquali velocitate deorsum descendunt. Est contra Arriagam supra disp. 4. sect. 5. num. 93. & sequentibus, sed eam tenent experti Philosophi vt Carleton fatetur supra sect. 2. Probatur aperte experientijs, nam quo res grauior est per se loquendo citius ac velocius ad terram descendit, ignis enim magnus citius calorem intensum in passo applicato producit, quam paruus, & homo quo fortior, eo pondus citius leuatur, & quo agilior, velocius mouetur, ergo signum à posteriori certum est grauia & leuia non æqualiter, ac cum æquali velocitate sua loca pertingere. Confirmatur, res quo leuiores sunt, eo celerius mouentur sursum, ergo quo grauiores, celerius descendunt deorsum: consequentia est bona à paritate rationis, antecedens probatur, ignis multo celerius mouetur sursum, & versus cælum fertur, quam fumus, aut vapores ex varijs rebus vi ignis expressi, & idem antecedens alia experientia comprobatur, si enim vesica plena aëre, & particula ligni eiusdem magnitudinis, infra aquam funiculo aliquo in fundo ligatæ detineantur, sciſſo funiculo illico ascendunt, sed multo celerius vesica, vt constat experientia, ergo res leuiores celerius feruntur sursum, ergo & grauiores celerius descendunt deorsum. Alia vide apud Carleton qui Arriagam satis impugnat. 53

***

CAPVT

CAPVT VII.

De mixtione, ac mixtis & eorum temperamentis.

54 LAte, & erudite exagitant hanc difficultatem Ioannes à ſancto Thoma quæſtione 5. de generatione articulo 1. 2. & 3. & Raphaël Auerſa 2. tomo Philoſophiæ quæſtione 44. & 45. per plures ſectione breuius Magiſter Bañez libro 2. de generatione capite 3. quæſtione 1. Ioannes Martinius libro 2. de generatione capite 7. Arriaga ſupra ſectione 7. Carleton diſputatione 14. de generatione ſectione 1. & 2. Complutenſes diſputatione 12. de generatione quæſt. 1.

Mixtio igitur generaliter eſt duarum rerum inter ſe contiguatio, & dupliciter vſurpatur, primo pro mixtione vulgari. Secundò, pro mixtione phyſica: mixtio vulgaris eſt quædam coniunctio ac interpolatio diuerſorum corporum, quæ ſuas proprias formas ſubſtantiales retinent, ſiue poſſint humanitus ſeparari, vt cum numi argentei miſcentur, & coniunguntur cum numis aureis ſiue non poſſint humano modo diſcerni, vt cum farina tritici coniungitur, & miſcetur cum farina hordei. Mixtio perfecta ſeu phyſica eſt productio alicuius nouæ formæ ſubſtantialis, ſub qua plura coniunguntur, vt ſtatim explicabimus.

55 Hæc itaque mixtio phyſica ſic ab Ariſtotele hic libro 1. capite 10. definitur. *mixtio eſt miſcibilium alteratorum vnio*, hoc eſt, actio productiua formæ ſubſtantialis mixti, ſub qua plura elementa antea alterata per quatuor primas qualitates copulantur.

Sed dicat quis, aliquando ex vno tantum elemento quatuor primis qualitatibus alterato, mixtum generatur, quæ quidem actio eſt verè mixtio, & tamen tunc plura miſcibilia ſcilicet elementa non vniuntur, vt per ſe conſtat; ergo mixtio non eſt miſcibilium, videlicet elemento rum alteratorum vnio.

Dico tamen per talem mixtionem generatiuam ſeu generationem mixtiuam ſub forma mixti generata vniri omnia elementa non quidem formaliter, cum nec eorum materiæ, nec formæ ſubſtantiales ibi formaliter maneant in omni caſu, ſed tantum virtualiter, quia omnium elementorum virtutes, ac qualitates refractæ, & ad mediocritatem reductæ in omni mixtione ſub forma mixti generata copulantur.

Vnde clarius ſic mixtionem definirem. *Mixtio eſt productio formæ ſubſtantialis ex materia quatuor primis qualitatibus alterata*, per quod differt à generatione ſimplicium, quæ eas omnes qualitates in materia non præmittit.

56 Sed quærat quis, an elementum poſſit ita cum mixto miſceri, vt tranſmutetur ſubſtantialiter in ipſum mixtum? Compertum mihi eſt id de facto ſæpè accidere, ſi enim guttula aquæ in magnam vini portionem injiciatur, in vinum ſubſtantialiter tranſmutabitur, ratio eſt, vt agens naturale poſſit in aliquod paſſum propriam formam ſubſtantialem, alia expulſa, generare, tantum requiritur quod in eius materiam proprias qualitates, ac diſpoſitiones inducat; ſed magna illa portio vini in materiam illius guttulæ aquæ immerſæ proprias vini qualitates, ac diſpoſitiones induceret, maior enim eſſet actiuitas vini quam reſiſtentia illius guttulæ, ergo hæc conuerteretur ſubſtantialiter in vinum.

Mixtum eſt, quod ex quatuor primis qualitatibus refractis, & moderatis reſultat. 57
Hoc eſt duplex, aliud imperfectum, quod eſt id, cuius temperies ita affinis eſt temperamento alicuius elementi, vt poſſit facile conuerti in illud, vt grando, nix, vapor, & ſimilia, aliud eſt perfectum cuius temperies non ita proxima eſt temperamento elementi, nec poteſt ita facile in elementum mutari vt leo, equus, & id genus alia.

Item Mixtum aliud eſt homogeneum, cuius partes idem qualitatum temperamentum habent, vt argentum, aurum, &c. aliud etherogeneum cuius partes diuerſis temperamentis qualitatum afficiuntur, vt homo, equus.

Verum nonnihil iam de temperamentis dicamus. Temperamentum mixtorum eſt 58
quadam qualitatum refractarum aggregatio in eodem ſubiecto alia enim qualitas quinta ab illis quatuor diſtincta, in qua temperamentum conſiſtat, & otioſa, & commentitia eſt.

Hoc eſt duplex, aliud eſt vniforme, in quo omnes quatuor qualitates habent eandemmet intenſionem ac latitudinem graduale, & ſolet dici temperamentum ad pondus, quod non repugnat naturaliter in mixtis homogeneis reperiri attenta natura talis mixti ſeu ex parte mixti, tamen ex parte agentium naturalium, & ex parte modi agendi, id repugnat, quia agentia naturalia vt ſupra oſtendi diſputatione 8. capite 4. ſemper agunt ſecundum aliquam qualitatem prædominantem, vt docent Ioannes à ſancto Thoma ſupra quæſtione 11. de generatione articulo 2. Complutenſes, Bañez ſupra capite 7. & eſt expreſſa ſententia Diui Thomæ in 3. diſtinctione 16. quæſtione 1. ad 4. vbi ſic inquit, *quod impoſſibile eſt quod complexio perueniat ad tantam æqualitatem quin alterum contrariorum prædominetur*, quia alias non fieret mixtio, niſi vnum ageret in aliud *dominans ad medium reducendo*; ex quibus manifeſtè conſtat repugnare ex parte agentium temperamentum ad pondus, cum agens ſemper efficienter, & actiuius agat, & cum maiori victoria, nam agens fortius fortiores qualitates imprimet paſſo, & ſic non erunt omnes qualitates æquales ad pondus, ergo ex parte agentium naturaliter repugnare videtur.

Aliud temperamentum eſt difforme, in 59
quo illa æqualitas non datur, ſed tantum illa proportio, & qualitatum temperies, quam exigit natura mixti, quod ſolet appellari temperamentum ad iuſtitiam, & etiam in mixtis etherogeneis ſæpè naturaliter inuenitur, iſtud autem temperamentum difforme, aliud eſt ſimplex, in quo vna qualitas alias inter ſe æquales excedit;

aliud

aliud compositum, in quo excedunt duæ qualitates, & vtrumque potest in alia plura temperamenta subdiuidi vt videre est apud Conimbricenses hic capite octauo quæstione prima, articulo secundo, qui plura alia curiosè, & eruditè pertractant, quæ quidem magis rei medicæ, quam nostro deseruiunt instituto.

Et hæc de tractatu isto, ac libris de generatione, & corruptione dicta sint satis.

Ad maiorem gloriam Dei, ac Deiparæ Virginis Mariæ. Laus Deo.



COMMEN



COMMENTARII, ET DISPVTATIONES IN TRES LIBROS ARISTOTELIS DE ANIMA.

PROOEMIVM.

PRÆCLARA iam noſtræ Philoſophiæ pars nobis diſputanda occurrit, in qua mens noſtra non ſolùm in rebus exterioribus, ſed etiam ſupra ſe ipſam conuertens ad diuinam naturam, à qua profecta eſt, reuocatur, vt meritò animi doctrina à Theologis, & Phyſicis, veluti quoddam diuinarum, & humanarum rerum compendium ſcientiæ appelletur, & D. Aug. lib. 2. de ordine c. 8. docet duas eſſe præcipuas quæſtiones in Philoſophia, vnam de anima, alteram de Deo, quare Ariſt. poſtquam in ſuperioribus egit de ente naturali, vt ſic, de ente naturali, cæleſti, generabili item & corruptibili, ſimplici, etiam ac mixto, iam in his libris de corpore animato, ſeu de anima ipſa diſceptat, eius eſſentiam & ſpecies oſtendit, potentias, & actus aperit, & de pluribus aliis ad eam attinentibus diſſerit, cuius nos doctrinam noſtris Tractatibus, & Diſputationibus explanabimus.

Sed prius inquirendum eſt, quid ſit principale obiectum attributionis ſaltem extrinſecum huius doctrinæ, cenſet Paulus Venetus, & alij corpus animatum eſſe obiectum attributionis horum librorum: aſſerunt alij ſolùm animam eſſe obiectum attributionis huius doctrinæ, vt Simplicius, Philoponus, Alexander, Themiſtius, Albertus Magnus, Iandunus, Ægidius, Theophilus, Caietanus, & D. Thom. apud Conimbr. in proœmio ad lib. de anima; cenſeo tamen breuiter dicendum, quod ſi ij libri de anima ſeorſim ſecundùm ſe, ac ſeparatim ſumantur, ſolam animam eſſe obiectum attributionis ipſorum, vt docere videtur D. Thomas, & præfati auctores, ſi verò vna cum aliis libris, qui paruorum naturalium dicuntur, conſiderentur, obiectum eorum principale ſaltem extrinſecum eſſe corpus animatum, ita Venetus, Toletus hic, P. Hurtado, Arriaga, Carleton, Conimbricenſes, Franciſcus Alphonſus & plures ex antiquis, & recentioribus Ioann à S. Thom. Complutenſes diſp. 1. de anima q. vnica.

Probatur, obiectum attributionis ſaltem extrinſecum alicuius ſcientiæ eſt illud, ad cuius cognitionem cognitio aliorum omnium, quæ in illa ſcientia tractantur, ordinantur, & referuntur, à principaliori ſciente, vt in Proœmio Logicæ diſp. 1. cap. 4. diximus; atqui à principaliori ſciente ſcilicet ab Ariſtotele omnia illa, quæ tractantur in his libris de anima, ſi ſecundùm ſe ſeorſim conſiderentur, ordinantur, ac referuntur ad perfectam cognitionem animæ, quam in hoc opere præcisè intendit, quia in proœmio proponit illam inquirere, ac in libro de ſenſu, & ſenſibili illam adinueniſſe & tradidiſſe teſtatur; ſi verò hi libri vnà cum libris paruorum naturalium ſpectentur, omnia, quæ in illis aguntur, ad corpus animatum perfectè cognoſcendum ab eodem Ariſtotele ordinantur, vt docet D. Thom. in hoc opere lib. 1. dicens *ſcopum Phyſic. eſſe agere de rebus animatis*; Ergo obiectum principale, ac ſcopus horum librorum, ſi ſecundum ſe ſeorſim conſiderentur, eſt ſola anima, ſi verò connectantur cum aliis libris de paruis naturalibus erit corpus animatum. Vnde ſicut reſpectu illius doctrinæ, quæ agit de ſola generatione, ſi ſecundum ſe ſeparatim conſideretur, ſola generatio eſt obiectum attributionis, reſpectu verò totius facultatis, quæ agit de ente generabili, & corruptibili, corpus generabile eſt obiectum principale illius, ita ſimiliter reſpectu illius doctrinæ, quæ agit de ſola anima, ſi ſeorſim ſpectetur, quæ concluditur

in his tribus libris de anima seorsim consideratis, obiectum attributionis est sola anima, respectu verò totius facultatis, quæ agit de corpore animato, & claudit etiam libros paruorum naturalium, ipsum corpus animatum est obiectum ipsius principale.

Verùm inquirat quis, an anima rationalis ad obiectum horum librorum pertineat? Compertum est animam rationalem secundum se, vel secundum statum coniunctionis ad corpus, ad Physicam, scilicet ad hos libros spectare, nam ad hos libros spectat anima, quæ est actus corporis Physici organici, vt infra videbimus, sed anima rationalis secundùm se, aut secundum statum coniunctionis ad corpus est actus, ac forma corporis Physici organici, ergo anima rationalis secundùm se, ac secundùm statum coniunctionis ad corpus attinet ad hos libros. Controuersia verò est, an anima secundùm statum separationis à corpore, species, quas ibi habet inditas à Deo, & operationes, quas exercet, ad Physicum an ad Metaphysicum spectet? Nonnulli censent, ad Metaphysicum spectare. Ita Conimbricenses hic quæstion. vnica artic. 2. concluſ. 3. quod probabile iudicat Suarez disp. 1. met. sect. 2. n. 18.

Arbitror dicendum considerationem de anima separata ad Physicum pertinere. Ita Toletus in proœmio horum librorum q. 2. concl. 3. Hurtado, Arriaga, Carleton, Franciscus Alphonsus, & communiter Recentiores. Probatur primò, anima rationalis, dum est separata, dicit ordinem ad corpus tamquã actus illius, & pars incompleta, sed ad eam scientiam spectat agere de parte, ad quam pertinet agere de toto completo, ergo ad Physicum pertinebit agere de statu separationis animæ; ex eo enim, quod in Phys. agitur de corpore completo substantiali, agitur etiam de materia & forma non solum vt coniunctim, sed vt separatim, cum inquiratur vtrum materia prima saltem diuinitus posset existere sine forma, & forma sine materia & quæ actione vtraque conseruetur, ergo similiter ad Physicum pertinebit agere de anima, quæ est pars essentialis corporis naturalis, etiamsi separata ad metaphysicam spectet, sicut spectat consideratio Angeli.

Dices cum Conimbricensibus supra; animam secundùm se esse obiectum horum librorum, Primò, quia ex Arist. illud dicitur obiectum in qualibet scientia, cuius definitio inuestigatur, sed in iis libris non corporis animati, sed ipsius animæ definitio inuestigatur, vt inscriptio ipsorum demonstrat, ergo. Secundò, quia si corpus animatum esset obiectum principale horum librorum frustrà Arist. excellentiam animæ rationalis extolleret supra omnes partes Philosophiæ, cum in cathegoria substantiæ superius sit animal, corpore animato, ergo.

Respondeo in illa definitione animæ rationalis virtualiter definiri corpus cum sit illius actus.

Ad secundum dico libros de animato vt sic esse perfectiores libris de inanimatis, sicut viuens, non viuente, & libros de animali perfectiores esse vt sic libris de animato, vtpotè superiores, libros vero de homine esse perfectissimos ea parte, qua agunt de homine, & eius animo, nuncupanturque libri de anima sumpta metaphora à parte principaliori, quæ est anima, & à Phys. quidditas & pulchritudo compositi multoties appellatur.

Probatur secundò: Physiologia considerat directè, & per se naturã; sed anima separata etiam vt sic formaliter est natura; ergo, anima rationalis etiam vt separata ad Physiologiam attinet. Minor probatur, natura est id, quod saltem aptitudine est principium motus eius, in quo est ratio essentialis, sed anima etiam vt separata est aptitudine principium motus corporei compositi humani, in quo etiam aptitudine est vt ratio essentialis, ergo anima rationalis vt separata est natura; Dicat quis animam rationalem separatam esse naturam in ordine ad coniunctionem ad corpus, quam potest habere, non verò in ordine ad operationes, quas separata exercet independenter à materia, ac proinde ad Physicam attinere illam considerare in ordine ad corpus, non vero in ordine ad illas actiones independentes à corpore. Sed contra, etiam anima rationalis coniuncta corpori non est necessaria in ordine ad actiones spirituales intelligendi, & volendi, & tamen quia hæ actiones oriuntur ab illa, quæ verè est natura, Physica considerat animam in ordine ad illas, ergo similiter, licet anima separata in ordine ad operationes, quas exercet in eo statu independenter à corpore, non sit natura, quia tamen tales actiones oriuntur ab ipsa anima, quæ secundum se est natura, Physica considerabit animam etiam in ordine ad illas.

Confirmatur principaliter, scientia, quæ considerat aliquam rem sub aliqua ratione, considerat etiam id, quod quasi per modum passionis, necessario consequitur ad ipsam sub ratione illa, atqui status separationis, quasi per modum passionis necessario consequitur ad animam rationalem sub ea ratione, sub qua consideratur à Physica, ergo, etiam Physica debet considerare statum separationis talis animæ, igitur anima etiam vt separata spectat ad Physicam. Consequentia est euidens, maior patet, quia cum cognitio passionis inferatur ex cognitione essentiæ, scientia, quæ cognoscit essentiam rei, debet cognoscere eius passiones. Minor etiam sic ostenditur, Physica considerat animam rationalem, quatenus est immortalis, & vnita corpori vnione corruptibili, illam enim immortalitatem demonstrat, & hanc vnionem corruptibilem declarat, atqui ad animam vt vnitam corpori vnione corruptibili, ac immortalem, necessariò consequitur status separationis, nam si eius vnio est corruptibilis, aliquando naturaliter deficiet, & si anima est immortalis, etiam non vnita manebit necessario à corpore separata, ergo status separationis

necessariò

necessariò consequitur per modum passionis ad animam rationalem, quatenus consideratur à Physica.

Hæc ergo doctrina de anima est verè scientia quia plures de anima passiones demonstrat: est speculatiua simpliciter, quia in sui obiecti contemplatione acquiescit, licèt vnum vel alterum actum practicum fortasse habeat: est nobilior aliis partibus Physicæ, quia quatenus respicit animam rationalem, eius obiectum est nobilius: est adæquatè distincta *à dialectica*, hæc enim considerat actus intellectus vt dirigibiles, id est, vt connotant regulas, illa verò vt vitales, hoc est, vt connotant vitalem potentiam, est vna composita ex pluribus habitibus, vt in simili in proœmio Logicæ declarauimus. Hæc breuiter præfati auctores in proœmio ad libros de anima.

TRACTATVS PRIMVS,

De Anima, eiusque speciebus in communi.

IN hoc Tractatu animam in communi considerabimus, eius essentiam, compositionem, ac inæqualitatem patefaciemus, rationem vitæ; & quot sint gradus viuentis, & quænam anima informentur breuiter declarabimus.

DISPVTATIO PRIMA.

De substantia Animæ secundùm se.

QVINQVE capita continebit. In primo definitio animæ declaratur. In secundo inquiro, an anima indiuisibilis sit. In tertio, an partes animæ materialis homogeneæ, an etherogeneæ sint. In quarto an animæ eiusdem speciei possint esse indiuidualiter inæquales? In quinto an animæ diuersæ speciei possint esse æquales in perfectione essentiali.

CAPVT I.

Definitio Animæ declaratur.

1 ANima in communi sic ab Arist. hic lib. 2. cap. 1. definitur, *Anima est actus primus corporis Physici organici potentia vitam habentis.* Hoc est, est forma quædam substantialis corpus aliquod informans, eique formaliter tribuens veram rationem viuentis, ad quam corpus ipsum mediis suis organizationibus, proximè dispositum erat, explicationem verò huius definitionis expositionem melius ad finem subiiciam.

2 Hinc infero contra Platonem, Themistium, Auerroem, & alios Philosophos antiquos, quos referunt Conimbricenses hic lib. 2. cap. 1. q. 6. art. 2. animam non esse præcisè actum quemdam assidentem corpori, vt gubernator assidet naui, & Angelus motor assistit, cælo. Probatur, anima est actus complens materiam, & cum illa constituens vnum per se, scilicet vnum per se hominem, vnum per se equum, atqui, si tantum esset actus assistens materiæ, & non illam per se informans non constitueret cum illa vnum per se, Angelus enim assistens cælo, cum illo vnum per se non constituit, nec gubernator cum naui; ergo anima non est actus præcisè assistens corpori, sed etiam etiam illud informans. Confirmatur in anima materiali; hæc enim dependet à corpore, vt à subiecto, ex quo educitur, ergo, sustentatur in illo, & afficit illud, ergo est vera forma illius. Vrgeo, in anima rationali, quæ quidem dum est in corpore, non intelligit nisi dependenter ab illo, scilicet ab eius dispositione, & organizatione, atqui si anima rationalis solùm esset assistens corpore, & non esset forma illius, non intelligeret dependenter ab illo, sicut Angelus non intelligit dependenter à cœlo, cui assidet, nec gubernator dependenter à naui, cui assistit: ergo anima rationabilis non est præcisè actus assistens, sed vera corporis forma: quod quidem est etiam fide diuina sanctum, ac definitum in Concilio Viennensi sub Clemente V. cuius decretum habetur in Clementina vnica de Summa Trinitate c. 2. & hoc ipsum statutum est in Concilio Lateranensi sub Leone X. sess. 8. quem errorem impugnat latè Petrus Hurtado disp. 1. de anima section. 3. Arriaga sect. 2. Carleton, & concorditer omnes Scolastici.

Sed quærat quis, quid in prædicta definitione nomine corporis intelligatur? Nonnulli censent corpus significare materiam primam affectam forma quadam substantiali corporietatis, qua proxime præparatur ad formam iuentem vrecipiendam. Hanc Scoti sententiam impugnauimus in Phys. disp. 10. cap. 4. assertione 3. Opinantur alij corpus esse materiam primam, ac formam illi vnitam secundum gradum præcisè corporeitatis, quo pacto compositum istud coalescens ex materia & anima secundum illum præcise corporeitatis gradum, quod est corpus, manet in potentia ad eamdem animam secundum vlteriorem gradum viuentis. Ita sentire videtur Suarez tom. 1. disp. 15. sect. 10. n. 15. 3
Sed non bene, quia anima est verè ac realiter forma corporis, sed anima secundùm gradum viuentis non est verè, & realiter forma sui ipsius secundum gradum corporeitatis, cum inter hos gradus eiusdem animæ non detur reipsa distinctio, quæ ad realem ac veram informationem necessario desideratur, aliàs posset in Deo vera informatio reperiri, quod nullus dicit, ergo, corpus cuius forma & actus est ipsa anima, vt viuens, non est aliquid essentialiter coalescens etiam ex eadem anima secundum gradum corporeitatis. Alij sentiunt corpus esse compositum substantiale ex materia & anima secundùm omnes gradus, atque ita animam non esse actum informantem corpus, sed actum constituentem illud. Sed non placet, vt mox dicam.

Arbitror ergo corpus in prædicta animæ definitione ab Arist. tradita significare solam materiam primam propriis dispositionibus ac organizationibus proxime consignatam ad functiones vitales exercendas. Ita 4

D. Thomas hic lib. 2. cap. 1. text. 4. Conimbricenses q. 1. de anima art. 1. Arriaga disp. 1. de anima section. 1. Catleton disp. 1. de anima sect. 2 non dissentiunt Suar. disput. 15. Metaph. section. 10. Hurtado disput. 1. de Anima sect. D. Thoma q. 1. de Anima art. 1. Franciscus Alphonsus disp. 1. de Anima sect. 1. Probatur manifestè, anima est actus eius, quod est potentia, vt hisce verbis exprimit Arist. hic lib. 2. cap. 4. text. 37. Sed anima est actus corporis, vt ipse cap. 1. animam definiens statuit, ergo tale corpus in ordine ad quod anima definitur, est potentia ad animam, atqui compositum coalescens ex materia & anima non est potentia ad animam, cum illam formaliter in se includat, sed sola materia propriis dispositionibus proximè organizata est potentia ad illam; ergo corpus in ordine, ad quod anima definitur, non est compositum coalescens ex materia & anima, sed sola materia propriis organizationibus præparata.

5 Obiiciat aliquis, corpus in ordine, ad quod anima definitur, est corpus physicum, scilicet naturale, dicitur enim anima esse actus primus corporis physici, sed corpus physicum naturale est corpus coalescens ex materia & substantiali forma, vt ostensum est lib. 2. Phys. 12 cap. 2. ergo corpus in ordine, ad quod anima anima definitur, est quid completum coalescens ex materia & forma substantiali, scilicet anima. Respondeo corpus, de quo in præsenti, physicum ab Arist. nominari, non quidem physicum, & naturale prædicamentaliter, ita vt quid completum substantialiter, censeatur, sed tantùm physicum de naturale transcendentaliter, vt præcisè à corpore mathematico distinguatur, quod est sola quantitas, quam nequit anima informare, materia autem debitis accidentibus organizata dissidet à corpore mathematico, & ita est corpus physicum transcendentaliter in ordine, ad quod anima definitur.

6 Verùm inquirat quis, an corpus organicum solis viuentibus adaptetur? affirmat copulata Conimbricensis hic lib. 2. cap. 1. q. 1. a. 1. Negant alij recentiores. Sed de voce tantùm dissensio est, si organum dicat præcisè partes materiæ variis accidentibus decoratas, quis dubitet cum in non viuentibus scilicet in Iaspide, & aliis lapillis organa reperiri. Si verò organum significet partes corporis tali situ, & fabrica dispositas talibusque accidentibus consignatas, quibus quasi attemperatæ, atque dispositæ sint, vt in illis dulcis vitalium operationum harmonia, & conceptus informetur (vt verosimilius iudico, & conformius organo, & instrumento musico, ex quo tale nomen translatum est) certum est in solis viuentibus quæ actiones vitales præcisè exercent, talia organa posse per se reperiri. Per accidens verò, quando homo subita percussione repentè moritur, saltem per breue tempus illa vitalis organizatio in cadauere inuenitur, quæ mox vt pote dissentanea destruitur. Sic docent D. Thomas 1. p. q. 76. art. 4. & 2. contra Gentes c. 79. Ægidius, Conimbricenses 2. de anima q. 1. art. 1. ac ferè cæteri Latini interpretes.

7 His sic explicatis, supra traditæ definitionis particulas sigillatim explicabimus. Anima ergo est *actus*, scilicet forma apta aliud informare, vt secludatur materia. *Primus* scilicet substantialis, quæ nullam aliam supponit, vt excludatur accidentalis potentia, quæ est quasi actus secundus supponens ipsam formam substantialem. *Corporis organici*, hoc est, materiæ tali situ, figura, ac fabrica hisque & illis organizationibus & accidentibus proximè præparatæ ad recipiendam animam. *Physici*, id est, non Mathematici, vt secernatur quantitas à ratione corporis, quod informatur ab anima, quod quidem dictum erat ex vi præcedentis particulæ, & ita hæc particula subsequens gratia tantùm maioris explicationis apposita est. *Potentia vitam habentis*, id est, materiæ proximè aptæ ad habendam rationem viuentis per formam ipsam, vnde hæc etiam verba maioris causa claritatis ac expressionis apposita sunt, ergo anima est forma substantialis dans materiæ organizatæ rationem vitæ. Priora verba scilicet *forma substantialis* ponuntur loco generis per quod conuenit anima cum aliis formis substantialibus. Posteriora verba, *videlicet dans materiæ organizatæ rationem vitæ*, ponuntur loco differentiæ, quia per illa anima ab aliis formis, in quibus ratio vitæ non inuenitur, re ipsa discriminatur.

Aliam animæ definitionem Arist. eodem lib. 2. cap. 2. assignauit dicens, *Anima est id, quo primò viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus.* Sed obserua, vt hæc definitio non soli competat animæ rationali, sed ad alias etiam animas extendatur, ly, *&* esse pro *vel* vsurpandum ita tamen vt singula definitionis verba cum quadam disiunctione copulatiua explicentur hoc modo, anima est id, quo primò viuimus, vel etiam sentimus, vel etiam mouemur, vel etiam intelligimus, hoc est, est formale, ac substantiale principium alicuius operationis vitalis, atque ita hæc cum prima definitione coincidit. 8

Solet inquiri, quænam definitio ex prædictis sit essentialis, & quæ descriptiua. Respondeo vtramque esse essentialem. Ita Arist. in præsenti, Lactanus de Opificio Dei cap. 27. Albertus Magnus in Summa de homine, Conimbricenses supra, Carleton disp. 1. de anima sect. 2. n. 13. Arriaga disp. 1. de anima sect. 1. n. 17. Hurtado disp. 1. de anima sect. 1. num. 8. Franciscus Alphonsus disp. 1 de anima sect. 1. n. 12. D. Thomas 1. de anima lect. 3. Suarez 2. de anima cap. 3. Ioan. à S. Th. q. 1. n. 2. Bannez 1. p. q. 75. artic. 1. Caietanus de anima cap. 2. q. 4. Complutenses disp. 2. de anima q. 5. Probatur, vtramque enim declarat essentiam animæ per rationem viuentis, vel (quod idem est) per rationem principij substantialis ac formalis operationum vitalium, quæ quidem ratio est quidditatiua, & essentialis animæ vt sic, sicut esse substantiale, ac formale principium talium operationum rationis in particulari est essentiale tali animæ scilicet rationali. 9

CAPVT II.

An anima indiuisibilis sit.

ANima rationalis est omnino indiuisibilis, & simple, vt infra in propria disputatione constabit: anima item vegetatiua plantarum est diuisibilis, ramus enim ab arbore præsectus sæpe floresçit, ac retinet eamdem animam vegetatiuam, quam in ipsa arbore habebat, ergo anima vegetatiua totius arboris erat in partes diuisibilis, aliàs si indiuisibilis esset, in ramo ab arbore præciso, ac separato, non posset talis anima remanere, cùm valeat naturaliter in duobus locis simul adæquatis, ac separatis existere. Anima denique sensitiua animalium imperfectorum, verbi gratia, lumbricæ, vel lacertæ etiam est integraliter diuisibilis, lacerta enim in duas partes præsecta, quælibet mouetur, ac viuit. Dicat quis hunc motum referri posse ad spiritus vitales in iis partibus permanentes, sicut caro arietina ratione horũ spirituum pulpitat mortuo ariete, & etiam humano capite abscisso, truncum ac ipsum caput, in quibus anima rationalis non insidet, à prædictis vitalibus spiritibus agitantur. Sed contra, quælibet pars lacertæ præcisè non solùm mouetur localiter, sed etiam sentit, nam aliquando quiescit, & ab aliquo percussa statim mouetur, atqui sensatio non potest à solis spiritibus causari, sed ab anima sensitiua, ergo in qualibet parte lacertæ præcisæ anima sensitiua insidet, ac proinde talis anima animalium imperfectorum est diuisibilis. 11

His positis, controuersia est de anima materiali animalium perfectorum, verbi gratia, Leonis, aut equi, atque 12

que ita inquirimus, an talis anima ſit reuera diuiſibilis in partes, non quidem eſſentiales, ſed integrales, ex quibus tota anima integraliter componatur. Multi tenent animas perfectorum animalium, etiamſi materiales ſint eſſe omnino indiuiſibiles, & totam animam exiſtere in toto corpore, & totam in qualibet parte corporis. Ita D.Thomas 1.p.q.76.art.8. 2. contra gentes cap. 27. quem ſequitur nobilis Schola Thomiſtarum,Caietanus 1.p.q.76. art.8. Ferrara, Bannez 1. de generatione c.5.q.5. & 1.p.q.76. art.8. Complutenſes hic diſp.5.q.vnica,Ioan. à S.Th.hic q.2.art.1.Albertus Magnus lib.1. de anima cap. vltimo, & lib.2. capit. 7. Aſtenſis 7.Met. tex.59. S.Bonauentura in 1.diſt.8.2.p. q.3. Alenſis, Suarez lib.1. de anima cap.13. Conimbricenſes lib.2.de anima cap.1.q.8.art.2.& art.3.eam probabilem eſſe reputat.

12 Assertio tamen ſit. Anima etiam animalium perfectorum eſt diuiſibilis,& extenſa. Ita Scotus in 4. diſt.44.q.1.art.1.Ægidius,Argentinas, Gabriel,Durandus in 1.diſt.8.q.3.n.10.Capreolus in 2.diſt.15.q.1.ad vltimum, Iandun.2.de anima q.6.Marſius lib.de generatione q.10.Toletus lib.2.de anima cap.2.q.5.Rubius lib.2.de anima q.5.n.119. Pererius lib.6. ſuæ Philoſophiæ cap.3.Murcia lib.2.de anima diſp.1.q.4. Hurtado diſp.2.de anima ſect.4.Arriaga diſp.1.de anima ſect.6. Ouiedo hic controuerſia 1.p.6.Conimbricenſes ſupra, Franciſcus Alphonſus diſp.3.de anima ſect.3.num.31. Carleton diſput.8. de anima lect. 1. Suarez diſput. 15. Metaphyſ.ſect.10.n.32.& ex recentioribus non pauca.

13 Probatur primò, anima equi verbi gratia pendet, & cauſatur materialiter ab omnibus materiæ partibus quibus vnitur, hæc enim vnio formæ materialis cum materia vel eſt cauſalitas materialis, vel eſt neceſſariò cum ipſa cauſalitate naturaliter coniuncta, ſed ſi anima equi eſſet indiuiſibilis non penderet aut cauſaretur materialiter ab omnibus materiæ partibus quibus vnitur, ergo anima equi non eſt indiuiſibilis, ſed diuiſibilis, & extenſa. Minor probatur, ſi anima equi eſſet indiuiſibilis, & neceſſariò penderet, & cauſaretur ab omnibus materiæ partibus quibus vnitur, talis anima vbicumque exiſteret, ibi neceſſariò penderet, & cauſaretur materialiter ab omnibus illis materiæ partibus, verbi gratia,vt exiſtens in capite neceſſariò cauſaretur, & penderet materialiter à materia pedis, atqui anima equi, vt exiſtens, verbi gratia, in capite non cauſatur neceſſariò,ac pendet materialiter à materia pedis; ergo anima equi,ſi eſt indiuiſibilis non neceſſariò penderet, aut cauſaretur materialiter ab omnibus materiæ partibus quibus vnitur. Maiorem, ſcilicet quòd ſi anima equi eſſet indiuiſibilis, & neceſſariò penderet, & cauſaretur ab omnibus materiæ partibus vt à cauſa eius materiali, vbicumque eſſet,ibi neceſſariò penderet, & cauſaretur exillis,ſcilicet vt exiſtens in capite cauſaretur à materia pedis, ſic monſtro; quia quæuis creatura neceſſariò pendet, & cauſatur à Deo, vbicumque exiſtit creatura ibi neceſſario pendet, & cauſatur à Deo, ergo vbicumque eſt effectus, ibi neceſſario eſt pendens,& cauſatus à ſua cauſa, ergo ſi anima equi indiuiſibilis pendet, & cauſatur neceſſariò ab omnibus materiæ partibus, verbi gratia, à materia pedis, vt exiſtens talis anima in materia capitis, ibi neceſſariò erit pendens, & cauſata materialiter à qualibet alia parte materiæ,ſcilicet à materia pedis.Minorem verò ſcilicet animam equi vt exiſtit in capite non pendere, nec cauſari ibi materialiter à materia pedis ſic probo. Sicut non poteſt aliqua res eſſe in aliquo loco alba,niſi in eo loco habeat albedinem, ita non poteſt eſſe in aliquo loco pendens, & cauſata intimè, ac materialiter à materia pedis, niſi in eo loco habeat intimè dependentiam, & cauſalitatem materialem à tali materia, ſed anima indiuiſibilis equi, vt exiſtens in capite non habet ibi cauſalitatem, & dependentiam à materia pedis, ibi enim ſolam habet vnionem cum materia capitis, non verò habet vnionem cum materia pedis,quæ quidem vnio eſt ipſa cauſalitas materialis, vel neceſſario cum cauſalitate coniuncta vt ſæpè docuimus;ergo anima equi indiuiſibilis, vt exiſtens in capite non pendet, aut cauſatur materialiter à materia pedis.

Dicat aliquis primò,ſicut anima equi eſt indiuiſibilis, & tota in tota materia equi, & tota in qualibet parte materiæ, ita ſimiliter vnionem ſeu cauſalitatem eius materialem,qua à materia pendet, eſſe etiam indiuiſibilem & totam in tota materia & totam in qualibet parte materiæ, ac proinde animam equi, vt exiſtit in capite habere cauſalitatem, vnionem ac dependentiam à materia pedis, & à quauis alia materiæ parte, ſicut in multorum ſententia vnio ſpiritualis animæ rationalis cum corpore eſt indiuiſibilis, & tota in tota materia & tota in qualibet parte illius. Sed contra,quando equus per diminutionem amittit aliquam partem materiæ, perit vnio animæ equinæ cum illa, & tamen manet vnio eiuſdem animæ cum alia materia perſeuerante in equo,ergo vnio animæ equi cum materia quæ deperditur, diſtincta erat ab vnione eiuſdem animæ cum materia quæ perſiſtit, ergo tota illa vnio ad totam illam materiam erat vere diuiſibilis. Similiter quando equus per nutritionem acquirit de nouo aliquam partem materiæ,aduenit,& producitur de nouo vnio animæ equinæ cum illa noua parte materiæ,& tamen non aduenit, nec producitur de nouo vnio eiuſdem animæ cum alia materia cui forma vnita præexiſtit, ergo vnio animæ cum materia aduenientе, & vnio eiuſdem animæ cum materia alia præexiſtente ſunt inter ſe reipſa diſtinctæ, ergo tota hæc vnio quæ ex illis reſultat ad totam illam materiam equi eſt diuiſibilis. 14

Dicat ſecundò: quando equus per diminutionem amittit aliquam partem materiæ, amittere totam indiuiſibilem vnionem, quam antea habebat cum tota materia præexiſtente, & reſultare ibi aliam vnionem indiuiſibilem eiuſdem formæ equinæ cum tota materia quæ perſiſtit. Similiter quando equus per nutritionem aliquam nouam partem materiæ acquirit, deſtrui vnionem illam indiuiſibilem, quam habebat forma equi cum materia præexiſtente,& produci aliam vnionem indiuiduam,qua anima equina cum materia præexiſtente, & alia materia de nouo acquiſita indiuiſibiliter vniatur, ac proinde ſemper vnionem animæ equi, ac ipſam animam eſſe indiuiſibilem.Sed contra,quando equus nutritur, & nouam partem materiæ acquirit, anima equi producit media actione nutritiua vnionem ipſius animæ equinæ cum materia de nouo acquiſita. Arguo ſic;hæc actio nutritiua pendet à priori ab anima equi vt vnita materiæ præexiſtenti, anima enim niſi vt vnita materiæ præexiſtenti non eſt cauſa proxima nutritionis; ergo actio iſta nutritiua pendet à priori ab vnione animæ equi cum materia præexiſtenti,ſed talis actio nutritiua non pendet à priori ab vnione animæ equi cum materia de nouo acquiſita, hæc enim eſt poſterior, & pendens à tali actione, cum efficiatur per illam, ergo vnio animæ equi cum materia præexiſtenti, & vnio eiuſdem animæ cum materia denuò per nutritionem acquiſita, non eſt eadem vnio indiuiſibilis, ſed diuiſibilis, & extenta. Confirmatur, eadem res reſpectu eiuſdem in eodem genere prioritatis non poteſt eſſe ſimul prior, & poſterior; ſed ſi vnio animæ equinæ cum materia præexiſtenti, & vnio eiuſdem animæ cum materia denuò per nutritionem acquiſita eſſet eadem indiuiſibilis vnio, eadem res reſpectu eiuſdem, ſcilicet eadem vnio reſpectu eiuſdem actionis nutritiuæ in eodem genere prioritatis cauſæ efficientis eſſet ſimul prior & poſterior, ergo talis vnio non eſt indiuiſibilis, ſed diuiditur. Minor oſtenditur, vnio animæ equi cum materia præexiſtente eſt prior 15

prioritate causæ efficientis, quam actio nutritiua, quia in illo priori, in quo anima equi concipitur, vt causa efficiens proxima nutritionis debet necessariò præconcipi vnio talis animæ cum materia illa præexistente, nam anima separata à materia non est potens proximè efficere nutritionem nisi tantùm vt materiæ vnita, sed vnio animæ equi cum materia de nouo per nutritionem acquisita est in eodem genere prioritatis causæ efficientis posterior, quàm actio nutritiua, cum efficiatur per illam, & pendeat effectiuè ab illa, ergo si vnio animæ equi cum materia præexistit, & vnio eiusdem cum materia denuo per nutritionem acquisita est eadem vnio indiuisibilis, eadem vnio respectu eiusdem actionis esset prior & posterior simul in eodem genere.

16 Probatur secundò principaliter; parte aliqua materiæ equi per diminutionem deperdita, non perit, nec destruitur tota forma equi, vt est apud omnes in confesso, sed si forma equi esset indiuisibilis aliqua parte materiæ per diminutionem deperdita, tota anima equi periret, ac destrueretur; ergo, anima equi non est indiuisibilis. Minor ad hominem sic monstratur, ideo in corruptione leonis verbi gratia & generatione cadaueris omnia accidentia leonis in Thomistarum sententia pereunt, ac destruuntur, quia deest aliquod subiectum partiale eorum, scilicet forma leonis, licèt maneat aliud subiectum partiale, scilicet leonis materia & alia forma substantialis loco amissæ substituatur, vt vidimus in lib. de generat. disp. 2. cap. 3. sed etiam in nostro casu deficit subiectum partiale animæ equinæ, scilicet pars materiæ per diminutionem deperdita, in qua anima equi tanquã in subiecto partiali sustentabatur, ergo licet maneat aliud subiectum partiale, scilicet alia portio materiæ perseuerans, & alia materia per nutritionem loco amissæ substituatur, talis forma equi naturaliter destrueretur.

17 Dicat quispiam; Accidentia leonis, verbi gratia, necessariò causari, ac pendere à materia & à forma leonis determinatè, & ideo quauis deficiente perire necessariò accidentia, formam autem viuentem equi non causari, nec pendere necessariò ab hac determinatè parte materiæ, quæ amittitur, sed ab hac vel illa indeterminatè, & disiunctim, & ideo hac parte materia deficiente non perire formam equi, sed ab alia portione materia quæ remanet, sustineri. Sed contra, ponamus claritatis gratia materiam equi de facto habere tantùm quatuor partes, arguo sic; anima equi, vel causatur, & dependet materialiter ab his partibus, ita vt à qualibet earum pendeat, vt à causa adæquata, & totali, vel ita vt à qualibet illarum causetur, & pendeat, vt à causa tantùm partiali, & ab omnibus illis quatuor partibus simul, vt ab vna causa completa, & totali; sed non potest dici primùm, aliàs simul naturaliter darentur quatuor causæ physicæ adæquatæ, & totales eiusdem numero affectus, scilicet eiusdem animæ equi, quod repugnat, vt ostendimus in Physicis disp. 22. cap. 3. ergo debes asserere secundum, scilicet animam equi causari, ac pendere ab illis quatuor partibus materiæ à singulis vt à causis partialibus, & ab omnibus simul vt ab vna causa materiali adæquata, & totali, ergo, quauis parte ex illis per diminutionem deperdita deest subiectum, & causa partialis animæ equi, à qua talis anima determinatè pendebat, ergo, destruitur, & perit tota anima equi.

18 Probatur tertiò principaliter, quando equus nutritur, anima equi media actione nutritiua physicè producit, ac efficit animam etiam equinam in parte materiæ de nouo acquisita, nam cùm anima equina de nouo causetur materialiter ex illa parte noua materiæ, debet, etiam de nouo effici, & educi ex illa, non enim dari potest naturaliter noua causalitas materialis sine noua causalitate efficiente, atqui anima equi non potest physicè causare, ac efficere seipsam, aliàs esset prior seipsa, quod implicat; ergo anima equi, quæ erat in materia præexistente distincta est ab anima equi, quæ producitur in parte materiæ de nouo acquisita, ergo tota ista anima, quæ est in tota materia non est indiuidua.

Obiiciat autem quis primò: si aliqua ratione anima equi non esset indiuisibilis, maximè quia est materialis, & res materialis non potest esse indiuisibilis, nec tota in toto subiecto, & tota in qualibet parte illius, sed res materialis verbi gratia punctum aliquod quantitatis est indiuisibile, & totum esse potest in toto aliquo spatio diuisibili, & totum in quolibet puncto illius, vt diximus in Physicis disp. 27. cap. 5. & 6. & lib. de generatione disp. 6. cap. 2. & 3. ergo anima equi est indiuisibilis. 19 Confirmatur, res spiritualis verbi gratia, *Vbi* angelicum ad spatium diuisibile est diuisibile, & totum in toto spatio, & pars illius in parte spatij ad modum rei materialis, ergo, è contra res materialis, verbi gra. forma equi erit etiam indiuisibilis, & tota in toto subiecto, & tota in quauis parte subiecti ad modum rei spiritualis. Respondeo, non esse proprium solius rei spiritualis esse indiuisibilem, & totam in toto spatio, & totam in qualibet parte illius, nec esse proprium solius rei materialis esse diuisibilem & totam in toto spatio, & partem ipsius in parte illius, vt argumentum & confirmatio conuincunt, nec propter id animam equi non esse indiuisibilem, sed solùm propter rationes in assertione explicatas. Recognosce illas.

Obiiciat secundò, quando equitans admouet calcaria equo, & illum in corpore percutit, pes equi statim mouetur ad illum repercutiendum, ergo quia eadem anima indiuisibilis est in parte corporis percussa sentiens dolorem, & in pede illum mouens ad repercutiendum, & illatam sibi iniuriam repellendam. 20 Confirmatur, equus manu sentiens aquam frigidam, & pede tangens, & sentiens aquam calidam, æstimat, & quasi discernit inter illas, & ab vna discedit, & accedit ad aliam; ergo eadem indiuisibilis anima est in manu, & pede, qui vtrumque sentit, & discernit inter illa. Vrgeat, quando anima equi intensè in vna parte operatur, v. g. sentit in illa intensum dolorem, remissè operatur, ac sentit in alia; ergo eadem anima est in vtraque parte, aliàs si distinctæ animæ essent, intensa operatio vnius non obesset intensæ operationi alterius. Hoc tamen argumentum instatur in animali imperfecto, cuius anima est diuisibilis, vt aduersarij admittunt, lacerta enim in cauda percussa, mouet caput ad repercutiendum, & cauda sentiens aquam frigidam, & capite sentiens aquam calidam æstimat, & discernit inter illas, & ab vna fugit, & accedit ad aliam, & quando intensè operatur, ac sentit dolorem in vna parte, remissè operatur, & sentit in alia, atque ita hæc difficultas omnibus est communis.

Respondeo ergo, animam equi existentem in parte 21 corporis percussa sentire illum dolorem, & eius speciem immittere per neruos sensorios ad cerebrum, vbi insidet anima cognoscitiua, & appetitiua, quæ apprehendens illud damnum, ac iniuriam sibi illatam appetit vindictam sumere, & mouendo quemdam neruum qui vsque ad pedem extenditur, suum per illum quasi traiicit impulsum imperando motum, quo anima in pede existens mouetur ad repellendam iniuriam, & alium repercutiendum. Ad confirmationem dico, animam equi existentem in manu sentire frigus aquæ, & aliam animæ partem existentem in pede etiam calorem aquæ sentire, & vtramque proprij obiecti immittere speciem ad cerebrum, vbi anima prædicta obiecta apprehendens æstimat, & diiudicat inter illa, ac imperat modo nuper explicato animæ in manu, aut pede existenti discessum ab vno extremo, & accessum ad aliud.

Ad

Ad alteram confirmationem respondeo, vt anima eliciat sensationes, necessariò requiri, quod spiritibus animalibus foueatur; cum autem vna pars animæ intensè operatur, vehementémque elicit sensationem, ad illam omnes ferè spiritus animales accurrunt, & alias partes destituunt, atque ideo si vna pars animæ intensè sentit, alia necessariò remissè sentit, & operatur.

22 Obiiciat tertiò, si anima equi esset diuisibilis, & extensa, sicut anima lacertæ, equo in duas partes præciso, in quauis parte eius anima remaneret, sicut præcisa lacerta, in quauis eius parte illius anima perseuerat, sed in quauis parte equi præcisi eius anima non remanet; ergo anima equi non est diuisibilis, & extensa. Respondeo, animam animalis perfecti, quale est equus, necessariò ad sui conseruationem requirere plurium accidentium, ac organizationum apparatum, quem necessariò non petit anima animalis imperfecti verbi gr. lacertæ, cùm verò in quauis parte animalis præsecti tota hæc dispositio & organizatio requisita non reperiatur, ideo in quauis parte equi præsecti non manet anima equi, licèt in quauis parte lacertæ præcisæ remaneat anima lacertæ.

23 Hinc duplicem formæ indiuisibilitatem obserua, aliam, qua forma non possit diuidi in partes, quarum vna verè distinguatur ab alia & in hoc sensu asserimus animam animalis etiam perfecti non esse indiuisibilem, cum diuidi queat in partes, quarum vna verè dissideat ab alia; alteram, qua forma non possit diuidi in partes, quarum vna possit separata consistere sine alia, quo pacto minimum naturale dicitur indiuisibile, quia licèt partes includat reipsa inter se distinctas, non tamen includit partes ab inuicem separabiles naturaliter, & in hoc sensu dicimus animam animalis perfecti v. g. equi esse indiuisibilem, non verò animam animalis imperfecti v.g. lacertæ, quia hæc habet partes ab inuicem naturaliter separabiles, secus illa, de quo indiuisibilitatis genere Arist. & D. Thomas, quando dicunt animas animalium perfectorum esse simplices, ac indiuiduas, intelligendi sunt.

CAPVT III.

An partes animæ materiales homogeneæ, & an etherogeneæ sint.

IN viuente sunt quædam partes organicæ, quæ variis accidentibus & dispositionibus consignatæ sunt, verbi gratia, oculus, manus, pes: de his inquirimus an solùm accidentaliter, an etiam substantialiter differant inter se, hoc est, an partes animæ in illis insidentes sint homogeneæ, & eiusdem rationis, an etherogeneæ, atque rationis diuersæ.

24 Multorum sententia est, partes viuentis esse omnes substantialiter homogeneas, atque ita partes animæ quæ sunt in illis esse eiusdem rationis omnino, ita vt pars quæ de facto est oculus, potuisset æquè connaturaliter esse auris, cor potuisset esse pes, iecur, &c. Et quæ de facto est forma carnis, potuisset esse forma ossis, atque ita in hac sententia omnem differentiam in viuente prouenire à dispositionibus & aurem solum accidentaliter differre ab oculo, cor à cerebro, oculum à pede. Ita Gregorius in 2. dist. 26. & 29. Caietan. lib. 2. de anima q. 1. Capreolus in 2. dist. 15. q. 1. ad 6. Soncinas 8. Metaph. q. 10. Bannez lib. 1. de generatione q. 7. art. 4. Soto lib. 5. Phys. q. 3. ad 8. Durandus, & alij, quos referunt, & sequuntur Conimbricenses lib. 1. de generatione cap. 4. q. 22. art. 2. tenet absolutè Arriaga disp. 1. de anima sect. 6. n. 204. Ouiedo controuersia 1. de anima p. 7. & plures ex recentioribus, & videtur sententia D. Thomæ 2. contra Gentes cap. 64. & 1. p. q. 76. art. 5. ad 3. qui ait *partes animalis, (vt oculus, caro, & os non esse diuersarum specierum, sed diuersarum dispositionum.* Verum D. Thomas solùm loquitur de specie completa, & ideo dicit has partes non esse in specie, sed totum ex illis resultans, & eapropter licet sentiat eas partes differre secundùm quid in specie, scilicet specie incompleta, asserit non dissidere in specie simpliciter, videlicet specie completa, sed habere dispositiones simpliciter specie diuersas.

Probatur primò ratione, si ob aliquid anima equi, 25
verbi gratia, non esset eadem in specie in omnibus partibus, maximè quia habet dispositiones diuersas in illis, sed anima rationalis cum prædictis dispositionibus diuersis non est in illis partibus specie diuersa, ergo nec anima equi, erit in illis specie diuersa.

Confirmatur, in Iaspide, & aliis lapillis sunt accidentia diuersa specie, & tamen eius forma est in specie eadem, ergo etiam forma equi, licet habeat diuersa accidentia, erit in specie eadem. Respondeo tamen animam rationalem ob sui excellentiam in se eminenter seu æquiualenter includere plures partes formæ materialis specie diuersas, atque ita licet ad diuersas dispositiones dentur diuersæ partes animæ materialis, cum iisdem dispositionibus diuersis vna, & eadem anima rationalis inuenitur, quæ illas omnes indiuisibiliter petit. Ad confirmationem dico accidentia diuersa, quæ à priori dispositiuè ac per se ratione formæ ad ipsius generationem concurrunt, illam diuersificare in specie; alia verò accidentia diuersa, quæ tantùm quasi per accidens ex hoc, aut illo climate ex varia astrorum constellatione resultant, non causare diuersitatem in forma. Priori modo se habent accidentia diuersa, ac dispositiones viuentis, atque ideo eius anima est in pluribus partibus specie diuersa, posteriori verò modo se habent accidentia illa diuersa quæ in Iaspide, & aliis lapidibus conspicimus, & ideo illorum forma non est specie diuersa.

Probatur secundò, anima equæ, verbi gratia, secun- 26
dum illam partem, qua materiæ fœtus in eius ventre existenti approximata est, physicè attingit, & generat totam animam equi geniti, iuxta ea quæ diximus in physicis disp. 17. cap. 3. sed si anima illius equæ non esset eadem specie in omnibus partibus non posset physicè efficere totam animam equi geniti, ergo talis anima in omnibus partibus est eadem in specie. Minor probatur, anima equæ, quæ est approximata materiæ fœtus in ventre esset per se diuersæ, atque ita ignobilioris speciei cum anima equi geniti, quæ esset in cerebro, hæc enim petit habere sensum communem, & appetitum, quod non haberet pars illa, sed res ignobilioris speciei non potest naturaliter efficere aliam nobilioris rationis, ergo pars animæ equæ, quæ esset approximata in ventre materiæ fœtus, non posset physicè efficere totam animam equi geniti, illam scilicet, quæ est in cerebro. Respondeo tamen, sicut sufficit, quod ignis secundum vnam partem sui sit passo approximatus, vt totus ille secundùm omnes partes ad effectum concurrat, ita sufficere, quod anima equæ secundùm aliquam partem sui materiæ fœtus approximetur in ventre, vt tota illa secundùm omnes sui partes ad fœtum concurrat, vnde cùm tota anima equæ sit tam nobilis, ac perfecta, ac tota anima equi geniti, ideo potest illam efficere, maximè concurrente Deo, & supplente defectum concursus equi, qui ad eumdem etiam effectum debebat concurrere.

Probatur tertiò, anima quæ est in osse, continuatur 27
cum anima, quæ est in carne, sed si essent diuersæ rationis ac speciei, non continuarentur, quia res diuersæ speciei non continuantur; ergo anima, quæ est in osse, & anima, quæ est in carne, non sunt diuersæ rationis, & speciei. Confirmatur, anima sensitiua equi non potest continuari cum anima plantæ, quæ tantùm est

vegetatiua,ergo si anima equi,quæ est in osse,est etiam tantùm vegetatiua,anima eiusdem equi sensitiua, quæ est in carne, non potuit continuari cum illa, ergo si continuantur, vtraque est sensitiua, & vegetatiua, ac proinde eiusdem speciei. Respondeo ea,quæ differunt specie completa, non posse vniri,ac continuari, posse verò continuari illa, quæ tantùm differunt specie incompleta, vnde sicut materia & forma substantialis, quia tantùm specie incompleta differunt per se vniuntur,ita anima carnis, & anima ossis in equo, quia tantùm specie completa dissident, continuantur. Ad confirmationem dico animam sensitiuam, & animam vegetatiuam plantæ differre inter se specie completa, quia non petit aliam naturaliter ad substantiale complementum ipsius, & ideo non posse continuari, animam verò equi, quæ est in carne, & animam eiusdem equi,quæ est in osse, differre tantùm specie incompleta, vna enim exigit naturaliter alteram ad substantiale complementum ipsius, & ideo inter se vniuntur, ac continuantur.

28 Sed obiiciat quis, si hæ partes essent etherogeneæ specie distinguerentur; ergo nec vniri,nec continuari possent. Sequelam probo, quia res diuersæ speciei vniri non possunt, ignis enim, & aqua,homo, & Leo, lignum & lapis non continuantur inter se; ergo. Respondeo illas partes viuentis non solum specie, sed etiam genere differre; nam pars formæ equi, quæ est in osse, est vegetatiua tantum, quæ in oculo,visiua tantum, & sensitiua, sensus enim tactus transcendit omnes alios sensus,in aure auditiua, in pede motiua, &c. quæ operationum diuersitas arguit saltem diuersitatem specificam; vnde res diuersæ speciei non possunt vniri, distinguo, res diuersæ speciei completæ, concedo; res diuersæ speciei incompletæ, & quæ ordinantur ad constituendum vnum totum non possunt inter se vniri, & continuari, nego; equus enim, & Leo, ignis, & lapis se habent inter se disparatè,partes verò viuentis concurrunt ad vnum totum ex diuersis partibus constituendum, quæ est doctrina Aristot.5. metaph. cap.4. vbi sic ait, *aliqua esse vnum secundum continuationem, & quantitatem, & non secundùm qualitatem*, vbi per qualitatem, vt interpretatur Suarez lib.1.de anima cap.2. num.20. intelligit formam;ergo in compositione integrali non est attendenda conuenientia in prædicatis essentialibus, sed ordinatio partium ad constituendum vnum totum integrale.

29 Secunda sententia est etiam valde probabilis, videlicet partes organicas viuentis esse etherogeneas substantialiter, hoc est, partes animæ insidentes in illis, esse diuersæ rationis, & specie incompleta inter se diuersas, ita vt in aure non sit omnino virtus in actu primo videndi, nec in oculo audiendi, nec magis forma carnis posset esse forma ossis,aut pars formæ, quæ est in corde, forma cerebri, quam forma equi, forma Leonis,Aquilæ,vel cerui,ita commentator Auerroës 6. Physic. comment.59.& 12.metaphys.text.2.Ioan.Andreas 7. metaph. quæst.17. Paulus Venetus lib.2. de anima cap.5. Nymphus lib.1. de generatione text 26. & 28.& 7. metaph. disp.15. Murcia lib.2. de anima disp.1. quæst 3. Hurtado disp.2. de anima sect.5. Carleton disp.4. de anima sect.1.sect.1. num.5.Franciscus Alphonsus disp.3. de anima sect.4. concl.2. num 40. Suarez disp.15. metaph. sect.10. num.31. & 40. & disp.46. sect.1.& 3. tom.in 3. partem disp.51. sect.4. concl.3. & lib.1. de anima cap.2. Pererius lib.6. suæ Philosophiæ cap.6. quæst.3. Rubius lib.2. de anima quæst.2. num.98. & alij plures.

30 Probatur primò,si dispositio oculi aliquo modo alteretur, ita tamen vt maneat sub forma oculi, talis forma naturaliter restaurat talem dispositionem requisitam ad videndum, si verò ita dispositio illa alteretur, vt oculus conuertatur in carnem non potest iam naturaliter talis dispositio acquiri, atqui si forma, ac anima oculi, & anima ac forma carnis essent eiusdem rationis,& speciei, sicut forma oculi acquirit,& restaurat naturaliter dispositionem ad videndum, ita illam naturaliter restauraret, ac acquireret forma carnis, ac proinde licèt oculus verteretur in carnem, posset naturaliter reduci ad statum, in quo videret, cui repugnat experientia, ergo anima oculi, & anima carnis non sunt eiusdem, sed diuersæ rationis, ac speciei. Respondeo tamen dispositionem, & organizationem oculi ad videndum requisitam de nouo efficiendam, vel notabiliter alteratam restaurandam ob eius perfectionem requiri mirabilem illam virtutem formatricem,quæ in semine reperitur,cùm autem hæc virtus in oculo, aut in carne illi proxima non existat, ideo si talis organizatio, aut dispositio naturaliter alteretur, siue oculus maneat sub forma oculi, siue in carnem conuertatur, non posse illam naturaliter restaurari ex defectu seminalis virtutis, si verò exigua alteratio sit, restaurari potest,vnde cum oculus manens sub forma, ac figura oculi, possit pati alterationem exiguam, conuersus verò in carnem semper, ac necessariò notabiliter alteretur; ideo licet anima oculi, & anima carnis sint eiusdem speciei, oculus sub forma oculi aliquando suam dispositionem restaurat, numquam verò sub forma carnis.

Probatur secundò,tota anima equi materialiter exigit determinatè omnes dispositiones, ac organizationes equi, scilicet organizationem oculi, pedis & manus, &c. sed tota anima equi non distinguitur à suis partibus, ergo partes animæ equi naturaliter exigunt determinatè organizationem oculi, pedis, & manus, atqui si omnes istæ partes animæ equinæ essent eiusdem rationis, & speciei, non peterent determinatè tales organizationes, nam anima quæ est in oculo posset esse in pede, vel in manu naturaliter, atque ita non petit determinatè dispositionem oculi potiùs quàm dispositionem pedis, aut manus: & similiter anima, quæ est in pede, posset naturaliter esse in manu vel in oculo, atque ita non petit determinatè dispositiones pedis potiùs,quàm dispositiones manus, vel oculi, & sic de omnibus aliis partibus eiusdem animæ; ergo equi sunt inter se diuersæ rationis, & speciei, ita vt anima, quæ est in oculo solùm petat, & possit habere naturaliter dispositiones oculi, & anima pedis dispositiones tantùm pedis, & sic de aliis. Respondeo animam, quæ est in oculo & idem dico de aliis partibus, licèt determinatè non petat habere in se dispositiones oculi, petere tamen determinatè coniungi cum aliis partibus animæ equinæ,& in tota illa collectione partium habere dispositiones oculi,pedis, & manus, &c. quod sufficit, vt equus ratione cuiusque partis animæ vt coniunctæ cum aliis petat determinatè tales dispositiones, licèt nulla pars talis animæ seorsim aliquam particularem dispositionem determinatè exigat. 31

Probatur tertiò:ponamus duos equos quorum vnus sit maior alio,& Deus auferat ab illis omnes organizationes,ac dispositiones accidentales,& ab equo maiore abscindat totam illam partem animæ, quæ capiti respondebat, alio equo minori illæso relicto, in hoc casu maior ille equus parte illa substantiæ abscisa non maneret tam integer substantialiter, quàm alter equus minor, à quo nulla pars abscisa fuit, sed si partes animæ non essent diuersæ, sed eiusdem rationis ac speciei, maior ille equus in tali casu tam integer substantialiter maneret, quàm equus minor,nam illa etiam parte substantiæ detracta tot immo plures habebit partes substantiales animæ eiusdem rationis,quàm equus minor, ergo partes animæ equi non sunt eiusdem,sed diuersæ rationis ac speciei. Respondeo iuxta principia oppositæ sententiæ esse dicendum equum maiorem in prædicto casu tam integrum manere substantialiter 32

tialiter quàm equus minor, quia haberet tot partes ſubſtantiæ, & tam aptas ad omnes accidentales diſpoſitiones, & organizationes equi recipiendas, quàm alter equus vt conſtat.

33 ASSERTIO tamen ſit, veroſimilius eſt partes viuentis eſſe etherogeneas, hoc eſt, partes animæ, quæ in diuerſis materiæ partibus organicis inſident, eſſe diuerſæ rationis inter ſe. Ita auctores relati ſupra num. 27. quæ eſt expreſſa ſententia Diuæ Thomæ in diſputatis quæſt. vnica de ſpiritualibus creaturis art. 4. ad 14.

Probatur, formæ, quæ per ſe connaturaliter petunt diuerſa accidentia, ac diſpoſitiones ſunt diuerſæ rationis; anima enim equi, & anima muli quia per ſe & connaturaliter diuerſa accidentia, ac diſpoſitiones efflagitant, colligimus eſſe diuerſæ rationis, & ſpeciei, ſed anima equi, quæ eſt in oculo, & anima eiuſdem equi quæ eſt in pede per ſe, & connaturaliter petunt diuerſa accidentia ac diſpoſitiones; etenim diſpoſitiones oculi, quas petit anima, quæ eſt in oculo diuerſæ ſunt à diſpoſitionibus pedis, quas connaturaliter petit anima, quæ eſt in pede, ergo anima oculi, & anima pedis in equo ſunt rationis diuerſæ.

34 Dicat quiſpiam, animam equi, quæ eſt in oculo non petere determinatè diſpoſitiones oculi, ſed indeterminatè, vel diſpoſitiones oculi, vel diſpoſitiones pedis; & animam equi, quæ eſt in pede, non petere determinatè diſpoſitiones pedis, ſed indeterminatè, vel diſpoſitiones pedis, vel diſpoſitiones oculi, atque ita vtramque animam eaſdem diſpoſitiones, & eodem modo naturaliter exigere, & idcirco non eſſe rationis diuerſæ. Sed contra, ergo ſimiliter poteſt dici animam, quæ eſt in equo, non petere determinatè diſpoſitiones equi, ſed indeterminatè, vel diſpoſitiones equi, vel diſpoſitiones muli, & animam, quæ eſt in mulo, non petere determinatè diſpoſitiones muli, ſed indeterminatè vel diſpoſitiones muli, vel diſpoſitiones equi, ac proinde animam equi, & animam muli non eſſe diuerſæ ſpeciei. Confirmo, anima equi, quæ eſt in oculo, & anima equi quæ eſt in pede magis diuerſas diſpoſitiones, & accidentia ſortiuntur, quam anima equi, quæ eſt in oculo, & anima muli, quæ eſt etiam in oculo, ſed anima, quæ eſt in oculo equi non petit, nec eſt apta etiam indeterminatè ad habendas diſpoſitiones oculi muli, nec econtrà, anima quæ eſt in oculo muli eſt apta ad habendas indeterminatè diſpoſitiones oculi equi, atque ita ſunt diuerſæ rationis, ergo potiori titulo anima equi, quæ eſt in oculo, non erit apta ad habendas indeterminatè diſpoſitiones pedis, nec econtrà anima pedis erit apta ad diſpoſitiones oculi, ac proinde erunt rationis diuerſæ.

35 Confirmatur principaliter aſſertio; non implicat productas fuiſſe à Deo in equo, v. g. in eius oculo ac pede partes animæ heterogeneas, ac diuerſæ rationis, quarum vna ſolùm ac determinatè peteret per ſe diſpoſitiones oculi, & altera ſolùm, ac determinatè peteret diſpoſitiones pedis, vt ex ſolutione argumentorum primæ ſententiæ conſtabit; ſed ſi ſemel id non implicat, magis connaturale eſt, & conſentaneum naturis rerum eas partes animæ eſſe heterogeneas, & diuerſæ rationis, quam eſſe homogeneas, & rationis eiuſdem, ergo dicendum eſt de facto tales partes animæ eſſe heterogeneas, & rationis diuerſæ. Minor probatur, quoties in reddenda ratione aliqua naturali poteſt recurri ad aliquam cauſam creatam, magis eſt connaturale & conſentaneum naturis rerum ad illam recurrere, quam ad ſolum Deum, hoc enim dicunt Philoſophi eſſe confugere ad *fidelium*, atqui in reddenda ratione naturali, quare hæc anima, quæ eſt in oculo equi, potiùs ſit in oculo cum diſpoſitionibus oculi, quàm in pede cum diſpoſitionibus pedis, ſi dicamus animam pedis, & animam oculi eſſe homogeneas, & eiuſdem rationis debemus neceſſariò confugere ad ſolum Deum dicentes, quia Deus ſic voluit; ſi autem dicamus illas partes animæ eſſe heterogeneas recurrere poſſumus ad cauſam creatam aſſerentes animam oculi ſolùm eſſe per ſe aptam ad diſpoſitiones oculi, non verò ad diſpoſitiones pedis, & ideo in oculo eſſe non in pede; ergo ſi ſemel non implicat partes animæ diuerſæ rationis produci à Deo, connaturalius eſt eſſe de facto diuerſæ rationis, quàm eiuſdem ſpeciei.

Obiiciat quis aduerſus dicta, anima equi, & anima 36
equæ non ſunt diuerſæ rationis, ac ſpeciei, & tamen per ſe diuerſas diſpoſitiones, & organizationes efflagitant, vt per ſe conſtat, ergo licèt anima oculi, & anima pedis petant diuerſas diſpoſitiones non erunt diuerſæ ſpeciei. Reſpondeo plures partes animæ equi, & plures partes animæ equæ habere omnino æquales diſpoſitiones, & organizationes, atque ita eſſe eiuſdem rationis omnino; aliquas verò partes animæ equi, & aliquas partes animæ equæ habere organizationes aliquo modo diuerſas, & inæquales propter rerum diuerſitatem, ſed quia hæc diſpoſitionum inæqualitas, ac diuerſitas comparatione illorum non eſt notabilis, non ſufficit ad diſtinctionem animarum ſpecificam, ſed tantùm ad diſtinctionem individualem, vnde in quouis etiam viuente partes animæ, quæ petunt per ſe diſpoſitiones, & accidentia notabiliter diuerſa, ſunt diuerſæ ſpeciei, illæ verò, quæ per ſe habent diſpoſitiones & accidentia notabiliter non diuerſa, ſed tantùm aliquo modo, ſunt diſtinctæ, & inæquales individualiter iuxta ea, quæ dicemus cap. ſequenti.

Hinc infero vniones etiam animæ rationalis partia- 37
les ad diuerſas partes organicas eiuſdem corporis eſſe heterogeneas, ac rationis diuerſæ, rationes enim ſupra pro aſſertione noſtra factæ hic etiam poſſunt ad probandam inæqualitatem harum vnionum conſequenter applicari.

Obiiciat quis, vnio ſpecificatur ab extremis vnitis, ſed extrema vnita per vnionem animæ rationalis cum pede ſunt eiuſdem rationis, & ſpeciei, ſcilicet eadem anima rationalis, & eadem ſpecie materia; ergo illæ vniones ſunt eiuſdem rationis, & ſpeciei; Confirmatur, diuerſæ diſpoſitiones oculi v. g. & auris non requiruntur per ſe ad vniones, quas ibi anima rationalis habet, ſed ad operationes vitales, quas exercitura eſt, ergo propter tales diuerſas diſpoſitiones non vniones animæ rationalis, ſed tantùm eius operationes vitales erunt inæquales ac diuerſæ. Reſpondeo, vnionem materiæ & formæ ſpecificari etiam ab accidentibus & diſpoſitionibus, quas naturaliter & per ſe petit; cum ergo vnio animæ rationalis cum oculo petat diuerſas diſpoſitiones ab illis, quas petit vnio eiuſdem animæ cum pede; ideo tales vniones ſunt rationis diuerſæ. Ad confirmationem dico; cum anima rationalis ſit eminenter, & æquialenter multiplex, ſcilicet viſiua, auditiua, &c. ideo poteſt habere plures ac diuerſas vniones. Vnde in oculo habet quamdam vnionem, quæ reſpicit totam animam tantùm ſub ratione viſiuæ, & petit ratione ſui diſpoſitiones ad videndum, & in aure habet alteram vnionem, quæ reſpicit totam animam ſub ratione auditiuæ præcisè, & petit ratione ſui diſpoſitiones ad audiendum, ac proinde diuerſæ diſpoſitiones oculi, & auris per ſe, & immediatè ſunt propter vniones diuerſas animæ rationalis, mediatè verò propter diuerſas operationes vitales.

CAPVT

CAPVT IV.

An animæ eiusdem speciei possint esse indiuidualiter inæquales.

38 HÆc controuersia non est animarum propria, sed communis ad omnes res, quæ sub eadem infima specie clauduntur, atque ita inquirimus, an res, quæ conueniunt in eadem specie infima possint disconuenire, & inæqualitatem habere in ratione indiuiduali, censent non pauci res eiusdem speciei infimæ non posse esse inter se substantialiter inæquales, ita Durandus, Argentinas, Soncinas, Sotus, & alij plures, quos referunt & sequuntur Conimbricenses lib. 2. de anima cap. 1. q. 5. art. 2. & 3. Toletus 3. de anima q. 18. Fonseca 5 metaph. cap. 28. q. 16. sect. 2. Suarez disp. 29. metaph. sect. 8. n. 16. & 17. Vasquez 1. p. disp. 122. cap. 4. Petrus Hurtado disp. 2 de anima sect. 6. & 7. Arriaga disp. 1. de anima sect 7. subsect. 1. vtramque sententiam probabilem iudicat Carleton disput. 5. de anima section. 3. Franciscus Alphonsus disput. 3. de anima section. 5. num. 72. Molina 1. p. tract. de opere sex dierum disp. 33. quibus alij recentiores acquiescunt.

39 ASSERTIO tamen sit, rectè possunt esse duæ animæ, vel duæ aliæ res eiusdem speciei infimæ, quæ substantialiter, ac indiuidualiter dissimiles, ac inæquales sint. Ita Capreolus, Maior, Hispalensis, Richardus, Albertus Magnus, Ægidius, Ferrarienſis, Caietanus, & alij relati à Conimbricensibus vbi supra art. 1. qui etiã art. 3. eamdem sententiam probabilem esse testantur, Scotus 8. metaph. q. 1. Rubius hic lib. 2. tract. de pluralitate animarum q. 3. Murcia lib. 2. de anima disp. 1. q. 8. & noster Abulensis in cap. 15. Matthæi q. 656. non dissentiunt Carleton & Arriaga supra, & plures alij ex recentioribus, illam etiam tenet Suarez tom. 2. in 3. partem disp. 50. sect. 5. §. 2. *consisteret*, cui multi recentiores subscribunt, & videtur expressa sententia Diui Thomæ vt constat ex eius testimoniis, quæ Conimbricenses adducunt ibidem art. 2. in principio, adeo, vt Caietanus asserat, cæcum esse qui hanc D. Thomæ sententiam esse non videat, consonat auctoritas Doctorum Parisiensium, quæ oppositam opinionem erroris nota damnauit.

40 Probatur primò, visio beata qua vnus homo beatus videt duas tantùm creaturas in Deo, & alia visio beata, qua alter homo beatus videt in Deo quatuor creaturas, sunt eiusdem speciei infimæ, vt communis omnium Theologorum opinio fert, & tamen tales visiones sunt dissimiles, ac inæquales substantialiter, ac indiuidualiter, ergo duæ res eiusdem speciei infimæ possunt substantialiter, & indiuidualiter esse inæquales: minor probatur, tunc aliquæ res sunt substantialiter dissimiles, ac inæquales, quando vna habet substantialiter aliquid, quod non habet substantialiter alia, sed vna visio beata ex illis habet substantialiter in sua intrinseca entitate esse visionem quatuor creaturarum in Deo, quod non habet altera visio beata, quæ tantum videt duas creaturas, ergo tales visiones sunt substantialiter dissimiles, ac inæquales.

41 Dicat aliquis visiones beatas, quibus videntur eædem creaturæ in Deo, esse eiusdem speciei, visiones verò, quarum vna plures, alia pauciores in Deo videt creaturas esse diuersæ speciei, ac proinde visionem quatuor creaturarum in Deo, & visionem duarum tantum creaturarum in ipso Deo, quæ substantialiter differunt, non esse eiusdem speciei infimæ, sed diuersas in perfectione specifica. Sed contra sumo visionem quatuor creaturarum, quæ est in Petro, & aliam visionem etiam beatificam eorumdem quatuor creaturarum quæ sit in Ioanne, istæ visiones per te sunt eiusdem speciei infimæ, & tamen sunt inæquales, ac dissimiles substantialiter, ergo duæ res eiusdem speciei infimæ possunt esse dissimiles substantialiter, ac proinde erunt tantùm indiuidualiter inæquales. Minor ostenditur, visio quatuor creaturarum, quæ oritur à Petro, & ab hoc lumine gloriæ, quod est in Petro, magis est similis, & æqualis cum alia visione earumdem creaturarum, quæ potest oriri ab eodem Petro, & ab hoc lumine gloriæ, quod est in Petro, quàm cum altera visione earumdem quatuor creaturarum, quæ oritur à Ioanne, & ab alio lumine gloriæ, quod est in Ioanne, nam cum illa est similis etiam in hoc, quod est oriri connaturaliter à Petro, & ab eodem lumine gloriæ, quod est in Petro, quod vtrique conuenit, cum ista verò in eo non est similis, cum hæc visio non oriatur à Petro, nec à lumine gloriæ, quod est in Petro, sed tantùm à Ioanne, & à lumine gloriæ, quod est in Ioanne, ergo visio quatuor creaturarum, quæ est in Petro, & visio quatuor creaturarum, quæ est in Ioanne sunt aliquo modo dissimiles, & inæquales. Patet consequentia, quia si hæ visiones Petri, & Ioannis circa easdem quatuor creaturas non essent aliquo modo dissimiles, visio, quæ est in Petro, non esset magis similis cum alia visione, quæ potest esse in eodem Petro circa easdem creaturas, quam cum visione, quæ est in Ioanne, sed est magis similis cum illa, quam cum ista vt monstrauimus, ergo visiones istæ Petri, & Ioannis sunt aliquo modo dissimiles.

Confirmatur, vnio substantialis inter materiam & formam rationalem Petri, & vnio substantialis inter materiam & formam rationalem Ioannis sunt eiusdem speciei, & tamen substantialiter, ac indiuidualiter sunt dissimiles, ergo res eiusdem speciei possunt esse substantialiter, ac indiuidualiter dissimiles. Consequentia est euidens, maior ostenditur primò, vnio specificatur ab extremis vnitis, sed prædictæ vniones habent extrema vnita eiusdem speciei, nam formæ rationales Petri, & Ioannis sunt eiusdē rationis specificæ, & materia Petri, ac materia Ioannis etiam specie conueniunt, ergo tales vniones sunt etiam eiusdem speciei. Secundò ostenditur eadem maior, Petrus, & Ioannes absolutè sunt eiusdem speciei, sed si eorum vniones substantiales essent specie diuersæ, etiam Petrus, & Ioannes essent specie diuersi, cum tales vniones in eorum species, & essentias ingrediantur, ergo istæ vniones non sunt specie diuersæ, sed eiusdem speciei. Minor autem, scilicet illas vniones esse substantialiter, ac indiuidualiter dissimiles, sic monstratur, vnio inter hanc materiam, & hanc formam rationalem Petri magis est similis cum alia vnione, quæ potest esse inter eamdemmet materiam & eamdemmet formam rationalem eiusdem Petri, quàm cum vnione alia, quæ est inter aliam materiam & aliam formam rationalem Ioannis: nam cum prima vnione conuenit etiam in hoc, quod est vnire hanc numero materiam & hanc numero formam Petri, quod vtrique conuenit, in quo non conuenit cum secunda vnione, quæ tantùm habet vnire materiam & formam Ioannis, ergo vnio Petri, & vnio Ioannis sunt aliquo modo dissimiles. Hæc consequentia monstrata est in simili num. præcedenti. 42

Vrgeo: aliqua dantur de facto indiuidua, quæ sint eiusdem speciei infimæ signa illa. Signabis Petrum, & Paulum: tunc sic, sed hæc etiam indiuidua à te assignata sunt substantialiter, ac indiuidualiter dissimilia, ergo duo indiuidua eiusdem speciei infimæ possunt esse dissimilia indiuidualiter. Minor ostenditur clarè, illa sunt substantialiter dissimilia, quorum vnum habet in sua substantia aliquid, quod non habet aliud, sed Petrus habet in sua substantia aliquid, quod non habet Paulus, ergo Petrus & Paulus sunt dissimiles substantialiter. Probatur minor, Petrus per suam substantiam habet fundare negationem Pauli, in quo conuenit cum 43

cum Ioanne, qui etiam per ſuam ſubſtantiam eamdem negationem fundat, quod quidem non habet Paulus, qui per ſuam ſubſtantiam non poteſt fundare negationem ſui ipſius, ergo Petrus aliquid habet in ſua ſubſtantia, quod non habet Paulus.

44 Probatur ſecundò principaliter, ſicut ratio indiuidualis eſt eadem entitas re ipſa cum ratione ſpecifica, ita ratio ſpecifica eſt eadem entitas re ipſa cum ratione generica, ſed duo per eaſdem quidditates poſſunt eſſe ſimilia genericè, & diſſimilia ſpecificè; ergo etiam duo per eaſdem quidditates poterunt eſſe ſimilia ſpecificè, & diſſimilia indiuidualiter. Dices omnem diſſimilitudinem ſubſtantialem, ſi non ſit generica, fore neceſſariò ſpecificam, atque ita nullam eſſe purè indiuidualem. Sed contrà, diſſimilitudo, ac diuerſitas ſpecifica eſt diuerſitas primaria, & notabilis, non enim dicimus duo inter ſe differre ſpecie niſi primario, & notabiliter differant, ſed poteſt dari inter duo aliqua diuerſitas ſubſtantialis, quæ vel non ſit primaria, vel non ſit notabilis, quia vel differunt in ordine ad obiecta materialia ſecundaria, vel ſi primario, talis differentia non eſt noua quaſi expectatione digna, ergo non omnis diuerſitas, quæ non ſit generica eſt ſpecifica, ſed poteſt eſſe per ſe indiuidualis.

45 Obiiciat aliquis primò, illa differunt ſpecie, quorum vnum habet eſſentialiter aliquid, quod non habet aliud, ſed viſio quatuor creaturarum in Deo habet aliquid eſſentialiter, quod non habet alia viſio duarum tantùm creaturarum, ergo differunt ſpecificè, & non tantùm indiuidualiter. Confirmatur, differre ſpecificè eſt differre quidditatiuè, ſed illæ viſiones beatæ differunt quidditatiuè, ergo differunt ſpecificè. Minor probatur, differre quidditatiuè eſt differre in aliquo prædicato quidditatiuo, ſed vna viſio differt ab alia in eo, quod eſt viſionem eſſe quatuor creaturarum in Deo, quod eſt prædicatum quidditatiuum talis viſionis, vt viſio quatuor creaturarum eſt, ergo illæ viſiones differunt quidditatiuè; vrgeat, illæ duæ viſiones differunt in aliqua ratione, ſcilicet in ratione viſionis quatuor creaturarum in Deo, quæ vt ſic formaliter eſt ratio ſpecifica, ergo differunt ſpecificè; antecedens ſic probatur, ratio ſpecifica eſt ratio illa, quæ de pluribus ſolo numero diſtinctis prædicatur in quid, ſed viſio quatuor creaturarum in Deo vt ſic formaliter prædicatur in quid de hac viſione quatuor creaturarum in Deo, vt talis viſio quatuor creaturarum eſt, & de illa viſione quatuor etiam creaturarum in Deo, vt viſio quatuor creaturarum eſt, quæ quidem viſiones ſolo numero ſunt diſtinctæ, ergo viſio quatuor creaturarum in Deo vt ſic formaliter eſt ratio ſpecifica.

46 Reſpondeo illa differre ſpecie, quorum vnum habet aliquid in ſua eſſentia primarium ac notabile, quod non habet aliud, aliàs ſi primarium, ac notabile non ſit, non erit differentia ſpecifica, ſed tantùm indiuidualis, vna autem viſio ex illis habet in ſua eſſentia aliquid, quod non habet alia, id verò non eſt primarium, ac notabile, quia vel eſt tantùm in ordine ad obiecta ſecundaria, vel ſi ſit in ordine ad primarium, non eſt quid noua quaſi expectatione dignum, & ideo tales viſiones non differre ſpecificè, ſed tantùm indiuiduaiter. Ad confirmationem dico viſionem quatuor creaturarum in Deo, vt viſio quatuor creaturarum formaliter, & viſionem duarum creaturarum præcisè in Deo, vt talis etiam formaliter differre quidditatiuè, materialiter, non verò quidditatiuè formaliter, quia licèt differant in aliquo prædicato quidditatiuo, illud tamen non eſt formale, hoc eſt, quid primarium, & notabile in illa quidditate, ſed tantùm eſt materiale, ſcilicet, vel ſecundarium in quidditate illa, vel noua expectatione non dignum, & ideo tales viſiones non differre ſpecificè, ſed tantùm indiuidualiter, quia differentia ſpecifica eſt differentia quidditatiua formalis, differentia verò indiuidualis eſt differentia materialis. Ad aliam confirmationem dico non quamcumque rationem communem prædicabilem de ſolo numero diſtinctis in quid eſſe rationem ſpecificam, ſed illam tantum, quæ eſt ratio formalis in illarum quidditate, id eſt, primaria, ac notabilis, non verò, quæ ſit materialis, hoc eſt, vel ſecundaria, vel noua expectatione non digna, nam etiam in aduerſariorum ſententia ratio indiuidui vt ſic prædicatur in quid, vt ratio communis de hoc indiuiduo, vt indiuiduum eſt formaliter, & de illo indiuiduo, vt indiuiduum eſt formaliter, & tamen quia non eſt ratio formalis illorum, ſed materialis, non eſt ratio ſpecifica, ſed indiuidualis, ſic ergo viſio quatuor creaturarum in Deo vt ſic formaliter eſt ratio communis prædicabilis in quid de hac, & illa viſione quatuor creaturarum, vt talis eſt formaliter, quia verò talis ratio non eſt formalis, ſed tantùm materialis, non enim eſt primaria, & notabilis, vt ſæpè repetiui, ideo talis ratio non eſt ſpecifica, ſed indiuidualis, nec tales viſiones differunt per illam rationem ſpecificè, ſed tantùm indiuidualiter.

Obiiciat ſecundò, producat Deus viginti mille animas rationales, v.g. quæ ſe gradatim excedant in perfectione indiuiduali à prima vſque ad vltimam, probo non omnes differre indiuidualiter tantum ſed etiam ſpecifice, & arguo ſic; diuerſitas ſpecifica eſt diuerſitas notabilis, ſed anima ſuprema, ac vltima differt notabiliter à prima cum ſit in ſua eſſentia viginti millies perfectior illa; ergo iſtæ animæ non differunt tantum indiuidualiter, ſed etiam ſpecifice. Reſpondeo primò non poſſe produci à Deo tot animas, quæ ſe gradatim excedant in ſola perfectione indiuiduali, quia cum differentia ſolum indiuiduali non compatitur notabilis diuerſitas, illas vero animas fore neceſſario diſſimiles inter ſe indiuidualiter iuxta dicta n. 41. nam diſſimilitudo indiuidualis rectè poteſt eſſe cum pari perfectione indiuiduali vt capite ſequenti monſtrabo. Reſpondeo ſecundò, illas animas productas à Deo habere ſupremam ac infimam, quæ inter ſe notabiliter differrent ſecundum quid, non vero notabiliter ſimpliciter, quia tota illa inæqualitas, ac diuerſitas eſſet intra aliquam rationem ſuperiorem, quæ ſimpliciter non eſſet notabilis, nec noua conſideratione digna, & ideo non differre ſpecifice, quia differentia ſpecifica eſt differentia notabilis ſimpliciter. 47

Obiiciat tertiò, viſio, qua vnus beatus videt vnam creaturam tantum in Deo, & altera viſio, qua alius videt in Deo infinitas creaturas ſpecie diuerſas differunt ſpecificè & non tantum indiuidualiter. Reſpondeo vt differant ſpecifice, requiri quod differant etiam primariò, illæ autem viſiones non differunt notabiliter primariò, ſed ſecundariò, ſcilicet in ordine ad obiecta ſecundaria, & ideo non differre ſpecificè; Sed contra, etiam differunt in ordine ad obiectum primarium, vna enim viſio longe magis explicite cognoſcit Deum, vt obiectum primarium, quàm alia, & ideo plures in Deo videt creaturas, quam illa, ergo differunt primario, & ſpecifice. Reſpondeo viſiones illas in ordine ad obiectum primarium ſcilicet Deum non differre notabiliter, quæuis enim attingit ex parte obiecti eaſdemmet formalitates, quas attingit alia, licet vna cum maiori explicitate illas attingat, quod quidem non eſt quid notabile, ſed quædam quaſi maior repetitio perfectionis alterius viſiones, & ideo viſiones illas non differre ſpecificè, ſed tantum indiuiduaiter. 48

Obiiciat quartò, differre ratione materialis, quod includitur reipſa in eſſentia rei, eſt differre ſpecifice, ſed viſio duarum creaturarum in Deo, & viſio quatuor creaturarum in eodem Deo differunt ratione materialis, ſcilicet ratione reſpectus ad obiectum materiale, qui quidem reipſa includitur in eſſentia huius 49

&

& illius visionis, ergo tales visiones differunt specificè. Minor probatur, si daretur vnum compositum coalescens ex materia cælesti, & anima rationali, & aliud compositum constans ex materia sublunari, & anima rationali, hæc composita differrent specificè, supposito, quod materia cælestis, & sublunaris specie differant, vt probauimus in Physicis disp. 6. cap. 1. & tamen talia composita solùm differrent ratione materialis, scilicet ratione solius materiæ, quæ reipsa in eorum essentia includeretur, ergo differre ratione materialis, quod includitur reipsa in essentia est differre specificè. Respondeo differre notabiliter ratione materialis, quod includitur in essentia primario esse differre specificè, & ideo composita illa quæ essentialiter ac primario materias illas notabiliter diuersas includerent, differrent specie; differre verò ratione materialis, quod non includitur in essentia primario, sed tantùm secundario, non esse differre specificè, sed tantùm indiuidualiter, cum ergo respectus ad obiectum materiale pertineat ad essentiam visionis secundario, visio enim tendit ad obiectum materiale, quia tendit primario ad formale, quod habet connexionem cum illo, ideo tales visiones Dei ratione diuersi respectus ad diuersum obiectum materiale non specificè, sed tantùm indiuidualiter inter se dissident.

50 Obiiciat quintò, indiuiduatio reipsa est idem cum specie; ergo si differunt in indiuiduatione, differunt etiam in specie, ergo implicat, quod conueniant in specie, & differant indiuidualiter. Confirmatur, si res eiusdem speciei essent inæquales indiuidualiter, semper vna aliam imperfectiorem efficeret, cum producere non valeat alteram se perfectiorem, atqui non semper aliqua res aliam imperfectiorem efficit, ergo res non sunt inæquales ac dissimiles indiuidualiter. Respondeo cum à parte rei sint idem ratio specifica, & ratio indiuidualis, duæ res in ratione specifica conueniunt specificè, & in eadem differrent indiuidualiter, & in ratione indiuiduali, differrent indiuidualiter, & conuenient specificè; sicut quia à parte rei ratio specifica, & generica sunt idem, duæ res in ratione generica conueniunt genericè, & differunt in eadem specificè, & in ratione specifica differunt specificè, & in eadem genericè conueniunt, non enim implicat, quod eadem res indiuisibilis à parte rei cum alia inadæquatè conueniat, & ab eadem etiam inadæquatè differat. Ad confirmationem dico vnam rem aliquando aliam efficere indiuidualiter imperfectiorem, aliquando æqualem, nam dissimilitudo potest cum æquali gradu perfectionis inueniri, vt dicam capite sequenti, atque ita non semper causa effectum se ignobiliorem producet, nec species aliqua semper in deterius ibit.

51 Ex dictis colligo, quomodo intelligendum sit commune illud Aristotelis Axioma, scilicet sub genere latere æquiuocationes, & dissimilitudines, ac si diceret sub genere tantùm, & non sub specie posse aliquam dissimilitudinem reperiri; loquitur sanè de dissimilitudine primaria, ac notabili, qualis non est dissimilitudo indiuidualis, quæ est sub specie, sed dissimilitudo specifica, quæ latet sub genere, similiter cum idem Philosophus 3. metaph. c. 3. text. 11. dicit in indiuiduis eiusdem speciei non dari prius, & posterius non debet intelligi, quod non detur aliqua ratio communis, & alia particularis, qualiscumque sit, nam certum est etiam in aduersariorum sententia dari in illis rationem communem indiuidui, & rationem particularem talis indiuidui, sed tantùm, quod non detur in indiuiduis eiusdem speciei sub ipsa specie ratio generica, & specifica, illa prior, hæc posterior, quod est verissimum.

CAPVT V.

An animæ diuersæ speciei possint esse æquales in perfectione essentiali.

COntrouersia hæc etiam est communis omnibus rebus quæ sub diuersis speciebus existunt, inquirimus ergo an duæ animæ, vel duæ aliæ res possint esse specie dissimiles, & æqualem habere perfectionem essentialem. Communis sententia est omnes res diuersarum specierum, atque ita dissimiles in specie fore necessariò inæquales in perfectione essentiali. Ita Suarez tom. 2. metaph. disp. 29. sect. 3. num. 16. & 17. & Vasquez tom. 2. in 1. p. disp. 122. num. 11. & seqq. & omnes Philosophi communiter. 52

ASSERTIO tamen sit. Non repugnat dari duas animas, vel duas alias res dissimiles in specie, & æquales in perfectione essentiali. Ita auctores num. 37. citati, & recentiores ingeniosi, cui etiam ego libenter subscribo. Probatur. duo esse substantialiter dissimilia non est formaliter esse substantialiter inæqualia, ergo non implicat esse duo substantialiter dissimilia, & non esse inæqualia substantialiter, sed æqualia, ergo non repugnat dari duas res dissimiles in specie, & non inæquales, sed æquales in perfectione essentiali. Vtraque consequentia est certa, antecedens sic ostendo, dari possunt duo substantialiter æqualia, quæ sint substantialiter dissimilia, ergo duo esse substantialiter dissimilia non est formaliter esse substantialiter inæqualia: probatur antecedens, dari possunt duo indiuidua eiusdem speciei omnino æqualia, v.g. Petrus, & Paulus, vt etiam contrarij fatentur, sed hæc indiuidua sunt etiam substantialiter dissimilia, nam Petrus substantialiter habet fundare negationem Pauli, in quo est dissimilis Paulo, cum Paulus substantialiter non habeat fundare negationem sui ipsius, ergo possunt dari duo indiuidua substantialiter æqualia, quæ sint etiam substantialiter dissimilia, ergo, &c. 5

Dicat aliquis Petrum per suam substantiam fundare negationem Pauli, qui est quidam homo singularis, & Paulus etiam per suam substantiam fundare negationem alterius similis hominis singularis scilicet Petri, atque ita esse omnino similes, & nullo modo substantialiter dissimiles in hac etiam ratione fundandi. Sed contrà, Petrus per suam substantiam habet fundare negationem, non tantùm alicuius hominis singularis vage, sed etiam huius hominis determinatè, scilicet negationem Pauli, quod quidem non habet substantialiter ipse Paulus, ergo in ratione fundandi negationem huius hominis determinatè scilicet Pauli, Petrus disconuenit substantialiter à Paulo, & est dissimilis illi. Vrgeo, Petrus in fundanda substantialiter negatione Pauli magis est similis Ioanni, qui etiam per se ipsum substantialiter fundat negationem Pauli, quàm Paulo, qui non fundat negationem sui ipsius, ergo Petrus in hac ratione est substantialiter aliquo modo dissimilis Paulo, alias non posset esse magis similis Ioanni, quam illi, igitur iam duo indiuidua substantialiter æqualia, esse possunt dissimilia substantialiter. 54

Probatur secundò: relationes diuinæ, scilicet Paternitas, filiatio, & spiratio sunt specie vel quasi specie dissimiles, & tamen sunt inter se æquales in perfectione essentiali, ergo possunt esse duæ res dissimiles in specie & æquales in perfectione essentiali. Consequentia est euidens, Minor de fide ex illo Symboli Athanasij, *sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales*; quod quidem non haberent, si earum relationes, ac personalitates essent essentialiter inæquales. Maior autem sic monstratur; tunc aliquæ res sunt specie, vel quasi specie dissimiles, quando primarium essentiale 55

essentiale prædicatum,quod habet vna,non habet alia, sed primarium prædicatum essentiale, quod habet Paternitas in esse Paternitatis, scilicet esse relationem ad filium non habet filiatio, & primarium prædicatum essentiale, quod habet filiatio in esse filiationis,scilicet esse relationem ad Patrem non habet Paternitas, ergo Paternitas, & filiatio diuina specie,vel quasi specie inter se differunt.

56 Dicat autem quispiam,Paternitatem diuinam, ac filiationem esse in perfectione æquales, quia quælibet identificat sibi eamdem essentiam Dei,in qua est perfectio simpliciter infinita.Sed cõtrà, Paternitas,& filiatio vt distinctæ virtualiter ab essentia diuina,ac secundùm entitates relatiuas Paternitatis,ac filiationis,vt præcisas per rationem à natura Dei,non includunt ipsam essentiam, & tamen vt sic præcisæ tales relationes sunt specie,vel quasi specie dissimiles, ac simul æquales in perfectione essentiali,vt nuper ostendi,ergo benè possunt esse duo in specie dissimilia, & simul æqualia in perfectione essentiali. Dicat alius cum Suarez vbi suprà, Paternitatem, & filiationem diuinam esse dissimiles, & opponi secundum rationem relationis, ac secundum esse *ad*,conuenire verò,& esse æquales secundum rationem entitatis diuinæ, ac secundum esse *in*,ac proinde non secundum eamdem rationem esse æquales, ac dissimiles, sed tantùm secundum diuersam, quod non repugnat. Sed contrà,Paternitas secundum esse *ad*,scilicet secundum respectum ad filium formalissimè, & filiatio secundum esse *ad* videlicet secundum respectum Patrem etiam formaliter sunt omnino æquales in perfectione essentiali,nam tanta perfectio est filium respicere Patrem & referri ad Patrem,quanta est Patrem respicere filium, & referri ad filium,& tamen Paternitas, & filiatio secundum esse *ad* sunt quasi specie dissimiles,ergo secundum eamdem rationem sunt æquales ac dissimiles.

57 Obiiciat aliquis primò,esse duo specie dissimilia est esse essentialiter diuersa, sed esse duo essentialiter diuersa est formaliter esse essẽtialiter inæqualia,ergo esse duo specie dissimilia est esse essentialiter inæqualia,ergo implicat duo specie dissimilia esse æqualia essentialiter. Respondeo esse duo specie dissimilia, ac diuersa non esse formaliter esse essentialiter inæqualia, & ideo rectè posse dari duo dissimilia, & diuersa specie, ac simul æqualia essentialiter, etenim duo esse essentialiter dissimilia est habere vnum aliquod prædicatum essentiale, quod non habeat aliud, esse verò illa essentialiter inæqualia est habere plures gradus perfectionis essentialiter, scilicet, quod plus valeat physicè hoc, quàm illud,potest autem aliqua res habere in se aliquod prædicatum essentiale,quod non habeat alia,& tamen non plus physicè valere,quam illa,nec habere plures gradus perfectionis essentialis, nam sicut calor vt octo habet aliquod prædicatum,quod non habet frigus vt octo,& tamen non habet plures,sed æquales gradus intensionis,ac habet illud,ita similiter vna res potest habere aliquod prædicatum essentiale, quod non habeat alia, & tamen non habere plures,sed æquales gradus perfectionis essentialis,ac habet illa,ac proinde possunt esse duæ res dissimiles, & æquales essentialiter.

58 Obiiciat secundò, duæ quantitates dissimiles in ratione quantitatis sunt necessariò quantitatiuè inæquales, ergo duæ essentiæ dissimiles in ratione essentiæ, sunt necessariò essentialiter inæquales.Respondeo duas quantitates ita dissimiles in ratione quantitatis,vt vna sit maior alia, fore necessariò quantitatiuè inæquales, duas verò quantitates ita dissimiles, vt vna habeat aliquod prædicatum in esse quantitatis,quod non habeat alia, non fore necessariò quantitatiuè inæquales, palmus enim quantitatis cælestis, & palmus quantitatis sublunaris hoc modo sunt dissimiles in ratione quantitatis, cum vna differat specie ab alia & tamen sunt quantitatiuè æquales. Ita ergo duæ essentiæ ita dissimiles, vt vna sit maior in perfectione, quam alia, fore necessariò essentialiter inæquales,duæ verò essentiæ ita dissimiles, vt vna habeat in ratione essentiæ aliquod prædicatum,quod non habeat alia, non essent necessariò essentialiter inæquales, sed possunt habere æqualem perfectionem essentialem.

Obiiciat tertiò essentiæ, seu species sunt sicut numeri, vt fert commune Philosophorum proloquium, sed omnes numeri dissimiles sunt inæquales, ergo omnes essentiæ specie dissimiles sunt etiam inæquales. Respondeo essentias rerum non in omnibus numeris comparari, sed tantùm in hoc,quod sicut numerus ita in indiuisibili consistit, vt detracta quauis vnitate talis numerus destruatur,ita similiter essentia consistit in tali indiuisibili prædicatorum numero, vt quouis detracto prædicato tota essentia destruetur, non verò essentiam numeris assimilari in eo,quod sicut numeri dissimiles sunt inæquales, ita essentiæ diuersæ debeant esse inæquales, vt suprà monstratum est. 59

Obiiciat quartò;ea,quæ diuerso modo distant à non ente sunt inæqualia inter se, sed res diuersæ, ac dissimiles essentialiter distant diuerso modo essentialiter à non ente, ergo sunt inæquales essentialiter inter se. Respondeo, sicut duo indiuidua æqualia sunt inter se diuersa, & dissimilia indiuidualiter ac distant diuerso modo indiuiduali à non ente, vt probaui n. 51. & sicut duæ relationes diuinæ sunt etiam quasi specie diuersæ, atque ita diuerso modo distant à non ente, & tamen sunt omnino æquales, ita similiter posse dari duas essentias creatas,quæ sint diuersæ essentialiter, & diuerso modo, & quasi diuersa via distent à non ente, & tamen sint omnino æquales essentialiter, nam vt diuerso modo distent, non requiritur, quod habeant inæquales gradus perfectionis,sed tantùm quod habeat vna aliquod prædicatum essentiale quod non habeat alia. 60

Hinc infero,cum Aristoteles dixit sub genere æquiuocationes,seu analogias latere exponendum esse,hoc est,dissimilitudines, non verò inæqualitates, quia licèt omnes species, quæ sub genere latent, & continentur sint necessariò inter se dissimiles, non tamen necessariò inæquales vt patet ex dictis, omitto alia Aristotelis testimonia, quia quisque facilè potest ea in suum sensum adducere. 61

DISPVTATIO II.

De ratione viuentis, quæ in anima, ac in aliis reperitur.

HEx capita continebit, In primo, inquiro quænam & quotuplex sit formalis ratio viuentis. In secundo,præcipua ratio dubitandi discutitur,& explicatur. In tertio,aduersantia argumenta conuelluntur. In quarto, quibus conueniat formaliter ratio vitæ in actu primo. In quinto,in quibusnam ratio vitæ in actu secundo formaliter reperiatur. In sexto, quot nam animarum genera, & quot viuentium sint gradus.

CAPVT I.

Quænam; & quotuplex sit formalis ratio viuentis.

MVlti censuere Philosophi viuẽs cum cognoscente, & appetente conuerti,atque ita rationem viuentis consistere formaliter in ratione cognoscendi, aut appetendi, quæ in Deo,creaturis intellectualibus, 1

ac etiam in animalibus reperitur, plantas verò cum in illis, nec cognitio, nec appetitio reluceat, à vera ratione vitæ excludendas esse. Ita senserunt omnes ex Stoicorum schola, vt refert Clemens Alexand. lib.8. stromatum, ac etiam Epicurei, vt testatur Plutarchus lib.5. de placitis Philosophorum c.26.aliique Philosophi quos memorat Aristot.lib.1. de anima cap.2. & 4. illis etiam consonat Galenus lib. de facultatibus naturalibus asserens vegetationem non esse actionem vitalem,hanc autem sententiam omnium Philosophorum & Theologorum ac Patrum auctoritate iam mortuam & consepultam, recentiores ingenioſi ad vitam, quam ipsi à plantis iniustè abstulerant, reuocarunt. Vt videre est apud D.Thom.1.part.quæst.18.art.1.sequutus D. Dionysium cap.7. de diuinis nominibus, Augustinum locis citandis, Suarez de anima, Hurtadum disp.3. de anima sect.4. Arriagam disp.2. de anima sect.1.Carleton disp.6.de anima sect.1.Franciscum Alphonsum disp.5. de anima sect.2.Toletum,Rubium P.Garziam super Auicennam disp.50. c.1. Ioannem à S.Thom. lib.1. de anima art.1. Complutenses, & ferè omnes communi calculo.

2 Itaque vniuersa tam Philosophorum quam Theologorum illis refragatur schola, vna omnium conspiratione contestans veram, ac rigorosam rationem vitæ non solùm Deo,& creaturis cognoscitiuis, sed etiam plantis competere, in quo tamen hæc ratio vitæ formaliter sita sit non vno modo ab omnibus explicatur, vt infrà videbimus, quibus in hac re non solùm consonant testimonia sacræ Scripturæ, vt Psalm.77. v.47. *Occidit in grandine vineas eorum, & moros eorum in pruina*,ergo certum est arbores vitam habere, & 1.Corinth.15. *tu quod seminas, non viuificatur, nisi prius moriatur*; sed etiam Sanctorum Ecclesiæ Patrum auctoritas, D. Augustinus tom.10. serm.27. sic ait, *sed sunt ligna,sunt lapides,nos autem quid plus, non viuunt ligna, & lapides, nos autem viuimus, sed adhuc nobis id ipsum viuere cum arboribus frutetisque commune est*, & statim subnectit, *habemus ergo vt cuncta breuiter retexamus esse cum lignis & lapidibus viuere cum arboribus, sentire cum bestiis, intelligere cum Angelis*, Magnus Gregorius homil. 29. in Euangelia similia verba sic profert, *Omnis autem creatura aliquid habet homo, habet namque commune esse cum lapidibus viuere cum arboribus,&c.*Dionysius de diuinis nominibus cap.6. Clemens Alexand. lib.8. stromatum, Rupertus ad illud Geneſis 1 producant reptile,&c.Origenes 3.Periarchon c.4.Isidorus lib.11. originum cap.1. Claudius Mamertinus lib.1. de statu animæ tom.5. Biblioth. Sanctorum Patrum,& alij plures.

3 Assertio prima sit. Duplex datur vera & stricta ratio vitæ, alia intentionalis, & alia physica. In hac omnes debent conuenire tam Theologi quam Philosophi relati num.1. ac primum dari vitam intentionalem sic monstro. Intellectio diuina vt sic formaliter veram habet rationem vitæ, vt omnes fatentur, sed non habet vitam physicam, illa enim Dei intellectio non est motus,aut actio physica, vt constat,ergo habet veram vitam intentionalem, ac proinde datur vera & stricta ratio vitæ intentionalis. Deinde dari vitam physicam sic ostendo,actio,qua intellectus creatus elicit suam intellectionem, veram habet rationem vitæ, per illam enim ab omni non viuenti discriminatur, vt infrà probabo; sed talis actio non habet vitam intentionalem, hæc enim in sola actione intentionali, scilicet cognitione aut appetitione consistit, talis verò actio non est cognitio,nec appetitio, nec in eis formaliter includitur vt infrà disp.14. apparebit, ac proinde talis actio non habet vitam intentionalem, ergo habet vitam physicam, igitur datur vera & stricta ratio vitæ tum intentionalis, tum physica.

4 Assertio secunda sit. Ratio vitæ intentionalis est formaliter ratio se mouendi seu agendi intentionaliter ab intrinseco, hoc est, ratio formalis,per quam principium intentionale ita intentionaliter agat, scilicet cognoscat, aut appetat, vt principium aliud extrinsecum non possit intentionaliter agere, scilicet cognoscere, vt appetere per rationem illam ex genere suo, quæ quidem ratio vitæ conuenit Deo, Angelis, hominibus & brutis, in hac etiam omnes conueniunt. Probatur clarè, vita intentionalis formaliter est ratio illa, per quam viuens intentionale differt ab omnibus non viuentibus & ab omnibus viuentibus purè physicis, sed per rationem se mouendi, seu agendi intentionaliter ab intrinseco modo explicato, differt viuens intentionale v.g. homo ab omnibus non viuentibus & viuentibus purè physicis, scilicet plantis, quibus prædicta ratio motus, seu actionis intentionalis non competit, vt per se liquet, ergo ratio vitæ intentionalis est formaliter ratio se mouendi, seu agendi intentionaliter ab intrinseco modo explicato.

Assertio tertia sit. Ratio vitæ physicæ est 5
formaliter ratio se mouendi, seu agendi physicè ab intrinseco, id est, ratio formalis, per quam principium physicum in physicè agit, vt agens aliud extrinsecum non possit physicè agere naturaliter per rationem illam ex genere suo (vel quod idem est)quod ratio illa, nequeat naturaliter ex suo genere ab alio agente extrinseco promanare. Hæc autem ratio vitæ conuenit Angelis,hominibus,brutis, & plantis. Ita Aristot. lib.2. de anima text.3. & D.Thom.1. part. quæst.18.art.1. Molina 1.part. quæst.13. disp. vnica, Zuniga de Trinitate, disp.1. dub.1. P. Garzia Complutensis Medicus super Fen. Auicennæ disput. 50. cap.1. P.Hurtado disput.3. de anima per totam,Arriaga disp.2. de anima sect.1. Carleton disp.6. de anima sect.2. & 3. Franciscus Alphonsus disput.5. de anima sectione 3. Ioan. à S.Thoma quæst. 1. art.2. & alij permulti. Probatur,vita physica est ratio illa, per quam viuens physicum differt ab omni alio non viuente,& à viuente purè intentionali, sed per rationem se mouendi, seu agendi physicè ab intrinseco modo explicato viuens physicum, verbi gratia,planta differt ab omni alio non viuente,& à viuente purè intentionali, scilicet essentia Dei,in quibus talis ratio actionis physicæ ab intrinseco non reperitur, vt ex dicendis constabit, ergo ratio vitæ physicæ est ratio se mouendi,seu agendi ab intrinseco modo explicato.

Hinc infero primò, dari rationem communem 6
vniuocam viuentis intentionalis Deo, & creaturæ cognoscitiuæ.Probatur apertè,illis rebus datur ratio communis vniuoca,quæ propriè conueniunt in illa ratione secluſa transcendentia,vt docuimus in Logica disp.18. sed Deus, & creatura cognoscitiua conueniunt propriè in ratione viuentis intentionalis, quia quodlibet illorum agit propriè intentionaliter ab intrinseco, id est,ita cognoscit,& appetit, vt per suam cognitionem, seu appetitionem ex genere suo non possit aliud principium extrinsecum intentionaliter agere, scilicet cognoscere, vel amare,ergo Deo, & creaturæ cognoscitiuæ datur ratio communis vniuoca viuẽtis intentionalis. Infero secundò,dari rationem cõmunem vniuocam vitæ seu viuentis physici creaturæ cognoscitiuæ & plantæ,vtrique enim conuenit propriè ratio se mouendi, seu agendi physicè ab intrinseco, in quo consistit formaliter vita physica,nam planta per nutritionem & creatura cognoscitiua per actionem physicam productiuam qualitatis cognitionis, seu volitionis ita agunt & se mouent vt talis actio ex genere suo non possit naturaliter ab agente extrinseco dimanare, vt ex dicendis constabit.Infero tertiò,viuenti cognoscitiuo vt sic formaliter, v.g. Deo & viuenti physico, vt sic formaliter, v. g. plantæ non posse rationem communem vitæ, seu viuentis

viuentis aſſignari. Probatur ſi aliqua ratio vitæ daretur in illis communis maximè ratio motus ab intrinſeco latè ſumpta & abſtracta à motu phyſico, & intentionali, quæ quidem ratio ſecluſis vocibus non eſt aliud, quam habitudo realis ad terminum, quæ non poſſit eſſe ab extrinſeco in proprio genere, id eſt, ita denominans formaliter ſuum principium, vt ea ratione non poſſit aliud extrinſecum denominare, atqui hæc ratio communis ſic explicata non eſt vera ratio vitæ, conuenit enim vnioni phyſicæ animæ rationalis cum materia: nam hæc vnio eſt habitudo realis ad terminum, ſcilicet ad materiam, & ita denominat ſuum principium ſaltem paſſiuum, ſcilicet animam rationalem vnitam formaliter, vt eo genere non poſſit aliud extrinſecum formaliter vnitum denominare, imò etiam explicatur talis vnio per modum actionis, & dicitur informatio actiua, in qua tamen certum eſt veram non eſſe rationem vitæ, ergo nulla datur ratio communis viuentis ſeu vitæ, viuenti phyſico, & viuenti cognoſcitiuo ac intentionali.

7 Sed adhuc reſtat difficultas, an ratio propria vitæ vniuocè conueniat non ſolùm cognoſcitiuis, vt Deo, Angelis, hominibus, & brutis, vt in ſuperioribus probatum eſt, ſed etiam plantis, affirmant plures, vt Carleton ſuprà ſect. 2. & Franciſcus Alphonſus ſect 2 num. 28. primò, quia datur prædicatum aliquod commune plantis cum reliquis viuentibus, & quod non conueniat rebus non viuentibus, ergo. Antecedens probatur, nam ratio vitæ, vt ſuperius probauimus ex Pſalm. 77. conuenit plantis, *Occidit in grandine vineas eorum.* Secundò probatur, poteſt abſtrahi vna ratio vitæ communis Deo, & plantis, nam poteſt abſtrahi vna ratio Deo, & creaturis, vt diximus in Logica diſput. 13. cap. 5. quia ratio entis reperitur in Deo, & creaturis, ſed etiam ratio vitæ reperitur in plantis, ergo poteſt abſtrahi ratio vitæ communis Deo, & plantis, aliàs pari ratione dici poſſet, non poſſe nec ratione ſubſtantiæ nec ſpiritus, nec alterius cuiuſque poſſe abſtrahi à Deo, & creaturis.

8 Probatur, Arriaga ſuprà diſp. 2. de anima ſect 1. num. 74. aſſerit rationem vitæ æquiuocam eſſe Deo, & plantis, & nomine tenus, rationem vitæ plantis & Deo conuenire, ſicut vox canis caro maximo & cæleſti & vox Gallus, homini, gallo, & aui, licèt enim in aliquibus prædicatis conueniant, vt in ratione entis ſubſtantiæ corporis, animalis, &c. non tamen in prædicato illo, quod hac voce exprimitur; præterea, vita phyſica conſiſtit in augmentatione per intus ſumptionem, vita verò intentionalis in cognitione, & amore ſui obiecti, ergo conceptus vitæ non eſt Deo, & plantæ vniuocè communis. Vrget amplius, nam motus phyſicus propriè, vt talis dicit productionem phyſicam, & receptionem termini, ſed Deus non viuit hoc modo, ergo motus Phyſicus & intentionalis ſolo nomine conueniunt, ſicut vox canis reſpectu marini, & cæleſtis, & vox Gallus, reſpectu hominis, galli, & auis, ergo ratio vitæ, quæ Deo, & plantis conuenit, potius æquiuoca, quam vniuoca dicenda eſt.

9 Sed contentio inter hos auctores facilè dirimi poteſt, & in concordiam vocari, & explicati hoc modo, hoc enim nomen viuens, ſimpliciter & abſolutè non ſignificat vnam rationem communem vitæ, ſeu viuentis, viuenti phyſico, & viuenti intentionali, reſpectu quorum viuens ſit vniuocum, ſed purè analogum, cum ratio vitæ ſolo nomine illis adaptetur, ſignificat tamen hoc nomen viuens inter peritiſſimos Philoſophos & Theologos diſiunctum, ſcilicet viuens phyſicum, vel viuens intentionale, hoc eſt principium ab intrinſeco motus phyſici, vel principium ab intrinſeco motus intentionalis, vnde hoc nomen viuens, ſi accipiatur pro iis ſolum, quæ viuunt vita phyſica erit vniuocum, & ſimiliter ſi ſupponat pro iis ſolùm, quæ viuunt vita intentionali, erit etiam vniuocum cum ratio vitæ vnicuique in ſuo genere propriè conueniat, at verò, ſi nomen viuens ſupponat collectiuè & coniunctim pro omnibus quæ viuunt tam vita phyſica, quam intentionali, erit ſimpliciter æquiuocum, & ratio eſt manifeſta, quia Deus viuit vita intentionali, & non vita phyſica, cum nec augeatur per intus ſumptionem nec phyſicè moueatur, econtrà verò plantæ ſolùm viuunt vita phyſica, & nequaquam vita intentionali, quæ duo non habent inter ſe vllam conuenientiam in prædicato conſtituente vitam, quo ſatisfit rationi dubitandi recentiorum.

CAPVT II.

Præcipua ratio dubitandi diſcutitur & explicatur.

10 PLura ab auctoribus ingeniosè excogitata ſunt circa rationem conſtitutiuam vitæ, & videri poſſunt apud P. Hurtado diſp. . de anima ſect. 1. Arriagam diſp 2. de anima ſect. 1. Carleton diſp. 6. de anima ſect. 1. & 2. Franciſcum Alphonſum diſp. 5. de anima per totam, Ioan. à S. Thom. quæſt. 1 de anima art. 4. Complutenſes & alios, quæ à nobis ſolita claritate, hæc quæ difficilia ſunt, examinabuntur, præcipuè, quæ militant contra rationem vitæ maximè phyſicam, quam cap. ſuperiori declarauimus, ſic vrgetur: ratio ſe mouendi ab intrinſeco ſaltem phyſicè conuenit non viuentibus, ergo in illa non conſiſtit formaliter ratio vitæ; antecedens ſic oſtenditur, rem ſe mouere ab extrinſeco eſt naturali ſua virtute efficere motum, ſeu actionem immanentem, ſed non viuentia videlicet grauia & leuia, natiua, & intrinſeca virtute efficiunt in ſe actionem immanentem, ac motum, quo propria loca acquirant, & quæuis etiam eſſentia, v. g. ſubſtantia aquæ propria & intrinſeca virtute efficit in ſe actionem immanentem, qua proprias paſſiones efficit, & eas amiſſas reſtaurat, ergo mouere ſe phyſicè ab intrinſeco conuenit non viuentibus.

11 Dicat aliquis primò, paſſiones eſſentiæ non fieri ab ipſa eſſentia, ſed à primo generante, & producente, quod eadem met actione eſſentiam atque paſſiones producit, atque ita actionem ſeu dimanationem paſſionum non fieri ab intrinſeco eſſentiæ, ſed ab agente extrinſeco promanare. Ita Thomiſtæ communiter. Sed impugnatur, eadem numero actio non poteſt eſſe ſimul creatio, & eductio, cum non poſſit eſſe ſimul creata, & dependens à materia qualis eſt eductio, vt oſtendi in phyſic. diſput. 23. cap. 3. & increata, ac independens qualis eſt creatio, vt monſtraui ibi diſput. 29. cap. 2. & 3. ſed actio qua eſſentia Angeli producitur eſt creatio, cum illa fiat ex nihilo, actio verò qua eius paſſio ſcilicet intellectus producitur eſt eductio, intellectus enim iuxta communem ſententiam eſt accidens inhærens eſſentiæ Angeli, atque ita pendet & educitur ex illa, ergo non eadem actione, ſed diuerſis eſſentia, & eius paſſiones producuntur. Confirmatur, Anima rationalis eſt prior actione eductiua qua producuntur ex illa eius paſſiones, cum verè talis actio pendeat à priori ab illa tamquam à ſubiecto, ex quo fit, ſed anima rationalis non eſt prior actione creatiua, per quam ipſa fit, ſed poſterior illa, ergo actio qua creatur eſſentia animæ. & actio, qua producuntur eius paſſiones non eſt eadem; vrgeo, antequam aqua amiſſam frigiditatem,

quæ est eius passio, recuperet, datur actio productiua essentiæ aquæ, & tamen tunc non datur actio productiua essentiæ aquæ, frigiditatis, seu passionis, cum tunc talis passio non sit producta, ergo actio productiua essentiæ distincta est ab actione productiua passionum. Similiter quando substantia grauis in loco superiori detinetur, datur actio productiua eius essentiæ, & tamen non datur motus, seu actio, qua vbicationem in infimo loco acquirat, ergo talis motus non est ipsamet actio productiua essentiæ, sed alia ab illa dimanans.

12 Dicat secundò, vitam consistere in ratione se mouendi ab intrinseco, postquam res est adæquatè constituta in suo statu connaturali; grauia autem & leuia quando mouentur sursum & deorsum per talem actionem constituuntur in suo statu connaturali, scilicet in loco superiori, & infimo, in quo quidem iam constituta quiescunt, & non mouentur in illo: similiter quando aqua mouetur, vt suam frigiditatem acquirat, talis actio illam in suo statu connaturali constituit, scilicet cum sua frigiditate & passione, quam naturaliter requirit, postquam autem illam habet, non mouetur, sed quiescit cum illa, ac proinde hæc omnia non habent rationem vitæ, ad quam necessariò exigitur, quod res postquam constituta sit in suo statu connaturali, moueatur; dicitur autem res esse in suo connaturali statu, quando habet totum id, quod ipsi in primo suæ generationis instanti naturaliter debetur, & sine quo esset violenta, vnde licèt homo, aut planta v.g. non habeat omnem magnitudinem, ad quam debet naturaliter accedere, dicitur simpliciter esse in suo statu connaturali, quia talis magnitudo non debetur illi in primo generationis instanti, nec est res violenta, sine illa, si autem ei aliqua passio deficeret, non esset in naturali statu, quique hæc illi in primo instanti generationis est naturaliter debita. Ita Suarez tom. 2. metaph. disp. 30. sect. 14. num. 14. Molina 1. part. quæst. 18. disp. vnica §. quæstio ergo. & Fonseca lib. 9. metaph. cap. 1. q. 5. sect. 4. & id videtur expresè sentire Doctor Angelicus 1. part. quæst. 18. art. 2. in corp. quibus alij etiam subscribunt.

13 Sed impugnatur, Deus per suam intellectionem propriissimè viuit, vt apud omnes est in confesso, & tamen intellectio diuina Deum constituit in suo statu connaturali, cum sit essentia ipsius Dei, ergo quando aliquid mouetur intra suam naturalem constitutionem & statum verè viuit; Nonnulli respondent Deum postquam sua intellectione in sua essentia constituitur, quasi iterum, atque iterum per illam continuo moueri intentionaliter, ac intelligere, ac proinde per illam viuere. Sed contrà, essentia Dei est reipsa intellectio sui ipsius, non quæcumque, sed intellectio diuina perennis, & æterna, ergo talis intellectio quatenus per illam Deus quasi iterum, atque iterum continuo, & perenniter mouetur intentionaliter, ac intelligit, est de naturali, ac essentiali constitutione Dei, & tamen Deus per talem motum intentionalem, ac intellectionem viuit, ergo res viuere potest per motum qui sit intra constitutionem talis rei. Deinde etiam substantia aquæ per illam actionem physicam, qua primo acquirit, ac efficit suas passiones ponitur in suo naturali statu, & per illam postea, iterum atque iterum conseruatiuè producit continuo tales passiones, & mouetur physicè, ergo sicut Deus hac ratione per intellectionem viuet, etiam aqua viuet per talem actionem. Nec valet dicere, aquam permanere in illa actione conseruando suas passiones non esse propriè moueri, sed positiuè quiescere in tali productione, & actione physica, quia ego potiori titulo dicam etiam permanere Deum seipsum intelligendo non esse propriè se mouere, sed positiuè quiescere in tali intellectione, ac proinde, vel Deum per suam intellectionem non viuere, vel aquam viuere per productionem suarum passionum.

Verùm aliquis respondeat essentiam Dei non esse suam actualem intellectionem, sed quamdam excellentissimam perfectionem ratione nostra antecedentem, quæ est principium virtuale intellectionis Deúmque hac perfectione in sua essentia connaturaliter moueri, & ideo viuere per illam. Sed contra, intellectio Dei, licet non sit eius essentia formaliter, est tamen de eius naturali statu, & constitutione, cum Deus non possit connaturaliter esse in vllo instanti, absque eo, quod se actualiter intelligat sua cognitione, & intellectione actuali, & tamen Deus per suam intellectionem viuit, ergo res potest viuere per actionem, quæ sit de naturali statu & constitutione talis rei. Confirmatur, magis est de naturali statu, & constitutione Dei intellectio sui ipsius, quam frigiditas de naturali statu, & constitutione aquæ, cum natura aquæ possit esse absque intensa frigiditate, & absque sui intellectione non possit vlla ratione manere natura Dei, ergo vel aqua viuit per productionem physicam suæ frigiditatis, vel per suam intellectionem non viuit Deus. 14

Dicat tertiò, moueri ab intrinseco, vt exigitur ad rationem viuentis esse formaliter, quod talis motus seu actio secundùm suam speciem non possit naturaliter fieri extrinsecè, & adæquatè à Deo, sed debeat necessariò fieri ab ipso principio intrinseco creato, à quo de facto promanat, cum autem productio passionis v.g. frigiditatis in aqua, licèt de facto immediatè oriatur ab essentia aquæ, possit etiam naturaliter fieri adæquatè à generante extrinseco, scilicet à Deo, quia qui dat formam dat consequentia ad formam, ideo talem productionem passionis non esse motum ab intrinseco, vt exigitur ad rationem viuentis. Ita recentiores ingeniosi. Sed impugnantur, Deus se solo non potest adæquatè efficere naturaliter frigiditatem aquæ, nisi aqua illam non efficiat, alioquin darentur simul duæ causæ totales physicæ eiusdem frigiditatis, quod naturaliter implicat, vt ostendi in physicis disp. 22 cap. 3. sed aqua non potest naturaliter non efficere frigiditatem, quæ est passio ipsius, ergo Deus se solo non potest naturaliter efficere adæquatè frigiditatem, quæ est passio aquæ. Probatur minor, aqua cum semper sit ex se potens, & applicata debitè ad producendam in se suam frigiditatem, non potest illam naturaliter non producere, nisi Deus neget illi suum concursum generalem, sed Deus aquæ sic esse potenti, & applicatæ ad efficiendam suam frigiditatem non potest naturaliter denegare suum concursum, si enim illum denegaret, miraculosè procederet, vt quando illum ab igne Babylonico subtraxit, ergo aqua non potest naturaliter non efficere suam frigiditatem. 15

Neoterici quidam censent frigiditatem aquæ non posse naturaliter produci à solo Deo, hoc autem esse ratione aquæ, quæ cum sit potens, & applicata, non potest naturaliter non efficere suam frigiditatem, non verò ratione talis frigiditatis, & passionis, quæ quantum est ex se, posset æquè naturaliter à solo Deo procurari, non enim ratione sui potest produci potiùs ab aqua, quam à solo Deo. Sed contra, res, quæ ratione sui, ac natura sua petit semper esse coniuncta cum causa creata proximè potente, & applicata ad illam naturaliter efficiendam petit consequèter ratione sui fieri à tali causa creata, quia hoc consequitur necessariò ad illud, atq; ita ratione sui petit hoc, si ratione sui petit illud, atqui frigiditas, quæ est passio aquæ ratione sui petit necessariò esse coniuncta cum essentia aquæ, quæ est causa proximè potens, & applicata ad talem frigiditatem, ac passionem efficiendam, ergo talis frigiditas & 16

passio

paſſio aquæ ratione ſui petit fieri ab ipſa aqua, ergo frigiditas etiam ratione ſui non poteſt naturaliter produci extrinſecè à ſolo Deo, ac proinde ab intrinſeco producitur, & aqua illam frigiditatem producens, licèt non ſit viuens, mouetur ab intrinſeco.

17 Dicat quartò, rationem viuentis conſiſtere in eo, quod res ſe moueat ab intrinſeco, id eſt, quod talis motus, ſeu actio à nullo alio principio extrinſeco poſſit naturaliter prodire, actio autem, qua eſſentia ſuas paſſiones producit, poteſt prodire ab alio principio creato extrinſeco, ſcilicet ab alia ſimili eſſentia, ſi ibi approximata eſſet, v.g. frigiditas huius aquæ poteſt naturaliter fieri ab alia ſimili aqua, & quantitas huius materiæ primæ ab alia ſimili materia prima, & intellectus animæ rationalis Petri ab anima rationali Ioannis, ſi ibi approximaretur, ac proinde talem actionem productiuam paſſionum non oriri ab intrinſeco, nec habere rationem vitæ; ſed mirum hoc paradoxũ, quod non bene apud Philoſophos audit, hac ratione ſic refello; duæ res ſubſtantialiter inter ſe diſſimiles habent diſſimiles paſſiones, ita vt paſſio vnius non poſſit naturaliter oriri ab alia, duo enim Angeli v. g. diſſimiles ſubſtantialiter in ſpecie habent intellectus ſpecie diſſimiles, & intellectus vnius Angeli non poteſt ab alio Angelo naturaliter prodire, & ratio eſt, quia paſſio rei cum commenſuretur omnino cum ſua eſſentia, eſt impropoitionata cum alia eſſentia illi ſubſtantialiter diſſimili, atque ita non poteſt naturaliter oriri ab illa, atqui duæ res etiam eiuſdem ſpeciei, v.g. anima rationalis Petri, & anima rationalis Pauli ſunt neceſſariò inter ſe ſubſtantialiter diſſimiles ſaltem indiuidualiter, vt monſtraui ſuprà diſput. 1. capite 4. numero 41. & capite 5. numero 51. & 52. ergo habent paſſiones ſcilicet intellectus ſubſtantialiter diſſimiles ita ſecum menſuratos, vt intellectus animæ rationalis Petri non ſit proportionatus cum alia anima rationali Pauli illi ſubſtantialiter diſſimili, nec poſſit naturaliter oriri ab illa.

18 Hæc autem difficultas de productione, ac reſultantia paſſionum, quæ videtur eneruare rationem vitæ, quàm aſſignauimus, facilè poſſet diſſolui, ſi quis dicerer paſſiones non ab eſſentia quàm perficiunt, ſed à generante eſſentiam, vel eam conſeruante produci, non quidem eadem actione qua producitur eſſentia, vt Thomiſtæ voluerunt, ſed alia actione diuerſa ad illam neceſſariò conſequuta, vtraque tamen exorta ab eodem generante, atque ita eam productionem paſſionum non eſſe motum ab intrinſeco, nec veram includere, aut denotare rationem vitæ. Hanc doctrinam tradit P. Vaſquez tom. 1. in 3. part. diſp. 34. cap. 4. num. 15. cui non pauci recentiores acquieſcunt, ſed quia nos in Phyſicis diſput. 17. cap. 4. contrariam ſententiam ſtabilimus, ſcilicet paſſiones rei ab ipſa rei eſſentia immediatè, & phyſicè reſultare, ac fieri, ideo alia via prædictæ difficultati occurrendum eſt.

19 Reſpondeo ergo, paſſiones rei ab ipſa rei eſſentia phyſicè, & immediatè profluere, non quidem ab illa tamquam à cauſa principe, hoc eſt, operante nomine proprio, ſed ab ea ſolùm, vt inſtrumento natura ſua deſtinato ad illas paſſiones efficiendas nomine generantis, quod vt cauſa principalis media eſſentia à ſe producta tamquam inſtrumento naturali ſui ipſius verè ac propriè eius paſſiones producit, vt commune illud ſaluetur Philoſophorum eloquium; quod dat formam, dat conſequentia ad formam; cum autem rem mouere ſe ab intrinſeco, quamdam præſeferat principalitatem mouendi ſcilicet, quod non alieno, ſed proprio nomine operetur, ideo eſſentiæ rerum cum ſuas paſſiones phyſicè & immediatè producunt nomine generantis, & vt inſtrumentum ipſius, verè, & propriè non mouentur ab intrinſeco, ſicut viuentia nimirum Deus, creaturæ cognoſcitiuæ & plantæ, quæ ita ſuos motus internos ſubeunt, vt nomine alterius extrinſeci agentis ipſos motus non eliciant. Ita expreſsè Fonſeca lib. 9. metaph. c. 1. q. 5. ſect. 4. ſequutus D. Th. 1 p. q. 18. art. 1. in corpore, vbi ait, *corpora grauia, & leuia mouentur à motore extrinſeco, vel à generante, qui dat formam*, ſcilicet formam ſubſtantialem grauem, vel leuem, quæ vt inſtrumentum generantis, eius nomine operatur, & locum connaturalem acquirit.

Sed quis contra ſolutionem inſurgat: generans, 20
ſeu agens extrinſecum producens eſſentiam, v.g. Deus producens eſſentiam Angeli ex eo præcisè, quod efficiat talem eſſentiam quæ immediatè & phyſicè efficit ſuas paſſiones, tale agens ſcilicet Deus non operatur, ac efficit verè & propriè illas paſſiones, ergo iſtæ paſſiones efficiuntur & cauſantur verè & propriè ab eſſentia Angeli, & non ab agente extrinſeco, ergo tales paſſiones verè & propriè ſolùm producuntur, & cauſantur ab intrinſeco. Vtraque conſequentia eſt euidens, quia ſi nullum datur agens extrinſecum, quod media eſſentia Angeli à ſe producta cauſet & efficiat verè, & propriè illas Angeli paſſiones, euidens eſt illas verè & propriè ſolùm ab eſſentia cauſari, ac proinde ab intrinſeco produci. Antecedens autem ſic probo. Deus in ſententia Durandi phyſicè, & immediatè produceret cauſas creatas, quæ immediatè & phyſicè efficerent ſuos effectus, & tamen Deus in tali ſententia effectus earum cauſarum vetè, & propriè non cauſaret, & ideo ſententia illa erroris nota inſimulatur, vt oſtendimus in phyſicis diſp. 15. cap. 1. ergo ex eo præcisè, quod Deus efficiat phyſicè eſſentiam Angeli, quæ phyſicè & immediatè produceret ſuas paſſiones verè, & propriè eas paſſiones non cauſabit.

Reſpondeo, cauſam aliquam mediatè ſolùm aliquem 21
effectum cauſare, ſcilicet medio aliquo, quod non ſit inſtrumentum naturaliter deſtinatum ad operandum nomine illius, non eſſe verè & propriè operari talem effectum, hoc ergo modo in ſententia Durandi cauſaret Deus effectus cauſæ creatæ, quia cauſa creata, qua media operaretur non eſſet naturale inſtrumentum Dei, nec eſſet ratio naturalis, quæ id exigeret, & ideo in ea ſententia Deus eos effectus verè & propriè non cauſaret, at verò cauſam aliquam mediatè ſolùm aliquem effectum cauſare, videlicet medio aliquo inſtrumento naturali ipſius, quod ſit natura ſua deſtinatum ad illius nomine operandum, eſſe verè & propriè operari talem effectum, ſol enim verè, & propriè illuminat, & tamen tantùm illuminat medio lumine, quod eſt virtus, ac inſtrumentum illius, & ignis verè calefacit, & tamen calefacit tantùm medio calore, quod in prædicta acceptione eſt illius inſtrumentum, & motus ſagittæ verè & propriè cauſatur à proiiciente, & tamen tantùm fit ab impulſu, qui vt inſtrumentum proiicientis eius quaſi nomine mouet ſagittam; hoc ergo modo generans, ſeu agens extrinſecum media eſſentia à ſe producta vt inſtrumento eius naturali ipſius paſſiones verè producit, & ideo non ab intrinſeco, ſed ab extrinſeco efficiuntur.

Verùm vrgeat, eſſentia Angeli non poteſt eſſe in- 22
ſtrumentum naturale Dei ad efficiendas ſuas paſſiones, ergo Deus media eſſentia Angeli non producit verè, & propriè paſſiones Angeli, conſequẽtia conſtat ex dictis, antecedens ſic oſtendo, inſtrumentum naturale ordinatum natura ſua ad producendũ effectũ nomine alicuius cauſæ principalis, ſupponit neceſſariò talem cauſam formalẽ, vel non eſſe adæquatè potentem, vel aliquando non eſſe ſufficienter applicatã ad talẽ effectũ producendum, ideo enim in noſtra ſententia calor non poteſt eſſe naturale inſtrumentum ignis ad producendum ignem,

quia semper supponit ignem adæquatè potentem, & applicatum ad alium ignem efficiendum, sed Deus per se ipsum est adæquatè potens, & applicatus ad producendas passiones Angeli, ergo essentia Angeli non potest esse instrumentum naturale Dei in ordine ad efficiendas tales passiones. Respondeo instrumentum naturale destinatum ad operandum aliquem effectum nomine alterius causæ dari, vel propter defectum virtutis proximæ talis causæ, quæ sine tali instrumento non est proximè potens effectum operari, vel propter defectum attemperationis, & commensurationis causæ cum effectu, essentia ergo Angeli v. g. est instrumentum naturale agentis extrinseci nempe Dei, non quidem propter defectum virtutis proximæ, qui verè non reperitur in Deo, vt argumentum conuincit, sed tantùm propter defectum attemperationis, & commensurationis Dei cum passionibus Angeli, istæ enim cum semper commensurentur, & coaptentur cum aliqua re, petunt etiam ab aliqua re secum commensurata, & attemperata immediatè profluere, vnde cum Deus producens essentiam Angeli, debeat naturaliter eius passiones producere, & ob sui excellentiam non commensuretur cum illis, datur ipsa essentia Angeli, quæ nomine Dei, vt eius instrumentum tales passiones commensuratè producat.

CAPVT III.

Aduersantia alia argumenta conuelluntur.

NOnnulla alia argumenta opinionem nostram c. 1. propositam difficilem reddiderunt, quæ in præsenti in medium proferam, & enodabo.

23 Obiiciat aliquis primò. Si ratio viuentis esset ratio mouendi se ab intrinseco, qualis reperitur in plantis, cum Deus etiam verè viuat, daretur plantis, & Deo ratio communis mouendi se ab intrinseco, sed non datur ratio communis mouendi se ab intrinseco Deo, & plantis, ergo ratio viuentis non est ratio mouendi se ab intrinseco, vt in plantis reperitur. Minor probatur, si ratio mouendi se ab intrinseco esset communis Deo, & plantis esset illis ratio vniuoca, vel ratio analoga, sed ratio mouendi se ab intrinseco non est Deo, & plantis ratio vniuoca, nec ratio analoga, ergo non est ratio communis illis. Et quidem non esse rationem vniuocam sic probatur, ratio vniuoca debet necessario propriè omnibus suis inferioribus conuenire, sed ratio mouendi se ab intrinseco non conuenit propriè omnibus suis inferioribus scilicet Deo, & plantis, Deus enim propriè non mouetur, cùm immutabilis sit, ergo ratio mouendi se ab intrinseco Deo, & plantis non est vniuoca. Porrò non esse analogam, probatur, si ratio mouendi se ab intrinseco respectu Dei & plantarum esset analoga conueniret vni propriè, alteri impropriè (excludimus transcendentiam, de qua non est sermo,) scilicet Deo impropriè, qui impropriè mouetur, & propriè plantis, quæ mouentur propriè, sed non potest dici, quod talis ratio mouendi se ab intrinseco, in qua sita est formaliter ratio vitæ, solùm impropriè competat Deo, aliàs Deus impropriè viueret, ergo talis ratio Deo, & plantis non est analoga.

24 Neoterici quidem dicunt viuere formaliter solùm esse, non quidem mouere se ab intrinseco, vt facta obiectio conuincit, sed perficere se ab intrinseco, hoc autem conuenit propriè Deo, & plantis, Deus enim per suam cognitionem & plantæ per vegetationem propriè ab intrinseco se perficiunt, & ideo talem rationem se perficiendi esse rationem vitæ communem & vniuocam Deo, ac ipsis plantis. Sed contra, Deus per suam bonitatem, aut immensitatem se perficit ab intrinseco, hæc enim Dei perfectio non potest ab intrinseco prodire, & tamen Deus per suam bonitatem, aut immensitatem formaliter non viuit, ergo viuere non est perficere ab intrinseco.

Respondeo ergo rationem agendi, seu mouendi se 25
ab intrinseco physicè, quæ reperitur in plantis esse veram & strictam rationem vitæ physicæ, atque ideo plantas strictè viuere vita physica, inde tamen non sequi rationem mouendi se ab intrinseco esse communem Deo, & plantis: nam licèt Deus vere viuat, non vero vita physica, sed vita intentionali, quæ est æquiuocè diuersa ab illa, & ideo vna ratio vitæ, seu mouentis se ab intrinseco illis assignari non potest, vt dictum est super cap. 1. circa finem.

Obiiciat secundò, quando ignis per lignum ag- 26
generatur, & nouas partes acquirit, actio aggeneratiua, vel quatenus terminatur ad formam ignis, vel ad vnionem continuatiuam formæ ignis aduenientis cum forma ignis præexistente est actio immanens producens terminum immanentem, scilicet talem formam, & vnionem, quæ in ipso igne permanet intrinsecè; & etiam est motus ab intrinseco, cum ab ipsa ignis virtute intrinseca progrediatur, & tamen ignis per talem actionem non vere viuit, ergo mouere se ab intrinseco non est viuere; vel saltem cum in plantis nullus alius motus ab intrinseco nisi hic, quem in igne se aggenerante conspicimus, reperiatur, sequitur aut ignem viuere, aut plantas vere non viuere. Respondeo rem se mouere ab intrinseco non esse præcisè elicere actionem immanentem virtute intrinseca, sed ita illam elicere, quod non possit talis actio ex genere suo ab alio agente extrinseco naturaliter proficisci, cum autem aggeneratio huius ignis ex genere suo posset æquo iure ab alio igne extrinseco, si ibi esset approximatus prodire, nutritio autem huius viuentis non possit ab alio viuente simili etiam intimè approximato emanare, vt docet experientia, ac simul ipsa organorum distinctio, & mirabilis instrumentorum varietas, quam nutritio, non aggeneratio præmittit, id manifestè declarat; ideo plantæ per nutritionem mouentur ab intrinseco, ac vere viuunt, ignis autem per aggenerationem licèt virtute intrinseca aliquid in se intrinsecè producat, nec mouetur ab intrinseco, nec habet rationem vitæ.

Sed quis instet, actio nutritiua in equo, verbi gra- 27
tia, est eiusdem speciei cum actione prima generatiua, sed actio generatiua est ab intrinseco principio, ergo actio nutritiua secundum suam speciem potest esse etiam ab intrinseco. Maior probatur, actio sumit suam speciem ab agente, & termino, sed vtraque illa actio, scilicet generatiua, & nutritiua habet idem specie agens, scilicet eumdem specie equum, & habet eumdem specie terminum, scilicet eamdem specie formam, vel vnionem continuatiuam equi, ergo tales actiones, generatiua, & nutritiua sunt eiusdem speciei. Respondeo actiones etiam diuersificari in specie ex solo diuerso modo tendendi, quam modi diuersitatem habent actio generatiua, & actio nutritiua; etenim forma equi simpliciter si nulla alia pars talis formæ supponatur producta, petit produci ab agente extrinseco, & vt sic non est terminus vitalis, si verò alia pars eiusdem formæ equi supponatur iam producta cui illa superaddatur, repugnat produci ab agente extrinseco, & vt sic est terminus vitalis; actio ergo generatiua attingit formaliter talem formam equi sub ratione petentis produci ab extrinseco, atque ita sub ratione termini non vitalis, & ideo talis actio generatiua tendit essentialiter ad illam modo non vitali, actio verò nutritiua attingit formaliter formam equi sub ratione repugnantis fieri ab

ab extrinseco, atque ita sub ratione termini vitalis, & ideo talis actio nutritiua tendit essentialiter ad illam modo vitali, & eapropter istæ actiones obtinent modos tendendi specifice diuersos, quod etiam confirmat ipsa dispositionum varietas, à quibus hæ actiones pendent, nam v.g. generatio fit ex materia seminis, & nutritio solum fit ex materia sanguinis, & sic in aliis, vnde licet generatio fiat ab agente extrinseco, nutritio tamen secundùm suam speciem non valet ab extrinseco promanare.

28 Obiiciat tertiò, hæc numero actio aggeneratiua huius ignis pendet essentialiter ab igne, ergo non potest naturaliter ab alio agente extrinseco proficisci, ergo ignis per eam actionem vere & proprie mouetur ab intrinseco, & tamen ignis non viuit, ergo nec planta ea præcisè ratione, quia mouetur ab intrinseco, non viuet; deinde actio vitalis debet necessario esse immanens, hoc est esse intrinsece in principio, à quo fluit, sed vegetatio hominis, v. g. non est immanens, non enim recipitur in principio, à quo fluit, nam fluit ab anima rationali, & tamen non in illa, sed in materia recipitur, ergo vegetatio vt sic non est actio vitalis, ergo planta se vegetando non viuit. Respondeo rem se mouere ab intrinseco esse formaliter habere motum, qui secundum suam speciem, hoc est, præcisa ratione modi, possit naturaliter ab agente extrinseco prodire, actio autem aggeneratiua huius ignis secundum suam speciem, seu præcisa ratione modi recte potest, vel non repugnat ab agente extrinseco proficisci, sicut repugnat actio nutritiua, & ideo ignis per illam non mouetur ab intrinseco, sicut per nutritionem mouetur viuens. Ad aliud obiectum dico, ad hoc vt actio sit immanens, tantum requiri, quod intrinsece recipiatur in illo ente naturali per se, à quo ipsa fluit, licet fluat ab illo secundum vnam partem, & secundum aliam recipiatur in ipso, cognitio enim hominis sensitiua, licet vitalis sit, & fluat à sola anima rationali, in multorum sententia, in sola recipitur, cum ergo nutritio, seu vegetatio hominis in toto ente naturali per se, scilicet in toto homine, à quo fluit, intrinsecè subiectetur, licet fiat ab illo secundum formam, & sit in illo secundum materiam vere est immanens, & vitalis.

29 Obiiciat quartò, Beatus per visionem beatificam vere viuit, & tamen per illam non mouetur ab intrinseco, ergo ratio vitæ non consistit formaliter in ratione se mouendi ab intrinseco. Minor probatur primo, moueri ab intrinseco est, quod motus efficiatur ab aliquo principio interno extrinsecus non aduenient, sed visio beatifica oritur à principio extrinseco aduenient, scilicet à lumine gloriæ, ergo homo per visionem beatam non mouetur ab intrinseco. Probatur secundo, moueri rem ab intrinseco est motum oriri à principio intrinsecè cum ipso proportionato, sed visio beatifica non oritur à principio interno cum ipsa proportionato, intellectus enim est naturalis, & ita nullam habet proportionē cum visione Dei supernaturali, ergo intellectus per talem visionem non mouetur ab intrinseco. Respondeo, Beatū per Dei visionem viuere, ac moueri ab intrinseco, non quidem per illam vt præcisè oritur à lumine gloriæ vt sic, non fit ab extrinseco, & non est vitalis, sed per illam vt oritur ab intellectu, vt sic enim est vitalis, & oritur ab intrinseco: deinde, vt actus ab intrinseco egrediatur, sufficit, quod ipse ita sit proportionatus cum principio interno, quod licet non petatur ab illo, ipse petat oriri ab ipso; cum ergo visio beata ita sit proportionata cum intellectu beati secundum se, vt licet non petatur ab illo, ipsa petat oriri ab ipso, ideo talis visio oritur ab intrinseco.

30 Obiiciat quintò sacram paginam Genes. 1. asserentem Deum omnem herbam dedisse homini viuenti ad vescendum, & tamen data non fuit plantæ in cibum, ergo planta non est viuens, & Genes. etiam 7. testantem cuncta, in quibus erat spiraculum vitæ mortua fuisse, & tamen constat plantas non fuisse destructas, ergo plantæ non viuunt, deinde Augustinum tom. 3. lib. 7. de Genesi ad litteram cap. 16. vbi sic ait, *Nam in nobis nisi inesset etiam ille motus* (scilicet vegetationis) *nec crescerent nostra corpora, nec vngues capillosque producerent*, sed si hoc solùm esset in nobis sine sensu motuque illo spontaneo, non diceretur homo factus in animam viuentem. Denique Damascenum lib. 2. fidei Orthodoxæ cap. 6. vbi sic inquit, *nullus cælos, aut sydera animata esse dicat, animata quippè haud sensu carent*; ergo iuxta horum Patrum doctrinam sensus saltem requiritur ad rationem viuentis, ac proinde planta illo carens non est viuens. Respondeo in c. 1. Genes. non esse sermonem de omni viuenti, sed solum de viuenti sensitiuo, quod est aptum vesci cibo, & ideo plantæ ab eo genere excludantur. cap. etiam 7 Scripturam solum loqui non de viuenti in communi, sed de illo, in quo est spiraculum vitæ, scilicet quod cum respiratione viuit, & ideo plantas immo, & pisces, licet verè & proprie viuant non comprehendere. Diuus autem Augustinus, vt ipse ibidem se explicat, non loquitur de vita vt sic, sed de ratione viuentis manifestiori, quæ per sensus declaratur. Sanctus Damascenus probat cœlos non viuere ex eo, quod sensu careant, certum enim est non viuere vita vegetatiua, cum incorruptibiles sint.

CAPVT IV.

Quibus conueniat formaliter ratio vitæ in actu primo.

VIta in actu primo est ratio illa, per quam aliquid est aptum habere motum ab intrinseco, hæc est 31
duplex, alia intentionalis, per quam aliquid est aptum habere motum intentionalem, scilicet cognitionem, aut amorem, alia physica, per quam aliquid est aptum habere ab intrinseco motum physicum, scilicet actionem immanentem. physicam. Item vtraque vita intentionalis, & physica in actu primo alia est substantialis, scilicet radix illa, per quam res remote est apta habere motum ab intrinseco, alia accidentalis, videlicet forma illa habens mutuam connexionem cum substantia viuente, per quam illa est proximè apta habere motum ab intrinseco. Porro ad hanc vitam accidentalem in actu primo requiri, quod sit forma habens mutuam connexionem cum substantia viuente, sic ostendo; substantiam viuere est mouere se ab intrinseco, hoc est, quod motus oriatur intrinsecè ab ipsa substantia vel etiam proxime ab aliqua forma intrinseca, quæ sit propria illius, sed forma illa, à qua proximè oritur motus ab intrinseco, est vita in actu primo accidentalis, ergo vita accidentalis in actu primo debet esse forma intrinseca propria substantiæ viuentis, atqui forma propria alicuius rei est illa, quæ habet mutuam connexionem naturalem cum tali re, vt diximus in Logica disp. 15. c. 2. ergo vita accidentalis in actu primo debet esse forma intrinseca habens mutuam connexionem naturalem cum substantia viuente. Inquirimus ergo quibus rebus vita in actu primo intentionalis, aut physica, substantialis, aut accidentalis conueniat.

ASSERTIO prima sit, Deus habet vitam substantialem in actu primo intentionalem quidem realiter, 32
physicam vero solum virtualiter, & per rationem, creatura autem cognoscitiua habet vitam substantialem in actu primo physicam, & intentionalem realiter, plantæ denique solum habent vitam substantialem

physicam, ita omnes Theologi, & Philosophi & recentiores adducti disp. 2. cap. 1. n. 5. Probatur, vita substantialis in actu primo est illa radix, per quam res remote est apta habere motum ab intrinseco, intentionalem quidem, si sit vita intentionalis, & physicum si sit vita physica, sed Deus per suam essentiam est radicaliter aptus reipsa ad habendum motum intentionalem, scilicet sui cognitionem, non vno ad habendum reipsa motum seu tendentiam aliquam physicam absolutam, nisi tantum virtualiter, & per rationem, creatura vero cognoscitiua videlicet Angelus, homo, brutum per suam substantiam est radicaliter apta ad habendum motum intentionalem scilicet cognitionem, & motum etiam physicum, scilicet actionem productiuam talis cognitionis, & plantæ etiam per suas substantias sunt radicaliter aptæ ad habendum ab intrinseco motum physicum scilicet actionem vegetatiuam, ergo Deus absolutè habet vitam substantialem in actu primo intentionalem reipsa, physicam vero solum per rationem, creatura autem cognoscitiua vtramque vitam habet realiter, & plantæ habent reipsa vitam substantialem physicam. Sed obseruo in Deo saltem relatiue vitam substantialem physicam realiter, nam in Patre est realis productio, ac generatio filij, & in Patre & filio est realis spiratio Spiritus sancti, quæ vtraque non valet ab extrinseco prodire.

33 ASSERTIO secunda sit, potentiæ intentionales viuentis (si forte ab eius essentia distinguantur) scilicet intellectus, voluntas, ac aliæ facultates sensitiuæ habent vitam accidentalem in actu primo intentionalem, & physicam, potentia autem nutritiua solum habet vitam physicam accidentalem. Ita Aristotel. D. Thomas, Suarez, Hurtado disp. 3. de anima section. 2. Carleton disp. 6. de anima sect. 7. Arriaga disput. 2. de anima sect. 2. Franciscus Alphonsus disp. 5. de anima sect. 5. & 6. Ioan. à S. Th. q. 1. art. 4. Complutenses d. 5. de anima, & ferè communiter omnes. Probatur, vita accidentalis in actu primo est forma habens mutuam connexionem cum substantia viuentis, per quam illa est proximè apta habere motum ab intrinseco, intentionalem si sit vita intentionalis, aut physicum, si vita sit physica, vt præmisimus, sed quæuis potentia intentionalis est forma intrinseca habens mutuam connexionem cum substantia viuentis, & per illam talis substantia fit proximè apta habere motum intentionalem, ac physicum, scilicet cognitionem, & productionem realem talis intellectionis, potentia autem nutritiua habet etiam similem connexionem, & etiam est ratio proxima habendi motum physicum ab intrinseco, ergo illæ potentiæ habent vitam accidentalem in actu primo intentionalem, ac physicam, hæc vero potentia tantum habet vitam physicam accidentalem.

34 ASSERTIO tertia sit, species impressa, & habitus naturalis nullam habet rationem vitæ in actu primo. Ac primum speciem impressam non viuere in actu primo sic monstro; id viuit in actu primo quod se mouet ab intrinseco, id est, quando motus vt ab illo est ab intrinseco, sed motus provt oritur ab specie non est ab intrinseco sed ab extrinseco obiecto, cuius nomine agit species, & si aliquando obiectum sit intrinsecum, vt cum Angelus se cognoscit, illud est per accidens, atque ita per se non variat modum concurrendi per modum obiecti, ergo species impressa non viuit in actu primo. Porro habitum etiam naturalem non viuere sic ostendo. Ita præfati auctores præter Arriagam qui supra n. 80. tenet habitus naturales dicendos vitales; sic probatur nostra assertio, illud præcisè viuit in actu primo substantialiter, vel accidentaliter, quod vel est prima radix, vel forma, ac ratio proxima motus ab intrinseco habens mutuam connexionem cum substantia viuente, vt ostendi n. 28. sed habitus naturalis, nec est prima radix motus ab intrinseco vt constat, nec est proxima forma, & ratio illius habens mutuam connexionem cum substantia viuente, hæc enim rectè potest esse naturaliter sine illo, ergo habitus naturalis nulla ratione viuit in actu primo.

Obiiciat aliquis, influxus causæ vitalis non potest naturaliter suppleri nisi per causam vitalem, actus enim 35
vitalis petit naturaliter oriri à suo completo principio vitali, sed habitus naturalis supplet naturaliter concursum inadæquatum potentiæ vitalis, v. g. intellectus, ergo habitus est causa vitalis Minor probatur, quãdo potentia vitalis, v. g. intellectus se toto elicit actũ, elicit illum influxu totali, quando verò cum illo concurrit habitus ipse intellectus elicit talem actum influxu tantum inadæquato, & partiali, ergo habitus ille naturalis supplet naturaliter influxum partialem, & inadæquatum potentiæ vitalis. Confirmatur, influxus præmissarum in conclusionem est vitalis, quia est à forma intrinseca, sed etiam influxus habitus naturalis est à forma intrinseca, ergo talis influxus est vitalis, ergo habitus secundum se in actu primo est vitalis. Respondeo habitum naturalem quando concurrit cum intellectu ad aliquem actum non supplere influxum inadæquatum, quem deberet præstare potentia intellectiua vitalis, nam licet intellectus posset absolute facere actum illum influxu totali, non tamen posset ea facilitate illum efficere nisi influxu partiali ipsius & influxu partiali habitus naturalis, & ita habitus naturalis ad actum facile efficiendum suo quasi nomine partialiter concurrit, & non supplendo influxum inadæquatum, quem deberet exhibere potentia intellectiua vitalis, atque ita ea ratione non colligitur habitum naturalem esse in actu primo vitalem. Ad confirmationem respondeo, influxum præmissarum in conclusionem, si non distinguatur ab ipsis præmissis, cum ipsæ vitales sint, ipsum etiam illarum vitalitate fore vitalem, si autem ab illis distinguatur, vitalem non esse, non enim sufficit, quod oriatur à forma intrinseca propria substantiæ viuentis, id est, quæ habeat mutuam connexionem cum illa, quod in præmissis non reperitur, quæ quidem sicut & habitus naturalis non habent connexionem mutuam cum viuente substantiali, & ideo nec ipsæ, nec habitus in ordine ad influxum distinctum sunt in actu primo vitales.

ASSERTIO quarta sit. Habitus supernaturales, 36
v. g. habitus charitatis, vel habitus luminis gloriæ nullam habent in actu primo rationem vitæ. Ita iidem auctores. Probatur, vita in actu primo, vel est ipsa substantia quæ se mouet ab intrinseco, vel aliqua forma intrinseca habens mutuam connexionem cum tali substantia per quam ipsa proximè sit apta ab intrinseco moueri, vt dictum est num. 28. sed habitus supernaturalis, nec est substantia mouens se ab intrinseco, sed forma intrinseca habens mutuam connexionem cum tali substantia per quam ipsa proximè ab intrinseco moueatur, substantia enim viuens non petit habere habitum supernaturalem, atque ita non connectitur cum illo, ergo habitus supernaturalis non est in actu primo vitalis.

Obiiciat quis, ideo visio beata v. g. est vita acciden- 37
talis intellectualis in actu secundo, quia est actualis tendentia in Deum, qui clauditur sub obiecto adæquato potentiæ intellectiuæ vitalis, sed etiam habitus luminis gloriæ est aptitudinalis tendentia ad actum intellectionis vitalem, & in ipsum Deum, qui clauditur sub obiecto adæquato potentiæ intellectiuæ vitalis, ergo talis habitus erit etiam vita accidentalis intellectualis in actu primo. Respondeo ad vitalitatem actus tantùm requiri, quod oriatur ab intrinseco, scilicet vel ab ipsa substantia viuente, vel ab aliqua forma intrinseca propria illius, ad vitalitatem verò principij desiderari, quod sit; vel ipsa substantia mouens se ab intrin

intrinſeco, vel forma, ac ratio proxima illius reſpectu talis motus, quæ ſit ipſius ſubſtantiæ propria, cum ergo viſio beata oriatur ab intrinſeco, ſcilicet, vel ab ipſa ſubſtantia animæ, vel etiam ab intellectu, quæ eſt forma propria, & ratio mouendi illius, talis viſio eſt actus vitalis, cum verò habitus luminis gloriæ, nec ſit ſubſtantia apta ſe mouere ab intrinſeco, nec forma ac ratio mouendi proxima propria illius, vt iam oſtendi, ideo talis habitus non eſt principium vitale.

38 Hîc inquiri poteſt an poſſit dari potentia aliqua ſupernaturalis vitalis. Quidam reſpondent non poſſe dari potentiam aliquam ſupernaturalem vitalem ſuppoſito, quod poſſibilis non ſit ſubſtantia aliqua, ac natura ſupernaturalis. Ratio eſt manifeſta ex dictis, quia potentia, vel principium accidentale vitale debet neceſſariò eſſe forma, ſeu ratio proxima motus ab intrinſeco propria ſubſtantiæ viuentis, id eſt, habens mutuam connexionem cum illa, ſcilicet, quod petat illam, & petatur ab illa, ſed non poteſt dari etiam de potentia Dei abſoluta aliqua forma ſupernaturalis, quæ habeat connexionem mutuam cum ſubſtantia naturali, etenim ſupernaturalis ſubſtantia implicat, nam licèt talis forma poſſet petere ipſam ſubſtantiam, ſubſtantia verò naturalis non peteret talem formam ſupernaturalem, aliàs iſta ſupernaturalis non eſſet, ſed naturalis, cum exigeretur à natura, & illi eſſet connaturaliter debita, ergo nequit dari etiam de potentia Dei abſoluta potentia aliqua ſupernaturalis vitalis; cæterum iis temporibus probabilem reputant oppoſitam ſententiam plures recentiores, & præcipuè illam mirificè locupletauit Ripalda tom. 1. de ente ſupernaturali, & alij multi, res tamen Theologica eſt, & non noſtri inſtituti.

CAPVT V.

In quibuſnam ratio vitæ in actu ſecundo formaliter reperiatur.

39 VIta in actu ſecundo eſt ratio illa per quam formaliter res mouetur actualiter ab intrinſeco; hæc autem eſt duplex, alia intentionalis, alia phyſica; vita intentionalis in actu ſecundo eſt ratio illa, per quam formaliter res mouetur actualiter ab intrinſeco intentionaliter ſcilicet cognoſcit, aut appetit. Vita phyſica in actu ſecundo eſt ratio illa, per quam formaliter res mouetur actualiter ab intrinſeco phyſicè, ſcilicet agit actu aliquem terminum, qui vt ſic non valeat ab agente extrinſeco naturaliter proficiſci.

40 Hinc infero primò, actualem cognitionem, & volitionem, ſiue intellectualem, ſiue ſenſitiuam habere rationem vitæ, & eſſe ipſammet vitam intentionalem in actu ſecundo, cùm quæuis earum ſit ratio, per quam formaliter res mouetur actu ab intrinſeco intentionaliter, ſcilicet cognoſcit vel appetit. Infero ſecundò, phyſicam productionem cognitionis, ac volitionis nec non actionem nutritiuam habere rationem vitæ, & eſſe ipſam vitam phyſicam in actu ſecundo, quia quæuis earum eſt ratio, qua res actualiter ſe mouet ab intrinſeco phyſicè, vt ſuperius expoſuimus. Infero tertiò, actionem, qui intellectus agens efficit in ſeipſo ſpeciem impreſſam, nullam habere rationem vitæ, quia eſt motus ab extrinſeco, nam ab intellectu operante nomine obiecti extrinſeci generatur. Infero quartò, actionem, qua actus efficit habitum non eſſe vitam in actu primo, quia non eſt motus ab intrinſeco, hoc eſt, ortus à ſubſtantia viuenti, vel ab aliqua forma propria illius habente ſcilicet mutuam cennexionem cum illa.

41 Sed dubitari poteſt, an motus localis veram habeat rationem vitæ in actu ſecundo. Multi affirmant vitalem eſſe. Ita Conimbricenſes hic lib. 2. cap. 3. quæſt. 2. art. 2. Rubio ibidem cap. 1. & 2. tract. de pluralitate animarum quæſt. 1. Suarez tom. 1. metaph. diſp. 18. ſect. 5. num. 35. qui ait hoc eſſe omnium Philoſophorum aſſertum, & ipſe D. Thom. 1. p. quæſt. 76. art. 1. in corpore, Arriaga diſp. 2. de anima ſect. 2. ſubſect. 4. Suarez lib. 1. de anima cap. 4. & 7. Probatur primò auctoritate Scripturæ & Sanctorum Patrum, qui viuentia ſæpè intelligunt ſub appellatione eorum quæ ſe localiter mouent, imò nonnullis rebus non viuentibus ratione motus localis vitam metaphoricè adſcribunt, dicitur enim aqua viua, & argentum viuum. Probatur ſecundò ratione, quia vita in actu ſecundo eſt motus ab intrinſeco, ſed motus localis, quo aliqua res ſe mouet eſt motus ab intrinſeco, per illum enim producitur ab agente intrinſeco terminus magis immanens, & immanens intrinſecus, quam per nutritionem, cum vbicatio in ipſo, qui ſe mouet, intrinſecè recipiatur, ſecus terminus nutritionis, ergo talis motus eſt vita in actu ſecundo.

42 ASSERTIO tamen ſit. Motus localis, quo res aliqua ſe mouet, non eſt vita in actu ſecundo, nec eſt vitalis formaliter, ſed tantùm illatiuè, ſeu arguitiuè, quatenus motus eſt ſignum vitæ. Ita D. Thomas 2. de anima lect. 5. & 1. p. quæſt. 78. art. 1. Conimbricenſes 2. de anima cap. 3. quæſt. 2. art. 2. Arriaga magis inclinans in hanc ſententiam ſuprà num. 106. Carleton diſp. 6. de anima ſect. 7. Hurtado diſput. 3. de anima ſect. 1. ſubſect. 5. num. 48. Franciſcus Alphonſus diſp. 5. de anima ſect. 6. num. 67. Ioan. à S. Thoma quæſt. 1. de anima art. 4 & recentiores non indocti. Probatur apertè ex dictis, vita in actu ſecundo eſt motus ab intrinſeco, ſed motus localis, quo res aliqua ſe mouet non eſt motus ab intrinſeco, ergo motus localis non eſt vita in actu ſecundo. Minor oſtenditur, motus ab intrinſeco eſt illa actio, quæ ſecundùm ſuam ſpeciem, ac præciſa ratione modi non poſſit ab agente extrinſeco naturaliter prodire, aliàs actio, qua ignis ſe aggenerat, eſſet vitalis; ſed motus localis, quo manus v. g. eleuatur, ac ſe mouet, ſecundùm ſuam ſpeciem, ac præciſa ratione modi, potuit fieri ab intrinſeco agente, quod talem manum poſſet eleuare, & mouere, ergo talis motus non eſt ab intrinſeco. Confirmatur, omnis actus vitalis debet eſſe immanens, & recipi in principio vitali, à quo elicitur, ſed terminus motus localis non eſt immanens, ſed tranſiens, cum ſit ipſa vbicatio, ergo motus localis formaliter per ſe non eſt vitalis, cum à principio extrinſeco potuiſſet produci, ſicut manus ſiniſtra, quæ ad extra mouetur, potuit moueri ab alio, ergo vbicatio, quæ à motu procedit, potuit ab alio extrinſeco agente procedere, & conſequenter propriè vitalis non dicendus motus localis.

43 Dicunt Neoterici quidam, motum localem, quo manus à ſeipſa mouetur eſſe diuerſum ab alio motu, quo ab agente extrinſeco moueretur, quia habet diuerſum modum tendendi, quia cùm oriatur à propria virtute intrinſeca mobilis, tendit modo viuo, cum verò oritur ab extrinſeco agente, tendit quaſi mortuo modo, atque ideo motum localem, quo res aliqua ſe mouet ſecundùm ſuam ſpeciem non poſſe fieri ab extrinſeco, ſed ab intrinſeco produci, & eſſe vitalem. Sed contrà, tota ratio ob quam, iſti recentiores dicunt motum localem, quo res aliqua ſe mouet, tendere modo viuo, eſt quia oritur à virtute intrinſeca ipſius mobilis, & manet in ipſo, ſed actio generatiua, quæ terminatur ad vnionem formæ ignis aduenientis cum forma ignis præexiſtente, oritur à virtute intrinſeca ignis ſe mouentis, & manet intrinſecè in ipſo, ergo eodem modo actio aggeneratiua tendit modo vitali, atqui hæc actio non tendit modo vitali, ſed poteſt ab extrinſeco produci, vt ipſi aduerſarij admittunt, ergo etiam motus localis,

localis,quo res à se mouetur, non tendit modo vitali, sed potest ab extrinseco prodire, ego sane nullam in his diuersitatem inuenio.

44 Consultò in assertione dixi, motum localem, quo quis progressiue se mouet, non formaliter, sed illatiue tantum habere rationem vitæ, quia cum talis motus semper in viuentibus reperiatur infert vere rationem vitæ, & ideo illatiue potest appellari vitalis. Vnde Sacra Pagina,Ecclesiæ Patres,ac D. Thomas quando dicunt motum, quo res à seipsa mouetur, vitalem esse, solum in prædicto sensu, scilicet non formaliter, sed illatiue tantum debent intelligi, quo primum argumentum supra factum ex auctoritate dissoluitur. Ad primum dico motum ab intrinseco esse vitalem, motus vero localis non est ab intrinseco, cum secundum suam speciem possit ab agente extrinseco prodire, & ideo non habere rationem vitæ formaliter, sed tantum arguitiuè, & illatiuè, quatenus est signum vitæ, & in hoc sensu sancti Patres sæpè motum progressiuum vocant vitalem.

CAPVT VI.

Quot animarum genera, & quot viuentium sint gradus.

45 ANima est in triplici genere, alia vegetatiua, alia sensitiua, alia rationalis, ratio est, quia anima est forma substantialis, quæ est radix motus ab intrinseco, sed triplex est tantùm genus formæ substantialis, quæ sit radix motus ab intrinseco; scilicet formæ plantæ, quæ est radix se ab intrinseco vegetandi, & formæ bruti, quæ est principium cognoscendi, & appetendi, & formæ rationalis, quæ est radix intellligendi, & amandi, ergo triplex tantùm est animæ genus, scilicet vegetatiuæ, sensitiuæ, & rationalis. Vbi obserua animam, quæ habet superiorem gradum, gradum inferiorem non excludere; vnde anima sensitiua non excludit vegetationem, nec anima rationalis excludit sensationem, vt statim explicabimus.

46 Sed quærat aliquis; An anima sensitiua includat,& contineat in se animam vegetatiuam plantæ,vel rationalis animam sensitiuam bruti. Respondeo, animam rationalem continere animam sensitiuam bruti, & istam continere animam vegetatiuam plantæ,non quidem formaliter, cum brutum non sit formaliter planta, nec homo sit formaliter brutum, sed eminenter, non quidem eminentia actiuitatis, cum anima rationalis nõ agat animam bruti,nec anima bruti efficiat animam plantæ, sed tantum eminentia perfectionis, quia brutum perfectiores elicit actiones vegetandi,quàm planta, & homo per animam rationalem perfectiores habet actiones sentiendi, quam brutum.

47 Hinc infero, animam rationalem esse etiam formaliter sensitiuam, & vegetatiuam, & animam sensitiuam bruti esse etiam vegetatiuam formaliter, quia illa est formaliter principium actionum sentiendi, & vegetandi,& hæc est etiam principium formaliter actionum vegetandi; Deinde, quia homo est formaliter animal, ergo est formaliter viuens sensibile, sed hoc habet homo formaliter, & vt quo per animam rationalem, ergo anima rationalis est formaliter sensitiua, seu sensibilis, atqui anima rationalis non magis est sensitiua, quam ipsa, aut anima bruti sit vegetatiua, pariter enim in illa actiones sentiendi, & vegetandi experimur:ergo anima rationalis ac etiam anima bruti est vegetatiua formaliter.

8 Viuens de facto tantùm est in triplici gradu, aliud vegatiuum, aliud sensitiuum, aliud intellectuale,tantùm enim experimur istos diuersos tres modos mouendi se ab intrinseco, in quo consistit formaliter ratio vitæ, alter enim gradus se localiter, & progressiuè mouendi non est verè gradus viuentis, cum motus ille localis non sit ab intrinseco nec vitalis, vt supra n.39. monstrauimus. Hîc recentiores inquirunt primò, an de potentia absoluta possit dari viuens animatum intellectiuum quod non sit sensitiuum? Secundò an dari possit sensitiuum, quod non sit vegetatiuum? Tertiò an dari possit viuens aliquod animatum incorruptibile? Quartò an dari possit corpus viuens non compositum ex materia & forma? Quintò an dari possit viuens aliquod, quod non sit intellectiuum, nec sensitiuum, nec vegetatiuum? Sextò an dari possit viuens intellectiuum, quod non sit volitiuum, aut volitiuum, quod non sit intellectiuum? Censeo quidem non posse dari volitiuum sine intellectiuo, quia nihil potest esse volitum, quin præcognitum, & ideo non potest esse aliquid volitiuum, quin etiam sit cognoscitiuum alia verò omnia, quæ inquiruntur posse dari de infinita Dei potentia, quia in illis nullam apertam rationem implicationis inuenio.

DISPVTATIO III.

De iis, quæ anima informantur.

DVo capita continebit. In primo inquiro, an sanguis, & alij humores anima præditi sint? In secundo an dentes, vngues, capilli, semen, & lac animentur?

CAPVT I.

An sanguis, & alij humores anima præditi sint.

COmpertum est partes cuiuscumque viuentis 1
constantes, ac perfectas scilicet in homine carnem & ossa,neruos,ac similia anima verè informari, ac vita frui. Probatur, nam caro, & ossa sunt partes præcipuæ animalis, nec augentur per iuxta positionem, vt ignis, & aqua, sed per intus sumptionem, & vegetantur; Deinde caro sentit, ergo habet vitam, & de neruis idem sentiunt medici de plantis etiam certum est omnes illas partes,quæ viresc unt, & augentur, viuere, vt sunt arbores, folia, flores, fructus, radices,& cortices, quæ omnia per intus sumptionem augentur, item exploratum est partes alias excrementitias, nimirum sudorem, lachrymas, & saliuam & id genus alia non animari,nec viuere.Controuersia tamen est de aliis partibus perfectis non tamen consistentibus sed fluidis, videlicet de sanguine phlegmate atra bili,& flaua bili, an verè animentur, & viuant gratia verò claritatis solùm expresè de sanguine disseremus, idemmet, quod de ipso dixerimus, de aliis humoribus definiendum.

In hac re tres adinuenio sententias prima sententia est, sanguinem non animari, sed informari alia substantiali forma sanguinis non viuente reuera ab anima condistincta. Ita Aristot. lib 2. de partibus animalium cap.10 D.Thomas 1.p.q 119.art.1.ad 5. S.Bonauentura in 4. dist 44.art.1.q.1. ad primum Alensis 2.p.q.16. membr.7.Scotus in 4.dist 10 q.1.art.2 Durandus in 4. dist.44.q.2.ad 2. Scotus ibidem art. 3. & dist. 10.q.1. art.2.Suarez 3.p.tom.1.disp.15.sect 6 & disp. 51.sect. 3.§.vltima Pars conclusionis,& lib.2. de anima cap. 5. Vasquez tom.3.in 3. partem disp. 36. cap.5. num.20. Card. Hugo disp.14. de Incarnatione sect.4. num.68. Ruuius lib.2.de anima q.8.Murcia lib.2. de anima d.1. q.5. 2

q.5. Tannerus 3.q.diſp.14.4.diſp.3. qui ait eam tenere communiter Theologos, Philoſophos & Medicos, Conimbricenſes lib.2.de generatione cap.4.quæſt.24. art.2. Carleton vtramque ſententiam reputat probabilem, ſed ſection.3.diſput.3.de anima inclinat in hanc, Franciſcus Alphonſus diſp.2.de anima ſect.5.n.46. & alij permulti, qui communiſſimam eſſe hanc ſententiam fatentur.

Secunda ſententia eſt duplicem eſſe ſanguinem, alium nutrimentalem non perfectè decoctum, qui immediatè ex alimento cibi efficitur, alium perfectè decoctum, qui ex illo nutritur, de ſanguine nutrimentali docet non animari ſed eſſe vltimum viuentis alimentum, de alio vero ſanguine perfectè decocto ait verè animari, & viuere. Ita Caiet.3.p.q.52 art.2. & Syluester in roſa aurea tract.3. q 3. Tertia ſententia eſt omnem ſanguinem, qui intra viuentis clauſtra includitur anima informari, ac viuere. Ita Conrradus Hiſpalenſis, Medina, Aſtudillo, & Cardin. Toletus relati à Rub.hic lib.2.cap.3.tract.de modo, quo anima informet corpus q 8.in principio P.Hurtado diſp.1. de anima ſect.6 n.40. Vbi plura Sacræ Scripturæ, & Patrum, præcipuè D. Auguſtin. congerit teſtimonia, quæ non parum prædictam roborant ſententiam, Arriaga diſp.1.de anima ſect.9. ſubſect.2. Caietanus 3. p. q.5. art.1. adducens D. Thomam infra citandum, Valentia 1.p.diſp.6.q.2. punct.3.§. ſed diligenter, Bannez 1.de generatione cap.4.quæſt.8.art.5. P. Ouiedo hic controuerſ.1.part.4. num. 2. Complutenſes diſp.6. de differentia quæſt.1. & alij recentiores non inſi docti, quibus ſubſcribo.

3 Assertio ſit; ſanguis, qui in viuente reperitur verè animatur, ac viuit, videtur eſſe expreſſa Ariſtotelis ſententia qui lib.3. de hiſtoria animalium cap.19. ſic ait, *quamdiu vita ſeruatur, ſanguis vnus animatur*, fauet etiam D. Thomas vt ex dicendis conſtabit: Probatur primo à priori, vera pars integralis viuentis anima vere informatur, ſed ſanguis eſt vera pars integralis viuentis v.g. hominis, ergo ſanguis anima informatur. Conſequentia eſt euidens, maior patet, quia corpus organicum informatur anima, cum hæc ſit forma corporis organici, ſed corpus organicum non eſt aliud, quam partes integrales viuentis, ergo quæuis pars integralis viuentis anima informatur, minorem vero ſcilicet ſanguinem eſſe veram partem integralem viuentis, conſtat primum ex Ariſtotel. lib. 3. de hiſtoria animalium cap.2 in principio, & lib.2.de partibus animalium cap.3. vbi inter partes integrantes aſſimilares viuentis annumerat ſanguinem, & ex D. Thoma in 4. diſt.48.q.1.art.2. quæſtiuncula 2.& 3.p. q.54. art.2.ad 3.vbi expreſſe ait ſanguinem hominis ad veritatem & integritatem naturæ humanæ pertinere, & ideo in reſurrectione totum ſanguinem antea effuſum Chriſtum Dominum reaſſumpſiſſe.

4 Deinde ex Innocentio III. qui in quadam extrauaganti de celebritate Miſſarum expreſsè ait, è Chriſti latere aquam & ſanguinem emanaſſe, vt monſtraretur fuiſſe verè in corpore Chriſti quatuor humores qui ad veram hominis conſtitutionem ſpectant, homo autem vere non conſtituitur niſi ex partibus eſſentialibus ac integralibus, atque ita ex mente Innocentij ſanguis, & alij humores ſunt vere partes integrales hominis, rurſus ex Concilio Tridentino ſeſſ.13.cap.13. vbi definit ſanguinem Chriſti in Euchariſtia ſub ſpeciebus vini ex vi verborum exiſtere, ſub ſpeciebus verò panis ſolum eſſe per concomitantiam, hoc eſt, ex vi illius naturalis connexionis, & concomitantiæ, qua partes Chriſti Domini inter ſe copulantur, ergo ſentit aperte Concilium ſanguinem eſſe partem Chriſti Domini quæ cum corpore, quod eſt ibi ex vi verborum ſaltem integraliter copulatur, ac proinde ſanguis erit vere pars integralis viuentis, & ex Auguſtino q.57. in Leuit. explicans illud Leuit. 17. videlicet animam omnis carnis in ſanguine eſſe, ait, *aliquid vitale eſt in ſanguine, quia per ipſum maxime in hac carne viuitur, ipſam vitam corporis vocauit animam*, ergo cum anima ſit vita, & & ſit in ſanguine, ſanguis vere viuit, & animatur, ac informatur: Denique probatur ratione; id eſt, vera pars integralis viuentis, ſine quo ipſum mancum & mutilum manet; atqui viuens ſanguine vſque ad deliquium effuſo, etiamſi diuinitus non periret ſine ipſo ſanguine mancum, & mutilum remaneret; ergo ſanguis eſt vera pars integralis viuentis. Probatur minor, tunc viuens remanet mutilum, quando deeſt aliquid ſubſtantiale ratione cuius non valet omnes ſuas operationes exercere, ideo enim abſciſſo pede mutilum eſt, quia deeſt aliquid ſubſtantiale, ratione cuius iam non poteſt deambulare; ſed omni ſanguine effuſo deeſt aliquid ſubſtantiale ratione cuius non valet viuens omnem immo, nec vllam operationem exercere; ergo viuens effuſo omni ſanguine mutilum remaneret.

Sed obiiciet nobis Franciſcus Alphonſus Ariſtotelem lib. 2. de partibus animalium cap. 10. dicentem *neque ipſe ſanguis ſenſu præditus eſt, quippe qui nulla pars ſit animalium, & paulo ante finem cap. 3. ait, non enim ſanguis continuus carni, neque cognatus eſt ſed in corde, ac venis, quaſi in vaſis continetur.* Sentit ergo anima non informari, cum vna & eadem anima non poſſit informare materias diſcontinuas Reſpondeo non probare ſanguinem non omnino viuere, ſed ad ſummum non viuere eadem vita, qua animal, cuius eſt alimentum, poſſe tamen viuere vita vegetatiua. Reſpondeo ſecundo, ſanguinem non eſſe immediatum alimentum animalis, illud verò, quod in formam viuentis conuertitur, verè anima informatur, vnde etſi ſanguis ſit fluidus, ſufficienter vniri, ac continuari carni mediate, nempe per iecur, ſicut dentes medio quodam neruo vniuntur maxillis, quod ſufficit, vt ſanguis anima informetur. 5

Dices ſecundò, ſanguis nullã habet operationẽ vitalẽ, ergo neque vitam, nam omnis, qui viuit habet aliquam operationem, in eo enim diſcriminamus animantia ab inanimatis, ergo ſanguis non habet vitam; ſed inſtatur argumentum, nam neque oſſa eliciunt ſenſationem, nec caro intellectionem, & tamen anima informantur, vt oſtendi num. 1. & ratio eſt, quia anima non debet elicere in ſingulis partibus omnes operationes, quas in ſe continet, vt experientia conſtat.

Probatur ſecundò argumento Theologico efficaciori; Verbum diuinum ſanguinem naturæ humanæ Chriſti terminauit, ac aſſumpſit, ſed ſi ſanguis anima rationali non informaretur, illum non aſſumpſiſſet, ergo ſanguis Chriſti, & cuiuſuis alterius hominis informatur anima rationali. Conſequentia eſt aperta. Maior propoſitio eſt definita in Eccleſia à Deo, vt oppoſitum error in fide ad minus cenſeatur, vt expreſsè docent Vaſquez tom. 1. in 3.partem diſp. 36.cap.4 & Suarez tom.etiam primo in eamdem 3.partem diſp.15. ſect.6. concluſione prima, & alij. Minorem autem ſic probo, de facto non eſt verum dicere; Deus eſt ſanguis: & ſanguis eſt Deus; ſicut vere dicitur, Deus eſt homo, & animal rationale; homo ac animal rationale eſt Deus, vt apud omnes Theologos in confeſſo eſt; atqui ſi ſanguis haberet formam ſanguineam ſubſtantialem diuerſam ab anima rationali, & eſſet aſſumptus à Verbo, verum eſſet dicere, Deus eſt ſanguis; ſanguis eſt Deus; ſicut vere dicitur; Deus eſt animal rationale; animal rationale eſt Deus; nam in tali caſu ſicut aſſumpſit Verbum totam naturam rationalem conſtantem ex materia & forma rationali, ita aſſumpſiſſet totam naturam ſanguineam conſtantem ex materia & forma ſubſtantiali ſanguinea, atque ita eodem modo conueniret Verbo eſſe ſanguinem, ac eſſe animal rationale, 6

tionale, ergo si sanguis Christi non informaretur anima rationali, sed haberet aliam formam sanguinis diuersam, verbum diuinum illum non assumpsisset.

7 Dicat quis, Verbo per idiomatum communicationem solum attribui prædicata naturæ completæ, vt esse hominem; non vero prædicata naturæ incompletæ, vt esse manum vel pedem; sanguis autem etiam informatus propria forma substantiali sanguinea diuersa ab anima rationali, non est natura completa, sed incompleta, cum ita petat esse agglutinata naturæ humanæ, vt non possit extra illam conseruari, ac proinde hæc prædicata non prædicari de verbo diuino, nec Deum dici esse sanguinem, nec sanguinem esse Deum.

Sed impugnatur apertè, natura rationalis vt sic, per se formaliter, ac præcisè solum constaret ex materia & forma rationali; & natura sanguinea vt sic per se formaliter, ac præcisè solum constaret ex materia & tota forma sanguinea, & sicut natura sanguinea constans ex tota eius materia & ex tota eius forma, ex quibus per se componitur, est aliquo modo incompleta, quia non potest naturaliter conseruari sine natura rationali; ita natura rationalis constans ex tota sua materia & ex tota sua forma, ex quibus per se, ac formaliter componitur, est aliquo modo secundum se incompleta, quia non potest naturaliter conseruari sine natura sanguinea; atqui sufficit, quod Deus assumpserit naturam rationalem, quæ non potest esse naturaliter, & complete sine sanguinea, vt dicatur verè Deum esse animal rationale, & animal rationale esse Deum, ergo sufficeret, quod assumpsisset idem Verbum naturam totam sanguineam, quæ non posset esse naturaliter, & completè sine natura rationali, vt verè etiam diceretur Deum in toto rigore esse sanguinem, & sanguinem esse Deum.

8 Obiiciat aliquis primò. Sanguis est vltimum viuentis alimentum vt docet Arist. lib. 2. de partibus animalium cap. 3. & alibi sæpè, sed vltimum alimentum non habet formam eius in quod immediatè conuertitur, res enim nequit conuerti in se ipsam, ergo sanguis non habet formam viuentis; ac proinde anima, quæ est viuentis forma, non informatur. Respondeo primò duplex esse alimentum vltimum, aliud, quod est tale substantialiter, quia substantialiter ac immediatè in formam viuentis conuertitur, & hoc modo vltimum viuentis alimentum est substantia chili, quæ immediatè in ipsam viuentis substantiam, hoc est, in sagimen transmutatur; aliud alimentum est, quod est tale solùm accidentaliter, quod solum accidentaliter cõuertitur in aliquam partem principaliorem viuentis, & hoc modo sanguis est vltimum viuentis alimentum, quia acceptis nouis quibusdam, ac diuersis qualitatibus per intus sumptionem in partes alias principaliores viuentis, scilicet in carnem, neruos, & alias similes accidentaliter transmutatur. Respondeo secundo, cum partes animæ vel saltem vnionis sint in viuentibns substantialiter etherogeneæ, vt diximus supra disp. 1. cap. 3. sanguis equi, v.g. habet in se animam substantialiter inæqualem, ac diuersam ab anima carnis, vel nerui, vnde sanguis ipse ab illis partibus alteratus, ac dispositus propriam formam viuentem exuit, vt in carnem, aut neruum substantialiter conuertatur, atque ita licet sanguis animatus sit, potest dici substantialiter vltimum viuentis alimentum.

9 Obiiciat secundò, vna forma viuens scilicet anima non informat materias discontinuas, quia vna forma non potest naturaliter informare nisi vnam materiam, si autem informaret materias inter se discontinuas duas materias informaret, sed sanguis non est continuus cum corpore, quod informatur ab anima, ergo sanguis ab anima non informatur. Minor probatur, res solida & consistens cum alia re fluida huc, & illuc discurrente non continuatur; ita corpus est solidum & consistens, sanguis vero est fluidus, ac semper decurrens, ergo corpus non continuatur cum sanguine, etenim sanguis intra venas sicut aqua intra vasa continetur, quæ non continuatur cum illis. Respondeo omnem sanguinem per venas defluentem esse inter se continuum, & illam portionem sanguinis, quæ est immediate iuxta iecur cum ipsa Iecoris substantia ipsi simillima, etsi solida, continuari, ac proinde totum sanguinem verè continuum esse cum corpore, & ab eadem anima informari: Dicat quis, si vena funiculo quodam arctissimè constringatur, sanguis, qui est post funiculum non continuabitur cum alio sanguine, qui ante funiculum manet cum iecore continuatus, ergo saltem ille sanguis, qui est post funiculum, non erit cum substantia iecoris, nec cum corpore continuatus; ac proinde nec eius anima informabitur. Respondeo semper moraliter loquendo sub eo funiculo interiici aliquam particulam sanguinis, cum qua sanguis ille, qui manet ante funiculum, & sanguis alter, qui post funiculum existit naturaliter continuentur, quod si casus metaphysicè daretur, in quo sanguis post funiculum existens esset ab altero discontinuus, tunc temporis non esset verè animatus, quousque funiculo relaxato iterum sanguis ille cum alio sanguine animato continuaretur.

Obiiciat tertiò; res, quæ animatur, aliquam exercet actionem vitæ, sed sanguis nullam habet actionem vitæ; etenim non intelligit, non sentit, non vegetatur, ac nutritur, cum solum per iuxtapositionem, & additionem nouæ partis sanguinis augeatur, ergo sanguis vere non animatur, Respondeo in iecore quamlibet partem sanguinis intus per poros assumere aliquid substantiæ chili, & illud in propriam substantiam sanguinis transmutare, eoque verè vegetari ac nutriri, & mox per venas diffluere, vnde sanguis, qui est intra viuens animatur, & aliquam exercet actionem vitæ. 10

Obiiciat quartò, cum è vena scissa sanguis continuus egreditur vsque ad terram totus ille sanguis cum continuus sit, eadem forma actuatur, sanguis scilicet, qui est intra venam, & qui continuo egreditur extra illam; atqui sanguis qui egreditur extra venam anima non informatur, sed forma alia non viuente, ergo sanguis etiam, qui intra venam includitur non animatur. Respondeo sanguinem, qui extra venam decurrit, statim debitum temperamentum amittere ad conseruationem animæ requisitum, atque ideo non animari, nec continuum esse sed tantum contiguum cum reliquo sanguine intra venam remanente, qui cum dispositiones conseruet ad animam requisitas, ipsa etiam anima in eo sanguine conseruatur. 11

Obiiciat quintò, sanguis Christi non est ex vi verborum consecrationis sub speciebus panis in Eucharistia sed tantum est ibi per concomitantiam vt definitum est in Concilio Tridentino sess. 13. cap. 3. atqui si sanguis animaretur, esset etiam sub specie panis ex vi verborum, nam continuaretur cum reliquo corpore, & de ipsius integritate esset non minus, quam caro, & os, corpus autem integrum est in Eucharistia ex vi verborum sub speciebus, atque ita sanguis animatus esset etiam sub speciebus panis ex vi verborum, ergo sanguis non animatur. Respondeo ex vi verborum consecrationis esse sub speciebus panis in Eucharistia corpus Christi secundum se vt abstrahit à viuo, vel mortuo, sanguis autem licet sit de integritate corporis viui, non tamen est de integritate corporis, vt abstrahit à viuo, vel mortuo, ac proinde sanguis Christi licet animatus sit, non est ex vi verborum sub speciebus panis, sed tantum per concomitantiam, & connexionem, quam de facto habet cum tali corpore. 12

Obiiciat

13 Obiiciat sexto D.Thomam 1.p.q.vltima art.1. ad 3. vbi ait, sanguinem non accedere ad habendam iam naturam speciei, sed tantum esse in via ad habendam illam, ergo non informatur anima, sed est in via, vt conuertatur in carnem, & anima ipsa informetur, & 3.p. q.31. art.5. ad primum, vbi asserit Verbum Diuinum propriam assumpsisse humanitatem non quidem de carne Virginis, sed solum de sanguine ipsius, ne partem aliquam detrahendo eius naturam minueret, ergo sentit sanguinem non esse partem naturæ humanæ, atque ita eius anima non informari. Respondeo in sententia D.Thomæ sanguinem esse partem naturæ, quæ ad eius veritatem spectat, vt vidimus supra n.3. vnde cum his locis asseruit sanguinem non esse naturæ partē, ne sibi aduerfari videatur, debet intelligi non esse partem naturæ secundum gradum perfectum talis naturæ, id est, secundum gradum cognoscendi, aut sentiendi, & hoc modo sanguinem esse in via, vt conuertatur in carnem, & habeat etiam naturam animalis secuncundum gradum perfectum, & ea de causa Verbum humanitatem assumpsit de sanguine, & non de carne Virginis, ne eius humanam naturam secundum perfectum gradum minueret.

14 Hinc infero primo, spiritus vitales & animales anima informari, ac viuere, hi enim ipsammet naturam sanguinis magis decoctam, & elaboratam participant. Infero secundo, omnem sanguinem siue perfectè, siue imperfectè decoctum, siue arterialem, siue nutrimentalem anima informari, ac viuere, quia sanguis aliquis ideo animatur, & viuit, quia assumptus est à Verbo, vt monstraui n.6. sed omnis sanguis Christi Domini fuit assumptus à Verbo diuino, nam Ecclesiæ definitio, quæ docet Verbum sanguinem Christi assumpsisse, est indefinita, in rebus autem doctrinalibus propositio indefinita æquiualet vniuersali, ergo omnis sanguis Christi verè animatur, ac viuit; Deinde quia tota aliqua materia continua eademmet forma actuatur, sed totus sanguis intra corpus existens est continuus, ergo totus sanguis eadem forma actuatur, ergo si aliquis sanguis perfectè decoctus informatur anima, etiam totus sanguis animatur.

CAPVT II.

An dentes, vngues, capilli, semen & lac animentur.

15 PArtes integrales viuentis sunt, quæ illud substantialiter complent, vel in ratione operandi, vel in sua pulchritudine substantiali, adeò vt sine illis non esset viuens integrè operatiuum, aut saltem substantialiter non esset integrè pulchrum, alia vero, quæ non ad hæc ordinantur, partes integrales non sunt, ex quibus corpus coalescat.

16 Assero primò, dentes animantur, ac viuunt. Ita Arist.2.de generatione animalium cap.4. Galenus lib. de Ossibus & lib.5. de medicamentis, Conimbricenses lib.1.de generatione q.23.art.2. Suarez lib.2.de anima disp.1.q.5. Hurtado disp.1. de anima sect.6. n.47. Arriaga disp.1. de anima sect.9 n.292. Ouiedo controuersia prima de anima p.4. Carleton disp.2. de anima sect.2. Complutenses supra q.2.& omnes communiter. Probatur, quia partes integrales viuentis anima informantur, sed dentes sunt partes integrales viuentis, etenim sine illis viuens non esset substantialiter integrè operatiuum propriarum actionum, nec esset integrè pulchrum, ergo dentes anima informantur. Confirmatur, dentes vegetantur, ac nutriuntur, ergo animantur. Consequentia est euidens, quia nutritio est actio vitæ, antecedens patet, quia illa res nutritur, quæ per per se versus omnem dimensionem augetur, sed dentes per se augentur versus omnem dimensionem, ergo nutriuntur; Vrgeo, quia dentes habent eamdem naturam cum ossibus vt docet Arist. 2. de generatione animalium capit.4. sed ossa verè animantur, ergo etiam dentes.

Assero secundò, vngues, & capilli etiam animantur 17 eadem forma viuentis, ita D. Thomas in 4. dist. 44. quæst.1.art.2.quæstiuncula 3. Iauellus lib. 2. de anima quæst.10. Bannez 1. de generatione cap. 4. quæst. 8. art. 4. Sotus 5. Phys.quæst.3. ad 8. Soncinas 8. meth. quæst.10. Capreolus in 2.dist.15.quæst.1. Suarez in 3. partem disp.15.sect.7. & lib.2.de anima cap. 11 Arriaga disput.1. de anima section.9. subsect.3 Carleton disput. 2. de anima sect. 3. Hurtado quoad dentes disp.1. section.6. num.47. licet quoad capillos neget numer. 50. & alij plures relati à Conimbricensibus lib.1 de generatione cap. 4. quæst 23. art. 1. aduersus Galenum, & alios plures asserentes vngues, & capillos non esse animatos, vt Bonauentura in 4. distinct. 44. part.1. art. 1. quæst. 1. ad 3. Durandus Vasquez q.3.in 3 partem disp. 36. cap. 7. num. 34. Franciscus Alphonsus disp.2.de anima sect.6 num. 67. Valentia 1.part.disp.6.quæst.1.dub.3. Toletus hic lib.1.quæst.4. Coninch. de incarnatione disput. 6. dub. 3. concl. 3. Ouiedo hic controuersia 1.part.4 qui omnes aiunt vngues, & capillos præditos esse propria quadam anima vegetatiua, non vero anima ipsius viuentis, in quo radicantur. Probatur, omnis pars integralis viuentis forma ipsius viuentis informatur, cum constituat corpus organicum, quod actuatur tali forma, sed vngues, & capilli sunt partes integrales viuentis, nam absque illis viuens non maneret integrè pulchrum substantialiter, ergo vngues & capilli actuantur eademmet forma viuentis. Vnde dicendum est capillos etiam intus aliquod alimentum imperceptibiliter sumere, & versus omnem dimensionem, etiam versus latitudinem aliquantulum dilatari, ac verè nutriri, quod quidem alimentum licet excrementitium sit respectu partium potiorum, absolutè vero est corpori necessarium ad has partes integrales minus præcipuas nutriendas, quæ non excrementitiæ dicuntur, eo quod ab alimento ab aliis neglecto alantur; nam id, quod partes principaliores repudiant, partes integrales ignobiliores assumunt, ac nutriuntur illo.

Assero tertiò: lac, & semen anima non informantur, 18 nec viuunt, ita Aristotel. Diuus Thomas & alij relati à Conimbricensibus vbi supra q.25. art. 2. §. vera tamen, quibus ipsi etiam acquiescunt, & P. Vasquez tom.1. in 3. partem disp.36. cap.5. num.24. asserit lac non viuere esse sententiam omnium Philosophorum communem: Semen autem viuere tenet Galenus, & alij Medici recentiores, quos allegant Conimbricenses ibidem §. his animaduersis, & P.Suarez, Hurtado, Arriaga, Carleton, Franciscus Alphonsus suprà relati, & ferè communiter omnes. Probatur tamen assertio, ea tantum anima informantur, quæ sunt partes integrales viuentis, scilicet quæ illud complent substantialiter, vel in ratione operandi, vel in debita sua pulchritudine, vt explicui num. 15. Sed lac, ac semen non sunt partes integrales viuentis, nec enim illud perficiunt in ratione operandi immanenter, nec complent in sua pulchritudine substantiali, sed lac prouida natura dedit ad alendos infantes, semen vero ad aliud viuens generandum, & conseruandam speciem, neutrum autem ordinatur ad ipsum viuens, in quo est, integrandum, ac perficiendum, ergo lac, ac semen anima non informantur.

Obiiciat aliquis, forma viuens scilicet anima per- 19 fectiores requirit in materia dispositiones, quam forma non viuens, sed lac, & semen perfectiores habent dispositiones, quam sanguis, ergo si in sangui-

ne est forma viuens potiore iure erit in semine, ac lacte. Confirmatur, semina stirpium animantur, ergo & semen animalium. Respondeo formam viuentem regulariter perfectiores requirere dispositiones in tota sua materia quam forma non viuens, non vero in quauis parte materiæ & ideo anima in toto corpore perfectiores dispositiones habet, quam forma seminis, aut formalactis, hæ tamen formæ non viuentes perfectiores obtinent in sua materia dispositiones, quam anima in aliqua præcisè materiæ parte, scilicet in materia sanguinis, quod nullum est inconueniens, etenim cum sanguis sit pars integralis viuentis, secus lac, ac semen, ideo licet hæc perfectioribus sint dispositionibus prædita, quam ille, sanguis animatur, ac viuit, & lac ac semen non viuunt, nec anima informantur. Ad confirmationem dico semina stirpium animari, ac viuere non quia semina præcisè sed quia sunt fructus, & partes principales stirpium, semen autem animalis est præcisè semen, & non fructus, aut pars integralis illius, & ideo non animatur. Ex dictis colliges apud omnes, cornua belluarum, rostra auium, & plumas informari anima; ratio est, quia hæc omnia augentur modo viuentium per intus sumptionem, & ideo crescunt versus omnem differentiam loci, & experientia magistra constat in cornibus & plumis, intra quæ continetur medula, cuius humor per quosdam poros deductus ad singulas partes illis est in alimentum, & hæc omnia videntur esse eiusdem speciei cum ossibus, ergo simpliciter informantur anima, Vide alia apud recentiores.

Et hæc de Tract. I. dicta sint satis.

TRACTATVS SECVNDVS

De potentiis animæ in communi.

EGIMVS de anima secundum se in communi, iam de eius potentiis etiam in generali disserimus, an ab anima dissideant, an per se solas in actus, si ab illa distinguerentur influerent, & à quonam suam specificationem desumant; quæ omnia sequentibus disputationibus declarabimus.

DISPVTATIO IV.

An potentiæ animæ ab ipsa realiter distinguatur.

DVO capita continebit. In primo, vera sententia proponitur, & monstratur. In secundo, aduersantia argumenta conuelluntur.

CAPVT I.

Vera sententia proponitur, & monstratur.

1 CErtum est dari in anima potentias, seu virtutes producendi, & recipiendi proprios actus; potentiæ vero animæ rationalis sunt in duplici differentia, materiales aliæ, vt sensus tam interni, quam externi, aliæ spirituales, vt intellectus, & voluntas, quæ Angelis & animabus etiam à corporibus separatis conueniunt: de vtroque potentiarum genere dubium est, quo pacto ab animæ substantia distinguantur hæ potentiæ, an scilicet distinctione reali, vel solum rationis? in hac re tres inuenio principaliores sententias ad quas aliæ antiquorum reducuntur. Prima sententia est celebrrima omnium Thomistarum, quæ asserit omnes potentias animæ ab ipsa realiter distingui. Ita D. Thomas 1. part. quæst. 77. articul. primo & quæst. 54. art. 3. & quæst. de anima art. 12. Ioan. à S. Thoma quæst. 12. de anima a. 2. Complutenses disp. 10. Physicorum. Caietanus, Alensis, Ægidius, Capreolus, Albertus Magnus in primo dist. 3. art. vltimo, & lib. 2. de anima quæst. 7. Sotus in logica capit. de proprio quæst. 2. & alij, quos referunt, & sequuntur Conimbricenses hic lib. 2. cap. 3. quæstion. 4. articulo secundo, quibus accedunt Toletus hic lib. 2. cap. 4. quæst. 9. Rubius quæst. de potentiis quæst. 1. Murcia hic lib. 2. disput. 2. quæst. 1. Valentia 1. part. disput. 6. quæst. 3. punct. 2. Molina 1. p. quæst. 14. art... Suarez 1. Metaph. disp. 18. sect. 3. anno 13. eamdem sententiam supponit Vasquez 1. 2. disp. 34. cap. 8. & alij permulti, & sine dubio est sententia probabilissima. Secunda sententia est potentias sensitiuas, ac intellectiuas reipsa ab anima distingui, quia effectus accidentales respiciunt, potentiam vero generatiuam, & potentiam nutritiuam, cum effectus substantiales physicè attingant, ab ipsa substantia animæ reipsa non dissidere. Ita Durand. in 1. dist. 3. quæst. 2.

2 Tertia sententia est Scotistarum & Nominalium, quæ asserit potentias animæ (nulla excepta) ab ipsa anima non discriminari realiter, sed esse ab ipsa animæ substantia indistinctas, non solum intellectus, & voluntas ab anima rationali, sed etiam sensitiuas, cum sint ipsa substantia animæ, quæ est adæquatum principium sensationum ex parte potentiæ connotando organa, & dispositiones materiales ad has operationes requisitas, excepta fortè potentia motiua, de qua postea; dicit ergo hæc sententia potentias non esse accidentia animæ, & Angelo superaddita, sed ipsam animæ & Angeli substantiam & licet Scotus inter animam, & potentias statuat distinctionem quamdam formalem, seu ex natura rei, vt vocat, hæc tamen reipsa non est nisi distinctio rationis, vt latè ostendimus in Logica disp. 6. cap 3. cum eam etiam ponat inter animal, & rationale, & inter relationes, & naturam diuinam. Ita Scotus in 2. distinction. 16. quæst. vnica, Bonauentura in 1. distinct. 3. quæst. 3. Ocham in 2. distinct 10. quæstion. 24. & 26. Gregorius in 2. dist. 16. quæst. 3. Gabriel in 2 distinct. 16. quæst. vnica conclus. 2. Henriquez quodlibeto 3 q. 14. P. Hurtado disputation. 4. de anima section. 4. numer. 63. Arriaga disput. 3. de anima sect. 3. n. 8. Ouiedo hic controuers. 3. p. 2. Franciscus Alphonsus disp. 6. de anima sect. 2. Carleton disputat. 12. de anima section. 1. probabilem

eam

eam reputat Valentia ſuprà, & multi recentiores amplectuntur.

3 Assertio ſit, Omnes potentiæ vitales animæ tam ſpirituales, ſcilicet intellectus, & voluntas, quam illæ etiam, quæ reſpiciunt actus materiales, ſcilicet ſenſus, appetitus, & nutritiua facultas ab ipſa animæ ſubſtantia reipſa non diſtinguuntur ſimpliciter, ſed eademmet indiuiſibilis anima iuxta varia munia, quæ exercet, intellectus, voluntas, ſenſus aliiſque nominibus appellatur. Probatur primo Patrum auctoritate, ac primum ex præclaris D. Auguſtini teſtimoniis lib. de ſpiritu & anima cap. 8. 4. & 13. quæ recitat, & expendet Hurtado vbi ſuprà §. 42. Vbi Sanctus Doctor expreſsè aſſerit potentias ac vires animæ eſſe ipſammet ſubſtantiam animæ, quæ ſecundum ſui operis officium variis nũcupatur nominibus: dicitur namque talis, anima dum vegetat, ſpiritus dum contemplatur, ſenſus dum ſentit: animus dum ſapit, iſta tamen non differunt in ſubſtantia ſicut in nominibus quoniam omnia iſta vna anima eſt, quid clarius? idem Bernardus expreſſit ſermone 11. ſuper Cantica, vbi ſic ait, in anima tria intueor, rationem, memoriam, & voluntatem, & hæc tria, eamdem eſſe animam. Hoc ipſum etiam tradit Diuus Iſidorus lib. 11. ethymologiarum cap. 1. Anima dum viuificat corpus anima eſt, dum vult voluntas, dum intelligit mens, dum recolit memoria. En Eccleſiæ Patres hanc noſtram ſententiam docent, & ſua auctoritate illam probabiliſſimam adſtruunt, vt non tribuatur iniuriæ in hac re relinquere ſententiam D. Thomæ qui oppoſitum docuit.

4 Probatur ſecundo ratione, potentia eſt principium, proximum alicuius actus, ſed anima per ſuam ſubſtantiam ſecluſa quauis alia potentia accidentali, ſimul tamen cum ſpecie obiecti, aut aliis requiſitis eſt principium proximum & adæquatum omnium ſuorum actuum vitalium, ergo anima per ſuam ſubſtantiam præcisè eſt potentia vitalis ad ſingulos, ac omnes actus vitales ipſius, ac proinde potentiæ vitales à ſubſtantia animæ non diſtinguuntur ſimpliciter. Minor probatur, id quod eſt abſolutè cauſa alicuius effectus, & continet formaliter, aut eminenter omnem formalitatem effectus eſt principium proximum & adæquatum illius, & ideo ſol eſt principium proximum & adæquatum lucis, quia eſt abſolutè cauſa lucis, & continet eminenter omnem formalitatem talis lucis, atqui anima per ſuam ſubſtantiam cum ſola ſpecie intelligibili obiecti, ſecluſa quauis alia potentia diſtincta eſt abſolutè cauſa actus vitalis ſcilicet intellectionis (& idem dico de aliis actibus) & continet eminenter in ſe omnem familiaritatem talis actus vitalis, ergo anima per ſuam ſubſtantiam cum ſpecie ſola obiecti, ſecluſa quauis alia potentia diſtincta eſt principium proximum & adæquatum actus vitalis. Probatur minor, ac primum animam per ſuam ſubſtantiam immediatè eſſe cauſam abſolutè intellectionis, ſeu amoris infrà diſp. 5. cap. 2. clarè conſtabit. Deinde animam per ſeipſam cum ſola ſpecie obiecti continere omnem formalitatem actus vitalis ſcilicet intellectionis ſic monſtro: in actu vitali intellectionis ſolum inuenitur formalitas vitalitatis, formalitas intellectionis & formalitas repræſentationis obiecti, ſed anima per ſuam ſubſtantiam cõtinet formalitatẽ viralitatis, & formalitatem intellectionis, cum ipſa in gradu eminentiori principij ſit formaliter vitalis & intellectiua & ſpecies obiecti, quæ eſt in ipſa anima cum ſit virtualis obiecti repræſentatio, continet formalitatem repræſentationis obiecti, quæ in tali actu vitali relucet, ergo anima per ſuam ſubſtantiam cum ſola ſpecie impreſſa obiecti continet omnem formalitatem actus vitalis ſcilicet intellectionis.

5 Dicat autem quiſpiam primo, formalitatem vitalitatis vt ſic, per quam intellectio conuenit cum volitione, attribui formaliter animæ ſecundum ſe, quæ eſt principium vitale vt ſic commune ad intellectionem, & volitionem, formalitatem vero talis vitalitatis, ſcilicet intellectionis, per quam intellectio differt à volitione non poſſe formaliter tribui principio intellectiuo, & volitiuo, quale eſt anima ſecundum ſe, ſed alteri principio, quod præcisè ſit intellectiuum, & non volitiuum, quale eſt potentia intellectiua ab anima reipſa diſtincta. Sed contra, in actu iudicij eſt etiam formalitas intellectionis, in qua conuenit cum ſimplici apprehenſione, & formalitas talis intellectionis, ſcilicet iudicij, per quam ab apprehenſione differt, ergo licet formalitas intellectionis, in qua iudicium conuenit cum apprehenſione tribuatur formaliter principio intellectiuo, quod ſit iudicatiuum, & apprehenſiuum qualis eſt intellectus, tamen formalitas talis intellectionis, ſcilicet iudicij non erit formaliter attribuenda principio intellectiuo iudicatiuo, quod ſit etiam apprehenſiuum, ſcilicet intellectui, ſed alteri principio ab intellectu diſtincto, quod purè ſit iudicatiuum, & non apprehenſiuum; atqui non admittitur aliud principium ſeu potentia pure iudicatiua, cui formalitas iudicij, vt differt ab apprehenſione, tribuatur; ſed adſcribitur eidem intellectui, qui eſt principium iudicatiuum, licet ſit etiam apprehenſiuum, ergo eodem modo non debet admitti alia potentia purè intellectiua diſtincta ab anima, cui formalitas intellectionis, vt differt à volitione, tribuatur, ſed adſcribetur ipſi animæ, quæ eſt principium intellectiuum, licet ſit etiam volitiuum.

6 Dicat ſecundo, animam ſecundum ſe eſſe [indifferentem ad plures actus verbi gratia ad intellectionem & volitionem, & ideo neceſſario requiri, quod per potentiam aliquam intellectiuam ab ea diſtinctam determinetur ad intelligendum, & per potentiam aliam etiam diſtinctam ab illa determinetur ad volendum. Sed contra, anima cum ſola ſpecie intelligibili obiecti veri eſt determinata ad intelligendum verum, & cum ſola cognitione obiecti boni eſt determinata ad amandum bonum, ergo præter ſpeciem intelligibilem, & cognitionem non indiget anima aliis potentiis ab ea diſtinctis, vt ad intelligendum, & amandum determinetur.

7 Dicat tertio: animam non ſolum eſſe indifferentem ſecundum ſe ad intelligendum hoc, vel illud obiectum, ſed etiam ad intelligendum vt ſic, vel volendum vt ſic, & ideo non ſolum requiri ſpeciem huius obiecti, vt determinetur ad intelligendum hoc obiectum potius, quam illud, ſed requiri etiam potentiam intellectiuam ab anima diſtinctam, vt ad intelligendum vt ſic ipſa anima determinetur. Sed contra, intellectus ab anima diſtinctus ſecundum ſe non ſolum eſt indifferens ad aſſentiendum iſti vel illi obiecto, ſed etiam ad aſſentiendum vt ſic vel diſſentiendum vt ſic, ergo non ſolum egebit ſpecie impreſſa qua determinetur ad aſſentiendum huic obiecto, potius quam illi, ſed etiam egebit alia potentia aſſentiente ab ipſo intellectu diſtincta, qua determinetur ad aſſentiendum vt ſic potius, quam ad diſſentiendum, atqui præter ſpeciem obiecti non requiritur alia potentia aſſentiens ab intellectu diſtincta, vt intellectus ad aſſentiendum determinetur, ergo etiam præter ſpeciem intelligibilem non requiretur alia potentia intelligens ab anima diſtincta, vt anima determinetur ad intelligendum.

8 Probatur tertio principaliter, potentia volitiua, ſcilicet voluntas verè vult, & amat obiectum, ſed ſi potentiæ diſtinguerentur ab anima, potentia volitiua non vellet, nec amaret obiectum, ergo potentiæ non diſtinguuntur ab anima: minor probatur, non poteſt res

aliqua velle, & amare obiectum, nisi obiecti bonitas ei formaliter per cognitionem repræsentetur, & proponatur, quia iuxta illud satis tutum Philosophorum axioma *nihil volitum, quin præcognitum*, sed si potentiæ distinguerentur ab anima bonitas obiecti boni non repræsentaretur per cognitionem formaliter voluntati, nam cognitio solum repræsentat formaliter suum obiectum illi subiecto, in quo est, esset autem tunc cognitio in solo intellectu, & non in voluntate, atque ita solum repræsentaret formaliter bonitatem obiecti intellectui, & non voluntati, ergo si potentiæ distinguerentur ab anima, voluntas non posset velle, & amare suum obiectum.

9 Dicet aliquis primò: ad hoc vt voluntas velit, ac amet obiectum, solum requiri, quod eius bonitas cognoscatur non ab ipsa voluntate, sed ab intellectu, cum quo voluntas, quia in eadem anima radicantur, naturalem habet sympathiam & connexionem, ratione cuius intelligente intellectu voluntas excitatur ad amandum; intellectus autem, etiam si potentiæ distinguerentur ab anima, vere cognosceret bonitatem obiecti, atque ideo voluntas illam amaret. Sed contra res aliqua non potest amare bonitatem obiecti, nisi intentionaliter moueatur, & excitetur ex cognitione illius, aliàs per accidens se haberet cognitio obiecti ad amorem talis obiecti, sed si potentiæ distinguerentur ab anima, voluntas non moueretur, aut excitaretur intentionaliter ex cognitione bonitatis obiecti, ergo voluntas non amaret ipsam bonitatem obiecti. Probatur minor, non potest concipi quod res aliqua intentionaliter moueatur, & excitetur in actu primo ex cognitione bonitatis ad amandam ipsam bonitatem nisi ex eo, quod cognoscat ipsam bonitatem, sicut non potest explicari, nec intelligi, quod res aliqua moueatur, & excitetur intentionaliter in actu primo ad assentiendum alicui veritati ex apprehensione illius, nisi ex eo, quod ipsa res apprehendat talem veritatem, atqui si potentiæ distinguerentur ab anima, voluntas non cognosceret bonitatem obiecti, vt iam ostendi, ergo voluntas non excitaretur ex cognitione bonitatis ad amandam ipsam bonitatem.

10 Dicat secundò, quando aliqua res, vt *quod* amat obiectum bonum, necessario prærequiri, quod ipsa cognoscat obiectum, & ex eius cognitione formaliter excitetur, quando vero res aliqua solum vt *quo* obiectum amat, non prærequiri, quod ipsa cognoscat obiectum, sed sufficit, quod sit subiecta principio *quod*, quod tale obiectum cognoscit; cum ergo anima vt quod amet bonitatem obiecti, voluntas vero solum vt *quo* ideo tantum requiritur quod anima talem bonitatem cognoscat, licet non cognoscat illam voluntas, sed solum sit subiecta animæ quæ eam bonitatem cognoscit, vt principium quod. Sed contra ideo vt anima amet obiectum vt principium *quod* requiritur necessario, quod ipsa cognoscat illud, quia amare vt quod, aliquod obiectum est verè amare, ac simpliciter velle illud, & nihil volitum, quin præcognitum; atqui amare, ac velle obiectum vt *quo* est verè ac simpliciter velle ac amare obiectum, voluntas enim vere, ac simpliciter obiectum amat, ergo vt voluntas velit, ac amet, vt *quo* obctum bonum, requiritur necessario, quod ipsa cognoscat illud, alioquin rationem assigna, quare vt aliquid amet obiectum bonum vt principium *quod* requiratur necessario quod ipsum cognoscat bonitatem obiecti, & vt res alia verè amet illud vt principium *quo* non requiratur, quod cognoscat eius bonitatem.

11 Dicat tertio principium *quod* scilicet animam non esse subiectum alteri, à quo determinetur ad amandum obiectum, & ideo ipsum debet obiecti bonitatem cognoscere, vt ex tali cognitione determinetur, aut excitetur ad amorem illius obiecti, principium vero *quo* scilicet voluntatem esse subiectum principio *quod* videlicet animæ, à qua determinatur principaliter ad amandum obiectum, & ideo non requiritur, quod ipsa voluntas tale obiectum cognoscat, & ex eius cognitione excitetur ad amandum illud. Sed contra, etiam anima est subiecta Deo, qui potest illam determinare ad amandum aliquod obiectum bonum, multo magis, quam ipsa ad id determinat voluntatem, & tamen Deus non potest determinare animam ad amandum obiectum, quod ipsa anima non cognoscat, licet cognoscatur ab ipso Deo, ergo nec etiam anima poterit determinare voluntatem ad amandum obiectum, quod ipsa voluntas non cognoscat, licet ab anima cognoscatur.

Consultò in assertione dixi, potentias animæ non di- 12
stingui ab ipsa anima simpliciter, nam licet potentiæ vitales spirituales omnino identificentur cum anima rationali, & potentiæ vitales materiales omnino etiam sint identificatæ cum anima materiali, tamen potentiæ materiales animæ rationalis secundum quid distinguuntur reipsa ab illa; etenim anima rationalis est adæquate, & proxime actiua omnium actuum vitalium materialium, non tamen est respectu illorum adæquate, sed tantum inadæquate passiua, cum illi ob suam materialitatem saltem inadæquate in materia recipiantur, vt disp. 5. cap. 3. constabit, & ideo hæ potentiæ secundum hanc rationem passiuam inadæquatam, & corpoream, quam includunt reipsa ab anima rationali discriminantur.

Sed quærat quis, an potentia loco motiua animæ ab 13
eius essentia differat? censeo potentiam motiuam, qua anima seipsam mouet, & propriam vbicationem acquirit, non distingui ab essentia animæ; quia talis vbicatio ex genere suo est passio animæ, & res per propriam essentiam proximè, & immediatè valet proprias passiones efficere, vt ostendi in physicis disp. 17. cap. 4. potentiam vero loco motiuam, qua anima bruti res alias à se distinctas per se mouet, esse accidentalem, & distinctam ab ipsa anima, nam substantia creata de facto effectus accidentales, ac non vitales in alio passo producit media potentia accidentali, sol enim illuminat medio lumine, ignis calefacit medio calore, & aqua refrigerat media frigiditate accidentali, ergo & anima alia per se mouebit media potentia motiua accidentali.

Verum obseruare libet, potentiam generatiuam (idem 14
est potiori titulo denutritiua asserendum) licet vitalis non sit, non distingui ab ipsa substantia animæ, quia substantia quæ immediatè causat aliam substantiam, & continet in se eminenter, aut formaliter omnem eius perfectionem, est principium proximum & adæquatum illius, & ideo ignis est principium proximum, & adæquatum per se ipsum alterius ignis, vt monstraui in physicis disp. 17. c. 3. assertione secunda sed substantia animæ equæ v. g. causat immediatè substantiam equi geniti, non enim hæc potest adæquate à sola aliqua virtute accidentali longè imperfectiori produci, seu generari, & eodem capit. 3. assertione prima ostendi, & aliunde talis substantia equi continet in se formaliter omnem perfectionem equi geniti, ergo substantia animæ equi v. g. est principium proximum & adæquatum alterius substantiæ equi geniti, ergo potentia generatiua, quæ in tali principio generandi proximo formaliter consistit, non dissidet reipsa à substantia animæ.

CAPVT

CAPVT II.

Aduerſantia argumenta conuelluntur.

COntrariæ ſententiæ ſectatores plura nobis obiiciunt, quæ quidem non difficilem habent dilutionem, ea tamen ſigillatim afferam, & explicabo.

15 Obiectio 1. actus & potentia neceſſario ſunt in eodem genere, ſed actus vitalis, verbi gratia, intellectio, aut volitio eſt accidentalis, ergo etiam potentia vitalis, intellectus, ſcilicet aut voluntas, debet eſſe accidentalis, ac proinde à ſubſtantia animæ diſtincta. Cõfirmatur; actus vitalis intellectionis, v. g. qua anima cognoſcit Deum, eſt accidentalis, ergo aliquod ſaltem ſpecificatiuum illius, ſcilicet obiectum vel potentia debet eſſe accidentale, alias non eſſet, vnde talis actus ſuam rationem ſpecificam accidentalem deſumeret; ſed obiectum, nempe Deus, eſt ſubſtantiale, ergo potentia intellectiua debet eſſe accidentalis, & ita à ſubſtantia animæ diſtincta. Reſpondeo rationem illam Thomiſtarum inſtari in eorum principiis, nam ipſi dicunt potentiam generatiuam eſſe accidentalem, & tamen efficere ſubſtantiam genitam, quæ non eſt in eodem genere cum illa, & etiam in ſententia D. Thom. vt diſp. ſequenti cap. 1. videbimus, anima per ſuam ſubſtantiam efficit proprias paſſiones, ac potentias accidentales, quæ tamen ab illa genere differunt, atque ita eodem modo ſubſtantia animæ per ſeipſam poteſt elicere actus vitales accidentales, licet genere diſcriminentur ab illa, ſolum ergo potentia Logica, ſcilicet res poſſibilis eſt in eodem genere cum eius actu, ſcilicet cum re exiſtente, quando quidem res ſiue poſſibilis, ſiue actu exiſtens eamdem eſſentiam retineat; Ad confirmationem dico, licet potentia intellectiua ſit ſubſtantialis, & obiectum etiam ſit ſubſtantiale, intellectionem illius fore accidentalem ex modo accidentario tendendi, à quo etiam actio ſpecificationem deſumit, vt diximus in phyſicis diſp. 23. cap. 5. & actio etiam qua ignis producit ignem eſt accidentalis ex ſolo modo tendendi accidentario, ſcilicet quia tam intellectio, quam actio ita tendunt, vt in conceptum ſubſtantiæ phyſicæ completæ non ingrediantur.

16 Obiectio ſecunda non implicat dari animam, quæ media tantum potentia accidentali ſuos actus vitales producat; ergo cum hoc magis conſentaneum ſit naturis, ac ſubſtantiis creatis, ob ipſarum limitationem, dicendum eſt de facto ſubſtantiam animæ actus vitales elicere mediis potentiis accidentalibus. Reſpondeo rationes ſupra cap. 1. pro noſtra aſſertione factas æque militare in quauis anima poſſibili, ac in iſta quæ modo datur in ordine ad eius actus vitales, ac proinde æque probant potentias vitales cuiuſcumque animæ poſſibilis ab illa reipſa non differre, ac probant potentias animę, quę de facto datur ab ipſa realiter non diſtingui, dicimus ergo talem animam implicare, quo vis argumenti corruit.

17 Obiectio tertia: aliæ ſubſtantiæ creatæ ſuos effectus accidentales producunt mediis potentiis accidentalibus & non immediatè per ſe ipſas, ſol enim efficit lucem in aere medio lumine, & ignis efficit in paſſo calorem medio alio calore, & ſic de aliis; ergo etiam ſubſtantia animæ efficiet ſuos effectus, accidentales vitales mediis diſtinctis potentiis accidentalibus. Reſpondeo de ratione effectus vitalis eſſe, quod immediate fluat, & cauſetur naturaliter ab ipſa ſubſtantia viuente, ſcilicet ab anima vt ſupra à numer. 7. & infra ſequenti diſput. capit. 2. monſtratur, vnde cum ipſa ſubſtantia animæ, quæ efficit immediatè illos actus ad eorum productionem ſufficiat, continet enim eminenter totam illorum perfectionem, ideo alia potentia accidentalis diſtincta non requiritur, effectus vero accidentales aliarum ſubſtantiarum non viuentium ſcilicet ignis vel ſolis non ſunt vitales, & & ita non petunt naturaliter proficiſci immediatè ab ipſis ſubſtantiis, ſed ab alia cauſa proxima magis vniuoca, & proportionata cum illis, videlicet calor ab alio calore, & lumen ab alio lumine, & idcirco illæ ſubſtantiæ per potentias accidentales, tales effectus producunt.

Obiectio quarta: anima ſecundum ſe eſt indifferens 18
ad varios actus, v. g. ad actus intelligendi & amandi, ergo vt exeat in actus amoris debet determinari per potentiam intellectiuam, & vt exeat in actus amoris debet determinari per potentiam volitiuam ab ea diſtinctam. Confirmatur, quia alias ſi anima eſſet intellectus, & voluntas, homo intellectu amaret, & voluntate intelligeret, quod eſt abſurdum. Ad hanc obiectionem ſatis conſtat ex dictis ſupra num. 5. & 6. vbi oſtendimus animam per ſpeciem determinari ad intelligendum, & per boni cognitionem ad volendum abſque potentiis diſtinctis: Ad Confirmationem dico animam intellectu amare & voluntate intelligere in ſenſu identico, quia idem eſt reipſa voluntas cum intellectu, non vero in ſenſu formali, quia anima non intelligit per ſeipſam vt connotat volitionem, quo pacto dicitur formaliter voluntas, ſed per ſe ipſam, vt connotat intellectionem, quo pacto dicitur formaliter intellectus, nec amat eadem anima per ſe ipſam, vt connotat intellectionem, qua ratione eſt formaliter intellectus, ſed per ſeipſam vt connotat amorem, qua ratione eſt formaliter voluntas, ac totum hoc argumentum inſtari poteſt in intellectu, & voluntate diuina.

Obiectio quinta: Deus quando nobis confert gra- 19
tiam, ſe accommodat ordini naturali, atqui ſupernaturales habitus, ac virtutes, quæ velut potentiæ ad gratiam tamquam ad eſſentiam conſequuntur, ſunt reipſa ab ipſa gratia diſtinctæ; ergo etiam potentiæ naturales, quæ ipſam eſſentiam animæ comitantur, realiter diſtinguuntur ab illa. Confirmatur, gratia recipitur in anima, charitas in voluntate, ac fides in intellectu, ergo voluntas & intellectus diſſident inter ſe & ab anima. Reſpondeo Deum, quando infundit gratiam non ſe accommodare in omnibus ordini naturali, alioquin ſicut datur vnus habitus ſupernaturalis ad habitum charitatis, alius ad actum ſpei, alius ad actum temperantiæ, &c. etiam diuerſæ potentiæ naturales ad ſingulos illos actus animæ concederentur, quod dixit nullus. Diſtinguuntur ergo illæ virtutes ſupernaturales à gratia, tum quia aliquæ illarum, ſcilicet fides, & ſpes ab illa ſeparantur, & manent abſente gratia, tum etiam quia licet actus ſupernaturales non oriantur immediatè à gratia, ſed à potentiis diſtinctis, poteſt rectè eorum vitalitas, & ſupernaturalitas explicari per ipſorum fluxum ab intrinſeco principio, & à principio ſupernaturali, ſcilicet ab anima, & ab habitu; Potentiæ vero naturales non diſtinguuntur ab anima quia ſubſtantia animæ debet neceſſario cauſare immediatè per ſe ipſam actus vitales, vt ſæpè dixi, & ſi ſemel ſubſtantia animæ immediatè ad tales actus cõcurrit, alię potentiæ diſtinctæ accidentales redundant. Ad confirmationem dico gratiam eſſe in ſubſtantia animæ ſecundum ſe conſiderata, quo pacto habet rationem animę; & fidem in ipſa anima, vt connotat actus intelligendi, qua ratione ſortitur rationem intellectus, & charitatem eſſe in eadem anima, vt connotat actus volendi, qua ratione dicitur voluntas, & ideo licet potentiæ ab anima non diſſideant, gratia eſt in anima, fides in intellectu, & charitas in voluntate; voluntas vero, & intellectus ab anima diſtinguuntur formaliter, ſeu inadæquate, & vt includens ab incluſo, nam anima eatenus eſt intellectus

& voluntas, quatenus est principium intellectionis, & volitionis; non esse autem principium intellectionis,& volitionis nisi per differentiam essentialem, per quam constituitur in esse rationalis, differentiæ verò essentiales distinguuntur à tota essentia, vt pars à toto, seu vt includens ab incluso, & hac ratione intellectus,& voluntas distinguuntur inter se ab anima.

20 Obiectio sexta. Eadem res non potest esse spiritualis, & materialis, sed anima rationalis est spiritualis, & potentiæ sensitiuæ, v.g. sunt materiales, tum quia primò,& per se ordinantur ad actus sensationis materiales, tum etiam, quia tales actus, cum corporei sint, debent subiectari in subiecto materiali; subiectantur autem in potentia sensitiua, atque ita potentia sensitiua debet esse materialis,ergo potentiæ sensitiuæ non identificantur cum anima rationali, sed distinguuntur ab illa. Respondeo potentiam sensitiuam hominis, vt actiuam esse purè spiritualem, licèt primariò ordinetur ad sensationem materialem, sicut econtrà in sententia communi, potentia generatiua est accidentalis, & tamen primariò ordinatur ad effectum substantialem; vel dici etiam potest potentiam hominis sensitiuam ordinari primariò ad sensationem materialem tantùm secundum quid, scilicet, vt est potentia sensitiua præcisè, ac formaliter, non verò ordinari ad illam primariò absolutè, & simpliciter, quia potentia illa sensitiua est etiam absolutè potentia intellectiua, & volitiua,atque ita simpliciter ordinatur ad actus intelligendi, & amandi, qui principaliores sunt; ipsam potentiam sensitiuam hominis quatenus passiuam esse, partim spiritualem identificatam cum anima rationali, & partim materialem ab ipsa anima distinctam,& identificatam cum anima rationali, vt suprà diximus n.12. atque ita materialem sentationem subiectari in subiecto partim spirituali,& partim materiali,quod non est alienum à re corporea, vnio enim hominis materialis iuxta communem sententiam partialiter in materia, & partialiter in anima partiali recipitur.

21 Obiectio septima: si potentia sensitiua non esset materialis, etiam vt actiua, sed spiritualis, & ab anima rationali indistincta, etiam si nimis sensationem exerceret numquam defatigaretur, sicut quia potentia intellectiua Angeli est spiritualis, licèt nimis in intelligendo exerceatur, non defatigatur; atqui potentia sensitiua nimis sensationes exercendo, dolorem,ac defatigationem sentit, vt experientia demonstrat, ergo potentia sensitiua non est spiritualis, sed corporea,ac distincta ab anima. Respondeo hominem diu sensationes exercentem defatigari, non quia potentia sensitiua vt actiua materialis sit, sed quia ex diuturna illa, & continua exercitatione, & spirituum concursu organa corporea læduntur, & incenduntur plus equo, ex quo dolor, aut defatigatio resultat.

DISPVTATIO V.

An ab anima immediatè ipsius potentiæ, & earum actus causentur.

TRIA capita continebit. In primo, inquiro, an potentiæ physicè causentur ab anima? In secundo, an anima proximè etiam, & immediatè, an tantùm mediis potentiis actus vitales efficiat? In tertio,an in solis potentiis, an verò etiam in substantia animæ actus immediatè recipiantur.

CAPVT I.

An potentiæ physicè causentur ab anima.

IN tota hac disp. gratia controuersiæ supponimus 1
potentias realiter ab anima dissidere, vt communis sententia affirmat, & ex hac suppositione inquirimus, an tales potentiæ physicè causentur ab ipsa anima? Censeo quidem in genere causæ efficientis ab ipsa substantia animæ promanare, quod expressè docet Philosophus hic lib.2. cap.4. & est aperta sententia D.Thom.1.part.quæst.77. art.6. in corpore,vbi sic ait, *Vnde manifestum est, quod omnes potentiæ animæ, siue subiectum earum sit anima sola, siue compositum, fluunt ab essentia animæ, sicut à principio*, cui subscribunt Suarez disp.18. metaph. sect.5. Vasquez 1.2. disp.9. num.17. Carleton, Arriaga Hurtado, & omnes communiter, & etiam ex nostris principiis palam colligitur, nam passiones essentiæ dimanant effectiuè ab ipsa essentia, vt probatum est in physicis disp.15. cap.4. sed potentiæ istæ sunt passiones animæ, ergo dimanant effectiuè ab ipsa anima. Controuersia verò est, in quanam causa materiali, ac subiecto recipiantur.

Mihi sanè compertum est potentias purè spirituales, scilicet intellectum, & voluntatem in sola anima 2
rationali subiectari,& potentias etiam materiales brutorum in sola anima materiali recipi; cui non refragatur D. Thomas nuper relatus, cum non dicat compositum esse subiectum potentiarum, sed vel solam animam vel totum compositum, quod secundum diuersas potentias verissimum habet sensum, vt ex dicendis constabit. Ita communiter omnes de potentiis spiritualibus,vt Conimbricenses, Suarez,Hurtado, disp.3. de anima sect.3. Carleton disput.13. de anima sect.5. num.14. Arriaga disp.3. de anima sect.2. Franciscus Alphonsus disp.7. de anima sect.2. num.67. & etiam de potentiis materialibus brutorum. Probatur: potentiæ naturaliter recipiuntur in eo subiecto, quod est adæquatè aptum ad recipiendum earum effectum formalem, sed anima rationalis est adæquatè apta ad recipiendum in se effectum formalem intellectus, & voluntatis,& vt reddatur formaliter proximè intellectiua, & volitiua per illas, & etiam anima materialis bruti est adæquatè apta ad recipiendum in se actum formalem potentiæ sensitiuæ, & vt credatur formaliter proximè sensitiua per illam,quod non conuenit materiæ primæ, quæ non est apta ad sentiendum; ergo potentiæ spirituales recipiuntur in sola anima rationali,& potentiæ sensitiuæ, & appetitiuæ brutorum in sola anima materiali subiectantur, quod etiam sentit Gregor. in 2. distinct.17. quæst.3. Tota ergo quæstio est, in quonam potentiæ vitales corporeæ hominis immediatè subiectentur.

ASSERTIO sit. Potentiæ vitales, ac materiales 3
humanæ in toto composito, scilicet in materia & anima rationali immediatè recipiuntur. Hoc ad minus sentit expressè D. Thomas 1. part. quæst.77. art.5. & Valentia ibi disp.6.quæst.3. punct.3. dicit esse sententiam communem contra Apolinarem lib.2. de anima quæst.7. qui illas in sola anima subiectabat, & etiam aduersus Conimbricenses hic lib.2. quæst.3. art.2. asserentes tales potentias in sola materia recipi. P.Hurtado, Carleton, Arriaga, Franciscus Alphonsus nuper citati, & plures alij. Probatur assertio; potentia materialis, v. g. potentia sensitiua subiectatur in ea re, quæ est adæquatè apta ad recipiendum immediatè effectum formalem talis potentiæ, ad quem communicandum ipsa potentia naturaliter ordinatur, sed nec sola anima rationalis est adæquatè apta,nec sola materia est etiam apta adæquatè, totum autem compositum constans

constans ex materia & forma est adæquatè aptum ad totum effectum formalem potentiæ sensitiuæ immediatè recipiendum, ergo potentia materialis sensitiua v. g. nec in sola anima rationali, nec in sola materia sed in toto composito subiectatur. Minor probatur, effectus formalis potentiæ materialis sensitiuæ est esse quoddam accidentarium sensitiuum, ac materiale, sed sola anima rationalis, licet sit apta ad esse accidentarium, vt sensitiuum, quia ipsa est substantialiter sensitiua, non vero est apta ad esse illud accidentarium vt materiale, quia ipsa non est materialis, sed spiritualis, & similiter tota materia licet sit apta ad habendum tale esse accidentarium vt materiale, quia ipsa est substantialiter materialis, non tamen est apta ad habendum tale esse accidentarium vt sensitiuum, quia ipsa secundum se non est substantialiter sensitiua, totum autem compositum ratione animæ rationalis, quam includit, est aptum ad esse formale sensitiuum, & ratione materiæ, quam etiam includit, est etiam aptum ad esse formale materiale, & corporeum, ergo nec sola anima rationalis est adæquatè apta, nec sola materia est apta adæquatè, sed totum compositum est adæquatè aptum ad totum effectum formalem potentiæ sensitiuæ, aut alterius potentiæ materialis, Argumenta quæ hic obiici poterant, inferiùs cap. 3. agentes de subiecto actuum materialium diluemus.

4 Sed potentiæ hæ materiales, scilicet visiua, auditiua, & similes non recipiuntur in quauis corporis parte, vt fertur dixisse Iandunum hic q. 7. & 9. Sed in quibusdam partibus determinatis, scilicet visus in oculo, auditus in auribus & sic de aliis, quia alias tanta, & tam mirabilis organorum, ac dispositionum varietas, quæ in quibusdam partibus determinatis relucet, omnino superflua esset.

5 Hic etiam obseruo potentiam loco motiuam, qua anima rationalis corpus, & alia mouet, cum vitalis non sit, nec debeat in se motus materiales recipere, esse omnino spiritualem, & in sola anima rationali subiectari. Ratio est, quia potentia motiua, qua Angelus corpora mouet, est spiritualis, & recepta in ipso Angelo, ideo præcisè, quia licet talis potentia agat motum illum materialem, tamen non recipit illum, atqui potentia motiua, qua anima corpora mouet, cum vitalis non sit, vt constat à fortiori ex dictis suprà disput. 2. cap. 5. num. 47. licet efficiat motum materialem corporum, tamen non recipit illum, ergo talis potentia motiua erit sicut ipsa anima spiritualis, & in sola illa subiectabitur.

CAPVT II.

An anima proximè etiam immediatè, an tantum mediis potentiis actus vitales efficiat.

6 COmmunis Thomistarum sententia est, animam per suam substantiam immediatè, & proximè non efficere actus vitales, sed tantùm mediis potentiis, quæ ipsos actus eius nomine, atque virtute producunt. Ita Caietanus, Capreolus, Sotus, & alij, quos refert, & Sequitur P. Salas tom. 1. in n. 2. tract. 2. disput. 5. sect. 6.

7 ASSERTIO tamen sit, anima non solum mediis potentiis, sed etiam per se ipsam immediatè solum partialiter actus vitales producit. Ita P. Suarez tom. 1. metaph. disp. 18. sect. 5. num. 2. & 3 & P. Vasquez tom. 1. in 1. 2. disp. 9. cap. 5. num. 27. & 28. Hurtado disp. 4. de anima sect. 2. Arriaga disp. 3. de anima sect. 1. num. 6. Carleton disp. 12. de anima sect. 1. Franciscus Alphonsus disp. 6. de anima sect. 1. P. Garcia super sen. Auicennæ disp. 50. cap. 6. & est communis inter recentiores. Solet autem hæc assertio à pluribus sic probari; Anima propriè & per se causat actus meritorios, & demeritorios voluntatis; sed si anima non efficeret illos immediatè; sed volũtas sola proximè in illos influeret, & anima media voluntate, talis anima propriè, & per se non causaret actus meritorios, ac demeritorios, nisi tantum per accidens, ergo anima per seipsam immediatè efficit actus illos, & non tantum media voluntate, consequentia est euidens, maior certa, quia anima propriè, & per se meretur, ac demeretur; Minor autem probatur primò, à simili, Deus in sententia Durandi causabat effectus causæ creatæ mediatè, scilicet media ipsa causa creata, & tamen quia per se ipsam immediatè in illos non influeret, non causaret propriè, & per se, ipsos effectus, vt monstrauimus in physicis disp. 15. cap. 1. ergo si anima tantum media voluntate, & non immediatè per seipsam in illos actus influeret, propriè & per se illos non causaret. Secundò probatur à priori eadem minori: illa res causat per se aliquem effectum, qua dempta eodem modo non producitur effectus, illa vero causat per accidens, qua ablata eodem modo effectus, producitur; sed si voluntas sola influat immediatè in illos actus, ablata anima, eodem modo tales effectus producentur à voluntate, cum tota eius causa persistat, ergo anima non per se, sed tantum per accidens illos actus causaret. Confirmatur, in opposita sententia, quando voluntas eliceret actum malum, anima solum concurreret conseruando voluntatem, quæ sola immediatè, & proximè talem actum demeritorium eliceret; sed concurrere conseruando solum voluntatem quæ sola immediatè, & proximè talem actum demeritorium eliciat, non est propriè & per se causare actum malum; Deus enim hoc modo concurrit, ac voluntatem conseruat, & tamen per se non causat actum peccati, ergo anima in tali sententia propriè, & per se non causaret actum demeritorium, ac malum; vrgent, si voluntas realiter ab anima separata eliceret actum peccati, anima illa separatà non esset verè causa talis peccati, ergo etiam si anima cum voluntate illa vniatur, non erit per se causa actus peccati. Patet consequentia: Ex eo præcisè, quod res acquirat vnionem physicam cum voluntate, non fit causa per se peccati, cum merè passiuè se habeat; sed in tali casu quando anima vniretur voluntati solum acquireret vnionem cum voluntate, ergo ex hoc præcisè non fieret de nouo causa per se peccati, ergo si anima ante coniunctionem cum voluntate non erat causa per se actus peccati, quem eliciebat voluntas, nec post coniunctionem cum illa, si ipsa anima immediatè in talem actum non influit, erit causa per se illius.

8 Mihi sanè, vt verum fatear, hæc ratio non videtur satis firma; arbitror enim consequenter ad ea quæ superius statuimus, rem aliquam operari aliquem effectum media potentia, quæ sit virtus naturalis illius, natura sua destinata, vt eius nomine, tamquam formalis ipsius agendi ratio in actu primo operetur, esse propriè & per se talem effectum causare, non quidem immediatione suppositi, sed tantum immediatione virtutis: Probatur primò, nam sol propriè, & per se illuminat, aqua per se refrigerat, ignis per se calefacit, & res grauis deorsum, & leuis sursum per se mouetur, vt ipsa experientia magistra omnium Philosophorum opinio fert, & tamen omnes istæ res iuxta communem sententiam non operantur immediatè per suam substantiam sed tantum mediis potentiis naturaliter destinatis, vt earum nomine tamquã eius virtutes, ac formales rationes agendi in actu primò operentur; ergo operari aliquem effectum media potentia ordinata natura sua ad operandum nomine, & virtute alicuius rei, & vt ratione formali illius, est talem rem propriè & per se effectum operari. Probatur secundò, per id, aliqua res operatur per se effectum, per quod constituitur potens per se illum operari; sed res per prædictam potentiam

tiam naturalem constituitur per se potens operari effectum; ergo talis per prædictam potentiam naturalem per se effectum operatur. Minor ostenditur, ideo res, vel causa aliqua per actionem à se distinctam constituitur per se agens in actu secundo, licèt illa per suam substantiam immediatè in actu secundo non agat, quia talis actio est formalis ratio agendi ipsius in actu secundo operans in actu secundo, vt *quo* & tantùm nomine illius, atqui prædicta potentia connaturalis substantiæ est etiam eius formalis ratio agendi, in actu primo operans in actu primo, vt *quo*, & tantùm nomine illius; ergo eodem modo substantia reddetur per talem potentiam per se agens in actu primo, sed agere per se in actu primo est posse per se operari, ergo per talem potentiam redditur substantia per se potens operari.

9 Hinc iam ad rationem superius positam dico, quod anima propriè, & per se causaret actus meritorios, ac demeritorios, licèt tantùm causaret illos mediatè, hoc est, media voluntate. Ad primam probationem minoris. Respondeo rem aliquam operari effectum medio aliquo, quod non sit virtus naturalis, & ratio formalis agendi illius non esse propriè, & per se, sed tantùm per accidens operati, hoc autem modo, Deus in sententia Durandi operaretur effectus causæ creatæ, & ideo non causaret per se illos, at rem operari effectum medio aliquo, quod sit eius virtus naturalis, & formalis ratio agendi operans nomine illius esse propriè, & per se effectum causare, hoc ergo modo operaretur anima media voluntate actus demeritorios, & ideo propriè, & per se causaret illos. Ad secundam minoris probationem dico, causam per se esse illam, qua dempta effectus non fieret eodem modo, scilicet modo connaturali, dempta autem anima, licèt actus illi fierent à voluntate, non fierent ab illa modo connaturali, cum ipsa petat esse vnita animæ, quam per se potentem, & operantem constituat, eiusque nomine operetur; ac proinde anima est causa per se illorum actuum, licèt immediatè non influat. Ad primam confirmationem. Respondeo Deum tantùm extrinsecè conseruare voluntatem, quæ liberè elicit actum malum, non quidem vt Dei virtus naturalis, ac formalis ratio agendi operans nomine illius, & ideo Deum media illa propriè & per se non causare actum malum, animam verò conseruare intrinsecè voluntatem, quæ operatur actum peccati, vt eius naturalis virtus, ac ratio formalis agendi natura sua destinata ad operandum nomine illius, & ideo animam media illa propriè, & per se actum peccati causare. Ad secundam confirmationem dico animam separatam à sua voluntate actum peccaminosum causante non causare tunc propriè, & per se talem actum, non quidem ex defectu actionis, & virtutis, sed tantùm ex defectu applicationis, & vnionis cum sua virtute naturali, quæ vnio, & applicatio per se requiritur, vt actu eius nomine operetur; vnde ex eo præcisè, quod anima vniretur voluntati, fieret causa per se talis actus peccaminosi per vnionem tamquam per conditionem, per voluntatem tamquam per rationem agendi in actu primo, & per actionem tamquam per rationem agendi in actu secundo, illa ergo probatio assertionis non est firma, aliam efficaciorem quæramus.

10 Probatur efficaciter assertio; voluntas non potest efficere volitionem obiecti, nisi aliqua ratione excitetur, & moueatur ex cognitione talis obiecti, aliàs per accidens se haberet ad volitionem, quod dixit nullus; sed si anima per se ipsam immediatè non influeret in actum volitionis, sed tantùm media voluntate, voluntas nulla ratione crearetur, ac moueretur ex cognitione obiecti, ergo si anima immediatè non influeret, voluntas non posset efficere volitionem obiecti; ac proinde anima immediatè etiam influit in actus volitionis, & non tantùm media ipsa voluntate. Minor probatur, non potest voluntas moueri ex cognitione obiecti ad eliciendum eius amorem, nisi vel ipsa cognitio reddat formaliter voluntatem cognoscentem, vel reddat cognoscens aliud, à quo voluntas moueatur, & determinetur, sed si anima non influeret immediatè in actum voluntatis, cognitio obiecti nec redderet formaliter voluntatem cognoscentem, cum non sit intrinsecè in illa, nec redderet cognoscens aliud, à quo moueatur, & determinetur voluntas, vt mox ostendam, ergo si anima non influeret immediatè in actus voluntatis, voluntas nulla ratione moueretur ex cognitione obiecti.

Dicat verò quispiam primò, cognitionem obiecti 11
reddere formaliter animam cognoscentem à qua mouetur, & determinatur voluntas ad volitionem talis obiecti; ac proinde saltem mediatè excitari, & moueri voluntatem ex cognitione obiecti ad eius volitionem eliciendam. Sed contrà, anima cognoscens obiectum in sua sententia non influit immediatè in actum volitionis circa tale obiectum, ergo anima etiam cognoscens obiectum non determinat voluntatem ad volitionem obiecti, ergo voluntas nec mediatè excitatur, ac mouetur ex cognitione obiecti. Secunda consequentia cum antecedenti tenet, primam consequentiam sic monstro; tunc aliqua causa mouet, ac determinat aliam ad efficiendum effectum, quando ratione illius, & quia operatur illa, alia operatur; atqui si anima immediatè non influit in actum volitionis, sed tantùm media voluntate, voluntas non operatur tales actus voluntatis ratione animæ, & quia anima illum operetur, sed potius anima eliçit talem actum ratione voluntatis, & quia voluntas, quæ est eius virtus, operatur, ergo si anima immediatè non influit in actum volitionis, etsi cognoscat obiectum, non mouet, nec determinat voluntatem ad volitionem, quinimò ipsa determinatur à voluntate.

Dicat secundò intellectum, & voluntatem cum in 12
eadem anima radicentur talem habere sympathiam, & connexionem naturalem inter se, vt cognoscente intellectu aliquod bonum, voluntas naturaliter excitetur, & moueatur ad amandum illud. Sed contrà, hoc verum esset, si anima immediatè influeret in actus voluntatis, nam anima cognoscens bonum per cognitionem sui intellectus determinaret, & moueret suo influxu voluntatem ad illud amandum, atque ita voluntas moueretur saltem mediatè ex cognitione boni, ob prædictam earum potentiarum radicationem in eadem anima, quæ immediatè in eius actus influeret, hæc verò motio voluntatis ex cognitione intellectus ob præfatam tantùm radicationem in eadem anima, si hæc immediatè non influat, non potest dari; quod sic ostendo; si intellectus, & voluntas separentur ab anima, ex eo, quod intellectus cognosceret bonum, moueretur, nec excitaretur voluntas ad illud amandum, non alia ratione nisi quia ob defectum radicationis in eadem anima cognitio intellectus non solùm non redderet voluntatem cognoscentem, verùm nec redderet cognoscens aliud, à quo voluntas moueatur, & determinetur, atqui si anima immediatè in actus vitales non influat, etiamsi intellectus, & voluntas sint radicata, & vnita cum eadem anima, cognitio boni existens in intellectu non reddet cognoscentem voluntatem, nec reddet cognoscens illud, à quo voluntas ad amandum moueatur, ac determinetur, vt ostendi n. 11. ergo etiamsi intellectus, & voluntas sint radicata & vnita cum eadem anima, si anima immediatè in actus vitales non influit, ex eo, quod intellectus cognoscat bonum, non excitabitur, nec mouebitur voluntas ad illud amandum.

Dicat tertiò, hanc rationem solùm probare animam 13
influere in actus voluntatis immediatè, & voluntas saltem

saltem mediatè ex cognitione boni moueatur, & excitetur ad amandum illud, non verò probare animam immediatè influere in actus intellectus, cum ibi prædicta ratio non vrgeat. Sed contrà, sæpè ex volitione voluntatis excitatur, & mouetur intellectus ad assentiendum alicui obiecto, sed si anima immediatè non influeret in actus, & assensus intellectus, intellectus ex tali volitione non posset moueri, & excitari ad assentiendum, nam volitio illa non redderet volentem ipsum intellectum, nec redderet volens formaliter aliud tertium à quo intellectus ad assentiendum moueretur, vt suprà in simili ostendi, ergo anima debet etiam necessariò influere immediatè in actus intellectus.

14 Obiiciat aliquis primò, ex eo quod potentia sensitiua bruti, quæ est in cerebro cognoscat bonum, potentia appetitiua, quæ est in corde, appetit illud, & ex eo, quod potentia appetitiua bonum appetat, potentia motiua, quæ est in pede, mouetur ad obtinendum illud, & tamen nec anima in cerebro sentiens, ac cognoscens bonum influit immediatè in actum appetitus, qui est in corde, nec anima appetens in corde mouet immediatè potentiam motiuam pedis, sed tantùm propter naturalem harum potentiarum sympathiam, operante vna, operatur & alia, ergo similiter, licèt anima intelligens immediatè non influat in actum voluntatis ex eo præcisè, quod intellectus bonum intelligat, potest excitari voluntas ad illud amandum propter naturalem connexionem, & sympathiam harum potentiarum. Respondeo potentiam sensitiuam & potentiam appetitiuam in cerebro residere in eadem anima, quæ per sensum cognoscens bonum influit immediatè cum potentia sensitiua illam suo influxu determinando ad appetendum illud, & ex eo, quod talis anima in cerebro bonum appetat, mouet immediatè quemdam neruum qui ducitur vsque ad pedem, quo modo pes etiam mouetur, & excitatur ad bonum illud assequendum, ac proinde non excitatur potentia ex eo præcisè, quod alia operetur propter naturalem sympathiam, sed quia anima mota per actum vnius potentiæ influit immediatè cum alia potentia, aut illam excitat, ac determinat, vt suprà monstratum est.

15 Obiiciat secundò; causa quæ continet in se omnes formalitates effectus, illa sola producit illum, sed intellectus cum sola specie impressa continet in se omnes formalitates intellectionis, nam ratio vitalitatis, & intellectualitatis correspondet ipsi intellectui, qui est vitalis, & intellectiuus formaliter, & ratio repræsentationis obiecti tribuitur speciei impressæ, quæ est virtualis obiecti repræsentatio, ergo intellectus solus immediatè, & adæquatè producit intellectionem, ac proinde anima physicè non influit in illam. Confirmatur. Ideo, solus calor ignis efficit immediatè, & adequatè alium calorem, quia est eius causa, & continet omnes formalitates illius, sed etiam intellectus est causa intellectionis, & continet omnes formalitates ipsius intellectionis, ergo intellectus cum sola specie immediatè, & adæquatè efficit intellectionem. Respondeo causam, quæ continet omnes formalitates effectus dependèter à determinatione, aut influxu alterius causæ, vel cum subordinatione ad illam non posse immediatè, & adæquatè talem effectum efficere, sed requiri, quod alia causa cui subordinatur cum illa immediatè influat, scilicet, quia ignis generans continet omnem formalitatem ignis generantis cum subordinatione, & dependentia ab influxu Dei, non potest agere illum absque eo, quod etiam immediatè influat ipse Deus, intellectus, ergo continet omnem formalitatem intellectionis cum subordinatione, & dependentia à determinatione animæ, vt suprà explicatum est, & ideo non posse intellectum actum intellectionis elicere absque eo, quod anima etiam immediatè ad illum concurrat. Calor autem non concurrit ad alium calorem cum subordinatione, & dependentia à substantia ignis, cum ab igne separatus, & in aqua existens talem calorem efficiat, & ideo calor sine influxu ignis potest immediatè, & adæquatè alium calorem efficere, proprium enim est solius actus vitalis, (qualis non est ipse calor) quod ex immediata principij radicalis determinatione ab intrinseco procedat, quo argumentum cum confirmatione diluitur.

Obiiciat tertiò, si anima immediatè influeret in 16
actus intellectionis, & volitionis illa sufficeret, atque ita non requirerentur potentiæ distinctæ, quæ influant in illos actus, ergo si dantur potentiæ distinctæ, quæ influant in tales actus, in illos anima immediatè non influit. Respondeo, hoc argumentum probare non dari potentias ab anima reipsa distinctas, vt ostendi disp. 4. anno 30. eo tamen non obstante gratis admisso, ac supposito dari potentias distinctas in actus influentes, puto ex hac suppositione fore admittendum animam etiam immediatè in ipsos actus influere, quia aliàs non posset voluntas ex cognitione moueri, vt ratio superiùs facta conuincit, nec valet arguere ex eo, quod anima influat, apertè sequi non dari potentias, quæ influant, hoc enim est suppositionem destruere, quam iam gratis statuimus.

Ex dictis infero primò, animam immediatè etiam 17
influere in actus potentiæ internæ sensitiuæ, & appetitiuæ, quia actus potentiæ appetitiuæ proueniunt ex determinatione actuum potentiæ sensitiuæ & imaginatiuæ, & hi etiam imperio voluntatis teste experientia subordinantur; quod fieri non posset, nisi anima immediatè in tales actus influeret, vt constat ex dictis. Infero secundò, animam etiam rationalem influere immediatè in actus potentiæ motiuæ, quo mouetur corpus, quia sæpè hic motus oritur ex directione intellectus, & imperio voluntatis, vt motus saltandi, quod esse non posset, nisi anima per directionem directa, & volitionem allecta immediatè influeret in illum motum. Infero tertiò, prædicta ratione non ostendi animam immediatè influere in actiones potentiæ nutritiuæ, & generatiuæ, & in actus sensus interni bruti, & in actus sensuum externorum etiam hominis, quia istæ potentiæ applicatæ intellectus directioni, & voluntatis imperio non subordinantur.

Opinor tamen animam immediatè etiam in harum 18
potentiarum operationes influere; influit quidem in actiones, & effectus potentiæ generatiuæ, & nutritiuæ quia cum tales effectus sint substantiales non possunt adæquatè produci ab ipsis potentiis accidentalibus, iuxta dicta in Physic. disp. 17. cap. 3. assertione prima, influit etiam in actus sensus interni bruti, & sensuum externorum etiam hominis; primò, quia vita physica in actibus animæ est necessariò connexa, & quasi mensurata cum vita intentionali, in qua fundatur; sed actus sensus interni bruti, & sensuum externorum etiam hominis imitantur omnino actus intellectus, ac sensus interni humani, in ratione vitæ intentionalis, vt per se notum est, & constabit disp. 14. ergo etiam omnino imitantur illos in ratione vitæ physicæ. Sed ratio vitæ physicæ est fieri ab intrinseco; ergo actus sensuum externorum, & sensus interni bruti imitantur omnino actus intellectus, & sensus interni bruti humani, in hoc, quod est fieri ab intrinseco; atqui actus isti vt vitales ita perfectè ab intrinseco promanant, vt oriantur immediatè ab ipso principio intrinseco radicali, & substantiali, ergo etiam actus illi oriuntur à principio intrinseco radicali, & substantiali, scilicet à substantia animæ immediatè. Minor vltima probatur, actus vitalis cum vt sic debeat oriri ab intrinseco, petit immediatè procedere à principio vitæ substantiali, si id non repugnet, hoc enim est magis

ab

ab intrinseco oriri, atque ita est magis illi connaturale, sed non repugnat actus intellectus immediatè oriri à substantia animæ cum de facto ab illa ratione determinationis vel subordinationis oriantur, vt ostendi num.10. ergo actus intellectus vt vitales connaturaliter petunt oriri à substantia animæ; ergo tales actus vt vitales ita ab intrinseco promanant, vt oriantur immediatè ab ipso principio intrinseco radicali, & substantiali, &c. Secundò, quando anima dolorem sentit, videtur experiri, ac sentire dolorem illum in seipsa, sed si anima immediatè non influeret in actus externos sentiendi, non sentiret dolorem in seipsa, sed in potentia à se distincta, ergo anima influit immediatè in actus externos sentiendi, vtraque ratio non est euidens, sed tantùm probabilis.

CAPVT III.

An in solis potentiis, an etiam in substantia animæ actus immediatè reperiantur.

19 MVlti nobiscum suprà sentientes etiam admisso, quod dentur potentiæ ab anima distinctæ, quæ immediatè in actus influant, animam secundùm se cum illis proximè influere in tales actus, censent fore consequenter dicendum animam non solùm mediis potentiis, sed per se ipsam immediatè illos actus in se recipere, cum longè dispar sit ratio, vt mox dicam.

20 ASSERTIO prima sit. Admisso gratis, quod sint potentiæ ab anima distinctæ, quæ immediatè actus vitales efficiant, & recipiant, licèt necessariò anima debeat actus immediatè efficere, non tamen illos necessariò recipit immediatè, sed tantùm mediis potentiis. Ita recentiores adducti suprà num.7. Probatur, non alia ratione requiritur, quod anima immediatè efficiat cum voluntate actum volitionis, nisi vt voluntas ex cognitione boni possit saltem mediatè determinari, & moueri ad eliciendam volitionem circa tale bonum, vt ostensum est suprà à num.7. ergo similiter non alia ratione requiritur, quod anima immediatè cum voluntate actum volitionis recipiat, nisi vt ipsa voluntas ex cognitione boni possit saltem mediatè determinari, ac moueri ad recipiendum actum volitionis, & amandum illud; atqui ex eo præcisè, quod anima immediatè efficiat illum actum, licèt non recipiat illum immediatè, sed tantùm mediis potentiis, voluntas potest saltem mediatè determinari ad recipiendum actum volitionis circa bonum, & amandum illud, ergo anima non necessariò recipit immediatè actum volitionis. Minor probatur, vt voluntas mediatè saltem determinetur, & moueatur ex cognitione boni ad recipiendum actum volitionis circa tale bonum, & amandum illud, tantùm requiritur, quod anima per cognitionem boni reddatur verè cognoscens tale bonum, & immediatè moueat, ac determinet voluntatem ad recipiendum actum volitionis, & amoris circa illud, sed ex eo præcisè, quod anima immediatè efficiat actum volitionis, licèt non recipiat illum immediatè, sed tantùm mediis potentiis, anima erit verè cognoscens bonum per cognitionem receptam immediatè in suo intellectu, & suo immediato influxu determinabit, ac mouebit immediatè voluntatem ad recipiendum in se actum amoris circa illud, ergo ex eo præcisè, mouebitur saltem mediatè voluntas ex cognitione boni ad recipiendum actum amoris circa illud. Probatur minor, ac primum, quod anima esset verè cognoscens bonum per cognitionem receptam immediatè in solo intellectu sic probo, sufficit, quod anima verè efficiat, & recipiat cognitionem boni, vt sit verè cognoscens bonum, sed tunc verè efficeret, & reciperet cognitionem boni, quia illam efficeret, & reciperet saltem media potentia intellectiua, tamquam naturali virtute, & ratione formali efficiendi, & recipiendi ipsius animæ, quod est verè, & propriè efficere & recipere, vt ostendi suprà num.8. ergo anima in eo casu est verè & propriè cognoscens bonum per cognitionem receptam in suo intellectu. Porrò quod etiam auima tunc determinaret voluntatem ad recipiendum actum amoris circa tale bonum, sic monstro; ex eo præcisè, ac formaliter, quod voluntas determinetur ad efficiendum actum amoris, determinatur ad recipiendum illum, quia non potest illum efficere, quin ipsum in se recipiat, sed anima cognoscens bonum ex eo præcisè, quod ipsa immediatè cum voluntate influat physicè, & efficiat actum amoris circa bonum, illud determinat suo immediato influxu voluntatem ad efficiendum actum illum, vt per se constat, ergo ex eo præcisè, quod anima immediatè efficiat, licèt non immediatè recipiat actum amoris determinat suo influxu voluntatem ad recipiendum talem actum circa bonum, & amandum illud.

Consulto in assertione dixi animam non necessariò 21
recipere actus vitales immediatè, si potentiæ dentur, quæ illos immediatè efficiant, & recipiant, nam etsi potentiæ distinctæ dentur, connaturalius erit animam immediatè efficere, & recipere tales actus, potentias verò intellectum, & voluntatem illos immediatè efficere, non verò recipere. Primò, quia hæ potentiæ distinctæ solùm requirerentur ad determinandam animam ad actus vitales efficiendos, ac recipiendos, sed ex eo præcisè, quod dentur potentiæ quæ non recipiant, sed tantùm efficiant actus intelligendi, & volendi, determinabunt animam ad efficiendos eos actus, & consequenter ad illos etiam recipiendos, cum receptio ad eorum effectionem necessariò consequatur, ergo solùm requiruntur potentiæ, quæ immediatè non recipiant, sed tantùm proximè efficiant actus intelligendi, & volendi. Secundò, quia id tantùm recipit naturaliter volitionem, quod potest esse volens, sed voluntas ab anima distincta non posset esse volens, non enim posset esse cognoscens, quod requiritur, vt sit volens vt ostendi disp.4. cap.1. à num.7. ergo voluntas ab anima distincta non posset naturaliter recipere, sed tantùm efficere volitionem.

ASSERTIO secunda sit. Siue potentiæ reipsa dissi- 22
deant ab anima, siue non dissideant, actus materiales vitales, v.g. actus sensationis in sola materia intrinsecè, & adæquatè non subiectantur; dissentiunt quidam Neoterici, alij verò recentiores suffragantur, vt Arriaga disp.3. de anima subsect.2. num.65. Hurtado disp.4. de anima sect.3. Carleton disp.13. de anima sect.5. Franciscus Alphonsus disp.6. de anima sect.2. Probatur, vt aliquod totum propriè, ac simpliciter denominetur intrinsecè tale, debet necessariò talis denominatio, ac effectus formalis alicui eius parti reipsa communicari, v.g. non potest quis denominari spiritualis, nisi aliqua eius pars, scilicet anima sit spiritualis, nec denominari albus, aut calidus, nisi aliqua eius pars, v.g. materia reipsa sit alba, aut calida, sed homo propriè, ac simpliciter per sensationem denominatur intrinsecè viuens, ac sentiens formaliter, ergo talis denominatio, ac effectus formalis viuentis, ac sentientis debet necessariò alicui parti hominis reipsa communicari, arqui si sensatio adæquatè reciperetur in sola materia illa denominatio viuentis, ac sentientis nulli parti hominis reipsa communicaretur formaliter; non materiæ, quia cum non efficiat actum sensationis, nec moueatur ab intrinseco non est reuera viuens, nec sentiens; non etiam animæ, quia cum non recipiat in se sensationem non potest reipsa denominari intrinsecè videns, ac sentiens formaliter per illam; ergo talis sensatio non recipitur intrinsecè, & adequatè in sola materia.

Dicat

23 Dicat quis denominationem formalem viuentis, ac ſenſationis communicari intrinſecè per ſenſationem compoſito non ſolùm purè denominatiuè, ſed verè ac realiter, nam ſentire formaliter, eſt verè efficere, & verè recipere ſenſationem, compoſitum autem nempe homo verè efficit per ſuam formam ſenſationem, & illam verè recipit, per materiam, atque ita verè, ac formaliter ſentit totus homo per ſenſationem. Sed contrà, vt aliquod compoſitum re vera propriè, ac ſimpliciter denominetur intrinſecè tale, requiritur neceſſariò, quod ſecundum illam rationem ſecundum quam formam denominantem intrinſecè recipit, ſit capax eius denominationis formalis, ſi enim homo ſecundum animam rationalem præcisè reciperet intrinſecè albedinem, non denominaretur reuera intrinſecè albus, quia anima rationalis ſecundum quam præcisè formam illam denominantem reciperet, non eſt capax denominationis albi, atqui ſola materia ſecundum quam præcisè homo adæquatè, & intrinſecè reciperet ſenſationem, aut actum alium vitalem non eſt capax formalis denominationis ſentientis, ac viuentis, vt nuper oſtendi, ergo ex eo præcisè quod ſola materia recipiat ſenſationem, homo non poterit reuera intrinſecè ſentiens denominari.

24 Obiiciat aliquis, homo per nutritionem denominatur intrinſecè viuens, & tamen nutritio non dat alicui hominis parti reipſa intrinſecam denominationem viuentis, non formæ rationali, quia nutritio non ſubiectetur in illa, cum hæc intrinſecè non nutriatur, non etiam materiæ, quia cum non efficiat nutritionem, non mouetur ab intrinſeco, nec eſt capax viuere per illam; ergo licèt ſenſatio non det reipſa alicui hominis parti intrinſecam denominationem, ac effectum formalem viuentis, ac ſentientis, adhuc poterit homo verè ac propriè denominari viuens, ac ſentiens per illam. Reſpondeo, ſicut id, quod cognoſcitur, vt ſic formaliter per cognitionem non viuit, id verò, quod cognoſcit intrinſecè viuit formaliter per illam, ita id, quod nutritur præcisè non viuere per nutritionem, id verò, quod intrinſecè nutrit viuere formaliter per illam, in homine ergo materia, & vnio ſubſtantialis per nutritionem in ſe partialiter receptam verè nutriuntur, ſed non nutriunt actiuè, cum nutritionem illam non efficiant, anima verò rationalis per nutritionem quam efficit, & in ſe ipſa ſaltem inadæquatè recipit intrinſecè, ſicut & quamlibet aliam actionem materialem vitalem, intrinſecè nutrit, atque ita viuit per illam, vnde homo non ſolùm ratione materiæ, aut vnionis, quæ verè reipſa nutritur, denominatur nutritus, ſed etiam ratione formæ rationalis, quæ verè, ac realiter nutrit, ac viuit intrinſecè per actionem nutritiuam nutriens, ac viuens intrinſecè denominatur; nulla ergo datur denominatio intrinſeca in toto compoſito, quæ alicui eius parti realiter non conueniat.

25 ASSERTIO tertia ſit. Si potentiæ materiales receptiuæ ab anima rationali diſſideant in ſolis ipſis immediatè actus vitales materiales recipientur, & mediatè tantùm in anima iuxta dicta ſuprà num. 20. ſi autem ab ipſa anima non diſtinguantur, vt nos ſentimus, actus materiales vitales non in ſola anima rationali, ſed in illa ſimul, ac in materia, vt in vno ſubiecto adæquato, & totali recipientur. Eſt contra eoſdem recentiores in aſſertione præcedenti, ſed ſuffragantur à nobis allati ibidem. Probatur, actus vitalis materialis, v. g. ſenſatio debet naturaliter recipi in ſubiecto adæquatè apto ad eius effectum formalem ad quem ſubiecto communicandum ipſa naturaliter ordinatur, ſed nec ſola anima rationalis eſt ſubiectum adæquatè aptum ad effectum formalem ſenſationis, nam talis effectus eſt materialis, & extenſus, anima autem cum ſpiritualis ſit, non eſt apta ad effectum formalem vt extenſum, nec ſola materia eſt apta ad effectum formalem ſenſationis, quia talis effectus eſt vitalis, & ſenſitiuus, ipſa verò ſecundum ſe, cum non poſſit viuere, nec ſentire, non eſt apta ad effectum vt ſenſitiuum, ac vitalem; totum autem compoſitum conſtans ex materia & anima rationali eſt adæquatè aptum ad effectum formalem ſenſationis, nam ratione animæ rationalis, quæ etiam eſt radicaliter ſenſitiua, eſt aptum ad talem effectum vt ſenſitiuum; & ratione materiæ, quæ eſt materialis, & extenſa eſt aptum ad talem effectum vt extenſum, & materialem; ergo ſenſatio, & quiuis actus materialis vitalis, nec in ſola forma rationali, nec in ſola materia, ſed in toto compoſito recipitur.

26 Confirmatur; actus internus ſenſationis, vel appetitus non recipitur adæquatè in ſola materia, vt oſtendi num. 22. ſed nec etiam ſubiectatur adæquatè in ſola anima rationali, ergo recipitur adæquatè in toto compoſito conſtante ex materia & anima rationali. Minor probatur; actus ſenſationis internus eſt corporeus, & materialis, ſed ſi in ſola anima rationali reciperetur, non eſſet, vnde materialitatem haberet, ſed potiùs eſſet ſpiritualis, ergo talis actus non ſubiectatur adæquatè in ſola anima rationali. Probatur minor; ſi aliqua ratione actus internus ſenſationis in ſola anima rationali receptus eſſet materialis, maximè vel quia reſpiceret obiectum materiale, & hoc non ſufficit, quia actus intellectus, quo cognoſco equum, reſpicit obiectum materiale, & tamen eſt ſpiritualis; vel quia fieret per ſpeciem materialem eſſet autem ſpecies materialis, quia ab anima rationali fieret concurrente ſenſatione externa, quæ ratione ſpeciei miſſæ ab obiecto corporeo, à qua fit, ſemper eſt corporea, & materialis, hoc autem non ſufficit, vt ſpecies illa interna facta ab anima fit materialis, nam etiam anima efficit ſpeciem intellectualem obiecti concurrente ſenſatione interna corporea, & materiali, & tamen talis intellectualis ſpecies eſt ſpiritualis, vel dicant, quod talis ſpecies ſenſitiua interna reciperetur in materia & ideo eſſet materialis, ac proinde ſenſatio interna ab ea effecta eſſet etiam materialis; hoc verò non etiam ſufficit, quia non implicat, quod aliqua cauſa partialis materialis efficiat naturaliter aliquid ſpirituale eleuata, & fulcita ab altera cauſa nobiliori ſpirituali, in ſententia enim D. Thomæ phantaſma materiale efficit ſpeciem impreſſam ſpiritualem eleuatum, & fulcitum ab intellectu tamquam à cauſa nobiliori ſpirituali; ergo ſi ſenſatio interna in ſola anima rationali reciperetur, non eſſet ratio, quare illa eſſet materialis.

27 Obiiciat quis, res ſpiritualis non poteſt pendere, & recipi in ſubiecto materiali; ergo nec res materialis poterit pendere, & recipi in ſubiecto ſpirituali, ergo materialis ſenſatio non poteſt pendere, & recipi in in anima rationali. Confirmatur: forma recepta in ſubiecto commenſuratur cum illo; ſed forma materialis non poteſt commenſurari, & coaptari cum ſubiecto ſpirituali; ergo forma materialis non poteſt recipi in ſubiecto ſpirituali. Reſpondeo rationem formalem rei ſpiritualis conſiſtere in eo, quod à materia, ſeu quantitate paſſiuè non pendeat; & ideo implicat, quod forma ſpiritualis recipiatur, & pendeat à ſubiecto materiali; rationem verò formalem rei materialis non conſiſtere in eo, quod non pendeat à ſubiecto ſpirituali, ſed in eo, quod pendeat à quantitate; cum ergo ſenſatio, licèt dependeat ab anima, vt à ſubiecto ſpirituali, pendeat etiam à materia & quantitate, nam in materia ſubiectatur, etiam vt in ſubiecto partiali; ideo non repugnat, quod talis ſenſatio pendeat, & recipiatur in anima ſpirituali, & quod ſit ſimul forma materialis. Ad confirmationem reſpondeo formam materialem pendentem à ſubiecto non neceſſariò commenſurari, cum omni ſubiecto, ſed cum aliquo ſubiecto partiali, hoc enim ſufficit, vt ex illo ſuam materialitatem

litatem sortiatur; sicut enim iuxta sententiam communem vnio simplex inter materiam, & formam rationalem, est materialis, & partim recipitur in materia, cum qua coaptatur, & partim cum anima rationali, cum qua non coextenditur; ita similiter sensatio hominis materialis partim recipitur in materia, cum quâ coextenditur, & partim in anima, cum qua non commensuratur.

28 Ex dictis infero primò, actus vitales materiales bruti in sola anima subiectari; nam cum hæc materialis, & vitalis sit, est adæquatè apta ad eorum effectum formalem. Infero secundò, motum localem corporis, in ipso solùm corpore, quod mouetur, & actionem generatiuam in ipsa materia, ex qua forma gignitur, adæquatè subiectari; quia vtraque est actio non vitalis; actio verò non vitalis solùm subiectatur in passo, vt dixi in Physic. disp. 23. cap. 4.

DISPVTATIO VI.

A quonam potentiæ suam specificationem accipiant.

TRIA capita continebit. In primo inquiro, an ab essentia, actibus, & obiectis potentiæ speciem desumant. In secundo, an necessario potentia vnam rationem formalem ex parte obiecti pertingat: In tertio. Qua ratione potentiæ animæ inter se realiter distinguantur.

CAPVT I.

An ab essentia, actibus, & obiectis potentiæ speciem desumant.

1 DVplex est specificatio; alia intrinseca, & formalis, quæ sumitur ex ipsa formali essentia, & quidditate rei, vt homo formaliter, ac intrinsecè specificatur à sua animalitate, & rationalitate: & de hac specificatione in præsenti non differimus, certum est enim potentias à se ipsis formaliter, & intrinsecè specificari. Alia est specificatio extrinseca, & arguitiua, quando, scilicet, ex tali essentia alicuius rei arguitur, & infertur necessariò talis ratio specifica alterius. Hæc autem rei specificatio desumitur ex eo, cum quo res habet primariò necessariam connexionem. Ratio est; quia ab eo sumitur extrinsecè specificatio rei, quo formaliter variato, variatur formaliter ratio specifica talis rei; sed variato formaliter illo, cum quo res habet primariò necessariam connexionem, variatur etiam formaliter ratio specifica rei; ergo extrinseca rei specificatio sumitur ab eo, cum quo res habet primariò necessariam connexionem. Minor probatur: variato formaliter illo, quo cum res habet primariò necessariam connexionem, ipsa primaria, ac necessaria connexio, vt sic formaliter variatur, vt apud omnes est in confesso; sed talis primaria, ac necessaria connexio rei est ratio specifica talis rei; nam omnis ratio primario est ratio specifica, cum sit de primario conceptu, qui formaliter attingit solam speciem rei; ergo variato illo, cum quo res habet primariam connexionem variatur etiam ratio specifica rei. Hoc ergo sit explicato gratia disputationis supponimus, potentias animæ reipsa ab ipsa anima dissidere, ac proinde aliqua ratione respicere essentiam animæ, à qua dimanant actus, quos possunt elicere; & obiecta, tum materialia, tum etiam formalia, quæ possunt attingere. Quærimus ergo, an ex illis omnibus tales potentiæ extrinsecè, & arguitiuè specificentur.

ASSERTIO prima sit. Potentiæ vitales sumunt speciem ab essentiis, ex quibus naturaliter emanant. 2
Ita nonnulli Neoterici sequuti Albertum 5. de anima cap. 11. Contra Scotum in 2. distinct. 1. quæst. 6. Complutenses, disp. 7. de anima quæst. 1. Hurtado, disp. 5. de anima sect. 5. Arriaga, disp. 3. de anima sect. 4. Franciscus Alphonsus, disp. 6. de anima sect. 4. & alij plures. Probatur: res specificatur ab eo, cum quo habet primariò necessariam connexionem, vt nuper monstrauimus; sed potentiæ vitales habent primariò necessariam connexionem cum essentia, à qua dimanant, v. g. potentiæ vitales hominis cum ipsa anima ac essentia hominis; ergo potentiæ vitales specificantur ab essentia, à qua dimanant. Minor probatur, ita se habet in actu primo potentia vitalis in ordine ad substantiam vitalem, à qua dimanat, sicut se habet in actu secundo, actus vitalis in ordine ad potentiam vitalem, à qua fit, nam sicut actus vitalis constituit potentiam proximè viuentem in actu secundo, ita potentia vitalis constituit essentiam, ac substantiam proximè viuentem in actu primo. Sed actus vitalis habet primariò necessariam connexionem cum potentia vitali, à qua fit, non enim potest naturaliter esse in alia; ergo etiam potentia vitalis habet primariò necessariam connexionem cum essentia, à qua dimanat.

Obiiciat aliquis: si potentia specificaretur ab essentia, à qua dimanat, non possent dari duæ potentiæ eiusdem speciei dimanantes ab essentiis specie diuersis; sed dantur duæ potentiæ eiusdem speciei dimanantes ab essentiis specie diuersis; calor enim ignis, quæ est potentia naturalis ignis, & calor aëris, quæ est potentia naturalis aëris, sunt eiusdem speciei, & tamen essentia ignis, & essentia aëris, à quibus dimanant, sunt diuersæ speciei; ergo potentia non specificatur ab essentia, à qua dimanat. Respondeo potentias vitales, vt tales formaliter habere secundum se primariam connexionem cum essentiis, & ideo pro essentiarum variatione ipsæ potentiæ variantur; alias verò potentias vitales, scilicet calorem ignis, & calorem aëris non habere secundum se necessariam connexionem cum essentiis, licèt essentiæ cum illis connectantur, & idcirco licèt essentiæ varientur, ipsæ specie non variantur, nec sumunt suam rationem specificam ab illis. 3

Sed vrgeat: potentia loco motiua animæ non est vitalis; ergo non habet connexionem secundum se cum ipsa anima: ergo non specificatur ab essentia animæ, ac proinde potentia motiua animæ rationalis non est diuersa specie à potentia motiua Angeli, sicut ob eamdem rationem calor, qui est potentia ignis, non est diuersus specie à calore, qui est potentia aëris. Respondeo, potentiam illam, quæ est purè passio alicuius essentiæ hoc est, ita vt non sit etiam dispositio ad illius rei, & aliarum rerum productionem habere secundum se necessariam connexionem cum essentia, licèt non sit vitalis, quia commensuratur naturaliter cum ipsa essentia, & non potest esse in alia nisi in illa; potentia autem motiua animæ rationalis est purè passio ipsius animæ, & non dispositio ad illius, & aliarum rerum productionem; & ideo talis potentia motiua animæ habet connexionem secundum se cum ipsa anima, & specificatur ab illa, ac differt specie à potentia motiua Angeli; potentiam verò illam, quæ non purè est passio essentiæ, sed etiam est dispositio ad illius, & aliarum rerum generatione, non habere secundum se necessariam connexionem cum illa essentia, potest enim esse in aliis etiã essentiis, ad quas disponit; calor autem ignis, aut aëris est hoc modo passio aëris, aut ignis, non purè, sed ita vt sit simul dispositio ad plurium rerum genetionem; & ideo talis calor secundum se non habet connexionem cum essentia ignis, v. g. nec specificatur ab illa, nec calor ignis specie differt à calore aëris. 4

Ex

Ex dictis infero, potentiam vegetatiuam plantæ, (suppono talem potentiam à primis qualitatibus reipsa distingui) & potentiam vegetatiuam bruti specie distingui: item potentiam sensitiuam bruti, & potentiam sensitiuam hominis specie dissidere: similiter potentiam intellectiuam animæ rationalis, & potentiam intellectiuam Angeli, vel duas potentias intellectiuas duorum Angelorum, qui sint specie diuersi, specie etiam diuersificari inter se. Probatur; quia potentiæ diuersificantur specie ab essentiis diuersis; & hæc omnia respiciunt diuersas essentias in specie.

6 Assertio secunda sit. Potentiæ specificantur ab actibus, quos possunt elicere. Ita D. Thomas 1. p. q. 77. art. 3. & communis Philosophorum schola, vt referunt Conimbricenses hic lib. 2. cap. 3. q. 5. art. 2. P. Hurtado, Arriaga, Carleton disp. 18. de anima sect. 2. Franciscus Alfonius, & alij num. 2. citati. Probatur: ab eo res sumit speciem, cum quo habet primariò necessariam connexionem, vt ostendi n. 1. sed potentiæ habent secundum se primariò necessariam connexionem cum actibus possibilibus, nequit enim potentia primariò, & quidditatiuè cognosci non conceptis actibus, quos potest elicere, vt per se constat; ergo potentiæ specificantur ex actibus.

7 Obiiciat quis: si potentiæ specificantur ex actibus, ad actus specie diuersos essent diuersæ potentiæ specie; sed ad actus specie diuersos non dantur potentiæ specie diuersæ, nam ad actus assensus, & dissensus, qui specie differunt, datur idem intellectus, & ad actum amoris, & actum odij, qui specie discriminantur, datur eadem voluntas; ergo potentiæ non specificantur ex actibus. Respondeo ex eo, quod potentiæ specificentur ex actibus non sequi, quod ad singulos diuersos specie actus sint assignandæ potentiæ specie diuersæ, nam cum potentia sit eminentior, & causa æquiuoca actuum, vna potentia potest elicere diuersos actus, qui aliqua ratione conueniant in modo tendendi ad sua obiecta, atque ita talis potentia à quolibet actu seorsim inadæquatè, & ab omnibus collectim adæquatè specificatur: ex quo fit, quod ab alia potentia, quæ alios actus diuersos possit adæquatè elicere, specificè dissideat. Qua ratione potentia intellectiua, quæ respicit adæquatè actus intelligendi, differt specie à potentia sensitiua, & vegetatiua, quæ respicit actus sentiendi, & vegetandi.

8 Assertio tertia sit. Potentiæ non sumunt speciem ab obiectis materialibus. Ita omnes ferè communiter, vt ex dicendis constabit, est communis inter omnes antiquos, & recentiores. Probatur primò, actus magis immediatè respicit obiectum materiale, quam potentia, cum potentia illud respiciat medio actu; sed actus non specificatur ab obiecto materiali, vt docet apertè D. Thomas 1. 2. q. 8. art. 6. ad 3. & omnes scriptores Theologi asserentes omnes visiones beatas, etsi diuersa obiecta materialia respiciant, esse eiusdem speciei, vt docent Salas tom. 1. in 1. 2. tract. 2. disp. 3. sect. 9. & Molin. 1. part. quæst. 12. art. 6. disp. 5. ergo potiori iure potētiæ non specificantur ex obiecto materiali. Probatur secundò à priori: res tantùm specificatur ab eo, cum quo habet primariam connexionem, connexio enim, ac ratio secundaria non est ratio specifica, cum hæc sit tantùm primarius conceptus; sed potentia non habet primariam, sed tantum secundariam connexionem cum obiecto materiali, quandoquidem non respiciat illud ratione sui, sed solùm quia respicit primariò obiectum formale, quod habet connexionem cum materiali; ergo potentia non specificatur ab obiecto materiali.

9 Obiiciat quis: ab eo res specificatur, quod essentialiter respicit per suam quidditatem; sed potentia per suam quidditatem respicit essentialiter obiectum materiale, est enim quidditatiuè apta attingere illud; ergo potentia specificatur ab obiecto materiali. Respondeo facilè rem specificari ab eo, quod per suam quidditatem, & essentiam respicit primario, & non tantum secundariò: potentia autem respicit reipsa per suam essentiam, & quidditatem non primario, sed solùm secundariò obiectum materiale; & ideo non specificatur, sed tantùm indiuiduatur ab obiecto materiali. Recognosce dicta in simili suprà disputatione 1. capite 4. vbi alias obiectiones diluimus.

Assertio quarta sit. Potentia speciem desumit 10
ab obiecto formali. Ita D. Thomas, & alij commemorati pro secunda assertione. Probatur, ab eo res sumit speciem, cum quo habet primariò necessariam connexionem, vt monstraui n. 1. sed potentia habet secundum se primariam connexionem cum obiecto formali saltem mediatè, habet enim primariam cōnexionem cum eius actibus, qui immediatè cōnectuntur, cum tali obiecto, v. g. potentia visiua habet primariam connexionem cum actibus visionis, qui immediatè cōnectuntur cum calore, aut lumine, quod est eius obiectum formale; ergo potentia desumit speciem ab obiecto formali.

Obiiciat aliquis: si potentia specificaretur ab obiecto 11
formali, vna potentia deberet necessariò habere vnum obiectum formale, potentia enim visiua habet pro obiecto formali plures diuersos colores, albedinem, nigredinem, ac lucem, & sic de aliis; ergo potentia non specificatur ab obiecto formali. Hæc obiectio petit, quod in controuersiam vocemus, ac explicemus an potentia vnum, aut plura obiecta formalia respiciat, quod cap. sequenti præstabimus.

CAPVT II.

An necessariò potentia vnam rationem formalem ex parte obiecti pertingat.

Mvlti tenent quamlibet potentiam necessariò 12
vnum obiectum formale, seu (quod idem est,) vnam formalem rationem ex parte obiecti pertingere, à qua suam vnitatem desumat; v. g. potentiam visiuam respicere vnam rationem formalem visibilis, potentiam intellectiuam vnam rationem formalem intelligibilis, & potentiam volitiuam vnam rationem formalem volibilis, non quidem prout visibile, intelligibile, ac volibile dicit denominationem extrinsecam desumptam formaliter à potentia visiua, intellectiua, ac volitiua, alias istæ potentiæ seipsas respicerent, ac pertingerent, sed tantùm prout dicit aptitudinem, aut non repugnantiam intrinsecam, ad hoc, vt res videatur, intelligatur, ac etiam volita sit. Ita Thomistæ communiter, quibus acquiescunt P. Rub. hic lib. 2. c. 3. tract. de potentiis animæ q. 9. n. 128. Tolet. eodem lib. cap. 4. q. 8. & Conimb. ibidem c. 3. q. 5. art. 2. & alij plures.

Præmitto primò, pro decisione quæstionis ratio- 13
nem formalem obiectiuam, seu obiectum formale esse id, quod ratione sui, & propter se formaliter attingitur, & aliud sæpè ratione illius, & propter illud formaliter attingitur; dicitur autem formale, quia veluti informat obiectum materiale, quod illud quasi vertitur, & redditur aptum, vt possit etiam attingi, verbi gratia, credo Verbi incarnationem propter reuelationem diuinam; tunc reuelationem credo, & attingo propter seipsam, & ratione sui, Incarnationem verò credo, & attingo propter reuelationem diuinam, & quia tali reuelatione vertitur, ac informatur, & ideo incarnatio Verbi est obiectum materiale diuina autem reuelatio est obiectum formale, ac ratio obiectiua formalis.

14 Præmitto secundò, potentiam non alia ratione respicere formale obiectum nisi mediis ipsius actibus formaliter. Probatur apertè: potentiam visiuam, v.g. respicere obiectum formale, scilicet colorem, aut lucem, est formaliter posse videre illud; sed talis potentia non potest videre obiectum illud nisi mediis actibus visionis formaliter, nam eatenus potest videre colorem, quatenus potest elicere actus visionis, per quos formaliter talem colorem videat; ergo potentia non alia ratione respicit obiectum formale nisi mediis ipsius actibus formaliter. Confirmatur: causa physica non respicit eius terminum formalem, nisi media ipsius
01 actione formaliter, ideo præcisè, quia causam respicere terminum est tantùm posse agere illum, & non potest agere illum nisi formaliter media actione; sed potentiam visiuam, v.g. respicere obiectum formale est posse videre illud, & non potest illud videre nisi formaliter media visione; ergo talis potentia non respicit formale obiectum, nisi medio actu visionis.

15 Præmitto tertiò, obiectum formale potentiæ non esse aliud, quam obiecta formalia omnium eius actuum. Probatur euidenter: potentia non respicit, nec attingit eius obiectum formale, nisi mediis suis actibus formaliter, hoc est, eatenus præcisè potentia
21 formaliter attingit suum obiectum formale, quatenus potest elicere aliquem actum, qui formaliter tale obiectum formale immediatè attingat, vt monstraui numero præcedenti; ergo nullum potest dari obiectum formale potentiæ, quod non sit etiam obiectum formale suorum actuum; ergo integrum obiectum formale potentiæ non est aliud, quam obiecta formalia omnium suorum actuum. Confirmatur: terminus formalis adæquatus causæ Physicæ non est alius, quam omnes termini formales suarum actionum, ideo præcisè, quia causa physica non attingit terminum formalem nisi formaliter media aliqua actione, nec potest aliquid esse terminus formalis causæ physicæ, quod non sit etiam terminus formalis eius actionis; atqui potentia visiua, v.g. non attingit suum formale obiectum nisi formaliter media visione, nec potest aliquid esse obiectum formale potentiæ visiuæ, quod non sit etiam obiectum formale actus visionis; ergo obiectum formale adæquatum potentiæ visiuæ non est aliud, quam obiecta formalia omnium actuum visionis.

16 Assertio sit. Potentia non respicit formaliter vnum obiectum formale, seu vnam tantùm rationem formalem obiectiuam, sed potiùs plura obiecta, vt plura, & plures rationes formales obiectiuas, vt plures formaliter attingit; scilicet potentia visiua, v.g. non respicit vt obiectum formale vnum visibile, vt sic, seu colorem, ac lucem vt sic, sed talia visibilia diuersa, & talem lucem, ac colores, albedinē & nigredinem reipsa diuersos; & potentia intellectiua, aut volitiua non respicit formaliter intelligibile, aut volibile vt sic, seu verum, aut bonum vt sic, sed talia intelligibilia, & volibilia diuersa, ac tales veritates, ac bonitates reipsa diuersas. Ita P. Vasquez tom. 1. in 1. part. disp. 7. num 12. P. Molina 16. quæst. 1. art. 3. disp. 2. §. illud hoc loco, Gregorius, Aureolus, Commentator, & Nominalium Schola, quos refert, & sequitur P. Hurtado in Physic. disput. 5. sect. 3. §. 32. Quibus fauere videtur P. Suarez tom. 2. metaph. disput. 44. à num. 64. qui vnum obiectum tantùm per attributionem assignat, quod est in re plures rationes formales concedere, quæ ad aliam magis principalem referantur. Ita etiam recentiores non indocti.

17 Probatur euidenter ex dictis: obiectum formale, quod respicit potentia, v. g. potentia visiua, non est aliud, quam obiecta formalia suorum actuum, verbi gratia, actuum visionis; sed obiectum formale actuum visionis, quorum alius attingit albedinem, alter nigredinem, non est visibile, aut color vt sic, sed tale, & tale visibile, talis, & talis color, scilicet albedo, & nigredo in particulari; ergo obiectum formale, quod respicit potentia visiua, verbi gratia, non est visibile, aut color, vt sic, sed tale, & tale visibile, albedo, scilicet, & nigredo in particulari. Consequentia est aperta. Maior monstrata est numero 15. Minorem autem sic probo: actus visionis, quo videtur albedo, & actus visionis, quo videtur nigredo sunt diuersæ speciei, vt omnes fatentur; sed si non haberent pro obiecto formali albedinem, vt albedinem formaliter, & nigredinem, vt nigredinem formaliter, sed tantùm rationem visibilis, siue coloris vt sic, non essent actus illi diuersæ speciei, quia ex formali obiecto, cum esset idem respectu vtriusque diuersitatem specificam non caperent, & non esset aliud caput, vnde illam possent accipere; ergo actus visionis albedinis habet pro obiecto formali ipsam albedinem, vt talem formaliter, & actus visionis nigredinis respicit tamquam obiectum formale nigredinem, vt talem formaliter; & non visibile siue colorem vt sic. Deinde, quia obiectum formale, seu ratio formalis obiectiua alicuius actus est illa, ratione cuius, id est, quia talis ratio est in obiecto, obiectum per illum actum pertingitur; atqui actus visionis albedinis non attingit albedinem ratione coloris, seu visibilis, hoc est, quia sit color, & quid visibile, nam si esset nigredo esset absolutè color, & quid visibile, & tamen per actum illum non pertingeretur; attingit autem albedinem ratione ipsius albedinis. & quia est formalis albedo, nam si albedo non esset non repræsentaretur formaliter per actum illum visionis; ergo actus visionis albedinis (idem etiam dico de visione alterius coloris) non respicit vt rationem formalem obiectiuam visibile, aut colorem vt sic, sed talem determinatam albedinem; ergo cum obiectum formale actuum, vt suprà vidimus, sit obiectum formale potentiæ, non visibile, aut color vt sic, sed talis albedo, & talis nigredo erunt obiectum formale potentiæ visiuæ.

Dicat primò, rationem formalem obiectiuam, 18
quæ potentiæ visiuæ, verbi gratia, esse albedinem, & nigredinem, & alios colores, ac lucem in particulari, quia talis ratio formalis, *quæ* est illa, quæ verè per actus visionis formaliter attingitur; per illos autem solùm attinguntur tales colores in particulari, & non color vt sic, vt monstratum est; rationem verò formalem *sub qua* talis potentiæ esse solùm rationem visibilis, coloris, scilicet aut lucis, quia hæc ratio formalis, *sub qua* non est illa, quæ attingitur, sed illa ratione cuius, & quia ipsa elucet in obiecto, obiectum pertingitur; potentia ergo visiua non attingit albedinem ratione albedinis, & quia albedo est, nam etiam si non esset albedo, si esset alius color attingeretur ab illa; attingit autem illam, quia est in ipsa ratio visibilis, aut coloris, quæ si non esset, non posset per eam potentiam attingi: ac proinde ratio formalis obiectiua potentiæ visiuæ non est albedo, aut nigredo, sed visibile vt sic, scilicet color aut lux.

Sed impugnatur: potentia visiua, verbi gratia, non 19
respicit, nec attingit obiectum formale, vel rationem formalem obiectiuam, nisi formaliter mediis actibus visionis, id est, quatenus potest elicere actus visionis, qui formaliter talem rationem formalem attingat, vt ostendimus n. 14. ergo eodem modo talis potentia non respicit, nec attingit obiectum sub aliqua ratione formali obiectiua nisi formaliter mediis actibus, scilicet quatenus potest elicere actus, qui illud sub tali ratione formali pertingant. Consequētia est euidēs, quia potentia non potest respicere obiectum formale sub aliqua ratione, nisi illud absolutè possit respicere; ergo si non valet potentia visiua respicere absolutè

obiectum

obiectum formale nisi mediis actibus visionis, nec etiam valebit illud sub aliqua ratione respicere nisi mediis visionis actibus, qui tale obiectum sub ea ratione respiciant: atqui nullus datur visionis actus, qui respiciat formaliter obiectum sub ratione visibilis, aut coloris vt sic, sed tantùm sub ratione talis visibilis, & coloris, scilicet albedinis, & nigredinis, ac lucis in particulari, vt num. 17. monstraui; ergo potentia visiua non respicit suum obiectum sub ratione visibilis, aut coloris vt sic, sed solùm sub ratione talis visibilis albedinis, nigredinis, & cuiusuis alterius coloris, ac lucis in particulari.

20 Dicat secundò, visionem albedinis, ac visionem nigredinis, aut cuiusque alterius coloris secundum rationem visionis præcisè solùm respicere obiectum sub ratione visibilis; potentia autem visiua elicit prædictos actus præcisè secundum rationem visionis; atque ita talis potentia mediis illis solùm respicit obiectum sub ratione visibilis. Sed impugnatur: actus visionis albedinis, (idem dico de aliis actibus) licèt secundum rationem visionis præcisè recipiat obiectum sub ratione visibilis, at secundum rationem talis visionis albedinis non respicit obiectum sub ratione visibilis, sed tantùm sub ratione albedinis, vt ostendi num. 17. sed potentia visiua respicit prædictum actum visionis, non secundum rationem visionis præcisè, sed secundum rationem talis visionis albedinis; ergo potentia visiua non respicit medio illo actu obiectum sub ratione visibilis, sed sub ratione albedinis. Minor probatur: potentia visiua per se formaliter, ac ratione sui respicit actum visionis quatenus ille est reipsa producibilis; quia respicere illum est solùm poducere illum; solùm autem potest producere illum actum, quatenus ipse est reipsa producibilis; atque ita solùm respicit illum, quatenus reipsa est producibilis; sed actus visionis albedinis non est producibilis secundum rationem visionis præcisè, sed solùm secundum rationem talis visionis albedinis, aut nigredinis, &c. nequit enim à parte rei existere actus visionis vt sic; ergo potentia visiua respicit actum visionis albedinis, aut nigredinis, non secundum rationem visionis vt sic, sed secundum rationem talis visionis albedinis, vel nigredinis.

21 Dicat tertiò, potentiam solùm respicere actum sub illa ratione, quæ conuenit ipsi actui, quia prouenit formaliter à tali potentia; actus autem visionis albedinis ideo est visio, quia oritur à potentia visiua, non verò ideo est visio albedinis, quia oritur à potentia visiua, sed quia prouenit ab specie ipsius albedinis; ac proinde potentia visiua producit prædictum visionis actum sub ratione visionis præcisè, & non sub ratione visionis albedinis, & eapropter respicit medio illo albedinem solùm sub ratione visibilis, aut coloris, & non sub ratione albedinis. Sed impugnatur: actus visionis albedinis dicitur formaliter visio, quia oritur à potentia visiua, & dicitur talis visio albedinis, non quia oritur à potentia visiua, sed quia oritur ab specie albedinis; non quidem ideo, quia potentia visiua respiciat formalissimè vnam rationem visionis vt sic, & non rationem particularem visionis albedinis, hoc enim apertè impugnatum est num. præcedenti, sed solùm quia potentia visiua non tantùm respicit formaliter rationem particularem visionis albedinis, sed etiam respicit rationem particularem visionis nigredinis, & omnes alias particulares rationes visionum cuiusque coloris, ac lucis in particulari, quæ sub ratione visionis in communi continentur, species autem impressa albedinis est tantùm determinata ad rationem visionis albedinis, & ideo dicitur esse visio, vt sic formaliter, quia oritur à potentia visiua, & visio albedinis formaliter, quia oritur ab specie; ergo potentia visiua ideo præcisè dicitur concurrere ad visionem albedinis sub ratione visionis, & non sub ratione visionis albedinis, non quia respiciat formalissimè rationem visionis, vt sic, & non rationem particularem visionis albedinis, sed solum quia non respicit determinatè, ac præcisè visionem particularem albedinis sed respicit etiam secundum se formaliter omnes visiones cuiusque coloris in particulari; species verò ideo respicit actum illum sub ratione visionis albedinis, quia tantùm respicit determinatè solùm visionem albedinis; ergo eodem modo potentia visiua non ideo respiciet obiectum sub ratione visibilis, & non sub ratione albedinis, quia respiciat formaliter vnam rationem visibilis, vt sic, & non rationem particularem albedinis, sed quia non solùm respicit formaliter rationem albedinis, sed etiam omnes rationes particulares coloris ac lucis, quæ sub ratione visibilis in communi continentur; igitur absolutè, & simpliciter potentia visiua respicit formalissimè albedinem, & nigredinem, ac omnes alios colores, ac lucem in particulari, & non vnam rationem visibilis, aut coloris vt sic præcisè.

Hinc iam constat, qua ratione intellectus, quando 22
cognoscit, v. g. equum, cognoscat illum sub ratione intelligibilis, eius autem cognitio illum attingat tantùm sub ratione equi; quia, scilicet intellectus attingit formalissimè talem rationem equi tanquam potentia apta ad cognoscendum omnes alias rationes entis intelligibilis, & illas omnes rationes in particulari respicit formalissimè, quæ sub ratione entis intelligibilis in communi continentur; cognitio verò talis equi est tantùm determinata ad cognoscendum, & respiciendum equum; & eapropter dicitur intellectus equum respicere sub ratione intelligibilis, id est, vt potentia potens omnia particularia intelligibilia cognoscere; cognitio verò equi respicit illum tantùm sub ratione equi, id est, vt notitia determinata ad cognoscendum, & respiciendum formaliter solum equum. Sicut quando causa prima concurrit cum causa secunda, v. g. cum igne ad producendum alium ignem, causa prima concurrit ad illum sub ratione entis, & ignis concurrit sub ratione ignis, non quia causa prima producat formaliter rationem communem entis vt sic, & non rationem particularem ignis, & causa secunda, scilicet ignis producat rationem determinatam ignis, & non rationem entis, quæ est in illo, omnes enim ignis effecti formalitates, ac rationes à causa prima & secunda producuntur; sed quia causa prima agit ignem, vt causa ex se potens producere omnia particularia entia, quæ sub ratione entis in communi continentur; ideo ad eum effectum concurrit sub ratione entis; quia verò ignis generans concurrit ad ignem genitum, vt causa ex se determinata ad ignem tantùm producendum, ideo concurrit ad illum sub ratione ignis. Ita ergo in nostro casu, &c.

Sed quærat quis, an potentia, licèt non habeat vnam 23
rationem formalem ex parte obiecti, habeat saltem vnam rationem formalem ex parte modi tendendi. Censent aliqui potentiam habere vnam rationem formalem ex parte modi tendendi, quia potentia intellectiua tendit semper per modum repræsentationis obiecti, & potentia volitiua per modum impulsus ad obiectum, & potentia visiua per modum intuitionis sensitiuæ respectu obiecti. Opinor tamen non habere potentiam vnam rationem formalem, sed plures rationes ex parte modi tendendi. Ratio est; quia ratio formalis ex parte modi, per quam potentia visiua tendit in suum obiectum, est ipsa visio, & intuitio sensitiua obiecti, atqui potentia visiua non tendit in suum obiectum per suam visionem, ac intuitiuam sensationem obiecti, sed per plures diuersas visiones, ac intuitiones albedinis, & nigredinis, & cuiusque alterius coloris, vt ostendi num. 20. ergo potentia visiua, & quæuis alia potentia non habet vnam

rationem formalem, sed plures diuersas rationes ex parte modi tendendi. Dicitur autem potentia visiua concurrere semper sub ratione visionis ex parte modi, quia est potens ad omnes visiones sensitiuas, & determinata quoad speciem saltem ad eliciendam aliquam ex illis, sicut videt obiectum sub ratione visibilis, quia est potens videre omnia visibilia, & determinata secundum se quoad speciem ad videndum aliquod visibile ex illis.

24 Obiiciat aliquis: potentia specificatur ab obiecto formali, seu ratione formali obiectiua, vt ostendi num. 10. sed potentia visiua, verbi gratia, est vna; ergo obiectum formale, seu ratio formalis obiectiua talis potentiæ debet esse vna. Sed in isto argumento potentia indiuiduatur ab obiecto materiali; sed potentia visiua est vna; ergo obiectum materiale illius debet esse vnum; quod contrarij diffitentur. Respondeo cum potentia sit causa æquiuoca, & eminentialis suorum actuum; & vna causa æquiuoca possit efficere effectus specie diuersos; ideo vna potentia potest elicere actus specie diuersos; cum autem hi ad diuersas rationes formales obiectiuas terminentur; inde est quod etiam vna potentia per illos actus ad diuersas rationes formales obiectiuas terminari possit, à quibus omnibus simul sumptis potentia specificatur; quia potentia visiua, verbi gratia, quæ respicit omnes rationes particulares coloris, differt specie à potentia auditiua, quæ respicit omnes rationes particulares soni; specificatur autem potentia ab illis omnibus rationibus formalibus obiectiuis simul sumptis, quatenus constituunt vnum obiectum formale totale, non quidem vnitate positiua excludente plures, ac diuersas rationes formales partiales, sed vnitate negatiua excludente plures rationes formales obiectiuas totales, quod sufficit, vt ex tali obiecto adæquato negatiuè vno potentia in gradu eminentiori vna positiuè appelletur.

25 Ex dictis colligo quamlibet scientiam completè sumptam, verbi gratia, Dialecticam, Physicam, aut metaphysicam quamcumuis vna sit, non respicere vnam rationem formalem, *quæ* nec *sub qua*, sed plures rationes formales obiectiuas. Probatur apertè ex dictis; quia scientia habitualis nullam respicit rationem formalem nisi mediis suis actibus, atque ita non est alia ratio formalis obiectiua scientiæ, nisi illa, quæ est ratio formalis suorum actuum: atqui respectu actuum omnium vnius scientiæ non datur vna ratio formalis obiectiua, sed plures rationes formales, vt cuilibet discutrenti palam erit; ergo respectu totius scientiæ non datur vna ratio formalis ex parte obiecti, sed plures rationes formales obiectiuæ. Dicitur autem scientia vna, non simplex sicut potentia, & ex pluribus habitibus composita, nec vna intrinsecè, & per se, sed tantùm per accidens, & extrinsecè ex sola Philosophorum partitione, & ordinatione resultans, vt dixi in Logica disp. 2. cap. 3.

26 Verum aliquis inquirat, an potentia, verbi gratia, potentia visiua ita respiciat omnes rationes particulares coloris, vt si vna esset impossibilis, verbi gratia, si esset impossibilis albedo, ipsa potentia visiua impossibilis foret? Opinor potentiam visiuam (idem proportionaliter affero de aliis potentiis creatis) fore impossibilem, si aliqua præcisè formalis ratio, verbi gratia, albedo esset impossibilis. Probatur: destructo termino destruitur necessariò ordo, & respectus transcendentalis, ac essentialis ad ipsum terminum; sed potentia visiua est respectus transcendentalis ad quamlibet rationem particularem coloris, verbi gratia, ad rationem albedinis; ergo si destrueretur, ac esset impossibilis albedo, destrueretur etiam, ac esset impossibilis potentia visiua. Consequentia est euidens. Maior patet, tum, quia respectus transcendentalis est necessariò connexus cum termino; tum etiam quia destructo effectu necessariò destruitur actio physica creata non alia ratione, nisi quia talis actio est ordo transcendentalis ad effectum. Minor etiam probatur: potentia visiua illam rationem formalem obiectiuam transcendentaliter respicit, quam potest videre, nam potentiam visiuam respicere est formaliter posse videre; sed potentia visiua potest videre, non quidem colorem vt sic, in communi, aut in confuso, sed albedinem, & omnes alias rationes coloris in particulari, vt suprà monstratum est; ergo potentia visiua transcendentaliter respicit albedinem, & omnes alias rationes coloris in particulari. Confirmatur: demus vnam visionem Angelicam ita perfectam, vt illa Angelus videat albedinem, & nigredinem, & omnes alios colores; arguo sic: in hoc casu si destrueretur, & esset impossibilis sola albedo destrueretur, & esset impossibilis prædicta visio, ideo præcisè, quia visio illa diceret respectum transcendentalem saltem inadæquatè ad albedinem; sed potentia visiua de facto dicit respectum transcendentalem saltem inadæquatè ad albedinem; ergo si esset impossibilis albedo, etiam foret impossibilis potentia visiua.

Dicat quis potentiam visiuam primariò solùm respicere rationem coloris, & secundariò rationem albedinis, & ideo licèt impossibilis esset albedo, maneret potentia visiua, quia maneret id, quod primariò respicit. Sed contrà: potentia nullo modo, nec primariò, nec secundariò respicit suum obiectum nisi formaliter mediis actibus, vt probatum est num. 14. atque ita non est aliud obiectum primarium potentiæ visiuæ, nisi id, quod est obiectum primarium suorum actuum vt illatum est num. 15. sed obiectum primarium actuum visionis non est color vt sic, sed albedo, & nigredo, & alij colores in particulari, vt ostendimus à num. 15. ergo obiectum primarium, quod primariò respicit potentia visiua, non est ratio coloris, sed albedo, & nigredo in particulari, ac proinde, si esset impossibilis albedo, etiam potentia visiua impossibilis esset. Vrgeo, visio, qua Beatus videt creaturas in Deo, respicit tantùm secundariò creaturas, & tamen si aliqua creatura ex visis esset impossibilis, etiam esset impossibilis talis visio; ergo etiam si potentia visiua respiceret tantùm secundariò albedinem, si foret impossibilis albedo, esset impossibilis ipsa potentia visiua. 27

28 Neoterici quidam dicunt potentiam visiuam solùm dicere respectum ad colores in confuso, & quasi conditionatè, scilicet si ipsi ex se non implicauerint, & ideo licèt implicaret albedo, maneret potentia visiua. Sed contrà: ideo potentia Dei in probabili aliquorum sententia, etiam si omnes creaturæ implicarent, eadem quoad entitatem maneret, quia solùm respicit creaturas quasi conditionatè, & ex suppositione, quod non repugnent; ergo si potentia visiua respicit visionem coloris, & ipsos etiam colores solùm quasi conditionatè, & ex suppositione, quod non repugnent, etiam si omnes colores, ac visiones repugnarent, posset entitatiuè manere eadem potentia visiua; atqui si omnes visiones, & colores essent impossibiles, non posset manere eadem potentia visiua, quæ modo est, nec id vllus vnquam asseruit, cum nullum maneret munus, quod tunc talis potentia posset exhibere; ergo potentia visiua non respicit conditionatè, & in confuso, sed absolutè, & determinatè albedinem, & alios colores in particulari; ergo si quis illorum esset impossibilis, etiam impossibilis esset potentia visiua.

CAPVT

CAPVT III.

Qua ratione potentiæ animæ inter se realiter distinguantur.

IN superioribus monstratum est potentias animæ, scilicet facultates sensitiuas externas, internum sensum & appetitum, intellectum etiam, ac voluntatem inter se formaliter, ac specificè dissidere per ordinem ad diuersa obiecta formalia, à quibus specificationem desumunt. Modo autem dubium est, qua ratione istæ potentiæ reipsa inter se dissideant.

29 Assero primò, potentiæ sensitiuæ externæ à parte rei distinguuntur inter se. Ita communiter omnes, Suarez lib.3. de anima cap.16. adducens plures, Albertum, Auicennam, Themistium, Ægidium, Caietanum, D.Thomam 1.part. quæst.67. art.3. ad 3. & ex recentioribus Franciscus Alphonsus, disp.10. de anima per totam, Conimbricenses 2. de anima quæst.7. art.2. Ruuius & plures alij. Probatur, illæ potentiæ inter se realiter distinguuntur, quæ valde diuersas dispositiones, & organizationes requirunt, & valdè diuersas operationes eliciunt; atqui potentiæ sensitiuæ externæ, videlicet visus, auditus, olfactus, gustus, tactus, valdè diuersas in materia dispositiones, & organizationes requirunt, vt quiuis facilè intuetur in animalis structura; & valdè etiam diuersas operationes eliciunt, vt per se constat; ergo potentiæ externæ sensitiuæ inter se realiter distinguuntur; nec enim verisimile est vnam simplicem potentiam accidentalem tot, ac tam diuersas dispositiones efflagitare, totque, ac tam diuersa munia subire.

30 Assero secundò, potentiæ sensitiuæ internæ scilicet sensus, & appetitus à potentiis rationalibus, scilicet intellectu, & voluntate, à parte rei distinguuntur. Probatur, eadem res non potest simul esse materialis, & spiritualis, cum non possit esse simul pendens, ac independens à materia, seu quantitate; sed sensus internus, & appetitus sunt materiales, intellectus autem, & voluntas sunt spirituales; ergo istæ potentiæ non sunt eadem res, sed sensus, & appetitus reipsa ab intellectu, & voluntate in homine distinguuntur.

31 Assero tertiò, sensus internus, & appetitus inter se, & intellectus, & voluntas etiam inter se reipsa distinguuntur. Est contra Durandum in 1.dist.3.quæst.4. num.8.vbi ait; intellectum, & voluntatem, etiam si ab anima realiter dissideant, non distingui realiter inter se, quod probabilius censerem, si intellectus ab anima distinctus verè efficeret, & reciperet intellectionem, atque ita verè intelligeret, & voluntas reipsa distincta ab anima verè efficeret, & reciperet volitionem, atque ita propriè vellet; tunc enim eadem potentia, quæ esset volitiua, deberet esse necessariò intellectiua, cum idemmet, quod vult, & amat obiectum, debeat necessariò cognoscere illud; & ideo suprà disp.5. cap.3. num.21. dixi casu, quo potentiæ rationales, scilicet intellectus, & voluntas distinguerentur ab anima, non esse recepturas, sed tantam effecturas actus intellectionis, & volitionis, quo supposito nunc assero has potentias reipsa inter se distingui. Ita plures ex recentioribus, quos ibidem retulimus. Probatur, quando vna collectio actuum est longè diuersa à tota alia collectione aliorum actuum, secundum principales rationes, quæ in illis collectionibus, & actibus earum relucent, potentiæ, quæ illas actuum collectiones per se respiciunt, sunt reipsa distinctæ inter se, nec enim vni tantùm potentiæ accidentali, tanta, ac tam multiplex perfectio potest naturaliter conuenire; sed collectio actuum intelligendi, & collectio actuum volendi sunt longè diuersæ inter se secundum principales rationes repræsentationis, & impulsus, quæ in illis relucent, ergo potentia intellectiua, & potentia volitiua, quæ illas actuum collectiones per se respiciunt, sunt reipsa distinctæ inter se. Et idem proportionaliter dico de potentia sensitiua, & potentia appetitiua.

Sed obiiciat quis: collectio omnium actuum assentiendi est longè diuersa à tota collectione actuum dissentiendi, & tamen non dantur distinctæ reipsa potentiæ ad illas actuum collectiones; & similiter tota collectio actuum amoris est longè diuersa à tota collectione actuum odij; & tamen non dantur distinctæ reipsa potentiæ ad illas collectiones actuum amoris, & odij; ergo licèt collectio actuum intelligendi sit longè diuersa à tota collectione actuum volendi, non debent necessariò dari distinctæ reipsa potentiæ, intellectus, scilicet, & voluntas ad tales actuum collectiones. Respondeo, collectionem actuum intelligendi, & collectionem actuum volendi longè diuersas esse secundum principales rationes, scilicet secundum rationem repræsentationis vitalis, & secundum rationem impulsus, quæ principaliter in his actibus elucent, & ideo ad illas dari potentias reipsa inter se distinctas; collectionem verò actuum assentiendi, & collectionem actuum dissentiendi etiam longè inter se differre, non verò secundum principalem rationem, quæ in eis actibus resplendet; sed tantùm secundum rationes minus præcipuas, etenim præcipua ratio, quæ in actibus assensus, & dissensus inuenitur, est intellectualis imago, & repræsentatio obiecti, quod verò sit per modum assensus, aut dissensus sunt rationes minus principales, & quasi modi illius rationis præcipuæ, vnde cum in ratione repræsentationis conueniant, & differant in ratione assensus, & dissensus; non differunt secundum rationem præcipuam, sed solùm secundum rationem minus principalem, & ideo ad tales collectiones non dantur potentiæ reipsa distinctæ; & idem dico de potentia volitiua in ordine ad actus amoris, & actus odij, in quibus ratio principalis est ratio impulsus affectiui, in qua conueniunt; ratio verò minus principalis est ratio prosequutionis, ac fugæ amoris, & odij, in qua differunt; & ideo non differunt illi actus secundum rationem præcipuam, nec dantur potentiæ distinctæ ad illos. Scio hanc rationem non esse euidentem, sed solùm congruentem, nec satis firmam, sed alia in hac re efficacior non occurrit; his autem nos difficultatibus liberamur asserentes potentias animæ ab eius substantia reipsa non dissidere, & eapropter inter se ipsas realiter non distingui. Quid dicendum sit de sensibus externis, & internis stabit, disp.12. & 13. 32

Et hæc de Tractatu secundo, de potentiis animæ in communi dicta sint satis.

TRACTATVS TERTIVS.

De speciebus impressis.

ANIMA secundum se, iuxta communem sententiam, non solùm petit potentias, quibus sit potens suas vitales operationes elicere, sed etiam indiget speciebus ipsi impressis, per quas determinetur, aut compleatur ad sua obiecta cognoscenda. Egimus iam de anima ipsa in communi; item de eius potentiis in generali; nunc iam recto doctrinæ ordine de iis speciebus differimus. Illarum mentionem facit Aristot. hic lib.2. cap.12. text.121.& 124. & lib.3. cap.4. text.15.16.& 19. & alibi; cuius nos doctrinam plura alia examinantes, nostris disputationibus explanabimus.

DISPVTATIO VII.

Quænam sit ratio formalis, ac munus speciei impressæ.

TRIA capita continebit. In primo diuersa aliorum placita conuelluntur. In secundo ratio formalis, ac munus speciei impressæ declaratur, ac defenditur. In tertio inquiro, an species effectiuè, an solùm formaliter ad obiecti cognitionem concurrat?

CAPVT I.

Diuersa aliorum placita conuelluntur.

1 IN qualibet controuersia solent quatuor de re inquiri, an sit, scilicet vtrum habeat existentiam? Quid sit, scilicet quam habeat essentiam? qualis sit, scilicet quas sibi vendicet affectiones? & propter quid sit, scilicet à quibus causis oriatur? quæ omnia de specie impressa in præsenti examinabimus. Cum verò cognitio existentiæ speciei intentionalis ex cognitione ipsius essentiæ, & quidditatis dependeat, priùs de essentia, & formali ratione speciei impressæ differendum est, quam ad eius existentiam accedamus. Inquirimus ergo in quo ratio formalis, ac munus proprium speciei intentionalis consistat.

2 Præmittendum est primò, vt certum apud omnes dari species impressas in potentiis tam materialibus, quàm spiritualibus, illasque esse similitudines, aut repræsentationes obiectorum, quas auctores variis nominibus compellant, vt imagines, imitationes, monstra, simulacra, picturas, vt in tabulis potentiarum scriptas, vt videre est apud Aristot. libro de memoria, & reminiscentia cap.1. cui consonat D.August. lib.10. de ciuitate Dei, cap.5. dicens, *quoniam non potest omnia secum introrsum in regionem incorpoream, ipsa corporea anima inferre, imagines eorum, cum voluerit, recipit*, iis ergo imaginibus, & similitudinibus vti debemus ad cognoscendas species impressas, quæ ab obiectis ad potentias emittuntur, quæ sunt accidentia quædam ab illis, per medium diffusa vt nomine obiecti, seu substantiæ actus vitalis partialiter producantur.

3 Has autem similitudines, seu species impressas multi negarunt. Sed contrà ipsam experientiam, primò, quia si inter obiectum, & potentiam visiuam, v.g. interponatur corpus aliquod opacum, nullo modo obiectum poterit videri, non alia ratione, nisi quia tale obiectum producebat aliquid per medium in potentiam, quo ipsa potentia iuuabatur ad eliciendum visionem cum ipsum obiectum in esse reali non potuisset in potentiam intrare; ergo vt potentia eliciat talem visionem circa obiectum, debet dari species impressa emissa à tali obiecto. Secundò, quia obiectum melius videtur ad minorem distantiam, quam ad maiorem, imò propter nimiam distantiam aliquando non videtur, quod signum euidens est, quod obiectum aliquid producit, quo potentia iuuatur ad eliciendam visionem, sed nihil aliud producit, quam speciem sui, ergo. Tertiò, manifesta est experientia speculi, in quo videmus obiecta à tergo existentia, quod fieri non potest, nisi ipsa obiecta speciem aliquam, seu in speculo producant, qua reflectente vsque ad potentiam visiuam iuuetur ipsa potentia visiua ad eliciendam visionem obiecti. Quartò, clarior apparet experientia in senibus, in quibus vel ipsa potentia tam debilis existit, vel tam imperfectè cognoscit, vt indigeat perspiciliis, *vulgo antoios*, quibus vires potentiæ augeantur, vt mediis illis traiiciantur species ab obiecto, in quibus receptæ ratione densitatis, aut alterius dispositionis, potentia ita vires recipit, vt distinctè, & perfectè eliciat visionem circa suum obiectum, dicamus, ergo dari species impressas intentionales in potentiis, tam materialibus, quam spiritualibus à suis obiectis productas, quas, & earum munera variè explicant auctores.

Nonnulli censuere Philosophi speciem impressam 4
esse quoddam rei idolum, ac repræsentationem tenentem se ex parte obiecti, in qua cognita ipsa etiam res appareat, & cognoscatur Ita Nominalium schola, & plures, quos referunt Conimbricenses, hic cap.6. quæst.2. Toletus lib.2. de anima quæst.33.§. altera sententia. Franciscus Alphonsus, disp.7. de anima sect.1. Carleton, disp.16. de anima sect.1. Arriaga, & alij permulti. Sed impugnantur: in potentia visiua datur verè species impressa coloris, & lucis, vt disp.8. cap.1. assertione prima ostendam: & tamen talis species coloris, ac lucis non est repræsentatio illorum, quæ per talem potentiam obiectiuè cognoscatur, & in ea cognita videatur color, ac lux; ergo species impressa non est rei repræsentatio, in qua obiectiuè cognita res ipsa cognoscatur. Minor probatur: potentia visiua non potest cognoscere, seu videre nisi colorem, ac lucem, quod est obiectum adæquatum illius; sed species impressa coloris, ac lucis nec est color, nec lux, etenim species non est eiusdem rationis cum re, cuius est species, vt contra; tertiam opinionem demonstrabo; ergo talis species coloris, ac lucis non potest obiectiuè cognosci per potentiam visiuam: ergo non est repræsentatio coloris, ac lucis, in qua obiectiuè cognita color, ac lux cognoscantur. Vrgeo: visio, qua noster intellectus, vel saltem intellectus Angelicus videt lumen, est cognitio intuitiua, vt omnes admittunt; sed si cognosceret lucem in aliqua eius specie,

ac

ac repræsentatione prius cognita, talis visio lucis, non esset intuitiua; ergo intellectus non videt lucem in aliqua specie, ac repræsentatione illius obiectiuè cognita; & tamen ibi datur species impressa lucis, vt ostendam disp. 8. cap. 2. ergo species impressa non est rei repræsentatio, in qua obiectiectiuè cognita ipsa res, scilicet lux cognoscatur. Minor primi syllogismi sic ostenditur: Cognitio, qua res videtur, non immediatè in seipsa, sed in aliqua eius repræsentatione obiectiuè cognita, non est cognitio talis rei intuitiua, sed abstractiua, ideo enim cognitio scientiæ infusæ, qua Christus Dominus videt visionem beatificam creatam essentiæ Dei, non est cognitio intuitiua Dei, sed tantùm abstractiua, quia non cognoscit Deum immediatè in seipso, sed in quadam eius repræsentatione, scilicet visione beata immediatè cognita; ergo si intellectus cognosceret lucem, non immediatè in seipsa, sed in aliqua eius specie, ac repræsentatione immediatè cognita, talis cognitio siue humana, siue Angelica lucis, vel cuiusuis alterius rei non esset iuuitiua.

5 Arbitrantur alij speciem impressam esse formalem imaginem, ac repræsentationem rei, non quidem tenétem se ex parte obiecti, quæ immediatè cognoscatur, sed tantùm tenentem se ex parte potentiæ, quæ ipsam potentiam formaliter determinet ad cognitionem rei, sicut cognitio boni est formalis repræsentatio tenens se ex parte potentiæ, & determinans formaliter voluntatem ad amorem boni. Ita Capreolus in 3. dist. 14. quæst. 1. §. dico 2. quod duplex. Sed impugnantur: species impressa obiecti, non est formaliter talis obiecti cognitio, sed est causa cognitionis, vt apud omnes est in confesso; sed si species impressa esset formalis imago, ac repræsentatio intentionalis obiecti, esset verè cognitio illius, nam essentia cognitionis in ista formali imagine, ac intentionali obiecti repræsentatione consistit; nec etiam potest explicari quænam formalis imago, ac repræsentatio obiecti sit illa; si cognitio obiecti non sit; ergo species impressa non est formalis imago, ac repræsentatio intentionalis obiecti. Confirmatur: ideo ad actum amoris prærequiritur formalis aliqua imago, ac repræsentatio obiecti, quia ad amandum bonum necesse est, quod præcedat cognitio boni, quæ quidem cognitio est formalis imago obiecti; atqui ad apprehendendum verum, non prærequiritur alia cognitio veri, quæ sola est formalis imago, ac repræsentatio obiecti; aliàs si ad apprehensionem requireretur alia cognitio, ad hanc cognitionem alia, & ad istam alia vsque in infinitum requireretur; ergo ad actum apprehensionis non est necesse præcedat aliqua formalis imago, ac repræsentatio obiecti; & tamen prærequiritur aliqua species impressa; ergo species impressa non est formalis imago, ac repræsentatio obiecti.

6 Opinantur aliqui speciem impressam esse naturalem repræsentationem, ac similitudinem obiecti, hoc est, esse eiusdem rationis cum ipso obiecto. Ita Arist. 2. de anima cap. 12. & ibidem D. Thomas, & 1. p. q. 12. art. 2. & 2. contra gent. cap. 98. & lib. 3. cap. 49. Caietanus 1. part. quæst. 55. Ferrara 2. contra gent. cap. 8. Bañes 1. part. quæst. 85. art. 2. Nazarius quæst. 12 art. 2. & quæst 27. art. 1. Ledesma de perfectionibus diuinis quæst. 4. artic. 4. Durandus in 2. distinct. 3. quæst. 6. num. 11. & in 4. distinct. 49. quæst. 3. num. 13. Ocham in 2. distinct. 16. & 18. Valles 2. controuers. cap. 28. Complut. disp. 18 de anima q. 3. & est communis inter Thomistas. Et ratio illorum est; quia quando sol irradians per vitrum rubeum interiectum illuminat parietem è regione positum, talis paries apparet rubeus, & tamen non est in ipso pariete, nisi tantùm species impressa ruboris vitri; ergo species impressa ruboris est etiam rubor, ac proinde est eiusdé rationis cum obiecto.

Sed oppositum videtur de mente Philosophi variis 7
in locis præcipuè 3. de anima cap 8. text. 38. iis verbis, *atque necesse est, res ipsas, aut formas in anima esse*; at non *sunt in ea res ipsæ profecto, non enim ipse lapis in anima, sed forma lapidis inest*, ex quibus verbis clarè infertur lapidem non esse in anima secundum esse reale, sed tantùm secundum esse intentionale; nam ait Philosophus, *necesse esse res ipsas, aut formas in anima esse*, sed res ipsæ esse non possunt; ergo species quas formas appellat, si enim res ipsæ possent esse in anima, numquam potuisset species; & cum in aliis locis affirmet, animam quodammodo esse ipsas res, intelligendus est in potentia, vel secundum esse intentionale, & intelligibile, nam intellectus intelligendo fit omnia, sed hoc esse intentionale, licèt réale sit vt condistinguitur contra ens per rationem fictam, non verò est reale physicum, vt condistinguitur contra ens naturale, quia non ordinatur ad dandum rebus esse naturale, sed esse repræsentatiuum, quod debilius est, & accedit ad esse per rationem, & supponit vt primum esse naturale rerum, neque enim physicè, & realiter, species leonis est leo, species lapidis est lapis, species Dei est Deus, & species chimeræ est chimera, aliàs in intellectu nostro, & Angelico essent simul de facto omnia ea corporea, quorum species in eis simul adseruantur, quod est ridiculum, sed tantùm intentionaliter eo, quod prædictæ species obiectum virtualiter, & effectiuè ad viuum exprimunt, & repræsentant, ad eum modum quo actus intellectus possunt dici eiusdem speciei intentionalis cum suo obiecto, eo quod illud formaliter referat, ac repræsentet, non tamen erit eiusdem speciei physicè, cum omnis creatus intellectus sit accidens qualitas spiritualis finita, &c. obiectum verò substantia quantitas corporeum infinitum, &c. ergo species impressa nullo modo potest esse eiusdem speciei, & perfectionis cum suo obiecto. Hanc sententiam tuentur plures Theologi, & Philosophi, & meo videri est de mente S. Thomæ quæst. 8. de veritate art. 11. ad 3. & in 4. distinct. 49. quæst. 2. art. 1. & 3. contra gent. 151. vbi distinguit esse reale ab esse intelligibili, Suarez tom. 3. summæ Theologiæ tract. 3. & lib. 3. de anima cap. 2. num. 20. & lib. 2. de attributis negatiuis cap. 12. Molina 1. part. disp. 2. q. 56. Fonseca, Torres de Trinit. quæst. 27. disp. 5. quæst. 1. Toletus lib. 2. de anima, tract. de speciebus, Franciscus Alphonsus disp. 7. de anima sect. 1. num. 8. Carleton disp. 16. de anima sect. 4. Arriaga disput. 4. de anima sect. 3. Hurtado disp. 12. de anima sect. 4. & alij multi recentiores.

Probatur primò, species substantiæ completæ, v.g. 8
cæli, non est substantia completa, cum ipsi potentiæ inhæreat, eamque determinet ad cognitionem sui obiecti, quæ inhæsio substantiæ completæ repugnat, & tamen obiectum talis speciei est substantia completa, vt supponimus; ergo species obiecti non est eiusdem rationis cum obiecto. Secundò, in eadem pupilla oculi sunt simul species albedinis, & species nigredinis cum simul albedo, & nigredo ab eodem oculo videantur, sed albedo, & nigredo non possunt esse simul in eadem pupilla oculi, quia sunt qualitates inter se contrariæ, & se mutuo ab eodem subiecto expellunt; ergo species albedinis non est albedo, nec species nigredinis est nigredo, ac proinde species non est eiusdem rationis cum obiecto. Tertiò, ipsos aduersarios redarguo; cum ipsi cognoscunt iumentum, habent intra se speciem impressam iumenti, inquiro, ergo an eo ipso intra se habeant formaliter aliquod iumentum? si ipsi negant, vt par est; colligitur euidenter speciem impressam iumenti non esse eiusdem rationis cum iumento; ac proinde speciem obiecti non esse eiusdem rationis cum obiecto; si autem affirment, non erit mirum, cum tali innitantur fundamento talem ipsis opinionem accidere.

9 Quartò, ſpecies albedinis repræſentat nobis albedinem, non vero alia albedo, nam per albedinem huius parietis quantumuis approximatam potentiæ non cognoſcimus albedinem illius, vt experientia conſtat; ergo ſpecies albedinis non eſt eiuſdem ſpeciei, cum albedine, nam albedo, & nigredo ex Philoſopho ſunt contraria, ſed ſpecies albedinis, & nigredinis, non ſunt contrariæ cum poſſint eſſe in eodem medio etiam in gradibus intenſis, contraria vero non poſſunt eſſe; ergo non ſunt eiuſdem ſpeciei. Confirmatur: ponamus, ſpecies albedinis, & nigredinis produci *in aëre*, quod non repugnat, ſed albedo, & nigredo non poſſunt in aëre produci, cum ſint ſecundæ qualitates reſultantes ex certo temperamento primarum qualitatum, quod in aëre non reperitur; ergo ſpecies albedinis, & nigredinis, non eſt ipſa albedo, & nigredo, aliàs in aëre, ſpeculo, & oculo, eſſent ſimul albedo, & nigredo, immo & omnes colores, qui incompoſſibiles ſunt in eodem ſubiecto, non vero horum ſpecies; ergo ſpecies non ſunt eiuſdem ſpeciei cum obiectis.

10 Sed obiiciat quis: ſpecies coloris videtur ſicut ipſe color (& idem eſt de reliquis ſpeciebus); ergo eſt eiuſdem ſpeciei cum colore. Conſequentia videtur bona: antecedens probatur triplici experientia; prima eſt, quia in ſpeculo è regione poſito video meipſum, & tamen ego non ſum in ſpeculo, ſed ſolum mea ſpecies; ergo videtur mea ſpecies: ſecunda quando lux per velum, ſeu vitrum rubeum tranſmittit in oppoſitum parietem, ipſe paries apparet ruber, quia in pariete nihil datur ratione cuius videri poſſit, niſi ſpecies ruboris; ergo ea videntur in pariete. Tertia, quando in obſcurum cubiculum ingrediuntur radij ſolares per vitrum artificioſe diſpoſitum per quod ingrediuntur etiam ſpecies auium, hominum, & aliorum quæ ex loco vbi vitrum eſt, videri poſſunt, ſi radius per vitrum ingrediens in papyro aliqua excipiatur, ea omnia quorum ſpecies in cubiculum ingrediuntur, videntur in papyro, ac ſi reuera in illa exiſterent; & tamen nihil eſt in papyro, ratione cuius videri poſſunt, niſi ſpecies; ergo videntur eorum ſpecies; ergo ſunt eiuſdem perfectionis cum coloribus, qui repræſentantur.

11 Ad obiecta Reſpondeo, & ad experientiam deſumptam ex ſpeculo, dico in eo non videri ſpeciem hominis, ſed ipſum hominem ſolum, & veram faciem hominis quaſi in ſpeculo exiſtentem, non quæ ibi exiſtat, ſed quæ repræſentatur, ac ſi ibi eſſet, quia mittit ſpeciem ad ſpeculum, quæ inde reflectens ad viſum hominem repræſentat, ac ſi in illo exiſteret, hæc enim eſt natura ſpeculi, vt ad eam partem repræſentet obiectum, à qua incipiunt produci, vel reflecti, & quia ex ſpeculo reflectuntur, ideo veram hominis faciem quaſi in ſpeculo exiſtentem repræſentat, non quia ibi ſit vera facies hominis, quia cum vnica ſit, non eſt in ſpeculo, ſed in ipſo homine, & ſolum erit repræſentatiue propter reflexionem ſpecierum quæ nunquam erunt eiuſdem phyſicæ perfectionis cum obiecto. Ad alias experientias Reſpondeo, ibi non videri ſpecies, nam ſpecies coloris rubri non ſunt formaliter rubræ, nec ſpecies nigredinis ſunt formaliter nigræ, aliàs cum tales ſpecies per aërem diffundantur, deberet totus aër eſſe ruber, niger, &c. quod eſt ridiculum, ſed in papyro videntur colores, in qua excipitur radius per vitrum ingrediens, quia ab ea incipit reflexio ſpecierum repræſentantium ea obiecta, quæ in ſuperficie corporis apparent, à quo reflectuntur ſpecies, quæ diuerſo modo fuerit in papyro, vitro, ſpeculo, & pariete, propter diſpoſitionem eorum, vt videri poteſt apud Arriagam, & Franciſcum Alphonſum locis ſupra allegatis.

12 Hinc iam ad eorum rationem dico, ſpecies rubri coloris, quæ per medium ſolis irradiatione per lucidum fortius ab obiecto mittuntur, reflecti in pariete, & ſic reflexas ad oculum peruenire, atque ideo colorem rubeum repræſentare, ac ſi eſſet in ipſo pariete, licet verè in illo non ſit, ſed eregione oppoſitus ipſi; ſicut quiſpiam in ſpeculo videt vultum à tergo ipſum exiſtentem, ac ſi eſſet à fronte in ipſo ſpeculo, non quia vultus in ipſo ſpeculo à fronte ſit, ſed quia ſpecies eius vultus, qui ſolum à tergo exiſtit, reflectuntur in ſpeculo, & ſic reflexæ ad oculum peruenium, & eum vultum repræſentant, ac ſi à fronte eſſet in ipſo ſpeculo.

13 Multi, maximè recentiores in ea ſunt ſententia, vt Valentin. de Herice 1. p. diſp. 40. cap. 6. n. 56. cum multis ab eo relatis, qui exiſtiment ſpeciem impreſſam eſſe qualitatem, ac formam illam, quæ vt ſemen, ac inſtrumentum obiecti potentiam cognoſcitiuam ex ſe ad varia obiecta indifferentem determinat ad cognitionem huius vel illius obiecti eliciendam ita, vt potentia cognoſcitiua cum ſpecie huius obiecti non valeat efficere cognitionem alterius, niſi tantum huius obiecti, & ſic de reliquis; & in hac ratione determinandi indifferentiam potentiæ, eſſentiam, ac munus ſpeciei impreſſæ formaliter conſiſtere, ita omnes communiter. Sed impugnantur: in intellectu dantur ſpecies impreſſæ, vt aduerſarij fatentur; & oſtendam diſp. 8. cap. 2. & tamen non dantur ad intellectum ſecundum ſe indifferentem determinandum, vt tale obiectum determinatum cognoſcat; ergo ratio formalis, ac munus ſpeciei impreſſæ non eſt determinare indifferentiam potentiæ ad tale particulare obiectum cognoſcendum. Conſequentia eſt euidens, maior tenet. Minorem autem ſic probo: intellectus ſecundum ſe ad diuerſa obiecta indifferens ſufficienter determinatur ad cognoſcendum tale, vel, tale determinatum obiectum per phantaſmata, & internam ſenſationem illius obiecti, quam debet neceſſario habere, vel ſupponere, vt quouis obiectum particulare cognoſcat, v.g. determinatur ſufficienter ad cognoſcendam albedinem per phantaſma, & ſenſationem internam ipſius albedinis, ſine qua albedinem non cognoſceret, & vt eſt cum illa non poteſt aliud cognoſcere niſi albedinem: ergo ſpecies talis obiecti ſcilicet albedinis, quæ ſuperuenit iam intellectus indifferentiam determinat ad cognoſcendum tale obiectum ſcilicet albedinem; ergo talis ſpecies non datur primario ad determinandam indifferentiam intellectus, alioquin otioſa eſſet.

14 Dicat autem quis primo non poſſe potentiam aliquam determinari ad efficiendum aliquem actum, ſeu effectum ſpiritualem per aliquid materiale ſicut per ſenſationem boni non poteſt voluntas determinari ad amandum ipſum bonum; cum ergo cognitio intellectus ſit ſpiritualis, & phantaſma, ac ſenſatio interna ipſius obiecti ſit materialis, non poteſt intellectus determinari per phantaſma, ac ſenſationem obiecti ad eiuſdem obiecti cognitionem; ac proinde ad talem determinationem intellectus danda eſt ſpecies intelligibilis ſpiritualis. Sed contra: ſpecies intelligibilis, quam tu ponis, eſt ſpiritualis; & tamen intellectus agens ex ſe indifferens ad varias ſpecies efficiendas determinatur per phantaſma, & ſenſationem materialem huius obiecti ad efficiendam hanc ſpeciem intelligibilem huius obiecti; ergo licet cognitio ſit ſpiritualis, poterit intellectus determinari ad cognitionem huius obiecti eliciendam per phantaſma, & ſentationem eiuſdem obiecti materialem. Amor autem magis ſtrictè pendet à cognitione, quam cognitio à tali determinatione obiecti, cum etiam in Deo eſſe non poſſit amor ſine præuia cognitione, & dari poteſt cognitio non præuia obiecti determinatione; & ideo magis debet proportionari amor cum cognitione, quam cognitio cum

obiecti

obiecti determinatione; & ideo ad spiritualem amorem non sufficit determinatio, & cognitio sensitiua, & materialis, licet hæc tantum sufficiat ad hoc vt intellectus eliciat cognitionem spiritualem.

15 Dicat secundò, cognitionem esse longe perfectiorem specie impressa, & ideo licet ad hãc sufficiat determinatio phantasmatis materialis, ad illam necessario requiri determinationem speciei spiritualis. Sed contra: cognitio intellectus quantumcumque perfecta solum habet, quod sit vitalis, quod sit repræsentatio obiecti, & quod sit spiritualis; sed non potest dici, quod non sufficiat determinatio phantasmatis ad cognitionem, quia ipsa sit actus vitalis præcisè, quia etiam species intelligibilis, quæ per se ad eam cognitionem sufficit, non est vitalis; phantasma vero est vitale; nec præcisè, quia est repræsentatio obiecti, phantasma enim melius repræsentat obiectum, quam species impressa; illud enim formaliter, & expresè; hæc verò impresse tantum, & virtualiter obiectum repræsentat; nec præcisè, quia est spiritualis, nam etiam species intellectus est spiritualis, & sufficit ad illam determinatio phantasmatis materialis; ergo sufficit ad cognitionem intellectus determinatio phantasmatis materialis. Vrgeo: quando intellectus habet octo, verbi gratia, species octo obiectorum scilicet albedinis, nigredinis, ac aliorum colorum, non determinatur, quoad exercitium ad videndos omnes illos colores, sed tantum ad eliciendam cognitionem, verbi gratia, albedinis, scilicet quia non videt tunc alios colores nisi solam albedinem; ergo per sensationem albedinis determinatur, quoad exercitium intellectus ad cognoscendam ipsam albedinem, igitur iam ad eliciendam cognitionem spiritualem sufficit determinatio phantasmatis materialis.

16 Dicat tertiò, speciem intelligibilem non fieri ab intellectu, sed à Deo operante vice obiecti; Deus autem non determinatur per phantasma, sed per suam voluntatem; atque ideo phantasma, ac sensationem internam materialem non determinare, nec ad eliciendam cognitionem, nec ad efficiendam speciem intelligibilem spiritualem. Sed contra: ideo in communi sententia asserente species fieri ab intellectu, determinatur intellectus per internam obiecti sensationem ad efficiendam speciem intelligibilem talis obiecti, quia posita in anima tali sensatione interna obiecti manet anima quasi applicata, ac dispositа ad tale obiectum intelligendum, atque ita petit, quod intellectus efficiat speciem intelligibilem, qua possit intelligere illud; atqui etiam in ista sententia asserente speciem intelligibilem fieri à Deo operante loco obiecti, posita sensatione interna talis obiecti anima est dispositа, & applicata ad intelligendum illud obiectum, atque ita petit, quod Deus vice obiecti efficiat in illa speciem intelligibilem; ergo Deus etiam in tali sententia determinat ad efficiendam hanc speciem intelligibilem per sensationem internam ipsius obiecti. Confirmantur: ideo Deus igne applicato determinatur per illum ad concurrendum, & efficiendum ignem, quia tali igne generante applicato debet naturaliter Deus efficere cum ipso alium ignem, sed posita sensatione interna alicuius obiecti in anima debet naturaliter Deus efficere in ipsa speciem intelligibilem talis obiecti, cum hæc species iam illi naturaliter debeatur, sicut igni applicato, debetur Dei concursus ad alium ignem; ergo Deus determinatur per sensationem obiecti ad efficiendam speciem intelligibilem illius.

17 Confirmatur principalis huius sententiæ impugnatio: intellectus secundum se est omnino determinatus ad intelligendum vt sic præcisè, atque ita ad id non requirit, quod ab alio determinetur; & tamen vt intellectus eliciat cognitionem, & cognoscat vt sic præcisè, requiritur necessario species intelligibilis; ergo formalis ratio, ac munus speciei intelligibilis non est determinare intellectum. Consequentia est euidens cum maiori. Minorem autem sic probo: quando in aliquo effectu relucet aliqua formalitas, quæ non isti causæ, sed illi causæ formaliter correspondet, causa ista non potest talem effectum efficere sine illa v.g. quia in visione Dei est supernaturalitas, quæ non correspondet intellectui, sed lumini gloriæ, non potest intellectus efficere visionem Dei sine lumine gloriæ; sed in intellectione obiecti vt sic formaliter, ac præcisè est quædam formalitas scilicet obiecti repræsentatio, quæ non correspondet formaliter intellectui, sed tantum speciei intelligibili; hæc enim, & non intellectus est repræsentatio obiecti; ergo intellectus non potest elicere intellectionem vt sic præcisè sine specie intelligibili; ergo ad intelligendum vt sic præcisè requiritur etiam species intelligibilis.

Vrgeo principaliter: intellectus beati per lumen 18
gloriæ, quo videt v.g. in Deo creaturas, est determinatus ad videndum solum Deum, & illas quatuor creaturas in illo: (nam si non implicat dari tale lumen gloriæ, quod solum determinatè respiciat Deum & in illo prædictas quatuor creaturas, connaturalius est dari de facto lumẽ istud in Beato, qui non alias, nisi quatuor illas creaturas in Deo visurus est; tale autem lumen gloriæ non implicare ostendam infrà disp. 9. cap. 2.) ac proinde intellectus Beati isto lumine gloriæ illustratus determinatus est omnino ad videndum Deum, & illas quatuor creaturas in ipso Deo; & tamen iuxta communem sententiam etiam essentia diuina concurrit per modum speciei cum intellectu illustrato ad illam visionem Dei, & quatuor creaturas in ipso Deo, ergo propria ratio, ac munus speciei intelligibilis non est determinare intellectum ad cognitionem Dei. Aliqua etiam de specie impressa diximus in log. disp 5. cap. 3. & disp. 36. cap. 5.

CAPVT II.

Ratio formalis, ac munus speciei impressæ declaratur, ac defenditur.

PRæmitto cognitionem obiecti per se causari non solum à potentia vitali, sed etiam ab ipso obiecto, scilicet, vel per se ipsum immediate, vel media virtute, ac semine ipsius obiecti. Est expressa sententia D. Augustin. 11. de Trinitate cap. 2 quam omnis etiam schola communiter amplexatur, sæpè repetens illud August. proloquium: (*ex obiecto, & potentia paritur notitia.*) Probatur: quando in aliquo effectu duæ formalitates relucent, quæ non vni tantum causæ, sed duabus causis formaliter correspondent, effectus ille non ab vna tantum causa, sed ab vtraque naturaliter causatur: atqui in obiecti cognitione sunt duæ formalitates, scilicet vitalitas quæ correspondet formaliter potentiæ vitali, & repræsentatio obiecti, quæ correspondet formaliter, non potentiæ, sed ipsi obiecto; ergo obiecti cognitio naturaliter causatur non tantùm à potentia vitali, sed etiam ab ipso obiecto. Porro vitalitatem cognitionis correspondere formaliter potentiæ vitali, non est qui ambigat. At vero formalem repræsentationem, similitudinem, ac imaginem obiecti, quæ in cognitione relucet, correspondere formaliter ipsi obiecto, sic monstratur: imago, ac similitudo formalis alicuius rei debet naturaliter prouenire, vel ab ipsa re, vel à semine, & virtute illius, vt in naturalibus accidit, & statim explicabimus, sed potentia vitalis non est reipsa, eius imago, & similitudo & cognitio, sed hoc competit soli obiecto, nec etiam ipsa potentia est semen, aut virtus obiecti, quod per talem cognitionem repræ

repræsentatur; ergo formalis repræsentatio, imago, ac similitudo obiecti, quæ in cognitione relucet, non correspondet formaliter potentiæ vitali, sed tantum ipsi obiecto. Confirmo: licet mater in naturalibus habeat in se tantam, & maiorem perfectionem, quam filius genitus, non potest illum se sola physicè causare, nisi etiam Pater cum illa ad eum effectum concurrat, ideo præcisè, quia non solum est in filio formalitas aliqua, quæ ipsi matri formaliter correspondeat, sed etiam est formalis imago, ac similitudo Patris, ipsi Patri formaliter correspondens: atqui in cognitione, quæ est quidam potentiæ fœtus, non solum est vitalitas, quæ potentiæ correspondeat, sed etiam in illo elucet formalis imago, ac similitudo obiecti, ipsi obiecto formaliter correspondens; ergo licet potentia vitalis habeat in se tantam, & maiorem perfectionem, quam cognitio obiecti, non poterit se sola causare obiecti cognitionem absque eo, quod concurrat cum illa obiectum.

20 Assertio ergo sit; species impressa est quædam virtus, & qualitas vicaria obiecti, eius vice complens physicè potentiam in ratione principij proximi, & cum ea etiam concurrens ad ipsius obiecti cognitionem efficiendam. Ita expressè Aristotel. lib. de mem. cap. 1. & 3. de anima cap. 8. text. 38. Ægidius Lusitanus tom. 2. lib. 8. q. 5. art. 1 pluribus pro se adductis. Suarez lib. 12. de attributis cap. 12. num. 11. & in 3. part. disp. 24. sect. 2. Fonseca 6. metaph. cap. 1. q. 2. sect. 2. Molina 1. q. 55. art. 55. art. 2. disp. 1. & q. 56. art. 1. disp. 1. & 2. cui sententiæ suffragatur D. Thomas 1. p. q. 12 artic. 2. q. 56 art. 1. 1. contra gent. cap. 51. & quodlibet. 7. art. 1. Caiet. 1. p. q. 79. art.... Herice 1. p. disp. 40. cap. 6. n. 59. & 60. D. Augustin. supra de ciuitate Dei, & lib. 12 de Genes. ad literam cap. 23. Franciscus Alphonsus disp. 7. de anima sect. 1. Carleton disp. 16. de anima section. 3. & 4. Arriaga disp. 4. de anima sect. 3. Hurtado disp. 12. de anima sect. 1. & 2. Complutenses disp. 18. de anima q. 1. & 2. & est communis inter recentiores. Probatur ad hoc, vt potentia eliciat cognitionem obiecti, requiritur, quod ipsum obiectum, vel immediatè, vel saltem mediatè compleat ipsam potentiam in ratione principij proximi, & cum ea ad sui cognitionem concurrat, nam cognitio obiecti debet etiam necessario ab ipso obiecto emanare, vt ostendi n. 14. sed obiectum sæpè non potest per seipsum complere potentiam, & cum illa concurrere ad sui cognitionem, quia sæpè est ab ipsa potentia distans & improportionatum, aut alia ratione non applicatum cum illa; ergo debet id naturaliter exhibere media aliqua virtute & qualitate vicaria illius, quæ vice, & nomine ipsius obiecti potentiam physicè compleat in ratione principij proximi, & cum illa etiam currat ad cognitionem talis obiecti: atqui hæc virtus obiecti, quæ eius nomine cum potentia concurrit species impressa à Philosophis appellatur; ergo species impressa est virtus, & qualitas vicaria obiecti, quæ vice, ac nomine ipsius obiecti potentiam physicè complet in ratione principij proximi, & cum illa concurrit ad obiecti cognitionem efficiendam. Vnde effectus primarius, & principale munus speciei impressæ est solum complere potentiam in ratione principij proximi respectu cognitionis; determinare verò illam ad cognitionem talis obiecti, vel non competit speciei, vel ad summum est tantum effectus illius secundarius, si potentiam indifferentem inueniat; sicut effectus primarius gratiæ non est expellere peccatum, sed tantum hoc est effectus secundarius illius, scilicet cùm gratia inuenit animam peccato infectam.

21 Obiiciat autem quis: omnis formalitas etiam formalis imago, & repræsentatio obiecti, quæ est in visione sensitiua coloris, correspondet formaliter potentiæ visiuæ secundum se præcisè; ergo potentia visiua secundum se est completum principium respectu talis visionis obiecti; ergo propria ratio, & munus speciei impressæ coloris, quæ est in potentia visiua, non est complere ipsam potentiam in ratione principij respectu visionis talis coloris obiecti. Vtraque consequentia est euidens, antecedens sic probatur: visio obiecti sub ratione visionis obiecti correspondet potentiæ visiuæ, quæ quatenus visiua formaliter est determinata ad visionem coloris obiecti; sed visio obiecti sub ratione visionis obiecti est formalis illius imago, ac repræsentatio, hac enim ratione imaginis, & repræsentationis præcisa non remanet ratio visionis obiecti: ergo visio etiam sub ratione imaginis, ac repræsentationis obiecti correspondet formaliter potentiæ visiuæ, ac proinde omnes visionis formalitas ipsi potentiæ formaliter correspondet.

Respondeo in visione coloris duas esse formalitates. 22
Prima est talis sensitiua tendentia actualis, & vitalis ad colorem, quæ licèt vt sic præcisè non sit formaliter expressa imago, ac repræsentatio coloris, est tamen reuera identificata cum illa, atque ita hæc formalitas vt sic præcisè non est proximè, & formaliter visio coloris, sed tantùm remotè, & radicaliter. Secunda formalitas est clara, & expressa imago, ac repræsentatio coloris, cum qua si prima illa formalitas adiungatur, erit iam visio coloris proximè, & formaliter. Similiter potentia visiua secundum se non est repræsentatio coloris, petit tamen habere speciem impressam coloris, quæ est repræsentatio illius, atque ita potentia illa secundum se præcisè non est visiua proximè, & formaliter, sed tantùm remotè, & radicaliter, quatenus petit speciem, ac repræsentationem ipsam coloris, per quam sit visiua coloris proximè, & formaliter. Hoc ergo posito, illa prima formalitas visionis, scilicet hæc sensitiua tendentia, actualis, ac vitalis ad colorem, quæ vt sic præcisè est tantùm visio coloris remotè, & radicaliter, correspondet formaliter potentiæ visiuæ secundum se, quæ vt sic etiam est tantùm visiua remotè, & radicaliter; illa autem secunda formalitas visionis, scilicet clara, & expressa imago, ac repræsentatio coloris, per quam illa prima formalitas habet esse visionem coloris proximè, & formaliter, non tribuitur potentiæ visiuæ secundum se præcisè, vt sic enim non est visiua formaliter, & proximè, sed correspondet speciei impressæ coloris, per quam habet talis potentia esse visiuam proximè, & formaliter. Vnde iam perspicuè constat non omnes formalitates visionis coloris correspondere formaliter potentiæ visiuæ secundum se absque specie, atque ita potentiam visiuam secundum se præcisè non esse principium proximum visionis, sed ad id compleri necessariò per speciem, ac proinde hoc esse munus proprium speciei.

Sed vrgeat: potentia visiua secundum se est proximè, formaliter, & adæquatè visiua; ergo visio coloris secundum vtramque illam formalitatem, per quas habet esse visio coloris proximè, formaliter, & adæquatè, correspondet formaliter potentiæ visiuæ præcisè secundum se. Consequentia est euidens. Antecedens sic probatur: Species coloris secundum se non est visiua, vt per se constat; ergo tota, & adæquata ratio visiua coloris residet in sola potentia; ergo potentia secundum se est proximè, & adæquatè visiua. Respondeo, speciem coloris non esse visiuam *vt quod*, quia non est absolutè apta colorem videre, esse tamen visiuam *vt quo*, quia est ratio, per quam formaliter redditur potentia proximè, & adæquatè apta ad videndum colorem; sicut visio ipsa coloris non est visa *vt quod*, quia absolutè à potentia sensitiua non videtur, est tamen visa *vt quo* quia est ratio, per quam formaliter color est visus; ac proinde potentia illa secundum se sine specie non est proximè, & formaliter visiua, nec visio secundum vtramque formalitatem 23

malitatem

malitatem ſecundum quam eſt viſio proximè, illi formaliter correſpondet.

24 Verum inſtet: cognitio, qua quis in eſſentia aliqua cognita cognoſcit eius paſſionem, eſt etiam formalis imago, ac repræſentatio paſſionis; & tamen non oritur ex ſpecie paſſionis, ſed tantum ex ſpecie impreſſa eſſentiæ; ergo licet viſio coloris ſit formalis imago, & repræſentatio ipſius coloris, ob id non debet neceſſario prodire ex ſpecie coloris, ſed talis repræſentatio poterit tribui, & correſpondere ſoli potentiæ. Reſpondeo, in prædicto caſu cognitionem illam eſſe primario, & directè repræſentationem, & imaginem eſſentiæ tamquam obiecti formalis, ſecundariò verò, & indirectè eſſe imaginem, & repræſentationem formalem illius paſſionis tamquam obiecti materialis, quod eſt connexum cum illo formali; ac proinde debere talem cognitionem egredi ex quadam ſpecie impreſſa, quæ primario, & directè ſit virtualis repræſentatio eſſentiæ, quia vice illius, & vt propria eius virtus concurrit ad ipſius primariam cognitionem, & etiam ſecundario, & indirectè ſit virtualis repræſentatio paſſionis, quia ad eius ſecundariam, & indirectam cognitionem concurrit, tamquam virtus propria, & vicaria illius eſſentiæ, ac obiecti formalis, quod habet connexionem neceſſariam cum illa paſſione, ac obiecto materiali: cum autem viſio coloris ſit directè, & primario imago, ac repræſentatio formalis ipſius coloris, quia illud repræſentat vt obiectum formale, ideo debet talis viſio oriri ab ſpecie impreſſa, quæ ſit primario repræſentatio coloris virtualis.

25 Poſtremo inſurgat: potentia viſiua ſecundum ſe etiam eſt virtualis repræſentatio coloris; ergo repræſentatio coloris, quæ in eius cognitione relucet, poteſt formaliter tribui, & correſpondere ipſi potentiæ viſiuæ ſecundum ſe præciſa ſpecie; ergo potentia viſiua eſt principium proximum, & completum viſionis etiam ſub ratione repræſentationis coloris, ac proinde ſpecies impreſſa non requiretur ad complendam illam potentiam in tali ratione principij, ſed ad exercendum aliud munus. Antecedens probatur: ideo ſpecies impreſſa coloris dicitur virtualis repræſentatio coloris, quia habet virtutem vt producat eius viſionem, & repræſentationem formalem; ſed etiam potentia viſiua habet virtutem vt producat viſionem, & repræſentationem formalem coloris; ergo potentia viſiua eſt etiam virtualis repræſentatio coloris. Reſpondeo, ſpeciem ipſam obiecti v. g. coloris non ideo præcisè eſſe virtualem repræſentationem illius, quia habeat in ſe virtutem ad efficiendam eius viſionem, & repræſentationem formalem, ſed quia eſt virtus, & qualitas vicaria ipſius coloris, quæ eius vice, & nomine efficit eius viſionem, quæ eſt formalis repræſentatio illius; cum autem potentia viſiua, licet habeat virtutem ad efficiendam per modum potentiæ talem viſionem, & repræſentationem coloris, non ſit tamen virtus, & qualitas vicaria illius, quæ vice talis coloris, eius formalem viſionem, ac repræſentationem efficiat, ideo potentia viſiua non eſt virtualis repræſentatio coloris.

26 Hic autem ſummopere obſerua, ad rationem ſpeciei impreſſæ, quæ vice obiecti ad eius cognitionem concurrat, non ſufficere, quod ſit qualitas agens eam obiecti cognitionem, quam obiectum ipſum, ſi poſſet, acturum erat, ſed inſuper neceſſario requiri, quod ſit qualitas natura ſua ordinata ad reddendum obiectum proximè intelligibile in ratione obiecti, hoc eſt, proxime aptum complere potentiam, & concurrere cum illa ad ſui cognitionem. Probatur: ſpecies impreſſa eſt illa, per quam tamquam per proprium ipſius ſemen, ac virtutem obiectum complet potentiam, & cum illa ad ſui cognitionem concurrit, vt omnes communiter fatentur; ſed ad hoc vt obiectum per ſpeciem tanquam per proprium ipſius ſemen, ac virtutem ad ſui cognitionem concurrat, non ſufficit, quod ſpecies illa ſit præcisè qualitas agens eam obiecti cognitionem, quam ipſum obiectum acturum erat, ſed requiritur etiam, quod ſit qualitas natura ſua ordinata ad reddendum obiectum proximè aptum concurrere, ergo ad rationem ſpeciei impreſſæ non ſufficit, quod ſit qualitas agens eam obiecti cognitionem, quam ipſum obiectum erat acturum, ſed etiam requiritur, quod ſit qualitas naturaliter ordinata ad reddendum illud proximè aptum concurrere. Minor probatur: ſi cum calor ignis eſt applicatus, vt in paſſo alium calorem producat, Deus ſubſtrahat illi ſuum concurſum, & det talem concurſum luci, vt eum calorem efficiat, tunc lux efficiet calorem, quem alter calor vt cauſa magis vniuoca naturaliter acturus erat; & tamen ille calor non ageret alium calorem per lucem illam, tanquam per proprium ipſiuſmet caloris ſemen, ac virtutem, vt per ſe conſtat, non alia ratione, niſi quia lux non eſt qualitas naturaliter ordinata ad reddendum calorem illum proximè aptum ad alium calorem concurrere; ergo etiam vt obiectum per ſpeciem tanquam per proprium ipſius ſemen, ac virtutem compleat potentiam, & concurrat cum illa ad ſui cognitionem, non ſufficit, quod ſpecies illa ſit qualitas agens eam obiecti cognitionem, quam ipſum obiectum acturum erat, ſed inſuper neceſſario requiritur, quod ſit qualitas naturaliter ordinata ad reddendum obiectum proximè intelligibile in ratione obiecti, hoc eſt proxime aptum complere potentiam, & cum illa concurrere ad ſui cognitionem. Quod quidem ad plura infra deducenda præ oculis habendum eſt.

CAPVT III.

An ſpecies effectiuè, an ſolùm formaliter ad obiecti cognitionem concurrat?

27 NOnnulli opinati ſunt ſpeciem impreſſam non concurrere ad cognitionem obiecti in genere cauſæ efficientis phyſicæ in illam influendo, ſed tantum in genere cauſæ formalis, ſcilicet potentiæ inherendo, & ipſam ad obiecti cognitionem formaliter diſponendo, ac determinando, ſicut enim apprehenſio formaliter per ſe ipſam diſponit, ac determinat ad iudicium, & cognitio boni excitat etiam formaliter ad amorem non aliter, quam obiectum repræſentando; ita ſimiliter ſpecies, cum etiam obiectum ſaltem virtualiter repræſentet, per ſe ipſam formaliter diſponit, & determinat potentiam ad obiecti cognitionem. Ita Cardin. Toletus hic lib. 2. q. 12. concluſ. 4. & q. 33. concl. 3. quod etiam reputant probabile Conimbricenſes ibi c. 6. q. 2. art. 3. in principio. Iauellus 3. de anima q. 3. Franciſcus Alphonſus diſp. 7. de anima ſect. 1. quibus alij recentiores acquieſcunt.

28 ASSERTIO tamen ſit: ſpecies impreſſa in genere cauſæ efficientis concurrit ad cognitionem obiecti ita expreſsè D. Thomas 1. q. 56. art. 1. in corpore, vbi ait; *quod ſicut calor eſt principium calefactionis, ita ſpecies eſt principium viſionis:* quem ſequuntur alij relati à Conimbricenſibus vbi ſupra, & ipſi hanc ſententiam vt multo probabiliorem eligunt, quam etiam expreſsè tenent Molina 2. p. quæſt. 55. artic. 2. diſput. 2. §. *ſententia hæc*, & omnis ſchola communiter. Fonſeca 1. metaph. cap. 2. quæſt. 3. ſect. 6. Conimbricenſ. 2. de anima cap. 6. q. 2. art. 3. Suarez lib. 2. de attributis negatiuis cap. 12. Vaſquez ibidem diſp. 48. cap. 4. citatis multis ex Thomiſtis, Ægidius de Præſent. q. 3. art. 4. P. Hurtado diſp. 12. de anima ſect. 4. Arriaga diſp. 4. de anima ſect. 3. & 8. ſubſect. 6. Complutenſ. diſp. 18. de anima quæſt. 5.

Gonzalez

Gonzalez 1.p.q.12.art.2.disp.25. sect.5. Cursus Carmelitar.tom.2.de scientia Dei disp. 2. Herice disp.40. cap.6.num.53.Carleton disp.16.de anima sect.4.n.11. & est communis inter Thomistas, quæ sententia originem duxit ex Arist.2. de anima c.12.text.111.& 124. & 3. de anima c.4.in quibus manifestè ostédit speciem impressam actiuè influere in actum visionis, nam loquens de facultatibus sentiendi dixit, *recipere formas sine materia, videlicet species per quas potentiæ formaliter non fiunt sensibilia in esse sensitiuo, sensibilia autem sunt actiua operationis sensitiuæ media specie impressa:* ergo illa cum potentia concurrit in genere efficientis ad visionem.

29 Probant primo aliqui hanc assertionem ex eo, quod in cognitione huius obiecti dantur duæ formalitates, nempè, quod sit cognitio, & quod sit cognitio talis obiecti, prima formalitas correspondet potentiæ, quia hæc ex se est determinata ad producendam cognitionem: secunda non potest respondere potentiæ, cum ex se sit indifferens ad cognitionem huius, vel illius obiecti; ergo debet assignari alia concausa se habens ex parte talis obiecti, cui talis formalitas respondeat, hæc non potest esse, nisi species; ergo effectiuè concurrit ad cognitionem; sed hæc ratio instatur in intellectu, qui ex natura sua indifferens est ad cognitionem huius, vel illius obiecti, sicut voluntas ad amorem huius, vel illius obiecti, & tamen voluntas non determinatur per aliud comprincipium, sed solum per cognitionem, tanquam per conditionem applicantem: ergo intellectus vt determinetur circa hoc, vel illud obiectum, non indiget specie tanquam comprincipio ad producendum cognitionem, sed tanquam conditione applicante illi obiectum.

30 Probant alij secundo: ideo speciem efficienter concurrere ad cognitionem obiecti, quia potentia cognoscitiua non continet omnes formalitates obiecti, quia intellectus non continet primas qualitates, colores, & elementa, ergo debet adiuuari ab alia concausa, in qua tamquam in semine contineantur, hæc est species, quæ in se continet formalitatem repræsentationis, cum intellectui hoc non conueniat, nisi perfuso ipsa specie, signum ergo euidens est speciem effectiuè concurrere ad obiecti cognitionem. Sed nec hæc ratio sibi constat, non enim necessario requiritur vt formalitas illa repræsentationis obiecti contineatur effectiuè in specie, sed sufficit, quod intentionaliter, seu repræsentatiue contineatur, cognitio enim diuina repræsentat malitiam peccati, & tamen illam non continet, ergo vt repræsentet obiectum, non est necessarium, vt vel illud contineat, vel iuuetur ab ipso obiecto, vel eius specie. Tertio probatur: nam ex Arist. colligitur, species esse formas sine materia, sed id, quod se habet per modum formæ in aliquo ordine, influit actiuè in eius operationem: ergo species influit actiuè in cognitionem obiecti. Minor probatur à paritate rationis, eo enim præcisè, quod forma substantialis ignis, aut aquæ, sunt actus, & formæ horum entium naturalium, sunt principia actiua actionum, seu effectuum, qui à prædictis formis procedunt, sed etiam species sunt principia actiua cognitionum, quæ à potentia cum specie procedunt; ergo etiam actiue concurrent.

31 Quarto probatur argumento Theologico, quando in aliquo effectu est duplex formalitas, quæ non vni tantum causæ, sed duplici causæ formaliter correspondet, debet necessariò talis effectus, non ab vna tantum causa, sed ab vtraque effici, v.g. quia in visione Dei est duplex formalitas, scilicet vitalitas, & supernaturalitas actus, quæ non soli lumini gloriæ, nec soli intellectui sed vtrique formaliter correspondẽt, debet necessario talis visio, non à solo lumine gloriæ, nec à solo intellectu, sed ab vtroque effectiue causari: atqui in visione coloris est duplex formalitas, scilicet vitalitas actus, & repræsentatio obiecti, quarum prima soli potentiæ, secunda vero non potentiæ visiuæ, sed soli speciei impressæ illius obiecti formaliter correspondet, species enim, & non potentia est repræsentatio obiecti, vt supra cap.2 monstrauimus; ergo talis visio debet necessario effici non solum à potentia visiua, sed etiam ab specie impressa obiecti.

Obiiciat aliquis: species impressa vt sic formaliter determinat potentiam ad actionem, qua producitur cognitio obiecti; ergo prius natura est species ista determinans potentiam, quam sit actio productiua cognitionis; atqui in illo priori ante actionem species non potest determinare potentiam in genere causæ efficientis, non enim potest concipi efficere ante actionem & effectionem; ergo in illo priori, in quo species suum munus exercet, solum determinat potentiam in genere causæ formalis informando ipsam potentiam; ergo munus speciei impressæ non est concurrere effectiuè, sed formaliter cum potentia. 32

Respondeo, proprium speciei impressæ munus esse in quodam priori naturæ, ante actionem, & productionem visionis complere potentiam in ratione principij proximi, & totalis respectu talis visionis; ad quod non necessario requiritur, quod species formaliter ipsi potentiæ inhæreat, (licet id de facto habeat ob rationem accidentis,) sed sufficit, quod illi intimè assistat tamquam principium quoddam effectiuum partiale, quod potentia petit naturaliter, vt cum illo tamquam cum altero comprincipio effectiuo etiam partiali, vnũ principium visionis obiecti effectiuum proximum, atque completum constituat, quod quidem in tali priori præstat species impressa formaliter, non informando necessario potentiam, vt iam aduerti, sed formaliter per se ipsam cum potentia componendo vnum principium effectiuum proximum, & totale visionis. Vnde quemadmodum, quia causa prima intimè assistens causæ secundæ componit formaliter cum illa vnũ principium effectiuum proximum, & completum effectus creati, non potest talis effectus creatus produci à causa secunda quin etiam necessario efficiatur à causa prima; ita similiter, quia species impressa intimè assistens potentiæ componit formaliter cum illa vnum principium effectiuum proximum, atque completum visionis, non potest visio effici à potentia, quin etiam efficiatur necessario ab ipsa specie impressa: ac proinde licet in illo priori ante actionem species se habeat formaliter respectu potentiæ, seu principij effectiui totalis illud formaliter componendo, inde tamen euidenter infertur, quod in posteriori, in quo est actio, etiam species cum potentia efficiat obiecti visionem. 33

Hinc colligo primò, obiectum etiam per se subsistens, si sit intimè applicatum potentiæ, & aliunde non sit improportionatum, posse cum potentia concurrere, & exercere idem munus, quod exercet species. Probatur species impressa vt sic formaliter solum necessario habet complere potentiam per intimam assistentiam in ratione principij proximi effectiui, & cum illa simul efficere visionem: atqui si obiectum per se subsistens sit intimè applicatum potentiæ, nihil vetat, quod per se ipsum per intimam assistentiam compleat potentiam, & cum illa effectiuè concurrat ad sui visionem, sicut causa prima perfectè subsistens per intimam assistentiam complet in ratione principij causam secundam, & cum illa concurrit ad effectum creatum; ergo obiectum subsistens intimè applicatum potentiæ poterit cum illa concurrere, & exercere idem munus, quod exercet species, maximè si obiectum sit idem cum ipsa potentia, vt cum Angelus v.g. cognoscit se ipsum, tunc enim Angelus per se ipsum tanquam obiectum poterit esse determinatus, atque completus formaliter in ratione principij ad eliciendam 34

dam rei viſionem; ſicut ignis per ſe ipſum eſt formaliter completus, & determinatus ad ignefactionem.

Colligo ſecundo contra Franciſ. Alphonſ. ſupra n. 33. & 36. ſpeciem impreſſam non eſſe conditionem applicantem obiectum potentiæ, nam conditio ex conceptu ſuo nullam exercet virtutem, ſpecies autem impreſſa eſt virtus partialis obiecti, media qua potentia elicit actū, nam ſpecies concurrit quaſi faciendo præſentem potentiæ obiecti eſſentiam, vt eam poſſit per cognitionem explicare, quod munus excedit vires puræ conditionis applicantis obiectum potentiæ. Colligo tertio minus propriè ſpecié vocari poſſe cauſam moralem, quaſi moraliter influentem in cognitionem obiecti, nam cauſa moralis eſt illa, quæ multoties ſine ſui exiſtentia operatur effectum in quo finali aſſimilatur, & vtraque ad genus cauſæ efficientis pertinet, vt in Phyſicis diximus, vel cui in prudentū exiſtimatione tribuitur effectus, vt patet exemplo combuſtionis domus, quæ tribuitur applicanti ignem, & occiſio Ioannis, Petro illam ſuadenti, atqui ſpecies non concurrit hoc modo, ſed vice obiecti in potentia exiſtens, & illam complens, & conſtituens verè, & realiter completum principium ſuarum operationum; ergo ſicut ſi obiectum eſſet ſufficienter approximatum potentiæ effectiuè efficeret actum, ita ſpecies, quæ illi ſubrogatur effectiuè concurrit.

35

DISPVTATIO VIII.

In quibus potentiis, & ad quos actus dentur ſpecies impreſſæ.

TRIA capita continebit. In primo inquiro, an in ſenſibus externis, & externis ſpecies impreſſæ ſint? In ſecundo an etiam in intellectu ſpecies impreſſæ debeant neceſſariò admitti? In tertio ad quoſnam actus ſpecies neceſſariò requirantur.

CAPVT I.

An in ſenſibus externis, & internis ſpecies impreſſæ ſint.

1 IN hac re tres adinuenio principaliores ſententias. prima ſententia eſt in ſenſibus, tam externis, quam internis non dari ſpecies impreſſas, ſed quouis obiecto poſito potentiam ſenſitiuam per ſe ipſam præcisè determinari proximè, & completè ad ſenſationem illius. Ita Durand. Ochanus, Gabriel, Greg. & alij relati à Conimb. hic lib. 2. cap. 6. q. 2. art. 4. Galenus 7. de placitis, Plotinus, & quidam Platonici, vt refert Tolet 2. de anima q. 35. Secunda ſententia eſt in ſenſibus externis, & internis concedendas eſſe ſpecies impreſſas, quibus potentiæ ſenſitiuæ compleantur, vel determinentur ad ſenſationes eliciendas. Ita D. Anſelm. D. Damaſcenus D. Thomas, Scotus, & eius aſſeclæ, quos referunt, & ſequuntur Conimb. vbi ſupra art. 2. quibus acquieſcit P. Molin. 1. p. q. 55. art. 2. diſp. 1. §. contraria ſententia. Suarez lib. 3. de anima cap. 18. Complutenſ. diſp. 18. q. 1. Ariſt. 3. de anima cap 5. & ibidem etiam D. Thomas, & pluribus in aliis locis. Capreolus in 2. diſt. 3. q. 1. art. 2. Hurtado diſp. 12. de anima ſect. 1. Arriaga diſp. 4. de anima ſect. 1. Carleton diſp 14. 15. & 16. de anima ſect. 1. & ſecunda, Franciſcus Alphonſus Ioann. à S. Thoma q. 8. de anima art. 4. & communiter Theologi, & Philoſophi. Tertia ſententia eſt dari ſpecies intentionales in ſenſibus internis, & in quibuſdam externis, non vero in omnibus, nam quidam dicunt, non eſſe ſpecies in tactu. Ita Toletus hic l. 3. q. 2. concl. 4. Alij cenſent non dari ſpecies in tactu, nec etiam in guſtu. Ita Valleſ. 2. controu. cap. 29. Alij dicunt ſpecies impreſſas non dari nec in tactu, nec in guſtu, nec etiam in olfactu, in reliquis vero ſenſibus eſſe concedendas. Ita Recentiores ingenioſi, quibus ſubſcribo.

Præmitto ſpeciem impreſſam propriè dictam alicuius obiecti non dari, quando obiectum ipſum eſt intimè præſens potentiæ, & proportionatum cum illa. Ita expreſsè D. Thomas 1. p. q. 56. art. 1. in corp. P. Molina 1. p. q 55. art. 2. diſp. 1. §. contraria ſententia, P. Suarez 2. metaph. diſp. 35 ſect. 4. n. 18. Curſus Carmelitarum de ſcientia Dei diſp. 2. Hurtado, Carleton, Arriaga, Franciſcus Alphonſus, & Recentiores communiter. Probatur quando principale eſt præſens, & aptum proximè per ſe ipſum proprium munus exhibere, ex natura rei non ſubrogatur aliud pro illo ad id munus exhibendum, non enim eſt ſubſtitutum, niſi quando datur ineptitudo, improportio, aut abſentia principalis, alias ſubſtitutio eſſet omnino inutilis, & otioſa, quod natura non permittit; ſed ſpecies impreſſa obiecti eſt quædam vicaria qualitas ſubrogata, & ſubſtituta pro obiecto ad complendam potentiam, & concurrendum cum illa ad viſionem talis obiecti, vt oſtendi diſp. 7. cap. 2. ergo quando datur obiectum, quod eſt principale, præſens intimè potentiæ, & aptum proximè illam determinare, & cum ipſa concurrere ad ſui cognitionem, non datur ſpecies impreſſa reſpectu talis obiecti: atqui quando obiectum ſecundum ſe eſt intimè approximatum potentiæ, & eſt proportionatum cum illa, eſt proximè aptum illam complere, & cum ipſa concurrere effectiuè ad ſui cognitionem, nam cum ad obiectum attineat complere potentiam, & cum ipſa formalem ſui repræſentationem, & cognitionem efficere, nec ad id requiratur, quod potentiæ inhæreat, ſed ſolum quod illi aſſiſtat, vt oſtendi diſp. 7. capit. 3. n. 25. non eſt ratio, cur negetur poſſe obiectum per ſe ipſum id præſtare, ſi ſit intimè præſens, & proportionatum cum illa; ergo quando datur obiectum intimè præſens, & proportionatum cum potentia, naturaliter non datur ſpecies impreſſa reſpectu illius. 2

ASSERTIO prima: in viſu, & auditu dantur ſpecies impreſſæ ad ſua obiecta cognoſcenda. Ita auctores ſecundæ & tertiæ ſententiæ. Solet hæc aſſertio communiter ſic probari: potentia viſiua ſecundum ſe eſt indifferens ad videndum albedinem, aut nigredinem; ergo requiritur ſpecies impreſſa albedinis, vt determinetur ad videndam albedinem. Hæc tamen ratio non conuincit, poſſet enim quiſpiam dicere ſicut potentia calefactiua ignis eſt ſecundum ſe indifferens ad calefaciendum hoc, aut illud paſſum, & tamen ſufficit, quod hoc paſſum ponatur intra eius ſphæram, vt per ſe ipſam poſita tali conditione determinetur ad calefaciendum illud; ita licet potentia viſiua ſit ſecundum ſe indifferens ad videndum hunc, aut illum colorem, albedinem, aut nigredinem, ſufficiet, quod intra eius ſphæram ponatur albedo, vt potentia per ſe ipſam præcisè poſita tali conditione determinetur ad videndum illū. 3

Probatur ergo primo à priori efficaciter ex dictis: potentia viſiua (idem dico de auditiua) non poteſt efficere viſionem obiecti, niſi ipſum obiectum compleat illam in ratione principij proximi, & cum illa concurrat ad ſui viſionem, vel per ſe ipſum, vel per ſuam virtutem, vt monſtraui diſp. 7. cap. 2. ſed obiectum potentiæ viſiuæ ſcilicet color ſæpè eſt diſtans ab illa, & ſic non poteſt per ſe ipſum immediatè illam complere in ratione principij proximi nec concurrere cum illa ad ſui viſionem; ergo debet complere potentiam, & cum illa ad ſui viſionem concurrere media aliqua virtute, & qualitate vicaria ſui ipſius: atqui talis virtus, & qualitas vicaria obiecti eſt ſpecies impreſſa ipſius obiecti, vt oſtenſum eſt dicta diſp. 7. cap. 2. ergo in potentia viſiua, ſeu auditiua dantur ſpecies impreſſæ ſui obiecti.

Probatur ſecundo ab experientiis: prima ſi corpus interiectum inter potentiam viſiuam, & colorem, ſit opa- 4

cum, non videt colorem, videt autem illum, si sit diaphanum; ergo quia color per medium diphanum mittit sui species in potentiam visiuam, & ideo ab illa videtur, quæ quidem species non valent petrare medium non potest color videri. Secunda si habeat quis à frontè speculum, videt corpus à tergo existens, quod absque tali speculo non videret; ergo quia corpus illud à tergo existens mittit directè species sui in speculum, quæ in speculo reflectuntur, & sic reflexæ ad oculum accedunt, & ideo corpus illud videtur; absque speculo autem non reflecterentur species, nec ad oculum accederent, nec corpus à tergo existens videretur. Tertia quidem per inspicilia concaua melius, & clarius rem vident, quam sine illis; ergo quia in in illa spiciliorum concauitate species rei obiectæ magis coadunantur, & vniuntur, & validiores, & efficaciores euadunt, vt in oculi pupilla aliam intensiorem, ac validiorem speciem producant, qua res illa obiecta melius, & clarius videatur. Quarta in spatiis concauis eadem vox dearticulata saltem quoad vltimas syllabas semel, ac iterum auditur, quod Hispanè vocatur *echo*; ergo cum vox humana solum possit ab ipso homine in aëre sibi proximo de articulari, & non ab alia qualitate per totum aërem, dicendum est eamdem vocem dearticulatam non bis accedere ad potentiam auditiuam, sed sicut aliquando idem color bis ab oculo videtur, semel per speciem directam ab obiecto directè missam, & iterum per speciem eiusdem obiecti reflectentem in speculo vsque ad potentiam visiuam; ita similiter sonus idem bis ab eodem auditur, semel per speciem directam missam directè ab ipsa voce, & iterum per speciem eiusdem vocis reflectentem in corpore denso vsque ad potentiam auditiuam. Quinta audita voce non solum sonum percipimus, sed etiam vbi sonuerit; si autem sonus non mitteret species sui, sed tantum ipse sonus ad aures accedens ibi tantum sentiretur, licet audiretur sonus, non perciperetur vbi sonuerit, vt infrà in olfactu ostendam, ergo sonus mittit in potentiam species sui. Alias experientias vide apud Molina vbi suprà.

Obiiciat aliquis: prius videtur fulgur, quam audiatur sonus tronitrui; atqui si hæc obiecta mitterent species sui, simul vtrumque sentiretur, nam simul species illæ accederent ad potentias; ergo obiecta illa non mittunt species in potentias. Confirmatur: flante vento versus oppositam partem sonus non auditur, sicut audiretur, si ventus ille non flaret; sed si sonus mitteret species sui, & ipse non necessario ad aures accederet, æqualiter in vtroque casu talis sonus auditetur, nam specierum productio à flatu aëris non impeditur, vt in colore perspicitur; ergo sonus non mittit species sui, sed ipse necessario ad aures accedit, vt audiatur. Respondeo lucem in maiori distantia posse species sui diffundere, quam sonus, atque ita lux fulguris in primo instanti in quo est, sui speciem mittit ad potentiam visiuam, qua statim videtur, sonus verò tonitrui non statim potest in tanta distantia speciem sui diffundere, sed prius debet successiuè approximari vsque dum contineatur in aliqua debita distantia, in qua possit sui speciem vsque ad potentiam producere, qua ab illa audiatur; & eapropter prius videtur fulgur, quam audiatur sonus tonitrui. Ad confirmationem respondeo flante vento versus oppositam partem sonum magis elongari à potentia auditiua, nam sensus eum sonum secum defert, & ponit in tanta distantia, vt non possit mittere ad auditum sui species, quas mitteret, si ab illo flatu venti non elongaretur.

7 Assertio secunda in olfactu, gustu, & tactu non dantur naturaliter species impressæ. Ita auctores tertiæ sententiæ. Probatur; quando obiectum est præsens intimè cum potentia, & proportionatum cum illa, non datur naturaliter species obiecti, sed ipsum per se concurrit, & præstat, quod exhiberet media specie, vt ostendi num. 2. sed in his tribus potentiis sensitiuis obiectum, cum sentitur, est semper præsens potentiæ, & proportionatum cum potentia; ergo in his tribus potentiis non dantur naturaliter species impressæ. Et quidem obiectum, cum sentitur, esse præsens potentiæ in gustu, & tactu ex se patet, in olfactu sic demonstro: cum odor sentitur, non percipitur vbi fuerit, aut vnde venerit talis odor; sed hoc non alia ratione accidit, nisi quia odor sentitur solùm, quando est sensorio præsens, si enim etiam absens media sui specie sentiretur, etiam perciperetur, vbi talis odor fuerit, sicut quia sonus absens media sui specie auditur, percipitur etiam vbi talis vox sonuerit; ergo odor, qui est obiectum olfactus, cum sentitur est ipsi potentiæ præsens. Porrò in prædictis tribus sensibus obiectum esse etiam proportionatum cum potentia, sic probatur: obiectum materiale est secundum se proportionatum cum potentia materiali, sicut obiectum spirituale est proportionatum secundum se cum obiecto spirituali, sed quilibet sensus ex prædictis est materialis, sicut obiectum cuiusque est materiale; ergo in his tribus sensibus obiectum est etiam secundum se proportionatum cum potentia.

Obiiciat quis: obiectum horum sensuum secun- 8
dum se est nimis crassum, & materiale; sensus autem sunt magis subtiles, & immateriales; ergo tale obiectum non est secundum se proportionatum cum potentia sensitiua, sed media aliqua specie magis immateriali, & subtili debet cum illa proportionari. Confirmatur: odor totus sentitur, & non tantùm secundum vltimam eius superficiem; & tamen talis odor solùm secundum vltimam superficiem est præsens potentiæ sensitiuæ, secundum alias verò partes est distans ab illa; ergo odor distans, & absens sentitur; sed non per speciem immediatè; ergo media specie illius. Respondeo obiectum illorum sensuum non aliam habere rationem, quam esse quoddam accidens non spirituale, sed materiale; cum ergo etiam potentia sit accidens, non spirituale, sed materiale, etiam potentia sensitiua erit crassa, sicut obiectum, & hoc erit proportionatum cum illa. Addo, sicut in contraria sententia obiectum est secundum se proportionatum ad efficiendam adæquatè speciem impressam sui, licèt hæc sit minus crassa, & materialis: ita ipsum obiectum in mea sententia erit secundum se proportionatum ad efficiendam saltem partialiter cum potentia sensationem sui, licèt hæc sit minus crassa, & materialis. Ad confirmationem dico sufficere, quod totus odor sit præsens potentiæ secundū aliquid sui, vt possit totus concurrere cum potētia ad sui cognitionem; scilicet sufficit, quod ignis secundum aliquid sui sit passo approximatus, vt totus ignis calefaciat iuxta dicta in Physicis disp. 29. cap. 2.

Assertio tertia: in sensibus internis dantur spe- 9
cies impressæ. Ita auctores secundæ & tertiæ sententiæ solet hæc sententia communiter sic probari: sensus internus est secundum se indifferens ad varia obiecta cognoscenda; ergo aliquid requiritur, vt determinetur ad hoc determinatum obiectum cognoscendum; sed hoc non est externa sensatio, nam sæpè sensibus externis quiescentibus sensus internus determinatur ad cognoscendum; ergo debet esse species impressa talis particularis obiecti. Hæc tamen ratio non conuincit; nam sensus internus habens simul plures species impressas ad varia obiecta, debet ab aliquo applicari, & & determinari, quo ad exercitium, vt hoc potius obiectum cognoscat, quā illud; ab illo ergo posset etiam secluſis speciebus determinari. Probatur ergo efficaciter eadem omnino ratione, qua sup. assertio 1. monstrata est.

Obiiciat quispiam: si in sensu interno darentur species semper esset in actuali exercitio sentiendi omnia illa

illa obiecta, quorum haberet ſpecies ; ſed ſenſus internus non ſemper eſt in actuali exercitio ſentiendi omnia ſua obiecta, ergo in ſenſu interno non dantur ſpecies. Reſpondeo licet ſenſus internus habeat ſpecies per quas compleatur in ratione principij in ordine ad ſenſationes circa ſua obiecta, non tamen poſſe aliquam ſenſationem obiecti elicere, niſi, vel à ſenſatione externa circa ſimile obiectum, vel ab alia cauſa ad tale obiectum ſentiendum quo ad exercitium determinetur: (ſpecies enim, vel non determinat,vel determinat tantum quo ad ſpeciem ad cognoſcendum hoc obiectum, id eſt, quod cum tali ſpecie potentia elicere non poſſit niſi tantum cognitionem talis obiecti :) ac proinde licet ſenſus internus habeat ſpeciescirca ſua obiecta, non ſemper erit in actuali exercitio illa ſentiendi.

CAPVT II.

An etiam in intellectu ſpecies impreſſæ debeant neceſſario admitti.

11 OPinio aliquorum eſt non eſſe concedendas in intellectu ſpecies impreſſas, ſed potentiam intellectiuam beneficio phantaſmatis ſufficientis adiuuari ad hæc, & illa obiecta cognoſcenda. Ita Themiſtius, Theophraſtus, Godfredus, Henrri, & alij relati à Conimbricenſ. hic lib.3. capit 5. quæſt.3. art.1. quos ſequutus eſt Durand in 2. diſtinct 3. quæſt. 16. & illis ex parte ſubſcribit P. Valquez tom. 2. in 1. part.diſput.200 cap.3. quod licet in intellectu humano illas admittat, eas tamen in intellectu Angelico inficiatur. Ocham in 2 diſt quæſt.17.& 18. Gabriel diſtinct.3 quæſt.2. Ioann. Baconius vt refert Toletus lib.3.de anima quæſt. 21. & Magiſter Soto in 1.diſt.3. quæſt.7.

12 ASSERTIO tamen ſit : in intellectu creato tam humano, quam Angelico dantur neceſſario ſpecies intelligibiles ad ſua obiecta cognoſcenda. ita D. Thomas,D. Bonauentura Alenſ Scotus,Albertus Magnus &alij relati à Conimbricenſ.vbi ſuprà a.2 in margine, quibus communis Philoſophorum ſchola vnanimiter ſuffragatur, illis patrocinante D.Auguſtin. lib.11. de Trinitate cap. 2. vbi dubitare de his ſpeciebus ad ingenij reuocat tarditatem, & ex Recentioribus omnes à nobis relati cap.1.num.11. Solet hæc aſſertio probari ex eo, quod intellectus ſecundum ſe eſt indifferens ad varia obiecta, & ideo eget ſpeciebus intelligibilibus,quibus determinetur. Sed hæc ratio, quam ſit infirma, conſtat ex dictis ſupra diſp.7.cap.1.à n .. vbi oſtendi phantaſma, ſeu internam ſenſationem obiecti ſufficere ad determinandum intellectum ad tale obiectum. Nec obſtat, quod aliquando intellectus aliquid concipiat, v.g.Angelum quod ſenſus non apprehendit,nam tunc ſenſus internus imaginatur aliquid ſimile Angelo, ſcilicet iuuenem pulchrum alatum, & per iſtud phantaſma, ac ſenſationem internam determinatur intellectus ad concipiendum Angelum.

13 Probatur ergo efficacius : intellectus non poteſt elicere formalem expreſſionem, imaginem, ac intellectionem obiecti, niſi per ipſum obiectum in ratione principij proximi compleatur ita, vt obiectum cum ipſa potentia concurrat ad ſui cognitionem, vt monſtratum eſt ſupra diſp.7.cap.2 ſed obiectum potentiæ intellectiuæ, cum ſæpè ſit diſtans, aut improportionatum cum illa, non poteſt per ſe ipſum immediatè ipſam potentiam complere in ratione principij,& cum illa concurrere ad ſui repræſentationem, & cognitionem;ergo debet dari in intellectu aliqua virtus,& qualitas vicaria obiecti, quæ eius nomine potentiam intellectiuam compleat in ratione principij, & cum illa concurrat, ad cognitionem ipſius obiecti : atqui talis virtus, & qualitas vicaria obiecti eſt ſpecies impreſſa, vt oſtendi diſp.7.cap.2. ergo in intellectu dantur ſpecies impreſſæ.

Obiiciat aliquis primo iuxta communem Philoſophorum ſententiam, non poteſt intellectus humanus aliquod obiectum cognoſcere, niſi habeat ſimul aliquod phantaſma & ſenſationem internam reſpectu illius : ſed ſi in intellectu darentur ſpecies impreſſæ cuiuſque obiecti, non requireretur tale phantaſma, ac ſenſatio interna obiecti ad tale obiectum intelligendum, nec eſſet ratio cur non poſſet intellectus ſine phantaſmate obiecti,obiectum aliquod intelligere; ergo in intellectu non dantur ſpecies impreſſæ. Nec ſatisfacit dicere phantaſma, ac ſenſationem obiecti requiri ad efficiendam ſpeciem intelligibilem circa tale obiectum ; ac proinde ad illud intelligendum. Nam hoc ſolum probat requiri tale phantaſma,vt obiectum pro prima vice cognoſcatur ab intellectu ; non vero vt deinceps tale obiectum per eamdem ſpeciem à Deo iam ſine phantaſmate conſeruatam cognoſceretur. Reſpondeo phantaſma, & ſenſationem obiecti requi ad determinandum intellectum ad cognoſcendum tale obiectum,nam intellectus per ſpeciem ſolum completur in ratione principij & per internam ſenſationem determinatur. 14

Sed vrgeat : intellectus per præmiſſas euidentes ſufficienter determinatur ad concluſionem ; ergo intellectus ſolum eget determinatione phantaſmatis ad præmiſſas non vero ad concluſionem ; ergo ſi phantaſma, ac ſenſatio interna non gerit munus ſpeciei, poterit intellectus aliquod obiectum ſcilicet concluſionem intelligere ſine interna ſenſatione, ac phantaſmate circa talē concluſionem. Reſpondeo eamdemmet ſpeciem impreſſam præmiſſarum poſitis ipſis præmiſſis concurrere neceſſario cum potentia ad cognoſcendam concluſionem, vt inferius dicam; vnde cum circa præmiſſas non ſolum detur ſpecies in intellectu,ſed ſimul in ſenſu interno, ac phantaſia detur alia ſpecies circa illas, vt conceſſum eſt,propter ſimilitudinem, & connexionem harum ſpecierum poſitis præmiſſis in intellectu, & ſimili aliqua ſenſatione interna in ſenſu, non ſolum ſpecies intelligibilis concurrit neceſſario cum intellectu ad intelligendam concluſionem, ſed etiam ſpecies intelligibilis ,concurrit neceſſario cum ſenſu interno ad ſentiendam, & cognoſcendam ipſam concluſionem, vt aliquid materiale ſimile concluſioni; atque ita nullum obiectum concipit intellectus ſine phantaſmate,ac ſenſatione interna talis obiecti. 15

Obiiciat ſecundo ſi daretur in intellectu ſpecies impreſſa obiecti, maximè vt intellectum compleret, & cum illo phyſicè concurreret ad cognitionem talis obiecti, vt dictum eſt n.13. ſed interna obiecti ſenſatio poteſt complere intellectum, & cum eo phyſice concurrere ad cognitionem obiecti ;ergo talis ſpecies impreſſa non debet dari in intellectu. Conſequentia eſt euidens. Maior tenet,minor autem ſic probatur:ſi aliqua ratione interna ſenſatio obiecti, non poſſet complere intellectum, & cum illo phyſicè concurrere ad cognitionem obiecti, maximè quia talis ſenſatio eſt materialis, & cognitio eſt ſpiritualis, materiale autem non poteſt aliquid ſpirituale attingere : atqui materiale poteſt rectè attingere, & efficere phyſicè aliquid ſpirituale, etenim phantaſma obiecti, quod quidem eſt materiale, phyſicè cum intellectu producit ſpeciem intelligibilem, quæ eſt ſpiritualis, vt tenet communis ſententia Diui Thomæ Scoti, & & aliorum plurium, quos refert, & ſequitur Colleg. Conimb.hic lib.3.cap.5.q.6. art.2.ergo interna obiecti 16

sensatio potest complere intellectum, & cum illo physicè concurrere ad cognitionem obiecti. Respondeo non implicare aliquod materiale efficere instrumentaliter aliquid spirituale, & hoc modo asserit communis sententia phantasma concurrere ad productionem speciei impressæ spiritualis; repugnare vero aliquid materiale efficere naturaliter rem spiritualem per modum causæ principalis, quæ debet habere proportionem cum effectu, vt dictum est in Physicis disp. 17. cap. 2. quæ quidem proportio non inuenitur in re materiali respectu alterius rei spiritualis: cum ergo species intelligibilis complens intellectum debeat cum illo concurrere vice obiecti per modum causæ principalis naturalis ad cognitionem spiritualem talis obiecti, non potest eius concursus compensari per sensationem materialem.

17 Sed insurgat: intellectus non est proportionatus cum visione Dei; ille enim est naturalis; hæc autem supernaturalis; & tamen concurrit ad illam physicè vt causa principalis; ergo licet sensatio materialis non sit proportionata cum intellectione spirituali obiecti, potest ad illam physicè concurrere vt causa principalis. Respondeo, causam principalem vt sic solum dicere, quod sit proportionata cum effectu, scilicet, vel quod effectus petat oriri ab illa, vel illa petat concurrere ad talem effectum; causam vero principalem obedientialem tantum exigere, quod ita sit cum suo effectu proportionata, quod licet illa non petat ad effectum concurrere, effectus tamen petat ab illa prodire; vnde cum visio Dei petat oriri ab intellectu, ideo intellectus est causa principalis obedientialis visionis Dei; causam vero principalem naturalem necessario postulare, quod ita sit cum effectu proportionata, quod ipsa ratione sui petat concurrere ad talem effectum; cum ergo sensatio interna materialis non ita sit proportionata cum cognitione spirituali, vt petat ratione sui concurrere ad illam, res enim spiritualis vt sic nimis excellit entitatem materialem; ideo sensatio interna materialis non potest esse causa principalis naturalis respectu cognitionis spiritualis. Addo intellectum cum visione beata absolutè conuenire in aliqua formalitate speciali, scilicet in vitalitate intellectuali, ideo potest saltem obedientialiter ad illam concurrere, vt causa principalis: sensationem vero internam non conuenire cum intellectione in aliqua formalitate speciali, quia licet vtraque sit repræsentatio obiecti, vna vero est repræsentatio sensitiua, & altera est repræsentatio intellectualis; vnde sicut potentia vitalis sensitiua non potest eleuari ad efficiendum per modum causæ principalis actum virtualem intellectualem, quia non conueniunt in tali vitalitate intellectuali: ita cognitio, & repræsentatio sensitiua non potest eleuari ad efficiendum per modum causæ principalis cognitionem; ac repræsentationem obiecti intellectualem, quia non conueniunt in tali repræsentatione intellectuali.

18 Obiiciat tertio si in intellectu Angelico darentur species, vel illæ producerentur ab obiectis; vel à solo Deo in primo creationis instanti Angelo naturaliter tribuerentur; sed non producuntur ab obiectis, quia obiecta aliquando distant & sunt materialia, & improportionata cum ipsis speciebus: nec etiam à solo Deo efficiuntur ac induntur ipsi Angelo in primo creationis instanti, quia Deus, quando creat Angelum, solum ea naturaliter comproducit, quæ petit naturaliter ipse Angelus; Angelus autem non petit naturaliter illas species, aliàs species istæ essent passiones Angeli, quod nullus admittit; atque ita in primo instanti creationis, Deus non producit naturaliter in Angelo tales species; ergo saltem in intellectu Angelico non dantur species: nisi dicamus esse à Deo supra exigentiam naturæ diuinitus infusas sicut dona gratiæ. Respondeo inter Scotum, & D. Thomam magno dissidio altercari, à quonam Angelus species accipiat, Scotus asserit accipere illas à rebus, D. Thomas dicit Angelum habere à principio à Deo omnium rerum naturalium etiam nondum existentium species sibi congenitas: vtrumque difficile, vt videre est apud P. Molin. 1. part. quæst. 55. artic. 2. disp. 2. Ego tamen breuiter dico, cum intellectus Angelicus sit secundum se per modum potentiæ absolutè potens omnia obiecta naturalia actu existentia cognoscere, petit habere species illorum, non enim pendet à phantasmate ad illas acquirendas; vnde cum obiecta ipsa non possint ob eorum improportionem, aut distantiam tales species producere, Deus vice obiectorum in Angelo species ipsas producit ad ea obiecta, quæ actu existunt cognoscenda; ac proinde Deus in primo creationis instanti dedit Angelo species obiectorum tunc existentium, quæ illi naturaliter debebantur, non vero species contingentium futurorum, postea autem cum illa futura actu extitere, illorum etiam species illi naturaliter impertiuit. Quare prædictæ species non sunt passiones Angeli, quia illas non petit ratione suæ essentiæ præcisè, sed propter talem essentiam simul ac existentiam obiecti, nec sunt etiam diuinitus Angelo infusæ, cum dentur illi iuxta exigentiam eius naturalem; de quo alibi.

CAPVT III.

Ad quosnam actus species necessario requirantur?

SPecies requiruntur ad omnes actus apprehensionis quales sunt omnes operationes sensuum, & prima operatio intellectus, & etiam species requiritur ad actum iudicij, qui nullum ante se actum apprehensionis supponit, qualis est visio beata. In hoc nulla est controuersia inter eos, qui species intentionales admittunt. Dubium tamen est an ad actum conclusionis, ac discursus, qui etiam supponit præmissas, species intelligibilis requiratur? Negant multi, quia intellectus sufficienter per apprehensionem obiecti determinatur ad actum iudicij, & per præmissas ad conclusionem. Sed in consequenter procedunt, nam etiam per obiecti sensationem, ac phantasma sufficienter intellectus determinatur ad apprehensionem illius, vt monstraui disput. 7. cap. 1. à num. 7. 19

ASSERTIO ergo sit: ad actum etiam iudicij, qui supponit apprehensionem, & ad actum conclusionis, & discursus, qui supponit præmissas, species aliqua impressa necessario requiritur: ita Aristot. 3. de anima cap. 5. text. 3. 6. & 38. D. Thomas ibidem section. 7. 10. & 13. & 1. part. quæst. 12. art. 2. quæst. 55. articulo primo quæstion. 79. artic. 2. 3. contra gent. capit. 49. & alibi sæpè. Diuus Anselmus in monolog. capit. 36. Diuus Damascenus lib. 2. de Fide Orthodoxa, Augustin. lib. 10. Confession. capit. 10. & 15. lib. 7. in Genesim capit. 10. Capreol. in 2. dist. 3. quæst. 2. art. 2. Suarez lib. 4. de anima cap. 3. Complutens. disp. 18. de anima quæst. prima Arriaga disput. 4. de anima section. 1. subsect. 9. Carleton disp. 16. de anima sect. 5. Hurtado disputation. 12. de anima sect. 2. & communiter recentiores. Probatur: species impressa non datur primario ad determinandum potentiam, sed ad complendam illam in ratione principij proximi in ordine ad formalem cognitionem, & repræsentationem obiecti, vt ostendi disp. 7. cap. 1. & 20

& 2. sed intellectus secundum se posita obiecti apprehensione tam est incompletus in ratione principij ad actum iudicij, & positis præmissis ad actū conclusionis, quam est incompletus in ratione principij ipse intellectus posita sensatione interna obiecti ad apprehensionem illius, nam sicut apprehensio formaliter determinat ad iudicium, & præmissæ ad conclusionem, ita sensatio interna obiecti determinat formaliter ad illius apprehensionem, & sicut hæc sensatio non influit physicè vice obiecti in actum apprehensionis ita, vt illi formaliter correspondeat repræsentatio, & imago obiecti, quæ in apprehensione relucet, ita apprehensio non influit physicè in actum iudicij, nec præmissæ in actum conclusionis ita, vt illis formaliter tribuatur formalis imago, & similitudo obiecti, quæ relucet in actu iudicij, & conclusionis; ergo sicut dantur species ad actum apprehensionis, ita debent dari species impressæ ad actum iudicij, & ad actum discursus, conclusionis.

21 Obiiciat quis: ideo sensatio interna non potest complere intellectum, & cum illo physicè influere in eius apprehensionem, quia illa est materialis, & sensitiua, hæc vero est spiritualis, & intellectualis, vt dictum est cap. 2. num. 16. & 17. sed apprehensio est spiritualis, & intellectualis, sicut ipse actus iudicij, (idem dico de præmissis respectu conclusionis;) ergo apprehensio potest secundum se complere intellectū, & concurrere physicè cum illo ad actum iudicij, ergo ad hunc iudicij actum otiosa erit alia species. Respondeo ideo sensationem internam obiecti non complere potentiam intellectiuam nec cum illa physicè influere in eius apprehensionē, quia talis sensatio est materialis, & sensitiua; cum apprehensio intellectus non sit materialis nec sensitiua, sed spiritualis, & intellectualis sicut ipsum iudiciū, & ex hoc præcisè capite non repugnare, quod talis apprehensio simul cum intellectu in iudicium influeret. Quia vero apprehensio per se supponit speciem impressam ad seipsam, cuius etiam proprium est ad actum iudicij post illam consequutum physicè concurrere, vt mox dicam, ideo naturaliter implicat, quod talis apprehensio ad idem iudicium possit physicè concurrere naturaliter, alioquin talis virtus apprehensionis, cum aliam sufficientem per se supponat, esset otiosa, quod natura exhorret.

Hinc iam constat eamdemmet speciem, quæ in fluit
22 physicè in apprehensionem, hac posita, influere in iudiciū & eamdem speciem, quæ concurrit ad præmissa, his positis, concurrere physicè ad actum conclusionis. Probatur, actus per se essentialiter subordinati, qui idem obiectum respiciunt, connaturalius est, quod ab eodem principio oriantur; sed actus apprehensionis, & iudicij sunt actus per se, & essentialiter subordinati, ac idem obiectum respiciunt, vt per se constat, & etiam actus præmissarum, & conclusionis sunt actus inter se necessario subordinati, ac idem obiectū respiciūt, idem enim est obiectum præmissarum, & conclusionis, vt ostendi in log. dup. 33. cap. 3. ergo actus apprehensionis, & iudicij ex vna parte, & actus præmissarum, & conclusionis ex alia oriuntur ab eodem principio: Sed species intellibilis est principium illorum actuum, vt sæpè monstratum est; ergo actus apprehensionis, & iudicij ab eadem specie procedunt, & etiam actus præmissarum, & conclusionis ab eadem specie oriuntur.

23 Sed quærat quis; an possit elici cognitio à potentia cognoscitiua sine specie impressa. Respondeo naturaliter non posse, eo quod species impressa subrogetur loco obiecti gerens illius vices; posse tamen de potentia Dei absoluta, non quod loco speciei Deus vniatur potentiæ ad repræsentandum obiectum, quod dissonum est Deo, sed quia in genere efficientis, diuina virtute supplet dependentiam, quam cognitio naturaliter habet ab specie, tribuendo concursum potentiæ, supplentem absentiam speciei impressæ, vt mille exemplis in Theologia, & Philosophia constat, & nos etiam latè ibidem ostendimus.

DISPVTATIO IX.

Quorum obiectorum dentur species impressæ.

TRIA capita continebit. In primo inquiro cuiusnam obiecti creati species admittendæ sint? In secundo, an de facto detur species intelligibilis ad videndum clarè Deum? In tertio, an ad claram Dei visionem species aliqua impressa diuinitus dari queat.

CAPVT I.

Cuiusnam obiecti creati species admittendæ sint.

OMnium accidentium sensibilium dantur species impressæ in facultatibus sensitiuis, tam externis, quam internis, ac etiam in intellectu, vt omnes qui absolutè species non diffitentur, absque controuersia concedunt. Nonnulla tamen dubiola, possunt circa hæc, & alia obiecta excitari, quæ facilè diluemus.

Inquiro primo, an dentur in intellectu spe- 1
cies rationum singularium, an vero rationum tantum communium? Multi censent non dari in nostro intellectu species proprias rerum singularium, sed tantum rationum communium quæ quidem species per indiuiduorum phantasmata modificantur & determinantur ad efficiendas cognitiones circa ipsas res singulares. Ita Aristot. 1. Phys. text. 20. *dicens, quod intellectus est vniuersalium, sensus vero singularium.* & 3. de anima text. 11. D. Thomas ibidem sect. 8. in 4. distinct. 50. quæst. 1. art. 3. quæst. de anima art. 20. 1. 1. part. quæst. 85. art. 1. quæstione 86. art. 1. quodlibet. 11. art. 22. & 2. contra gent. cap. 100. Caietan. 1. part. quæst. 85. art. 1. Feuar. 2. contra gent. capit. 100. Capreolus in 2. dist. 35. q. 2. Henricus quodlibeto 4. quæst. 21. Ægidius in tract de cognitione Angelorum quæst. 9. Bañez 1. part. quæst. 80. art. 1. Gonçalez 1. part. disput. 31. Fonseca 1. metaphysic. capit. 1. sect. 5. quæst. 13. Conimbricenses de anima cap. 5. quæst. 4. art. 1. & 3. Complutenses disputat. 18. de anima quæst. 6. Ioann. à Sancto Thoma q. 5. de anima art. 4. & communiter Thomistæ. Ratio est quia intellectus præditus specie impressa rationum communium, verbi gratia naturæ humanæ, potest sufficienter determinate per phantasma Petri, & Pauli ad cognoscenda hæc indiuidua in particulari; ergo otiosæ sunt aliæ species, quæ sint propriæ ipsorum singularium.

Assero tamen dari etiam in nostro intellectu spe- 2
cies proprias rerum singularium. tuentur hanc sententiam Scotus in 4. dist. 45. quæst. 3. Ricardus in 1. dist. 24. quæst. 4. Gregor. in 1. distinct. 3. quæst. 1. art. 2. Ocham quæst. 5. Burleus, Marsilius, Durand. in 2. distinct. 8. q. 7. Valent. 1. part. disput. 6. quæst. 7. part. 1. conclusione 2. Ruuio 3. de anima de intellect. possibili quæst. 1. Suarez disputatione 6. Metaphys. sect. 6. & 4. de anima cap. 3. P. Hurtado disputat. 12. de anima sect. 2. Arriaga disputatione 4. de anima

sect. 1. Carleton disp. 15. de anima sect. 5. Franciscus Alphonsus disp. 7. de anima sect. 3. & alij, quos referunt Conimbric. vbi supra artic. 2. & ipsi etiam hanc sententiam art. 3. probabilem esse testantur. Probatur, si cum proximum aliquis potest intelligere, offeratur illi vnicum tamen singulare alicuius naturæ, verbi gratia vnicus equus, quod sæpè accidit, tunc intellectus non concipit naturam equi communem, sed hunc equum in particulari; sed non concipiet illum per aliquam speciem naturæ communis; ergo concipiet illum per speciem talis equi in singulari; ergo etiam dantur in nostro intellectu species rerum singularium. Prima consequentia est euidens, nam intellectus non potest aliquod obiectum cognoscere sine aliqua specie; ergo si intellectus cognoscit hunc singularem equum, & non per speciem naturæ equinæ in communi, cognoscet illum per speciem propriam huius equi in singulari. Maior etiam patet; vt intellectus cognoscat, & abstrahat aliquam naturam, communem, debet necessario cognoscere prius plura singularia similia in tali natura, quæ sunt fundamentum requisitum ad abstractionem; sed tunc homo nec sentit, nec cognoscit plura singularia similia in natura equina, sed vnicum tantum equum singularem, vt supponimus; ergo tunc homo ille non concipit naturam equi communem, sed vnum tantum equum singularem. Minorem etiam primi syllogismi sic probo: non potest intellectus in communi sententia efficere speciem naturæ communis, nisi abstrahendo illam à phantasmatibus, hoc est, nisi præcedant phantasmata, & sensationes internæ plurium singularium similium in illa natura, quibus ad efficiendam talem speciem naturæ communis determinetur; sed in prædicto casu homo ille non habet phantasmata, ac sensationes internas plurium singularium similium in natura equina, sed vnius tantum singularis equi, vt suppono; ergo tunc non potuit habere, aut efficere speciem naturæ communis; ergo non concipiet talem equum per aliquam speciem naturæ communis.

3 Confirmatur principaliter: cognitio, quatenus est formalis imago, & repræsentatio obiecti debet necessario oriri ab specie talis obiecti, quæ vt virtualis eius repræsentatio, operetur, & concurrat vice illius, vt probatum est suprà disp. 7. cap. 2. sed cognitio Petri, verbi gratia est formalis imago, ac repræsentatio Petri, non solum vt homo est, sed etiam vt Petrus est formaliter; ergo talis cognitio debet oriri ab aliqua specie Petri, vt Petrus est formaliter: atqui species naturæ communis scilicet naturæ humanæ non est species, & repræsentatio virtualis Petri, vt Petrus est formaliter, sed tantum vt homo est præcisè nec phantasma, ac sensatio interna Petri potest obiecti vice complere intellectum, & cum illo physicè influere in cognitionem Petri, vt ostendi supra disp. 8. cap. 2. n. 16. & 17. ergo debet dari in intellectu aliqua species, quæ sit propria repræsentatio virtualis huius Petri, vt talis est formaliter, quæque intellectum compleat, & cum illo influat physicè in formalem cognitionem, & repræsentationem ipsius Petri; ergo dantur species propriæ rerum singularium.

4 Hinc patet clarè solutio ad rationem supra positam n. 2. species enim non requiritur ad determinandum intellectum, vt hoc aut illud obiectum singulare cognoscat, ad hoc enim sufficeret phantasma, & sensatio interna obiecti etiam sine specie naturæ communis; sed requiritur species ad complendam potentiam, & influendum physicè cum illa in formalem cognitionem, & repræsentationem obiecti, vt ostendi disp. 7. cap. 2. cum ergo potentia intellectiua per speciem naturæ communis, & phantasma Petri non sit sufficienter completa in ratione principij proximi cognitionis, quæ est formalis imago, & repræsentatio Petri secundum rationem Petri, vt probaui numero præcedenti; ideo requiritur in intellectu alia species propria huius Petri singularis, quæ compleat potentiam, & cum illa concurrat ad cognitionem Petri, nec aliud intendunt verba Arist. & D. Thomæ.

Inquiro secundo an rerum non sensibilium species propriæ dentur in nostro intellectu v.g species Angeli, vel Dei? ratio dutandi est, quia iuxta communem sententiam intellectus, vt agat speciem alicuius obiecti, debet necessario determinari per phantasma, & sensationem internam talis obiecti; sed non datur in nobis phantasma, ac sensatio interna obiecti non sensibilis, v.g. Angeli, vel Dei; phantasia enim, & quilibet alius sensus solum ad sensibilia terminantur, ergo intellectus non potest facere speciem obiecti non sensibilis. 5

Assero tamen dari de facto in nostro intellectu species propias obiectorum non sensibilium, scilicet Angeli, & Dei. Probatur; cognitio, quæ est propria imago, & repræsentatio formalis alicuius obiecti, debet necessario oriri ab aliqua specie, quæ sit propria imago, & repræsentatio virtualis talis obiecti, vt sæpè diximus, sed cognitio qua quis de facto cognoscit Angelum, esse substantiam creatam spiritualem completam, vel Deum esse ens increatum, est propria imago, ac repræsentatio formalis Angeli, vel Dei, ita vt non possit esse repræsentatio alterius; ergo talis cognitio oritur de facto ab aliqua specie, quæ sit propria repræsentatio virtualis Angeli, vel Dei, ergo dantur in nostro intellectu species rerum non sensibilium. 6

Obiiciat quis: cognitio, quæ fit per speciem propriam obiecti, est cognitio quidditatiua; sed nunc non habemus cognitionem quidditatiuam Dei; ergo nec cognoscimus per speciem propriam ipsum Deum. Resp. speciem propriam obiecti posse dupliciter accipi; vel pro specie illa, qua rem cognoscimus in se ipsa, & non per similitudinem ad aliam, ex cuius cognitione saltem dispositiuè illa species producta sit, & in hoc sensu non dantur in nobis species Angeli, vel Dei, aut alterius rei non sensibilis, nunc enim omnia insensibilia cognoscimus per similitudinem ad sensibilia ex quorum cognitione species insensibilium productæ sunt; vel etiam species propria vsurpatur pro specie illa, quæ est repræsentatio virtualis huius obiecti, & non alterius; & in hoc sensu datur in nobis species propria Dei, quæ sit virtualis repræsentatio Dei, & non alterius, & species, quæ sit virtualis repræsentatio Angeli, & non alterius, atque ita quæ sit species propria Angeli. Ad has autem species Dei, & Angeli efficiendas præcedit necessario aliquod phantasma, ac sensatio interna alicuius rei similis Deo, scilicet luminis splendidissimi, & alterius rei similis Angelo, scilicet iuuenis pulchri alati, per quod intellectus iuxta communem sententiam ad tales species efficiendas determinatur. Quo ratio dubitandi diluitur. 7

Inquiro tertiò, per quas species intellectus eliciat primum actum circa res spirituales Dei, vel Angeli, aut alterius rei sensibus non subiectæ. Plures dicunt non elici illum actum per speciem impressam, sed per species expressas, aut actus intellectus natura hunc actum præcedentes, videlicet per quemdam discursum seu species expressas habentes vim concurrendi loco speciei impressæ ad actum ex illis deductum; sed hoc non placet iuxta nostra principia iacta in Log. disp. 37. cap. 2. vbi ostendimus, præmissas non concurrere efficienter. 8

Censeo ergo primum illum actum quo quis deuenit in cognitionem Dei, vel Angeli, ex quo actu postea relinquitur species illius obiecti, procedere ab speciebus quibusdam vniuersalibus in repræsentando, quia pro

pro illo priori habet intellectus varias ſpecies pulchritudinis, fortitudinis, velocitatis, iuuentutis, &c. inſtar quarum, *concipit Angelum alatum, pulchrum, Deum Patremue inſtar cuiuſdam ſenis venerabilis.* Diuinam gratiam ad inſtar lucis candidiſſimæ, & per has ſpecies determinatur intellectus ad producendum efficienter illum primum actum. Nec obſtat dicere prædictas ſpecies eſſe vniuerſales, & non poſſe determinare intellectum ad aliquem actum circa aliquod obiectum particulare; nam licèt ſigillatim ſumptæ ſint vniuerſales, tota tamen collectio in iis circunſtantiis non eſt vniuerſalis. Inuicem enim ſe ad efficiendum limitant, & modificant, vnde licèt ſigillatim ad varios actus ſint hæ ſpecies indifferentes, ſimul tamen excitatæ ſunt determinatæ ad hos actus, & circa hæc obiecta in particulari.

9 Inquiro quartò, an detur in ſenſibus externis ſpecies propria ſenſibilis communis diſtincta ab ſpecie ſenſibilis proprij? Senſibile proprium dicitur, quod ab vno tantùm externo ſenſu percipitur, vt color à ſolo viſu, & ſonus à ſolo auditu. Senſibile verò commune appellatur, quod à pluribus ſenſibus cognoſci poteſt, vt numerus, & figura, quæ percipiuntur à tactu, & viſu. Conimbricenſes hic lib. 2. cap. 6. quæſt. 5. art. 1. & 2. duas recenſent ſententias; aliam Scoti, & aliorum aſſerentium ſenſibile commune immittere in ſenſum externum propriam ſpeciem ſui diſtinctam ab ſpecie ſenſibilis proprij: aliam D. Thomæ, & aliorum negantium ſenſibili communi propriam ſpeciem, ac dicentium ſenſibile proprium affectum, ſenſibili communi tali modo conſignare proprias ſpecies, quas in potentiam immittit, vt illæ valeant efficere etiam ſenſationem ſenſibilis communis; quam ipſi Conimbr. opinionem amplectuntur.

10 Aſſero tamen non dari in ſenſu externo ſpecies ſenſibilis communis, v. g. numeri, aut figuræ, nec proprias, nec alienas, quandoquidem ipſum ſenſibile commune non poſſit à ſenſu externo pertingi. Ita recentiores ingenioſi. Probatur, de illo habet ſenſus externus ſpecies proprias, vel alienas, & illud poteſt pertingere, quod poteſt per aliquam ſenſationem abſolutè ſentire, ſeu cognoſcere; ſed ſenſus externus non poteſt per aliquam ſenſationem abſolutè ſentire, & cognoſcere ſenſibile commune, verbi gratia numerum, & figuram; ergo in ſenſu externo non dantur ſpecies propriæ, vel alienæ ſenſibilis communis, neque hoc poteſt à ſenſu externo pertingi. Et primum ſenſum externum non poſſe ſentire, & cognoſcere numerum, v. g. numerum binarium ſic monſtro; eſſe duas albedines nihil eſt aliud, quam vnam non eſſe aliam, ſed habere negationem illius; atqui ſenſus externus non poteſt percipere, & ſentire negationem, ſolùm enim poteſt terminari ad accidens poſitiuum, ſenſibile; ergo ſenſus externus non poteſt numeros percipere. Deinde non poſſe etiam ſenſum externum ſentire, & percipere figuram, ſic probatur: eſſe albedinem quadratam, v. g. vel conglobatam nihil eſt aliud, quam habere talem partium vbicationem, ac diſpoſitionem localem, vt diximus in phyſicis diſp. 12. cap. 3. Sed ſenſus externus non poteſt ſentire, & percipere vbicationem, hæc enim non concipitur à nobis in ſeipſa, ſed per diſcurſum, qui non eſt in ſenſu; ergo talis ſenſus non poteſt percipere figuram.

11 Sed obſeruo, licèt ſenſus externus non attingat, nec percipiat ex parte obiecti ſenſibile commune, v. g. figuram conglobatam, illam tamen ſentire, & percipere ex parte modi tendendi, quia obiectum illud ſenſibile conglobatum mittit ſpecies ſui conglobatas, & ita in potentia diſponuntur, vt ſenſus per ſenſationem ortam ex illis tali modo obiectum illud attingat, vt ex eo moueatur intellectus ad cognoſcendum, & iudicandum eſſe in obiecto illo figuram conglobatam, ſicut quia virga, flumine immerſa propter aquarum fluctuationem & diſcurſum mittat ſui ſpecies obliquas, potentia ſenſitiua per ſenſationem ex illis ortam tali modo ſentit, & attingit virgam illam, vt ex eo moueatur intellectus ad iudicandum eſſe ibi virgam obliquam, cum tamen ſenſus externus ex parte obiecti non ſentiat obliquitatem illam, quæ verè non eſt in virga. Quia ergo eadem figura, (& idem dico de aliis) à duobus ſenſibus, ſcilicet viſu, & tactu, non quidem ex parte obiecti, ſed ſolùm ex parte modi tendendi, ratione explicata, attingitur, ideo talis figura dicitur reſpectu illorum ſenſuum ab omnibus ſenſibile commune.

CAPVT II.

An de facto detur ſpecies intelligibilis ad videndum clarè Deum.

HÆc, ac ſequens controuerſia agitatur in Theologia 1. p. q. 12. art. 2. ſed quia eius reſolutio ex principiis Philoſophicis, ac fundamentis hic iactis proximè colligitur abs re non erit illam breuiter attingere. Cenſent quidam dari de facto in Beato ſpeciem impreſſam Dei, quam quidem ab ipſo gloriæ lumine non diſtinguunt. Ita Ricardus, Guillelmus Pariſienſis, Andreas à Vega, & alij relati à P. Salas tom. 1. in 12. text. 2. diſp. 5. ſect. 2. num. 12. quos ſequitur P. Vaſquez tom. 1. in 1. partem diſp. 43. cap. 7. Alarcon 1. part. diſp. 3. cap. 1. Scotus in 4. diſt. 49. quæſt. 11. & recentiores alij. 12

Assertio tamen ſit. Non datur de facto ſpecies impreſſa, qua Deus clarè videatur. Ita D. Thomas 1. part. quæſt. 12. art. 2. Alenſis 1. part. quæſt. 7. & in 2. part. quæſt. 24. Heuricus quodlibeto 3. quæſt. 1. & quodlibeto 4. quæſt. 7. Durand. in 4. diſtinct. 49. q. 2. num. 3. Palud. in 4. diſtinct. 49 quæſt. 1. art. 2. Capreolus ibidem quæſt. 5. art. 1. Ferrara 3. contra gent. c. 49. Scotus in 4. diſtinct 49. quæſt. 2 art. 3. Caietan. 1. part. quæſt. 12. art. 2. Suarez lib. 2. de Deo cap. 12. Valent. 1. part. quæſt 12. punct. 2. Molina 1. part. quæſt. 12. art. 2. diſp. 2. Taner. 1. p. diſp. 2. quæſt. 6. Dub. 2. Herice 1. part. diſput. 42. cap. 2. Arriaga, diſput. 4. de anima ſect. 2. num. 111. Carleton diſp. 17. de anima ſect. 1. P. Hurtado diſp. 12. de anima ſect. 2. Salas 1. 2. tract. 1. diſp. 5. ſect. 2. num. 17. & 19. & omnes ferè tam antiqui, quam recentes Theologi. Probatur primò, quia Deus eſt obiectum perfectiſſimum, & perfectiſſimè intelligibile in ratione obiecti, ſed ratio obiecti perfectiſſimi conſiſtit in efficientia viſionis; ergo ſpectat ad Deum concurrere immediatè ad viſionem ſui; actio enim, & effectus propriè non pendent niſi à cauſa proxima, & ex natura ſua, perfectius enim eſt concurrere immediatè, quam mediatè; ergo Deus in eſſe intelligibili per ſe, & per ſuam ſubſtantiam immediatè concurrit ad viſionem ſui. Probatur ſecundò apertè ex dictis: non datur ſpecies impreſſa obiecti, quando obiectum ipſum eſt præſens potentiæ, & proportionatum cum illa, vt monſtratum eſt ſuperiùs diſp. 8. cap. 1. n. 2. ſed Deus de facto eſt per ſe ipſum intimè præſens, & illapſus potentiæ intellectiuæ illuſtratæ lumine gloriæ, & etiam eſt proportionatus cum illa, vt per ſe conſtat; ergo in intellectu lumine gloriæ illuſtrato non datur de facto ſpecies impreſſa Dei; ſed Deus ipſe per ſe ipſum immediatè per modum obiecti complebit vltimo potentiam, & concurret phyſicè cum illa ad claram viſionem ſui. 13

Dicat quis ad hoc, vt res aliqua compleat potentiam intellectiuam in ratione principij; & concurrat phyſicè cum illa ad viſionem obiecti, debere cum illa vniri, ſicut vnitur ſpecies: cum autem Deus non poſſit 14

vniri intellectui Beati, nequit enim informare illum; ideo non potest Deus per se ipsum talem intellectum complere, & concurrere cum illo ad visionem sui nisi tantùm media specie. Sed contrà: causa prima verè complet causam secundam in ratione principij proximi, & cum illa concurrit physicè ad effectum creatum; & tamen causa prima non vnitur cum causa secunda, sed tantùm est intimè assistens illi; ergo similiter licèt Deus per modum obiecti non sit vnitus, sed tantùm intimè assistens potentiæ intellectiuæ Beati, poterit complere illam & cum ipsa concurrere ad sui visionem.

15 Hinc infero cum Molina 1. part. quæst. 56. art. 2. Angelum, qui intimè præsens sit alteri Angelo, posse per se ipsum absque alia specie illius intellectum complere, & cum illa physicè concurrere ad sui cognitionem, eadem enim ratio militat in hoc Angelo respectu intellectus alterius Angeli, cui est præsens, quæ militat in Deo respectu intellectus Beati. Dices Deum, propter summum dominium, quod habet suprà creaturas, & summam dependentiam creaturarum ab ipso Deo, posse per seipsum sine vnione cum potentia intellectiua creata illam determinare ad sui visionem; cum verò vnus Angelus non habeat tale dominium supra intellectum alterius Angeli, nec iste intellectus habeat summam dependentiam ab illo, non posse vnum Angelum per seipsum, si cum alterius Angeli intellectu non vniatur, talem intellectum determinare, & cum illo concurrere ad sui visionem. Sed contrà: auxilium indifferens Dei oblatum voluntati creaturæ non habet dependentiam in seipso à voluntate creata, nec voluntas est verè vnita illi; & tamen creata voluntas determinat tale auxilium ad operandum, vt ostendi in Physic. disp. 16. cap. 3. ergo licèt intellectus vnius Angeli non habeat dependentiam ab alio Angelo sibi præsente, nec Angelus iste sit vnitus tali intellectui: poterit determinare illum, & cum ipso intellectu concurrere physicè ad sui visionem.

16 Obiiciat autem quis primo, Deus per modum causæ primæ est per seipsum intimè præsens, & proportionatus ad efficiendum adæquatè effectum quemuis creatum, v. g. ignem; & tamen efficit illum naturaliter de facto media etiam causa creata, scilicet alio igne; ergo licet Deus per se ipsum per modum obiecti sit intimè præsens, & proportionatus ad efficiendum cum intellectu visionem claram sui, efficiet naturaliter de facto illam media aliqua causa creata, scilicet specie impressa ipsius Dei. Respondeo, causam illam, quæ proprio nomine agit, & non vice alterius causæ, licèt altera causa sit in actu primo adæquatè, & proximè operatiua alicuius effectus, si tamen in actu secundo tēpetet suum concursum, & partialiter concurrat, posse cum illa concurrere naturaliter ad talem effectum: causam verò, quæ tantùm agit vice alterius causæ subrogatam loco illius, si altera causa per se ipsam immediatè sit adæquatè, & proximè operatiua alicuius effectus, ad talem effectum naturaliter non concurrere, ad quod non loco illius subrogabitur, & illius vice operabitur effectum, quem illa per se ipsam potest proximè, & adæquatè operari, cum semper subrogatum supponat absentiam, aut defectum principalis. Causa ergo creata, v. g. ignis proprio nomine, & non vice Dei concurrit ad effectum creatum, & ideo licèt Deus in actu primo sit intimè præsens, & proportionatus ad adæquatè efficiendum alium ignem, si tamen in actu secundo liberè concursum attemperet, & partialiter concurrat, vt de facto accedit, potest ipsa causa creata cum Deo naturaliter concurrere ad effectum creatum, sicut de facto concurrit. Species verò impressa obiecti concurrit natura sua vice obiecti, & subrogata pro illo, atque ita si obiectum sit præsens, & adæquatè, ac proximè proportionatum ad efficiendam sui cognitionem, species naturaliter non concurret, nec substituetur pro illo. Vnde cum Deus de facto sit præsens, & proportionatus ad efficiendam sui visionem non datur species Dei, quæ illam efficiat.

Obiiciat secundò, in visionem claram Dei debet necessariò influere præter potentiam intellectiuam, vel Deus per modum obiecti, vel aliqua species impressa Dei, cum enim visio hæc sit formalis imago, ac repræsentatio Dei, debet necessariò, vel ab ipso Deo immediatè per modum obiecti, vel ab aliqua eius virtute, & specie proficisci; sed propter potentiam intellectiuam, & causam primam non influit Deus in sui visionem per modum obiecti, sed tantùm concurrit lumen gloriæ cum intellectu; ergo lumen gloriæ influit de facto in visionem, vt species impressa Dei. Minor probatur: quando omnis formalitas effectus correspondet adæquatè alicui causæ, illa adæquatè concurrit ad talem effectum, nec alia causa concurrit præter illam, esset enim otiosa; sed omnis formalitas visionis Dei adæquatè correspondet formaliter intellectui, & lumini gloriæ; solùm enim reperitur in visione clara Dei, quod sit intellectio, quod respondet intellectui, & quod sit supernaturalis, & clara, quod correspondet formaliter lumini gloriæ, quod est supernaturale, & clarum, vt per se constat; ergo tantùm intellectus beati, & lumen gloriæ adæquatè ad Dei visionem concurrunt, & altera causa, scilicet Deus per modum obiecti naturaliter in illam non influit. Respondeo, in visione Dei hanc relucere formalitatem videlicet esse claram imaginem, ac formalem repræsentationem Dei, quæ formaliter tantùm correspondet ipsi Deo concurrenti per modum obiecti ad sui similitudinem, & formalem imaginem efformandam, intellectus enim lumine gloriæ illustratus non est clarè repræsentatiuus obiecti, scilicet Dei, proximè, & formaliter, sed tantum remotè, & radicaliter, id est, petens vltimo compleri per ipsum Deum assistentem per modum obiecti in ratione principij proximi eius visionis, quod sit repræsentatiuum ipsius Dei proximè, & formaliter; ac proinde non omnis formalitas visionis Dei correspondet formaliter intellectui, & lumini gloriæ, sed aliqua correspondet obiecto, scilicet Deo, ratione cuius ipse per modum obiecti concurrit immediatè ad sui visionem. Recognosce in simili dicta suprà disp. 7. c. 2. nam ita se habet intellectus illustratus respectu Dei, ac visus respectu coloris.

17

Sed vrgeat: si Deus cum intellectu concurrat per modum obiecti ad sui visionem, lumen gloriæ non concurrit; ergo si lumen gloriæ concurrit, benè infertur Deum per modum obiecti non concurrere, nec influere in sui visionem, ac proinde ipsum lumen esse speciem concurrentem loco Dei. Consequentia tenet. Antecedens sic probatur, omnes formalitates visionis Dei correspondebunt formaliter, & adæquatè intellectui, & obiecto, scilicet Deo, nam intellectio tribuetur intellectui, & repræsentatio clara, & supernaturalis Dei correspondebit formaliter ipsi Deo per modum obiecti; ergo si Deus concurrit physicè ad visionem per modum obiecti cum intellectu, adæquatè concurrent Deus, & intellectus ad talem visionem, & lumen gloriæ ad illam non concurret. Respondeo non posse obiectum per modum obiecti complere per se ipsum, vel media sui specie potentiam, & cum illa concurrere ad sui visionem, nisi supponat illam proportionatam in ratione potentiæ ad talem visionem; vnde cum potentia intellectiua secundum se non sit proportionata ad supernaturalem visionem Dei etiam in ratione potentiæ, nisi illustrata sit lumine gloriæ; ideo non potest Deus per modum obiecti complere potentiam intellectiuam, & cum illa concurrere ad sui visionem nisi etiam lumen gloriæ illam compleat in ratione potentiæ, & cum illa concurrat ad talem visionem;

18

ergo

ergo ad obiectionem dico viſionem illam non ſolùm eſſe ſupernaturalem, quatenus eſt expreſſa repræſentatio Dei, ſed etiam eſſe ſupernaturalem quatenus eſt actus intellectualis tendens formaliter ad ipſum Deum; & ideo non ſolùm requiritur, quod ſit principium ſupernaturale obiectum, quod concurrit ad viſionem ſub ratione formalis repræſentationis Dei, ſed etiam quod ſit principium ſupernaturale potentia intellectiua, quæ ad talem viſionem concurrit ſub ratione actus intellectualis tendentis formaliter in Deum. Cum autem intellectus ſecundum ſe præcisè, non ſit principium ſupernaturale, eget neceſſariò lumine gloriæ, quo ad eſſe potentiæ ſupernaturalis intellectiuæ eleuetur.

19 Obiiciat tertiò, ſpecies impreſſa obiecti eſt illa qualitas, quæ potentiam ex ſe indifferentem ad varia obiecta cognoſcenda determinat ad cognitionem huius obiecti; ſed lumen gloriæ eſt quædam qualitas, quæ potentiam intellectiuam beati ex ſe indifferentem ad varia obiecta cognoſcenda determinat ad cognitionem huius obiecti, ſcilicet Dei; ergo lumen gloriæ eſt de facto ſpecies impreſſa Dei. Solet communiter reſponderi Deum eſſe vnum, ac indiuiſibile obiectum realiter, multiplex verò, ac diuiſibile æquiualenter, ac virtualiter, quatenus eminenter continet plures, ac varias creaturas, quæ poſſunt videri in ipſo Deo: vnde licèt intellectus lumine gloriæ illuſtratus ſit determinatus ad videndum Deum abſolutè, & tamen indifferens ad videndum Deum, vt continet hanc creaturam, v.g. hominem, vel ad videndum illum, vt continet aliam creaturam, v.g. Angelum: & ideo egere determinatione Dei per modum obiecti, vt hoc, vel illo modo ipſum intueatur.

20 Sed inſurgat: hoc lumen gloriæ, quo Petrus beatus videt de facto in Deo has tantùm creaturas, v. g. equum, & leonem, non poteſt pertingere niſi Deum, & has creaturas in ipſo Deo, ad alias enim plures, ac perfectiores in Deo videndas creaturas aliud perfectius lumen gloriæ requiretur: ergo intellectus Petri eſt per illud lumen gloriæ determinatus ad videndum Deum, vt præcisè continentem illas creaturas, ſcilicet equum, & leonem: ergo ad Deum hoc etiam particulari modo videndum, non egebit intellectus Petri alio influxu, ac determinatione Dei per modum obiecti præter determinationem, & influxum luminis gloriæ; ac proinde lumen gloriæ erit de facto ſpecies impreſſa Dei. Reſpondent quidam quemlibet habitum reſpicientem ex parte obiecti aliquam rationem formalem poſſe tendere ad omnia obiecta materialia, quæ continentur, & cadunt ſub illa ratione formali, v. g. quia habitus fidei diuinæ reſpicit ex parte obiecti formaliter diuinam reuelationem, poteſt tendere ad omnia reuelabilia, quæ continentur, & cadunt ſub reuelatione Diuina; cum autem lumen gloriæ, quodcumque ſit, verè ſit habitus reſpiciens ex parte obiecti tanquam propriam rationem formalem, totam eſſentiam Dei, ſub qua omnes creaturæ eminenter continentur; ideo quolibet lumen gloriæ eſſe ſecundum ſe aptum, & indifferens, vt tendat ſaltem diuiſiuè ad omnes creaturas, quæ continentur ſub eſſentia Dei; ac proinde intellectum Petri quouis lumine gloriæ illuſtratum eſſe indifferentem ad cognoſcendum explicitè Deum, vt potentem producere has creaturas, vel vt potentem producere alias; & idcirco præter concurſum, & determinationem luminis gloriæ egere concurſu, & determinatione Dei per modum obiecti, ſeu ſpeciei.

21 Verùm vrgeat: ſi non implicat dari lumen gloriæ, quod tantùm determinatè reſpiciat explicitè Deum, vt potentem producere illas creaturas, ſcilicet equum, & leonem, & non vt potentem alias, connaturalius erit dari de facto in Petro Beato tale lumen, cum Petrus, vt ſupponimus, has tantùm creaturas in Deo per totam æternitatem viſurus ſit, ad quid enim ſi poſſibile eſt tale lumen limitatum ad eas præcisè creaturas, dabitur Petro aliud lumen ex ſe aptum ad videndas alias creaturas in Deo, quas ipſe nunquam in Deo viſurus eſt? atqui non implicat dari tale lumen gloriæ, quod tantùm determinate reſpiciat Deum, vt potentem producere illas creaturas, vel eas præcisè creaturas in ipſo Deo; ergo de facto datur in Petro lumen gloriæ, quod tantùm determinatè reſpiciat illas creaturas, ſcilicet equum, & leonem in ipſo Deo; atque ita redit vis argumenti ſuprà facti num. 2. Minorem autem ſic probo: Eſſentia diuina per modum obiecti, cum omnia creata contineat, licèt ſit vnum obiectum formale realiter, eſt tamen multiplex æquiualenter, ac virtualiter, id eſt, cum vnum obiectum ſit reuera continens indiuiſibiliter plura creata, ita ſe habet, ac ſi eſſet plura obiecta reipſa, ſingula quidem ſingulas res creatas diuiſibiliter continentia, vt reſponſum eſt ſuprà num. 19. atqui ſi eſſentia Dei eſſet reipſa plura obiecta, ſingula continentia ſingulas creaturas poſſet dari lumen gloriæ ad præcisè videndum explicitè eſſentiam Dei, vt potentem, & continentem, has tantùm creaturas, ſcilicet, equum, & leonem, & non alias; ergo etiam ex eo, quod eſſentia Dei ſit prędicta plura obiecta æquiualenter, & virtualiter, poterit dari lumen gloriæ determinatum ad videndum præcisè Deum explicitè vt continentem eas creaturas tantùm, & non alias: ſicut ob eamdem rationem poteſt dari in omnium ſententia habitus ad præcisè cognoſcendum hominem vt eſt tantùm principium ſenſationis, & non vt eſt principium ratiocinationis. Confirmatur: ex eo, quod intellectus lumine gloriæ illuſtratus videat Deum clarè, vt continentem formaliter illas creaturas, ſcilicet leonem, & equum, non manet determinatus ex vi illius ad cognoſcendas omnes creaturas, quæ continentur in Deo; ergo poteſt dari aliquod lumen gloriæ ex ſe determinatum ad videndum clare, & explicitè Deum, vt continentem formaliter eas creaturas, quod non poſſit recipere alias creaturas in ipſo Deo. Patet conſequentia: ideo habitus, quo cognoſco hominem tantùm vt principium ſenſationis, non poteſt ferri ad cognoſcendum ratiocinationem in ipſo homine, vel ſaltem talis habitus dari poteſt, qui tantùm attingat hominem vt principium ſenſationis, & non poſſit attingere eius ratiocinationem, quia ex eo, quod quis cognoſcat hominem vt principium ſenſationis, non manet neceſſariò determinatus ad cognoſcendum in ipſo eius ratiocinationem; ergo ſi ex eo, quod intellectus illuſtratus cognoſcat, ac videat Deum vt continentem has creaturas, ſcilicet equum, & leonem, non manet neceſſariò determinatus ad cognoſcendas alias creaturas in ipſo Deo, poterit dari habitus luminis gloriæ, qui tantùm poſſit attingere Deum, vt continentem eas creaturas, & non attingere alias creaturas in ipſo Deo.

Hinc iam obſerua diſcrimen inter habitum fidei 22
diuinæ, & habitum luminis gloriæ. Nam ex eo, quod intellectus inſtructus habitu fidei perfectè, & abſolutè cognoſcat diuinam reuelationem plurium veritatum, quæ continentur ſub illa, eſt determinatus ad aſſentiendum omnibus illis veritatibus reuelatis, atque ideo habitus fidei, qui ſufficit ad aſſentiendum prædictæ reuelationi diuinæ, ſufficit etiam ad aſſentiendum omnibus veritatibus reuelatis contentis ſub illa. At verò ex eo, quod intellectus glorioſus perfectè, & abſolutè videat eſſentiam diuinam continentem plures, ac omnes creaturas, non manet neceſſariò determinatus ad plures, & plures creaturas in Deo videndas, ſed ad id requiritur, quod cum maiori, & maiori penetratione formali talis eſſentia Dei vt plures, & plures creaturas continens videatur; atque ideo poteſt dari habitus luminis gloriæ determinatus ad videndum Deum abſolutè,

solutè, vel ad videndum explicitè illum vt continentem has creaturas, qui non possit attingere ipsum, vt continentem alias. Igitur manet obiectio supra posita in sua vi; quid ergo illi respondendum.

23 Respondeo facilè iuxta principia tradita suprà disp. 7. cap. 1. & 2. speciem primariò non ordinari ad determinandam indifferentiam potentiæ, sed ad complendam illam in ratione principij potentis proximè efficere cognitionem obiecti, etiam sub ratione formalis maginis, ac repræsentationis talis obiecti; cum autem intellectus beati etiam illuminatus non sit principium proximum, & completum, sed tantùm radicale, & remotum visionis Dei sub ratione formalis imaginis, ac repræsentationis Dei, hæc enim formalitas imaginis Dei correspondet formaliter, non quidem potentiæ intellectiuæ, vt illuminatæ, sed tantùm ipsi obiecto nempe Deo, vt monstrauimus dicta disp. 7. cap. 2. & etiam suprà num. 17. & 18. ideo Deus per modum obiecti, seu speciei debet complere intellectum lumine gloriæ illustratum, & cum illo physicè concurrere ad visionem ipsius Dei. Ecce ex nostris principiis philosophicis circa species supra traditis tota hæc controuersia diluitur.

CAPVT III.

An ad claram Dei visionem species aliqua impressa diuinitus dari queat?

24 MVltorum sententia est saltem de potentia absoluta dari posse speciem aliquam impressam intelligibilem Dei, qua ipse Deus in seipso clare in patria videatur. Ita Scotus cum suis in 4. distinct. 49. quæst. 11. Ricardus in 3. distinct. 14. art. 1. quæst. 3. Molina 1. p. q. 12. art. 2. disp. 1. Vasquez 1. p. disp. 38. 39. & 43. Suarez disp. 30. metaph. sect. 11. & lib. 2. de attributis negatiuis cap. 13. Valentia 1. part. quæst. 12. punct. 1. Becanus de visione cap. 9. Herice 1. p. disp. 40. cap. 8. Fasolus 1. p. dub. 10. Hurtado disp. 12. de anima sect. 3. Arriaga disp. 4. de anima sect. 2. Carlet. disp. 15. de anima sect. 2. Ouiedo contr. 13. de anima p. 6. Salas 1. 2. tract. 2. disp. 5. sect. 2. num. 19. qui rationes omnes implicationis, quæ communiter à Thomistis afferuntur facilè dissoluunt, & instant.

25 ASSERTIO tamen sit. Implicat etiam diuinitus dari speciem intelligibilem ad videndum clare Deum. Ita D. Thomas 1. p. q. 12. art. 2. in 4. distinct. 49. q. 2. art. 1. de veritate quæst. 8. art. 1. quodlibet 7. art 1. & 3. contra gent. cap. 49. & multis in aliis locis, quæ sequuntur omnes eius discipuli. Caietanus in præsenti, & infrà quæst. 56. art. 3. Capreolus in 4. distinct. 49. quæst. 5. art. 1. Ferrara 3. contra gent. cap. 49. Palud. quæst. 1. art. 3. Bañes, Zumel, Nauarrete, Ripa, Nazarius in hoc à re, quam etiam opinionem amplexati sunt doctissimi Magistri nouo innixi fundamento, Henricus quodlibeto 3. quæst. 1. & quodlibet. 4. quæst. 7. Alexand. 1. p. quæst. 2. memb. 3. art. 1. ad 2. & quæst. 7. memb. 1. Durand. in 4. distinct. 49. quæst. 2. num. 13. & quæst. 3. prolog. num. 12. Marsilius in 3. quæst. 10. art. 2. Ægidius Canarensis, Machin in præsenti collegium Salmanticense Carmelitarum tract. 2. de visione Dei, disp. 2. dub. 4. Arrubal 1. p. disp. 16. cap. 4. Tannerus 1. p. disp. 2. q. 6. dub. 2. Sotus in 4. dist. 49. q. 2. art. 3. Complut. disp. 18. de anima q. 2. Ægidius Lusitanus tom. 2. lib. 8. cap. 2. p. q. 2. art. 8. Gonzalez hic disp. 25. sect. 1. & alij plures.

26 Probatur primò, ac est D Thom. quæst. 8. de veritate art. 1. vbi sic ait: *non autem potest dici, quod essentia Dei, videatur ab aliquo intellectu per aliquam similitudinem*, at D. Thomas agit de specie impressa, nam agit de similitudine intentionali proportionatè ad eam per quam oculus videt lapidem: secundò, quia agit de similitudine media, qua intellectus, & obiectum fiunt intentionaliter vnum; ergo agit de specie impressa. Et infrà, *omnis autem similitudo diuinæ essentiæ in intellectu recepta, non potest habere aliquam conuenientiam cum essentia diuina, nisi analogicè tantùm*, sed per similitudinem analogicam Deus videri non potest; ergo nec per speciem impressam. Tandem art. 9. sic ait: *quod videntes Deum per suam essentiam ea, quæ in ipsa essentia Dei vident, non vident per aliquas species, sed per ipsam essentiam diuinam*, in quibus verbis expende primò, illud per aliquas species, quod non potest intelligi de ipsa cognitione, quæ est species expressa. Secundò, particulam *per*, quę significat, vel causam formalem cognoscendi, & hoc non, quia alias per ipsam essentiam diuinam tanquam per formam intueremur, & essemus beati, quod est falsum, vel causam efficientem cognitionis, & hoc minus, cum hoc munus tribuat ipsi essentiæ diuinæ, clarius in corpore articuli iis verbis, *quia sicut inquit Dionys. cap. 1. de diuinis nominibus, per similitudines rerum inferioris ordinis nullo modo inferiora possunt cognosci, sicut per speciem corporis, non potest cognosci essentia rei incorporeæ, multo igitur minus per speciem creatam quamcumque potest essentia Dei videri*; quibus, & multis aliis testimoniis clarissimè ostendit Angelicus Doctor impossibilitatem speciei impressæ ad clarè videndum Deum.

Hæc autem sententia hac vnica ratione probatur: 27
species intelligibilis est virtus naturalis, & qualitas vicaria obiecti, per quam obiectum simul cum potentia concurrat ad sui visionem, vt ostensum suprà disp. 7. cap. 2. sed non potest etiam diuinitus dari virtus aliqua naturalis, & qualitas vicaria Dei, per quam Deus per modum obiecti simul cum potentia intellectiua concurrat ad sui visionem; ergo non potest etiam diuinitus dari species intelligibilis ad claram visionem Dei. Minor probatur: non potest aliqua res esse virtus naturalis, & qualitas vicaria obiecti, per quam obiectum agat, & concurrat ad sui visionem, nisi sit qualitas quædam naturaliter ordinata ad reddendum tale obiectum proximè actiuum ipsius visionis, vt monstraui dicta disp. 7. cap. 2. num. 26. sed implicat dari qualitatem, ac virtutem natura sua ordinatam ad constituendum Deum per modum obiecti proximè actiuum visionis sui; ergo implicat dari virtutem aliquam naturalem, (id est, non obedientialem) ac qualitatem vicariam Dei, per quam Deus per modum obiecti concurrat ad sui visionem. Minorem autem sic monstro: id, quod res habet in se ipsa per suam essentiam, non potest accipere ab alia qualitate etenim, quia calor per suam essentiam est proximè calefactiuus, non potest fieri proximè calefactiuus per aliam qualitatem, & quia lux per se ipsam est proximè illuminatiua non potest fieri per aliam qualitatem illuminatiua proximè, & quia species impressa obiecti est per suam essentiam proximè actiua cognitionis obiecti, non potest reddi proximè actiua talis cognitionis per aliam qualitatem; atqui Deus per suam essentiam est per modum obiecti actiuus adæquatè, & proximè visionis sui, ergo Deus non potest accipere esse per modum obiecti proximè actiuum, seu aptum efficere sui visionem ab alia qualitate: sed implicat dari qualitatem aliquam, ac virtutem naturaliter ordinatam ad dandum Deo per modum obiecti aliquod, quod Deus non potest ab illa recipere; ergo implicat dari virtutem, & qualitatem naturaliter ordinatam ad reddendum Deum per modum obiecti proximè actiuum, seu aptum efficere cum potentia visionem sui.

Dicat autem quispiam primò, vt Deus per modum 28
obiecti sit per se ipsum proximè actiuus, & aptus ad concurrendum cum potentia ad sui visionem requiri, quod

quod sit per modum obiecti applicatus ad concurrendum per seipsum cum tali potentia, applicatur quidem non solùm per præsentiam localem, qua tali potentiæ sit intimè præsens, sed etiam per liberam volitionem, qua velit concurrere per seipsum per modum obiecti cum potentia illa ad sui visionem: vnde sicut, si posset in Deo deesse illa applicatio per præsentiam localem cum potentia, posset esse Deus non aptus proximè ad concurrendum per modum obiecti ad visionem sui, & dari posset consequenter species impressa illius, quæ illum defectum suppleret, & ageret vice illius; ita nunc cum possit deesse in Deo applicatio per volitionem, (potest enim Deus non velle concurrere per seipsum per modum obiecti ad sui visionem) poterit Deus non esse proximè aptus ad concurrendum per modum obiecti ad sui visionem; ac proinde dari poterit species impressa Dei, quæ illum extrinsecè reddat proximè aptum, & eius vice concurrat ad visionem illius.

Sed impugnatur: species impressa est qualitas na-
29 tura sua ordinata ad reddendum obiectum intelligibile proximè, hoc est, proximè aptum in ratione obiecti præcisè ad concurrendum ad sui visionem, non vero proximè aptum simpliciter, & in omni genere, ad hoc enim etiam requiritur ipsa potentia intellectiua, & causa prima sine quarum applicatione obiectum non esset potens simpliciter concurrere ad visionem sui; sed non potest dari qualitas natura sua ordinata ad reddendum Deum proximè aptum in ratione obiecti præcisè ad concurrendum ad sui visionem, Deus enim per suam essentiam habet semper ac necessario esse hoc modo proximè aptum in ratione obiecti præcisè ad concurrendum ad visionem sui; ergo non potest dari species impressa Dei. Porrò Deum habere per suam essentiam semper, ac necessariò esse aptum proximè in ratione obiecti præcisè ad concurrendum ad sui visionem, sic monstro; tunc obiectum est proximè aptum in ratione obiecti præcisè ad efficiendam sui visionem, quando habet quidquid requiritur ex parte obiecti ad talem visionem reficiendam; sed Deus per suam essentiam semper, ac necessario habet quidquid requiritur ex parte obiecti ad efficiendam sui visionem; habet enim necessario, ac per essentiam præsentiam localem, & proportionem cum tali potentia, & virtutem actiuam ad concurrendum cum illa, quæ solum ex parte obiecti requiruntur ad efficiendam visionem istam, applicatio enim libera facta per volitionem Dei non requiritur ex parte causæ primæ, vt mox ostendam; ergo Deus habet necessario per suam essentiam esse proximè aptum in ratione obiecti ad efficiendam sui visionem. Et quidem applicationem liberam volitionis diuinæ non requiri ex parte Dei, vt obiecti, sed tantum ex parte Dei vt causæ primæ sic ostenditur: si applicatio libera volitionis Dei esset requisita ex parte Dei vt obiecti, cum Deus possit naturaliter, & de facto liberè non velle concurrere per seipsum cum intellectu beati ad visionem sui, sicut voluntas etiam applicato obiecto bono potest naturaliter, & de facto liberè illud non amare, posset naturaliter deficere ex parte Dei vt obiecti talis libera applicatio volitionis Dei ac proinde posset naturaliter, & de facto, ex defectu talis applicationis requisitæ ex parte obiecti, non esse Deus per modum obiecti proximè aptus ad concurrendum ad sui visionem, & consequenter posset naturaliter, & de facto dari species impressa, quæ ageret vice Dei, sicut, quia vnus Angelus potest naturaliter esse absens, ab intellectu alterius Angeli, potest naturaliter deesse ex parte Angeli, vt obiecti, applicatio præsentiæ localis cum intellectu alterius Angeli; & ideo ex defectu talis localis applicationis requisitæ ex parte obiecti, potest ille Angelus non esse proximè aptus per modum obiecti ad concurrendum cum intellectu alterius Angeli ad sui visionem, & eapropter potest dari naturaliter, & de facto species impressa illius Angeli, quæ eius vice efficiat eius visionem; eadem enim omnino ratio militat in vtroque casu: atqui naturaliter, & de facto non potest dari species impressa, quæ vice obiecti agat speciem Dei, vt aduersarij fatentur; ergo applicatio volitionis diuinæ non est requisita ex parte Dei vt obiecti; sed tantum ex parte Dei vt causæ primæ. Confirmatur: vt calor proximè possit calefacere requiritur absolutè applicatio libera volitionis Dei, & tamen non potest dari qualitas, quæ connaturaliter reddat calorem proximè calefactiuum, & aptum efficere calorem; ergo licet vt Deus per modum obiecti possit proximè concurrere ad sui visionem, requiratur absolutè applicatio libera volitionis Dei non potest dari qualitas, quæ connaturaliter reddat Deum per modum obiecti proximè actiuum, seu aptum concurrere ad sui visionem, quia sicut illa libera applicatio volitionis Dei, non requiritur ex parte caloris in ratione causæ secundæ, sed tantum ex parte Dei vt causæ primæ ita eadem libera applicatio non requiritur ex parte Dei in ratione obiecti, sed solum ex parte Dei quatenus causa prima est.

Dicat secundo, speciem impressam esse illam, quæ 30
agit vice obiecti visionem illius, ad hoc autem, quod vice obiecti agat eius visionem, non requiritur, quod sit qualitas naturaliter ordinata ad reddendum obiectum proximè actiuum, seu aptum ad concurrendum ad visionem sui, sed tantum, quod sit qualitas ordinata natura sua ad efficiendam visionem illam obiecti, quam obiectum ipsum debeat efficere; vnde cum possibilis sit de potentia Dei absoluta qualitas aliqua ordinata naturaliter ad efficiendam visionem Dei, quam ipse Deus per modum obiecti debeat efficere; ideo dari potest qualitas agens vice Dei tanquam obiecti, quæ sit species impressa ad videndum Deum.

Sed impugnatur: species impressa est qualitas quæ- 31
dam ita agens vice obiecti, vt media illa obiectum compleat, aut determinet potentiam, & cum illa concurrat ad sui visionem; sed ad hoc vt qualitas aliqua ita agat vice obiecti, vt obiectum media illa potentiam compleat, aut determinet, & cum illa concurrat ad sui visionem, non sufficit, quod sit præcisè qualitas ordinata ad efficiendam visionem obiecti, quam obiectum ipsum facere debebat, sed etiam necessario requiritur, quod sit qualitas naturaliter ordinata ad reddendum obiectum aptum proximè concurrere ad talem visionem, ergo ad rationem speciei impressæ non sufficit; quod sit natura sua ordinata ad efficiendam visionem obiecti, quam obiectum facere debeat, sed etiam requiritur, quod natura sua ordinetur ad reddendum obiectum aptum proximè concurrere ad sui visionem, Minor probatur: ponamus, quod calor ignis sit applicatus alicui passo ad producendum in illo alium calorem, & quod etiam lux solis sit eidem passo applicata ad talem in illo calorem producendum, & quod licet solus calor vt causa magis vniuoca deberet naturaliter illum calorem in passo efficere, Deus non det suum concursum calori, sed tantum luci ad calorem alium in eo passo agendum; arguo sic: in hoc casu lux est natura sua ordinata ad efficiendum calorem, quem alius calor debeat naturaliter efficere; & tamen talis lux non agit calorem istum vice alterius caloris, ita, vt alter calor media luce illum calorem efficiat, ideò præcisè, quia lux non est qualitas ordinata ad reddendum calorem proximè aptum calefacere, nec est virtus illius, ergo similiter vt aliqua qualitas agat visionem vice obiecti ita, vt obiectum media illa concurrat ad talem visionem, non sufficit, quod sit qualitas naturaliter ordinata ad efficiendam visionem, quam ipsum obiectum debeat efficere, sed etiam requiritur, quod sit virtus ipsius obiecti natura sua ordinata ad reddendum illud proximè aptum ad sui visionem concurrere.

Confirma

32 Confirmatur impugnatio : species impressa est illa, quæ agit visionem obiecti, quam debebat facere obiectum , & sub eadem ratione , sub qua obiectum ad illam concurret , scilicet sub ratione formalis imaginis, ac repræsentationis ipsius obiecti, & ideo species impressa virtualis obiecti repræsentatio ab omnibus appellatur; sed licet possibilis sit qualitas illa,quæ efficiat visionem Dei,quam ipse Deus, per modum obiecti debet efficere , non concurret ad eam visionem sub eadem ratione , sub qua Deus per modum obiecti ad eam concurrit , scilicet sub ratione formalis imaginis, ac repræsentationis Dei ; ergo talis qualitas, licèt possibilis sit , reuera non est species impressa Dei. Minor probatur:sicut in fœtu naturali non concurrit, nec potest concurrere ad prolem sub ratione formalis imaginis,ac repræsentationis Patris,nisi vel ipse parens per se ipsum,vel aliquid, quod sit semen, ac virtus naturalis parentis ; Ita in fœtu intentionali non potest concurrere ad prolem,ac visionem obiecti sub ratione formalis imaginis , ac repræsentationis obiecti , nisi vel ipsum obiectum per se ipsum , vel aliquod , quod sit semen,ac virtus naturalis talis obiecti ; etenim obiecti cognitio est iuxta D. August. quædam proles ipsius obiecti quam potentia illa fœcundata parturit ; sed qualitas illa possibilis agens visionem Dei , nec est ipsum obiectum visionis,scilicet Deus, nec est semen, ac virtus naturalis obiecti, scilicet Dei , alias illum naturaliter redderet proximè actiuum talis visionis, quod implicat,vt ostendi suprà n. 25. ergo talis qualitas non concurrit ad Dei visionem sub ratione imaginis, ac repræsentationis ipsius Dei.

33 Vrgeo : in sententia eorum , qui potentias animæ ab ipsa anima non distinguunt , sed dicunt ipsam animam per suam essentiam esse proximè intellectiuam, & volitiuam , licèt fortè sit possibilis qualitas , quæ efficiat naturaliter eius intellectionem , talis qualitas etiam in aduersariorum sententia , non erit intellectus reipsa , quia cum non sit virtus aliqua vitalis animæ,reddens illam proximè intellectiuam,non concurret ad eius intellectionem , sub ratione intellectionis formaliter , quod est proprium intellectus ; atqui licèt qualitas illa possibilis efficiat visionem Dei , cum tamen non sit virtus Dei tanquam obiecti reddens connaturaliter illum proximè sui repræsentatiuum , ac expressum, seu actiuum proximè expressionis sui, non concurrit ad Dei visionem sub ratione expressionis, ac repræsentationis Dei formaliter vt ostendi numero præcedenti , quod est proprium speciei impressæ ; ergo talis qualitas non est reipsa species impressa Dei.

34 Obiiciat aliquis primò , Deus est per se ipsum adæquatè,& proximè actiuus effectus creati:& tamen dari potest causa creata , quæ etiam agat effectum creatum; ergo licèt Deus sit obiectum proximè actiuum visionis sui potest dari species creata, quæ etiam agat visionem ipsius Dei. Respondeo, causam creatam non esse virtutem naturalem Dei, quæ illum connaturaliter reddat proximè actiuum effectus creati,sed esse causam principalem proprio nomine agentem effectum illum , atque ideo licèt Deus , sit per se ipsum proximè actiuus talis effectus , potest dari causa creata respectu illius, quia inde non sequitur , quod causa ista det connaturaliter Deo aliquid, quod per suam essentiam habeat ipse Deus : speciem autem impressam esse virtutem obiecti reddentem illud connaturaliter proximè actiuum visionis sui,vnde cum Deus sit per suam essentiam proximè actiuus visionis sui,non potest dari species, quæ illum actiuum reddat , aliàs daret illi connaturaliter,aliquid , quod per essentiam habet Deus ipse, quod implicat.

35 Obiiciat secundò , species supernaturalis infusa, qua Christus cognoscit aliquod obiectum naturale, est verè species impressa obiecti materialis ; & tamen non est virtus naturalis illius reddens illud proximè actiuum suæ visionis connaturaliter , quia quod est supernaturale non potest connaturale esse rei naturali; ergo ad rationem speciei impressæ non requiritur,quod sit virtus obiecti , reddens illud proximè actiuum suæ visionis connaturaliter ; ac proinde licèt hoc non habeat qualitas illa possibilis efficiens visionem Dei, erit verè species impressa ipsius Dei. Respondeo,ad rationem speciei impressæ requiri , quod sit virtus naturalis obiecti , non quidem ita naturalis , quod petatur naturaliter ab ipso obiecto , sed ita naturalis , quod natura sua ipsa petat,& ordinetur ad reddendum obiectum proximè actiuum visionis sui : vnde cum species illa infusa animæ Christi secundum se , & natura sua ordinetur ad reddendum obiectum naturale proximè intelligibile , & aptum ad efficiendam sui visionem, est verè species impressa illius ; cum verò illa qualitas possibilis non possit ordinari natura sua ad reddendum Deum proximè intelligibilem , & aptum efficere sui visionem , vt sæpè ostendi,non potest esse species impressa Dei.

Obiiciat tertiò, Angelus , quando est præsens alteri 36
Angelo per se ipsum est proximè aptus concurrere ad sui visionem ; & tamen dari potest species impressa illius , qua ab alio Angelo cognoscatur ; ergo licèt Deus sit per se ipsum , proximè aptus efficere sui visionem , potest dari species impressa , qua à beato videatur.Nego consequentiam,quia Angelus potest per absentiam ab alio Angelo, cui modo est præsens, fieri non proximè aptus efficere sui visionem , atque ideo absolutè dari potest species impressa illius , quæ illum proximè actiuum, & intelligibilem reddat : Deus verò nunquam potest non esse aptus proximè per modum obiecti ad efficiendam sui visionem , & ideo absolutè implicat dari aliquam speciem , quæ ipsum Deum reddat per modum obiecti proximè intelligibilem , & aptum ad sui visionem efficiendam.

Sed vrgeat : Angelus non potest non esse proxi- 37
mè intelligibilis , & aptus ad efficiendam per modum obiecti cum suo intellectu visionem sui ipsius: & tamen potest diuinitus dari species impressa illius, qua ipse à suomet intellectu cognoscatur ; ergo licèt Deus non possit non esse proximè intelligibilis , & aptus per modum obiecti ad efficiendam cum intellectu beati sui visionem , poterit dari species impressa Dei, qua à beato cognoscatur. Respondeo Angelum posse non esse proximè aptum ad concurrendum per modum obiecti ad sui visionem cum intellectu alterius Angeli, cum possit esse distans ab illo , atque ideo potest dari species impressa huius Angeli in intellectu alterius Angeli , & cum hæc species possit diuinitus ad intellectum ipsiusmet Angeli transferri , poterit quasi per accidens ipse Angelus à suo intellectu videri per speciem impressam sui ipsius ; at verò Deum non posse non esse per se ipsum essentialiter proximè intelligentem , & aptum per modum obiecti ad efficiendam sui visionem respectu cuiusque intellectus, ac proinde nec per se , nec per accidens potest dari in aliquo intellectu species impressa Dei , qua Deus clarè videatur. Vnde si vnicus tantùm Angelus esset possibilis , & repugnaret omnis alia natura creata intellectualis , non posset dari species impressa huius Angeli , qua à seipso videretur quia tunc ita se haberet Angelus respectu sui intellectus , sicut modo se habet Deus respectu intellectus beati , vt perspicuum est.

Obiiciat quartò , licèt Deus per suam essentiam sit 38
proximè aptus ad efficiendam sui visionem per actionem pendentem à seipso immediatè , tamen non est proximè aptus ad efficiendum per modum obiecti sui visionem per actionem pendentem ab aliqua qualitate possibili , quæ ageret visionem Dei ; ergo talis

qualitas

qualitas potest naturaliter ordinari ad reddendum Deum proximè aptum ad efficiendum obiectiuè sui visionem per actionem pendentem, à tali qualitate, ac proinde esse poterit species impressa Dei. Respondeo, eo ipso, quod res aliqua sit per suam essentiam proximè actiua alicuius effectus per aliquam actionem absolutè, non posse dari qualitatem natura sua ordinatam ad reddendam illam proximè actiuam talis effectus per actionem aliam pendentem à tali qualitate, quia enim calor per suam essentiam est proximè actiuus alterius caloris per aliquam actionem absolutè, non potest dari alia virtus, & qualitas naturaliter ordinata ad reddendum calorem proximè actiuum alterius caloris per actionem aliam pendentem à tali qualitate, aliàs ad hanc secundam qualitatem posset dari alia, quæ illam redderet proximè actiuam per actionem aliam pendentem à tali tertia qualitate, & sic in infinitum. Cùm ergo Deus sit per suam essentiam proximè per modum obiecti actiuus visionis sui per aliquam actionem absolutè, non potest dari qualitas aliqua natura sua ordinata ad reddendum ipsum Deum per modum obiecti proximè actiuum sui visionis per aliam actionem pendentem à tali qualitate, ac proinde implicat omnino dari speciem intelligibilem Dei. Verùm inquirat quis, quidnam sit speciem impressam ordinari ad reddendum obiectum proximè actiuum in actu primo suæ visionis? Censeo non esse aliud quam talem speciem natura sua ordinari ad efficiendam cognitionem obiecti, & supplendu m aliquem defectũ, quod in actu primo habere possit ipsum obiectũ in ratione obiecti in ordine ad sui cognitionem efficiendam. Vnde cum esse non possit qualitas, vel species ordinata ad supplendum aliquem defectum, quem in actu primo possit habere Deus in ratione obiecti, ideo est impossibilis omnino species impressa Dei.

DISPVTATIO X.

De affectionibus, & causis speciei impressæ.

TRIA capita continebit. In primo inquiro, quasnam species impressa affectiones habeat? In secundo, à quo tanquam à causa efficiente species impressa oriatur? In tertio, in quo vt in causa materiali species impressa subiectetur.

CAPVT I.

Quasnam species impressa affectiones habeat?

1 IN hac controuersia tria examinanda sunt. Primum, an species impressa sit indiuisibilis in repræsentando? Secundum, an sit indiuisibilis, ac remissibilis, & suscipere possit magis, ac minus? Tertium, an habeat contrarium? Quæ breuiter diffiniemus. Ac primum certum est speciem spiritualem intellectus etiam circa obiectum diuisibile esse posse, & probabilius de facto esse omnino indiuisibilem, cum intellectio eiusdem obiecti, quæ ex illa oritur indiuisibilis sit. Certum est speciem impressam materialem esse subiectiuè diuisibilem, quia cum subiecto diuisibili, cui inhæret, commensuratur. Inquirimus verò an talis species sit obiectiuè diuisibilis, an indiuisibilis, id est, an cuilibet indiuisibili obiecti, verbi gratia, coloris, distinctum in oculo indiuisibile speciei impressæ correspondeat, à quo repræsentetur, an verò vnum indiuisibile speciei plura indiuisibilia coloris repræsentet? Conimbricenses hic lib. 2. cap. 6. quæstione 2. artic. 2. ad 3. dicunt esse indiuisibiles in repræsentando. Toletus 2. de anima cap. 12. quæstione 34. conclusione 4. & quoad modum repræsentandi indiuisibiliter, ita vt vna pars speciei sit repræsentatiua plurium partium obiecti diuisibilis, tenet Carleton disputat. 15. de anima sect. 6. num. 11.

Assero primò, species impressæ materiales sunt 2
etiam in repræsentando diuisibiles ita, vt cuilibet indiuisibili obiecti distinctum speciei indiuisibile correspondeat, à quo repræsentetur. Ita recentiores communiter P. Hurtado disputatione 12. de anima sectione quinta, Arriaga disputatione 4. de anima sectione 7. numero 223. Franciscus Alphonsus disputatione 7. de anima sectione 5. numero 68 Ouiedo controuers. 13. de anima parte 5. Carleton suprà quantum ad diuisibilitatem materialem speciei obiecti materialis, & alij multi. Probatur, species non potest repræsentare propriè nisi obiectum, à quo efficitur, est enim propria tantùm illius; ergo species, quam mittit hoc præcisè indiuisibile, vel hæc tantùm pars coloris, non potest alia indiuisibilia, vel alias partes coloris, quæ etiam videntur repræsentare. Dices, speciem impressam, quæ fit ab hac parte coloris, fieri etiam ab aliis omnibus partibus coloris, quæ videntur, & ita esse speciem illarum propriam, ac omnes illas repræsentare. Sed contrà: si aliqua pars coloris obiecti corpore interiecto operiatur, & alia eiusdem coloris pars operta non maneat, hæc pars coloris efficiet in oculo speciem, quæ illam, & non partem aliam coloris repræsentet, aliàs aliam etiam pars coloris operta ab oculo videretur, ergo etiamsi dempto hoc corpore, & obstaculo hæc alia secunda pars coloris videatur, illa prima pars coloris efficiet in oculo eamdemmet speciem impressam sui, quæ ipsam, & non aliam partem coloris repræsentet, quam antea efficiebat. Patet consequentia, quia quando manet eadem virtus actiua, & passiua, & non adest extrinsecum aliquod impedimentum, manet idem effectus, qui ante erat; sed in prædicto casu manet eadem virtus actiua illius speciei in prima parte coloris, & eadem virtus passiua in oculo, quæ antea erat quando alia pars coloris operta erat, & nullum adest impedimentum, ne talis species efficiatur; ergo illa prima pars coloris, etiam alia parte coloris discooperta, efficiet in oculo eamdem speciem, quæ ipsam præcisè, & non aliam partem coloris repræsentet, quam antea efficiebat.

Confirmatur: vna res, sicut non potest per modum obiecti agere formalem repræsentationem, & cognitionem alterius rei, cum qua non habet necessariam connexionem, ita nec potest agere per modum obiecti virtualem repræsentationem, ac speciem impressam illius; sed vna pars coloris non habet secundum se necessariam connexionem cum alia parte coloris; ergo non potest hæc pars coloris efficere speciem ac repræsentationem illius; ergo species impressa effecta ab hac parte coloris illam præcisè, & non aliam partem coloris repræsentat.

Obiiciat quis: si species impressa materialis es- 3
set obiectiuè diuisibilis, cum quis videt montem latissimum tot essent in oculi pupilla indiuisibilia speciei, quot sunt indiuisibilia coloris in monte; sed hoc implicat, cum pupilla non sit tam lata, & extensa, sicut mons; ergo. Confirmatur: quia species spiritualis obiecti diuisibilis est in repræsentando indiuisibilis; ergo & species materialis; etenim ex eo, quod illa species sit spiritualis, & hæc materialis non sequitur, quod illa sit indiuisibilis, & hæc diuisibilis; nam diuisibilitas potest competere rei spirituali, v. g. *vbi* Angelico & indiuisibilitas rei materiali, verbi gratia, puncto quantitatis. Vrgeat, quia sequeretur, cum video montem, tot etiam esse visiones in oculo, quot indiuisibilia in monte, quod

est absurdum. Respondeo, in quouis puncto pupillæ esse tot indiuisibilia speciei, quot sunt indiuisibilia coloris in monte, quod non implicat, cum omnia illa indiuisibilia speciei in eodem loco, & subiecto naturaliter penetrẽtur. Ad primam confirmationẽ dico speciem spiritualem intelligibilem esse indiuisibilem in repræsentando, speciem verò materialem sensibilem esse diuisibilem propter illius excellentiam, & imperfectionem istius, sicut de ipsa intellectione, ac sensatione asseueramus. Ad secundam confirmationem respondeo, sicut indiuisibilia speciei quasi extensiuè vniuntur, vt vnam speciem completam illius obiecti constituant, ita omnia indiuisibilia visionis montis vniri etiam quasi extensiuè & vnam illius obiecti completam visionem constituere.

4 Assero secundò, species possunt intendi, ac remitti, & suscipere magis ac minus. Ita omnes ferè communiter. Probatur: quia experimur clariùs, ac intensiùs videre colorem, & audire sonum, cum minus distantes sumus, sed hoc non potest prouenire nisi ex clariori, & intensiori specie, quam obiecta in passo minus distinctè producunt; ergo species impressæ magis, ac magis intenduntur. Similiter experimur nos aliquando tenacius, & firmius imaginari, & cogitare aliqua obiecta, & aliquando infirmius, & debilius, quod quidem non aliunde, quam ex intensiori, aut remissiori specie ortum habet: ratio à priori est, quia qualitas, quæ non est passio substantiæ, potest intendi, ac remitti; species autem impressa est qualitas, & non est passio substantiæ; ergo potest intendi, ac remitti.

5 Sed quærat quis à quonã istæ species intendantur? dico species sensuum externorum intendi ab obiectis pro maiori distantia à potentia, & maiori proportione medij. Species autem sensuum internorum intendi à propria causa efficiente, quam infrà ostendam, pro intensiori sensatione externa, à qua talis causa determinatur. Species autem intellectus intendi à propria causa efficiente, quam etiam infrà explicabo, pro vehementiori, ac intensiori phantasmate, ac sensatione, seu cognitione interna, à qua causa illa applicatur ad talem speciem efficiendam, & intendendam; species verò animæ separatæ, & Angeli intendi solùm à Deo auctore naturæ, quando efficiuntur.

6 Assero tertiò, species impressa non habet contrarium. Ita P. Suarez tom. 2. metaph. disp. 45. sect. 3. n. 2. & alij plures. Probat, quia si aliquæ species contrariantur inter se, maximè species contrariorum; sed hæ non contrariantur, nam in oculo dantur simul species albedinis, & nigredinis, cum albedo, & nigredo simul ab oculo videantur; ergo species impressæ inter se non contrariantur. Dices, habitus ad actus contrarios intellectus, verbi gratia erroris, & scientiæ sunt contrarij; ergo species ad eosdem actus contrarios erunt contrariæ. Transeat antecedens de habitibus naturalibus, quia sapiunt naturam actuum, quorum sunt semen, & cum quibus proportionantur, species verò cum dent simpliciter posse assimilantur potentiæ; vnde sicut potentia ad actus contrarios non habet contrarietatem in seipsa, ita species ad actus contrarios non includunt contrarietatem inter se.

7 Hic inquiri solet, an species corrumpantur? Species sensuum externorum corrumpuntur destructo obiecto à quo tantùm efficiuntur, & conseruantur, scilicet lux à corpore luminoso; quia id experientia testatur, & fatentur ferè omnes. Diffitetur autem P. Vasquez tom. 1. in 1. part. disp. 38. num. 9. & tom. 1. in 1. 2. disp. 81. num. 16. & 17. quia asserit interdum destructo obiecto eius speciem, ac visionem aliquandiu manere, quia cum vehementem aliquam lucem intense vidimus, clausis oculis experimur aliquod lumen per breue tempus videre; ergo quia ibi manet species lucis, quam vidimus. Sed facilè respondetur eam non esse sensationem, ac visionem sensus externi, in quo obiecto destructo, vel impedito non manent eius species, sed sensus interni, in quo species perseuerant; vel dici potest clausis oculis videri lumen quoddam existens in ipso organo, quod ab spiritibus animalibus illuc accurrentibus causatur, vt quidam volunt. An verò species sensus interni, & intellectus naturaliter corrumpantur, infrà in tractatu de habitibus definiemus. Alia vide apud citatos auctores assertione prima, num. 2.

CAPVT II.

A quo tanquam à causa efficiente species impressa oriatur?

SPecies sensuum externorum efficiuntur ab obiectis, vt suprà disp. 8. cap. 1. pluribus experientiis monstratum est. 8

Species verò animæ separatæ, seu Angeli à solo Deo auctore naturæ producuntur, vt latè probant Theologi cum D. Th. 1. p. q. 55. art. 2. controuersia autem est de speciebus sensus interni, & intellectus, à quanam causa effectrice promanent? Communis sententia est dari intellectus agentem, & possibilem, siue re, siue sola ratione inter se diffideant, & species obiectorum intelligibiles fieri ab intellectu agente, ipsas verò, & cognitiones in intellectu passibili, seu possibili subiectari. Ita omnes Philosophi communiter.

Assero tamen species intelligibiles obiectorum non fieri ab intellectu, sed tantùm à Deo auctore naturali supplẽte defectum causæ creatæ, scilicet obiecti, quod illas debebat efficere. Hanc sententiam docentem species ab intellectu non fieri tenet expressè Durand. in 2. dist. 3. quæst. 5. in eam etiam propendet Ochanus in 2. q. 25. ad finem. Hurtado, disp. 5. de anima sect. 1. quibus etiam doctissimi recentiores acquiescunt. Probatur, causa creata naturalis non supplet defectum alterius causæ, nisi sit semen, ac virtus naturalis illius, quæuis enim alia causa est ad proprium, & particulare munus naturaliter destinata, & Deo solùm vt auctore naturali incumbit supplere causæ creatæ defectum, si ipsa non possit per seipsam operari, vt constat ex dispur. 17. Physic. cap. 3. sed efficere species intelligibiles obiecti, est supplere defectum causæ creatæ, scilicet ipsius obiecti, quod debebat propriam speciem efficere; ergo tales species intelligibiles, vel efficiuntur à causa creata, quæ sit semen, & virtus naturalis obiecti, vel à solo Deo auctore naturali vice obiecti producuntur: atqui non efficiuntur à causa creata, quæ sit semen, & virtus naturalis obiecti, intellectus enim à quo dicunt aduersarij tales species produci, non est semen, ac virtus naturalis obiecti, sed solius animæ; ergo species intelligibiles à solo Deo auctore naturali vice obiecti producuntur. Confirmatur: species intelligibiles Angelicæ non fiunt ab intellectu Angelico, sed tantùm à Deo auctore naturali operante loco obiecti posito tali obiecto; ergo etiam species humanæ non fiunt ab intellectu humano, sed tantùm à Deo auctore naturali operante loco obiecti posita sensatione talis obiecti. 9

Hinc infero species sensuum internorum, cum non possint fieri ab obiectis sensibilibus, sunt enim illis longè subtiliores, neque à sola sensatione externa, quæ crassior est iis speciebus, non fieri à sensu interno, sed à Deo auctore naturali supplente defectum obiecti ob eamdem rationem, qua id de speciebus intellectus ostendimus. Verùm obserua Deum vt auctorem naturalem per externam sensationẽ alicuius obiecti determinari ad efficiendam speciem impressam in sensu interno circa tale obiectum, & per sensationẽ internam 10

obiecti

obiecti determinari eumdem Deum ad efficiendam ſpeciem impreſſam talis obiecti in intellectu. Ratio eſt, quia tunc Deus, vt auctor naturalis efficit ſpeciem impreſſam in ſenſu, quando anima eſt vltimo diſpoſita, ac petit habere talem ſpeciem ad ſentiendum interne, & tunc efficit ſpeciem impreſſam in intellectu, quando anima eſt vltimo diſpoſita, ac petit habere talem ſpeciem ad intelligendum; atqui anima per ſenſationem externam obiecti eſt vltimo diſpoſita, ac petit habere ſpeciem ad ſentiendum tale obiectum, & per internam ſenſationem obiecti eſt vltimo diſpoſita, & petit habere ſpeciem ad tale obiectum intelligendum; ergo Deus vt auctor naturalis per ſenſationem externam obiecti determinatur ad efficiendam ſpeciem in intellectu.

11 Sed inquirat aliquis, qua ratione fiat ſpecies obiectorum, quæ ſenſu non percipiuntur, verbi gratia, ſubſtantiæ, rei ſpiritualis, ſcilicet Angeli, &c. Reſpondeo, intellectum primo per ſpeciem accidentis ſenſibilis poſitis quibuſdam præmiſſis cognoſcere diſcurſiuè, impropriè, & ad modum accidentis ipſam ſubſtantiam, quæ ſub accidentibus latet, & tunc etiam ſenſum internum per ſpeciem ſenſibilium, quam habet, cognoſcere aliquod accidens ſimile ſubſtantiæ; per hanc autem cognitionem impropriam, ac ſenſationem ſubſtantiæ animam vltimo diſponi, vt Deus auctor naturalis in illa producat ſpeciem aliquam propriam ſubſtantiæ, qua intellectus cognoſcat propriè ſubſtantiam, ſemper tamen ad ſimilitudinem accidentis, & aliam ſpeciem in ſenſu interno, qua cognoſcat ex parte obiecti accidens, ex parte verò modi ita illud attingat, vt videatur cognoſcere ſubſtantiam. Rurſus intellectus per ſpeciem ſubſtantiæ, ſeu accidentis poſitis aliis præmiſſis cognoſcit diſcurſiuè, per modum accidentis, & valdè impropriè rem ſpiritualem, verbi gratia, Angelum, & tunc etiam ſenſus internus per ſpeciem accidentis ſenſibilis cognoſcit aliquid ſimile Angelo, ſcilicet iuuenem pulchrum alatum, & per hanc impropriam cognitionem, ac ſenſationem rei ſpiritualis, ſcilicet Angeli, vltimo diſponitur anima, vt Deus auctor naturalis efficiat in eius intellectu ſpeciem propriam, qua Angelum propriè cognoſcat, ſemper tamen ad modum rei materialis, & aliam ſpeciem producat in ſenſu interno, qua licèt ſenſus accidens materiale cognoſcat, videatur attingere rem ſpiritualem.

CAPVT III.

In quo vt in cauſa, materialis ſpecies impreſſa ſubiectetur.

SErmo eſſe poteſt de triplici genere ſpecierum; de ſpeciebus ſpiritualibus; de ſpeciebus corporeis animæ rationalis, ac de ſpeciebus materialibus animæ materialis, & eſt quæſtio, in quo iſtæ ſpecies recipiantur?

12 Assertio prima, ſpecies impreſſæ ſpirituales hominis recipiuntur in ſola anima rationali, & ſpecies intentionalis brutorum etiam in ſola anima ſubiectantur. Prior pas patet, quia ſpirituale non poteſt recipi, ac pendere à ſubiecto materiali; ſed ſi ſpecies ſpirituales hominis reciperentur etiam in materia, penderent à ſubiecto materiali; ergo non recipiuntur in materia, ſed in ſola forma rationali. Poſterior pars etiam probatur: forma aliqua in eo ſubiecto naturaliter recipitur, quod eſt ipſi magis connaturale; ſed forma equina, verbi gratia, eſt ſubiectum magis connaturale ſpeciei impreſſæ, quam materia, cum ſpecies impreſſa ordinetur naturaliter ad complendam animam in ratione principij proximi viſionis obiecti, & non ad complendam materiam; ergo tales ſpecies equi tantùm recipiuntur naturaliter in eius anima. Hoc intellige ſuppoſito, quod potentiæ non diſtinguantur ab eſſentia animæ, alioquin etiam partialiter in ipſis potentiis intellectiuis, ac ſenſitiuis, cum illas etiam intrinſecè compleant in ratione principij iſtæ ſpecies recipientur. Nec obſtat, quod ſuprà in libris de generatione diſputatione 2. capite 1. dixerimus accidentia materialia in ſola materia recipi, nam ibi ſolùm loquuti ſumus de accidentibus, quæ nec vitalia ſunt, nec cum vitalibus connexa, quales ſunt ſpecies.

13 Aſſero ſecundò, ſpecies materiales hominis nec in ſola anima rationali, nec in ſola materia, ſed in vtraque vt in vno ſubiecto adæquato recipiuntur. Probatur, forma materialis non poteſt inhærere, ac recipi in ſubiecto adæquato ſpirituali, quia non eſſet, vnde materialitatem haberet; ergo tales ſpecies materiales non poſſunt vt in ſubiecto adæquato inhærere, & recipi in ſola anima rationali, quæ eſt omnino ſpiritualis; ac proinde debent recipi in materia ſaltem vt in ſubiecto partiali. Deinde etiam forma debet recipi naturaliter in ſubiecto, quod eſt primariò, ac præcipuè aptum ad eius effectum formalem; ſed forma rationalis, & non materia, eſt primariò, ac præcipuè apta vt compleatur per ſpeciem in ratione principij proximi ſenſationis quod eſt effectus formalis talis ſpeciei materialis; ergo tales ſpecies debent etiam recipi in anima rationali vt in alio ſubiecto compartiali.

14 Sed aliquis pro complemento huius tractatus inquirat, à quonam ſpecies impreſſæ ad operandum excitentur? res eſt dubia. Species ſenſuum externorum ſi ſemel exiſtant, & organum non ſit læſum, ſtatim operantur. Species ſenſus interni excitantur à ſenſatione externa eiuſdem obiecti, & etiam ab interna alterius obiecti ſimilis, ac etiam ab humore prædominante, qui ſpecies ſecum proportionatas immutat, & facit operari, & ideo ſanguinei in ſomnis imaginantur res iucundas, melancholici triſtes res, &c. Species intellectus excitantur à ſenſatione interna eiuſdem obiecti, vel ab alia cognitione alterius obiecti ſimilis. Species autem Angelicæ excitantur à Deo, & ab Angeli voluntate de quo alibi.

Et hæc de iſto Tractatu tertio, dicta ſint ſatis.

TRACTATVS QVARTVS.

De Anima vegetatiua, sensitiua, & rationali.

EGIMVS in superioribus de Anima in communi, de eius potentiis, ac speciebus; nunc iam de anima sigillatim, & in particulari differendum est, nimirum de anima vegetatiua, de sensitiua, & maximè de rationali, vt est corpori coniuncta, plura enim continent scitu digna, quæ nostris disputationibus explanabimus.

DISPVTATIO II.

De Anima vegetante, & sentiente, & earum facultatibus.

TRIA capita continebit. In primo, Animæ vegetatiuæ, atque sensitiuæ essentia, ac munera declarantur. In secundo. Nonnulla quæsita circa potentias sensitiuas expediuntur. In tertio inquiro, an de facto detur, darive possit potentia sensitiua, quæ obiectum spirituale cognoscat?

CAPVT I.

Animæ vegetatiuæ, atque sensitiuæ essentia, ac munera declarantur.

1 DE Anima vegetatiua, atque sensitiua pauca in præsenti dicemus, solúmque earum naturas, ac facultates breuiter indicabimus, plura alia ad auctores remittentes; tum quia leuia, ac parui ponderis, & difficultatis exiguæ; tum quia ad animam rationalem alia difficiliora, & excellentiora nos vocant. Consulite Conimb. qui lib. 1. de gener. c. 4. & 5. variis quæstionibus, & hic lib. 2. c. 4. q. vnica, rectè differunt de anima vegetatrice: & eodem lib. 2. à cap. 6. per totum, & lib. 3. c. 1. 2. & 3. per plures quæstiones, & c. 13. q. 1. de anima sensitiua, eiúsque potentiis eruditè tractant; ex quibus hæc nos in præsenti collegimus.

2 Anima vegetatiua est illa, quæ est principium vegetationis, scilicet nutritionis, qua totum coaugmentatur, ac nutritur: est triplex, alia, quæ est tantùm vegetatiua, vt anima plantæ, alia quæ simul est vegetatiua, ac sensitiua, vt anima bruti; alia quæ est simul vegetatiua, sensitiua, ac rationalis, vt anima hominis; quæ quidem inter se differunt specie. In anima vegetatiua tria elucent munera, scilicet nutriri, quod pertinet ad conseruationem indiuidui; augmentari, quod spectat ad eius connaturalem constitutionem, & generare, quod ad speciei conseruationem, & propagationem conducit: Hinc tres sunt in ipsa anima vegetante facultates, videlicet nutritiua, augmentatiua, & generatiua, quæ licet reipsa ab anima differerent, non distinguerentur inter se, sed eadem potentia reipsa illo triplici munere gauderet, cum enim ad eundem specie terminum illæ potentiæ tendant, & natura maximè compendio studeat, non esset sufficiens ratio eas potentias distinguendi. Recognosce dicta in lib. de generatione disp. 5. cap. 4. & 5. & suprà disp. 2. c. 6.

3 Nobilior est anima sensitiua, quæ quidem est principium sentiendi, scilicet, videndi, audiendi, &c. est duplex; alia quę est purè sensitiua, & non rationalis, vt anima bruti; alia, quę etiam est simul sensitiua, & rationalis, vt anima hominis, quæ specie inter se dissident. Hæc autem anima sensitiua quinque habet sensus externos, nimirum visum, auditum, olfactum, gustum, tactum, non plures pauciores ve, (gratis in hac disp. suppono potentias ab anima condistingui) etenim quinque diuersæ organizationes, ac munia, quæ sentiens anima externè solùm exercet, eas tantùm quinque facultates externas sensitiuas manifestant.

De Visu.

VIsus est omnium excellentissimus sensus, nam ex D. Thom. in hoc 2. lib. lect. 14. visus primum obtinet locum, cum sit omnium, nobilior, vnde ex ipsa natura apparet quod visus est altior inter sensus, & auditus propinquior, eius sedes vt inquit Amb. lib. 6. exameron, cap. 9. & in fronte vbi oculi, velut in quadam specula siti sunt, vnde omnia facilè prospectent, fabrica oculi mira est, constans tribus humoribus, chrystallino, qui in medio oculi est, albugineo, & aqueo, quod se habet instar speculi; proxima dicitur reticularis, *tertia vnea*, & ex colore huius tunicæ oculi dicuntur nigri, *cæsij*, *glauci*, &c. hæc sola non ambit totum oculum, sed foramen in medio habet per quod pupilla cernitur; quarta est cornea, quinta demum vocatur *adhærescens*, *& alba*, habet vlterius oculus. *Septem* musculos, qui ei ad motum, & miram illam volubilitatem deseruiant, hoc modis quatuor, vt eum sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum flectat, duo alij eum in gyrum voluunt. Septimum tandem illum sedi suæ, & loco infigit, ibique firmiter retinet, his adde duos neruos, qui optici, seu visorij vocantur, vnus à dextera parte cerebri ad dextrum, alter à sinistra ad sinistrum oculum tendit, per quos spiritus animales à cerebro ad oculos, & ab iis ad sensum communem, & phantasiam transmittuntur. 4

Eius obiectum est lux, & color. Lux est qualitas nobilissima à sole, aliove corpore luminoso generata, corpus illustrans, & per seipsam potentiam visiuam immutans independenter ab alio. Color est qualitas quædam ex primis qualitatibus etiam iuuante lumine producta immutans potentiam visiuam cum dependentia à luce. Medium per quod lux, & color traiiciunt speciē ad visum est corpus diaphanum, quod est aptū secundum se totum illustrari, non tantùm requiritur quod actu perspicuum sit, vt per illud species ad sensum mittantur, lux enim distans per spatium, ac mediū nimis obscurum videtur, vt docet experientia; requiritur tamen quod color ipse luce perfusus sit, vt videri possit, non tamen est necessarium quod totum medium illuminetur, nam è loco obscurissimo, ignis à longè videtur, & quo obscurior locus, eo cæteris paribus meliùs videtur, vnde qui habent oculos profundos, & non nihil in caput demissos, acutius vident, quia species meliùs colligantur; organum visus est humor quidam chrystallinus qui in medio oculi insidet, & ob sui perspicuitatem accommodatissimus est, vt in illo visio fiat. 5

Sed inquirat quis, an color dissideat à lumine. Respondeo, veros colores, vt albedo, nigredo, viriditas, &c. distingui realiter à lumine, ita Aristotel. 1. libro de anima text. 71. & 2. lib. de anima 6

cap.

cap.12. & 13. text.69 D. Thomas ibidem lect.24. de ſenſu, & ſenſato, 1.p.q.67. art.6. & de verit. quæſt.10. art.8. Ioan. à S. Thoma quæſt.7. de anima art.1. & 2. Complut. diſp.10. de anima quæſt.1. & 2. Franciſcus Alphonſus, diſp.10. de anima ſect.1. Suarez lib.3. de anima cap.5. Conimbr. lib.2. de anima cap.7. quæſt.1. art.1. Ruuius hic lib.2. de viſu quæſt.1. Murcia lib.2. de anima diſput.6. quæſt.2. Toletus lib.2. de anima quæſt.17. Hurtado diſp.17. de anima ſectione prima, Arriaga diſputatione 5. de anima ſectione 3. Ouiedo controuerſ.4. de anima part.1. numero 4. Carleton diſputatione 14. de anima ſectione 2. & communiter omnes. Probatur manifeſta ratione, nam decreſcente lumine, ac valde remiſſo, color, rubedo, verbi gratia, apparet æquè intenſa, licèt minus clarè cernatur, ergo manifeſtum eſt rubedinem, & alios colores permanentes eſſe aliquid realiter diſtinctum à lumine, aliàs non eſſent idem, quo gradu decreſcit lux, decreſceret color; Confirmatur, nam albedo, & nigredo, vt poſitiuè contrarij ſpecie diſtinguuntur, ſed lux non habet contrarium, ergo eſſentialiter diſtinguitur à prædictis coloribus. Colores verò apparentes in ipſo lumine incluſos conſiſtere quaſi indiſtinctos; videmus enim nubes ex diuerſa ſolis radiatione, nunc albo, nunc rubeo colore perfundi, & Columbarum ceruices, & Pauonum caudas ex diuerſo lucis aſpectu mirificè variare colores, quæ omnia ſatis indicant prædictos colores nihil aliud eſſe quam ipſum lumen, vt manifeſtè etiã cernitur in radiis ſolaribus, qui multoties apparent aurei cuiuſdã coloris.

7 Dices, canit Eccleſia: *rebuſque color redit vultu mentis ſideris*. & Poëta, *rebus nox abſtulit atra colorem*, & probat Ariſt. lib. de ſenſu, & ſenſato, cap.1. vbi ait, omnia corpora eſſe colore prædita, ergo lux quæ omnia corpora illuſtrat eſt color, ergo non diſtinguitur à luce; Sed contrà, etiam canit Eccleſia, *nox atra rerum contegit terræ colores omnium*, ergo non pereunt nocte colores, ergo remanent, & conſequenter non diſtinguuntur à luce. Reſpondeo, ſolùm velle Poëtam noctem, ſeu tenebras colorum aſpectum impedire, & ſolùm metaphoricè auferre colores, & quamuis ibi veri colores permaneant, non immutare viſum ex defectu luminis requiſiti, & conſequenter colorem realiter diſtingui à luce.

De Auditu.

8 AVditus eſt perfectione, ac dignitate ſecundus, nam vt ex Ariſtot. docet D. Thomas 2. de anima lect.14. *ex natura obiecti, apparet quod viſus eſt altior inter ſenſus, & auditus propinquior, & alij ſenſus magis remoti*, quæ ſequuntur omnes interpretes; auditus in materia quadam fluida, & ſubtiliſſima inſtar puriſſimi aëris conſiſtit, hæc materia ſita eſt in imo tortuoſi cuiuſdam tractus inſtar labyrinthi, cum per varios flexus eo tandem ducit; tria ſedem infimam auditus tenuia oſſa ambiunt, vnum inſtar *incudis*, inſtar malleoli, alterum tertium ad formam ſtapidis: hic vicina eſt membrana per quandam cauitatis illius partem tranſuerſa, quam tympanum vocant; & hæc fortè eſt cauſa, cur ſi quis aurem manu obturet, ſtatim ſtrepitum quemdam intus, & quaſi tumultum audiat, quod, ſcilicet aura intus incluſa calore dilatetur, & motum efficiat, ſicque alliſa ad tympanum ſtrepitum quemdam edit; demum vt ad oculos, ſic ad aures nerui, à cerebro deriuantur, vt ſpiritus animales ad eas deferant, & vt cerebrum viciſſim per eas ſpecies rerum ab auribus recipiat, & hæc eſt breuiter ſtructura, & fabrica auditus.

9 Eius obiectum eſt ſonus, qui eſt qualitas quædam ex fractione aëris, vel aquę reſultans, aptaque immutare potentiam auditiuam. Medium per quod ſonus mittit ſui ſpecies ad auditum eſt aër, & aqua, piſces enim audiunt, vt experientia conſtat; Organum auditus eſt aër quidam, non elementalis, ſed vitalis, & animatus illi ſimilis, qui intra membranulam quamdam, quæ tympanum auditus dicitur, aſſeruatur, & apriſſimus eſt, vt ibi auditus inſideat, ac in ipſo actus auditionis exerceat; ſubiectum ſoni eſt corpus illud medium confractum ex vi talis colliſionis, ipſa verò corpora percutientia effectiuè illum ſonum efficere, vt docet D. Th. 2. de anima ſect.16. ad text.77. his verbis, *in corpore ſonante non eſt ſonus, niſi in potentia, in medio autem quod monetur ex percuſſione corporis ſonantis fit ſonus in actu*; quæ ſequuntur Bañez 1.p.q.78.art.3.dub.3. de auditu, Suarez lib.3. de anima c.19. Complut. diſp.11. de anima q.2. Ioan. à S. Thom. q.7. de anima art.3. Carlet. diſp.14. de anima ſect.3. Conimbr. Toletus, Ruuius, Arriaga, Auicenna, Simplicius, Albertus Magnus, Caiet. & communiter omnes; Probatur: quia in eo ſubiectatur ſonus vbi eſt motus, quem ſonus comitatur, ſed motus non ſubiectatur in corporibus percutientibus, quia hæc non mouentur, ſed effectiuè mouent, ergo recipitur in corpore medio ex colliſione confracto, ſiue in aëre: conſequentiam probo, nam ſonus eſt vnum, ergo debet recipi in vno ſubiecto, nam vnum accidens non poteſt eſſe in duobus ſubiectis, aliunde non poteſt recipi in ipſis corporibus ſe collidentibus, quia non mouentur, ſed mouent, & non eſt maior ratio cur in vno quam in alio recipiatur, ergo à fortiori debet recipi in toto illo aëre, ſeu corpore medio in quo fit motus confractiuus eius.

Vocem ſic diffinit Ariſt. 2. de anima text.87. *Eſt percuſſio aëris reſpirati, qui fit ab anima in pulmonibus ad arteriam vocalem cum quadam imaginatione*; nomine percuſſionis, ſeu ictus intelligitur cauſaliter ipſe ſonus, vox enim in ſe quidam ſonus eſt, cauſa verò ex quibus ſonus habet eſſe vitalis, & animalis, efficiens, & principalis eſt anima inſtrumentalis pulmo & arteria vocalis, directiua imaginatio ipsáque, vt exprimens vocem dicitur finalis, quia finis vocis eſt exprimere conceptus, materialis eſt aër, vox enim in aëre refracto recipitur; alia vide apud Conimbr. 2. de anima cap.8.q.3. art.3. Complut. & Ioan. à S. Thoma. 10

Echo, iuxta Ariſt. *eſt ſonus ex ſolidis, & concauis corporibus, reflexus*, & fit ex reflexione, vel ipſius ſoni, vel ſpecierum; dari quidem iſtam reflexionem experientia demonſtrat, nam ſonus, ſeu vox defertur per circulos, quibus mouetur aër, ſicut cum aqua impulſu aliquo, ſeu ictu lapidis gyrationes, & circulos efficit, iſti autem circuli ſi in corpus aliquod durius, ſeu craſſius impingant, vel diſſipantur, non fit echo, ſed illa corpora, quæ ita ſunt diſpoſita, vt non diſſipent, ſed reſtaurent gyrationes, vt ſunt corpora concaua, leuia, & benè compacta, quæ aërem in ſe non abſorbeant, nec frangant, vt cõtingit in ripis fluminum, & ſimilibus, alia verò corpora mollia, aut aſpera, & inæqualia, ſeu hiatibus plena diſſipant illas gyrationes, & ſic non fit echo; alia vide apud Conimb. ſuprà Complut. Ioan. à S. Th. q.7.art.4. quæ eruditè, & curioſè pertractant. 11

De Olfactu.

OLfactus ſequitur dignitate poſt auditum, & ſitus eſt in ſummitate interioris partis narium in duabus particulis carnis ſpongioſis, inſtar mamillarum, quæ cerebro ſunt proximæ, eius obiectum eſt odor, qui quidem, *Eſt quædam qualitas ex ſicco, humido, & calido, ſicco prædominante reſultans, ac immutans odoratum*, ſicque definitur ab Ariſtot. lib. de ſenſu, & ſenſato cap.5. & D. Thom. ibidem lect.12. *Odor eſt qualitas ex temperamento primarum qualitatum reſultans ſiccitate prædominante, ſeu excedente, & & calore humido decoquente*; eo autem præcisè quod odor ſit qualitas 12

resultans ex temperamento primarum qualitatum, à fortiori erit secunda aut mixta; & subiectum eius erit mixtum, nam in elementis in sua puritate consideratis non inuenitur odor; hoc autem temperamentum sic confici videtur, quod siccitas excedat humidum, in saporibus vero humidum excedit siccum, experientia constat vtrumque, videmus enim res odoriferas, maximè sentiri aliquo calore exiccante, vt in calore æstatis, vel ignis res odoriferæ resoluuntur, & magis redolent; cæterum licet siccitas prædominetur odori non tamen totaliter vincit humidum, nam ea quæ sunt arida, vel tosta, vt ossa, vehementer ficca, & terra nimis sicca, & cineres odore carent; & similiter constat in lapidibus, & lignis, nam lapides nimis duri non olent, quia humore carent, ligna vero odorem retinent quia aliquid humoris habent, terra etiam nimis sicca non redolet, respersa vero pluuiali aqua efflat odorem, ergo aliquid humoris requiritur, & hac de causa per calorem excitantur odores, & per frigus, minuuntur, & cessant, ex iis etiam deprehendes, ea quæ sunt optimi odoris esse saporis amari, dulcia vero secundum suum natiuum temperamentum raro sunt odorifera, quia in eis prædominatur humidum. Medium, per quod odor suum esse intentionale diffundat, non inquiritur, cum species sui in potentiam non immittat, sed tantùm per seipsum odor immediatè sentiatur, vt dictum est suprà disp. 8. cap. 1. assertione secunda. Medium tamen, per quod ipse odor secundum esse reale diffundatur, est aer, & aqua, cum etiam odor à piscibus sentiatur; organum odoratus sunt quædam tubercula mammillaria, sic dicta quia mammillarum similitudinem referunt quæ innarium summitate occultè residen, nec enim aliud intelligi potest, quod aptum sit, præter tubercula illa, vt in eo olfactio fiat.

13 Hic à nonnullis inquiritur an res odorificę solas qualitates producant in subiectis, an etiam substantiam aliquam emittant, nam odor nutrit, & confortat cerebrum, aut etiam lædit, imò, & corrumpit corpora, & per continuam exhalationem odoris res odoriferæ minuuntur, quæ omnia signa sunt naturæ substantialis, ergo odor erit substantia. Respondeo odorem ex se non nutrire secundum quod est sensibile odoratus, sed substantia illa odorifera in qua odor inest, nec negamus à rebus odoriferis exhalari fumeam aliquam exhalationem, seu substantiam, sed negamus illam esse formaliter ipsum odorem, sed odoris subiectum, & ita odorem consistere in exhalatione, non formaliter, sed inhæsiue, & in hoc sensu intelligendus est Aristotel. lib. de sensu, & sensibili, cap. 5. hæc longiùs videri possunt apud citatos autores.

De Gustu.

14 GVstus quantum obtinet dignitatis, ac perfectionis locum, & est in ipsa lingua, sed præcipuè in ipsa cuspide; & differt à tactu, cum aliquando ab eo separetur, non solum in aliis corporis partibus, sed etiam in lingua, quæ primas qualitates sentit, non tamen sapores, aquam enim vitaliter tangit lingua, & tamen valdè imperfectè sentit saporem, ergo gustus sufficienter distinguitur à tactu; obiectum gustus est sapor, & sic definitur ab Aristot. lib. de sensu, & sensibili cap. 5. apud D. Thomam lect. 10. *Sapor est passio factu à sicco terrestri in humido aqueo, cum additione calidi, quæ gustum secundum potentiam alterando in actum reducit*; dicitur *passio* quia est qualitas tertiæ speciei, vel passibilis qualitas ex primis qualitatibus, humido prædominante resultans ac per seipsum immutans gustum; reliquæ particulæ ponuntur ad explicandam differentiam saporis ex variis causis; & in primis dicitur qualitas secũda, quia est resultans ex sicco terrestri, & humido aqueo, exprimuntur autem potiùs istæ qualitates, scilicet humidum, & siccum quia calidum, & frigidum sunt qualitates magis actiuæ, & pertinent ad rationem efficiendi, humidum vero, & siccum magis præbent materiam sapori.

Medium illius nullum est, quia talis sapor debet esse coniunctus potentiæ, vt ab illa sentiatur, nec potest vt etiam cernimus in colore secundum esse reale diffundi, cuius organum est lingua, & quo magis ad eius cuspidem peruenitur, vehementer est ibi sensus, vt experientia ostendit. Species saporis assignantur septem; sed extremæ necessariæ sunt duæ, nempe amarum, & dulce, species intermediæ principales, ad quas aliæ reducuntur, sunt sex, præter illas duas extremas, videlicet pingue, salsum, acetosum, austerum, ponticum, & acutum, species vero quæ ex eorum mixtura possunt fieri sunt innumerabiles, vt tradit Aristot. 7. de anima text. 105. D. Thomas ibi lect. 21. & de sensu, & sensibili lect. 11. quibus acquiescunt interpretes suprà enumerati. 15

De Tactu.

TActus crassior est, & infimum locum tenet, & petit obiectum sibi contiguum, & applicatum & sunt primæ qualitates, scilicet calor, & siccitas, frigiditas, & humiditas, asperitas etiam, & suauitas durities, & mollitudo, tactus diffunditur per totum ferè corpus, residetque in carne, & præcipuè in neruis, & maximè necessarius est in animalibus, vt dum per illum dolorem sentiunt, noxia fugiant, & vitam conseruent; obiectum tactus differt ab obiecto visus, in eo quod visus petit obiectum aliquantulum remotum, tactus vero vtpote perfectus petit obiectum sibi contiguum, & applicatum non vero intimè præsens, aut informans, sed vt proximum, hic enim videtur conceptus proprius tangendi qualiter tamen se habeant ad hunc effectum tam primæ quam secundæ qualitate, est maior difficultas, nullum etiam habet medium, cum debeat tale obiectum esse potentiæ necessario coniunctum, vt possit sentiri ab illa; organum illius non est pars aliqua corporis determinata, sed quælibet pars illius (ossibus exceptis,) scilicet, caro, nerui, & similia, in qualibet enim, (ipsa experientia magistra) illæ qualitates sentiunt. 16

In explicatione sensuum externorum magis experientia, quam ratione vtendum est, ipsa enim docet, non solum tactu dignoscere primas qualitates, vt calidum, frigidum, humidum, & siccum, sed etiam alias multas, vt molle, durum, asperum, & lene, ita ex Arist. & D. Thoma docent Conimbr. lib. 2. de anima cap. 11. quæst. 2. art. 1. Bañez 1. p. q. 78. art. 3. dub. 1. Ioann. à S. Thoma q. 7. de anima art. 7. Complut. disp. 14. de anima q. 2. Suarez lib. 3. de anima cap. 26. & 27. Carleton, Arriaga, Hurtado, Franciscus Alphonsus, & alij plures; Probatur manifesta ratione, nam omnes istæ qualitates sunt æquè tangibiles, & non vna mediante alia quantum ad rationem immutandi tactum intentionaliter, ergo nos tactu non solum dignoscimus primas qualitates, sed etiam secundas: consequentia est legitima, antecedens probatur, quia omnes istæ qualitates per se, & ab intrinseco sunt sensibiles, non vt sensibile commune est sensibile proprium tactus, cum ad alium sensum pertinere non possint, ergo sunt immediatè, & per se sensibiles, etiamsi primas qualitates immediatius sentiat, cum sint propinquiores secundis & sub eodem genere contineantur, quamuis secundæ oriantur à primi qualitatibus quantum ad physicam mixturam; habent tamen in se rationem propriam tangibilitatis, vt colores medij; qui licet in esse qualitatis oriantur à primis coloribus, in se tamen habent visibilitatem, & pertinent ad eandem potentiam visus, & mediãte luce ordinatè cognoscuntur, ad alterandum 17

tamen

tamen physicè, dispositiuè dependent à primis qualitatibus tamquam à conditione requisita vt sentiantur, etiam si in tangibilitate, & immutatione intentionali non penderent.

18 Ex iis inferes, tactum solùm sentire, seu percipere qualitates excessiuas, seu exsuperantias obiecti sensibilis. Ita Aristot. 2. de anima text. 118. iis verbis, *calidum, & frigidum, durum, & molle, non sentimus, sed excellentias tamquam sensu*, velut mediatione quadam existente eius, quæ in sensibilibus est contrarietatis, & S. Thomas ibidem lect. 33. *organum tactus non sentit illam qualitatem secundum quam est in actu, non enim sentimus id, quod est calidum, aut frigidum, durum, aut molle, secundum illum modum quo hæc insunt organo tactus*, sed sentimus excellentias tangibilis; subscribunt eis Caietanus, Bañez, Suarez, Flandria, Ruuio, Complutens. Ioan. à S. Thoma, Carleton, & communiter recentiores; & probatur etiam ratione experimentali; nam sensus debet esse in potentia ad suum sensibile, & non actu habere illud, nam si actu illud haberet, prohiberetur actu sentire extraneum, eo quod sensus debet pati à suo sensibili, quia tactus immutatur non solùm intentionaliter, sed etiam physicè, & realiter per contactum alterationis, ergo organum tactus non solùm debet carere intentionali specie sui sensibilis, sed etiam reali ipsa physica qualitate quam sentit, & cum debeat pati ab ipsa reali physica possione non potest illam actu habere, ergo cum tactus in se habeat aliquid frigoris, caloris, & cæterarum qualitatum, cum in se sit formaliter mixtum, necesse est, quod non sentiat illum calorem, vel frigus, quod habet, sed solùm excedens, cum ab hoc solùm immutetur, quod manifesta demonstrat experientia, nam manus nimis calida non sentit talem calorem minus intensum, neque æqualem, sed illud frigoris exsuperans frigiditatem, sicut manus nimis mollis, non percipit minorem mollitiem alterius, sed maiorem duritiem, quæ est in illa, ergo signum est solùm sentiri qualitatem excedentem; plura alia erudite, & copiosè tractant citati auctores.

19 Postremo datur in anima sentiente appetitus quidam internus sensitiuus, quo ad bonum delectabile per sensum internum apprehensum inclinatur: item in equo, v.g. experimur, quod inclinatur ad cibum, & ab alio noxio fugit; hæc autem fuga, ac inclinatio sunt actus appetitus sensitiui; ergo in equo, & in quouis alio bruto datur appetitus sensitiuus. Vnde etiam in homine talis appetitus, sicut, & sensus internus reperitur, cum insideat verè in illo integra natura sensitiua. Hic verò appetitus duo exercet munia, nimirum bonum sensibile prosequi, & vt sic dicitur concupiscibilis; & malum, quod bonum impedit, declinare, & vt sic dicitur irascibilis: hæ autem partes, scilicet concupiscibilis, & irascibilis non sunt duæ potentiæ, reipsa inter se distinctæ, sed vnica tantùm quæ vtroque munere fungitur: sed quærat quis vbi iste appetitus insideat? Communis sententia est in corde esse. Censeo tamen esse tantùm in cerebro. Ratio est: quia in illa parte animæ, in qua est sensus internus, debet necessariò esse appetitus sensitiuus, quia eadem-met pars animæ, quæ verè appetit aliquod bonum, debet necessariò illud per sensum internum cognoscere, alias si vna pars animæ cognosceret bonum, & alia pars animæ appeteret illud, ex cognitione, ac sensatione boni non attraheretur appetitus ad appetendum illud, vt ostendi in simili suprà disp. 4. cap. 1. n. 7. & disp. 5. cap. 2. num. 10. atqui sensus internus est tantùm in cerebro; tum quia ab ipso cerebro ducuntur duo nerui, per quos sensus internus ad alios externos sensus spiritus mittit; tum etiam, quia quando ex nimio studio, & rerum consideratione sensus internus defatigatur, dolor in cerebro tantùm sentitur; ergo etiam appetitus sensitiuus in cerebro tantùm insidet. Nec obstat illud Matth. cap. 5. *de corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, &c.* vbi cor pro anima vsurpatur, vt docet P. Valentia tom. 1. disp. 6. quæst. 2. puncto 5. sicut enim præcipua corporis pars dicitur cor, ita præcipua pars hominis, quæ est anima, cor appellatur. Ex qua, vbicunque insideat appetitus, illæ prauæ cogitationes, homicidia, & adulteria dimanant.

CAPVT II.

Nonnulla quæsita circa potentias sensitiuas expediuntur.

IN superiori cap. ostendimus essentiam animæ sensitiuæ, quantum ad facultates externas sensitiuas, remittentes ad sequentem disputationem examen facultatum internarum, seu sensuum internorum, in qua nonnulla dicemus, quæ curiositatis, & iucunditatis lectori aliquid afferant, nunc autem dubiola quædam ad ipsas attinentia expendenda sunt, vt meliùs earum quidditas dignoscatur. 20

Inquiro primò, an si quando sensus externus, v. g. potentia visiua videt aliquem colorem, Deus illum colorem destruat, & in rationali potentia eandem ipsius coloris speciem, quam antea habebat, conseruet, diuinitus, possit potentia visiua elicere visionem circa colorem illum? ratio dubitandi est; quia potentia visiua sicut, & quiuis alius sensus externus, non potest elicere obiecti cognitionem abstractiuam, sed solùm cognitionem intuitiuam, ac visionem, ad quam natura sua essentialiter determinata est; sed si in prædicto casu eliceret potentia visiua cognitionem aliquam circa colorem destructum, eliceret cognitionem non intuitiuam, sed abstractiuam, nam talis cognitio esset notitia, non quidem rei existentis, ac præsentis, quæ est intuitiua, sed coloris non existentis, & absentis, quæ est abstractiua; ergo potentia visiua in eo casu non posset elicere visionem circa illum colorem. 21

Assero tamen potentiam visiuam in prædicto casu cum eadem coloris specie in ea diuinitus asseruata, posse elicere visionem intuitiuam circa colorem illum, qui antea existebat, licèt modo non existat. Probatur: ad eliciendam visionem intuitiuam alicuius rei, tantùm requiritur quod sit potentia visiua cum specie propria illius rei, & quod talis res existat in aliquo instanti temporis præsenti, præterito, vel futuro, Deus enim intuitiuè videt rem, quæ extitit, vel existit, vel extitura est; sed in nostro casu datur potentia visiua cum specie propria coloris, & color habuit iam existentiam, in aliquo instanti temporis præterito, ergo in tali casu potest potentia visiua elicere visionem intuitiuam circa colorem illum, quo soluitur ratio dubitandi; non enim requiritur ad rationem visionis intuitiuæ per se notitia rei existentis in hoc instanti præsenti, sed sufficit, quod sit cognitio rei existentis in aliquo instanti saltem præterito, quod in prædicta visione coloris antea existentis, & modo destructi reperitur. 22

Sed quærat quis; an si potentia visiua haberet diuinitus speciem albedinis, quam modo habet, & albedo in nullo instanti temporis extitisset, existeret, nec extitura esset, potentia visiua posset elicere cognitionem aliquam circa illam? Censeo posse in eo etiam casu elicere visionem, qua albedinem, vt existentem apprehenderet, quia vt potentia cognoscitiua cognoscat rem, vt existentem sufficit, quod habeat speciem illius vt existentis; sed tunc potentia visiua haberet speciem albedinis, vt existentis; ergo posset elicere visionem, seu congnitionem albedinis vt existentis: Dices ergo etiam Deus habet visionem intuitiuam existentiæ rei, quæ nunquam extitit, nec extitura est, 23

Nego, quia omnis visio in Deo est iudicatiua, atque ita si talis visio esset in Deo, iudicaret Deus per illam rem existere, quæ nunquam extitit, nec extitura est, quod esset falsum; cum autem repugnet Deum falli, repugnat habere Deum visionem intuitiuam existentiæ rei, quæ nunquam est. Visio verò sensitiua, non est iudicatiua, sed tantum apprehensiua, & simplex, atque ita licet apprehendat rem vt existentem, quæ nunquam extitit, non est formaliter falsa, nec potentia sensitiua decipitur quia non affirmat esse, quod non est. Vnde licet repugnet sensum falli, non repugnat habere visionem intuitiuam existentiæ rei, quæ nunquam extitit, nec extitura est. Petis, visio, qua nunc visus colorem cernit, videt illum vt præsentem in hoc tempore, videt illum, qui est præsens tempori, non vt formaliter tempori præsentem, quia duratio coloris, & tempus cum non sint color, nec lux, à visu non percipiuntur.

24 Inquiro secundo, an quando videtur color lucidus, cur se habeat hoc vt obiectum formale, & color tantũ vt obiectũ materiale respectu talis visionis? ratio dubitandi est; quia obiectum formale, & materiale in hoc differunt, quod formale est id, quod potest per se attingi, sine formali: atqui ex parte obiecti lux potest per se attingi à potentia visiua, & ab ipsa visione sine vllo colore, color vero non potest per se attingi à potentia visiua, & ab ipsa visione sine luce, vt per se constat; ergo lux, est obiectum formale potentiæ visiuæ, ac visionis, color vero est obiectum materiale.

25 Assero tamen etiam colorem, sicut & lucem esse obiectum formale potentiæ visiuæ ac visionis. Probatur primo, quia visio albedinis, & visio nigredinis ortæ ab eadem potentia visiua differunt specie, vt omnes fatentur; sed si non haberent pro obiecto formali albedinem, & nigredinem, sed solam lucem, quæ eadem est respectu vtriusque haberent idem specie obiectum formale, ac proinde non dissiderent specie; ergo habent etiam pro obiecto formali albedinem & nigredinem. Probatur secundo quia obiectum formale habere debet connexionem necessariam cum materiali, ratione cuius hoc cognoscatur propter illud, sed lux secundum se non habet connexionem cum colore; ergo lux non est obiectum formale, propter quod cognoscatur à potentia visiua color, vt obiectum materiale.

26 Hinc patet ad rationem dubitandi, ex eo enim quod color non posset ex parte obiecti cognosci sine luce, non sequitur quod lux sit obiectum formale, & color obiectum materiale, sed tantum quod lux sit conditio requisita ex parte coloris, vt ipse color videatur, requiritur autem lux vt conditio ex parte obiecti, vt color species sui immittat in potentiam visiuam, ipsa tamen lux distinctam speciem sui in eandem potentiam immittit, atque ideo distincta est visio, qua potentia visiua videt colorem à visione, qua videt lucem, vnde color est obiectum formale visionis coloris, sicut lux est obiectum formale alterius visionis ipsius lucis.

27 Inquiro tertio, an dentur in anima sensitiua quinque appetitus interni respondentes quinque externis sensibus qui reperiuntur in illa? Affirmant quidam neoterici, cum Scoto, P. Hurtado disput. 17. de anima sect. 11. ratio est; quia ens apprehensum vt sic, est obiectum alicuius appetitus; sed quando sensus externus, v.g. visus videt colorẽ, color est ens aliquod apprehensum; ergo vt sic est obiectum alicuius appetitus; atqui tale ens vt apprehensum per sensum externum non est obiectum appetitus interni sensitiui; hic enim respicit ens apprehensum per sensum internum; ergo ens illud scilicet color, vt apprehensus per sensum externum est obiectum alicuius appetitus externi sensitiui. Confirmatur; quia in homine datur ens apprehensum per cognitionem rationalem, datur appetitus rationalis, qui tendat ad illud, & quia datur ens apprehensum per cognitionem internam sensitiuam, datur appetitus internus sensitiuus; ergo cum etiam detur ens apprehensum per cognitionem sensitiuam externam, debet necessario dari alter appetitus sensitiuus externus: Dices sensum externum imperfectè solum ens apprehendere, atque ideo solum ministrare, & iuuare sensum internum, vt tale ens cognoscat, & appetatur ab appetitu interno: Sed contra, etiam sensus internus imperfectè cognoscit ens, & ministrat, ac iuuat intellectum, vt perfectè tale ens cognoscat, & à voluntate appetatur; & tamen adhuc datur alius appetitus sensitiuus internus, ac imperfectus, qui etiam imperfectè feratur ad illud ens imperfectè apprehensum per sensum internum; ergo similiter licet sensus externus imperfectè ens cognoscat, & ministret ac iuuet sensum internum, vt meliùs tale ens cognoscat, & appetatur ab appetitu interno, adhuc debet dari alius appetitus externus, ac imperfectus, qui etiam imperfectè tendat ad ens illud imperfectè cognitum, & apprehensum per sensum externum.

Assero tamen non dari sensitiuos appetitus exter- 28
nos, qui externis sensibus correspondeant. Ita communis schola. Probatur: obiectum appetitus non est ens, vtcumque apprehensum, sed ens apprehensum vt bonum, vel malum, cum appetitus solum respiciat ens sub ratione boni, seu mali; sed sensus externus non apprehendit ens vt bonum, vel vt malum, sed tantum vt colorem, vt odorem, vel vt sonum, etenim cognoscere ens vt bonum, seu vt malum, & inter obiecta discernere, pertinet ad sensum internum, & intellectum; ergo non debet dari appetitus externus, qui tendat ad obiectum apprehensum per sensus externos, licet dari debeat appetitus sensitiuus internus, qui tendat ad obiectum apprehensum per sensum internum, & appetitus rationalis, qui tendat ad obiectum cognitum per intellectum. Quo ratio oppositæ sententiæ corruit.

CAPVT III.

An de facto detur, dnrive possit potentia sensitiua, quæ obiectum spirituale cognoscat.

Mihi cum communi schola compertum est nul- 29
lam potentiam sensitiuam, quæ de facto datur, posse etiam per eleuationem diuinam cognoscere aliquid spirituale. Ita D. Thomas 1. p. q. 12. art. 3. & omnes eius expositores ad illum locum, P. Hurtado disp. 17. de anima sect. 1. Arriaga disp. 5. de anima sect. 1. Carleton disp. 15. de anima section. 2 num. 10. Franciscus Alphonsi. disp. 9. de anima sect. 8. Ouied. & alij permulti. Probatur, potentia quæuis cognoscitiua, cum vt sic formaliter sit vitalis, non potest tendere ad aliquid, in quo non inueniat propriam rationem formalem; sed potentia sensitiua v g. potentia visiua, quæ nobilior est, non inuenit propriam rationem formalem, in obiecto spirituali, nam ratio formalis obiectiua propria visus est ratio coloris, ac lucis, ad quam natura sua talis potentia de facto determinata est, quæ ratio non reperitur in obiecto spirituali; ergo potentia sensitiua, v.g. potentia visiua non potest tendere ad obiectum spirituale. Consequentia tenet cum minore. Maior autẽ sic probatur, potentia cognoscitiua, cũ vt sic formaliter sit vitalis, operatur, & elicit actus ab intrinseco, id est cum intrinseca proportione saltem non mutua cum ipsis ratione cuius, vel ipsa petat actus, vel ad minus petatur ab ipsis actibus, aliàs non posset illos vitaliter elicere: atqui si potentia ista eliceret actum circa obiectum, in quo non esset propria ratio formalis ipsius, non eliceret illum cum intrinseca proportione etiam non mutua cum ipso, quia nec peteret ipsa elicere illum,

ſum, cum hoc eſſet illi ſupernaturale, vt ſupponimus, nec actus ille peteret oriri ab illa, quia cum non reſpiceret obiectum, inquo eſſet propria ratio formalis potentiæ nulla eſſet ratio, quare ſpecialiter oriatur à tali potentia; ergo potentia cognoſcitiua vt ſic formaliter non poteſt tendere ad aliquod obiectum, in quo non inueniat propriam rationem formalem.

30 Obiiciat aliquis: lux producit naturaliter aliam lucem ſub ratione formali lucis, & tamen poteſt diuinitus eleuari ad efficiẽdam rem aliam ſpiritualem, in qua non ſit ratione lucis, quæ eſt eius ratio formalis; ergo licet potentia viſiua eliciat actum viſionis naturaliter circa calorem, & lucem ſub ratione formali coloris, & lucis, poterit diuinitus eleuari ad eliciendam viſionem circa obiectum ſpirituale, in quo non ſit ratio lucis, & coloris, quæ eſt eius ratio formalis. Reſpondeo potentiam non vitalem non neceſſario habere proportionem cum effectu ratione cuius, vel ipſa petat effectum, vel petatur ab effectu, hoc enim eſt proprium potentiæ vitalis; atque ideo non vitalis, qualis eſt lux reſpectu alterius lucis poteſt diuinitus eleuari ad efficiendam obedientialiter rem ſpiritualem, in qua non ſit propria eius ratio formalis; potentia vero vitalis, qualis eſt potentia viſiua reſpectu viſionis, non poteſt eleuari virtute diuina ad eliciendam viſionem circa obiectum ſpirituale, in quo non ſit propria eius ratio formalis, quia non haberet proportionem requiſitam cum actu viſionis. idem argumentum dilui in Phyſic. diſput. 18. cap. 3. n. 20.

31 Sed vrgeat: potentia viſiua in patria diuinitus eleuata elicit actum viſionis circa claritatem corporis glorioſi, quam ſuppono eſſe quoad ſubſtantiam ſupernaturalem; & tamen non eſt in tali claritate ſupernaturali ratio formalis obiectiua propria potentiæ viſiuæ; hæc enim eſt ratio coloris, ac lucis naturalis, quæ non inuenitur in illa claritate, cum ſit lumen quoddam omnino ſupernaturale, ergo etiam potentia viſiua diuinitus eleuata poterit elicere viſionem circa obiectum ſpirituale, licet in illo non ſit ratio formalis obiectiua propria talis potentiæ. Reſpondeo potentiam cognoſcitiuam poſſe diuinitus eleuari ad eliciendam cognitionem circa obiectum, in quo ſit propria eius ratio formalis quoad ſubſtantiam, licet non ſit in illo quoad modum, ad ſubiectum autem, in quo propria eius formalis ratio etiam quo ad ſubſtantiam non ſit, non poſſe potentiam eleuari etiam virtute diuina ob prædictam rationem: ratio ergo formalis propria potentiæ viſiuæ eſt ratio coloris, ac lucis, modus illius eſt, quod ſit ratio naturalis: vnde cum in claritate corporis glorioſi verè inueniatur ratio lucis, etſi non naturalis, ſed ſupernaturalis, inuenitur verè in illa propria ratione formalis obiectiua, quoad ſubſtantiam potentiæ viſiuæ, licèt non quoad modum; ac proinde diuina eleuatione ſupplente modum poterit potentia viſiua videre in patria claritatem corporis glorioſi ſupernaturalem: in obiecto autem ſpirituali non reperitur nec quoad ſubſtantiam propria ratio formalis potentiæ viſiuæ, cum non ſit in illo ratio coloris, aut lucis, & ideo potentia viſiua non poteſt diuinitus eleuari ad videndum obiectum ſpirituale. Hoc etiam modo explicatur, qua ratione intellectus reſpiciens rationem formalem entis naturalem poſſit eleuari ad cognoſcendum obiectum ſupernaturale.

32 Hæc dicta ſunt de potentia ſenſitiua, quæ de facto datur, quia ob ſui eſſentialẽ limitationem determinata eſt ad propriam aliquam formalem rationem materialem. Maior autem eſt difficultas de potentia aliqua corporea, ac materiali poſſibili; an ſcilicet dari diuinitus poſſit potentia aliqua materialis, & corporea, quæ non habeat ita imperfectam, & taxatam rationem formalem, ſed valeat etiam attingere aliquid ſpirituale, naturaliter quidem, ſi ſpirituale obiectum ſit naturale, & ſupernaturaliter per Dei eleuationem, ſi ſpirituale obiectum ſit ſupernaturale? Communis ſchola aſſerit implicare talem potentiam corpoream, quæ attingere poſſit obiectum ſpirituale, ita D. Thomas vbi ſupra, & omnes eius interpretes. Sed in contrarium ſic arguo: id ſolum implicat eſſe virtute diuina, ex quo duo contradictoria ſequuntur, ſed ex eo, quod ſit poſſibilis potentia quadam corporea, quæ cognoſcere valeat obiectum ſpirituale, non ſequuntur duo contradictoria; alias illa mihi aſſigna; ergo talis potentia non implicat.

Dicat quis primo, potentiam, quæ non abſtrahit à 33
materia, neceſſario elicere actum, qui etiam à materia non abſtrahat, cum debeat eſſe proportionatus illi, vnde cum potentia quæuis corporea poſſibilis non abſtrahat à materia, actus quiuis talis potentiæ neceſſario etiam à materia non abſtrahit; ſi autem potentia illa corporea poſſibilis poſſet elicere actus cognitionis circa obiectum ſpirituale, talis actus abſtraheret à materia, cum rem ſine materia cognoſceret; ac proinde ſi potentia illa corporea poſſet elicere actus cognitionis circa obiectum ſpirituale, talis cognitio non abſtraheret à materia, quia eſſet actus potentiæ materialis, & abſtraheret à materia, quia cognoſceret rem ſpiritualem, quæ ſunt duo contradictoria. Sed contra: rem aliquam non abſtrahere formaliter à materia, & abſtrahere à materia ſolum obiectiuè, non ſunt contradictoria: ſed in noſtro caſu cognitio illa corporea obiecti ſpiritualis, formaliter non abſtraheret à materia, quia ipſa formaliter eſſet materialis, & obiectiuè tantum abſtraheret, quia eius obiectum non haberet materiam, ſed eſſet ſpirituale; ergo data tali cognitione corporea obiecti ſpiritualis, non ſequerentur ex illa duo contradictoria. Conſequentia eſt euidens cum minori. Maior autem ſic monſtratur: contradictoria debent neceſſario eſſe reſpectu eiuſdem, non reſpectu diuerſorum; ſed hæc prædicata videlicet rem, ſeu cognitionem aliquam non abſtrahere formaliter à materia, & obiectiuè à materia abſtrahere, non ſunt reſpectu eiuſdem, ſed reſpectu diuerſorum, nam cognitionem formaliter non abſtrahare à materia, conuenit ſoli cognitioni, quæ in ſe formaliter eſt corporea, & à materia non abſtrahit; abſtrahere autem tantum obiectiuè conuenit ſolum obiecto cognitionis, quod ſpirituale eſt, & à materia abſtrahit, & hoc eſt cognitionem abſtrahere à materia obiectiuè, ſcilicet quod eius obiectum à materia abſtrahat; ergo rem, ſeu cognitionem formaliter nnn abſtrahere à materia, & obiectiuè abſtrahere non ſunt prædicata contradictoria. Igitur nonimplicat eſſe cognitionem, quæ formaliter non abſtrahat à materia, & obiectiuè à materia abſtrahat, quod eſt idem, ac poſſe dari viſionem corpoream, quæ attingat obiectum ſpirituale.

Dicat ſecundo: ſi daretur illa cognitio corporea rei 34
ſpiritualis, repræſentaret diuiſibiliter obiectum, quia talis viſio vtpotè materialis, eſſet diuiſibilis, & etiam illud repræſentaret indiuiſibiliter, quia obiectum vtpotè ſpirituale, ac indiuiſibile, non poſſet niſi indiuiſibiliter repræſentari; atque ita darentur duo contradictoria. Sed contra; cognitionem repræſentare obiectum diuiſibiliter diuiſibilitate formali, & indiuiſibiliter indiuiſibilitate obiectiua non ſunt contradictoria, quia diuiſibilitas cognitionis formalis, & indiuiſibilitas cognitionis obiectiua in repræſentando non ſunt reſpectu eiuſdem, ſed reſpectu diuerſorum, etenim diuiſibilitas repræſentationis formalis ſolum dicit, quod viſio ſit formaliter diuiſibilis in plures partes viſionis, quarum quæuis illud obiectum repræſentet; indiuiſibilitas verò repræſentationis obiectiua ſolum dicit, quod obiectum repræſentatum ſit in ſe ipſo ſimplex, & non habeat partes, ſed totum repræſentetur per quamuis partem viſionis; ac proinde diuiſibilitas

forma

formalis conuenit soli visioni, & indiuisibilitas obiectiua conuenit soli obiecto, quæ sunt substantia diuersa: atqui si daretur cognitio corporea rei spiritualis, talis visio tantum repræsentaret obiectum diuisibiliter diuisibilitate formali, quia ipsa, cum esset corporea, esset diuisibilis in plures partes visionis quarum quæuis totum obiectum repræsentaret, sicut materia prima est diuisibilis in plures materiæ partes, quarum quæuis recipit totam animam rationalem; & illud etiam obiectum repræsentaret indiuisibilitate obiectiua, quia obiectum illius, cum esset spirituale, ac indiuisibile, non per partes, sed totum à quauis parte visionis repræsentaretur, sicut tota anima rationalis in quauis parte materiæ subiectatur; ergo etiam si daretur cognitio corporea obiecti spiritualis, non darentur duo prædicata contradictoria.

35 Dicat tertiò: obiectum non posse cognosci nisi per cognitionem proportionatam cum illo, atque ita obiectum spirituale per cognitionem spiritualem: vnde si daretur cognitio corporea obiecti spiritualis, esset proportionata cum obiecto, quia illud cognosceret, & non esset proportionata cum obiecto, quia ipsa esset materialis, & obiectum esset spirituale; & ideo sequerentur duo contradictoria. Sed contra: maior improportio est inter infinitum, & finitum, quam inter materiale, & spirituale, hæc enim solum finitè, illa infinitè inter se distant; sed cognitio finita est proportionata ad videndum obiectum infinitum, vt constat in visione creata, & finita Dei, qui est obiectum simpliciter infinitum: ergo cognitio materialis poterit etiam esse proportionata ad videndum obiectum spirituale. Si autem dicas visionem creatam, & obiectum increatum magis distare inter se in esse entis, quam cognitio materialis, & obiectum spirituale, non vero in esse obiecti. Contra sic arguo: licet cognitio, ac visio Dei creata in esse entis sit infinitè distans, & improportionata cum obiecto increato, potest esse cum illo proportionata intentionaliter, ac in esse obiecti, atque ita ipsum cognoscere; ergo à fortiori, licet cognitio materialis sit improportionata finitè cum obiecto spirituali physicè, & in esse entis, poterit esse cum tali obiecto proportionata intentionaliter, & in ratione obiecti, atque ita poterit illud cognoscere, alioqui rationem disparitatis, ac implicationis assigna.

36 Dicat quarto: si posset esse potentia materialis, quæ videret obiectum spirituale, posset etiam esse in eadem substantia corporea appetitus materialis circa idem obiectum spirituale, ac proinde talis appetitus esset liber, & posset amare Deum, & Deus consequenter inire posset amicitiam cum tali substantia materiali, quod repugnat. Deinde cognitio illa corporea rei spiritualis esset intuitiua, & ideo perfectior esset cognitione intellectus abstractiua eiusdem rei spiritualis, quod etiam implicat, cum omnis cognitio intellectus nobilior sit omni cognitione possibili potentiæ cognoscitiuæ materialis. Sed contra primum sic arguo: vt appetitus aliquis sit formaliter, & aptus ad amicitiam cum ipso Deo, debet necessario supponere potentiam cognoscitiuam participem iudicij, & rationis, etenim absque actu rationis ac iudicij, nec potest esse libertas, nec amicitia, vt per se constat; sed potentia illa materialis, quæ obiectum spirituale cognosceret, non esset capax iudicij, & rationis; non enim esset iudicatiua, sed solum purè apprehensiua, obiecti spiritualis? sicut potentia sensitiua, quæ de facto datur, non est iudicatiua, sed tantum simpliciter apprehensiua obiecti materialis. Porro talem potentiam corpoream purè apprehensiuam obiecti spiritualis mihi vt possibilem concede, & aliud deducere non contendam; ergo licet dari posset talis potentia corporea, quæ purè apprehendere valeat obiectum spirituale, non sequitur quod sit possibilis appetitus materialis formaliter liber, & aptus ad amicitiam habendam cum ipso Deo. Hinc etiam sic contra secundum insurgo: cognitio abstractiua spiritualis, ac intellectualis obiecti longè perfectior, atque nobilior est cognitione alia intuitiua corporea, & materiali eiusdem obiecti, etenim cognitio abstractiua, qua intellectus non solum cognoscit lucem, nobilior est, & perfectior visione intuitiua, qua corporeus oculus videt postea eandem lucem; quia illa est spiritualis, iudicatiua, & à potentia capaci rationis, hæc vero est corporea purè apprehensiua, & à potentia rationis, non capaci; atqui si detur cognitio illa intuitiua corporea obiecti spiritualis, talis visio erit materialis, purè apprehensiua, & à potentia non capaci rationis, vt nuper ostendi; cognitio vero intellectus abstractiua eiusdem spiritualis obiecti esset spiritualis, iudicatiua, & à potentia rationis capaci vt constat; ergo licet illa sit intuitiua, hæc abstractiua, longè perfectior erit, atque nobilior cognitio spiritualis nostri intellectus, quam ipsa visio corporea circa idemmet obiectum spirituale.

Opinor ego in hac re, rationes omnes implicationis, quæ communiter afferuntur ad probandum dari non posse potentiam materialem corpoream, quæ obiectum aliquod spirituale apprehendat, sufficienter impugnari, vt constat ex hucvsque dictis, constantius enim id asseritur, quam probatur; cum concedatur de potentia obediential posse oculum nostrum eleuari ad videndam lucem, & colorem supernaturalem existentem in corporibus Beatorum, sicut eleuatur intellectus ad cognoscendum obiectum supernaturale, quare, si possibilis esset sonus supernaturalis, posset eleuari auditus ad illum percipiendum; nihilominus definire non audeo eam potentiam materialem corpoream esse possibilem, quia nullum video patronum qui huic sententiæ adstipuletur, & probabilius iudico Deum non posse efficere, quod potentia materialis corporea habeat effectum formalem cuius non sit capax, & ideo talem potentiam corpoream esse impossibilem, quia Deus non potest facere, vt auditus videat, quantumcumque eleuetur ad efficiendam, & recipiendam visionem coloris, eo quod non potest auditum facere potentiam videndi, nec potentiam visiuam, vt videat obiectum aliquod spirituale, quantumuis efficere possit, vt eliciat, & recipiat actum perfectissimum illius obiecti, quia in iis actibus non solum inuenitur improportio supernaturalitatis, vt in intellectu respectu actus, & obiecti supernaturalis, sed aliud genus improportionis, quale est inter visum, & sonum auditum, & colorem, quæ improportio suppleri à Deo non potest, alias eleuari posset potentia materialis corporea ad videndum Deum, imo, & brutum quod alienum est à recta ratione. 37

DISPVTATIO XII.

De sensibus internis.

EX capita continebit; in primo inquiro an detur vnus sensus internus communis; in secundo quædam quæsita de sensu communi expediuntur; in tertio, an phantasia, seu imaginatiua realiter distinguatur à sensu communi; in quarto an æstimatiua realiter dissideat à Phantasia; in quinto an memoria realiter distinguatur ab æstimatiua; in sexto quædam enodantur de appetitu sensitiuo.

CAPVT

CAPVT I.

An detur ſenſus vnus communis internus pro omnibus facultatibus internis animæ ſenſitiuæ.

1 IN anima ſenſitiua præter quinque ſenſus externos aſſignantur communiter quatuor aliæ facultates, ſeu potentiæ materiales ſenſitiuæ internæ, vna, quæ omnia obiecta ſenſuum externorum in eorum præſentia apprehendat, æſtimet, & diſcernat inter illa, quæ dicitur *ſenſus communis*; Alia, quæ eorum obiectorum ſenſibilium ſpecies in ſe retineat, & ea in eorum abſentia imaginetur, quæ *imaginatiua*, *ſeu Phantaſia appellatur*; Alia, quæ obiecta inſenſibilia, ſcilicet ea, quæ ſenſibus externis non percipiuntur, apprehendat, quæ in brutis *æſtimatiua*, in homine *cogitatiua dicitur*; Altera, quæ ſpecies obiectorum inſenſatorum retineat, & illa etiam abſentia, & præſentia memoretur, quæ dicitur *memoria*; quæritur in præſenti, an ſicut datur ſenſus communis internus realiter diſtinctus à ſenſibus externis, diſtinguantur inter ſe realiter prædictæ facultates, & potentiæ internæ ſenſitiuæ materiales, videlicet, ſenſus communis, Phantaſia, æſtimatiua, & memoria.

2 Dari reipſa à parte rei ſenſum internum communem diſtinctum realiter à quinque ſenſibus externis Peripateticorum ſchola docet cum ſuo Principe Ariſtotele lib. 3. de anima cap. 2. & 3. D. Thomas 1. part. quæſt. 78. art. 4. ad ſecundum quæſt. 87. art. 3. ad 3. & 2. contra gent. cap. 6. Scotus in 4. diſt. 45. quæſt. 3. Tolet. lib. 3. de anima q. 3. Ruuius hic, q. 3. à Ioan. S. Thoma, Complut. Hurtado, Arriaga, Carleton, Franciſcus Alphonſus, & tam antiqui, quam recentiores; Probatur, ex ipſa experientia; nam bruta recordantur obiectorum, quæ ſenſu aliquo perceperunt; feræ, loci, in quo catulos reliquerunt, canes recordantur domini ſui, & in ſomnis latrant; at ſomnus non poteſt eſſe actus ſenſus externi, quia tunc dormiunt, & res præteritæ ex ſe abſentes non percipiuntur à ſenſibus externis, qui ſolum percipiunt obiecta præſentia, quin cognoſcant aliquid de obiecto alterius, ergo pertinent ad aliquem ſenſum internum, cuius munus ſit ſenſibilia, & ſenſationes ſenſuum externorum cognoſcere, & diſcernere, à quo deriuantur ſpiritus animales, & influxus ad omnes ſenſus externos, cum omnes radicentur in cerebro, ad quod neruos quoſdam, & fibras protendunt, quibus ſpecies rerum ſubminiſtrant, ergo datur ſenſus internus, qui ſit origo, & principium diſtribuendi ſpiritus animales omnibus aliis ſenſibus.

3 Probatur ſecundo clarius ipſa experientia, nam equus pede ſentiens aquam calidam, & manu aliam aquam frigidam, ab vna diſcedit, & accedit ad aliam, diſcernendo inter illas, ergo datur vna potentia ſenſitiua in equo, quæ vtramque illam qualitatem apprehendat, à qua talis diſcretio fiat, nequit enim potentia inter aliqua duo diſcernere, quæ non cognoſcat vtrumque: atqui in prædicto caſu potentia externa, quę ſentit aquam calidam in pede, non ſentit aquam frigidam in manu, ſed alia potentia externa reipſa ab illa diſtincta, ergo datur in equo potentia alia ſenſitiua, quæ ſimul illas qualitates apprehendat, aliam vt conuenientem, & alteram vt nociuam, atque ita diſcernat inter illas, hæc autem potentia dicitur ſenſus communis, qui apprehendat, & iudicet de obiectis ſenſuum externorum.

4 Hic autē ſenſus internus communis à multis appellatur virtute multiplex propter diuerſa munera quibus fungitur: dicitur primo *ſenſus communis*, quia omnium ſenſuū externorū, & internorū ſenſibilia, ſenſationes, & actus diſcernit, & iudicat inter ſenſibilia à diuerſis ſenſibus externis apprehenſa, & cognita, vt inter colorem, ſonum, & ſaporem, & alia, cum nullus ſenſus externus poſſit cognoſcere, & iudicare de obiecto alterius, ergo talis ſenſus communis ponendus eſt, qui ſit quaſi iudex eorum omnium. Dicitur etiam *Phantaſia*, *ſeu imaginatiua*, quia equus, vel canis res præteritas memoratur, & locum, vbi malum antea ſenſit, fugit, & ſi bonum ibi percepit, accedit ad illum, & eſt potentia elicitiua ſenſationis ſimplicis, & abſentis, & deſeruit pro ſpeciebus ſenſatis, & inſenſatis, apprehendendis, retinendis, & comparandis, vt contingit, quando apprehendit, & format ſpeciem montis aurei, ex ſpeciebus montis, & auri, & ſimilium; item reperiri etiam in animali *potentiam æſtimatiuam*, quæ obiecta inſenſata apprehendat, probatur; quando equus viſo hordeo mouetur ad illud, talis motus eſt voluntarius, ſed non eſt voluntarius formaliter, cum non ſit actus voluntatis ſeu appetitus, ergo eſt voluntarius obiectiuè, ac proinde eſt volitus, ſeu appetitus, ab appetitu interno equi, igitur eſt etiam cognitus, & apprehenſus à ſenſu interno illius, nihil enim volitum, quin præcognitum; atqui motus ille eſt obiectum inſenſatum, hoc eſt, quod non poſſit percipi ſenſu externo, vt conſtat ex dictis ſuprà diſp. 9. cap. 1. quæſito 3. ergo datur in animali ſenſus internus, qui obiecta inſenſata percipiat, ſeu quæ ſunt extra ſenſus externos, vt cognoſcere amicitiam, rationem vtilis, & nociui, quas ſenſus externus non cognoſcit, ouis enim fugit lupum, non quia talis coloris, & figuræ, ſed quia eſt inimicus ſibi, auis colligit paleam, non quia habet talem colorem, & tactum, ſed quia vtilis eſt ad nidificandum, hic igitur ſenſus internus in animali dicitur *potentia æſtimatiua*, quia quaſi æſtimat pretia rerum, & apprehendit quodam naturali inſtinctu ſenſibilia, & ſenſationes, quæ à ſenſibus percipi non poſſunt, & ad hāc potentiā pertinet excitare appetitū ſenſitiuū ad proſequutionē, ſeu amorem boni, & fugam ſeu odium mali: in homine vero cogitatiua appellatur; Denique dari etiam *potentiā memoratiuā* circa hæc obiecta inſenſata probatur à ſimili, quia datur in animali potentia, quæ attingit obiecta ſenſata, datur etiam potētia, quæ ipſa etiam præterita memoretur, quæ Phantaſia dicitur, vt iam oſtendi; ergo cum detur etiam potentia, quæ percipiat obiecta inſenſata, dabitur etiam potentia, quæ memoretur illa, quæ dicitur memoria, quia retinet ſpecies inſenſatorū obiectorum pro quibus cōſeruandis neceſſaria eſt, cum ſit ſenſio obiecti exteriùs ſenſati ſecundum rationem conuenientis, vel nociui, non exiſtentis, & præteriti, animal enim recordatur de aliquo, quod antea nouit.

His prælibatis, controuerſia eſt, non parua, præcipuè 5
cum iunioribus, an prædictæ facultates, ſeu potentiæ internæ ſenſitiuæ materiales inter ſe realiter diſtinguantur, vel tantum ſit vnus ſenſus internus communis, qui iuxta diuerſa munera, quæ exercet diuerſis nominibus deſignetur; quidam dicunt eſſe quinque ſenſus internos, ſeu potentias internas ſenſitiuas materiales, inter ſe realiter diſtinctas; ſicut ſunt quinque ſenſus externi realiter inter ſe diſtincti; ita Auicenna lib. 6. naturæ par 4. c. 2. Albert. Magn. 3. de anima c. 2. vt refert D. Thom. 1. p. q. 78. art. 4. Alij dicūt eſſe quatuor, quia imaginatiuam non diſtinguunt à Phantaſia, ita commentator lib. 3. de anima comm. 6. D. Thom. loco allegato, Caietanus, Bañez, Complut. diſp. 14. de anima per totam, Ioan. à S. Thoma q. 8. de anima art. 1. & omnes interpret. D. Thomæ. Tertiò alij docent tres tantum eſſe prædictas potentias ſenſitiuas internas, videlicet Phantaſiam, quæ confunditur cum ſenſu communi, imaginatiuam, & memoriam, ita Galenus, ſubſcribit Valleſ. lib. 2. controuerſ. med. cap. 22. & 23. & à Conimbricenſ. 3. de anima cap. 3. quæſt. 5. art. 1. tribuitur D. Gregorio Nazian. Damaſ. & Nemiſio;

Quartò,

Quartò, alij duas tantum potentias sensitiuas internas adstruunt, nempè sensum communem, qui apprehendit, & iudicat de omnibus sensibus externis, & Phantasiam, quæ seruit pro speciebus sensatis, & insensatis, apprehendēdis, & comparandis, cum qua idētificantur æstimatiua, & memoria; ita Conimbricenses loco citato art. 3. Fonseca 5 metaph. cap. 28. quæst. 7. Tandem vltimo docent præcipuè iuniores, vnicum tantum esse sensum internum communem, qui virtute multiplex omnia munera aliòtum sensuum internorum exercet, sensataque & insensata obiecta apprehendit, retinet, & componit; itaque asserit hæc sententia vnicum tantum dari sensum internum, qui dicitur sensus communis, qui sit quasi iudex omnium sensuum externorum, & subeat omnia munera internorum, sicut vnicus etiam est intellectus, etsi diuersa munera exerceat circa diuersa obiecta spiritualia; Ita Galenus lib. de differentijs symptomatum cap 3. Valles lib. 2. controuers. cap. 22. & 23. Damascen. lib. 2. fidei capit. 17. Nyssenus lib. 4. de virtutibus animæ cap. 6 & 7. Marcellus lib. 4. suarum traditionum, Suarez lib. 3. de anima capit. 30. num. 16. & 18. Ruuius hic tract. de sensibus externis cap. 3 quæstion. 1. Murcia, Palacios, Torres, Caietanus 2 de anima capit. 5. non dissentiunt, Conimbricens. 3. de anima cap. 3. quæst. 1 art. 1. P. Hurtadò disp. 17. de anima sect. 7 & 8. Arriaga disp. 5. de anima sect. 4. Carleton disp. 15. de anima sect. 1. Franciscus Alphonsus disp. 14. de anima sect. 2. & frequenter iam recentiores.

6 Arbitror tamen dicendum, quatuor ponendas esse potentias sensitiuas internas, nempè, sensum communem, & Phantasiam cum qua identificatur imaginatiua, estimatiuam, & memoriam, ita auctores secundæ sententiæ, & manifestè probatur authoritate D. Thomæ 1. part. quæst. 78. art. 4. vbi post longum discursum sic concludit, *& sic non esse necesse, ponere nisi quatuor vires interiores sensitiuæ partis, scilicet sensum communem, & imaginationem, seu Phantasiam, æstimatiuam, & memoratiuam*, ergo iuxta mentem D. Thomæ quatuor sunt potentiæ internæ, sensitiuæ, & materiales. De sensu interno communi dariin omnibus animalibus distinctum realiter à quinque sensibus externis statuimus supra vt dogma Philosophorum n. 1. & 2. an vero Phantasia, seu imaginatiua realiter distinguatur à sensu communi, & æstimatiua, à Phantasia, & memoratiua, ac ab æstimatiua, breuiter à nobis in sequentibus examinandum est; Ad rationes in contrarium constat ex dictis.

CAPVT II.

Quædam quæsita de sensu communi expediuntur.

7 INitio suppono, contra Aristotel. & alios antiquos Philosophos sensum communem residere in cerebro in prima parte frontis, ita D. Thomas 3. part. q. 8. art. 1. 1. part. quæst. 78. art. 4. & opus. cap. 43. & communiter Philosophi & Medici, in corde vero solum radicaliter tam sensum communem, quam cæteros sensus internos residere, quatenus ex illo tanquam ex radice dimanant calor vitalis, & spiritus animales à quibus procedit omnis operatio vitalis; formaliter vero residere in cerebro; experimur enim ex læsione capitis prædictas potentias internas, seu sensus lædi, ergo signum est non solum sensum communem, sed etiam alios internos sensus in capite residere, in quo auctor naturæ mirificè disposuit quædam organa, ac temperamenta, seu cellulas in quibus commodè residerent, & sua obiecta perciperent, ipsa experientia sic monstrante, & latè videri possunt apud P. Hurtado disp. 17. de anima sect. 9.

Quæritur primo, an sensus communis detur in omnibus imperfectis. Respondeo affirmatiuè primo, 8
quia talia animalia imperfecta habent saltem gustum, vel tactum, ergo sensum internum communem, qui discernat inter obiecta, &c & sensationes sensuum externorum, secundo quia talia animalia habent appetitum sensitiuum, nam cum læduntur se retrahunt, & dolent, & cum aliquod conueniens sentiunt, dilatantur; ergo appetitum habent, nam dolor, & delectatio ad ipsum spectant, sed appetitus sensitiuus internus non mouetur nisi à sensu communi qui iudicat de conuenientia, aut disconuenientia, cum sensatio externa, conueniens, vel disconueniens per speciem sensuum externorum tactus non cognoscatur, alias reflecteret supra seipsam, quod repugnat, ergo indiget aliquo sensu interno cognoscente talem sensationem conuenientem, seu disconuenientem, iste vero est sensus communis, qui est velut iudex omnium sensuum externorum; ergo sensus communis internus datur in animalibus quantumuis imperfectis, & si non sit æqualis in omnibus, sed maior vel perfectior pro maiori, vel minori perfectione obiectorum.

Quæritur secundo, an sensus communis discernat obiecta sensuum externorum, & eorum sensationes. Res- 9
pondeo affirmatiuè, primum constat experientia, quod bruta non solum recordentur eorum, quæ viderunt, sed etiam eorum, quæ audiuerunt, vel tetigerunt, canis enim fugit ab eo, qui malum ei intulit, & accedit ad eum à quo beneficium accepit, ergo debet dari aliquis sensus internus, qui iudicet, & discernat inter talia obiecta, quia vnus sensus externus non potest iudicare de obiecto alterius, ergo est necessarius sensus communis, cui omnia obiecta particularia sensuum externorum communia sunt. Constat etiam secundum; nam sensatio externa non percipitur à proprio sensu externo, quia multoties est de re præterita vt cum canis repetit locum, vbi videt cibum, & fugit à loco vbi persensit dolorem, ergo recordatur visionis cibi, & sensationis doloris, non per sensationem propriam, ergo per sensum communem internum per quem percipit obiecta sensuum externorum, & ipsas sensationes externas.

Quæritur tertio, an sensus internus communis per- 10
cipiat sensationem externam sensuum externorum per eamdem, vel diuersam speciem obiecti: Aliqui existimant sensationem, & obiectum percipi per eamdem speciem, probant primo quia sicut se habet sensibile proprium, & commune respectu sensus externi, ita se habent obiectum sensus externi, & eius sensatio respectu sensus interni, sed illa duo obiecta percipiuntur à sensu externo per eamdem speciem, ergo & hæc duo percipientur à sensu interno per eamdem speciem, secundo quia si sensatio externa perciperetur per diuersam speciem, etiam perciperetur eius magnitudo, figura, distantia, & alia; sed hæc non percipiuntur à sensu interno, ergo nec per diuersam speciem.

Arbitror tamen dicendum, prædicta obiecta percipi à sensu interno per diuersas species. Primo quia 11
species obiecti externi intenditur in memoria, quin intendatur species sensationis externæ, ergo distinguuntur hæ species, nam si eadem esset non posset intendi vna sine altera, antecedens probatur, quia si pluries repetatur visio, aut auditio obiecti, augetur memoria ipsius obiecti, sed non potest memoria augeri, quin etiam augeatur species eiusdem obiecti, ergo: secunda etiam pars probatur, quia intensio non datur nisi per accretionem partium qualitatis in eodem subiecto, vt lib. de generatione disp. 7. cap. 2. ostendimus, sed species quæ accrescunt memoriæ ex crebra auditione obiecti non repræsentant eamdem auditio

ditionem, ſed diuerſas, quia quotieſcumque de nouo auditur obiectum, datur noua auditio, cum antiqua non poſſit naturaliter reproduci, ergo non poſſunt intendere ſpeciem auditionis antea in memoria exiſtentem. Tertio, quia ſæpè recordamur obiecti, quin recordemur viſionis, & aliquando viſionis, quin directè recordemur obiecti; ergo recordatio directa viſionis poteſt dari, ſine recordatione obiecti, & conſequenter ſpecies erunt realiter diſtinctæ.

12 Ex his ad rationes in contrarium facilè Reſpondeo: ad primum dico diſparitatem eſſe manifeſtam, quia ſenſibile commune non pertinet ad obiectum ſenſus externi, at vero tam obiectum, quam ſenſatio ſenſus externi pertinent per ſe ad obiectum ſenſus interni, & ideo debent percipi per ſpecies diuerſas, & diſtinctas. Ad ſecundum nego antecedens quia per olfactum percipitur odor, & non eius magnitudo, figura, aut diſtantia, & idem poteſt contingere in ſenſu interno, reſpectu ſenſationis externæ, atque ita per diuerſas ſpecies percipiuntur obiecta ſenſuum externorum, & eorum ſenſationes.

13 Quæritur quarto, an ſenſus communis internus percipiat ſuas ſenſationes, & negationes, ſeu carentias. Aſſero primo: ſenſus communis non percipit ſuam ſenſationem. Probatur, non percipit illam per ſeipſam, nec per aliam reflexam, ergo nullo modo, non primo modo, quia alias ſeipſam repræſentaret, quod vix tribuitur cognitionibus ſupernaturalibus perfectiſſimis, vt claræ viſioni Dei, ergo cum ſenſatio interna materialis ſit, & multo imperfectior omnibus cognitionibus intellectualibus, nullo modo tribuetur; necque percipietur per aliam reflexam, quia reflectere ſupra ſeipſam excedit vires potentiæ internæ ſenſitiuæ materialis, cum nec potentia volitiua per ſe id habeat, ergo multo minus potentia materialis tam imperfecta; ſenſus enim communis in homine gaudet hac reflexione per participationem perfectionis intellectus cui attribuitur, in Brutis, autem nullus ſenſus internus, nec externus reflectunt ſupra ſuas ſenſationes, nec cognoſcunt ſuas ſenſationes.

14 Aſſero ſecundo, ſenſum internum non cognoſcere carentias, ſeu negationes. Probatur primo, quia illas non poteſt percipere per ſpecies alienas, quia nulli ſenſui conceditur, vti ſpeciebus vnius obiecti ad cognoſcendum aliud diſtinctum, cum hoc proprium ſit ſolius intellectus non per ſpecies proprias, quia ſpecies propriæ, quæ dantur in ſenſu reſpectu ſuorum obiectorum, ab ipſis dimanant & accipiuntur, atqui carentiæ nihil ſunt, ergo non poſſunt producere ſpecies, nec illas ad ſenſum internum tranſmittere, & conſequenter in ſenſu interno non dantur ſpecies quibus cognoſcantur negationes.

15 Dices, Bruta viſa vmbra terrentur, & canis non tentat egredi per murum cum poſſit per ianuam, ſed bruta non ſentiunt aliquid, quod deterreat niſi carentiam lucis, & canis non habet in quo diſcernat ianuam à muro niſi, quod ianua caret corpore impediente, ergo bruta cognoſcunt negationes, aut carentias; Reſpondeo, bruta viſa vmbra terreri, quia vident lucem remiſſam, cum aliqua figura difformi, quæ, vel per ſe ipſam cognitam cauſat terrorem, vel cognoſcit per aliquam ſpeciem in memoria conſeruatam, & modo excitatam; ſimiliter canem non egredi per murum, ſed per ianuam, quia videt pauimentum, per quod poſſit exire, excitando aliquam ſpeciem in ſenſu, quin recurrat ad carentiam corporis interpoſiti.

16 Quæritur vltimo, an ſenſus communis internus, verum habeat iudicium, & diſcurrat? Iudicium apud Patres, & Theologos dupliciter ſumitur, primo latiſſimè, & impropriè pro quacumque cognitione repræſentante obiectum. Secundo ſtrictè & propriè pro cognitione affirmante, ſeu negante; certum eſt apud omnes iudicium primo modo dari in ſenſu interno communi brutorum; difficultas vero, eſt an ſecundo modo ſumptum? quidam exiſtimarunt in ſenſu interno communi brutorum, & in ſenſu interno hominis dari verum iudicium, & diſcurſum nixi verbis Iob cap. 12. *Nonne auris verba diiudicat, & fauces comedentis ſaporem?* & Prouerbior. 6. cap. *Vade ad formicam, ô piger, & conſidera vias eius, & diſce ſapientiam.* & Ariſtotel. 1. metaph. cap. 1. tribuit formicæ prudentiam, & fauere etiam videtur experientia, nam bruta multa diſponunt media proportionata ad conſequendum finem, nam canis poſt ſa[illegible]itatem, reponit cibum quem poſtea famelicus quærit, & hirundo lutum quærit ac defert ad locum, vbi decreuit fabricare nidum, & multa alia mirabilia admiramur in brutis, quæ fieri non poſſunt ſine collatione mediorum ad finem, ac per conſequens ſine proprio iudicio, & diſcurſu.

Arbitror tamen dicendum cum communi ſchola 17
Philoſophorum, & Theologorum ſenſum communem internum nullum elicere proprium iudicium, nec Bruta diſcurrere propriè; Probatur primo nam ſi bruta haberent proprium iudicium, aut diſcurſum, poſſent vnum ab altero diſcernere cognoſcendo proportionem medicorum cum fine, & conſequenter poſſent eligere maius bonum relicto minori, ſed hoc præſtare non poſſunt bruta ſine vſu rationis, ergo bruta nullo modo habent proprium iudicium, nec diſcurſum, multa enim experimur in illis, quæ mirabilia ſunt, at ſine diſcurſu, & iudicio, naturali inſtinctu præſtantur ab eis, & talis eſt eorum appetitus naturalis, vt cum iis, aut illis circũſtantiis natus ſit, hæc obiecta proſequi, illa vero fugere, circunſtantiæ vero in brutis appellantur, aut memoria præteritorum, vel diſpoſitio corporis; ſeu concurſus aliorum obiectorum, quibus facilè determinatur appetitus ad amplectenda hæc obiecta, illa vero fugienda.

Ex iis ad teſtimonia Sacræ Scripturæ facilis 18
eſt ſolutio, ibi enim ſolum eſt ſermo de iudicio, & diſcurſu latiſſimè, & impropriè ſumpto, quo ſenſus internus attingit ſingula obiecta, vt ab aliis diſtincta, non vero diſcernat inter illa, & ſenſationes ſenſuum externorum, aut vnum cum altero comparet: ad ſecundum de formica dico, Pigrum mitti ad formicam, vt diſcat ſapientiam, non quia in ea ſit vera ſapientia, ſed quia in eius operibus reſplendet ſapientia Dei, à qua regitur formica, cuius opera videntur dirigi iudicio prudenti cum ſolo inſtinctu naturali id aſſequatur, in quo ſenſu Ariſt. tribuit formicæ prudentiam; ſenſus vero internus hominis cum adiunctum habeat intellectum per extrinſecam denominationem ab ipſo diſcurrit, & propriè diſcernit, & habet proprium iudicium, & diſcurſum, vide quæ diximus in Phyſicis diſp. 21. de cauſa finali cap. 6.

CAPVT III.

An Phantaſia, ſeu imaginatiua realiter diſtinguatur à ſenſu communi.

PArtem negantem acerrimè tuentur auctores quin- 19
tæ ſententiæ cap. 1. n. 5. à nobis relati, probant primò ex Ariſtotel. lib de ſomnis capite primo. vbi ait, ſenſus externos immutare in vigilia ſenſum communem actualiter, in ſomniis vero per ſpecies antea acceptas, quod eſt proprium Phantaſiæ: ſentit, ergo à ſenſu communi

muni non distingui ; primo quia habent idem obiectum, quia tam sensus communis quam Phantasia percipiunt omnia externa sensibilia & inter ea discernunt, ergo obiectum vtriusque est idem. Secundo in cerebro vbi residet sensus interni, tantum sunt tres cellulæ, prima deseruit sensui communi. Secunda æstimatiuæ. Tertia memoriæ, ergo eadem cellula, & idem temperamentum deseruit pro Phantasia, & sensu communi, quod vrgetur amplius, quia tam sensus communis, quam Phantasia cognoscunt sua obiecta per species eiusdem rationis, sed potentiæ cognoscitiuæ specie diuersæ debent cognoscere per species diuersæ rationis, ergo sensus communis, & Phantasia realiter non distinguuntur. Secunda sententia docet Phantasiam realiter distingui à sensu communi, ita auctores secundæ sententiæ citati cap. 1. num. 4.

20 Sit assertio ; Phantasia realiter distinguitur à sensu communi, ita Aristoteles 3. de anima text. 161. Diuus Thomas ibidem lect. 6. & 1. part. quæst. 78. art. 4. & in aliis multis locis cui suffragantur omnes eius interpretes, à nobis supra relati ; Probatur primo ex Aristotele ; nam Phantasia ex ipso definitur motus factus à sensu secundum actum & est potentia interior, quæ format obiecta, & facit ea apparere, vt denotat eius ethymologia à nomine *Philosophos*, quod Græcè significat, idem quod lux, & inde deriuatur *Phanos*, quod est illuminatio, seu apparitio, atque ita Phantasia est potentia repræsentatiua specierum, & quæ cognoscit obiecta, quæ prius apparuerunt in sensu, eo quod est motus præcedens non ex immutatione ab ipsis obiectis immediatè factis, sed ab ipsis, vt cognitis, & sensu perceptis, & iudicatis à sensu communi, vnde & species conseruat, & cognoscit res in absentia, vel vt à præsentia, & absentia abstrahit, sed hoc totum non potest sensui communi adaptari, ergo signum est quod Phantasia realiter dissidet ab illo ; idem probat D. Thomas 1. 2. q. 15. artic. 1. his verbis, *quod imaginatiua est apprehensiua similitudinum corporalium, etiam rebus absentibus*, sed sensus communis non cognoscit nisi obiecta præsentia, ergo. & tertio de anima artic. 13. idem ostendit, dicens. tertium est *quod species sensibilium receptæ conseruentur, indiget autē animal apprehensione sensibilium, non solum ad eorum præsentiam, sed etiam postquam abierūt, & hoc necessarium est reduci in aliquam potentiam, nam, & in rebus corporalibus aliud est principium recipiendi, & aliud conseruandi, nam, quæ sunt benè receptiua, sunt interdum male conseruatiua ; huiusmodi autem potentia dicitur imaginatio, seu Phantasia* ; Ex quibus verbis clarè liquet prædictas potentias realiter distingui.

21 Probatur etiam primo ratione, nam Phantasia animali perfecto à natura concessa est, vt sensibilia externa, seu aliàs cognita à sensibus externis cognoscat in absentia, vel vt abstrahunt à præsentia, & absentia, animal enim debet inquirere multa, quæ sibi non sunt præsentia, ergo debet dari aliqua potentia interior, quæ retineat, & conseruet species in absentia rerum, & ita eas cognoscat, vt possit formare idola, seu species impressas in quibus repræsententur res absentes, vel imaginariæ, seu ab vtroque abstrahentes, hæc autem potentia est Phantasia, quæ cognoscit obiecta, vt absentia ; tum sic, hæc cognitio rerum absentium, seu imaginatarum, non potest pertinere ad sensum communem, cuius proprium est cognoscere obiecta sensibilia externa in præsentia, & iudicare de obiectis cognitis à sensibus externis, ergo potentiæ à quibus prædictæ cognitiones eliciuntur, sunt realiter distinctæ : consequentia est legitima, quia tam prædictæ cognitiones, quam earum obiecta sunt formaliter diuersa, sunt quidem sensibile, vt præsens formaliter in ratione obiecti debet distingui à sensibili in absentia, vel vt abstrahit à præsentia, & absentia, cum sit magis abstractum, & immateriale, vt docet Diuus Thomas 1. part. quæstion. 78. articul. 4. quia in animali debet dari cognitio, quæ terminetur ad sensibile externum absens, vel præsens, vel ab vtroque præscindens, quæ dicitur Phantasia ; aliunde constat apertè, dari in eodem animali aliam cognitionem, qua discernat inter sensibilia externa sibi præsentia, vt inter calorem, & saporem, inter colorem, & somnum, alias non posset exercere plures actiones vitales ad sui conseruationem pertinentes, atqui talis discretio pertinet ad sensum communem internum, cuius obiectum est sensibile externum, vt præsens, ergo Phantasia, quæ respicit res in absentia distinguitur realiter à sensu communi, qui se habet, vt origo, & quasi principium sensuum externorum, & iudicat in præsentia de iis, quæ à sensibus externis in præsentia cognoscuntur.

Probatur secundo principaliter, potentiæ debent 22
distingui per actus adæquatos, & eorum obiecta formalia, sed actus adæquati, & obiecta formalia sensus communis distinguuntur realiter ab actibus adæquatis, & obiectis formalibus Phantasiæ, ergo sensus communis, & Phantasia realiter distinguuntur : maior est per se nota, minor probatur, ex Diuo Thoma prima parte quæstione septuagesimanona articulo septimo ad secundum, vbi sic ait, *quod præteritum, & præsens possunt esse differentiæ potentiarum sensitiuarum secundum differentiam obiectorum*, sed sensus communis solum cognoscit sensibile externum præsens, & iudicat de obiectis cognitis à sensibus externis à quibus facilè immutatur, eo quod facilè percipiat ea vt præsentia ; Phantasia vero cognoscit obiecta in absentia, vel abstrahendo à præsentia, & absentia retinendo, & conseruando eorum species mediis quibus talia obiecta in absentia sentit, ergo sensus communis, & Phantasia realiter distinguuntur : consequentiam probo, nam cognoscere obiecta dependenter à præsentia sensibilium, & independenter ab illa, seu in eorum absentia, excedit vires sensus communis, nam facilè recipere, & benè retinere sunt actus adæquati respectu harum potentiarum, ergo cum actus adæquati, & obiecta formalia sensus communis sint formaliter, & adæquatè diuersa ab actibus, & obiectis Phantasiæ infertur legitimè, ipsas potentias esse realiter distinctas ; repugnat enim in potentiis materialibus, quod vna, & eadem potentia ob earum imperfectionem facilè recipiat, & benè retineat, eo quod exigunt diuersas dispositiones, organa, & temperamenta, quæ indicant realem distinctionem, nam facilè recipere, requirit humiditatem prædominantem, ob quam Pueri facilius percipiunt, vt experientia constat ; ad benè tamen retinendum necessaria est siccitas, sed vna, & eadem potentia simul, & secundum eamdem partem non potest habere has diuersas dispositiones, organa, & temperamenta, ergo cum sensus communis, & Phantasia sint potentiæ organicæ affixæ organo corporeo, & habeant diuersas dispositiones, quibus vna facilè recipat, & alia benè retineat, sequitur realiter inter se distingui. Eadem ratione probatur, sensum communem distingui realiter ab imaginatiua, primo quia hæc identificatur cum Phantasia : secundo quia etiam si eisdem, vel diuersis speciebus vtatur ad cognitionem obiectorum, imaginatiua illis vtitur diuerso, ac eleuatiori modo, & abstractiori, quam sensus communis. Tertio, quia principalior actus imaginatiuæ est cognitio sensibilium absentium, vel vt abstrahit à præsentia, & absentia, magis vero, vel minus abstractum,

vniuer

vniuersale, vel imaginabile constituit differentiam specificam in ratione cognoscitiui, non vero actus minus principalis qualis est retinere, aut conseruare species. Constat, ergo manifestè imaginatiuam, seu Phantasiam realiter distingui à sensu communi.

23 Dices, præsens, & absens sunt differentiæ accidentalis in genere cognoscitiui, ergo penes hoc non potest Phantasia realiter distingui à sensu communi: consequentia tenet à paritate rationis, quia in appetitu sensitiuo, & potentia intellectiua, præsens, & absens non variant potentias, immo per eamdem speciem cognoscunt vtrumque. Antecedens probatur, Phantasia, quæ terminatur ad omnia insensibilia externa, pro vt abstrahunt à præsentia, & absentia, percipit sensibilia externa, vt præsentia, & immutatur ab illis per speciem obiecti præsentis, ergo percipit obiecta, vt præsentia, & consequenter præsens, & absens erunt differentiæ accidentales in ratione cognoscitiui.

24 Respondeo, Phantasiam non petere ex se obiectum præsens, sed absens, vel abstrahens à præsentia, & absentia, præsentia vero sensibilium externorum materialiter se habet ad cognitionem Phantasiæ, sicuti species repræsentans talia obiecta sensibilia externa, cum potius abstrahat à tali præsentia obiectorum externorum, sic etiam sensus communis per accidens, seu materialiter cognoscit res in absentia, vt si in somniis repræsentetur res ad modum existentium, quia tunc sensus communis apprehendit res apparenter existentes, cum verè non existant; in appetitu autem sensitiuo, & potentia intellectiua res aliter se habet, nam appetitus sensitiuus non trahit res ad se, sed inclinatur ad illas; modus autem tendendi non variat potentiam; intellectus vero cum sit potentia purè spiritualis, & magis eleuata, & nobilior, cognoscit sua obiecta in vniuersali sine conditionibus materialibus, potentiæ vero materiales sensitiuæ, veluti imperfectiores versantur circa singularia sensibilia externa à quibus facilè immutantur, quia vero talis immutatio pendet necessario à præsentia sensibili, & singulari ipsius obiecti, ideo præsens, & præteritum in potentiis sensitiuis materialibus internis sunt differentiæ essentiales constituentes distinctas potentias, non vero appetitus sentiuus, & potentia intellectiua, vt apertè concludit Sanctus Thomas prima parte quæstione 79. articulo septimo ad secundum dicens, *Quod præteritum, & præsens possunt esse differentiæ potentiarum sensitiuarum secundum differentiam obiectorum, non autem potentiarum intellectiuarum*; relinquitur ergo Phantasiam, seu imaginatiuam realiter distingui à sensu communi.

25 Ad fundamentum oppositæ sententiæ, Respondeo, Aristotelem pro nobis stare: ad primam rationem dico, obiecta esse diuersa per se, etsi per accidens possint esse idem, vt numero vigesimoquarto diximus. Ad illud de cellulis, Respondeo, rem esse medicam, quia vero potentiæ sensitiuæ materiales si valde imperfectæ, & in suis operationibus multum dependeant à diuersis dispositionibus, organis, & temperamentis, ex iis facilè argui realem distinctionem prædictarum potentiarum materialium, non vero intellectualium.

CAPVT IV.

An æstimatiua realiter distinguatur à Phantasia.

DVo examinanda sunt in hoc capite; primum an talis potentia æstimatiua de facto detur in animalibus perfectis: secundum an illa realiter distinguatur à Phantasia; de primo dubitarunt quidam antiqui Philosophi existimantes Aristotelem nunquam de ea fecisse mentionem, cum valde etiam difficilè sit probare, ipsam potentiam æstimatiuam esse cognoscitiuam, vt voluit Auicenna, & cognoscere res insensatas à sensibus externis independentes, & simul rationes conuenientiæ, & nociui, non enim apparet quomodo ouis cum primo videt lupum producat speciem repræsentantem illum sub ratione inimici, ergo cum intellectus, qui perfectior, & nobilior potentia est, non producat speciem intelligibilem per quam intelligat sed illam accipiat, vel ab auctore naturæ, vel ab intellectu agente, multo minus æstimatiua potentia, quæ imperfectior est, poterit producere species insensatas, & per eas sentire; merito ergo dubitarunt prædicti Philosophi de existentia potentiæ æstimatiuæ in animalibus perfectis. 26

Nihilominus certum est apud Aristotelem libro de natura animalium, & libro de histor. animalium, & Diuum Thomam prima parte quæstione 78. articulo quarto, & quæstion. tertia de anima articulo decimotertio. & opuscul. 43. capitulo quarto, quos vno calamo sequuta est omnis schola, illamque ex Philosopho sic definit, *Æstimatiua est potentia materialis cognoscens obiecta sensu externo imperceptibilia*, secundum rationem conuenientiæ, aut nociui, animal enim non solum mouetur delectatione, aut displicentia obiectorum sensibilium, sed etiam ob commoda insensibilia, ouis namque non fugit lupum propter colorem, & corporis figuram, sed propter inimicitiam, quam apprehendit per species insensatas ad quarum productionem, & vsum posuit Aristoteles potentiam æstimatiuam, vt clarè probat Diuus Thomas prima parte quæstion. 78. articulo quarto ad quarto his verbis. *Dicendum quod licet intellectus operatio oriatur à sensu, per tamen in re apprehensa sensum, intellectus multa cognoscit, quæ sensus percipere non potest, & similiter æstimatiua, licet inferiori modo*; ergo sicut intellectus datur in homine, ita æstimatiua danda est in animali perfecto. 27

Probatur etiam ratione, quia natura non deficit in necessariis, sed si non concessisset animalibus perfectis potentiam æstimatiuam, deficeret in necessariis, ergo. Minor probatur, nam si ouis non cognosceret lupum, vt inimicum, vt inimicum non fugeret, ne laceraretur & auis si non cognosceret conuenientiam palearum ad nidificandum, non posset fabricare nidum, neque filios procreare, atque ita natura his animalibus in necessariis defecisset, at ad suauem Dei prouidentiam spectat, concedere, vnicuique rei modum operandi congruentem suæ naturæ, ergo realiter concessit animalibus perfectis potentiam sensitiuam eis proportionatam, vt per eam moueantur à se media cognitione obiectorum sensibilium ad rationes insensatas ob commoda insensibilia; hæc autē vocatur potentia æstimatiua, ergo illa datur in animalibus perfectis. 28

De animalibus vero imperfectis, vt laserta, conchillis, & similibus, probabilius est carere hac potentia æstimatiua, cuius proprium munus est cognoscere conuenientiam, & disconuenientiam obiectorum sensibilium per species insensatas à sensibus externis indepēdentes, sed 29

huiusmodi animalia non percipiunt aliquid nisi conueniens, vel disconueniens ipsi sensui tactus in ipsius cum à præsentia nullo alio moueantur, ergo prædicta animalia carent potentia æstimatiua, ad cognoscendum enim conuenientiam, vel disconuenientiam alicuius sensus externi, sufficit ipse sensus externus, cum iudicio sensus communis, qui in omnibus animalibus datur, imperfectè verò possumus concedere in iis animalibus imperfectis potentiam æstimatiuam, seu imaginatiuam, quatenus à posteriori iudicamus prædicta animalia, dum læduntur restringi, & cum delectantur, extendi, quod est imperfectè, & confusè cognoscere rationem conuenientis, aut nociui, ad præsentiam sensibilis.

30 Sed obiiciat quis primo, quia species insensatæ, quæ deseruiunt æstimatiuæ in brutis, vt sunt odium, amicitia, delectatio, dolor, filiatio, & similia, excedunt omnes rationem sensibilem, sunt enim relationes, quæ nec sunt sensibile proprium, nec commune, ergo excedunt omnem rationem sensibilis. Secundo non potest cognosci hoc esse conueniens, & delectabile, illud nociuum, nisi per comparationem istius ad illud, sed vti comparatione, & collatione vnius ad aliud conuenit potentiæ discursiuæ, & non sensui. Tertio istæ species insensatæ non possunt prouenire à sensibus externis, cum ab illis non percipiantur, neque enim sensus externus potest producere species tam perfectas, & supra se excedentes, ergo in animalibus perfectis non datur talis potentia æstimatiua.

31 Obiecta sic diluo, ad primum dico, quod vt aliquid apprehendatur à sensu interno, sufficere, quod contineatur intra eius obiectum, & aliquo modo fuerit in externo; relatio itaque vnius ad aliud, vt conuenientis, vel nociui formaliter est insensibilis, nam fundare conuenientiam, vel disconuenientiam, non est color, vel sonus, vel figura, aut dolor, vel aliquid, quod sensu externo percipiatur, materialiter vero, est sensibile externum, quia in natura, & qualitatibus lupi fundatur contrarietas, & inimicitia ad ouem, & sicut non est necesse, quod omnia, quæ cognoscuntur intellectu, vel sensu interno sint cognita per sensum externum, ita benè potest cognosci per sensum internum aliquid, quod directè, & formaliter à sensu externo non cognoscatur, dum virtualiter in illo præhabeatur. Ad secundum. Respondeo, in brutis non dari formal ter comparationem, seu collationem vnius ad aliud secundum rationem conuenientiæ, aut nociui, sed per quemdam naturalem instinctum, & simplicem apprehensionem cognoscere obiecta sensibilia, quo ad rationes insensatas conuenientiæ, aut nociui, quia ex ipsa vi, & inclinatione naturæ habent quamdam naturalem tendentiam ad cognoscendum conueniens, aut nociuum, non ex comparatione extremorum, sed quia possunt attingere plura obiecta vnum distinctè ab alio, & hoc modo æstimatiua in illis discernit, seu iudicat de conuenientia rei; Ad tertium Respondeo species insensatas accipi per sensus externos, non vt formaliter cognitas ab eis, sed vt virtualiter contentas in ipsis rebus sensibilibus, inimicitia enim ouis ad lupum, fundatur in ipso lupo atque ita res insensatæ continentur aliquo modo in ipsis rebus sensatis, vt mirificè docuit Diuus Thomas, opuscul. 43. capitulo quarto. *Dicens, quod æstimatiua est virtus apprehendens de sensato, quod non est sensatum, sicut ouis inimicitiam lupi.*

32 Circa secundum maior est difficultas, an potentia æstimatiua realiter distinguatur à Phantasia, & consequenter à sensu communi; partem negantem tuentur Recentiores relati supra capitulo primo numero septimo, pro quinta sententia opposita, tamen sententia verior est, quam tenet Diuus Thomas 1. part. quæstion. 78 articulo quarto, quæstion. 97. articulo secundo, opuscul. 43. capitulo quarto, secundo contra gentes, capitulo sexto, & pluribus aliis in locis, quæ sequuntur Bannez, Ferrara, Caietanus, Capreolus, Ioannes à sancto Thoma quæstione octaua de anima articulo secundo, Complutenses disputation. 15. de anima quæst. 4. & omnes eius expositores.

Assero igitur, potentiam æstimatiuam in brutis, seu animalibus perfectis realiter distingui à Phantasia, & consequenter à sensu communi: Probatur ex verbis D. Thom. illo articulo quarto, supra iam relato; *non est necesse ponere nisi quatuor vires interiores sensitiuæ partis, scilicet sensum communem, imaginatiuam, seu Phantasiam, æstimatiuam, & memoratiuam.* Sed Phantasia realiter distinguitur à sensu communi, ergo & æstimatiua à Phantasia; Probatur ratione, in animalibus perfectis datur cognitio percipiens rationes insensatas, vt ostendi supra numero 30. Sed talis cognitio non potest reduci in Phantasiam, ergo in æstimatiuam. Minor probatur quia Phantasia immutatur media sensatione sensuum externorum, & attingit rationes sensatas, vt absentes, vel vt abstrahunt à præsentia, & absentia; ergo cognitio per quam apprehenduntur rationes insensatæ non potest reduci in Phantasiam. Hanc consequentiam probo, quia id, quod proximè immutat Phantasiam, est aliquis sensus externus ex se patens; id vero quod immutat æstimatiuam in brutis, scilicet in oue, non est color, aut figura externa, sed inimicitia cum lupo, quæ est aliquid internum, & occultum, ergo huiusmodi cognitiones, & obiecta debent specie distingui; Confirmatur, magis distant inter se rationes insensatæ à sensatis, quam rationes sensatæ, vt præsentes à seipsis, vt absentes, vel abstrahentes, à præsentia & absentia, & tamen ob hanc solam distinctionē statuitur realis distinctio inter sensum communem, & Phantasiam, ergo potiori iure inter æstimatiuam, & Phantasiam ob maiorem distantiam inter ipsas repertam; nàm Phantasia percipit res vt absentes vel vt abstrahentes à præsentia, & absentia; æstimatiua vero cognoscit res insensatas, vel rationes abstrahentes à sensatis, & insensatis, in quo maximè appropinquat rationi, & valde superat modum cognoscendi visus, vel auditus; obiecta enim magis abstracta, & immaterialia semper constituunt potentias materiales sensitiuas specie diuersas, vt sæpius diximus in superioribus. 33

Sed obiiciat quis, potentiæ materiales sensitiuæ distinguuntur per organa, & temperamenta diuersa, sed ista sunt tria, ergo non est per quid æstimatiua distinguatur à Phantasia. Antecedens probatur, potentiæ sensitiuæ materiales, tam externæ, quam internæ sunt affixæ organo corporeo, vt constat de visu, auditu, & aliis. Consequentia probatur, quia temperamenta sunt tria, sicut cellulæ, humidum deseruit sensui communi, siccum memoriæ, humidum cum sicco Phantasiæ, & æstimatiuæ, ergo hæ duæ potentiæ sensitiuæ non distinguuntur realiter; Confirmatur, eadem potentia, quæ cognoscit rationes insensatas debet cognoscere rationes sensatas eiusdem obiecti, qui enim cognoscit conuenientiam, seu inimicitiam lupi, debet cognoscere lupum, sed Phantasia cognoscit rationes sensatas, ergo & insensatas: maior sic ostenditur; eadem species repræsentat obiectum sub vtraque ratione, nequit enim species lupi repræsentare illum vt inimicum, quin repræsentet sub figura, & colore, nam rationes insensatæ sunt modi quidam affixi in rationibus sensatis, sine quibus non possunt repræsentari, ergo ad eamdem potentiam sensitiuam internam spectabunt tam rationes sensatæ, quam insensatæ. 34

Respondeo

35 Respondeo ad obiectionem, secundum Medicos in cerebro quatuor dari organa corporea, & temperamenta, & tres cellulas pro quatuor sensibus internis, Prima in fronte, quæ humidior est, & deseruit sensui communi; Secunda phantasiæ cum humiditate temperata, quæ etsi distincta non sit à cellula sensus communis, est tamen illi valde affinis, seu est eadem per quamdam interpositionem in duas diuisa. Tertia deseruit æstimatiuæ, quæ in homine est cogitatiua, & est magis in media parte capitis post Phantasiam; in Brutis vero inclinat à summitate capitis ad posteriorem partem, & D. Thomas opus. 43. cap. 4. loquens de æstimatiua sic ait; *organum autem huius potentiæ ponitur in brutis in posteriori parte mediæ partis cerebri, quæ syllogistica appellatur*, & cum prædictæ potentiæ materiales sensitiuæ internæ valdè imprfectæ sint, & in suis operationibus multum dependeant à diuersis dispositionibus, organis corporeis, & temperamentis, taliter vt sentiamus potentiam lædi, si læsio fiat in ea parte, in qua ipsa residet, facilè, & cum fundamento deducimus realem distinctionem in prædictis potentiis; Ad confirmationem Respondeo ex dictis in superioribus abundè constare, Phantasiam attingere obiecta sensibilia absentia, vel vt abstrahunt à præsentia, & absentia; æstimatiuam vero attingere omnes rationes insensatas eleuatiori modo, etsi dependenter à sensatis, minor ergo distantia reperitur inter Phantasiam, & sensum communem, quam inter Phantasiam, & æstimatiuam, & tamen Phantasia realiter distinguitur à sensu communi, ergo potiori ratione æstimatiua à Phantasia.

CAPVT V.

An memoria realiter distinguatur ab æstimatiua.

36 TRes inuenio sententias, Prima asserit memoriam realiter non distingui ab æstimatiua, ita Conimbricenses Suarez, Murcia, Ruuio Marcellus, Carleton, Hurtado, Arriaga, Franciscus Alphonsus, & plures alij à nobis relati suprà, cap. 1. num. 4. & 5. Secunda sententia asserit realiter distingui, & ita D. Thomas 1. p. quæst. 78. art. 4. quæst. de anima art. 13. & opus. 43. cap. 4. Caietanus, Ferrara, Bañez, Ioann. à S. Thoma quæst. 8. de anima art. 4. Complutenses disp. 15. de anima quæst. 5. Tertia sententia vltra has duas potentias addit aliam mediam realiter distinctam, quam appellat imaginatiuam, eam tenet Auicenna in lib. de anima.

37 Claritatis gratia: Præmitto primò dari verè, & realiter in hominibus, & animalibus perfectis memoriam, vt cap. 1. num. 1. & 2. ostendimus, illamque residere circa posteriorem partem capitis, quæ siccior est, & aptior ad conseruandas species, & experientia magistra sentimus illam lædi, si ea pars in qua residet lædatur; dari etiam prædictam memoriam in brutis comprobat eadem experientia, nam bruta recordantur obiectorum, quæ aliquo sensu perceperunt, canis memor beneficij à domino accepti, cauda blanditur, feræ recordantur loci, vbi catulos reliquerunt; & Diuus Thomas 1. part. quæst. 78. art. 4. inter vires interiores sensitiuæ partis numerat memoriam, ergo illam dari, tam in homine, quam in brutis lumine naturæ certum est.

38 Præmitto secundò, memoriam, & reminiscentiam in homine, non distingui realiter à cogitatiua, & æstimatiua, Probatur manifestè ex D. Thom. q. 10. de verit. art. 3. in corpore, vbi sic dicit, *quod in parte sensitiua, quæ fertur ad præsens in quantum præsens est, si feratur in præteritum requiritur altior virtus, quam ipse sensus, & hæc est memoria, quæ tamen in parte intellectiua, non distinguitur ab ipso intellectu apprehendente.* Memoria enim hominis, quæ operatur cum comparatione extremorum appellatur reminiscentia, quia recordando reminiscitur eorum, quæ antea nouit, quasi reflectendo suprà obiecta præterita; ratione etiam manifestà probatur, quia intellectus assentitur primis principiis, sine discursu, conclusioni vero cũ studio, & discursu, & tamen eadẽ intellectiua potẽtia manet, etiamsi obiecta sint diuersa & modus illa attingendi diuersus, ergo etiam memoria in homine non distinguetur ab æstimatiua, & cogitatiua, sed erit eadẽ cum aliqua perfectione participata ex coniunctione ipsarum ad exercendam suam virtutem circa diuersa obiecta singularia; est etiam instantia in appetitu sensitiuo, qui in Theologorum sententia in homine participat aliquid libertatis, & tamen non est alia potentia specie diuersa ab appetitu sensitiuo illam non habente, ergo similiter memoria in homine non distinguetur realiter à cogitatiua, & æstimatiua ex diuerso modo attingendi, seu operandi, quæ ex sola immaterialitate obiecti per se diuersificat, vt constat ex multoties dictis.

ASSERTIO prima contra Auicennam; memoria 39
est potentia cognoscitiua, ita Aristot. D. Thom. Caietanus, Bañez, Ioan. à Sancto Thoma, quæst. de anima art. 3. Complutens. disput. 15. de anima quæst. 5. & recentiores à nobis relati suprà cap. 1. num. 4. Probatur aperte ex verbis D. Thomæ citatis numero præcedenti, in illis, *si feratur in præteritum requiritur altior virtus: quam ipse sensus communis*; tum sic: sensus communis est potentia cognoscitiua sensibilium, ergo cum memoria sit altior virtus, à fortiori debet esse cognoscitiua; Præterea idem Diuus Thomas 1. part. quæstion. 79. artic. 6. dicit, memoriam sensitiuam esse apprehensiuam præteriti, sed non potest esse apprehensiua præteriti, quin sit cognoscitiua, ergo, &c. & tandem quæstione de anima art. 13. docet, quod ea quæ prius fuerant apprehensa per sensum, & interius conseruantur, requiri vt iterum reuocentur ad actualem considerationem, hoc autem pertinet ad rememoratiuam virtutem, quæ in animalibus perfectis sine comparatione extremorum suam operationem exercet; Prætereà, sicut in nobis experimur dari istam cognitionem præteritorum, vt præterita sunt, quando eorum recordamur, ita & animalia recordantur obiectorum quæ aliquando sensu aliquo perceperunt, ergo memoria sensitiua illorum, etiam est cognoscitiua, hæc autem cognitio necessario debet pertinere ad eandem potentiam, quæ conseruat species in absentia, quæ est memoria, ergo est cognoscitiua, nam vsus speciei est cognitio, ergo cum memoria vtatur speciebus ad actualem considerationem præteritorum, necessario erit cognoscitiua.

ASSERTIO secunda, memoria sensitiua in animali- 40
bus perfectis distinguitur realiter ab æstimatiua. Ita auctores secundæ sententiæ, & probatur verbis D. Thomæ sæpiùs repetitis 1. part. quæst. 78. art. 4. *Vbi quatuor vires interiores partis sensitiuæ ponit, videlicet, sensum communem imaginatiuam, seu Phantasiam, æstimatiuam, & memoriam*; & clarius verbis illis relatis num. 25. notabili secundo, ergo memoria realiter distinguitur ab æstimatiua, nam actus aliarum potentiarum sensitiuarum est motus à rebus ad animam, actus autem memoriæ est motus animæ ad res, ergo prædictæ potentiæ debent esse diuersæ, ac distinctæ; Probatur etiam ratione; nam memoria non solum requirit diuersum organum, & situm in posteriori parte capitis & temperamentum sicum, vt species bene conseruet, & retineat, sed etiam diuersum modum cognoscendi ab æstimatiua, nam

memoria respicit obiectum, vt præteritum, seu vt abstrahit à præsentia rei, & ab immutatione obiecti exterioris cum motu animæ ad res, æstimatiua vero, quæ est apprehensiua importat motum rerum ad animam, quia apprehendit res insensatas, vt præsentes, vt inimicitiam lupi cum lupus est præsens, sed istæ differentiæ sufficiunt ad inducendam diuersitatem potentiarum materialium, vt de sensu communi, & Phantasia diximus capitulo secundo & tertio numero 22. ergo cum ex Diuo Thoma memoria sit altior virtus & cognoscat res cum diuersa immaterialitate, & modo, debet realiter distingui ab æstimatiua, & cæteris potentiis internis sensitiuis materialibus.

41 Sed obiiciat quis primo contra primam assertionem; si memoria esset potentia cognoscitiua, non differret ab æstimatiua, sed supponitur à nobis distincta, ergo. Antecedens probatur, quia memoria cognosceret per easdem species, per quas apprehensiua; Confirmatur primo: sensus communis aliquando cognoscit in absentia, vt in somnis, ergo etiam memoria aliquando poterit cognoscere in præsentia, maximè si accipiat species ad conseruandum ab obiectis præsentibus, ergo non est in quo differat ab æstimatiua. Confirmatur secundo: si memoria esset cognoscitiua, semper esset cognoscitiua, quia semper habet species, sibi inhærentes, atqui Sanctus Thomas opuscul. decimoquarto, in principio dicit, *quod memoria non habet aliquem actum, sed loco actus solum tenet, quasi parata capientia se*, ergo memoria non est cognoscitiua.

42 Respondeo, memoriam, & apprehensiuam, vti eisdem speciebus ex parte obiecti repræsentati, non vero ex parte modi, sed ordinatis diuerso modo, nam apprehensiua vtitur illis dependenter à præsentia, & immutatione obiecti exterioris, licet aliquando materialiter, & per accidens attingat res absentes, apparenter tamen præsentes, quasi in imagine, formaliter tamen, vt præsentes; memoria vero vtitur speciebus sine immutatione, etsi aliquando per accidens, & materialiter repræsentet rem præsentem, quia accipit speciem ab ipsa, non tamen ibi sistendo, & ab ea dependendo, sed sub ratione præteriti memorando. Ad confirmationem Respondeo negando antecedens, quia optime stat, species actu inhærere potentiæ quo ad suam entitatem, & actu non repræsentare, ex defectu excitationis, & vsus talis speciei; vt contingit in dormientibus, & secundum Theologos species in intellectu conseruantur, quin actu informent, & intelligat; ad testimonium D. Thomæ dico loqui de memoria intellectiua, quæ non habet actum distinctum ab ipso intellectu, non vero de memoria sensitiua.

43 Obiiciat secundo contra secundam assertionem, memoria, & æstimatiua est eadem potentia, ergo non est distincta, antecedens probatur, non distinguuntur ex eo quod æstimatiua percipiat rationes insensatas, vt præsentes, memoria vero, vt absentes, nam rationem aliquam insensatam esse præsentem, vel absentem per accidens se habet ad illam, cum eadem ratio insensata modo, potest esse præsens, modo absens, ergo ratio præsentiæ, vel absentiæ non potest constituere realem distinctionem inter illas. Confirmatur: æstimatiua potentia est longè perfectior, & nobilior quam Phantasia; ergo erit idem quod memoria, consequentia probatur, nam Phantasia est retentiua specierum sensatarum, & potest ad rationes sensatas, dum sunt absentes tendere, sed æstimatiua est nobilior, & præhabet perfectionem Phantasiæ, ergo poterit retinere species insensatas, & mediis illis percipere rationes, non sensatas, dum sunt absentes, ergo erit idem, quod memoria cuius est percipere rationes insensatas in absentia obiectorum.

Respondeo, rationes præsentiæ, & absentiæ, in potentiis sensitiuis materialibus, esse differentias essentiales constituentes diuersas potentias sensitiuas materiales, vt ostendimus supra capit. 2. num. 8. 11. & 12. ad confirmationem dico, ex excellentia æstimatiuæ ad Phantasiam, non induci identitatem, cum memoria vt diximus, assert. secunda, sed potius esse potentias realiter distinctas.

CAPVT VI.

De appetitu sensitiuo aliqua expediuntur.

SEnsum communem, & alios enumeratos sequitur 44
appetitus sensitiuus, qui ad bonum delectabile per sensum internum apprehensum inclinatur, & deuiat à malo, etenim in equo, verbi gratia, experimur, quod inclinatur ad cibum, & ab alio noxio fugit; hæc autem fuga, ac inclinatio sunt actus appetitus sensitiui; ergo in equo, & in quouis alio bruto datur appetitus sensitiuus; vnde etiam in homine talis appetitus sicut, & sensus internus reperitur, de quo Paulus loquitur, *aliam legem sentio in membris meis repugnantem legi mentis: nam obiecta delectabilia sensu percepta appetitum delectatione pulsant*; hic vero appetitus duo exercet munera, nimirum bonum sensibile prosequi, & dicitur concupiscibilis, & malum quod bonum impedit, declinare, & dicitur irascibilis; actus appetitus concupiscibilis, communiter munerantur sex à D. Thoma 1. 2. quæst. 23. artic. 4. amor, desiderium, fuga delectatio, tristitia, & odium; amor qui datur circa bonum consequendum, appellatur desiderium, amor vero, qui datur circa bonum iam consequutum, dicitur complacentia, seu gaudium, sicut odium de malo imminente dicitur timor, & de malo habito, dicitur tristitia; actus vero appetitus irascibilis sunt, spes, desperatio, audacia, timor, ira, quæ fertur in mala vt illa depellat; vel in bona ardua vt illa vincat, aut defendat se à contrario, vt cum canis defendit cibum alio intendente rapere; appetitus irascibilis sequitur æstimatiuam, quia non versatur circa delectabilia, concupiscibilis vero, quia versatur circa delectationem sequitur Phantasiam, vt insinuat Caietan. 1. part. quæst. 81. articulo secundo in fine, qui appetitus valde necessarius est omnibus animalibus ad conseruandam vitam, si quidem illo mouentur ad quærenda sibi necessaria, vt cibum, & potum, & fugienda nociua, & quæ illis aduersantur, hæ autem partes concupiscibilis, & irascibilis, non sunt duæ potentiæ reipsa inter se distinctæ, sed vna complectens vtramque operationem.

Sed quærat quis, vbi iste appetitus insideat? com- 45
munis sententia antiquorum est residere in corde, ita Arist. Pytagoras, Chrysippus cum omnibus Stoicis, & Peripateticis, quibus in hac parte adstipulatur Galen. lib. 2. de placitis c. 3. & lib. 3. cap. 8. quorum fundamentum est, quia appetitus sensitiuus est in corde, sicut, & sensus communis, at Galenus cum sensum communem posuisset in capite, appetitum ponit in corde. Censeo tamen cum communi schola, appetitum sensitiuum tantum residere in cerebro; ratio est quia in illa parte animæ, in qua est sensus internus debet necessario esse appetitus sensitiuus, quia eademmet pars animæ, quæ apperit aliquod bonum, debet illud necessario per sensum internum cognoscere, alias si vna pars animæ cognosceret bonum, & alia pars animæ appeteret illud, ex cognitione, ac sensatione boni non determinaretur appetitus ad apperendum illud, vt ostēdi in simili disp. 4. c. 1. n. 7. & disp. 5. cap. 2. n. 10. atqui sensus internus est tantū in cerebro, tum quia ab ipso cerebro ducuntur

duo

duo nerui, per quos sensus internus ad alios externos sensus spiritus animales mittit, tum etiam quia, quando ex nimio studio, & rerum consideratione sensus internus defatigatur, dolor in cerebro tantùm sentitur, ergo etiam appetitus sensitiuus in cerebro tantùm residet; Vide Hurtadum suprà sect. 9. num. 57. & sect. 12.

46 Dices operationes appetitus sensitiui sunt in corde, vt ira, tristitia, melancholia, anxietas, mœstitia, ergo ibi sunt actus appetitus, per quos irascimur, &c. Respondeo, ex hoc argumento, posse etiam deduci appetitum esse in maxillis, quia in illis apparet erubescentia, quæ ex rubore suffunditur, quia sanguis in faciem confluit, vt hominem occultet ab aliorum oculis, & tamen erubescentia, seu verecundia inter actus appetitus sensitiui numeratur, ergo appetitus sensitiuus erit in facie, & similiter posset dicere appetitum esse in ore, eo quod cum cibum appetimus, saliua confluit ad os; Respondeo igitur, iram, mœstitiam, verecundiam, & tristitiam formaliter esse in appetitu sensitiuo, qui est in cerebro; in corde verò, & stomacho, & facie esse, vel obiecta illorum actuum, vel aliqui effectus ex illis resultantes, & ideo dici illas partes iasci, tristari, &c. obiectiuè, & causaliter, nam actus quo quis appetit vindictam efficere potest, quod ebulliat sanguis iuxta cor vbi est calidissimus, & fugiat in faciem.

47 Dices secundò, ex illo Deuter. 6. Diliges Dominum tuum, ex toto corde tuo, sed non diceretur ex toto corde tuo, si facultas diligendi, non resideret in corde, ergo & appetitus sensitiuus. Secundò, ex illo Matt. 15. de corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, &c. ergo signum est appetitum sensitiuum residere in corde. Respondeo. Primum instari eodem testimonio, cum ibi dicatur, & ex totis visceribus tuis, ergo illo testimonio non concluditur appetitum sensitiuum esse magis in corde, quam in visceribus, totaque anima, sed Deus ita nos vult solicitos circa suum amorem, vt nec cordis operatione, nec viscerum vsu fruamur, nisi ad obsequium ipsius. Ad secundum, Respondeo, ibi, sicut in pluribus sacræ Scripturæ testimoniis, nomine cordis significari animam, sicuti enim præcipua corporis pars dicitur cor, ita præcipua pars hominis, quæ est anima, cor appellatur ex qua vbique insideat appetitus, illæ prauæ cogitationes, homicidia, & adulteria seminant, sic interpretantur Valentia tom. 1. disp. 6. quæst. 2. part. 5. Arriaga disp. 5. de anima sect. 5. Franciscus Alphonsus disp. 11. de anima sect. 4. n. 77. Hurtado disp. 17. de anima sect. 19. & 22.

DISPVTATIO XIII.

De Anima rationali coniuncta corpori.

QVATVOR capita continebit; In primo, an anima rationalis sit humani corporis forma; & alia dogmata declarantur. In secundo, an anima rationalis, spiritualis, an verò corporea sit. In tertio, an anima rationalis sit omnino indiuisibilis. In quarto, an & qua ratione, & quo tempore anima rationalis producatur.

CAPVT I.

An anima rationalis sit humani corporis forma; & alia dogmata declarantur.

1 NOnnulli antiquitatis Philosophi deliraruntanimam rationalem non esse verè, & propriæ humani corporis formã, nec actum informãtem, sed assistentem; sicut naui gubernator assistit ad illam regendam, & gubernandam. Ita sensit Plato, Simplicius, Philoponus, Themistius, & commentator, qui singulariter censuit hominem quadam anima vegetatiua, quæ tantùm res singulares apprehenderet, essentialiter constitui, vnam verò mentem, ac animam intellectiuam omnibus hominibus assidentem esse dixit, qua quidem hominem ipsum essentialiter non constare ineptè, ac impiè asserebat, quibus etiam acquieuit Martinus Lutherus, qui animam rationalem non esse humani corporis formam impudenter affirmauit, & alij, quos refert P. Vall. tom. 1. disp. 6. q. 2. punct. 1.

ASSERTIO tamen sit. Anima rationalis verè, & 2
propriè est humani corporis forma, quæ non assistat præcisè, sed actuet, ac informet ipsum corpus, & cum illo vnum per se constituat. Hæc assertio est fide sancta, expressè definita in Concilio Viennensi sub Clem. V. cuius decretum habetur in clementina vnica de summa Trinitate, & fide Catholica §. 2. in hæc verba: *Doctrinam omnem, seu positionem temerè asserentem, aut vertentem in dubium, quod substantia anima rationalis, seu intellectiua verè, ac per se humani corporis non sit forma, velut erroneam, & veritati Catholicæ inimicam prædicto sacro Concilio approbante reprobamus, definientes, quod quisquis deinceps asserere, seu tenere pertinaciter præsumpserit, quod anima rationalis, seu intellectiua non sit forma corporis humani per se, & essentialiter, tamquam hæreticus sit censendus.* Idem & eodem tenore definiuit Lateranense Concil. sub Leone X. sect. 8. Probatur etiam ex illo Gen. 2. *Formauit igitur Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius, spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem*; vbi per spiraculum vitæ intelligunt omnes animam rationalem informantem, eamdem assertionem amplexus est Aristot. D. Thom. 1. part. quæst. 76. art. 1. Suarez 2. de anima cap. 3. Toletus lib. 1. de anima quæst. 2. Ioan. à S. Thom. quæst. 9. de anima art. 2. & quæst. 2. de anima art. 1. Complut. disputat. 2. de anima quæst. 1. Franciscus Alphonsus disput. 2. de anima sect. 2. P. Hurtado disp. 1. de anima sect. 6. Conimbricenses 1. de gent. cap. 6. quæst. 14. Arriaga disp. 1. de anima sect. 1. & lib. 1. de anima c. 1. quæst. 6. art. 2. Carleton disp. 1. de anima sect. 1. & omnes Philosophi.

Probatur ratione: omnis realis substantia partialis 3
& incompleta, vel est materia, vel forma propriè, & per se vt omnes Philosophi concedunt: sed anima rationalis est quædam realis substantia partialis, & incompleta; ergo anima rationalis, vel est materia, vel est forma propriè, & per se; sed anima rationalis non est materia, vt per se constat: ergo est forma propriè, & per se; atqui non est forma alterius corporis præter humanũ: ergo anima rationalis est verè humani corporis forma. Tenet discursus. Minor, scilicet animam rationalem esse realem substantiam non completam, sed incõpletam sic mõstro: si anima rationalis esset substantia completa, sicut Angelus, humano corpori assistens, in suis vitalibus operationibus non penderet ab ipso corpore humano, sicut Angelus in operando vitaliter non pendet à corpore cœlesti, cui vt motor, ac gubernator assistit; atqui anima rationalis de facto in operando vitaliter, scilicet, in cognoscendo à corpore humano pendet, pendet enim à phantasmatibus, quæ in ipso corpore exercentur, vt experientia ipsa monstrat; ergo anima rationalis non est substantia completa, ac proinde erit substantia partialis, & incompleta. Confirmatur, actio propriissima hominis debet radicaliter oriri ab essentia ipsius hominis; sed ratiocinatio est actio propriissima hominis; ergo ratiocinatio debet radicaliter oriri ab essentia ipsiusmet hominis: atqui talis actio oritur radicaliter ab anima ratio-

nali; ergo anima rationalis est propriè, & per se essentia hominis; sed talis anima non est tota hominis essentia, quia quando moritur homo, iam verè, & propriè homo non est, manente anima rationali; ergo anima rationalis est solùm pars essentialis hominis, quæ cum altera comparte, scilicet, cum corpore hominem essentialiter constituat: sed pars essentialis, quæ cum corpore humano hominem essentialiter constituit, est verè corporis forma; ergo anima rationalis est propriè, & per se corporis humani forma. Vrgeo efficaciter: homo vt sic est essentialiter, ac formaliter animal rationale, quia quatenus homo differt essentialiter, ac formaliter à reliquis animalibus, & non differt essentialiter ab illis, si non esset formaliter animal rationale; sed homo non est animal rationale formaliter per materiam, scilicet per corpus humanum, quod secundum se non est aptum ratiocinari; ergo est formaliter animal rationale per formam, ex qua constat essentialiter: atqui non est aliud, per quod homo possit esse animal rationale formaliter, nisi per animam rationalem, vt per se liquet; ergo anima rationalis est verè forma, ex qua homo constat essentialiter.

4 Hinc infero, animam rationalem non solùm vt vegetatiuam, & sensitiuam, sed etiam vt intellectiuam formaliter esse verè formam corporis humani. Ita præfati auctores contra Caietanum 1.part.quæst.76. art.1. in corpore ad primum. Probatur: nam Concilia suprà affirmant animam intellectiuam propriè, & per se esse humani corporis formam; sed præciso gradu vegetandi, & sentiendi anima cum solo gradu intelligendi est verè anima intellectiua; ergo anima rationalis secundum illum gradum intelligendi præcisè, ac formaliter iuxta Conciliorum definitionem est verè forma corporis humani. Vnde Castro lib.2. aduersus hæreses verbo anima, errore primo, hanc sententiam Caietan. erroris censura inurit, quæ meliùs potest exponi, vt mox videbimus. Deinde ratione sic arguo: anima rationalis eatenus est forma corporis, quatenus vnitur propriè, & per se ipsi corpori, vt sic enim informat illud, ac proinde est forma illius; sed anima rationalis etiam vt intellectiua reipsa verè cum corpore vnitur; ergo anima rationalis etiam vt intellectiua est verè forma corporis. Probatur minor. Vnio realis, ac physica formæ cum materia non est præcisiua formaliter vniùs formalitatis ab alia, cum qua illa reipsa identificata est, hoc enim conuenit cognitioni, vt est apud omnes in confesso; sed vnio animæ rationalis cum corpore vnit reipsa ipsam animam vt sensitiuam, quæ verè, ac realiter est identificata cum seipsa, vt intellectiua, vt Caietanus fatetur; ergo etiam talis vnio reipsa vnit ipsam animam, vt intellectiuam: ergo anima rationalis etiam vt intellectiua humano corpori vnitur, ac proinde vt intellectiua est forma illius.

5 Sed dicat, animam rationalem vt intellectiuam formaliter non esse formam humani corporis, non quidem negatiuè, & reipsa, sed tantùm per rationem, ac præcisiuè, hoc est, quod licèt anima rationalis sit verè corporis forma, tamen vt præcisè intellectiua præscindit ab eo, quod sit, vel non sit forma corporis humani. Hæc autem sententia duplicem potest habere sensum. Primus ostenditur, quod anima rationalis secundum rationem intellectiui præcisam, in qua conuenit cum Angelo, & quæ est ipsi, & Angelo communis præscindat ab eo, quod sit forma corporis; & in hoc sensu est verissima, & perspicua, alioquin etiam Angelus esset forma; & hac fortasse ratione solùm fuit asserta à Caietano. Secundus sensus est: quod anima rationalis secundum rationem intellectiui præcisam à sensitiuo, quæ est propria ipsius animæ, vt distinguitur ab Angelo, non sit præcisiuè saltem humani corporis forma: & in hoc sensu eam opinionem esse falsam sic demonstro: anima rationalis secundum rationem intellectiui, quæ est propria illius vt distinguitur ab Angelo, pendet in cognoscendo, & intelligendo à corpore, scilicet à Phantasmate corporeo; sed anima rationalis quatenus pendens intelligendo à corpore est substantia incompleta, & forma corporis, vt ostendi num.3. ergo anima rationalis vt eo modo intellectiua est forma corporis. Confirmatur, homo quatenus homo est essentialiter, ac formaliter rationalis per suam formam, vt probaui num.3. sed non est formaliter rationalis per formam (scilicet animam vt tu concedis) vt sensitiuam, aut vegetatiuam fuisse; ergo est formaliter rationalis per ipsam formam, seu animam vt intellectiuam; ergo ipsa anima vt intellectiua formaliter tali modo proprio ipsius est verè, & per se ipsiusmet hominis forma.

Hæc item anima rationalis non migrat ex vno corpore ad aliud corpus siue humanum, siue belluinum, vt Pythagoras, Plato, aliique Philosophi, ac hæretici confinxerunt: nec vna tantùm anima rationalis tamquam sol omnia humana corpora illustrat, vt Theophrastus, Simplicius, Commentator, & alij plures commentarunt; sed in singulis corporibus humanis anima rationalis reipsa multiplicatur. Hæc etiam positio fide Catholica stabilitur, & definita est in Concilio Lateranensi sub Leone X. sess.8. in hæc verba: *Damnamus, & reprobamus omnes asserentes animam intellectiuam mortalem esse, & vnicam in cunctis hominibus, & hæc in dubium vertentes, cum illa non solùm verè, per se, & essentialiter humani corporis forma existat, verum & immortalis, & pro corporum, quibus infunditur multitudine singulariter multiplicabilis, & multiplicata, & multiplicanda sit?* Quam etiam veritatem docuere Arist. D.Th. ac illustres ex omni schola Philosophi, quos recensent Conimbr. lib.2.cap.1.q.7. art.2. versus finem. 6

Ac primum animam non migrare ex vno corpore ad aliud ratione Theologica comprobatur: anima rationalis non est producta prius tempore, quam in corpus, in quo residet, infunderetur, fide magistra, vt ostendam cap.4. sed si vna anima rationalis, quæ existit in hoc corpore, ad aliud postea corpus transmigraret, prius tempore esset producta, quam in istud aliud corpus, in quo postea resideret, infunderetur, ergo anima rationalis, non migrat ex vno corpore ad aliud. Confirmatur: si vna anima rationalis ex vno corpore ad aliud corpus migraret, posset in vno esse iusta, & sancta vsque ad dissolutionem, ac mortem, & in alio corpore esse iniusta, & peccatrix etiam vsque ad mortem, atque ita licèt sancta fuisset in vno corpore, beatitudine non donaretur æterna, quia in alio corpore simpliciter fuit iniusta, & pœnam æternam promeruit: atqui iuxta fidei dogma anima, quæ vsque ad dissolutionem vnionis cum corpore sancta est, æterna donatur beatitudine; ergo eadem anima rationalis non transmigrat ex vno corpore ad aliud. Vrgeo ratione naturali: quia cum pulchritudo vniuersi non crescat iteratione, ac repetitione, sed varietate formarum, quoties cumque materia est vltimo disposita ad aliquam formam, petit ordo naturæ, quod in illa producatur, non eadem forma, quæ antea producta erat, sed alia distincta forma, vt sic vitetur inutilis formæ repetitio, & pulchra formarum varietas in vniuerso resplendeat; ergo quoties materia est vltimo disposita ad formam rationalem, non ponitur in illa forma aliqua rationalis, quæ iam producta in alio corpore esset, sed alia noua in ea materia, seu corpore forma rationalis procreatur; ergo nulla est transmigratio animæ rationalis ex vno corpore ad aliud, sed in quouis corpore sua propria, & ab iis distincta insidet anima rationalis. 7

Deinde vnicam tantùm animam rationalem in omnibus 8

omnibus humanis corpotibus non reſidere, ſic probo: eademmet anima rationalis non poteſt ſimul habere aſſenſum, ac diſſenſum, odium, & amorem reſpectu eiuſdem obiecti, item peccatum, & gratiam, cum hæc omnia mutuam incompoſſibilitatem, & pugnam habeant inter ſe, vt ex ipſis terminis eſt conſpicuum, ſed ſi vnica anima in omnibus hominibus inſideret, eademmet anima haberet ſimul aſſenſum, & diſſenſum, amorem, & odium reſpectu eiuſdem obiecti, item peccatum & gratiam, nam obiecto, cui vnus homo aſſentitur,& diſſentitur alius, & quod vnus amat,alter odio habet,& vnus reuera eſt iuſtus, & gratus Deo, & alius peccator; ergo non eſt eadem, ac vnica anima rationalis in omnibus corporibus humanis. Confirmatur, quia aliàs anima Iudæ eſſet eadem cum anima Chriſti,ac proinde anima Iudæ æterna gloria perfrueretur cœlis, & anima Chriſti æternis torqueretur cruciatibus in infernis. Pudet ſanè hanc ineptiam impugnare, quæ ſola ipſa luce fugit,& euaneſcit.

9 Poſtremo non inſunt plures animæ, ſed vnica tantùm eſt anima rationalis in quouis corpore humano, quæ vegetandi,ſentiendi,ac intelligendi munere fungitur, eſt contra Manichæos, qui referente Auguſtino dicebant eſſe in homine duas animas, alteram rationalem, alteram ſenſitiuam, quam illi repugnabant; & aduerſus alios Philoſophos,qui tres animas diſtinctas, ſcilicet, vegetantem, ſentientem, ac rationantem in homine confingebant, vt refert P. Vallent. tom.1. diſp.6. quæſt.2. punct.3. in principio. Noſtram verò poſitionem docent expreſsè D. Auguſt. D.Thomas, & Ariſtot. teſte Cardinal. Toleto hic lib.2. quæſt. 7. concluſ.2. & omnes auctores relati ſuprà num.2. & eſt dogma fidei definitum in 8. ſynodo generali actione 10. canone 11. hiſce verbis: *Apparet quoſdam id temporis in tantùm impietatis veniſſe, vt hominem duas animas habere impudenter dogmatizarent, tales igitur impietatis inuentores, & ſimilia ſentientes,cum vetus,& nouum teſtamentum, & omnes Eccleſiæ Patres vnam animam habere aſſeuerent ſancta ſynodus anathematizat.*

10 Hæc item veritas ratione Theologica, & naturali monſtratur: quia hæc propoſitio eſt vera,ſcilicet: anima rationalis, & caro videlicet corpus eſt homo, cum ſit expreſsè contenta in ſymbolo Athanaſij, ſed ſi homo aliam animam includeret præter animam rationalem, illa propoſitio non eſſet vera, ſicut non eſt verum dicere,caro eſt homo, quia homo præter carnem etiam includit animam; ergo homo aliam animam non includit præter animam rationalem. Deinde homo eſſentialiter eſt animal rationale, non verò animal brutum, vt omnes docent; atqui ſi eſſet in homine alia anima ſenſitiua realiter diſtincta à rationali, ſicut eſt anima rationalis, quia includit animam capacem rationis, eſſet etiam animal brutum, quia includeret alias animas omnino rationis incapaces, ergo in homine non eſt alia anima ſenſitiua realiter diſtincta ab anima rationali.

CAPVT II.

An animæ rationalis, ſpiritualis, an verò corporea ſit.

HÆc controuerſia rectè definiſi non poteſt, niſi priùs eluceſcat, in quonam ratio formalis ſpiritualitatis, ac materialitatis, conſiſtat, quod à pluribus non inuenio pro dignitate diſcurſum, & à paucis explicatum. Vnde diſtinctionis gratia caput hoc in duas partes diſſecabimus. In prima,rationem formalem rei ſpiritualis,& materialis aperiam. In ſecunda, animam rationalem eſſe ſpiritualem monſtrabo.

In quonam formalis ratio rei ſpiritualis, & materialis conſiſtat.

MVlti cenſent rationem formalem materialitatis conſiſtere in eo, quod res ſit in partes diuiſibilis, rationem verò ſpiritualitatis in eo, quod omnino indiuiſibilis ſit. Ita P.Vaſquez tom.2.in 1.p.diſp.188. num.30. Granado 1.p.tract.9.diſp.3.ſect.3.P.Hurtado diſp.2. de anima ſect.3. quibus alij ſubſcribunt recentiores. Sed impugnantur: in horum Doctorum,ac recentiorum ſententia vnio animæ rationalis cum materia eſt verè ſpiritualis; & tamen talis vnio eſt in partes diuiſibilis; ergo non eſt de ratione rei ſpiritualis formaliter, quod ſit indiuiſibilis. Minorem oſtendo: quando homo nutritur, & nouam partem acquirit, & in propriam ſubſtantiam conuertit, aduenit de nouo vnio animæ rationalis cum illa parte de nouo acquiſita; & tamen non aduenit de nouo vnio cum aliis materiæ partibus præexiſtentibus, quibus anima rationalis iam præexiſtebat vnita; ergo vnio animæ rationalis cum parte materiæ acquiſita diſtincta eſt ab vnione eiuſdem animæ cum alia materia præexiſtente; igitur totalis vnio animæ rationalis cum tota illa materia eſt verè in partes diuiſibilis. 11

Dicant verò,in prædicto caſu in inſtanti nutritionis vnionem cum materia præexiſtenti, quam antea anima rationalis habebat, omnino amitti,& aliam per nutritionem acquiri, qua anima rationalis indiuiſibiliter vniatur cum tota illa materia, ſcilicet cum parte de nouo acquiſita, & cum parte præexiſtenti. Sed contrà: vt anima rationalis poſſit elicere actionem nutritiuam, qua homo nutritur,& nouam partem materiæ acquirat, debet neceſſariò ſupponi vnita cum materia præexiſtenti, anima enim ſeparata etiam ſi cum corpore penetretur, non poterit illud nutrire, quia non ſupponitur vnita cum illo, ac proinde anima rationalis conſtituitur cauſa proxima actionis nutritiuæ per vnionem cum materia præexiſtenti tamquam per conditionem neceſſariò prærequiſitam ad nutriendum; ſed anima rationalis vt cauſa proxima formaliter actionis nutritiuæ eſt prior natura in genere cauſæ efficientis ipſa actione nutritiua; ergo etiam vnio animæ rationalis cum materia præexiſtente, per quam ipſa anima redditur cauſa proxima nutritionis, eſt etiam prior actione nutritiua intra idemmet genus cauſæ efficientis. Tunc ſic: ſed vnio animæ rationalis cum materia noua per nutritionem acquiſita non eſt prior actione nutritiua intra genus cauſæ efficientis, eſt enim in hoc genere talis vnio poſterior actione nutritiua,cum efficiatur per illam, & res non poteſt eſſe ſimul prior, & poſterior in eodem genere reſpectu alterius, vt fatentur omnes; ergo vnio animæ rationalis cum materia de nouo acquiſita non eſt eadem, ſed diſtincta ab vnione, quam habet anima in inſtanti nutritionis cum materia præexiſtente; ergo tota illa vnio ex vtraque coaleſcens eſt diuiſibilis. 12

Confirmo principaliter: *vbi* Angelicum ad ſpatium diuiſibile eſt ſpirituale; & tamen non eſt de facto indiuiſibile, ſed diuiſibile; ergo non eſt de ratione rei ſpiritualis, quod ſit indiuiſibilis. Minor probatur: licèt dari infinitum in actu diuinitus non repugnet, tamen de facto naturaliter non datur, vt omnes fatentur; atqui ſi *vbi* Angelicum eſſet indiuiſibile reſpectu ſpatij diuiſibilis, daretur naturaliter de facto infinitum in actu; ergo vbi Angelicum ad ſpatium diuiſibile non eſt indiuiſibile, ſed diuiſibile. Probatur minor, & pono ſententiam communem, quæ ſpecies ex infinitis partibus, & inſtantibus componit, quam ipſi aduerſarij amplectuntur. Et pono etiam, quod Angelus exiſtens in ſpatio vnius palmi, in illo etiam manens extenditur, & mouetur in tempore ſucceſſiuè, 13

vt

vt sic localiter in spatio huius gymnasij: arguo sic: Angelus in quouis instanti talis temporis mouetur, & acquirit vnam distinctam, ac totalem vbicationem ad totum illud spatium determinatum, in quo est, sed instantia illius temporis, in quo mouetur sunt actu infinita; ergo vbicationes totales, quas acquirit sunt etiam actu infinitæ, ergo datur de facto infinitum in actu.

14 Dicant secundò, sicut instantia illius temporis, in quo Angelus mouetur, sunt actu infinita solùm secundum quid, & non simpliciter, ita vbicationes, quas Angelus succesiuè in eis instantibus acquirit esse infinitas in actu, non simpliciter, sed tantùm secundum quid, quod quidem infinitum naturaliter non repugnat. Sed contrà: ideo instantia temporis sunt tantùm infinita secundum quid, quia sunt omnino indeterminata, & omnia illa componunt vnum tempus finitum; sed vbicationes illæ, quas Angelus succesiuè in hac opinione acquirit, non sunt omnino indeterminatæ, sed determinatæ, nec faciunt vnam Angeli vbicationem finitam; ergo tales Angeli vbicationes in hac sententia non sunt infinitæ secundum quid, sed infinitæ simpliciter. Ac primum vbicationes illas non esse omnino indeterminatas, sed determinatas sic probo: Vbicatio, qua Angelus est præsens spatio, non quidem proportionali, sed determinato, non est indeterminata, & proportionalis, sed determinata; atqui vbicationes illæ infinitæ, quas Angelus succesiuè acquirit, tales sunt in hac sententia, vt Angelus per quamlibet illarum præsens sit toti spatio determinato vnius palmi, vel maiori, in quo de facto existit, vt aduersarij fatentur; ergo omnes illæ infinitæ vbicationes Angelicæ non sunt proportionales, & indeterminatæ, sed determinatæ. Deinde omnes illas non constituere vnam Angeli vbicationem finitam probatur clarè, quia quæuis vbicatio ex illis in tua opinione est totalis, & ita excludit aliam; ergo non possunt vniri, vel continuari, vt constituant vnam Angeli vbicationem totalem finitam, ac limitatam.

15 Vrgeo principaliter: habitus charitatis, v.g. est verè spiritualis, & tamen est diuisibilis, quando est intensus, in plures gradus distinctos intensionis, vt monstratum est in lib. de generatione disp.7. cap.2. num.8. ergo non est de ratione rei spiritualis, quod sit diuisibilis. Dicant rem spiritualem posse esse diuisibilem intensiuè, non verò extensiuè, & in hoc eius formalem rationem consistere. Sed contrà: in re corporea, & materiali sicut inuenitur diuisibilitas extensiua, ita etiam reperitur diuisibilitas intensiua; sed non implicat diuisibilitatem intensiuam dari etiam in re spirituali, quia aliunde potest desumi eius spiritualitas, ergo cum etiam aliunde possit desumi spiritualitas, quam ex diuisibilitate extensiua, vt infrà ostendam à num.17. non implicabit diuisibilitatem etiam extensiuam dari in re spirituali; ergo non est de ratione rei spiritualis, quod sit extensiuè indiuisibilis.

16 Opinantur alij, rationem formalem materialitatis in eo consistere, quod res aliqua vel materia sit, vel à materia dependeat; econtrà verò rationem formalem spiritualitatis consistere in eo, quod res nec materia sit, nec dependeat à materia. Pro hac sententia stare videtur Suarez 1.metaph. disp.4.sect.1.Arriaga disp.1. de anima sect. 4. subsect. 6. Franciscus Alphonsus disp.4. de anima sect.2. & Molina 1. part. quæst.50. Valent.1. part.disp.4. quæst.4. & alij recentiores. Sed impugnantur: Corpus illud simplex, quod diuinitus esse possibile ostendimus in Physicis disp.11. cap.3. esset materiale, vt per se constat, & tamen nec materia esset, nec à materia penderet, cum omnino excludat compositionem materiæ, & formæ; ergo non est de ratione rei materialis, quod, vel materia sit, vel à materia pendeat. Deinde ratio entis materialis est ratio communis omnibus entibus materialibus, sicut ratio entis spiritualis est ratio communis omnibus entibus spiritualibus, materiale enim, & spirituale sunt differentiæ quædam, ac rationes superiores immediatè contrahentes rationem entis creati; atqui si materiale esset formaliter id, quod, vel materia est, vel à materia pendet, non esset ratio communis omnibus entibus materialibus, nam id quod materia est, & id quod à materia pendet vt sic formaliter non habent rationem communem, cum vt sic formaliter non conueniant, sed differant; id enim quod materia est, non est id, quod à materia dependet, nec econtrà id, quod à materia pendet, est id, quod materia est, sed aliud formaliter diuersum ab illo, cum res non possit pendere à seipsa; ergo materiale formaliter non est id, quod materia est, vel à materia dependet.

17 Assertio ergo sit. Ratio formalis rei materialis consistit in eo, quod intrinsecè & commensuratiuè dependeat à quantitate, vt abstrahit à quantitate formali, & quantitate radicali; rationem verò rei spiritualis consistere formaliter in eo, quod intrinsecè, & commensuratiuè à quantitate non pendeat. Hoc (vt opinor) tenetur asserere P. Suarez cum tom.2. metaph. disp.40. sect.8. num.11. asserat Vbi Angelicum esse spirituale ac diuisibile in partes loco distantes, & idem tenentur dicere alij plures recentiores, qui in hoc Patri Suarez suffragantur. Et Carleton suprà disp.7. de anima sect.4. Franciscus Alphonsus, Complutenses, Ioan. à S. Thoma quæst.9. de anima art.2. & ferè communiter recentiores. Probatur: ratio formalis materialitatis consistit in eo, quod conuenit omni rei materiali, & nulli spirituali: & ratio formalis spiritualitatis consistit in eo, quod conuenit omni rei spirituali, & nulli rei materiali: atqui pendere intrinsecè, & commensuratiuè à quantitate conuenit omni rei materiali, & nulli spirituali; & non pendere tali modo à quantitate conuenit omni rei spirituali, & nulli materiali; ergo ratio formalis materialitatis consistit in eo, quod intrinsecè, & commensuratiuè dependeat à quantitate, & ratio formalis spiritualitatis consistit in eo, quod res tali modo à quantitate non pendeat. Consequentia est euidens cum maio. Minor ex solutione argumentorum constabit. Confirmatur: quia ex modo communi loquendi, illud est materiale, quod habet in se molem, illud spirituale, quod talem molem non habet; sed habere in se molem est pendere intrinsecè, & commensuratiuè à quantitate, in qua hæc moles reperitur; ergo materiale est id, quod prædicto modo à quantitate dependet, & spirituale id, quod non pendet à quantitate.

18 Obiiciat autem quis primò, quantitas est res materialis, vt per se constat; & tamen non pendet à quantitate, quia nec pendet à seipsa, nec vna quantitas ab alia quantitate dependet; ergo non est de ratione formali rei materialis, quod pendeat à quantitate. Nec valet dicere rem materialem formaliter esse illam, quæ vel quantitas est, vel pendet à quantitate; tunc enim non daretur vna ratio communis rei materialis, vt in simili probatum est suprà num.16. Respondeo, quantitatem esse in duplici differentia; alia est quantitas formalis, quæ formaliter, & proximè petit, & infert actualem impenetrationem partium, alia est quantitas formalis, quæ radicaliter, & remotè petit, & infert naturaliter talem partium impenetrationem: ratio ergo formalis rei materialis consistit in eo, quod pendeat à quantitate, vt præscindit à quantitate formali, vel radicali, vt assertum est n.17. cum autem quantitas pendeat à quantitate saltem radicali, pendet enim à materia, quæ quia radicaliter, & remotè petit actualem suarum partium impenetrationem, est verè quantitas radicalis; ideo talis quantitas materiæ est materialis, & dici potest ratio communis rei materialis.

Obiiciat

19 Obiiciat ſecundò, intellectio hominis in hac vita non eſt materialis, ſed ſpiritualis; & tamen pendet à quantitate radicali, pendet enim à ſenſatione corporea, quæ cum petat radicaliter ſuarum partium impenetrationem, eſt verè iuxta dicta quantitas radicalis; ergo non eſt de ratione rei materialis, quod pendeat à quantitate ſaltem radicali. Minorem probat commune Philoſophorum axioma, ſcilicet neceſſum eſſe intelligentem ad phantaſmata reſpicere, quod experientia demonſtrat, & docet Ariſtot. lib. 1. poſter. cap. 1. & lib. 2. text. 27. & lib. 3. de anima text. 39. Reſpondeo, rationem rei materialis conſiſtere in eo, quod pendeat à quantitate, non quomodocunque, ſed intrinſecè, & commenſuratiuè, vt in aſſertione diximus; intellectio autem à quantitate, ſeu ſenſatione corporea ſolùm pendet extrinſecè, etenim nec in ſenſatione eſt intrinſecè intellectio, nec ſenſatio in intellectione; & idcirco talis intellectio non eſt materialis, ſed ſpiritualis.

20 Obiiciat tertiò, vnio animæ rationalis cum materia non eſt materialis, ſed ſpiritualis, vt & nos fatemur; & tamen pendet intrinſecè à quantitate radicali, ſcilicet à materia prima, denominat enim illam intrinſecè vnitam, ſicut vnio hypoſtatica denominat intrinſecè vnitum Verbum, & inſuper eſſe non poteſt abſque tali qualitate, ſeu materia: ergo ratio rei materialis non eſt, quod intrinſecè pendeat à quantitate ſaltem radicali. Reſpondeo, rationem formalem rei materialis conſiſtere in eo, quod pendeat à quantitate intrinſecè commenſuratiuè, ad quod requiritur, quod ab illa pendeat, non quidem per modum termini præciſi, ſed per modum ſubiecti, ſcilicet, vel quod intrinſecè recipiat quantitatem, vel recipiatur ab illa: vnde cum vnio animæ rationalis cum materia ſolùm à quantitate, ſiue materia dependeat per modum termini, & non per modum ſubiecti, datur enim alia vnio materialis ſubiectata in materia, qua ipſa vniatur cum forma, vt dictum eſt in phyſicis diſp. 10. cap. 4. & 5. ideo prædicta vnio animæ rationalis cum materia non eſt corporea, ſed ſpiritualis.

21 Obiiciat quartò, actio creatiua, qua diuinitus Deus producat, & conſeruet formam aliquam materialem abſque qualitate, eſt verè materialis, quia actione materiali talis actio ſpecificatur; & tamen vel non pendet à quantitate quin potiùs illam excludit, vel ſi pendet à quantitate radicali, pendet tantùm ab illa non quidem per modum ſubiecti, ſed tantùm per modum termini, ergo ratio formalis rei materialis non requirit, quod pendeat à quantitate intrinſecè per modum ſubiecti. Reſpondeo, in ſententia P. Suarez, & aliorum, qui dicunt actionem creatiuam eſſe tantùm in re creata tanquam termino, argumentum magnam habere vim. At verò in eorum opinione, qui aſſerunt actionem creatiuam ſaltem adhæſiue pendere à re creata, & in ea vtin ſubiecto adhæſionis ſuſtentari, facilè reſpondetur actiones illas creatas formæ materialis pendere ab ipſa forma materiali, quæ ſecundum ſe eſt quantitas radicalis, pendere inquam ab illa intrinſecè, & commenſuratiuè, ſcilicet per modum ſubiecti, in quo extrinſecè recipitur; & ideo eſſe materialem, aliàs ſi ab ea tantùm vt actio penderet, ſpiritualis eſſet; in noſtra verò ſententia, in qua dicimus actionem creatiuam eſſe ipſam volitionem Dei creandi nihil roboris argumentum habet, nam talis actio creatiua cum ſit ipſe Deus eſt ſpiritualis, quid mirum ſi non pendeat à quantitate.

22 Obiiciat quintò, ſi de ratione rei ſpiritualis non eſſet, quod ſit indiuiſibilis, anima intellectualis, ſeu rationalis, non quæ de facto datur, ſed alia poſſibilis, poſſet eſſe diuiſibilis; ſed implicat, quod anima aliqua rationalis, & intellectualis ſit diuiſibilis; ergo de ratione rei ſpiritualis eſt, quod ſit indiuiſibilis, ergo in hac indiuiſibilitate, & non in prædicta ratione conſiſtit primaria ratio rei ſpiritualis, & econtrà, in diuiſibilitate oppoſita conſiſtet primaria ratio rei materialis. Maior probatur: non repugnaret talis anima rationalis eſſe diuiſibilis, quia eſſet ſubſtantia, quia aliqua ſubſtantia datur diuiſibilis, ſcilicet ſubſtantia materialis, nec quia ſpiritualis eſſet, vt tu admittis, nec quia eſt ſubſtantia ſpiritualis, quia vnio animæ rationalis, cum materia eſt ſubſtantia ſpiritualis, & diuiſibilis; ergo ſi de ratione rei ſpiritualis non eſſet, quod ſit indiuiſibilis, non repugnaret eſſe aliquam animam rationalem diuiſibilem. Confirmatur: ideo anima rationalis, quæ de facto datur, non eſt diuiſibilis, quia cum materiam corruptibiliter informet, poſſet paulatim, atque per partes à materia ſeparari naturaliter, & corrumpi, quod eſt abſurdum, & contra fidem; ſed non implicaret dari anima quædam rationalis ſpiritualis, quæ etſi diuiſibilis, materiam incorruptibiliter informaret, atque ita non poſſet naturaliter corrumpi, ſicut modo de facto datur forma diuiſibilis cœleſtis, quæ incorruptibiliter materiam cœleſtem informat, & eſt incorruptibilis; ergo ſi conceptui rei ſpiritualis non obſtat diuiſibilitas, non implicabit dari aliquam animam rationalem diuiſibilem.

Reſpondeo, argumentum principale non tenere, 23
nam licet animam aliquam intellectualem poſſibilem diuerſam ab ea, quæ modo eſt, non implicaret eſſe diuiſibilem, quia præcisè eſt ſubſtantia, nec quia eſt ſpiritualis, nec quia eſt ſubſtantia ſpiritualis abſolutè, qualis eſt vnio animæ rationalis cum materia, tamen dicere poſſemus id implicare, quia talis anima rationalis eſſet ſubſtantia ſpiritualis non modalis, ſicut eſt illa vnio, ſed realis, & perfecta, de cuius ratione eſt, quod ſit indiuiſibilis ob eius perfectionem, & excellentiam. Quod quidem (vt opinor) verum tenet in ſubſtantia ſpirituali completa, qualis eſt Angelus, quæ cum ſit in perfectiſſimo, ac ſupremo gradu eſſendi, ita neceſſariò habet modum eſſendi ſupremum, ac perfectiſſimum, ſcilicet eſſe indiuiſibilem. Id verò de anima intellectuali poſſibili, vt omnino neceſſarium non affirmamus, quia cum incompleta ſit, & non ita excellens, & perfecta ex genere ſuo, ſicut ſubſtantia Angelica, cenſeo non implicare, quod ſit de potentia Dei abſoluta anima quædam intellectualis à noſtra ſpecie diuerſa, quæ verè ſit diuiſibilis, vt dicam cap. 3. §. 1. quo vis argumenti corruit.

Ex dictis colligitur, qua ratione licèt diuiſibilitas 24
extenſiua non arguat neceſſariò materialitatem, corpus illud ſimplex poſſibile, quod nec materia eſt, nec à materia dependet, ſit verè materiale, nimirum, quia à propria dependet quantitate, quam intrinſecè excipit, cum illaque commenſuratur.

Animam rationalem eſſe verè ſpiritualem aperitur.

NOnnulli Philoſophi perantiqui animam ratio- 25
nalem corpoream eſſe autumarunt; alij ignem, alij aërem, alij ſanguinem eſſe delirantes; necnon alij Doctores, & recentiores animam intellectiuam, & ipſos Angelos corporeos eſſe cenſuerunt, vt referunt Conimbricenſes hic lib. 2. cap. 1. quæſt. 1. art. 6. & in Concilio 2. Nic. act. 5. refertur lib. Ioan. Epiſcopi Theſſalonij, aientis Angelos, & animos noſtros eſſe corporeos.

ASSERTIO tamen ſit. Anima rationalis, & intel- 26
lectiua eſt verè ſpiritualis. Hæc quidem ſententia primum ex ſacrorum Conciliorum auctoritate probatur. Etenim in Concilio Lateranenſ. primo relato in cap. firmiter de ſumma Trinitate, & fide Catholica, ſic dicitur: *Deus ab initio vtramque ex nihilo condidit creaturam;*

creaturam, corpoream, & spiritualem, Angelicam, scilicet, & mundanam. Deinde humanam quasi communem spiritu, & corpore constitutam. Rursus in Concilio 6. Constantinopol. actione 11. definitur *Verbum diuinum assumpsisse carnem, & animam rationalem, atque incorpoream.* Præterea in cap. quidam autem hæretici 24. quæst. 3. inter hæreses refertur: *Illorum error, qui autumant animam intellectiuam non esse spiritum.* Est communis inter Ecclesiæ Patres, D. Dionysius lib. de diuinis nominibus cap. 4. Ambros. lib. de Noë, & Arca, August. de Trinit. cap. 6. & in lib. 20. tract. c. 56. Gregor. lib. dialog. cap. 6. & lib. 5. Moralium cap. 26. Damascen. lib. 2. fidei cap. 12. Nyssen. in lib. de opificio hominis cap. 4. & 15. D. Thomas 1. p. quæst. 75. art. 2. 2. contra gent. cap. 73. & 3. de anima lect. 7. Complut. disp. 16. de anima quæst. 1. Ioan. à S. Thom. q. 9. art. 2. P. Hurtado, Arriaga, Carleton, Franciscus Alphonsus, & Conimbr. suprà adductis pluribus art. 4. & ferè omnes antiqui & recentiores.

27 Hæc autem assertio solet communiter sic probari: res illa, quæ potest naturaliter elicere actiones spirituales, est spiritualis; sed anima rationalis elicit naturaliter actiones spirituales; ergo est spiritualis. Consequentia tenet cum maiori. Minor autem sic probatur: cognitio, & amor rei spiritualis est spiritualis; sed anima rationalis potest elicere, & de facto elicit cognitionem, & amorem rei spiritualis, vt constat; ergo anima rationalis potest elicere, & de facto elicit actiones spirituales. Verùm hæc ratio non videtur satis firma, cum nulla ratio implicationis appareat, quare non possit à Deo produci substantia aliqua, siue potentia purè corporea, quæ cognitione, & amore materiali attingat formaliter obiectum spirituale, vt patet ex dictis disp. 11. cap. 3.

28 Vnde alij sic assertionem confirmant: omnis res indiuisibilis est spiritualis; sed anima rationalis est indiuisibilis; ergo anima rationalis est spiritualis. Sed ratio longè est debilior: quia non est magis propria indiuisibilitas rei spiritualis, quam diuisibilitas rei materialis; atqui potest dari res diuisibilis, quæ non sit materialis, sed spiritualis, vt monstraui suprà à num. 11. ergo potest dari etiam res indiuisibilis, quæ non sit spiritualis, sed materialis; ergo ex eo, quod anima rationalis sit indiuisibilis, non rectè infertur esse spiritualem.

29 Probatur ergo assertio: res spiritualis est illa, quæ intrinsecè, & commensuratiuè non pendet à quantitate, vt ostendi suprà num. 17. sed anima rationalis non pendet à quantitate; ergo anima rationalis est spiritualis. Minor probatur, anima rationalis est æterna, & immaterialis, & nullo modo naturaliter corruptibilis, quod quidem non solùm secundum fidem, sed etiam secundum Philosophiam, ac rationem naturalem verùm esse Catholica religione sancitur, vt vltima disp. cap. 1. monstrabo; atqui si anima rationalis à materia, seu quantitate penderet, non esset immortalis, sed mortalis, & corruptibilis; ergo anima rationalis non pendet à materia, seu quantitate. Minor monstratur: forma quæ à materia, seu quantitate dependet, si ab illa distinguatur, & separetur, statim perit, non enim habet, à quo passiuè sustineatur, vt in aliis formis materialibus est conspicuum: ac proinde si forma aliqua à materia, seu quantitate dependens sit naturaliter ab ipsa materia separabilis, poterit naturaliter perire, & corrumpi, & sic erit naturaliter corruptibilis, sed forma rationalis est naturaliter à materia separabilis, nam igne naturaliter comburente materiam hominis, anima rationalis disiungitur, & separatur ab illa, quia in talem materiam ingreditur forma ignis naturaliter incompossibilis cum forma rationalis; ergo si anima rationalis pendet à materia, seu quantitate, erit naturaliter corruptibilis.

Obiiciat aliquis primò, forma substantialis cœlestis est dependens à materia, & quantitate; & tamen non est naturaliter corruptibilis, sed incorruptibilis, & æterna; ergo licèt anima rationalis foret à materia dependens, non benè colligeretur non esse æternam, sed corruptibilem. Respondeo, formam cœlestem non esse naturaliter separabilem à materia, quia inamissibiliter illam informat, & ideo licèt à materia, & quantitate dependeat, est naturaliter æterna, & incorruptibilis; animam verò rationalem esse naturaliter à materia separabilem, quia amissibiliter illam informat, & idcirco si simul à materia penderet, benè sequeretur esse naturaliter corruptibilem. 30

Obiiciat secundò: res, quæ commensuratur cum quantitate formali, vel radicali, est materialis; sed anima rationalis commensuratur cum quantitate formali, vel radicali, ergo est materialis. Minor probatur, commensurari rem aliquam cum quantitate formali, vel radicali, est illas intrinsecè in se recipere, vel recipi in illa; ideo enim materia commensuratur cum formali quantitate, quia recipit intrinsecè illam; & ideo formalis quantitas commensuratur cum quantitate radicali, scilicet cum materia, quia recipitur in illa; sed anima rationalis recipit in se intrinsecè quantitatem radicalem, scilicet, sensationem corpoream, vt ostendi disp. 5. cap. 3. & ipsa etiam recipitur in quantitate radicali, scilicet in materia; ergo anima rationalis commensuratur cum quantitate saltem radicali. Respondeo, rem aliquam commensurari cum quantitate est illam in se recipere, vel recipi in illa cum intrinseca dependentia ab ipsa, quomodo materia pendet à quantitate formali; & quantitas à materia, & ideo mutuo commensurantur; anima verò rationalis licèt recipiat quantitatem radicalem, scilicet rem corpoream, & in illa recipiatur, tamen non pendet intrinsecè ab illa, & idcirco non commensuratur cum ipsa, nec est materialis. 31

Obiiciat tertiò, testimonium Ioannis Thessalonicensis Episcopi qui in Concilio Nysseno 2. actione 5. in principio palam dixit animam rationalem, & Angelos Ecclesiam Catholicam sentire, *Non esse omnino corporis expertes, & inuisibiles, verùm tenui corpore præditos, & aëreo, siue igneo*; quod sacra Synodus non refellit, sed sanctas Angelorum imagines, quod Ioannes ille intendebat, approbauit. Cui consonat, quod plures Ecclesiæ Patres, Basilius, Athanasius, Damascen. Hieronymus, ac etiam alij, animam intellectiuam corpoream sæpè, ac materialem appellant. Respondeo, Ioannem Thessalon. Episcopum deceptum fuisse in eo, quod ibi asseruit nimium iuxta communem Catholicæ Ecclesiæ sensum animam rationalem, & Angelos corporeos esse; vnde Sacrosancta Synodus eam rationem non approbauit, sed solùm Angelorum imaginum sacrum vsum, quæ ex illa colligebat. Illi verò Ecclesiæ Patres animam rationalem, & Angelos corporeos vocant, non quidem absolutè, sed respectiuè ad Deum, quia tam longè ab illa infinita Dei spiritualitate distant vt eius comparatione (licèt absolutè in se ipsis spirituales sint) quadam materialitatis fæce consignati videantur, vt melius eorum delirium, qui animam rationalem asserebant esse diuinæ mentis particulam confutarent. 32

CAPVT III.

An anima rationalis sit omnino indiuisibilis.

COntrouersia hæc duplicem potest habere sensum. Primus est; an anima rationalis, vel saltem, alia substantia spiritualis possibilis sit essentialiter composita ex potentia, & actu? Secundus, an anima rationalis

rationalis extensiuè ex partibus integrantibus componatur? Vt autem quæstio dilucidius agitetur, illam in duas partes diuidere, & in vtroque sensu sigillatim examinare oportet.

An anima rationalis, vel saltem substantia alta spiritualis, possibilis sit essentialiter composita ex potentia, & actu?

33 SVppono animam rationalem, vel substantiam aliam spiritualem, vt intelligentem, vel habentem alium effectum formalem accidentarium, esse compositam ex potentia, & actu accidentali, scilicet natura, & intellectione; & eademmet animam, vel substantiam spiritualem, vt subsistentem esse compositam ex potentia, & & actu substantiali saltem modali, scilicet natura, & subsistentia; & ipsam animam, vel substantiam spiritualem secundum suam essentiam præcisè non esse compositam ex potentia materiali, & actu spirituali, alias omnino spiritualis non esset, & alia materia redundaret. Inquirimus, ergo an anima rationalis, vel substantia alia spiritualis possibilis secundum suam essentiam præcisam à quouis alio sit composita ex potentia, & actu, vtroque reali, substantiali, & spirituali.

34 Mihi in hac re exploratissimũ est animam rationalem secundũ se præcisè esse omnino simplicẽ, & non cõpositã ex potẽtia spirituali, & actu spirituali. Ita D. Th. de spiritualibus creaturis art. 1. & 1. p. q. 50. a. 2. & P. Suar. tom. 1. metaph. 13. sect. 14. n. 10. P. Hurtado disp. 2. de anima sect. 1. Carleton disp. 9. de anima sect. 1. Arriaga disp. 1. sect. 4. Franc. Alphonsus disp. 2. de anima sect. 6. Ioan. à S. Th. q. 9. de anima a. 2. Compl. disp. 16. de anima, q 1. Toletus, Ruuio & omnes communiter. Probatur, anima rationalis nõ est ens spirituale cõpletum, sed incompletum, vt apud omnes in confesso est, alias non constitueret vnum per se cum materia; sed si anima rationalis esset secundum se composita ex potentia, seu materia spirituali, & ex actu, seu forma etiam spirituali, non esset ens incompletum, sed ens spirituale completum; ergo anima rationalis secundum se, non est composita ex potentia, seu materia spirituali, & actu seu forma etiam spirituali. Minor probatur: substantia quæ componitur ex materia corporea, & forma materiali, est substantia completa, & ens completũ materiale; ergo substantia, quæ componitur ex materia spirituali, & forma spirituali, erit substãtia completa, & ens completum spirituale; ergo si anima esset composita ex materia spirituali, & forma spirituali, esset ens completum spirituale. Confirmo: forma rationalis est principium entis naturalis; sed si ipsa esset composita ex alia forma, & materia spirituali, non esset entis naturalis principium; ergo forma rationalis non est composita ex alia forma, & materia spirituali. Minor probatur: principium entis naturalis est id, quod nec ex aliis principiis, nec ex aliis, & ex ipso cætera esse oportet, id est, quod sub ea ratione principij, sub qua alia ab ipso pendent, ipsum ab aliis non pendet, neque causatur; atqui si anima rationalis sit composita ex forma, & à materia spirituali, sub eadem ratione formæ essentialis, sub qua dependet ab illa ens naturale, quod ex ipsa constituitur, pendebit etiam ipsa anima ab illa alia forma, ex qua intrinsecè componitur, ergo si anima rationalis sit prædicto modo composita, non erit principium entis naturalis. Vrgeo: si daretur talis compositio ex forma, & materia spirituali, illa forma non esset vlterius composita ex alia forma, & materia spirituali (esset enim processus in infinitum) sed esset incomposita, & simplex; sed si illa forma præcisè, & non materia spiritualis esset forma rationalis, ergo in omni euentu forma, ac anima rationalis est omnino simplex, & non composita ex alia forma, & materia spirituali. Minor probatur: etsi dantur forma, & materia spiritualis, sola forma esset formale principium actuum actuum intelligendi, & volendi, materia enim spiritualis esset potentia purè passiua formæ spiritualis, nam agere est proprium formæ, & pati materiæ; sed formale principium actuum intelligendi, & volendi est anima rationalis; ergo illa forma solum, & non materia spiritualis esset anima rationalis; ac proinde anima rationalis est omnino simplex, & incomposita.

Hoc facilè: difficile illud, scilicet, an possit dari de potentia Dei absoluta aliqua substantia completa omnino spiritualis, quę ex actu, & potentia, seu (quod idem est) ex forma, & materia spirituali essentialiter componatur. Communis sententia negat. Ita P. Suarez vbi suprà n. 14. P. Hurtado hic disp. 2. sect. 2. §. 15. & omnes communiter. Sed contrà hanc sententiam ita arguo: id, quod apertè non implicat, non est infinitæ Dei potentiæ denegandum; sed non implicat dari substantiam spiritualem compositam ex potentia passiua spirituali, & actu; ergo de infinita Dei virtute talis substantia spiritualis composita dari potest. Minor probatur: id præcisè implicat, ex quo duo contradictoria sequuntur; sed ex eo, quod daretur substantia spiritualis composita ex potentia passiua, & actu, non sequerentur duo prædicta contradictoria; alioquin hæc contradictoria assigna; ergo non implicat dari substantiam spiritualem compositam ex potentia passiua spirituali, & actu. 35

Dicat verò quispiam primò, potentiam illam passiuam, seu materiam spiritualem fore ita perfectam, ac est anima rationalis, quæ de facto datur, hæc enim est imperfectissima substantia spiritualis, quæ potest dari, atque ita si hæc anima rationalis, quæ nunc est, est principium actuum intelligendi, & amandi, ita materia illa, ac potentia passiua spiritualis esset principium actuum intelligendi, & amandi, aliàs imperfectior esset anima rationali; vnde talis materia spiritualis non esset forma spiritualis, vt supponitur, & etiam esset forma spiritualis rationalis, quia esset principium intellectionis, & amoris, vt dictum est, quæ sunt contradictoria. Sed contrà: non implicat dari substantiam aliquam spiritualem incompletam, quæ sit ignobilior, & imperfectior hac nostra anima rationali; ergo non implicat dari substantiam aliquam spiritualem incompletam, quæ non sit principium intellectionis, & amoris, scilicet anima rationalis, sed tantùm sit materia, & potentia spiritualis purè passiua formæ substantialis spiritualis. Consequentia tenet ex dictis. Antecedens sic probatur: id præcisè implicat, ex quo sequuntur duo contradictoria; sed ex eo quod daretur substantia spiritualis incompleta imperfectior hac nostra anima rationali, non sequerentur duo contradictoria; alioquin assigna illa; ergo non implicat dari substantiam spiritualem imperfectiorem hac nostra anima rationali. 36

Dicat secundò, ad rationem formæ substantialis requiri, quod aliquo modo saltem in aliqua sui operatione pendeat à materia, alias merè per accidens se habebit, respectu illius, atque ita non erit eius forma; illa autem forma spiritualis possibilis nulla ratione, nec in aliqua sui operatione ab illa materia spirituali penderet, quia in illa materia, cum purè spiritualis esset, non posset residere aliquis sensus, à quo forma spiritualis in cognoscendo penderet; ac proinde talis forma spiritualis respectu illius materiæ spiritualis non esset forma; vnde esset forma, vt supponitur, & non esset forma, vt probatur, quæ sunt verè contradictoria. Sed contrà; forma, quæ dependet à materia tanquam à causa materiali in essendo, pendet consequenter ab illa in operando; sed non implicat dari aliquam formam spiritualem, siue indiuisibilem, quæ à materia aliqua tanquam à causa passiua spirituali dependeat; ex hoc enim non sequuntur duo contradictoria; aliàs contradictionem assigna; ergo non implicat dari formam spiritualem, quæ à materia spirituali pendeat in operando. 37

38 Dicat tertiò, formam illam spiritualem fore perfectiorem nostra anima rationali, hæc enim materiam corporeã respicit, illa verò respiceret materiã excellẽtiorem spiritualem; si autem forma illa à materia spirituali penderet, & causaretur, esset imperfectior hac nostra anima rationali, quæ à nulla materia causatur; ac proinde esset talis forma spiritualis perfectior, & imperfectior anima rationali, quæ est contradictio. Sed contrà, non implicat rem aliquam, quæ in aliquo est perfectior alia, in alio esse imperfectiorem illa, forma enim equi in ratione viuentis est perfectior forma cœlesti; & in ratione corruptibilis, aut incorruptibilis est imperfectior illa; ergo similiter non implicabit possibilem esse formam aliquam spiritualem pendentem à materia, seu potentia passiua spirituali, quæ in ratione respicientis materiam spiritualem sit perfectior nostra anima rationali, quæ recipit materiam corpoream; & in ratione dependentis à materia, & à potentia passiua spirituali sit imperfectior eadem anima rationali, quæ nulla ratione pendet, nec causatur à materia, sed ex nihilo procreatur.

39 Dicat quartò, formam illam spiritualem ob sui excellentiam saltem fore necessariò incorruptibilem, & æternam; si autem à materia spirituali causaretur, ac penderet, esset verè corruptibilis, sicut forma materialis; ac proinde si potest pendere à materia spirituali: vnde esset ab illa dependens, vt tu asseris, & independens, vt constat, quæ sunt inter se contradictoria. Sed contrà: forma materialis cœlestis est dependens à materia; & tamen est incorruptibilis; ergo non implicat dari aliquam formam spiritualem, quæ licèt à materia spirituali depẽdeat, sit incorruptibilis. Igitur nulla apparet implicatio, quare diuina virtute non possit dari substãtia spiritualis composita ex potentia passiua, & actu spirituali.

40 ASSERTIO ergo sit. De potentia Dei absoluta dari potest substantia aliqua spiritualis completa, quæ ex materia spirituali, & forma, id est, ex potentia passiua spirituali, & actu essentialiter componatur. Ita Alens. Bonauent. Ricardus, Aureolus, & alij relati à P. Suarez disp. 13. metaph. sect. 14. n. 5. Carleton disp. 9. sect. 3. num. 10. Arriaga disp. 1. de anima sect. 5. Franciscus Alphonsus disp. 4. de anima sect. 4. Iandunus de substantia orbis q. 1. Zimara, theor. 107. Durand. Gabriel, Pereira lib. 5. suæ Physicæ c. 10. non dissentit S. Th. adductis suprà n. 34. & art. 6. ad 2. & in 2. dist. 12. q. 1. art. 1. in illis enim locis solùm probat substantiam supernaturalem Angelicam, quæ de facto datur, non componi ex materia, & corpore, imo q. 6. de potentia art. 6. ad 4. expressè eam habet, quartum enim argumentum loco citato contendebat Angelos, & dæmones si sint compositi substantialiter debere necessariò esse corporeos, & constare nostra materia, & forma; argumento sic respondet ad 4. *Dicendum, quod si Angeli ponantur ex materia, & forma compositi, non propter hoc oportet, quod sint corporei ex ratione prædicta, nisi ponatur, quod sit eadem materia Angelorum, & corporum; posset autem dici, quod esset alia materia, à materia corporum diuersa, non quidem dimensionis diuisione, sed per ordinem ad alterius generis formam, nam potentia actui proportionatur, magis autem credimus, quod non sint Angeli ex materia & forma compositi, sed quod sint formæ tantùm per se stantes*; quibus verbis manifestè fauet huic nostræ sententiæ. Eam insinuat Arist. 8. metaph. text. 4. & 14. Probatur assertio, quia hoc non implicat, cum nulla ex eo contradictoria sequantur, vt nuper monstratũ est. Deus autẽ potest efficere animam, quæ clarè non implicant; ergo potest talem substãtiam spiritualem compositam procreare. Confirmatur: non est magis propria simplicitas substantiæ spiritualis, quam sit propria compositio substantiæ materialis; sed potest dari aliqua substantia completa simplex corporea, & materialis, vt ostendi in physica disput. 11. c. 3. ergo potest etiam dari diuinitus substantia aliqua completa, composita ex potentia, & actu spirituali.

Obiiciat aliquis primò, Deus in vniuerso produxit omnes gradus entis creati, vt communis opinio fert; 41
sed si possibilis esset substantia spiritualis composita ex forma, & materia spirituali, Deus produxisset in hoc vniuerso omnes gradus entis creati, cum hic gradus substantiæ spiritualis compositæ non sit productus; ergo talis substantia spiritualis composita non est possibilis. Respondeo, talem substantiam compositam esse sub gradu substantiæ spiritualis, vt substantia corporea simplex est sub gradu substantiæ corporeæ; vnde sicut, licèt Deus non produxerit substantiam corpoream simplicem possibilem, dicitur produxisse omnes gradus, quia produxit aliam substantiam corpoream compositam; ita licèt Deus non procreauerit substantiam spiritualem compositam possibilem, dicitur procreare omnes gradus entis, quia creauit aliam substantiam spiritualem simplicem.

Obiiciat secundò, substantia creata spiritualis ex genere suo magis simplex est, quam substantia corporea ex suo genere, sed si possibilis esset talis substantia spiritualis composita, ex potentia, & actu, substantia spiritualis ex genere suo non esset simplicior, quam substantia corporea ex suo genere; nam sicut substantia corporea, alia est composita ex potentia, & actu, alia simplex; ita etiam substantia creata spiritualis, alia esset simplex, & alia ex potentia, & actu composita; ergo non est possibilis talis substantia composita spiritualis. Respondeo, omnem substantiam spiritualem completam, & plures incompletas fore simplices, ac indiuisibiles in partes integrales; omnes autem substantias corporeas esse integraliter compositas, ac diuisibiles; ac proinde ex hoc saltem capite simplicior est substantia spiritualis, quam corporea. 42

Obiiciat tertiò, si possibilis esset substantia illa composita ex forma, & materia spirituali, talis forma cum 43
à materia penderet, imperfectior esset nostra anima rationali, quæ est per se creata, & subsistens; ergo anima rationalis perfectiori modo operaretur, & cognosceret, quam illa, quia modus operandi, sequitur modus essendi; sed nostra anima rationalis non operatur perfectiori, sed imperfectiori modo, quam operaretur illa forma spiritualis; nam anima rationalis pendet in cognoscendo à sensibus, quæ est imperfectio; illa verò formã à nullo sensu in cognoscendo penderet; ergo non est possibilis substantia spiritualis composita ex tali materia, & ex tali forma. Respondeo, animam rationalem esse secundum quid imperfectiorem illa forma spirituali possibili, quia illa habet consortium cum materia corporea; illa verò cum materia spirituali: simpliciter verò esse perfectiorem illa, quia anima rationalis est creata, à materia independens, & perfectè subsistens; illa verò forma spiritualis esset dependens à materia spirituali. Vnde anima rationalis secundum quid, hoc est, pro statu viæ, & coniunctionis cum corpore imperfectius cognosceret, quam forma illa, quia penderet à sensibus; simpliciter vero, id est, pro statu separationis, ac deinceps (qui quidem status etiam est animæ connaturalis, vt in proœmio ostendi) longè perfectiori modo anima rationalis operaretur, quam anima illa; atque ita nulla implicatio sequeretur.

Obiiciat quartò, genus substantiæ spiritualis, cum 44
perfectissimum sit, non potest claudere in se substantiam aliquam despectissimam, ac imperfectissimam; sed materia prima, ac pura potentia formæ substantialis ex genere suo est substantia imperfectissima, & despectissima; ergo dari non potest materia prima, ac pura potentia spiritualis. Respondeo, materiam illam, ac puram potentiã passiuã spiritualẽ, si daretur, fore longè perfectioré, quã substãtia animę rationalis, & vnio ipsius cum materia, sicut materia prima corporea est perfectior, quã substantia,

ſubſtantia, & vnio formæ materialis ſubſtantialis: vnde cum illa ſubſtantia, & vnio animæ rationalis, licèt imperfectiores ſint, clauduntur ſub genere ſubſtantiæ ſpiritualis; ita etiam materia, ac pura potentia paſſiua formæ ſpiritualis, quæ longè eſſet illis modis perfectior, claudi poteſt ſub genere ſubſtantiæ ſpiritualis.

45 Hinc infero materiam illam ſpiritualem non poſſe naturaliter exiſtere abſque omni forma ſpirituali, ſicut materia prima corporea non poteſt naturaliter manere abſque omni forma ſubſtantiali; nam ſicut hæc in genere ſubſtantiæ corporeæ eſt nimis debilis, & deſpecta, & ideo non poteſt eſſe ſine forma ſaltem corporea ſubſtantiali; ita illa in genere ſubſtantiæ ſpiritualis eſt etiam nimis deſpecta, & idcirco eſſe non poteſt naturaliter abſque forma ſubſtantiali, & ſpirituali.

An anima rationalis extenſiuè ex partibus integrantibus componatur.

NOnnulli Philoſophi, quos commemorat Sixtus Senenſis lib. 1. Bibliot. ſanctæ annotatione 8. quos ſequutus eſt Gerandus quidem relatus ab Argentina in 1. diſt. 8. q. 2. art. 1. cenſuerunt animam etiam rationalem ſectilem, ac diuiſibilem eſſe.

46 ASSERTIO tamen ſit. Anima rationalis eſt diuiſibilis; in hac omnes communiter conquieſcunt; ſed non in reddenda eius ratione, alij enim ita arguunt: de ratione rei ſpiritualis eſt, quod ſit indiuiſibilis; ſed anima rationalis eſt ſpiritualis; ergo indiuiſibilis. Sed hæc ratio quam ſit infirma, conſtat ex dictis ſuprà à num. 11. Alij aſſertionem ſic probant: anima rationalis eſt forma æterna, & immortalis: ergo eſt ſpiritualis. Sed hi obliuiſcuntur formam cœleſtem, quæ æterna eſt, & incorruptibilis, & tamen eſt materialis.

47 Probatur primo, ex D. Thoma 1. part. quæſt. 8. art. 2. ad 2. vbi ſic ait: *Aliud autem indiuiſibile eſt, quod eſt extra rationem generis continui, & hoc modo ſubſtantiæ incorporeæ, Deus, Angeli, & anima dicuntur eſſe indiuiſibiles*; voluit ergo oſtendere ſubſtantiam incorpoream eſſe expertem compoſitionis integralis, idem oſtendit Auguſt. tom. 1. de quantitate animæ capite 3. vbi cum egiſſet de magnitudine minorum partium ait: *Non enim vllo modo, aut longa, aut lata, aut quaſi valida ſuſpicanda eſt anima, corporea iſta ſunt, vt mihi videtur, & de conſuetudine corporum ſic animam quærimus*; quibus verbis oſtendere videtur animam eſſe indiuiſibilem in partes, quæ propriæ ſunt corporis, & ſpiritus; & tom. 4. lib. de Incarnatione ad medium ait; ſi non ſit D. Anſelm. *impoſſibile namque eſt de incorporeo diuiſionem aliquam fieri*, & Luc. 24. *Palpate, & videte, quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet, ſicut me videtis habere*, & plura alia ſunt ſacræ paginæ teſtimonia, quibus clarè oſtenditur animæ rationalis indiuiſibilitas, & quod ex partibus integralibus non coaleſcat, cui aſſertioni adſtipulantur auctores relati num. 40.

48 Probatur ergo efficacius: ſi anima rationalis Petri, verbi gratia, eſſet diuiſibilis partim exiſteret in eodem tempore coniuncta corpori, partim à corpore ſeparata; ſed anima rationalis Petri non exiſtit in eodem tempore partim coniuncta corpori, partim à corpore ſeparata; ergo anima rationalis non eſt diuiſibilis. Conſequentia eſt euidens. Maior probatur: quia cum à Petro manus abſcinditur, & comburitur, pars illa animæ rationalis, quæ erat in illa manu, vel in ipſa manu remanet ipſi vnita, vel regreditur ad alias materiæ partes, quæ ſunt in Petro informandas, vel manet à corpore ſeparata, cum non pereat, vtpote incorruptibilis, & æterna; ſed non manet in materia manus, cum in illam alia forma ignis introducatur, vt ſupponimus, quæ eſt naturaliter incompoſſibilis cum illa; nec regreditur ad informandas alias partes corporis, quia cum quælibet haberet ſuam partem animæ rationalis, ſi hæc pars animæ rationalis, quæ erat in manu, informaret modo materiam brachij, v.g. in tali materia eſſent ſimul duæ partes formæ rationalis, quod naturaliter implicat, ſcilicet implicaret eſſe in eadem parte materiæ duas partes formæ ignis, quia vna eſſet otioſa naturaliter; ergo talis pars animæ rationalis, quæ erat in manu, manet à corpore ſeparata: atqui aliæ partes animæ rationalis eiuſdem Petri manerent corpori coniunctæ; ergo ſi forma Petri eſſet diuiſibilis, partim exiſteret in eodem tempore coniuncta corpori, partim à corpore ſeparata. Minorem etiam primi ſyllogiſmi ſic probo: anima rationalis, quæ tempore ſeparationis à corpore erat in gratia, præmio beatitudinis donatur; & quæ erat tempore ſeparationis in peccato lethali pœnis æternis mancipatur; ſed ſi anima rationalis Petri poſſet eſſe eodem tempore partim coniuncta corpori, partim à corpore ſeparata, poſſet accidere, quod vna pars animæ in inſtanti hodierno eius ſeparationis à corpore eſſet in gratia, & quod alia pars eiuſdem animæ in inſtanti craſtino in quo illa ſepararetur, eſſet in peccato; ergo poſſet naturaliter accidere, quod eadem anima Petri partim perfrueretur gloria, partim torqueretur pœnis æternis: atqui iuxta principia fidei eadem anima rationalis, vel tota cruciatur in inferno, vel tota regnat in cœlo, nec enim Petrus partim beari, & partim damnari poteſt, vt omnibus eſt conſpicuum; ergo anima rationalis Petri non poſſet partim eſſe coniuncta corpori, partim à corpore ſeparata.

Obiiciat quis: forma cœleſtis eſt diuiſibilis: & tamen 49
non poteſt eſſe partim coniuncta materiæ, partim ab illa ſeparata; ergo licèt forma rationalis eſſet diuiſibilis non poſſet eſſe partim corpori coniuncta, partim ab illo ſeparata. Confirmatur: quia ſi anima rationalis eſſet indiuiſibilis, poſſet ſimul moueri motibus contrariis, ſcilicet, ſurſum, & deorſum, nam ſimul eadem anima exiſteret in vtraque manu, quarum vna ſurſum alleuatur, & in eodem inſtanti altera deorſum deprimitur. Reſpondeo facilè, formam cœleſtem non poſſe vnquam naturaliter à materia ſeparari, quia illam inamiſſibiliter informat, & ideo licèt diuiſibilis ſit, non poteſt eſſe partim capiti coniuncta, partim ab illo ſeparata: animam verò rationalem naturaliter poſſe à corpore diuelli, quia illud informat amiſſibiliter; & idcirco ſi eſſet diuiſibilis, poſſet eſſe partim corpori coniuncta, partim ſeparata ab illo. Confirmatio ſoluta eſt in Phyſic. diſp. 23. cap. 7. num. 45.

CAPVT IV.

An, qua ratione, & quo tempore anima rationalis producatur.

IN hac re varia ſunt Philoſophorum placita. Alij 50
dixerunt animam rationalem non produci, ſed eſſe quandam diuinæ mentis particulam. Alij ex ſemine propagari, & à parentibus effici. Alij ab Angelis creari, & non à Deo. Alij animas rationales cõfinxerunt à Deo extra corpora effici; & poſtea in pœna ſuorum ſcelerum in corpora vt in ergaſtula coniecta fuiſſe. Horum errorum, ac ineptiarum patronos referunt Conimbr. lib. 2. cap. 1. quæſt. 3. art. 1. & 2.

Aſſero primò, animam rationalem non eſſe diuinæ 51
mentis particulam. Hæc eſt de fide definita in Concil. Bracharenſi I. cap. 5. & à Leone I. epiſt. 91. cap. 5. quæ latè Sanctorum Patrum auctoritate probatur à P. Vall. 1. part. diſp. 6. quæſt. 8. punct. 1. ratio eſt euidens, quia

anima rationalis est capax mutationis, erroris, & peccati, vt quilibet in seipso experitur, quæ omnia diuinæ menti repugnant.

52 Assero secundò: animam rationalem ex semine non propagari, nec à parentibus produci. Hæc veritas habetur in capite Moyses 32. quæstione secunda, eiusque oppositum dicit esse errorem Diuus Augustinus in libro de hæresibus ad quod vult Deum capite 86. Addit non solùm esse errorem, sed hæresim D. Thomas 1. part. quæst. 118. articulo 2. Ratio etiam est euidens, quia anima rationalis cum sit immortalis, & æterna, & aliunde à materia separabilis, non ex materia, sed ex nihilo procreatur: quod autem ex semine à parentibus propagatur, non fit nisi dependenter ex materia; ergo, &c.

53 Assero tertiò: Anima rationalis ab Angelis non producitur, nec creatur. Hæc veritas Patrum auctoritate firmatur à Conimbr. vbi suprà art. 2. ratio etiam perspicua est: quia creare arguit virtutem, ac perfectionem simpliciter infinitam, vt ostensum est in Phys. disp. 24. cap. 4. ergo creare animam rationalem non potest competere Angelo, sed soli Deo.

54 Assero quartò: Animæ rationales non fuerunt à Deo extra corpora creatæ, & postea, in corpora iniectæ, sed à principio in corporibus productæ. Hæc est definita in Conc. Bracharensi 1. cap. 6. & à Leone I. in epistola ad Toribium de qua latè Conimbr. vbi suprà assert. 3. & P. Vall. punct. 2. assert. 2. ratio est; quia id, quod priùs intendit anima rationalis, est compositum constituere; ergo produci intra corpus, cum quo, illud constituat: ergo extra corpus naturaliter non producitur. Deinde si anima rationalis priùs esset extra corpus procreata, & aliqua commisisset flagitia, & postea in corpus fuisset coniecta tanquam carcerem, vt suorum scelerum penas lueret, præteritorum facinorum recordaretur, & vnionem cum corpore non amasset; sed hanc naturaliter affectat, illorum non recordatur, vt docet experientia; ergo, id est merè delirium, vt latè ostendi in Log. disp. 40. cap. 1. assert. 2.

Hinc fit animam rationalem solùm produci à Deo 55
in eo instanti, in quo corpus propriis dispositionibus vltimò præparatur: priùs enim materia fœtus disponitur ad formam vegetatiuam, & illa informatur; postea disponitur ad formam sensitiuam, & illam acquirit priori destructa. Deinde disponitur ad animam rationalem, quæ absoluta tali dispositione introducitur corrupta præuia illa anima sensitiua, vt docet Arist. 2. de generatione animalium cap. 3. & D. Thom. 1. p. q. 118. art. 2. de tempore autem, quo hæc dispositio, absoluitur consulite Conimb. lib. 2. cap. 1. q. 4. art. 2.

Et hæc de Tractatu quarto, dicta sint satis.

TRACTATVS QVINTVS.

De intellectu eiusque actibus.

EGIMVS de anima rationali corpori coniuncta secundum se; iam de eius potentiis sigillatim differamus. Ac primum agemus de intellectu, quæ est eius primaria facultas; de eius actibus in communi, & in particulari; de eorum certitudine, & euidentia; ac de ipsorum oppositione, & contrarietate; quæ omnia nostris disputationibus explanabimus.

DISPVTATIO XIV.

De intellectu, eiusque obiecto.

TRIA capita continebit. In primo inquiro, quod sit obiectum intellectus, & quomodo cognoscatur? In secundo, an intellectus possit ex parte obiecti creati præscindere vnam formalitatem ab alia, quæ cum illa identificata sit? In tertio, an intellectus valeat in obiecto increato vnam formalitatem ab alia abstrahere?

CAPVT I.

Quod sit obiectum intellectus, & quomodo cognoscatur?

1 COmmunis schola diuidit intellectum in agentem, & possibilem, siue passibilem. Intellectus agens dicitur ille, qui agit ministerio phantasmatum formas, ac species obiectorum intelligibiles. Intellectus verò possibilis, seu passibilis vocatur ille, qui tales formas, ac species intelligibiles rerum in se patitur, ac recipit. Sed cum iam suprà disp. 10. cap. 2. monstrauerim contra communem sententiam species rerum intelligibiles non fieri ab ipso intellectu, sed à solo Deo auctore naturali, qui gerit vices obiectorum, & eorum defectus supplet, aliter intellectus agens, & possibilis exponendus est; ergo intellectus agens est ille, qui agit speciem expressam, scilicet intellectionem; possibilis verò, seu passibilis est ille, qui talem speciem, ac intellectionem in se recipit, ac patitur, nec si duæ animæ facultates reipsa inter se distinctæ, sed vna tantùm, quæ subit vtrumque munus, cum enim intellectus agens agat intellectionem vitaliter, debet etiam illam pati, atque ideo ipse etiam est intellectus passibilis. Quærimus igitur, quod sit huius intellectus obiectum, & quis sit modus, & ordo illud cognoscendi.

Præmitto primò, sto species intelligibiles producantur à Deo, vt ab auctore naturæ vt suprà statuimus, tamen phantasma semper concurrit saltem dispositiuè, seu vt conditio ad productionem speciei intelligibilis applicando obiectum potentiæ, nam ex Arist. 3. de anima text. 30 & 39. anima pro hoc statu, vt est in corpore, non potest intelligere, aut intellectu aliquid speculari, nisi dependenter à phantasmatibus, & consequenter intellectus non potest speciem intelligibilem habere, nisi dependenter à phantasmate, siue sit illam producendo, vt refert communis opinio, siue applicando illa potentiæ ad producendam speciem, talis autem species excitari non potest pro hoc statu, nisi medio phantasmate; ergo licèt species intelligibilis producatur à Deo, phantasma semper debet concurrere dispositiuè, seu vt conditio applicans obiectum potentiæ ad illius productionem.

Præmitto secundò, in singulis hominibus dari sin- 2
gulos

gulos intellectus. Probatur experientia: quia videmus vnum hominem aſſentire huic obiecto, & alteri diſſentire, at ſi vnus intellectus vtrique ineſſet, non poſſet vni aſſentire, & alteri diſſentire, quia aſſenſus, & diſſenſus circa idem obiectum ſunt contraria, ergo hunc intellectum reperiri in omnibus partibus corporis hominis probatur: nam intellectus eſt paſſio animæ conſequens illam, & conſequenter erit in omnibus partibus in quibus anima, at anima eſt in omnibus partibus corporis, ergo & intellectus. Rogabis an etiam intellectio reperiatur in omnibus partibus corporis, ſicut intellectus. Reſpondeo, ex communi conſenſu Philoſophorum ſolùm dari in cerebro, ſicut & cæteri ſenſus interni, quod ex manifeſta experientia deprehenditur, nam ex nimio ſtudio defatigatur caput, non reliquæ partes corporis, alias etiam aſſiduitate laboris defatigarentur ſicut caput, & ratio eſt manifeſta, nam intellectio in ea ſolùm parte datur, in qua datur ſpecies intelligibilis à Phantaſmate producta; ſed prædicta ſpecies ſolùm datur in cerebro, ergo & intellectio.

4 Sed obiiciat quis, intellectio eſt in intellectu, ſed intellectus eſt in omnibus partibus corporis, ergo & intellectio. Reſpondeo, non benè inferri cõſequentiam, nam ex ea ſequeretur humanitatem Chriſti Domini eſſe vbique, quod eſt erroneum nam humanitas eſt vnita Verbo diuino, ſed Verbum diuinum eſt vbique ergo & humanitas. Reſpondeo, ad argumentum intellectionem pendere à Phantaſmate, ſeu organo, media ſpecie intelligibili, Phantaſma autem media ſpecie non concurrit in quauis parte corporis, ſed tantùm in cerebro, ergo ibi ſolùm dabitur intellectio, etiam ſi intellectus comitetur animam in omnibus partibus corporis.

5 ASSERTIO prima, obiectum adæquatum intellectus ſunt omnia entia poſitiua, & negatiua, realia, & ficta. Itaque noſter intellectus cognoſcit omnia accidentia ſenſibilia, cognoſcit enim ea, quæ ſenſu percipiuntur. Item diſcutrendo cognoſcit ſubſtantiam materialem, definit enim materiam primam, & formam ſubſtantialem. Item etiam per diſcurſum intelligit res ſpirituales, ſcilicet Angelum, & Deum, plura enim de ipſis enuntiat. Item diſcurſiuè cognoſcit res poſſibiles, ex eo enim, quod cognoſcit homines exiſtentes, infert poſſibiles eſſe alios infinitos homines illis ſimiles, qui nunquam futuri ſunt. Item, ex cognitione naturalium cognoſcit ſaltem confusè poſſibiles eſſe alios effectus ſupernaturales, nam cum Deus ſit ſimpliciter omnipotens, & nulla appareat implicatio, colligit Deum poſſe efficere plura, quæ ſuprà naturam ſunt, vel ſaltem de illis dubitat, & non poteſt dubitare de illis, niſi ea etiam apprehendat. Item, impoſſibilia vt talia intelligit, cognoſcit enim equum non poſſe eſſe rationalem. Item etiam diſcurſiuè cognoſcit negationes, ac priuationes rerum, ex eo enim, quod homo non ſit equus, colligit ibi eſſe negationem equi, & ex eo, quod nocte, non ſit lux, infert eſſe priuationem lucis. Item, cognoſcit entia non ſolùm realia, ſed etiam chimerica, & ficta, illa enim definit, ac diuidit. Hæc ergo omnia entia poſitiua, & negatiua, realia, & ficta, quæ per actus intellectus cognoſcuntur, ſunt obiectum adæquatum illius. Probatur clarè: obiectum formale adæquatum alicuius potentiæ ſunt ea omnia, quæ per omnes actus illius potentiæ formaliter pertinguntur: ſed omnia entia poſitiua, & negatiua, realia, & ficta pertinguntur formaliter per omnes actus intellectus; ergo hęc omnia ſunt obiectum formale adæquatum intellectus. Conſequentia eſt euidens cum minori. Maior verò probata eſt ſuprà diſp. 6. cap. 3. n. 15.

6 Hæc autem omnia ſunt vera, hoc eſt, intelligibilia ac apta intelligi, & cum intellectus ad illa omnia, & non ad alia ſe extendat, & tendat ad illa, quia vera, & intelligibilia ſunt, ſi enim vera, ac intelligibilia non eſſent, non poſſet intellectus ea cognoſcere, ideo dicitur obiectum formale intellectus eſſe verum, ac intelligibile, & ſub ratione formali veri, ac intelligibilis, quod quomodo intelligendum ſit, conſtat ex dictis ſuprà diſp. 6. c. 3. ſed obſerua duplicem eſſe veritatem, ac intelligibilitatem; alia eſt formalis, quæ eſt denominatio extrinſeca proueniens ab obiecto, vel à potẽtia intellectiua, vel ab intellectione poſſibili, per quam poteſt cognoſci: alia eſt fundamentalis, quæ eſt ipſamet entitas per ſe ipſam apta, ſeu non repugnans intelligi; cum ergo dicimus obiectum intellectus eſſe verum, ſcilicet intelligibile, non loquimur de vero, ac intelligibili formaliter, intellectus enim non ſemper tendit ad ſeipſum, vel ad ſuam intellectionem, à quibus ipſum ens intelligibile, ac verum formaliter dicitur; ſed loquimur tantùm de vero, ac intelligibili fundamentaliter, nam intellectus ſemper tendit ad ens aptum, ſeu non repugnans intelligi, quod verum, ac intelligibile fundamentaliter appellatur.

Sed quærat quis, an circa hoc idemmet obiectum 7
poſſit alia potentia præter intellectum verſari? Dubium generale eſt, vtrum ſcilicet poſſint dari duæ potentiæ ſpecie diuerſæ circa idem obiectum? Mihi euidentiſſima eſt pars affirmatiua; quia intellectus Angelicus, & humanus tendũt ad omne ens; habitus luminis gloriæ, & habitus charitatis ad idem eſſe diuinum; intellectus, & voluntas ad idem ens in omni ſua latitudine, licèt enim intellectus tendat ad ens vt verum, id eſt, aptum intelligi, & voluntas tendat ad idem ens, vt bonum, id eſt, aptum amari; tamen verum, & bonum in ſe non ſunt duę formalitates diuerſę, ſed eademmet formalitas connotans in obliquo actum intellectus, vel actum voluntatis, quæ quidem connotata non neceſſariò ab iis potentiis pertinguntur, ſed tantùm id, quod eſt in recto in ipſo ente, quod reſpectu vtriuſque potentiæ eſt idem; & tamen omnes iſti habitus, ac potentiæ ſunt inter ſe ſpecie diuerſæ; ergo poſſunt eſſe duæ potentiæ ſpecie diuerſæ circa idemmet obiectum. Ratio à priori eſt, quia etiam potentiæ ſpecificantur ex modo tendendi; poteſt autem eſſe diuerſus modus tendendi circa idemmet obiectum, vt apprehenſio, & iudicium diuerſo modo tendunt ad idem obiectum, ac proinde circa idem obiectum poſſunt dari diuerſæ potentiæ.

Verùm aliquis inquirat, quid nam priùs ab intel- 8
lectu cognoſcatur, vniuerſale ne, an ſingulare? Hæc quæſtio lib. 1. Phyſic. c. 1. ſolet à recentioribus agitari ſub his terminis, quodnam ſit primo cognitum ab intellectu, ratio, ne communis, ac vniuerſalis, an ipſa ſingularia. Duæ ſunt in hac re extremæ ſententiæ, quæ tamen in concordiam facilè reduci poſſunt; prima aſſerit priùs, & faciliùs cognoſci vniuerſalia, quam ſingularia, ita Ariſt. 3. de anima text. 10. & 1. Phyſic. tex. 20. D. Thomas ibidem lect. 8. & 1. metaph. cap. 2. lect. 2. & de ente, & eſſentia cap. 1. 1. p. q. 86. art. 1. & 9. de anima artic. 20. & in aliis locis, ſequuntur D. Thomam Henricus quodlibeto 4. quæſt. 1. Ægidius in 2. diſt. 3. Abulenſ. ſuper Matth. cap. 25. quæſt. 617. Capreolus, Ferrara, Iauellus, & alij quos referunt, & ſequuntur Complut. diſp. 18. de anima q. 6. & diſp. 21. q. 6. Ioan. à S. Thom. q. 10. de anima art. 4. Caiet. Gonzalez, Fonſeca 1. metaph. cap. 2. ſect. 5. quæſt. 3. Conimbr. 3. de anima cap. 5. q. 4. & communiter omnes Thomiſtæ. Secunda ſententia docet priùs, ac faciliùs ſingularia, ſeu minus vniuerſalia, quam magis vniuerſalia cognoſci. Ita Scotus in 1. diſt. 3. q. 2. & in 4. diſt. 45. quæſt. 3. Ricardus in 1. diſt. 24. quæſt. 4. Greg. in 1. diſt. 3. q. 1. art. 2 Ocham q. 5. Burleus, Marſil. Durand in 2. diſt. 8. quæſt. 7. Valentia 1. p. diſp. 6. quæſt. 7. punct. 1. Ruuio de anima de intell. poſſibili, quæſt. 1. Toletus hîc quæſt. 12. Suarez 1. metaph. diſp. 6. ſect. 6. & de anima lib. 4. cap. 3. Carleton diſp. 18. de anima ſect. 1. Franciſcus Alphonſus diſp. 12. de anima ſect. 5. num. 74. P. Hurtado diſp. 5. de anima ſect. 6. & alij plures ex recentio

recentioribus, vt Conimbricenses 1. Physic. cap. 1. q. 4. art. 2.

9 Sed vt clariùs procedatur distinguendus est duplex sensus quæstionis. Primus est, an priùs; & faciliùs cognoscantur singularia, quam rationabilitas præcisa communis, & vniuersalis. Secundus, an priùs, ac faciliùs cognoscatur idem singulare secundum vnam rationem communem, & abstractam à conditionibus indiuiduantibus, & materialibus, quas ipsi sensus directè cognoscunt, quam secundum aliam rationem particularem quidditatis singularis, v.g. an priùs, & faciliùs in hac singulari albedine cognoscatur, quod est hic color singularis, quam quod sit hæc singularis albedo.

10 Assertio secunda: in primo sensu priùs, & faciliùs cognoscuntur à nostro intellectu singularia cognitione experimentali, & imperfecta, quam ratio ab illis præcisa communis, & vniuersalis; hanc assertionem sic explicatam tenent expressè Aristot. 2. Physicor. text. 46. & 3. de anima text. 10. D. Thomas 1. part. quæst. 86. art. 1. ad 2. 3. de anima lect. 8. quæst. de anima art. 20. quodlibeto 11. & 12. & 22. quæst. 49. art. 2. ad primum: & in hoc sensu tenentur eam defendere auctores vtriusque sententiæ. Probatur primò, ex verbis Aristot. 1. Physicor. text. 46. dicentis, *quod vniuersale est notum secundum rationem, singulare secundum sensum.* Sentit ergo intellectum, & vniuersalia, & singularia cognoscere, nam cognitione imperfecta, & experimentali priùs cognoscit noster intellectus accidens, quam substantiam, quia illius habet propriam speciem, istius verò mediatam, & ab aliis rebus abstractam, sensibus enim cognoscimus res ad extra existentes, & singularizatas cum conditionibus materialibus, ergo cognitione imperfecta, & experimentali priùs, & faciliùs cognoscuntur singularia, quam ratio communis, & vniuersalis ab illis abstracta. Confirmatur primò, quia intellectus noster cognoscit hanc propositionem; *Petrus est homo*, ergo cognoscit vtrumque extremum, ergo singulare, cum Petrus sit singularis. Confirmatur secundò, Prudentia est virtus intellectualis, & tamen versatur circa singularia, & fides diuina, per quam credimus Christum esse verum Deum, & hominem, & B. Mariam eius matrem, ergo cum intellectus cognoscat, quidquid nostri sensus, & eos in suis cognitionibus dirigat, à fortiori debet cognoscere singularia materialia saltem cognitione imperfecta, & experimentali.

11 Probatur secundò principaliter: si aliqua ratione singularia, quæ clarissimè sentiuntur, non cognoscerentur priùs, & faciliùs ab intellectu, quam rationes præcisæ, & vniuersales, quæ vt sic sub sensus non cadunt, maximè, quia in intellectu non darentur species propriæ rerum singularium, vt monstraui suprà disp. 9. cap. 1. Quæsito primo, ergo singularia priùs, & faciliùs cognoscuntur ab intellectu, quam rationes præcisæ, & vniuersales. Confirmatur, id faciliùs, & priùs cognoscit noster intellectus, quod ei priùs subministratur à sensu, & ad quod cognoscendum ab ipso sensu excitatur, nam intellectus in cognoscendo pro hoc statu pendet, & determinatur à sensibus, sed sensus priùs imo solùm subministrat intellectui singularia, quæ tantùm sub illum cadunt, & ad ea solùm cognoscenda excitat ipsum; ergo, quod priùs, & faciliùs ab intellectu cognoscitur, sunt ipsa singularia. Vrgeo: intellectus pro prima vice eo clariùs, & expressiùs cognoscit obiectum, quo clariùs, & expressiùs repræsentatur per sensum; in homine enim intellectus cum ipso sensu commensuratur; sed hæc albedo, quam modo intueor repræsentatur per sensum non confusè sub ratione præcisa, & vniuersali coloris, aut albedinis vt sic, sed clarè, & explicitè sub ratione talis albedinis, ergo intellectus pro prima vice cognoscit hanc albedinem, non confusè sub ratione præcisa & vniuersali coloris, aut albedinis vt sic, sed clarè, & expressè sub ratione singulari talis albedinis, & si postea possit rationem coloris, & albedinis præscindere, ergo intellectus prius cognoscit singularia, quam rationes ab ipsis præcisas, communes, & vniuersales. Postremo, idem demonstrat experientia, qua quiuis in se experitur, quando primo videt, v.g. albedinem huius niuis, non cognoscere albedinem in communi, sed tantùm illam determinatam albedinem, quam ipse sentit in niue. Vnde Aristot. passim asserit vniuersalia esse cognitu difficilima, quia longissimè distant à sensibus, ac proinde faciliùs, ac priùs cognosci singularia, quæ sentiuntur, cuius clarissima testimonia adducit Fons. 1. metaph. cap. 2. q. 2. sect. 5.

Obiiciat quis, id cognoscit priùs, & faciliùs noster 12
intellectus, quod species intelligibilis secundum se repræsentat, sed species intelligibilis secundum se repræsentat vniuersalia, non verò singularia, nam talis species à Phantasmatibus rerum singularium abstrahitur, & non abstraheretur ab illis, si singularia, & Phantasmata ipsa repræsentaret, ergo intellectus priùs cognoscit vniuersalia, quam singularia, cum modus repræsentandi immaterialiter sit vniuersalium, non verò singularium. Respondeo, speciem intelligibilem impressam, etiam repræsentare singularia, quia hæc repræsentantur per speciem expressam, scilicet per cognitionem, quæ in repræsentando cum eius specie intelligibili commensuratur, dicitur autem talis species intelligibilis à Phantasmatibus abstrahi, non quidem ex parte obiecti, ex eo, quod repræsentet rationem communem præcisam à singularibus, quæ per ipsa phantasmata repræsentantur; aliàs nec Deus, nec Angelus possent intelligere singularia materialia, sed tantùm ex parte modi, quia eadem singularia, quæ Phantasmata repræsentant modo corporeo, & materiali, repræsentat ipsa species intelligibilis modo ab omni materia abstracto, ac spirituali.

Assertio tertia, in secundo casu: si obiectum 13
non sit rectè applicatum potentiæ, vel ratione distantiæ, vel ratione medij improportionati, vel alia quauis de causa priùs, & faciliùs cognoscitur singulare secundum rationem magis communem, & vniuersalem, quam secundum rationem magis particularem, hoc est vniuersalia cognitione scientifica, & à priori prius cognosci, quam singularia; si verò tale obiectum omni ex parte potentiæ rectè applicatum sit, priùs & faciliùs cognoscitur singulare secundum rationem magis particularem, quam secundum rationem magis communem, & vniuersalem; ita auctores primæ sententiæ. Probatur primò, ex Arist. 1. Physicor. cap. 5. text. 49. dicente; rationem, hoc est, intellectum esse vniuersalium, sensum verò singularium, deinde passim in posterioribus docet, scientias esse vniuersalium, vniuersalia esse incorruptibilia, & æterna, singularia verò corruptibilia, ergo clariùs D. Thomas 1. part. quæst. 86. art. 1. ad 2. vbi inquit; *quod singulare non impeditur intelligi, quia singulare, sed quia materiale, quia nihil intelligitur nisi immaterialiter*, & ad 3. *quod singulare, quod sensus intelligit concretè, intellectus intelligit abstractè, & immaterialiter, quod est cognoscere in vniuersali*, & ratio est, quia vniuersalia simpliciter, & secundum naturam sunt notiora singularibus, eo quod sint partes essentiales metaphysicæ componentes singularia; ergo cognitione scientifica, & à priori priùs cognoscuntur vniuersalia, quam singularia, hac enim cognitione priùs cognoscimus substantiam, quam accidentia, & per illam à priori peruenimus in cognitionem accidentium, licèt cognitione imperfecta priùs cognoscimus accidentia, ergo cognitione perfecta, & scientifica priùs, & faciliùs cognoscuntur vniuersalia, quam singularia.

Probatur

Probatur secundo cum albedinem à longè video, ita propter magnam distantiam, illam imperfectè cerno, vt intellectus solum discernat esse singularem aliquem colorem, postea vero cum magis accidit, discernit esse singularem albedinem, ergo ratio coloris est magis communis, & vniuersalis, quam ratio albedinis, quæ est magis particularis; ergo quando obiectum est distans, & non rectè applicatum potentiæ, cognoscitur singulare secundum rationem magis vniuersalem, & communem, quam secundum rationem particularem. Secunda etiam pars assertionis probatur; nam cum albedo est præsens, & rectè applicata potentiæ visiuæ cum secundum rationem albedinis vehementissimam ingerat sui speciem, intellectus prius expressè cognoscet illam esse albedinem, & postea discurret, & expressè etiam cognoscet esse colorem, quia ratio coloris includitur in albedine, & hoc quidem est experientia notissimum; ergo cum obiectum singulare est rectè applicatum potentiæ, prius cognoscetur secundum rationem particularem, quam secundum rationem magis communem, & vniuersalem.

15 Dices Aristotel. sibi contradicere, nam primo Poster. cap. 2. docet, singularia nobis esse notiora, vniuersalia vero esse notiora simpliciter, & secundum naturam. & 1. Physicor. cap. 1. docet, vniuersalia esse nobis notiora, singularia vero notiora simpliciter, & secundum naturam; ergo docet adinuicem, esse notiora, tam singularia, quam vniuersalia. Respondeo singularia, & vniuersalia posse comparari ad intellectum operantem per simplicem apprehensionem immediatè excitatam à phantasmatibus, hoc est cognitione imperfecta per sensum, vel operantem, cognitione scientifica, & perfecta, seu à priori per causam si comparentur primo modo, singularia sunt nobis notiora, eo quod illa prius attinguntur à cognitione illa imperfecta sensuum. Si vero comparentur secundo modo ad intellectum operantem per cognitionem scientificam, & perfectam à priori per causam abstrahentem à sensibus, vniuersalia esse priora, & nobis notiora, quia per illa quasi à priori, & per causam deuenimus in cognitionem singularium, vt ex cognitione substantiæ in cognitionem accidentis, & ex cognitione essentiæ in cognitionem propriarum passionum, & proprietatum; hinc sententiæ D. Thomæ, & Scoti voce discrepantes possunt in concordiam reuocari, nam D. Thomas asserit prius, & facilius cognosci obiectum secundum rationem communem, & vniuersalem, quam secundum rationem particularem loquitur, quando obiectum non est rectè applicatum potentiæ, seu de cognitione scientifica, & perfecta, cum vero Scotus dicit obiectum prius cognosci secundum rationem particularem, quam secundum rationem magis communem, & vniuersalem loquitur, quando obiectum est rectè applicatum potentiæ, seu de cognitione imperfecta habita per sensus, vtrumque autem est verum vt ex dictis constat.

16 Hic etiam solet inquiri: quid sit memoria, & quomodo ab intellectu dissideat. Memoria est facultas illa quæ seruat species rerum, quas antea viuens cognouit, & eas etiam cognoscit, hoc autem potest dupliciter accidere. Primo cognoscendo res præteritas, non vero priorem ipsarum cognitionem, & hæc est memoria latè accepta, quæ etiam in brutis reperitur realiter distincta ab æstimatiua, vt ostendimus disp. 12. cap. 5. n. 37. Secundo non solum cognoscendo res præteritas, sed etiam ipsam cognitionem priorem, qua antea ipsæ fuerunt cognitæ, & hæc est memoria strictè sumpta, quæ solum in creatura intellectuali inuenitur, quæ supra suos actus reflectit, hæc autem memoria ab intellectu realiter non distinguitur, sed eadem, ac indistincta facultas vtroque munere fungitur, & quatenus præsentia, aut futura cognoscit, dicitur intellectus, & quatenus præterita cognoscit memoria, seu reminiscentia vocatur, quæ in omnibus cognoscitiuis datur præter Deum, qui nunquam potest de obiecto vllo intermittere, ex se, licet dicitur obliuisci rei, & recordari, hæ tamen loquutiones sunt solum metaphoricæ, quatenus ita segerit circa illas, ac si illarum fuisset oblitus, vel ac si denuo illas in memoriam quasi reuocaret; sicuti etiam dici solet, Deum pœniteret tristari, dolere non quia ipsum facti pœniteat, sed quod ita se circa talem rem gerat, sicut solent homines, cum ipsos alicuius rei pœnitet, vt rem illam destruant; aliqua tamen animalia sunt quæ secundum Aristotelem memoria carent, vt sunt musca, &c.

CAPVT II.

An intellectus possit ex parte obiecti creati præscindere vnam formalitatem ab alia, quæ cum illa identificata sit.

COntrouersiam hanc, quam fusè iam in dialectica disputation. 6. capit. 1. ad quartum vsque agitaueram, iterum (ea supponens) modo in examen adduco, vt rationi, qua mea sententia munitur, nonnihil roboris addam, & aduersariorum nouas solutiones euertam, nam ita mirabile quorumdam ingenium est, vt si solutionem, vel fortè rationem aliquam, quam postea ipsi composuerint, non videant acriter debellatam glorioſum de nostra sententia iactent reportare triumphum. 17

ASSERTIO sit, intellectus noster non potest ex parte obiecti creati præscindere vnam formalitatem ab alia, quæ cum illa reipsa identificata sit. Hanc assertionem, quam loco citato, auctoritate & ratione stabiliui, eadem ratione efficacius sic confirmo. Duabus formalitatibus creatis secum reipsa identificatis non possunt conuenire duo prædicta contradictoria, scilicet prædicatum aliquod positiuum, & negatio illius; sed si intellectus posset ex parte obiecti creati præscindere vnam formalitatem ab alia v. g. animalitatem à rationalitate in homine, duabus formalitatibus creatis secum identificatis reipsa simul conuenient duo prædicta contradictoria, prædicatum scilicet positiuum, & negatio illius; ergo intellectus noster non potest ex parte obiecti creati præscindere vnam formalitatem ab alia. Consequentia est euidens. Minor probatur, quia si intellectus præscinderet vnam formalitatem hominis ab eius rationalitate, animalitas per eam cognitionem esset realiter cognita, & rationalitas per eam cognitionem non esset realiter cognita; Sed esse cognitam, & non esse cognitam sunt prædicata contradictoria, scilicet prædicatum positiuum, & negatio illius, ergo si intellectus præscinderet vnam formalitatem ab alia, formalitatibus creatis secum identificatis scilicet animalitate, & rationalitate hominis, reipsa conuenirent prædicata contradictoria, scilicet prædicatum positiuum, & negatio talis prædicati. Maior autem primi syllogismi, inqua est difficultas, probatur primo, vnam rem creatam re ipsa non esse aliam, vel realiter distingui ab alia est aliud, quam vni realiter conuenire aliquod prædicatum, quod realiter non conueniat alteri; alioquin nulla erit ratio res creatas inter se realiter distinguendi, nam separabilitas vnius ab alia non semper datur, quia in communi sententia existentia Angeli, & eius creatio re ipsa distinguuntur, & tamen non possunt re ipsa separari, cum Angelus vt existens non possit non esse creatus; ac proinde ratio vnica distinguendi realiter inter se om- 18

nes res creatas, est solum, quod conueniat vni rei aliquod prædicatum, quod realiter non conueniat alteri; ergo si vni rei creatæ conuenit realiter vnum prædicatum positiuum, & alteri conuenit negatio talis prædicati, tales res necessario distinguuntur inter se realiter, igitur duabus formalitatibus creatis, quæ realiter non distinguuntur, sed sunt secum reipsa identificatæ, non possunt conuenire duo contradictoria prædicata ita, vt vni conueniat vnum prædicatum positiuum realiter, & alteri reipsa conueniat negatio talis prædicati. Probatur secundo eadem maior efficacius: si duabus formalitatibus creatis secum identificatis possunt reipsa conuenire prædicata contradictoria scilicet prædicatum positiuum, & negatio illius prædicati, posset simul illis competere, vni raliter creari, & alteri realiter non creari: vni realiter communicari, & alteri realiter non communicari: vni realiter existere, alteri realiter non existere, & sic de aliis; atqui etiam in aduersariorum sententia hæc prædicta non possunt illis creatis formalitatibus conuenire; ergo duabus formalitatibus creatis secum identificatis non possunt simul competere prædicata contradictoria scilicet prædicatum positiuum, & negatio talis prædicati.

19 Dicat autem quispiam primo, duabus formalitatibus creatis secum identificatis non posse simul competere prædicatum aliquod positiuum, & negationem illius, si talia prædicata sint intrinseca, qualia sunt existentia, & negatio existentiæ, posse vero illis conuenire prædicatum positiuum, & negationem talis prædicati, si talia prædicata sint extrinseca, qualia sunt cognitio, & negatio talis cognitionis; & ideo posse cognosci vnam formalitatem non cognita alia. Sed contra, tam opponuntur cognosci, & non cognosci, quam existere, & non existere, quia sicut non existere est negatio, & contradictio existentiæ, quam dicit ipsum existere; ita non cognosci est negatio, & contradictio cognitionis, quam dicit ipsum cognosci; atqui ista prædicata intrinseca, scilicet existere, & non existere non alia ratione non possunt duabus creatis formalitatibus conuenire, nisi quia opposita sunt; ergo hæc prædicata extrinseca scilicet cognosci, & non cognosci, cum eodem modo inter se opponantur, ac illa, eadem ratione non poterunt duabus facultatibus creatis secum identificatis simul conuenire. Deinde generari, & non generari sunt prædicata extrinseca formæ genitæ, cum actio generatiua, non in re genita, sed tantum in materia intrinsecè recipiatur, vt ostendi in Physicis disp. 23. cap. 4. & tamen iuxta aduersariorum sententiam non potest simul eidem formæ conuenire secundum vnam formalitatem realiter generari, & secundum aliam eius formalitatem reipsa non generari; ergo prædicatum positiuum, & negatio illius, etiam si sint prædicata extrinseca, non possunt simul duabus formalitatibus creatis secum identificatis realiter conuenire. Vrgeo: si animalitas, v. g. in homine cognosceretur non cognita rationalitate, iam his formalitatibus creatis secum identificatis competeret prædicatum aliquod positiuum intrinsecum, & negatio talis prædicati; ergo si per te implicat duabus formalitatibus creatis secum identificatis competere prædicatum positiuum intrinsecum, & negationem illius prædicati, etiam necessario implicabit cognosci animalitatem hominis non cognita rationalitate. Consequentia est euidens; antecedens sic demonstro: si per aliquam cognitionem verè cognosceretur animalitas hominis, & verè non cognosceretur eius rationalitas, animalitas per se ipsam, esset fundamentaliter apta, ac positiuè fundans negationem repugnantiæ ad hoc, vt cognoscatur per eam cognitionem, rationalitas vero secundum se nec esset fundamentaliter apta nec positiuè fundans carentiam repugnantiæ ad hoc, vt cognosceretur per eam cognitionem, sed potius esset non apta, & non fundans talem carentiam repugnantiæ, quia repugnaret omnino rationalitatem cognosci per eam cognitionem quæ essentialiter esset cognitio solius animalitatis; atqui animalitatem illam esse per se ipsam fundamentaliter aptam, seu fundare positiuè carentiam repugnantiæ ad hoc, vt cognoscatur per eam cognitionem, est prædicatum positiuum ipsi intrinsecum, vt per se constat; ergo si animalitas hominis cognosceretur verè, non cognita rationalitate, his formalitatibus creatis secum identificatis competeret prædicatum aliquod positiuum intrinsecum, & negatio talis prædicati.

Dicat secundo, prædicatum positiuum, & negationem talis prædicati, siue sint prędicata intrinseca, siue extrinseca, non posse prædictis creatis formalitatibus conuenire, si prædicata illa sint independentia ab intellectu; si vero ab intellectu dependeant recte posse simul illis cõpetere. Nam cum forma ab intellectu independens, v. g. actio physica, vnio aut existentia, non sit secundum se ita spiritualis ac substantialis, non est præcisiua vnius formalitatis ab alia, ac proinde non potest vni creatæ formalitati competere aliquod prædicatum prouenies à tali forma independente ab intellectu, quod etiam non conueniat alteri formalitati, & idcirco non potest illis simul conuenire negatio talis prædicati. forma vero ab intellectu dependens, scilicet cognitio, seu intellectio, cum sit valde spiritualis, ac subtilis vtpotè nimis immaterialis, est præcisiua vnius formalitatis ab alia, & ideo vni formalitati potest conuenire aliquod prædicatum prouenies à tali cognitione, scilicet esse cognitam, quod non conueniat alteri formalitati; ac proinde potest illis formalitatibus conuenire dependenter ab intellectu prædicatum positiuum, & negatio talis prædicati. Sed contra: comparo actionem creatiuam, qua Deus potest creare formalitatem Angeli, cum cognitione, qua noster intellectus potest cognoscere formalitatem equi, arguo sic: magis spititualis, & subtilis est illa creatio, quam hæc cognitio; sed creatio per te non est præcisiua vnius formalitatis ab alia, nec possunt iis formalitatibus conuenire simul creari, & non creari: ergo cognitio etiam non erit præcisiua vnius formalitatis ab alia, nec poterit iis formalitatibus simul competere cognosci, & non cognosci. Maior probatur: eatenus aliqua res est magis spiritualis, & subtilis, quatenus est magis immaterialis, materia enim vtpotè crassa, & obtusa opponitur spiritualitati, & subtilitati; sed illa creatio formalitatis Angeli est magis immaterialis, quam cognitio illa formalitatis equi; nam hæc cognitio formalitatis equi tendit ad equum, qui est materialis, & oritur ab intellectu, qui in cognoscendo dependet à sensibus materialibus, & ipsa etiam cognitio secundum se pendet à phantasmate materiali: illa verò creatio formalitatis Angeli tendit ad Angelum, qui est maximè immaterialis, & oritur à Deo, qui summam immaterialitatem habet; & ipsa creatio secundum se à nulla materia pendet: ac proinde magis immaterialis est creatio illa, quam hæc cognitio; ergo illa creatio formalitatis Angeli est magis spiritualis, & subtilis, quam cognitio formalitatis equi. 20

Dicat tertio, cognitionem esse præcisiuam vnius formalitatis ab alia non esse præcisè, quia est spiritualis, & subtilis, id est, excludens materialitatem, sed quia habet perfectionem, ac excellentiam specificam in ratione rei subtilis, ac spiritualis, quæ quidem excellentia, & perfectio non inuenitur in illa actione creatiua formalitatis Angeli, cognitio enim ex genere suo est longè perfectior, ac excellentior illa; ac proinde ratione talis spiritualitatis, ac subtilitatis excellentioris, cognitio est præcisiua, & creatio non est præcisiua. Sed contra, comparo vnionem hypostaticam possibilem Verbi Diuini 21

ad

ad formalitatem Angeli, cum cognitione illa formalitatis equi, & arguo sic: Vnio illa Physica, non solum est materialior & spiritualior, verum etiam excellentior, & perfectior in ratione rei spiritualis, quam cognitio, nam vnio hypostatica supra omnem creatam cognitionem obtinet quemdam longè eleuatiorem, ac nobiliorem gradum rei spiritualis, vt apud omnes constat; ergo si cognitio illa, quia est perfecta, & excellens in ratione rei spiritualis, est præcisiua vnius formalitatis creatæ, ab alia formalitate creata, etiam vnio ista, cum spiritualior, ac excellentior sit erit etiam præcisiua inter formalitates creatas: atqui in aduersariorum etiam sententia vnio illa physica non est præcisiua vnius creatæ formalitatis ab alia: ergo nec etiam cognitio erit realiter præcisiua inter tales formalitates creatas.

22 Dicat quarto, cognitionem ideo realiter posse præscindere inter creatas formalitates inter se identificatas, quia habet in se esse subtile, spirituale, ac excellens intentionale: vnio vero illa hypostatica, licet habeat esse subtile, spirituale, & excellens, non tamen habet esse intentionale, sed purè physicum, & ideo non posse inter prædictas creatas formalitates præscindere. Sed contra probo, quod si cognitio est intentionaliter præcisiua vnius creatæ formalitatis ab alia, vnio etiam hypostatica sit præcisiua physicè inter formalitates creatas; arguo sic: ideo præcisè (vt tu asseris) cognitio est præcisiua intentionaliter inter formalitates creatas, quia habet esse quoddam intentionale, subtile, spirituale, ac excellens; sed vnio illa hypostatica habet esse quoddam physicum subtile, spirituale, ac excellens, immo simpliciter, spiritualius, perfectius, ac excellentius, quam esse intentionale cognitionis, vt iam ostendi; ergo talis vnio erit præcisiua physicè inter creatas formalitates, sicut cognitio est præcisiua intentionaliter. Dicere autem vnionem istam non esse præcisiuam, quia non habet esse intentionale: non est ad rem, quia ego, vt aduerti, non intendo vnionem fore præcisiuam intentionaliter, ad quod necessarium esset, quod haberet esse intentionale; Sed tantum fore præcisiuam physicè, ad quod non requiritur, quod habeat esse intentionale, imo requiritur, quod illud non habeat, nam esse intentionale physicè non valet præscindere, sed solum intentionaliter. Cum ergo vnio illa habeat in se esse physicum subtilius, spiritualius, & excellentius, quam sit esse intentionale cognitionis, nulla est ratio, quare cognitio propter esse subtile, spirituale, & excellens intentionale, quod habet, valeat præscindere intentionaliter, & vnio illa propter esse subtilius, spiritualius, ac excellentius physicum, quod habet non valeat præscindere physicè.

23 Explico vim argumenti: respectu Dei datur duplex præcisio creata; alia intentionalis, scilicet creata cognitio, quæ cognoscit essentiam diuinam, & non relationem; alia physica, scilicet vnio hypostatica, quæ vnit physicè relationem, & non essentiam; arguo sic: præcisio physica creata, quæ datur respectu Dei longè subtilior, spiritualior, ac excellentior est, quam præcisio creata intentionalis respectu eiusdem, vnio enim hypostatica longè spiritualior, ac excellentior est, quam quæuis creata cognitio: sed præcisio intentionalis per se, quia est subtilis, spiritualis, & excellens, sicut datur inter formalitates diuinas, potest etiam dari inter formalitates creatas; ergo eodem modo præcisio hypostatica physica, cum sit longè subtilior, spiritualior, ac excellentior, sicut datur inter diuinas formalitates, poterit etiam dari inter formalitates creatas; ergo si cognitio intellectualis potest reipsa præscindere intentionaliter ac intellectualiter, vnam creatam formalitatem ab alia, ita etiam poterit vnio hypostatica physica reipsa præscindere physicè, ac hypostaticè vnam creatam formalitatem ab alia; atqui aduersarij non admittunt vnionem hypostaticam posse inter formalitates creatas præscindere physicè; ergo tenentur etiam necessario non admittere cognitionem posse reipsa præscindere inter creatas formalitates intentionaliter. Dicat quintò cognitionem ideo esse præcisiuam, quia est forma quædam intentionalis confusa: vnionem vero illam nullo modo esse confusam: & ideo modo esse præcisiuam. Sed contra: cognitio hominis per accidentia externa est verè cognitio, seu forma intentionalis confusa; & tamen non est præcisiua animalis, scilicet à rationali: ergo non ideo cognitio est præcisiua, quia sit cognitio, seu forma intentionalis confusa. Dices, requiri etiam quod sit cognitio confusa, & inadæquata. Sed contra: esse cognitionem confusam inadæquatam per te est cognoscere vnam formalitatem obiecti, non cognita alia; ergo dicere ideo cognitionem præscindere vnam formalitatem ab alia, id est cognoscere vnam, non cognita alia quia est cognitio confusa inadæquata, est idem, ac dicere ideo cognitionem cognoscere vnam obiecti formalitatem, non cognita alia, quia cognoscit vnam formalitatem, non cognita alia, quæ est petitio principij.

24 Obiiciat aliquis primo: Philosophus cognoscit demonstratiue naturaliter essentiam Dei; & tamen naturaliter non cognoscit demonstratiuè Trinitatem, scilicet relationem trinam, vt fides docet; ergo præscindit talis cognitio demonstratiua essentiam Dei à Trinitate; ergo non implicat dari ex parte obiecti præcisionem vnius formalitatis ab alia. Respondeo, illam cognitionem demonstratiuam præscindere ex parte obiecti essentiam Diuinam à relatione trina, quia inter talem essentiam, & relationes diuinas est distinctio virtualis æquiualens reali; hæc autem distinctio esse non potest inter formalitatem creatam, vt ostendi in Logica disputat. 4. capit. 3. num. 19. & ideo vna formalitas creata non posse ab alia præscindi.

25 Sed insurgat: in Deum, quatenus includit rationem essentiæ diuinæ, & rationem personalitatis & inter ipsas relationes, ac personalitates non est maior distinctio virtualis, quam inter ipsas formalitates creatas, v.g. animalitatem, & rationalitatem, nam licèt tres personalitates, ac relationes diuinæ distinguantur virtualiter, & æquiualenter à ratione essentiæ, non vero distinguuntur virtualiter, & æquiualenter à ratione personalitatis diuinæ, quæ etiam includitur in Deo, ac proinde non distinguuntur virtualiter ab ipso Deo magis, quam vna creata formalitas ab alia: & tamen cognitio illa demonstratiua Philosophi præscindit Deum à tribus personalitatibus, ac relationibus diuinis, demonstrat enim naturaliter esse Deum, & non demonstrat naturaliter esse tres relationes, ac personalitates in Deo; ergo etiam cognitio poterit obiectiuè præscindere vnam creatam formalitatem ab alia. Minor probatur: quia si Philosophus naturaliter demonstraret esse tres personalitates diuinas, demonstraret Trinitatem, hoc autem salua fide dici non potest; ergo Philosophus non demonstrat naturaliter esse tres diuinas personalitates. Respondeo cognitionem illam demonstratiuam attingere ex parte obiecti totam entitatem diuinam, scilicet formalitatem Dei, & formalitatem Trinitatis, ex parte vero modi concipiendi ita inadæquatè eam attingere, id est, adeò inadæquata expressione, vt videatur cognoscere solum rationem Dei, & non rationem Trinitatis, & hoc est in communi modo loquendi demonstrare Deum, & non demonstrare Trinitatem, sicut enim visio sensitiua, qua color albedinis à longè cognoscitur, ex parte obiecti attingit rationem coloris, & rationem albedinis, cum in omnium sententia visio

sensiti

sensitiua non præscindat, & tamen quia ex parte modi tale obiectum inadæquatè cognoscit, scilicet per speciem imperfectam, & inadæquatam illius, dicitur homo per eam visionem, qua ex parte modi non discernitur albedo, videre colorem, & non videre albedinẽ; ita similiter licet cognitio demonstratiua Philosophi ex parte obiecti attingat rationẽ Dei, & rationẽ Trinitatis, quia tamen ex parte modi illum inadæquatè cognoscit, scilicet per speciem vnius, & non per speciem trium, dicitur iuxta communem modum loquendi homo per eam cognitionem demonstratiuam cognoscere vnum Deum, & non cognoscere Trinitatem. Ratio autem est; quia Deus vt sic formaliter connotat negationem dependentiæ ab alio, Trinitas vero vt sic formaliter connotat negationem identitatis inter diuinas personalitates: Cum autem Philosophus per cognitionem demonstratiuam, licet cognoscat totam entitatem Dei, & Trinitatis in recto, non cognoscat in obliquo nisi solas negationes dependentiæ, per quam illa entitas completur in esse Dei, non vero negationem identitatis personarum, per quam completur in ratione Trinitatis, ideo cognoscit totam illam entitatem sub ratione Dei, & non sub ratione Trinitatis.

26 Obiiciat secundo: dari potest præcisio obiectiua inter formalitates increatas, scilicet inter essentiam, & relationem, vt capite sequenti monstrabo; atqui si dari non posset obiectiua præcisio inter creatas formalitates; nec etiam dari posset inter increatas; ergo dari potest præcisio obiectiua inter formalitates creatas. Minor probatur: si aliqua ratione non posset dari præcisio obiectiua inter formalitates creatas, maximè quia non esset inter illas distinctio virtualis, hoc est, virtus ad habendũ in se cõtradictoria prædicata, scilicet prædicatum aliquod positiuum, & negationem illius; sed si in formalitatibus creatis non est prædicta virtualis distinctio, seu virtus ad prædicatum positiuum, & negationem illius, etiam non erit talis distinctio, & virtus in formalitatibus increatis: ergo si non potest dari præcisio obiectiua inter formalitates creatas, nec etiam dari potetit inter increatas. Probatur minor: si propter aliquod esset in formalitatibus increatis, scilicet in essentia diuina, & relatione, illa virtualis distinctio, ac virtus ad habendum prædicatũ positiuum & negationem illius, secus in formalitatibus creatis, maximè propter Dei infinitatem, quæ lucet in illis formalitatibus, non vero in istis; atqui hæc infinitas diuina formalitatum non sufficit vt sit in illis ea distinctio virtualis, ac virtus ad prædicatum positiuum, & negationem illius; nam in iustitia, ac misericordia diuina infinitas Dei relucet, & tamen non est in illis prædicta virtualis distinctio, ac virtus ad prædicatum positiuum, & negationem illius, vt ipsi contrarij admittunt; ergo si in formalitatibus creatis non est illa virtualis distinctio, ac virtus ad prædicatum positiuum, & negationem illius, nulla etiam ratione erit talis distinstio, & virtus in formalitatibus increatis; si ergo est sufficiens distinctio, ac virtus in formalitatibus increatis, scilicet in essentia, & relatione diuina ad præcisionem obiectiuam, etiam erit sufficiens distinctio ac virtus ad talem præcisionem in formalitatibus creatis.

27 Hæc quidem obiectio grauis est, & amplius vrgeri non potest. Respondeo tamen ad obiectiuam præcisionem necessario requiri quod sit inter aliquas formalitates vera distinctio virtualis æquiualens distinctioni reali, scilicet quod vni formalitati à parte rei conueniat aliquod prædicatum reale, quod reipsa non conueniat alteri formalitati, tunc enim intellectus potest verè affirmare tale prædicatum reale de illa formalitate, cui conuenit, & non de illa alia, cui non conuenit, ac proinde affirmatiuè præscindet vnam formalitatem ab alia. Hæc autem distinctio virtualis datur inter aliquas formalitates increatas, scilicet inter essentiam diuinam, & relationem, nam essentiæ diuinæ competit verè à parte rei aliquod reale prædicatum scilicet communicari filio, quod realiter non conuenit paternitati; & idcirco potest noster intellectus affirmare hanc communicationem de essentia diuina, & non affirmare illam de paternitate; & ea ratione præscindere obiectiuè essentiam diuinam à paternitate. At vero inter formalitates creatas non datur hæc distinctio virtualis æquiualens distinctioni reali, quia nullum prædicatum reale, ac physicum ante intellectum conuenit reipsa vniformalitati creatæ, quod reipsa non conueniat alteri formalitati cum illa identificatæ vt ostensum est supra num. 11. & ideo intellectus non potest affirmare vnum prædicatum de vna formalitate creata, quod etiam verè non affirmet de alia, & ea propter non potest obiectiuè præscindere inter formalitates creatas, licet possit inter increatas. Ratio autem, quare illis formalitatibus increatis, scilicet essentiæ, & paternitati diuinæ conueniant ista prædicata oppositа nempè communicari, & non communicari, secus vero formalitatibus creatis, non est infitas Dei vt sic; hæc enim etiam relucet in iustitia, & misericordia diuina, quibus tamen non conueniunt ea prædicata; Sed talis infinitas specialis, quæ reperitur in essentia diuina, & paternitate diuina, & formaliter non transcendit alia attributa Dei, & ideo ratione huius specialis infinitatis, essentiæ diuinæ, & paternitati conueniunt reipsa illa prædicata oppositа, scilicet communicari, & non communicari, & non conueniunt aliis attributis Dei, aut formalitatibus creatis; quod quidem propter excellentiam mysterij, quod omnem rationem superat, non potest à priori ostendi, sed tantum credi, & venerari fide magistra, & in hac vltima ratione reddenda vtriusque sententiæ sectatores idem tenentur confiteri.

CAPVT III.

An intellectus valeat in obiecto increato vnam formalitatem ab alia abstrahere.

HAnc etiam quæstionem in Log. disput. capit. 5. discussi, placuit tamen (ibi dicta supponendo) eam iterum in controuersiam vocare, vt nostræ sententiæ ratio magis, ac magis roboretur, nostræque opinionis claritas eluceſcat, & aduersantia argumenta conuellantur.

ASSERTIO sit: intellectus noster valet obiectiue 28
præscindere inter formalitates aliquas increatas. Hanc assertionem, quam loco citato triplici ratione munui, hac vnica ratione confirmo: cognitio fidei diuinæ, qua quis credit paternitatem diuinam esse realiter incommunicabilem filio, affirmat esse realiter incõmunicabilem de paternitate, & non affirmat esse realiter incõmunicabilem de essentia diuina; ergo talis cognitio fidei obiectiuè præscindit affirmatiuè Paternitatem ab essentia diuina. Consequentia est euidens, quia affirmare realiter aliquod prædicatum de vno, & illud non affirmare de alio, est affirmatiuè prscindere vnum ab alio, vt per se constat. Antecedens autem sic monstro: cognitio illa fidei de eo tantum affirmat esse realiter incommunicabile, quod reipsa à parte rei incommunicabile est, non vero de eo, quod reipsa à parte rei non est incommunicabile, alioquin esset cognitio falsa, quod fidei cognitioni repugnat; sed à parte rei Paternitas diuina est reipsa incommunicabilis filio, essentia vero Dei non est reipsa incommunicabilis illi, vt fides docet; ergo illa cognitio fidei diuinæ tantum affirmat esse realiter incommunicabilem de Paternitate

nitate diuina, & non affirmat esse realiter incommunicabilem de essentia Dei.

29 Nobiles quidam Neoterici, qui oppositam sententiam conati sunt defensare, huic rationi satis ingeniosè dixerunt essentiam Dei esse idem actu cum diuina Paternitate, & esse virtute distinctam ab illa, atque ita talem essentiam à parte rei, vt est idem actu cum Paternitate, esse incommunicabilem filio, non verò esse incommunicabilem, vt est virtute distincta ab illa: vnde cognitio illa fidei, quæ affirmat Paternitatem diuinam esse realiter incommunicabilem filio, affirmat etiam esse realiter incommunicabilem ipsam essentiam Dei, vt est actu idem cum Paternitate, non verò vt est virtute distincta ab illa: & idcirco hæc cognitio non præscindit Paternitatem ab essentia diuina. In hac re nihil potuit dici melius, nec ex cogitari subtilius.

30 Sed quidem, vt verum fatear, res est ad modum difficilis, & solutio non satisfacit, quod vt ostendam aduerto dupliciter posse intelligi, quod essentia diuina, vt est idem actu cum paternitate sit realiter filio incommunicabilis. Primò purè identice, quia paternitas, cum qua essentia diuina est actu identificata, est realiter incommunicabilis, quod est verum, ac fide sanctum. Secundò plusquam identice, scilicet, quod non tantùm formalitas relatiua paternitatis, sed etiam formalitas absoluta essentiæ diuinæ, quæ est actu idem cum illa, sit realiter filio incommunicabilis, & hoc est apertè falsum, & repugnans fidei diuinæ. Hoc posito arguo sic: cognitio fidei diuinæ, qua quis credit Paternitatem esse plusquam identice per seipsam filio incommunicabilem, affirmat de paternitate esse realiter per se ipsam plusquam identice incommunicabilem filio; & tamen non affirmat de essentia diuina esse realiter per se ipsam plusquam identice filio incommunicabilem; quia à parte rei paternitas est realiter per se ipsam plusquam identice incommunicabilis filio, non vero essentia diuina vt nuper ostendi; ergo talis cognitio affirmatiuè præscindit paternitatem ab essentia diuina. Confirmo: cognitio fidei diuinæ, qua quis credit Paternitatem esse simpliciter, & sine vllo addito incommunicabilem filio, affirmat de Paternitate esse simpliciter, & sine vllo addito reipsa incommunicabilem; & non affirmat de essentia diuina esse simpliciter, & sine vllo addit oreipsa incommunicabilem, cum hoc ipsi essentiæ à parte rei nulla ratione conueniat; ergo talis cognitio præscindet affirmatiuè ab essentia diuina Paternitatem. Vrgeo: cognitio fidei, quæ affirmat Paternitatem diuinam secundum se etiam vt virtute distinctam ab omni alia formalitate esse realiter incommunicabilem filio, non affirmat essentiam secundum se etiam vt virtute distinctam ab omni alia formalitate esse realiter incommunicabilem, nam hoc esset contra fidem; ergo talis cognitio aliquid affirmat de Paternitate, quod non affirmat de essentia diuina; ergo affirmatiuè præscindit diuinam Paternitatem ab essentia diuina.

31 Obiiciat autem quis primo: visio diuina, vel quæuis visio beatifica affirmat Dei Paternitatem esse realiter filio incommunicabilem, & non affirmat esse realiter incommunicabilem ipsam essentiam diuinam; & tamen talis visio non præscindit vllo modo Paternitatem ab essentia diuina, quia visio clara, qualis est visio diuina, vel quælibet beatifica, non potest esse præcisiua; ergo licèt illa cognitio affirmat de paternitate esse incommunicabilem, & id non affirmet de essentia diuina, non præscindet obiectiuè paternitatem ab essentia diuina. Respondeo, visionem diuinam (idem dico de quauis visione beatifica) per eandemmet indiuisibilem formalitatem, per quam affirmat paternitatem esse incommunicabilem, affirmat etiam formalissimè esse communicabilem essentiam diuinam, ac proinde eam visionem non præscindere affirmatiuè paternitatem ab essentia diuina. Nec valet dicere, quod visio illa diuina, vt affirmatiua saltem incommunicabilitatis præscindet paternitatem ab essentia, quia affirmat talem incommunicabilitatem de paternitate, & non de essentia; Non inquam valet, quia visio illa quatenus affirmatiua incommunicabilitatis de paternitate est etiam formalissimè affirmatiua communicabilitatis de essentia, nec potest vna affirmatio ab alia in ea visione præscindi: vnde talis visio non affirmat de paternitate aliquid, quin etiam formalissimè aliquid affirmet de essentia; & idcirco non præscindit obiectiuè paternitatem ab essentia. Cognitio verò fidei diuinæ, qua præcisè quis cognoscit paternitatem esse incommunicabilem filio, non affirmat de essentia esse communicabilem, nec etiam esse incommunicabilem, vt iam ostendi, & ideo præscindit paternitatem ab essentia.

Obiiciat secundò, distinctio virtualis æquiualens reali, quæ est in Deo, solùm est ad ea prædicata opposita, quæ dicunt perfectionem in ipso Deo, v. g. ad communicari, & non communicari, quæ dicunt perfectionem in entitatem Dei; atqui cognosci, & non cognosci à nostro intellectu, non sunt prædicata opposita, quæ dicunt perfectionem in ipso Deo, sed tantùm in nostro intellectu, vt per se constat; ergo distinctio virtualis, quæ est in Deo, non est ad hæc prædicata opposita, scilicet cognosci, & non cognosci à nostro intellectu; ergo licèt ratione talis distinctionis virtualis verè communicetur essentia diuina non communicata Paternitate, tamen ratione illius non poterit cognosci essentia non cognita paternitate, ac proinde ob talem distinctionem virtualem Dei non poterit essentia à paternitate præscindi. Respondeo, distinctionem virtualem, quæ est in Deo, etiam esse ad prædicata opposita, quæ non dicunt formaliter perfectionem in ipso Deo, nam ratione talis distinctionis filiatio diuina vnitur immediatè humanitati Christi, & non vnitur essentia Dei, & tamen vniri, & non vniri non sunt perfectiones Dei, & hoc maximè habet locum, quando ad prædicata opposita, quæ sunt Dei perfectiones, & illi ratione talis virtualis distinctionis conueniunt, consequentur alia prædicata etiam opposita, quæ non dicunt perfectionem in ipso Deo: ex eo autem, quod essentiæ Dei conueniat realiter communicari, & non conueniat paternitati benè sequitur, quod noster intellectus possit affirmare de essentia communicari filio, & non affirmare id de paternitate; ac proinde benè sequitur, quod possit esse affirmatiuè cognita essentia non cognita affirmatiuè paternitate. 32

Obiiciat tertiò, ex eo ostendimus suprà num. 11. non posse conuenire duabus formalitatibus creatis identificatis realiter cognosci, & non cognosci, quia sequeretur posse illis conuenire existere, & non existere, quod repugnat; ergo ex eo, quod duabus formalitatibus increatis conueniat simul, alteri cognosci, alteri non cognosci, benè sequitur posse conuenire illis, alteri existere, alteri non existere; sed implicat, quod duabus formalitatibus increatis conueniat, alteri existere, alteri non existere; ergo implicat, quod duabus formalitatibus increatis conueniat, alteri cognosci, alteri non cognosci. Respondeo, non esse contra rationem, ac essentiam formalitatis creatæ, vt sic non existere, ipsa enim non repugnat essentialiter, vt non existat; vnde si duabus formalitatibus creatis identificatis possunt simul conuenire, alteri prædicatum aliquod positiuum, scilicet cognosci; alteri negatio talis prædicati, scilicet non cognosci; nulla est ratio, quare non possit etiam illis cõpetere, alteri prædicatum hoc positiuum, scilicet existere, alteri negatio illius, scilicet non existere, esse verò contra rationem, & essentiam formalitatis increatæ, & diuinæ non existere, 33

existere, nam de essentia cuiusque entitatis Dei est, quod actu existat. Vnde licèt duabus formalitatibus diuinis possit simul conuenire; alteri cognosci; alteri non cognosci à nostro intellectu, quia non cognosci non est contra essentiam entitatis Dei; non tamen potest illis conuenire, alteri existere, alteri non existere, quia hoc est contra essentiam formalitatis Dei.

34 Obiiciat quartò, sicut fides docet communicata essentia diuina, non communicari paternitatem, etiam docet fides cognito naturaliter Deo non cognosci Trinitatem; atqui fides in hoc secundo saluatur ex eo, quod licèt cognito naturaliter Deo cognoscatur tota formalitas Trinitatis in recto, non cognoscitur tamen id, quod Trinitas connotat in obliquo, scilicet negatio identitatis inter personalitates diuinas, vt diximus suprà num. 18. ergo fides etiam in primo, saluabitur ex eo; quod licèt communicata essentia communicaretur etiam tota formalitas paternitatis in recto, non communicetur tamen id, quod paternitas connotat in obliquo, scilicet negatio formalitatis, vel nascibilitatis; ergo quando quis cognoscit essentiam diuinam filio communicari, cognoscit etiam paternitatem secundum totum, quod dicit in recto, licèt non cognoscat illam negationem nascibilitatis, quam dicit, & connotat in obliquo; ac proinde non præscindit obiectiuè essentiam diuinam à recto paternitatis, sed solùm à negatione illa connotata in obliquo. Respondeo, fidem docere cognito naturaliter Deo non cognosci Trinitatem iuxta communem modum loquendi, quo dicimus rem non cognoscere, quando reddere non possumus, vel minimam rationem, imò nec loqui de illa: licet ergo cognito naturaliter Deo cognoscatur tota entitas Trinitatis in recto ex parte obiecti, tamen ex parte modi ita inadæquatè cognoscitur, vt non discernatur entitas illa diuina in ordine ad negationem identitatis inter diuinas personalitates, quam connotat in obliquo, ac proinde entitas ita implicitè concipitur, vt reddere quis non valeat, vel minimam rationem, imò nec loqui de illa; & idcirco hæc inadæquatio ex parte modi, & præcisio ab obliquo ex parte obiecti, sufficit vt rectè saluetur fides, quæ docet cognito naturaliter Deo non cognosci Trinitatem, licèt ex parte obiecti non præscindatur in recto Deus a Trinitate. At verò fidem docere paternitatem diuinam, communicata essentia, filio realiter non communicari, vt filius positiuè, & realiter à patre distinguatur; si autem tota entitas paternitatis in recto communicaretur filio, licèt non communicaretur illi negatio nascibilitatis connotata in obliquo, filius totum positiuum, & reale haberet, quod habet Pater, & ideo positiuè, & realiter non distingueretur à patre, quod est fidei repugnans; ac proinde non potest salua diuina fide dici, quod communicata essentia communicetur tota entitas in recto paternitatis, non verò prædicta eius negatio connotata in obliquo, sed catholicè est asserendum communicata essentia diuina filio, non communicari illi formalitatem ipsam paternitatis, quæ est in recto, & eapropter cognitionem fidei, quæ affirmat communicari essentiam, præscindere in recto à formalitate paternitatis.

35 Hic pro complemento obseruo aliud esse propositiones contradictorias, aliud prædicata contradictoria, in quo magnam video æquiuocationem mitti. Propositiones contradictoriæ sunt illæ, quæ in se formalem repugnantiam, & contradictionem includunt vt (Petrus est albus; Petrus non est albus.) Prædicata vno contradictoria sunt illa, quæ si de eodem, & secundum idem simul prædicentur, repugnantiam, & contradictionem formalem efficient, vt album, & non album, vel quæuis alia forma, & negatio illius, quæ si de eodem, & secundum idem simul prædicentur, contradictionem formalem causant, quod non habent alia prædicata, v.g. album, & nigrum. Vnde in creatis formalitatibus inter se identificatis non possunt conuenire duæ propositiones contradictoriæ, quia in Deo etiam non potest esse contradictio: conueniunt tamen illis duo prædicata contradictoria, scilicet communicari, & non communicari, quæ si de eodem, & secundum idem simul enunciarentur, formalem contradictionem efficerent, quam non causant in Deo, quia non prædicantur de illo secundum idem, creatis verò formalitatibus inter se identificatis, nec etiam prædicata contradictoria conuenire possunt, non quia idem sint formaliter prædicata contradictoria, & propositiones contradictoriæ, sed tantùm propter rationes adductas suprà cap. 2. num. 11.

DISPVTATIO XV.

De essentia, siue ratione formali intellectionis.

SEPTEM capita continebit. In primo, status quæstionis aperitur, & intellectionem non consistere in sola actione monstratur. In secundo, intellectio formaliter non consistit in qualitate, & actione à qualitate distincta. In tertio, intellectio formaliter non consistit in qualitate, & actione cum ipsa identificata. In quarto, ratio formalis intellectionis in sola qualitate saluatur. In quinto, argumenta aduersantia diluuntur. In sexto, an intellectio possit à solo Deo independenter ab intellectu produci? In septimo, an in qualibet intellectione sit verbum, & ab ipsa realiter dissideat?

CAPVT I.

Status quæstionis aperitur, & intellectionem non consistere in sola actione monstratur.

IN hac controuersia inquirimus, in quonam ratio, & essentia intellectionis formaliter sita sit. Quæ quidem quæstio posset esse communis omni cognitioni, & appetitioni, tam spirituali, quam sensitiuæ: sed in præsenti de sola intellectione agitatur; eius tamen resolutio cæteris actibus intentionalibus, seruata proportione applicanda est.

Suppono primo, cum intellectus creatus actu intelligit, aliquid in ipso fieri, per quod formaliter intelligat. Probatur: intellectus creatus non intelligit per se ipsum, sicut diuinus, alias omnia actu, & necessariò cognosceret, quæ potest cognoscere, sicut intellectus Dei intelligit omnia acta, & necessariò, quæ potest intelligere, quia intelligit per se ipsum; ergo intellectus creatus intelligit formaliter, per aliquod à se distinctum; sed non per aliquid increatum, vt per se constat: ergo per aliquod creatum, quod in ipso fiat; ergo cum intellectus creatus actu intelligit, aliquid in ipso fit, per quod formaliter intelligat. 1

Suppono secundo, cum intellectus creatus actu intelligit, necessariò in ipso dari aliquam actionem physicam. Probatur clarè: implicat aliquid fieri sine actione, sicut nec vniri sine vnione, nec cognosci sine cognitione, nec referri sine relatione; sed cum intellectus actu intelligit, aliquid in ipso fit, vt ostendi num. 1. ergo cum creatus intellectus actu intelligit, necesse est dari in ipso aliquam actionem. Confirmo: implicat dari effectum formalem alicuius formæ, & non dari ipsam formam; sed quando noster intellectus actu intelligit, datur effectus formalis actionis, nam 2

nam tunc aliquid agitur, vt monstraui, ac proinde aliquod formaliter est agens, & aliquod formaliter est actum, qui est effectus formalis actionis; ergo tunc datur necessariò actio.

3 Suppono tertiò, cum intellectus creatus actu intelligit, dari necessariò aliquam qualitatem, seu accidens, vel aliud quidpiam, quod sit terminus actionis. Probatur apertè: implicat dari actionem physicam sine termino, qui per illam fiat, sed cum intellectus creatus actu intelligit, datur necessariò aliqua actio physica, vt ostendi n. 2. ergo datur etiam necessariò aliqua qualitas, vel aliquid, quod sit terminus talis actionis. Probatur maior: actio physica est fieri rei; sed implicat esse fieri rei, sine re, ac termino qui fiat, sicut esse non potest cognosci sine obiecto, quod cognoscatur, nec vniri sine termino, qui vniatur, nec referri, aut respici sine termino, qui respiciatur; ergo non potest esse actio Physica sine termino, qui per ipsam fiat. Confirmo: actio illa est quid productum, & factum ab agente, scilicet ab intellectu; ergo vel fit, *vt quod*, vel fit tantùm *vt quo*: sed non fit *vt quod*, alias non esset actio, sed terminus, cuius proprium est fieri, *vt quod*; ergo talis actio fit ab intellectu *vt quo*: atqui fieri *vt quo* est fieri vt rationem formalem, qua aliud *vt quod* tanquam terminus ab eodem agente fiat; ergo quando intellectus noster actu intelligit, & est ibi aliqua actio, datur necessariò aliqua qualitas, quæ *vt quod* per ipsam actionem fiat, & sit terminus illius.

4 His ergo positis clarè constat cum intellectus creatus actu intelligit, dari in ipso actionem, & qualitatem, quæ per illam actionem fiat; controuersia est, in quanam ex illis ratio, & essentia intellectionis formaliter sita sit; an in sola actione; an in sola qualitate; an in actione simul, & qualitate? in hac re diuersa sunt Philosophorum placita, quæ modo afferemus, ac refellemus, vt nostram postea sententiam proferamus.

5 Multi tenent rationem formalem intellectionis in sola actione consistere, sed ab illis diuersimodè explicatur. Primus modus illam sententiam explicandi est actionem intellectus nullum habere terminum, qui per ipsam fiat, licèt verè, & propriè actio sit, & hanc actionem intellectus sine termino esse formaliter intellectionem. Eam docere videtur D. Thom. opusc. 47. cap. 7. 1. part. quæst. 18. art. 1. & in 1. dist. 8. art. 4. Caiet. 1. p. q. 79. art. 2. & quæst 34. art. 1. ad 2. Capreolus in 1. dist. 35. quæst. 1. art. 3. & in 2. dist. 1. quæst. 2. art. 3. ad 2. Aureoli, Ferrara 2. contra gentes, cap. 9. & cap. 82. & in 2. de anima quæst. 22. Herueus quodlibeto 2. q. 8. Nazarius 1. p. quæst. 27. art. 1. Gregor. Martinez 1. 2. quæst. 3. art. 2. dub. 3. Soncinas 5. metaph. q. 36. & 9. metaph. q. 21. Iauellus ibidem, Araujo 5. metaph. q. 6. art. 3. Complut. disp. 21. de anima q. 1. Ioan à S. Thoma quæst. 11. de anima art. 1. concluſ. 2. vbi docet intellectionem esse actionem de genere qualitatis. Secundus modus eandem sententiam explicandi est per actionem intellectus produci terminum, scilicet qualitatem aliquam, quæ sit formalis imago, ac repræsentatio obiecti, intellectionem verò non in qualitate, sed in sola actione formaliter sitam esse. Ita P. Molina 1. 2. q. 12. art. 4. disp. 1. Conimbr. 3. de anima cap. 8. quæst. 3. art. 3. & 4. Bañez 1. part. q. quæst. 27. art. 1. in 2. parte artic. 1. post conclusionem septimam, Gaspar Hurtado 1. 2. disp. 9. Cumel. 1. part. quæst. 27. art. 1. 1. Nazarius, Franciscus Alphonsus disp. 13. de anima sect. 3. & alij plures

6 Hæc quidem sententia quoad primum modum, qui intellectionem in actione physica sine termino constituit, mihi semper improbabilis visa est, sicque efficaciter impugnatur: implicat omnino dari veram actionem Physicam sine termino vt suprà numero 3. monstratum est, sed actio, quæ datur, quando noster intellectus actu intelligit, est vera, & Physica actio, vt num. 2. ostendi; & ipsi contrarij admittunt; ergo implicat actionem illam, quæ datur, quando intellectus actu intelligit, esse sine termino; atqui intellectio non potest formaliter consistere in alia actione, nisi in illa, quæ datur, quando noster intellectus actu intelligit, ergo intellectio non consistit formaliter in actione aliqua sine termino. Deinde, si intellectio vt sic formaliter est vera actio; ergo intelligere formaliter est agere, & intelligi formaliter erit agi. Probatur: quia cognitio beatifica est formaliter visio intuitiua, & cognoscere beatificè est formaliter videre intuitiuè, & cognosci beatificè est formaliter intuitiuè videri; ergo si intellectio vt sic formaliter est vera actio, intelligere, formaliter erit verè agere, & intelligi formaliter erit verè agi; atqui intelligere formaliter non est verè agere, nec intelligi formaliter est verè agi, alioquin cum ego intelligo Deum, agerem verè Deum, & Deus ageretur à me, quod plusquam absurdum est; ergo intellectio formaliter non est vera actio. Tam dissona est hæc sententia, vt non credam in hoc sensu à prædictis auctoribus defensari, sed in alio non improbabili, quem cap. 3. subiiciam.

Porrò autem eandem sententiam, quoad secundum modum eam explicandi, qui intellectionem in sola actione, qua producitur qualitas, ac imago obiecti, formaliter constituit, sic refello: obiectum denominat immediatè cognitum à cognitione, sed non denominatur immediatè ab illa actione productiua qualitatis; ergo cognitio non consistit formaliter in illa actione. Consequentia est euidens. Maior probatur: obiectum eo modo à cognitione denominatur cognitum, qua intellectus à tali cognitione denominatur cognoscens illud; sed intellectus denominatur à cognitione immediatè cognoscens illud; ergo obiectum à cognitione denominatur immediatè cognitum. Minorem etiam primi syllogismi sic monstro: actio non denominat immediatè, nisi id, quod immediatè respicit; sed actio illa intellectus non respicit immediatè obiectum, solùm enim respicit immediatè principium vitale, à quo oritur, & in quo recipitur, & terminum, scilicet qualitatem, quam agit; obiectum autem cognitum, nec est principium vitale actiuum, aut passiuum talis actionis, nec terminus, qui fiat per illam; ac proinde non respicitur immediatè per talem actionem; ergo tale obiectum non denominatur immediatè à tali actione. Confirmo: cognitio per se ipsam mouet, & excitat voluntatem ad amorem obiecti cogniti; sed actio, ac productio qualitatis non mouet, aut excitat voluntatem ad amorem obiecti cogniti, sed potiùs ipsa qualitas, quæ est imago, ac repræsentatio obiecti; ergo cognitio non consistit, formaliter in sola illa actione, sed in qualitate. Minor probatur: voluntas mouetur, & excitatur ad amorem obiecti boni per repræsentationem, ac manifestationem illius; sed non actio, sed sola qualitas repræsentat, ac manifestat obiectum bonum, hæc enim, & non illa est formalis imago, & repræsentatio obiecti, vt contrarij admittunt; ergo non actio illa, sed potiùs qualitas mouet, & excitat voluntatem ad amorem obiecti boni. Vrgeo: intellectio creata conuenit in ratione intellectionis, cum intellectione Dei, nam ratio intellectionis vt sic est communis intellectioni creatæ, & increatæ; sed intellectio Dei est formaliter repræsentatio, & imago intentionalis obiecti; ergo etiam intellectio creata est formaliter repræsentatio, & imago obiecti intentionalis; atqui sola actio non est repræsentatio, ac imago formalis obiecti, sed productio qualitatis, quæ formaliter est talis obiecti imago; ergo intellectio creata non consistit in sola actione, sed potiùs in qualitate. 7

CAPVT II.

Intellectio formaliter non consistit in qualitate, & actione à qualitate distincta.

8 NOnnulli arbitrantur intellectionem formaliter sitam esse in quodam complexo ex qualitate, & actione ab ipsa qualitate distincta, nam qualitas illa est formalis imago, ac repræsentatio intentionalis obiecti, & actio, qua fit, est motus ab intrinseco vitalis, quæ duo complent formaliter, & in recto intellectionis essentiam. Ita Capreolus in 1. distinct. 35. quæst. 1. ad argumenta Ripæ contra primam concluſ. & in 4. distinct. 47. quæst. 4. art. 3. Medina 1. 2. quæst. 3. art. 3. Scotus in 4. dist. 41. quæst. 2. art. 3. Suarez in primam partem disp. 24. sect. 2. concluſ. 3. Molina 1. p. quæst. 12. art. 2. disp. 1. Lessius, P. Hurtado disputatione 6. de anima sect. 1. num. 4. quibus alij recentiores non indocti suffragantur.

9 Hæc tamen sententia impugnatur primò, obiectum denominatur immediatè cognitum à cognitione, vt suprà ostendi num. 7. sed non denominatur immediatè ab actione, qua producitur qualitas, ergo intellectio formaliter non consistit vllo modo in tali actione. Consequentia est euidens cum maiori. Minor autem sic probatur: obiectum non potest denominari immediatè, nisi tantùm ab eo, quod respicit immediatè tale obiectum, nam sicut subiectum intrinsecè denominari est intrinsecè affici, & eo modo mediatè scilicet, vel immediatè denominatur, quo afficitur; ita obiectum extrinsecè denominari est respici, & eo modo, mediatè videlicet, vel immediatè denominatur, quo respicitur: sed actio non respicit immediatè obiectum, vt monstraui eo n. 7. ergo obiectum non denominatur immediatè à tali actione.

10 Dicat autem quis, sicut actio, ac productio imaginis facit obiectum imaginatum; ita actio, & productio illius qualitatis facit obiectum cognitum, ac repræsentatum, atque ita non solùm à qualitate, sed etiam ab actione obiectum denominatur cognitum; & idcirco actio etiam cum qualitate constituit essentiam cognitionis. Sed contrà, sicut actio, & productio imaginis externæ facit, ac denominat obiectum imaginatum; ita actio, & productio imaginis, ac qualitatis internæ denominat obiectum cognitum, ac repræsentatum, vt tu asseris; sed actio, ac productio imaginis externæ non denominat formaliter obiectum imaginatum, sed tantùm causaliter, scilicet quatenus præcisè causat imaginem externam, à qua sola formaliter denominatur obiectum repræsentatum; sicut productio albedinis in subiecto solùm causaliter denominat subiectum album, quatenus causat albedinem, à qua tantùm formaliter subiectum album denominatur; ergo actio, & productio illius imaginis, & qualitatis internæ, non formaliter, sed tantùm causaliter denominat obiectum cognitum, ac repræsentatum, quatenus scilicet causat qualitatem, ac repræsentationem internam, à qua tantùm formaliter obiectum repræsentatum, & cognitum denominatur: atqui cognitio est id, à quo formaliter obiectum cognitum denominatur; ergo cognitio est sola qualitas formaliter, & non actio; imò argumentum suprà factum de extrinseca, & immediata denominatione cognitionis suprà obiectum manet in sua vi.

11 Impugnatur secundò principaliter: intellectio vt sic formaliter est formalis imago, ac repræsentatio intellectualis obiecti; sed illa qualitas ab intellectu producta secundum se præcisè est formalis imago, ac repræsentatio intellectualis obiecti; ergo illa qualitas secundum se præcisè est intellectio; ac proinde intellectio non includit formaliter actionem. Minor probatur. Ac primum talem qualitatem esse formalem obiecti repræsentationem, sic probo: formalis obiecti repræsentatio est illa, quæ habet in esse intentionali, & repræsentatiuo, quod obiectum habet in esse reali; sed illa qualitas habet in esse repræsentatiuo, & intentionali totum id, quod obiectum habet in esse reali, vt concedunt aduersarij, aliàs nullus erit effectus formalis illius; ergo illa qualitas est formalis imago, ac repræsentatio obiecti. Esse autem secundum se repræsentationem intellectualem apertè liquet ex eo, quod petit per se esse naturaliter in intellectu, & ipsum formaliter denominare.

12 Dicat quispiam, intellectionem formaliter esse formalem obiecti repræsentationem vitalem; qualitas autem illa secundum se præcisè sine actione, licèt sit formalis obiecti repræsentatio, non est vitalis, hoc enim aduenit ab actione, & ideo qualitatem secundum se præcisè sine actione non esse intellectionem formaliter. Sed contrà: qualitas illa eodem modo repræsentat obiectum posita actione, qua ab intellectu oriatur, ac secundum se solùm tali actione præcisa, atqui talis qualitas posita actione, qua oriatur ab intellectu, est repræsentatio vitalis obiecti, vt aduersarij concedunt; ergo etiam ipsa qualitas secundum se tali actione præcisa erit vitalis obiecti repræsentatio; ergo sola illa præcisa actione erit intellectio. Vtraque consequentia est euidens cum minori. Maior autem sic ostenditur: qualitas illa per actionem, qua oritur ab intellectu, cum ab ea ex natura rei distinguatur, non immutatur in ratione essentiæ; sed talis qualitas solùm secundum suam entitatem, & essentiam est repræsentatio obiecti; ergo qualitas illa per eam actionem, qua ab intellectu oritur non immutatur in ratione repræsentationis; ergo talis qualitas eodem modo repræsentat obiectum, posita actione, qua ab intellectu oriatur, ac secundum se tantùm tali actione præcisa. Vrgeo efficaciter: qualitas illa quatenus formalis imago, ac repræsentatio obiecti non includit actualiter actionem, sed præscindit ab actione, vt fateris; sed quatenus formalis imago, ac repræsentatio intellectualis obiecti, est vitalis; ergo qualitas illa præcisa actione est formalis obiecti imago, ac repræsentatio vitalis; ac proinde præcisa actione est vera intellectio, ad cuius formalem rationem non amplius desideratur, nisi quod sit vitalis imago, ac repræsentatio obiecti: tenet discursus: minor in qua sola est difficultas, monstrabitur cap. 4.

13 Impugnatur tertiò principaliter: cognitio mouet, & excitat voluntatem ad amorem obiecti boni, vt apud omnes est in confesso: atqui non actio physica, sed sola qualitas mouet, & excitat voluntatem ad amorem obiecti boni; ergo non actio, sed sola qualitas est formaliter cognitio, seu intellectio. Minor probatur: id mouet, & excitat formaliter voluntatem ad amandum bonum, quod ei formaliter declarat, ac repræsentat tale bonum, nam vt communiter dicitur, ipsa voluntas est cæca, & eget alieno ductu; sed non actio, sed sola qualitas per seipsam formaliter declarat, ac repræsentat voluntati obiectum bonum, sola enim qualitas, & non actio, est clara imago, ac repræsentatio obiecti, vt ipsi aduersarij fatentur: ergo non actio, sed sola qualitas mouet, & excitat voluntatem ad amorem obiecti boni.

14 Dicat aliquis, voluntatem non moueri, & excitari ad amandum bonum, nisi ei vitaliter repræsentetur: cum ergo per solam qualitatem tale obiectum non repræsentetur vitaliter voluntati, sed per qualitatem, & actionem: ideo voluntatem non moueri ad amorem boni à sola qualitate, sed à qualitate, & actione. Sed contrà: voluntas, quando eodem modo repræ

repræsentatur ei aliquod bonum, eodem modo mouetur ad amandum illud; nam eatenus mouetur ad talem amorem boni, quatenus ei tale bonum repræsentatur: sed qualitas eodem modo repræsentat bonum voluntati posita actione intellectus, ac non posita: quia per talem actionem qualitas non immutatur in sua essentia; & tantùm per suam essentiam bonum repræsentat, vt ostendi numero 12. ergo voluntas eodem modo mouetur ad amandum bonum ab illa qualitate, ac repræsentatione obiecti posita actione intellectus, ac non posita: atqui posita actione qualitas absolutè, ac simpliciter excitat voluntatem ad amorem boni; ergo etiam non posita tali actione qualitas sola excitabit voluntatem ad amandum tale bonum; ac proinde sola illa erit intellectio. Deinde illa qualitas secundum se præcisa actione est repræsentatio, etiam vitalis obiecti, vt clarè ostendam capite 4. quo redit tota vis argumenti.

CAPVT III.

Intellectio formaliter non consistit in qualitate, & actione cum ipsa identificata.

15 OPinantur alij actionem, qua ab intellectu fit qualitas illa, quæ est formalis imago, ac repræsentatio intentionalis obiecti, non esse, nec realiter, nec ex natura rei distinctam à tali qualitate, sed potiùs identificatam cum ipsa, & in hac qualitate, quæ indiuisibiliter est actio, & qualitas intellectus, motus, scilicet vitalis, & repræsentatio formalis obiecti, rationem formalem intellectionis constituere. Ita Suarez lib. 1. de Trinitate, capite 6. numero 5. & libro 3. de anima cap. c. 5. numero Vasquez 1. part. disp. 38. cap. 2. & disputatione 141. cap. 4. quæstione 3. & 1. 2. disputatione 9. cap. 6. Ruuio libro 3. de anima cap. 5. Scotus, qui sentit verbum mentis non esse aliud, quam actum intelligendi in facto esse, vt colligitur ex 1. distinctione 3. quæstione 8. & quæstione 6. §. ad argumenta opinionum. Addit tamen in 1. distinctione 27. quæstione 1. & 2. quod dicere, & intelligere sunt distinctæ actiones ex natura rei. Vbi Suarez suprà inconsquentiæ notat Scotum, ex eo, quia si Verbum, & actus intelligendi sunt idem, ergo & dicere, & intelligere, per eum enim actum, per quem producitur Verbum, producitur etiam, & actus intelligendi, ergo se eadem actio est Verbum mentis, & actus intelligendi, etiam erit eadem actio, dicere, & intelligere, cum habeat eumdem terminum, nouissimè Petrus Ouiedo de anima lib. 3. controuers. 6. part. 1. numero 29. ita etiam plures alij recentiores ingenioſi, quibus fauent Conimbricenses hic lib. 3. cap. 8. quæstione 4. artic. 2. asserentes intellectionem consistere in actione, quæ ab ipsa qualitate, seu termino à parte rei non distinguitur. Probant Complutens. disputatione 21. de anima quæstione 2. numero 21. & sequentibus, tum auctoritate, tum ratione, quibus adde hanc; quia actus vitalis, seu qualitas illa petit procedere à principio, in quo recipitur, seu à principio vitali, ergo est determinata ad talem causam, ergo non est indifferens ad plures, ergo non indiget actione distincta cum hæc nulla alia ratione requiratur, nisi vt effectum ex se indifferentem ad dependendum à variis causis determinet, sicque qualitas illa erit sua actio.

16 Hæc tamen sententia impugnatur primò, intellectio consistit formaliter, & adæquatè in illa qualitate, quæ est formalis imago, ac repræsentatio obiecti, vt hi recentiores fatentur; sed actio intellectus, qua talis qualitas fit, reipsa distinguitur ab illa qualitate, ergo intellectio formaliter consistit in sola qualitate, & non in actione. Minor probatur: actio, & productio realis alicuius rei est relatio realis ad talem rem; ergo actio, & productio realis illius qualitatis, est relatio realis ad talem qualitatem; sed relatio realis semper est ad terminum reipsa distinctum, ideo enim Paternitas in diuinis reipsa distinguitur à filio, quia est relatio realis ad illum, vt Patres, atque Theologi dicunt; ergo actio, & productio qualitatis est ad illam vt ad terminum reipsa distinctum; ac proinde reipsa distinguitur ab illa qualitate.

Dicat autem quispiam primò, relationem realem 17
esse necessariò ad terminum distinctum reipsa à relato, scilicet ab eo; quod refertur; non verò ad terminum reipsa distinctum ab ipsa relatione. Vnde cum relatio paternitatis constituat ipsum relatum, scilicet patrem, qui *vt quod* refertur ad filium, ideo talis paternitas diuina realiter distinguitur ab ipso filio; cum verò relatio realis actionis ad qualitatem non constituat essentialiter relatum, scilicet intellectum, qui *vt quod* refertur ad qualitatem, ideo non debet reipsa à tali qualitate distingui, sed rectè potest identificari cum illa. Sed contrà: Paternitas diuina est distincta realiter à filio, vel quia constituit Patrem, qui vt quod refertur ad filium, vel quia ipsa est relatio realis ad ipsum filium; sed non ideo est realiter à filio distincta, quia constituat Patrem, qui *vt quod* refertur ad filium; ergo ideo præcisè à filio distinguitur, quia ipsa Paternitas est relatio realis ad filium; igitur relatio realis semper est ad terminum reuera ab illa distinctum. Tenet discursus. Minor in qua est difficultas, sic monstratur: essentia diuina etiam constituit essentialiter Patrem, qui *vt quod* refertur ad filium; & tamen talis essentia non distinguitur realiter à filio, vt fides docet; ergo Paternitas non ideo distinguitur realiter à filio, quia constituit Patrem, qui *vt quod* refertur ad ipsum filium. Nec valet dicere essentiam diuinam non constituere notionaliter, ac relatiuè Patrem diuinum, sicut eum constituit Paternitas; & ideo non essentiam diuinam, sed solùm paternitatem distingui realiter à filio. Non (inquam) valet, quia Paternitatem constituere notionaliter, & relatiuè Patrem, supra hoc, quod est constituere Patrem vt præcisè, quod etiam conuenit essentiæ diuinæ, solùm addit esse realem relationem, qua Pater realiter refertur ad filium; ergo si Paternitas distinguitur realiter à filio, non quia constituit Patrem vt sic præcisè, sed quia Patrem constituit notionaliter, ac relatiuè: idem est formaliter, accidere, ideo Paternitatem distingui realiter à filio, quia est relatio realis Patris ad ipsum filium; ergo relatio realis debet necessariò esse ad terminum reipsa ab illa distinctum. Consule dicta in Log. disp. 17. n. 19. & 20.

Dicat secundò: actionem, ac productionem rea- 18
lem alicuius rei esse relationem realem ad ipsam rem, quando ab illa reipsa distinguitur, secus si ab illa non dissidet: vnde cum actio, ac productio illius qualitatis intellectualis ab ipsa qualitate reipsa non distinguatur, ideo talis actio non est relatio realis ad illam qualitatem; quo tota argumenti vis corruit. Sed contrà: realis productio alicuius rei vt sic formaliter est relatio realis ad talem rem; sed actio, qua fit ab intellectu illa qualitas, est realis productio illius qualitatis: ergo talis actio est necessariò relatio realis ad ipsam qualitatem. Tenet consequentia cum minori. Maior autem sic probatur: generatio diuina, qua pater generat filium, ideo est relatio realis ad filium, quia est productio realis ipsius filij; sed si productio realis alicuius rei vt sic formaliter non esset relatio realis ad ipsam rem, generatio diuina non bene diceretur esse relatio realis ad filium, quia est productio realis filij; sicut quia animal vt sic formaliter non est risibile, non bene di-

ceretur, Petrus esse risibilis, quia est animal; ergo realis productio alicuius rei vt sic formaliter est relatio realis ad ipsam rem.

Dices, generationem diuinam esse relationem ad filium, non præcisè, quia est realis productio filij, sed quia est productio realis filij, & distinguitur etiam realiter ab ipso filio. Sed contrà: generatio diuina ideo distinguitur realiter à filio, quia est relatio realis ad ipsum filium, & ideo est relatio realis ad ipsum filium, quia est realis productio talis filij; ergo loquendo quasi à priori generatio diuina non ideo est relatio ad filium, quia distinguitur ab ipso filio, sed potius, quia est generatio, ac productio realis filij, est necessariò relatio realis ad filium, & distincta realiter ab ipso filio; ergo generatio, ac productio realis rei, vt sic est necessariò relatio realis ad talem rem, & distincta reipsa à tali re; ergo realis actio, ac productio illius qualitatis est necessariò relatio realis ad illam, ac reipsa distincta à tali qualitate.

19 Impugnatur secundò principaliter, formalis imago, ac repræsentatio intentionalis obiecti, vt sic formaliter est intellectio; sed qualitas illa, quæ ab intellectu fit, sumpta secundum se, præcisa saltem per rationem ab actione, est formalis imago, ac repræsentatio intentionalis obiecti; ergo qualitas illa vt præcisa ab actione est formaliter intellectio; igitur intellectio non includit formaliter actionem. Vtraque consequentia tenet. Maior admittitur ab aduersariis. Minorem autem sic probo: iuxta aduersariorum sententiam quando vna res est similis, & dissimilis alteri, potest in illa per rationem præscindi ratio aliqua, in qua cum altera re conueniat, ab alia ratione, in qua differat ab illa; sed qualitas illa, quæ est intellectio creata, est similis intellectioni diuinæ in ratione formalis imaginis, ac repræsentationis obiecti, & est dissimilis illi in ratione actionis; ergo in tali qualitate creata potest per rationem præscindi ratio formalis imaginis, ac repræsentationis obiecti, in qua conueniat cum intellectione diuina, à ratione actionis, in qua differat ab illa; ergo talis qualitas creata secundum illam rationem præcisam formaliter ab actione, est formalis imago, ac repræsentatio obiecti; ac proinde præcisa actione est formaliter intellectio.

20 Dicat aliquis primò, qualitatem illam secundum formalem rationem imaginis, ac repræsentationis obiecti præcisam à creata, & increata, præscindere etiam ab actione, & ideo rationem formalem intellectionis præcisam à creata, & increata etiam ab actione præscindere: prædictam verò qualitatem secundum formalem rationem imaginis, ac repræsentationis obiecti creatam non præscindere ab actione, sed illam essentialiter includere; & ideo rationem formalem intellectionis creatæ non abstrahere ab actione, sed includere formaliter, & essentialiter ipsam actionem. Sed contrà: ratio formalis imaginis, ac repræsentationis vt sic præcisa à creata, & increata, non includit formaliter actionem intellectus; ergo ratio etiam formalis imaginis, ac repræsentationis creatæ vt sic formaliter præscindit ab actione intellectus; ergo etiam ratio formalis intellectionis creatæ ab actione intellectus præscindit. Primam consequentiam in qua est difficultas, sic probo: ratio formalis imaginis, ac repræsentationis creatæ suprà rationem formalem repræsentationis vt sic præcisè solùm addit differentiam, ac formalitatem creati; sed differentia, ac formalitas creati; vt sic formaliter præscindit ab actione intellectus, nam in lapide concipitur differentia, & formalitas creati non concepta tali actione; ergo si ratio formalis imaginis, ac repræsentationis vt sic præcisa à creata, & increata, præscindit ab omni actione intellectus, etiam ratio formalis imaginis, ac repræsentationis creatæ vt sic præcisè, præscindet à tali actione.

Dicat secundò, licèt formalitas creati, vt sic præscindat ab actione intellectus, tamen formalitatem creati coniunctam cum ratione formalis imaginis, ac repræsentationis intentionalis obiecti, claudere essentialiter, ac formaliter ipsam actionem, nam talis differentia creati coniuncta cum illa formali repræsentatione obiecti constituit formaliter actum quemdam intentionalem creatum, per quem intellectus vitaliter, hoc est, ab intrinseco se moueat; & agat intentionaliter; non potest autem intellectus per talem actum, ac repræsentationem intentionalem agere, aut se mouere intentionaliter ab intrinseco, nisi, vel talis actus, ac repræsentatio sit actu (sicut in Deo) cum ipso intellectu identificata, quod tali repræsentationi repugnat, cum creata sit; vel talis actus, ac repræsentatio includat veram aliquam actionem intellectus, quod non repugnat, sed ei mirificè quadrat; ac proinde differentia, ac formalitas creati vt constituit actum illum, ac repræsentationem formalem intentionalem obiecti, non præscindit, sed formaliter includit intellectus actionem. Sed contrà: formalis obiecti imago, ac repræsentatio intentionalis creata vt sic formaliter, ac præcisè solùm est actus quidam intentionalis creatus per quem intellectus vitaliter, hoc est, ab intrinseco se moueat, & agat intentionaliter, vt tu dicis; sed potest concipi actus intentionalis creatus, per quem intellectus vitaliter, id est, ab intrinseco se moueat, & agat intentionaliter, præcisa vera intellectus actione, vt clarè ostendam cap. 4. ergo potest concipi formalis obiecti imago, ac repræsentatio intentionalis creata vt sic formaliter præcisa omni intellectus actione; ergo etiam tali actione intellectus præcisa, datur formaliter intellectio. 21

Impugnatur tertiò principaliter: eadem omnino est ratio in volitione, ac in intellectione, vt aduersarij fatentur; sed actio qua producitur volitio, non est idem cum qualitate volitionis; ergo actio, qua producitur intellectio, non est idem cum qualitate intellectionis. Minor probatur; si actio, qua producitur volitio à voluntate esset idem cum qualitate volitionis, Deus prædeterminaret physicè voluntatem ad volitionem; sed Deus non prædeterminat physicè voluntatem ad volitionem, vt monstraui in Physicis disputatione 16. capite 1. & 2. ergo actio, qua à voluntate producitur volitio, non est idem cum qualitate volitionis. Maior probatur: si actio Dei ageret actionem voluntatis, qua ipsa elicit suam volitionem, Deus prædeterminaret physicè voluntatem ad volitionem, nam actio illa Dei esset aliquid physicè præuium prioritate originis, ad actionem voluntatis, quo posito non posset non sequi actio voluntatis, qua efficeret suam volitionem, in quo formalis ratio prædeterminationis consistit, sed si actio voluntatis esset idem cum qualitate volitionis, actio Dei ageret physicè actionem voluntatis, quia actio Dei ageret qualitatem volitionis, cum qua identificata esset actio voluntatis, ergo in eo casu Deus prædeterminaret physicè voluntatem ad volitionem. 22

Dicat quis primò, sicut actio voluntatis est identificata cum qualitate volitionis, ita actionem Dei identificatam esse cum eadem qualitate, & ideo actionem Dei circa volitionem non causare actionem voluntatis, aut esse priorem illa, sed potius esse idemmet cum actione voluntatis, ac proinde nulla datur prædeterminatio. Sed contrà: in aduersariorum sententia omnis actio, siue eductiua, siue creatiua est

à parte rei diſtincta ab agente, & termino, præterquam actio productiua qualitatis cognitionis, vel appetitionis, hæc enim (inquiunt illi) non diſtinguitur reipſa ab illa qualitate, non alia ratione, niſi, quia qualitas iſta volitionis, verbi gratia, eſt actus intentionalis vitalis, quo voluntas actu mouetur ab intrinſeco, non poteſt autem voluntas actu moueri ab intrinſeco niſi per eius actionem; ac proinde actio voluntatis eſt realiter, & formaliter idem cum tali qualitate; atqui qualitas volitionis creatæ non eſt actus vitalis reſpectu Dei, per quem Deus actu agat, aut ſe moueat ab intrinſeco, vt per ſe conſtat; ergo nulla eſt ratio, quare actio Dei ſit realiter idem cum ipſa qualitate, ac proinde talis actio Dei circa volitionem, ſicuti reliquæ omnes actiones, reipſa ab eius termino, ſcilicet à qualitate volitionis diſtinguitur: quo redit tota argumenti vis.

24 Dicat ſecundò, qualitatem illam volitionis, cum ſit actus vitalis eſſentialiter à voluntate dependens, non poſſe creari, atque ita eſſentialiter petere, quod educatur; & cum educi non poſſit ſine Deo, petere eſſentialiter educi à Deo; ac proinde actionem eductiuam Dei eſſe eſſentialem, ac idem cum ipſa volitionis qualitate. Sed contrà: Angelus, vel materia prima non poteſt educi, atque ita petit eſſentialiter creari, & cum non poſſit creari ſine Deo, petit eſſentialiter creari à Deo; & tamen actio creatiua Dei iuxta aduerſariorum ſententiam non eſt eſſentialis Angelo, aut idem cum illo, ſed diſtincta reipſa ab illo; ergo licèt qualitas volitionis non poſſit creari, ſed petat eſſentialiter educi à Deo, actio eductiua Dei non erit eſſentialis ipſi qualitati, aut idem cum illa, ſed diſtincta reipſa ab illa. Dices Angelum, vel materiam primam poſſe creari, vel à ſolo Deo, vel à Deo, & inſtrumento creato obedientiali: atque ita poſſe eſſe diuerſas actiones creatiuas eiuſdem materiæ primæ, ſeu Angeli, & idcirco quamlibet actionem creatiuam diſtingui ab Angelo. Sed contrà: etiam qualitas volitionis poteſt educi, vel à ſolo Deo cum voluntate per auxilium extrinſecum, vel à Deo ſimul, & habitu ſupernaturali creato, Deus enim modo per ſeipſum tanquam per auxilium extrinſecum, modo per habitum etiam ſupernaturalem charitatis efficit cum voluntate actum charitatis; ergo dari poſſunt diuerſæ actiones eductiuæ Dei reſpectu eiuſdem qualitatis volitionis; ergo talis actio eductiua Dei reipſa diſtinguitur à qualitate volitionis; ſicut actio creatiua Angeli ob eandem rationem diſtinguitur ab Angelo. Dices, non poſſe eandemmet qualitatem, & actum charitatis produci, modo à ſolo Deo per auxilium extrinſecum, modo à Deo, & habitu charitatis, ſed fore diuerſos actus. Sed contrà: ergo idem etiam Angelus, vel eadem materia prima, non poterit modo creari à ſolo Deo, modo creari à Deo ſimul, & inſtrumento obedientiali, ſed erunt diuerſæ materiæ, aut diuerſi Angeli. Patet conſequentia, quia ſicut qualitas volitionis petit eſſentialiter educi à Deo, ita materia prima, ſeu Angelus petit eſſentialiter à Deo creari; ergo ſi eadem qualitas non poteſt à Deo diuerſo modo, ſed eodem modo ſemper educi propter illam eſſentialem dependentiam, etiam eadem materia, vel idem Angelus ob eandem eſſentialem dependentiam non poterit diuerſo modo, ſed eodem ſemper à Deo creari; vel ſi non obſtante illa dependentia eſſentiali Angelus idem poteſt diuerſo modo creari à Deo, ſcilicet modo à ſolo Deo, modo à Deo ſimul, & inſtrumento obedientiali; etiam non obſtante ſimili eſſentiali dependentia à concurſu Dei, eadem qualitas volitionis poterit diuerſo modo à Deo educi, ſcilicet modo à ſolo Deo cum voluntate, modo à Deo ſimul, & habitu ſupernaturali: alioquin aliquam redde, vel apparentem rationem diſparitatis.

Dicat tertiò, Angelum in ſe formaliter non in- 25
cludere aliquam actionem creatiuam, & ideo non implicare, quod fiat à Deo actione creatiua diſtincta ab illo, inde enim non ſequitur, quod detur actio actionis: qualitatem vero, ſeu actum vitalem volitionis in ſe formaliter claudere aliquam actionem eductiuam, ſcilicet actionem voluntatis, vt ſæpè dictum eſt; & ideo non poſſe fieri à Deo actione diſtincta à tali qualitate, quia daretur actio actionis, quod omnino implicat. Sed contrà: licèt non poſſit dari actio actionis in eadem ratione, ſcilicet reſpectu eiuſdem cauſæ, tamen rectè dari poteſt actio actionis in alia ratione, ſcilicet reſpectu alterius cauſæ; ſed qualitas volitionis ex eo, quod ſit actus vitalis voluntatis, ſolùm formaliter claudit actionem voluntatis, non verò actionem Dei, vt monſtraui numero 23. ergo licet ob eam rationem non poſſit fieri actione diſtincta ab eadem voluntate, poterit tamen talis qualitas fieri actione diſtincta ab altera cauſa, ſcilicet à Deo. Conſequentia eſt euidens cum minori. Maior autem ſic probatur: non magis repugnat, quod ſit actio actionis, quam quod ſit vnio vnionis, eadem enim ratio militat in vtroque; ſed non implicat dari vnionem vnionis in diuerſa ratione, vnio enim qua materia, & forma vniuntur inter ſe in humanitate Chriſti per aliam diſtinctam vnionem, ſcilicet per vnionem hypoſtaticam vnitur cum Verbo; ergo non repugnat, quod detur actio actionis in diuerſa ratione, ſcilicet quod actio identificata cum qualitate, per quam ipſa qualitas volitionis fit à voluntate, per aliam diſtinctam actionem fiat à Deo. Hanc ſententiam tam acriter impugnaui, quia hic philoſophandi modus mihi magnopere diſplicet. Et ad rationem in contrarium dico; actum vitalem, qui nunc procedit à ſola potentia, poſſe conſeruari à potentia ſimul, & habitu; vel ſimiliter actum vitalem primo productum ab auxilio extrinſeco poſſe poſtea conſeruari ab habitu charitatis, & conſequenter ſufficientem indifferentiam habere, vt ab hoc, vel ab illo principio procedat, vt calor productus ab hoc agente, poteſt à Deo, vel ab alio agente conſeruari, at non pendet ſe ipſa à ſuis cauſis, ergo media actione, realiter, vel formaliter à termino diſtincta.

CAPVT IV.

Ratio formalis intellectionis in ſola qualitate ſaluatur.

DIuerſa aliorum placita confutauimus; iam operepretium eſt, vt meam in hac re ſententiam proferam, & quid ſit veroſimilius, aperiam.

ASSERTIO ſit. Ratio formalis intellectionis, in ſola qualitate præciſa actione conſiſtit, ita Scotus in 1. diſtinct. 27. quæſt. 3. in ſolutione ad 3. & in 4. diſtinct. 49. quæſt. 2. §. ad argumenta Caiet. 1. part. quæſt. 34. art. 1. & q. 79. art. 2. Durandus in 4. diſt. 49. quæſt. 2. Ferrara 2. contra gent. cap. 9. & 82. Capreolus in 2. diſt. 1. quæſt. 2. art. 3. Henricus quodlibeto 11. quæſt. 3. Soncinas 9. metaph. quæſt. 21. Ruuio 3. de anima cap. 5. num. 276 Ocham, Ægidius, & alij plures relati à Conimbr. hic lib. 3. cap. 8. quæſt. 3. art. 3. necnon alij permulti, qui dicunt intellectionem à ſolo Deo poſſe etiam produci, atque ita ſentiunt conſequenter non conſiſtere in actione, ſed in ſola qualitate, quos citat Vaſquez 1. 2. diſp. 9. cap. 1. & 2. & ex- 26

preſsè

presse cap.4. num.16. & 1. part. disp.141. cap.4. à num.7. P. Suarez disp.48. metaph. sect.2. & alibi sæpè, licet oppositum 3. part.disp.24. sect.2. concl.3. ex aliorum sententia asseruerit. P. Valentia 1. part. disp.6. quæst 5. punct.1. Salas 1.2. quæst.3. tract.2. disp.2.sect.4. qui in numero de more, Arriaga disp.6. de anima sect.2. num.37. Carleton disp.22. de anima sect.3. Complut. disp.21. de anima quæst.3. Ioan. à S.Thoma quæst.11. de anima artic.1. & recentiores communiter; & quod caput est, hæc est expressa sententia D. Thomæ multis in locis, & præcipuè 1.part. quæst.34. art.1. ad 3. vbi sic ait; *nam intelligere importat solam habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua nullaratio originis importatur, sed solùm informatio quædam in intellectu nostro, prout intellectus noster fit in actu per formam rei intellectæ, in Deo autem importat omnimodam identitatem*; quid clariùs, nam intellectio est origo speciei expressæ ab intellectu, per quam obiectum formaliter repræsentatur intellectui, in diuinis enim tota ratio intellectionis essentialis consistit in sola specie expressa absque vlla actione, cum omnimodam importet identitatem, qua diuinitas cognoscit seipsam; ergo sicut in diuinis ex eo, quod obiectum repræsentetur Deo, per speciem expressam dicitur Deus intelligere, ita in creatis ex eo, quod obiectum repræsentetur formaliter intellectui per speciem expressam, dicitur intellectus intelligere ipsum obiectum; ergo sicut in diuinis intellectio consistit in sola qualitate, ita, & in creatis.

27 Hæc assertio probatur apertè ex dictis: nam ratio formalis intellectionis, vel consistit formaliter in sola actione, vel in qualitate, & actione, vel in sola qualitate, nec aliud est assignabile, in quo formaliter talis intellectio consistat: atqui intellectio non consistit formaliter in sola actione, vt probaui cap.1. nec in qualitate, & actione simul, vt monstraui cap.2. & 3. ergo consistit formaliter in sola qualitate. Confirmatur: intellectio vt sic formaliter est illa forma, à qua obiectum extrinsecè, & immediatè denominatur cognitum, nihil enim mediat inter cognitionem, & obiectum, à quo ipsum cognitum denominetur; sed obiectum nullo modo denominatur immediatè etiam extrinsecè ab actione productiua qualitatis, sed tantùm ab ipsa qualitate, actio enim illa nulla ratione respicit immediatè obiectum, vt ostendi suprà num.7. qualitas verò cum sit immediata imago, ac repræsentatio formalis obiecti, respicit formaliter, & immediatè ipsum obiectum: ergo non actio, sed sola qualitas est intellectio formaliter.

28 Porrò autem eandem sententiam ratione à priori sic monstro: intellectio vt sic formaliter solùm est formalis obiecti imago, ac intentionalis repræsentatio vitalis vitalitate saltem intentionali, hæc enim sola resplendet in intellectione diuina; sed qualitas intellectionis secundum se præcisè secluſa omni actione est formalis obiecti imago, ac intentionalis repræsentatio vitalis vitalitate intentionali; ergo talis qualitas secundum se præcisè secluſa actione est intellectio formaliter. Consequentia est euidens cum maiori. Minorem autem sic probo: & primum qualitatem illam secundum se præcisè esse formalem imaginem, ac repræsentationem obiecti præscindendo à vitalitate iam aduersarij ipsi admittunt, & nos probauimus suprà num.11. Deinde talem qualitatem, ac repræsentationem obiecti esse vitalem vitalitate intentionali præcisa omni actione physica intellectus, sic ostenditur: forma, seu actus vitalis vitalitate intentionali est ratio illa, per quam intellectus, v. g. agit ab intrinseco intentionaliter; sicut forma, seu actio vitalis vitalitate physica est illa ratio, per quam aliquid agit ab intrinseco physicè; sed illa qualitas, ac repræsentatio obiecti est ratio quædam, per quam intellectus agit ab intrinseco intentionaliter, secluſa quauis actione physica intellectus; ergo talis qualitas, ac repræsentatio obiecti, secluſa prædicta actione secundum se præcisè est actus vitalis vitalitate intentionali. Probo minorem: intellectum, v. g. agere per aliquam rationem, seu formam intentionaliter ab intrinseco, est ita per talem rationem intentionaliter agere, vt agens aliud extrinsecum non valeat agere intentionaliter per illam; sed intellectus per illam qualitatem, ac repræsentationem obiecti, secluſa quauis actione, ita agit intentionaliter, vt aliud extrinsecum agens non valeat agere intentionaliter per illam; ergo intellectus per illam qualitatem, ac repræsentationem obiecti, secluſa actione physica agit intentionaliter ab intrinseco. Tenet euidenter consequentia. Maior probatur: quia id præcisè requiritur in genere intentionali, vt aliquid agat ab intrinseco intentionaliter, quod requiritur in genere physico, vt aliquid agat ab intrinseco physicè: sed in genere physico principium aliquod agit ab intrinseco physicè per eam rationem, per quam ita agit physicè vt ex specie sua agens aliud extrinsecum, non possit agere physicè per illam; ergo in genere intentionali principium aliquod, v.g. intellectus agit ab intrinseco intentionaliter per eam rationem, per quam ita agit intentionaliter, vt principium aliud extrinsecum non valeat agere intentionaliter per illam. Minorem autem illam, scilicet intellectum hoc modo agere intentionaliter per illam qualitatem, ac repræsentationem obiecti secundum se præcisè sumptam, sic monstro: agere intentionaliter, seu (vt alij vocant) grammaticaliter est formaliter exprimere, ac repræsentare intentionaliter obiectum, & ideo Deus per suam diuinam cognitionem intentionaliter, seu grammaticaliter agit, quia intentionaliter obiecta repræsentat; atqui intellectus per illam qualitatem, ac repræsentationem intentionalem obiecti, secluſa physica actione, ita obiectum intentionaliter exprimit, ac repræsentat, vt principium aliud extrinsecum non possit per eam qualitatem, ac repræsentationem obiectum repræsentare, ac exprimere intentionaliter vt per se constat; ergo intellectus per eam qualitatem, ac repræsentationem obiecti, secluſa physica actione, ita agit intentionaliter, vt principium aliud extrinsecum non possit agere intentionaliter per illam; ergo per illam qualitatem agit intellectus intentionaliter ab intrinseco; ac proinde talis qualitas præcisè sumpta est actus vitalis vitalitate intentionali. 29

Hinc colligo primo, cum creatura actu intelligit esse in illa duplicem vitam actualem, aliam physicam, aliam intentionalem. Probatur: vita physica actualis est agere ab intrinseco physicè, id est, ita per aliquam rationem agere physicè, vt principium aliud extrinsecum non valeat agere physicè per illam ex specie sua; sed creatura quando intelligit, agit ab intrinseco physicè, id est, ita per actionem physicam agit qualitatem intellectionis, vt agens aliud extrinsecum non possit agere physicè per illam ex specie sua; ergo tunc datur in creatura intellectuali vita actualis physica. Deinde vita actualis intentionalis est agere ab intrinseco intentionaliter, hoc est, ita per aliquam rationem intentionaliter agere, vt agens aliud extrinsecum non valeat agere intentionaliter per illam; sed cum creatura actu intelligit, per qualitatem intellectionis agit intentionaliter ab intrinseco, vt nuper ostendi num.28. ergo tunc datur etiam in tali creatura vita actualis intentionalis. His autem vitis in actu secundo correspondent vita physica, & vita intentionalis in actu primo vita in actu primo: physica est principium actiuum, & passiuum, quod potest agere physicè ab intrinseco; vita verò in actu secundo intentionalis est principium illud intentionale, quod

quod potest agere ab intrinseco intentionaliter, id est, quod potest recipere qualitatem intellectionis, & cognoscere formaliter per illam. Sed obserua, quod vita actualis physica, alia est per modum viæ, & in fieri, scilicet actio physica, per quam agens se mouet physicè ab intrinseco in fieri, & per modum viæ; alia est per modum termini, & in facto esse, scilicet terminus ipse, ac qualitas producta, per quam principium physicè se mouet ab intrinseco per modum termini, & in facto esse; quibus etiam adde vitam actualem physicam in omni genere, quæ est actio ipsa immanens, & eius terminus simul. Vnde similiter vita physica in actu primo, alia est per modum viæ, scilicet principium actiuum, & passiuum actionis physicæ immanentis, includens etiam necessario, non quidem tanquam essentiam, ac formam, sed solùm vt conditionem principium actiuum, & passiuum ipsius qualitatis, seu termini: alia est vita physica in actu primo, per modum termini, scilicet principium actiuum, & passiuum qualitatis, ac termini, includens omnino necessariò tanquam conditionem principium actiuum, & passiuum ipsius actionis: alia est etiam in actu primo, vita physica in omni genere, scilicet principium actiuum, & passiuum actionis, & principium actiuum, & passiuum qualitatis, seu termini ita, vt vtrumque tanquam forma essentialiter importetur.

30 Colligo secundo, vitam actualem intentionalem esse de essentia, ac formali conceptu intellectionis; vitam verò physicam per modum viæ esse realiter accidentalem illi; vitam autem physicam per modum termini, licèt sit de facto idem cum intellectione reipsa, non esse tamen de conceptu formali illius formaliter, sed tantùm præsuppositiuè. Ac primum, vitam actualem intentionalem esse de essentia, & conceptu formali intellectionis, vitam verò physicam per modum viæ esse illi realiter accidentalem sic monstro: vita actualis intentionalis est qualitas illa, quæ est formalis imago, ac repræsentatio intentionalis obiecti, vita verò actualis physica est ipsa actio, qua physicè producitur qualitas, vt patet ex nuper dictis; sed intellectio essentialiter, ac formaliter consistit in sola illa qualitate, & non in physica actione, vt fusè monstrauimus: ergo vita actualis intentionalis est de essentia, ac ratione formali intellectionis, vita verò physica per modum viæ est illi realiter accidentalis. Deinde vitam physicam per modum termini, licèt sit de facto idem cum intellectione, quia est idem reipsa cum prædicta qualitate, quæ est terminus actionis physicæ, petens media illa physicè ab intellectu produci, tamen non esse formaliter de essentia, & conceptu formali intellectionis, sed tantùm præsuppositiuè, sic ostendo: intellectio vt sic formaliter tantùm est formalis imago, ac repræsentatio vitalis obiecti vitalitate saltem intentionali; sed qualitas illa intellectualis vt purè recepta in intellectu, præscindendo omnino ab eo, quod sit terminus physicè petens oriri ab illo, licèt id de facto præsupponatur, est formalis imago, ac repræsentatio vitalis obiecti vitalitate intentionali, vt probaui num. 28. ergo talis qualitas vt purè recepta, præscindendo ab eo, quod sit terminus petens physicè oriri ab intellectu, est intellectio formaliter; ergo vita physica per modum termini, scilicet, quod sit terminus petens physicè oriri ab intellectu non est de essentia, & conceptu formali intellectionis formaliter, sed tantùm præsuppositiuè de facto. Hinc fit, quod intellectiuum vt sic tantùm includit formaliter vitam intentionalem in actu primo; non verò claudit vitam in actu primo physicam formaliter, sed tantùm præsuppositiuè. Probatur apertè: principium intellectiuum vt sic formaliter est præcisè principium receptiuum qualitatis intellectionis, & aptum denominari intelligens formaliter per illam; sed principium præcisè receptiuum qualitatis intellectionis, & aptum denominari formaliter intelligens per illam includit formalissimè vitam intentionalem in actu primo, quæ nihil est aliud quam aptitudo ad intelligendum; & non includit formaliter vitam physicam in actu primo; sed tantùm de facto supponit illam, hæc enim vita est principium actiuum, & passiuum physicè talis qualitatis, quod quidem non includitur formaliter in principio purè receptiuo qualitatis intellectionis, sed de facto supponitur ad aliud; ergo intellectiuum, vt sic includit formaliter vitam intentionalem in actu primo, non vero vitam in actu primo physicam, sed tantùm supponit illam.

Colligo tertiò, qua ratione intelligendum sit, ra- 31
tionem agendi, seu mouendi se ab intrinseco motu, & actione latè accepta pro reali habitudine ad terminum, quæ non possit esse ab extrinseco, non esse rationem vitæ communem omni viuenti tam cognoscitiuo, quam non cognoscitiuo, vt diximus suprà disp. 2. cap. 1. itaque viuenti cognoscitiuo vt sic formaliter, v. g. homini conueniet agere, vel se mouere ab intrinseco intentionaliter, quia per cognitionem, aut amorem ita intentionaliter agit, scilicet cognoscit, aut amat, vt aliud agens extrinsecum non possit per eos actus intentionaliter agere, scilicet cognoscere, vel amare; viuenti autem non cognoscitiuo, sed purè physico, v. g. plantæ conuenit agere, ac se mouere ab intrinseco physicè, quia per actionem nutritiuam ita se nutrit, ac agit physicè, vt agens aliud extrinsecum non possit illud nutrire, & agere physicè per illam. Vnde ab vtroque viuente cognoscitiuo, scilicet, & non cognoscitiuo potest abstrahi ratio agentis, ac mouentis se ab intrinseco, motu, & actione latè accepta pro reali habitudine ad terminum, quæ non possit esse ab extrinseco, quæ quidem ratio erit illis viuentibus communis: cum autem in hac ratione agentis, ac mouentis se ab intrinseco motu, & actione latè accepta modo explicato non consistat formaliter propria, & stricta ratio vitæ, vt diximus disp. 2. cap. 1. ad finem, rectè infertur, qua ratione non detur, ratio vitæ communis omni viuenti, tam cognoscitiuo, quam non cognoscitiuo.

CAPVT V.

Aduersantia argumenta diluuntur.

ADuersæ partis sectatores sententiam, quam superiori capite stabiliuimus, multis argumentis labefactare contendunt, quæ in isto capite afferam, vrgebo, & diluam.

Obiectio prima, intellectio vt sic formaliter est 32
actus vitalis, quo intellectus agit, ac se mouet ab intrinseco, cum viuat actu per illum, sed intellectus non agit actu, aut se mouet ab intrinseco nisi formaliter per actionem, vt per se constat; ergo intellectio vt sic formaliter includit actionem. Confirmatur: producat Deus se solo qualitatem intellectionis in intellectu, intellectus per eam qualitatem à solo Deo productam mouetur ab extrinseco, scilicet à Deo agente extrinseco; ergo per qualitatem in eo casu non mouetur ab intrinseco; ergo per eam qualitatem non viuit; ergo per eam qualitatem non intelligit; omnia hæc videntur euidenter sequi; ergo sola illa qualitas sine intellectus actione non est formaliter intellectio, aliàs per eam solam intellectus intelligeret; ergo intellectio consistit etiam formaliter in actione. Vrgetur: intellectio est formaliter illa ratio, qua adæquatè reducitur ad actum secundum principium intellectiuum vt sic formaliter; intellectio enim est actus secundus adæquatus principij intellectiui: sed

principium intellectiuum vt sic formaliter non reducitur ad actum secundum adæquatè, nisi etiam per actionem, & passionem; ergo intellectio vt sic formaliter includit actionem, & passionem. Minor ostenditur: principium intellectiuum vt sic formaliter est principium actiuum, & passiuum qualitatis intellectionis: sicut enim qualitas intellectionis vt sic formaliter petit oriri ab intellectu, & sustentari in ipso; ita ipse intellectus, seu principium intellectiuum vt sic formaliter petit agere, ac pati talem qualitatem intellectionis; atque ita vt intellectiuum formaliter est principium actiuum, & passiuum illius; atqui principium actiuum, & passiuum non potest reduci adæquatè in actum secundum nisi per actionem etiam, & passionem, vt per se liquet; ergo intellectiuum vt sic formaliter non potest reduci adæquatè in actum secundum nisi etiam per actionem, & passionem.

33 Hoc est vnicum aduersæ opinionis fundamentum, quod quidem amplius vrgeri, & roborari non potest, in nostra tamen sententia facilè diluetur. Respondeo ergo intellectionem vt sic formaliter esse actum vitalem, vitalitate quidem, non physica, sed tantum intentionali; ac proinde intellectum per illam mouere se, seu agere ab intrinseco, non physicè, sed solum intentionaliter modo superius explicato n. 28. intellectus autem mouet se, seu agit ab intrinseco intentionaliter, non per actionem physicam, sed tantum per actionem intentionalem, id est, per qualitatem, quæ est formalis imago, ac intentionalis repræsentatio obiecti, & vt sic actio intentionalis, seu grammaticalis vocatur; & idcirco intellectio formaliter in se includit, non actionem physicam intellectus, sed tantum qualitatem illam, & actionem, seu repræsentationem intentionalem. Ad primam confirmationem dico intellectum per qualitatem intellectionis vt à solo Deo productam moueri ab extrinseco physicè, atque ita non physicè ab intrinseco; mouere tamen se, & agere ab intrinseco intentionaliter, quia per talem qualitatem intellectionis, ita intellectus intentionaliter agit, id est, exprimit, vt nec Deus, nec aliud agens extrinsecum possit intentionaliter agere, hoc est, exprimere per illam, ac proinde intellectum per eam qualitatem intellectionis à solo Deo productam actualiter viuere, non physicè, sed intentionaliter, ad quod sufficit, quod licet moueatur à Deo physicè vt ab agente extrinseco, ipse agat, & se moueat ab intrinseco intentionaliter; & idcirco per eam qualitatem à solo Deo productam formaliter intelligere, quia intellectio vt sic formaliter tantum est vita, & actus ab intrinseco intentionalis, vt sæpè diximus. Ad secundam confirmationem respondeo intellectionem vt sic formaliter esse actum secundum adæquatum principij intentionalis intellectui vt sic formaliter; principium autem intentionale intellectiuum vt sic præcisè non est formale principium actiuum, & passiuum qualitatis intellectionis, sed tantum præsuppositiuè, sicut nec ipsa qualitas quatenus repræsentatio, ac intellectio est præcisè, non est formaliter petens oriri, & sustentari ab intellectu, nisi tantum præsuppositiuè, vt ostendi n. 3. etenim principium intentionale intellectiuum vt sic præcisè, ac formaliter solum est principium intrinsecè receptiuum qualitatis intellectionis, & aptum denominari formaliter intelligens per illam, vt ibidem notaui: vnde cum actus secundus adæquatus, per quem tale principium purè receptiuum aptum denominari intelligens, reducitur adæquatè ad actuale exercitium, est sola ipsa qualitas intellectionis vt præcisè recepta in tali principio, ac illud denominans formaliter intelligens præcisa physica actione intellectus; ideo non actio, seu passio physica, sed tantum qualitas ista recepta denominans intellectum, est actio intentionalis, ac intellectio formaliter.

Sed insurgat quis: intellectio vt sic formaliter est producibilis ab intellectu; ergo intellectus vt intellectiuus formaliter est productiuus, & actiuus talis intellectionis; ergo non potest vt intellectiuus formaliter reduci adæquatè in actum secundum nisi etiam per actionem, ac productionem qualitatis intellectionis. 34 Antecedens, in quo est difficultas, sic ostendo: si intellectio vt sic formaliter, non esset producibilis à suo intellectu, dari posset de potentia Dei absoluta aliqua intellectio alicuius substantiæ intellectualis possibilis, quæ non esset naturaliter producibilis physicè à suo intellectu, sed esset producibilis extrinsecè à solo Deo, & in ipso intellectu reciperetur; nam ex hoc in ea sententia quænam contradictoria sequentur? sed repugnat absolutè etiam diuina virtute dari intellectionem creatam cuiuscumque substantiæ intellectualis possibilis, quæ non sit naturaliter producibilis à suo intellectu, sed sit tantum producibilis à Deo tamquam ab agente extrinseco; nam si talis intellectio non repugnaret, nulla esset ratio, quare communiter diceremus, intellectiones, ac sensationes creatas, quæ de facto dantur, esse naturaliter producibiles ab intellectu creato, & non potius esse producibiles, non ab ipso intellectu intrinsecè, sed extrinsecè à solo Deo, quod est absurdum; ergo intellectio creata vt sic formaliter est producibilis ab intellectu.

Respondeo, si aliqua etiam in prædicta sententia 35 daretur intellectio, quæ non esset naturaliter producibilis à suo intellectu, sed tantum extrinsecè esset producibilis à Deo in ipsomet intellectu, sequerentur duo contradictoria, nimirum implicare talem intellectionem naturaliter produci à suo intellectu; & non implicare produci naturaliter ab illo. Implicaret quidem illam intellectionem produci naturaliter à suo intellectu, quia id supponeretur. Non etiam implicaret talem intellectionem creatam naturaliter ab intellectu produci; quia quæuis qualitas creata naturalis educibilis, cum finito modo fiat, non repugnat, sed potius petit connaturaliter fieri ab aliqua causa crata, ac finita proportionata cum illa; quæuis autem intellectio possibilis esset qualitas creata naturalis finito modo educibilis, vt per se constat; atque ita non repugnaret, sed potius peteret connaturaliter fieri ab aliqua causa creata, ac finita cum illa proportionata; nulla vero causa creata, ac finita posset esse magis proportionata cum tali intellectione, quam intellectus ipsius, qui esset vitalis, & intellectualis, sicut illa, & commensuratus cum ipsa; ac proinde non implicaret, sed potius peteret illa intellectio à tali intellectu naturaliter produci; sequeretur ergo ex casu prædicto implicare, & non implicare illam intellectionem produci naturaliter à suo intellectu. Deinde ratio vitæ, ac motus ab intrinseco fundatur necessario in proportione aliqua actus cum principio viuente; ideo enim potentia visiua non potest videre per visionem obiecti spiritualis, quia cum hæc visio non tendat ad obiectum proprium illius potentiæ, non habet proportionem cum illa: vnde quo maior, & perfectior est ratio vitæ, ac motus ab intrinseco, eo in maiori, & perfectiori fundatur proportione actus cum principio viuente; & ideo, quia in Deo est summa ratio vitæ, ac motus ab intrinseco, fundatur in summa proportione, scilicet in identitate actus cum ipso Deo; atqui in creatis vita intentionalis ex genere suo est maxima, & excellentissima ratio vitæ, ac motus ab intrinseco cum longè excellentior sit, quam vita purè physica: atque ita vita intentionalis creata necessario fundatur in maxima proportione actus cum principio viuente; maxima autem proportio actus cum principio includit, quod entitas actus petat fieri naturaliter à tali principio: ac proinde vita creata intentionalis v.g. intellectio necessario fundatur in entitate actus, quæ præsuppositiuè petat

petat fieri à principio viuente, ſcilicet ab intellectu; & idcirco prædicta cognitio, ſi daretur non peteret fieri ab intellectu, vt ſupponitur, & peteret fieri ab illo, vt probaui, quæ ſunt contradictoria. Vnde cum non poſſit talis contradictio admitti, dicendum eſt etiam in noſtra ſententia, non poſſe de potentia Dei abſoluta dari intellectionem creatam cuiuſcumque ſubſtantiæ intellectualis poſſibilis, quæ non ſit naturaliter, ac phyſicè producibilis à ſuo intellectu, non quidem formaliter, ſed tantum præſuppoſitiuè. Quod ſic explico: qualitas intellectionis reipſa eſt naturaliter producibilis phyſicè ab intellectu, & vt ſic connotat actionem, & etiam eſt naturaliter receptibilis in eodem intellectu, & vt ſic connotat tantum receptionem: cum autem hæc qualitas ſit formaliſſimè intellectio, non quatenus connotat actionem phyſicam intellectu, quæ præſupponitur, ſed tantum quatenus connotat receptionem, qua recipitur intrinſecè in intellectu, & illum denominat formaliter intelligentem; ideo intellectio creata, licet reipſa ſit neceſſario producibilis ab intellectu vt oſtendi, non tamen eſt producibilis vt intellectio formaliter, ſed tantum præſuppoſitiuè. Quo tota hæc principalis obiectio ſatis diluta manet.

36 Obiectio ſecunda, intellectio vt ſic formaliter includit attentionem, nam ex eo præcisè, quod quis intelligat omnia, quæ recitat, perfectè adimplet præceptum recitandi, quod attentionem requirit; ſed attentio conſiſtit formaliter in actione, & conatu phyſico, quo qualitas intellectionis producitur; ergo intellectio vt ſic formaliter includit actionem. Reſpondeo attentionem ad obiectum non eſſe conatum phyſicum, & actionem, qua fit qualitas intellectionis, ſed tantum ipſam formalem, ac vitalem repræſentationem obiecti, diuina enim intellectio non eſt actio phyſica, nec illam claudit, & tamen eſt perfecta attentio ad obiectum, quia eſt formalis, ac vitalis repræſentatio illius; vnde licet intellectio creata includat formaliter actionem, non ſequitur, quod formaliter etiam actionem phyſicam claudat.

37 Obiectio tertia: intellectio creata eſt verbum mentis; ſed verbum mentis includit etiam actionem; ergo intellectio etiam includit actionem. Conſequentia eſt euidens. Maior probatur: quia verbum eſt id, quo loquimur; Sed mens per intellectionem loquitur ſibi; ergo intellectio eſt verbum mentis. Minorem etiam primi ſyllogiſmi ſic probo: verbum eſt manifeſtatio obiecti expreſſa, ac facta à dicente, & quia intellectio diuina ſecundum ſe non eſt expreſſa, & producta à dicente, ideo licet ſit obiecti manifeſtatio non eſt verbum; ſed intellectio creata per ſeipſam eſt manifeſtatio obiecti, & per actionem, qua fit, eſt expreſſa, & producta ab intellectu dicente; ergo verbum mentis non ſolum includit qualitatem intellectionis, ſed etiam includit actionem ipſam intellectus. Confirmatur; idem formaliter eſt intelligere, ac dicere, intellectio, ac dictio vt conſtat ex D. Auguſt. lib. 15. de Trinitate, cap. 10. qui ex illo ſapientiæ 2. & Matth. 9. *Dixerunt intra ſe cogitantes.* colligit cogitationes, ſeu intellectiones eſſe loquutiones cordis; & ex Diuo Fulgentio tertio ad Monimum capit. 7. vbi ait: *Nihil eſt aliud eſſe apud ſe cogitare, quam apud ſe dicere:* ſed *dicere*, ac dictio includit actionem exprimentem, ac producentem qualitatem intellectionis: ergo etiam intelligere ac intellectio includit formaliter ipſam actionem. Reſpondeo, intellectionem creatam eſſe formaliter verbum mentis ſecundum id, quod verbum dicit in recto, non vero ſecundum id, quod verbum dicit in obliquo, nam verbum dicit in recto ipſam intellectionem, & in obliquo includit actionem intellectionis expreſſiuam, quam ipſa intellectio formaliter in recto, aut in obliquo non claudit; intellectio enim eſt tantum formalis quædam imago, ac repræſentatio intellectualis obiecti præſcindendo ab eo, quod à dicente exprimatur, vel non exprimatur: ac proinde vt intellectio præcisè actionem formaliter non includit. Ad confirmationem dico cogitationem, aut intellectionem eſſentialiter non eſſe dictionem, ſed tantum accidentaliter, ſcilicet vt talis cogitatio, & intellectio ſubeſt accidentaliter actioni, per quam exprimitur, in qua actione, & expreſſione formaliter loquutio, ac dictio conſiſtit, quo pacto D. Aug. & Fulgentium interpretamur.

Obiectio quarta: eadem eſt ratio de intellectione, ac 38
de volitione; ſed volitio includit formaliter actionem; ergo & intellectio. Minor probatur: voluntarium eſt id, quod fit à voluntate ex cognitione; ſed volitio vt ſic formaliter eſt eſſentialiter voluntaria; ergo volitio vt ſic formaliter fit eſſentialiter à voluntate; atqui volitio à voluntate fit per actionem voluntatis; ergo volitio vt ſic formaliter includit eſſentialiter actionem. Reſpondeo triplex eſſe voluntarium, aliud eſt voluntarium obiectiuè, ſcilicet id, quod eſt volitum à voluntate: aliud eſt voluntarium cauſaliter, ſcilicet id, quod cauſatur à voluntate ex cognitione: aliud eſt voluntarium formaliter, ſcilicet id, per quod voluntas formaliter vult obiectum aliquod, quod cognoſcit: volitio ergo creata non eſt neceſſario voluntaria obiectiuè eſſentialiter, cum non ſit quaſi reflexè volita eſſentialiter à ſeipſa: nec eſt eſſentialiter voluntaria cauſaliter actu, ſed aptitudine, quia per ſuam eſſentiam non cauſatur à voluntate actu ex cognitione, ſed tantum eſt apta ab illa cauſari: ipſa tamen volitio vt purè recepta in ſubiecto eſt eſſentialiter voluntaria formaliter, quia eſt ratio illa, per quam voluntas formaliter vult obiectum, quod cognoſcit. Ex quo non ſequitur, quod volitio includat eſſentialiter actionem, ſed potius, quod eam excludat.

Obiectio quinta: cognitio obiecti eſſentialiter requi- 39
ritur ad volitionem illius, quia nihil volitum, quin præcognitum, ſed ſi volitio conſiſteret in ſola qualitate, & non in actione voluntatis, non requireretur eſſentialiter cognitio obiecti ad volitionem illius: ergo volitio non conſiſtit formaliter in ſola qualitate, ſed etiam in actione. Probatur minor, ideo requiritur cognitio obiecti ad eius volitionem, quia ex tali obiecti cognitione debet excitari voluntas ad agendam volitionem illius: ſed ſi volitio conſiſteret in ſola qualitate, & non in actione voluntatis, poſſet voluntas habere volitionem obiecti, & eſſe volens formaliter per illam, & non agere ipſam, cum poſſit talis volitio fieri in voluntate à ſolo Deo, ergo in hoc caſu non requireretur cognitio obiecti ad volitionem illius. Confirmatur: Deus poteſt de potentia abſoluta ponere qualitatem volitionis alicuius obiecti in voluntate, quæ non habeat talis obiecti cognitionem: ergo ſi talis qualitas volitionis eſt formaliter volitio, denominabit formaliter illam voluntatem volentem obiectum, quod eſt incognitum: patet conſequentia, forma in ſubiecto apto denominat illud; ſed illa volitio eſſet forma volendi, & eſſet in voluntate, quæ eſt ſubiectum aptum ad volendum; ergo illam volentem denominaret. Vrgetur: ſenſationis qualitas ſubiectatur in materia; ergo ſi talis qualitas ſola eſt formaliter ſenſatio, denominabit materiam ſentientem, quod eſt falſum.

Reſpondeo obiecti cognitionem non ſolum requi- 40
ri vt excitet voluntatem ad agẽdum volitionem illius, ſed etiam deſiderari eſſentialiter vt eam applicet ad volendum formaliter ſuum obiectum, in Deo enim non datur actio, qua Deus agat ſuam volitionem, & tamen requiritur neceſſario cognitio obiecti ad volendum tale obiectum: vnde licet volitio creata in ſola qualitate conſiſtat, & poſſit voluntas velle formaliter ſine actione phyſica ipſius voluntatis per volitionem à

ſolo

solo Deo productam, adhuc velle non potest sine obiecti cognitione, quæ illam debet necessario applicare ad volitionem sui obiecti. Ad primam confirmationem dico, quod voluntas, licet habeat in se totam formam volitionis, si tamen non haberet cognitionem obiecti, non posset denominari volens formaliter tale obiectum; nam talis volitio non esset forma communicata subiecto apto, voluntas enim non applicata per cognitionem obiecti non est subiectum aptum proximè vt denominetur volens respectu illius. Ad secundam confirmationem facilius dico, sensationem in materiam receptam non denominare illam formaliter sentientem, quia cum illa non sit sensitiua, non est subiectum aptum ad talem effectum recipiendum.

CAPVT VII.

An intellectio possit à solo Deo independenter ab intellectu produci?

41 COntrouersia hæc tria continet quæsita, primum an Deus possit se solo efficere intellectionem in ipso intellectu? Secundum an possit illam extra omnem intellectum procreare? Tertium an possit talem intellectionem producere in subiecto extrinseco, v. g. in lapide? & quidem certum est, quod si intellectio includeret essentialiter actionem intellectus, non posse produci à solo Deo, nam illa intellectus actio in essentia intellectionis inclusa, essentialiter penderet ab ipso intellectu. Solum ergo quæstio agitatur supposita nostra sententia, quæ tenet intellectionem non in actione, sed in sola qualitate formaliter consistere.

42 In hac re diuersa sunt Philosophorum placita, alij dicunt non posse Deum etiam de potentia absoluta, se solo intellectionem efficere sine concursu effectiuo ipsius intellectus, ita P. Vasquez 1.2. disp. 9. cap. 4. & pro se adducit Capreolum, Ferrariam, & Scotum; insinuat ex parte Molina quatenus asserit etiam intellectionem consistere in actione, Conimbricens. de anima lib. 3. cap. 8. q. 3. art. 3. Gaspar Hurtado 1 2. disp. 9. tribui etiam solet D. Thomæ 1 p. q. 27. art. 1. vt contendit Franciscus Alphonsus disp. 13. de anima section. 3. n. 30. Alij censent; licet Deus possit se solo sine intellectus actione efficere intellectionem, non posse tamen illam producere absque influxu passiuo, aut receptiuo intellectus. Ita recentiores non indocti. Alij tenent posse intellectionem à Deo extra omne subiectum produci. Ita P. Suarez tom. 2. metaph. disp. 48. sect. 2. n. 12. & alij plures asserentes intellectionem beatificam de facto vel saltem de possibili effici à solo Deo, quos citat P. Vasquez vbi supra cap. 1. & 2. Alij opinantur etiam posse diuinitus intellectionem constitui in subiecto extraneo, v. g. in lapide. Ita Gabr. in 3. distinct. 13. q. vnica n. 2 & alij permulti, quibus assentio.

43 ASSERTIO ergo sit, intellectio creata diuinitus rectè potest effici à solo Deo, extra omnem intellectum, & in subiecto extraneo, v. g. in lapide collocari. Ita generaliter omnes, qui intellectionem constituunt in sola qualitate, & præcipuè D. Thomas adductus supra cap. 4 n. 26. Suarez disput 48. metaph. sect. 2. n. 12. Molin. 1. p q. 12. art. 2. disp. 1. Hurtado disp 6. de anima sect. 3. Arriaga disp. 6. de anima sect. 2. n. 47. Carleton disp 22. de anima sect. 7. Complutens. Ioann. à S. Thoma supra & ferè infiniti asserentes beatitudinem creatam posse à solo Deo produci. Probatur, totum id potest diuinitus fieri, quod manifestè non implicat; sed non implicat intellectionem fieri à solo Deo, extra omnem intellectum, & in subiecto extraneo collocari; ergo id potest diuinitus fieri. Minor probatur, id solum implicat, ex quo duo contradictoria sequuntur: Sed ex eo, quòd intellectio, quæ solum in qualitate consistit, fiat à solo Deo extra omnem intellectum non sequuntur duo contradictoria, alioquin illa assignentur; ergo id fieri à Deo non implicat. Deinde ostenditur assertio: quando aliquis effectus pendet, & causatur accidentaliter ab aliqua causa, potest huius causæ influxus ab alia causa eminentiori suppleri, & talis effectus produci sine dependentia ab illa; ideo enim in Eucharistia quantitas creatur à Deo sine dependentia à substantia panis, à qua antea causabatur, quia talis quantitas solum pendebat accidentaliter à panis substantia, Deus autem est causa longè eminentior illa, atque ita potest excellentius compensare influxum illius: Sed intellectio pendet, & causatur ab intellectu solum accidentaliter, scilicet per actionem ab illa reipsa distinctam, vt monstraui supra cap. 3. ergo à solo Deo tamquam à causa longè eminentiori potest totus influxus intellectus excellentius compensari, & talis intellectio produci extra omnem intellectum: atqui si semel non implicat intellectionem à solo Deo extra intellectum produci, nulla est ratio, quare Deus ipse non possit illam in subiecto extraneo, v. g. in lapide collocare; ergo Deus etiam potest ponere intellectionem in subiecto extraneo. Porro autem nullam esse rationem, quæ id impediat, sic probatur: si aliqua esset, maximè quia forma non potest in subiecto esse, quin illi det suum effectum formalem, intellectio vero non potest dare suum effectum formalem subiecto extraneo, non enim potest reddere lapidem intelligentem: atque ideo intellectio esse non potest in subiecto extraneo; atqui hæc ratio non est sufficiens. rectè enim esse potest aliqua forma diuinitus recepta in aliquo subiecto, cui non valeat suum formalem effectum communicare, gratia enim habitualis, quæ est in Christo, non reddit formaliter Christum Filium Dei adoptiuum, sicut redderet Petrum si esset in illo; & vnio hypostatica recepta in corpore Christi, non reddit illud gratum amicabiliter Deo, sicut reddit animam Deo amicabiliter gratam vnio hypostatica recepta in illa; & sensatio est de facto recepta iuxta sententiam communem in materia prima, & tamen non reddit illam sentientem, sicut reddit ipsam animam; non quidem ob aliam causam, nisi quia forma non dat effectum formalem subiecto, in quo est, nisi sit aptum. & capax; hæc autem subiecta non sunt capacia ad eos effectus formales, sicut nec lapis est capax ad formalem effectum intelligentis; ergo nulla est ratio, quare si semel potest Deus intellectionem extra omnem intellectum producere non valeat etiam ipsam in subiecto extraneo, verbi gratia in lapide, cui nullum det effectum formalem intelligentis, diuinitus collocare.

Obiiciat aliquis primo: creatura etiam dependet à 44
Deo solum accidentaliter, id est, per influxum, & actionem ab illa reipsa distinctam, ipsique accidentalem; & tamen adhuc creatura non potest non pendere à Deo: ergo licet intellectio pendeat accidentaliter ab intellectu, scilicet per actionem ab ea distinctam, non poterit adhuc non fieri, & pendere ab ipso intellectu. Respondeo nullam esse alteram causam eminentiorem Deo, quæ eius influxum possit excellentius compensare, ideo licet creatura per actionem distinctam pendeat à Deo pendet necessario ab illo, ita vt non possit esse sine ipso: intellectio autem pendet ab intellectu per actionem distinctam ipsi accidentalem, & insuper datur alia causa, scilicet Deus longè eminentior, & excellentior illo, ac proinde à tali causa, scilicet à Deo potest excellentius suppleri influxus intellectus, & intellectio produci independenter ab illo extra omnem intellectum.

Obiiciat

Obiiciat secundo, sicut actio physica respicit prin-
45 cipium physicum, & terminum, ita actio intentionalis, scilicet intellectio respicit principium intentionale,& obiectum; Sed non potest etiam diuinitus dari actio physica absque eo, quod principium physicum denominet actu agens physicè; ergo non potest esse etiam diuina virtute actio intentionalis, scilicet intellectio absque eo, quod principium intentionale, scilicet intellectum denominet actu agentem intentionaliter, scilicet actu intelligentem: atqui si intellectio à Deo extra omnem intellectum produceretur, esset absque eo, quod denominaret intellectum actu intelligentem, ad quod requiritur, quod sit intrinsecè in illo; ergo intellectio non potest vlla virtute à Deo extra intellectum produci. Confirmatur: actio physica, si actu sit, necessario ipsum principium denominat actu agens, quia ipsa actio per se ipsam essentialiter est actuale exercitium agendi,& denominat actum eius terminum: sed similiter intellectio per se ipsam essentialiter est actuale exercitium intelligendi,& denominat eius obiectum actu intellectum; ergo intellectio si actu sit, omnino necessario eius intellectum denominat actu intelligentem; ergo intellectio non potest esse vlla ratione extra intellectum.

46 Respondeo actionem physicam vitalem,cum sit via, & ratio formalis,per quam terminus vitaliter ab agente fit,& ob sui imperfectionem sit etiam modus ipsius agentis per suam essentiam fieri necessario à tali agente, & recipi, ac vniri cum illo, & cum hoc tantum requiratur, vt illud denominet, ideo talem actionem physicam per suam essentiam principium denominare agens,& terminum actum, atque ita essentialiter esse actuale exercitium agendi: actionem vero intentionalem, scilicet intellectionem ob excellentiam, ac perfectionem imaginis, & repræsentationis vitalis intentionalis,quæ in ipsa lucet, non esse modum, sed qualitatem perfectam, & ideo non per se ipsam essentialiter recipi, & vniri cum principio intentionali, scilicet cum intellectu, sed per receptionem,& vnionem accidentalem ipsi, ab eaque distinctam; cum autem hæc vnio, & receptio necessario requiratur, vt intellectio actu denominet intellectum formaliter intelligentem, & obiectum intellectum; idcirco intellectio non essentialiter, & necessario, sed contingenter, & accidentaliter intellectum denominat intelligentem,& obiectum intellectum, nec est essentialiter, sed tantum accidentaliter exercitium actuale intelligendi: vnde benè potest diuinitus esse intellectio absque eo, quod actu intellectum denominet, ac proinde conseruari à Deo extra omnem intellectum.

47 Obiiciat tertio, non potest vna res in alia intrinsecè recipi etiam de potentia absoluta, nisi habeant in se aliquam proportionem, scilicet quod hæc res petat aliam, vel alia petat istam; sed intellectio nullam habet proportionem cum lapide, quia nec lapis petit habere in se intellectionem, nec intellectio petit esse in lapide; ergo intellectio etiam de potentia absoluta non potest recipi in lapide. Consequentia tenet cum minori. Maior autem sic probatur: vna quantitas non potest intrinsecè recipi in altera quantitate; sed hoc non alia ratione, nisi quia nullam inter se habent proportionem, scilicet quia vna quantitas non petit habere in se aliam quantitatem, nec hæc quantitas petit esse in illa quantitate; ergo vna res non potest recipi in alia, nisi habeant inter se aliquam proportionem iam explicatam. Respondeo vt vna res sit in alia denominatiuè, & formaliter, id est, dando illi propriam denominationem formalem, necessario requiri, quod hæc res petat esse in alia, vel alia petat recipere istam: & hoc modo etiam diuinitus esse non potest intellectio in lapide, nec vna quantitas in alia quintitate: at vero vt vna res sit in alia solum entitatiue, & materialiter,non requiri,quod hæc petat habere in se aliam, vel alia petat esse in ista,sed tantum ad summum, quod vna res sit natura sua subiectum alicuius formæ, & alia sit forma alicuius subiecti, quod totum reperitur in lapide, & intellectione, & in duabus quantitatibus, vt per se constat; atque ita diuinitus potest esse materialiter,& entitatiue intellectio in lapide,& vna quantitas in alia quantitate.

Sed vrgeat quis: vna forma substantialis non potest 48
vlla ratione recipi in alia forma substantiali; ergo nec vna quantitas in alia quantitate; nec intellectio in lapide, eadem enim in omnibus ratio militat. Respondeo, admisso antecedenti negandam esse consequentiam, ratio discriminis est, quia duæ substantiæ non possunt inter se vniri per accidens, sed tantum vnione per se, sicut è contra duo accidentia non possunt vniri per se, sed tantum vnione per accidens; duæ autem formæ substantiales cum quæuis illarum sit substantialiter,ac per se completa respectu alterius, & non petat nec intédat vnũ quid cum altera constituere, non possunt vniri per se,nam vnio per se habet essentialiter cõstituere vnum intentum à partibus,quod hic nequit inueniri & cum aliunde non possint etiã tales formæ, vtpotè substantiæ vnione per accidens copulari,vt notauimus: sequitur euidenter non posse vnam formam substantialem ratione vlla cum alia forma substantiali vniri, nec vnam recipi in altera; lapis veto, ac intellectio, vel duæ illæ quantitates,licet ob eamdem rationem non possint vniri per se, tamen cum vtrumque extremum, vel vnum saltem sit accidens, non repugnat illis vnione per accidens copulari, hæc enim vnio non necessario constituit totum intentum à partibus; & ita per accidens potest recipi intellectio in lapide,& vna quantitas in altera quantitate.

Hinc ad Theologiam obseruo, licet diuina subsi- 49
stentia posset vniri cum anima rationali, & illam reddere subsistentem, non posse tamen intellectionem diuinam, seu volitionem diuinam vniri cum tali anima, & illam reddere intelligentem, seu volentem, ratio patet ex dictis, quia duæ substantiæ non possunt inter se vniri nisi vnione per se, cuius proprium est constituere vnum totum substantiale intentum à partibus,vel saltem ab aliqua earum, hæc enim est excellentia vnionis substantialis supra vnionem accidentalem; anima autem rationalis potest vniri vnione per se cum substantia diuina, gerente vices substantiæ creatæ, nam cum anima rationalis secundum suam essentiam præcisè sit substantialiter incompleta etiam in ratione formæ substantialis, petit substantialiter compleri per substantiam, & intendit cum illa vniri, & constituere vnum totum substantiale subsistens, quod quidem erit totum per se, cum sit intentum ab aliqua ex partibus, ac proinde anima rationalis rectè potest cum creata subsistentia, vel cum subsistentia diuina gerente vices creatæ vniri vnione per se, quæ tantum petit constituere vnum totum substantiale per se scilicet intentum ab aliqua ex partibus: anima vero rationalis respectu intellectionis, aut volitionis est per se, & substantialiter completa in propria ratione, & non petit per illam substantialiter compleri nec intendit cum ipsa intellectione vnum substantialiter constituere, quod sit totum per se intentum ab aliqua ex partibus; ac proinde anima rationalis non potest cum intellectione, aut volitione diuina vniri vnione per se, quæ petit necessario constituere vnum per se intentum à partibus; & cum aliunde etiam repugnet animam rationalem cum diuina intellectione, aut volitione coniungi vnione per accidens, quia duæ substantiæ, quales sunt anima rationalis, & intellectio, aut volitio Dei,non possunt vnione per accidens copulari, vt diximus;sequitur manifestè, quod licet anima rationalis possit vniri cum diuina subsistentia, &

esse

esse subsistens per illam, non possit tamen vniri cum intellectione, aut volitione diuina, & esse intelligens, aut volens. Hæc consonant cum iis, quæ diximus in physicis disp. 24. cap. 4. vbi ostendimus creaturam non posse creare, ex eo præcisè, quod non possit velle formaliter per volitionem diuinam, à qua non distinguitur actio creatiua.

CAPVT VII.

An in qualibet intellectione sit verbum, & ab ipsa realiter dissideat.

50 VErbum est duplex, aliud oris, per quod prolatum ab ore res alteri patefacimus; aliud cordis, per quod expressum à mente, seu intellectu rem sibi quispiam manifestat: de quo tantum, illo omisso, agimus in præsenti. Hoc verbum mentale est formalis manifestatio obiecti expressa, ac producta ab intellectu: ita D. Thomas in 2. distinct. 27. q. 2. artic. 1. §. *Sed tamen sciendum*, & omnes communiter. Probatur primo, filius diuinus est verè, ac simpliciter verbum intellectus paterni, vt fides docet; Sed hoc non alia ratione, nisi quia est formalis manifestatio obiecti expressa, ac producta ab intellectu patris vt omnis tradit Theologia; ergo verbum est formalis manifestatio obiecti expressa, ac producta ab intellectu? Probatur secundo à priori: verbum mentale est id, quo intellectus loquitur, sed intellectum loqui est reddere obiectum sibi formaliter manifestum; ergo verbum mentale est id, quo intellectus reddit, vel facit obiectum sibi formaliter manifestum: atqui id, quo intellectus reddit, vel facit obiectum sibi formaliter manifestum est ipsa formalis manifestatio obiecti facta seu expressa ab intellectu; ergo verbum mentis est manifestatio formalis obiecti facta, seu expressa ab intellectu. Vnde dictio, vel loquutio in hoc à verbo distinguitur, quod verbum includit in recto formalem manifestationem obiecti, & in obliquo actionem, seu expressionem intellectus, qua ipsa fit: dictio verò seu loquutio includit in recto actionem, seu expressionem, qua fit manifestatio obiecti, & in obliquo ipsam formalem manifestationem. Hoc ergo posito inquirimus an in omni intellectione sit verbum, & an etiam ab ea distinguatur.

51 In hac re non vna est Philosophorum sententia: alij enim dicunt verbum reipsa ab intellectione distingui, atque produci per illam, non tamen in omni intellectione inueniri, nisi tantum in illa, cuius obiectum absens, aut improportionatum est, tale enim verbum ponitur ad obiecti absentiam, seu improportionem supplendam; ac proinde in visione beata, actibus sensuum externorum, ac similibus non esse verbum, quia eorum obiecta præsentia, & proportionata sunt: addunt, quando datur verbum, cognosci res obiectiuas, non immediatè in se ipsis, sed in earum verbo prius cognito. Ita Caietan. 1. p. q. 27. art. 1. Capreolus in 1. dist. 27. q. 2. Molina 1. p. q. 27. art. 1. disp. 8. Hurtado disp. 6. de anima sect. 8. Ferrara 4. contra gent. cap. 13. Torres 1. p. q. 27. art. 1. disp. 1. Scotus in 1. dist. 7. & dist. 27. q. 1. & 2. Aureolus, Gabriel, Palud. in 1. dist. 10 q. 3. Suarez lib. 1. Trinit. cap. 7. & plures ex recentioribus & Zumel: tribuitur D. Thomæ 4. contra gen. c. 11. & 1. p. q. 34. artic. 1. quos omnes citant Complutens. disp. 21. de anima q. 4. n 52. Alij censent in omni intellectione esse verbum, non tamen esse ipsam intellectionem, aut eius obiectum, sed tantum effectum illius. Ita Molina 1. p. q. 27. art. 1. disput. 8. memb. 2. & Conimb. hic lib. 3. cap. 8. art. 2 & alij. Tertio, alij opinantur verbum dari in omni intellectione, & ab ipsa sumpta connaturaliter, non distingui. Ita D. Thomas, 1. p. q. 27. art. 1. & 4. contra gent. cap. 11. Caietan. ibidem Bañes, Zumel, Nazarius, Valentia, P. Vasquez, 1. p. disp. 38. cap. 2. & disp. 141. cap. 4. Suarez lib. 2. de attributis negatiuis cap. 11. Franciscus Alphonsus supra disp. 13. sect. 5. n. 56. Carleton disp. 22. de anima sect. 8. Arriaga disp 6. sect. 2. n. 50. Ioann. à S. Thoma q. 11. de anima art. 2. Complutens. & communiter omnes recentiores.

52 Assero primo, etiam respectu obiecti præsentis, & proportionati datur verbum in intellectu. Probatur: essentia diuina est obiectum intimè præsens, ac proportionatum cum intellectu Paterno; & tamen talis intellectus producit Verbum diuinum ipsius essentiæ; ergo respectu obiecti præsentis, & proportionati datur verbum in intellectu. Dices, Verbum in diuinis generari, non ex indigentia ad intelligendum, quia prius origine Pater est intelligens, quam generet verbum, sed ex fœcunditate diuini intellectus; & ideo licet obiectum sit præsens, produci verbum; at vero in creatis verbum producitur, non ex fœcunditate intellectus, sed ex indigentia illius ad intelligendum, non enim potest obiectum absens cognosci, nisi præsentetur per verbum: vnde cum hæc indigentia non sit, quando obiectum est præsens, ideo quando obiectum est præsens, non gignitur verbum. Sed contra: prius saltem ratione est id, ex quo res alia res resultat, quam res resultans ex illo; sed in sententia aduersariorum ex intellectione obiecti resultat verbum, ergo in eorum sententia prius saltem ratione est, intellectum necessario cognoscere, ac intelligere obiectum, quam sit verbum; ergo verbum etiam in creatis iuxta ipsorum principia non requiritur ex indigentia ad intelligendum, sed ex fœcunditate intellectus; ac proinde etiam sicut in Diuinis, obiecti præsentis debet dari verbum.

53 Assero secundo, in omni intellectione datur verbum. Hæc assertio ex prima colligitur, & fortè est eadē cum illa, quæ nunc magis roborabitur. Ac primum D. Th. auctoritate munitur, qui 1. p. q. 27. art. 1. sic ait. *Quicumque autem intelligit, ex hoc ipso, quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei intellectæ vi intellectiua prouenies, & ex eius notitia procedens; quam quidem conceptionem vox significat, & dicitur verbum cordis significatum verbo vocis.* Ecce D. Thom. expressè docet ex hoc ipso, quod quis intelligit procedere in ipso verbum: atqui si aliqua esset intellectio, in qua non esset verbum, non esset verum dicere ex hoc ipso, quod quis intelligit, procedere verbum, nam aliquando aliquis intelligeret, & non procederet verbum; ergo in sententia D. Th. euidens est nullam esse intellectionem, in qua non resultet verbum, & eadem est sententia D. Aug. vt docet P. Suarez vbi sup. n. 6.

54 Deinde probatur ratione. Verbum vt sic formaliter est manifestatio obiecti expressa, ac producta ab intellectu, vt monstrauimus n. 5. Sed in quauis intellectione datur formalis manifestatio obiecti expressa, & producta ab intellectu: ex eo enim quod intellectus cognoscat obiectum v. g. videat Deum, manifestatur illi tale obiectum scilicet Deus, & ideo datur ibi necessario manifestatio obiecti scilicet Dei; hæc autem non ab alio, quam ab intellectu potest exprimi, ac produci; proinde ex eo, quod quis cognoscat obiectum, v g. videat Deum, in intellectione datur manifestatio obiecti expressa, ac producta ab intellectu; ergo in quauis intellectione etiam in visione Dei datur verbum. Confirmatur: in aduersariorum sententia intellectio est vera actio de prædicamento actionis, & verbum mentis est terminus talis actionis; sed nulla dari potest vera actio de prædicamento actionis sine termino, vt ostendimus cap. 1. ergo nulla potest dari intellectio sine verbo.

55 Assero tertio, verbum mentale non est obiectum intelle

intellectionis, in quo prius cognito res obiectæ cognoſcantur. Ita auctores ſecundæ & tertiæ ſententiæ. Probatur, quando quis clarè cognoſcit aliquod obiectum, experitur manifeſtè ſe cognoſcere obiectum illud, verbi gratia, quando quis clarè cognoſcit Petrum abſentem, apertè experitur ſe cognoſcere ipſum Petrum; ſed quando quis Petrum abſentem clarè cognoſcit, non experitur ſe clarè cognoſcere verbum aliquod, & intentionalem imaginem ipſius Petri, ſed immediatè ipſum Petrum; ergo non datur verbum, quod cognoſcatur, & in quo prius cognito cognoſcatur Petrus; & tamen in tali cognitione Petri abſentis in omnium ſententia datur verbum; ergo verbum non eſt obiectum intellectionis, in quo prius cognito res cognoſcatur. Confirmo: Angelus plures ſubſtantias abſentes quidditatiuè cognoſcit, in qua cognitione vt contrarij admittunt, datur verbum; & tamen Angelus per eam cognitionem quidditatiuam non cognoſcit ſubſtantias illas in verbo accidentali illarum prius cognito; quia ad rationem cognitionis quidditatiuæ requiritur, quod cognoſcat rem, vel in ſe ipſa immediatè, vel in alio ipſam continente eminenter; verbum autem accidentale non eſt ipſa ſubſtantia, nec continet eminenter ſubſtantias; ac proinde non poteſt intellectus cognoſcere quidditatiuè ſubſtantiam in verbo accidentali prius cognito; ergo iam datur verbum intellectionis, quod non ſit obiectum, in quo res cognoſcatur. Vrgeo: repugnat mutua cauſalitas phyſica in eodem genere cauſæ, vt oſtendi in phyſica diſputatione vigeſimaſecunda, capite ſecundo. Sed ſi verbum eſſet obiectum cognitum reſpectu intellectionis daretur inter intellectionem, & verbum mutua cauſalitas in eodem genere cauſæ; nam verbum cum eſſet obiectum intime præſens, & proportionatum cum intellectione efficeret illam, intellectio enim obiecti præſentis, & proportionati fit ex illo, vt conſtat in viſione Dei; & etiam ipſum verbum, cum iuxta aduerſarios ſit terminus, & effectus intellectionis (aſſerunt enim intellectionem eſſe actionem veram terminatam ad verbum) fieret ab ipſa intellectione; atque ita inter intellectionem, & verbum daretur mutua cauſalitas phyſica in genere efficientis; ergo verbum in creatis non eſt obiectum reſpectu intellectionis, in quo prius cognito res aliæ cognoſcantur.

56 Aſſero quartò, intellectio vt connaturaliter connotat actionem, qua fit, eſt formaliter verbum. Ita auctores tertiæ ſententiæ contra auctores primæ & ſecundæ. Hæc eſt expreſſa ſententia ſancti Auguſtini tom. 3. lib. 15. de Trinitate cap. 10. vbi ſic ait. *Formata quippè cognitio ab ea re, quam ſcimus verbum eſt, quod in corde dicimus.* Item D. Thomas quarto, contra gent. cap. 11. circa medium vbi inquit: *verbum lapidis in intellectu eſt lapis intellectus*: atqui lapis intellectus eſt formaliter ipſa intellectio, aqua formaliter lapis intellectus denominatur: ergo iuxta D. Thomam intellectio lapidis eſt ipſius verbum. Probatur ratione: verbum mentis eſt formalis repræſentatio, ſeu manifeſtatio obiecti expreſſa, ac producta ab intellectu, vt oſtenſum eſt numero 50. ſed intellectio vt connaturaliter connotat actionem, qua fit, eſt formalis manifeſtatio obiecti expreſſa, & producta ab intellectu, nam ex eo præcisè, ac formaliter, quod intellectus, verbi gratia, beati intelligat clare Deum tale obiectum ſcilicet Deus ipſi intellectui manifeſtatur; & ex eo præcisè, quod talis intellectio, ſeu manifeſtatio connoter actionem, qua ab intellectu fit, eſt expreſſa, & producta ab intellectu; ergo intellectio ſic accepta eſt formaliter verbum.

57 Dicat quis verbum eſſe manifeſtationem obiecti per modum aſſimilationis cum illo; quod non conuenit intellectioni, cum non ſit ſimilitudo obiecti, & ideo non eſſe formaliter verbum. Sed contra: ad rationem verbi ſolum requiritur, quod ſit ſimilitudo, non quidem naturalis, ſed tantum intentionalis, ac intellectualis obiecti; ſed cognitio formaliter eſt ſimilitudo intentionalis, ac intellectualis obiecti, v. g. viſio beata reſpectu Dei; ergo cognitio formaliter eſt verbum. Minor probatur: ſimilitudo intentionalis, ac intellectualis cum obiecto, eſt quod obiectum ita ſe habeat in intellectu in eſſe intentionali; ac intellectuali ipſius, ac ſe habet in ſe ipſo in eſſe reali naturali: atqui obiectum per ſui cognitionem, ac intellectionem formaliter verbi gratia Deus per viſionem claram ſui ita ſe habet in intellectu in eſſe intentionali, ac intellectuali ipſius, ac ipſum obiectum ſcilicet Deus ſe habet in ſe ipſo in eſſe reali, & naturali iuxta illud Ioannis: *videbimus eum ſicuti eſt*: ergo intellectio, etiam beatifica eſt ſimilitudo intentionalis obiecti; ac proinde eſt eius verbum.

Obiiciat aliquis D. Thom. 1. part. quæſt. 27. art. 1. & 58
alibi ſæpè dicentem verbum notitia ipſa, cogitatione, ac intellectione produci, dici, ſeu exprimi, quod idem docet expreſsè Auguſtinus lib. 15. de Trinitate cap. 15. ergo iuxta hos Patres intellectio non eſt verbum, ſed productio verbi. Deinde intellectio diuina vt ſic non eſt verbum, ſed per eam producitur verbum increatum: ergo noſtra intellectio vt ſic non eſt verbum, ſed per eam producitur verbum creatum. Reſpondeo ſicut productio vnionis, quæ vocatur vnitio, aliquando latè loquendo dicitur vnio, ita actionem productiuam intellectionis, quæ vocatur intellectio, interdum latè loquendo dicitur intellectio, & in hoc tantum ſenſu aſſerunt prædicti Patres verbum per intellectionem produci, id eſt, per actionem, qua fit intellectio, quæ in eorum Patrum ſententia, vt iam oſtendimus, eſt formaliter ipſum verbum. Aliam D. Auguſtini expoſitionem inuenies apud P. Vaſquez dicta diſp. 141. cap. 4. num. 24. Ad rationem dico intellectionem diuinam ſecundum ſe præcisè non eſſe verbum, quia cum non diſtinguatur ab intellectu Dei non eſt expreſſa, & producta reipſa à tali intellectu, ex illa vero produci verbum, quia eſt infinitè fœcunda: intellectio vero creata, cum ſit diſtincta reipſa ab intellectu eſt manifeſtatio obiecti expreſſa, & producta realiter ab intellectu: & ideo eſt formaliter verbum: quia vero non eſt infinitè fœcunda, non fit ex illa aliud verbum diſtinctum, ſicut in Deo.

Hinc infero in omni etiam ſenſatione dari aliquam 59
ſpeciem expreſſam, quæ ſit idem formaliter cum ipſa ſenſatione, licet propriè non ſit verbum, nam ſenſus propriè per ſenſationem non loquitur, quia rationabiliter per eam obiectum non manifeſtat, quod ad loquutionem requiritur. Simplex autem apprehenſio intellectualis complexa eſt verbum imperfectè, & inchoatiuè, quia imperfectè tantum, & inchoatiuè rem obiectam manifeſtat.

DISPVTATIO XVI.

De variis intellectionibus, & ipſarum proprietatibus.

QVatuor capita continebit. In primo, de triplici operatione intellectus, & in quo conſiſtat ratio iudicij? In ſecundo, de euidentia, & certitudine cognitionis. In tertio, an cognitio euidens poſſit cum actuali eiuſdem obiecti fide, aut opinione cohærere? In quarto, quid ſit cognitio quidditatiua? quid intuitiua? & in quo ratio comprehenſionis conſiſtat?

CAPVT I.

De triplici operatione intellectus; & in quo consistat ratio iudicij.

OPeratio intellectus rectè diuiditur physicè in simplicem apprehensionem, iudicium, & discursum, quarum essentias in hoc capite breuiter declarabimus.

1 Simplex apprehensio est formaliter illa cognitio, quæ ita simpliciter, ac purè proponit obiectum intellectui, vt intellectus per ipsam non ferat sententiam de illo. Hæc est duplex; alia incomplexa, qua solum apprehenditur aliquod extremum propositionis subiectum scilicet, vel prædicatum, vt cognitio, qua apprehendo Petrum; alia est complexa, qua apprehenditur, & cognoscitur vnio, vel disconuenientia subiecti cum prædicato, vt cognitio, qua putè apprehendo Petrum esse album. Porro autem non solum dari apprehensionem complexam, sed etiam complexam, quæ ad prædictam vnionem prædicati cum subiecto terminetur, sic ostendo: quando quis dubitat an astra cœli sint paria, dubitat an paritas numeri habeat vnionem, & conuenientiam cum astris; sed non potest dubitari an paritas numeri habeat vnionem, & conuenientiam cum astris, nisi aliquo modo talem vnionem, & conuenientiam cognoscat, cum enim nullo modo aliquid cognosco, nullum dubium possum habere de illo; ergo quando quis dubitat an astra cœli sint paria, cognoscit aliquo modo vnionem, & conuenientiam paritatis cum astris: atqui non cognoscit talem vnionem, quid dicatiuè, non enim iudicat esse talem vnionem, & conuenientiam, sed dubitat an sit; ergo tunc solum cognoscit simpliciter apprehensiuè vnionem, & conuenientiam talis paritatis cum astris; ergo datur simplex apprehensio complexa, quæ ad vnionem prædicati cum subiecto terminetur. Confirmo: noster intellectus in hoc statu nihil iudicat, quod prius non apprehendat; sed iudicat sæpè esse talem vnionem, & conuenientiam prædicati cum subiecto; ergo apprehendit prius talem vnionem, & conuenientiam, ac proinde datur apprehensio complexa. Dicat quis: apprehensio cognoscit esse vnionem prædicati cum subiecto, v.g. albedinis cum Petro? Sed esse vnionem albedinis cum Petro est formaliter Petrum esse album; ergo talis apprehensio cognoscit Petrum esse album; ergo componit albedinem cum Petro; ergo affirmat, ac iudicat, atque ita talis apprehensio complexa non est simplex apprehensio, sed iudicium. Respondeo ad rationem iudicij requiri, non solum, quod cognoscat esse vnionem prædicati cum subiecto ex parte obiecti, sed etiam quod ex parte modi cognoscēdi asserat dari, vel non dari talem vnionem; illa autem apprehensio cognoscit esse vnionē albedinis cū Petro ex parte obiecti, ex parte vero modi cognoscendi non asserit esse talem vnionem, nisi ad summum inchoatiuè, quatenus aliquo modo inclinat intellectum ad eum assensum; ac proinde talem apprehensionem complexam non esse simpliciter compositionem, aut iudicium, nisi ad summum inchoatiuè. Simplex autem apprehensio cum imperfectionem includat non datur in intellectu diuino, nec in Angelico, saltem circa res naturales, quas perfectissimè Angelus cognoscit: intellectus vero humanus, cum res imperfectè, & quasi gradatim cognoscat, non potest de aliquo iudicium ferre, quod prius non apprehendat, vt experimur.

2 Iudicium est cognitio illa, per quam formaliter intellectus de obiecto sententiam fert. Hoc autem dupliciter fit, vel assentiendo, & tunc vocatur assensus, & in homine compositio, quia componit, & coniungit prædicatum cum subiecto; vel dissentiendo, & tunc vocatur dissensus, & in homine diuisio, quia diuidit, & disiungit prædicatum à subiecto? Assensus, & dissensus non possunt esse simul in eodem subiecto, & de eodem subiecto, quia cum apertè implicet aliquid esse, & non esse simul iuxta principium illud lumine naturæ conspicuum; *aliquid esse, & non esse simul impossibile est*, ideo impossibile est, quod quis asserat aliquid esse, & simul asserat illud non esse; atqui per assensum asseritur eius obiectum esse, & per dissensum de eodem obiecto asseritur idemmet obiectum non esse; ergo implicat esse assensum, & dissensum in eodem subiecto, ac de eodem obiecto. Assensus, & dissensus dantur in Deo, Angelis, & hominibus; compositio vero, ac diuisio intellectualis iudicij in solo homine, quia cum iudicat Petrum, v.g. esse rationalem, ex parte modi concipiendi videntur hæc extrema quasi antea disiuncta coniungere, & componere, & ideo vocatur compositio; & cum iudicat Petrum non esse lapidem, videtur ex modo concipiendi hæc extrema, quasi antea coniuncta disiungere, ac diuidere, & ideo diuisio appellatur: cum autem hæc imperfectio cognoscendi non detur in Deo, nec in Angelo; ideo in illis compositio, aut diuisio iudicij non reperitur.

Discursus est illa cognitio rei, quæ ex præexistenti causatur cognitione. Primaria eius species est syllogismus, qui est oratio, in qua positis duabus præmissis rectè dispositis sequitur necessario conclusio. Circa cuius declarationem præter ea, quæ in logica diximus, hoc solum restat inquirendum, an positis duabus præmissis probabilibus rectè dispositis necessitetur etiam quoad exercitium intellectus ad assentiendum probabiliter conclusioni? Partem sequor affirmatiuam; quia præmissæ probabiles rectè dispositæ tam determinant intellectum ad assentiendum probabiliter conclusioni, quam præmissæ euidentes rectè dispositæ determinant ipsum ad assentiendum conclusioni euidenter: sed positis præmissis euidentibus rectè dispositis necessitatur intellectus quoad exercitium ad assentiendum euidenter conclusioni, vt ostendi in Logica disp. 37. c. 3. ergo etiam positis præmissis probabilibus rectè dispositis necessitatur quoad exercitium intellectus ad assentiendum probabiliter conclusioni: discursus formalis, cum imperfectionem includat, non datur in Deo, qui quauis cognitione totum, quod est in re, perfectissimè penetret; nec etiam datur in Angelo circa res naturales ob eamdem rationem: in homine vero, cum res gradatim, & imperfectè cognoscat, reperitur. Dicat autem quis: Deus cognoscit hominem esse visibilem, quia est rationalis: ergo Deus discurrit, cum discursus sit cognoscere vnam rem ex alia. Respondeo Deum cognoscere hominem esse risibilem, quia est rationalis ita, vt sit causalitas, ac dependentia vnius rei ex alia, ex parte obiecti, scilicet risibilitatis ex rationalitate, quod sufficit, vt sit in Deo discursus vitalis: non vero ita vt sit causalitas, ac dependentia vnius rei ex alia ex parte cognitionis, nam in Deo cognitio risibilitatis non causatur ex cognitione rationalitatis: ac proinde in Deo non est discursus formalis, ad cuius rationem essentialiter requiritur, quod sit cognitio rei ex præexistenti alia cognitione causata, vt ibidem etiā diximus disp. 34. c. 1.

His positis, de simplici apprehensione ferè nihil se se offert, quod ampliori disputatione sit dignum, cum in logica libris Perihermenias disp. 32. aliqua etiam dixerimus. De discursu omnia, quæ solent exagitari latè in libris de priori, & posteriori resolutione discussimus. Restat ergo vt de iudicio aliquid dicamus. Ac primum inquirimus an iudicium sit qualitas simplex, an ex pluribus apprehensionibus composita.

In hac re diuersa sunt Philosophorum placita. Alij dicunt iudicium includere essentialiter duas tantum apprehensiones, alteram qua apprehenditur subiectum, non absolutè, sed cum habitudine ad prædicatum, scilicet vt habens, vel non habens prædicatum, non absolutè sed cum relatione conuenientiæ, aut

aut diſconuenientiæ ab ſubiectum, ſcilicet vt conueniens, vel diſconueniens ipſi obiecto, quæ quidem relatio ore exprimitur per copulam *eſt*, licet tali copulæ non correſpondeat in mente conceptus diſtinctus à conceptibus prædictis ſubiecti, & prædicati. Ita P. Vaſquez tom. 2. in 1. part. diſp. 223. cap. 3. num. 15. & Molina 1. part. quæſt. 1. art. 3. concluſ. 3. Alij cenſent iudicium includere formaliter tres apprehenſiones, aliam ſubiecti, aliam prædicati, aliam vnionis, & copulæ, qua vniuntur, & copulantur ſubiectum, & prædicatum. Hanc ſententiam refert P. Vaſquez tom. 1. in 1.2. diſp. 79. cap. 3. num. 12. Alij, dicunt iudicium eſſe qualitatem quamdam phyſicè compoſitam ex prædictis tribus apprehenſionibus, quæ phyſicè inter ſe vniuntur, vt talem vnam qualitatem conſtituant, in qua conſiſtit ratio iudicij. Hanc opinionem aliis ab aliquibus imponi referunt Conimbricenſes in Logica lib. 1. de interpretatione quæſt. 4. artic. 2. licèt ipſi dicant hunc modum apud neminem inueniri, præterquam apud ipſos impoſitores. Alij arbitrantur iudicium eſſe ſimplicem quandam qualitatem, ac conceptum, quo intellectus indiuiſibiliter ſententiam fert ſuper copulam ſubiecti cum prædicato. Ita D. Thomas 1. part. quæſt. 58. artic. 2. Durand. Gregor. Gabriel, & alij relati à Conimbr. vbi ſuprà §. tertia ſententia, quam etiam opinionem vt probabiliorem ipſi Conimbr. ſectantur ibidem art. 3. & P. Hurtado diſp. 10. de anima ſect. 2. & diſp. 6. ſect. 2. & de iudicio affirmatiuo idem docet, item & Conimbr. in Logica ad cap. 4. de orat. q. 4. art. 2. Viguerius, Boëtius, Franciſcus Alphonſus diſp. 14. de anima ſect. 3. Arriaga diſp. 6. de anima ſect. 4. concluſ. 3. Carleton diſp. 21. de anima ſect. 2. Ioan. à S. Thom. q. 11. de anima art. 3. & communiter omnes; quibus ſubſcribo.

6 Assertio prima. Iudicium formaliter non conſiſtit in apprehenſione ſubiecti cum habitudine ad prædicatum, & alia ſimul apprehenſione prædicati cum relatione conuenientiæ, vel diſconuenientiæ ad ſubiectum. Probatur: vel illæ duæ apprehenſiones attingunt conuenientiam, aut diſconuenientiam prædicati cum ſubiecto aſſertiuè; vel non aſſertiuè, ſed purè ſimpliciter, ac apprehenſiuè; ſi illam attingant aſſertiuè in quauis apprehenſione ex illis, ſecluſa alia, ſaluatur tota ratio iudicij; ſi illam attingant non aſſertiuè, ſed purè apprehenſiuè, etiam in vtraque apprehenſione ſubiecti, & prædicati ratio iudicij non inuenietur, nam per iudicium vt ſic formaliter aliquid neceſſariò aſſeritur; ergo nulla via iudicium in duabus illis apprehenſionibus ſubiecti, & prædicati conſiſtit. Minor quoad priorem partem, in qua ſolùm eſt difficultas, ſic monſtratur: in hac propoſitione: (Petrus eſt albus) per illam primam apprehenſionem ſubiecti, ſcilicet Petri, quauis alia apprehenſione ſecluſa concipitur aſſertiuè Petrus cum habitatione ad prædicatum, ſcilicet vt habens albedinem; ergo per illam præcisè apprehenſionem aſſeritur Petrum habere albedinem, nam idem eſt aſſerere Petrum habere albedinem, ac concipere aſſertiuè Petrum eſſe habentẽ albedinem; ergo in illa prima apprehenſione ſubiecti præcisè ſaluatur integra ratio iudicij. Probatur hæc conſequentia: aſſerere Petrum habere albedinem eſt verè, & propriè iudicare: ſed per illam primam apprehenſionem ſubiecti præcisè aſſeri: intellectus Petrum habere albedinem; ergo per illam primam apprehenſionem præcisè intellectus verè iudicat; ergo in illa præcisè apprehenſione ſaluatur integra ratio iudicij.

7 Assertio ſecunda, iudicium formaliter non conſiſtit in tribus apprehenſionibus, alia ſubiecti ſecundum ſe, alia prædicati ſecundum ſe, alia vnionis, & copulæ inter ſubiectum, & prædicatum. Probatur, vel illa tertia apprehenſio concipit æſſertiuè copulam inter ſubiectum, & prædicatum, vel non aſſertiuè; ſi aſſertiuè, in illa ſola ſaluatur integra ratio iudicij; ſi non aſſertiuè, in omnibus illis tribus apprehenſionibus ratio vera iudicij non reperitur, cum per iudicium neceſſariò aliquid aſſeratur; ergo iudicium in tribus illis apprehenſionibus non conſiſtit. Minor quoad priorem, quæ ſola eget probatione, ſic oſtenditur: in hac propoſitione: (homo eſt rationalis) illa tertia apprehenſio copulæ concipit aſſertiuè eſſe vnionem identitatis inter hominem, & animal rationale; ergo illa præcisè apprehenſio aſſerit eſſe vnionem identitatis inter hominem, & rationale, vel (quod idem eſt) eſſe idem hominem cum rationali; ergo in tali præcisè apprehenſione ſaluatur integra ratio iudicij: patet hæc conſequentia: aſſerere hominem eſſe idem cum rationali eſt verè, & ſtrictè iudicare; ergo ſi per illam præcisè apprehenſionem aſſerit intellectus hominem eſſe idem cum rationali, per illam verè, & ſtrictè iudicat, ac proinde in illa præcisè apprehenſione ſaluatur ratio iudicij.

Dicat quis, per illam tertiam apprehenſionem co- 8
pulæ non concipi extrema, ſcilicet ſubiectum, & prædicatum, niſi per alias duas apprehenſiones proprias eorum; cum autem iudicium concipiat etiam neceſſariò ſubiectum, & prædicatum; non conſiſtere formaliter, & adæquatè iudicium in ſola apprehenſione copulæ, ſed in tribus apprehenſionibus, ſubiecti, copulæ, & prædicati. Sed contrà: non poteſt concipi vera vnio vt ſic per aliquem actum, quin etiam per illum concipiantur extrema verè vnita etiam vt ſic, ſicut non poteſt concipi actio, quin per eundem conceptum concipiatur aliquid actum; nec vera cognitio, quin concipiatur aliquid cognitum; nec vera relatio, quin concipiatur aliquid relatum, & ratio à priori eſt, quia vnio habet eſſentialem connexionem cum externis vnitis, & ideo non poteſt cognoſci ſine illis; ergo non poteſt concipi talis vnio particularis inter hæc particularia extrema, ſcilicet hominem, & rationale, quin per eundem actum neceſſario concipiantur etiam talia particularia extrema, ſcilicet homo, & rationale; quia tam neceſſariam habet connexionem vnio hæc in particulari cum his extremis vnitis in particulari, quam vnio, vt ſic cum extremis vnitis vt ſic: atqui illa tertia apprehenſio copulæ concipit aſſertiue, non quidem vnionem vt ſic, quæ poteſt extremis omnibus conuenire, ſed vnionem iſtam particularem, quæ eſt verè inter hominem, & rationale; ergo hæc tertia apprehenſio ſecundum ſe concipit neceſſario hæc particulia extrema, ſcilicet hominem, & rationale; ac proinde in ea præcisè ſaluatur integra ratio iudicij. Confirmatur: vnio identitatis non eſt aliud, quam ipſa extrema, quæ per ſeipſa ſunt idem; ergo vnio identitatis inter hominem, & rationale non eſt aliud, quam ipſe homo, & ipſum rationale, quæ per ſe ipſa ſunt idem: atqui illa tertia apprehenſio copulæ ſecundum ſe præcisè concipit vnionem identitatis, quæ verè eſt inter hominem, & rationale; ergo talis apprehenſio ſecundum ſe præcisè concipit hominem, & rationale; ergo eſt adæquatè iudicium.

Assertio tertia, iudicium formaliter non 9
eſt qualitas, quædam propriè, & ſtrictè compoſita ex tribus illis apprehenſionibus ſubiecti, copulæ, & prædicati. Probatur: illa vnio, qua apprehenſiones illæ propriè, & ſtrictè, vincirentur, (quam quidem, & otioſam reputo, & commentitiam) non ouerteret, nec immutaret earum apprehenſionum eſſentias, ac naturas, cum eſſet accidentalis ipſis; ſed ſecluſa illa vnione, ſi apprehenſio copulæ ſit aſſertiua, in illa ſola ſecundum propriam eius eſſentiam, & naturam ſaluatur tota ratio iudicij; & ſi aſſertiua non ſit, in omnibus illis apprehenſionibus ſecundum earum eſſentias, & naturam nulla reperitur ratio iudicij, vt oſtendi numero ſexto, & ſeptimo, ergo etiam poſita vnione inter illas, ſi apprehenſio copulæ ſit aſ-

sertiua, in illa sola erit integra ratio iudicij; & si non sit assertiua, in omnibus illis apprehensionibus etiam vnitis nulla etiam elucebit ratio iudicij. Dices, licet apprehensiones non sint assertiuæ, sed omnino simplices, vnionem inter illas esse assertiuam, & ideo illam in ratione iudicij complere. Sed contra quia inde infertur in sola illa vnione forè integram, & adæquatam rationem iudicij vt in simili ostendi assertione tertia, atque ita non consistere iudicium in apprehensionibus vnitis.

10 ASSERTIO quarta, iudicium est conceptus quidam, & qualitas simplex, qua assertiuè, & indiuisibiliter concipitur vnio inter subiectum, & prædicatum. Probatur clarè ex dictis: asserere prædicatum conuenire subiecto est verè, & propriè iudicare; sed per conceptum, & qualitatem simplicem, qua concipitur assertiuè vnio, & copula, quæ est inter subiectum, & prædicatum, asserit intellectus prædicatum esse vnitum cum subiecto, ac proinde illi conuenire, vt sæpè ostendi: ergo per talem conceptum, & qualitatem simplicem iudicat propriè intellectus; ergo iudicium est formaliter iste conceptus, & qualitas simplex.

11 Sed quærat quis, an apprehensio sit diuisibilis, an simplex? Respondeo apprehensiones incomplexas, quas successiuè quis format audita successiuè hac, verbi gratia, propositione vocali: (homo est rationalis) esse plures, quæ vnam apprehensionem diuisibilem constituunt; apprehensionem vero complexam, qua postea intellectus apprehendit esse vnionem identitatis inter hominem, & rationale, esse omnino simplicem, & incompositam, quia eadem prorsus in illa, ac in iudicio ratio militat; vt intuenti constabit. Hanc sententiam, quam in hoc capite definiuimus, amplexus est (vt opinor) P. Molin. 1. part. quæstion. 1. artic. 3. disputation. 3. post conclusionem secundam. Rogas primo, an idem actus possit esse apprehensio, & iudicium. Respondeo id implicare circa idem obiectum, non vero circa diuersa obiecta, primum clarè constat, quia simplex apprehensio tendit in obiectum sine affirmatione, aut negatione, sed iudicium essentialiter tendit affirmando, seu negando, ergo idem actus non potest esse simul circa idem obiectum apprehensio, & iudicium cum non possit de eodem subiecto simul affirmare, & negare; non repugnare circa diuersa obiecta, probatur, quia nulla implicatio reperitur ex parte actus, nec ex parte obiectorum. Rogas secundo, an in Deo detur simplex apprehensio. Respondeo negatiuè, quia apprehensio ex conceptu suo est cognitio imperfecta, imperfectè attingens suum obiectum, & non secundum totam eius quidditatem, Deo autem imperfectio non potest competere; ergo nec simplex apprehensio, immo nec Angelo respectu obiectorum quorum proprias habet species, secus vero respectu obiectorum supernaturalium, quæ per alienas species attingit.

CAPVT II.

De euidentia, & certitudine cognitionis.

12 EVidentia est quædam perspicuitas, & claritas, qua aliquid cognoscitur. Hæc autem euidentia non est modus ex natura rei distinctus ab essentia cognitionis euidentis. Ratio est: quia omnis cognitio euidens, vel est intuitiua, vel abstractiua; sed omnis cognitio tam intuitiua, quam abstractiua, si sit euidens, est euidens per suam essentiam, & non per modum ex natura rei distinctum; ergo omnis euidentia cognitionis est ipsiusmet cognitionis essentia, & non modus distinctus ex natura rei ab illa. Ac primum cognitionem intuitiuam per suam essentiam præcisè esse euidentem sic monstro: cognitio, quæ rem cognoscit sicuti ipsa est in se, est clara, & euidens: sed cognitio intuitiua in suam essentiam præcisè est cognitio rei sicuti est; ergo secundum suam essentiam præcisè est clara, & euidens. Deinde abstractiuam etiam per suam essentiam esse euidentem sic ostenditur: cognitio aliqua vera, vt formaliter distincta à cognitione obscura, & probabili est formaliter euidens; sed cognitio euidens abstractiua, qua cognosco, v.g. Deum esse, per suam essentiam præcisè est formaliter distincta à cognitione obscura, & probabili, vt per se constat; ergo talis cognitio per suam essentiam præcisè est formaliter euidens.

13 Dicat quis hanc rationem solum probare cognitionem tam intuitiuam, quam abstractiuam, esse per suam essentiam præcisè euidentem, & claram remotè tantum, & radicaliter, non vero proximè, & formaliter, nisi per modum distinctum ei superadditum. Sed contra: claritas, & euidentia est illa, quæ manifestat obiectum potentiæ cognoscenti; ergo vel manifestat illud per modum obiecti cogniti, sicut lux manifestat potentiæ visiuæ colores, vel manifestat illud tamquam ratio formalis repræsentandi, ac exprimendi tale obiectum: atqui euidentia non manifestat obiectum potentiæ cognoscenti, per modum obiecti cogniti, euidentia enim non se tenet ex parte cognitionis, idem enigmet obiectum, quod ab vno cognoscitur euidenter, ab alio obscurè percipitur; ergo euidentia manifestat obiectum tamquam ratio formalis repræsentandi, & exprimendi tale obiectum; sed ratio formalis repræsentandi, & exprimendi potentiæ cognoscitiuæ obiectum est essentialiter, ac formaliter cognitio, nec in alio potest eius essentia consistere; ergo euidentia, & claritas intellectus est essentialiter, & formaliter cognitio ipsius intellectus; ergo non est modus distinctus ab essentia talis cognitionis.

14 Hæc autem euidentia est triplex, alia Moralis; alia Physica; alia Metaphysica. Euidentia moralis est illa, quæ fundatur in connexione quadam moraliter necessaria, quam habet moraliter vna res cum alia, v.g. si vir grauis, & sanctus aliquid se vidisse iure iurando affirmet, tunc illius testimonium habet connexionem moraliter necessariam cum re testificata: atque ita quando tali rei assensum præbeo propter eius testimonium, istæ assensus est moraliter euidens, quia in prædicta connexione moraliter necessaria fundatur. Physicè tamen hæc euidentia moralis potest subesse falso, quia physicè non repugnat, quia vir ille grauis, & Sanctus mentiretur, & falsum iuraret, quo casu assensus ille esset moraliter euidens, & physicè falsus.

15 Euidentia physica est illa, quæ fundatur in physica connexione, quam habet vna res cum alia. Verbi gratia accidentia panis habent physicam, & naturalem connexionem cum substantia panis, atque ita cum ego assentior hic esse substantiam panis, quia video eius accidentia, talis assensus est euidens physicè. Hæc autem euidentia etiam potest absolutè subesse falso, quia manentibus accidentibus panis potest absolutè Deus destruere substantiam panis, vt in Eucharistia contingit, & tunc assensus ille, quo assero ibi esse panis substantiam, est physicè euidens, quia fundatur in connexione naturali, & physica, quam habent panis accidentia, cum eius substantia; & tamen absolutè esset falsus, vt per se constat.

16 Dicat quis in prædicto casu, cum adest ibi substantia panis, esse assensum illum physicè euidentem, cum vero panis substantia à Deo miraculosè destruitur, talem

talem assensum non esse euidentem physicè; ac proinde euidentiam physicam non posse subesse falso. Sed contra: quando est eademmet connexio obiecti formalis cum materiali, & intellectus eodem modo obiecto assentitur propter illam, talis assensus, semper eodem modo est, vel non est euidens: atqui in nostro casu siue substantia illa panis miraculosè destruatur à Deo, siue non destruatur, semper manet eadem connexio naturalis, & physica obiecti formalis cum materiali, scilicet accidentium panis, cum ipsa panis substantia, & intellectus eodem modo assentitur propter talem connexionem esse ibi substantiam panis; ergo si quando substantia panis non destruitur, assensus est physicè euidens, etiam quando destructa est, erit euidens physicè.

17 Dicat præterea, cum quis assentitur esse ibi substantiam panis, solum asserere, esse ibi talem substantiam attenta præcisè connexione physica, quam eius accidentia habent cum illa, absque vllo miraculo; hoc autem semper est verum; ac proinde assensum illum physicè euidentem nunquam posse subesse falso. Sed contra: talis assensus, quo quis assereret attenta præcisè physica connexione absque miraculo esse ibi substantiam panis, vbi sunt eius accidentia, esset euidens non tantum physicè, sed etiam metaphysicè, vt infrà constabit, atque ita non loquimur de actu illo, sed de alio, quo quis iudicet absolutè esse hic substantiam panis, quia videt eius accidentia, quæ habent physicam connexionem cum illa; hic autem assensus est physicè euidens, vt iam ostendi, alias non esset physicè euidens me modo cum Petro loqui, quia posset Deus absolutè manentibus accidentibus Petri miraculosè eius substantiam annihilare; & tamen talis assensus potest subesse falso, cum possit diuinitus? substantia panis sub eius accidentibus non manere; ergo assensus physicè euidens potest falso subesse.

18 Euidentia metaphysica est illa, quæ fundatur in connexione omnino infallibili, & necessaria, quam vna res habet cum alia, v.g. homo habet necessariam, & infallibilem connexionem cum rationalitate, nequit enim esse homo, qui non sit rationalis: atque ita cum quis assentitur hominem esse rationalem, assensus iste est euidens metaphysicè, quia in prædicta connexione omnino necessaria, & infallibili innititur. Hæc autem euidentia non potest subesse falso, quia cum fundetur in connexione obiectiua omnino infallibili, non potest obiectum vlla ratione aliter se habere, ac per assensum metaphysicè euidentem manifestatur, ac proinde talis assensus euidens metaphysica euidentia non potest esse falsus.

19 Sed quærat quis an sit etiam euidentia in attestante, & ad quam ex dictis debeat reduci? Euidentia in attestante dicitur, quando quis propter testimonium alterius, quo aliunde euidenter scit non posse decipi nec decipere, rei ab ipso testificatæ assentitur, v. g. Christum esse risibilem. P. Vasquez tom. 1. in 1. part. disp. 131. cap. 3. docet prædictum assensum non esse euidentem, ac proinde non dari propriè euidentiam in attestante, quia medium illud extrinsecum, nempè testimonium alterius scilicet Dei clarè visum non ostendit euidenter connexionem, quam habent illa extrema videlicet Christus, & visibilitas inter se. Sed non rectè P. Vasquez, nam conclusio deducta ex duabus præmissis euidentibus, semper est euidens; sed ex hac præmissa euidenti: (quidquid Deus reuelat, & testificatur est verum: & ex ista præmissa etiam euidenti; (Deus testificatur Christum esse risibilem;) cuius testimonium suppono euidenter cognosci, sequitur rectè hæc conclusio; (ergo Christus est risibilis;) igitur hæc conclusio est euidens; sed hic non est alia euidentia nisi in attestante, vt constat; ergo talis conclusio est verè euidens euidentia in attestante. Vnde per medium extrinsecum benè potest connexio extremorum saltem extrinsecè demonstrari. Hæc autem euidentia, si vna præmissa illarum, ex quibus conclusio sequitur, sit tantum moraliter euidens, reducitur ad euidentiam moralem; si vna præmissa sit euidens tantum physicè, licèt alia sit euidens metaphysicè, reducitur ad euidentiam physicam; si vero vtraque præmissa sit metaphysicè euidens, reducitur ad euidentiam metaphysicam, quia conclusio ex vtraque præmissa euidentiam mutuatur.

Hic solet inquiri quanam euidentia sciat esse Romam is, qui nunquam ipsam viderit? Nonnulli Recentiores censent hoc sciri euidentia physica, quia physicè impossibile est tot homines ad mentiendum conuenisse, qui Romam esse testificantur. Ego quidem sentio hoc solum euidenter sciri euidentia morali non physica. Ratio est: quia assensus euidens physicè non potest naturaliter, & sine miraculo subesse falso; sed assensus, quo is, qui non vidit Romam, ob testimonium aliorum assentitur Romam esse, naturaliter, & sine miraculo potuit subesse falso, potuit enim Deus naturaliter, & sine miraculo permittere, vt omnes homines hoc testificantes mentirentur, quo casu falso subesset assensus iste; ergo assensus, quo quis ob aliorum testimonium assentitur Romam esse, est euidens euidentia solum morali, non physica. 20

De euidentia egimus: iam de certitudine disquiramus. Nonnulli dicunt certitudinem esse præcisè firmam adhæsionem intellectus cum obiecto. Sed obstat quod hæreticus firmiter suo errori adhæret, & tamen eius assensus non est certus. Alij censent certitudinem esse connexionem actus intellectus cum obiecto vero. Sed obstat, quod in sententia communi, quæ dicit veritatem esse essentialem cognitioni, cognitio vera solum probabilis habet connexionem necessariam cum obiecto vero; & tamen non est certa. Asserendum ergo, quod certitudo sit connexio actus cum obiecto vero, & firma adhæsio intellectus cum illo. Priora verba excludunt à ratione certitudinis cognitionem hæretici, quæ licet sit firma adhæsio actualis intellectus cum obiecto, tamen non habet connexionem cum obiecto vero. Posteriora verba excludunt ab eadem ratione cognitionem veram tantum probabilem, quæ licet iuxta communem sententiam habeat connexionem cum obiecto vero, tamen non est firma adhæsio intellectus cum illo. Posset etiam quispiam dicere certitudinem esse solum firmam adhæsionem intellectus cum obiecto radicalem, quod non inuenitur in assensu hæretici, qui quidem assensus licet de facto iungatur cum firma adhæsione formali, scilicet cum iudicio, quo hæreticus ob eius deprauatum intellectum iudicat obiectum non posse aliter se habere, ac per ipsius assensum iudicatur, tamen assensus ille, quantum est ex se, & natura sua petebat coniungi cum iudicio formidoloso de veritate obiecti; atque ideo talis assensus non habet firmam adhæsionem radicalem, in qua certitudo consistit, vt in logica diximus disp. 36. cap. 5. 21

Hæc autem certitudo est triplex iuxta triplicem connexionem, quam superius explicuimus. Alia est certitudo moralis, quæ fundatur in morali connexione actus cum subiecto; & hæc certitudo potest compari cum formidine physica, quia cognitio moraliter certa, cum eius obiectum possit physicè aliter se habere, potest etiam physicè subesse falso ac proinde cum tali cognitione moraliter certa potest intellectus physicè formidare. Alia est certitudo physica, quæ fundatur in physica connexione cognitionis cum obiecto. Hæc autem certitudo compatitur cum aliqua formidine (vt ita dicam) metaphysica, 22

quia cum obiectum talis cognitionis possit metaphysicè, & miraculosè aliter se habere, talis cognitio potest absolutè subesse falso, ac proinde cum tali cognitione physicè certa potest intellectus absolutè habere aliquam formidinem. Aliquam est certitudo metaphysica, quæ in connexione cognitionis cum obiecto omnino necessaria, & infallibili innititur, & hæc certitudo, cum nunquam possit subesse falso, cum nulla formidine compatitur.

23 Sed inquirat aliquis, an certitudo sit modus ex natura rei distinctus ab essentia cognitionis. Respondeo non esse modum distinctum, sed cognitionem per seipsam essentialiter esse certam. Ratio est: quia cognitio certa vt sic formaliter est cognitio firma, & connexa cum obiecto, vt constat ex dictis; sed cognitio certa per suam essentiam est firma, & connexa cum obiecto; ergo per suam essentiam est certa. Minor probatur: eatenus cognitio est firma, & connexa cum obiecto, quatenus, vel est euidens, vel innititur alicui motiuo infallibiliter connexo cum veritate obiecti, verbi gratia, testimonio Dei; atqui cognitio per suam essentiam est euidens, vt supra ostendi numero vndecimo, & etiam per suam essentiam cognitio fidei Diuinæ, verbi gratia, innititur testimonio Dei, cum sit essentialiter actus supernaturalis fidei: ergo cognitio per suam essentiam est firma, & connexa cum obiecto. Hic solet inquiri an vna cognitio possit esse certior, & euidentior quam alia? Mihi certa est pars affirmatiua, vt ostendi in Logic. disputatione trigesimasexta capite tertia.

CAPVT III.

An cognitio euidens possit cum actuali eiusdem obiecti fide, & opinione coherere?

24 COntrouersiam hanc quam fusè in dialectica agitaueram disput. 43. ferè per totam, iterum eam in examen adduco, vt ea quæ ibi statuimus non nihil roboris accipiant, & quasdam aduersariorum nouas solutiones euertam quibus mea doctrina clarior, & firmior persistat; in intellectu igitur nostro vt ibidem ostendimus, varij actus reperiuntur, nimirum scientia, opinio, fides, dubium, formido, suspicio. Scientia est cognitio clara innitens motiuo euidenti. Opinio est congrua quædam cognitio rei innitens motiuo probabili. Fides est cognitio obscura rei innitens alterius testimonio: si sit fides diuina, innititur testimonio diuino, & hæc est omnino certa, & infallibilis; si sit fides humana innititur tantum testimonio humano, & hæc tantum est physicè probabilis, & ad opinionem reducitur. Dubium est cognitio quædam, qua quis iudicat nullam partem contradictionis ex parte obiecti satis probari, & sic nulli esse assentiendum. Formido est cognitio, qua asserit intellectus obiectum aliquod, cui probabiliter assentitur, posse aliter se habere, ac per talem assensum repræsentatur. Suspicio est cognitio, qua aliquis ex probabili coniectura sentit rem aliquam probabilitatem habere; de tribus autem prioribus, scilicet, scientia, fide, & opinione, aliis actibus omissis, nonnihil in præsenti dicemus, ac primum scientiam ad fidem maximè diuinam referimus, & secundo ad opinionem, & inquirimus an scientia, & cognitio euidens cum actuali eiusdem obiecti, fide diuina naturaliter compatiatur.

25 Multi opinantur cognitionem scientificam, & actum fidei diuinæ circa idemmet obiectum, & in eodem subiecto nullatenus, etiam per diuersa media posse reperiri, sed necessario per scientiam omnem fidem euacuari. Ita D. Thomas locis ibidem cap. 6. 7. & 8. adductis Caietanus 2. 2. quæstion. 1. artic. 4. & 5. Capreolus, Ricardus, Scotus in 3. distinct. 24. quæstione prima Molina prima parte quæstione 1. artic. 2. disputat. 4. & alij relati à P. Valentia 3. parte disput. 1. quæstion. 1. punct. 4. §. 2. in principio. Conimbricens. lib. 1. de poster. resolutione capite 26. quæstion. 2. artic. 2. vbi absolutè definiunt scientiam non posse esse connaturaliter cum actu fidei diuinæ, licet possit diuinitus compati cum illo docent art. 3. §. *& si hæc opinio*, tenent eam Scotus, Bannez, Medina, Canus, Ruuius 1. poster. cap. 26. Luysius Turtianus in disputatione de fide, Lorca disputat. 14. Complutens. disput. 20. logic. quæst. 4. Ioannes à Sancto Thoma quæst. 26. logicæ art. 5. Lerma lib. 8. logic. q. 16. & plures alij.

ASSERTIO prima sit: cognitio scientifica, & actus 26
fidei diuinæ circa idemmet obiectum materiale per diuersa media, & motiua simul possunt naturaliter reperiri, hanc sententiam tuentur Alexander Alensis 3. parte quæst. 8. memb. 7. Altisiodor. Albertus Magnus, D. Bonauentura in 3. dist. 23. artic. 2. quæstion. 2. & 3. Durand. quæst. 1. & 2. Prologi, Ioann. Bæconius in 3. distinct. 25. quæst. 1. art. 1. & 2. Ocham, Gabriel, & alij nominales, Molina, Suarez, Carleton, Arriaga, Franciscus Alphonsus, Valentia, Tannerus, & nouissimè Ripalda disputatione 12. de fide section. 3. & plures alij quos in logica disp. 43. præcipuè capit. 7. numer. 45. pro hac sententia retuli, quam etiam non parum probabilem reputant Conimbricens. dicto art. 2. & illam saltem quo ad scientiam, quæ habetur per species alienas amplectitur P. Vasquez 1. parte disp. 4. numer. 3. cap. 2. & Coninch. de actibus humanis disputatione 11. dubio de cognitione intuitiua supernaturali. Probatur primo: Philosophus naturalis potest habere, & de facto habet actum fidei diuinæ, quo credit Deum esse, cum hoc omnibus proponatur, fide supernaturali credendum, tamquam necessarium omnino ad iustificationem iuxta illud Pauli ad Hebræos vndecimo. *Oportet accedentem ad Deum credere, quia est, & quia inquirentibus se remunerator sit:* Quod adducit Concilium Tridentinum sessione sexta, capite sexto, Canono tertio, vt dispositionem necessario requisitam ad impij iustificationem aperiat, sed Philosophus naturalis habet cognitionem naturalem scientificam, qua cognoscit euidenter Deum esse, vt ibidem etiam manifestè ostendimus: ergo cum cognitione scientifica, & euidenti potest simul habere actum fidei circa idem obiectum saltem per diuersum medium, & motiuum.

Dicat aliquis primo: Philosophum non semper 27
habere scientiam actualem existentiæ Dei, cum qua opponitur actus fidei circa eamdem Dei existentiam; licet semper habeat scientiam illius habitualem, cum qua actus ille fidei non repugnat; atque ideo posse Philosophum pro toto illo tempore, quo scientia actuali caret circa existentiam Dei, talem Dei existentiam credere fide diuina, sicque ad iustificationem disponi. Sed contra: Philosophus in quouis instanti, inquo aduertit ad Deum, potest ad iustificationem disponi, cum in tali instanti possit absolutè Deum super omnia amare, & iustificari; sed in eo instanti, in quo Philosophus habet scientiam actualem de existentia Dei, attendit ad Deum; ergo in eo instanti in quo Philosophus habet scientiam actualem de existentia Dei, potest ad iustificationem disponi: atqui ad iustificationem disponitur per actum fidei diuinæ, quo credit talem Dei existentiam, vt iam numero præcedenti ex D. Pauli, & Concil. Tridentini auctoritate monstraui: ergo in eo instanti in quo

quo Philosophus habet scientiam actualem circa existentiam Dei, potest simul habere actum fidei circa eandem existentiam.

28 Dicat secundò, vt aliquis ad Deum per iustificationem accedat, necessariò requiri, quod credat, vt asserit D. Paulus, id est, cognoscat Deum esse, quod etiam fit per cognitionem scientificam ipsius Dei, ac proinde licet Philosophus in eo instanti, in quo habet cognitionem scientificam existentiæ Dei, non possit habere actum fidei, adhuc tunc poterit ad iustificationem disponi. Sed contrà: vt Philosophus in aliquo instanti disponatur ad iustificationem, debet iuxta D. Paulum credere, seu cognoscere Deum esse, vt oportet ad salutem; sed per solam cognitionem scientificam non credit, nec cognoscit Philosophus Deum esse, vt oportet ad salutem; ergo per cognitionem scientificam existentiæ Dei non potest ille disponi ad iustificationem. Minor probatur: non potest aliquis credere, seu cognoscere, vt oportet ad salutem, solis viribus naturæ sine gratia Dei, vt definit Tridentinum sess. 6. can. 3. sed potest homo habere cognitionem scientificam circa Dei existentiam solis viribus naturæ sine gratia Dei, hæc enim cognitio Dei ex creaturis est omnino naturalis; ergo per cognitionem scientificam existentiæ Dei non credit, aut cognoscit Philosophus Deum esse, vt oportet ad salutem. Confirmatur: non potest quis ad iustificationem disponi, nisi per actum amoris Dei supernaturalem; sed non potest haberi actus amoris Dei supernaturalis sine supernaturali eiusdem Dei cognitione, qualis non est cognitio scientifica existentiæ Dei, sed actus fidei diuinæ circa ipsius Dei existentiam; ergo non potest aliquis ad iustificationem disponi per cognitionem scientificam existentiæ Dei, sed per fidem actualem eiusdem existentiæ; ergo si in eo instanti, in quo Philosophus habet scientiam actualem existentiæ Dei, potest ad iustificationem disponi, poterit in tali instanti simul habere actum fidei diuinæ circa existentiam Dei, quam euidenter cognoscit.

29 Probatur secundò à priori: id, quod non implicat esse naturaliter potest naturaliter dari; sed non implicat esse simul naturaliter cognitionem scientificam, & actum fidei circa idem obiectum; ergo naturaliter dari possunt cognitio scientifica, & actus fidei circa idem obiectum. Minor probatur: id implicat esse naturaliter, ex quo, si naturaliter daretur, sequerentur duo contradictoria; sed ex eo, quod quis naturaliter per medium euidens, scilicet per creata cognoscat euidenter, & scientificè esse Deum, & simul per aliud medium, scilicet testimonium diuinum credat, & assentiatur Deum esse, non sequentur duo contradictoria; ergo non implicat naturaliter dari cognitionem scientificam, & actum fidei diuinæ circa idemmet obiectum, v. g. existentiam Dei.

30 Dicat quis euidentiam, & ineuidentiam directè, & contradictoriè opponi; si autem aliquis simul haberet scientiam actualem, & fidē circa idem obiectum, haberet simul euidentiam, & ineuidentiam, nam scientia est euidens, fides verò etiam diuina est ineuidens, & obscura; & ideo non posse simul habere scientiam actualem, & fidem respectu eiusdem obiecti. Sed contrà: euidentia, & ineuidentia in diuersis subiectis non opponuntur contradictoriè, sed tantùm in eodem subiecto, nam contradictio debet necessariò esse respectu eiusdem; sed si aliquis haberet simul scientiam, & actum fidei circa idem obiectum, euidentia, & ineuidentia non essent in eodem subiecto, sed in diuersis; ergo ibi nulla esset contradictio. Minor probatur: euidentia, quæ esset ipsamet cognitio scientifica esset immediatè in intellectu, carentia autem euidentiæ, seu ineuidentia esset immediatè in ipso actu fidei, qui denominatur ineuidens, & carens euidentia; sed intellectus, & actus fidei non sunt idemmet subiectum, sed diuersa subiecta; ergo si aliquis haberet simul scientiam, & fidem circa idem obiectum, euidentia, & ineuidentia non essent in eodem subiecto, sed in diuersis.

Confirmatur: in eodem intellectu dantur simul naturaliter actus iudicatiuus, scilicet iudicium, & actus non iudicatiuus, scilicet simplex apprehensio circa idem obiectum, quia ratio iudicatiui, cum sit ipsummet iudicium, est in intellectu; & carentia, seu negatio iudicatiui est tantùm in simplici apprehensione, quæ non iudicat. Item, in eadem voluntate dantur simul naturaliter volitio efficax, scilicet intentio absoluta finis, & volitio inefficax, scilicet simplex complacentia in tali fine, quia efficacia illa cum sit ipsamet intentio absoluta, est in voluntate, carentia vero, ac negatio efficaciæ est tantùm in simplici complacentia, quæ est inefficax. Similiter dantur simul naturaliter lumen clarissimum, & splendidissimum, scilicet lumen solis, & lumen non ita clarum, & splendidum, scilicet lumen remissum, & obscurum, lucernæ exiguæ, quia illa claritas, & splendor, cum sit ipsummet lumen intensum, est in aëre; carentia vero, & negatio illius claritatis, & splendoris est tantùm in alio lumine obscuro, & remisso lucernæ exiguæ; ac proinde omnia ista, cum non in eodem, sed in diuersis sint subiectis, sibi mutuo non repugnant; atqui si in eodem intellectu essent scientia actualis, & fides eiusdem obiecti, euidentia scientiæ, cum esset ipsamet scientia, esset in intellectu, carentia vero, & negatio euidentiæ esset in actu fidei, qui secundum se est obscurus, & ineuidens, atque ita euidentia, & ineuidentia non essent in eodem subiecto, sed in diuersis, quod non repugnat; ergo naturaliter possunt dari scientia actualis, & fides respectu eiusdem obiecti. 31

Obiiciat aliquis primò, fidem iuxta D. Paulum ad Hebr. 11. *esse argumentum non apparentium*, quod confirmant D. Augustinus tract. 79. in Ioann. & Magn. Gregor. homil. in cap. 20. Ioannis in illa verba: *quia vidisti me Thoma credidisti* asserentes eorum, quæ euidenter apparent non esse fidem, sed cognitionem. Respondeo, fidem non posse esse eorum, quæ euidenter appareant ex vi formalis obiecti motiui eiusdem fidei, si enim testimonium Dei clarè cognosceretur, non posset quis per fidem assentiri rei testificatæ per illud; posse tamen fidem esse eorum, quæ euidenter appareant, non ex vi motiui fidei, sed ex vi alterius motiui scientiæ, si enim testimonium Dei aliquam rem testificans obscurè per fidem cognoscatur, licèt res illa testificata euidenter per aliud medium appareat, rectè potest intellectus ei etiam per fidem propter Dei testimonium assentiri, non ergo est de necessitate fidei, vt obiectum ipsius non sit euidens concomitanter, & per aliud medium, sed solùm vt non sit euidens per fidem, vel per medium ipsius, in quo sensu tantùm dicimus fidem esse posse cum scientia eiusdem obiecti, quod non inficiantur Ecclesiæ Patres, qui solùm in priori sensu loquuntur, & in quo S. Thomas etiam intelligendus est. 32

Obiiciat secundò, ad actum fidei diuinæ prærequiritur propria affectio, nam in Concilio Arausic. canone 5. dicitur *initium fidei esse ipsum credulitatis affectum*; sed si res, quæ creditur per fidem, clarè, & euidenter per scientiam cognosceretur, ad actum fidei non prærequireretur necessariò propria voluntatis affectio, nam tali obiecto, quod clarè intellectus sciret, ipse inclinatione innata facile assentiretur; ergo res, quæ per fidem creditur, non potest simul per scientiam clarè cognosci. Respondeo, propriam voluntatis affectionem eatenus præcisè requiri ad actum fidei, quatenus requiritur ad assentiendum reuelationi diuinæ, nam postquam quis per fidem firmiter assenti- 33

tur Deum primam veritatem, rem aliquam reuelasse, intellectus absque alia pia affectione est iam necessariò determinatus ad assentiendum illi rei: in casu ergo nostro, quo res à Deo reuelata etiam per aliud medium euidenter sciatur, adhuc reuelatio Dei manet
1 obscura respectu nostri intellectus, & ad assentiendum illi per fidem requiritur affectio, & consequenter ad assentiendum rei reuelatæ propter reuelationem diuinam per assensum fidei, etiam si res illa aliunde sciatur, requiritur pia affectio voluntatis, quatenus hæc requiritur ad assentiendum ipsi reuelationi diuinæ, sine qua non potest credi res illa: ac proinde siue res reuelata, clarè per aliud medium sciatur, siue non sciatur, eodem modo requiritur pia affectio ad assentiendum illi per fidem propter reuelationem diuinam; hac igitur ratione non implicat quod idem obiectum per diuersa media, & credatur per fidem, & simul per scientiam euidenter cognoscatur.

34 Obiiciat tertiò, actus fidei est meritorius; sed si eadem res, quæ per fidem creditur, euidenter per rationem sciretur, actus ille fidei non esset meritorius, nam vt inquit Gregor. homil. 26. in Euang. *Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum*; ergo actus fidei non potest esse de re, quæ clarè per rationem humanam cognoscatur. Respondeo, si res, quæ creditur, appareat clarè ex vi formalis motiui fidei, fides non haberet meritum, vt docet Magn. Gregorius; si verò appareat res illa, non ex vi motiui fidei, scilicet reuelationis diuinæ, sed tantùm ex vi alterius medij, & motiui scientiæ, fides habet meritum, nam licèt intellectus sit determinatus ad assentiendum tali rei propter motiuum scientiæ, quod clarè cognoscit, non tamen est determinatus ad assentiendum ipsi propter motiuum fidei, scilicet reuelationem diuinam, quæ obscurè tantùm proponitur. Verba ergo illa Gregor. sic exponit D. Bonauent. in 3. distinct. 24. quæst. 2. quod quis ita vult credere, vel assentiri, quia experientia videt rem ita esse, vt Philosophus Christianus assentitur Deum esse, non quia Deus dixit, sed quia ipse experientia, vel ratione ita esse comperit, atque ita talis assensus solo nititur experimento, non verò in Dei auctoritate, rebus ergo visis assentiri, quia videntur nullum est meritum, assentiri tamen rebus visis, quia dicuntur à Deo, actus est meritorius, minus tamen quam si non fuissent omnino visæ, vt ipsa veritas attestatur Ioan. 20. *Beati qui crediderunt, & non viderunt.*

35 Obiiciat quartò, quando illuminat lux splendidissima, scilicet lux solis, non illuminat lux exigua, scilicet lux stellæ, & ideo in die non cernimus lucem stellarum sicut in nocte; atqui cognitio scientifica est lux quædam splendidissima, & cognitio fidei est lux quædam obscura, & exigua; ergo quando in intellectu illuminat cognitio euidens scientiæ, cognitio fidei obscura non illuminat. Respondeo, etiam in die ad præsentiam solis lucem exiguam stellæ aërem illuminare, quia verò totum spatium alia luce eiusdem rationis solis irradiatione perfunditur, non potest à nobis in die, sicut in nocte discerni, quænam sit lux stellarum; ac proinde etiam lumen fidei potest illustrare intellectum, qui simul lumine scientiæ illustratur.

36 Sed quærat quis an per eundem actum possit eidem rei assentiri propter motiuum scientiæ, & propter motiuum fidei? Partem affirmantem complectuntur Durandus in Prologo quæstione 2. articulo 2. Palud. in 3. distinctione 24. quæstione 5. articulo 3. Molina 1. part. quæst. 1. articulo 1. disputatione 1. 5. in omni lege, Conimbricenses in Log. lib. 1. de poster. resolut. cap. 26. quæstione 2. articulo 4. Ratio eorum est: quia si ratio aliqua obstaret, maxime, quia idem actus esset euidens, & obscurus; atqui actus ille non esset obscurus, sed tantùm euidens; ergo nulla ratio obstat, quo minus idem actus possit tendere ad idem obiectum propter motiuum fidei, & motiuum scientiæ. Minor probatur: vt actus sit absolutè euidens, & non obscurus sufficit, quod ex aliquo saltem capite euidentiam capiat, vna enim euidentia fugat ab eodem subiecto omnem obscuritatem, sicut vna lux fugat ab eodem subiecto omnes tenebras; sed actus ille, qui inniteretur motiuo scientiæ, & motiuo fidei diuinæ, ex vno capite scilicet ex motiuo claro scientiæ caperet euidentiam, etsi ex alio capite, scilicet ex motiuo fidei non capiat euidentiam, sed solùm certitudinem; sicut actus Theologicus ex vna præmissa supernaturali haurit supernaturalitatem, & ex alia præmissa naturali, & euidenti non haurit supernaturalitatem, sed tantùm claritatem; ergo actus, qui in vtroque fidei, & scientiæ motiuo inniteretur, non esset obscurus, sed tantùm euidens: ac proinde non repugnat, ego tamen sto dictis suprà, & in Logica, & hæc de scientia naturali respectu fidei diuinæ.

Primùm ergo scientiam ipsam ad opinionem comparemus & inquirimus, an scientia, & opinio eiusdem 37
obiecti simul naturaliter esse queant? negare videntur Aristot. D. Thomas, Gregor. & plures à Conimbricensibus relati lib. 1. de poster. resolut. capite 26. quæstione 2. articulo 2. & Complutenses, Ioann. à S. Thoma, & alij à nobis adducti in Log. disputat. 43. cap. 6. & 7. sed omnes illos, & istos existimo loquutos de opinione, quæ habet adiunctam formalem formidinem, qua quis iudicat rem illam, de qua opinatur, posse aliter se habere, quam cognoscitur, cum hac enim opinione, & formidine certum est scientiam eiusdem rei compati non posse, nam per scientiam habet intellectus iudicium illi contradictorium, scilicet rem, quæ scitur, non posse aliter esse, quam cognoscitur, duo autem iudicia contradictoria non possunt esse simul in intellectu; ac proinde nec illa opinio, ac formido formalis potest esse simul in intellectu cum scientia euidenti, vt nos etiam in Logica latè ostendimus disputatione 43. capite 6. controuersia ergo solùm est de opinione, quæ non habeat secum coniunctam formidinem illam formalem, sed tantùm radicalem.

Assertio secunda sit. Scientia, & opinio eiusdem rei possunt in eodem intellectu naturaliter reperiri per motiuum, & medium diuersum, ita docui latè in Logica disputatione 43. capite 6. & 7. numero 45. & sequentibus, & eam tenent omnes auctores à nobis adducti suprà assertione 1. numero 25. vt D. Bonauent. in 3. distinctione 23. artic. 2. quæst. 2. & 3. Alensis 3. part. quæst. 79. numero 30. Henricus quodlibeto 1. quæstione 14. Ioan. Bæconius, Ocham, Gabriel. Molina, Hurtado, Carleton, Arriaga, Franciscus Alphonsus, Suarez, Tannerus, Durandus quæstione prima, Prologi Valent. 3. part. disputatione 1. punct. 4. & Conimbricenses suprà articulo 2. Ioannes de Lugo disputatione 2. de fide sectione 2. conclus. 1. & plures alij. Probatur: scientia est cognitio, quæ innititur motiuo euidenti, opinio verò est cognitio, quæ innititur motiuo probabili; sed non implicat, quod eiusdem obiecti in eodem intellectu sit naturaliter vna cognitio, quæ innitatur motiuo euidenti, & alia simul cognitio, quæ innitatur motiuo probabili; ex hoc enim quænam contradictoria sequuntur, quæ deberent sequi, vt talis res implicaret; ergo non implicat, quod idem intellectus habeat simul scientiam, & opinionem eiusdem obiecti. 38

Dices primò, actum scientiæ, & opinionis esse incompossibiles in eodem intellectu de eadem re, quia opinio obiectum repræsentat obscurè & fallibiliter, scientia verò clarè, & infallibiliter, claritas autem, & obscuritas

obſcuritas non minus opponuntur in eodem intellectu, quam lux, & tenebræ. Sed impugnatur primò, quia opinio, & ſcientia non opponuntur in intellectu contradictoriè ſicut affirmatio, & negatio, ſed feruntur in idem obiectum affirmatiuè, ſicut vnus actus ſub motiuo diuerſo, actum autem eſſe clarum, aut obſcurum, perfectum, aut imperfectum, non impedit vt in eodem intellectu compatiantur, vt oſtendi etiam in Logica loco allegato, & conſtat ex apprehenſione, & iudicio, qui dantur in eodem intellectu circa idem obiectum. Impugnatur ſecundò, quia ſcientia, & opinio non ſe habent ſicut forma, & priuatio formæ, vel ſicut lux, & tenebræ, quia receſſus vnius formaliter eſt acceſſus ad aliud, ſed opponuntur ſolùm inſtar maioris, aut minoris luminis; ergo ſicut v. g. dicere ſolemus locum aliquem eſſe obſcurum, licèt ibi ſit aliquid lucis, ita poſſunt eſſe in eodem intellectu de eadem re per diuerſum medium ſcientia, & opinio.

39 Dices ſecundò, ſcientiam eſſe cognitionem certam, opinionem verò eſſe cognitionem cum formidine; certitudo autem, & formido non poſſunt eſſe ſimul; ac proinde nec ſcientia, & opinio. Sed contrà: certitudo formalis ſcientiæ non opponitur cum formidine radicali; ſed opinio vt ſic formaliter non includit niſi tantùm formidinem radicalem, non verò formalem; ergo formalis certitudo ſcientiæ non opponitur cum opinione vt ſic formaliter. Conſequentia eſt euidens. Maior probatur: quia non magis opponitur certitudo cum formidine, quam perfeitas cum inhæſione, nam ſicut certitudo directè excludit formidinem, ita perfeitas directè excludit inhæſionem: atqui perfeitas formalis non opponitur cum inhæſione radicali, accidentia enim Euchariſtiæ habent perfeitatem formalem, cum formaliter per ſe exiſtant, & etiam inhæſionem radicalem, cum per ſe ipſa petant inhærere formaliter; ergo etiam certitudo formalis ſcientiæ non opponitur cum formidine radicali. Minor autem primi ſyllogiſmi ſic oſtenditur: cum quis alicui concluſioni falſæ aſſentitur propter medium aliquod probabile putans eſſe euidens, quod ſæpè accidit, tunc ille non habet verè ſcientiam, ſed opinionem tantùm talis concluſionis, quia quod non eſt, ſcilicet verum non ſcitur; & tamen in tali caſu iſte, qui habet opinionem, non habet formalem formidinem, non enim iudicat rem illam, de qua opinatur, poſſe aliter eſſe, ac per ipſum cognoſcitur, quinimo expreſsè affirmat non poſſe eſſe aliter, quam apparet; ergo opinio vt ſic formaliter non habet ſecum adiunctam formalem formidinem, ſed tantùm radicalem. Confirmatur: ſi aliqua ratione ſcientia non poſſet eſſe ſimul cum opinione, maxime, quia ille, qui habet ſcientiam, iudicat rem, quam cognoſcit, non poſſe aliter ſe habere, quam ipſi apparet, quod non compatitur cum opinione circa eamdem rem; atqui poteſt aliquis expreſsè iudicare rem, quam cognoſcit, non poſſe aliter ſe habere, quam ipſi apparet, & habere ſimul opinionem de illa re, vt nuper oſtendi; ergo nulla eſt ratio, quare repugnat eſſe ſimul naturaliter ſcientiam, & opinionem de eadem re.

40 Verùm aliquis inquirat, an idem actus poſſit ad idem obiectum tendere propter vtrumque motiuum, ſcilicet motiuum euidens ſcientiæ, & motiuum probabile opinionis, ita vt actus ille ſit ſimul opinionis, & ſcientiæ? Arbitrantur Arriaga diſputatione 6. de anima ſect. 6. ſubſect. 3. Carleton diſputatione 50. Logicæ ſectione 4. Franciſcus Alphonſus diſputatione 16. capite 6. de anima ſectione 9. numero 68. contra P. Suarez diſputatione 3. de fide. Durand. in 3. diſtinctione 31. quæſtione 4. Maiorem, Baſolem, & alios, id non repugnare. Probatur: quia ſi aliqua ratione non poſſet dari talis actus, qui medio euidenti, & probabili inniteretur, maxime, quia eſſet certus, & non certus, excluderet formidinem, & non excluderet, quod repugnat; atqui etiam ſi actus ille inniteretur vtroque medio, illa contradictoria non ſequerentur, ſed eſſet tantùm certus, & excludens omnem formidinem; ergo bene poteſt dari talis actus, qui in vtroque illo motiuo innitatur. Minor probatur: vt actus aliquis non ſit vllo modo incertus, ſed certus, & excludens omnem formidinem, tantùm requiritur, quod ex aliquo capite capiat neceſſariam connexionem, & firmam adhæſionem cum obiecto, in quo ratio certitudinis conſiſtit, qua omnis certitudo, atque formido euacuatur; atqui ſi actus ille innitatur in motiuo euidenti, & in motiuo probabili, iam ex vno ſaltem capite, ſcilicet ex motiuo euidenti accipit neceſſariam connexionem, & firmam adhæſionem cum obiecto; ergo actus ille etiam ſi inniteretur in vtroque medio non eſſet incertus, ſed tantùm certus, & excludens omnem formidinem.

Dices: actus opinionis non eſt certus; ergo ſi ille actus eſſet omnino certus, non eſſet opinio. Reſpondeo, actum opinionis vt ſic formaliter non eſſe certum præciſiuè, id eſt, præſcindere à certitudine; non verò negatiuè, quia realiter non negat, nec excludit neceſſariò certitudinem; actus ergo ille, qui in vtroque medio inniteretur, vt eſſet propter medium probabile præcisè, non eſſet certus præciſiuè, quia à certitudine præſcinderet; ac proinde vt ſic formaliter eſſet opinatiuus; vt autem eſſet propter medium euidens, eſſet omnino certus, & clarus; ac proinde vt ſic formaliter eſſet ſcientificus. Dices: actus ille cum eſſet omnino certus, & euidens, quod non eſt in medio probabili, nihil ab illo accipit; ergo non innititur in illo. Reſpondeo, talem aſſenſum propter medium euidenti, & medium probabile habere à medio euidenti firmam adhæſionem cum obiecto, à medio verò probabili determinationem aliquam ſaltem extenſiuè maiorem, quam ſi medio tantùm euidenti inniteretur; atque ideo in vtroque medio innititur, & eſt ſimul ſcientificus, & opinatiuus, quidquid reclamitent Conimbricenſes & alij ab ipſis relati vbi ſuprà art. 4. quod probabile etiam ego ſentio.

Dices tertiò, idem actus non poteſt eſſe clarus, & 41
obſcurus, certus, & incertus; ergo nec ſcientia, & opinio in eodem intellectu. Reſpondeo, eumdem actum poſſe ſimpliciter eſſe clarum, & certum, & obſcurum, & incertum ſecundum quid, ſeu præciſiuè, quia poteſt non habere certitudinem, & claritatem ex motiuo opinionis, atque ita actus qui ſunt opinionis, ſeu fidei, poſſunt eſſe obſcuri, & incerti, actus verò qui ſimul ſunt ſcientia non poſſunt eſſe obſcuri, & incerti, ſed tantùm ex motiuo fidei, aut opinionis.

Dices quartò, ergo hæ propoſitiones ſunt veræ, opinio eſt certa, ſcientia eſt obſcura, quod nemo dicit. Reſpondeo, ſcientiam, quæ tantùm eſt ſcientia non habere obſcuritatem, ſcientiam vero, quæ ſimul eſt opinio ex motiuo probabili eſſe obſcuram ſecundum quid, non verò ſimpliciter vt ſuprà oſtendi numero 37. exemplo lucis exiguæ comparatione maioris.

CAPVT

CAPVT IV.

Quid sit cognitio quidditatiua, quid intuitiua, & in quo ratio comprehensionis consistat?

42 COgnitio quidditatiua est cognitio essentiæ rei per propriam speciem, vel per speciem eius, in quo eminenter continetur: vnde cognitio rei in seipsa, vel cognitio eius quidditatis in sua causa est propriè, & strictè cognitio quidditatiua; cognitio verò essentiæ rei per effectum, vel quid simile non est quidditatiua strictè, aliàs supernaturalis cognitio scientiæ infusæ, qua Christus in effectu, vel in visione beatifica alterius beati à se cognita Dei essentiam, & quidditatem cognoscit, esset strictè cognitio Dei quidditatiua, quod nullus admittit. Ample tamen cognitio totius rei quidditatis per effectum dicitur quidditatiua, notitia enim qua per actus sentiendi, & ratiocinandi hominem esse animal rationale cognoscimus, quidditatiua vocatur.

43 Visio verò siue cognitio intuitiua est cognitio rei existentis per propriam speciem, siue de præsenti existat, siue extiterit, siue extitura sit; vnde cognitio, qua Deus videt Antichristum futurum, est verè intuitiua. Hinc cognitio abstractiua est cognitio rei non existentis, vel saltem rei existentis per alienas species, vt cognitio rei possibilis, vel rei existentis per speciem sui effectus. Vt conclusio est abstractiua, quia fertur in obiectum non immediatè cognitum in se, sed per præmissas priùs cognitas. Non implicat dari in eodem intellectu simul cognitionem intuitiuam, & notitiam abstractiuam eiusdemmet obiecti, Angelus enim beatus cognoscit Deum intuitiuè in seipso, & abstractiuè ex creaturis. Et beatus videt Deum intuitiuè, & creaturas in illo abstractiuè.

44 Quæres primò, an visio albedinis, verbi gratia, destructa de potentia Dei ipsa albedine, dicenda esset intuitiua. Respondeo, dato illo casu, & conseruata illa visione albedinis, destructa ipsa albedine, dicendam fore intuitiuam. Ratio est: quia talis cognitio connaturaliter peteret existentiam sui obiecti, & ex vi illius posset intellectus colligere illius existentiam, sicut viso accidente connaturaliter potest colligere subiecti existentiam, etiam si diuinitus conseruet Deus tale accidens sine subiecto, talis tamen cognitio non diceretur intuitiua adæquatè, sed inchoatè, & in potentia, quia quantum est ex se petit talem obiecti existentiam, cognitio verò intuitiua adæquata vltra hoc includit aliquid extrinsecum, nempe existentiam obiecti, & ideo in tali casu diceretur visio albedinis intuitiua in potentia, seu inchoatiuè. Nec valet dicere cognitionem illam esse falsam, eo quod non existat obiectum, quod repræsentet, nec intuitiuam. Sed contrà: quia talis cognitio in se retinet propriam speciem albedinis, & ex se est repræsentatiua, nec requiritur, quod repræsentet existentiam albedinis, hoc, vel illo tempore existentem; sufficit enim, quod immediatè terminetur ad albedinem, quæ si existeret, repræsentaret.

45 Quæres secundò, an visio, qua Petrus se videt in speculo sit intuitiua, an abstractiua? Respondeo, vtrumque esse probabile, nam si talis visio terminetur ad aliquam imaginem Petri in speculo efformatam, erit abstractiua, si verò immediatè terminetur ad ipsum Petrum, & ipsum immediatè in speculo repræsentet, erit intuitiua, sicut cognitio memoratiua qua recordor de re heri à me visa, quia est immediata, & de re existente pro aliqua differentia temporis, vt nuper ostendi quæsito primo, erit intuitiua.

Ex his manifestè deprehendes differentiam inter cognitionem intuitiuam, & quidditatiuam, illa enim latiùs patet, vt constat in visione qua quis à longè cognoscit colorem, vel hominem, quia talis cognitio erit intuitiua, vtpote habita immediatè per propriam speciem coloris, vel hominis, non tamen erit quidditatiua, quia ex vi illius non potest quis directè dicere, quid illud sit, quod videt, sed tantùm in confuso, quia verò non cognoscit clarè, & explicitè vltimam differentiam coloris, vel hominis, non est cognitio quidditatiua, quia ad illam necessariò desideratur vt ex vi illius clarè, & explicitè cognoscatur, quid res illa sit, & quomodo ab aliis distinguatur per medium æquè perfectum, ac est ipsa res. 46

Secundò, deprehendes cognitionem intuitiuam non posse præscindere in obiecto creato in formalitatibus, quæ à parte rei sunt inter se identificatæ, quam illationem latè probaui tunc in Logica disputatione 6. ferè per totam, & in præsenti disputatione 14. capite 2. & eam tuentur. P. Vasquez 1. part. disput. 50. num. 12. & disputatione 48. capite 2. Molina 1. part. quæst. 12. articulo 8. disputatione 4. Suarez lib. 2. de attributis negatiuis capite 22. Herice 1. part. disputatione 50. capite 1. & 2. latissimè P. Hurtado disputatione 6. metaph. sectione 4. & in Logica disputatione per totam. Arriaga, Franciscus Alphonsus disputatione 16. de anima sectione 3 & alij permulti. Et vlterius breuiter probari potest. Primò, quia per cognitionem intuitiuam videtur obiectum clarè à parte rei, vt est in se, sed à parte rei omnes formalitates talis obiecti sunt realiter identificatæ; ergo per cognitionem intuitiuam non potest vna formalitas præscindi ab alia. Secundò, quia cognitio qua in formalitatibus realiter identificatis videtur vna, non visa alia est formaliter abstractiua, nam abstrahere nihil aliud est quam vnum sine altero cognoscere; ergo vt cognitio intuitiua abstractiua distinguatur, non poterit in obiecto creato vnam formalitatem ab alia ex parte obiecti præscindere. Tertiò, quia ex D. Thoma 1. part. quæstione 12. articulo 4. cognitio corporea non præscindit in obiecto, quod intuetur vnam formalitatem ab alia; ergo nec intellectiua. Antecedens datur ab illis, quia cognitio corporea videt totum, quod est in obiecto clarè, & explicitè per speciem propriam immediatè emissam ab ipso obiecto. Consequentia vrgetur à paritate rationis, quia etiam cognitio intuitiua cognoscit clarè, & explicitè totum obiectum, in quo omnes formalitates sunt realiter identificatæ; ergo nec etiam cognitio intuitiua poterit ex parte obiecti præscindere vnam formalitatem ab alia, quidquid reclament Salas 1.2. tom. 1. disputatione 4. sectione 2. Granados de visione tractatu 5. disputatione 5. & 7. Ægidius, Lusitanus, libro 5. quæstione 14. articulo 5. Carleron disputatione 25. Logicæ sectione 1. vbi defendit cognitionem intuitiuam præscindere ex parte obiecti non verò cognitionem corpoream. 47

Maior autem difficultas est, in explicanda ratione formali cognitionis comprehensiuæ; plures ex nobilioribus Theologis opinantur rei comprehensionem, vt sic formaliter esse cognitionem illam, qua explicitè cognoscuntur omnia, qaæ sunt formaliter, & eminenter in tali re, & omnia illa, cum quibus res ista habet connexionem per se, scilicet eius causas, effectus possibiles, & similia nec aliud ad formalem rationem comprehensionis desiderari. Ita D. Bonauent. in 3. distinctione 14. articulo 2. quæstione 3. Capreolus ibidem quæstione 2. articulo 3. & in 4. distinctione 49. quæstione vltima articulo 3. Ferrara 3. 48

contra

contra gent. cap. 56. Caietan. 3. part. quæſt. 10. artic. 2. Scotus in 4. diſtinct. 49. quæſt. 3. artic. 3. Molina 1. part. quæſt. 12. artic. 7. & 8. Suarez lib. 2. de Deo vno cap. 26. & 29. & 3. part. diſputatione 26. ſectione 3. Arrubal, Monecus, Conimbricenſes 1. Phyſic. cap. quæſt. 1. art. 1. aſſertio 4. & alij permulti, quibus fauet Valentia tom. 1. diſp. 1. quæſt. 12. punct. 5. §. quarto modo; huiuſmodi tamen cognitionem non poſſe creaturæ communicari.

49 ASSERTIO ſit. Comprehenſio rei eſt formaliter illa cognitio, qua res cognoſcitur adæquatè tam ex parte obiecti, quam ex parte modi cognoſcendi, hoc eſt, ea cognitio, qua formaliter cognoſcitur totum, quod per ſe eſt in obiecto modo nuper explicato, & cognitio ipſa, qua cognoſcitur tale obiectum, tam perfecta eſt in ratione cognitionis, quam eſt obiectum perfectum in ratione obiecti, & entitatiuè, ita vt ſi cognitio aliqua, non habeat tantam perfectionem in ratione cognitionis, quantam obiectum habet in ratione obiecti, licèt cognoſcatur per illam totum, quod eſt formaliter, & eminenter in ipſo obiecto, non erit comprehenſio illius. Ita Magiſter in 3. diſtinctione 14. §. quibus reſpondentes Alenſis 3. part. quæſt. 13. num. 7. Gregor. in 3. diſtinct. 44. quæſtione 2. Durand. in 3. diſtinctione 14. quæſt. 2. & in 4. diſtinctione 49. quæſtione 2. num. 13. Ricardus, Scotus, P. Vaſquez 1. part. diſputatione 52. cap. 2. & 53. cap. 4. Ruuij diſputatione de ſcientia Dei ſectione 3. Herice 1. part. diſputatione 4. cap. 4. Arriaga diſputatione 6. de anima ſectione 9. num. 37. Ouiedo controuerſ. 6. punct. 5. Carleton diſputatione 20. de anima ſectione 2. & 3. P. Hurtado diſputatione 10. de anima ſect. 3. Franciſcus Alphonſus diſputat. 16. de anima ſectione 6. & ni fallor expreſsè D. Thomas libro 3. contra gent. capite 55. in 4. diſtinctione 9. articulo 3. 1. part. quæſtione 12. articulo 8. & quæſtione 14. articulo 3. & de veritate, quæſtione 8. art. 2. quem ſequuntur omnes eius diſcipuli, & in hoc ſenſu intelligendi ſunt plures à nobis relati numero præcedenti.

50 Probatur manifeſtè ex verbis D. Thomæ 1. part. quæſt. 12. art. 7. ad 2. vbi inquit; *licèt omnia, quæ in obiecto ſunt cognoſcantur, ſi tamen non tam perfectè cognoſcantur, atque obiectum petit, non comprehenditur obiectum illud.* Idem quæſt. 8. de verit. art. 2. ad 3. ait: ad comprehenſionem non ſufficere, vt nihil lateat videntem, ſed vltetius requiri, *vt modus cognitionis ſit modus obiecti*, id eſt, tam perfectus ſit modus cognoſcendi, quam ſit ipſum obiectum in ſua entitate, idem comprobat in 4. diſtinctione 9. articulo 3. ad 4. *Dicendum, quod quando aliquis ſe cognoſcit, idem eſt modus cognoſcentis, & cogniti, & ideo ſe comprehendit*, quibus verbis manifeſtè oſtenditur ad rationem comprehenſionis neceſſariò prærequiri, quod cognitio adæquet in ratione cognitionis perfectionem, & cognoſcibilitatem obiecti. Et hoc idem probat D. Auguſtinus lib. 12. de Trinitate, capite 18. poſt medium dum dixit; *quidquid ſcientia comprehenditur, ſcientis cognitione finitur*; neque enim obiectum ſcientia finitur, niſi hæc in ratione cognitionis ad ea omnia, quæ obiectum in ſe continet, extendatur. Similiter D. Fulgent. ad Ferrandum ex eodem Auguſtino, hanc aſſertionem comprobauit illis verbis, *quia anima Chriſti non nouit Deitatem, ita vt Deitas ſit, Deitatem non comprehendit*; ergo ad comprehenſionem neceſſariò requiritur, quod perfectio cognitionis adæquet perfectionem entitatiuam obiecti.

51 Probatur primò, ratione; per cognitionem, quâ cognoſcerentur omnia, quæ formaliter, & eminenter ſunt in Deo, non cognoſceretur Deus quantum cognoſcibilis eſt; ergo non comprehenderetur. Conſequentia eſt bona, antecedens probatur: quia Deus eſt infinitè cognoſcibilis, ſicut eius eſſentia eſt ſimpliciter infinita, & omnium perfectiſſima; ergo petit cognitionem in ratione cognitionis infinitam, & omnium perfectiſſimam, & adæquatam cognoſcibilitati talis obiecti, quæ extra ipſum Deum implicat; ergo & cognitio intenſiuè comprehenſiua.

Secundò, probatur: poteſt dari viſio in vno Angelo, vel homine, quæ repræſentet Deum, & infinita in ipſo, verbi gratia, omnes Angelos poſſibiles, & alia viſio in eodem Angelo, vel alio, quæ repræſentet Deum, & in eo omnia alia poſſibilia, vna, quæ repræſentet omnes res materiales, alia quæ res ſupernaturales, alia quæ res naturales, & ſimilia, ſed nulla harum cognitionum eſſet comprehenſio; ergo non repugnat Deum, & omnia in ipſo cognoſci extenſiuè, & ipſum non comprehendi, cum comprehenſio conſiſtat in adæquatione intenſiua cognitionis cum obiecto.

Tertiò probatur ratione D. Thomæ: quia ſi quis cognitione tantùm probabili cognoſceret totum, quod eſt in obiecto formaliter, & eminenter, non comprehenderet tale obiectum, vt apud omnes in confeſſo eſt; ſed hoc non alia ratione, niſi quia cognitio illa, cum non ſit certa, & euidens, ſed probabilis, non eſt tam perfecta in ratione cognitionis, ac eſt obiectum in ratione obiecti, quod quidem ab alio principio ſecum proportionato eſt cognoſcibile per ſe cognitione clara, & euidenti; ergo ad rationem comprehenſionis non ſufficit, quod per aliquam cognitionem cognoſcatur totum, quod eſt formaliter, & eminenter in obiecto, ſed etiam requiritur, quod cognitio ſit tam perfecta in ratione cognitionis, quam eſt obiectum in ratione obiecti.

52 Dicat aliquis primò, cum cognitio comprehenſiua ſpectet ad ſupremum genus cognitionis, neceſſariò debet eſſe cognitio intuitiua; cognitio autem probabilis non eſt intuitiua; & ideo licèt totum cognoſcat, quod eſt in obiecto, non eſt comprehenſio. Si verò cognitio intuitiua ſit, & penetret totum, quod eſt in obiecto, nihil aliud requiretur, vt vera comprehenſio appelletur. Sed contrà: ponamus quod Beatus habeat diuinitus duplicem viſionem beatam; aliam, qua videat Deum, & in ipſo omnes effectus ſubſtantiales præcisè; aliam, qua videat Deum, & in ipſo omnes effectus tantùm accidentales: arguo ſic: Beatus per hanc duplicem viſionem videbit totum, quod eſt formaliter, & eminenter in Deo, vt per ſe conſtat; & tamen non comprehendet Deum, Deus enim eſt à creatura incomprehenſibilis, vt fides docet; ergo ad rationem comprehenſionis alicuius rei non ſufficit, quod intuitiuè videatur totum, quod eſt formaliter, & eminenter in obiecto, ſed etiam requiritur, quod cognitio ipſa intuitiua ſit tam perfecta in ratione cognitionis, quam eſt perfectum obiectum in ratione obiecti, ex cuius defectu in dicto caſu Beatus non comprehenderet Deum.

53 Dicat ſecundò, omnino implicari dari viſionem creatam, qua videantur in Deo omnes effectus ſubſtantiales præcisè, & non accidentales, vel omnes effectus accidentales præcisè, & non ſubſtantiales, nam eo ipſo, quod per viſionem aliquam videantur in eſſentia Dei omnes infiniti effectus ſubſtantiales, talis viſio eſt neceſſariò ſimpliciter infinita, ac proinde debent etiam neceſſariò cognoſci per illam omnes effectus accidentales; & eapropter caſum argumenti vtpote implicatorium non eſſe admittendum. Sed contrà: viſio Dei ex eo præcisè, quod in Deo videat omnes effectus ſubſtantiales non eſt ſimpliciter infinita; ergo ex eo præcisè, quod videat in Deo omnes effectus ſubſtantiales, non requiritur, quod per talem viſionem debeant etiam neceſſariò in

Deo

Deo videri omnes effectus accidentales; igitur potest dari in intellectu beati vna visio, qua in Deo videantur omnes effectus substantiales præcisè, & non accidentales; & alia visio similiter, qua videantur in Deo omnes effectus accidentales præcisè, & non substantiales; quo redit vis argumenti positi numero 52. Vtraque consequentia est euidens. Antecedens autem sic monstro: vt visio Dei sit simpliciter infinita, non sufficit, quod per ipsam videatur Deus, & infinitæ creaturæ in Deo, etenim per beatificam visionem animæ Christi videntur expressè in Deo infinitæ res futuræ, cum omnia futura videantur, & tamen talis visio animæ Christi est simpliciter finita; requiritur ergo etiam in aduersariorum sententia, vt visio Dei sit infinita simpliciter, quod cognoscat saltem omnia possibilia in Deo: atqui ex eo præcisè, quod visio aliqua Dei videat explicitè in Deo effectus omnes substantiales, non videntur per illam omnia possibilia in Deo, cum talem Dei visionem præscindamus à visione effectus accidentalium possibilium; ergo ex eo præcisè, quod visio Dei videat expressè in ipso Deo omnes eius effectus substantiales, non est visio simpliciter infinita; ergo, &c. Scio magis hoc argumentum vrgeri posse, sed quia Theologicum est, id in Theologiam remitto.

54 Obiiciat aliquis primò, comprehensio est illa cognitio, qua totum obiectum ita videtur, vt nihil illius lateat videntem, iuxta diffinitionem traditam à Diuo Augustino epistol. 112. capite 8. sed ex eo præcisè, quod per cognitionem aliquam cognoscantur omnia, quæ sunt in obiecto, licèt cognitio non sit tam perfecta in ratione cognitionis, ac est obiectum in ratione obiecti, ita per illam videtur obiectum, vt nihil illius lateat videntem; ergo ex eo præcisè talis cognitio iuxta D. Augustinum est formaliter comprehensio, licèt non sit tam perfecta in ratione cognitionis, quam est obiectum in ratione obiecti. Respondeo, duplicem esse comprehensionem rei; aliam imperfectam, & secundum quid, ad quam præcisè requiritur, quod totum id cognoscatur, quod est formaliter in re, quo pacto quælibet visio Dei est comprehensio ipsius Dei, & de hac comprehensione loquitur Augustinus cum dicit id comprehendi, quod ita videtur, vt nihil illius lateat videntem, nam visionem sensitiuam annuli docet ibi esse comprehensionem illius, quam quidem certum est esse tantùm comprehensionem secundum quid, in quo sensu loquitur Paulus 1. Corinth. 9. *Dum dicit, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium, sic currite vt comprehendatis*, & ad Philipp. 3. *Sequor autem, si quomodo comprehendam.* Et ad Ephes. 3. *Vt possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit longitudo, latitudo, &c.* aliam esse comprehensionem simpliciter, & perfectam, ad quam requiritur, quod per eam totum obiectum cognoscatur, & quod ipsa tam perfecta sit in ratione cognitionis, ac est obiectum in ratione obiecti, vt suprà asseruimus.

55 Obiiciat secundò, ratio comprehensionis spiritualis, ac intentionalis desumitur ad imitationem comprehensionis corporalis, cui primo nomen comprehensionis impositum fuit; sed ad comprehensionem corporalem tantùm requiritur, quod vna res tota ab alia contineatur, licèt hæc non sit tam perfecta, quam illa; ergo ad comprehensionem spiritualem, ac intentionalem tantùm requiritur, quod ab aliqua notitia totum obiectum contineatur, ac cognoscatur, licèt cognitio non sit tam perfecta in ratione cognitionis, ac est in ratione obiecti perfectum ipsum obiectum. Respondeo, nomen comprehensionis primo impositum fuisse ad significandam comprehensionem corporalem, postea extensum ad significandam etiam comprehensionem intentionalem; rationem verò comprehensionis longè perfectius, & strictius conuenire comprehensioni intentionali, quam corporali: vnde sicut ad comprehensionem corporalem sufficit, quod vna res tota quocumque modo ab altera contineatur corporaliter; & tamen ad comprehensionem intentionalem, non sufficit, quod totum obiectum quocumque modo intentionaliter contineatur, ac cognoscatur ab alio, nam cognitio probabilis totius obiecti non est comprehensio illius. Imò nec cognitio clara, & euidens talis obiecti, nisi etiam cognoscat ea, cum quibus ipsum obiectum habet connexionem per se, illud non comprehendet, vt ipsi aduersarij admittunt; ita similiter dicimus, quod licèt ad comprehensionem corporalem sufficiat, quod vna res tota contineatur ab alia corporaliter; ad comprehensionem tamen intentionalem, cum sit longè perfectior, & excellentior, etiam requiritur, quod cognitio continens sit tam perfecta in ratione cognitionis; ac est obiectum contentum in ratione obiecti.

Obiiciat tertiò, obiectum creatum lapis, verbi gratia, est adæquatè cognoscibile ex parte obiecti, scilicet secundum omnia, quæ continentur formaliter, & eminenter in ipso obiecto; & est etiam adæquatè cognoscibile ex parte cognitionis, videlicet per omnimodam cognitionem, qua potest cognosci; sed ad tale obiectum creatum comprehendendum non requiritur, quod cognoscatur adæquatè quantum cognoscibile est ex parte cognitionis, id est, omnimoda cognitione, qua potest cognosci, alias lapis non posset comprehendi, nisi tantùm increata cognitione à Deo, ac proinde tam incomprehensibilis esset lapis, ac ipse Deus, quod est absurdum; ergo ad veram comprehensionem sufficit, quod obiectum cognoscatur adæquatè, quantum cognoscibile est ex parte obiecti præcisè, scilicet, quod cognoscantur omnia, quæ sunt formaliter, & eminenter in ipso obiecto, nec alia cognitionis perfectio sit necessaria. 56

Dicat quis primò, ad rationem comprehensionis etiam requiri, quod obiectum cognoscatur quantum cognoscibile est per se ex parte cognitionis, id est, tanta cognitione, quanta ipsum petit cognosci; cum autem lapis, quia creatus est, ac finitus, finita, & creata cognitione petat cognosci; ideo tantùm finita, & creata cognitione est per se adæquatè cognoscibilis, & creata etiam cognitione comprehendi potest. Sed contrà: lapis, cum sit per se, & essentialiter ens creatum, & per participationem petit creari, ac fieri ab ente per essentiam, scilicet Deo; sed non potest à Deo fieri, nisi ab ipso cognoscatur; ergo lapis petit cognosci à Deo, atque ita cognitione diuina; ergo lapis est per se infinita, ac diuina cognitione cognoscibilis; atqui à nulla creatura potest cognosci quantum ipse per se cognoscibilis est; ac proinde nec comprehendi nisi à solo Deo. 57

Dicat secundò, obiectum, v.g. lapidem per se, & ratione sui immediatè solùm petere cognitionem creatam: si autem in casu argumenti creatura, vt fiat à Deo, petit cognitionem diuinam, id non est ratione sui immediatè, sed mediatè, & indirectè ratione Dei, qui alia cognitione, nisi infinita non potest quidpiam cognoscere, quod per accidens se habet ad comprehensionem; ac proinde creatura cognitione creata, & finita comprehendi potest Sed contrà: sumo aliud obiectum creatum, scilicet animam vt iustam formaliter, & gratam Deo: arguo sic: hoc obiectum creatum; scilicet anima vt grata petit per se, ac ratione sui immediatè, & directè amorem increatum ac diuinum; ergo petit etiam per se, ac ratione sui immediatè, ac directè cognitionem increatam, ac diuinam, atque ideo non potest alia cognitione comprehendi. Consequentia tenet à paritate rationis. Antecedens sic ostendo: amicus vt sic formaliter petit per se directè, & ratione sui immediatè 58

immediatè amari à ſuo amico, ſed hoc obiectum creatum, ſcilicet anima vt grata, vel homo vt gratus formaliter eſt amicus Dei, vt Dei; ergo tale obiectum vt ſic formaliter petit amari à Deo, vt Deo: ſed Deus, vt Deus non poteſt concipi amare, niſi per amorem diuinum; ergo homo vt gratus formaliter petit per ſe, directè, ac ratione ſui amari amore diuino. Confirmatur: id, quod petit amari ab eo, in quo omnia attributa, & actus ſunt infiniti, ac diuini, petit neceſſariò amari per actum amoris infinitum, ac diuinum: ſed homo vt gratus petit amari ab illo, ſcilicet Deo, in quo omnia eius attributa, & actus ſunt infiniti, ac diuini; ergo petit amari per actum amoris infinitum, ac diuinum.

59 Reſpondeo, ergo ad obiectionem ad rationem comprehenſionis requiri, quod obiectum cognoſcatur adæquatè quantum proportionatè cognoſcibile eſt etiam ex parte cognitionis; non quidem tanta cognitione quanta ipſum petit cognoſci, vt argumentum conuincit, ſed cognitione tam perfecta in ratione cognitionis, quam perfectum eſt obiectum in ratione obiecti, hoc eſt, quod obiectum cognoſcatur, ſumma, ac primaria cognitione alicuius principij, quod ſit ſaltem æquè perfectum entitatiuè cum alio; cum ergo principium creatum, ſcilicet Angelus ſit ſaltem æquè perfectum entitatiuè cum illo obiecto creato, ſcilicet lapide; ideo lapis poteſt cognoſci adæquatè, quantum ipſe proportionatè cognoſcibilis eſt, & comprehendi ab ipſo Angelo: & cum etiam alia anima rationalis gratia habituali, ac alio excellenti lumine ſupernaturali illuſtrata, ſit ſaltem æquè perfecta entitatiuè cum anima illa Deo grata, ideo hæc vt ſic formaliter poteſt adæquatè cognoſci, quantum proportionatè eſt cognoſcibilis, & comprehendi ab illa anima illuſtrata. Quo ceſſat vis argumenti.

60 Obiiciat quartò, cum vnio hypoſtatica iuxta omnium opinionem in perfectione entitatiua omnia alia creabilia excellat, nullum eſſe poteſt principium creatum, quod ſit æquè perfectum entitatiuè cum illa, niſi ſolùm increatum, ſcilicet Deus; ergo vnio hypoſtatica non eſt proportionatè cognoſcibilis adæquatè ab vllo principio creato niſi tantùm à Deo; ergo à ſolo Deo, & non à creatura poteſt vnio illa comprehendi; ac proinde incomprehenſibilitas non eſt proprietas ſolius Dei. Reſpondeo poſſe Deum, non ſolùm vt cauſam ſupernaturalem vniuerſalem, ſed etiam vt cauſam ſupernaturalem particularem coniungi cum principio creato, v. g. cum Angelo, & illum etiam in ordine ſupernaturali ſpecialiter eleuare ad eliciendam aliquam cognitionem vnionis hypoſtaticæ; Angelus autem vt ſic immediatè per ipſum Deum ſpecialiter eleuatus, eſt æquè imò magis perfectus, quam vnio hypoſtatica; & ideo hanc poſſe comprehendi ab illo.

61 Sed vrgeat: etiam Deus poteſt ſic ſpecialiter coniungi cum Angelo, & illum eleuare ad viſionem ipſiuſmet Dei, atque ita Angelus quatenus includit etiam Deum ſic ipſum ſpecialiter eleuantem, tam perfectus erit ac ipſe Deus; ergo Angelus cum tali ſpeciali comprincipio poterit comprehendere ipſum Deum; ſicuti eadem ratione ab illo aſſeris comprehendi poſſe vnionem hypoſtaticam. Reſpondeo, vt vnio hypoſtatica comprehendatur, non requiri per ſe cognitionem Dei vt infinitam, & vt diuinam, nam cognitio diuina vt ſic formaliter eſt infinitè magis perfecta in ratione cognitionis, quam vnio hypoſtatica in ratione obiecti, ſed tantùm requiri per ſe cognitionem æquiualentem illi cognitioni vnionis hypoſtaticæ, quæ oriretur à ſubſtantia intellectiua ſupernaturali, ſi poſſibilis eſſet; cum autem Deus de potentia abſoluta poſſit per auxilium extrinſecum ſpeciale quaſi ſupplens defectum ſubſtantiæ creatæ ſupernaturalis, eleuare Angelum ad eliciendam cognitionem prædictæ vnionis æquiualentem in perfectione illi cognitioni, quæ oriretur à ſubſtantia ſupernaturali, ſi eſſet poſſibilis; ideo Angelus vt ſic adiutus, & eleuatus à Deo ſupplente defectum ſubſtantiæ ſupernaturalis eſt tam perfectus, quam vnio, & poteſt comprehendere talem vnionem. At verò vt Deus comprehendatur, requiritur neceſſariò cognitio ipſius Dei vt diuina, & infinita, ſola enim cognitio diuina, vt ſic eſt tam perfecta in ratione cognitionis, ac eſt ipſe Deus perfectus in ratione obiecti: cum autem ſubſtantia vlla ſupernaturalis creata, etiam ſi poſſibilis eſſet, non poſſet cognoſcere Deum cognitione diuina; ideo Angelus quantumcumque ſpecialiter eleuatus à Deo ſupplente defectum ſubſtantiæ ſupernaturalis, non erit tam perfectus entitatiuè, quam Deus, nec poterit comprehendere ipſum Deum.

Hinc infero Angelum quemuis poſſe ſeipſum, & 62
alium Angelum æqualem, & omnia creata ſibi inferiora naturaliter comprehendere, non verò Angelum ſuperiorem; quia ſe ipſum, & illa omnia valet cognoſcere cognitione tam perfecta in ratione cognitionis, quam ſunt ipſa in ratione obiecti; Angelum verò ſuperiorem, licèt totum forte ex parte obiecti cognoſcat, non verò tam perfecta cognitione in ratione cognitionis, quam eſt Angelus ſuperior in ratione obiecti, vt conſtat ex dictis. Dicat quis: vt Angelus ſe comprehendat, debet omnes effectus ipſius cognoſcere; ſed hic Angelus per iſtam cognitionem, qua ſeipſum cognoſcit, non poteſt cognoſcere ipſammet cognitionem, quæ eſt effectus ipſius Angeli; etenim obiectum ſemper eſt cauſa cognitionis, vel per ſeipſum, vel medio ſemine: cognitio autem illa non poteſt eſſe cauſa ſuiipſius; ac proinde non poteſt eſſe obiectum cognitum per ſeipſam; ergo Angelus non poteſt comprehendere ſeipſum. Reſpondeo cognitionem illam, qua Angelus ſe cognoſcit adæquatè, eſſe cognitionem ſuiipſius tanquam obiecti materialis, & ſecundarij, nec inde ſequi, quod talis cognitio Angelica ſit cauſa ſuiipſius, quia obiectum materiale, & ſecundarium nec per ſe, nec media ſpecie eſt cauſa cognitionis, quia licèt cognitio ſit etiam repræſentatio formalis obiecti materialis, tamen non repræſentat illud primario, & directè, ſed ſecundario, & indirectè propter connexionem, quam habet cum obiecto formali, quod ſolum determinat, & eſt cauſa talis cognitionis. Dices: cognitio ſaltem eſt reſpectus realis ad obiectum materiale; ergo debet neceſſario ab illo diſtingui: ergo cognitio illa Angelica non poteſt eſſe cognitio ſuiipſius etiam vt obiecti materialis. Reſpondeo, cognitionem illam eſſe tantùm reſpectum realem intentionalem ad obiectum, qui non petit neceſſariò terminum realiter diſtinctum; cognitio enim diuina eſſentiæ diuinæ eſt eodem modo reſpectus realis intentionalis ad illam, & tamen ab ipſa realiter non diſtinguitur. Hic agendum erat de veritate, & falſitate cognitionis, quod iam in Logica fusè diſp. 31. & 32. præſtitimus.

Et hæc de Tractatu quinto, de intellectu, & eius actibus dicta ſint ſatis.

TRACTATVS SEXTVS.

De voluntate, eiusque actibus.

EGIMVS de intellectu prima, & præcipua animæ rationalis potentia, quem in essendo, & operando sequitur voluntas, à cuius actibus, cum cæca sit in suis operationibus, dirigitur; opportunè igitur post tractatum de intellectu, de voluntate, quæ illum necessariò comitatur, differimus, cuius obiectum, naturam, dependentiam ab intellectu, libertatem, & alia huiusmodi oportet inuestigare, quæ omnia sequentibus disputationibus explanabimus.

DISPVTATIO XVII.

De obiecto, natura, ac munere voluntatis.

QVATVOR capita continebit. In primo inquiro, quodnam sit obiectum formale voluntatis. In secundo, an possit voluntas ex duobus bonis æqualibus, vel æqualiter propositis vnum diligere præ alio? In tertio, an & quo pacto voluntas in operando à cognitione dependeat? In quarto, de oppositione actuum voluntatis.

CAPVT I.

Quodnam sit obiectum formale voluntatis?

1 PRo meliori intelligentia aduerto primò voluntatem humanam *esse potentiam appetitiuam spiritualem*; per ly *appetitiuam* conuenit cum appetitu sensitiuo, & differt tam à cognoscitiua materiali, quales sunt sensus, quam spirituali, qualis est intellectus, cum hoc discrimine, quod potentia appetitiua attingit obiectum per actum, quo ipsa fertur in illud, quia sua inclinatione trahitur ad obtinendum obiectum, iuxta illud Aug. *amor meus, pondus meum, illo feror, quocumque feror*; cognoscitiua verò attingit obiectum per propriũ actum, quo dicitur illud trahere ad sę repræsentando potentiæ cognoscitiuæ, cum eius actus formaliter sit obiecti repræsentatio; per particulam *spiritualis*, distinguitur voluntas ab appetitu sensitiuo, qui materialis est.

2 Præmitto secundò, bonum à Philosophis Moralibus communiter trifariam sumi, videlicet, honestum, delectabile, & vtile; bonum honestum dicitur illud, quod ratione sui habet bonitatem, & amabilitatem, ita vt iuxta rectam regulam rationis possit amari amore amicitiæ, seu beneuolentiæ; bonum delectabile dicitur illud, quod est conueniens alteri, & causatiuum, delectationis; bonum vtile dicitur illud quod est conueniens alteri non ratione sui, sed ratione boni, quod causat, vt potio, & sanguinis emissio, duo priora habent rationem finis. Tertium verò rationem medij, vt latè 1. 2. q. 1. & in Phys. disp. 21. de causa finali; hæc tria bonorum genera possunt in eandem entitatem realem conuenire, sub diuersa tamen ratione, nam elargitio eleemosynæ potest esse honesta, quia est iuxta rectam regulam rationis; delectabilis, quia mouet voluntatem ad delectationem ipsius elargitionis; vtilis, quia communiter est medium conducens ad consequendam beatitudinem.

3 Præmitto tertiò, trifariam etiam sumi malum, primo in se quatenus opponitur bonitati entitatiuæ, & est negatio, seu carentia entitatis, vt carentia lucis, & luminis. Secundò, vt alteri formaliter malum, vt dolor cruciatus, &c. Tertiò, causaliter quatenus est malum impediens consecutionem alicuius finis: aduertendum tamen est, quod id, quod est malum sub vna ratione, potest esse bonum sub alia respectu alterius, vt negatio coloris intensi, quæ est malum entitatiuum est bona mihi, quia remouet à me nimium calorem, qui me torquet; similiter dolor, qui physicè est malus ægrotanti, quia illũ affligit, & cruciat est bonus moraliter illi, quia est causa meriti, & præmij: circa hæc tria bonorum genera, & mala, versatur voluntas, circa bonum fertur per actũ amoris, qui dicitur prosequutio, qui vt terminatur in bonitatem personæ propter illius bonitatem, & amabilitatem dicitur beneuolentia, seu amor amicitiæ, vt terminatur in bona, quæ tali personæ appetit, dicitur concupiscentia, vt vero terminatur ad consequendum bonum alteri, dicitur vtile; circa malum verò fertur voluntas per odium, qui dicitur fuga.

Cum voluntas essentialiter ad aliquod obiectum 4
formale tendat, non potest eius essentia, & quidditas rectè cognosci, nisi eius obiectum cognoscatur, vnde naturam voluntatis inuestigates, inquirimus quodnam eius obiectum formale sit? Communiter dici solet obiectum formale voluntatis esse bonum transcendentaliter sumptum, id est, ens aptum amari, sicut obiectum formale intellectus est verum transcendentaliter sumptum, id est, ens aptum cognosci, licèt enim voluntas etiam respiciat malum, tamen est recedendo ab illo, vt accedat ad bonum, quod tantùm est obiectum formale illius, ita communis schola.

ASSERTIO tamen sit. Obiectum formale adæquatum 5
voluntatis est bonum, & malum, ita communiter omnes. Probatur apertè: obiectum formale adæquatum alicuius potentiæ sunt omnia obiecta formalia suorum actuum, vt ostendi suprà disp. 6. n 15. sed obiecta formalia actuum voluntatis sunt bonum, & malum; ergo obiectum formale adæquatum voluntatis est bonum. Minor probatur, ac primum bonum esse obiectum formale actuum voluntatis, scilicet actus amoris per se liquet; actus enim charitatis erga Deum, quo ipsum diligo, quia bonus est, est actus voluntatis, & tamen habet pro obiecto formali bonitatem Dei; ergo bonum est obiectum formale actus voluntatis; deinde: id est obiectum formale amoris, per quod res est digna amari; sed res, per bonitatem formaliter est digna amari; ergo bonitas, seu bonum est obiectum formale amoris, qui est actus voluntatis. Porrò autem malum, vt sic formaliter esse etiam obiectum formale actus voluntatis, scilicet actus odij sic monstro: actus odij Dei habet duplicem malitiam, aliam priuatiuam, scilicet carentiam amoris, seu gratiæ, quam infert: aliam positiuam, scilicet entitatem ipsius odij, vt præcisè dissonam rationi, loquor de actu odij secundum malitiam tantùm positiuam, & ita arguo, sed potest esse obiectũ formale actus odij, per quod formaliter res est digna odio haberi, sicut id potest esse formale obiectum amoris, per quod res est formaliter

formaliter digna amari; atqui actus odij Dei per se ipsum vt malum positiuè ac rationi dissonum præcisè est formaliter dignum vt odio habeatur, vt per se constat; ergo actus odij Dei, vt malus positiuè formaliter, ac præcisè potest esse obiectum formale alterius actus odij, qui verè est actus voluntatis.

6 Hinc infero obiectum formale adæquatum intellectus non esse verum præcisè, vt opponitur falso, sed verum simul, & falsum. Probatur: obiectum formale adæquatum intellectus sunt omnia obiecta formalia suorum actuum; sed obiecta formalia actuum intellectus sunt verum, & falsum, assensus enim terminatur formaliter ad verum quatenus verum, & dissensus terminatur formaliter ad falsum, quatenus falsum; ergo verum, & falsum sunt obiectum formale adæquatum intellectus. Hoc autem intellige sumendo verum vt opponitur falso, id est pro eo quod ita se habet reipsa sicut per cognitionem repræsentatur, nam si verum accipiatur pro intelligibili, hoc est pro eo quod est aptum intelligi, tunc verum erit obiectum formale adæquatum intellectus, vt diximus disp. 14. num. 2. & 3.

7 Sed quærat quis, an malum sub ratione mali possit esse formale obiectum amoris? non defuerunt Philosophi, qui autumarint voluntatem posse amare malum sub ratione mali: ita nominales, & Ocham in 3. q. 13. ad 3. dist. 6. Maior Angestus, & aliquando Scotus, licèt re meliùs inspecta postea sententiam mutauerit, quos refert Pater Vasquez tom. 1. in 1. 2. disp. 31. c. 1.

8 Arbitror cum omni schola voluntatem non posse malum diligere sub ratione mali. Ita Aristot. variis in locis statim citandis D. Thomas 1. 2. q. 8. art. 1. P. Suarez disp. 23. metaph. sect. 5. Salas 1. 2. tract. 1. disp. 6. sect. 1. Vasquez 1. 2. disp. 35. cap. 2. vbi pro se adducit Caiet. Conrad. & plures Thomistas, Arriaga disp. 7. de anima sect. 1. Carleton disp. 23. de anima sect. 1. Franciscus Alphonsus disp. 17. de anima sect. 2. cui assertioni adstipulantur plurimi Philosophi, & Patres Ecclesię, quorum auctoritate fulcienda est, 1. ex D. Dionysio lib. de diuinis nominibus propè finem, nemo intendens ad malum operatur, sed vnusquisque in actibus etiam malis, aliquem sibi finem bonum præfigit, ad quem tanquam in bonum tendit, nemo enim vt inquit Philosophus moralis, in malum vt tale vult ferri, sed in malum realiter, & materialiter malum, vt vestitum aliqua delectabilitate, aut apparente honestate, quod Philosophus his verbis ostendit, *nullus tantùm à naturali lege desciuit, & hominem exuit, vt animi causa malus sit.* 2. ex Anselmo lib. de concor. liber. arb. & prædest. *nihil vult voluntas, nisi commoditatem, aut rectitudinem, quidquid enim aliud vult aut propter commoditatem, aut rectitudinem vult.* 3. ex D. Th. 1. p. q. 19. art. 6. & q. 62. art. 8. vbi ait, *impossibile est, quod aliquod malum, in quantum huiusmodi appetatur*, Arist. varia sunt testimonia 1. Ethic. c. 1. ait, *omnis ars, omnisque doctrina, atque actus itidem, & intellectio bonum quoddam appetere videntur*, 3. Ethic. c. 4. *nam si sit affectabile, erit continuo bonum*, idem 8. Ethic. cap. 2. text. 3. & c. 5. text. 23. *nam amabile quidem, & id expetibile esse videtur quod est absolutè bonum aut iucundum*; ergo cum Arist. & cæteri Philosoph. ac Sancti Patres expressè asserant nihil esse amabile, seu expetibile nisi bonum, sentiunt apertè solum bonum esse obiectum appetitionis, malum autem, vt tale non posse terminare tales actus.

9 Probatur ratione primò, omnis vera Philosophia sumitur ex experientia rerum naturalium magistra, ideo enim dicimus potentiam visiuam non posse ferri in sonum, sed tantùm in colorem, aut lucem, quia experimur per illam percipi colorem, & lucem, & non sonum & sic de aliis; atqui experientia docemur voluntatem semper amare obiectum sub ratione boni, & nunquam sub ratione mali: ergo voluntas solùm potest per amorem ferri ad bonum sub ratione boni, & non ad malum sub ratione mali. Confirmatur, sicut intellectus per assensum se habet ad verum, ita voluntas per amorem se habet ad bonum; atqui intellectus ita assentitur vero, sub ratione veri, vt non possit assentiri falso sub ratione falsi; ergo voluntas ita amat bonum sub ratione boni, vt non possit amare malum sub ratione mali. Vrgeo: amor est propensio quædam, & inclinatio, sed inclinatio non potest esse ad malum sub ratione mali, sed tantùm ad bonum sub ratione boni, ideo enim appetitus innatus, & naturalis non potest esse ad malum formaliter, quia est quædam inclinatio, quæ semper est ad aliquod conueniens; & bonum, sicut enim appetitus innatus, qui sequitur formam non potest ferri, nisi in id quod reipsa est bonum, nec appetitus elicitus nisi in id, quod saltem est bonum apparens, etiam si in se sit malum, cum non sequatur naturas rerum præcisè, sed prout apprehenduntur; ergo non potest tendere ad malum sub ratione mali, sed tantùm ad bonum sub ratione boni, eodem argumento seruata proportione potest ostendi voluntatem non posse odio habere bonum sub ratione boni, sed tantùm malum sub ratione mali, quia sicut obiectum amoris est bonum, ita obiectum mali est malum, vt ostendi suprà num. 2. item voluntatem non posse amare, nec odio habere obiectum omnino indifferens, quod nec sit bonum, nec malum, sicut non valet intellectus assentiri, nec dissentiri obiecto omnino indifferenti, quod nec appareat verum, nec falsum.

Probatur secundò, id quod mouet aliquem ad pro- 10
sequutionem, debet esse bonum nam bonum solum est quod allicit voluntatem, malum autem deterret, ergo debet in obiecto apprehendi aliquid boni vt moueat voluntatem ad eius prosequutionem, quotidie enim experimur homines bona prosequi, & mala fugere, & non econtrà. Confirmatur, quidquid amatur, vel debet amari, vt finis, vel vt medium teste Philosopho: si primum, habet bonitatem in se, ratione cuius amatur, vt ostendi notabili secundo: si secundum, est bonum vtile ad consequendum finem, & consequenter bonum alteri; ergo in eo quod amatur, semper reperitur aliquid boni, quando autem amatur malum, induitur aliqua specie boni, quod in malo illo apprehenditur, vt si quis vellet malum inimico, amat malum illud vt bonum sibi, hæc magis explico.

Obiiciat aliquis primo, sæpè quis in seipsum sæuiens 11
& irascens vult sibi aliquod malum, qua malum ipsius est, ergo amari potest malum sub ratione mali. Secundò, potest homo absque errore in intellectu odio habere Deum, nec enim omnis, qui odit Deum, est hæreticus, sed non potest concipere Deum, vt malum absque errore intellectus, nisi tantùm vt bonum, cum Deus verò non sit malus, sed tantùm bonus; ergo potest Deus odio haberi sub ratione boni, vel saltem non sub ratione mali. Respondeo ad primum, voluntatem posse amare malum vt malum propter aliquod bonum, quod relucet in illo, cum ergo homo in seipsum sæuiens, ac irascens, vult sibi malum, qua malum inuenit in illo malo aliquod bonum, scilicet sumere de seipso vindictam, quod apprehendit vt bonum delectabile, ac proinde amat illud malum non quidem sub ratione mali, sed tantùm sub ratione boni delectabilis. Ad secundum dico, vt aliquis odio habeat Deum, sufficit, quod ipsum concipiat vt malum causaliter respectu illius, hoc est, vt potentem ac volentem ipsi plura damna infligere, cum ergo possit homo damnatus, v. g. Deum ita causaliter sibi malum absque vllo errore concipere, nam Deus verè est potens & volens illi talia damna infligere, ideo potest odio habere Deum, & non sub ratione boni, sed sub ratione mali.

CAPVT II.

An possit voluntas ex duobus bonis æqualibus, vel æqualiter propositis vnum diligere præ alio.

12 HÆc controuersia duplicem partem includit, in priori parte inquirimus, an cum quis intendit aliquem finem, & ei proponuntur per cognitionem duo media, vel æquè bona & vtilia, vel quorum vnum sit melius & vtilius alio, possit pro sua libertate voluntas eligere medium æquè bonum & vtile alio æquè vtili, vel vtiliori relicto? censent nonnulli non posse voluntatem eligere medium æquè, vel minus vtile. Ita Vasquez 1.2.disp.43.cap.2.

13 ASSERTIO prima sit. Voluntas ex duobus mediis, quæ bona, & vtilia sint, potest pro sua libertate eligere vnum æquè vel minus bonum, ac vtile in ordine ad finem alio æquè vtili, vel vtiliori relicto. Est contra Vasquez 1.2.disputatione 43 eam tenet Diuus Thomas 1.2. quæstione 77. articulo 2. & quæst.78. articulo primo, Aristot. Scotus, Caietan. Gabriel, & plures alij quos refert, & sequitur Salas 1.2. tractatu 6.disputatione 1. sectione 5. quæstione 8.num.49. Suarez disp.23. metaph. sectione 10. Valentia tom.2. disp.2.disp.2.q.8.punct.3. ad finem, Carleton disp.23. de anima sect.2. Arriaga disput.7. de anima sect.3. & est communis. Probatur primò, in hac re eadem est ratio de voluntate diuina, ac de humana, quia humana voluntas est libera sicut diuina, atqui diuina voluntas intendens aliquem finem ex duobus mediis potest eligere æquè vel minus vtile alio vtiliori relicto, ergo etiam humana voluntas potest eligere medium æquè vel minus bonum, & vtile relicto alio magis vtili. Minor probatur, in ordine ad finem suæ gloriæ intentum à Deo medium magis vtile est incarnatio Verbi, quam incarnatio Angeli, Verbum enim diuinum incarnatum magis glorificat Deum, quam glorificaret ipsum Angelus incarnatus, sed Deus potest pro sua libertate eligere in ordine ad finem suæ gloriæ incarnationem Angeli, relicta incarnatione Verbi, vt omnes fatentur, ergo voluntas Dei potest eligere medium minus vtile, relicto alio magis vtili.

14 Dicat verò quis, Deum non consultare quod medium sit magis vtile in ordine ad finem, nec eligere vnum medium comparate ad aliud, sed tantùm absolutè, quatenus in seipso est vtile in ordine ad finem, & idcirco posse eligere medium æquè vel minus vtile, & relinquere aliud, quod sit magis vtile, hominem verò consultare ante electionem quod medium sit vtilius, & eligere vnum medium comparate ad aliud, & ideo non posse eligere medium æquè, vel minus vtile, sed tantùm vtilius. Sed contrà, sicut homo per consultationem cognoscit vnum medium esse magis vtile, & aliud minus, vel æquè vtile immediatè ad finem; ita Deus sine consultatione longè clariùs atque perfectiùs cognoscit vnum medium esse magis vtile, & aliud esse minus, vel æquè vtile in ordine ad finem, atqui Deus potest siue cõparatione, siue absolutè (absint voces) eligere medium, quod videt clarè esse æquè vel minus vtile, & relinquere medium aliud, quod clarè cognoscit esse æquè vel magis vtile, ergo etiam homo potest, siue comparatione, siue absolutè eligere medium, quod cognoscit esse æquè, vel minus vtile, ac relinquere aliud medium, quod cognoscit esse æquè vel magis vtile.

15 Probatur secundò, à priori, eligere medium æquè vel minus vtile relicto alio æquè vel magis vtili, nihil est aliud, quam non amare medium aliquod æquè, vel magis vtile, & velle, ac amare aliud medium æquè, vel minus vtile, atqui voluntas creata ex duobus mediis æqualibus vel inæqualibus in bonitate sibi propositis, potest non amare, aut non velle vnum medium, æquè vel magis vtile, & amare ac velle aliud medium æquè, vel minus vtile, ergo voluntas creata potest eligere medium æquè vel minus vtile relicto alio æquè vel magis vtili. Minor probatur, ac primum posse non velle, aut non amare medium æquè vel magis vtile, liquet ex eo, quod solùm bonum increatum clarè visum potest necessitare voluntatem ad sui amorem, sed medium illud magis vtile non est bonum increatum clarè visum, vt supponimus, ergo non necessitat voluntatem ad sui amorem, ergo potest voluntas non amare tale medium æquè vel magis vtile. Porrò autem posse voluntatem amare medium aliud æquè vel minus vtile sic ostendo; obiectum formale voluntatis vt amantis est bonum, vt diximus cap.1. atque ita in quacumque re inuenit rationem boni potest voluntas illam amare, atqui in medio æquè vel minus vtili ad finem inuenitur absolutè ratio boni, nam tale medium est absolutè bonum, & vtile ad finem assequendum, ergo voluntas potest absolutè amare medium æquè vel minus vtile, non quia minus bonum, & vtile, sed quia absolutè bonum & vtile in ordine ad finem.

16 Obiiciat aliquis primò, ante quamuis electionem medij præcedit necessariò iudicium consultationis de vtilitate mediorum, quo ducitur voluntas ad eligendum, atqui iudicium consultationis non potest proponere medium æquè vel minus vtile, sed tantùm medium magis vtile, ergo voluntas quæ ducitur illo iudicio, non potest proponere, & præeligere medium æquè, vel minus vtile, sed tantùm medium magis vtile. Secundò, medium minus vtile comparatione ad aliud magis vtile induit aliquam rationem mali, scilicet carentiam, & impossibilitatem cum alio medio meliori, & vtiliori, sed voluntas non potest amare malum formaliter, vt ostendi suprà cap.1 ergo non potest amare formaliter medium minus vtile. Respondeo ad primum voluntatem in eligendo duci iudicio consultationis, non quidem ita vt non possit voluntas proponere, nisi quod tale iudicium proponit, sed ita vt non possit voluntas amare, & eligere, nisi id, quod per tale iudicium cognoscitur esse absolutè vtile, & bonum in ordine ad finem, cum ergo per iudicium consultationis cognoscat intellectus medium æquè, vel minus vtile esse absolutè, vtile ac bonum ad finem, licèt minus bonum, quam aliud medium, ideo voluntas pro sua libertate potest eligere medium minus bonum relicto alio magis bono. Ad secundum dico, medium minus vtile, & bonum habere aliquam rationem mali, scilicet carentiam, & incompossibilitatem cum maiori bono, & habere etiam rationem aliquam boni, scilicet conducentiam, & congruitatem ad finem assequendum & ideo non posse amari secundum rationem mali, id est, secundum illam carentiam maioris boni formaliter, posse tamen formaliter diligi secundum rationem boni, scilicet, vt est absolutè vtile ad finem assequendum.

17 Probatur tertiò, Deus non tenetur amare, & producere meliores, & perfectiores creaturas, sed potest ex duabus vel multis rebus possibilibus in perfectione æqualibus, quam velit eligere, imo, & creaturas minus perfectas producere; maior est certa exemplo incarnationis Angeli relicta incarnatione Verbi, vt ostendi argumento 1. numero 13. minor constat, nam aliàs Deus teneretur semper facere optimum, & consequenter ipsum, & voluntatem creatam semper operari necessariò, quod hæreticum est, ergo potest Deus pro suo arbitrio eligere medium æquale vel minus bonum.

18 Sed obiicit Vasquez illud axioma Theolog. omnis peccans est ignorans, ex quo sic arguit, in omni

omni peccato voluntatis præcedit ignorantia in intellectu, sed si cognosceret, seu penetraret bonitatem obiecti oppositi, illud non eligeret, sed aliud quod esset melius, ergo quod istud eligat oritur ex eo, quod ignorat præstantiam alterius boni. Respondeo, verum esse Theologos cum D. Thoma 1.2. quæstione 77. articulo 2. & quæstione 78. articulo 1. communiter asserere ante omnes peccatum præcedere in intellectu defectum aliquem ob cuius causam peccatores in scriptura vocantur stulti, insipientes, &c. hic autem defectus non est error, nec iudicium, quo quis iudicat hic, & nunc expedire appetere, potiùs hoc obiectum quam illud, sed solùm datur carentia talis cognitionis, pro sua tamen libertate, posset eligere vnum relicto meliori. Dicat secundò, ante electionem voluntatis præcedere consultationem in intellectu, & per illam teneri ad amplectendum quod melius est. Respondeo, voluntatem plerumque amplecti medium, quod iudicatur efficax ad finem assequendum, non quod non possit aliud eligere, cum hoc insit illi liberum, sed plerumque eligit medium, quod magis ad illum obtinendum conducit, quia ibi plus inuenit sui obiecti, scilicet boni, in quod magis inclinatur.

19 Hæc autem intelligenda sunt quando quis intendit præcisè finem absolutè, & quomodocumque obtinere, tunc enim potest medium etiam minus vtile eligere, si verò intendat finem assequi meliori modo quo possit, non poterit eligere medium minus vtile, sed necessariò tenetur medium magis vtile eligere, quod sic demonstro; quando aliquis efficaciter intendit aliquem finem, & non apparet nisi medium vnicum ad talem finem, durante, tali intentione efficaci tenetur necessariò tale medium eligere, atqui quando quis intendit finem assequi meliori modo, quo possit, medium magis vtile, est medium vnicum ad finem, quem intendit obtinendum, intendit enim meliorem finis assequutionem ad quam non potest concurrere nisi medium melius, aut vtilius, ergo durante tali intentione tenetur necessariò voluntas eligere medium vtilius, imò si propriè loquendum sit, medium illud vtilius, est tantùm medium vtile ad finem illum obtinendum, & aliud medium, quod dicitur minus vtile non est absolutè vtile respectu illius, cum illud tantùm in istud possit concurrere ad meliorem illam rei assequutionem intentam per modum finis, ac proinde solùm potest amari, & eligi medium, quod dicitur magis vtile, non verò illud, quod minus vtile dicitur.

20 In posteriori huius controuersiæ parte inquirimus, an ex duobus bonis, quæ æquè efficaciter, vel vnum efficacius, & aliud inefficacius per intellectus cognitionem proponantur, possit voluntas diligere bonum æquè, vel minus efficaciter propositum relicto alio, quod æquè vel magis efficaciter proponatur? Opinantur aliqui voluntatem in prædicto casu non posse amare bonum æquè vel minus efficaciter propositum, & aliud bonum æquè vel magis efficaciter cognitum reiicere, licèt valeat omnem actum omittere, & nullam electionem exercere hanc sententiam expressè tenet Vasquez tom. 1. in 1.2. disp. 128. cap. 5. & idem docuerat tom. 1. in 1. part. disp. 98. num. 46.

21 Assertio secunda sit. Voluntas potest pro suo libito diligere bonum aliquod æquè efficaciter, vel inefficacius propositum, & bonum aliud æquè efficaciter, vel efficacius cognitum reiicere. Ita expressè Salas tom. 1. in 1.2. tractatu 6. disputatione 1. sect. 5. quæst. 9. Fonseca lib. 8. metaph. cap. 2. quæst. 5. sectione 15. & omnes relati assertione præcedenti. Probatur, in hoc etiam eadem omnino est ratio de voluntate diuina, ac de voluntate creata, cum vna sit libera formaliter, sicut alia, atqui voluntas diuina ex duobus bonis æquè efficaciter propositis vnum potest eligere, & aliud reiicere, sicut de facto accidit, Deus enim æquè efficaciter cognoscit hunc mundum, & alium similem mundum possibilem, & tamen amauit de facto, ac voluit creare hunc mundum, & abiecit, ac noluit creare alterum mundum possibilem, ergo etiam voluntas creata ex duobus bonis æquè efficaciter per cognitionem propositis potest rectè vnum amare, & aliud abiicere.

Confirmatur, quando aliquis elicit opus bonum, vel opus malum moraliter, v.g. actum temperantiæ, aut actum intemperantiæ, elicit tale opus libere libertate, etiam contrarietatis, vt apud omnes Philosophos & Theologos est in confesso; quis enim dicat, quando homo temperate comedit non posse comedere intemperate, vel econtrà, atqui si voluntas non posset diligere aliquod bonum præ alio, nisi illud efficacius sit propositum, voluntas, cum elicit opus bonum vel opus malum motaliter, nunquam haberet libertatem contrarietatis; ergo voluntas rectè potest diligere aliquod bonum præ alio, licèt illud non efficacius proponatur. Minor ostenditur, quando operatur voluntas circa materiam temperantiæ, vel comedere temperate proponitur efficacius, & inefficacius comedere intemperate, vel econtrà efficacius proponitur comedere intemperate, & inefficacius temperate comedere, vel vtrumq; æquè efficaciter proponitur, non enim potest aliud medium assignari, atqui si primum dicas, solùm potuit voluntas amare temperantiam, non verò intemperantiam, si dicas secundum solùm poterit voluntas intemperantiam diligere non verò temperantiam. Si tertium asseras, non poterit voluntas amare temperantiam, nec intemperantiam, atque ita nunquam in voluntate erit indifferentia ad actum temperantiæ, & actum intemperantiæ eliciendum, quod necessariò ad libertatem contrarietatis requiritur, ergo si voluntas non posset diligere nisi bonum efficacius propositum, nulla in ipsa maneret libertas contrarietatis. 22

Vrgeo, quando quis vrgente præcepto sacri audiendi sacrum non vult audire, nec audit, verè peccat, vt per se constat, sed si voluntas non posset amare bonum nisi efficacius propositum; ille, qui non vellet die festo audire sacrum, nec de facto audiret, non peccaret, ergo voluntas potest amare bonum licèt non efficacius proponatur. Minor probatur, ille, qui non vult in die festo audire sacrum, nec ipsum audit, non peccat, si simpliciter non possit velle audire tale sacrum, atqui iuxta prædictam sententiam, ille, qui non vellet audire sacrum, nec ipsum audiret, non posset simpliciter velle audire tale sacrum, quia non potest voluntas velle & amare obiectum nisi quod efficacius cognoscitur, in tali autem casu efficacius cognosceretur omissio sacri, quam sacri auditio, cum hanc voluntas velit, & illam non amet, ac proinde in tali casu iuxta hanc opinionem non posset velle voluntas audire sacrum, ergo ille, qui in die festo non vult audire sacrum, nec ipsum de facto audit, non peccaret. 23

Dicat autem quis, licèt ille, qui in prædicto casu sacrum omittit efficacius cognoscat omissionem sacri, quam ipsius auditionem posse tamen, & debere alia motiua inquirere, vt efficacius cognosceret auditionem sacri, quam eius omissionem, & sic posset talem auditionem diligere, vnde cum liberè talia motiua non quærat, & sacrum omittat, libera est illi talis omissio sacri, & consequenter peccatum. Sed contrà, iste, qui in nostro casu efficacius cognoscit omissionem sacri, quam auditionem ipsius, & de facto vult sacrum omittere, vel saltem non vult illud audire, iste (inquam) non potuit velle inquirere alia motiua, vt efficacius cognosceret auditionem sacri, quam eius omissionem, ergo non liberè, sed omnino necessariò sacrum omittit, conse- 24

consequentia est euidens ex dictis, antecedens sic ostendo ; iste de facto non voluit motiua inquirere ad cognoscendum efficacius auditionem sacri, sed potiùs voluit illa non inquirere, vt supponimus, ergo efficacius cognouit hoc, quod est non inquirere motiua, quàm hoc quod est illa motiua inquirere, aliàs in tua sententia non posset illud velle, & hoc abiicere, atqui voluntas non potest velle, quod inefficacius cognoscitur, vt tu asseris, ergo voluntas non potuit, velle, alia motiua inquirere ad cognoscendum efficacius auditionem sacri, igitur ex hac opinione sequitur omnem funditus libertatem etiam contradictionis euerti in pluribus casibus.

25 Obiiciat quispiam, cum homo peccat, semper necessariò præcedit aliquis defectus in intellectu, vt omnes Theologi ostendunt, sed si voluntas posset amare bonum inefficacius propositum, posset aliquando peccare absque eo, quod præcederet defectus aliquis in intellectu, ergo voluntas non potest amare bonum inefficacius propositum, sed tantùm bonum propositum efficacius. Minor probatur, cum voluntas peccat, non debet necessariò præcedere in intellectu talis defectus, id est error, quo intellectus practicè, iudicet esse nunc obiectum inhonestum potiùs amplectendum, quàm honestum, hic enim defectus intellectus esset hæresis aperta, atque ita omnis peccator esset hæreticus, quod est ridiculum, & absurdum, ergo solùm debet in intellectu præcedere talis defectus, id est cognitio, qua leuius, & inefficacius cognoscat bonitatem virtutis, quam delectabilitatem peccati, atqui si voluntas posset amare bonum inefficacius propositum, posset aliquando peccare absque eo, quod hic defectus, scilicet, cognitio tenuis virtutis in intellectu præcederet, nam etiamsi intellectus longè efficacius cognosceret bonitatem virtutis, quam delectabilitatem peccati, posset absolutè voluntas istam peccati delectabilitatem amplecti, & consequenter peccare absque illo defectu, scilicet absque tenuiore, & inefficaciori cognitione virtutis, quam esset cognitio vitij, ergo posset absolutè peccare voluntas absque eo, quod præcederet aliquis defectus in intellectu.

26 Hæc obiectio tangit quæstionem Theologicam an ante omne peccatum debeat in intellectu præcedere aliquis defectus de qua D. Thomas 1. 2. quæst. 77. art. 2. & quæst. 78. art. 1. & eius expositores ibi. Admitto ergo cum communi schola semper ante peccatum defectum aliquem in intellectu præcedere, qui quidem non est illud iudicium erroneum practicum, vt facta obiectio conuincit, nec cognitio inefficacior virtutis, quam sit cognitio vitij, absque hac enim cognitione inefficaci potest peccatum accidere, vt monstratum est, sed tantùm est carentia alicuius cogitationis congruæ, quam si homo haberet, videt Deus infallibiliter illum non fore peccaturum ; hæc ergo carentia congruæ cogitationis in intellectu ante omne peccatum præcedit semper, quia plures congruas cogitationes possibiles præuidet Deus ad quodlibet peccatum impediendum ; ac proinde ante omne peccatum præcedit necessariò defectus in intellectu.

CAPVT III.

An possit voluntas ferri in incognitum.

27 OPinati sunt nonnulli mystici Theologi voluntatem per perfectissimum Dei amorem, qui in altissima contemplatione habetur ferri absolutè in incognitum, atque ideo ipsam in operando à cognitione intellectus necessariò non pendere, cuius non aliam rationem assignant, quam illorum experientiam, qui nimis contemplationi sunt dediti, ita Bonauentura, Gerson, & alij relati à P. Vasq. tom. 1. in 1. 2. disp. 35. c. 1.

Mihi tamen exploratissimum est voluntatem de potentia ordinaria non posse ferri in incognitum iuxta commune Philosophorum proloquium, *nihil esse volitum, quin præcognitum* ; ita Aristot. & omnium Philosophorum cœtus D. Thomas cum Theologorum schola, D. Augustinus, Gregorius, Anselmus, Bernard. quos referunt & sequuntur Suarez disp. 23. metaph. sect. 7. Vasquez 1. 2. disp. 35. c. 2. & 3. Salas 1. 2. tract. 1. disp. 5. sect. 1. Hurtado disp. 14. de anima sect. 4. Arriaga disput. 7. de anima sect. 4. Franciscus Alphonsus disp. 17. de anima sect. 5. Carleton disp. 25. sect. 4. & est communis. 28

Probatur primò ratione physica, nulla potentia physica potest ex natura rei physicè operari in subiecto, nisi hoc sit applicatum illi, vt constat ex omnium sententia, sed eadem ratio militat in potentia intentionali, ergo non poterit operari sine præuia cognitione, cum ex eadem ratione potentia intentionalis non poterit operari in suum obiectum, quin illud sit applicatum intentionaliter potentiæ, sed voluntas non potest sibi applicare obiectum per suum actum, cum non sit repræsentatio obiecti : ergo non potest fieri præsens obiectum voluntati nisi per cognitionem, atque ita sine præuia cognitione voluntas non poterit ferri in suum obiectum. 29

Probatur secundò, omnis vera Philosophia sumitur ex experientia duce, ac magistra veritatis naturalis, atqui experientia docemur voluntatem nunquam amare nisi quod cognoscit vt bonum, nec odio habere nisi quod cognoscit vt malum, ex qua manauit illud pertritum axioma communi omnium Philosophorum acclamatione receptum, *nihil volitum quin præcognitum* ; ergo voluntas nequit in incognitum ferri, atque ita pendet ab intellectu. 30

Dicat quis etiam in altissima contemplatione aliquos experiri se ardentissimè amare Deum absque vlla ipsius cognitione. Sed contrà : in adiecto implicat aliquem experiri se amare Deum, & non cognoscere ipsum, nam experiri aliquid est ipsum cognoscere aliquo modo, non enim datur experientia sine aliquali notitia ; ergo si quis in contemplatione experitur se ardentissimè amare Deum, vel (quod idem est) Deum esse ardentissimè à se amatum, necessariò cognoscit Deum ipsum esse amatum à se, ac proinde necessariò cognoscit Deum : implicat ergo aliquem experiri se ardenter amare Deum absque vlla cognitione ipsius Dei. Accidit autem in iis, qui diu se contemplationi dederunt, vt ex diuturna exercitatione cognoscendi Deum, ac etiam ex dono gratiæ Deum ipsum ita sine labore, ac discursu, cum talique facilitate, & suauitate cognoscant, vt eum nulla ratione cognoscere videantur, seu absque vlla prorsus cognitione ipsum diligere, sicut citharedus ex diuturno vsu, ita facilè pulsat citharam, vt licèt id efficiat cum directione intellectus, absque vlla cognitione, ac directione eam pulsare videatur. 31

Maior est difficultas, an de potentia Dei absoluta possit voluntas ferri in incognitum ita, vt Deus ad actum amoris suppleat diuinitus defectum cognitionis, sicut ad actum cognitionis potest diuina virtute supplere defectum speciei impressæ : partem affirmantem defendunt Paludanus in 4. distinct. 49. Granados 1. 2. controuers. 2. de actibus humanis tractatu 3. disp. 2 sect. 1. Conimbr. de anima lib. 3. cap. 13. quæst. 3. art. 2. ad 3. Argent. in 1. distinct. 1. quæst. 1. art. 3. Ocham ibidem, quæst. 25. ad 7. Ferrara 3. contra gent. cap. 89. Franciscus Alphonsus suprà num. 51. & in eam aliqualiter inclinat Hurtado suprà §. 26. ego tamen partem negantem amplector, quam docent prædicti auctores relati num. 28. qui indiscriminatim loquuntur. 32

Probatur

Probatur primo, quia potentia libera est illa, quæ positis omnibus requisitis ad operandum potest non operari, sed implicat contradictionem quod possit aliquod principium libere se determinare ad operandum, scilicet ad amandum obiectum, nisi prius sciat quid sit illud, in quod ferri vult vel à quo suspendit actum, ergo ad operationem liberam necessario prærequiritur cognitio obiecti in quod vult voluntas ferri.

33 Dices; argumentum futurum efficax, si cognitio influeret actiuè in amorem; at tantum est conditio applicans intentionaliter obiectum voluntati, & potest Deus suplere concursum, quem voluntas cum tali applicatione haberet in amorem, sicut potest Deus dare agenti physico concursum ad agendum in passum non applicatum; ergo potest voluntas de potentia Dei absoluta efficere amorem sine præuia cognitione intellectus; sed contra: nam licet cognitio non influat physicè in amorem, attamen est principium formale repræsentans obiectum voluntati, voluntarium autem ex Arist. 3. Eth. cap. 1. est à principio intrinseco, id est voluntate cognoscente singula, Deus autem etsi possit supplere diuina virtute causalitatem causæ efficientis, nunquam tamen causalitatem causæ formalis, cognitio autem intellectus hoc munus exercet respectu voluntatis illam illuminando, & dirigendo, sine hac vero directione, & illuminatione cum cæca potentia sit, non potest se determinare ad prosequendum obiectum bonum, quod si contingeret voluntatem amare obiectum, quod non cognosceret, illum fore amorem necessarium, vtpotè à Deo solo productum sine recursu ipsius voluntatis, atque ita nec vitalis, nec liber esset, sed quasi mortuus, vtpotè cognitio intellectualis si in lapide poneretur.

34 Probatur secundo, quia sicut appetitus innatus naturalis tendit ad bonú in esse rei, ita appetitus rationalis, scilicet voluntas tendit ad bonum in esse cognitionis; sed non potest etiam de potentia Dei absoluta appetitus aliquis innatus naturalis tendere ad aliquid quod non sit bonum in esse rei; ergo nec de potentia absoluta potest appetitus rationalis scilicet voluntas tendere ad aliquid quod non sit bonum in esse cognitionis; ergo non potest ferri in incognitum. Deinde cognitio boni eatenus concurrit ad eius amorem, quatenus repræsentat formaliter ipsum bonum; atqui Deus etiam de potentia absoluta non potest absque cognitione repræsentare formaliter tale bonum: ergo Deus supplere non potest concursum, aut defectum cognitionis in ordine ad amorem; ergo si naturaliter non potest amari bonum incognitum, etiam nec de potentia absoluta poterit: species autem impressa concurrit effectiuè ad cognitionem, vnde cum Deus etiam possit tales cognitiones efficere, potest supplere diuinitus defectum speciei.

35 Sed inquirat aliquis, quænam cognitio ad amorem requiratur, simplex ne apprehensio: an iudicium? Nonnulli censent sæpè sufficere simplicem apprehensionem; ita Scotus, Gabriel, Maior, & alij, quos refert, & sequitur Pater Vasquez tom. 1. in 1. 2. disp. 44. cap. 2. Alij opinantur requiri necessario iudicium, ita Suarez, Valentia, Medina, & alij, quos citat, & imitatur P. Salas tomo primo in 1. 2. tract. 1. disputat. 5. section. 7. num. 15.

36 Opinor ad simplicem complacentiam sufficere simplicem apprehensionem boni; ad amorem vero absolutum, & efficacem requiri iudicium; & quidem sufficere ad complacentiam simplicem intellectus apprehensionem. Ita Pater Vasquez 1. 2. disp. 44. capit. 2. & 3. Scotus, Gabriel, Maior, Holcot, & ferè omnes Thomistæ ex recentioribus, Pater Hurtado disput. 14. de anima sect. 5. Arriaga disputatione septima, de anima section. 4. Carleton disp. 23. de anima sect. 5. Franciscus Alphonsus disput. 17. de anima section. 6. & non contradicit Suarez statim citandus. Probatur, quia tam perfecta est simplex apprehensio intellectus in esse intentionali spirituali, quam simplex apprehensio sensus in esse intentionali materiali, atqui simplex apprehensio sensitiua sufficit ad complacentiam aliquã materialem; ergo simplex apprehensio intellectiua sufficit ad simplicem complacentiam spiritualem. Apprehensio vero sensitiua non sufficit ad complacentiam rationalem, quia non est proportionata cum illa vt docent Pater Suarez dicta disp. 23. Met. section. 7. num. 8. Pater Vasquez tom. 1. in 1. 2. disp. 15. num 17. & Pater Salas dict. tractat. 1. disputation. 5. section. 2. à num. 10.

Porro autem ad amorem efficacem requiri iudicium 37
contendunt citati authores, & manifestè Princeps Arist. 3. de anima cap. 7. textu 29. his verbis; *Cum autem sensus iucundum, aut molestum discernit, quasi affirmauerit, aut neguerit, tunc prosequitur, aut fugit.* Ac sic diceret tunc appetitus prosequitur, aut fugit efficaciter obiectum, quando sensus illud proponit, per cognitionem, quæ sit quasi affirmatio, aut negatio. Sentit ergo ad amorem efficacem iudicium necessarium esse; Consentiunt Aristoteli, Lorca de actibus humanis disp. 10. P. Ripalda de ente supernaturali lib. 3. disp. 62. num. 10. & plures alij: Probatur etiam hæc secunda pars: non potest quis efficaciter intendere, seu velle aliquid ponere, vel obtinere, nisi sibi persuadeat saltem probabiliter esse possibile, sed per amorem efficacem vult quis aliquid ponere, vel obtinere: ergo ad amorem efficacem requiritur quod sibi quis saltem probabiliter persuadeat obiectum talis amoris esse possibile: atqui non potest hoc sibi persuadere nisi per actum iudicij saltim opinatiuum: ergo ad amorem efficacem requiritur necessario actus iudicij. Confirmatur, quia voluntas per amorem efficacem determinatur ad consequendum de facto obiectum per media ad id necessaria: ergo indiget cognitione, quæ illi suadeat possibilitatem, & consequibilitatem talis obiecti, potius quam alterius, sed simplex apprehensio ad hoc non sufficit, cum non sit affirmatio, aut negatio: ergo multo minus ad mouendam voluntatem ad amorem efficacem circa tale obiectum, & consequenter iudicium necessarium erit.

Authores aduersæ partis obiiciunt contra primam 38
partem nostræ assertionis, ex illa sequi posse aliquem simplici affectu odio habere beatitudinem, cum enim audit beatitudinem esse malam, simpliciter apprehendit malam esse beatitudinem: si ergo simplex apprehensio mali sufficit ad simplex odium, ac displicentiam illius, talis apprehensio beatitudinis vt malæ sufficiet ad simplex odium, & displicentiam beatitudinis, quod nullus admittit. Respondeo ad odium, ac displicentiam in aliqua re, requiri, quod quis apprehendat apprehensione complexa esse malam talem rem: cum autem aliquis audit beatitudinem esse malam, si terminos distinctè, & explicitè apprehendat solum eliciet tres apprehensiones incomplexas, aliam beatitudinis vt sic, aliam mali vt sic, aliam vnionis, & conuenientiæ vt sic, non tamen poterit complexè apprehendere beatitudinem esse malam, sicut non potest complexè apprehendere tenebras esse lucem, quia quemadmodum tenebræ includunt carentiam lucis, quæ non potest connecti cum ipsa luce, ita beatitudo includit carentiam mali, quæ non potest coniungi cum ipso malo: ac proinde licet aliquis audiat beatitudinem esse malam, si terminos distinctè apprehendat non potest etiam affectu simplici odio habere beatitudinem.

Sed iterum quærat quis: an cognitio concurrat 39
etiam efficienter, an solum repræsentatiuè ad amorem? Multi censent concurrere etiam effectiuè, ita Caiet. Medina, Gregor. Gabriel, & alij, quos citat, & sequitur

Salas dicto tractat. 1 disp. 5. sect. 3 num. 26. & Mol. 1. p. q. 19. art. 1. disp. 36. circa responsionem. Arbitror attamen dicendum cognitionem ad amorem non concurrere efficienter nisi tantum repræsentatiuè, & formaliter. Ita expressè D. Thomas 1. 2. q. 9. artic. 1. vbi ait. *voluntatem moueri ab intellectu, tamquam à repræsentante obiectum*, & 1. p. q. 82. art. 4. vbi etiam asserit, *alias facultates moueri à voluntate, tamquam ab agente, voluntatem vero moueri ab intellectu per modum finis, seu tamquam ab applicante finem*: sentit ergo intellectum non esse causam efficientem physicam amoris, idem tenet 1. p. q 27. art. 4. & de verit. q. 22. art. 12. quam sequuntur Vasquez 1. 2. disp. 36. capit. 3. Suarez disp. 23. Metaph. sect. 7. n. 14. Hent. quodlib. 9. q. 3. Scot. in 2. dist. 15. q. 1. Capreol. in 2. dist. 25. q. 1. a. 3. Ferr. 2. contra gent. c. 44. Val. 1. 2. disp. 2. q. 4. p. 1. Hurt. disp. 14. de anima sect. 5. Arriaga disp. 1. de anima sect. 4. subsect. 3. Carleton disp. 23. de anima sect. 5. Franciscus Aphonsus disp. 17. de anima sect. 7. etiam ferè omnes recentiores; Probatur: causa, quæ continet in se formaliter, aut eminenter omnes formalitates effectus, potens est adæquatè sine alio physico influxu efficere talem effectum: sed sola voluntas cum habitu charitatis, v. g. posita præcisè repræsentatione intellectus continet in se omnes formalitates actus charitatis: ergo sola voluntas cum habitu charitatis posita tantum repræsentatione intellectus potens est adæquatè elicere actum charitatis absque alio influxu physico actus intellectus: ergo talis influxus physicus actus intellectus in amorem vtpotè otiosus vitandus est: Minor probatur: formalitates actus charitatis sunt, quod sit actus vitalis, affectiuus, supernaturalis, & charitatis, sed quatenus vitalis, & affectiuus continetur in voluntate, quæ etiam est vitalis, & affectiua, quatenus vero supernaturalis, & charitatis, erga Deum, continetur in habitu qui etiam est supernaturalis & charitatis erga ipsum Deum; ergo in sola voluntate cum habitu continentur omnes formalitates actus charitatis. Confirmatur si influxus physicus intellectus necessarius esset ad actum voluntatis, maximè ad determinandam eius indifferentiam, cum cognitio numquam possit elicere ipsum actum voluntatis, vt aduersarij etiam fatentur, sed ad determinandam indifferentiam voluntatis non est necessarius physicus influxus cognitionis: ergo non est admittendus: Minor probatur, quia ex eo quod intellectus applicet obiectum voluntati sufficienter ipsa determinatur ad amorem eliciendum: ergo influxus physicus intellectus non est necessarius, vt voluntas se determinet ad eliciendum actum amoris.

40 Obiiciat aliquis primo, verbum increatum influit per modum principij physici in amorem, scilicet in Spiritum sanctum; ergo etiam verbum creatum. Secundo, species impressa ideo efficit cognitionem sui obiecti, quia determinat intellectum ad cognitionem talis obiecti: sed etiam cognitio boni determinat voluntatem ad amorem talis boni: ergo cognitio influit etiam in amorem. Tertio, volitio specificatur à suo principio effectiuo, & ab obiecto; sed specificatur à cognitione; & non tamquam ab obiecto; cognitio enim non est obiectum volitionis: ergo specificatur à cognitione, vt à principio effectiuo talis volitionis. Respondeo ad primum, verbum Dei accipere à Patre æterno eandemmet virtutem spiratiuam, qua ipse Pater producit Spiritum sanctum, & ideo etiam ipsum verbum producere ipsum amorem diuinum, ac Spiritum sanctum: verbum autem creatum non accipere eandem numero virtutem actiuam, qua voluntas efficit volitionem; & idcirco sola voluntas, & non verbum creatum efficit talem volitionem. Ad secundam dico, speciem impressam non ideo concurrere effectiuè ad cognitionem, quia ad illam determinat intellectum, hoc enim munus tribuitur sensationi, sed quia in cognitione est quædam formalitas, scilicet repræsentatio obiecti, quæ solum formaliter potest attribui ipsi speciei; vt ostendi fusè disp. 7. cap. 1. & 2. in volitione autem nulla est formalitas, quæ non possit tribui soli voluntati cum habitu, secluso influxu cognitionis, & ideo sola voluntas, & non cognitio influit effectiuè in volitionem. Ad tertiam do gratis volitionem specificari à cognitione, inde tamen non sequitur cognitionem esse principium effectiuum volitionis, sed tantum formale intrinsecum in ratione repræsentatiui, quod ad specificandum sufficit.

CAPVT IV.

De oppositione actuum voluntatis.

IN voluntate dantur præcipuè duo affectus erga bo- 41
num, alius est simplex complacentia, qua voluntas bonum vult, & afficitur erga ipsum abstrahendo ab exequutione, & consequutione illius: alius est amor absolutus, & efficax, quo voluntas intendit, aut vult absolutè consequi, aut exequi aliquod bonum; Item in voluntate circa malum duo alij similes reperiuntur affectus, alius est displicentia simplex, qua voluntas displicet in aliquo malo ab eius destructione abstrahendo; alius est odium absolutum, & efficax, quo voluntas intendit aut vult absolutè quantum est ex se destruere tale malum: quærimus ergo quomodo inter se isti actus opponantur.

Assero primo, complacentiam, & displicentiam non 42
posse esse simul de eodem obiecto, & sub eadem ratione formali: posse vero simul esse sub ratione formali diuersa, in hac omnes conueniunt. Prior pars probatur: quia displicentia non potest tendere ad obiectum sub ratione boni, sub qua tendit complacentia, nec complacentia potest ad obiectum ferri sub ratione mali, sub qua tendit displicentia vt cap. 1. monstratum est: ergo non possunt dari simul complacentia, & displicentia de eodem obiecto sub eadem ratione formali. Posterior pars etiam ostenditur, quia sæpè filius displicet in morte patris, quia est malum ipsius patris, & simul in illa complacet, quia est bonum sui ipsius, nam ratione illius aduenit ipsi hæreditas, & sic de aliis.

Assero secundo, complacentiam simplicem posse es- 43
se cum odio efficaci eiusdem obiecti, & etiam amor efficax cum displicentia. Probatur, quia mercator displicet in proiectione mercium in mare & tamen illam proiectionem amat efficaciter, vt vitam conseruet; & similiter Christus Dominus displicuit in subeunda morte, & illam voluit efficaciter subire; & innumera alia exempla offeruntur passim.

Assero tertiò, amorem efficacem, & odium efficax de 44
eodē obiecto, etiā sub diuersis rationibus nō posse esse simul. Probatur: non potest voluntas absolutè velle esse simul duo contradictoria; sed si haberent simul amorem, & odium efficax de eodem obiecto etiam sub diuersis rationibus, vellet absolutè esse simul duo contradictoria; ergo non potest habere simul amorem efficacem, & odium efficax de eodem obiecto etiam sub diuersis rationibus. Minor probatur: voluntas per amorem efficacem vult obiectum ponere à parte rei, & per odium efficax vult absolutè obiectum non poni, nec esse à parte rei; sed obiectum poni, & obiectum non poni à parte rei sunt apertè contradictoria, si obiectum sit idem; ergo si voluntas haberet amorem efficacem, & odium efficax de eodem obiecto, etiam sub diuersis rationibus, vellet absolutè esse simul duo contradictoria.

Hanc

Hinc colligo discrimen, quod intercedit inter complacentiam, & displicentiam ex vna parte & amorem absolutum, & odium efficax ex alia; complacentia enim, & displicentia non tendunt ad ponendum, & non ponendum obiectum à parte rei, sed ad obiectum secundum se præcisè complacendo, ac displicendo in illo; cum autem obiectum placere sub vna ratione, & sub alia ratione displicere voluntati non sint contradictoria, vt vidimus, num. 29. ideo ex eo, quod dentur complacentia, & displicentia de eodem obiecto, non sequuntur duo contradictoria; & idcirco possunt dari simul; amor verò absolutus, & odium efficax, cum ille intendat, quod obiectum ponatur à parte rei; & istud velit absolutè, quod non ponatur, si sint de eodem obiecto, & in eadem voluntate, volet absolutè per tales actus voluntas, quod sint simul à parte rei duo contradictoria, scilicet obiectum & negatio obiecti, quod manifestè repugnat, & ideo contradictionem inuoluet istos actus de eodem obiecto esse simul in voluntate.

DISPVTATIO XVIII.

De formali indifferentia, ac libertate voluntatis.

QVINQVE capita continebit. In primo, inquiro quidnam, & quotuplex sit voluntatis libertas. In secundo, an libertas in actu secundo sit essentialis actibus volũtatis. In tertio, an præfinitio Dei absoluta actus in particulari tollat simpliciter libertatem? In quarto, argumenta aduersantia vrgentur, ac diluuntur. In quinto, an possibilis sit pura omissio libera.

CAPVT I.

Quidnam, & quotuplex sit voluntatis libertas.

1 SVppono vt omnino certum nostram voluntatem esse de facto potentiam liberam, vt ex sacræ Paginæ authoritate, Conciliorum testimoniis, ac Sanctorum Patrum dictis ac graui omnium pondere ostendunt Theologi ex D. Thoma 1. p. q. 83. art. 3. docentes liberum arbitrium in nobis dari, primo ex illo Eccles. iast. c. 15. reliquit eum in manu consilij sui, & infrà, ecce ignis & aqua appositæ sunt tibi, ad quod volueris porrige manum, & c. 31. & qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit, 1. Corinth. 2. potestatem habens suæ voluntatis, Matth. 12. aut facitè arborem bonam, & fructum bonum, aut facite arborem malam, & fructum eius malum; Deuteronom. 30. Testes inuoco cœlum, & terram, quod proposuerim vobis vitam, & mortem, maledictionem, & benedictionem, & Iosue 24. vobis datur eligere hodie, quod placuerit; & alibi passim.

2 Secundo ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 5. ibi: tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti inspirationem posse hominem assentiri vocationi, & dissentire; ex Concil. Senonense, tale enim est trahentis Dei auxilium cui creata voluntas resistere potest, ex Patribus 1. ex Nazianz. in Apologetico, arbitrij libertas, inquit, parem in vtramque partem motum habet; D. Augustin tom. 1. lib. 3. de libero arbitrio c. 18. si laborioſum, inquit, est omnia mandare memoriæ, hoc breuissimum tene; quæ nunc ista causa est voluntatis, si non potest ei resisti, sine peccato ei ceditur. Pulchrè ad Valentinianum epistola decimatertia, si gratia Dei non est quomodo Christus saluat mundum, & si liberum arbitrium non est, quomodo iudicat mundum; hæc & alia plura testimonia adducunt sancti Patres, & Scholastici: vt Bellarmin. Didacus Ruis, de Montoia, Suarez disput. 19. metaph. section. 2. & de auxiliis c. 1. Ioann. à S. Thoma qu. 12. de anima artic. secundo, Hurtado, Arriaga, Carleton, & quamplures.

Ratio etiam philosophica idem mirificè ostendit; 3
nam potentia libera est illa, quæ non est necessitata, & adstricta ad actum eliciendum, sed potest illum elicere, & non elicere, vt statim dicam, sed voluntas potest velle, & non velle quoduis obiectum vt experimur; ergo voluntas est potentia libera. Secundo, quia libertas in ea potentia constituenda est, cui reliquæ potentiæ ita subditæ sint vt eas possit applicare ad operandum, & reuocare ab operatione, sed hoc præstat voluntas, ergo illa est potentia libera: maior probatur experientia, & definitione libertatis, quia numquam experimur bonum, aut malum liberè eligere, nisi vnum, aut alterum per voluntatem amplectamur; ergo euidens signum est solam voluntatem esse potentiam liberam, & cæteras illi obedire nisi ab extrinseco impediantur.

ASSERTIO sit: libertas voluntatis est ea fa- 4
cultas, quæ positis omnibus requisitis ad agendum potest agere: omnes in hac definitione conueniunt, cuius verba explicãda sunt; *positis omnibus prærequisitis*, id est; omnibus his, quæ de facto concurrunt ad actum, licet necessario non requirantur; *potest agere, & non agere*; ostenditur in potentia actiua, non vero in passiua libertatem residere, illa enim potest agere, & non agere, non vero ista, & ratio est, quia illa tantum potentia habet in se libertatem, quæ se determinat, non quæ determinatur ab alia; sed potentia actiua sæpè seipsam, & alias causas determinat, potentia vero passiua, ab actiua, cui subiicitur, determinatur, vt in potentia actiua, & passiua voluntatis liquido constat; ergo sola potentia actiua, non vero passiua habet in se libertatem.

Ad hanc vero aliqua desiderantur: primo, quod siue 5
per vnam, siue per duas cognitiones bonitas obiecti proponatur, aut malitia, aut difficultas in exercitio amoris talis obiecti: si enim ei non proponatur obiectum, non poterit ab illa amari vt ostendimus supra disput. præcedenti cap. 3. Secundo, quod voluntas non sit impedita ad operandum, tali enim dispositione potest affici, vt adhuc instructa duplici cognitione repræsentante bonitatem, & malitiam aliquam in obiecto non sit libera in actu primo, ad illud amandum, & non amandum, id constat in somniantibus, & amentibus, qui afferunt rationes, tam ad prosequendum, quam ad fugiendum, & tamen voluntas non manet libera ob prauam dispositionem, seu quia sensus somno ita sunt oppressi, vt voluntas non maneat domina sui actus. Tertio apprime necessarium est, vt paratum sibi habeat concursum Dei ad actum liberum eliciendum, quia nullus dari potest effectus causæ secundæ, qui immediatè, & physicè non oriatur ab ipso Deo, vt latè ostendimus 2 phys. disp. 15. & 16. ergo non dabuntur omnia requisita ex parte actus primi ad actum liberum voluntatis, nisi sit Deus paratus ad concurrendum cum ipsa potentia libera.

Sed obserua adhuc ad hanc libertatem non suffice- 6
re, quod potentia sit potens agere in hoc instanti A. & non agere in instanti B. sequenti, quia si in hoc instanti A. ita agit, vt non possit in tali instanti non agere: ergo in tali instanti A. est omnino necessitata ad agendum, ac proinde non est libera: requiritur ergo vt sit in hoc instanti A. formaliter libera, quod in eodem instanti A. possit agere, & non agere; non verò requiritur ad libertatem, quod potentia pro eodem

instan-

instanti: A. possit agere, & non agere in sensu composito, ita vt possit simul ponere actionem, & carentiam actionis, hoc enim est incompossibile; sed tantum quando possit pro eodem instanti A agere, & non agere in sensu diuiso, id est, quod possit agere, & tunc non habere carentiam actionis, & possit simpliciter etiam non agere, & tunc non habere talem actionem.

7 Hæc autem libertas est formaliter in sola voluntate, & tantum radicaliter in intellectu; & quidem libertatem esse formaliter in sola voluntate, & non in intellectu sic monstro: illa potentia est formaliter libera, quæ positis omnibus requisitis potest seipsam & alia determinare, & non determinare, vt constat, ex dictis; sed positis omnibus requisitis ad volendum ex parte intellectus, & ex parte voluntatis, intellectus non potest formaliter se ad actum determinare, sed sola voluntas est formaliter potens seipsam, & intellectum determinare ad actum volitionis: ergo sola voluntas, non vero intellectus habet formaliter libertatem: Deinde dari in intellectu libertatem radicaliter sic ostendo; ibi datur libertas radicaliter; vbi datur id, quod necessario, atque per se prærequiritur ad hoc, vt potentia sit libera formaliter; sed in intellectu datur cognitio indifferens obiecti; id est, cognitio bonitatis, & malitiæ, vel saltem bonitatis finitæ, & limitatæ ex parte obiecti, quæ quidem cognitionis indifferentia necessario, atque per se prærequiritur, vt voluntas sit libera formaliter, quia enim visio beata non est cognitio indifferens voluntas non est formaliter libera ad amorem beatificum: ergo libertas est in intellectu radicaliter.

8 Ex hoc colligo ad actum liberum voluntatis non præcedere necessario in intellectu quoddam imperiū, quod explicatur per istam vocem, *fac hoc*, quodque licet non sit formaliter practicum quoddam iudicium, quo iudicet formaliter intellectus talem voluntatis actum, hic & nunc esse faciendum præ aliis, hoc enim in actibus prauis esset iudicium hæreticum, sit tamen tale iudicium æquiualenter ac virtualiter, quia idem præstat, ac præstaret si esset tale iudicium formaliter, non (inquam) dari tale imperium ex parte intellectus, quo posito ita determinetur voluntas ad actum eliciendum, vt non possit illum non operari, melior sententia docet, ita Suarez disp. 14. metaphys. sect. 6 Salas 1.2. tract. 3. disp. 1. sect. 2. Arriaga disp. 7. de anima sect. 2. Carleton disp. 23. de anima sect. 2. in fine, Franciscus Alphonsus disp. 17. de anima section. 6. num. 71. Hurtado disp. 15. de anima sect. 4. Vasq. 1.2. disp. 44. num. 8. contra quosdam recentiores; ratio autem est; quia tale imperium destrueret libertatem voluntatis, nam illo posito, vt quodam prærequisito ad sperandum voluntas non potest non operari, vt ipsi dicunt, ergo non saluaretur in voluntate definitio libertatis, quæ est facultas ad operandum, & non operandum positis omnibus prærequisitis, vt diximus num. 4.

9 Dicat quis, imperium illud intellectus pendere à quodam actu libero voluntatis, quo voluntas applicat intellectum ad habendum tale imperium, & ideo licet eo imperio posito non possit voluntas non elicere actū imperatum, tamen talis suppositio simpliciter non necessitat voluntatem, quia est suppositio consequens pendens ab illius libertate: Sed contra: illa volitio, qua intellectus applicatur à voluntate ad habendum illud imperium vel sit nullo alio imperio præcedente ex parte intellectus, à quo voluntas determinetur, vel alio imperio præcedente: Si primum dicas, ergo iam actus voluntatis potest fieri sine imperio ex parte intellectus determinante voluntatem: ergo tale imperium non requiritur, sed est otiosum ad voluntatis determinationem; si secundum asseras: ergo illa etiam volitio applicans intellectum ad habendum imperium non est libera, sed necessaria, cum ab illo priori imperio ex parte intellectus voluntas ad talem volitionem necessitetur: vel ergo dandus est processus in infinitum in actibus voluntatis, & imperiis intellectus, vel sistendum in aliquo actu voluntatis, qui fiat absque imperio intellectus, aut in aliquo imperio intellectus, quod fiat absque applicatione libera voluntatis, illamque necessitet ad actum imperatum.

Sed quærat aliquis: an stante iudicio indifferenti 10
in intellectu circa aliquod obiectum, possit de potentia Dei absoluta voluntas necessitari ad amandum tale obiectum? Recentiores non indocti negant posse voluntatem bonum indifferenter propositum necessario diligere; ratio est: quia voluntas non potest determinari ad amandum obiectum, nisi ducatur per intellectum; est enim, (vt aiunt) voluntas potentia cæca indigens ductu alterius: sed si voluntas amaret necessario, obiectum indifferenter propositum per intellectum se determinaret ad amandum obiectum absque eo, quod ad talem determinationem duceretur per intellectum; ista enim voluntatis determinatio esset necessaria; cognitio vero intellectus proponens indifferenter obiectum, quantum est ex se non duceret ad determinationem voluntatis necessariam, sed solum ad determinationem indifferentem & liberam: ac proinde voluntas ad talem determinationem non duceretur per intellectum: ergo voluntas non potest amare necessario obiectum indifferenter propositum per intellectum; Confirmatur, voluntas non potest amare liberè obiectum propositum necessario per intellectus cognitionem, Deus enim clarè visus liberè non potest diligi, quia necessario proponitur per visionem beatam: ergo similiter è conuerso non poterit voluntas amare necessario obiectum indifferenter propositum per iudicium intellectus.

Opinor tamen ego cum Arriaga, & aliis recentio- 11
ribus, stante iudicio indifferenti in intellectu circa aliquod obiectum posse de potentia absoluta voluntatem necessitari ad amandum tale obiectum: Probatur, id tantum non potest esse de potentia Dei absoluta, quod aperte implicat; sed non implicat aperte voluntatem necessario amare obiectum cognitum cognitione indifferenti; ergo de potentia Dei absoluta potest voluntas amare necessario obiectum cognitum cognitione indifferenti: minor probatur: ex eo, quod voluntas, necessario amaret obiectum indifferenter cognitum, non sequeretur, quod voluntas amaret aliquid incognitum, vt per se constat, sed tantum quod non amaret, eo modo obiectum, quo repræsentaretur per intellectum; atqui non implicat voluntatem amare obiectum, & non eo modo, quo repræsentatur per iudicium intellectus: ergo non implicat quod voluntas amet obiectum indifferenter cognitum: Probatur minor, sæpè iudicium intellectus proponit, ac repræsentat obiectum bonum præponendo maius bonum minori bono; & tamen voluntas amat minus bonum præponendo illud maiori bono, vt ostendimus supra disp. 17. cap. 2. assert. prima & ipsi aduersarij admittunt, ergo voluntas amat obiectum, & non eo modo, quo repræsentatur per intellectum: igitur hoc non implicat.

Confirmo: Christus Dominus habebat iudicium 12
indifferens quoad speciem, quo cognoscebat rationem boni: & rationem mali, circa obiectum, v. g. temperantiæ, & intemperantiæ: & tamen operabatur necessario quoad speciem circa tale obiectum, quia ita eliciebat actus temperantiæ, vt non posset elicere actus intemperantiæ: ergo stante iudicio indifferenti circa aliquod obiectum potest quis circa illud necessario operari: Vrgeo, Christus Dominus habuit scientiam infusam,

infusã, qua Deus illi proponebatur indifferenter amandus, & tamen fuit necessitatus ad amorẽ Dei ex visione beata: ergo cum iudicio indifferenti potest voluntas necessariò amare; nec valet si dicas, quod Deus ex vi visionis necessariò proponitur amandus, etiam si per scientiam infusam indifferenter proponatur, quia si de potentia Dei absoluta excluderetur visio beata à Christo Domino adhuc maneret impeccabilis ex vi vnionis hypostaticæ, & tamen haberet iudicium indifferens: ergo cum hoc iudicio indifferenti stare potest necessitas ad amandum.

13 Ex his iam ratio aduersæ partis diluitur, concedimus enim voluntatem, vt determinetur ad amandum obiectum, debere necessariò duci per iudicium intellectus, non quidem ita, vt præcisè voluntas eo modo amet obiectũ, quo cognoscitur per intellectum; sed ita, vt id tantùm obiectum possit amare, quod per intellectum cognoscitur; ex eo autem, quod voluntas stante iudicio indifferenti amet necessariò obiectum, non sequitur, quod amet aliquod obiectum non cognitum, totum enim obiectum cognoscitur indifferenter; ac proinde non sequitur in tali casu, quod voluntas amet obiectum absque ductu, & illuminatione intellectus; ad confirmationem dico: ad rationem actus liberi requiri, & quod iudicium non sit necessarium, sed indifferens, & quod voluntas non sit physicè à Deo prædeterminata, sed suæ naturæ indifferenti relicta; liberum enim est quoddam bonum, quod oritur ex integra causa, quouis autem illorum deficiente actus erit necessarius, quia necessarium est quoddam malum (vt sic dicam) quod ex quocumque defectu resultat; vnde sufficiet quod iudicium sit necessarium, vt actus voluntatis sit absolutè necessarius, quia iam datur aliquis defectus indifferentiæ, non verò sufficit, quod iudicium sit indifferens, vt actus voluntatis sit liber, potest enim esse voluntas à Deo physicè prædeterminata, qui est alius defectus, quo actus libertas destruitur; ac proinde non potest dari actus voluntatis liber circa obiectum cognitum necessariò; potest verò esse amor necessarius circa obiectum cognitum indifferenter; tunc autem actus ille non erit necessarius formaliter, quia oritur à iudicio, sed quia à voluntate prædeterminata proficiscitur.

14 Hæc autem libertas iam explicata, est duplex; alia est libertas contrarietatis, seu quoad speciem: alia est libertas contradictionis, seu quoad exercitium, quas iuxta opinionem communem admittentem puram omissionem, latè explico cap. 5. libertas contrarietatis est indifferentia, & facultas ad duos actus positiuos contrarios, v.g. ad amorem, & odium: libertas contradictionis est indifferentia, & facultas ad actũ, & ad omissionem actus, v. g. ad amorem, & ad carentiam amoris, hæc cum libertate contrarietatis non mutuo connexa est, nam libertas contrarietatis non potest esse sine libertate etiam contradictionis, libertas verò contradictionis sine libertate contrarietatis aliquando reperitur.

CAPVT II.

An libertas in actu secundo, sit essentialis actibus voluntatis.

15 HÆc difficultas affinis est illi: quam in dialect. disp. 31. cap. 2. discussimus circa veritatem formalem propositionis, & mutatis terminis eodem ferè modo definienda est; sicut enim veritas vna est formalis, alia obiectiua, ita etiam libertas duplex est, alia est libertas in actu primo, & est indifferentia, & facultas ad operandum, & non operandum quæque ab ipsa voluntate connotatis in obliquo debitis requisitis ad operandum non distinguitur; alia est libertas in actu secundo, quæ nihil aliud est, quam exercitium prioris libertatis, & ipsa actio quam elicit, seu actus qui liberè efficitur, scilicet, quia ita est, quod potuerit non esse; de libertate in actu primo non procedit difficultas de qua suppono, vt certum, quoad radicale, quod dicit, esse intrinsecam, & essentialem voluntati, cum sit ipsius essentia, licet, vt sit proximè libera requirat omnia illa, quæ cap. præcedenti prælibauimus; illis enim deficientibus solùm manebit voluntas radicaliter, seu remotè libera, quam libertatem retinet semper etiam in pueris, & amentibus, seu somniantibus, in quibus ex parte sua, & quoad intrinseca habet eamdem vim operandi liberè, ac in adultis, & ratione vtentibus, vt autem prodeat in actum indiget connotatis, & comprincipiis necessariis ad operandum; controuersia ergo procedit de libertate in actu secundo, & de ea inquirimus, an sit essentialis, an accidentalis actibus voluntatis.

16 Qua in re non vna est Philosophorum sententia, quidam enim dicunt libertatem esse quendam ordinem, & respectum essentialem actui voluntatis, quo ipse petit oriri à potentia, vt libera, & non ab alia; ita plures ex Thomistis sequuti Caietanum, Capreolum, Conradum, Ferraram & alios, & ex iunioribus, Hurtado disp. 15. de anima sect. 6. subsect. 2. adducens pro sua sententia Angelicum præceptorem 1. 2. quæst. 19. art. 8. & quæst. 8. artic. 5. & quæst. 1. art. 3. cuius verba postea expendemus; alij tenent libertatem esse solùm quandam accidentalem connotationem potentiæ liberæ, licèt denominationem extrinsecam ab ipsa potentia libera actui voluntatis prouenientem, qua ipse liber formaliter denominatur; ita Durand. Scotus, Molina quos refert, & sequitur Salas 1. 2. tractatu 3. disp. 1. sect. 6. num. 3. Alij censent libertatem esse modum quendam accidentalem ipsis actibus voluntatis, in quo conuenit cum secunda sententia, licèt differat ab ea in eo quod asserit esse denominationem extrinsecam, vt ad finem explico; ita plures Thomistæ nuper relati, quibus adiunge P. Suarez de gratia prolegom. 1. & de Angelis lib. 2. cap. 35. num. 6. Scotum in 4. distinct. 1. quæst. 1. Durandum in 2. dist. 38. quæst. 1. & 3. Valentia 1. 2. disp. 2. quæst. 13. punct. 1. Tannerus 1. 2. disp. 2. quæst. 1. Arriaga disp. 8. de anima sect. & subsect. 4. Ouiedo hic controuers. 12. punct. 4. Carleton disp. 24. de anima sect. 2. & 3. & est communior inter recentiores.

17 ASSERTIO sit. Libertas formalis in actu secundo est accidentalis quædam connotatio, qua actus voluntatis connotat potentiam liberam à qua egreditur, quæ quidem potentia si necessaria reddatur, ipse etiam actus reddetur formaliter necessarius: ita auctores secundæ & tertiæ sententiæ, præter Vasquez, & alios qui libertatem constituunt in extrinseca denominatione; hæc sententia sic explicata communis est, & probatur primo, si libertas esset essentialis actui, actus liber non posset reddi formaliter necessarius; sed actus liber potest reddi formaliter necessarius; ergo libertas non est essentialis actui, sed accidentalis modo explicato. Minor probatur, si quis habens amorem liberum Petri, alia volitione quasi reflexa velit efficaciter conseruare amorem Petri; tunc amor Petri erit formaliter necessarius, quia suppositia illa efficaci volitione quasi reflexa voluntas illa non potest non amare Petrum, & tamen manet in tali casu idemmet actus amoris Petri, qui antea erat liber; ergo actus liber potest reddi formaliter necessarius. Minor probatur, quando voluntas habet aliquem actum volitionis, & postea manet in ipsa eadem met potentia, quæ antea erat, ad talem actum, & ipsa non suspendit liberè suum concursum respectu illius, manet in ipsa voluntate idemmet actus, qui antea erat; sed in prædicto casu quando

in primo instanti habet quis amorem Petri, & postea vult efficaciter conseruare in secundo instanti talem amorem, manet in voluntate eadem potentia, quæ antea erat, ad amorem Petri, nam per illam efficacem volitionem conseruandi istum amorem solum perit in voluntate potentia ad omissionem amoris Petri, non vero destruitur potentia ad ipsum amorem, & aliunde etiam voluntas non suspendit libere suum concursum circa amorem Petri, immo vult absolutè talem amorem conseruare: ergo manet in voluntate idem actus amoris Petri, qui antea erat.

18 Dicat quis primo, potentiam ad amorem, & potentiam ad eius omissionem esse eamdemmet potentiam, nam posse libere amare est etiam posse libere omittere amorem; atque ita destructa potentia, quæ antea erat in voluntate, ad omissionem amoris, destruitur etiam formaliter potentia, quæ antea erat, ad amorem, ac proinde etiam perit amor, qui antea erat, & ex alia potētia voluntatis necessaria alius amor necessarius resultat: sed contra, potentia voluntatis ad actum positiuum temperantiæ, & potentia ad actum positiuum intemperantiæ est etiam eo modo eadem potentia, nam posse libere quoad speciem elicere actum intemperantiæ, est etiam posse elicere actum intemperantiæ: & tamen si neget Deus concursum generalem ad actum intemperantiæ, dando illum voluntati ad actum temperantiæ, quam iam habebat, peribit in voluntate potentia proxima ad actum intemperantiæ, & manebit eadem potentia proxima ad actum temperantiæ, imo, & idem actus temperantiæ, qui antea erat, vt aduersarij fatentur: ergo similiter licet potentia ad amorem, & ad omissionem amoris sit prædicto modo eadem, & per illam volitionem efficacem conseruandi amorem Petri, destruatur in voluntate connotatiue potentia ad omissionem amoris, manebit in illa eademmet potentia ad actum amoris Petri, imo, & idemmet actus amoris, qui antea erat.

19 Dicat secundo, Deum, etsi neget concursum ad actum intemperantiæ, dare tamen voluntati ad temperantiæ actum eumdemmet concursum, quem antea illi præbebat, vt constat, & ideo licet voluntas ex defectu concursus Dei non sit potens elicere actum intemperantiæ, manere in illa eumdem actum temperantiæ, & eamdem virtutem ad illam, quæ antea erat, cum vero habet quis volitionem reflexam efficacem conseruandi amorem Petri, quem antea libere eliciebat, non dat Deus voluntati eumdem concursum in actu primo, quem antea illi præbebat, nam antea concursus Dei erat indifferens, nunc vero post illam volitionem efficacem est determinatus, & necessarius; & ideo non manere in voluntate eumdem actum amoris Petri qui antea erat, sed contra, si in prædicto casu post illam efficacem volitionem amandi Petrum, non maneret idem concursus Dei in actu primo, qui antea erat, maximè, quia concursus Dei ante illam volitionem erat indifferens, & post illam iam est determinatus, & necessarius; atqui idemmet concursus Dei in actu primo qui antea erat indifferens, connotata volitione efficaci amoris Petri redditur determinatus, & necessarius; ergo post illam volitionem efficacem manet idemmet concursus Dei in actu primo, qui antea erat: ergo manet etiam in voluntate idemmet actus amoris Petri, qui antea erat: vtraque consequentia est euidens, maior patet: minorem autem sic probo, tam indifferens erat antea voluntas secundum se in actu primo, quam ille concursus Dei, sed eademmet voluntas, quæ antea erat indifferens, connotata efficaci volitione amandi Petrum redditur necessaria, & determinata ad amorem Petri: ergo idem concursus Dei in actu primo, qui antea erat indifferens, connotata iam illa volitione efficaci redditur necessarius, & determinatus ad amorem Petri.

20

Probatur secundo à priori, entitas actus volitionis connotata tantum libera voluntate, à qua oritur, & præciso quouis alio ordine, atque respectu essentiali ad potentiam, est verè, ac formaliter libera; ergo libertas formalis actus est præcisè sola entitas ipsius actus cum connotatione potentiæ liberæ, à qua oritur, non vero ordo, & respectus essentialis ad potentiam: consequentia tenet, quia si ante talem respectum vera libertas actualis reperitur, frustra ad id respectus ille assignatur, antecedens autem sic probo; ille actus est formaliter, & actualiter liber, qui ita est, vt potuerit non esse; sed actus volitionis per suam entitatem connotata solum potentia libera, à qua oritur, quouis alio ordine, & respectu essentiali præciso, ita est, vt potuerit non esse, hoc enim est connotare potentiam, & causam liberam: ergo actus per suam entitatem cum prædicta connotatione potentiæ liberæ præciso quouis alio respectu essentiali est formaliter liber: Confirmatur: ideo similitudo inter duo alba non est respectus essentialis isti albo, sed sola entitas absoluta huius albi connotata altero albo, nam præciso quouis alio respectu essentiali, concipio illa alba vt formaliter similia: atqui ex eo præcisè, quod ego concipiam entitatem absolutam volitionis connotata potentia libera à qua oritur; præciso quouis alio respectu ipsi essentiali, concipio talem actum volitionis, vt formaliter liberum: ergo libertas actus non consistit in respectu aliquo essentiali, sed in entitate actus connotata præcisè potentia libera, à qua oritur.

Sed obiicit nobis Hurtado D. Thomam 1. secundæ, quæst 19. art. 1. expresè asserentem bonum, & malum esse per se differentias essentiales actuum voluntatis, bonum, inquit, & malum sunt per se differentiæ actuum voluntatis, vnde voluntas bona, & mala sunt actus differentes secundum speciem, differentia autem speciei in actibus est secundum obiecta vt dictum est; quibus verbis probare nititur, bonum, & malum esse differentias essentiales, & consequenter libertatem esse essentialem actibus voluntatis: Respondeo Angelicum præceptorem nihil in prædictis verbis fauere opinioni Hurtado, nam in illis solum loquitur de bonitate, & malitia, quæ prouenit actibus ex parte obiecti, hanc autem libenter admittimus esse actibus essentialem, quippè qui per suam essentiam respiciunt obiecta, & hoc solum manifestè colligitur ex prædictis verbis, *differentia autem speciei in actibus est secundum obiecta*: nostra vera assertio procedit de libertate, quæ actibus prouenit ex principio indifferenti cum cognitione obiecti. 21

Deinde obiicit ratione: potentia libera habet in se aliquam perfectionem peculiarem, quam non habet potentia necessaria; ergo libertas est aliqua perfectio in actu: ergo potentia libera aliquam perfectionem tribuit actui libero supra actum necessarium; ergo actus liber, & necessarius essentialiter differunt, & consequenter libertas est essentialis actibus voluntatis. Respondeo primo, hoc argumento solum probari libertatem esse modum intrinsecum in actu, non vero aliquid essentiale, imo nec hoc modo actum liberum differre à necessario, nisi solum ex connotatione ad voluntatem liberam à qua oritur. Respondeo secundo potentiam liberam qualis est voluntas conferre aliquid intrinsecum suis actibus, quod potentia necessaria præstare non potest, nam illa magis ab intrinseco se mouet, quam potentia necessaria, cuius actus ita sunt necessarij, vt nullo modo possint fieri liberi, ignis enim nulla ratione potest libere comburere, nec leo, aut equus rugire; aut currere libere, cum autem actus voluntatis qui subinde sunt necessarij habeant aptitudinem, vt fiant liberi, quod actibus aliarum potentiarum non competit, ideo habent peculiarem 22

quamdam

quamdam perfectionem intrinsecam, per quam tamen non constituuntur formaliter liberi, sed per connotationem ad principium liberum, qualis est voluntas à qua liberè egrediuntur.

23 Tertiò probatur assertio à paritate rationis, nam in logica loco allegato docuimus, veritatem formalem esse accidentalem actibus intellectus; sed eadem ratio militat in actibus voluntatis; ergo libertas, & necessitas accidentaliter etiam conueniunt actibus voluntatis. Confirmatur: eo ipso, quod intelligimus actum procedere à principio libero, seu quòd ita illum producit, quod possit illum non producere, intelligitur actus ille esse liber; ergo non est necessarium quod concipiamus aliquod necessarium prædicatum in illo intrinsecum, sed sufficit, quod procedat à principio libero indifferenti, vt actus sit formaliter liber, & eius libertas formalis accidentalis actibus voluntatis, modo iam explicato.

24 Dices, actus qui procedit à voluntate non est liber pro eo instanti quo fit, sed pro sequentibus in quibus potest esse, & non esse, cum potuit destrui, aut non conseruari: ergo fuit necessario, & non libere elicitus: antecedens probatur, quia talis actus pro eo primo instanti non potuit non esse, cum supponamus pro eo instanti existere; ergo pro eo instanti non est liber, quia res dum est, necessario est, & si in sequentibus instantibus perseuerat, in ipsis non poterit non esse, & consequenter in illis instantibus non erit liber: Respondeo, vt actus simpliciter sit liber sufficit, quod pro aliquo priori illius instantis in quo existit, potuerit non esse, quod ad libertatem requiritur, esto, posito, quod sit, non possit non esse, hæc autem necessitas est tantum consequens, & secundum quid, non vero antecedens, & ita non obstat libertati talis actus, cum exeat à principio libero, & indifferenti, & quod positis omnibus requisitis ad operandum potuit non operari pro illo priori antecedenti ad suam actualem determinationem.

25 Obiiciat aliquis primo, potentiæ intentionales quales sunt intellectus, & voluntas, dant suis actibus omnia prædicata essentialia, quæ in se habent, atque ita, quia voluntas est essentialiter potentia vitalis, ac volitiua, eius actus est etiam vitalis, atque volitio essentialiter, sed voluntas etiam est essentialiter potentia libera: ergo eius actus debet necessario esse essentialiter liber: ergo libertas consistit formaliter in respectu illo essentiali: Respondeo voluntatem non esse essentialiter potentiam liberam, sicut est essentialiter potentia vitalis, & volitiua, sed tantum esse liberam accidentaliter: scilicet quando connotat iudicium indifferens & carentiam alicuius prædeterminationis esse liberam: & quando connotat iudicium necessarium, aut prædeterminationem aliquam, esse potentiam necessariam: ac proinde actum voluntatis licet sit vitalis, atque volitio essentialiter, tamen non esse essentialiter liberum, sed tantum accidentaliter, sed quando connotat potentiam liberam, erit liber, & si connotet potentiam necessariam, erit necessarius.

26 Obiiciat secundo, Deus moraliter complacet in intrinseca entitate actus liberi charitatis; ergo actus charitatis liber in sua intrinseca entitate habet bonitatem moralem, in hac enim solum complacet moraliter Deus; atqui bonitas moralis includit formaliter libertatem actualem: ergo actus charitatis in sua intrinseca entitate habet actualem libertatem, ac proinde libertas est essentialis ipsi actui; Respondeo actum charitatis habere intrinsecam bonitatem moralem, in qua Deus cõplaceat, atque ita intrinsecam etiam libertatem actualem, non vero essentialem illi quoad denominationem, sed tantum quasi accidentalem, nam sicut hoc album per suammet entitatem intrinsecam connotato extrinsecè altero albo, intrinsecè, & quasi accidentaliter denominatur simile illi, ita actus volitionis per suam entitatem intrinsecam absolutam connotata præcisè potentia libera, à qua oritur, intrinsecè, & quasi accidentaliter denominatur liber formaliter.

Obiiciat tertio, volitio specificatur ex cognitione, ac iudicio intellectus, atque ita diuersæ specie cognitiones circa idem etiam obiectum causant etiam diuersas volitiones; atqui cognitio necessaria Dei, qualis est visio beata, & cognitio indifferens eiusdem Dei, qualis est cognitio fidei, sunt diuersæ specie; ergo causant diuersas specie volitiones; sed volitio Dei orta ex cognitione necessaria est essentialiter necessaria: ergo cognitio Dei orta ex cognitione indifferenti, est essentialiter libera: Respondeo dato gratis eo, quod maior propositio assumit, concedo volitionem ortam ex cognitione necessaria, & volitionem ortam ex cognitione indifferente esse essentialiter diuersas, quia vna petit essentialiter semper oriri à iudicio necessario, & alia petit necessario oriri à iudicio indifferẽti: hinc fit volitionem illam necessariam esse essentialiter necessariam, nã vt necessaria sit, sufficit, quod oriatur à iudicio necessario vt dixi n. 13. & cum essentialiter habeat oriri à iudicio necessario, erit essentialiter necessaria, inde vero non fit volitionem illam esse essentialiter liberam, quia solum habet essentialiter oriri à iudicio indifferenti; oriri autem à iudicio indifferenti non sufficit, vt volitio sit libera, cum circa obiectum cognitum indifferenter possit dari volitio necessaria vt ostendi n. 12. ac proinde illa volitio non erit essentialiter, sed tantum accidentaliter libera: libertas ergo non est ipsi volitioni essentialis. 27

Ex dictis infero primo, libertatem actualem non esse denominationem extrinsecam sumptam formaliter ab ipsa potentia libera, sed entitatem actus connotata præcisè ipsa potentia libera vt termino. In hoc contradico authoribus sup. pro 3. sent. adductis n. 16. ratio est: quia actus secundus liber vt sic formaliter dicit ordinem, & respectum essentialem ad actum primum liberum vt sic formaliter, scilicet ad ipsam potentiam vt formaliter liberam, nam actus secundus, dicit ordinem realem ad actum primum & actus secundus liber ad actum primum, vt liberum, sed ordo realis semper est ad terminũ distinctum realiter, vt ostendi in logica disp 25. c. 5. n. 23. & 24. & etiam supra disp. 15. & 16. & 17. ergo actus primus, vt liber formaliter scilicet potentia vt formaliter libera, est distinctus realiter ab actu secundo, vt formaliter libero, & è conuerso: atqui si actus secundus esset formaliter liber, per extrinsecam denominationem sumptam, & indistinctam ab ipso actu primo, ac potentia formaliter libera, actus secundus, vt liber non distingueretur realiter ab actu primo, vt libero, sed potius illum formaliter in se includeret; sicut color, vt visus non distinguitur à visione, sed includit formaliter ipsam: ergo actus secundus, non redditur formaliter liber per denominationem extrinsecam sumptam à potentia libera; sed solum per suam entitatem connotata vt termino ipsa potentia libera. 28

Infero secundo, libertatem non esse modum accidentalem distinctum, ac resultantem in actu volitionis libero; tum quia actus secundum se præciso illo modo accidentali est formaliter liber, vt in simili probatum est num. 20. tum etiam quia talis modus non esset formale exercitium libertatis distinctum ab entitate actus, nam actu volitionis posito, non libere sed necessario modus ille causaretur, ac resultaret ex illo. 29

CAPVT III.

An præfinitio Dei absoluta actus in particulari tollat simpliciter libertatem.

30 A Theologis latè disseritur, an Præfinitio absoluta Dei de facto detur, & an necessaria sit ad prædestinationem: Philosopho tamen cum incumbat essentiam libertatis voluntatis enodare, non erit eius limites transilire, si de ea inquirat, an obnoxia sit libertati; præfinitio igitur Dei absoluta, est volitio quædam diuina, qua Deus absolutè vult actum aliquem in particulari elici à voluntate creata per media libera, quibus ipse præuidit, si darentur talia media voluntati ipsam actum illum liberè eliciturum: de hac volitione absoluta, ac præfinitione inquiritur, an seruet, an vero euertat voluntatis libertatem in ordine ad actum præfinitum.

31 Hac in re duæ extant extremæ sententiæ, prima asserit talem Dei præfinitionem absolutam funditus euertere libertatem voluntatis, Princeps illius est Pater Vasquez 1. parte disputation. 89. capit. 10. & 11. & disputation. 99. capit. 3. & 7. & 3. parte disputation. 23. capit. 9. & disp. 74. capit. 6. & 7. & alibi sæpè; Molina in concordia quæstion. 26. artic. 1. & 2. disputation. 2. §. præterea & prima parte quæstion. 14. articul. 13. disputation. 18. & quæstion. 23. artic. 4. & 5. disputation. 1. membr. 8. Valent. prima parte, disputation. 2. quæstion. 22. punct. 3. & quæst. 23. punct. 4. Lessius de gratia, capit. 3. numero 18. & cap. 4. numer. 15. & 17. Herice prima parte disputation. 23. capit. 3. & alij ex recentioribus: Secunda sententia oppositum docet cui subscribo.

32 ASSERTIO sit; præfinitio Dei absoluta, qua præuidit actum voluntatis, futurum, si ei hæc, & illa media libera donentur, talis præfinitio Dei absoluta, & efficax non euertit, sed conseruat creatæ voluntatis libertatem in ordine ad actum præfinitum: ita Pater Suarez lib. de prædestinat. cap. 8. num. 18. & opusc. 1. de auxiliis, lib. 1. cap. 19. n. 4. addens oppositam sententiam sibi numquam probabilem visam fuisse: Arrubal. prima parte, disputation. 67. capit. 4. Coninch. de actibus supernaturalibus disputation. 2. dubium septimum, Ripalda de ente supernaturali disputat. 123. sect. 4. num. 28. Raynaud. Tannerus 1. p. disp. 2. q. 10. dub. 8. Arriaga disp. 8. de anima sect. 3. Fons. Henriquez, Carleton disp. 25. de anima sect. 1. 2. & 3. & alij permulti.

33 Pro intelligentia totius difficultatis aduerto intentionem quantumcumque efficacem non influere per se immediatè in actum, sed solum mediatè, hoc est per media, quæ applicat; quare etsi intentio efficax supponatur; si tamen per impossibile applicaret media inefficacia, actus non poneretur, nec ex vi præfinitionis directè, & immediatè esset futurus, sed solum quatenus ipso facto quod quis intendat efficaciter actum debet consequenter velle media, quæ ex se habent vim, & efficaciam inferendi talem actum, atque ita totus influxus in actum adæquatè proueniret à mediis: si vero à præfinitione qua stante in diuina voluntate potest Deus ponere media, quibus voluntas, iuxta suum connaturalem modum operandi efficaciter velit talem actum præfinitum: vt quando quis certo scit se habere media efficacia respectu alicuius finis, potest absolutè ordine intentionis dicere, volo hunc finem, seu ire ad eum locum cum curru, aut equo: & cum egregius Medicus sciens se habere varias medicinas quibus posset curare morbum aliquem, potest absolutè via intentionis dicere, volo curationem morbi per hoc medium, quæ ratio implicationis in hoc? Sic similiter, nostra voluntas, stante diuina volitione efficaci, potest liberè operari, quia illa media efficacia non exigunt talem præfinitionem efficacem ad actum, quia eodem modo procederet ab illis, etiam si talis præfinitio absoluta non daretur, cum non sit immediatum principium talis actus, & solum in Deo desideratur ex ratione perfectissimi prouisoris, ad quem attinet præuidere omnes effectus liberos à voluntate futuros, antequam ab ipsa producantur.

Hæc autem sententia sic explicata, quæ est clara 34
D. Augustin. de quo in Theologia, hac ratione sic probatur; quando voluntas manet eodem modo immutata in ratione principij, ac esset cum solis mediis liberis, manet libera: sed posita prædicta Dei præfinitione absoluta manet voluntas eodem modo immutata in ratione principij; ac esset cum solis mediis liberis: ergo posita præfinitione absoluta Dei voluntas creata manebit libera: Consequentia est euidens, maior patet, quia voluntas cum solis mediis liberis est libera: ergo si cum illa præfinitione manet eodem modo immutata in ratione principij, ac esset cum solis mediis liberis; adhuc cum illa præfinitione erit libera; minorem autem sic probo; quando aliquod cum voluntate concurrit ad eius actum non immediatè per se ipsum, sed tantum per media libera, voluntas manet eodem modo immutata in ratione principij, ac esset cum solis mediis liberis, nam aliquod concurrere solum mediatè cum voluntate per media libera est re vera ipsum non concurrere sed tantùm concurrere media libera cum illa, vt per se liquet: atqui prædicta Dei præfinitio, vt mox ostendam, non concurrit cum voluntate per se ipsam immediate sed tantum per media libera ad actum præfinitum: ergo posita hac Dei præfinitione absoluta voluntas manet eodem modo immutata in ratione principij: ac esset cum solis mediis liberis in ordine ad actum præfinitum.

Dicat verò quispiam primo, volontatem creatam 35
posita præfinitione absoluta manere immutatam intrinsecè in ratione principij, non vero extrinsecè, cum per extrinsecam præfinitionem absolutam Dei omnino determinetur ad operandum, & ideo non manere liberam: Sed contra; quodcumque siue intrinsecum, siue extrinsecum, quod tantum concurrit cum voluntate ad eius actum, non per se ipsum sed per media libera ipsi voluntati proportionata, non mutat voluntatem in ratione principij; quia nihil præstat nisi per media libera, quæ voluntatem non mutant: atqui illa extrinseca præfinitio absoluta Dei tantum concurrit cum voluntate ad eius actum, non per seipsum immediate, sed per media libera: ergo illa extrinseca præfinitio absoluta Dei non mutat voluntatem in ratione principij: Consequentia est euidens cum maiori, minorem autem sic monstro; præfinitio absoluta Dei eo modo tantum concurrit cum voluntate ad eius actum, quo vult concurrere, quia non concurrit nisi volendo; sed talis præfinitio vult absolutè concurrere cum voluntate creata ad eius actum, non immediate per seipsam, sed tantum per media libera à Deo præuisa, de hac enim solum Dei præfinitione procedit quæstio, vt iam præmisimus; ergo præfinitio Dei absoluta non concurrit cum voluntate ad eius actum per seipsam, sed tantum per media libera.

Dicat secundo, præfinitionem Dei absolutam non 36
solum inferre media efficacia libera, quibus voluntas eliciat actum præfinitum, sed etiam velle physicè, & absolutè ipsum actum, atque ita ex se physicè

ſicè habere eſt connexionem cum ipſo actu præfinito, cum illi non poſſit voluntas creata reſiſtere ; & id circo per talem præfinitionem tolli eius libertatem immediatè ad actum præfinitum ; ſed contra ; id, quod habet ex ſe phyſicè connexionem cum actu voluntatis, vt faciendo tantum per media libera, non tollit voluntatis libertatem ; ſed præmnitio tantum habet ex ſe phyſicè connexionem cum actu voluntatis vt faciendo præcisè per media libera ; ergo talis præfinitio Dei non tollit libertatem voluntatis. Conſequentia eſt euidens, minor patet, quia præfinitio eatenus præcisè habet ex ſe connexionem cum actu præfinito voluntatis, quatenus vult ipſum actum : ſed vult ipſum actum vt faciendum tantum per media libera, vt ſupponimus : ergo præfinitio tantum habet ex ſe connexionem cum actu voluntatis vt faciendo præcisè per media libera.

37 Maiorem vero primi ſyllogiſmi primo id eſt, id, quod habet ex ſe connexionem cum actu voluntatis, vt faciendo tantum per media libera, non tollere libertatem voluntatis, ſic monſtro : voluntas qua Deus vult dare prædeſtinato media libera efficacia, quibus eliciat actum contritionis, & ſaluetur, non tollit libertatem voluntatis in ordine ad talem actum, vt aduerſarij admittunt : ſed talis voluntas Dei habet ex ſe connexionem cum actu contritionis faciendo tantum per media libera, id eſt, vult abſolutè & efficaciter ipſum actum liberum contritionis : ergo id, quod habet ex ſe connexionem cum actu voluntatis, faciendo tantum per media libera, non tollit eius libertatem ; probatur minor, voluntas efficax, & abſoluta Dei quæ habet connexionem cum aliquo, vel (quod idem eſt) quo vult abſolutè aliquid videns eſſe connexum neceſſario cum alio, vult etiam abſolutè ſaltem indirectè illud aliud, & habet ex ſe connexionem cum illo ; media autem efficacia, vt efficacia habent omnimodam connexionem cum actu voluntatis ; ac proinde voluntas efficax & abſoluta Dei, quæ vult abſolutè media efficacia, vt efficacia, vult etiam abſolutè ſaltem indirectè actum voluntatis, & habet ex ſe connexionem cum illo ; atqui illa voluntas, qua Deus dat prædeſtinato media efficacia, quibus elicit actum contritionis, & ſaluatur, vult abſolutè ipſa media efficacia ad actum liberum contritionis, vt formaliter efficacia : ergo talis Dei voluntas vult etiam abſolutè ſaltem indirectè ipſum actum liberum contritionis, & habet ex ſe connexionem cum illo.

38 Minor autem iſta, ſcilicet voluntatem illam Dei velle abſolutè media efficacia prædeſtinato ad actum liberum contritionis, vt formaliter efficacia, monſtratur. Primo, hæc voluntas qua Deus vult dare prædeſtinato media efficacia, quibus de facto conteritur, & ſaluatur, maior eſt amor erga prædeſtinatum, quam ſit amor erga reprobum voluntas alia, qua Deus vult dare ipſi reprobo auxilia alia æque, vel magis intenſa, & perfecta entitatiuè, cum quibus tamen reprobus nec conteritur nec ſaluatur, vt omnes admittunt, ſed amor, ſeu amare aliquem eſt velle illi bonum, & maior amor, vel magis illum amare eſt velle illi maius bonum, vt tenet omnis ſchola : ergo voluntas illa Dei erga prædeſtinatum maius aliquod bonum vult ipſi prædeſtinato, quam ſit illud bonum, quod illa alia voluntas Dei erga reprobum vult ipſi reprobo ; eſt euidens conſequutio : tunc ſic : ſed volitio illa Dei ergo reprobum vult ipſi reprobo auxilia æque, immo magis intenſa, & perfecta entitatiue, quam ſint auxilia, quæ dat prædeſtinato, vt ſuppono ; ergo prædicta voluntas mediorum erga prædeſtinatum, vt ſit maior amor, & velit illi maius bonum, quam altera voluntas vult reprobo ; neceſſe eſt velit ipſi prædeſtinato auxilia illa, non vt æqualia cum auxiliis reprobi, ſcilicet ſecundum ſuas entitates præcisè, ſed vt in æqualia, ac meliora, ſcilicet vt formaliter efficacia. Monſtratur ſecundo eadem minor : ponamus, quod prædeſtinatus petit à Deo, quod det illi auxilia non per ſe ſufficientia, ſed efficacia, qui caſus negari non poteſt, quod ſit poſſibilis. Arguo ſic : ideo Deus in hoc caſu propter orationem iuſti mouetur ad dandum illi hæc auxilia, quæ ſunt efficacia, & non illa quæ eſſent purè ſufficientia, quia iſta efficacia ſunt, ſicut prædeſtinatus petiit, ſecus illa : ergo hæc auxilia vt efficacia mouent abſolutè voluntatem Dei, vt conferat illa ipſi prædeſtinato ; ſed non poſſunt vt efficacia mouere abſolute voluntatem Dei, niſi ipſa Dei voluntas velit abſolutè illa media, vt efficacia, nam voluntas non mouetur, nec perſuadetur abſolutè ab eo, quod abſolutè non vult : ergo quando Deus in hoc caſu dat auxilia efficacia prædeſtinato, diuina voluntas vult abſolutè ipſa auxilia, vt efficacia.

Dicat tertio, eo ipſo, quod præfinitio habeat ex 39
ſe phyſicè connexionem cum actu vt futuro aliquo modo, media quæ infert, non poſſe manere libera, ac proinde nec voluntatem manere cum libertate ; Sed contra, hoc aggregatum, ſcilicet ſcientia conditionata, qua videt Deus actum futurum eſſe, ſi dentur voluntati media iſta libera, ac etiam voluntas Dei dandi illi talia media, hoc (inquam) aggregatum habet ex ſe phyſicè connexionem neceſſariâ cum actu voluntatis, vt futuro per ea media, quia illa ſcientia Dei, cum ſit omnino infallibilis, non poteſt fruſtrari : atque ita poſitis per voluntatem Dei illis mediis, cum quibus videt actum voluntatis ſequuturum, non poteſt non ſequi actus : & tamen poſito tali aggregato, ex ſcientia Dei, & voluntate mediorum, adhuc media quæ infert, manent libera, & voluntas cum libertate ad actum præuiſum, vt aduerſarij admittunt ; ergo etiamſi Dei præfinitio habeat ex ſe connexionem cum actu vt futuro per ea media, poſita præfinitione media, quæ infert, manebunt libera, & voluntas cum libertate ad actum præfinitum : Dices, præfinitionem ex ſe ponere actum, ſecus ſcientiam, & ideo illam, non iſtam tollere libertatem : ſed ad impugnatum redis, ponere enim actum eſt cauſare, & efficere illum : ſed præfinitio per ſe ipſam phyſicè non cauſat, nec efficit talem actum, ſed tantum per media libera vt oſtendi n. 35. ergo præfinitio non ponit actum magis quam ſcientia, ac proinde nec tollit libertatem magis, quam ſcientia ipſa.

CAPVT IV.

Aduerſantia argumenta vrgentur, ac diluuntur.

ADuerſæ partis ſectatores facilè ſibi pro ſua ſententia perſuadent demonſtrationes conficere, eorum rationes (fateor difficultatem) in iſto cap. vrgere, & eneruare conabor.

Obiectio prima, ſuppoſitio antecedens actum ab- 40
ſolutum, qua poſita non poteſt voluntas non operari, tollit libertatem, ſed præfinitio eſt ſuppoſitio antecedens actum abſolutum, qua poſita non poteſt voluntas non operari actum illum præfinitum, non enim poteſt reſiſtere voluntati abſolutæ Dei, ergo talis præfinitio tollit libertatem in ordine ad illum ; ſed inſtatur argumentum in tua ſententia ; hoc aggregatum ſcilicet ſcientia conditionata, qua Deus videt actum voluntatis eſſe futurum, ſi illi dentur talia

talia media, ac etiam voluntas Dei dandi voluntati illa media, hoc (inquam) aggregatum est suppositio antecedens actum absolutum, qua posita voluntas creata non potest non operari actum à Deo præuisum, est enim talis scientia conditionata Dei omnino infallibilis; ergo tale aggregatum ex scientia conditionata, & voluntate mediorum tollit libertatem voluntatis ad actum præuisum, non valet; Respondeo ergo eam tantum suppositionem, qua posita voluntas non potest non elicere actum, tollere simpliciter libertatem, quæ est suppositio simpliciter antecedens, id est, quæ sit in aliquo priori naturæ, & causalitatis ante omnem actum, etiam vt conditionatum; non vero euertere libertatem suppositionem illam, quæ est solum suppositio consequens, scilicet quæ non est in in aliquo priori naturæ, & causalitatis, sed tantum in quodam posteriori effectus, vel inuoluens actum, vel consequuta ad ipsum actum saltim vt conditionatum, tunc enim voluntas in priori causæ non manet determinata, sed indifferens, quod sufficit vt maneat simpliciter libera, præfinitio, ergo absoluta Dei non est in aliquo priori naturæ, & causalitatis ante omnem actum: nō enim est per seipsam causa actus, vtiam ostendi, sed solum est in posteriori actus, seu effectus consequuta ad ipsum actum conditionatum, vt sæpè diximus: ac proinde præfinitio non est suppositio simpliciter antecedens, sed tantum consequens: & idcirco licet ea posita voluntas non possit non operari non euertit libertatem.

41 Explicatur amplius solutio, & nostra sententia, præfinitio Dei absoluta antecedit aliquo modo actum quia ponitur ante illius actualem existentiam tamquam applicans principia illius, quando vero principia sunt libera parum refert, quod libere vel necessario applicentur; v.g. si Deus necessario produceret Angelum, si tamen eamdem quam modo habet ei tribueret voluntatem æque libere, ac modo efficeret suos actus, non tamen talis præfinitio antecedit simpliciter talé actum præfinitum, quia supponit illum futurum in esse conditionato, & pendet à libertate conditionata exercita, neque enim Deus præfiniret talem actum, nisi regulatum à scientia conditionata repræsentante actum illum futurum casu quo ponerentur illa media, & ita esset in potestate voluntatis efficere talem actum, vel non ponere præfinitionem; nihil vero non antecedens actum necessitat ad illum: ergo præfinitio licet aliquo modo antecedat actum præfinitum non derogat libertati.

42 Obiectio secunda, præfinitio Dei absoluta est suppositio quædam, quæ est in priori naturæ, & causalitatis respectu actus, qua positæ non potest voluntas eum actum non operari: ergo talis præfinitio est suppositio simpliciter antecedens, ergo tollit simpliciter libertatem in ordine ad talem actum, vtraque consequentia est euidens ex dictis num. 40. & 41. antecedens sic probatur, præfinitio absoluta est causa cogitationis, qua voluntas elicit actum, ideo enim Deus dedit voluntati talem cogitationem ad illum actum eliciendum, quia præfiniuit absolutè talem actum; ergo præfinitio est saltem in illo priori naturæ, & causalitatis respectu actus voluntatis, cum sit causa talis actus; ergo etiam præfinitio absoluta est prior natura, & causalitate respectu ipsiusmet actus. Dices, præfinitio absoluta actus quatenus causat, seu infert cogitationem illam secūdum se præcisè, est prior natura actu voluntatis, sicut & ipsa cogitatio secundum se; vt sic tamen præfinitio non habet connexionem cum tali actu, sicut nec ipsa cogitatio præcisè secundum se; illa autem præfinitio quatenus causat, seu infert cogitationem illam vt efficacem, habet connexionem cum actu, sicut, & ipsa cogitatio vt efficax formaliter; ac proinde nulla ratione præfinitio est prius natura actu, & vt sic prior connexa cum ipso actu, & ideo non est suppositio antecedens tollens libertatem.

Sed contra, præfinitio illa vt causat, seu infert cogitationem, qua quis de facto operatur, secundum se præcisè, est prior natura actu voluntatis, vt admittis, sed talis præfinitio vt causat, & infert cogitationem secundum se præcisè, qua voluntas operatur, est saltem remotè connexa cum actu; ergo talis præfinitio vt prior natura habet connexionem cum actu, ac proinde tollit libertatem: minor probatur: præfinitio illa vt causans, & inferens talem cogitationem secundum se præcisè, est de facto necessario connexa, ac identificata re ipsa cum ipsa præfinitione vt causante, & inferente cogitationem illam vt efficacem, sicut in homine animalitas cum rationalitate: sed præfinitio vt causans, & inferens cogitationem vt efficacem habet proximè connexionem cum actu: ergo præfinitio ipsa vt causans, & inferens cogitationem illam secundum se habet re ipsa saltem remotè necessariam connexionem cum tali actu; Respondeo ergo suppositionem antecedentem tollentem simpliciter libertatem, esse necessario id, quod per se ipsum est causa actus, aut per se prærequisitum ratione ipsius operationis, seu actus, & vt sic omnino connexum cum ipso actu, vt docent D. Augustin. lib. 3. de lib. arbitr. capit. 8. & D. Anselm. lib. 2. cur Deus homo, capit. 18. & Diuus Thomas lib. 2. physic. lect. 18. text. 88. præfinitio autem absoluta non est per se ipsam causa actus, sed tantum causa cogitationis, nec est prærequisita per se ratione ipsius cogitationis, seu actus, sed solum ratione entitatis cogitationis de facto; ac proinde talis præfinitio, licet sit prior natura, & suppositio antecedens respectu cogitationis, non tamen est prior natura, & antecedens respectu cogitationis, & actus; & ideo non est suppositio tollens libertatem. 43

Obiectio tertia, voluntas Dei generalis concurrendi cum nostra voluntate ad actus liberos, & voluntas præfinitiua talium actuum non possunt esse simul in Deo: quia voluntas generalis vult concurrere ad illos indifferenter, & indeterminatè, voluntas vero præfinitiua vult concurrere ad ipsos determinatè, & non indifferenter, quæ sunt duo contradictoria: in Deo autem non possunt esse simul duæ voluntates circa duo contradictoria: atque ita non possunt esse simul in Deo illæ duæ voluntates: atqui Deus semper habet voluntatem generalem concurrendi cum nostra voluntate ad actus liberos, aliàs voluntas creata libera ad operandum non esset: ergo Deus habere non potest voluntatem præfinitiuam, seu præfinitionem circa tales actus. Respondeo, concurrere Deum indifferenter in actu primo, id est, esse indifferenter paratum ad concurrendum ad hunc, & illum actum voluntatis, & etiam concurrere determinate in actu secundo, determinatum formaliter à voluntate creata, non esse contradictoria inter se, sed semper de facto accidere, vt diximus disputatione decimasexta, Physicæ capite tertio, voluntas ergo generalis Dei est solum quædam volitio, qua Deus vult concurrere indifferenter in actu primo, id est, esse in actu primo paratum ad hunc, vel illum actum voluntatis, voluntas autem præfinitiua est volitio, qua Deus vult concurrere determinatè in actu secundo, determinatus quidem à voluntate creata, ac proinde voluntas generalis, & voluntas præfinitiua non intendunt poni simul duo contradictoria, nec repugnant dari simul in ipso Deo. 44

Dices; eo ipso, quod Deus absolutè præfiniat actum, se determinat ad concurrendum ad illum actum, & ideo 45

ideo talis præfinitio absolutè pugnat cum illa voluntate generali, qua Deus manet indifferens ad concurrendum, & non concurrendum ad talem actum. Respondeo, non repugnare, quod eadem causa sit indifferens antecedenter, & in actu primo, & seipsam simul determinat consequenter, & in actu secundo, voluntas enim creata in actu primo est indifferens, & seipsam determinat in actu secundo; ac proinde non repugnat, quod Deus per voluntatem generalem antecedentem sit indifferens in actu primo, ad plures actus, & per voluntatem præfinitiuam consequentem seipsum determinet in actu secundo, nulla ergo via talis præfinitio implicat.

46 Obiectio quarta, volitio Dei, quæ habet ex se aliam efficaciam, & energiam respectu actus voluntatis creatæ præter hoc, quod est velle, & inferre media efficacia libera in ordine ad illum, tollit simpliciter libertatem in ordine ad talem actum, etenim illa altera efficacia immutabit modum operandi voluntatis, vt per se constat, quod est velle, & inferre media efficacia, libera in ordine ad illum; ergo talis præfinitio tollit simpliciter libertatem in ordine ad talem actum. Minor probatur primò, præfinitio Dei absoluta præter hoc, quod est inferre, & velle absolutè media libera efficacia in ordine ad actum, vult ex se absolutè, & efficaciter talem actum, aliàs non esset volitio, ac præfinitio efficax, & absoluta ipsius actus; sed velle Deum absolutè aliquem actum claudit efficaciam, & energiam respectu talis actus, cum id, quod Deus absolutè vult efficaciter futurum sit; ergo præfinitio absoluta Dei præter hoc, quod est velle, & inferre media efficacia libera, habet aliam efficaciam, & energiam respectu actus. Probatur secundò eadem minor, maiorem efficaciam habet in ordine ad actum præfinitio absoluta Dei, quam sola voluntas mediorum efficacium, nam præfinitio vult absolutè ipsum actum poni à parte rei, quod non vult absolutè voluntas mediorum efficacium; sed voluntas mediorum habet respectu actus hanc efficaciam, quæ est inferre media efficacia libera in ordine ad illum: ergo præfinitio absoluta præter hanc efficaciam, quæ est inferre media, habet aliam efficaciam & exigentiam, qua necessitet voluntatem ad ipsum actum.

47 Hæc sanè obiectio est difficilis. Respondeo tamen volitionem, ac præfinitionem Dei absolutam præter hoc, quod est velle, ac inferre media libera, vt efficacia non habere in se aliam efficaciam, & energiam diuersam qua velit actum, nam cum media libera vt efficacia habeant connexionem cum actu libero, & actus vt liber habeat etiam connexionem cum mediis efficacibus liberis, in hoc, quod est velle media libera vt efficacia includitur formaliter velle absolutè ipsum actum, & in hoc, quod est velle actum ipsum vt liberum includitur formaliter velle etiam absolutè media efficacia libera; ac proinde in præfinitione absoluta non est duplex efficacia, & energia respectu actus; alia, qua velit, & inferat absolutè media efficacia libera; alia qua velit & inferat absolutè actum; sed vna & eadem efficacia indiuisibilis, qua velit, & inferat media infallibilia libera, volendo, & inferendo per illa ipsum actum, vel qua vult ipsum actum fieri per media infallibilia libera; hæc autem efficacia, & energia volitionis, qua præcisè vult actum fieri per media libera non euertit libertatem voluntatis in ordine ad illum, vt ostendi numero 36. atque ita efficacia, & energia præfinitionis non euertit libertatem, quo obiectio ista cum prima minoris probatione diluta est.

Ad secundam minoris probationem dico duplicem esse posse voluntatem mediorum, quibus voluntas operatur, alia est, quæ tantùm vult media, non vt efficacia, sed tantùm entitatiuè, ac secundùm se: cum autem media entitatiuè secundùm se non habeant connexionem cum actu, talis voluntas mediorum volens absolutè media secundùm se præcisè, non vult ipsum actum, atque ideo in sensu composito talis voluntatis diuinæ circa media secundum se potest creata voluntas simpliciter non operari; alia est voluntas mediorum, quæ vult media libera vt efficacia, & vt connexa cum actu, atque ita talis voluntas volens absolutè media vt efficacia, vult etiam absolutè ipsum actum, & eapropter in sensu composito talis voluntatis diuinæ circa media vt efficacia non potest voluntas creata non operari actum; si ergo præfinitio Dei absoluta cum prima voluntate comparetur, est longè efficacior illa, quia talis voluntas non vult media vt efficacia, & in sensu composito illius potest voluntas creata actu non operari; præfinitio verò vult, & infert media libera vt efficacia respectu actus, & in sensu composito illius non potest voluntas non elicere talem actum: si autem præfinitio cum secunda voluntate mediorum conferatur, non est efficacior illa, nam vtraque vult media libera vt efficacia in ordine ad actum, & in sensu composito cuiusque ex illis voluntas creata non potest non elicere talem actum: voluntas autem mediorum, quæ vult media libera vt efficacia non tollit simpliciter libertatem, quia tantùm vult actum fieri per media libera, quod libertatem conseruat, non euertit; ac proinde præfinitio, quæ non habet maiorem energiam, ac ista voluntas circa media, non tollit libertatem simpliciter, vnde ad argumentum concedo præfinitionem habere in se aliquam efficaciam, quam non habet prima illa voluntas mediorum, quæ per se, & simpliciter non est efficax; talis autem efficacia præfinitionis cum sit consequens scientiam conditionatam, ita temperata cum mediis liberis non euertit libertatem vt constat ex dictis. 48

Obiectio quinta, res, quæ habet ex se physicè connexionem infallibilem cum actu voluntatis futuro, licèt non efficiat illum, tollit simpliciter libertatem voluntatis in ordine ad illum: sed præfinitio absoluta habet ex se physicè connexionem infallibilem cum actu præfinito vt futuro, quia talis præfinitio ex se physicè vult absolutè futurum esse talem actum; ergo præfinitio tollit simpliciter libertatem in ordine ad talem actum. Consequentia tenet cum minori, maior autem sic probatur: in plurium Thomistarum sententia, physica prædeterminatio est qualitas ex se physicè connexa cum actu non efficiens actum, sed applicans voluntatem ad talem actum; & tamen in nostra sententia talis prædeterminatio tollit simpliciter libertatem, ergo res, quæ habet ex se physicè connexionem infallibilem cum actu, licèt non efficiat illum, tollit simpliciter libertatem ad talem actum. Respondeo id, quod per modum causæ, seu conditionis prærequisitæ ad causandum habet in aliquo priori naturæ connexionem physicam cum actu omnino independentem ad ipsum actum, tollere simpliciter libertatem voluntatis in ordine ad illum: & hoc modo se habet physica prædeterminatio in opinione aliquorum ex recentioribus Thomistis, quæ licèt non esset causa actus, esset tamen conditio prærequisita ad causandum habens connexionem physicam cum actu, antecedentem omnino ad illum, & independentem ab ipso; & ideo tollit simpliciter libertatem ad talem actum; id verò quod habet ex se physicè connexionem cum actu, non quidem per modum causæ, 49

aut conditionis prærequisitæ ad causandum in aliquo priori naturæ antecedenter ad eum actum, sed tantùm in signo aliquo posteriori habet connexionem cum actu dependentem ab illo, & consequentem ad actum ipsum præuisum antea vt conditionatè futurum per media libera, & attemperata cum ipsis mediis liberis, id (inquam) non euertere, sed potius conseruare libertatem; hoc autem modo se habet præfinitio, quæ cum supponat actum sub conditione futurum per media libera, & attemperata cum illa, non habet connexionem antecedentem per modum causæ, aut conditionis prærequisitæ ad causandum, sed tantùm habet connexionem cum actu consequentem ad ipsum actum, & attemperatum cum mediis liberis, & ea propter non tollit simpliciter libertatem.

50 Ex dictis infero; volitionem, ac præfinitionem diuinam, qua Deus absolutè velit independenter à scientia conditionata, qua Deus præuidet media indifferentia, ac libera, actum volitionis in particulari elici à voluntate creata, eius prorsus libertatem euersuram in ordine ad actum præfinitum: nam talis Dei absoluta præfinitio, esset suppositio antecedens, cum omnem vsum libertatis antecelleret, & ea posita non posset non operari actum præfinitum: voluntati enim Dei absolutæ nullus valet resistere; atqui suppositio antecedens, qua posita voluntas non potest non operari, tollit eius libertatem, vt etiam perspicuè constat in visione beata respectu amoris beatifici, ergo talis præfinitio independens à scientia conditionata tollit simpliciter libertatem voluntatis in ordine ad actum præfinitum, non minus, ac physica prædeterminatio vt ostendimus lib. 2. Physicorum disp. 16. c. 2. & 3.

51 Sed quærat quis: si daretur aliqua qualitas creata habens ex se physicè connexionem infallibilem cum actu consequentem ad scientiam conditionatam de actu sub conditione futuro per media libera, & quantumcumque attemperatam cum illa, tollere libertatem ad talem actum, quia cum haberet physicam connexionem cum actu, esset prædeterminatio physica, quæ omnem euertit libertatem: ergo præfinitio absoluta, quæ habet physicè talem connexionem cum actu, tollit simpliciter libertatem ad talem actum. Respondeo non posse concipi; quod qualitas creata, quæ non sit volitio, habeat talem connexionem cum actu consequentem ad scientiam conditionatam, & attemperatam cum illa; si tamen talis qualitas daretur per possibile, vel impossibile, non esset physica prædeterminatio ad actum, quia non esset prior natura ipso actu, quod ad physicam prædeterminationem requiritur, esset verò præfinitio æquiualenter, seu virtualiter, quia idem præstaret, quod illa; ac proinde sicut præfinitio libertatem non euertit, ita nec qualitas prædicta.

CAPVT V.

An possibilis sit pura omissio.

52 CElebris est hæc difficultas inter Theologos, de ea agunt cum D. Thoma 1. 2. quæst. 6. art. 3. & 2. 2. quæst. 79. art. 3. qui apertè docet dari absque omni actu tam exteriori, quam interiori, igitur omissio formaliter est prætermissio boni debiti, hoc est, non agere debitum, scilicet actum; in qua definitione, non agere, habet locum generis, & non dicit meram negationem, sed vt contrahitur per differentiam adiunctam, scilicet *debitum*, induit rationem priuationis, negatio enim formæ in subiecto, cui debetur, priuatio est, quare omissio propriè est priuatio actus debiti, non quæuis, sed voluntaria, quod optimè explicuit D. Thomas nomine prætermissionis, non enim prætermittere dicitur, qui voluntariè aliquid non facit, quod facere debebat, circa id verò, quod habet locum differentiæ, nempe, *actus debiti*, duo obseruat, primum nomen actus latè esse sumendum, vt comprehendat non solas actiones immanentes, & transeuntes, sed plura alia, quæ grammaticaliter per modum actus significantur, vt stare, sedere alicubi manere, armatum, aut vestitū esse, in quibus, & similibus potest peccatum omissionis reperiri, si sub præcepto affirmatiuo sint. Secundum est, nomine debiti in præsenti significari, quidquid affirmatiua lege præceptum est, siue sit debitum legale ad iustitiam pertinens, siue morale, in quo etiam aliquando necessitas faciendi reperitur; huiusmodi autem debitum dupliciter prætermitti potest, primo ita vt ratio debiti sit quasi formale motiuum omissionis, vt si quis omittat facere quod debebat ea intentione vt debitum non reddat: Secundo, ita vt materialiter se habeat, vt si ea intentione non omittat; prætermissionem primo modo docet D. Th. illo art. 3. esse speciale peccatum contra iustitiam. Secundo vero non esse speciale peccatum, sed posse versari in materia omnium virtutum.

Ex his facilè deprehenditur discrimen inter omissionem & cōmissionem, quod hæc per se actum positiuum expoſcit, illa non; hæc est contra præceptū negatiuum, illa cōtra affirmatiuum, & quia huiusmodi præceptum non obligat pro semper, sicut negatiuum, inde oritur aliud discrimen, nempe quocumque tempore posse hominem peccare cōmittendo, non vero omittendo; quia accidere potest, vt alia non occurrat obligatio alicuius præcepti affirmatiui, quo tempore non potest esse peccatum omissionis, quod vero sit præceptum affirmatiuum, quodve negatiuum, quando per omissionem peccatur, & quando per commissionem, maioris negotij est; aduertendum tamen cui præcepto immediatè, & per se aduersetur peccatum, nam ex illius notitia præcisè intelligi debet sit ne omissio vel comissio, quod Theologis relinquimus, semper tamen ad omissionem liberam debet præcedere actus intellectus, non vero ad necessariam. 53

Duæ in hac re extant sententiæ, prima asserit puram omissionem liberam non esse possibilem, ita Maior Montes. 1. 2. tom. 2. q. 2. Gamechus 1. 2. q. 71. capit. 2. Caietan. 1. p. q. 63. art. 5. Bannes ibidem ad secundum Victoria in relectione de puero perueniente ad vsum rationis p. 2. num. 10. Conrad. in hunc art. Cumel ibidem disp. 1. sect. 5. Lorca disp. 5. de peccatis, citatur etiam Vasquez 1. 2. disp. 92. cap. 2. & Valentia 1. 2. disp. 6. punct. 4. §. si autem. Hi tamen non negant puram omissionem simpliciter, sed solum aiunt, eam moraliter numquam contingere, sed ad illam concurrere aliquem actum, siue vt causam, siue vt occasionem, in quo sensu videtur. D. Thomas conciliare vtramque sententiam ita vt affirmatiua intelligatur de actu interpretatiuo, seu de actu, qui sit causa, vel occasio omissionis; negatiua vero de actu positiuo; secunda est, possibilem esse puram omissionem liberam, cui etiam subscribo. 54

ASSERTIO sit: metaphysicè possibilis est pura omissio interior libera absque omni actu. Ita D. Th. suprà citatus, Dur. in 2. dist. 35. quæst. 2. Molina 1. p. q. 14. art. 13. disp. 12. Suarez in metaph. disp. 19. sect. 4. num. 18. Valent. & Vasquez supra citati, Hurtado disp. 15. de anima sect. 7. Arriaga ibidem disp. 8. sect. 6 Tannnerus 1. 2. disp. 4. quæst. 4. dub. 1. Ripalda de ente supernaturali: disp. 70. Ouiedo controu. 10. p. 1. Carleton disp. 26. de anima sect. 1. 2. & 3. & ferè iam recentiores; pro maiori intelligentia expende, puram omissionem interiorem esse illam, qua actus interior voluntatis, qui est sub præcepto culpabiliter prætermittitur, vt omissio actus charitatis tempore, quo homo tenetur amare Deum, aut actus contritionis, 55

nis, quando tenetur detestari peccatum, aut omissio sacri, quando tenetur audire, aut alios actus voluntatis.

56 Probatur primo, ex illo Ecclesiast. 31. qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit, & 1. Petr. 2. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, qui cum malediceretur, non maledicebat, qui cum pateretur, non comminabatur: alia testimonia addunt Ripalda quę non solum de pura omissione libera, sed etiã de necessaria interpretatur. Probatur etiam ratione, voluntas pro hoc statu est libera quoad exercitium, seu libertate contradictionis, vt passim docetur à Philosophis: ergo potest amare seu non amare quoduis obiectum, vel elicere actum circa illud, aut non elicere; sed præcisè non eliciendo omittit omissione interna: ergo possibilis est talis omissio absque omni actu; minor probatur, qui cogitat se debere, audire sacrum, & non ponit media necessaria ad illius auditionem requisita, sed mere negatiuè se habet circa omnia illa, & ipsam sacri auditionem libere omittit, operatur libere cum exerceat vnum ex extremis indifferentiæ, videlicet non operari, cum libere possit cessare ab operatione, sed ad id non est necessarius actus, quia vnũ extremũ libertatis contradictionis est negatio actus: ergo cum voluntati sit liberum suspendere actum circa suum obiectum, vt quotidie experimur, possibilis erit pura omissio: hãc consequẽtiam probo, quia voluntas æque est principiũ operandi, ac non operandi, sed non operari præcisè est omittere actum: ergo pro illo priori potest elicere, vel omittere actum, sed hæc omissio est negatio illius actus: ergo si pro illo priori non operaretur, haberet omissionem: ergo illa extremitas metaphysicè non repugnat.

57 Probatur tertio, potest Deus, dum quis habet cognitionem alicuius obiecti creati sufficientem ad exercitium amoris circa illud, subtrahere concursum ad omnem alium actum circa omne aliud obiectum præter amorem circa hoc obiectum, quod extremum non repugnat: in illo casu arguo sic: amor ille esset liber præcisè, quia per omissionem potuit non esse, nec per alium actum potuit amari omissio talis actus, quia supponitur negatus concursus ad omnes alios actus: ergo in tali casu cum obiectum sit cognitum, posset illud non amare: ergo præcisè esset liber per puram omissionem, cum non esset actus, quo posset omittere: ergo pura omissio est possibilis. Solutiones, quæ huic argumento ab aduersariis adducuntur, soluit Hurtado supra n. 102. vsque ad 112.

58 Obiiciat quis primo, voluntas omittendo transit de potentia in actum: ergo in omissione datur actus, quia impossibilis videtur transitus ad actum sine actu: antecedens est certum, nam ante omissionem erat voluntas indifferens ad omittendum, & non omittendum, & in potentia ad vtrumque, ergo omittendo transit de potentia ad actum; Confirmatur, quia etiam per omissionem transit homo de non peccatore in peccatorem, de iusto, & amico Dei in iniustum & inimicum; sed hic transitus non potest fieri absque aliqua mutatione in ipso facta: ergo nec omissione sine actu: Respondeo, duplicem esse actum potentiæ passiuæ positiuum vnum, alterum negatiuum, seu priuatiuum, materia enim non solùm dicitur esse in potentia ad formam, quam habet, sed etiam ad omissionem formæ eiusdem, potestque reduci in actum saltem de potentia absoluta per solam priuationem eiusdem formæ absque aliquo actu positiuo; ita similiter voluntas ante omissionem dicitur esse in potentia ad illam tanquam ad actum priuatiuum transitque de hac potentia in actum per solam priuationem, seu negationem, quia pro priori naturæ indifferens est voluntas ad actum, vel illius omissionem.

Obiiciat secundò, si possibilis esset pura omissio illa esset voluntaria, sed non est voluntaria sine actu: ergo non est possibilis. Minor probatur, quia non esset voluntaria propter se, quia omissio est formaliter priuatio, quæ cùm boni rationem non habeat, nequit propter se amari: neque esset voluntaria ratione alterius in quo sit volita saltem indirectè, quia illud ratione cuius esset volita in alio, aliquo actu positiuo deberet esse volita: ergo numquam est possibilis pura omissio sine actu. Respondeo, omissionem illam esse sufficienter voluntariã, cum procedat à voluntate, omne autem quod est in potestate voluntatis dicitur voluntarium saltem interpretatiuè & æquiualenter, quatenus, scilicet, qui non agit, cum possit agere, gerit se, ac si positiuè nollet agere, in quo voluntas exercet libertatem contradictionis. 60

Dices: pura omissio, cum sit negatio non potest habere principium intrinsecum: ergo nec esse voluntaria, quia voluntarium ex Nyssen. 5. Phi. c. 1. consistit, in actione: sed pura omissio non includit actionem: ergo non est voluntaria: Confirmatur, quia omissio non est voluntaria directè, quia voluntarium vt docet D. Thomas procedit ab aliquo in quantum est agens, nec est voluntaria indirectè, quia voluntarium indirectum reducitur ad directum, quod sine actu non datur: Respondeo Nyssenum, & D. Thomam loqui de voluntario perfecto, sed sine actu positiuo non datur, bene tamen voluntarium æquiualenter, seu interpretatiuè, eorum autem intentum solum erat, docere voluntarium non esse idem, quod volitum tanquam obiectum, vel terminum productum, sed habere se per modum actionis, quod etiam conuenit omissioni, quæ cum sit actionis negatio ad idem genus cum illa pertinet; ad cõfirmationem Respondeo, voluntatem à qua liberè procedit omissio non habere principium realiter, & positiuè influens, habere tamen aliquale principium à quo illud esse, quod negatio potest habere, deriuatur, hoc autem est, voluntas pro sua libertate omnem actum suspendens. Respondeo secundò, omissionem esse voluntariam indirectè, non ratione alterius, sed ex eo, quod voluntas operari teneatur, & non faciat, quod appellatur voluntarium interpretatiuum, nam realiter ita se gerit voluntas, vt rationabiliter interpretemur, voluisse operari cum posset, quo voluntario interpretatiuo potest dici omissio directè voluntaria, etsi in se tantum sit indirectè, & ratione illius ad directum voluntarium reducitur. 61

Obiiciat tertiò, non potest dari meritum sine actu positiuo; ergo nec demeritum. Consequentia tenet à paritate rationis; antecedens probatur primò, quia alioquin homo iustus cõtinuè mereretur, non fornicando, non furando, non mentiendo, & alia; ergo debet dari aliquis actus, quo voluntas circa talia obiecta operetur. Secundò, quia ex Aristot. 3. Ethic. cap. 1. omne meritum est laudabile, & de genere boni, quod consurgit ex integra causa; ergo requirit actum positiuum, & consequenter demeritum, cum in vtroque par ratio militare videatur. Respondeo primò, Aristot. vt suprà ostendi numero præcedenti loqui de voluntario perfecto. Respondeo secundò, ad bonum plura requiri, quàm ad malum, bonum enim ex integra causa, malum verò ex quocumque defectu, & vt etiam docet ipse Arist. 2. ethic cap. 4. vt aliquod opus sit studiosum, id est, actus virtutis, oportet, vt fiat à sciente, & propter ipsum, hoc est, propter ipsam honestatem operis; idem docet Anselm. in Prolog. de veritate, cap. 13. *Dum iustitiam vniuersalem ait esse rectitudinem*, ad quod necessarium est, vt honestas formaliter positiuè intendatur, quod est perfectum voluntarium, quod non contingit, quando præcisè omittitur, quia ibi nullus est actus virtutis, & ex consequenti, nec meritum; at verò vt peccatum fiat non est necessarium, quod positiuè intendatur. 62

datur inhonestas, & ita sine actu positiuo potest esse peccatum, & demeritum, quia malum ex quocumque defectu; imò Arist. 3. ethic. cap. 5. *Vocauit honestum non agere malum*; & Horatius; *virtus est fugere vitium*; quando autem D. Thomas, & Doctores docent ad omissionē requiri actum, intelligendi sunt moraliter, & ex consuetudine operandi, non verò simpliciter, & metaphysicè, raro enim hęc pura omissio contingit, vt apud omnes in confesso est; hæc de omissione sufficiant pro nostro instituto, cętera propria sunt Theologorum.

Et hæc de sexto Tractatu, de voluntate, & eius actibus dicta sint satis.

TRACTATVS SEPTIMVS.

De Habitibus.

IN superioribus egimus de potentia intellectiua, & volitiua, earumque actibus; cum autem per actus istos iuxta communem sententiam habitus generentur nunc de his habitibus disceptandum est; cum verò Philosophia nostra Theologiæ subordinetur, eique subseruiat non abs re erit, quædam de habitibus supernaturalibus infusis attexere, ad quorum cognitionem non parum naturalium habituum notitia iuuabit, eorumque existentiam, essentiam, qualitatem, & causas nostris disputationibus explanabimus.

DISPVTATIO XIX.

Quid habitus sit, & an ab speciebus impressis reipsa distinguantur.

QVATVOR capita continebit. In primo, ratio formalis habitibus aperitur, & nonnulla declarantur. In secundo, ratio formalis habitus supernaturalis declaratur. In tertio inquiro, an in intellectu habitus naturalis admittendus sit. In quarto, an admitti debeat habitus naturalis in voluntate.

CAPVT I.

Ratio formalis habitus aperitur, & nonnulla declarantur.

1 HAbitus naturalis ex communi vsu, & consensu Philosophorum multipliciter vsurpatur, vt videre est apud Suarez disp. 44. metaph. sect. 4. Vasquez, Valentiam tom. 2. disp. 4. quæst. 1. punct. 1. Vallium tom. 2. Logicæ disp. 4. pars 1. Hurtadum, Arriagam, Carleton, & alios; primò enim habitus sumitur pro facilitate quadam qua ita rebus quibusdam, non ex se iucundis, sed molestis, & asperis paulatim assuescimus, vt in illis ferendis, exiguam, aut propè nullam difficultatem sentiamus; hinc ortum habuit commune Philosophorum axioma, ab assuetis non fit passio. Secundò, sumitur pro modo quodam rem aliquam habendi de quo in prædicamentis, cap. de qualitate disp. 28. cap. 1. & 2. Tertiò sumitur pro forma accidentali opposita priuationi, vt cum dicimus, *habitus, & priuatio.* Quartò denique, sumitur pro principio quodam actuum, & in hoc sensu agimus de habitu naturali, postea de supernaturali.

2 Igitur habitus naturalis iuxta communem acceptionem, est *qualitas quædam stabilis supponens potentiam per se ac simpliciter completam illamque facilitans, & inclinans ad eliciendos actus similes illis, ex quibus genitus est*; ac primum est *qualitas stabilis*, quia in hoc habitus ad dispositione distinguitur, quod dispositio est qualitas facilè mobilis à subiecto, habitus, verò est difficilè mobilis, ac proinde stabilis in ipso subiecto; supponens potentiam simpliciter completam, quia habitus naturalis non requiritur ad posse, sed ad melius posse, quemuis enim actum quem potentia elicit cum habitu posset simpliciter efficere sine habitu, & ratio est clara, nam actus primus, per quem habitus generatur, efficitur à solo intellectu & non ab ipso habitu, aliàs inter habitum acquisitum & actum illum mutua causalitas daretur in eodem genere causæ, quod repugnat; sed alij actus, ad quos postea habitus concurrit, sunt similes illi primo actui, à quo ipse habitus genitus est, ergo intellectus, qui se solo potuit efficere primum actum potest etiam simpliciter se solo efficere reliquos, omnes actus, quos eliciet cum illo habitu acquisito; ac proinde habitus acquisitus supponit potentiam simpliciter completam in ordine ad suos actus; *illamque facilitans, & inclinans ad eliciendos actus similes, &c.* quia habitus naturalis est semen actuum decisum ab ipsis actibus; semen autem solum concurrit ad aliquid simile illi, cuius est semen, & à quo decisum est, ac proinde habitus naturalis solùm concurrit ad actus similes illis, quorum est semen, & à quibus genitus est, concurrit autem facilitando potentiam, & reddendo habilem, & expeditam ad suos actus, vt experimur, atque ita solùm facilitat ad similes illos actus; in quo differt ab habitu supernaturali, vt infrà dicam, quia hic non dat facilè, sed simpliciter posse.

Porrò studiosè obseruandum est in quibus potentiis huiusmodi habitus constituendi sint, & à quibus relegandi. 3

Assero primò, in potentia, quæ non concurrit ad actum nisi necessitata quoad exercitium in actu primo ad eliciendum ipsum actum, habitum naturalem dari non posse; res enim quæ est naturaliter ad vnum determinata in ordine ad aliud non potest habere facilitatem, & habitum, ita docent expressè Aristot. 2. ethic. cap. 1. D. Thomas in 1. 2. quæst. 50. artic. 3. in corp. Suarez in metaph. disput. 44. sect. 1. num. 15. Vasquez 1. 2. disp. 79. cap. 4. num. 31. Valent. tom. 2. disp. 4. q. 2. punct. 2. Hurtado, disp. 16. de anima, sect. 1. & in metaph. cap. de qualitate, Carleton disp. 28. de anima sect. 1. Arriaga disp. 9. de anima sect. 2. Ouiedo, & communiter ex antiquis, & recentioribus.

Probatur efficaciter, potentia, quæ habet summam promptitudinem, & facilitatem ad actum non potest vlterius facilitari per habitum in ordine ad actum illum,

illum, ſed potentia quæ eſt in actu primo, omnino determinata, & neceſſitata quoad exercitium ad operandum habet ſummam promptitudinem,& falſitatem ad eliciendum actum, quæ enim maior facilitas, & promptitudo eſſe poteſt, quam ſumma determinatio, & neceſſitas ad eliciendum actum illum, qualis eſt neceſſitas quoad exercitium; ergo potentia, quæ eſt in actu primo, neceſſitata quoad exercitium ad operandum, non poteſt vlterius facilitari per habitum ad talem operationem, ſeu actum. Confirmatur, ſola illa potentia eſt capax facilitatis, & habitus in ordine ad aliquem actum quæ eſt capax difficultatis in ordine ad illum, nam facilitas, ac habitus naturalis datur à natura ad tollendum difficultatem potentiæ in ordine ad actus, ſed potentia in actu primo, neceſſitata quoad exercitium ad aliquem actum eliciendum, nullam poteſt habere difficultatem in ordine ad talem actum, nec enim difficultas eſſe poteſt cum ſumma promptitudine,& determinatione ad actum; qualis eſt prædicta neceſſitas exercitij; ergo potentia in actu primo, neceſſitata quoad exercitium ad actum, non poteſt habere facilitatem,& habitum in ordine ad illum: Vrgeo, ideo potentia nutritiua, potentia generatiua, & aliæ ſimiles non poſſunt habere habitus ad ſuos actus, vt omnes admittunt,quia ſunt cauſæ neceſſitatæ omnino quoad exercitium in ordine ad illos, ergo potentia neceſſitata quoad exercitium in ordine ad actum non poteſt habere habitum ad talem actum.

5 Aſſero ſecundò, potentias ſenſitiuas externas, nullum poſſe habere habitum in ordine ad ſuos actus, in hoc omnes conueniunt. Probatur, potentia in actu primo, neceſſitata quoad exercitium ad actum etiam ſecluſo habitu, non poteſt habere habitum, & facilitatem in ordine ad illum, vt oſtendimus, ſed potentia ſenſitiua externa, etiam ſecluſo quouis habitu eſt in actu primo, omnino neceſſitata quoad exercitium ad ſuos actus, ergo potentia ſenſitiua externa non poteſt habere habitum,& facilitatem aliam in ordine ad actus illos. Minor probatur: potentia ſenſitiua, & externa, ſecluſo quouis habitu, habet omnia requiſita ad ſimpliciter operandum, aliàs ſi habitus eſſet aliquod ex requiſitis, vt poſſet operari potentia, non daret tantùm facilè poſſe, ſed ſimpliciter poſſe, ac proinde non eſſet habitus naturalis iuxta dicta ſuprà num. 2. & 3. ſed potentia externa habens neceſſariò requiſita, ad operandum, eſt neceſſitata quo ad exercitium ad talem operationem,eſt enim cauſa neceſſaria,quæ poſitis omnibus requiſitis non poteſt non operari, ergo potentia ſenſitiua externa, ſecluſo habitu eſt neceſſitata omnino quoad exercitium ad operandum.

6 Dices: licèt ſenſus externi ſint ad operandum neceſſitati, vt oculus, auditus, & alij; nihilominus poſſe dari in illis habitus, quibus potentiæ minore concurſu,& conatu ſuas operationes eliciant, ergo in potentiis neceſſariis, & determinatis ad vnum poteſt dari habitus. Reſpondeo, habitus non poni in potentiis vt cum minore conatu, & concurſu operentur, ſed ad facilitandas, & vincendas difficultates,& eliciendas ad operandum, cum autem in potentiis naturalibus vt igne, aqua, cœlo, ſole, lapide, & aliis, & in ſenſibus externis, nulla ſit difficultas, nec indeterminatio, imò ſumma facilitas, & neceſſitas ad operandum, ideo non indigent aliquo incitamento, ſeu habitu ad ſuas operationes, quis enim dicat luci addendum eſſe habitum ad producendum lucem, aut potentiæ viſiuæ apertis oculis ad videndum? nemo certè: ob rationem à nobis traditam, quia hæc omnia ex natura ſua ſunt determinata ad vnum, & ita neceſſitata, vt poſitis omnibus requiſitis ad operandum non poſſint non intenſiſſimo, ac velociſſimo quo poſſunt modo non operari; ergo ſuperfluus eſt habitus tam in potentiis naturalibus quam in ſenſibus externis.

Aſſero tertiò, potentias ſenſitiuas, ac appetitiuas internas, etiam humanas non poſſe habere facilitatem, & habitum naturalem diſtinctum ab ſpeciebus in ordine ad ſuos actus; de potentiis ſenſitiuis brutorum id affirmant Suarez, Vaſquez, & Valentia, Arriaga, Carleton,& alij plures, negant verò de potentiis ſenſitiuis internis hominis, illis autem alij doctiſſimi recentiores refragantur. Probatur ex dictis, potentia omnino neceſſitata quoad exercitium ad eliciendum actum, non poteſt habere facilitatem, & habitum in ordine ad talem actum vt oſtendi num. 3. & 4. ſed potentia ſenſitiua, & appetitiua interna tam bruti, quam hominis eſt omnino neceſſitata quoad exercitium ad eliciendum actum, etiam ſecluſo habitu, nam cum habitus naturalis non requiratur ad poſſe, ſecluſo habitu habet talis potentia omnia requiſita ad operandum, iis autem poſitis illa potentia interna eſt neceſſitata quoad exercitium ad actum, eſt enim cauſa neceſſaria, quæ poſitis omnibus requiſitis non poteſt non operari; ac proinde potentia illa interna, etiam hominis ſecluſo habitu eſt neceſſitata quoad exercitium ad operandum,ergo talis potentia,etiam hominis non poteſt habere facilitatem,& habitum in ordine ad eam operationem,& actum.

Dices, potentiam ſenſitiuam, & appetitiuam hominis ſubiici imperio voluntatis, quæ poteſt illam detinere ne operetur, vel, facere quod operetur, & propter hanc indifferentiam ex ſe deriuatam à voluntate, talem potentiam eſſe capacem habitus, quo facilior, & promptior fiat ad obediendum voluntati. Sed contrà, quia voluntas poteſt impedire, ne potentia ſenſitiua, tam cognoſcitiua quam appetitiua operetur,& eriam ſuo imperio, ac libera applicatione facere, quod operetur, ergo hæc non impeditio, ac imperium, ſeu applicatio libera voluntatis eſt vnum ex requiſitis, vt potentia ſenſitiua interna hominis operetur, atqui poſita tali applicatione, ac imperio voluntatis potentia illa interna ſenſitiua eſt omnino neceſſitata quoad exercitium ad operandum, quia iam non poteſt non operari; ergo talis potentia hominis ſenſitiua poſitis omnibus requiſitis eſt neceſſitata quoad exercitium ad actum; ac proinde non poteſt habere habitum. 7

Aſſero tertiò, potentiam loco motiuam etiam hominis nullam poſſe habere facilitatem, & habitum in ordine ad motum localem. Ita D. Thomas 1.2. q. 50. art. 1. Suarez diſp. 44. metaph. ſect. 2. num. 3. Vaſquez dicta diſp. 77. cap. 4. num. 28. Valentia tom. 2. diſp. 4. quæſt. 2. punct. 1. Hurtado, Arriaga, Carleton,& plures alij contra Scotum, Gabrielem, Ochamum, qui etiam in potentia motrice habitum conſtituunt, quos refert Vaſquez ſuprà num. 23. Probatur ex dictis, potentia in actu primo, neceſſitata quoad exercitium ad aliquem actum, non poteſt habere habitum, & facilitatem aliam in ordine ad illum, vt oſtendi num. 3. & 4. ſed potentia loco motiua eſt in actu primo neceſſitata quoad exercitium ad motum localem, ergo talis potentia non poteſt habere aliam facilitatem, & habitum in ordine ad motum localem. Minor probatur, illa potentia eſt in actu primo, neceſſitata quoad exercitium ad ſuum effectum, quæ poſitis omnibus prærequiſitis ad operandum non poteſt non efficere talem effectum, ſed potentia loco motiua, etiam hominis poſitis omnibus prærequiſitis ad motum localem non poteſt non efficere talem motum localem, vnum enim ex prærequiſitis eſt imperium voluntatis, quo poſito non poteſt talis potentia non moueri localiter, ergo potentia loco motiua eſt in actu primo, neceſſitata quoad exercitium ad motum localem. 8

Obiicies citharedum ex frequenti vſu pulſandi citharam acquirere in manu facilitatem ad illam pulſandam, ergo & habitum. Secundò, in brutis vt in cane 9

qui

qui docetur saltare, experimur ex frequenti vsu acquiri facilitatem, & habitum saltandi, ergo in potentia loco motiua datur habitus. Respondeo primò, eam facilitatem pulsandi prouenire ex habitu, qui tunc generatur in intellectu ad clarius concipiendum quomodo cithara pulsanda sit, & etiam ex eo, quod per continuam illam manus exercitationem in illa humores aliqui attenuantur, qui antea erant impedimentum, ne manus ipsa celeriter moueretur, in manu autem nullus habitus generatur, ex quo illa facilitas prouenial. Respondeo secundò, in vtroque casu maiorem facilitatem posse prouenire ex speciebus relictis in phantasia canis, & in phantasia, & intellectu hominis, quo enim crebrius iteratur saltus, & pulsatio artificiosa, relinquuntur nouæ, & intensiores species in imaginatiua, quæ cum viuaciores sint, clariorem postea, dum excitantur, actum dirigentem eliciunt, per quem facilius peragitur pulsatio, & saltus, & frequente vsu maior agilitas, & laxitas neruorum acquiritur ad digitos expeditius mouendos, quod non contingit in aliis potentiis naturalibus, & sensibus externis in quibus æquè applicatis obiectis, & organis dispositis non experimur maiorem in vno, quam in alio tempore, facilitatem.

CAPVT II.

Ratio formalis habitus supernaturalis declaratur.

11 DE habitibus supernaturalibus ex professo agunt Theologi, nobis etiam non erit abs re illos explicare, & statuere discrimen inter illos & habitus naturales, *igitur habitus supernaturalis est qualitas quædam excellens vires naturæ, complens simpliciter potentiam vitalem, vt possit actum supernaturalem elicere, & quantum est ex se, permanens, & stabilis in ipsa potentia*; hoc modo qualitas quædam supernaturalis complens intellectum permanenter ad eliciendum actum supernaturalem fidei, dicitur habitus fidei, & qualitas alia excellens complens voluntatem ad eliciendum actum supernaturalem charitatis, dicitur habitus supernaturalis charitatis; hic autem habitus dat simpliciter posse, non verò facilè posse, hoc est tantùm complet potentiam, illam verò non facilitat ad eliciendum actum supernaturalem; ac primum complere potentiam, sic probò, quia potentia, v. g. voluntas se sola non potest elicere actum supernaturalem charitatis; ergo vt illam possit elicere, debet necessariò eleuari, & compleri per habitum supernaturalem charitatis; ergo habitus supernaturalis complet potentiam in ordine ad actum supernaturalem.

12 Porrò non facilitare ad illum sic ostendo, duæ facilitates ad actus inter se oppositos, sunt oppositæ inter se, sed actus supernaturalis temperantiæ, v. g. & actus intemperantiæ sunt actus inter se oppositi, ergo duæ facilitates ad actum supernaturalem temperantiæ, & ad actum intemperantiæ sunt oppositæ inter se; ac proinde habitus facilitans ad actum supernaturalem temperantiæ, & habitus facilitans ad actum intemperantiæ, inter se opponuntur, atqui habitus supernaturalis temperantiæ non opponitur, sed compatitur cum intenso habitu intemperantiæ, vt mox dicam: ergo habitus saltem supernaturalis temperantiæ non facilitat ad actum temperantiæ supernaturalem. Confirmatur; si habitus supernaturalis temperantiæ facilitaret potentiam ad actum; cum quis intense iustificatur, & ei intensus habitus supernaturalis temperantiæ infunditur; magnam sentiret facilitatem ad actus temperantiæ, atqui cum quis nimis assuefactus antea actibus intemperantiæ, intense iustificatur, & ei intensus habitus temperantiæ supernaturalis infunditur, non sentit facilitatem ad actus temperantiæ, sed summam difficultatem prouenientem ab habitu intemperantiæ antea acquisito, vt testatur experientia, ergo habitus temperantiæ supernaturalis non facilitat ad suos actus; Vrgeo, habitus temperantiæ supernaturalis intenditur magis, ac magis, quando magis, ac magis intenditur habitus gratiæ, sed per actus misericordiæ supernaturales, sæpè repetitos meritoriè intenditur magis, ac magis gratia habitualis, ergo etiam per illos actus meritoriè intenditur, & augetur magis, ac magis habitus temperantiæ supernaturalis; atqui ex eo, quod quis sæpè repetat actus supernaturales misericordiæ, non sentit maiorem facilitatem ad actus temperantiæ, vt experientia docemur, ergo habitus temperantiæ supernaturalis intensus non dat facilitatem ad suos actus, aliàs intensus maiorem daret facilitatem, ita sentit P. Vasquez 1.2. disp.83. num.1. & 2. & disp.78. & disp.187. num.4. & quæst.213. art.3. in commentario num.65. Aureolus in 1. distinct.7.2. p. Scotus ibidem quæstione 2. Suarez, Arriaga, Carleton, Ripalda de ente supernaturali disp.52. Hurtado, quibus alij recentiores subscribunt.

Dices experitur quis in se, ex frequenti vsu actuum fidei facilitatem in credendo, ergo habitus fidei tribuit facilitatem potentiæ intellectiuæ. Respondeo, habitum supernaturalem numquam facilitare potentiam; sed complere, contingere tamen, quod, quando elicimus actum supernaturalem fidei, simul elicere actum naturalem fidei circa idem obiectum, qui actus naturalis producit habitum naturalem, qui facilitat ad actus naturales, quod experientia constat, nam si quis labatur in hæresim circa vnum articulum fidei, deperdit illico totum habitum supernaturalem fidei, & tamen sentit facilitatem in eliciendis actibus circa reliquos articulos fidei, ergo facilitas illa non prouenit ab habitu supernaturali fidei, sed ab habitu naturali qui remansit, constat etiam alia experientia, nam paruulo in baptismo habitus supernaturales, simul cum gratia infunduntur, & tamen cum ad statum discretionis peruenit, non sentit se magis facilem ad opera bona, ac si baptizatus non fuisset, aliàs ex tali facilitate colligere posset se baptizatum fuisse, & gratiam recepisse, ergo habitus supernaturalis non facilitat potentiam; vrgetur efficaciter, demus iustum exerceri in operibus humilitatis, & non in operibus liberalitatis, & orationis, in tua sententia ille iustus habebit facilitatem in virtute humilitatis, & non liberalitatis, & orationis, quia solùm se exercet in operibus humilitatis, & nihilominus talis iustus habebit intensissimum habitum supernaturalem liberalitatis, & orationis, quia in quouis iusto dantur omnes supernaturales habitus ad quæcumque opera bona supernaturalia, ergo sine facilitate ad alias virtutes habebit habitum supernaturalem ad illas, signum ergo euidens est habitum supernaturalem non facilitare, sed complere potentiam ad operandum. 13

Quæres primò, an habitus supernaturales intendantur, seu augeantur physicè per actus supernaturales, sicut habitus naturales intenduntur physicè per actus naturales; Arbitror cum communi Theologorum sententia eos non intendi, seu augeri physicè, sed solum moraliter, seu meritoriè, & à Deo solum infundi, & ideo communiter vocantur habitus infusi. Probatur primò, quia id, quod est perfectius actu, & per se præsupponitur ad actum non fit per ipsos actus, vt liquet in potentia naturali respectu suorum actuum, sed habitus supernaturalis, cum habeat se ad modum potentiæ respectu actuum, est longè perfectior actu supernaturali, & per se præsupponitur ad illum, & etiam intensio habitus supernaturals ob eadem rationem est 14

perfectior

perfectior intensione actus supernaturalis, & per se præsupponitur ad illam, ergo nec habitus supernaturalis potest physicè causari ab actu supernaturali, nec intensio habitus supernaturalis ab intensione supernaturali actus. Probatur secundò, quia habitus supernaturales habent peculiarem connexionem cum gratia, cum ad illam tanquam ad radicem sequantur, & consequenter eiusdem cum ea sunt intensionis, & inter se, ergo si habitus supernaturales augentur physicè, sequitur, omnes non esse eiusdem intensionis cum gratia. Probatur, quia si quis habens gratiam, & habitus supernaturales intensos, vt quatuor eliciat actum iustitiæ, iam gratia, & reliqui habitus supernaturales erunt intensi, vt quinque, & habitus iustitiæ erit intensus vt sex, cum vnum gradum recipiat meritoriè, & alium physicè producat, quod non potest conuenire aliis habitibus, nam iste habitus iustitiæ non potest physicè producere, nec augere habitum religionis, temperantiæ, & alios, ergo habitus supernaturales non intenduntur physicè, sed tantùm moraliter, & meritoriè, vt communiter docent Theologi.

15 Quæres secundò, an licèt actus supernaturales non intendant, seu augeant physicè habitus supernaturales per se infusos à quibus oriuntur, producere tamen possint alium habitum supernaturalem specie diuersum à primo qui non sit per se infusus, sed acquisitus, non dans simpliciter, sed facilè posse; non à Deo productus, sed per ipsos actus; Affirmat prima sententia posse per actus supernaturales omnium virtutum produci physicè habitus supernaturales, ad alios postea actus supernaturales facilitantes, itaque postquam quis se in actibus virtutum exercuit, duas in eius anima dari qualitates supernaturales, quarum altera dat posse simpliciter operari; altera facilè posse; ita absolutè sentit Arriaga disp. 9. de anima sect. 1. num. 18. & in eam propendet Hurtado disp. 16. de anima sect. 8. num. 74.

16 Arbitror tamen dicendum non produci per actus supernaturales habitus supernaturales facilitantes ad alios actus postea producendos, est communis inter Theologos, & sine vrgente fundamento non est quidquam contra generalem eorum consensum asserendum; & hoc est præcipuum fundamentum.

17 Probatur etiam rationibus efficacibus, quia si darentur tales habitus supernaturales acquisiti inclinantes ad actus supernaturales, deberent permanere in peccatore, sed in peccatore non manent huiusmodi habitus supernaturales, iuxta Cocil. Trident. docens, solum manere in peccatore *fidem, & spem supernaturalem*, ergo non dantur huiusmodi habitus supernaturales, & tamen eadem facilitas, ac antea manet ad multas virtutes, ergo non dantur huiusmodi habitus facilitantes; nec valet effugium, quod Concilium solùm loquatur de habitibus supernaturalibus per se infusis, non de acquisitis, primò, quia Concilium indiscriminatim loquitur de omnibus habitibus supernaturalibus. Secundò, quia Concilium apertè affirmat nullas virtutes in peccatore remanere præter fidem, & spem, sed habitus ij supernaturales, acquisiti essent veræ virtutes, ergo iuxta Concilium per quodlibet peccatum vna cum gratia deberent tolli. Tertiò, fides secundum Patres, & Theologos est fundamentum totius ædificij supernaturalis, ergo sublata fide non possunt huiusmodi habitus supernaturales in anima permanenter consistere.

18 Probatur secundò, si darentur huiusmodi habitus supernaturales acquisiti facilitantes, non solùm præuiè ad actum mouerent, & inclinarent potentiam, sed etiam cum ipsa physicè, & efficienter actum ipsum virtutis producerent, vt disputatione sequenti dicam, cap. 1. de habitu naturali, ergo voluntas cum huiusmodi habitu supernaturali poterit elicere actum virtutis supernaturalem, sicut cum habitu naturali poterit elicere actum naturalem, in hoc enim pares currunt habitus acquisiti supernaturales, & habitus naturales acquisiti, seruata differentia, quod illi sunt supernaturales, isti naturales, ergo habitus illi acquisiti supernaturales non solùm dabùt posse facilè, sed etiam posse simpliciter, & absolutè. Probo hanc consequentiam, quia prædicti habitus supernaturales in se continent formalitatem supernaturalitatis, quam possunt actibus communicare, nec ex hoc capite debent excludi ab efficientia suorum actuum & consequenter non solùm facilitant potentiam, sed cum illa physicè illos producunt, & dant simpliciter posse.

Ex dictis colliges discrimen inter habitus supernaturales infusos, & habitus naturales; illi enim communiter vocantur per se infusi, quia à solo Deo infunduntur in potentiis hominis, vel Angeli illis merè passiuè se habentibus, dicuntur *per se infusi*, quia habitus naturalis per accidens potest infundi, etiam si ex natura sua semper acquiratur per suos actus. Secundum discrimen est; quod habitus per se infusi, non producuntur, seu intenduntur physicè per suos actus; nam actus secùdus vitalis, supponit potentiam vitalem completam in actu primo, sed ille actus primus est habitus supernaturalis qui præuiè supponitur ad productionem actus, ergo per actus supernaturales non potest produci habitus supernaturalis. Eadem fere ratione probatur, non posse intendi, quia intensio actus secundi supponit intensionem æqualem, vel maiorem in actu primo, sed illa æqualis, vel maior intensio est habitus, ergo habitus supernaturalis non potest intendi, per actus supernaturales, quando verò contingit illos intendi meritoriè, ad intensionem vnius habitus supernaturalis infusi intenduntur cæteri omnes, quia quod per se primo intenditur est gratia habitualis, & cum hæc sit principium actiuum cæterorum habituum per se infusorum, ad illius intensionem cæteri intenduntur, sicut per actus malos corrumpuntur physicè omnes habitus per se infusi, præter fidem, & spem, quæ secundum Concilium manent in peccatore, quia expulsa gratia per peccatum, pelluntur, & omnes habitus supernaturales, qui pendent ab ea; habitus verò naturalis sicut potest esse vnus sine alio (non enim sunt concatenati, sicut supernaturales) ita vnus augeri potest, altero valdè remisso manente: imò, & aliquando contingit, quod vnus habitus naturalis intendatur, & alius eodem tempore remittatur, vt cum quis quando elicit actum naturalem temperantiæ, simul eliciat actum iræ, tunc eodem tempore habitus temperantiæ augetur, & minuitur habitus patientiæ. 19

Vltimum & præcipuum discrimen est, quod habitus supernaturales dant simpliciter posse, quia complent virtutem actiuam potentiæ vitalis, illam constituentem proximè potentem ad actus supernaturales eliciendos, sine quibus, aut aliquo eorum locum supplente, scilicet auxilio Dei extrinseco, actus supernaturales à tali potentia produci non possunt; habitus verò naturales licèt iuuent, ac facilitent ad actus naturales, & potentiam ad eos inclinent, non tamen sunt ad eorum efficientiam simpliciter necessarij, sed quidquid potentia potest cum illis, potest sine illis, eo quod habet virtutem actiuam adæquatam ad actus naturales producendos. 20

CAPVT III.

An in intellectu habitus naturalis admittendus sit.

OStendimus c. 1. nec in potentiis naturalibus appetitiuis, & sensitiuis, nec in sensibus externis, nec internis 21

internis dari habitus naturales ; nunc inquirimus , an in potentia intellectiua adstruendi sint ; in qua re tres adinuenio sententias : prima est dari habitus naturales in intellectu ad omnes eius actus , tam euidentes, quam probabiles,ita sentiunt multi ex Thomistis quos memorant , & sequuntur Suarez disp.44. metaph. sect.4.num.3. & Vasquez 1.2. disp.78.cap.4.num.25. Secunda sententia est , dari in intellectu habitus ad actus probabiles , non verò ad actus euidentes , quia ad hos,non ad illos necessariò intellectus determinatur ; ita nonnulli recentiores. Tertia sententia est, non dari habitus naturales in intellectu distinctos reipsa ab speciebus impressis, non solùm ad actus euidentes, sed neque ad actus probabiles. Ita D.Thomas variis in locis , vt nos etiam in Logica insinuauimus disp.34.c.5. n.31. de veritate , quæst.24. art.4. ad 9. asserens habitum intellectus non esse aliud , quam ordinationem quandam specierum, idem quæst.10.art.2. & 1.2. quæst 67. artic. 2. & 3. part. quæst.11. art.6. & quæst.12.art.2. Caiet.1.2.quæst.54.art.4. Soncinas 5. metaph. quæst.9. Gabr. in 3 .distinct.14. quæst. vnica art.2. concl.3. fauet Valent.tom.2. disp.4.quæst.2.p.2. §. de intellectu P. Hurtado disp.16. de anima sect.2. Arriaga disp.9. de anima sectione 2. Oniedo de anima controuers.14.p.2.Carleton disp.28.de anima sect.2.& est communis.

22 Porrò autem ratio , qua prædicti auctores primæ & secundæ sententiæ mouentur ad admittendos habitus in intellectu , ea est , quia quando est de nouo aliquis effectus formalis , debet dari aliqua noua forma, à qua talis effectus formalis proueniat , sed cum intellectus se diu exercuit in actibus alicuius speciei , est formaliter, ac de nouo facilis ad illos actus eliciendos,vt experientia testatur , ergo datur tunc in intellectu aliqua noua forma,seu qualitas,à qua formaliter, illa facilitas proueniat ; sed forma , seu qualitas facilitans intellectum ad suos actus, dicitur habitus, ergo in intellectu datur habitus.

23 ASSERTIO prima sit. In intellectu non potest dari habitus ad hoc,vt positis præmissis assentiatur conclusioni. Probatur,quando potentia est in actu primo,necessitata quoad exercitiũ ad aliquem actum, non potest acquirere aliam facilitatem , seu habitum in ordine ad actum illum,vt ostendi cap.1. n.4. sed positis præmissis euidentibus est intellectus determinatus , ac necessitatus quoad exercitium ad assensum euidentem , vt ostendi in Logica disp.37. cap.3. & etiam positis præmissis probabilibus intellectus necessitatur quoad exercitium ad assensum conclusionis probabilem , vt probaui suprà disp.15.cap.1. num.3. vel saltem positis præmissis,& libera applicatione,ac imperio voluntatis, in omnium sententia intellectus est in actu primo, necessitatus quoad exercitium ad conclusionis assensum , ergo non datur habitus in intellectu ad hoc vt ipse positis præmissis ipsi conclusioni assentiatur.Confirmatur primo,quia habitus ponitur ad tollendã difficultatem in operando,sed in intellectu positis præmissis, & omnibus requisitis ad operandum, nulla est difficultas cum sit potentia necessaria , & determinata, ergo.Confirmatur secundò, quia si in potentiis omnino determinatis ad operandum ponitur habitus , ergo etiam in sensibus externis , & in lapide ad descendendum ad centrum & in igne ad ascendendum sursum, quod est ridiculum affirmare, & ratio à priori est, quia intellectus proposito sibi euidenter obiecto , non potest non assentiri cum sit potentia necessaria, & determinata ad vnum , si verò non proponatur euidenter inclinatur ad assentiendum per imperium voluntatis , ergo non apparet ad quem actum intellectus requirat habitum.

24 ASSERTIO secunda sit. In intellectu etiam non datur habitus distinctus ab speciebus ad eliciendum assensum principiorum,seu præmissarum, siue euidentem , siue probabilem. Probatur , potentia necessitata quoad exercitium ad aliquem actum , non potest habere habitum in ordine ad illum vt ostensum est suprà num.4. sed intellectus per apprehensiones euidentes veritatum præmissarum est necessitatus quoad exercitium ad assensum earundem præmissarum euidentem, & per apprehensiones probabiles veritatum præmissarum est intellectus quoad exercitium necessitatus ad assensum earumdem præmissarum probabilem , non enim minus determinant , ac necessitant intellectum apprehensiones præmissarum , ad assensus præmissarum,quam assensus præmissarum ad assensum conclusionis , assensus autem præmissarum necessitant intellectum quoad exercitium ad assensum conclusionis, vt constat ex prima assertione , atque ita etiam apprehensiones præmissarum necessitant intellectum quoad exercitium ad assensum ipsarum præmissarum , vel saltem positis iis præmissarum apprehensionibus, ac simul libera applicatione , ac imperio voluntatis circa assensum præmissarum intellectus in omnium sententia est omnino quoad exercitium necessitatus ad talem præmissarum assensum,ergo intellectus non potest habere aliam facilitatem, & habitum ad eliciendum assensum præmissarum.

ASSERTIO tertia sit. In intellectu etiam non da- 25
tur habitus ad ipsas apprehensiones simplices præmissarum.Probatur,in potentia necessitata quoad exercitium ad aliquem actum non potest dari vna facilitas, seu habitus in ordine ad illum ; sed intellectus posita sensatione interna obiecti præmissarum , est omnino necessitatus quoad exercitium ad ipsas apprehensiones simplices præmissarum , non enim potest eas apprehensiones non habere , vt experientia docemur , ergo in intellectu non datur habitus ad eas apprehensiones.

Probatur principaliter tota hæc doctrina ; si ob ali- 26
quam rationem darentur habitus in intellectu , maximè quia post diuturnam actuum exercitationem intellectus se facilem experitur in ordine ad tales actus; atqui talis facilitas, quam noster intellectus experitur, non potest prouenire ab aliqua qualitate ab speciebus distincta, quæ sit habitus, ergo in intellectu non datur aliqua qualitas ab speciebus distincta, quæ sit habitus. Minor probatur, si ista facilitas,quam experimur , proueniret à prædicta qualitate, seu habitu , vel consisteret formaliter in ipsa qualitate habitus , quæ formaliter per se ipsam facilitaret, & alliceret intellectum ad eliciendum actum , vel consisteret in concursu , & actione ipsius qualitatis ac habitus in ordine ad actum ; sed non potest hæc facilitas,quam experimur, consistere in ipso habitu , seu qualitate formaliter , nec etiam in eius actione , & concursu , ergo talis facilitas non potest prouenire ab ipsa qualitate , seu habitu; ac primum facilitatem istam non consistere formaliter in illo habitu, ac qualitate sic monstro ; si hæc facilitas ad actus esset illa qualitas habitualis ab speciebus distincta , vel semper talem facilitatem , etiam dum non operamur , experiremur , vel non sentiremus illam, nisi quando, quasi reflexe cognosceremus ipsum habitum,seu qualitatem, nam, vel, sentimus, ac experimur talem facilitatem ad actus ex eo præcisè , quod ipsa qualitas habitualis in actu exercito informet intellectum , & reddat illum formaliter facilem , & expeditum ad suos actus , & tunc cum hæc qualitas , ac habitus , (cum adest) semper etiam ante operationem informet intellectum , & illum reddat formaliter habilem , & expeditum ad actus ; semper (cum talis habitus adest) etiam ante operationem sentiemus, & experiemur talem facilitatem ad actus ex eo, quod in actu signato,& quasi reflexe eam cognoscimus,& tunc quando non cognoscimus talem qualitatem , & habitum

habitum in quo formaliter consistit talis facilitas non sentiemus, nec experiemur talem facilitatem, atqui dici non potest nos post diuturnam actuum exercitationem semper sentire, ac experiri facilitatem ad actus, aut illam non sentire nisi quando reflexè cognoscimus talem habitum, & qualitatem, nam aliquando eam facilitatem non sentimus, nec experimur, & aliquando eam experimur, licèt qualitatem illam habitualem reflexè non cognoscamus, vt experientia testatur, ergo facilitas illa non consistit formaliter in illo habitu, seu qualitate. Porrò autem nec istam facilitatem consistere formaliter in concursu, & actione talis qualitatis, seu habitus, sic ostendo; aliquando experimur, & sentimus hanc facilitatem ad actus, sed si consisteret formaliter in concursu, & actione talis habitus, illam non experiremur, cum experiri nulla ratione possimus concursum, & actionem illius habitus, aliàs etiam possemus cognoscere, & experiri concursum, & actionem habitus charitatis supernaturalis, & consequenter scire quãdo elicimus actũ supernaturalem charitatis, & quãdo iustificamur, quæ omnia sunt apertè falsa, ergo facilitas non etiam consistit in concursu, & actione talis habitus, ac proinde non potest ista facilitas ab illa qualitate, seu habitũ prouenire.

27 Hinc iam colligere licet, à quonam illa facilitas ad actus relicta ex frequenti eorum actuum exercitatione proueniat: prouenit ergo ex duplici cap. Primò ex quadam experientia, qua scimus, nos sæpè aliquam veritatem demonstrasse, qua experientia facilitamur ad illi veritati assentiendum, quam antea plurium præmissarum apparatu, dispositione, atque labore cognouimus. Secundò, ex speciebus obiectorum vehementioribus, ac efficacioribus, ex diuersa illa actuum repræsentatione circa ea obiecta relictis; hæ enim species facilè excitantur, & inferunt apprehensiones obiectorum vehementiores, & efficaciores, quibus immediatè intellectus determinatur, & facilitatur ad ea obiecta cognoscendum; vnde quando intellectus post diuturnam actuum exercitationem se facilem experitur ad illos actus, quasi denuo hic nouus effectus formalis facilitatis prouenire debet ab aliqua noua forma, scilicet ab speciebus impressis denuo acquisitis, vel denuo magis, ac magis intensis, non verò ab aliqua qualitate ab speciebus distincta quæ sit habitus; ac proinde talis qualitas, seu habitus non datur in intellectu, quo ratio supposita núm. 22. diluitur.

28 Obiiciat autem quis primò, si aliqua ratione in intellectu non posset dari habitus ab speciebus distinctus, maximè quia potentia necessitata quoad exercitium non potest magis facilitari; & determinari, sed potentia necessitata quoad exercitium potest magis facilitari, & determinari, ergo in intellectu potest dari habitus. Minor probatur primò, positis præmissis euidentibus intellectus est necessitatus quoad exercitium ad assensum conclusionis, & tamen si illæ præmissæ euidentes, quæ erant, v.g. intensæ, vt quatuor, magis intendantur, ac fiant intensæ, vt octo, intellectus erit magis facilis, & determinatus ad assensum conclusionis, ergo intellectus, seu potentia necessitata quoad exercitium potest magis facilitari, ac determinari. Probatur secundò eadem minor, intellectus cum specie obiecti est necessitatus quoad exercitium ad apprehensionem talis obiecti, quia est causa necessaria completa respectu illius, & tamen adhuc determinatur, facilitatur, & exercitatur ad talem obiecti apprehensionem per sensationem internam ipsius obiecti, ergo potentia necessitata quoad exercitium, potest vlterius facilitari, & exercitari.

29 Respondeo, intellectum per præmissas euidentes, vt quatuor, necessitatum quoad exercitium ad assensum conclusionis, per ipsasmet præmissas denuo intensas, vt octo denuo necessitari ad prædictum assensum, non enim implicat, quod potentia ad vnum actum semel necessitata iterum quasi nouo titulo ad similem actum necessitetur, nam potentiam ad actum necessitari, nihil est aliud, quam quod ponatur aliquid, quo posito ipsa non possit non operari, sed non implicat, quod quando potentia est iam necessitata ad vnum actum ponatur aliquid, quo posito non possit potentia illa non operari, voluntas enim beati cum visione Dei est necessitata ad amandum Deum, & tamen potest Deus ponere in illa physicam qualitatem, qua posita quasi nouo titulo non possit voluntas illa suspendere amorem Dei; ac proinde non implicat, quod potentia ad vnum actum quoad exercitium necessitata, iterum per aliam formam intensius, vel extensius necessitetur; intellectum verò per præmissas euidentes intensas, vt quatuor necessitatum quoad exercitium ad assensum conclusionis, per ipsas præmissas de nouo intensas, vt octo propriè non facilitari denuo ad talem assensum, quia facilitas propriè sumpta est forma, per quam potentia ex se indifferens ad actum, & ad carentiam illius, inclinatur ad ipsum actum, vt constat, primum ex communi omnium Philosophorũ acceptione asserentiũ vno ore potentiã determinatã naturaliter ad vnũ non posse facilitatem acquirere, atque ita sentiunt facilitatem propriè acceptam non esse nisi potentiæ indifferentis.

Deinde constat argumento à posteriori, quia potentia generatiua, nutritiua, & sensitiua, non potest acquirere nouam facilitatem ad actus, hoc autem non alia ratione nisi quia talis potentia, non est indifferens, sed omnino determinata ad suos actus, vt apud omnes est in confesso; tandem ratione à priori, quia facilitas est ad tollendam potentiæ difficultatem, quæ dari non potest in potentia omnino necessitata, ac proinde talis facilitas est necessariò inclinatio potentiæ indifferentis, eo autem ipso, quod intellectus per præmissas euidentes intensas, vt quatuor sit necessitatus quoad exercitium ad assensum conclusionis, nec est, nec esse potest potentia indifferens respectu illius, & eapropter eo ipso, quod sit per præmissas euidentes intensas, vt quatuor intellectus necessitatus ad conclusionem, per easdem intensas, vt octo non potest propriè ad assensum conclusionis necessitari; vnde cum habitus naturalis non necessitet, sed tantùm facilitet, ideo eo ipso, quod intellectus per præmissas, vel per aliud quidpiam sit necessitatus quoad exercitium ad vnum actum, non potest habere habitum naturalem in ordine ad illum, quo prima minor propositio soluitur. Ad secundam probationem dico, vt intellectus quoad exercitium necessitetur proximè ad apprehénsionem obiecti duo requiri, aliud in recto, scilicet, speciem obiecti; alterum in obliquo, scilicet sensationem illius, vnde intellectus cum sola specie obiecti est tantùm remotè necessitatus quoad exercitium ad obiecti apprehensionem; atque ita potest per sensationem internam proximè necessitari ad illam, non verò propriè facilitari, vt constat ex dictis. 30

Obiiciat secundò: potentia, quæ ex se est indifferens ad varios actus, & ad varia obiecta potest habitum acquirere, quo ad talem actum, & ad tale obiectum determinetur, & inclinetur, sed intellectus ex se est indifferens ad varios actus, & ad varia obiecta, vt per se constat, ergo potest habere habitum quo ad hunc, vel ad illum actum, vel obiectum determinetur, & inclinetur. Confirmatur, in intellectu dantur aliquæ virtutes, scilicet, ars & prudentia, sed hæ virtutes sunt habitus, ergo in intellectu dantur habitus; Vrgeo, habitus se tenet ex parte potentiæ illam determinans, & inclinans ad operandum, species verò, tenet se ex parte obiecti, agens eius nomine veluti semen illius, ergo species non est habitus, atqui negari non potest dari aliquem habitum, ac facilitatem in intellectu, ergo datur in illo aliqua qualitas ab speciebus distincta, quæ sit habitus. Respondeo 31

intellectum secundum se præcisè esse indifferentem ad varios actus, & ad varia obiecta, atque ita dari necessario species impressas, quibus ad hoc, & illud obiectum compleatur, & determinetur, postquam autem intellectus, cum specie huius obiecti, & aliis prærequisitis præciso habitu est determinatus, & necessitatus quoad exercitium ad talem actum, ac cognitionem talis obiecti, non potest ad illum magis facilitari, ac proinde non potest habere habitum, qui ab ipsa specie impressa distinguatur. Ad primam confirmationem dico, esse in intellectu eas virtutes, scilicet, artem, & prudentiam habitualem, istæ tamen ab speciebus impressis non distinguuntur, quia species practica inferens cognitionem rei factibilis, est ars; & species practica inferens cognitionem operis hic, & nunc rectè faciendi, est prudentia. Ad secundam confirmationem, patebit ex dicendis infrà disp. 20. cap. 1. num. 7.

32 Obiiciat tertiò, scientia habitualis, & error habituales opponuntur inter se, sed si ij habitus erroris, & scientiæ non distinguerentur ab speciebus impressis non opponuntur inter se, species enim erroris, & species scientiæ simul esse possunt in eodem intellectu, sicut etiam in intellectu est simul potentia ad eliciendum errorem, & ad eliciendum scientiam, ergo scientia habitualis, & error habitualis sunt habitus intellectuales ab speciebus distincti. Respondeo, iuxta opinionem communem asserentem habitum intellectus esse qualitates ab speciebus distinctas, habitum erroris, & habitum scientiæ inter se opponi quia tales habitus cum sint semina actuum scientiæ, & erroris sapiũt eorũ naturas, & cum illi actus opponantur inter se, etiam & isti habitus inter se opponuntur, iuxta nostram verò sententiam quæ ait habitus non distingui ab speciebus impressis, habitum scientiæ, & habitum erroris inter se simpliciter non opponi vt argumentum conuincit.

33 Ex dictis infero, cum scientia diuiditur in actualem, & habitualem nomine scientiæ habitualis intelligi species impressas scientificas, vt docet expresè D. Th. 3. p. q. 11. art. 6. & alibi sæpè, non verò esse habitus alios ab speciebus distinctos, ij enim in intellectu non dantur, vti iam ostendi; & hac ratione à posteriori, vel à simili, confirmo; ideo in potentiis externis sensitiuis non dantur habitus ab speciebus distincti, quia tales potentiæ positis omnibus prærequisitis non possunt non operari, vt fatentur omnes, sed intellectus positis omnibus prærequisitis non potest non operari, vt sæpè in superioribus est ostensum, ergo in intellectu non dantur habitus ab speciebus distincti. Dices habitus non est aliud, quam species impressa? ergo cum in sensibus internis, & externis dentur species impressæ, etiam in illis dabuntur habitus. Respondeo, in sensibus externis species non esse habitus, quia cum pendeant à præsentia obiecti non sunt stabiles, sed facilè mobiles à subiecto; in sensibus verò internis eorum species impressas esse habitus, quia cum à præsentia obiecti non dependeant, sunt stabiles, & difficilè mobiles à subiecto, quod requiritur ad rationem habitus.

CAPVT IV.

An admitti debeat habitus naturalis in voluntate.

34 COmmunis Philosophorum sententia admittit habitus naturales in voluntate distinctos ab speciebus impressis excitãtibus cognitiones quæ voluntatem inuitant ad exercitium suorum actuum. Ita Arist. 2. eth. 1. 2. D. Th. 1. 2. q. 50. art. 5. D. Aug. tom. 7. de perfectione iustitiæ sub initium. Suar. disp. 44. metaph. sect. 4. Vasq. 1. 2. disp. 78. cap. 4. Valent. tom. 2. disp. 4. q. 2. punct. 2. & Caiet. Gabriel, Soncinas, & plures à nobis relati n. 22. & omnes alij communiter, etiam illi qui nobiscum habitus in intellectu negarunt, vt P. Hurt. disp. 16. de anima sect. 3. Arriaga disp. 9. de anima sect. 3. n. 49. Carleton disp. 28. de anima sect. 2. Ouiedo, & plures alij. Secunda sentẽtia etsi paucorum sit, non vacat probabilitate, quæ omnino relegat habitus naturales à voluntate distinctos ab speciebus impressis excitantibus cogitationes, quæ voluntatem moueant, & inuitent ad exercitium suorum actuum; ita ex Antiquis Durand. in 3. dist. 23. q. 4. n. 8. fauent Gabriel in 3. dist. 23. q. 1. art. 3. dubio 1. Ocham quodl. 3 q. 17. Aureolus apud Capreolum in 1. dist. 17. q. 1. art. 2. quibus doctissimi recentiores suffragantur in quorum gratiam, & quia mihi semper difficultatem ingerat, eorum sententia ex professo discutienda est, quo communis firmior apparebit.

ASSERTIO prima sit. Non vacat probabilitate, in voluntate non dari habitus naturales distinctos ab speciebus impressis excitantibus cognitiones, quæ voluntatem inuitent ad exercitium suorum actuum; ita auctores secundæ sententiæ. 35 Probatur primò, si in voluntate per frequentem actuum naturalium exercitationem daretur habitus naturalis acquisitus, qui illam facilitaret, & inclinaret ad similes actus naturales, etiam in eadem voluntate per frequentem actuum supernaturalium exercitationem præter habitum supernaturalem infusum, quo ipsa non facilitatur, sed completur in ratione potentiæ, vt ostendi cap. 2. num. 12. daretur alius habitus supernaturalis acquisitus, qui illam facilitaret, ac inclinaret ad similes actus supernaturales; sed in voluntate præter habitum supernaturalem infusum, quo ipsa non facilitatur ad actus; sed tantùm completur in ratione potentis, non datur alius habitus supernaturalis acquisitus, qui illam faciliter, & inclinet ad similes actus supernaturales, ergo in voluntate per frequentem actuum naturalium exercitationem, non datur habitus naturalis acquisitus, qui illam faciliter, & inclinet ad similes actus naturales. Consequentia est euidens, maior verò sic monstratur, ideo in contraria sententia, in voluntate per frequentem actuum exercitationem datur habitus naturalis facilitans illam ad similes actus naturales, quia voluntas secundum se præcisè non est facilis, sed tantùm indifferens ad actus, & per illorum repetitionem, iam se ad illos facilem experitur; atqui voluntas vt prædita habitu infuso supernaturali charitatis non est facilis, vt iam ostendi, sed tantum potens, ac indifferens ad actum supernaturalem charitatis, & per frequentem illorum repetitionem se etiam ad illos actus supernaturales charitatis voluntas facilem experitur, vt ipsa experientia ostendit, quæ facilitas prouenire nequit ab alio simili habitu naturali; habitus enim naturalis non potest vlla ratione ad actum supernaturalem inclinare, seu concurrere, ergo si in voluntate per frequentem actuum naturalium repetitionem datur habitus naturalis acquisitus, qui illam faciliter ad actus similes naturales, etiam in eadem voluntate per frequentem actuum supernaturalium repetitionem dabitur habitus alius supernaturalis, acquisitus (præter infusum) qui illam facilitet ad similes actus supernaturales.

Deinde non est ratio, cur magis actus naturalis sæpè repetitus generet in voluntate facilitatem aliquam habitualem naturalem ad actus naturales, quam actus supernaturalis sæpè repetitus generet in voluntate præter habitum infusum facilitatem aliquam habitualem supernaturalem ad similes actus supernaturales, quia tantam proportionem habet actus supernaturalis cum facilitate habituali supernaturali, quantam habet actus naturalis, cum facilitate habituali naturali; ergo si ex actibus naturalibus repetitis fit in voluntate habitus, & facilitas naturalis, ad similes actus naturales, etiam ex actibus supernaturalibus repetitis 36

repetitis fiet in voluntate præter infusum, habitus, & facilitas supernaturalis, ad similes actus supernaturales. Minor etiam primi syllogismi sic ostenditur; post abscessum gratiæ ab anima ratione culpæ lethalis, verbi gratia, intemperantiæ non manet in ipsa anima vllus habitus supernaturalis charitatis, vt negabit nullus, sed si præter habitum charitatis supernaturalem infusum in anima, seu voluntate daretur habitus alius charitatis supernaturalis, acquisitus, qui facilitaret illam, post abscessum gratiæ ab anima ratione peccati lethalis intemperantiæ, adhuc in anima remaneret aliquis habitus supernaturalis charitatis, scilicet habitus ille charitatis acquisitus, ergo in anima, seu voluntate non datur habitus supernaturalis acquisitus, (præter infusum) qui illam facilitet ad actus charitatis supernaturales. Probatur minor, per peccatum lethale, verbi gratia, intemperantiæ solum destruitur ex natura rei in anima id, quod habet oppositionem cum illo, vel immediatam, qualis est gratia iustificans, vel mediatam, quales sunt virtutes infusæ, quæ immediatè per seipsas non opponuntur cum illo, sed tantùm mediatè quatenus sunt passiones connexæ cum gratia, quæ cum peccato illo opponitur immediatè, atqui habitus ille supernaturalis charitatis acquisitus non haberet oppositionem cum tali peccato intemperantiæ non quidem immediatam, quia nec illam habet habitus charitatis infusus distinctus à gratia vt ex Theologia suppono; non etiam mediatam, quia habitus ille supernaturalis charitatis acquisitus non esset connexus cum gratia, non enim esset eius passio, cum gratia potuisset esse sine illo, ergo post abscessum gratiæ ab anima ratione peccati lethalis, adhuc manet in ipsa habitus ille supernaturalis charitatis acquisitus.

37 Dicat verò quis, non posse dari habitum in potentia, qui illam facilitet ad actus, nisi ipsa supponatur potens simpliciter ad tales actus; eo autem ipso quod gratia discedat ab anima, discedit etiam habitus charitatis infusus quo illa constituebatur simpliciter potens intrinsecè ad actus charitatis, ac proinde cum postea non maneat voluntas simpliciter potens intrinsecè ad actus charitatis, non potest in illa manere habitus supernaturalis acquisitus eam facilitans ad tales actus.

Sed contrà, etiam species impressa supponit potentiam simpliciter completam in ratione potentiæ, & tamen licet in peccatore destruatur habitus supernaturalis prudentiæ per quem eius intellectus simpliciter complebatur intrinsecè in ratione potentiæ in ordine ad actum prudentiæ supernaturalem, adhuc manet in peccatore eadem species impressa ad actum supernaturalem prudentiæ quæ antea erat, & intellectus manet extrinsecè completus in ratione potentiæ in ordine ad prædictum actum per auxilium Dei extrinsecum, ergo similiter licèt habitus ille supernaturalis charitatis acquisitus supponat potentiam simpliciter completam, destructo habitu charitatis infuso, per quem voluntas intrinsecè complebatur, adhuc manebit habitus supernaturalis charitatis acquisitus, & voluntas simpliciter completa extrinsecè in ratione potentiæ per auxilium Dei extrinsecum; hinc sumitur ratio à priori; ideo destructa gratia, & habitu supernaturali prudentiæ adhuc manet species impressa ad actum prudentiæ supernaturalem, quia talis species nec est passio potentiæ, nec recipitur in habitu supernaturali prudentiæ, sed in solo intellectu, quem determinat, qui quidem idem perseuerat atqui habitus ille supernaturalis charitatis acquisitus, nec esset passio gratiæ, vt iam ostendi, nec reciperetur in habitu charitatis infuso, sed in sola anima, quam facilitat, quæ semper eadem perseuerat, ergo adhuc recedente gratia ratione peccati, habitus ille charitatis acquisitus remanet.

Confirmatur; ideo præsente gratia habituali daretur talis habitus charitatis acquisitus in voluntate, quia post diuturnam actuum supernaturalium charitatis repræsentationem voluntas magis se facilem experitur ad actus supernaturales charitatis, quam si illos non repetiisset, sed etiam post abscessum gratiæ ratione peccati, voluntas magis se facilem experitur ad illos actus charitatis supernaturales eliciendos, quam si diu illos actus supernaturales charitatis non repetiisset, ergo adhuc abscedente gratia durat habitus ille supernaturalis charitatis acquisitus facilitans voluntatem ad tales actus: Vrgeo, si homo in peccato existens cum auxilio Dei extrinseco diu in actibus supernaturalibus misericordiæ se exerceat, magis se facilem experietur ad actus supernaturales misericordiæ, quam si diu in illis non se exercuisset; ergo tunc acquiret habitum supernaturalem misericordiæ acquisitum eius voluntatem facilitantem ad tales actus, & tamen eius voluntas tunc non est intrinsecè, sed tantùm extrinsecè completa simpliciter in ratione potentiæ ad actus illos, quia non habet habitum misericordiæ infusum, sed tantùm auxilium extrinsecum supernaturale, cum homo ille non sit in gratia, vt suppono, ergo sufficit quod potentia sit extrinsecè completa per auxilium Dei supernaturale, vt possit habere habitum supernaturalem acquisitum illam facilitantem ad actus supernaturales; ergo licèt post abscessum gratiæ ratione peccati, volùtas solùm maneret extrinsecè completa per auxilium Dei extrinsecum in ordine ad actus charitatis supernaturales, adhuc maneret in illa habitus supernaturalis charitatis acquisitus facilitans ad actus illos. 38

Probatur secundò principaliter, si ob aliquam rationem daretur in voluntate qualitas aliqua ab speciebus distincta, quæ esset habitus, maximè, quia voluntas post diuturnam actuum repetitionem sentit de nouo facilitatem ad illos, sed hæc facilitas non prouenit à tali qualitate, seu habitu, ergo in voluntate non datur qualitas aliqua ab speciebus distincta, quæ sit habitus. Minor probatur, si illa facilitas proueniret ab illa qualitate, seu habitu, nunquam ante operationem sentiretur, alioquin, si sentiretur aliquando talis facilitas ante operationem, semper dum illa qualitas habitualis adesset, sentiretur eius facilitas ante omnem actum, cum talis qualitas, dum est in voluntate, semper eodem modo ipsam voluntatem afficiat, quod est apertè contra experientiam, qua nouimus, dum est habitus, non semper ante operationem eius facilitatem sentire, sequitur ergo quod si ista facilitas prouenire ab illa qualitate, seu habitu, nunquam sentiretur ante actualem operationem, atqui aliquando ante actualem operationem, talem facilitatem sentimus, ac experimur, cum enim quis nimis intemperatus temperatè comedit, magnam sentit facilitatem, & inclinationem ad temperatè comedendum, licèt nondum exerceat ipsam temperatam comestionem, ergo facilitas, & inclinatio ista non prouenit ab illa qualitate, seu habitu. 39

Hinc iam licet deprehendere, à quonam hæc facilitas relicta ex diuturna actuum exercitatione proueniat; prouenit ergo ex duplici capite, primo, ex quadam experientia, qua post diuturnam actuum repetitionem circa obiectum aliquod, experti sumus talis obiecti bonitatem, & nos non inueniisse in illo, illas difficultates, quas antea forsan metuebamus; cum autem hoc circa aliquod obiectum experti non sumus: sequitur, quod experientia illa ex actuum circa tale obiectum repetitione relicta nos facilitet ad amandum illud obiectum potius, quad istud. Secundò, ex vehementioribus, & efficacioribus speciebus obiectorũ, excitantibus vehemẽtiores, & efficaciores eorũ apprehẽsiones, quæ ad obiecta illa amanda nos facilitant, & inuitant,

vnde ſpecies experimentales, ac ſpecies intenſiores, ac efficaciores, circa bonitatem, ac delectabilitatem obiecti, habitus voluntatis vocantur, & dicuntur, etiam in voluntate inſidere, quia mediis cogitationibus, quas excitant ad actus amoris in voluntate inſidentes ipſam voluntatem inclinant, hos autem habitus probat ratio facta ſuprà num. 35. in voluntate inueniri poſt diuturnam actuum repetitionem, non alios ab ſpeciebus diſtinctos, vt conſtat ex dictis, quo talis ratio diluitur.

41 Obiiciat autem quis primò, ſtante efficacitate, ac intenſiore ſpecie, & cogitatione bonitatis honeſtæ temperantiæ, & ſtante etiam remiſſa, ac inefficaci ſpecie, & cognitione bonitatis delectabilis intemperantiæ poteſt voluntas ſimpliciter minorem habere facilitatem ad actus intemperantiæ, quam ad actus temperantiæ; ergo maior facilitas ad actum, verbi gratia, intemperantiæ non prouenit ab intenſiori, & efficaciori ſpecie, & cognitione bonitatis intemperantiæ; ergo debet prouenire ab alia qualitate, ſeu habitu ab omni ſpecie, & cognitione diſtincta, vtraque conſequentia tenet, antecedens ſic probatur; quando voluntas ſe diu exercet in actibus intemperantiæ, & non ſe exercet in actibus temperantiæ, ſentit maiorem facilitatem ad actus intemperantiæ, quam ad actus temperantiæ, vt experientia oſtendit, ſed ſtante efficaciori ſpecie, ac cognitione bonitatis temperantiæ, & remiſſa, ac inefficaci ſpecie, & cognitione bonitatis intemperantiæ, poteſt voluntas ſimpliciter ſe diu exercere in actibus intemperantiæ, & non ſe exercere in actibus temperantiæ, vt oſtenſum eſt ſuprà diſp. 17. cap. 2. aſſert. 2. ergo ſtante ſpecie, & cognitione efficaciori bonitatis temperantiæ, & etiam remiſſa, & inefficaci ſpecie, ac cognitione bonitatis intemperantiæ, poteſt voluntas ſimpliciter habere maiorem facilitatem ad actus intemperantiæ, quam ad actus temperantiæ. Reſpondeo, eo ipſo, quod in prædicto caſu voluntas ſe diu exerceret in actibus intemperantiæ, & non in actibus temperantiæ acquireret ſpeciem, & cognitionem, quandam experimentalem, qua intemperantiæ delectabilitatem experiretur, & deguſtaret, ac ſimul cognoſceret ſe ibi non inueniſſe plures difficultates, quas formidabat, cum autem non habeat hoc reſpectu bonitatis temperantiæ; ſequitur quod in tali caſu voluntas ſaltem ex hac parte reddatur facilior ad actus intemperantiæ, quam ad actus temperantiæ. Deinde licèt à principio efficacior ſit cognitio bonitatis temperantiæ quam cognitio bonitatis intemperantiæ, tamen ſi voluntas ſe diu exerceat in ſolis amotis actibus circa bonum delectabile intemperantiæ, creſcit in dies ſpecies, & cognitio circa bonum intemperantiæ, ac efficacior fit, & conſequenter decreſcit, & fit remiſſior cognitio circa bonitatem, ſeu honeſtatem temperantiæ, quia virtus finita animæ nequit ſimul ad vtrumque bonum nimis efficaciter attendere, ac proinde etiam ex hoc cap. ratione efficacioris, cognitionis ſentit voluntas maiorem facilitatem ad actus intemperantiæ, quam ad actus temperantiæ, vnde non requiritur alia qualitas habitualis, ex qua talis facilitas proueniat.

42 Obiiciat ſecundò, ponamus, quod aliquis nimis aſſuetus actibus intemperantiæ eliciat tandem vnum temperantiæ actum, quo priores actus retractaret, & quod etiam habeat cognitionem remiſſam bonitatis intemperantiæ; in hoc caſu erit in iſto vitium intemperantiæ, quis dubitet? ergo erit in illo aliquid, in quo formaliter tale vitium intemperantiæ conſiſtat; ſed hoc, quidquid ſit, non eſt actus intemperantiæ, ſæpè repetitus præteritus, quia iam talis actus non eſt, neque phyſicè, vt conſtat, nec moraliter, cum ſit retractatus, nec eſt cognitio efficacior, & intenſior bonitatis temperantiæ, ſuppono enim nunc cognitionem circa talem bonitatem tantum remiſſam, nec etiam eſt ſpecies intenſior, & efficacior circa bonum delectabile temperantiæ; aliàs cum hæc etiam ſpecies ſit in Chriſto Domino eſſet etiam in illo vitium intemperantiæ, quod abſit; ergo tale vitium intemperantiæ eſt qualitas aliqua, ſeu habitus voluntatis, qui ab his omnibus diſtinguatur. Reſpondeo, vitium intemperantiæ in hoc, & in aliis caſibus eſſe ſpecies intellectus taliter coordinatas, vt facilè, & expeditè inferant, tum intenſam cognitionem delectabilitatis talis vitij, tum etiam cognitionem experimentalem, qua quis videat ſe diu delectabilitatem illius vitij expertum fuiſſe, & omnes difficultates contrarias ſuperaſſe; quæ quidem ſpecies ita coordinatæ in prædicto caſu dantur, ac proinde datur ibi vitium intemperantiæ, quomodo autem licèt in Chriſto ſint ſpecies inferentes cognitionem circa vitij delectabilitatem non ſit in illo aliquod vitium dicam num. 44.

Obiiciat tertiò, demus, quod aliquis diu aſſuefactus actibus intemperantiæ, ex quodam actu temperantiæ à ſe elicito acquirat intenſiſſimam ſpeciem, & cognitionem bonitatis temperantiæ; tum ſic, iſte habet intenſiſſimam ſpeciem, & cognitionem bonitatis temperantiæ, & tamen non habet intenſam facilitatem ad actus temperantiæ, vt experientia teſtatur, ergo facilitas ad actus temperantiæ, non eſt intenſa ſpecies, & cognitio ad actus temperantiæ. Confirmatur, virtus, & vitium opponuntur inter ſe, v. g. intemperantia habitualis, & temperantia habitualis, ſed ſpecies intenſa circa bonitatem delectabilem intemperantiæ, & ſpecies intenſa circa honeſtatem temperantiæ inter ſe non opponuntur, ergo intemperantia habitualis, & temperantia habitualis non ſunt formaliter tales ſpecies impreſſæ, ſed habitus ab illis diſtincti. Reſpondeo, quando aliquis habet intenſam ſpeciem, & cognitionem circa delectabilitatem intemperantiæ, & etiam diuturnam experientiam, qua cognoſcit ſe diu illam bonitatem delectabilem deguſtare, & etiam in illa nihil aſperum, & difficile inueniſſe, ſed omnem difficultatem ſuperaſſe: vt habeat intenſam facilitatem ad oppoſitum obiectum, ſcilicet, ad bonitatem temperantiæ non ſufficere, quod habeat intenſiſſimam ſpeciem, & cognitionem delectabilitatis temperantiæ, ſed etiam requiri, quod acquirat diuturnam experientiam, qua experimentaliter cognoſcat ſe illam bonitatem diu deguſtaſſe, etiam in illa nihil aſperum inueniſſe, ſed omnem ſuperaſſe difficultatem: cum autem in prædicto caſu ille qui nimis aſſuetus intemperantiæ habeat intenſam ſpeciem, & cognitionem boni delectabilis intemperantiæ, & diuturnam experientiam, qua expertus eſt eius delectabilitatem, etiam in illa nihil difficile reperiſſe, non verò habeat hanc experientiam diuturnam circa bonitatem temperatiæ, vt ſupponimus; ideo licèt intenſiſſimã habeat ſpeciem, & cognitionem circa bonum temperantiæ, non habebit intenſam facilitatem ad temperantiæ actus, ſed tantùm facilitatem aliquam, quam non haberet, ſi illa ſpecie, & cognitione intenſiſſima caruiſſet, & eſſet omnino facilis ad actus intemperantiæ. Ad confirmationem dico, intemperantiam habitualem intenſam duo includere; aliud in recto, ſcilicet ſpecies, & bonitatem intenſas ita coordinatas circa bonitatem delectabilem intemperantiæ, vt ſæpè inferant cognitionem intenſam illius: & alterum in obliquo, ſcilicet, carentiam ſpeciei, & cognitionis æquè intenſæ circa bonitatem temperantiæ, ſi enim hæc ſpecies, & cognitio intenſa ſit, illam alteram ſpeciem, & cognitionem etiam intenſam (ſecludo paſſiones inordinatas) impediet, ne facilitet intenſe ad obiectum intemperantiæ, atque ita illa non erit intemperantia habitualis intenſa; intemperantia ergo intenſa habitualis ſecundum id, quod dicit præcisè in recto, non opponitur

43

ponitur cum temperantia intensa habituali, quia duæ species intensæ ad bonum intemperantiæ delectabile, & ad bonum honestum temperantiæ inter se non opponuntur; secundum id vero, quod dicit in obliquo, opponuntur cum illa, quia carentia speciei, & cognitionis intensæ circa bonum temperantiæ, non potest esse cum ipsa specie, & cognitione intensa bonitatis temperantiæ, quæ quidem species est formaliter temperantia interna habitualis; ac proinde temperantia habitualis, & habitualis intemperantia, virtus & vitium inter se simpliciter opponuntur; hæc etiam doctrina potest proportionaliter applicari scientiæ & errori habituali, hic enim dicit in obliquo carentiam scientiæ, & ideo secundum id, quod in obliquo includit, opponitur cum ipsa scientia, quo melius diluitur obiectio facta suprà num. 33.

44 Obiiciat quartò, Christo Domino à primo suæ conceptionis instanti fuerunt per accidens infusæ omnes virtutes naturales, non verò vitia; atqui si virtutes naturales, & vitia non essent aliud quam species intensæ circa bonitatem, aut delectabilitatem obiecti taliter coordinatæ in ordine ad inferendas facilè eorumdem obiectorum internas cognitiones, eodem modo Christo Domino essent infusa vitia; ac fuerunt virtutes naturales, nam æquè fuerunt in Christo species intensæ coordinatæ ad inferendum intensam cognitionem circa virtutis honestatem; ergo virtutes ac vitia non sunt prædictæ species impressæ, sed habitus distincti ab illis. Confirmatur, virtus, aut vitium est quid morale; sed species intellectus non sunt quid morale, sed mere physicum, ergo species intellectus non sunt virtutes, aut vitia. Respondeo, hoc esse discrimen obseruandum inter virtutem naturalem, ac vitium, quod virtus includit tantum species intensas circa bonitatem, & pulchritudinem obiectiuam virtutis, & bona, quæ illam comitantur, & circa fœditatem vitij, & mala, quæ illam circunstant, etiam si in anima simul sit species intensa circa delectabilitatem oppositi vitij, vitium verò non solùm claudit species intensas circa delectabilitatem sui obiecti, sed etiam necessariò connotat carentiam speciei, & cognitionis intensæ circa pulchritudinem oppositæ virtutis, & bona, quæ illam comitantur, & cognitionis etiam circa fœditatem talis vitij, & mala, quæ illam circunstant.

45 Ratio est, quia virtus est illa quæ facilitat ad actus ipsius virtutis, & vitium, illud quod facilitat, ad actus talis vitij; sed species intensæ circa bonitatem, & pulchritudinem obiectiuam virtutis, & bona, quæ illam comitantur, & circa fœditatem vitij oppositi, & mala, quæ illam circunstant, ita inter se coordinatæ sunt, vt facilè inferant horum obiectorum intensam cognitionem, facilitant, & inclinant hominem ad amandum bonitatem virtutis, etiamsi sit simul in illo species, & cognitio circa delectabilitatem oppositi vitij; hæc enim cognitio (sedatis passionibus) non præponderat cognitioni illi, sed ab illa facilè vincitur, at verò species, & cognitio intensa circa delectabilitatem vitij non facilitat voluntatem ad amandam delectabilitatem vitij; si sint simul in illa species, & cognitiones intensæ circa pulchritudinem oppositæ virtutis, & bona, quæ illam comitantur, & circa fœditatem talis vitij, & mala, quæ illud circunstant, quia talis cognitio vitij (passionibus inordinatis seclusis) ab specie, & cognitione circa bonitatem virtutis, & turpitudinem ipsius vitij retardatur, & vincitur; ergo species intensæ, & coordinatæ circa bonitatem virtutis sunt verè virtus, etiam si sint simul in anima species, & cognitiones circa delectabilitatem vitij; species verò intensæ circa vitij delectabilitatem non sunt verè vitium, si simul in anima sint cognitiones, & species intensæ circa bonitatem, & pulchritudinem virtutis, & turpitudinem vitij; in Christo ergo fuerunt species intensæ, & coordinatæ circa bonitatem virtutis, & turpitudinem vitij, &c. per accidens infusæ, & ideo per accidens infusæ sunt illi virtutes naturales, at verò licèt in ipso fuerint species intensæ circa delectabilitatem vitij, tamen quia in illo non fuit carentia speciei, & cognitionis intensæ circa pulchritudinem virtutis, & fœditatem vitij, &c. quæ ad ratiotionem vitij necessariò requiritur; ideo Christo non fuerunt infusa vitia; Ad confirmationem dico, species prædictas coordinatas inter se, quæ in nobis dantur circa obiecta virtutis, ac vitij esse quid morale causaliter, quia causant actus morales voluntatis, & ab eis aliquo modo causantur.

Iis argumentis sufficienter ostenditur probabilitas positæ assertionis, quia verò communis sententia Philosophorum asserit dari in voluntate habitus naturales acquisitos, distinctos ab speciebus impressis facilitantes ad producendos alios actus, non est recedendum ab ea, maximè cum non sumatur aliquod efficax argumentum ad ponendos habitus supernaturales, acquisitos in voluntate distinctos ab speciebus impressis facilitantes ad actus supernaturales, vt latè probauimus, cap. 2. num. 14. 15. 16. 17. & 18. quare sit. 46

Secunda Assertio: dantur in voluntate habitus naturales ad facilè, & delectabiliter operandum distincti ab speciebus impressis excitantibus cognitiones, quæ voluntatem inuitent ad exercitium suorum actuum, ita auctores primæ sententiæ numero 34. relati, & pro ea stat D. Augustinus 7. lib de perfectione iustitiæ sub initium, asserens *auaritiam esse qualitatem, qua sumus mali, etiam quando nihil agimus*, sed per species impressas non sumus mali, ergo species non sunt habitus. Probo minorem primo, quia species non sunt in genere moris. Secundò, quia Deus, & Angelus habent perspicacissimas cognitiones de omnibus vitiis, imò, & anima Christi, & beatorum, vt in superioribus ostendi, habent similes cognitiones quibus retrahunt voluntatem ab exercitio vitiorum, quorum sunt capaces secundum se, & secluſa gratia, si enim huiusmodi cognitiones essent habitus, homo iustus, seu confirmatus in gratia, quia nunquam amittit prædictas cognitiones, & species impressas vitiorum, in tota vita denominaretur vitiosus, quod est ridiculum: signum ergo euidens est habitus naturales distinctos esse ab speciebus impressis, & cognitionibus inuitantibus voluntatem ad exercitiorum suorum actuum. 47

Probatur primò ratione, voluntas est capax effectus formalis quem tribuunt habitus acquisiti, ergo debent in ea concedi, probatur antecedens, effectus formalis habitus acquisiti, est facilitare potentiam habentem omnia requisita ad operandum, sed voluntas cum omnibus requisitis ad operandum est capax facilitatis, & difficultatis, ergo est capax habitus, minorem probo, in voluntate quæ est, potentia libera, non militat ratio, quæ in potentiis necessariis vrget, cum positis omnibus requisitis ad operandum possit suos actus elicere, seu cohibere, v. g. si voluntas habens omnia requisita ad eliciendum actum temperantiæ, & intemperantiæ, actum intemperantiæ eliceret, illumque frequentaret, acquireret voluntas continuo exercitio actuum temperantiæ facilitatem ad illos, ergo & habitum acquisitum: hanc consequentiam probo, quia huic facilitati acquisitæ per actus temperantiæ competeret tota diffinitio habitus, qui est qualitas permanens frequentia, & vsu actuum vitalium comparata facilitans potentiam ad similes actus. 48

49 Dices primò, totam hanc facilitatem reduci posse in species impressas intellectus, quæ vsu & exercitio perficiunt, & facilitant potentiam voluntatis ad suos actus eliciendos; sed impugnatur primò, quia stantibus eisdem speciebus, & cognitione ex parte intellectus, potest voluntas reddi facilis, & difficilis contra idem obiectum, ergo facilitas voluntatis, non est refundenda in species, seu cognitionem tenentem se ex parte intellectus. Antecedens probatur, existentibus eisdem speciebus, & cognitione, potest voluntas actus temperantiæ, & intemperantiæ elicere, ergo potest esse facilis, & difficilis circa obiectum temperantiæ: constat antecedens: nam voluntas est libera in vtriusque actibus. Consequentia probatur, quia si voluntas existentibus eisdem speciebus, & cognitione intellectus assuescat actibus temperantiæ, esset temperatus, & facilis ad illos, si autem assuesceret intemperatis actibus, voluntas esset intemperans, & difficulter eliceret actus temperantiæ; ergo existentibus eidem speciebus, potest voluntas esse facilis, & difficilis circa idem obiectum; Impugnatur secundo, quo clarius proponitur obiectum, eo magis mouet voluntatem saltem remotè, & tamen habitus non potest constitui in iis speciebus, quia frequenter experimur, aliquem hominem habere perfectissimas species honestatis alicuius obiecti, vt condonationis iniuriæ, & tamen sentit se vehementer inclinari in vindictam, ergo inclinatio illa non potest prouenire ex intensiore cognitione honestatis obiecti, sed ex qualitate propellente voluntatem, ac proinde talis facilitas diuturno exercitio acquisita non potest esse species.

50 Dices secundò facilitatem, & inclinationem voluntatis circa obiectum temperantiæ oriri posse ex simplici complacentia, quæ excitatur in voluntate circa talem obiectum, posita ex parte intellectus illius repræsentatione. Sed contrà; cum simplici complacentia circa obiectum virtutis componi potest maxima difficultas in eliciendo virtutis actum, vt constat in homine flagitioso, & vitiis dedito, cui complacet virtus, licèt eam opere non exequatur; ergo ex simplici complacentia non prouenit facilitas, nam existente complacentia voluntatis circa vnum actum potest voluntas se exercere in actibus circa oppositum obiectum, & illorum frequentia, & exercitio facilitatem acquirere circa illos.

51 Probatur secundò, temperantia, & intemperantia inter se opponuntur, sed species impressa repræsentans tale obiectum, non est temperantia, quia instante eadem notitia obiecti, potest quis temperate, vel intemperate vesci, quia liberè vescitur, & potest cibus illi vehementius proponi, quam abstinentia: ergo habitus temperantiæ, aliquid est præter notitiam, & speciem impressam. Confirmatur, quia virtus moralis, & vitium opponuntur, vt constat experientia, quia cernimus actibus intemperantiæ reddi hominem difficilem ad temperantiam, & econtrà, quia inclinatio ad temperantiam opponitur inclinationi ad intemperantiam, quia stante eadem virtute temperantiæ non potest esse intemperans, atqui duæ cognitiones, & species impressæ, nec sunt entia moralia, quia repræsentatio non est vituperatione digna, nec opponuntur circa temperantiam, & intemperantiam, quia stantibus speciebus, & cognitionibus perfectissimis obiectorum, voluntas manet libera, & potest nolle exercere actum temperantiæ, & manere difficilis; ergo habitus aliquid est præter species.

52 Dices, si darentur habitus in voluntate posset ferri in incognitum, secundum illam maiorē inclinationem prouenientem ab habitu, sed ostendimus id esse impossibile; ergo. Respondeo, hoc argumento putant aliqui recentiores probabiliter defendi posse habitus etiam de potentia Dei absoluta esse in voluntate impossibiles, sed falluntur, quia per habitus non inclinatur potentia immediatè in obiectum, sed in actum respicientem obiectum, quia solùm habet facilitare, & quasi determinare indifferentiam voluntatis ad eliciendos actus particulares, rectè tamen cohæret maior inclinatio, & facilitas habilis potentiæ ad eliciendos actus, quin sit maior inclinatio immediata in obiectum, vt constat, quando idem actus liber transit in necessarium vt docuimus disput. 18. cap. 1. num. 7. tunc enim immediata tendentia voluntatis in obiectum, quæ est ipse actus voluntatis, est eadem tendentia, & inclinatio, & tamen inclinatio, & determinatio illius ad actum est maior, & diuersa, quia quando actus est liber non connectitur necessariò potentia cum illo, nec aliquo modo in actu secundo est determinata ad illum, at verò quando actus est necessarius connectitur necessario, cognitio verò non requiritur nisi ad immediatam tendentiam, & respectum voluntatis ad obiectum, ad quod nisi manu ducta per cognitionem ire non potest; ergo habitus aliquid est præter cognitionem, & speciem obiectum immediatè repræsentantem.

Insurgat vlterius, si in voluntate admittuntur habitus, teneri nos eosdem concedere in potentiis necessariis, nam habitus voluntatis non possunt non concurrere ad actus necessarios eiusdem, at si non implicat habitus ad actus necessarios voluntatis, cur implicabit ad actus necessarios intellectus. Maior probatur, nam actus qui est liber potest fieri necessarios, vt nuper, & disp. 18. cap. 2. ostendi libertatem esse actui accidentalem, tunc sic; ergo quando actus liber in quem habitus voluntatis influit, transit in necessarium, tunc etiam influit in illum, quia actus ille permanere non potest existens nisi dependens ab habitu, quia dependentia actus ab habitu, non est distincta ab ipsa essentia, & substantia actus, ergo si datur in voluntate habitus ad eius actus necessarios, ergo & intellectus. Respondeo primò, ex influxu habitus voluntatis in eius actus necessarios, non benè inferri habitus in intellectu, quia actus voluntatis in mea sententia, non per se, sed per accidens, & contingenter fit necessarius; nec habitus per se, sed per accidens influit in actum necessarium, quod non contingeret in intellectu, si admitterentur habitus, cum omnino esset potentia determinata. Respondeo secundò, habitum non concurrere efficienter in actus, sed formaliter facilitando potentiam quando libera est, & non quando est necessaria, quia tunc non est capax huiusmodi facilitatis; tertiò respondeo, quod licèt habitus concurrat in genere causæ efficientis, & actus liber posset transire in necessarium, non tamen actus qui dependet ab habitu potest transire sine actione, & dependentia dicta. 53

Quæres primò, quando experiatur quis facilitatem, & inclinationem habitus ad operandum, an antea quam actu operetur, an quando actu operatur; putant aliqui numquam posse habitus facilitatem sentiri, & consequenter experientia non posse probari dari habitus in voluntate; nam si antea quam voluntas exeat in actum secundum sentiretur huiusmodi facilitas, semper, & etiam dum sumus dormientes sentiretur, quia voluntas facilitatur, & inclinatur per habitum saltem in genere causæ formalis, quæ vnita subiecto semper communicat suum effectum formalem, quando autem actu operatur voluntas sentiri non potest, quia ex mera operatione non possumus deprehendere facilitatem, aut difficultatem in operando, nisi, vel, ex maiori velocitate, aut tarditate operandi, vel ex maiori, vel minori conatu quem adhibet potentia, volitio autem fit in instanti, conatus vero non potest cognosci quantus, & qualis sit, hoc ergo putant 54

tant contra nos efficaciſſimum omnium argumentum.

55 Aſſero ergo facilitatem, & inclinationem habitus ſentiri poſſe antea quam actu operemur, vt conſtat, quando contra habitus operamur, & omittimus illius operationem, tunc enim ſentimus facilitatem ad actus, quos omittimus, & difficultatem in actibus quos operamur; nec benè ſequitur ſemper & in omni tempore ſentiri debere facilitatem, & inclinationem habitus. Primò, quia habitus non facilitant potentiam in omni tempore niſi quando adeſt occaſio operandi, & habet potentia omnia requiſita ad operationem, quia dum hæc deſunt, non eſt potentia formaliter capax facilitatis, & inclinationis habitus; quando autem adeſt occaſio operandi, & potentia habet omnia requiſita ſemper ſentitur habitus inclinatio. Secundò, quia licèt habitus communicet facilitatem potentiæ in genere cauſæ formalis, poterat illa non ſemper ſentiri, ſeu cognoſci, quia illius cognitio dependere poteſt, vel à voluntate, vel ab aliis cognitionibus excitantibus ſpeciem illius, quæ non ſemper adſunt, nec ſemper ſentiuntur, nec cognoſcuntur effectus formales prouenientes ab ipſis ſpeciebus, & actibus vitalibus immediatè vnitis potentiis; contingere enim poteſt, quod voluntas habeat vim inclinandi ſe in amorem alicuius obiecti, & quod non ſentiat talem inclinationem, niſi quando ei proponitur obiectum; facilitatur ergo voluntas per habitum in actu primo, ante cognitionem, licèt non prodeat in actum ſecundum, ante repræſentationem actualem obiecti.

56 Quæres ſecundò, vbinam immediatè ſubiectentur habitus acquiſiti naturales voluntatis; ſiquidem hanc indiſtinctam ſtatuimus ab eſſentia animæ diſp. 4. cap. 1. an ne in voluntate, an in anima, an in vtraque, huic difficultati facilè Reſpondetur ex dictis ſuprà diſp. 11. cap. 3. de ſubiecto immediato ſpecierum intentionalium; eadem enim ratio de ſpeciebus impreſſis concurſu intellectus, ac de habitibus concurſu voluntatis militat, præſertim ſi habitus conſtituamus efficientes cauſas actuum vitalium; ſi autem dicamus ſolum, vt formales cauſas concurrere, exiſtimo negari non poſſe eos immediatè in ſubſtantia animæ eſſe conſtituendos, quia illa eſt quæ propriè, & immediatè indiget facilitate, & quaſi determinatione ad operandum; ſicut illa eſt quæ propriè, & immediatè eſt indifferens, & libera.

DISPVTATIO XX.

De efficacitate, extenſione, productione, & corruptione habituum.

QVATVOR capita continebit. In primo inquiro, an actus concurrat effectiuè, an ſolum formaliter ad actus. Secundo, an ad actus diuerſos, obiectaque diuerſa habitus naturalis extendatur. In tertio, à quonam habitus generentur, & an inter ſe diſſideant. In quarto, quibus modis habitus acquiſitus corrumpatur.

CAPVT I.

An habitus concurrat effectiuè, an ſolùm formaliter ad actus.

1 IN ſuperiori diſp. monſtrauimus non dari habitus naturales in intellectu ab ſpeciebus impreſſis diſtinctos, etſi in fauorem ſententiæ communis admiſerim habitus naturales in voluntate diſtinctos à cognitionibus, & ſpeciebus impreſſis, in hac preſſius quaſdam difficultates ad illam pertinentes enodabimus, & inquirimus primo, qua ratione habitus naturalis ad ſuos actus, an formaliter, an effectiuè concurrat.

2 Nonnulli cenſent habitum acquiſitum, & naturalem concurrere efficienter ad actum, non quidem ad ſubſtantiam, & entitatem ipſius actus, ſed tantùm ad quemdam modum illius, qui facilitas, ac delectabilitas appellatur, ita vt intellectus, v. g. præcisè concurrat ad ſubſtantiam actus, non verò ad illum modum, & habitus concurrat ad modum facilitatis, non verò ad ſubſtantiam actus; ita Vaſquez 1. 2. diſp. 83. cap. 2. num. 8. & 18. Sed contrà, primo habitus naturalis datur, vt potentia v. g intellectus faciliùs cum illo eliciat ſuum actum, quam ſine illo; ſed ſi intellectus tantùm concurret ad ſubſtantiam actus, & habitus tantum concurret ad modum illum facilitatis, intellectus non efficeret ſuum actum facilius cum habitu, quam ſine habitu, ergo dici non poteſt intellectum præcisè concurrere ad ſubſtantiam actus, & habitum tantum concurrere ad modum illum facilitatis. Minor probatur, quando intellectus eliciet actum eodem prorſus modo nunc, ac antea illum eliciebat, non elicit nunc illum facilius, quam antea; ſed in prædicta ſententia eodem modo nunc intellectus elicit actum cum habitu, ac ſine illo, antea eliciebat; nam antea ſine habitu ſolus intellectus ſine conſortio alterius influentis concurrebat ad ſubſtantiam actus præcisè, nunc autem cum habitu ſolus intellectus, etiam concurrit ad ſubſtantiam talis actus præcisè, habitus enim tantum concurrit ad modum illum facilitatis diſtinctum, ad quem non concurrit intellectus, vt ipſi concedunt, ergo in tali ſententia nunc intellectus cum habitu non eliceret actum facilius, quam illum antea eliciebat ſine habitu. Secundò, cùm ille facilitatis modus penderet vt à ſubiecto, & cauſa materiali, à ſubſtantia actus, quam informaret, ſequitur neceſſariò, quod prius natura & ratione fieret ſubſtantia actus, quam ex illa modus ille reſultaret; arguo ſic, vel intellectus efficeret ſubſtantiam actus facilius cum habitu, quam ſine habitu in priori illo naturæ, & rationis, in quo ſubſtantia actus ab ipſo intellectu fit; vel in illo poſteriori, in quo modus facilitatis fit ab habitu, nullum enim eſt aliud ſignum, in quo intellectus hanc facilitatem habitus experiatur; ſed intellectus non producit facilius actum cum habitu quam ſine habitu in illo priori, in quo ab ipſo fit ſubſtantia actus; tunc enim nondum eſt productus modus facilitatis, ſed ſubſtantia actus præcisè; neque etiam facilius elicit illum in illo poſteriori, in quo fit ab habitu modus facilitatis; tunc enim intellectus iam non elicit actuum; ſed elicitus ſupponitur; ergo in ea ſententia nulla ratione intellectus elicit facilius actum cum habitu, quam ſine habitu. Tertiò, habitus acquiſitus concurrit ad aliquid ſimile illi, à quo genitus eſt, nam habitus eſt quoddam ſemen ex actibus relictum, ſemen autem ſemper concurrit ad aliquid ſimile illi, cuius eſt ſemen, & à quo progignitur, vt patet in naturalibus, ſed habitus acquiſitus tantum generatur à ſubſtantia actus, & non à modo aliquo facilitatis, quia primus actus, qui etiam habitum generat, non habet in ſe modum facilitatis cum fuerit à ſolo intellectu productus, & non ab habitu, ergo habitus acquiſitus concurrit ad ſubſtantiam actus, & non ad modum facilitatis; ratio à priori eſt, quia facilitas ſe tenet ex parte potentiæ, nec ille modus facilitatis, quem confingunt ex parte actus poteſt explicari, quodve eius munus vt fatentur aduerſarij.

3 Multi tenent habitum naturalem concurrere efficienter ad ipſam ſubſtantiam actus complens cum potentia quoddam integrum principium ad actum illum facilè eliciendum; ita Gabriel in 3. diſtinct. 23. art. 3. Ocham quodlibeto 3. quæſt. 20. Caiet. 1. 2. quæſt. 49.

art. 3. & q. 51. art. 3. Capreolus in prolog. sentent. Valent. 1. 2. disp. 4. q. 1. punct. 2. Fonsec. 9. metaph. capit. 5. q. 4. sect. 2. Suarez disp. 44. metaph. sect. 5. n. 6. & sect. 6. Moncæus disp. 4. cap. 3. Grand. 1. 2. controu. 4. disp. 3. n. 13. Oviedo hic controuer. 16. p. 4. Carleton disp. 19. de anima sect. 3. & plures alij. Sed contra, quando aliqua causa efficit actum habens virtutem completam ad talem actum efficiendum, alia causa simul ad talem actum effectiuè non concurrit naturaliter, cum eius influxus superfluus sit; sed potentia, v. g. intellectus præsente habitu efficit substantiam actus habens virtutem completam secundum se præcisè ad talem substantiam actus elicendam; ergo habitus non concurrit effectiuè ad substantiam actus: minor probatur, actus secundus qui fit ab intellectu cum habitu, est eiusdem rationis cum actu primo à quo ille habitus fuit generatus, nam habitus non concurrit nisi ad actus similes illis, à quibus genitus est, sed intellectus secundum se præcisè habet virtutem completam ad efficiendum, primum actum, cum illum absque habitu efficiat, ergo etiam intellectus præsente habitu habet virtutem completam secundum se præcisè ad efficiendum secundum actum.

4 Dicat quis, intellectum in se habere completam virtutem ad eliciendum absolutè actum, non vero ad illum facilè eliciendum, & ideo requiri habitum, vt intellectus cum illo tamquã cum altero comprincipio suum actum facilè eliciat; sed contra, facilitas non se tenet ex parte operationis, seu actus, sed solum ex parte potentiæ, ergo non requiritur maior virtus actiua ad efficiendam facile aliquam operationem, seu actum, quam ad illum absolutè efficiendum, sed tantum aliqua formalis inclinatio ex parte potentiæ, sed per te intellectus secundum se præcisè habet completam virtutem actiuam ad efficiendum absolutè actum, ergo intellectus cum aliqua formali tantum inclinatione ex parte potentiæ habet virtutem actiuam completam ad eliciendum facilè actum, ac proinde habitus non concurrit effectiuè ad talem actum: Porrò autem facilitatem non se tenere ex parte operationis, sed solum ex parte potẽtiæ, Probatur primo, quia si facilitas se teneret ex parte operationis, seu actus: non posset in alio consistere, quam in eo, quod vnus actus fieret velocius alio; non enim potest recurri ad maiorem, vel minorem conatum actionis, quia non possumus illum naturaliter experiri; alias experiri possemus actionem supernaturalem, vt ostendi supra disp. 19. capit. 2. sed vnus actus vitalis non fit velocius alio, cum quilibet in instanti fiat, ergo talis facilitas non potest se tenere ex parte operationis, seu actus. Probatur secundo, si facilitas hæc se teneret ex parte operationis, ante operationem non sentiretur, sed talis facilitas sæpè ante operationem sentitur, vt monstraui loco à legato, ergo non se tenet ex parte operationis, seu actus.

5 Opinantur alij habitum solum formaliter concurrere ad actum, inclinando, scilicet, & alliciendo potentiam, vt eliciat talem actum per modum cuiusdam dispositionis respectu illius; ita Durand. in 3. dist. 23. q. 2. 3. & 4. Palud. in 3. distinct. 23. quæst. 2. Aureolus, fauet etiam Scotus, quibus nonnulli recentiores suffragantur. Sed contra, in opinione communi, quæ habitum ab specie, & cognitione distinguit, non potest, hæc sententia facilè defendi, nam explicari, aut intelligi non potest, quomodo qualitas per se ipsam inclinet, & alliciat formaliter intellectum, aut voluntatem ad assensum vel amorem sui obiecti, nisi sit facilis obiecti repræsentatio, vel affectio facilis: erga tale obiectum; aqui illa qualitas vel habitus ab specie, & cognitione distinctus, nec est formalis obiecti reptæsentatio, nec formalis affectio, erga obiectum, cum non sit volitio, nec intellectio, ergo talis qualitas, seu habitus non potest per seipsum formaliter inclinare, & elicere potentiam ad eliciendum suum actum: Confirmatur, si illa qualitas habitualis per se ipsam formaliter inclinaret & facilitaret potentiam in ordine ad actum, stante tali qualitate, seu habitu semper experiremur eius facilitatem, & inclinationem, quia semper eodem modo afficeret, & informaret potentiam: sed stante habitu illo non semper experimur eius inclinationem, & facilitatem, ergo ille habitus per se ipsum formaliter non allicit, aut inclinat potentiam ad suum actum, ergo in sententia communi non facilè hæc lis componitur.

Assertio sit: habitus solum concurrit mediatè, 6
& formaliter ad actus, scilicet excitando apprehensiones veri, aut boni, quæ per se ipsas formaliter, ac immediatè ad illius obiecti assensum, aut amorem, intellectum, aut voluntatem inuitant. Pro hac assertione stant plures recentiores, & P. Hurtado disp. 16. de anima section. 7. Arriaga disputation. 9. section. 4. in quam assertionem magis inclinor; tum quia de vniuersa doctrina de habitibus securius, & melius saluatur per influxum formalem, quam per efficientem, vt num. 3. & 4. ostendi, tum quia facilitas, & inclinatio ad operãdum quod est habituum munus ante actualem efficientiam potentiæ in habitibus debet necessario concedi, vt etiam ibidem ostẽdimus: ergo. Præterea alia facilitas in actu secundo, difficulter defenditur, & sine necessitate, tum denique quia facilitas habitus hoc pacto facilius intelligitur, & defenditur: vltimo tandem, in sententia non distinguente habitus ab speciebus; Probatur efficaciter: quia species per modum habitus eatenus concurrit mediatè ad actum cognitionis, vel amoris, quatenus apprehensio, veri, vel boni, quam excitat, concurrit ad illum immediatè, quia species per modum habitus non concurrit, nec facilitat ad actum nisi tantum media apprehensione, atqui apprehensio veri, vel boni, quam talis species excitat non concurrit immediatè ad actum cognitionis, vel amoris effectiuè, nisi tantum formaliter alliciendo, & inuitando potentiam ad illos actus, vt ostendi partim in log. disp. 37. cap. 2. num. 17. partim sup. disp. 17. cap. 3. n. 26. ergo species per modum habitus concurrit mediatè ad prædictos actus, non effectiuè, sed tantum formaliter, inuitando, inclinando, & facilitando potentiam ad suos actus, nec obstat Aristotel. qui vocat habitus actiuos, & factiuos, dicuntur enim actiui, & factiui, quia ad actionem internam, & operationem internam inclinant.

Hic solet inquiri, an habitus naturalis possit natu- 7
raliter concurrere ad actum seipso intensiorem; Censeo in sententia affirmante habitum effectiuè ad actum concurrere, non posse naturaliter concurrere ad actum intensiorem: ratio est, quia maiorem virtutem habet respectu effectus causa æquè perfecta essentialiter cum illo, quam causa imperfectior ex se naturaliter ipso effectu, vt per se constat: sed causa æquè perfecta essentialiter cum effectu non potest naturaliter producere effectum seipsa intensiorem, calor enim, vt quatuor non valet producere naturaliter calorem vt quinque vt osten di in libris de gener. disp. 8. cap. 1. ergo causa imperfectior essentialiter ipso effectu non poterit naturaliter producere effectum seipsa intensiorem, atqui habitus naturalis est imperfectior essentialiter suo actu vt ostendam capit. 3. num. 20. ergo habitus naturalis non potest producere naturaliter actum intensiorem se ipso.

Censeo secundo, in nostra sententia in qua habitus 8
solum concurrit ad actum formaliter media apprehensione qua excitat, habitum posse concurrere (si aliunde non obstet) ad actum seipso intensiorem, potest enim intellectus cum apprehensione intensa, vt quatuor elicere cum maiori conatu assensum intensiorem, vt sex ad quem ipsa apprehensio immediatè, & habitus mediatè

mediatè concurret; & potest vlterius confirmari præcedens ratio, nam ex eo præcisè quod quis diu se exercuerit in actibus remissis alicuius virtutis, facilius postea operatur actum intensum circa obiectum talis virtutis, quam si non exercuisset priores actus remissos, ergo potest habitus concurrere ad actum intensiorem: An autem habitus naturalis possit concurrere ad actum intensiorem secundum omnes suos gradus: pertinet ad libros de generat. Censeo breuiter in mea sententia non implicare; primo, quia gradus intensionis sunt homogenei, atque ita poterit voluntas ab habitu iuuari ad nouos gradus, seu maiorem intensionem, cum nouus gradus non requirat diuersam, aut altioris ordinis virtutem, cum non sit perfectior primo. Secundo quia habitus solum concurrit in genere causæ formalis, & dispositiuè ad actus, non ergo implicabit, quod habitus in hoc genere concurrat ad actus intensionem secundum omnes suos gradus, sicut implicaret in genere causæ efficientis, etiam instrumentaliter.

CAPVT II.

An ad actus diuersos, obiectaque diuersa, habitus naturalis extendatur.

9 SVppono ex iis quæ in Logica diximus disp. 2. c. 3. ad diuersos actus habentes diuersa obiecta formalia eundem simplicem habitum non sufficere, sed plures reipsa diuersos habitus fore necessario admittendos: nunc vero quærimus an ad actus solum in indiuiduo elicitos habentes diuersa obiecta materialia idem habitus simplex, ac indiuisibilis sufficiat, an plures habitus etiam in indiuiduo diuersi necessario requirantur, vel saltem vnus habitus cum multiplici extensione noui modi aut entitatis realis? opinantur aliqui ad diuersos actus in indiuiduo respicientes diuersa obiecta materialia non sufficere, etiam habitum indiuisibilem, sed vel plures admittendos, vel habitum vnum cum noua extensione, ac additione cuiusdam noui modi realis, ita Vasquez 1. 2. disp. 80. cap. 3. & 4. cui alij recentiores acquiescunt.

10 ASSERTIO tamen sit: idem habitus simplex, ac indiuisibilis sine vlla etiam additione noui modi realis extenditur ad diuersos actus in indiuiduo, & ad diuersa obiecta materialia sub eadem ratione specifica formali, ita Suarez disputation. 44. metaphysicæ, section. vndecima, num. 27. cui alij permulti adhærent; Probatur: ea inclinatio præcisè sumpta, qua voluntas est inclinata ad amplectendam aliquam rationem formalem, inclinatur etiam ad amplectendum omne id, in quo est talis ratio formalis, sed habitus temperantiæ, v. g. relictus ex actibus temperantiæ circa obiectum, est quædam inclinatio habitualis, qua est inclinata voluntas ad amplectendum bonitatem temperantiæ, tamquam rationem formalem, ergo per talem habitum simplicem præcisè sumptum inclinatur voluntas ad amplectendum omne id, in quo est talis bonitas, & ratio formalis, atqui ratio formalis temperantiæ est in pluribus, ac diuersis obiectis materialibus scilicet in potu, & cibo, ergo per illum habitum simplicem præcisè sumptum inclinatur voluntas ad amplectendum diuersa obiecta materialia sub vna ratione formali; discutiens tenet, minor primi syllogismi patet, quia habitus ad id est inclinatio habitualis, ad quod actus, ex quo gignitur, est inclinatio actualis, sed actus temperantiæ in materia cibi est inclinatio actualis ad bonitatem temperantiæ tamquam ad rationem formalem, ergo habitus ex illo actu relictus est inclinatio habitualis ad bonitatem temperantiæ, vt ad rationem formalem, maior etiam primi syllogismi sic ostenditur, quia volitio absoluta bonitatis temperantiæ est inclinatio ad ipsam rationem formalem temperantiæ, voluntas etiam per illam formaliter inclinatur ad amplectendum omne id, in quo est ratio formalis temperantiæ, ergo ea inclinatio, qua voluntas est inclinata ad aliquam rationem formalem inclinatur etiam ad amplectendum omne id, in quo est talis ratio formalis.

Dicat vero quis; per inclinationem illam, qua voluntas inclinatur ad aliquam rationem formalem absolutè sumptam, inclinari etiam ad amplectendum omne id, in quo est talis ratio formalis; per illam vero inclinationem, qua est inclinata voluntas ad aliquam rationem formalem, vt præcisè restrictam ad vnam materiã non inclinari ad amplectendum aliam materiã diuersam, in qua sit talis ratio formalis; habitus autem relictus ex actibus temperantiæ circa cibum est inclinatio ad rationem formalem temperantiæ, non absolutè sumptam, sed vt restrictam ad materiam cibi; ac proinde non inclinatur voluntas ad amplectendam illam rationem formalem in materia potus, sed alius nouus habitus, seu entitas necessaria est. Sed contra: ad id habitus inclinat voluntatem formaliter habitualiter, ad quod actus, ex quo gignitur, inclinat formaliter actualiter, sed actus temperantiæ circa cibum inclinat formaliter actualiter ad rationem, ac bonitatem formalem temperantiæ absolutè sumptam, ergo habitus genitus ex illo actu inclinat formaliter habitualiter voluntatem ad rationem, ac bonitatem formalem temperantiæ absolutè sumptam, ac proinde ad omne etiam id, in quo fuerit talis ratio formalis; minor probatur, actus ille temperantiæ circa cibum ad id inclinat præcisè formaliter actualiter, quod est eius obiectum formale motiuum; sed obiectum formale motiuum illius actus temperantiæ, & similium non est ratio formalis, ac bonitas temperantiæ, vt restricta ad materiam cibi, sed bonitas temperantiæ absolutè sumpta secundum se: nec enim cum quis comedit temperatè carnes, aut oua, aut pisces, sic ea comedere vult, quia est bonum temperatum esse in carnibus, aut in ouis, aut in piscibus, sed quia bonum est esse temperatum absolutè, vt manifesta liquet experientia, ergo actus temperantiæ circa cibum inclinat formaliter ad bonitatem temperantiæ non vt restrictam ad materiam cibi, sed ad illam absolutè. 11

Confirmatur principaliter assertio: si habitus genitus ex actibus respicientibus rationem formalem in vna materia, non inclinaret voluntatem ad amplectendam eandem rationem formalem in materia alia, qui diu repeteret actus temperantiæ in carnibus, nullam experiretur facilitatem ad actus temperantiæ, in ouis, vel piscibus, atqui experientia ipsa constat eum, qui diu exercuit actus temperantiæ in carnibus, postea facilitatem sentire ad actu temperantiæ in ouis, aut in piscibus; & similiter in aliis virtutibus, ergo habitus genitus ex actibus respicientibus aliquam rationem formalem in vna materia, etiam inclinat ad eandem rationem formalem in materia alia. 12

Obiiciat aliquis primo, habitus naturalis, verbi gratia, temperantiæ est facilitas ad actus temperantiæ; sed sæpè quis habet facilitatem ad actus temperantiæ in materia cibi, & non habet facilitatem, sed potius difficultatem ad actus temperantiæ in materia potus; ergo sæpè habet quis habitum naturalem temperantiæ circa materiam cibi; & non habet habitum circa materiam potus; ac proinde habitus naturalis, qui voluntatem inclinat ad aliquam rationem formalem in vna materia, non inclinat ad eandem rationem formalem in materia alia; Respondeo eum qui habet facilitatem, & habitum ad actus temperantiæ circa materiam cibi propter bonitatem, ac rationem 13

forma

formalem temperantiæ, habere etiam ex vi habitus facilitatem ad actus temperantiæ, circa materiam potus; experitur enim quis, quando habet habitum, & facilitatem ad seruandam temperantiam in materia cibi propter illius bonitatem, se aliqualem propensionem habere ad illam etiam seruandam in materia potus, quam non sentiebat, dum carebat illo habitu, & facilitate circa materiam cibi; sæpè tamen sentit aliquis facilitatem illam ad actus temperantiæ circa materiam cibi, & non sentit illam circa materiam potus, non quia ex vi eiusdem habitus illam facilitatem non habeat etiam ad potum, sed quia ab alia extrinseca difficultate obruitur; scilicet, quia species intellectus clarè, & explicitè repræsentant bonitatem temperantiæ in materia potus; vel quia ob aliquam hominis qualitatem, aut dispositionem noxiam maxima ei apparet difficultas, & resistentia in temperato potu, quæ in temperato cibo non elucet.

14 Sed insurgat; ideo communis sententia, admittit habitum temperantiæ, v. g. ab speciebus distinctum, quia antea quam homo se exerceat in actibus temperantiæ, non sentit facilitatem, sed difficultatem ad illos, & postquam eos diu exercet, iam experitur in se facilitatem ad tales actus; atqui eodem modo postquam quis se exercuit in actibus temperantiæ in materia cibi, & non in materia potus, licet habeat facilitatem, & habitum circa materiam cibi, tamen non sentit facilitatem ad actus temperantiæ circa potum, postquam verò se etiam exercet in actibus temperantiæ circa materiam potus, iam sentit etiam habitum, & facilitatem ad illos, ergo habitus temperantiæ circa potum distinctus est ab habitu temperantiæ circa cibum, vel habitus temperantiæ absolutè ab speciebus intellectus non distinguitur. Respondeo, hoc argumentum non leuiter confirmare sententiam asserentem habitus non distingui ab speciebus impressis, in nostra verò dico, antea quam quis se exerceat in actibus temperantiæ, non habere in se aliquam qualitatem, ex vi cuius sentiat aliquam facilitatem ad actus temperantiæ, quam non sentiret, si illa qualitate careret; sed nullam omnino habere facilitatem ad tales actus; cum verò post diuturnum exercitium in actibus temperantiæ eam in se facilitatem ad eos actus experiatur; videtur colligi acquisitum esse aliquem habitum distinctum ab speciebus, quæ antea existebant, & nulla ratione facilitabant; at vero, cum quis ob diuturnum vsum in actibus temperantiæ circa materiam cibi; & non circa materiam potus habet habitum, & facilitatem ad actus temperantiæ circa cibum, etiam habet ex vi habitus aliquam facilitatem, & propensionem ad actus temperantiæ circa potum, quam non sentiret si careret habitu temperantiæ circa materiam cibi, vt ostendi num. 13. ac proinde quando post diuturnum exercitium in actibus temperantiæ circa materiam potus, sentit ille magnam inclinationem, & facilitatem ad illos actus, non est, quia acquiratur nouus habitus circa potum, sed quia habitus temperantiæ præexistens circa cibum, qui etiam ex vi sua facilitabat ad potum magis, ac magis intendatur.

15 Verùm vrgeat; non potest quis simul habere intensam facilitatem, & intensam difficultatem ad actus temperantiæ circa materiam potus, vt per se constat, sed quando habet aliquis intensam facilitatem, & habitum ad actus temperantiæ circa cibum, habet sæpè intensam difficultatem ad actus temperantiæ circa potum, vt ostendit experientia, ergo habitus temperantiæ intensus circa cibum, non facilitat intensè etiam ex vi sua ad actus temperantiæ circa potum, atque ita ad hoc alter habitus requiritur. Respondeo, quo maiorem quis habet facilitatem, & habitum ad actum temperantiæ circa cibum propter rationem formalem temperantiæ, eo maiorem habere facilitatem, & propensionem ad actus temperantiæ circa potum ob rationem superius distinctam in assertione; vnde si aliquis habeat habitum, & facilitatem intensam ad actus temperantiæ circa cibum propter rationem formalem temperantiæ, non potest simul habere intensam difficultatem ad actus temperantiæ circa potum, quia cum in potu eadem ratio formalis temperantiæ eluceat, quæ est in cibo, ex vi habitus intensi circa cibum, est etiam intensè inclinatus circa potum, cum verò aliquando aliquis habeat intensam difficultatem ad temperate bibendum, & intensam facilitatem ad temperate comedendum, tunc iste non vult temperate cibum propter rationem formalem temperantiæ, quæ etiam relucet in potu, sed propter aliam rationem, scilicet, quia cibus intemperatus non est ita delectabilis, sed valdè nociuus, quæ ratio ei non proponitur in potu: & ideo habitus ille facilitans intensè ad temperatè comedendum ob eam rationem, non facilitat intensè ad temperate bibendum, cum ibi talis ratio non eluceat, & eapropter non est idem intensè facilis, & difficilis circa eandem materiam potus.

16 Obiiciat secundò, quando adest noua, & specialis difficultas, nouus habitus requiritur ad eam vincendam; sed post superatam difficultatem ad actus temperantiæ circa cibum per habitum temperantiæ circa materiam cibi, restat noua, & specialis difficultas in actibus temperantiæ circa potum; ergo ad eam superandam nouus habitus requiritur circa potum distinctam ab habitu temperantiæ circa materiam cibi. Confirmatur, habitus naturales, cum sint semina quædam actuum, proportionantur cum illis, sed actus circa diuersa obiecta materialia sub eodem formali sunt indiuidualiter diuersi; ergo habitus etiam circa talia obiecta sunt in indiuiduo diuersi. Respondeo requiri nouum, ac distinctum habitum, quando est noua difficultas, quæ non posset superari ex vi habitus præexistentis magis, ac magis intensi, noua autem, & specialis difficultas, quæ in potu est, potest superari per habitum temperantiæ circa cibum magis, ac magis intensum, vt iam ostendi, quia eadem ratio formalis resplendet in cibo, & potu, & ideo alius distinctus habitus non requiritur. Ad confirmationem dico, licèt habitus naturalis proportionetur cum actu, ex quo progignitur, tamen non ita cum illo coaptari; vt non habeat etiam aliquam rationem potentialitatis, sicut potentia, ac proinde, licèt non sufficiat ad diuersos actus habentes diuersa obiecta formalia; sufficit ad actus diuersos habentes diuersa obiecta materialia sub eodem formali in quo diffidet ab actu.

17 Obiiciat tertiò: habitus clarus, & euidens, quo quis cognoscit aliquod primum principium, scilicet, *hominem esse rationalem*, & habitus scientificus, quo cognoscit, primam eius passionem ob idem principium, scilicet hominem esse admiratiuum, quia *est rationalis*, & habitus etiam scientificus, quo demonstrat secundam eius passionem, scilicet, esse risibilem ob idem principium, omnes isti non sunt idem simplex habitus, sed plures habitus diuersi, vt omnes fatentur; & tamen solùm respiciunt diuersa obiecta materialia, scilicet diuersas hominis passiones, propter eamdem rationem formalem, videlicet propter eamdem rationalitatem; ergo ad diuersa obiecta materialia etiam sub vno formali in specie infima dantur habitus diuersi. Respondeo prædictos habitus esse diuersos, quia habent diuersas rationes formales ex parte obiecti, primus enim habitus respicit formaliter rationalitatem hominis præcisè sumptam; secundus respicit formaliter rationalitatem, & connexionem illius cum admiratiuo: ideo enim cognosco hominem esse admiratiuum, quia est rationalis, & rationale habet connexionem cum admiratiuo, tertius habitus respicit formaliter rationale, & admiratiuum, & connexionem

xionem admiratiui cum cum risibili: ideo enim demonstratur hominem esse risibilem, quia est rationalis, & rationale est admiratiuum, & admiratiuum habet connexionem cum risibili; ac proinde propter sola diuersa obiecta materialia nunquam dantur diuersi habitus: imo & circa obiecta formalia partialia sufficere eundem simplicem habitum communis fert opinio, an vero idem actus ea respicere possit non est huius loci.

18 Aduerte, hæc omnia dicta esse in sententia communi distinguente habitus naturales ab speciebus impressis, in sententia vero non distinguente habitus ab speciebus coordinatis, à fortiori dicendum est, habitum v.g. temperantiæ duas species includere; aliam, quæ exprimat bonitatem temperantiæ in se absolutè, & hæc eadem simplex, ac indiuisibilis perseuerat ad mouendum in quauis materia, aliam, quæ exprimat bonitatem temperantiæ in materia determinata, & hæc species pro materiæ diuersitate, variatur.

CAPVT III.

A quonam habitus generentur, & an inter se dissideant.

19 SI species impressæ ab habitibus non distinguantur, iam eorum causas explicauimus disp 10. c. 2. & 3. quia vero in voluntate habitus sunt qualitates ab speciebus distinctæ, vt cum communi sententia ostendimus disp. 19. cap. 4. eorum causæ inquirendæ sunt; mihi autem compertum in primis est, causam eorum materialem esse potentiam ipsam, quam determinant, nec enim aliud subiectum magis cum illis proportionatum inuenio: circa alia vero hæc breuiter explicabimus, primum an actus sint causa efficiens habitus, secundum an vnus actus producat habitum, tertium an saltem quilibet actus efficiat aliquid habitus; quartum an ad intendendum habitum actus intensior requiratur; quintum an habitus contrarij sint.

20 Assero primo; habitum naturalem causari efficienter ab actibus, ita D. Thomas, & communiter sententia Theologorum, Vasquez q. 1. 2. disp 79. cap. 9. Suarez disp 44. metaph. sect. 8. n. 9. Hurtado disp. 16. de anima sect. 6. & plures alij contra Durandum in 3. distinct. 33. quæst. 2. n. 9. asserentem, actus tantum, vt dispositiones concurrere ad generationem habitus: Probatur, id, quod est virtus, ac semen alterius, quod medio illo generat aliud sibi simile, fit efficienter ab illo, vt in naturalibus patet, sed habitus naturalis est virtus, ac semen actuum præcedentium qui medio illo alios actus sibi similes producunt, vt fert communis sententia, ergo habitus fit efficienter ab actibus; hinc etiam fit habitum naturalem esse imperfectiorem essentialiter actibus, quos producit; quia id, quod est virtus, ac semen alterius, est essentialiter imperfectius illo, vt docet experientia, sed habitus naturalis est virtus, ac semen actuum similium illis quos producit, ergo est essentialiter imperfectior illis.

21 Obiiciat quis, ex hac assertione sequi primo, dari mutuam causalitatem inter habitum, & actum in eodem genere causæ efficientis, nam habitus iuxta communem sententiam efficit actum, & nunc dicitur habitum effici ab ipso actu. Secundo dari posse motum ad habitum, quod est contra Arist. 7. phys. cap. 3. Respondeo non dari eam mutuam causalitatem, quia habitus non efficit actum, à quo ipse efficitur, sed alium similem, quod non repugnat, cum habitus naturalis non sit causa adæquata, aut perfectior respectu actus, sed inadæquata, & imperfectior ipso actu: ad secundum dico, ad habitum dari actionem per se, vt argumentum probat, non vero motum, scilicet, alterationem sensibilem de qua Aristoteles loquitur.

Assero secũdo, vnum actum præcisè (nisi nimis intensus sit) non efficere habitum secundũ rationem habitus, sed secundum rationem dispositionis, ita Suarez, & Vasq. sup. n. 20. aduersus Durand. Scotum & alios, asserentes habitum per vnum tantũ actum generari: Probatur, habitus in hoc à dispositione distinguitur, quod habitus est qualitas quædam intensa stabilis, ac difficilè mobilis à subiecto, dispositio vero est qualitas remissa, & facilè à subiecto mobilis, vt docuimus in Logica disp. 27. cap. 3. de qualitate: atqui per vnum actum præcisè nisi intensissimus sit, non producitur in potentia qualitas habitualis intensa, ac stabilis, & difficilè mobilis à subiecto, sed ad summum qualitas remissa, & non stabilis, ergo non producitur per vnum actum tantummodo habitus in potentia secundum perfectam rationem habitus, sed ad summum secundum rationem dispositionis. 22

Sed insurgit difficultas, an quilibet actus ex prioribus (suppono omnes istos actus esse eiusdem rationis, ac intensionis) producat aliquid habitus secundum rationem dispositionis, an vero omnes illi solum per ipsos formaliter disponant potentiam, & per actum posteriorem, etiam eiusdem intensionis cum præcedentibus totus in potentia habitus producatur. Multi censent, actus illos priores nihil in potentia efficere, sed illam per se ipsos formaliter præparare, ac disponere, vt per posteriorem actum integer habitus efficiatur, sicut priores guttæ aquæ cadentes supra lapidem solum disponunt, vt ab alia gutta subsequente excauetur lapis. 23

Assero tertio, quemlibet actum ex prioribus æqualis rationis, ac intensionis producere aliquem gradum habitus, quo disponitur potentia, vt per posteriores actus magis illa habitualis qualitas radicetur, ac intendatur, atque ita fiat in illa habitus secundum rationem habitus; hoc solum intendunt Henriquez Durand Gabriel, & Almainus, quos referunt, & sequuntur Vasq. vbi supra cap. 8. & Suarez dicta disp. 44. sect. 9. Arriaga, Hurtado, Carleton & alij plures; Probatur, potentia per actus præcedentes præparatur, ac disponitur, vt in hoc instanti per actum ad illos subsequentem habitus in potentia producatur, vt aduersarij docent, sed si actus præcedentes non efficerent aliquid habitus, quod in potentia maneret non disponerent potentiam, vt per actum subsequentem æqualis virtutis, & intensionis cum illis talis habitus efficiatur, ergo actus præcedentes efficiunt aliquid habitus, manens in ipsa potentia, quo talis potentia disponatur, minor probatur, pura denominatio extrinseca, scilicet, actus illos, fuisse in tali potentia, non plus dat formaliter potentiæ in hoc instanti, in quo iam actus illi in ea potentia non sunt, quam dat illi pura denominatio extrinseca, scilicet actus illos futuros esse in potentia: atqui hæc extrinseca denominatio ab actibus in potẽtia futuris non sufficit, vt modo potentia disponatur, vt per vnum actum præsentem generetur habitus, ergo nec denominatio purè extrinseca ab actibus in potentia præteritis sufficiet, vt nunc in illa potentia per vnum actum habitus efficiatur, ergo si tales actus præcedentes non efficerent aliquid habitus manens in potentia, illam non disponerent ad habitum. Ratio autem huius à priori est, quia forma, quæ non est non informat subiectum, sed disponere formaliter potentiam est illam, vt subiectum informare, ergo actus præcedentes qui non sunt, non disponunt per se ipsos formaliter potentiam, sed aliquid debent efficere manens in illa, quo nunc ipsa disponatur, at vero in exemplo, quo aduersarij explicant suam sententiam, guttæ aquæ 24

præcedentes

præcedentes aliquam in lapide humiditatem efficiunt, qua emolliunt, ac disponunt ipsum lapidem, vt per subsequentes aquæ guttas excauari possit. Hîc aliquæ dantur solutiones quas afferunt, & impugnant recentiores.

25 Assero quartò, actus non potest, etsi millies repetatur, efficere aliquem habitum intensiorem seipso; atque ita si actus remissior sit, vel æquè intensus cum habitu, licèt magis, ac magis multiplicetur, non valebit naturaliter intendere physicè talem habitum. Ita D. Thomas 1. 2. quæstione 53. & 54. & omnes eius discipuli, item Maior, Almainus, Suarez disputatione 44. metaph. sectione 10. numero 7. Arriaga, Carleton, disputatione 30. de anima sectione 2. Hurtado disputatione 16. de anima subsectione 3. §. 35. & alij recentiores, contra Durand. & Gabrielem, quos sequitur Vasquez 1. 2. disputatione 80. cap. 1. à numero 50. asserentes per quemuis actum etiam remissiorem physicè intendi habitum. Probatur assertio, qualitas aliqua quantumcumque extensiuè multiplicetur, non potest per seipsam, nec media virtute, ac semine, à se relicto efficere physicè aliam qualitatem similem seipsa intensiorem, vt constat ex iis quæ diximus in lib. de generat. disputatione 8. cap. 1. sed habitus acquisitus est quædam virtus, ac semen ex actibus relictum quo medio actus producit alium actum sibi similem, vt omnes loquuntur; ergo actus medio habitu non potest efficere physicè alium actum seipso intensiorem; atqui si actus efficeret habitum intensiorem seipso, etiam medio illo habitu produceret alium actum similem seipso intensiorem, nam habitus intensior, actum intensiorem producit, ergo actus non potest efficere habitum intensiorem seipso.

26 Obiiciat aliquis primò, causa æquiuoca, ac eminentior effectu potest efficere naturaliter effectum intensiorem seipsa, vt omnes fatentur, sed actus est causa æquiuoca, & eminentior habitu iuxta dicta numero 20. ergo actus potest efficere habitum intensiorem seipso. Secundò, cum quis diu repetit actus eiusdemmet intensionis, experitur maiorem facilitatem ad tales actus in fine, quam in principio, atqui si actus æquè intensus non posset magis intendere habitum, in prædicto casu non experiretur ille maiorem facilitatem in fine, quam in principio, quia omnes actus subsequentes eiusdemmet intensionis non magis intenderent facilitatem, & habitum, quam cum primum actus intendisset; ergo actus æquè intensus potest magis habitum intendere. Respondeo ad primum, causam æquiuocam, & eminentiorem posse efficere aliquem effectum, & qualitatem intensiorem seipsa, si tamen illam non producat tanquam virtutem, ac semen, quo medio generet alium effectum vniuocè sibi similem, tunc enim si causa illa efficeret eam qualitatem, ac virtutem seipsa intensiorem, efficeret etiam media illa effectum vniuocè sibi similem intensiorem seipsa, quod repugnat; actus ergo producit habitum, vt virtutem, ac semen, quo medio producit alium actum vniuocè similem sibi ipsi; ac proinde licèt actus sit causa æquiuoca, & eminentior respectu habitus, non potest efficere habitum intensiorem seipso; alias, alium actum etiam vniuocè similem se intensiorem generaret. Ad secundum dico, primum actum, licèt intensus sit, nisi multum continuetur, aut repetatur, non producere habitum æquè intensum, sed cum minori intensione; actus verò eiusdem intensionis subsequentes, cum iam potentiam magis dispositam, & præparatam inueniant eam intensionem adimplent, & habitum reddunt æquè intensum cum ipsis actibus; ac proinde licèt actus non efficiat habitum intensiorem seipso, cum quis diu repetit actus eiusdem intensionis, maiorem facilitatem, & habitum sentit in fine, quam in principio.

Assero quintò, habitus naturales, qui iuxta communem sententiam ex contrariis actibus progignuntur, 27
verbi gratia, habitus temperantiæ, & habitus intemperantiæ in gradu intenso sibi mutuo contrariantur. Ita P. Suarez dicta disp. 44. metaph. sectione 12. à num. 21. Vasquez suprà disputatione 81. cap. 2. Arriaga disputatione 9. de anima sectione 7. Carleton disp. 30. de anima sectione 2. Hurtado, & communiter recentiores. Probatur: habitus acquisiti, cum sint virtutes quædam, ac semina ipsorum actuum, à quibus generantur, proportionantur cum illis, ac eorum sapiunt naturam, sed actus, verbi gratia temperantiæ, & intemperantiæ circa idem obiectum, ita intensè opponuntur, vt simul nec diuinitus esse queant; ergo habitus temperantiæ, & habitus intemperantiæ geniti ex illis ita inter se opponuntur, vt saltem naturaliter non possint esse simul, hoc autem est sibi mutuo contrariari; ergo habitus isti sunt sibi mutuo contrarij; an autem diuinitus simul esse in eodem subiecto possint, non apparet facilè ratio implicantiæ, res autem de possibili multum habent diuinationis.

Obiiciat autem quis, principium actus temperan- 28
tiæ, & principium actus intemperantiæ sibi non contrariantur, cum vtrumque simul in voluntate reluceat, quæ est principium vtriusque actus, sed habitus temperantiæ est principium actus temperantiæ, & habitus intemperantiæ est principium actus intemperantiæ, ergo isti habitus non sunt contrarij inter se. Confirmatur, inclinatio ad actum temperantiæ, & inclinatio ad actum intemperantiæ, non sunt inter se contrariæ, nam cognitio explicita bonitatis temperantiæ inclinat voluntatem ad actus temperantiæ, & cognitio explicita bonitatis delectabilis intemperantiæ inclinat voluntatem ad actus intemperantiæ, & tamen tales cognitiones sunt aliquando simul, atque ita non contrariantur, sed habitus temperantiæ est inclinatio ad actum temperantiæ, & habitus intemperantiæ est inclinatio ad actum intemperantiæ, ergo tales habitus non sunt mutuo contrarij inter se. Respondeo, vno verbo nec principia, nec inclinationes ad actus contrarios inter se contrariari, nisi sint semina illorum, quæ cum ipsis naturaliter commensurentur, vt argumentum, & confirmatio conuincunt: habitus ergo temperantiæ, & habitus intemperantiæ ita sunt principia, & inclinationes ad actus contrarios, vt sint etiam illorum semina, & cum illis proportionentur, & idcirco etiam ipsi habitus sunt contrarij inter se.

CAPVT IV.

Quibus modis habitus acquisitus corrumpatur.

Mihi sanè compertum est habitum in sententia 29
communi quæ illum ab speciebus distinguit, corrumpi per alium habitum ex contrariis actibus generatum, & etiam ab ipsis actibus, diuerso tamen modo, nam ab habitu formaliter per seipsum, ab actibus verò tantùm effectiuè, quatenus habitum illum contrarium efficit, ille alter habitus debellatur, de quo videantur Suarez, & Vasquez citati suprà numero 27. item pereunt habitus corruptione subiecti; nam cum sint qualitates adhærentes, & innitentes subiecto, hoc pereunte ipsas etiam perire necesse est; controuersia verò est, an habitus naturalis solùm per otium, & cessationem ab actibus corrumpatur, in quo eadem est dubitandi ratio; modo habitus sint ipsæ species, modo ab speciebus distinguantur, & ideo indiscriminatim de illis hanc quæstionem agitamus.

Opinantur quidam species, seu habitus acquisitos per solùm otium, & cessationem ab omni actu contabescere,

bescere,ac tandem penitus aboleri,si tale otium,& cessatio ab actu diuturna sit;ita Gabriel in 3. dist.23.q.1. art.3.dub.6. & Almainus tract.1. moralium cap.18. in fine,& alij: ratio illorum est, quia experimur eas res, quarum species claras, & habitus scientificos aliquando habuimus, postea per solum non vsum, & otium diuturnum, prorsus à nobis nesciri,& obliuioni mandari, ergo quia tales species, & habitus per non vsum sunt corrupti.

31 ASSERTIO sit. Habitus, seu species per solum otium, & cessationem diuturnam ab omni actu non corrumpuntur per se, sed ad summum solùm per accidens, quatenus ratione illius otij actus contrarij fiunt; quibus contrarij habitus generantur,hisque habitus præexistentes destruuntur; vel etiam occasione illius diuersi exercentur actus, pluresque resultant, & excitantur species, quibus species præexistentes, licèt non pereant, obruuntur. Ita D. Thomas 1.2. quæstione 53. artic.1. & 3. & cum eo omnes Thomistæ,quibus acquiescit Henricus, quos referunt, & sequuntur Suarez disputatione 44.metaph.sectione 22. à numero 6. & Vasquez 1.2. disputatione 81. cap.2. Arriaga disputatione 9. de anima sectione 6. Carleton suprà,Hurtado disputatione 16. de anima sectione 5. & plures, alij recentiores subscribunt. Probatur; res aliqua naturaliter non destruitur, nisi cum deficit realiter aliqua causa, à qua ipsa per se dependet, sed per diuturnum otium, & cessationem ab actibus non deficit aliqua causa à qua habitus, seu species per se in conseruari dependeant; ergo per solum diuturnum otium, & cessationem ab actibus non destruuntur naturaliter species, seu habitus: consequentia est euidens. Maior probatur, quia si omnes causæ à quibus res antea naturaliter conseruabatur, naturaliter,nunc eodem modo persistant,non est ratio, quare res ab illis naturaliter non conseruetur, ergo vt res non conseruetur naturaliter,sed destruatur, necesse est, quod omnes causæ, à quibus per se in conseruari dependet, non præexistant, sed quod aliqua desit: minorem etiam sic probo; habitus, seu species intellectus solùm in conseruari per se dependent à potentia tanquam à causa naturali, & à causa prima scilicet Deo,tanquam à causa indeficiente,sed per diuturnum otium, & cessationem ab actibus non deficit, sed manet potentia eodem modo apta causare naturaliter,sicut antea & etiam non deficit, sed manet causa prima, scilicet, Deus paratus naturaliter dare suum concursum efficientem conseruatiuum quo vsque deficiat aliqua causa creata, ergo per diuturnum otium, & cessationem ab actibus non deficit aliqua causa à qua habitus, seu species per se in conseruari pendeant. Probatur maior, si habitus, seu species ab alia causa per se in conseruari dependeant præterquam à Deo, & à potentia, maximè ab ipsis actibus, vt à causa efficiente, vel disponente; atqui habitus, seu species non dependent per se ab actibus tanquam à causa efficiente, vel disponente, aliàs eo ipso, quod potentia cessaret ab actibus, illico habitus, & species destruerentur, cum tamen non destruantur, sed tempore aliquo etiam sine actibus durent, & perseuerent, vt omnes fatentur, & experientia conuincit, ergo habitus, & species per se in conseruari non pendent ab alia causa, præterquam à Deo vt ab efficiente, & à potentia, vt à causa materiali.

32 Dicat quis, habitus, & species non pendere ab actibus,vt à causa efficiente, vel disponente, vt aliquo tempore sint, & perseuerent, pendere tamen ab illis prædicto modo, vt diuturno tempore conseruentur, & ideo licèt per aliquod otium, & cessationem ab actibus non pereant, per otium verò diuturnum statim euanescunt. Sed contrà, quando res manet omnino eadem, ac immutata in seipsa, easdem præcisè causas exigit naturaliter ad sui conseruationem, quas antea exigebat, & ab iisdem præcisè causis per se in conseruari dependet, à quibus antea pendebat, nec est ratio aliqua philosophica, nisi meiè voluntaria, ac libera quare oppositum dicatur, atqui post diuturnum otium, & cessationem ab actibus præcisè sumptum est omnino idem habitus, seu species,prorsus immutatus in seipso, vt constat; ergo talis habitus, seu species post diuturnum illud otium easdemmet præcisè causas exigit naturaliter ad sui conseruationem, quas ante illud exigebat, & ab iisdem præcisè causis per se in conseruari dependet, à quibus ante pendebat, sed habitus, seu species ante diuturnum otium non pendebat per se in conseruari ab actibus, neque tanquam à causa efficiente, neque tanquam à causa materiali, sed solùm à Deo, & à potentia, vt ipsi aduersarij admittunt, ergo etiam post tale diuturnum otium habitus, seu species non dependet per se in conseruari vlla ratione ab actibus, sed solùm à Deo, & potentia, ac proinde sine actibus possunt dici habitus, ac species naturaliter conseruari.

Confirmatur principaliter assertio, sæpè experimur quod res, quarum aliquando claras habemus species, & habitus scientificos, iamque post diuturnum otium, & cessationem ab actibus illos omnino nescimus, & obliuioni mandamus, ex eo tamen, quod in aliqua occasione, vel circunstantia aliquid audiamus, aut videamus, quod erat affine, siue connexum cum illis, statim res ipsas eadem claritate, & facilitate cognoscimus, sicut illas antea cognoueramus, imo cognoscimus etiam, ac recordamur perspicuè nos res illas antea cognouisse, quam speciem memoratiuam tunc productam diu non exercueramus: ergo signum euidens est habitus, & species harum rerum antea acquisitas per diuturnum otium,& cessationem à propriis actibus non fuisse omnino deletas,sed solùm quoddammodo consopitas, atque ita aduenient aliquo nouo excitatiuo eædemmet naturaliter reuiuiscunt. 33

Hinc iam apparet solutio ad rationem dubitandi 34
supra posita numero 29. dicimus enim verum esse, quod res, quas antea perfectè sciuimus post diuturnum otium non recordamur, non verò quia habitus, seu species destruuntur, sed quia solùm impediuntur, nam in diuturno otio, & cessatione ab illis actibus, per alios diuersos actus, quos potentia elicit, aliæ species, seu habitus in potentia progignuntur, quæ quidem vtpote intensiores, & efficaciores, vel habentes frequentiora excitatiua, facilius excitantur, & faciunt intellectum attendere ad sua obiecta, & cum virtus finita, ac limitata intellectus non valeat naturaliter ad plura simul attendere, impeditur ne prioribus habitibus, & speciebus vtatur, & ad eorum obiecta attendat, & idcirco illa videtur nescire, quia talis habitus, seu species prædicto modo impediuntur, & obruuntur; dici etiam potest nos post diuturnum otium res illas ignorare, quas antea sciuimus, quia horum habitus, & species intellectus licèt persistant, non habent à quo excitentur, species enim, & habitus intellectuales excitantur ab speciebus, & sensationibus internis; species autem sensus interni pendent, vel in esse, vel in operari à quadam occulta dispositione, & qualitate materiali, quæ in otio diuturno perit per contrariam aliam qualitatem, quæ ex aliis diuersis actibus in illo otio elicitis, generatur, atque ita huius dispositionis defectu species sensus interni non elicit sensationem, qua excitet species illas, seu habitus intellectus, & eapropter species intellectuales consopitæ manent.

Obiiciat aliquis; cum potentia visiua videt splen- 35
didissimum

didissimum lumen postea clausis oculis aliud aliquandiu videt, vt experientia ostendit, licèt post breue tempus talis visio destruatur, ergo clausis oculis manet in potentia aliquandiu species luminis à Deo solùm conseruata, & postea destruitur: igitur eodem modo post cessationem à propriis actibus, possunt habitus, seu species aliquo tempore durare conseruatæ à Deo, non verò diu conseruari. Respondeo, quando clausis oculis lumen videtur, visionem illam non esse sensus externi, sed interni excitatam per vehementem sensationem externam luminis præcedentem vt diximus suprà disputatione 10. cap. 1. num. 7. aliam solutionem tradit Vasquez 1. cap. 3. num. 17.

36 Sed insurgat, cum lapis sursum proiicitur impulsus lapidi impressus à proiiciente, quo lapis sursum impellitur, aliquandiu durat conseruatus à solo Deo, cum iam lapis à proiiciente sit distans, & idem postea corrumpitur; ergo benè post esse aliqua qualitas, quæ aliquandiu conseruetur naturaliter à solo Deo, & postea naturaliter corrumpatur; ergo habitus, seu species possunt post cessationem ab actibus aliquandiu à Deo conseruari naturaliter. Respondeo, lapidem innata grauitate seipsum naturaliter impellere deorsum, atque ita cum sursum proiicitur naturaliter reniti, & producere in seipso impulsum quemdam versus locum infimum, quo alter impulsus versus locum supremum expugnatur, & corrumpitur, si enim impulsus iste contrarius non aduenirет, impulsus ille à proiiciente impressus semel à Deo conseruatus naturaliter non destrueretur, sicut species, & habitus non destruuntur.

Verùm vrgeat; si lapis deorsum proiiciatur, iste impulsus ei à proiiciente impressus non pugnat cum innata lapidis grauitate, cum etiam impellat in locum infimum; & tamen talis impulsus aliquandiu, cum lapis descendit, conseruatur à solo Deo, & postea cum lapis in terra quiescit, corrumpitur; si enim terra lapidi supposita auferretur, non descenderet lapis maiori impetu, quam eius grauitas peteret, quod est signum iam non esse in lapide alium impulsum, quam impulsum suæ grauitatis; ergo iam aliqua qualitas à solo Deo conseruata, postea sine contrario corrumpitur. Respondeo, lapidem in prædicto casu, cum sic impulsus descendit, & contingit terram, illam impellere, hoc est, licèt illam actu non moueat, vt falsò putauit Vasquez dicta disp. 81. cap. 3. num. 18. quæ libris de generat disp. 9. cap. 5. impugnauimus, tamen in illa physicè producere impulsum, vt illam ex proprio loco moueret, terram autem ei etiam naturaliter reniti; lapidemque etiam impellere, id est in ipso producere aliquem impulsum, vt illam moueret sursum, qui quidem impulsus pugnat cum illo alio impulsu lapidi à proiiciente impresso, vt illum moueret deorsum, ac proinde destruit illum: iste autem impulsus à terra renitente in ipso lapide effectus, cum sursum inclinet, militat contra innatam lapidis grauitatem deorsum ipsum lapidem impellentem, & ideo ab hoc innato lapidis impulsu destruitur; nulla ergo qualitas à solo Deo conseruata postea sine contrario corrumpitur. 37

Et hæc de Tractatu septimo, de Habitibus dicta sint satis.

TRACTATVS OCTAVVS.

De Anima separata.

HVCVSQVE de anima vt coniuncta corpori est actum, modo iam de anima rationali vt separata differimus: vbi eius immortalitatem ostendere, ipsumque separationis statum explicare, ac alia ad id attinentia exprimere operepretium duximus, quæ omnia sequenti disputatione explanabimus.

DISPVTATIO vlt.

Quænam animæ rationali, vt separatæ conueniant.

TRIA capita continebit. In primo, animæ rationalis immortalitas monstratur. In secundo inquiro, an separationis status sit animæ rationali consentaneus, an violentus? In tertio, quædam de anima separata dubiola elucidantur.

CAPVT I.

Animæ rationalis immortalitas monstratur.

1 HÆc difficultas de immortalitate animæ vnica est totius Philosophiæ Christianæ, quæ si negetur, corruit Catholica, & Christiana religio, eam perillustrant Doctores Theologi, & omnes Philosophi tam Antiqui quam moderni, Aristot. variis in locis, etsi eius mens ambigua sit, D. Thomas 2. gent. cap. 79. 8. physic. lect. 12. & 12. metaph. lect. 3 & 1. p. quæst. 75. art. 2. & 6. ad 1. Albertus Magnus, Scotus, Caietanus, Ferrara, Suarez lib. 1. de anima cap. 10. Lessius lib. 2. de numinis prouidentia, Hurtado disputatione 18. de anima sectione 1. & 2. Arriaga disputat. 10. de anima sectione 1. Carleton disp. 10. de anima sect. 1. & 2. Ioan. à S. Thoma quæst. 9. de anima art. 1. Conimbricenses locupleti eruditione disp. 1. de immortalitate animæ per totam.

2 In re hac, in qua omnium causa agitur, ita quidam, qui non benè de propria dignitate, ac excellentia sunt meriti, deliratunt, vt animam rationalem dixerint esse defectibilem, & mortalem, & vnione illius cum corpore pereunte ipsam quoque animam interire, licèt aliqui post animæ à corpore discessionem, ipsam aliquandiu viuere, postea verò emori sint arbitrati; hoc delirium habuerunt Epicuræi, apud D. Augustinum lib. 6. confess. cap. 16. & Democritus, vt refert Plutarchus de placitis Philosophorum lib. 4. capite 7. item Sadducæi idem sentire indicabant, qui nullum spiritum immortalem, nec futuram aliquam resurrectionē admittebant, vt constat, Matt. 22. & Act. 23.

Deinde

Deinde hæretici quidam ex Arabia animas perire vna cum corporibus autumarunt, vt enarrat Euſebius lib. 6. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capite 27. Alij etiam hæretici, quos refert Valentia tom. 1. diſputatione 6. quæſtione 15. punct. 3. in eundem errorem prolapſi ſunt, quem mordaciter Caluinus lib. 4. inſtitutionum cap. 7. ſectione 23. Ioann. 22. Romano Pontifici ad ſcripſit, in quo quidem impudenter ipſe Caluinus mentitus eſt.

3 ASSERTIO Catholica ſit. Anima rationalis pereunte corpore non interit, ſed eſt æterna, indefectibilis, & immortalis: hæc veritas eſt diuina fide ſancta, plura teſtimonia ſacræ Scripturæ illam probant, adducam aliqua, alia remitto videnda in auctoribus, in quibus hæc difficultas fuſiùs tractata videri poteſt. Probatur primò ex illo Exodi 3. nam poſtquam Abraham, Iſaac, & Iacob, obierunt, Deus Moyſem alloquens inquit; *Ego ſum Deus Patris tui, Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob, cum autem non ſit Deus eorum, qui aliqua ratione, non ſunt, perſpicuum fit ſaltem illorum animas corruptis corporibus, eſſe ſuperſtites*; hoc argumento vſus eſt Chriſtus Dominus ad immortalitatem animæ adſtruendam contra Sadducæos, vt dicitur Matthæi 22. deinde Sapientiæ 2. *Nec iudicauerunt honorem animarum ſanctarum, quoniam Deus creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum inexterminabilem quidem non quoad corpus, quod corrumpitur, ſed ſolum quoad animam rationalem.* Sapient. 3. *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis, viſi ſunt oculis inſipientium mori, illi autem ſunt in pace,* & Sapient. 4. *Iuſtus ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* Matth. 10. ait Chriſtus, *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere.* Ioan. 12. *Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam.* Matth. 25. *Et ibunt ij in ſupplicium æternum, iuſti autem in vitam æternam.* Lucæ 16. *Mortuus eſt mendicus, & ab Angelis portatur in ſinum Abrahæ, mortuus eſt, & Diues, & ſepultus eſt in inferno.* Apocal 6. *Vidi animas interfectorum propter Verbum Dei*; & alibi paſſim, ex quibus teſtimoniis clarè conuincitur animam rationalem eſſe immortalem & incorruptibilem, & poſt corporis mortem manere, vt debitum ex iis quæ in hac vita geſſit, vel, præmium recipiat, aut pœnam patiatur.

4 Probatur ſecundò, ex Conciliorum ſtatutis, & communi ſenſu Eccleſiæ, nam Lateranenſe Concilium ſub Leon X. ſect. 8. ſic ait; *Damnamus ſacro approbante Concilio omnes aſſerentes animam intellectiuam eſſe mortalem*; idem definitum eſt, in Concilio Viennenſi, quod habetur in Clement. II. de Trinit. & fide Cathol. §. porrò; hoc etiam expreſsè ſancitum fuit in 6. Synodo generali, vbi Act. 13. epiſtolam Sophronij recitatam, Act. 11. qui catholicè, & orthodoxè aſſerebat, Angelos, & animas eſſe à Deo creatas immortales, ſacroſancta Synodus, comprobauit, ſed etiam communis Eccleſiæ conſenſio approbat, etenim ex iſto dogmate omnis bonorum morum integritas, omnis fidei inſtitutio, omnis Chriſtianiſmus pendet, & illo euerſo corruerent.

5 Probatur tertiò, ex Patribus, ac Philoſophis, nam D. Auguſt. lib. de immortalitate animæ, cap. 4. ſic ait, *Manifeſtum eſt immortalem eſſe animum humanum*, & epiſt. 3. ad Voluſianum inquit, *quis nunc eſt extremus idiota, vel quæ muliercula, quæ immortalitatem animæ non credat, vitamque poſt mortem futuram?* D. Chryſoſt. orat. 4. de prouidentia, eos, qui animam dicunt eſſe mortalem, & cum corpore interire, inſanos nominat dicens, *perinde facere, ac ſi quis in die contendat diem non eſſe & de rebus in promptu poſitis dubitet*, D. Ambroſius lib. de bono mortis c. 9. *Non mori* (inquit) *animam cum corpore manifeſtum eſt*, D. Gregorius Nyſſenus in diſputatione de anima cum ſorore Macrina Cyprian. in ſermone de mortalitate, aliique omnes Eccleſiæ Proceres, quos imitatur Doctor Angelicus locis ſuprà allegatis, & omnes Theologi cum illo; item ex Philoſophis Socrates, Plato, Pythagoras, Marcus Tullius, ac ſummi quique, atque nobiliſſimi Philoſophi, vt teſtatur idem Cicero, vt refert Valent. tom. 1. diſputatione 6. quæſtione 1. punct. 3. §. 2. quid autem ſenſerit Ariſtot. de animæ immortalitate, vide apud Conimbr. ſuprà diſp. 1. artic. 1. quem etſi Suarez, & alij, ab hoc errore liberare conentur, eius tamen mens de animæ immortalitate ſubobſcura eſt.

Probatur quartò ratione, ad rectam Dei ſummi gubernatoris iuſtitiam, & prouidentiam ſpectat; vt quiſquis iuxta opera ſua accipiat, iuſtus quidem pro bonis operibus remunerationem, ac præmium; impius pro operibus flagitioſis pœnam, ac ſupplicium; atqui ſi anima rationalis non eſſet immortalis, ſed pereunte corpore ipſa periret, ſæpè pro bonis operibus non remuneraretur iuſtus, nec pro operibus flagatioſis pœna afficeretur impius; ſæpè enim videmus toto huius vitæ diſcurſu iuſtum aduerſa pati; & impium proſperè, ac deliciosè viuere; ergo anima rationalis eſt immortalis, & pereunte corpore interit, ſed præter hanc ſenſibilem alia eſt vita indefectibilis, & æterna in qua iuxta cuiuſque opera iuſtus remuneretur, & puniatur impius, vt paſſim Scripturæ ſanctæ loquuntur; hanc rationem eleganter proſequitur D. Chryſoſt. ſermone 4. de prouidentia, *& adeò ſibi eſſe perſpicuum perſuadet, vt conuincere arbitretur, vel non eſſe Deum, vel animam rationalem fore immortalem, nam ſi nihil eſt* (inquit) *poſt hanc vitam, ne Deus quidem eſt, ſin Deus eſt, iuſtus eſt; quod ſi iuſtus ſit, pro dignitate retribuet vnicuique.* Hæc Chryſoſtomus. 6

Dicat verò quis, delectationem, quæ neceſſariò ad bonum opus conſequitur, eſſe præmium boni operis, & triſtitiam, quæ eſt neceſſariò connexa cum opere flagitioſo, eſſe pœnam, atque ſupplicium illius; ac proinde licèt anima immortalis non ſit, ſed pereunte corpore intereat, nec iuſtum ſine præmio, nec impium ſine ſupplicio diſcedere; ſed impugnatur; nam id, quod eſt neceſſariò connexum cum opere meritorio, aut demeritorio, non poteſt eſſe proprium præmium, ſiue ſupplicium illius, hoc enim eſt id, quod datur liberè, ac moraliter à præmiante, vel puniente pro tali opere, de quo materia de merito, ſed per ſe delectatio eſt neceſſariò ſequuta, & connexa cum bono opere, & triſtitia cum opere flagitioſo, ergo propriè non poteſt eſſe delectatio illa præmium, ac remuneratio pro opere bono, nec triſtitia illa ſupplicium, ac pœna pro opere flagitioſo. Deinde ſæpè cum quis benè operatur, ſcilicet, cum atrociſſima tormenta patitur, ac duriſſimam perfert mortem pro virtutis amore, maior eſt dolor, qui opus bonum comitatur, quam delectatio, quæ ſequitur, ergo ſaltem in hoc caſu iuſtus pro illo excellentiſſimo opere non iuſtè à Deo remuneraretur. Poſtremò, cum impius deliciosus malè operatur, ſæpè, vel nullam ſentit triſtitiam, vel ſi aliquam experiretur, à vitioſa delectatione, quæ etiam eſt operi annexa, ſuperatur, ergo cum ille decedit ſi eius anima non eſt immortalis, ſed cum corpore deſtruitur, talis impius deliciis deditus non iuſtè à Deo pro opere malo punitur, ergo cum Chryſoſtomo dicendum eſt, vel iuſtitiam Dei negandam, vel animæ immortalitatem adſtruendam. 7

Confirmatur principaliter aſſertio; dedecet Dei bonitatem, & abhorret valdè ab illa illos, qui ſe, & omnia ſua in Dei cultum, & honorem impenderunt, ſæpe deceptos habere, & permittere eos erronea exiſti- 8

matione duci ad cruciatus atrociſſimos, & mortem acerbiſſimam perferendam, hoc enim nec bonitas creata patitur, quid diuina? atqui ſi rationalis anima vitam non haberet æternam, ac immortalem, Deus illos qui ſe, & omnia ſua in ipſius Dei cultum, & honorem impenderunt, ſemper decepros haberet, & permitteret illa erronea exiſtimatione duci, vt cruciatus atrociſſimos, & mortem acerbiſſimam perferrent, etenim viri Sanctiſſimi, qui ſe diu Dei obſequio, & honori mancipauerant; & omnia pro eius amore reliquerant, poſtea vitam tormentis atrociſſimis profuderunt ſola exiſtimatione, & ſpe æternæ, ac perennis vitæ, quæ quidem exiſtimatio, aç ſpes, ſi anima immortalis non eſſet, prorſus eſſet fallax, & erronea, & ipſi decepti eſſent: ergo rationalis anima vitam habet immortalem, & æternam immortalitate gratuita, & non eſſentiali.

9 Vrgetur adhuc principaliter, appetitus naturalis rei, id eſt, neceſſarius ſaltem quoad ſpeciem non poteſt eſſe vanus, ac fruſtra, ſed animæ rationali ineſt appetitus naturalis, hoc eſt, ſaltem neceſſarius quoad ſpeciem ad bonum aliquod æternum; ergo talis animæ appetitus non poteſt eſſe vanus, & fruſtra; atqui ſi anima rationalis non eſſet immortalis, ſed cum corpore interiret, appetitus ille animæ naturalis fruſtraneus, ac vanus eſſet, cum eſſet ad id, quod non poſſet naturaliter obtineri, ergo anima rationalis eſt immortalis, ſyllogiſmus tenet, maior probatur, quia, ſapientis non eſt aliquid fruſta creare, ſed ille rei appetitus naturalis, ac neceſſarius, Deo auctori naturæ tribuitur, qui omnia ſapientiſſimè condidit; ergo talis appetitus naturalis non poteſt eſſe fruſtra; minorem etiam primi ſyllogiſmi ſic probo; ac primum animam habere appetitum ad bonum aliquod æternum monſtratur; anima rationalis (paſſionibus inordinatis ſedatis) nullo bono temporali ſatiatur, eo enim ipſo, quod temporale ſit, & habiturum ſit finem, non explet illam, vt experientia confirmat; atqui ſi ipſi animæ non ineſſet appetitus aliquis ad bonum aliquod æternum, temporali aliquo bono finem habituro ſatiaretur; ergo animæ rationali ineſt appetitus aliquis ad bonum aliquod æternum. Deinde hunc animæ appetitum eſſe naturalem, id eſt, neceſſarium quo ad ſpeciem ex eo conſtat, quod anima bonum æternum, ſeu ipſam æternitatem, ac immortalitatem nunquam poſſit odio habere; ſed illam, ſi in actum prodit, amore neceſſariò proſequatur; ergo talis eius amor, ac appetitus elicitus eſt ſaltem quoad ſpeciem naturalis ac neceſſarius; vlterius, anima rationalis cum ſit independens à ſubiecto, & creatione à Deo producta, ſicut Angelus, non habet contrarium à quo deſtruatur niſi à ſolo Deo, à quo poteſt annihilari; ergo ex natura ſua eſt æterna, & immortalis; tandem ex honore mortuis habito, colligimus animas adhuc eſſe ſuperſtites, alioquin fruſtra hic honor illis exhiberetur, nec naturaliter horror omnibus incuteretur ex conſpectu hominis mortui magis quam equi, vel canis, niſi eius, & aliorum mortuorum animas adhuc viuere crederemus; ergo fide ſtabilitum debet eſſe apud omnes animam rationalem eſſe immortalem; aliæ rationes videri poſſunt apud Valentiam, Conimb. Ioan. à S. Thoma, Carleton, & alios ſuprà à nobis enumeratos, num. 1.

10 Hic autem obſeruo primo, animam rationalem non beneficio, ac priuilegio Dei, ſed natura ſua eſſe immortalem, aduerſus aliquos qui oppoſitum aſſeruerunt; veritas hæc conſtat primum ex illo Sapientiæ 2. *Deus creauit hominem inexterminabilem*, & ex illo Matth. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere.* Deinde ex eodem Lateran. Concil. ſub Leone X. ſermone 8. aduerte tamen non eſſe immortalem, immortalitate eſſentiali, qua ſolùm Deus eſt immortalis, iuxta illud Timothæi 6. *Qui ſolus habet immortalitatem*, id eſt eſſentialem, animam verò rationalem, & Angelos habere immortalitatem gratuitam, & à parte poſt, & quæ ex mera Dei benignitate, & decreto cuipiam rei conuenit; Obſeruo ſecundo, animam rationalem non ſolùm fide diuina, ſed etiam ratione Philoſophica eſſe immortalem aduerſus quoſdam, qui dixerunt rationalem animam ſecundum Philoſophiam, eſſe mortalem, cuius oppoſitum apertè conſtat ex Concilio Lateran. dicta ſeſſ. 8. aſſerente animam eſſe immortalem natura ſua, atqui quod rei naturali (qualis eſt anima) conuenit verè natura ſua, poteſt ratione philoſophica, quæ rerum naturas inueſtigat, demonſtrari; ergo ſecundum rationem etiam Philoſophicam anima eſt immortalis: Obſeruo tertio, male aliquos etiam ſecundum rationem dixiſſe animam rationalem à corpore ſeparatam aliquandiu durare, & poſtea interire naturaliter; cuius falſitas ex eo dignoſcitur; tum quod anima eſt, natura ſua immortalis, vt oſtendimus, tum etiam, quia ſi ſemel à corpore ſeparata anima rationalis aliquo tempore perſiſtit, non poteſt poſtea naturaliter corrumpi niſi recipiat aliquas diſpoſitiones, & qualitates, quæ ad eius corruptionem parent, anima autem rationalis ſecundum ſe non eſt apta recipere naturaliter diſpoſitiones, & qualitates, quæ ad eius deſtructionem parent, cum non ſit apta recipere in ſe aliam formam ſubſtantialem, quam tales diſpoſitiones inducerent; ergo anima illa ſemel ſine corpore perſiſtens, non poſſet poſtea corrumpi.

Obiiciat aliquis primò, illud Eccleſiaſtes, cap. 3. *Vnus eſt interitus hominis, & iumentorum, & æqua vtriuſque conditio, ſicut moritur homo, ſic & illa morientur*; ſimiliter ſpirant omnia, & nihil habet homo iumento amplius, illud etiam Sap. 2. *Ex nihilo nati ſumus, & poſt hoc erimus tanquam non fuerimus.* Reſpondeo, hæc omnia verba prolata fuiſſe tantùm in perſona impij, vt abſque vlla ſpe æternæ vitæ ad gaudia vitæ præſentis laxiores habenas daret. Ita D. Greg. lib. 4. dialog. cap. 4. & D. Thom. 1. p. quæſt. 75. art. 6. ad 1. quos ſequuntur Conimbr. vbi ſuprà art. 6. §. ad hæc ita. Reſpondeo ſecundò, prædicta verba eſſe intelligenda, non quidem de anima rationali ſecundum ſe, ſed de toto compoſito humano quod verè corrumpitur, ſicut compoſitum Belluinum, ita D. Hieronymus in illum locum Eccleſiaſtes, & S. Greg. Nazianz. & alij. 11

Obiiciat ſecundò, in 6. Synodo generali epiſtolam Sophronij, quæ habetur Act. 11. fuiſſe tanquam orthodoxam receptam, Act. 13. & tamen in illa aſſeritur, animam rationalem ſicut & alia intellectualia creata non per naturam, ſed tantum per gratiam Dei eſſe immortalem; ergo anima rationalis tantum ex Dei priuilegio eſt immortalis, ac proinde natura ſua erit mortalis. Reſpondeo, in ea epiſtola Sophronij à ſacra Synodo approbata animam dici immortalem, non per naturam, id eſt per eſſentiam omnino independentem ab omni alio, ſicut eſt natura Dei, ſed per gratiam, hoc eſt per donum aliquod naturale Dei, qui potens abſolutè illam contra propriam ipſius animæ exigẽtiam, annihilare, eam liberè conſeruat, quo pacto alij Patres eo modo loquentes intelligendi ſunt, & nos n. 10. adnotauimus. 12

Obiiciat tertiò, ab eo res pendet in eſſendo, à quo pendet in operando, cum eſſe ſit propter operari, ſed anima rationalis pendet à corpore in operando, ita vt non poſſit operari ſine illo, cum ipſa animæ ſupernaturalis cognitio à corporis phantaſmatibus dependeat; ergo etiam anima rationalis ita pendet in eſſendo à corpore, vt non poſſit eſſe ſine illo, ac proinde corrupto illo ipſa quoque corrumpetur. Reſpondeo, animam rationalem corpori coniunctam 13

quatenus præcisè ab ipſius corporis phantaſmatibus, ac ſenſationibus in operando, ac cognoſcendo pendere,

quatenus eæ sensationes, ac phantasmata concurrunt, vt anima species intelligibiles capiat, & ipsæ species iam acquisitæ excitentur, cum autem anima à corpore separatur, retinet species iam acquisitas, cum in ipsa solùm anima subiectentur, & alias excellentiores accipit à Deo auctore naturæ, quæ omnes pro eo statu, vel à voluntate animæ, vel ab ipso Deo naturaliter excitantur, vt in Angelis etiam accidit; ac proinde benè potest anima rationalis esse, & operari sine dependentia à corpore.

14 Obiiciat quartò, ideo dicimus animam bruti corrumpi, quia illo mortuo eius animæ sensationes, & actiones, sicut antea non experimur; sed similiter homine vita functo animæ rationalis sensationes, & actiones non sentimus sicut antea; ergo pariter debemus dicere animam humanam corrumpi. Deinde si anima esset immortalis, & separata à corpore persisteret, discessum à corpore nullatenus formidaret; sed illum magnopere reformidat, vt experientia ostendit, ergo anima rationalis non est immortalis, nec manet destructo corpore. Respondeo, non ideo præcisè animam bruti dicimus cum ipso corrumpi, quia post corruptionem compositi, eius animæ actiones non experiamur, aliàs cum etiam non sentiamus Deum, diceremus non esse Deum, sed quia intellectus non inuenit rationes, quare anima bruti debeat separata consistere; has autem inuenit manifestas, vt etiam extra omne corpus perseueret anima rationalis, vt suprà ostendimus, & ideo dicimus illam non destrui, sed esse immortalem: ad aliud dico, totum compositum formidare animæ à corpore separationem, qua ipsum corrumpitur, & etiam animam ipsam illam metuere, quia ob Deum offensum æternos cruciatus timet. Hic obiici solet separationis statum esse animæ violentum, quæ amat vnionem cum composito, res autem in statu violento non potest naturaliter in æternum perseuerare, ac proinde animam non posse à corpore separatam perseuerare in æternum, hoc autem fusiorem exigit discussionem, de quo in cap. sequenti.

CAPVT II.

An separationis status sit animæ rationali consentaneus, an violentus.

15 SEparationis status est anima rationalis cum carentia vnionis, à coniunctionis cum corpore, ac simul cum naturali quadam infusione specierum, quibus iam sine dependentia à sensibus modo Angelico res concipit: controuersia ergo est, an hic status sit connaturalis animæ, id est iuxta eius naturam, & exigentiam, an violentus, hoc est contra naturam ipsius; in hac re tres sunt præcipuæ sententiæ, prima sententia est, statum separationis esse violentum, & contra naturam animæ; ita sentire videtur D. Thomas 1. p. quæst. 89. art. 1. & 4. contra gent. cap. 79. & 1. p. quæst. 118. art. 3. Caietanus ibidem, Ferrara 1. contra gent. cap. 83. & 94. Henricus quodlib. 7. quæst. 13. Carleton disp. 51. de anima sect. 4. P. Hurtado disp. 18. de anima sectione 3. §. 12. inclinant Conimbr. disput. 2. de anima separata artic. 2. & 3. Suarez lib. 6. de anima cap. 9. adducens Scotum, Platonem, Auicennam, & alios. Secunda sententia est separationis statum nec esse animæ violentum, nec naturalem, sed præternaturalem, ita sentire videntur omnes auctores commemorati pro prima sententia, quibus adde Carleton & Arriaga, & Ioan. à S. Thoma q. 9. de anima art. 2. Tertia sententia est statum separationis esse animæ naturalem, ac iuxta naturam ipsius; ita Ruuius tract. de anima separata q. 6. num. 85. Carleton suprà n. 5. dico 3. Arriaga disp. 10. de anima sect. 2. n. 25. & plures alij.

Suppono ad hoc, vt res aliqua patiatur vim, non 16
requiri, quod aliquid in ea ponatur, vel auferatur ab illa contra effectiuam inclinationem ipsius, sed sufficere, quod contra eius inclinationem passiuam auferatur ab ea aliquid quod ipsi naturaliter debetur; hoc directè militat contra P. Vasquez 1. 2. disp. 25. cap. 2. & 3. quem sequuntur Conimbr. suprà disp. 2. art. 2. assert. 2. qui asserunt violentum esse, cum subiectum vrgetur in contrariam affectionem eius, ad quam ipsum effectiuè tendit, & inclinatur, & inde Conimbr. inferunt statum separationis non esse animæ violentum, quia non est contra inclinationem effectiuam ipsius, anima enim non habet influxum effectiuum in vnionem cum corpore, qua in illo statu priuatur; sed non benè præmittunt, nec verè inferunt, ac primum non benè præmittere ad rationem violenti requiri, quod sit contra inclinationem effectiuam subiecti breuiter, sic ostendo; materia prima si omni forma substantiali, & accidentali denudaretur esset in statu violento multo magis, quam lapis sursum detentus, cum hîc possit, illa non possit eo modo naturaliter conseruari, vt omnes communiter admittunt, & tamen tunc tantùm spoliaretur materia formis ad quas haberet, non quidem effectiuam, sed tantùm passiuam inclinationem, vt per se constat; ergo ad rationem violenti non requiritur, quod sit contra inclinationem effectiuam subiecti, sed sufficit, quod sit contra eius inclinationem passiuam; dum tamen forma, quæ aufertur, sit subiecto connaturaliter debita; & ideo licet aër luce, quæ illum illustrabat, priuetur, talis priuatio non est violenta ipsi aëri, quia forma, scilicet lux, qua expoliatur, ipsi connaturaliter non debetur. Deinde ex eo principio præiacto, etsi verum esset, non benè Conimbr. inferre statum separationis non esse animæ rationali violentum; sic probo, status separationis non solùm includit priuationem vnionis animæ cum corpore, ad quam anima rationalis non habet inclinationem actiuam, sed etiam priuationem potentiarum materialium sensitiuarum, quæ cum in corpore subiectentur, destructo corpore pereunt, ad quas vt ad proprias passiones habet anima rationalis inclinationem effectiuam: ergo etiam si ad rationem violenti requiratur, quod sit contra inclinationem effectiuam subiecti; inde non rectè infertur statum separationis non esse violentum animæ rationali, igitur prædicti auctores in hac re nec verè, nec consequenter procedunt.

ASSERTIO sit. Status separationis non est ani- 17
mæ rationali præternaturalis, nec violentus, sed consentaneus, & iuxta naturam ipsius, ita auctores tertiæ sententiæ. Probatur primò, illud est rei naturale, ac iuxta naturam ipsius, ad quod absolutè res illa naturaliter propendet, & inclinatur; sed anima rationalis absolutè propendet etiam, & inclinatur naturaliter in statum separationis, ergo status separationis est naturalis animæ rationali. Minor probatur, res, quæ absolutè propendet, & inclinatur in aliquem finem, propendet etiam, & inclinatur absolutè in id, quod est medium vnicum ad talem finem, nam res, quæ absolutè propendet in finem, propendet absolutè in eius assequutionem, quæ non datur sine medio vnico, quod omnino requiritur ad assequendum illum finem; atqui anima rationalis absolutè propendet, & inclinatur naturaliter in æternam sui conseruationem per modum finis, ad quam tanquam medium vnicum omnino, ac per se requiritur status separationis; etenim anima rationalis natura sua est immortalis, & æterna vt dixi cap. 1. atque ita naturaliter & absolutè propendet in conseruationem æternam; item natura sua informat corruptibiliter corpus, & ideo aliquando ab illo naturaliter separatur, proindeque non potest æternè viuere, & conseruari, nisi separata consistat; & idcirco ad æternam animæ rationalis

conseruationem, ad quam per modum finis ipsa naturaliter, & absolutè propendet tanquam medium vnicum omnino requiritur separationis status, ergo anima rationalis naturaliter, & absolutè propendet & inclinatur in illum.

18 Probatur secundò, anima rationalis inclinatur naturaliter in eum statum, in quo vel absolutè, vel saltem meliùs potest acquirere suam beatitudinem, vt per se constat; sed anima rationalis absolutè, vel saltem meliùs potest acquirere suam beatitudinem naturalem in statu separationis, quam in statu coniunctionis; ergo anima rationalis inclinatur naturaliter in statum separationis, imo potiori iure quam in statum coniunctionis. Consequentia tenet cum maiori, minorem autem sic probo, beatitudo naturalis animæ in perfecta Dei cognitione naturali, & contemplatione consistit; atqui anima rationalis in statu separationis cum longè perfectiores habeat species, & magis à corporis necessitatibus, & aggrauatione sit libera quam in statu coniunctionis, melius, ac perfectius acquirit perfectiorem Dei cognitionem, ac contemplationem naturalem, vt quisque facilè videat; ergo anima in statu separationis meliùs saltem acquirit suam beatitudinem naturalem, quam in statu coniunctionis; ac proinde inclinatur naturaliter ad separationis statum, & status hic est illi naturalis.

19 Obiiciat autem quis, eidem subiecto non possunt esse simul connaturales aliqua forma, & carentia talis formæ, sed animæ rationali est connaturalis coniunctio, & vnio cum corpore, est enim forma corporis, & ideo connaturale est illi informare media vnione tale corpus; ergo carentia vnionis, & coniunctionis cum corpore, seu (quod idem est) separationis status non est ipsi animæ connaturalis. Respondeo, animam rationalem esse natura sua formam aptam corruptibiliter informare corpus, & esse etiam formam subsistentem, & æternam, etiam naturâ sua; vnde quatenus forma petit media vnione corpus informare, & talis vnio est illi connaturalis; quatenus verò forma subsistens, & æterna petit statum separationis, quia alio modo non potest naturaliter conseruari in æternum, & talis status est illi connaturalis, hæc autem omnia non petit eodem tempore, sed diuersis, nam tempore, quo corpus est rectè præparatum, ac dispositum ad talem formam, petit vniri cum illo, & informare ipsum, & pro tunc talis informatio, & vnio est illi connaturalis; tempore verò, quo talis dispositio, & præparatio destruitur, petit naturaliter statum separationis, & pro tunc talis status, & carentia vnionis est illi connaturalis, non enim repugnat quod forma, & carentia formæ pro diuersis temporibus sint eidem subiecto connaturales.

20 Sed insurgat, carentia eius, quod est bonum naturæ, est malum naturæ, vt carentia caloris, qui est bonum naturale ignis, est malum ipsius ignis, sed status separationis est carentia vnionis, & coniunctionis animæ rationalis cum corpore, quæ vnio est bonum naturale ipsius animæ rationalis, cum per illam naturaliter compleatur in ratione entis per se; ergo status separationis, est malum respectu animæ rationalis; ac proinde potius est violentus, quam connaturalis ipsi. Respondeo primò, vnionem animæ rationalis cum corpore tempore, quo corpus est debitè præparatum, ac dispositum ad excipiendam eam formam, esse bonum naturale ipsius animæ; pro tempore vero, quo talis dispositio, & præparatio corrumpitur, non esse bonum naturale illius, cum iam talis vnio naturaliter non sit possibilis, & ad rationem boni naturalis requiratur, quod sit possibile naturaliter; atque ita carentia vnionis pro tempore, quo materia est rectè disposita, est malum naturæ, & violenta respectu ipsius; carentia verò vnionis pro tempore, quo corrupta est corporis dispositio, non est malum animæ rationalis, sed potiùs tunc esse, & conseruari animam cum carentia talis vnionis, quod statum separationis constituit, est bonum animæ, & iuxta naturam ipsius; ac proinde separationis status est valdè illi connaturalis. Respondeo secundò, carentiam eius quod est bonum naturæ, si per se coniungatur cum alio, quod eminentiori modo compenset defectum, & absentiam illius boni naturalis, non esse violentam naturæ, verbi gratia, in humanitate Christi carentia subsistentiæ creatæ, quæ est bonum ipsius naturæ, quia est coniuncta cum subsistentia increata, quæ eminentiori modo compensat defectum, & absentiam illius boni naturalis, non est violenta ipsi humanitati; carentia ergo vnionis animæ rationalis cum corpore in statu separationis coniungitur cum speciebus perfectioribus, quibus longè perfectius modo Angelico cognoscit; & cum excellenti, quadam ingenuitate, qua ab omni corporis seruitute, aggrauatione, milleque ærumnis est libera; & cum potestate meliùs acquirendi naturalem beatitudinem, vt diximus num. 18. quæ omnia eminentiori modo compensant defectum illius boni naturalis, scilicet, carentiam vnionis, & coniunctionis cum corpore; ac proinde talis carentia vnionis illis omnibus excellentiis stipata, quo pacto statum separationis constituit, non est animæ rationali violenta, sed illi magnopere naturalis, ad quam anima ipsa naturaliter inclinatur.

Verùm vrgeat, ergo anima rationalis vt est in statu coniunctionis cum corpore, appetit naturaliter statum separationis, atque ita status coniunctionis erit contra appetitum naturalem animæ illique violentus quod est absurdum, sequelam probo, anima rationalis sicut quæuis alia res appetit naturaliter statum naturalem excellentiorem, ac perfectiorem, & in quo meliùs, ac perfectiùs possit suam naturalem beatitudinem acquirere: hoc autem totum habet status separationis, qua perfectior, & excellentior est, & aptior, vt in eo anima possit acquirere suam naturalem beatitudinem quam status coniunctionis, vt dictum est; ergo anima etiam dum est sub statu coniunctionis absolutè appetit naturaliter statum separationis. Respondeo, animam rationalem, cum natura sua petat diuisiuè duplicem statum coniunctionis, scilicet, & separationis, vt ostendi num. 19. primariò, ac simpliciter solùm inclinari ad aliquem ex illis, atque ideo quocumque etiam imperfectiori simpliciter contenta est; sicut, quia materia prima sublunaris respicit diuisiuè plures formas substantiales, primariò ac simpliciter solùm petit, & inclinatur in formam aliquam ex illis, & ideo quacumque forma etiam imperfectiori absolutè, ac simpliciter satiatur; vnde sicut hac ratione materia, dum est sub forma materiali, non est violenta, licèt ei deficiat forma spiritualis longè perfectior, & excellentia, vt diximus in Physicis disp. 6. cap. 3. ita eadem ratione anima rationalis sub statu coniunctionis non est violenta, quamuis desit illi status separationis, qui nobilior est. Fateor animam rationalem saltem secundario, & secundum quid petere natura sua statum naturalem perfectiorem, scilicet, statum separationis, tamen dum detinetur in statu coniunctionis, non est violenta etiam secundum quid, quia id est iuxta appetitum communem naturæ, quæ petit, quod anima vniatur corpori, & cum illo ens naturale constituat, quod per se intenditur ab ipsa natura; sicut licèt natura secundum quid, ac secundario petat formam perfectiorem, scilicet, rationalem, tamen dum est sub forma materiali non est violenta secundum quid, quia illa detentio est iuxta appetitum communem naturæ, quæ petit, quod materia variis formis actuetur, vt varia composita resultent, vt dictum est dicta disp. 6. Physicorum cap. 3.

Hinc

22 Hinc colligo animam rationalem separatam simpliciter non habere appetitum naturalem innatum ad vnionem, & coniunctionem cum corpore; ita Scotus in 4. distinct. 43. quæst. 2. art. 3. circa 3. propositionem, & distinct. 45. quæst. 2. in solutione argumentorum. Maior in 4. dist. 4 quæst. 3. art. 4. Ferrara contra gent. cap. 60. de anima separata, quæst. 7. Conimbricenses, ibidem disp. 2. art. 3. & plures alij quos ipsi citant, Suarez lib. 6. de anima cap. 10. conclus. 4. loquitur tamen de appetitu elicito, non verò de innato, Arriaga suprà sect. 2. dicendum 2. numero 26. Carleton, Hurtado, & alij plures; sed probatur nostra positio apertè ex dictis, res habens maius bonum non appetit naturaliter appetitu innato minus bonum incompossibile cum illo maiori bono, vt omnes fatentur; sed status separationis completè sumptus respectu animæ rationalis est maius bonum, vt sæpè ostendi, quam status coniunctionis, qui est minus bonum incompossibile cum illo, ergo anima rationalis habens statum separationis non appetit naturaliter appetitu innato statum coniunctionis, siue reunionem cum corpore; hæc etiam ratio monstrat animam separatam secundum se, nec beatam, nec damnatam non appetituram appetitu elicito statum coniunctionis, qui nunc est, vt docet Suarez suprà num. 4. & tom. 3. in 3. partem disputatione 44. sectione 7. in fine. Confirmatur principaliter hæc positio; non datur in natura appetitus innatus naturalis ad id, quod naturaliter non est possibile, esset enim vanus, & frustraneus talis appetitus, quod non potest admitti iuxta dicta suprà num. 8. sed reunio animæ separatæ cum eius corpore, non est naturaliter possibilis, aliàs hominis resurrectio esset naturalis; ergo anima rationalis non habet appetitum innatum naturalem ad reunionem, & coniunctionem cum corpore, licèt facilè possumus concedere habere appetitum elicitum ad talem reunionem, iuxta illud Apocalyp. 6. *Vidi subtus altare animas, & clamabant vsquequo Domine non iudicas*, ergo cognitione supernaturali poterant appetere coniunctionem ad corpus, non appetitu naturali, & innato, sed appetitu elicito, & absoluto vt obtinet explicat Suarez.

23 Obiiciat aliquis; anima rationalis in primo suæ creationis instanti habuit appetitum naturalem innatum ad vnionem, & coniunctionem cum corpore, qui quidem appetitus fuit identificatus reipsa cum ipsa substantia animæ, sed in statu separationis manet eadem animæ substantia; ergo manet in illa idem appetitus innatus ad vnionem, & coniunctionem cum corpore, quæ videtur expressa sententia D. Thomæ 1. p. q. 76. art. 1. ad 6. & D. August. lib. 12. super gent. ad literam cap. 35.

Respondeo, appetitum innatum ad vnionem cum corpore, quem habet anima rationalis in primo instanti creationis, includere duo; aliud in recto scilicet substantiam ipsius animæ, alterum in obliquo, scilicet, potentiam naturalem actiuam expeditam ad eam vnionem naturaliter efficiendam: in statu autem separationis manet eadem substantia animæ non verò manet potentia naturalis actiua ad eam vnionem iterum efficiendam, & ideo manet tantùm in anima appetitus, innatus ad talem vnionem secundum id, quod talis appetitus dicit in recto, in quo sensu debent intelligi D. Thomas, & D. August. non verò manet secundum id, quod includit in obliquo; ac proinde non manet talis appetitus simpliciter, sed ad summum elicitus modo explicato.

CAPVT III.

Quædam dubiola de anima separata elucidantur.

MVlta hic occurrunt quæsita circa statum separationis animæ rationalis à corpore; potiora nunc perstringemus: quatuor ergo in isto capite expendenda sunt. Primum, quænam ex statu coniunctionis ad statum separationis anima rationalis secum adferat? Secundum, an animæ separatæ perfectiores aliæ à Deo indantur species, quibus modo Angelico res percipiat? Tertium quænam obiecta anima rationalis in statu, separationis cognoscat? Quartum, an anima separata localiter moueri queat? quatuor assertionibus declarabimus. 24

ASSERTIO prima sit. Anima rationalis ex statu coniunctionis ad statum separationis secum adfert ex natura rei potentias omnes spirituales, scilicet, intellectum, & voluntatem ac potentiam loco motiuam ipsius animæ rationalis; item habitus supernaturales, ac species intelligibiles; non verò secum asportat potentias, habitus, & species sensitiuas, ac materiales. Ita D. Thomas 1. part. quæst. 77. art. 8. & quæst. 89. art. 5. & 6. & 1. 2. quæst. 53. art. 1. & 2. & omnes eius expositores, & recentiores communiter, Suarez, Vasquez, Valentia, Arriaga, Hurtado, Carleton, Conimbricenses. Probatur, in anima separata ea manent, quorum nulla causa deest, ea pereunt, quorum aliqua causa in separatione deficit; quæ necessaria erat ad eorum conseruationem; atqui in separatione animæ rationalis à corpore non deest aliqua causa necessaria, vt conseruentur potentiæ, habitus, & species spirituales, nam cum hæc omnia à sola anima rationali subiectentur, causantur à sola illa tamquam à causa materiali, & ab illa etiam vel à Deo tanquam à causa efficiente, quæ duæ causæ etiam eodem modo in statu separationis persistunt, deficit verò in tali separatione aliqua causa necessaria, vt conseruentur potentiæ, habitus, & species sensitiuæ, & materiales, nam hæc etiam in corpore subiectantur, quod iam abest, & corrumpitur, ergo in anima separata manent omnes potentiæ, habitus, & species spirituales, non verò manent potentiæ, habitus, & species sensitiuæ, & materiales. 25

Hic autem obseruanda sunt duo, primum hæc dicta esse suppositia sententia communi, quæ potentias omnes animæ reipsa ab anima distinguit, si enim iuxta nostram sententiam ab eius substantia non distinguantur, cum in statu separationis maneat eadem substantia animæ, manebunt etiam omnes potentiæ etiam sensitiuæ quoad entitatem, licet, quia tunc in illo statu non possent proprium munus exercere, simpliciter non manere dicerentur; sicut iuxta eãdem sententiam, licèt potentia sit verè in pede, non dicitur simpliciter esse in illo, quia ibi non habet requisita, vt proprium munus exerceat. Secundum, hanc assertionem procedere ex natura rei, nam diuinitus in anima separata iam beata non manebit habitus erroneus, aut probabilis, quia cum imperfecti sint, dedecent illum summæ felicitatis statum: in anima verò damnata omnes habitus perseuerant, quia in naturalibus non mutatur. 26

ASSERTIO secunda sit. Anima rationalis separata habet naturaliter alias perfectiores species, quas non habuit intra corpus, inditas à solo Deo, vt auctore naturæ, quibus clarè, & intuitiuè in se ipsis modo quasi Angelico res naturales cognoscit. Ita D. Thomas 1. part. quæst. 89. art. 1. ad 3. Caietan. Ferrara, & Capreolus, Conimbr. de anima separata disp. 3. artic. 5. 27

Assertione secunda P. Hurtado disp. 18. de anima sect. 5. Arriaga disp. 10. de anima sect. 3. Carleton disp. 11. de anima sect. 5. Suarez lib. 6 de anima cap. 8. & communiter omnes. Probatur, anima rationalis cum natura sua intellectiua sit, & ad intelligendum ordinetur, eo modo, quo ipsa naturaliter est, debet naturaliter habere species proportionatas ad operandum, & intelligendum, quia modus operandi, & intelligendi sequitur naturaliter modum essendi, sed anima in statu separationis habet modum essendi excellentiorem, & quasi Angelicum, cum spiritualis sit, & ab omni corporis aggrauatione, crumnis, ac necessitatibus libera, sensuumque satellitio non indigeat; ergo in tali statu debet etiam naturaliter habere alias excellentiores species, quibus clarè, & intuitiuè modo quasi Angelico res percipiat. Confirmatur, anima separata iuxta eum statum cum Angelis conuersationem, ac familiaritatem iniret; ergo debet habere species, quibus politicè possit in illa conuersatione se gerere, ac familiaritatem fouere, atqui ad hanc vrbanam, & politicam conuersationem, & familiaritatem cum Angelis sunt animæ rationali necessariæ aliæ excellentiores species, quibus plura quæ Angeli clarè cognoscunt, ipsa etiam clarè percipiat, nec enim rudis politicæ cum sapiente conuersatur; ergo anima separata habet naturaliter species, quibus clare, & perspicuè modo Angelico res cognoscat.

28 Hinc colligo; animam rationalem sine discursu per has species res naturales cognoscere, quia cognoscit clarè, & intuitiuè res in seipsis, sicut Angelus; nec obstat animam natura sua esse rationalem, & discursiuam; hoc enim habet solùm pro statu imperfecto coniunctionis, non vero pro statu excellenti separationis, in quo Angelis assimilatur. Deinde colligo, animam rationalem in statu separationis longè perfectius cognoscere res per has species, quam per alias in statu coniunctionis, vt constat ex dictis; sed quærat quis, an etiam anima separata in eo statu intelligat per species in illo relictas ex statu coniunctionis? Mihi compertum est per illas intelligere, quia tales species in operando solùm pendebant à phantasmate, vt ab excitante, quod tunc naturaliter præstatur, vel à voluntate animæ, vel ab auctore naturæ, vt dicimus de aliis speciebus ei infusis.

29 Assertio tertia sit. Anima separata clarè, & intuitiuè valet cognoscere res sensibiles, quia cum meliorem habeat modum essendi, clariorem etiam habet modum cognoscendi res, quas antea cognoscebat, sed aduerte de facto non cognoscere omnes, sed illas tantum res, quæ pertinent ad eius statum; vnde animæ defunctorum non vident cuncta sensibilia etiam, quæ apud nos sunt, quia ad earum statum non spectant; vt docet D. Aug. lib. de cura pro mortuis cap. 3. Item anima separata videt clarè, & intuitiuè res alias naturales, siue materiales, siue spirituales, quia in modo cognoscendi pro eo statu Angelum imitatur. Deinde comprehendere potest naturaliter seipsam, & alias animas æquales, ac res inferiores, non verò Angelum, aut rem superiorem, quia cognitio comprehensiua obiecti debet esse à principio ita entitatiuè perfecto, ac est ipsum obiectum, iuxta dicta suprà disp. 16. capite 4. Postremo cognoscit anima in eo statu realiter ipsum Deum, non quidem intuitiuè, hæc enim esset visio supernaturalis beata, quam non habet anima vi naturali, sed vt illustrata lumine gloriæ, nec enim cognoscit Deum abstractiuè ita imperfectè, sicut enim cognoscebat intra corpus, cum iam clariores habeat species, & à sensuum ministerio non dependeat, nec cum ipsis coaptetur: cognoscit ergo anima separata naturaliter ipsum Deum abstractiuè perfectè per speciem propriam ipsius Dei, scilicet, quæ alteri rei non conueniat, & clariorem, ac perfectiorem illa, quæ habetur intra corpus; in qua perfecta Dei cognitione animæ separatæ beatitudo naturalis consistit.

Assertio quarta sit. Anima rationalis in statu separationis potest seipsam mouere localiter. Ita D. Th. multis in locis, q. 16. de malo art. 1. ad 14. 1. p. q. 53. art. 1. & q. 117. art. 1. & nostet Abulens. in 8. Matth. q. 124. Caiet. Soto, Palacios, Suarez disp. 35. metaph. sect. 6. Conimbr. disp. 6. de anima separata art. 2. Carleton, suprà, Arriaga, P. Hurtado, & ferè communiter omnes antiqui, & recentiores, aduersus quosdam qui animam separatam non à seipsa, sed à Deo, vel ab Angelis posse moueri localiter asseuerant. Probatur nostra assertio, vt res aliqua posset se localiter mouere, tantum requiritur, quod sit in illa potentia loco motiua non impedita, sed in anima separata manet potẽtia loco motiua spiritualis, vt ostẽdi n. 25. & non manet impedita, quia cum illa potentia omnino spiritualis sit, non pendet ab aliqua re corporea in operãdo, ex cuius defectu impediatur, ergo anima separata potest se mouere localiter. Confirmo: anima rationalis natura sua non minus est apta se mouere motu spirituali, quam sit apta cognoscere cognitione etiam spirituali; cum intra corpus spiritualiter se moueat localiter, ac etiam intelligat; atqui anima separata iuxta omnium sententiam potens est cognoscere cognitione spirituali, ergo etiam anima separata potens est se localiter mouere motu spirituali. Vrgeo, rem descendere propriè, & strictè est se mouere localiter, neque enim quando res ab alia solùm mouetur deorsum, propriè ipsa descendere dicitur, sed deprimi, vel deferri; atqui anima Christi à corpore separata propriè descendit ad inferos, vt fides docet, ergo ipsa se mouet localiter. 30

Verùm inquirat quis, an anima rationalis possit res alias localiter mouere. Affirmant Conimbr. dicta disp. 6. art. 2. & noster Abul. loco nuper allegato. Negat verò D. Thomas, & melius 1. p. q. 117. art. 4. & q. 16. de malo art. 10. ad 2. Capreol. in 4. dist. vlt. q. 2. Caiet. in eo loco primæ partis, Suarez disp. 35. metaph. sect. 6. n. 23. Carleton, Hurtado, Arriaga & ferè communiter. Probatur, quia cum anima rationalis natura sua sit forma corporis, non potest illud, vel aliud quippiam mouere, nisi per modum formæ scilicet informando illud, sed anima separata, vt sic formaliter non informat; ergo anima separata non potest aliud localiter mouere; in quo dissidet ab Angelo, qui cum sit actus non incompletus, & informans, sed completus, ac omnino subsistens non requiritur, quod informet, sed quod assistat corporibus, vt illa localiter moueat. 31

Pro coronide colligo, animas rationales multiplicari ad multiplicationem corporum, contra Pythagoreos asserentes transmigrare animas ab vno corpore hominis ad aliud, imo, & ad corpora brutorum; nostra vero illatio est de fide, & definita in Concilio Lateranensi sub Leone X. sect. 8. Probatur manifestè, quia anima rationalis est forma substantialis corporis humani, sed multiplicatis indiuiduis, & corporibus multiplicantur homines, ergo & formæ substantiales indiuidualiter multiplicantur, quia duo indiuidua substantialia differunt secundum formam, quæ est principium dandi esse, ita similiter natura humana multiplicatur in creatis ad multitudinem indiuiduorum in quibus reperitur, vt ostendimus disp. 4. de natura vniuersali; alias daretur aliud mysterium in creatis maius mysterio Trinitatis alia autem quæ ad animam vegetatiuam, & sensitiuam spectant iam suprà disp. 11. & 13. discussa sunt. 32

Et hæc de Tractatu isto, ac etiam de libris de anima dicta sint satis, ad laudem, & gloriam Dei, & Deiparæ Virginis Mariæ.

COMMEN

COMMENTARII, AC DISPVTATIONES IN METAPHYSICAM.

PROOEMIVM.

HÆc est vltima pars Philosophiæ, quæ Metaphysica dicta est, quasi trans naturam, vel post Physicam, quia Metaphysicæ obiectum eleuatius est corpore naturali, quod Physiologia contemplatur, & ipsa etiam Metaphysica post Physicas disciplinas à nobis breuiter capessenda est: non quod scitu minima sit. Sed quia eius quæstiones per triennij decursum vbique discussæ sunt; verum quia plura tam in Logica, quam in Physica acta sunt, vt de præcisionibus, de Entis vniuocatione, de Prædicamentis, de subalternatione scientiarum, de causis, & alia quoque nimirum de Deo, & Angelis in Theologia peragenda omittimus; idcirco ea non pauca, quæ supersunt, facilè nunc expediemus: prius tamen proprium Metaphysicæ obiectum, ac naturam explicabimus.

DISPVTATIO I.

De obiecto, natura, ac munere Metaphysicæ.

TRIA capita continebit. In primo inquiro, quodnam sit proprium subiectum, seu obiectum adæquatum Metaphysicæ. In secundo, quod in Metaphysica sit obiectum principale attributionis. In tertio, natura, perfectio, ac munus Metaphysicæ explanantur.

CAPVT I.

Quodnam sit propium subiectum, seu obiectum adæquatum Metaphysicæ.

1 SI strictè loquamur, Subiectum scientiæ est id, de quo aliquid demonstratur, obiectum autem id, quod scitur, ac demonstratur de illo; communiter verò vtrumque nomine obiecti comprehenditur. Obiectum aliud est formale, quod est veluti forma, ratione cuius aliquid cognoscitur; aliud materiale, quod est veluti materia, quæ informatur per obiectum formale, tanquam per formam, & cognoscitur ratione illius: hoc autem dupliciter potest accidere. Primò, ita vt, quod dicitur obiectum materiale verè non cognoscatur, sed tantùm cognoscatur formale obiectum, quod resplendet in illo, vt quando substantia alba videtur à potentia visiua ratione albedinis; & hoc obiectum dicitur materiale remotum. Secundò, ita vt, id, quod est obiectum materiale verè cognoscatur, licèt non propter se formaliter, sed propter aliud, vt cum hominis risibilitas cognoscitur propter rationalitatem; & hoc obiectum dicitur materiale proprium. Item obiectum scientiæ aliud est totale, quod quidem sunt omnia obiecta omnium actuum illius scientiæ: nam cum scientia non habeat aliud obiectum, nisi obiectum suorum actuum, respicit enim suum obiectum mediis actibus, sequitur, quod obiecta omnium actuum illius, sint obiectum adæquatum, & totale talis scientiæ: aliud est partiale, quod est obiectum alicuius actus, qui spectet ad illam scientiam. Denique obiectum partiale aliud est principale attributionis, ad cuius cognitionem cognitio aliorum omnium quæ in illa scientia aguntur, refertur, ac ordinatur; aliud minus principale, & attributum quod refertur, & ordinatur ad aliud. His positis quærimus in præsenti: quod sit obiectum formale adæquatum metaphysicæ.

ASSERTIO prima sit. Substantia vel res corporea 2
non est obiectum formale metaphysicæ. In hac omnes Philosophi conueniunt vnanimiter asserentes obiectum metaphysicæ esse abstractum ab omni materia. Probatur ratione communi, metaphysica distinguitur adæquatè à Physiologia, vt omnes communiter fatentur: atqui si metaphysicæ obiectum esset substantia, vel res corporea, ipsa adæquatè non distingueretur à Physiologia: ergo substantia, vel res corporea non est obiectum metaphysicæ. Minor probatur. Scientiæ humanæ, quæ considerant idem obiectum per idem medium, inter se non distinguuntur, nec apparet in quo possint distingui, sed si metaphysica substantiam, vel rem corpoream contemplaretur, tale obiectum consideraret per idem medium, per quod consideratur à Physiologia, si enim metaphysica cognosceret à priori hominis admirationem, quam cognoscit Physica, non posset illam scire, ac demonstrare, nisi per rationalitatem, per quam scitur, ac demonstratur à physica; ergo si metaphysica consideraret vt obiectum proprium substantiam, vel rem corpoream, non distingueretur adæquatè à physica. Confirmatur. Obiectum proprium metaph. iuxta omnium Philosophorum sententiam, quam referam c. 3. est abstractum ab omni materia;

sed

sed substantia, vel res corporea concernit materiam: ergo non est obiectum Metaphysicæ.

3 Obiiciat quis, Metaphysica diuidit ens in decem prædicamenta, de illisque agit, vt constat ex lib. 5. metaph. atqui inter prædicamenta numerantur quantitas, & situs, quæ sunt res corporeæ: ergo metaphysica agit de rebus corporeis. Cui consonat Aristot. 2. metaph. textu 2. vbi ait. *Vnam scientiam hanc scilicet metaphysicam speculari ens in quantum ens, & species eius, & species specierum:* atqui species entis, & species specierum illius sunt etiam res corporeæ, vt per se constat: ergo metaphysica agit etiam de rebus corporeis. Respondeo, vnam scientiam foueri, & adiuuari ab alia, atque ita metaphysicam aliquos habitus circa quantitatem, & situm à Physica mutuari, vt efficiat diuisionem illam entis in decem prædicamenta, quæ quidem diuisio (sicut & diuisio substantiæ vt sic in spiritualem, & corpoream) non est purè metaphysica, sed partim metaphysica partim physica, cum Physiologiæ sit res concernentes materiam, metaphysicæ verò res à materia abstractas speculari. Ad aliud Aristot. testimonium. Respondeo Aristotelem solùm loqui supposito terminis habilibus, scilicet, metaphysicæ obiectum esse ens abstractum à materia, & hoc supposito ait metaphysicam contemplari ens inquantum ens, scilicet, à materia abstractum, & species eius, scilicet, etiam abstractas à materia, & species specierum, scilicet cum eadem abstractione, quo pacto nobis non aduersatur.

4 Assertio secunda sit. Substantia incorporea completa, nempe diuina & Angelica, & accidens illius spirituale est obiectum formale saltem partiale metaphysicæ. Ita Aristoteles 12. metaph. de Deo, & Angelis disceptans, & D. Thomas 1.2. quæst. 66. artic. 5. in corpore, vbi sic ait, *Obiectum sapientiæ, scilicet, metaphysica præcellit inter obiecta omnium virtutum intellectualium, considerat enim causam altissimam, quæ Deus est, vt dicitur in principio metaphysicæ.* Vnde cum Sanctus Doctor in prologo metaphysicæ, & in libros Boëtij de Trinitate asserit metaphysicam non speculari Angelos, & Deum vt partem subiecti, sed vt causas illius, debet intelligi iuxta alibi dicta, scilicet, Deum, & Angelos non tantùm considerari à metaphysica vt partem subiecti, sed etiam illius causas. Sequuntur Aristotelem, & Diuum Thomam omnes Theologi, & ex recentioribus Suarez 1. metaph. disp. 1. Hurtado disp. 1. metaph. sect. 2. Auersa tomo 1. metaph. quæst. 1. sect. 5. Arriaga in prologo metaphysicæ & Carleton. Probatur ratione: intellectus noster Deum, & Angelos, & horum accidentia naturaliter speculatur: ergo hæc speculatio spectat ad scientiam aliquam naturalem; sed non pertinet ad Mathematicam, quæ tantum agit de quantitate, nec ad Physicam, quæ tantùm considerat res materiam concernentes: ergo eorum speculatio attinet ad metaphysicam, ac proinde ea omnia sunt obiectum saltem partiale metaphysicæ. Confirmatur iuxta omnium Philosophorum sententiam, ens abstractum ab omni materia est obiectum formale metaphysicæ; sed Deus, Angelus, & eius accidentia spiritualia sunt ab omni materia abstracta: ergo sunt obiectum formale metaphysicæ.

5 Obiiciat aliquis, duæ scientiæ inter se distinctæ non tendunt ad idemmet formale obiectum, cum ex obiectis distinguantur; sed Theologia, quæ à Metaphysica verè dissidet, Deum, tanquam eius formale obiectum contemplatur: ergo Deus non est obiectum formale metaphysicæ. Respondeo, duas scientias inter se distinctas rectè posse circa idem obiectum formale, siue subiectum versari ex diuersis principiis, atque ita Theologia ex principiis reuelatis, & metaphysica ex principiis lumine naturæ notis plura demonstrant de Deo, & eapropter Deus est obiectum formale tum Theologiæ, tum Metaphysicæ.

Assertio tertia sit. Ens vt sic præcisum ab ente 6
spirituali, & substantia vt sic præcisa à substantia materiali, & spirituali, & quælibet alia ratio sub hac præcisione est obiectum formale solius metaphysicæ. Ita Aristoteles 4. metaph. cap. 1. vbi ait, *Ens inquantum ens esse metaphysicæ obiectum*, D. Thomas suprà, Fonseca 4. metaph. cap. 1. quæst. 1. sect. 2. Suarez 1. metaph. disp. 1. Hurtado, Arriaga, Carleton, & alij suprà allegati num. 4. Probatur ratione; quia naturaliter contemplatur ens vt sic præcisum: ergo talis contemplatio ad aliquam naturalem scientiam spectat; sed non ad Mathematicam, nec ad Physicam, illa enim de sola quantitate, hæc de re corporea differit: ergo ens vt sic præcisum speculari attinet ad solam Metaphysicam. Accedit, quod ens inquantum ens abstrahitur ab omni materia, quod est obiectum metaphysicæ.

Obiiciat quispiam primò, si non esset substantia 7
spiritualis, non esset metaphysica, vt docet Aristot. 6. metaphysicæ tract. 3. atqui si ens inquantum ens, esset metaphysicæ obiectum, etiamsi non esset spiritualis substantia, daretur obiectum metaphysicæ, atque ideo daretur metaphysica: ergo ens inquantum ens non est obiectum metaphysicæ. Respondeo, ens non quomodocumque præcisum, sed ens præcisum ab ente spirituali, & materiali, esse obiectum formale metaphysicæ, ens enim solum præcisum ab ente materiali ad Physicam spectaret, cum nunquam posset contrahi, nisi ad rationem substantiæ materialis: si ergo non daretur substantia, aut res alia spiritualis, ens vt sic non esset præcisum ab ente spirituali, & materiali, sed solum ab ente corporeo, & materiali; & ideo non daretur obiectum metaphysicæ, sed tantùm physicæ, ac proinde nec esset tunc scientia metaphysicæ.

Obiiciat secundò, sicut Physica agit de re corporea, 8
ita Metaphysica de re incorporea; sed Physica agit solùm de ente corporeo determinato, & non de ratione entis præcisa ab illo: ergo metaphysica agit etiam solùm de ente incorporeo determinato, & non de ratione entis præcisa ab illo. Respondeo, Physicam agere de obiecto abstrahente à materia signata, non verò à materia sensibili; metaphysicam verò agere de obiecto abstrahente ab omni materia, vt dicam ex omnium sententia cap. 3. cum autem ratio entis præcisa ab ente corporeo, & incorporeo abstrahat ab omni materia sensibili, ideo est obiectum Metaphysicæ, non verò Physicæ: ac proinde metaphysica ita agit de ente spirituali, vt etiam agat de ratione entis præcisa ab illo; Physiologia verò ita differit de ente materiali, vt de ratione entis ab ipso præcisa non differat.

Obiiciat tertiò, scientia, quæ agit de aliquo toto, 9
ac composito per se, agit etiam de partibus per se illius; sed Physica agit de hoc toto metaphysico, scilicet, ente corporeo, cuius partes per se metaphysicæ sunt ratio entis vt sic, & ratio corporeitatis: ergo Physica etiam agit de ratione entis vt sic, tanquam de parte per se illius. Confirmatur, quia Physiologia agit de hoc ente physico, scilicet, ente naturali, cuius pars per se physica est materia prima, etiam agit de materia prima; sed Physiologia agit de hoc toto metaphysico, scilicet, ente corporeo, cuius pars metaphysica est ratio entis vt sic: ergo etiam physica agit de ratione entis vt sic.

Communis responsio est, scientiam, quæ agit de 10
aliquo toto, agere etiam de partibus illius, quæ seruant eandem abstractionem cum illo; secus verò si non sint sub eadem abstractione: cum ergo metaphysica agat de ente abstracto ab omni materia: agit etiam de ratione entis vt sic, quæ ab illo abstrahitur; cum verò Physica agat de ente abstracto à materia signata, non

non vero à materia sensibili; & ratio entis vt sic abstrahat ab omni materia, etiam sensibili; ideo licet talis ratio entis sit pars metaphysica entis corporei, nõ agit illa. Sed contra, anima rationalis secundum se magis abstrahit à materia sensibili, quam ratio entis vt sic, illa enim abstrahit à tali materia realiter, hæc vero sola ratione; & tamen quia anima rationalis est pars per se hominis, de quo agit scientia Physicæ, agit etiam talis scientia de anima rationali secundum se: ergo cum ratio entis vt sic sit pars per se entis corporei, de quo agit Physiologia, licet à materia sensibili secundum se abstrahat, talis scientia aget etiam de ratione entis vt sic.

11 Nobiles quidam Neoterici hoc argumento permoti dixerunt habitus considerantes rationem entis, substantiæ, aut accidentis vt sic præcisam à materiali & spirituali non esse proprios solius metaphysicæ, sed communes tum metaphysicæ, tum physicæ, quia cum ratio entis vt sic sit pars per se entis spiritualis, de quo agit Metaphysica, & entis materialis, de quo agit Physica, vtraque scientia de tali ratione differit. Sed contra. Ad Physicam solum attinet id, quod vel habet in se materiam, vel dicit per se ordinem ad materiam, vnde si anima rationalis non diceret (sicut Angelus) per se ordinem ad materiam, ac ens materiale, quod constituit, nulla ratione ad Physicam attineret vt fatentur omnes: atqui ens in quantum est, vt præcisum non solum ab inferioribus, sed etiam ab omni ordine ad inferiora, id est, quatenus est quid aptum ad existendum, & oppositum enti chimerico, & de ipso demonstrarentur eius passiones nimirum, quod sit vnum, verum, & bonum, ens, inquam, vt sic præcisè nullum dicit ordinem ad materiam, seu ens materiale, quod constituat, vt per se constat: ergo ens in quantum est cum prædicta præcisione non attinet ad Physicam, sed solum ad Metaphysicam. Deinde illa tantum scientia considerat partes alicuius compositi in aliquo genere, quæ considerat eius cognitionem in illo genere; sed Physiologia non considerat compositionem metaphysicam (hoc enim est solius metaphysicæ, vel alteri us scientiæ mixtæ) sed tantum compositionem physicam: ergo Physiologia non cõsiderat partes metaphysicas entis naturalis, sed tantum partes physicas; atqui ratio entis vt sic non est pars physica, sed solum metaphysica entis materialis: ergo Physiologia non agit de ratione entis vt sic præcisa; hæc autem vltima ratio non est adeo firma, cui non possit plene satisfieri, vt mox ostendam.

12 Respondeo, ergo ad obiectionem præcipuam, si ens in quantum ens consideretur modo relatiuo scilicet, vt aptum posse constituere ens materiale, & vt partem metaphysicam illius, Physicam, quæ agit de ente illo materiali, agere etiam de illa ratione entis vt sic, etenim Physica etiam tractat de compositione metaphysica, scilicet, per nostros conceptus, quæ in entibus materialibus reperitur, nec ideo talis compositio dicitur metaphysica, quia ad solam metaphysicam attineat, sed quia metaphysica considerat obiectum abstractum; & cum hæc distinctio, ac compositio fiat per abstractionem rationis; ideo, per attributionem, aut similitudinem talis compositio appellatur metaphysica: verè tamen metaphysica solum agit de hac distinctione, & compositione per rationem in communi; & de illa etiam, quæ inuenitur in rebus spiritualibus: Physica vero agit de eadem compositione, vt præcisè reperitur in rebus materialibus, ac proinde agit etiam de partibus metaphysicis rerum materialium, scilicet, de ratione entis vt sic, quatenus præcisè est apta cum differentia corporis ens materiale constituere; in quo illis Recentioribus subscribo: si vero ens in quantum ens consideretur modo absoluto, vt præcisum non solum ab inferioribus, sed etiam ab omni respectu ad illa, vt num. 11. explicuimus, ens vt sic non ad Physicam, sed ad solam metaphysicam spectat, vt in assertione diximus, & dicto num. 11. clarè monstrauimus, & in hoc præcisè sensu anima etiam rationalis vt præcisa ab omni ordine ad materiam: at vero considerata vt habens ordinem ad talem materiam, etiamsi anima rationalis in statu separationis existat attinet ad Physicam; quia vt sic est pars saltem aptitudine (sicut materia) entis naturalis, quod Physicus considerat: Vnde proloquium illud, scientia, quæ agit de toto, agit etiam de eius partibus, debet intelligi in sensu formali, scilicet, agere de eius partibus, quatenus partes sunt, ac dicunt respectum ad illud; non vero quatenus quælibet earum induit rationem totius, & à prædicto ordine ac relatione præscinditur.

Assertio quarta sit. Ens per accidens, ac ens 13
rationis sunt obiectum formale metaphysicæ. Ita nonnulli Recentiores, vt P. Hurtado disputat. 1. metaph. sect. 2. numer. 51. Carleton in Prologo Metaphysicæ Auersa quæst. 1. sect. 7. qui plures ex antiquis recenser, contra P. Suarez disp. 1. metaph. sect. 1. & Fonsecam disp. 4. metaph. c. 1. quæst. 1. sect. 3. Probatur. Scientia, quæ agit de aliquo obiecto, agit etiam de eius contrario seu opposito, vt docet Aristot. lib. 9. metaph. c. 2. vnde commune illud axioma (contariorum eadem est disciplina) sed metaphysica agit de ente per se, cui contrariatur ens per accidens, & de ente reali cui opponitur ens rationis: ergo etiam agit de ente per accidens, ac de ente rationis. Confirmatur. De illo potest sciri, ac demonstrari aliqua passio, quod potest definiri, nam si definiri potest habet vnam essentiam, si autem vnam habet essentiam, habere debet necessario aliquam vnam passionem, quæ ad illam consequatur; ac demonstrari, & sciri possit de tali essentia: atqui ens per accidens, & ens rationis possunt definiri, etenim ens per accidens est aggregatio plurium entium sub vna ratione accidentaria, & ens rationis est quod concipitur obiectiuè per modum entis, cum reuera non sit ens, vt latè ostendemus infra tractat. 3. disp. 8. ergo de ente per accidens, ac de ente rationis potest demonstrari, ac sciri aliqua passio; ac proinde tale ens per accidens, atque rationis vt sic pertinet ad aliquam scientiam; sed non pertinet ad Physicam, nec ad Mathematicam; hæ enim scientiæ non abstrahunt ab omni materia, sicut abstrahit ens per accidens, aut ens rationis, vt sic: ergo ne alias scientias omnino diuersas confingamus ad entia per accidens, & ad entia rationis, dicendum est hæc omnia entia vt sic attinere ad Metaphysicam, quæ abstrahit ab omni materia.

Obiiciat autem quis primo. Si ens rationis vt sic 14
attineret ad Metaphysicam, quia opponitur enti reali vt sic, de quo ipsa differit, etiam quæuis alia scientia ageret de aliquo ente rationis particulari, quod opponitur eius obiecto particulari; sed non quæuis scientia agit de ente rationis: ergo nec etiam metaphysica agit de ente rationis vt sic. Obiiciat secundo: id, quod non potest vna definitione definiri, non potest attinere ad scientiam, cum non possit aliqua vna passio de illo sciri, ac demonstrari; sed ens per accidens non potest vna definitione definiri, non enim est vnum ens, sed plura entia: ergo ens per accidens non potest attinere ad vnam scientiam; ac proinde Metaphysica non agit de illo. Ad primum Respondeo concedendo quamlibet scientiam particularem considerare ens rationis particulare, quod directè enti reali determinato, quod ipsa considerat, opponitur: & ideo dicam disp. 8. c. 3. ens rationis logicum, v. g. definitionem confictam ad dialecticam attinere, quia agit etiam de ente reali logico, scilicet, de vera definitione, cui illa directè opponitur, vt adnotaui disp. 4. Logicæ. cap. 5. num. 53. Ad 2. dico, si ens per accidens accipiatur pro plurium aggregatione sub vna ratione accidentaria,

vt

vt domus dicit plures res aggregatas sub vna forma domus, rectè tale ens posse vna definitione definiri, quia licèt plura diuersa includat, illa tamen aggregat sub vna accidentaria ratione; quod ad vnam definitionem sufficit, atque ita potest haberi scientia de illo; in quo præcisè sensu procedit conclusio: si verò ens per accidens sumatur pro pluribus non collectis sub vna ratione accidentaria, non posse vna definitione definiri, sed pluribus, nec posse haberi vnam scientiam, sed plures diuersas scientias de illo, vt conuincit obiectio, & docet Arist. lib. 6. c. 2.

15 ASSERTIO quinta, obiectum formale adæquatum, ac totale Metaphysicæ est ens reale tam per se, quam per accidens, & ens rationis omnino præcisum, ac entia omnia realia in particulari tam per se, quam per accidens, spiritualia completa, & etiam entia rationis confícta admodum rerum spiritualium. Hæc assertio, quantum ad entia realia, communis est, & eam tenet Suarez suprà disp. 1. metaph. sect. 1. num. 24. quam docet ex Aristot. 4. metaph. in principio, & D. Thoma, Alense, Scoto, Alberto, Alexandro; sequuntur Auerroës, comment. ibidem, & lib. 8. comment. 14. & lib. 12. comment. 1. Auicenna lib. 1. metaph. cap. 1. Soncinas 4. metaph. quæst. 10. Ægidius lib. 1. quæst. 5. Auersa suprà sect 7. P. Hurtado, Arriaga, Carleton, Fonseca, & plures recentiores, & quantum ad alia entia etiam per accidens, & rationis probatur manifestè ex dictis. Obiectum totale alicuius scientiæ sunt omnia obiecta actuum illius scientiæ, vt dixi num. 1. Sed omnia hæc enumerata sunt obiecta actuum Metaphysicæ, vt ex superioribus assertionibus constat, & non plura, vt specialiter ostendi assert. 1. ergo ea omnia enumerata sunt obiectum formale adæquatum, & totale Metaphysicæ.

Sed quærat quis, an Metaphysica consideret rationem entis præcisam ab ente naturali & supernaturali? Censeo talis entis considerationem attinere ad Metaphysicam, cum talis consideratio entis sic abstracti naturalis sit, & propter abstractionem ab omni materia ad aliam scientiam non attineat: at verò licèt Metaphysica possit considerare, & præscindere rationem entis vt sic ab ente naturali, & supernaturali, tamen non potest illum contrahere, & diuidere in ens naturale, & supernaturale; quia ad illud sufficit cognitio quædam confusa entis in communi, quod vires Metaphysicæ non excedit; ad istud verò requiritur cognitio explicita entis supernaturalis, quod est à Metaphysica alienum, & proprium cuiusdam habitus supernaturalis.

16 Hæc dicta sunt de obiecto Metaphysicæ formali; obiectum autem materiale nullum in Metaphysica inuenio: nam obiectum materiale est id, quod cognoscitur, non quidem ratione sui, sed tantùm ratione alterius, vt dixi num. 1. & disp. 1. Logicæ cap. 1. sed Metaphysica non cognoscit aliquid ratione alterius; sed tantùm formaliter rationale sui; quia solùm cognoscit ens vt sic præcisum, & eius differentias, ac species abstrahentes à materia, quas cognoscit propter seipsas formaliter, & non propter aliud, vt constat ex suprà dictis: ergo verè, & propriè non datur obiectum aliquod materiale Metaphysicæ.

CAPVT II.

Quod in Metaphysica sit obiectum principale attributionis.

17 SEx recenset sententias P. Suarez disp. 1. metaph. sect. 1. quatuor Fonseca 4. metaph. cap. 1. quæst. 1. sect. 1. ego verò tres principales adducam. Prima sententia est, obiectum principale attributionis metaphysicæ esse solùm Deum. Ita Alpharabus, Auerroës, Albertus Magnus, Auicenna, P. Hurtado disp. 1. metaph. sect. 4. §. 100. adducens pro se Aristotelem, & præcipuè D. Thomam 3. contra gentes cap. 25. num. 6. cuius verba infrà explicabo; non contradicit Auersa suprà quæst. 2. sect. 5. clarè Carleton in prologo, & Arriaga. Secunda sententia est, substantiam spiritualem completam, scilicet, Diuinam, & Angelicam, esse metaphysicæ obiectum attributionis: refertur pro ea Aristot. 4. metaphysicæ, textu 4. & 6. metaph. textu 3. & 12. metaph. textu 5. in quibus docere videtur primam substantiam considerari in prima Philosophia; substantiam verò materialem in Philosophia naturali, Auerroës 1. Physicorum comment. vltimo, Fonseca loco citato. Tertia sententia est, obiectum principale attributionis metaphysicæ esse ens reale præcisum, & omnes eius species immateriales. Ita expressè Aristot. D. Thomas, Scotus, Alensis, Albertus Magnus, Ægidius, & alij, quos referunt, & sequuntur Suarez suprà, num. 24. & Fonseca ibidem, quæst. 1. sect. 2. asserens esse omnium antiquorum, qui primam Philosophiam profitebantur, vt Aristotelici, Iacobus Pacusius 1. metaph. disp. 1. cap. 9. & 15. Iulius Syrenus in disp. de subiecto Philosophiæ sect. 2. c. 15. & 16. Antonius Scaynus in præfatione metaph. c. 2. & alij plures.

Suppono primò, obiectum principale attributionis alicuius scientiæ posse esse in duplici differentia, aliud extrinsecum, seu ex intentione scientis; aliud intrinsecum, seu ex intentione scientiæ: obiectum attributionis extrinsecum, seu ex intentione scientis est id, ad cuius cognitionem cognitio aliorum omnium, quæ in illa scientia tractantur, ab ipso præcipuo sciente ordinatur, ac dirigitur: obiectum attributionis intrinsecum, seu ex intentione scientiæ est id, ad cuius cognitionem cognitio aliorum omnium, quæ in illa scientia aguntur ex se, & natura sua refertur, ac ordinatur; sicuti enim ad obiectum attributionis extrinsecum ex intentione scientis requiritur, quod ordo sit in ipso sciente, & quod ipse extrinsecè ordinet, ac referat cognitionem aliorum omnium ad cognitionem illius obiecti præcipui; ita similiter ad obiectum attributionis intrinsecum, seu ex intentione scientiæ, requiritur, quod ordo sit in ipsa scientia, & quod scientia, ac cognitio aliorum omnium intrinsecè, ac natura sua ordinetur ad cognitionem obiecti principalis. 18

Suppono secundò, non posse rem aliquam ex se naturaliter ordinari ad aliquid quod sit naturaliter impossibile. Probatur apertè, non potest esse à Deo creatus ordo aliquis naturalis omnino vanus, & frustra; sed si esset aliqua res ex se naturaliter ordinata ad aliquid, quod esset naturaliter impossibile, esset creatus à Deo ordo aliquis naturalis omnino vanus, & frustra: ergo non potest esse res aliqua ex se naturaliter inclinata ad aliquid, quod sit naturaliter impossibile. Consequentia est euidens. Maior patet, quia sapientis non est aliquid frustra producere; sed Deus sapientissimè se gerit in omnium rerum creatione: ergo non potest creari à Deo appetitus aliquis naturalis omnino vanus, & frustra. Minorem etiam sic probo. Ille ordo est omnino vanus, & frustra, quo non potest obtineri naturaliter id, ad quod naturaliter, ac intrinsecè ordinatur; sed si daretur res aliqua naturaliter ordinata ad aliquid impossibile, esset aliquis ordo naturalis, qui non posset assequi naturaliter id, ad quod ordinaretur naturaliter, vt per se constat: ergo daretur aliquis ordo naturalis omnino vanus, & frustra. 19

Suppono tertiò, rem aliquam natura sua ordinari ad aliam, non esse præcisè tendere ad illam, ac respicere illam, sed ad illam tendere tanquam ad rem perfectiorem, ac excellentiorem seipsa. Probatur: Deus 20

vt

vt omnipotens respicit creaturas possibiles, & etiam res possibiles respiciunt Deum;& tamen quia res possibiles non sunt perfectiores Deo;sed econtrà Deus est longè excellentior ipsis, Deus non ordinatur ad creaturas,sed creaturæ ordinantur ad Deum: item essentia respicit suas passiones, & passiones respiciunt ipsam essentiam,& tamen quia essentia est perfectior suis passionibus,non econtra, essentia propriè non ordinatur ad passiones, sed passiones ordinantur ad essentiam. Deinde,substantia respicit accidens,& accidens respicit substantiam;& tamen, quia substantia est excellentior, & perfectior accidente, accidens propriè ordinatur ad substantiam, substantia verò propriè non ordinatur ad accidens;& sic in pluribus aliis:ergo vt vna res propriè,& strictè natura sua ordinetur ad aliam,non sufficit, quod illam naturaliter respiciat, sed quod respiciat eam tanquam excellentiorem seipsa. His positis controuersiam definiamus.

21 ASSERTIO prima sit. Solus Deus non est adæquatum obiectũ principale attributionis metaphysicæ, neque intrinsecum, seu ex intentione ipsius scientiæ;nec extrinsecum,seu ex ordine,ac intentione scientis:ita auctores secũdæ & tertiæ sentẽtiæ contra auctores primæ. Ac primum, non esse obiectum intrinsecum, ac ex intentione ipsius scientiæ,sic ostendo.Obiectum attributionis intrinsecum, ac ex intentione scientiæ in qua licèt sciẽtia est id,ad cuius cognitionem cognitio aliorum omnium,quæ in illa sciẽtia aguntur, intrinsecè,ac natura sua refertur,& ordinatur,vt ostendi n.18.sed cognitio aliorum omnium, quæ aguntur in metaphysica intrinsecè, ac natura sua non ordinatur ad Dei cognitionem, etenim cognitio entis realis vt sic præcisè non ordinatur ex se ad talẽ cognitionẽ Dei:ergo Deus non est obiectum attributionis intrinsecum,ac ex intẽtione scientiæ respectu ipsius metaphysicæ. Minor probatur primò, etsi impossibilis esset cognitio creata naturalis Dei,inde non sequeretur fore impossibilẽ cognitionem entis vt sic naturalem, & creatam; sicut ex eo quod sit impossibilis creata visio naturalis Dei, non sequitur quod sit impossibilis visio naturalis entis creati: atqui si cognitio naturalis entis vt sic natura sua ordinaretur ad cognitionem Dei, si esset impossibilis cognitio naturalis Dei, esset etiam impossibilis cognitio naturalis entis vt sic, cum non possit hæc cognitio ad aliam impossibilem natura sua ordinari, vt monstraui n 19.ergo cognitio naturalis entis vt sic non ordinatur natura sua ad cognitionem naturalem Dei. Probatur secundò eadem minor:ex eo,quod quis Angelus, v. g. comprehendat rem aliquam naturaliter ordinatam ad aliam,ex vi talis cognitionis cognoscit necessariò aliam: atqui ex eo, quod Angelus comprehendat cognitionem naturalem entis, vt sic,non cognoscit necessariò ex vi talis cognitionis comprehensiuæ cognitionem naturalem Dei: ergo cognitio naturalis entis vt sic non ordinatur natura sua ad cognitionem naturalem Dei. Porrò autem solum Deum non esse etiam obiectum adæquatum attributionis metaphysicæ extrinsecum, ac ex intentione scientis, sic monstro. Obiectum adæquatum attributionis extrinsecum,& ex intentione scientis est id, ad cuius cognitionem scitur principale, id est, auctor,& princeps talis scientiæ ordinat ac dirigit cognitionem aliorum,quæ aguntur in illa scientia,vt ostendi n.18. sed principale sciens, auctor & princeps Metaphysicæ Aristoteles non ordinauit cognitionem omnium, quæ aguntur in Metaphysica ad solam cognitionem Dei,vt dicam assert.3. ergo solus Deus non est in Metaphysica adæquatum obiectum attributionis extrinsecum, ac ex intentione scientis.

22 Obiiciat verò quis, obiectum principale attributionis alicuius scientiæ est ille finis, ad cuius cognitionem tota illa scientia ordinatur,vt fatentur omnes; sed tota metaphysica ordinatur ad cognitionem Dei:ergo solus Deus est obiectum principale attributionis metaphysicæ,consequentia est euidens cum maiori. Minor autem probatur 1.ex D.Th.3.contra gent.c.25.n.6.vbi sic ait: *Ipsa prima Philosophia, scilicet, metaphysica tota ordinatur ad Dei cognitionem,sicut ad vltimum finem,vnde & scientia diuina nominatur.* Probatur 2.omnis nostra actio, ac cognitio ordinatur ad assequendum nostrum vltimum finem,ac beatitudinem naturalem;sed perfecta cognitio naturalis Dei est noster vltimus finis, & beatitudo naturalis, vt apud omnes est in confesso: ergo omnis nostra cognitio,ac proinde tota metaphysica ordinatur ad cognitionem Dei. Probatur 3. Metaphysica est naturalis Theologia,vt docet Arist.6. metaph.c.1.& lib.11. c.6. sed tota Theologia ordinatur ad cognitionem Dei, atque ideo Deus in omnium sententia est obiectum attributionis Theologiæ: ergo tota etiam Metaphysica ordinatur ad cognitionem Dei, atque ideo Deus erit obiectum attributionis metaphysicæ.

Respondeo, tripliciter posse in aliqua scientia cognitionem vnius rei ordinari ad cognitionem alterius.Primò,intrinsecè,& ex intentione scientiæ,ita vt cognitio huius rei natura sua referatur ad alterius cognitionẽ;& hoc modo omnis metaphysica cognitio non ordinatur ad cognitionẽ Dei,vt n.21.monstratũ est. Secundò,extrinsecè,& ex intẽtione sciẽtis formaliter,ita vt principale sciẽs,vt formaliter intẽdens acquirere talẽ sciẽtiam ordinet omnẽ suã cognitionẽ ad cognitionẽ cuiusdam præcipui obiecti; & hoc modo omnis cognitio metaphysica nõ ordinatur ad solã cognitionẽ Dei,nam Philosophus,vt intendens acquirere metaphysicã non ordinauit omnẽ eius cognitionẽ ad cognitionẽ solã Dei,vt ostendam assert.3. Tertiò, extrinsecè, & ex intentione scientis materialiter tantũ,ita,vt principalis sciens,non vt intendens formaliter acquirere talem scientiam,sed vt tendens formaliter acquirere aliam, ordinet cognitionem istius ad cognitionem alterius rei;& hoc modo omnis cognitio metaphysica ordinatur,ad solam cognitionem Dei,nam metaphysicę princeps Aristoteles,non quidem formaliter vt intendens metaphysicam,sed tantum materialiter id est,idem ipse vt Philosophus moralis,cuius finis, & scopus est nostra naturalis beatitudo, ordinauit extrinsecè omnem metaphysicam cognitionem ad solam cognitionem naturalem Dei;quæ est noster vltimus finis,ac naturalis beatitudo: inde verò solùm sequitur cognitionem Dei,vt est beatitudo nostra, esse obiectum attributionis saltem extrinsecum Philosophiæ moralis,non autem esse obiectum attributionis, nec intrinsecum, nec extrinsecum metaphysicæ, quia ad id necessarium erat,quod omnis metaphysica cognitio,vel ex intentione scientiæ,vel ex intentione sciẽtis, non materialiter,sed formaliter ad solam Dei cognitionem ordinaretur,quod in præsenti non datur,vt constat ex dictis:hinc ad obiectionem in forma negatur minor, scilicet,omnem cognitionem metaphysicæ ordinari ad cognitionem Dei. Ad primam & secundam eius probationem dico solum conuincere auctoritate,& ratione totam metaphysicam ordinari ad solam cognitionem Dei extrinsecè,& ex intentione scientis,non formaliter, sed materialiter,quod non sufficit,vt Deus sit obiectum attributionis intrinsecum,aut extrinsecum totale ipsius metaphysicæ.Ad tertiã minoris probationem dico,cum sacra Theologia includat omnem disciplinam supernaturalem moralem, quæ tota tendit ad Deum, Doctores sacros etiam formaliter,vt Theologos,& vt intendentes doctrinam Theologicam ordinasse omnem Theologiæ cognitionẽ ad solã cognitionẽ Dei,& ideo,solũ Deum esse obiectũ attributionis sacræ Theologiæ saltẽ ex intentione scientis;at verò cum metaphysica non includat moralem disciplinam naturalem,quæ tota tendit ad Deum, sed hoc pertineat ad Philosophiam moralem, Philosophi metaphysici, vt sic,formaliter, & vt ipsam metaphysicam intendentes non ordinarunt omnem 23

metaphysicam cognitionem ad solam cognitionem Dei, sed id tantum efficere vt Philosophi morales; ac proinde nec ex intentione scientis Deus est obiectum attributionis adæquatum ipsius metaphysicæ.

24 Assertio secũda sit. Substantia immaterialis completa, scilicet, diuina, & Angelica non est vlla ratione obiectum attributionis totale ipsius metaphysicæ. Ita auctores tertiæ sententiæ contra auctores secundæ. Probatur hæc assertio simili ratione cum illa, qua assertio 1. probata est; etenim cognitio entis vt sic non ordinatur natura sua ad cognitionem substantiæ completæ, sicut non ordinatur ad cognitionem Dei, vt ibi monstratum est; item cognitio accidentis, quatenus præcisè est quid indepẽdens à subiecto inhæsionis, abstrahendo ab eo, quod tale subiectũ sit substantiale, vel accidentale, hæc (inquam) cognitio metaphysica accidentis non ordinatur natura sua ad cognitionem substantiæ, nam etiamsi cognitio naturalis substantiæ foret impossibilis, non sequeretur fore impossibilem talem cognitionem accidentis, & licèt Angelus comprehenderet hanc accidentis cognitionem, ex vi talis comprehensionis non cognosceret necessariò cognitionem substantiæ vt suprà n. 21. in simili ostensum est; ac proinde substantia completa non est obiectum attributionis metaphysicæ ex intentione scientiæ; non etiam est obiectum attributionis illius ex intentione scientis, quia Philosophi communiter, aut Metaphysicæ Princeps Arist. non ordinauit omnem cognitionem metaphysicam ad cognitionem solius substantiæ completæ, vt tertia assertione palam faciam.

25 Obiiciat aliquis, obiectum attributionis alicuius scientiæ est id, ad cuius cognitionem cognitio reliquorum ordinatur; sed cognitio reliquorum, quæ agit Metaphysica, scilicet, cognitio entis vt sic, & cognitio accidentis ordinatur ad cognitionem substantiæ completæ: ergo substantia completa est obiectum attributionis metaphysicæ. Consequentia est euidens cum maiori. Minor verò probatur primò. Ex Arist. lib. 7. metaph. c. 1. vbi statuit solam substantiam esse ens simpliciter dicens, *quare quod primò est ens, & non aliquod ens, sed simpliciter ens, substãtia,* & post subdit; *quare nobis maximè, & primum, & solum (vt ita dicam) de ente hoc pacto (scilicet, de substantia) quidnam sit speculandum est:* ergo de sola substantia, tanquam de primo attributionis obiecto, differit metaphysica, & ad eius cognitionem omnis alia metaphysica cognitio iuxta Philosophum ordinatur. Probatur secundò, cognitio partis ordinatur ad cognitionem totius, & cognitio formæ ad cognitionem subiecti talis formæ, sed ens vt sic est pars metaphysica substantiæ completæ, quæ cum differentia perfectitatis ipsam substantiam constituit; & accidens est forma substantiæ: ergo cognitio entis vt sic & cognitio accidentis ordinatur ad cognitionem substantię. Probatur tertiò, omnis cognitio elicita ab habitu, qui versatur præcisè circa substantiam immaterialem completam, ordinatur ad cognitionem ipsius substantiæ immaterialis completæ; sed ab habitu circa substantiam immaterialem completam elicitur cognitio entis vt sic, quod est pars talis substantiæ, qui enim cognoscit totum, cognoscit partes illius: ergo cognitio entis vt sic ordinatur ad cognitionem substantiæ.

26 Respondeo, negando minorem, scilicet, cognitionem entis vt sic, & cognitionem accidentis ordinari ad cognitionem substantiæ. Ad primam minoris probationem dico, Aristotelem in eo loco fuisse loquutum per quandam exaggerationem substantiæ, & ideo addidisse illa verba; *vt ita dicam,* quibus indicat subiectum attributionis inadæquatum magis principale esse substantiam, aliud verò etiam inadæquatum attributionis esse accidens, & ens vt sic, vt clarius dixit lib. 4. c. 1. ac proinde non omnium cognitionem, quæ in metaphysica aguntur, ordinari ad cognitionem substantiæ. Ad secundam probationem dico, cognitionem partis, vt pars est, ordinari ad cognitionem totius; non verò cognitionem partis, vt totum est præcisum à relatione partis, vt explicui n. 11. & 12. & ideo cognitio metaphysica entis vt sic ordinatur ad cognitionem totius substantiæ: item cognitio formæ non ordinatur ad cognitionem subiecti, potest enim cognosci forma propter ipsam formam; & ex comprehensione cognitionis formæ, licèt cognoscatur subiectum, non tamen necessariò cognoscitur cognitio subiecti, quod necessarium erat, vt cognitio formæ natura sua ordinaretur ad cognitionem subiecti; atque ita nec cognitio accidentis ordinatur vllo modo ad cognitionem substantiæ. Ad tertiam probationem dico, ab habitu, qui versatur circa prædictam substantiam elici cognitionem entis vt sic, quatenus est pars talis substantiæ, & hanc cognitionem ordinari ad cognitionem illius substantiæ, non verò dici cognitionem entis, vt sic, quatenus est quoddam totum præcisum à relatione partis modo superius explicato, & hanc entis cognitionem non ordinari ad cognitionem substantiæ; ac proinde non omnis metaphysicæ cognitio ad substantiæ cognitionem ordinatur.

Assertio 3. sit. Ens reale vt præcisum, & vt contractũ ad omnia entia realia per se, tam creata, quam increata, & tam accidentalia, quam substantialia omnino materiæ expertia, est obiectum principale attributionis metaphysicæ non quidem intrinsecè, & ex intentione scientiæ, sed extrinsecè tantum, & ex intentione scientis. Hæc est sententia Arist. D. Thomæ, & aliorum, quos pro tertia sententia recensuimus, licèt ab illis non ita exactè explicetur. Ac primum, ens reale non esse obiectum attributionis metaphysicæ ex intentione ipsius scientiæ probatur eadem ratione, qua superius vsi sumus, etenim cognitio metaphysica entis per accidens non ordinatur natura sua ad cognitionem entis per se, nec cognitio entis rationis naturaliter ordinatur ad cognitionem entis realis; nam etsi Angelus comprehenderet cognitionem entis per accidens, ex vi talis comprehensionis præcisè non necessariò cognosceret cognitionem entis per se, & licèt comprehenderet cognitionem entis rationis, ex vi eius non cognosceret necessariò cognitionem entis realis, ac proinde ens reale per se non est attributionis obiectum omnis cognitionis metaphysicæ ex intentione scientiæ. Porrò autem esse eius obiectum attributionis ex intentione scientis sic ostendo; obiectum attributionis scientię extrinsecum, & ex intentione scientis est id, ad cuius cognitionem principale sciens, vel saltem multi, antiqui, ac prisci in illa scientia omnem aliam cognitionem ordinarunt, vt dixi n. 1. atqui Princeps metaph. Arist. omnium rerũ, quæ in metaph. pertractantur, cognitionem ordinauit ad cognitionem entis realis per se, & eius specierum immaterialium, vt ipse palam fatetur 4. metaph. c. 1. vbi de metaph. vt à se ordinata loquens, sic ait, *est quædam scientia quæ speculatur ens, prout ens est, & quæ ei per se insunt:* & hoc quidem adstruxere omnes Philosophi perantiqui, qui metaphysicã sũt professi, vt testatur Fonseca 4. metap. q. 1. c. 1. sect. 2. ergo ens reale vt præcisũ, & vt contractũ ad eius species immateriales est obiectũ attributionis metaph. ex intẽtione scientis. 27

Sed obseruare oportet, quod si cognitio omniũ, quæ agũtur in metaphysica natura sua respiceret, ac tẽderet ad cognitionem Dei, vel substantiæ cõpletæ, tunc quidem Deum, vel substantiam completam fore obiectum attributionis metaphysicæ intrinsecum, ac ex intẽtione ipsius scientiæ; at verò etiamsi cognitio omniũ, quæ in metaphysica aguntur, natura sua respiceret, ac tenderet ad cognitionem entis vt sic, adhuc ens, vt sic præcisum, non fore obiectum attributionis metaphysicæ intrinsecum, ac ex intentione ipsius scientiæ. Ratio est, quia obiectũ attributionis intrinsecum, ac ex intẽtione ipsius scientiæ est id, ad cuius cognitionem cognitio aliorum 28

aliorum omnium,quæ in illa scientia tractantur,natura sua,propriè,& strictè ordinatur; atqui si cognitio reliquorum,quæ aguntur in metaphysica,respiceret,ac tenderet ad cognitionem Dei, vel substantiæ completæ, vere cognitio illa ordinaretur ad istam: si verò cognitio aliorum omnium,quæ tractantur in metaphysica,natura sua respiceret, & tenderet ad cognitionem entis vt præcisè ab speciebus,adhuc cognitio illa non verè ordinaretur ad istam;ergo in tali casu Deus,aut substantia completa foret obiectum attributionis intrinsecum,ac ex intentione scientiæ ipsius metaphysicæ: secus verò ens ab speciebus præcisum. Minor probatur: vt vna res verè, & propriè ordinetur ad aliam,non sufficit, quod tendat ad illam,ac respiciat illam,sed insuper etiam requiritur,quod respiciat eam tanquam rem excellentiorem seipsa, vt ostendi n.20. sed cognitio Dei, aut substantiæ immaterialis completæ esset excellētior,ac perfectior quauis alia cognitione metaphysica,cum obiectum illius quouis alio perfectius sit;cognitio verò entis vt præcisi ab speciebus non esset excellentior, sed imperfectior cognitione aliā metaphysica, scilicet, cognitione substantiæ vel Dei, cum ens vt purè præcisum imperfectius sit substantia,aut Deo:ergo si cognitio reliquorum respiceret cognitionem Dei, aut substantiæ, verè illa cognitio ordinaretur ad istam;etsi verò cognitio reliquorum,quæ in metaphysica aguntur,respiceret cognitionem entis vt præcisi ab speciebus, adhuc cognitio illa omnium non ordinaretur propriè, & strictè ad eam cognitionem entis, vt sic, præcisi.

29 Hinc infero in demonstratione à posteriori conclusionem esse obiectum attributionis intrinsecū respectu præmissarum,secus verò in demonstratione à priori:nam licèt in vtraque præmissæ natura sua respiciant,ac tendant ad assensum conclusionis, quem inferunt, tamen in demonstratione à posteriori assensus conclusionis est perfectior assensu præmissarum, quia in conclusione cognoscitur essentia,quæ est nobilior,quam eius passio, aut effectus,qui per præmissas cognoscitur,atque in tali demonstratione assensus præmissarum verè ordinantur ad assensum conclusionis, & consequenter conclusio est obiectum intrinsecum attributionis respectu præmissarum: in demonstratione verò à priori assensus conclusionis est imperfectior assensibus præmissarum, quia in conclusione cognoscitur passio, quæ imperfectior est essentia,ac natura,quæ per præmissas cognoscitur, atque ita in tali demonstratione præmissæ verè, & propriè non ordinantur ad conclusionem, & ideo ipsa conclusio non est obiectum attributionis intrinsecum earum præmissarum.

CAPVT III.

Natura, perfectio, ac munus Metaphysicæ explanantur.

30 Disp.41. Logicæ occasione subalternationis scientiarum discussimus, qua ratione metaphysica ab aliis scientis dissideat propter diuersas abstractiones à materia sensibili singulari,à materia sensibili in cōmuni, & à materia sēsibili,& intelligibili,vt ibi videri possunt; nunc cætera munera metaphysicæ breuiter præcurro, igitur metaphysica est *vna scientia, atque sapientia dignissima,quæ ens immateriale vt præcisum,& vt contractum ad omnes res naturales, & spirituales completas speculatur*;hæc autem metaphysicæ definitio, vt possit exactè percipi, nonnullis assertionibus illustrabitur.

31 Assertio prima sit. Metaphysica est scientia, & vna,non vero simplex,sed composita ex pluribus habitibus particularibus. Ac primum,esse scientiam liquet ex eo,quod res per causas cognoscit,demonstrat enim de obiecto esse vnum, verum, & bonum, quia est ens; vbi causas non physicè, & naturaliter,sed intentionaliter saltem, ac per rationem intelligo, quod sufficit ad rationem scientiæ. Deinde esse vnam patet ex dictis,& in Logica disp.citata,c.2. Denique non esse simplicem qualitatem, sed compositam ex habitibus distinctis ex eo constat,quod potest quis habere habitū scientificum metaphysicæ circa ens vt præcisū,& nō habere habitum scientificum metaphysicæ circa Angelū,sed habere circa illum habitū erroneum,quo expellitur scientificus:ergo habitus scientificus circa ens præcisum, & habitus scientificus circa Angelum sunt mutuo separabiles, ac distincti inter se, atqui ex illis coalescit metaphysica: ergo metaphysica est composita ex habitibus distinctis. Vide quæ in simili diximus in Logica disp.2.cap.3.

Assertio secunda sit.Metaphysica non est practica,sed speculatiua simpliciter. Ita Arist.lib.1.metap.c.2. & lib.2.c.1. & lib.3.c.2. omnesque eius expositores, vt refert Suarez 1. metaph. disp.1. sect 5.n.2.Auersa q.1. metaph. sect.6. Hurt. disp.1.metaph.sect.9.Arriaga,& Carleton in prologo metaph. & communiter omnes tam antiqui,quam moderni. Probatur:scientia speculatiua est illa, quæ sistit in cōtemplatione sui obiecti;practica verò quæ non sistit, sed vlterius progreditur dirigendo ad operis effectionē,vt latè ostēdimus in Logica disp.2.c.2.sed metaphysica non progreditur dirigendo ad effectionem sui obiecti,sed tantum in contemplatione eius quiescit:ergo metaphysica non est practica,sed simpliciter speculatiua.Minor probatur:illa scientia non consistit in contemplatione obiecti,sed progreditur dirigēdo ad eius effectionē,quæ cognoscit tale obiectum vt factibile per se ab eo,in quo talis scientia existit,aliàs in eius cōtemplatione quiescit: atqui metaphysica non cognoscit suum obiectum vt factibile per se ab eo, in quo ipsa existit, etenim Deus,intelligentiæ, & ens vt sic,quæ sunt obiectum metaphysicæ,non sunt factbilia ab homine, in quo est metaphysica: ergo talis scientia non dirigit ad effectionem obiecti,sed in eius contemplatione quiescit. 32

Obiiciat aliquis, scientia illa, quæ cognoscit Deum esse amandum,vel timendum,est verè practica,cum hæ cognitiones ad Dei amorem, vel timorem per se concurrant,ac dirigant; sed metaphysica cognoscit Deum esse amandum,ac timēdum:ergo metaphysica est scientia practica. Minor probatur: scientia illa,quæ cognoscit de suo subiecto aliquod prædicatum, cognoscit etiam id,quod requiritur ad tale prædicatum, v.g.quia metaphysica cognoscit de Deo esse ens infinitum simpliciter, cognoscit etiam esse bonum, ac iustum, quod consequitur ad ens infinitum simpliciter; atqui metaphysica cognoscit de Deo esse bonū, & esse iustum,ad quod cōsequitur esse amandū,ac esse timendū:ergo metaphysica etiā cognoscit Deū esse amandū,ac timendū. Confirmatur;Metaphysica cum Theologia appelletur naturalis iuxta Arist.6.metap.c.1.ita se habet circa Deū ex principiis lumine naturæ notis,ac se habet Theologia sacra circa ipsum Deū ex principiis reuelatis;atqui Theologia sacra ex principiis reuelatis, quia cognoscit Deum esse bonum, & iustum, cognoscit Deum esse amandū,& timendū,ac ideo est practica:ergo metaphysica, seu Theologia naturalis ex principiis naturalibus, cum etiā cognoscat Deū esse bonū, & iustū,cognoscet etiam esse amandū, & timendum, & ideo erit practica. 33

Resp. scientiam,quæ cognoscit de suo subiecto aliquod prædicatū,cognoscere etiā quod cōsequitur ad illud in eo genere,in quo tale obiectū cognoscitur ab illa scientia,secus si cōsequatur in alio;Metaphysica autē cognoscit de Deo esse bonū,& iustū in genere speculabili; ad quod cōsequitur esse amandū, & timendū,non quidem in eodē genere speculabili;sicut ad esse ens infinitum simpliciter cōsequitur esse bonū,& iustū;sed cōsequitur in alio genere diuerso, sc.in genere practico;ac proinde metaphysica,quæ cognoscit Deū esse bonū,& iustum

iustum sub ratione speculabili, non cognoscit esse amãdum, ac timendum; sed hoc tantum spectat ad Philosophiam moralem; vnde metaphysica est solum speculatiua, & Philosophia moralis practica. Ad cõfirmationem dico, sacram Theologiam includere intra se formaliter doctrinam supernaturalem moralẽ, & ideo cognoscere etiam Deum esse amandum, & timendũ, ac proinde esse practicam; metaphysicam verò seu Theologiam naturalem non includere formaliter in seipsa doctrinam moralem naturalem, sed hæc attinet ad moralem Philosophiam reipsa à Metaphysica condistinctam; & ideo non cognoscere Deum esse amandum, ac timendum, & idcirco non esse practicam.

35 Verùm si aliquis inquirat, quare sacra Theologia includat in se doctrinã supernaturalem moralẽ, metaphysica verò, siue Theologia naturalis non claudat in se doctrinam moralem naturalem, sed hæc ad aliã scientiam attineat? Respõdeo, sacros Doctores institutores Theologiæ omnes habitus spirituales tendentes ad veritates, tum speculabiles, tũ morales ad Deũ attinẽtes ad vnum obiectũ attributionis, scilicet ad ipsum Deũ retulisse, & vnã sacrã Theologiã appellare, & ideo sacra Theologia includit in se non solùm doctrinã supernaturalẽ speculatiuam, sed etiã doctrinã supernaturalẽ moralẽ, Philosophos verò naturales inuẽtores Metaphysicę, ac Theologiæ naturalis, habitus naturales tendentes præcisè ad veritates speculabiles de Deo, & ente abstracto à materia ad vnũ attributionis obiectum, scilicet, ens ab omni materia abstractũ retulisse, & vnã metaphysicã, ac Theologiã naturalem nuncupasse, alios verò habitus circa veritates morales vocasse sciẽtiã diuersã, ac Philosophiam moralẽ; & ideo Metaphysica ac Theologia naturalis nõ includit doctrinã moralẽ naturalẽ, sed hæc ad moralem Philosophiã per se spectat. Fortasse diuersitatis est ratio, quod omnes illi habitus supernaturales circa veritates de Deo, tum speculabiles, tum morales nituntur saltem mediatè in eodem testimonio, & auctoritate Dei; & ideo sacri Doctores illos omnes in vnam sacram Theologiam extrinsecè coadunarunt; isti verò habitus naturales circa veritates speculabiles de Deo, & circa veritates morales nituntur sæpè in diuersis principiis naturalibus, & idcirco illos in diuersas scientias distribuerũt, vt prædiximus, sc. in Metaphysicã, & Philosophiã moralẽ.

36 Assertio 3. sit. Metaphysica est omnium scientiarum dignissima, ac excellentissima simpliciter, licèt secundũ quid superetur ab aliis. Ita Arist. & alij suprà pro secunda cõclusione enumerati, & latè Auersa suprà q. 1. sect. 5. & 6. Ac primum metaphysicã esse omniũ sciẽtiarum perfectissimã simpliciter sic ostendo; illa sciẽtia est simpliciter omniũ scientiarũ excellentissima, cuius aliqua cognitio excellit simpliciter omnes cognitiones aliarum scientiarũ naturaliũ; atqui metaphysicæ cognitio, quæ versatur circa Deum, aut intelligentias creatas propter excellentiam, ac dignitatem obiecti longè superat, & excellit simpliciter omnes cognitiones aliarum scientiarum naturalium, vt per se cõstat: ergo metaphysica simpliciter est omnium scientiarum excellentissima, & dignissima. Porrò Metaphysicam secundum quid ab aliis scientiis excedi, probatur sic. Illa scientia ab aliis superatur secundum quid, cuius aliqua cognitio est imperfectior cognitionibus aliarum scientiarum; atqui aliqua cognitio metaphysicę, scilicet, cognitio præcisiua entis vt sic, imperfectior est cognitione physica entis naturalis, vel cognitione Mathematica quãtitatis; cum ens naturale, & quantitas perfectiora sint, quam ens præcisum vt sic: ergo secundum quid metaphysica ab aliis scientis in perfectione separatur.

37 Assertio 4. sit. Metaphysica est certior simpliciter aliis scientis naturalibus, illisque euidentior essentialiter, non verò gradualiter; ac primum esse certiorem simpliciter sic ostendo. Illa scientia est simpliciter certior aliis, cuius præcipuũ obiectũ est magis infallibile, ac necessariũ, eiusque principia sunt magis independẽtia, atqui præcipuũ obiectũ metaphysicæ, scil. Deus est magis infallibile, ac necessariũ, quã alia obiecta creata aliarum scientiarũ, & principia metaphysicæ sunt magis independentia; quam aliarũ scientiarũ principia, hęc enim pendẽt ab illis, secus econtrà, vt postea dicã: ergo metaphyca est certior simpliciter aliis scientiis naturalibus. Deinde esse euidentiorem essentialiter. Sic probatur: illa scientia est euidentior essentialiter aliis scientiis, quæ habet euidentiam specie excellentiorem, quam illæ, sed Metaphysica cum sit scientia, habet in se euidentiam; & cum habeat obiectum excellentius, quam aliæ scientiæ, essentialiter, & specificè, habet etiam essentiam, ac euidentiam cum ipsa identificatam excellentiorem in specie, quam scientiæ illæ: ergo metaphysica est euidentior aliis scientiis. Porrò alias scientias esse euidentiores gradualiter ipsa metaphysica, sic monstratur. Maiori conatu, & intensione cognoscimus res à sensibus dependentes, illisque coniunctas, quam res, quæ à sensibus abstrahunt, sed obiecta aliarum scientiarum sunt coniuncta sensibus, cum à materia sensibili non præscindant; obiectum verò metaphysicæ est à sensibus abstractum, cum ab omni materia præscindat: ergo intensiori cognitione, & euidentia cognoscimus obiecta aliarum scientiarum, quam obiectum metaphysicæ: igitur aliæ scientiæ intensiuè & gradualiter euidentiores sunt ipsa metaphysica.

Sed iam munera metaphysicæ exponamus. Obseruo 38
primo, metaphysicam agere de omni re. Ita Arist. lib. 1. metaph. c. 1. & lib. 4. text. 1. & 2. & alibi, quia agit de ratione entis vt sic, & loco citato sic incipit, *est scientia quædam, quæ speculatur ens prout ens est, & quæ ei per se insunt*, & lib. 6. text. 4. de ente prout ens est, ac quid est, & quæ ei insunt, prout ens est, speculari huius est, vt latè Auersa suprà sect. 6. Suarez, Hurtado, & plures recentiores: sed ratio entis includitur in qualibet re: ergo metaphysica agit de omni re. Obseruo secundò, Metaphysicam agere de difficillimis, magis absconditis, & à sensu remotioribus; quia agit de Deo, de intelligẽtiis, & Angelis quæ maximè à sensu distant. Obseruo tertiò, Metaphysicã tractare de altissimis rerũ causis; quia agit de causis omnibus secũdum altissimas, ac supremas earum rationes ab omni materia abstractas, & etiam, quia differit de Deo, quæ est altissima causa prima omnium rerum. Obseruo quartò, Metaphysicã mõstrare obiecta aliarum scientiarum. Ita Comment. 3. de cælo comm. 4. quod non alia ratione est intelligendum, nisi quia metaphysica ostendit rationem entis illam diuidit in varios gradus, explicat quid sit essentia, quid distinctio, quid identitas, & quæ causæ omnium rerum, ac tradit ea, quæ sunt idem vni tertio, in creatis esse idem inter se illaque generalia principia, quibus aliæ scientiæ particulares magnoperè iuuantur, ac illustrantur, vt demonstrent propria obiecta. Obseruo quintò, Metaphysicam etiam confirmare, fulcire, ac roborare principia aliarum scientiarum. Ita Arist. aliique, quos citat, & sequitur P. Suarez disp. 1. metaph. sect. 4. n. 12. Auersa, & alij suprà, quia metaphysica tradit ea communissima principia, quodlibet est, vel non est, idem de eodem subiecto simul affirmari, & negari impossibile est, dici de omni, & dici de nullo, & alia huiusmodi, quæ dignitates vocantur, quibus intellectus per reductionem ad impossibile cuiusque scientiæ principia prima contra proteruum ostendat. Obseruo sextò, Metaphysicam esse aliis scientiis aptiorem ad docendum. Ita Arist. lib. 1. metaph. cap. 2. quia iuxta Aristot. ibi, illa scientia est aptior ad docendum, quæ magis in causarum cognitione versatur, quam aliæ scientiæ, cum differat de primis, & altissimis rerum causis, vt diximus obseruatione tertia, ergo Metaphysica est aptior ad docendum, quam aliæ scientiæ. Obseruo denique, esse omnium scientiarum naturalium maximè appetibilem. Ita Arist. lib. 1.

lib.1.metaph.cap.1.& 2.ratio autem est,quia Metaphysica inter omnes scientias est perfectio excellentissima intellectus, vt ostendi num.3. assert.3. quid mirum si ab ipso intellectu appetitu innato, & à voluntate appetitu elicito sit inter omnes scientias naturales maximè appetibilis.

39 Hinc infero,Metaphysicam esse verè sapientiam,non quidem vniuersaliter sumptã prout significat collectionem omniũ sciẽtiarũ,sicut iustitia collectionẽ omnium virtutũ,sed specialiter vt strictè acceptã.Ita Arist.1.metaph.c.1.& 2.& omnes sapientes cõmuniter,vt docent Suarez,Auersa, Hurtado, & alij permulti. Probatur:sapientia strictè accepta est sciẽtia illa quæ disserit de omnibus rebus, ac de difficilioribus,& magis remotis à sẽsibus, & de primis, ac altissimis rerũ causis, monstrat obiecta aliarum scientiarum, earumque principia roborat,& cõfirmat, est aptior ad docendum, & est maximè appetibilis; omnium scientiarum domina, ac excellentissima,vt docet Arist.1.metaph.c.2.atqui omnes istæ proprietates, ac excellentiæ conueniunt metaphysicæ, vt nuper ostendimus, & docet etiam Aristot. ibidem:ergo metaphysica est vera sapientia.

40 Verùm inquirat quis, an omnes scientiæ subalternentur metaphysicæ?Censeo cum omni schola illi non subalternari;quia vt vna scientia propriè,& strictè alteri subordinetur,requiritur,quod obiectũ sciẽtiæ subalternæ contrahat per differentiã aliquã accidentalem obiectum scientiæ subalternantis,vt latè in Logica ostendimus disp.42.c.1.& 2.& quod principia illius sint conclusiones demonstratæ per istam,principia quidem non quælibet,sed illa,quibus à priori suas veritates demonstrat,vt ostendimus etiam ibid.disp.41.sed obiecta aliarum scientiarum non contrahunt per differentias accidentales,sed per differentias essentiales obiectum metaphysicæ,etenim ens vt sic,quod est obiectum metaphysicæ essentialiter contrahitur per ens naturale,quod est obiectum Physicæ, & per ens quantum, quod Mathematica considerat, & etiam principia aliarum scientiarum,quibus ipsæ à priori proprias veritates demonstrant, non sunt conclusiones demonstratæ per metaphysicam,vt intuenti constabit: ergo reliquæ scientiæ propriè, & strictè non subalternantur metaphysicæ: at vero latè,ac fusè dici potest omnes alias scientias naturales ipsi metaphysicæ, subalternari, quamuis obiecta earum contineantur essentialiter sub metaphysicæ obiecto, & ab illa etiam accipiant quædam communia principia, quibus per reductionem ad impossibile,suas veritates conuincant, ratione cuius ipsa Metaphysica omnium scientiarum Domina, siue Princeps nominatur,quæ omnia disp.illa 42.in Logica per totam longè à nobis examinata sunt; & hæc de obiecto metaphysicæ sufficiant.

TRACTATVS PRIMVS.

De ente reali in communi, ac de primis eius diuisione.

POSTQVAM iam de natura Metaphysicæ disserui, nunc de eius subiecto disputationem instituo, vbi de formali ratione entis, de eius transcendentia, ac passionibus in communi, item de prima diuisione entis realis in increatum; & creatum, & de vtriusque existentia, eiusque attributis differendum est, quæ omnia sequentibus disputationibus explanabimus.

DISPVTATIO II.

De natura, & transcendentia entis, ac de eius attributis in communi.

TRIA capita continebit. In primo inquiro, in quo ratio entis realis formaliter sita sit? In secundo,an ens reale formaliter omnem rei formalitatem transcendat? In tertio, an, & quæ sint attributa entis realis in communi.

CAPVT I.

In quo ratio entis realis sita sit formaliter.

1 ENs dupliciter accipitur.Primò,vt participium verbi *sum*, quo pacto significat actum essendi,sicut existens, vt est participium verbi *existo*, significat actum existẽdi:Ens autem hoc modo acceptũ conuenit essentialiter soli Deo,qui actu est,necessariò,ac per essentiam, iuxta illud Exodi 14. *Ego sum,qui sum*,vt exponũt ferè omnes interpretes;non verò creaturæ,quæ tantum actu est contingenter. Secundò,sumitur ens,vt nomen,quo sensu significat habens entitatem, ens verò sic vsurpatum conuenit etiam essentialiter creaturæ,cum creatura quælibet essentialiter propriam essentiam habeat:omisso ergo ente participialiter sumpto, de illo accepto nominaliter disquirimus in præsenti, ac propriam eius rationem formalem inuestigamus.

ASSERTIO sit.Ens reale sumptum pro eo,quod habet realem essentiam,est id, quod non repugnat existere,vel (quod idem est)quod habet aptitudinem negatiuam,seu non repugnantiam ad existendum. Ita omnes Metaphysici communiter, Aristoteles 1. Physicorum text.13.& 16.4.metaph.text.2.5.metaph.cap.7.7.metaph.text.4. & alibi sæpè, D.Thomas de ente,& essentia,Dionysius cap.5. de diuinis nominibus, Plato in Parmenide, Auicenna, Alpharauius, & Algazel apud Albertum Magnum, Scotus in anteprædicamentis cap.4. quæst.1.ad 3. Caietanus de ente,& essentia c.4. comment.4. Suarez disp.2.metaph.sect.4.num.5.& 6. Fonseca 4. metaph. sect.4. Masius lib.1. de transcendentibus cap.3. & lib.2. cap.12. P. Hurtado disput.2. metaph. sect.1. Atriaga disp.1. metaph. sect.1. Carleton disput.1. metaph sect.1. Auersa tomo 1. metaph. quæst.3.sect.1. Probatur:ens reale vt sic formaliter est id, quod directè, ac per se opponitur enti rationis chimerico; sed id præcisè, quod non repugnat existere, opponitur directè, formaliter, ac per se primò enti rationis chimerico: ergo ens reale vt sic formaliter est id, quod non repugnat existere. Consequentia est euidens cum maiori. Minorem autem sic probo; ens rationis chimericum vt sic formaliter, ac per se secundo, repugnat à parte rei existere: ergo id, quod non repugnat existere formaliter, ac per se primo opponitur enti chimerico. 2

Hinc infero, ens reale vt sic duo includere, alterum 3

in recto, alterum in obliquo; in recto quidem includit id, quod fundat carentiam entis rationis chimerici; in obliquo vero ipsam negationem entis rationis chimerici. Probatur clarè ex dictis. Ens reale cum sit id, quod habet non repugnantiam ad existendum includit in recto id quod fundat negationem repugnantiæ, & in obliquo ipsam negationem repugnantiæ; atqui negatio repugnantiæ est formaliter negatio entis rationis chimerici, quia repugnantia formaliter est ens rationis chimericum: ergo ens reale includit in recto id, quod fundat negationem entis chimerici, & in obliquo ipsam negationem entis chimerici. Porro autem repugnantiam esse formaliter ens rationis chimericum, sic ostendo. repugnantia vt sic formaliter est id, quod formaliter per se ipsum repugnat existere: sed ens rationis per seipsum formaliter repugnat à parte rei existere, etenim esse non potest nisi obiectiuè in intellectu: ergo repugnantia formaliter est ens rationis.

4 Nonnulli tamen Neoterici censent, licet ens reale includat carentiam repugnantiæ, non includere veram aliquam negationem, sed solum quid positiuum, quia repugnantia ad existendum est ipsa negatio entis positiui, quæ per se ipsam repugnat realiter existere; carentia autem negationis entis positiui est ipsum ens positiuum, sicut carentia negationis, seu priuationis, cuius est ipsa lux; ac proinde carentia repugnantiæ ad existendum non est vera aliqua negatio, sed ipsum ens positiuum: Verum obseruare oportet duplicem esse repugnantiam ad existendum, aliam negatiuam & hæc est negatio entis positiui formaliter, quæ per seipsam formaliter repugnat realiter existere eiusque carentia est ipsum ens positiuum, vt argumentum conuincit; alteram esse repugnantiam positiuam, & hæc est formaliter ens rationis quod positiuè per se ipsum repugnat formaliter existere, eiusque carentia non est ens reale positiuum, sed negatio entis rationis chimerici; ens autem reale non explicatur per ordinem ad repugnantiam negatiuam, seu negationem sui ipsius; nam res non explicatur in ordine ad id, ad cuius explicationem, & cognitionem debet illa explicite præcognosci; ad cognitionem vero, ac explicationem negationis entis realis debet ipsum ens reale explicite præcognosci, cum negatio, aut priuatio formæ, non cognoscatur nisi per ipsam formam: ac proinde ens reale non explicatur per ordinem ad repugnantiã negatiuam, seu negationem ipsius entis realis: ergo solum ens reale explicatur per ordinem ad repugnantiam positiuam scilicet ad ens rationis chimericum, ac per carentiam illius, quæ non est quid positiuum, sed negatiuum: ergo ens reale includit in obliquo aliquid negatiuum.

5 Ex his colligo essentiam, ac naturam entis realis esse rationem illam, per quam formaliter ens est aptum, seu non repugnans existere. Ita authores supra citati n. 2. Probatur: essentia cuiusque rei est ratio illa, per quam res per se primo distinguitur ab omni alia, & est radix suarum passionum; sed ens reale per rationem illam, per quam est aptum, seu non repugnans existere opponitur, ac distinguitur per se primo ab omni alio, scilicet, ab ente chimerico, & est radix suarum passionum: ergo essentia, ac natura entis realis est ratio illa, per quam formaliter ens est non repugnans existere. Consequentia est euidens, maior probatur; quia essentia, ac natura rei est illa ratio per quam res ipsa per se primo est, atqui per eam rationem, per quam res per se primo distinguitur ab omni alia, & est radix suarum passionum, formaliter, ac per se primo est, nam per idem formalissimè res constituitur primo ac essentialiter in se ipsa, ac primo distinguitur ab omni alio, & est prima radix earum, quæ ei competunt per se secundo quæ sunt passiones ipsius: ergo essentia cuiusque rei est ratio illa, per quam res per se, primo distinguitur ab omni alio, & est radix suarum passionum: minor etiam primi syllogismi constat ex dictis supra n. 2. & ex dicendis inferiùs c. 3. Sed obserua rationem illam primam, quatenus rem constituit formaliter in suo esse, eamque distinguit ab aliis, vocari essentiam; quatenus verò est radix, ac principium suarum passionum, naturam appellari, vt constat ex Arist. 5. Metaph. c. 7. textu 5. & ibidem D. Thom. & de ente, & essentia c. 1. vt latè ostendit Auersa supra sect. 1.

CAPVT II.

An ens reale formaliter omnem rei formalitatem transcendat.

IN hac re duæ sunt extremæ sententiæ, prima est 6
rationem entis non transcendere ipsius proprietates, ac passiones, nec modos intrinsecos, quibus ens ad decem prædicamenta contrahitur, nec differentias vltimas rerum. Ita Scotus in 1. dist. 3. q. 3. & dist. 8. q. 2. & in 2. dist. 3. q. 6. Secunda sententia est rationem entis esse transcendentaliter imbibitam in omni modo, proprietate, differentia, ac formalitate positiua cuiuscumque rei. Ita Arist. 8. Metaph. text. 16. & 10. Metaph. textu 8. D. Thomas, 1. p. q. 13. art. 5. & alibi, Aureolus in 1. dist. 19. art. 2. Cai. de ente, & essentia, c. 1. quæst. 2. Ferrara. 1. contra gentes, cap. 14. Herueus quodlibet. 2. q. 7. Soncinas, 4. metaph. q. 2. & 3. Flandria eadem libro q. 2. art. 3. Hispalensis in 1. dist. 3. q. 1. Fonseca, 4. metaph. c. 2. q. 2. Alensis 10. metaph. textu 8. Alexander Philosoph. 1. priorum, c. 28. Hurtado disp. 7. metaph. per totam, Auersa, supra. q. 3. sect. 6. Suarez disp. 2. metaph. sect. 5. n. 16. citatis multis, Arriaga disput. 1. metaph. sect. 3. n. 51. Carleton disp. 3. metaph. sect. 1. quibus omnes ferè Recentiores acquiescunt.

Suppono primo ens à parte rei ante operationem 7
intellectus non esse formaliter rationem transcendentem; quia ad hoc, vt ratio aliqua sit transcendens requiritur, quod sit formaliter vna ratio, & imbibita in differentiis omnium rerum, sed ens à parte rei non est formaliter vna ratio imbibita in differentiis omnium rerum, nam ratio entis, quæ est in Paulo distincta est reipsa à ratione entis quæ est in Petro, & sic de aliis: ergo à parte rei non est ratio transcendens formaliter: Vnde quæstio solum procedit, an cum fundamento in re sit formaliter transcendens per opus in intellectus. Suppono secundo, rationem aliquam esse formaliter transcendentem per intellectum nihil esse aliud, quam quod licet talis ratio possit aliqua ratione præscindi à differentiis, ac formalitatibus rerum, ipsæ vero differẽtiæ ac formalitates reales non possint præscindi ab illa; vnde in sententia communi, quæ admittit præcisiones obiectiuas ratio transcendens erit illa, à qua non potest vlla differentia, aut formalitas ex parte obiecti præscindi, licet talis ratio possit obiectiuè præscindi ab ipsa; in sententia vero eorum, qui tantum concedunt præcisiones formales, non obiectiuas, ratio transcendens erit illa, quæ licet possit formaliter ex parte modi concipiendi abstrahi à differentia aut formalitate positiua cuiusque rei, tamen formalitas, ac differẽtia rei, nõ possit etiam formaliter ab illa præscindi, sin minus non erit ratio transcendens. Iuxta has ergo diuersas sententias diuersum de quæstione iudicium ferendum est, vt ex dicendis constabit.

ASSERTIO prima sit. In sententia communi ad- 8
mittente præcisiones obiectiuas, ratio entis est formaliter transcendens omnem differentiam, ac formalitatem positiuam cuiusque rei. Ita Authores secundæ sententiæ contra Scotum pro prima sententia adductum. Probatur, illa est ratio formalis transcendens supposita illa sententia communi, à qua differentia, ac formalitas cuiusque rei, non

non poteſt ex parte obiecti præſcindi, vt dixi numero ſeptimo, ſed nulla differentia, ac formalitas rei, poteſt obiectiuè præſcindi à ratione entis, cum omnis rei differentia, vt formaliter concepta ex parte obiecti ſit ens: ergo ſuppoſita ea ſententia ratio entis eſt formaliter tranſcendens omnem rei formalitatem, ac differentiam. Minor autem, ſcilicet, omnem differentiam, vt formaliter conceptam ex parte obiecti eſſe formaliter ens, ac proinde non præſcindi obiectiuè à ratione entis, ſic monſtratur: differentia, v.g. rationalitas, vt formaliter concepta per conceptum præciſiuum, vel eſt, vel non eſt ex parte obiecti formaliter; ſed non poteſt dici, quod non eſt: ergo talis differentia, ſcilicet, rationalitas ex parte obiecti formaliter verè eſt: ergo talis rationalitas vt concepta formaliter ex parte obiecti eſt ens. Maior, ſcilicet, quod rationalitas vt concepta formaliter ex parte obiecti eſt, vel non eſt, eſt euidens, iuxta principium illud lumine naturæ notum, quodlibet eſt, vel non eſt. Minor etiam, ſcilicet, quod non poteſt dici rationalitatem illam, vt conceptam formaliter ex parte obiecti non eſſe, patet apertè; quia rationalitatem non eſſe ex parte obiecti, idem eſt, ac ex parte obiecti eſſe nihil, ac proinde nec dici poteſt rationalitatem illam ex parte obiecti non eſſe. Prima conſequentia, ſcilicet, inde inferri, quod rationalitas vt concepta formaliter ex parte obiecti verè eſt, ex ſe liquet; nam ſi rationalitas ex parte obiecti habet vnũ ex contradictoriis, ſcilicet, eſſe, vel non eſſe, & non poteſt dici non eſſe, euidenter infertur, quod talis rationalitas ex parte obiecti verè eſt. Secunda conſequentia, ſcilicet, quod ſit ens, clarè monſtratur, quia ſicut idem eſt formaliter, res viuit, ac res eſt viuens, ita idem eſt formaliter res eſt, ac res eſt ens: ergo ſi rationalitas, vt ſic concepta ex parte obiecti formaliter verè eſt, etiam ex parte obiecti formaliter verè eſt ens.

9 Confirmatur: non poſſunt duo extrema eſſentialiter, ac realiter differre, niſi habeant eſſentias reales; ſed rationalitas vt ſic formaliter concepta, & hinnibilitas vt ſic formaliter concepta ex parte obiecti differunt eſſentialiter: ergo tales differentiæ vt ſic formaliter, ac præciſiuè conceptæ ex parte obiecti habent eſſentias reales; ſed eſſentia realis vt ſic formaliter eſt ens, cum vt ſic formaliter ex parte obiecti habeat non repugnantiam ad exiſtendum, quod eſt propria ratio entis iuxta dicta c. 1. ergo quæuis differentia ex illis vt formaliter concepta ex parte obiecti eſt vere ens; ac proinde non præſcindit obiectiuè ab ente, & ens formaliter tranſcendit illam.

10 Vrgetur. Ens reale formaliſſimè eſt id, quod non habet repugnantiam ad exiſtendum, vt monſtratum eſt cap. 1. ſed quæuis differentia, aut formalitas poſitiua, v.g. rationalitas, vt formaliter concepta ex parte obiecti non habet repugnantiam ad exiſtendum: ergo vt concepta formaliter ex parte obiecti eſt ens: igitur ens tranſcendit formaliter omnem differentiam. Minor probatur, illa præcisè res habet non repugnantiam ad exiſtendum, quæ inuoluit duo prædicata contradictoria, vt *homo irrationalis*, *equus rationalis*, & ſimilia: ſed differentia præciſiua cuiuſque rei, v.g. rationalitas vt ſic formaliter concepta non inuoluit ex parte obiecti duo prædicata contradictoria: ergo ex parte obiecti non habet repugnantiam ad exiſtendum.

11 Obiiciat aliquis primò, ratio entis præciſa contrahitur per differentias reales, v.g. ſubſtantiæ, & ad rationem accidentis; ſed ſi ratio entis tranſcenderet formaliter ipſas differentias, non poſſet contrahi per illas, quia non poteſt ens contrahi per aliquid, quod ſit ipſum ens, alias contraheretur per ſeipſum; quod repugnat: ergo ratio entis non tranſcendit formaliter differentias. Reſpondeo, eatenus rationem aliquam communem poſſe contrahi per rationem aliquam differentialem, quatenus ab illa diſtinguitur; ratio autem entis diſtinguitur per rationem præciſiuam à differentia, v.g. ſubſtantiæ, non quidem adæquatè, ſed tantum inadæquatè, quia licèt ratio entis præſcindatur à differentia ſubſtantiæ, tamen hæc differentia præſcindi non poteſt à ratione entis iuxta dicta in Logica diſputatione 17. cap. 3. & diſput. 18. cap. 2. atque ita ratio entis, licèt non adæquatè, ſaltem inadæquatè contrahitur per differentias ſecundum explicitum, & implicitum, nec inde ſequitur ens contrahi per ſeipſum, quia ſicut ens contrahitur inadæquatè per differentiam, hæc etiam inadæquatè diſtinguitur ab illo.

Obiiciat ſecundò, compoſitum metaphyſicum imi- 12
tatur compoſitum phyſicum; ſed compoſitum phyſicum, v. g. homo reſoluitur in duo extrema, quorum vnum excludit phyſicè omnino aliud: ergo compoſitum metaphyſicum, v.g. ſubſtantia conſtans ex ratione entis, & ex differentia perfectatis reſoluitur in duo extrema, quorum vnum excludat metaphyſicè omnino aliud, ac proinde nec differentia ſubſtantiæ includitur formaliter in ratione entis, nec ratio entis erit incluſa tranſcendentaliter in differentia ſubſtantię. Reſpondeo, compoſitum metaphyſicum ex genere, & differentia imitari compoſitum phyſicum ex materia, & forma; & ideo ſicut materia excludit phyſicè formam, & forma materiam, ita genus excludit metaphyſicè differentiam, & differentia genus; compoſitum verò metaphyſicum ex ratione entis, & differentia ſubſtantiæ non imitari compoſitum phyſicum, quia hoc eſt compoſitum formaliter adæquatè, & ideo reſoluitur in partes ſe adæquatè excludentes mutuo; illud verò eſt compoſitum tantum inadæquatè, & ideo ſolum reſoluitur in partes ſe excludentes non mutuo, & adæquatè, ſed tantùm inadæquatè, ſcilicet, in rationem entis, quæ excludit differentiam ſubſtantiæ, & in differentiam ſubſtantiæ, quæ includit rationem entis.

Obiiciat tertiò, differentiæ vt ſic formaliter ſunt 13
rationes illæ, in quibus res differunt; ſed res non differunt, ſed potius conueniunt in ratione entis: ergo ratio entis non conſtituit formaliter differentias, nec includitur formaliter in illis. Confirmatur, hæ differentiæ, ſcilicet, Petreitas, & Pauleitas ſunt differentiæ vltimæ, ſed ſi includerẽt formaliter rationem entis, non eſſent differentiæ vltimæ, nam conuenirent in ratione entis, ac proinde per illas vlteriores differentias differrent, nam ea, quæ in aliqua ratione conueniunt, per alias vlteriotis differentias differunt: ergo differentiæ non includunt formaliter, & tranſcendentaliter rationem entis. Reſpondeo, differentias eſſe rationes illas, in quibus res differunt, non omnino, & adæquatè, ſed cum aliqua conuenientia tranſcendentali, aliàs non eſſent differentiæ reales, nec per illas differrent realiter, vnde ratio entis, in qua tales differentiæ tranſcendentaliter conueniunt, illas inadæquatè conſtituit. Ad confirmationem Reſpondeo, res, quæ conueniunt in aliqua ratione non tranſcendentali, differre per alias vlteriores differentias, ab ipſis ſaltem inadæquatè diſtinctas, quia cum ratio illa conuenientiæ non tranſcendat ipſas differentias, ſequitur, quod tales differentiæ inadæquatè diſſideant à rebus illis, quæ etiam rationem illam conuenientiæ in ſe formaliter includunt; res verò, quæ conueniunt in aliqua ratione tranſcendentali, non differre per vlteriores differentias ab ipſis aliquo modo diſtinctas, ſed formaliter per ſe ipſas, nam cum ratio illa conuenientiæ tranſcendat formaliter differentias, ſequitur, quod differentiæ includant formaliter totum id, quod includunt res ipſæ; ac proinde non diſtinguuntur differentiæ à rebus illis, quæ differunt per ſe ipſas; cum verò differentiæ vltimæ, v. g. Petreitas, & Pauleitas conueniant in ratione entis, tanquam in ratione aliqua tranſcendentali, non differunt per alias vlteriores differentias diſtinctas

aliquo modo ab ipsa Petreitate, & Pauleitate sed differunt formaliter per se ipsas, ita tamen vt Petrus, & Paulus differant per illas vt quod, & ipsæ per se ipsas differunt vt quo; atque ita vere dantur differentiæ vltimæ, licet ratio entis transcendat formaliter illas; hæc, quæ diximus in hac assertione de ratione entis, æque intelligenda sunt de aliis transcendentibus, quæ communiter numerantur, scilicet res, verum bonum, aliquid vnum.

14 ASSERTIO secunda sit. Supposita sententia illorum, qui obiectiuas præcisiones inficiantur, & solum formales admittunt, ratio entis non est formaliter transcendens omnem formalitatem, ac differentiam. Ita Scotus potest intelligi contra Recentiores nonnullos, qui præcisiones obiectiuas diffitentes, adhuc docent rationem entis esse transcendentem omnem formalitatem rei, qui quidem parum consequenter procedunt, vt ex dicendis constabit; pro ea tamen stant omnes negantes præcisiones. Probatur. Supposita illa sententia, illa præcisè ratio est transcendens formaliter differentias, à qua differentiæ formaliter, & ex modo concipiendi præscindi nequeunt; sed differentiæ, v.g. rationalitas, formaliter, & ex modo concipiendi possunt præscindi à ratione entis: ergo supposita illa sententia ratio entis non est formaliter transcendens differentias. Consequentia est euidens, maior patet ex dictis num 7 minorem autem sic probo. Præscindi solum formaliter, & ex modo concipiendi vnam formalitatem ab alia nihil est aliud, quam propter aliquam cognitionem, licet illa attingat vtramque formalitatem in recto, cognoscatur tamen tota illa entitas in ordine ad aliquod connotatum proprium vnius formalitatis, & non in ordine ad alterum connotatum proprium alterius formalitatis, v. g. per eam cognitionem, qua cognoscitur tota entitas, ac formalitas solis scilicet, illuminatiua, & calefactiua præcisè in recto, ita tamen, vt cognoscatur tota illa entitas in ordine ad lumen, & non in ordine ad calorem, dicitur iuxta prædictam sententiam præscindi in sole formaliter, & ex modo concipiendi illuminatiuum à calefactiuo; quia tota illa entitas, ac formalitas cognoscitur in ordine ad lumen, quod est connotatum proprium solis, vt illuminatiui, & non cognoscitur in ordine ad calorem, quia est connotatum proprium solis, vt calefactiui; atqui formalitas rationalitatis, & formalitas, seu ratio entis possunt per aliquem actum ita cognosci ex parte obiecti in recto, vt tota illa entitas concipiatur in ordine ad connotatum proprium formalitatis rationalitatis, & non in ordine ad connotatum proprium formalitatis, ac rationis entis: ergo potest præscindi formaliter, & ex modo concipiendi formalitas, ac differentia rationalitatis à formalitate, seu ratione entis. Minorem ostendo. Connotatum proprium irrationalitatis est ratiocinatio; connotatum vero proprium formalitatis, ac rationis entis realis est negatio entis rationis chimerici, vt ostendi numer. 3. sed potest quis concipere totam entitatem, ac formalitatem rationalitatis in recto in ordine ad ratiocinationem, & non in ordine ad negationem entis chimerici; sed esse immemor talis negationis entis rationis, vt docet experientia: ergo tota illa entitas, ac formalitas in recto potest cognosci in ordine ad connotatum proprium formalitatis rationalitatis, & non in ordine ad connotatum proprium formalitatis, aut rationis entis. Confirmatur: ideo potest præscindi formaliter, & ex modo concipiēdi animalitas in homine ab eius rationalitate, quia vtraq; formalitas, ac tota entitas hominis in recto potest cognosci in ordine ad sensationem, quæ est connotatum proprium animalitatis, & non in ordine ad ratiocinationē, quæ est connotatum propriū rationalitatis; sed similiter vtraq; formalitas entis scilicet, & rationalitatis, ac tota entitas in recto potest cōcipi in ordine ad ratiocinationē, quæ est connotatum proprium rationalitatis, & in ordine ad carentiam entis rationis chimerici, quæ est connotatum proprium rationis entis, vt iam ostendi: ergo potest etiam præscindi formaliter, & ex modo concipiendi rationalitas à ratione entis. Hoc argumento conuincitur cæteras etiam rationes, quæ transcendentes communiter appellantur scilicet rem, verum, bonum, aliquid, vnum, non esse verè transcendentes, vt constat ex dictis.

15 Obiiciat aliquis primò, quæuis differentia, v.g. rationalitas vt concepta formaliter, & ex modo concipiendi est ens: ergo ens ex modo concipiendi formaliter est ratio transcendens omnes differentias. Consequentia est euidens, antecedens sic ostenditur, rationalitas vt formaliter concepta vel est, vel non est, iuxta principium illud lumine naturæ conspicuum, *quodlibet est, vel non est*; sed non potest dici, quod rationalitas illa vt formaliter concepta non est, aliàs vt concepta formaliter esset nihil, quia quod non est nihil est: ergo rationalitas *vt concepta formaliter verè est*: ergo vt concepta formaliter est ens, quia non est verè, quod non est ens. Respondeo, differentiam, v.g. rationalitatem vt conceptam formaliter ex parte obiecti verè esse, ac proinde ex parte obiecti esse formaliter ens, quia formalitas entis, & formalitas rationalitatis in recto ex parte obiecti sunt idem formaliter, ipsam vero rationalitatem vt præcisè conceptam in ordine ad ratiocinationem formaliter, & ex modo concipiendi nec verè esse, quia non concipitur in ordine ad carentiam entis rationis chimerici, ac proinde vt sic formaliter præciſiuè non esse ens; nec vere non esse, quia non concipitur per modum negationis, & carentiæ entis realis, ac proinde vt sic formaliter non esse nihil, sed esse tantum rationalitatem præcisam formaliter, & ex modo concipiendi à ratione entis, & à negatione entis, atque ita ens non transcendit formaliter illam.

16 Obiiciat secundo id, quod distinguitur essentialiter, ac realiter ab alio, habet essentiam realem; sed differentia, v. g. rationalitas vt sic formaliter concepta distinguitur essentialiter, ac realiter ab hinnibilitate: ergo rationalitas vt sic formaliter concepta habet essentiam realem, ac proinde ratio entis realis erit formaliter transcendens ipsam rationalitatem. Respondeo, rationalitatem vt sic fotmaliter conceptam in ordine ad ratiocinationem præcisè ex parte obiecti habere essentiam, ac entitatem realem: ex parte vero modi concipiendi distingui essentialiter, non vero realiter ab illa; quia cum non concipiatur in ordine ad carentiam entis rationis chimerici, quæ est connotatum proprium formalitatis, ac rationis entis realis, non est ex parte modi concipiendi formaliter entitas realis, nec negatio illius, sed essentia quædam rationalitatis præcisa formaliter à ratione, & negatione entis realis; ac proinde rationalitas vt sic concepta ex parte modi nō distinguitur realiter ab hinnibilitate, nec ratio entis includitur formaliter in illa. Fateor rationem entis includi formaliter in rationalitate, quatenus hæc est formalitas realis, quia effectus formalis rationis entis est reddere illam realem, sicut etiam ratio animalis includitur formaliter in rationalitate, quatenus est formalitas animalis, quia effectus formalis animalitatis est reddere illam animalem; at sicut hoc non sufficit vt sit simpliciter ratio transcendens rationalitatis, ita nō sufficit vt sit transcendens simpliciter ratio sit entis.

17 Obiiciat tertiò, differentia v. g. rationalitas vt sic formaliter concepta non repugnat existere, cum vt sic formaliter non includat duo prædicta contradictoria; sed id, quod non repugnat existere, est vere ens, vt ostendi cap. 1. ergo differentia, scilicet rationalitas vt sic formaliter concepta est vere ens, ac proinde ratio entis

entis tranſcendit formaliter quamlibet differentiam. Reſpondeo, eodem modo rationalitatem conceptam præcisè in ordine ad ratiocinationem ex parte obiecti formaliter non repugnare exiſtere,& ideo ex parte obiecti eſſe formaliter ens;ex parte veromodi concipiendi,nec repugnare exiſtere,vt facta obiectio conuincit, necnon repugnare formaliter, quia non concipitur in obliquo carentia entis repugnantis, ſcilicet, entis rationis chimerici, quæ neceſſario deberet concipi, vt rationalitas formaliter concepta eſſet eſſe ex modo concipiendi non repugnans ad exiſtendum, vt cap. 1. docuimus, ac proinde illam rationalitatem etiam ex modo concipiendi formaliter non eſſe ens, nec rationem entis tranſcendere formaliter illam.

18 Ex dictis colligo iuxta dicta in logica diſp. 17. c. 3. & diſp. 18. cap. 18. c. 2. ſuppoſita ſententia communi, quæ admittit in cunctis rebus præciſiones obiectiuas, rationem entis conſideratam in ordine ad duos conceptus, ſcilicet, præciſiuum, & differentialem eſſe ſtrictè, & ſpecialiter analogam; quia talis ratio entis, vt eſt in conceptu præciſiuo eſt vna & eadem, cum præſcindat à differentiis; ipſa vero in conceptu differentiali eſt formaliter diuerſa, quia cum tranſcēdentaliter includatur in quauis differētia vt ſic formaliter cōcepta,eſt ratio differendi & conſequēter aliquomodo diuerſa,ac proinde in vtroque cōceptu eſt ratio illa partim eadem,partim diuerſa,quod tantum ad rationē Analogā deſideratur. Suppoſita vero ſententia illorū, qui negant præciſiones obiectiuas, & ſolas formales admittunt, rationem entis etiam conſideratam in ordine ad vtrumque conceptum, præciſiuum, ſcilicet & differentialem eſſe omnino vniuocam & nullo modo analogam, quia in conceptu præciſiuo eſt omnino vna,& eadem,cum à differentiis ſit præciſa; in conceptu vero differentiali non eſt differens, nec diuerſa, cum ibi talis ratio entis ex modo concipiendi formaliter non includatur, nec ttanſcendat differentias; ac proinde in vtroque conceptu talis ratio eſt eadem, & non diuerſa, quod tantum ad vniuocationem exigitur, vnde cum in dicta diſp. 17. logicæ,c. 3.& diſp. 18. c. 2. ſuppoſuerimus diſputationis gratia præciſiones obiectiuas, ideo ibidem, c. 5. intulimus rationem entis ſpectatam in ordine ad vtrumque conceptum,præciſiuum,ſcilicet, & differentialem eſſe vere, ac ſtrictè Analogam ratione tranſcendentiæ ob rationem dictā; at vero cum abſolutè, ſimpliciter eam teneamus ſententiam, quæ implicare aſſerit præciſiones obiectiuas, & ſolum admittit formales iuxta dicta in logica diſp. 6. per totam,& diſputat. 14. de anima, c. 2. & 3. ideo abſolutè, & ſimpliciter tenendum eſt rationem entis etiam comparatam ad conceptum præciſiuum, & differentialem nulla ratione eſſe analogam,ſed vniuocam ſolum vt conſtat ex dictis.

CAPVT III.

An & quæ ſint attributa entis realis in communi.

19 IN hac controuerſia tres ſententias adinuenio. Prima eſt ens vt ſic habere proprias paſſiones ab illo ex natura rei diſtinctas, in quibus ipſum ens formaliter non clauditur. Ita Scotus in 1. diſt. 3. quæſt. 3. diſt. 8. quæſt 2 & in 2. diſt. 3. q. 3. & 6. Antonius Andreas, & Antonius Trombita, 4. metaph. & alij Scotiſtæ. Secunda ſententia eſt ens vt ſic habere paſſiones reales à ſe diſtinctas à parte rei, vt aſſerit Scotus, in ipſis tamen ipſum ens tranſcendentaliter claudi. Ita Maſius lib. 2. de tranſc. à cap. 13. Soto in Logica; quæſt. 2. de proprio ad ſecundum,acquieſcit Hurtado diſp. 3. metaph. ſect. 1.& 2. Tertia ſententia eſt paſſiones entis non addere aliquid poſitiuum ſupra ipſum ens, ſed tantum negationem aliquam, vel relationem rationis. Ita D. Thomas 1. part. quæſt. 6. art. 3. ad primum Caiet. quæſt. 11. art. 1. ad ſecundum Scoti Fonſeca, 4. metaph. cap. 2. quæſt. 5. ſect. 5. Ariſt. 7. metaph. c. 5. & 6. Suarez diſp. 3. metaph. ſect. 1. Auerſa, 1. metaph. qu. 4. ſect. 2. Carleton diſp. 1. Metaph. ſect. 1. Arriaga diſp. 1. metaph. ſect. 2. & plures alij.

Suppono paſſionem,proprietatem, & attributum rei eſſe formaliter id,quod per ſe conſequitur ad eſſentiam, ac primum conceptum talis rei, etenim paſſio eſt id, quod conuenit rei per ſe ſecundò, vt differat ab eſſentia, quæ conuenit per ſe primo ipſi rei; ſed conuenire rei per ſe ſecundo, eſt per ſe conſequi ad eſſentiam, ac primum conceptum rei, vt per ſe conſtat: ergo paſſio, aut proprietas eſt id, quod per ſe conſequitur ad eſſentiam, ac primum conceptum rei. Hæc autem paſſio eſt duplex, alia phyſica quæ reuera conſequitur ad eſſentiam phyſicam rei, & phyſicè à parte rei diſtinguitur ab illa, vt iuxta opinionem communem intellectus reſpectu Angeli: Alia metaphyſica, quæ tantum per rationem conſequitur ad eſſentiam metaphyſicam talis rei,& ſola etiā ratione diſtinguitur ab illa, vt miſericordia, aut iuſtitia reſpectu Dei, quæ quidem proprietas nomine attributi effertur. Item paſſio metaphyſica eſt in duplici differentia, alia eſt per rationem obiectiuè,quæ eſt formalitas quædam ex parte obiecti diſtincta formaliter, & in recto ab eſſentia,& etiam ex parte obiecti conſequitur per ſe ad illam, vt Paternitas reſpectu eſſentiæ diuinæ; alia eſt proprietas per rationem ſolum formaliter, & ex modo concipiendi, quæ non eſt noua formalitas ex parte obiecti diſtincta ab eſſentia diuerſo modo concepta in ordine ad nouum aliquod connotatum,vt immenſitas reſpectu eſſentiæ Dei, quæ eſt ipſamet eſſentia neceſſario exiſtens concepta in ordine ad locum extrinſecum. 20

Aſſero primo: ens vt ſic habet aliquas paſſiones veras in communi. Ita Ariſt. D. Thomas, Suar. Maſius, Caietan. Auerſa, Caleton, Arriaga, & communiter omnes, & Ariſt. 4. metaph. in principio clarè demonſtrat dicens, *eſt ſcientia quædam, quæ ſpeculatur ens pro vt ens eſt,& quæ ei per ſe inſunt*; ſed paſſiones inſunt per ſe ſecundo enti: ergo ens habet proprias paſſiones. Probatur à priori, paſſio eſt id, quod non eſt primus conceptus rei, nec illi conuenit per ſe primo, ſed rei, & per ſe ſecundo conuenit tali rei, vt nuper adtantum per ſe conſequitur ad primum conceptum notauimus; ſed aliqua ſunt prædicata vera, & non ficta, quæ per ſe conſequuntur ad primum conceptum entis,& per ſe ſecundo conueniūt ipſi enti, vt oſtendam aſſert. 4. ergo aliquæ dantur veræ & non fictæ paſſiones entis. Probatur à poſteriori. Omnis ſcientia à priori demonſtrat de ſuo obiecto verè aliquas paſſiones, quia demonſtratio à priori eſt paſſionis de eſſentia; ſed Metaphyſica habens pro ſubiecto proprio ens in communi, eſt ſcientia excellentiſſima à priori: ergo metaphyſica demonſtrat verè de ente in communi aliquas paſſiones: ergo ens in communi habet veras paſſiones,non fictas. 21

Aſſero ſecundò, ens vt ſic non habet paſſiones reales ab illo ex natura rei diſtinctas. Ita Ariſt. D. Thom. & authores relati pro tertia ſententia num. 19.& Suar. ſupra n. 8. contra Patronos primæ,& ſecundæ ſententiæ. Probatur. Si ens vt ſic haberet paſſiones reales ab ipſo ex natura rei diſtinctas, quæcumque entitas in particulari haberet dictas paſſiones diſtinctas realiter à ſeipſa; ſed quæcumque entitas in particulari non habet paſſiones à ſe reipſa diſtinctas: ergo ens vt ſic nō habet reales paſſiones à ſe ex natura rei diſtinctas. Minor probatur primo,ſi quæcumque entitas haberet paſſiones reales diſtinctas à parte rei à ſeipſa, etiam 22

quæuis

quæuis eius passio haberet aliam passionem à se distinctam, & ista haberet aliam, & illa aliam, & sic in infinitum, quod est absurdum: ergo quæcumque entitas non habet passiones reales distinctas à parte rei à se ipsa. Probatur secundò, eadem minor. Deus est aliqua entitas particularis contenta sub ente vt sic, & tamen non habet passiones distinctas ex natura rei à se ipso, aliàs esset in Deo vera, ac realis compositio, quod repugnat: ergo quæcumque entitas particularis non habet passiones distinctas ex natura rei à seipsa. Maior autem primi syllogismi patet, quia quod conuenit rationi communi, conuenit etiam omni rationi particulari; contentæ sub illa, iuxta principium illud notissimum, *dici de omni, & dici de nullo*; sed quæcumque entitas particularis continetur sub ente vt sic; ergo si enti vt sic conueniret habere passiones à se distinctas reipsa, etiam conueniret cuicumque entitati particulari.

23 Assero tertiò, ens vt sic etiam iuxta opinionem communem non habet passiones à se distinctas formaliter ex parte obiecti, sed tantum habet illas à se distinctas ex parte modi concipiendi. In hac (vt opinor) ferè omnes conuéniunt, licèt non ita explicitè loquantur. Hæc assertio duas habet partes. Prima ostenditur: illæ formalitates distinguuntur formaliter ex parte obiecti, quarum vna in recto potest concipi non concepta alia etiam in recto; sed formalitas entis non potest in recto concipi non concepta etiam in recto formalitate passionis, v. g. ratione vnius ex parte obiecti, & etiam econtrà non potest in recto concipi formalitas passionis, scilicet, ratio positiua vnius non concepta ex parte obiecti formalitate entis, cum tam ens, quam vnum omnem obiectiuè formalitatem transcendant, vt ostendimus suprà cap. 2. assert. 1. ergo formalitas passionis non distinguitur obiectiuè à ratione entis: igitur ens vt sic non habet passiones à se distinctas formaliter ex parte obiecti. Secunda pars etiam ostenditur: illa 24 distinguuntur formaliter ex modo concipiendi, quæ diuersò modo concipiuntur per ordinem ad diuersa connotata, vt monstrabo assertione sequenti: ergo passiones entis distinguuntur ab illo formaliter ex modo concipiendi.

24 Assero quartò, vnum, verum, & bonum sunt formaliter passiones entis vt sic ab illo, & adinuicem condistinctæ; res vero, & aliquid non sunt passiones illius, sed idem formalissimè cum ipso ente. Ita Suarez disp. 3. metaph. sect. 2. Fonseca 4. metaph. cap. 2. q. 5. sect. 2. & 6. Molina 1. part. quæst. 16. disp. 2. Vasquez 1. p. disp. 77. Aureolus in 1. distinct. 19. part. 3. Hurtado disput. 7. metaph. sect. 1. & 4. Arriaga disp. 1. metaph. sect. 5. & 6. Auersa copiosè tomo 1. metaph. quæst. 4. & 5. per varias sectiones, Carleton, & alij plures. Ac primum vnum, verum, & bonum à ratione entis realis, & adinuicem formaliter condistingui ex modo concipiendi, sic ostendo. Ea distinguuntur formaliter, & ex modo concipiendi, quæ diuersò modo per ordinem ad diuersa connotata distinguuntur: sed hæc omnia, scilicet, ens, vnum, verum, & bonum diuersò modo per ordinem ad diuersa connotata concipiuntur, etenim Ens reale concipitur, vt connotat in obliquo carentiam entis rationis chimerici; Vnum, vt cõnotat carentiam diuisionis, Verum, vt connotat intellectum, à quo possit intelligi, Bonum, vt connotat voluntatem, à qua possit amari, vt multi opinantur: ergo vnum, verum, & bonum à ratione entis, & adinuicem formaliter distinguuntur. Deinde hæc tria esse passiones entis formaliter, & ex modo concipiendi sic monstratur. Passio formaliter alicuius rei est id, quod per se consequitur saltem ex modo concipiendi ad primum conceptum rei, vt dixi num. 20. sed vnum, verum, & bonum ex modo concipiendi formaliter consequuntur per se ad primum conceptum entis, nam esse realiter vnum, verum, & bonum fundantur in illa prima ratione, ac conceptu entis realis, & ideo per se sequuntur ad illum, & prius concipitur ens, vt connotat carentiam entis chimerici, per quod constituitur formaliter in ratione entis realis non repugnantis existere; postea verò concipitur, vt connotat carentiam diuisionis, intellectum, ac voluntatem, per quod in ratione vnius, veri, ac boni formaliter constituitur: ergo vnum, verum, & bonum sunt formaliter, & ex modo concipiendi passiones entis. Sed obserua primam passionem esse *vnum*, quia cum ens vt sic dicat non repugnantiam ad existendum, & non possit existere nisi vt vnum, ideo postquam concipitur in ratione entis, primo concipitur vt vnum: secundam passionem entis esse *verum*; tertiam esse *bonum*, quia cum ens non possit amari, quin prius intelligatur, prius ex modo concipiendi est formaliter intelligibile, quam formaliter amabile; ac proinde prius est verum, quam bonum. Denique *rem*, & *aliquid* non esse passiones entis realis sic probo. Passio entis realis debet ab ipso ente reali aliquo modo distingui, saltem ex modo concipiendi, idem enim, quatenus idem formaliter, non potest esse passio suiipsius; sed *res*, & *aliquid* etiam ex modo concipiendi non distinguuntur formaliter ab ente reali; sed sunt idem omnino cum illo, *res* enim est id, quod potest apertè rei existere, & *aliquid* est id, quod potest habere realem, & non fictam entitatem, quæ omnia reciprocantur cum ente: ergo *res*, & *aliquid* non sunt passiones entis.

Obiiciat aliquis; si ens reale vt sic haberet passio- 25
nes aliquas, haberet quidem passiones reales, scilicet, vnitatem realem, veritatem realem, ac bonitatem realem, aliàs illius passiones non differunt à passionibus entis rationis; atqui ens reale non potest habere etiam formaliter passiones reales: ergo ens reale absolutè non habet passiones. Minor probatur: idem, quatenus idem formaliter, non potest esse passio suiipsius, quia passio vt sic formaliter debet oriri ab eo, cuius est passio, idem autem non potest oriri formaliter à seipso; sed vnitas realis vt sic formaliter (idem dico de veritate, & bonitate reali) etiam ex modo concipiendi est formalissimè ens, à quo formaliter accipit esse realem: ergo vnitas realis vt sic formaliter non est passio entis realis; ac proinde ens reale non habet passiones reales.

Respondeo, ens reale, & vnum reale distingui formaliter ex modo concipiendi saltem inadæquatè, hoc est, apprehendi per conceptus saltem inadæquatè diuersos; quia conceptus entis realis tendit ad illud vt connotat præcisè carentiam entis chimerici, conceptus verò vnitatis realis tendit ad idem ens, vt connotat carentiam diuisionis; vnde cum ritè secundus conceptus aliquo modo fundetur in primo, & oriatur ab illo; ideo vnitas realis dicitur ex modo concipiendi fundari in ente reali, & oriri ab ipso, ac proinde ex modo concipiendi esse passionem realem ipsius.

Hinc infero quomodo, & per quæ principia possint 26
de ente reali vt sic eius passiones demonstrari: duplex est demonstratio, alia à priori, quæ fit per causam saltem intentionalem rei, quæ scienda est; alia per reductionem ad impossibile, quæ ad fatendum aliquod impossibile reducit illum, qui veritatem aliquam diffitetur; metaphysica ergo demonstrat à priori primam passionem entis realis, scilicet, vnitatis per ipsam essentiam realem entis, tanquam per medium; & secundam passionem, scilicet, veritatem per vnitatem realem; & tertiam passionem, scilicet, bonitatem per veritatem etiam realem; quia causa proxima vnitatis realis formaliter, & ex modo concipiendi est essentia realis, & causa veritatis est vnitas realis, & veritas realis est causa bonitatis, vt constat ex nuper dictis; essentia verò entis realis vt sic, cum sit primus conceptus,

non

non habet causam, & ideo non potest à priori demonstrari. Porrò autem primum medium ad demonstrandum per reductionem ad impossibile est principium illud commune, aliquid simul esse, & non esse, impossibile est; quia hoc est notissimum, vniuersalissimum, ac vsitatissimum, & quod non potest per principium aliud per reductionem ad impossibile demonstrari, cum aliud principium illo impossibilius non sit. Ita sentit Arist. 4. metaph. c. 3. text. 8. cui subscribunt Fonseca 4. metaph. c. 3. q. 1. per totam, Suarez suprà disp. 3. metap. sect. 3. & alij plures.

DISPVTATIO III.

De entis realis attributis in particulari.

QVATVOR capita continebit. In primo inquiro, in quonam ratio vnius transcendentalis formaliter consistat? In secundo, ex quonam principio rerum indiuiduatio sumatur? In tertio, in quo ratio formalis veri transcendentalis versetur? In quarto, in quo ratio boni transcendentalis formaliter sita sit?

CAPVT I.

In quonam ratio vnius transcendentalis formaliter consistat?

EGimus iam de entis attributis, seu passionibus in communi, nunc agimus de illis in particulari; cum autem vnitas sit iuxta superius dicta prima passio entis, ideo in primo loco rationem formalem vnius transcendentalis disquirimus.

1 Censent aliqui vnum, quod est passio entis realis, esse entitatem aliquam realem, ac positiuam ex natura rei distinctam ab ipso ente, quia alias non posset oriri ab illo, nec esse passio illius. Ita Auicenna lib. 3. suæ metaphysicæ cap. 2. lib. 7. cap. 1. Scotus 4. metaphysicæ quæst. 2. & in 2. distinct. 3. quæst. 2. Antonius Andreas 4. metaph. quæst. 3. Alensis 1. part. quæst. 13. membr. 2. Bonauentura in 1. distinct. 23. quæst. 1. art. 2. Vasquez 1. part. disp. 128. Hurtado disp. 4. metaph. sect. 1. & alij. Sed impugnatur apertè; quia non potest dari entitas aliqua ex natura rei distincta ab eo, quod illam intimè, & quidditatiuè transcendit; quia res non distinguitur ex natura rei à seipsa; sed ens reale intimè, & quidditatiuè transcendit omnem entitatem realem positiuam, vt demonstratum est suprà disp. 2. cap. 2. num. 8. ergo nulla dari potest entitas realis positiua distincta ex natura rei ab ente: ergo vnum transcendentale non est entitas realis positiua distincta ab ente ex natura rei; ex quo tantum sequitur vnum non esse ex natura rei passionem entis realis; sed tantum ex modo concipiendi iuxta dicta suprà disp. 2. cap. 3.

2 Arbitrantur alij vnam formaliter esse rationem, & formalitatem aliquam positiuam distinctam per rationem obiectiuè à ratione, & formalitate entis, & superadditam ipsi enti, ratione cuius ens vnum, ac indiuisum vocatur. Ita Alexander, & Bonauentura, quos refert, & sequitur Vasquez 1. part. disp. 128. cap. 2. in quo sensu intelligendi etiam sunt alij numero præcedenti relati. Sed communiter impugnatur hac ratione. Ratio, aut formalitas positiua vnius vt sic formaliter, & obiectiuè est ens, quia ens est ratio formaliter, & obiectiuè transcendens omnem formalitatem positiuam, vt ostensum est disp. 2. cap. 2. num. 8. sed formalitas positiua non distinguitur formaliter obiectiuè à seipsa obiectiuè, & formaliter, vt ex iis terminis est perspicuum: ergo vnum vt sic formaliter non est formalitas positiua distincta formaliter obiectiuè ab ente.

3 Hæc tamen ratio communis solum probat vnum non esse formalitatem distinctam formaliter obiectiuè adæquatè ab ente, non verò inficiatur, sed permittit distingui ab illo formaliter obiectiuè inadæquatè, quod sic ostendo: formalitas positiua substantiæ distinguitur per rationem obiectiuè inadæquatè ab ente (loquor in sententia communi admittente obiectiuas præcisiones) quia licèt formalitas substantiæ obiectiuè sit formalissimè ens, tamen ens vt sic formaliter non est substantia, quia diuiditur in substantiam, & accidens; atqui formalitas positiua vnius, licèt per rationem obiectiuè sit formalissimè ens, tamen ens vt sic formaliter non est vnum, diuiditur enim ens in vnum, & plura, & potest ab illis præscindi, sicut à substantia & accidenti: ergo formalitas positiua vnius distincta est per rationem obiectiuè inadæquatè à ratione entis, & hæc est expressa mens P. Vasquez suprà cap. 2. & 3.

4 Sed adhuc probari potest, vnum vt sic formaliter non esse formalitatem obiectiuè distinctam etiam inadæquatè à ratione entis hoc modo; à parte rei non potest aliquid existere nisi sit vnum, vt ex se constat: ergo per illam formalitatem positiuam formaliter, & in recto, per quam aliquid est aptum à parte rei existere, est etiam vnum. Patet consequentia, quia cum à parte rei non possit res vlla ratione existere sine formalitate vnius; non potest etiam concipi apta ad realiter existendum sine tali formalitate; atqui ens per formalitatem entis formaliter, & in recto est aptum ad existendum à parte rei, vt diximus disp. 1. cap. 1. ergo ens per eandem entis formalitatem in recto est vnum: ergo formalitas vnius nec inadæquatè distinguitur obiectiuè à formalitate entis. Dicat quis, id, quod à parte rei existit, non esse necessariò vnum, sed vnum, vel plura, sicut non est necessariò substantia, sed vel substantia, vel accidens; atque ita sicut per formalitatem entis, per quam ens est aptum existere à parte rei, non est formaliter substantia, sed per aliam formalitatem superadditam, eodem modo per formalitatem entis, per quam ens est aptum existere, non est vnum, sed per aliam distinctam formalitatem. Sed contrà, in pluralitate, aut multitudine clauditur formaliter, ac essentialiter vnitas, nam multitudo, ac pluralitas ex vnitatibus coalescit: ergo si id, quod existit est necessariò vnum, vel plura, ens vt existens claudit necessariò aliquam vnitatem: ergo in illa formalitate entis, per quam ens est aptum existere clauditur, aut imbibitur formalitas vnitatis. Dicat deinde ens per formalitatem entis esse aptum existere, ad quod non requiritur, quod per illam sit vnum formaliter, sed tantùm vnum radicaliter, hoc est, fundet aliam formalitatem indiuisionis, in qua consistat ratio vnitatis formaliter. Sed contrà, sine ratione non sunt nouæ formalitates, sicut nec nouæ entitates multiplicandæ; sed nulla est ratio, quæ probet duas esse in ente formalitates, alteram quæ sit ratio entis, & vnitas radicalis; alteram, quæ sit vnitas formalis; sed sicut asseris primam illam formalitatem entis proximè inferre, & fundare secundam formalitatem vnitatis, & ideo esse vnitatem radicalem, ita facilè posses asserere illam formalitatem entis per seipsam fundare carentiam diuisionis; & ideo sine alia formalitate superaddita esse vnitatem formalem: ergo addenda non est alia formalitas vnitatis, quæ sit distincta à ratione entis.

5 Hinc obserua primò, discrimen inter substantiam, & vnitatem respectu rationis entis; etenim ens ita diuiditur in substantiam, & accidens, vt in accidenti non imbibatur ipsa ratio substantiæ, ac proinde dari

dari potest aliquod ens, quod non sit substantia, sed tantum accidens, & ideo ratio entis præscinditur, & diuiditur inadæquatè à ratione substantiæ: at ens ita diuiditur in vnum, & multa, vt in ipsa multitudine ratio vnius formaliter imbibatur; ac proinde dari non potest aliquod ens, quod non claudat essentialiter rationem vnius, & ideo ratio entis nec inadæquatè præscinditur, aut distinguitur à ratione formali positiua vnius. Obserua secundo, vnum esse adæquatam passionem entis, vt docet Aristot. 4. metaph c. 2. textu 3. & D. Thomas, 1. part. quæst. 11. art. 2. & omnes Philosophi communiter iuxta Suar. suprà disput. 4. sect. 4. num. 6. & Auersa quæst. sect. 5. & quæst. 5. sect. 2. qui plures alios referunt: ratio autem colligitur ex dictis; quia ens ita diuiditur in vnum, & multa, vt in ipsa multitudine etiam claudatur formaliter ratio entis, vt supra ostendi: ergo nullum datur ens, quod non contineat in se veram rationem vnius; ac proinde vnum vt sic formaliter adæquatè conuertitur cum ente tanquam passio adæquata ipsius entis.

6 Opinantur quidam vnum formaliter esse ens indiuisum, hoc est, ens habens carentiam diuisionis, ita tamen, quod talis carentia diuisionis non sit verè quid negatiuum, sed aliquid positiuum, nam carentia diuisionis est eius contradictorium; vnde cum diuisio sit aliquid verè negatiuum, scilicet, negatio vnionis, seu identitatis, carentia talis diuisionis est aliquid positiuum, scilicet, ipsum ens, quod quatenus per se ipsum destruit formaliter diuisionem in se, dicitur per seipsum indiuisum, & vnum. Ita recentiores ingeniosi. Sed impugnantur, nam ens indiuisum, & vnum claudit vt sic formaliter, vt ipsi admittunt, carentiam diuisionis, ac multitudinis, sed carentia diuisionis, ac multitudinis est vera negatio: ergo vnum sic formaliter claudit veram negationem. Minor probatur. Carentia alicuius positiui est vera negatio, quia talis carentia entis realis positiui opponitur contradictoriè illi, positiuo autem non opponitur contradictoriè nisi negatiuum; sed diuisio, ac multitudo realis non est præcisè negatio vnionis, aut identitatis realis, sed etiam aliquod reale positiuum, scilicet, aggregatum ex pluribus vnitatibus realibus: ergo carentia decisionis, ac multitudinis, quæ est etiam quid positiuum, est etiam vera negatio: Porro autem diuisionem, ac multitudinem realem non esse præcisè carentiam realis vnionis, sed etiam aliquid positiuum, scilicet, ipsas vnitates reales sic monstratur. Si diuisio, ac multitudo realis esset præcisè negatio vnionis, ac identitatis realis, vbicumque daretur talis negatio, daretur formaliter vera diuisio, ac multitudo realis; atqui datur in ente rationis, scilicet, in chimera negatio realis vnionis, ac identitatis absque eo, quod ibi detur vera diuisio, ac multitudo realis vt per se constat: ergo diuisio, ac multitudo realis non est præcisè illa negatio vnionis, ac identitatis realis, sed etiam aliquid positiuum.

7 Vnde obserua iuxta ea, quæ infra dicemus, vnum in suo conceptu formali includere pro materiali ens positiuum, pro formali vero carentiam diuisionis, ac multitudinis; multitudinem autem claudere in suo conceptu formali pro materiali entia positiua, scilicet, vnitates reales, & pro formali carentiam vnionis, seu identitatis, ita tamen quod sicut carentia vnitatis, quam includit multitudo, est tantum carentia illius Entis positiui, quod vnitas includit pro materiali, non vero carentia decisionis, quam vnitas claudit pro formali; sic similiter carentia diuisionis, ac multitudinis, quam includit vnitas, sit tantum carentia entium realium, quæ claudit multitudo pro materiali, non vero illius carentia vnitatis, quam multitudo claudit pro formali; ac proinde tam carentia, quæ constituit formaliter multitudinẽ, est vera negatio, cum vtraque sit carentia alicuius positiui, in qua vera negatio cõsistit.

Obiiciat autem quis: Compositum esse formaliter vnum est habere indiuisionem in se; sed talis indiuisio est solum quid positiuum: ergo compositum esse vnum est formaliter ac præcisè aliquid positiuum. Minor probatur. Indiuisio contradictoriè opponitur diuisioni: ergo si vna est quid negatiuum, alia debet esse aliquid positiuum, nam ex duobus contradictoriis aliud debet esse necessario positiuum, & aliud negatio illius; atqui diuisio compositi est solum quid negatiuum, scilicet, carentia, & negatio vnionis: ergo in diuisio est tantum quid positiuum, scilicet, ipsa vnio. Porro autem diuisionem compositi esse præcisè carentiam, seu negationem vnionis, sic ostenditur. Id præcisè est diuisio compositi vt sic formaliter, quo posito absque omni alio compositum est diuisum in suas partes, & quo non posito, quod cum aliud sit, compositum non est in suas partes diuisum, sed posita carentia, aut negatione vnius præcisè compositum est diuisum, & ea non posita quodcumque aliud ponatur, compositum non est in se diuisum: ergo carentia, seu negatio vnionis est formaliter, ac præcisè diuisio compositi in seipso. Confirmatur: diuisio compositi in suas partes opponitur contradictoriè vnioni earum partium, idem enim est partes esse diuisas, ac partes non esse vnitas; sed diuisio non opponitur contradictoriè nisi tantum indiuisioni: ergo indiuisio & vnio sunt idem, ac proinde indiuisio, & vnitas compositi est præcisè aliquid positiuum. 8

Neoterici quidam putant hanc esse Metaphysicam demonstrationem ad probandum vnitatem compositi esse tantum aliquid positiuum; sed aduertant obsecro, aliud esse considerare essentiam, & rationem formalem compositi, aliud considerare vnitatem transcendentalem ipsius compositi, cum essentia, & vnitas saltem ex modo concipiendi per varia connotata distinguantur, vt superius diximus disput. 2. cap. 3. etenim essentia, ac ratio formalis compositi est formaliter eius vnio, ac indiuisio partium, cum hæc formaliter sit compositio, vnitas vero transcendentalis compositi non est præcisè indiuisio in partes, sed indiuisio in alia composita eiusdem rationis; quod sic ostendo. Vnitas transcendentalis compositi, quod v.g. coalescit ex materia, & forma vnitis non distinguitur ab vnitatibus transcendentalibus suarum partium, scilicet, materiæ, formæ, & vnionis; nam sicut entitas compositi nõ est aliud, quàm entitas ipsa partium, & vnionis. Ita vnitas transcendentalis compositi non est aliud, quàm vnitates transcendentales partium, & vnionis; atqui vnitas transcendentalis materiæ est indiuisio in plures materias, & vnitas formæ est indiuisio in plures formas, & vnitas vnionis est indiuisio in plures vniones: ergo vnitas transcẽdentalis cõpositi constantis ex materia, & forma, & vnione est indiuisio in plures materias, in plures formas, & in plures vniones, quod est idem, ac in plura composita eiusdem rationis. Confir. Petrus ideo est homo, quia habet naturam hominis, scilicet, humanitatem, ideo vero est vnus homo, quia habet naturam hominis indiuisam in plures naturas hominis: ergo similiter idem Petrus ideo erit compositum, quia habet tationem, ac naturam compositi, scilicet compositionem indiuisam in plures naturas compositi, scilicet, in plures compositiones: Ergo compositum non præcise dicitur vnum per solam indiuisionem in plura composita eiusdem rationis. 9

Hinc iam ad rationem supra positam facilè dico compositum compleri formaliter in ratione vnius transcendentaliter per indiuisionem in plura composita, hoc est, per carentiam plurium compositorum in seipso; cum autem plura composita sint verè positiua, pluralitas enim, & multitudo non dicit solam carentiam vnionis, & identitatis realis, sed etiam entitates positiuas iuxta dicta supra num. 6. ideo carentia 10

plurium

plurium compositorum, quam vnitas compositi essentialiter includit, est verè quid negatiuum; ac proinde compositum constituitur transcendentaliter vnum, non præcisè per aliquid positiuum, sed etiam per negatiuum; vnde damus obiectioni indiuisionem compositi in suas partes esse vnionem ipsam compositi positiuam, quod talis obiectio, & confirmatio conuincunt, dicimus, tamen, licèt compositum vnum talem indiuisionem essentialiter includat, compleri per illam in ratione compositi, non verò in ratione compositi vnius, sed ad hoc requiritur alia indiuisio in plura composita eiusdem rationis, quæ, vt iam ostendi, veram negationem includit. Dices, deficiente in homine sola vnione inter materiam, & animam rationalem perit vnitas compositi humani, quæ antea erat: ergo vnitas talis compositi, consistit in sola vnione. Respondeo, vnionem illam in ratione vnionis præcisè esse essentiam illius compositi, in ratione vero vnionis indiuisæ in alias vniones, ac proinde superaddentis negationem plurium vnionum, esse vnitatem illius compositi: deficiente autem vnione in ratione vnionis, etiam perit ipsa vnio in ratione indiuisæ in plures vniones; tum, quia vnio, vt indiuisa, claudit etiam rationem vnionis, quæ tunc absolutè perit; tum etiam, quia ipsa vnionis indiuisio est negatio per modum priuationis, quia debet necessariò subiectari in ipsa vnione; ac proinde deficiente vnione deficit illa negatio sub ratione priuationis, sub qua tantum vnitatem, ac indiuisionem constituit.

11 Nonnulli alij autumant vnum vt sic formaliter non includere ens aliquod positiuum, sed tantum dicere negationem diuisionis realis in ipso ente. Ita Fonseca 4.metaph.cap.2.quæst.5.sect.5. cum aliis relatis à Suarez, & Auersa. Sed impugnantur: vnitas in Deo est vera perfectio, imò & perfectio simpliciter simplex, meliot enim est ipsa vnitas naturæ, quam non ipsa, sed sola negatio non est perfectio, quia negatio sicut non continet formaliter entitatem, ita nec perfectionem includit: ergo vnitas non est sola negatio, ac proinde debet etiam includere aliquod positiuum. Confirmatur: vnitas entis realis, & vnitas entis rationis non conueniunt propriè, & vniuocè in ratione vnitatis, sicut essentia entis realis, & essentia entis rationis non conueniunt propriè, & vniuocè in ratione essentiæ, etenim vnitas tanquam passio entis cum propria entis essentia commensuratur; sed si vnitas entis esset tantum negatio diuisionis realis, propriè, & vniuocè conuenirent vnitas entis realis, & vnitas entis rationis in ratione vnitatis, cum etiam in ente rationis detur vera negatio diuisionis realis, sicut in ente reali: ergo vnitas entis non est sola negatio diuisionis realis. Dices, si vnitas clauderet formaliter ens non posset esse passio entis, cum non possit ab ipso ente dimanare. Sed hæc obiectio iam est soluta suprà disp.2. cap.3. num.25.

12 ASSERTIO ergo sit. Vnum vt sic formaliter claudit in suo conceptu formali pro materiali ens positiuum, & pro formali negationem realis diuisionis per modum priuationis. Ita Aristot. 4.metaph. text.2. & 3.& lib.10. & alibi, D.Thomas 1.p.quæst.21.art.1. ad 2.& de potentia quæst.4.artic.7. & 1.part.quæst.30. artic.3. & in 1.distinct.24. quæstione 1.artic.3.& 4. Albertus Magnus 1. part. tract.6. quæstione 24. Henricus quodlibeto 1. quæst.1. Durandus, Gregorius, Gabriel, Iauellus quæst.8. Caietanus, Capreolus, Soncinas 4.metaph. quæst.23. Ægidius quæst.8. Flandria quæst.3. Aquarius quæst.3. Fonseca 4.metaph.quæst.2. & 5.Auerroës comment.3. Masius lib.3. de transc.c.9. Auersa tomo 1.metaph. quæstione 5. sect.2. Carleton disp.1. metaph. quæstione 5. Arriaga disp.1. metaph. sect.4. Suarez disp.4. metaph. sect.1. & 2.& communiter omnes recentiores. Probatur expressè hæc assertio ex D. Thoma de potentia quæst.4. artic.7. in fine corporis, vbi sic ait, *Vnum, quod conuertitur cum ente, non addit suprà ens, nisi negationem diuisionis, non quod significet ipsam indiuisionem tantum, sed substantiam eius cum ipsa, est enim vnum idem, quod ens indiuisum*, quid clarius. Probatur etiam ratione ex dictis. Vnum vt sic formaliter vel est prædicatum aliquod positiuum re, vel ratione distinctum ab ente, vel est præcisè ipsum ens, vel est sola negatio diuisionis, vel ens, & talis negatio diuisionis simul per modum priuationis; non enim dari poterit aliud, in quo talis vnitas consistat; sed vnum vt sic formaliter nec est prædicatum positiuum re, vel ratione distinctum ab ente, nec est præcisè ipsum ens, nec est sola negatio diuisionis, vt iam in hoc cap. apertè monstratum est: ergo vnum vt sic formaliter est ens indiuisum, scilicet ens, & negatio diuisionis simul per modum priuationes. Dixi *per modum priuationis*, quia talis negatio diuisionis debet esse, sicut priuatio, in subiecto, scilicet, in ipso ente, illud reddens formaliter indiuisum.

Ex hac assertione infero diuisionem entis ab alio 13
quolibet ente positiuo non constituere quidditatiuè, & formaliter rationem entis transcendentalis, sed tantùm de facto consequi, quasi passionem ad vnum. Hanc indicat Aristot. 5. metaphys. capite 6. & docet expressè D. Thomas de potentia quæstione 9. articulo 7. in corpore dicens, *vnum vero, quod conuertitur cum ente, non addit supra ens nisi solam negationem diuisionis.* Ergo non includit etiam diuisionem ab alio in ratione vnius formaliter. Idem tenent Fonseca, Suarez, & alij suprà enumerati. Probatur breuiter: ex eo, quod concipiatur ens aliquod vt indiuisum in se præcisa per rationem diuisione ab omni alia, concipitur vt vnum, nam vt sic formaliter repugnat pluralitati: ergo diuisio entis ab alio non clauditur quidditatiuè, & formaliter in ratione vnius. Confirmo, etiamsi non esset possibile aliquid aliud positiuum præter Deum, à quo Deus esset diuisus, adhuc Deus esset formaliter vnus; & tamen tunc solum haberet Deus diuisionem in se; non verò diuisionem ab alio; ergo per solam indiuisionem in se; non verò per diuisionem ab alio vnum formaliter constituitur.

Sed iam varios modos vnitatum aperiamus: Vnum 14
aliud est simplex, quod partibus caret, vt Deus, aliud compositum, quod ex partibus aliqua ratione vnitis, aut coordinatis conflatur, vt homo: item vnum aliud est vnum per se, quod non coalescit ex partibus non ordinatis natura sua ad vnum constituendum, scilicet, vel quia simplex est, vt natura Angeli, vel compositum est ex partibus in suo genere incompletis, atque ideo ordinatis natura sua ad vnum constituendum, quod quia à partibus intenditur, dicitur vnum per se, vt equus: aliud est vnum per accidens, quod ex partibus coalescit non ordinatis natura sua ad vnum constituendum, vt exercitus, domus, album, cum enim homo albus, verbi gratia, constet extremis in suo genere completis, scilicet, ex homine, qui est completus in ratione substantiæ, & ex albedine, quæ est completa in ratione accidentis, eius extrema scilicet, homo, & albedo non ordinantur natura sua ad constituendum vnum totum completum, sed tantum albedo ordinatur ad perficiendam substantiam hominis, verbi gratia, ex quo vnum totum, scilicet, vnum album præter partium intentionem resultat, & ideo dicitur vnum per accidens. Item aliud est vnum singulare, seu indiuiduale, aliud vniuersale, & commune, & hoc aliud vniuersale specificum, aliud vniuersale genericum, de quibus satis in Logica tractatu 2. de vniuersali in communi, & tractatu tertio, de vniuersalibus in particulari discussum

cussum est; præter has vnitates alij admittunt aliam vnitatem formalem mediam inter vniuersalem, & singularem, quam reiecimus in dialectica disp.4.alij etiam recensent vnitatem similitudinis, quæ intercedit inter res eiusdem speciei; hæc verò non est propriè vnitas, cum diuisionem includat.

15 Vnitati aduersatur distinctio, quæ est alietas vnius rei ab altera; hæc autem alietas alia est per rationem, alia à parte rei; distinctio per rationem est quando duæ formalitates diuerso modo concipiuntur, quæ quidem alia est distinctio obiectiua, alia est distinctio rationis, siue præcisio formalis, alia est distinctio rationis ratiocinatæ, alia rationis ratiocinantis, vt explicuimus in Logica disputatione quarta & quinta, per totam. Distinctio à parte rei est quando vna entitas verè ante opus intellectus non est alia, quæ quidem distinctio alia est realis, alia modalis, alia adæquata, alia inadæquata, de quibus etiam actum est in Dialectica ibidem, & alibi sæpè; item alia est distinctio relatiua, quæ est inter duo correlata, vt inter Patrem, & Filium, alia priuatiua, quæ est inter rem, & eius negationem, vt inter Angelum, & non esse illius.

CAPVT II.

Ex quonam principio rerum indiuiduatio sumatur.

16 DIsputatione decimasexta, Physicæ capite quinto, nonnihil diximus de indiuiduatione actuum, seu effectuum, nunc radicitus difficultas explicanda est; duplex igitur datur indiuiduationis principium in quauis re, aliud formale, & intrinsecum; aliud extrinsecum, & arguitiuum; principium indiuiduationis intrinsecum, & formale est id, à quo formaliter res indiuidua denominatur; sicut materia est id, à quo formaliter, & intrinsecè homo dicitur materialis, & forma rationalis est id, à qua formaliter homo denominatur spiritualis; principium indiuiduationis extrinsecum, & arguitiuum alicuius rei est id, ex quo extrinsecè, & arguitiuè colligitur esse indiuiduam talem rem, sicut obiectum formale visionis est principium extrinsecum specificationis visionis, quia ex illo colligitur arguitiuè ratio specifica talis visionis, de vtroque ergo indiuiduationis principio sigillatim in præsenti differendum est.

Quodnam sit principium formale intrinsecum indiuiduationis cuiusque rei.

17 COmmunis ac satis stricta omnium Thomistarum sententia est, res intra eandem speciem infimam existentes indiuiduari, ac distingui necessariò, non aliunde, nisi ex materia signata, scilicet, vel ex materia affecta quantitate sensibili, seu à materia tali accidentium apparatu quasi sigillata; ita vt ex materia incommunicabilitas, & ex quantitate, & aliis accidentibus distinctio numerica, quæ duo indiuiduationem constituunt, formaliter desumatur, vel etiam vt alij arbitrantur ex materia ipsa, quatenus præuia actione agentis fit potentia proximè apta ad hanc numero quantitatem; inde inferunt non posse, etiã dari de potẽtia absoluta Dei Angelos inter se distinctos indiuidualiter intra eandem speciem, quia non habent materias signatas, ex quibus talem indiuiduationem, ac distinctionem desumant. Inferunt deinde plura accidentia eiusdem rationis non posse etiam diuinitus esse in eodem subiecto, seu materia; nam cum accidens sumat vnitatem indiuidualem à materia, seu subiecto, implicat, quod in subiecto vno ipsa accidentia sint plura. Ita videtur sentire D.Thomas mille locis, præcipuè 1. p. q.51. art.4. Caiet.Capreolus, Soncinas, Iauellus, Ferrata, Granados 1.p.tract.1.disp.4. & alij permulti.

ASSERTIO tamen sit. Res non indiuiduatur formaliter, & intrinsecè per materiam signatam, sed physicè, ac formaliter per seipsam, & consequenter dari posse duo, vel plura indiuidua numero diuersa in rebus, quæ nullum dicunt ordinem ad materiam, vt duos Angelos, v. g. Est in scholis longè communior, eam tenet Scotus in 2. dist.3. q.7. Alensis 2. p.q.20. membr.6.art.1. & 7.Albert. Magn. 2.p.tract.2.q.3. Bonau. in 2.dist.3. part.1.art.2.q.1.Ricardus in 2.dist.3.q.1.art.5. Gabriel in 2.dist.3.q.1.art.2. Durand. in 2.dist.3.q.2. Aureolus apud Capreolum in 2.dist.3.q.2.& ipse in 2.dist.3.q.1. art.3.Ferrara 2.contra gent.c.93. Bañez 1.p.q.51.Molina 1.p.q.51.art.4.Suarez disp.5.metaph.sect.2.n.24. & 28.& sect.3.n.[illegible].& lib.1. de Angelis,c.12. Valent.1. p.disp.4.q.1.art.3.Vasq. 1.p q.181.c.3. Hurt. disp.12. metaph.sect 3.Arrubal.1.part.disp.150.Tanerus 1.part. disp.5.q.1.dubio 5.n.19.Arriaga disp.1.metaph.sect.3. n.60. Carleton disp.2. metaph.sect.1.2. & 3. & plures alij. Probatur primò, materia prima est formaliter indiuidua, & distincta indiuidualiter ab aliis materiis intra eandem speciem infimam materiæ primæ; & tamen non fit indiuidua formaliter per aliam materiam signatam in qua ipsa sit, sed formaliter per seipsam, nam cum illa sit materia prima, ac subiectum primum non potest habere aliud subiectum, aut materiam, in qua recipiatur: ergo res non fit indiuidua formaliter per materiam signatam, sed physicè, ac formaliter per seipsam. 18

Dicat autem quis primò, materiam indiuiduari à quantitate in se recepta, qua consignata est. Sed contrà, si materia indiuiduaretur formaliter per quantitatem, variata indiuidualiter quantitate, variaretur indiuidualiter ipsa materia, cum vna res non possit habere duas indiuiduationes formaliter; atqui in contraria sententia variata indiuidualiter quantitate non indiuidualiter variatur ipsa materia, nam in illa in genito, & in corrupto manet eadem numero materia, & tamen non est in illis eadem quantitas, sed diuersa, nam quantitas, & omnia accidentia, quę erant in corrupto pereunt, & alia diuersa quantitas, aliaque accidentia diuersa in genito resultãt, ac proinde in genito, & in corrupto sub distinctis numero quantitatibus eademmet materia perseuerat: ergo materia prima non indiuiduatur formaliter per quantitatem. Deinde accidentia iuxta prædictam sententiam indiuiduantur à subiecto, seu materia; sed quantitas est verè accidens; ergo indiuiduatur iuxta illos à materia; ergo non sumit formaliter materia suam indiuiduationem à quantitate, alias circulus vitiosus committeretur, nam materia à quantitate, & quantitas à materia indiuiduaretur formaliter, imò etiam inde sequitur materiam esse suammet indiuiduationem formalem; nam indiuiduatio materiæ per illos est indiuiduatio quantitatis; sed formalis indiuiduatio quantitatis est ipsa materia: ergo formalis indiuiduatio materiæ est ipsa materia, quod intendo. 19

Dicat præterea secundò quis cum D.Thom.quodl.7. art.10.quantitatem non indiuiduari à materia, vel subiecto, sed à situ, & ideo licèt materia à quantitate indiuiduetur, vitiosum circulum non committi, nec sequi materiam primam per seipsam formaliter indiuiduari. Sed contrà, si quãtitas indiuiduaretur à situ, quotiescumque esset diuersus situs, esset diuersa quantitas, cum vna, & eadem res non possit habere diuersas formales indiuiduationes, atqui cum est diuersus situs, non est diuersa quantitas, idem enim homo cum eademmet quantitate habet successiuè diuersos situs: ergo quantitas non indiuiduatur à situ. Deinde, ratio situs in hac quantitate fit etiam formaliter indiuidua: ergo vel per seipsam, vel per ipsam quantitatem formaliter, in qua subiectatur. 20

Si

Si primum dicas: ergo iam aliqua forma indiuiduatur formaliter per ſeipſam; ac etiam non omnia accidentia præter quantitatem à ſubiecto indiuiduantur contra aſſerta. Si autem ſecundum aſſeras: ergo iam quantitas à ſitu, & ſitus à quantitate formaliter indiuiduatur, & circulus vitioſus committitur.

21 Probatur ſecundò, principaliter. Idem Angelus diuerſis temporibus habere poteſt duas viſiones circa idemmet obiectum: arguo ſic. Hæ viſiones indiuiduantur, ac diſtinguuntur indiuidualiter inter ſe intra eandem ſpeciem infimam, & tamen non habent materiam ſignatam, à qua talem indiuiduationem, ac diſtinctionem deſumant: ergo tales viſiones non per materiam ſignatam, ſed formaliter per ſeipſas indiuiduantur: ergo res non indiuiduatur per materiam ſignatam, ſed per ſeipſam formaliter eſt talis, ac diſtincta ab alia indiuidualiter. Probatur minor: vel per materiam ſignatam intelligis materiam primam affectam quantitate, vt ſuperius explicuimus, & in hoc ſenſu certum eſt illas viſiones non habere materiam, à qua indiuiduentur, cum viſiones Angelicæ, ſicut ipſe Angelus, reipſa ab omni materialitate præſcindant, vel per materiam intelligis quodcumque ſubiectum, ac cauſam paſſiuam, & materialem, ſiue corporea ſit, ſiue ſpiritualis, & in hoc etiam ſenſu illæ viſiones non habent diſtinctas materias, ſcilicet, diſtincta ſubiecta, ex quibus diſtinctas illas indiuiduationes deſumant, cum vtraque viſio in eodem Angelo ſubiectetur: ergo viſiones illæ non habent materiam, ex qua talem indiuiduationem, ac diſtinctionem deſumant.

22 Dicat aliquis tertiò, eundem Angelum, licèt realiter ſit ſemper idem ſubiectum, eademque cauſa, tamen prout connotat diuerſa tempora, eſſe virtualiter diuerſa, & cauſas diuerſas, ac proinde viſiones eiuſdem ſpeciei, quas idem Angelus elicit in diuerſis temporibus, eſſe indiuidualiter diuerſas. Sed contrà, ſi viſiones illæ Angelicæ ab Angelo, vt ab earum ſubiecto, & cauſa indiuiduarentur formaliter, eo modo eſſent indiuidualiter vna, vel plures, quo Angelus eſſet vnum, vel plura ſubiecta indiuidualiter, quandoquidem indiuiduatio formalis viſionem, ex quo vnitas, vel pluralitas deſumitur, non eſſet alia, quam ipſamet formalis indiuiduatio ſubiecti, ſcilicet, Angeli; atqui Angelus ille etiam vt connotans diuerſa tempora eſt tantùm indiuidualiter vnum, & non plura ſubiecta realiter, ſed ſolùm virtualiter, vt ipſi admittunt: ergo viſiones illæ Angelicæ in illo receptæ pro diuerſis temporibus eſſent indiuidualiter vna viſio, & non plures viſiones realiter, ſed tantùm virtualiter; ſed viſiones illæ Angelicæ ſunt indiuidualiter plures inter ſe diſtinctæ realiter, vt per ſe conſtat: ergo tales viſiones ab Angelo, tanquam à ſubiecto, aut cauſa non indiuiduantur, ſed tantùm formaliter à ſeipſis. Deinde, ſi idem Angelus, quia eſt virtualiter multiplex, id eſt, connotat diuerſa tempora, poſſet pro illis diuerſis temporibus elicere duas viſiones eiuſdem ſpeciei diſtinctas inter ſe indiuidualiter, etiam ipſe Deus, quia eodem modo eſt multiplex virtualiter id eſt, connotat diuerſa tempora, poſſet pro illis temporibus diuerſis efficere duos Angelos eiuſdem ſpeciei diſtinctos inter ſe indiuidualiter: ergo ſi illæ viſiones intra eandem ſpeciem poſſent indiuiduari, ac diſtingui indiuidualiter de illo Angelo, vt multiplici tantùm virtualiter in ordine ad diuerſa tempora, etiam duo Angeli intra eandem ſpeciem poſſent indiuiduari, ac diſtingui indiuidualiter ex Deo vt multiplici in ordine ad diuerſa tempora etiam indiuidualiter. Patet conſequentia, quia maiorem, & ſtrictiorem connexionem, & dependentiam habent Angeli à Deo, à quo creantur, quam viſiones illæ ab Angelo, a quo eliciuntur: ergo potiori iure poſſunt Angeli indiuiduari, & diſtingui ex Deo prædicto modo, quam viſiones illæ Angelicæ eo modo indiuiduantur, & diſtinguuntur ex Angelo; atqui in aduerſariorum ſententia Deus vt multiplex virtualiter in ordine ad diuerſa tempora non ſufficit ad indiuiduandum, ac diſtinguendum indiuidualiter Angelos intra eandem ſpeciem: ergo idem Angelus vt multiplex virtualiter per ordinem ad diuerſa tempora non ſufficit etiam ad diſtinguendum indiuidualiter viſiones eiuſdem ſpeciei: ergo ſi tales viſiones Angelicæ ſunt indiuidualiter diſtinctæ non indiuiduantur, ac diſtinguuntur ex Angelo tanquam ſubiecto, ſed tantùm formaliter ex ſeipſis.

Probatur tertiò, principaliter. Indiuiduatio rei, verbi 23
gratia, animæ rationalis non diſtinguitur à parte rei à ratione formali, & ſpecifica ipſius animæ rationalis; indiuiduatio enim eſt idem, quod ſingularitas; ſingularitas autem rei non diſtinguitur reipſa à ratione ſpecifica talis rei, vt contra Scotum docent ipſi aduerſarij; ac proinde indiuiduatio rei non diſtinguitur reipſa à ratione ſpecifica talis rei; atqui materia ſignata diſtinguitur reipſa à ratione ſpecifica animæ rationalis, quæ eſt in Petro: ergo materia ſignata non eſt formaliter indiuiduatio animæ rationalis, quæ eſt in Petro; igitur forma rationalis Petri non diſtinguitur per materiam ſignatam, ſed per ſe ipſam formaliter. Confirmatur: ſi anima rationalis Petri ſolum per materiam ſignatam eſſet formaliter indiuidua, & diſtincta indiuidualiter ab anima rationali Pauli, ſequeretur, quod anima rationalis Petri ſecundum ſuam ſubſtantiam præcisè vt diſtinctam à materia ſignata, non eſſet formaliter indiuidua, nec diſtincta indiuidualiter ab anima rationali Pauli; ſicut quia ſubſtantia Petri eſt ſolum alba formaliter per albedinem, ipſe Petrus per ſuam ſubſtantiam præcisè vt diſtinctam ab albedine non eſt formaliter albus: atqui anima rationalis Petri per ſuam ſubſtantiam præcisè, vt diſtinctam à materia ſignata, eſt formaliter ſingularis, ac indiuidua, cum vt ſic formaliter ſic indiuiſibilis in plures animas eiuſdem rationis, & eſt diſtincta indiuidualiter ab anima rationali Pauli, quia anima illa rationalis Petri ſecundum ſuam ſubſtantiam præcisè non eſt verè anima Pauli, ac proinde diſtinguitur ſubſtantialiter ab illa: ergo anima rationalis Petri indiuiduatur præcisè per ſeipſam, & non per materiam ſignatam.

Obiiciat autem quis primò, per id fit formaliter 24
res indiuidua, per quod ab aliis diſtinguitur, ſed diſtinguitur ab aliis per materiam ſignatam quantitate, vt ſæpè docet Philoſophus: ergo fit formaliter indiuidua per materiam ſignatam quantitate. Secundò, indiuiduum vt ſic formaliter eſt incommunicabile alteri; ſed materia prima eſt incommunicabilis: ergo res fit formaliter indiuidua per materiam primam. Tertiò, indiuiduum in ſerie prædicamentali eſt ſubiectum primum, ſed materia etiam eſt formaliter ſubiectum primum: ergo indiuiduum formaliter conſtituitur per materiam primam. Quartò, conſonat auctoritas Ariſtot. ac D. Thomæ pluribus locis adductis à Fonſeca 5. metaph. cap. 6. quæſt. 4. ſectione 1. & à P. Suarez diſp. 5 metaph. ſectione 3. numero 3. qui expreſsè dicunt res indiuiduari formaliter, ac diſtingui ſubſtantialiter intra eandem ſpeciem per materiam ſignatam.

Hæc argumenta à ratione petita, D. Thomæ 25
auctoritate ſecluſa, futilia ſunt, magna æquiuocatione compoſita, ac viro Philoſopho indigna. Ad primum dico, per id formaliter rem indiuiduari, per quod ſubſtantialiter in ſeipſa ab aliis diſtinguitur; res autem ab aliis ſubſtantialiter diſtinguitur per propriam ſubſtantiam, & entitatem, non verò per

materiam signatam quantitate, nisi tantùm à posteriori, & quoad nos, vt infrà dicam, & ideo rem indiuiduari formaliter per seipsam, & non per materiam signatam quantitate. Ad secundum Respondeo, indiuiduum vt sic formaliter esse incommunicabile pluribus inferioribus eiusdem rationis cum ipso, in quibus reipsa multiplicatur; non verò esse incommunicabile alteri, tanquam subiecto Physico, in quo reipsa subiectetur, quæ est incommunicabilitas propria materiæ primæ, & ideo materia prima, ac eius incommunicabilitas physica per accidens, se habet ad rationem indiuidui formaliter. Ad tertium dico, indiuiduum vt sic formaliter esse primum subiectum, non quidem subiectum physicum formarum, sed subiectum tantùm prædicamentale, & Logicum prædicatorum formalium; materia autem prima vt sic formaliter est primum subiectum physicum formarum; ac proinde non necessariò sumitur ex materia indiuiduatio formalis. Ad quartum dico, Aristotelem, & Diuum Thomam intelligendos esse, non quidem de indiuiduatione, ac distinctione rerum in seipsis, sed tantùm de indiuiduatione, ac distinctione earum, quasi à posteriori, & quoad nos, quæ sumitur ex materia signata quantitate, vt verbis expressis D. Thomæ ostendunt Fonseca, & Suarez suprà adducti sect. 3. num. 33. nec multum fidendum est in Aristotelis auctoritate, qui circa materiam Angelorum, & rerum spiritualium variè errauit, aut mirè allucinauit.

26 Ex dictis infero primò, rectè posse in rerum natura dari Angelos indiuiduales diuersos intra eandem speciem. Probatur: quia non ob aliam rationem negatur ab aduersariis posse Angelos esse indiuidualiter distinctos intra eandem speciem, nisi quia indiuiduatio, ac distinctio sumitur formaliter ex materia, quam non habent Angeli; atqui iam monstratum est res non indiuiduari, ac distingui inter se ex materia, sed ex seipsis formaliter: ergo possunt dari intra eandem speciem Angeli, qui per seipsos formaliter indiuiduentur, ac distinguantur. Infero secundò, posse saltem diuina virtute duo accidentia eiusdem speciei in vno, ac eodem subiecto simul commorari; quia cum accidens non ex subiecto, sed ex seipso formaliter indiuiduetur, ac distinguatur ab alio, rectè potest esse simul in vno subiecto pluralitas accidentium.

27 Nonnulli in alio sensu docent rem indiuiduari ex materia signata, non quidem formaliter, vt suprà monstratum est, sed tantùm terminatiuè, scilicet, rem indiuiduari necessario per ordinem ad materiam signatam, & res indiuidualiter inter se distingui per ordinem ad diuersas materias signatas. Ita sentire videtur Caietanus de ente, & essentia capite 2. quæstione 5. & 3. parte quæstione 3. articulo 5. §. ad probationem, Iauellus 5. metaphys. quæstione 15. Ægidius quodlibeto 1. quæstione 5. articulo primo. Sed impugnantur primò, quia materia prima verè, & propriè est indiuidua, & tamen non per ordinem ad aliam materiam, nec etiam per ordinem ad quantitatem, cum eademmet materia in eorum sententia recipiat successiuè plures quantitates, vt ostendi suprà numero vigesimoprimo: ergo etiam Angelus, & quæuis alia res potest esse formaliter indiuidua, & non per ordinem ad materiam, nec per ordinem ad quantitatem. Secundò, duæ illæ visiones Angelicæ, eiusdem rationis, quæ eidem Angelo successiuè conueniunt, indiuiduantur, ac distinguuntur indiuidualiter inter se, & non per ordinem ad subiectum, seu materiam, cum in eodem subiecto recipiantur: ergo res indiuiduari potest, & non per ordinem ad materiam. Tertiò, eadem indiuidua anima rationalis informat connaturaliter materiam, quam habuit Petrus, verbi gratia, in primo conceptionis instanti, & etiam materiam illam, quam postea Petrus iam vir priori illa per diminutionem deperdita, per continuam nutritionem acquisierat; & tamen istæ materiæ sunt physicè inter se distinctæ indiuidualiter: ergo eademmet anima rationalis indiuidua potest successiuè naturaliter informare materias distinctas indiuidualiter: ergo indiuiduatio animæ rationalis non sumitur per ordinem ad materiam; alias variata materia naturaliter variaretur anima rationalis.

Verùm inquirat aliquis, quid sit formaliter indiuiduatio, & quomodo à ratione specifica differat? Censeo indiuiduationem esse differentiam positiuam distinctam à ratione specifica, non quidem à parte rei, nec formaliter obiectiuè, sed tantùm ex modo concipiendi. Ac primum esse differentiam positiuam patet; quia Petrus, & Paulus differunt positiuè, & tamen solùm differunt per indiuiduationes, cum in specie conueniant. Indiuiduationem autem, ac singularitatem non esse à parte rei distinctam à ratione specifica, quæ est in re, monstrauimus in Logica disputatione quarta, capite secundo & quinto. Non esse etiam distinctam formaliter obiectiuè ab illa ostendimus etiam in Logica disputatione sexta, capite secundo & tertio, esse verò indiuiduationem distinctam ex modo concipiendi à ratione specifica sic monstro: tunc aliqua distinguuntur ex diuerso modo concipiendi, quando conceptus vnius concipit totam aliquam entitatem in ordine ad aliquod connotatum, in ordine ad quod connotatum non concipit illam entitatem conceptus alterius, licèt in recto totam illam entitatem etiam concipiat; atqui conceptus indiuiduationis huius hominis, verbi gratia, concipit totam entitatem istius hominis in ordine ad indiuiduationem in plura eiusdem rationis, in ordine ad quam non concipit talem hominis entitatem conceptus rationis specificæ illius hominis, sed à tali indiuiduatione præscindit: ergo indiuiduatio distinguitur ex diuerso modo concipiendi à ratione specifica. Vide alia apud Suarez, & Fonsecam locis suprà citatis. 28

Quodnam sit principium extrinsecum indiuiduationis effectus.

SEnsus quæstionis est, cum ignis quantum est ex se possit efficere, & materia prima quantum est ex se possit recipere hanc, vel illam formam ignis ex infinitis possibilibus eiusdem rationis, ex quonam proueniat, quod quando ignis de facto operatur, educat ex hac materia hanc in indiuiduo formam substantialem ignis potius, quam aliam similem formam possibilem; & idem tam in effectibus naturalibus, quam liberis inquiritur. Opinantur quidam hoc præcisè prouenire ex variis circunstantiis loci, temporis, & similibus, ita vt si causa sit sub iis circunstantiis huius loci, huius temporis & cætera, non possit sub illis nisi hunc effectum producere, & hic non possit ab eadem causa sub aliis circunstantiis alterius loci, temporis, &c. generari. Ita sensérat Suarez tomo secundo in 3. partem disputatione 44. sectione 6. ante conclusionem quartam, & sentit absolutè Vasquez tom. 1. in 3. p. disp. 74. cap. 7. 29

ASSERTIO tamen sit. Indiuiduatio effectus tam necessarij, quam liberi non prouenit extrinsecè ex circunstantiis loci, temporis, ac similibus, sed tantùm ex voluntate Dei determinantis causam ad operandum talem effectum in particulari; ita tamen, vt si causa sit necessaria, Deus illam determinet positiuè 30

ſitiuè per abſolutum decretum, quo velit cum illa concurrere ad iſtum numero effectum, & non ad alium; ſi verò cauſa ſit libera, Deus determinet illam ad indiuiduationem effectus ſolum negatiuè, ſcilicet, parando illi concurſum indifferentem ad hunc præcisè actum amoris, verbi gratia, & non ad actus alios amoris eiuſdem ſpeciei, & ad hunc numero actum odij, & non ad alios actus odij eiuſdem rationis. Ita Suarez citatus, Toletus 3. de anima quæſtione 18. Conimbricenſes libro 2. Phyſicorum cap. 7. quæſtione 15. articulo 2. & 2. de generatione cap. 11. Hurtado diſputatione 10. phyſic. ſectione 4. §. 33. Ouiedo cap. 10. phyſic. parte 2. numero 2. Fonſeca 5. metaph. capite 2. quæſtione 9. ſectione 10. Rubius tractatu quarto, quæſtione 9. numero 3. Gregorius in 2. diſtinctione 17. articulo 2. & 7. & diſtinctione 25. quæſtione 1. articulo 1. Leonardus Leſſius, Carleton diſp. 31. phyſic. ſect 1. & nos in Phyſicis diſp. 16. cap. 5. ferè idem ſtatuimus; nunc autem altiùs res examinanda eſt.

31 Probatur primò, ſi res indiuiduaretur ex circunſtantiis huius loci, temporis, &c. res, quæ in hoc loco, ac tempore producitur, non poſſet in alio tempore, ac loco naturaliter produci, vt conſtat per ſe; ſed res, quæ in hoc loco, & tempore producitur, potuit in alio tempore, ac loco naturaliter produci: ergo res non indiuiduatur ex circunſtantiis huius loci, temporis, ac ſimilibus. Minor probatur: conſeruatio rei ſæpè eſt eadem in indiuiduo cum prima rei productione; ſed res in hoc loco, & tempore producta, in alio loco, ac tempore naturaliter conſeruatur: ergo etiam in alio loco, & tempore poteſt naturaliter produci.

32 Dicat autem quis, plus requiri ad primam productionem rei, quam ad conſeruationem illius, licèt conſeruatio ſit idem cum prima productione, etenim ſicut ſi anima rationalis primo producitur, requiritur corpus in vtero organizatum, cui ipſa infundatur, vt verò per eandem actionem continuatam conſeruetur, tale corpus non requiritur, item vt forma aquæ primo producatur deſiderantur octo, aut ſeptem gradus frigiditatis, qui omnes non requiruntur, vt conſeruetur; ita ergo ſimiliter vt res producatur, requiruntur neceſſariò circunſtantiæ huius loci, & iſtius temporis, quæ non requiruntur, vt conſeruetur. Sed contrà, quandocumque aliquid ſpecialius requiritur ad primam rei productionem, quam ad eius conſeruationem, illud ſpeciale debet eſſe tale, quo magis res ipſa in ſuo eſſe compleatur, foueatur, aut adiuuetur in primo inſtanti generationis, quam in ſequentibus, in quibus caret illo, vt ipſa experientia oſtendit, & monſtrant exempla adducta; anima enim rationalis magis eſt completa cum corpore organizato, cui infunditur, quam cum manet ſine illo, & aqua magis adiuuatur, & fouetur per frigiditatem vt octo, quam per frigiditatem vt tria; atqui res, verbi gratia, forma ignis non magis completur, adiuuatur, aut fouetur per has circunſtantias huius loci, & temporis, ſub quibus eſt in inſtanti generationis, quam per alias ſimiles circunſtantias loci, ac temporis ſubſequentis, ſub quibus conſeruatur: ergo circunſtantiæ illæ illius loci, ac temporis detetminati, non requiruntur ſpecialius ad primam rei productionem, quam ad conſeruationem, ac proinde ſicut ſine illis poteſt talis res naturaliter conſeruari, ita ſine illis poterit primo produci.

33 Probatur ſecundò, argumento Theologico efficaciori. Beatiſſima Virgo, & Patres antiqui licèt non meruerint ſubſtantiam incarnationis, ſcilicet, quod Verbum Dei carnem abſolutè aſſumeret, meruerunt tamen incarnationis circunſtantias, maximè accelerationem temporis, quam à Deo ardentiſſimè poſtulabant, ſcilicet, quod Verbum Dei in hoc tempore incarnaretur, vt probant erudite Pater Suarez tomo 1. in 3. parte diſputatione 10. ſectione 6. & 8. & Vaſquez ibidem diſputatione 23. capite 2. 4. & 5. ac docent communiter omnes; atqui ſi res indiuiduaretur ex huius loci, & temporis circunſtantiis non meruiſſent antiqui Patres circunſtantias incarnationis, ſcilicet accelerationem illius, & quod in hoc tempore incarnatio fieret: ergo non indiuiduatur res ex loci, & temporis circunſtantiis. Minor oſtenditur: id, quod per ſe ſupponitur ad meritum, non poteſt mereri per tale meritum, ideo enim Patres antiqui non potuerunt promereri ſubſtantiam incarnationis, quia cum eorum meritum oriatur ex gratia per Chriſtum, ſupponit futurum Chriſtum, & ipſam ſubſtantiam incarnationis, & cum ſupponatur ad meritum, cadere non poteſt ſub tale meritum; atqui ſi res indiuiduatur ab iis circunſtantiis huius loci, temporis, &c. etiam ad meritum Patrum ſupponitur per ſe futura incarnatio Chriſti in hoc numero loco, & in hoc numero tempore, in quo de facto fuit facta, quia præſupponitur abſolutè futura, vt iam oſtendi; & non poteſt eſſe futura in aliis circunſtantiis loci, & temporis, niſi in iſtis, cum indiuiduetur ab iſtis, ac proinde præſupponitur futura in his circunſtantiis huius loci, & huius temporis, in quibus effecta fuit: ergo ſi res indiuiduetur ex his loci, ac temporis circunſtantiis, nec Virgo, nec Patres antiqui meruiſſent circunſtantias incarnationis, ſcilicet, quod in hoc loco, & tempore fieret.

Dicat autem quiſpiam primò, licèt formæ materiales, quæ pendent à cauſa creata, ab his creatis circunſtantiis loci, ac temporis dependeant, ac indiuiduentur, ab illis tamen non indiuiduari, nec pendere materiam primam, nec animam rationalem, quæ tantùm fiunt à cauſa increata, quæ pro ſua libera voluntate præcisè hanc, vel illam animam rationalem creat, vnde benè poteſt ad meritum Patrum ſupponi Chriſtus futurus cum hac numero materia, & hac numero anima rationali, & non ſupponi futurus in his numero circunſtantiis loci, & temporis, & idcirco illas mereri potuerunt antiqui Patres. Sed contrà, ſicut forma materialis vt ſic pendet neceſſariò à poſteriori ab aliquo tempore, & ab aliquo loco intrinſeco, ita forma rationalis vt ſic neceſſariò dependet à poſteriori ab aliquo tempore, & ab aliquo loco intrinſeco, neutra enim poteſt abſque aliqua duratione, & vbicatione etiam diuinitus conſeruari: ergo ſi hæc forma materialis in particulari pendet neceſſario ab hoc tempore, & ab hoc loco in particulari in prima ſui productione, etiam hæc forma rationalis in particulari pendebit neceſſariò in prima ſui productione ab hoc tempore, & loco particulari; nam quod hæc fiat à cauſa increata, & illa à cauſa creata non ſufficit vt illa pendeat à tali numero loco, & tempore, & iſta ab illo non pendeat, ſicut quod forma rationalis vt ſic fiat à cauſa increata, & forma materialis vt ſic fiat à cauſa creata, non ſufficit vt forma materialis vt ſic pendeat ab aliquo loco, & tempore, & forma rationalis vt ſic ab aliquo loco, & tempore non dependeat: ergo ſi hæc forma materialis indiuiduatur ab hoc loco, & ab hoc tempore, etiam hæc forma rationalis ab hoc loco, & ab hoc tempore indiuiduabitur; ac proinde ſi ad meritum Patrum ſupponitur Chriſtus futurus cum hac numero materia, & cum hac numero anima rationali, etiam ſupponitur futurus in his numero circunſtantiis, ſcilicet, in hoc numero loco, & tempore. Deinde Chriſtus ad meritum Patrum ſupponebatur futurus non 34

ſolum quo ad hanc numero materiam, & animam rationalem, ſed etiam quo ad hanc numero vnionem animæ cum materia, cum hæc vnio etiam ſit de eſſentia huius hominis, qui eſt Chriſtus; ſed hæc numero vnio, cum ſit forma materialis producta à cauſa creata, pendet per vos ab his numero circunſtantiis loci, & temporis; ergo Chriſtus ad meritum Patrum ſupponebatur futurus in his numero circunſtantiis loci, & temporis.

35 Dicat ſecundò, antiquos Patres impetraſſe, quod Verbum diuinum incarnaretur ante tempus illud, in quo eius vnio hypoſtatica fieri naturaliter exigebat, nam hoc poſſibile fuit de potentia abſoluta, & ante merita Patrum non ſupponebatur futurus. Sed contrà, Patres Eccleſiæ, ac Theologi ita de incarnatione loquuntur, vt tantum ſentiant ipſam incarnationem quod ſubſtantiam fuiſſe miraculum, non verò nouum miraculum fuiſſe, quod fieret in hoc tempore, in quo de facto fuit facta; atqui ſi fuiſſet facta incarnatio ante illud tempus, in quo vnio incarnationis exigebat connaturaliter fieri, nouum etiam miraculum fuiſſet, quod incarnatio eſſet facta in hoc tempore, in quo de facto facta fuit, vt conſtat: ergo Verbi incarnatio non fuit facta ante illud tempus, in quo vnio incarnationis Verbi exigebat connaturaliter fieri; ac proinde Patres antiqui ſuis orationibus non impetrarunt.

36 Dicat tertiò, Deum potuiſſe de eius potentia abſoluta inuertendo ordinem naturæ Chriſtum non producere in his loci & temporis circunſtantiis, in quibus naturaliter petebat produci, & producere illum in aliis, in quibus petebat non produci; & ideo Patres antiqui potuerunt mereri, quod Chriſtus in illis debitis circunſtantiis loci, ac temporis produceretur. Sed contrà, cum Deus ſæpè ſe accommodet naturis rerum; & naturæ ordinem non euertat, niſi ad noſtram vtilitatem, homines nunquam poſtulant à Deo ardentiſſimo deſiderio id, quod tenetur ipſe naturaliter efficere: atqui Patres antiqui ardentiſſimo deſiderio à Deo poſtulabant, vt Chriſtus in hoc loco, & tempore produceretur: ergo Deus non tenebatur naturaliter Chriſtum in hoc loco, & tempore producere: ergo non ſolum de potentia Dei abſoluta, ſed etiam de potentia ordinaria poterat Chriſtus ab ipſo Deo in hoc loco, & tempore produci: igitur hic numero Chriſtus quoad eius naturam humanam non indiuiduatur ab his numero circunſtantiis, ſcilicet ab hoc loco, & tempore.

37 Obiiciat aliquis primò, non eſt Philoſophicum confugere ad primam cauſam, ſi poſſit aliunde reddi cauſa naturalis creata alicuius rei: atqui in hac quæſtione, ſcilicet, quare hic numero effectus, & non alius illi ſimilis ab hac cauſa producatur, ſi dicamus effectum indiuiduari ex circunſtantiis loci, & temporis, & ſimilibus, poteſt reddi cauſa naturalis creata, ſcilicet, quia hic numero effectus pendet ab his numero circunſtantiis, in quibus naturaliter non poteſt produci alius; ſi verò id rogemus debemus neceſſariò confugere ad cauſam primam, & dicere, quia Deus ſic voluit: ergo negari non debet effectum indiuiduari ex talibus circunſtantiis. Reſpondeo, cum ad cauſam primam iure naturali, ac Philoſophico attineat ſupplere defectum cauſæ ſecundæ creatæ, non eſt patum Philoſophyſicum confugere ad cauſam primam, quando deeſt cauſa ſecunda creata; nulla autem poteſt dari cauſa ſecunda creata, quare hic numero effectus, & non alius ſimilis producatur, vt ratione naturali, ac Theologica iam ſuprà oſtenſum eſt, atque ideo parum Philoſo-phyſicum non eſt confugere ad cauſam primam.

38 Obiiciat ſecundò, indiuiduatio non diſtinguitur reipſa ab ſpecie, ſeu à ratione ſpecifica eiuſdem effectus; ſed cauſa ſecunda, v. g. voluntas creata ſe determinat ad rationem ſpecificam, ſeu ad ſpeciem amoris: ergo etiam ſe determinat ad indiuiduationem amoris talis. Reſpondeo, cauſam aliquam ſe determinare quoad ſpeciem, ſeu rationem ſpecificam; non verò quoad indiuiduationem effectus non ſignificare, quod cauſa illa phyſicè ex parte effectus attingat aliquam formalitatem, quæ ſit ſpecies, ac ratio ſpecifica effectus, & non attingat aliam, quæ ſit indiuiduatio illius, hoc enim implicat, cum talis effectus omnes formalitates ſint idem; ſed tantum ſignificare, quod cauſa illa ita efficiat omnes formalitates effectus, vt ipſa ex ſe cum concurſu Dei indifferenti ad vtrumlibet ſit potens efficere aliquem actum, hunc, vel illum talis ſpeciei, potius, quam aliquem actum, hunc, vel illum alterius ſpeciei; non verò ſit ex ſe cum concurſu Dei indifferenti ad vtrumlibet cauſa potens elicere hunc numero actum potius, quam alium eiuſdem ſpeciei, niſi hæc illi determinatio proueniat ex concurſu determinato Dei; cum ergo creata voluntas ita efficiat omnes formalitates huius numero actus amoris, & ipſa ex ſe cum concurſu Dei indifferenti ad vtrumlibet ſit cauſa potens elicere aliquem actum, hunc, vel illum talis ſpeciei, v. g. amoris potius, quam alıquem actum hunc, vel illum alterius ſpeciei, ſcilicet, odij; non verò ſit ipſa voluntas cum concurſu Dei indifferenti ad vtrumlibet cauſa potens elicere hunc numero actum amoris potius, quam alium in indiuiduo actum amoris eiuſdem ſpeciei, nec ſit vnde hæc illi determinatio proueniat, niſi ex ſolo determinato concurſu, & voluntate Dei; ideo voluntas creata efficiens ex parte effectus omnem rationem, ac formalitatem illius ſe formaliter ex parte modi determinat quoad ſpeciem, non verò quoad indiuiduationem talis effectus; quod etiam aduerſarij tenentur reſpondere, cum dicant voluntatem ſe determinare quoad ſpeciem, & à circunſtantiis determinari quoad indiuiduationem; hæc enim obiectio omnibus eſt communis.

Obiiciat tertiò, Deus prius videt cauſam creatam, 39
v. g. voluntatem determinatam, vel determinandam quoad ſpeciem, quam illam determinet quoad indiuiduum, ſed cauſa non poteſt ſe determinare ad ſpeciem, niſi ſeipſam determinando quoad indiuiduum, quia non efficit effectum in communi, ſed in ſingulari, ac in indiuiduo: ergo Deus prius videt cauſam creatam determinatam, vel determinandam quoad indiuiduum, quam ipſe illam determinet: ergo Deus non determinat ipſam, quoad indiuiduum. Reſpondeo, Deum non prius videre cauſam creatam abſolutè determinatam, vel determinandam quoad ſpeciem, quam ipſe illam determinet quoad indiuiduum, ac proinde nec illam cernere determinatam quoad indiuiduum prius, quam ipſe illam determinet; videre tamen Deum ipſam cauſam, ſcilicet, voluntatem creatam determinandam à ſeipſa quoad ſpeciem ſub conditione, quod ipſe Deus det tali voluntati ſuum concurſum indifferentem ad aliquem actum talis ſpeciei, v. g. amoris, & ad aliquem actum alterius ſpeciei, v. g. odij, tunc autem etiam Deum cernere voluntatem determinandam quoad indiuiduum ſub conditione, quod Deus det illi ſuum concurſum determinatum ad hunc, verbi gratia, amorem in indiuiduo, & non ad alium eiuſdem ſpeciei; videre tamen ipſam voluntatem quoad indiuiduum conditionatè determinandam, non ex vi ſua, ſed ex vi concurſus conditionati, ac determinati Dei, ac proinde cum poſtea Deus dat illi abſolutè talem concurſum determinatum, ipſe eam determinat quoad indiuiduum.

Obiiciat quartò, voluntas creata, quando de facto 40
operatur hunc actum amoris, operatur illum liberè, ita vt poſſit abſolutè illum non eliœre; ſed ſi Deus illam determinaret ad hunc actum amoris in indiui-

duo,

duo, non eliceret illum liberè, ita vt poſſet illum non elicere, quia quod Deus vult determinatè quod ſit, non poteſt vlla ratione non eſſe: ergo Deus non determinat voluntatem ad hunc actum amoris in indiuiduo. Confirmatur: Deus non eſt cauſa per ſe actus peccaminoſi in indiuiduo; ſed ſi Deus determinaret ad indiuiduationem actus, eſſet cauſa per ſe actus peccaminoſi in indiuiduo: ergo Deus non determinat ad indiuiduationem actus. Minor probatur: cauſa determinata alicuius effectus eſt cauſa per ſe illius; ſed ſi Deus determinaret ad indiuiduationem effectus, determinaret etiam ad indiuiduationem huius actus odij Dei peccaminoſi; ac proinde eſſet cauſa determinata actus peccaminoſi: ergo eſſet cauſa per ſe illius. Reſpondeo, Deum determinare voluntatem quoad indiuiduum, non quidem poſitiuè, ſcilicet, volendo abſolutè, quod voluntas eliciat hunc numero actum, v.g. amoris, hoc enim modo tolleret eius libertatem, ſed tantum illam determinare negatiuè, ſcilicet, parando illi concurſum ad hunc numero actum amoris, & non ad alios ſimiles, & ad hunc numero actum odij, & non ad alios ſimiles, ita indifferentem, ac ſubiectum voluntati, vt poſſit ipſa voluntas (licèt ex ſuppoſitione, quod operetur amorem, ſit determinata à Deo ad eliciendum hunc præcisè actum amoris, & non alium; & ex ſuppoſitione, quod operetur odium, ſit determinata à Deo ad eliciendum hunc actum odij, & non alium) quaſi eligere inter vtrumque, & elicere, vel hunc numero actum amoris, vel hunc numero actum odij, vel etiam vtrumque omittere, quod ſufficit ad veram, ac perfectam libertatem. Ad confirmationem dico, Deum non cauſare per ſe hunc numero actum peccaminoſum, quia cum non determinet voluntatem poſitiuè ad talem actum, ſed tantum negatiuè, id eſt, negando illi concurſum ad alios ſimiles, concurrit abſolutè ad illum vt cauſa indifferens, determinata tamen per voluntatem, quod non ſufficit, vt ſit cauſa propriè, & per ſe talis actus, ſed tantum permiſſiuè, & per accidens, vt diximus in phyſica diſp. 16. c. 6.

41 Obiiciat quintò, hic numero effectus, v.g. hæc numero forma ignis, ſi ſemel corrumpatur, non poteſt ab eodem agente, & ab eadem materia, à quibus primo producta fuit, poſtea naturaliter reproduci, vt omnes admittunt; atqui ſi talis effectus, ſcilicet, forma ignis ex illis circunſtantiis loci, ac temporis, & ſimilibus, in quibus primo producta fuit, non indiuiduaretur, etiam iam corrupta poſſet ab eodem agente, & materia iterum applicatis naturaliter reproduci; cum adhuc poſt formæ corruptionem maneat in agente, & paſſo eademmet virtus actiua, & paſſiua, quæ antea erat ad talem formam, & nulla deſit circunſtantia, à qua forma ipſa in ſui productione pendeat: ergo talis effectus, ſcilicet, forma ignis ex iis circunſtantiis determinatis loci, ac temporis indiuiduatur, vel dicendum effectum iam corruptum poſſe naturaliter reproduci; ac proinde mortuorum etiam reſurrectionem fore naturalem. Reſpondeo, formam ignis iam corruptam non poſſe naturaliter reproduci, quia licèt maneat in agente creato, & in materia eadem potentia actiua, & paſſiua ſecundum id, quod dicit in recto, non verò manet ſecundum id, quod includit in obliquo; quia non manet idem concurſus generalis Dei paratus ad eandem formam corruptam iterum producendam; ac proinde illa non poteſt naturaliter reproduci; reſurrectio autem alias ob cauſas eſt neceſſariò ſupernaturalis, quia, ſcilicet, corpus cuiuſque diſponitur, & organizatur extra vterum, ac etiam abſque interuentu virtutis ſeminalis, quæ miraculoſa ſunt, & ſuprà vires naturæ.

42 Sed vrgeat quis, vt aliquis effectus ſit ſimpliciter connaturaliter poſſibilis ſufficit, quod Deus poſſit naturaliter dare cauſis naturalibus concurſum ad illum efficiendum, ſeu producendum, quo præſtito poſſunt cauſæ naturales propria virtute illum producere, licèt cauſæ ipſæ naturales non exigant determinatè illum concurſum Dei, & Deus de facto illum daturus non ſit; nam forma illa ignis, v.g. ex poſſibilibus, quæ nunquam futura ſunt, eſt ſimpliciter connaturaliter poſſibilis, & tamen Deus nunquam dabit cauſis creatis concurſum determinatum ad illam producendam, nec cauſæ creatæ exigunt determinatè illum; Deus tamen poteſt dare naturaliter ipſis cauſis talem concurſum ad illam formam producendam, & eo præſtito cauſæ creatæ formam illam propria virtute producerent, & hoc ſufficit, vt talis forma verè, ac ſimpliciter ſit poſſibilis; ſed Deus poteſt etiam dare naturaliter cauſis creatis concurſum determinatum ad formam ignis corruptam iterum producendam, hoc enim non eſt contra exigentiam, & appetitum naturæ, nam etiamſi Angelus vniuerſam naturam comprehendat, non videbit in illa phyſicum aliquem appetitum, quo natura phyſicè appetat, quod Deus non det concurſum cauſis creatis ad formam ignis corruptam producendam, nec aſſignari poteſt, niſi fingendo, in quanam entitate, aut cauſa talis appetitus inſideat; ac proinde naturaliter poteſt Deus dare cauſis creatis ſuum determinatum concurſum ad formam reproducendam, quo præſtito cauſæ creatæ poterunt natiua virtute formam illam iam corruptam reproducere: ergo licèt Deus de facto non det ſuum determinatum concurſum ad formam corruptam, nec illum determinatè exigant cauſæ creatæ, adhuc forma illa corrupta erit verè, ac ſimpliciter poſſibilis naturaliter.

Reſpondeo, Deum poſſe naturaliter dare ſuum concurſum cauſis creatis ad formam, quæ nunquam fuit, nec futura eſt producenda, & ideo illam eſſe ſimpliciter naturaliter poſſibilem ſaltem remotè, non verò poſſe Deum naturaliter dare ſuum concurſum determinatum ad formam corruptam reproducendam, ſed id fore contra appetitum communem naturæ, & ideo formam illam corruptam nulla ratione eſſe poſſibilem naturaliter; pro cuius explicatione aduerto, appetitum communem naturæ non eſſe in rebus creatis naturalibus, in quibus inſidet appetitus naturæ particularis; cum ſæpè appetitus communis naturæ cum particulari appetitu rei naturalis opponatur; appetitus enim particularis naturæ aquæ, cum ſit grauis, petit, vt deorſum deſcendat, & tamen aliquando appetitus naturæ communis petit, vt aqua ſurſum, vt vacuum repleat, aſcendat, & tamen talem appetitum communem naturæ in ipſo Deo, vt auctore naturali, & eſſe formaliter complacentiam, & amorem ſimplicem, quo ipſe Deus vt auctor naturæ amat commune bonum, ac pulchritudinem totius vniuerſi; nam ſicut appetitus elicitus animæ rationalis, quæ eſt quaſi caput hominis; ita appetitus elicitus Dei, vt auctoris naturalis, qui vt ſic formaliter eſt caput naturæ, & vniuerſi, dicitur ſimpliciter præcipuus, ac communis appetitus totius naturæ, ac totius vniuerſi. Hoc ergo poſito dico, Deum auctorem naturalem per hunc ſimplicem amorem, & appetitum communem amare commune bonum, & pulchritudinem vniuerſi, quæ, cum reſultat, non quidem ex iterata repetitione eiuſdem formæ, ſed ex diſtinctione, & varietate formarum, ideo nolle repetitionem eiuſdem formæ, & amare illo communi appetitu diſtinctionem, ac varietatem formarum; cum autem Deus non poſſit naturaliter operari, & exhibere concurſum cauſis creatis, niſi accommodando ſe illi appetitui communi naturæ, ſcilicet, complacentiæ ipſius in bono vniuerſi, idcirco non poteſt dare cauſis creatis naturaliter concurſum ad formam corruptam repetendam, & reproducendam, ſed ad producendam aliam diſtinctam nunquam productam, vt ſic naturæ pulchri- 43

tudo augeatur: ac proinde formæ iam corruptæ repetitio est naturaliter impossibilis, quæ quidem ratio non militat in illa forma nunquam facta, nec futura, cum sit distincta ab omnibus formis in rerum natura productis, & ideo Deus naturaliter potest dare concursum ad illam, & ipsa est naturaliter possibilis.

44 Ex dictis infero, etiam modos non indiuiduari à circunstantiis loci,& temporis,sed à voluntate Dei; & quidem in illis modis, quæ ex se non habent essentialem connexionem cum loco, & tempore, qualis est vnio, res est conspicua ex dictis suprà maximè n.34. at verò in aliis modis connexis essentialiter cum loco, qualis est vbicatio,& cum tempore, qualis est duratio. Probatur: quia non minus essentialiter respicit hæc vnio hæc extrema,quæ vnit, quam hæc duratio respicit hoc tempus, & hæc vbicatio respicit istum locum; sed omnes admittunt inter hæc extrema, scilicet, materiam, & formam possibilem esse aliam vnionem similem in specie cum illa, & distinctam in indiuiduo ab illa: ergo etiam respectu huius temporis potest esse alia in indiuiduo duratio, & respectu huius loci alia in indiuiduo vbicatio eiusdem rationis cum illa: ergo quod in hoc loco, & tempore hæc duratio, aut vbicatio, & non alia similis fiat prouenit tantùm ex Dei determinatione.

CAPVT III.

In quo ratio formalis veri transcendentalis consistat?

45 IN præsenti non est sermo de veritate formali, quæ est conformitas, & adæquatio cognitionis cum obiecto, de qua latè disseruimus in Dialectica disp.31. & 32. solùm ergo quæstio est de veritate, ac vero transcendentali, quæ est passio propria entis realis, & inquirimus, in quonam eius ratio formalis consistat? Multæ sunt in hac re Philosophorum sententiæ, & fortè difficile iudicium ferre ob ignorantiam vocum à quo, vel ad quid significandum sint impositæ; quare quidam dixerunt, verum, quod est passio entis, esse formalitatem aliquam positiuam, vel ex natura rei, vel saltem ratione ratiocinata obiectiuè distinctam ab ipso ente. Ita Capreolus in 1.distinct.19. quæst.3. conclusione 3 Soncinas 6. metaph. quæst.17. Iauel. tract. de transcendentibus capite 5. Alij censent veritatem transcendentalem esse relationem rationis conformitatis ipsius entis cum intellectu, scilicet, cum quouis intellectu,vel saltem cum intellectu diuino. Ita Durandus, Capreolus, Caietanus, & fauere videtur D. Thomas in 1. distinct.19. quæst.5.art.1. Molina 1. p.quæst.16. disp.2.Fonseca 4.metaph. cap.2. quæst.6. sect.2.Vasq. 1.p.disp.77.cap.4. Henricus, & Masius lib.4. de transcendentibus cap.7. & alij plures. Alij tenent veritatem transcendentalem esse denominationem extrinsecam prouenientem formaliter à cognitione propria rei, quam ipsa res fundamentaliter causat, & à qua denominatur cognita sicut est. Ita Caiet. 1.part. quæst.16. art.6. in fine, Vasquez loco citato. Tandem alij opinantur, veritatem, seu verum transcendentale formaliter esse ipsum ens, vt connotans negationem entis apparentis, ac ficti, vt verum aurum est aurum ipsum connotans negationem auri ficti, vel apparentis. Ita plures recentiores ingeniosi, & ferè communiter antiqui.

46 ASSERTIO sit. Verum transcendentale, quod est passio entis realis, est formaliter ipsum ens, vt conformabile intrinsecè, ac positiuè cum conceptu proprio suiipsius,id est,vt connotans actu, vel aptitudine cognitionem intellectus, qua ipsum cognoscatur sicuti est in se. Hæc est expressa sententia D. Augustini lib.2. soliloquiorum cap.1.vbi sic ait; *Verum est, quod ita se habet, vt videtur cognitori, si velit, & possit cognoscere*; & D.Anselmi l.Dialogorum de veritate, capite 9. asserentis, *veritatem esse rectitudinem sola mente perceptibilem*, D,Thomæ 1.part.quæst.16.art.5. dicentis, *Veritatem inuenimi in re secundum quod habet esse conformabile intellectui*, quæst.1. de veritate, art.1. ad 6. & art.8. & alibi sæpè. Eam tenent Caiet. 2.2. quæst.1.art.1. Suarez disp.8. metaph. sectione 7. num.24. Molina, & Vasquez suprà citati, Valentia tomo 1. disputatione 1. quæstione 16. puncto 1.& 3. Hurtado disp.7. metaph. sectione 1. Arriaga disp.1. metaph. sectione 5. Carleton disputatione 3. metaph. sect.1. Auersa tomo 1. metaph. quæst.6. & sect.6. & quamplures alij.

Probatur, id est formaliter verum transcendentale, 47
cui à Philosophis communiter hoc nomen, verum transcendentale, impositum est; atqui communiter Philosophi hoc nomen imposuerunt ad significandum ens reale vt conformabile cum intellectu, id est, cum conceptu proprio suiipsius, vt constat ex nuper dictis: ergo verum transcendentale formaliter est ens vt conformabile cum conceptu proprio suiipsius. Confirmatur, sicut veritas formalis vt sic formaliter connotat necessariò obiectum, cui conformatur, vt non possit concipi formaliter sine illo, sic veritas obiectiua vt sic formaliter connotat necessariò conceptum intellectus,seu conformitatem,ita vt non possit formaliter concipi sine illo; atqui veritas obiectiua vt sic formaliter est veritas transcendentalis, & passio entis,quia reperitur in omni ente,& ex modo concipiendi consequitur ad illud: ergo veritas transcendentalis, quæ est passio entis connotat necessariò ipsum actum intellectus, cui conformatur. Vrgeo: si verum transcendentale vt sic formaliter non connotaret conceptum,cui sit conforme, maximè,quia præcisa tali connotatione per solam negationem entis ficti, & apparentis est formaliter ens verum transcendentaliter; atqui præcisa tali connotatione, & conformitate non concipitur verum transcendentale, quod sit passio entis realis: ergo verum transcendentale connotat necessariò actum intellectus, cui conformatur. Minor patet: præcisa tali connotatione,& conformitate cum intellectu solum concipitur ens connotans negationem entis ficti; sed ens vt connotans negationem entis ficti est formaliter, ac præcisè ipsum ens reale essentialiter, quod ex suo conceptu formali primariò connotat negationem entis ficti, vt ostendimus suprà disp.2. cap.1. ergo præcisa illa connotatione, & conformitate cum intellectu solùm concipitur ens reale secundum suam essentiam præcisè, ac formaliter; atqui verum transcendentale, quod est passio entis, est formaliter distinctum ab essentia entis realis, cum res esse non possit passio sui ipsius: ergo præcisa illa connotatione,& conformitate cum intellectu non concipitur verum, quod sit passio entis realis.

Sed obiiciat quis primò, aurum cum negatione auri 48
apparentis,ac ficti præcisa conformitate cum conceptu vero est formaliter verum aurum; etenim cum quis communiter rogatur quare hoc sit verum aurum? non respondet, quia est conforme cum intellectu, sed quia non habet præcisè apparentiam, sed etiam realitatem auri: ergo aurum verum, vt sic formaliter non includit conformitatem cum intellectu, sed tantùm negationem auri apparentis. Secundò, si nullus esset possibilis intellectus, & daretur hoc aurum, esset propriè verum aurum, & tamen tunc non esset conformabile cum intellectu: ergo verum, vt sic formaliter non est conformabile cum intellectu. Tertiò, conceptus entis realis non est verus formaliter à seipso, sed ab ipso obiecto vero: at si obiectum, scilicet, ens esset verum per conformitatem cum intellectu, conceptus esset verus

verus formaliter à se ipso, nam sumeret veritatem ex obiecto, quod illam haberet ex ipso conceptu, vel saltem circulus vitiosus commiteretur, cognitio enim diceretur vera, quia eius obiectum esset verum, & obiectum diceretur verum, quia eius cognitio est vera, quod est absurdum: ergo dicendum est obiectum scilicet, ens à seipso absolutè habere vnitatem, & non per ordinem, & conformitatem cum intellectu.

49 Respondeo ad primum præcisa conformitate veri cum intellectu habere ipsum verum veritatem quamdam transcendentalem vulgarem, scilicet, realitatem, quæ formaliter non est passio, sed essentia entis, & potest dici veritas essentialis, ac fundamentalis, non vero verum, vt sic præcisiuum, habere veritatem physicam, quasi accidentalem, & formalem, quæ quidem in sola conformitate cum intellectu consistit. Ad secundam dico primo in eo casu non fore verum quia non esset intellectus Dei, nec Deus ipse, à quo tale verum dependet, quid mirum si non est verum? Dico secundo. Si verum in eo casu maneret esset tantum verum vulgariter, & fundamentaliter, non vero physicè, & formaliter, cum hæc veritas necessario ab intellectu proueniat. Ad tertium dico, conceptum intellectus esse verum ab obiecto vero tantum fundamentaliter, scilicet, ab obiecto non ficto, sed realiter consistente, hoc autem habet ens reale per se ipsum, & non formaliter ab ipso conceptu, ac proinde non esse conceptum verum formaliter à seipso, nec vitiosum circulum committi, nam licet conceptus sit verus, quia eius obiectum est verum fundamentaliter, obiectum tamen ipsum non est verum fundamentaliter, quia ipse conceptus est verus, sed quia habet in se realitatem, & carentiam entis ficti, vt ex dictis apparet.

50 Ex dictis infero, in ente reali nullam posse falsitatem obiectiuam strictè, ac Philosophicè sumptam reperiri. Ita Suar. alios referens disp. 9. metaph. sect. 1. à num. 5. qui ait hanc sententiam esse magis conformem, & consonam Aristoteli, & D. Thomæ, & communiter eam tuentur citati authores num. 45. Probatur breuiter. Falsitas obiectiua est difformitas entis cum conceptu proprio ipsius, nam cum veritas obiectiua, & falsitas obiectiua directè inter se opponantur respectu eiusdem conceptus, respectu cuius veritas obiectiua, est conformitas, debet esse difformitas ipsa obiectiua falsitas; veritas autem est conformitas rei cum conceptu proprio ipsius vt iam ostendimus; ac proinde inde etiam falsitas obiectiua debet esse difformitas rei cum conceptu proprio sui ipsius; atqui nullũ ens potest esse difformè cum conceptu proprio ipsius, scilicet, quo ipsum concipitur sicut est; aliàs ens reale v. g. homo esset animal rationale vt transcendens conceptum proprium sui ipsius, quo ipse concipiatur sicuti est, & simul nõ esset animal rationale, vt esset difformis tali conceptui, quod apertè implicat: ergo nullum potest dari ens, quod sit obiectiuè falsum; ac proinde in ente reali strictè falsitas obiectiuè non reperitur. Non nego latè, & vulgariter multis modis aliquid dici falsum, scilicet vel quia ab exemplari artificis defluit, vel quia est obiectum actus falsi, & ab illo denominatur, vel quia apparet esse id, quod non est reipsa, & intellectum fallit. Videantur D. Thomas 1. part. quæst. 17. art. 1. in corpore, Suar. Hurtado, Auersa, & alij plures passim.

CAPVT IV.

In quo ratio Boni transcendentalis formaliter sita sit?

51 MVlta etiam in hac re sunt Philosophorum placita. Alij dicunt bonitatem transcendentalem esse aliquam proprietatem, ac formalitatem distinctam ex natura rei ab ente. Ita Scotus in primo dist. 3. quæst. 3. & alibi. Alij censent, bonitatem esse relationem rationis, qua vna res est formaliter conueniens alteri. Ita sentire videtur Capreolus in 2. dist. 34. q. 1. Fonseca 4. metaph. c. 2. q. 7. sect. 5. alij tenent bonitatem esse relationem realem conuenientiæ vnius ad aliam. Ita Durandus in 2. dist. 34. quæst. 1. S. Thomas de veritate quæst. 1. & 21. art. 1. & 1. part. quæst. 5. Capreolus, Suar. disp. 10. metaph. sect. 1. Auersa quæst. 7. sect 4. Hurtado disp. 7. metaph. sect. 3. Arriaga disp. . metaph. sect. 6. Carleton disp. 3. de anima sect. 2. Molina 1. part. qu. 5. Vasq. 1. part disp. 23. Valentia tomo 1. disp. 1. quæst. 6. & communiter omnes. Alij ferè idem opinantur diuersis terminis, scilicet bonitatem esse formaliter ipsam entitatis perfectionem, ac integritatem intrinsecam. Ita Herueus quodlibeto 3. quæst. 2. Vasquez, Molina, Suar. Valentia, & alij, quæ placita referunt Suar. Auersa, & alij supra. Sed his, & aliis omissis, quæ ad longum apud prædictos authores videri possunt.

Bonum communiter tripliciter vsurpatur, pro perfecto, pro conuenienti, pro amabili, quæ quidem sigillatim declarabimus. Ac primum bonum, scilicet, perfectum est id, quod in sua entitate, ac ratione consummatũ est ita, vt nihil illi desit. Sic docet Aristot 5. metaph. cap. 16. hoc autem bonum, seu perfectum aliud est essentiale, quod consummatũ est in sua essentia, ita vt nihil illi desit, quod ad eius essentiam requiratur; aliud est substantiale, quod consummatũ est in sua substantia, ita vt non desit illi aliquid substantiale debitum; aliud est integrale, quod est consummmatum in omni sua integritate ita, vt nihil illi desit, quod pertineat ad debitam integritatem ipsius; aliud est accidentale, quod est consummatum in suo esse accidentali ita, vt illi non desit aliquod accidens ipsi debitum, aliud est bonum simpliciter in aliquo genere, quod consummatum est in omni esse tam substantiali, quam accidentali requisito ad illud genus; v. g. ad genus Angeli; aliud est bonum, seu perfectum simpliciter in omni genere quod omnes cuiusque generis perfectiones in se amplectitur, ac illis omnibus consummatur, qualis est solus Deus. Bonum essentiale est transcendens omnia entia, cum habeat quodlibet ens quidquid ad suam essentiam desideratur, atque ita sit perfectum essentialiter; reliqua vero bona non sunt vere transcendentia, cum in omni ente formaliter non claudantur. 52

Deinde bonum, scilicet, conueniens est id, quod est consentaneum alteri, vt omnes passim proclamant; hoc autem bonum est triplex, nimirum, honestum delectabile, & vtile. Bonum honestum est id, quod est consonum naturæ; quod si conueniat naturæ in esse præcisè naturæ erit bonum honestum naturale, vt sanitas; si vero conueniat naturæ vt formaliter rationali, & secundum modum liberè operandi erit bonum honestum morale, vt opus virtutis. Bonum delectabile est id quod claudit formalem delectationem alicuius in se ipso, vt cibus dulcis. Vbi obserua bonum delectabile secundum id, quod dicit præcisè ex parte obiecti, ac in recto non distingui à bono honesto, ac consentaneo naturæ, sed solum distingui ab illo secundum formalem delectabilitatem alicuius in seipso, quam claudit formaliter in obliquo, eam enim bonum honestum vt sic formaliter non includit. Bonum vtile est id, quod habet in se congruitatem, & proportionem ad finem aliquem bonum alteri, & ob id etiam ipsum medium vtile est bonum, & conueniens ipsi. Vbi aduerto bonum vtile vt sic formaliter non habere præcisè bonitatem extrinsecam prouenientem illi formaliter ab extrinseca bonitate, & conuenientia finis, sed etiam intrinsecam residentem in ipsa entitate boni vtilis; etenim 53

etenim illa intrinseca proportio, & efficacia quam habet medicina ad causandam sanitatem mihi bonam, connotata præcisè, vt termino ipsa bonitate sanitatis, est bona, & conueniens mihi; at vero quia semper est cum prædicto ordine, & respectu ad bonitatem finis, ideo est bonitas vtilis, & ab alia bonitate delectabili, aut honesta discriminatur. Bonum conueniens alteri in omni sua latitudine est transcendens omnem entitatem, etenim nulla est entitas, quæ alteri non sit conueniens, nam si sit creator, conuenit creaturæ, quæ ab illo in suo esse procedit, si sit creatura, conuenit aliquo modo creatori, vt opus decens ipsius, quod eius sapientiam, bonitatem, atque potentiam enarrat, tam creator, quam creaturæ huic vniuerso conueniunt; ille vt caput, author, & Princeps ipsius, istæ vt partes componentes, quibus ipsum vniuersum decoratur. Plura alia inuenies apud Suar. & alios.

54 Bonum, scilicet, amabile est id, quod per se ipsum intrinsecè, ac positiuè est aptum ab aliquo amari ita, vt non dicat denominationem extrinsecam prouenientem à voluntate potenti illud amare, sed præcisè dicat ens, quod per seipsum intrinsecè, connotata vt termino voluntate, denominatur formaliter aptum ab illa diligi. Ita expressè D. Thomas 1. part. quæst. 5. art. 1. Vbi ait, *ratio boni in hoc consistit, quod aliquid sit appetibile*, & art. 3. ad primum inquit, *bonum non addit aliquid supra ens, sed rationem tantum appetibilis*, & alibi sæpè, quem sequitur Valentia tom. 1. disp. 1. q 5. punct. 1. & quæst 16. punct. 3. & alij Recentiores non indocti. Deinde probatur; quia id propter quod res aliqua potest amari est formaliter bonum, res enim non potest diligi nisi proprer rationem boni; atqui potest aliquid amari præcisè, quia est in se intrinsecè proportionatum, & aptum ad terminandum amorem: ergo ens vt aptum præcisè ad terminandum amorem est formaliter bonum. Præterea, ita se habet bonum ad voluntatem, sicuti verum ad intellectum; sed verum vt sic formaliter est intelligibile ab intellectu, vt ostendi. cap. 3. ergo bonum aliquod vt sic formaliter est amabile à voluntate, hoc bonum amabile est vere transcendens, cum nulla sit entitas, quæ secundum perfectionem physicam amari non possit.

55 Controuersia ergo est, quodnam bonum ex prædictis sit formaliter passio entis? Mihi in primis certum est, bonum, scilicet, perfectum essentialiter, non esse passionem entis realis, cum ab eius essentia formaliter non distinguatur, nisi penes conceptum magis, vel minus explicitum eiusdem omnino rei in recto, & in obliquo, sicut concipitur homo, & animal rationale, quod non sufficit, vt etiam per rationem vnum sit passio alterius, sicut id non sufficit, vt animal rationale per rationem sit passio hominis, in quo non acquiesco Vasquez, & Molinæ citatis supra numero 50. Vnde tota dissoluitur quæstio ad bonum conueniens, & amabile.

56 Assertio sit. Bonum alteri conueniens, ac etiam bonum amabile est formaliter passio entis. Priorem partem amplectuntur Dur. Suar. Auersa, & alij; posteriorem amplectuntur D. Thomas, Valentia, & alij nuper relati. Probatur: id est formaliter passio entis, quod transcendit omne ens, & ex modo concipiendi ab ipso ente distinguitur, & consequitur ad illud; atqui bonum vt conueniens alteri, etiam vt amabile est transcendens omne ens, vt ostendi num. 53. & 54 & distinguitur ex modo concipiendi ab ente, nam conueniens connotat aliud, cui conueniat, & amabile connotat voluntatem, à qua ametur, quod quidem non connotat formaliter ipsum ens, & etiam consequitur per rationem ad rationem entis, quia ideo est aliquid conueniens alteri, vel amabile à voluntate, quia in se est perfectum, & ens: ergo bonum est conueniens, & amabile est passio entis.

Obiiciat aliquis primò. Ens præcisa amabilitate, & conuenientia respectu alterius intelligibilis formaliter 57
est bonum, quia habet quidquid requiritur ad eius essentialem perfectionem: Ergo bonum vt sic formaliter non est amabile, & conueniens alteri. Secundò, etiam si nulla esset voluntas, à qua Deus esset amabilis, nec res alia cui Deus conueniret, adhuc Deus esset in se bonus: ergo non est bonus formaliter quatenus amabilis, vel conueniens alteri. Tertiò, si bonum quatenus conueniens, & amabile esset passio entis, etiam malum quatenus disconueniens, & odibile esset passio illius; nulla enim est res, quæ vel per modum causæ influentis aliquod damnum, vel per modum formæ incompossibilis cum alia, vel dissonæ respectu illius, vel alia via non possit esse disconueniens alteri, & sub hac ratione odibilis; atqui malum quatenus disconueniens, & odibile non est passio entis: ergo etiam bonum quatenus conueniens, & amabile non erit passio illius. Respondeo ad primum, præcisa conuenientia, & amabilitate, ens solum intelligi bonum, hoc est perfectum cum bonitate, & perfectione essentiali, quæ non est entis passio, vt monstraui num. 55. non vero intelligi bonum bonitate quidem quasi accidentali per rationem, quæ est passio ipsius entis; nam hæc bonitas in sola prædicta conuenientia, & amabilitate consistit. Ad secundum dico, si nulla esset voluntas, à qua Deus posset amari, non fore Deum, quia non esset diuina voluntas, qui est essentialiter ipse Deus; ac proinde nec esset bonitas; si autem per impossibile Deus in illo casu maneret esset Deus bonus essentialiter, id est, in sua essentia perfectus; non vero bonus quasi accidentaliter, hoc est, amabilis, & conueniens, quæ sola bonitas est passio entis. Ad tertium dico, esse aliquid disconueniens alteri aliquo modo, atque ita sub hac ratione illi malum, & odibile transcendere omnem entitatem, & ex modo concipiendi consequi ad illam; tamen quia id ex modo enunciandi non concipitur vt forma entis perfectiua, qualis debet esse rei passio, ideo malum, seu disconueniens alteri ex modo concipiendi non dicitur passio entis.

Malum, quod bono opponitur, potest etiam tri- 58
pliciter vsurpari, scilicet, pro imperfecto, pro disconuenienti, pro odibili. Malum, scilicet, imperfectum est priuatio, & defectus perfectionis debitæ; si sit priuatio perfectionis essentialis, erit malum essentiale, si sit priuatio perfectionis substantialis, erit malum substantiale, si sit priuatio perfectionis integralis, seu accidentalis, erit malum integrale, seu accidentale; ens reale, licet possit esse malum integraliter, & accidentaliter, potest enim habere defectum perfectionis integralis, & accidentalis, tamen non potest est malum essentialiter, cum eo ipso, quod tale ens sit, habeat totam suam essentiam, nec possit habere defectum perfectionis essentialis, vt aduersus Manichæos Concilia, & Patres ostendunt, vt latè Vasquez dicta disp. 23. primæ partis, cap. 5. Malum, scilicet, disconueniens est; quod alteri est dissentaneum; quod quidem quando est dissonum naturæ opponitur bono honesto, & malum inhonestum vocatur; si sit dissonum naturæ inesse naturæ præcisè, erit inhonestum naturale; si vero sit dissonum naturæ vt rationali, & secundum modum liberè operandi, erit malum inhonestum morale, v. g. peccatum; quando vero tale malum est alteri dissentaneum inligendo illi tristitiam, seu dolorem, opponitur bono delectabili; quando autem est dissonum alicui destruendo finem ab ipso intentum, est malum oppositum bono vtili. Malum, scilicet, odibile est id formaliter, quod per se ipsum intrinsecè, & positiuè est aptum odio haberi à voluntate; atque ita non includit extrinsecam denominationem prouenientem à voluntate, sed tantum includit ens imperfectum, quod per se ipsum intrinsecè,

secè, connotato odio possibili suiipsius, odibile denominatur. Plura alia fusè videri possunt apud Suarez, Auersam, Hurtado, & alios.

DISPVTATIO IV.

De essentia, & existentia entis creati.

QVATVOR capita continebit. In primo inquiro, quid sit ens possibile, & quomodo ab actuali dissideat? In secundo, an existentia creata ab essentia eiusdem rei actuali à parte rei distinguatur? In tertio, aduersantia argumenta instantur, ac diluuntur. In quarto, quonam pacto per rationem essentia, & existentia creata discriminentur.

CAPVT I.

Quid sit ens possibile, & quomodo ab actuali dissideat?

1 IN superioribus egimus de ente vt sic, eius essentiam, ac passiones aperuimus, nunc iam illud primarium sui diuisione secamus in ens increatum, ac infinitum, scilicet, Deum, & in ens creatum, & finitum, scilicet, creaturam; ens increatum est id, quod habet esse necessario, per essentiam & à seipso; ens verò creatum est id, quod habet esse participatum ab alio. Omisso autem ente per essentiam, de quo Theologi, de essentia, & existentia entis finiti, ac creati in hac disputatione tractabimus; prius tamen in hoc capite disquirimus, quid sit ens esse possibile, & qua ratione ab ente actuali distinguatur?

2 Nonnulli censent ens possibile nihil aliud esse, quam denominationem extrinsecam desumptam ex potentia infinita Dei, quæ potest illud creare. Ita sentire videtur Hurtado disp. 8. metaph. sect. 1. cum Arist. Anselmo, & aliis ab eo adductis: hæc autem sententia potest dupliciter intelligi. Primò, ita vt ens possibile includat pro formali prædictam denominationem à potentia Dei, & pro materiali aliquid, quod per denominationem illam possibile formaliter denominetur, & in hoc sensu vera est; sed non explicat, quid sit illud possibile quod prædictæ denominationi subest. Secundò, potest intelligi ita, vt possibile illam solam denominationem includat, & nihil aliud præter ipsam; in hoc autem sensu est sententia apertè falsa. Et primò, sic impugnatur: illa denominatio desumpta à potentia Dei debet necessariò aliquid denominare possibile, hoc est, aptum fieri ab ipso Deo; sed non potest sic denominare ipsum esse Dei, hoc enim non est aptum fieri ab ipso Deo: ergo debet denominare possibile aliquid distinctum ab esse Dei: ergo possibile includit saltem pro materiali aliquid præter denominationem illam desumptam à Dei potentia, quæ est ipsum esse Dei. Deinde omne ens reale vel est verè existens, vel est possibile verè existere; sed homo vt distinctus à Deo etiam ab æterno est ens reale, de illo enim potuit ab æterno affirmari esse verum animal rationale, quod de ente rationis, aut de pura negatione non potest dici: ergo homo vt distinctus à Deo, vel fuit ab æterno verè existens, vel possibilis; sed homo vt distinctus à Deo non fuit ab æterno verè existens, vt fides docet: ergo vt distinctus à Deo fuit ab æterno possibilis: ergo homo vt possibilis includit aliquid præter illam denominationem distinctam à Deo, vt benè impugnat Hurtado § 6.

3 Multi præterea autumant ens possibile esse tantum quandam non repugnantiam negatiuam ad existendum. In quam inclinat Herice 1. p. disp. 5. de scientia Dei, cap. 2. num. 7. adducens Suarez disp. 31. metaph. sect. 2. & 3. hæc autem sententia potest etiam dupliciter exponi. Primò, ita vt possibile pro formali includat negationem illam repugnantiæ; pro materiali verò aliquid aliud, quod talem negationem fundat, per illamque possibile formaliter appellatur, & in hoc sensu verum tenet, sed non explicat quid sit illud, quod fundat illam non repugnantiam, & appellatur possibile. Secundò, potest exponi ita, vt possibile includat illam solum negationem repugnantiæ, & nihil aliud præter illam, in hoc autem sensu est omnino improbabilis. Ac primum, sic refellitur: illud est realiter possibile, quod potest realiter fieri à Deo, & à parte rei existere: sed negatio illa repugnantiæ non potest realiter fieri à Deo, & à parte rei existere; actio enim Dei terminatur ad ens, negatio verò illa non est ens, sed potius non ens, ac proinde non potest actio Dei ad illam terminari, neque illa negatio à Deo fieri: ergo negatio illa repugnantiæ non est possibilis, sed aliquid aliud præter ipsam. Deinde hic Angelus Michaël, verbi gratia, qui modo est existens, ab æterno erat possibilis: ergo idem est specificatiuè, Angelus nunc existens, & Angelus antea possibilis; atqui si Angelus antea possibilis fuisset tantum negatio quædam repugnantiæ ad existendum, non esset idem specificatiuè Angelus modo existens, & Angelus antea possibilis; Angelus enim nunc existens, & negatio illa non sunt idem, sed inter se distinguuntur tanquam ens, & non ens: ergo Angelus antea possibilis non erat sola illa negatio repugnantiæ ad existendum, sed aliquid aliud præter ipsam.

4 Opinantur alij, ens possibile esse essentiam ipsius entis, quatenus in seipsa est apta, vt ei addatur esse aliquid distinctum existentiæ, per quod existat, cum enim ab æterno sit res possibilis, & non sit res ab æterno secundum esse existentiæ, sed tantum secundum esse essentiæ, sequitur quod tantum esse essentiæ, non verò esse existentiæ sit formaliter ens possibile. Sed impugnatur, res nondum producta, quæ potest verè & realiter à Deo produci, est verè, ac realiter possibilis, cum hæc non sit impossibilis, vt per se constat; sed entitas existentiæ Angeli, v. g. ab essentia distincta ab æterno nondum erat producta, erat tamen apta à Deo produci, aliàs de facto non produceretur à Deo: ergo entitas existentiæ Angeli vt distincta ab eius essentia erat ab æterno possibilis, de quo cap. 2. num. 19. iterum redibit sermo. Deinde si aliqua ratione sola essentia, & non existentia esset ens possibile, maximè, quia ens possibile est ab æterno, & tunc etiam est essentia, non verò rei existentia; atqui essentia creaturæ non est magis ab æterno, quam eiusdem existentia: ergo essentia creaturæ non est magis ens possibile, quam eius existentia. Minor probatur, essentia creaturæ non est actu, & simpliciter ab æterno, etiam in ratione essentiæ, cum etiam secundum esse actuale essentiæ verè in tempore producatur, vt euidenter ostendam infrà num. 14. sed tantum essentia secundum esse essentiæ est ab æterno secundum quid, scilicet, per non repugnantiam, & in potentia, vt docet expressè D. Th. quæstione 3. de potentia, articulo 5. ad 2. atqui etiam existentia secundum esse existentiæ fuit ab æterno secundum quid, scilicet, per non repugnantiam, & in potentia, quia ab æterno entitas illa existentiæ non repugnat fieri à potentia Dei, sicut non repugnat fieri ipsa essentia: igitur essentia creaturæ non magis fuit ab æterno, quam eius existentia.

5 Existimant alij, Ens possibile esse formaliter ipsum ens, quod postea existit, sub diuerso tamen statu, nam existens est absolutè in aliqua duratione; possibile verò vt sic formaliter tantum est sub conditione, quod

Deus

Deus velit ipsum producere; ac proinde ens formaliter esse possibile non esse aliud, quam esse, vel fore sub conditione, quod Deus velit creare illud. Ita quidam recentiores ingeniosi. Sed huius sententiæ falsitas sic ostenditur: ponamus, quod voluntati creatæ Petri, v.g. ex se liberæ, & indifferenti ad eliciendum in hoc instanti A. actum amoris Dei dat Deus concursum suum generalem indifferentem, & etiam suam excitationem, & auxilium sufficiens, vt talem actum liberum amoris Dei in prædicto instanti eliciat, & quod voluntas potens liberè elicere istum actum, illum absolutè non eliciat in illo instanti: arguo sic: iste actus liber amoris Dei est absolutè possibilis in hoc instanti, A, ab hac voluntate libera Petri ex vi illius auxilij sufficientis Dei quouis alio præciso; & tamen in tali casu actus iste liber amoris Dei ab hac voluntate libera ex vi illius auxilij sufficientis Dei præcisè non est sub aliqua conditione in tali instanti: ergo ens aliquod esse possibile in aliquo instanti non est formaliter esse sub aliqua conditione in tali instanti. Consequentia est euidens, maior certa, quia ex vi auxilij sufficientis actus liber voluntatis potest esse simpliciter, aliàs auxilium illud non esset sufficiens: ergo actus ille liber amoris Dei ex vi auxilij sufficientis Dei præcisè est absolutè possibilis. Minorem sic probo: si actus ille amoris Dei ex vi illius auxilij sufficientis præcisè esset in eo instanti à voluntate sub aliqua conditione, esset quidem tantùm sub conditione, quod voluntas velit, vel quod non stet per ipsam, quo minus ille actus liber eliciatur, alia enim conditio ad actum illum dari non potest, cum omnia eius principia sint indifferentia, & non habeant connexionem cum ipso; atqui voluntatem velle, vel non stare per ipsum, quo minus ille actus liber eliciatur, non est aliud, quam ipsam voluntatem elicere illum actum amoris liberum, qui non potest esse conditio ad seipsum, cum conditio debeat esse distincta ab effectu conditionato: ergo actus ille liber amoris Dei ex vi auxilij sufficientis præcisè non est à voluntate sub aliqua conditione in eo instanti; vnde cum in aliquo effectu saltem libero vera possibilitas saluetur absque esse conditionato, sequitur euidenter in aliis omnibus effectibus posse eodem modo veram possibilitatem concipi præciso omni ente conditionato; ac proinde possibile vt sic formaliter non est id, quod est, vel erit sub conditione, quod Deus velit illud producere, licèt hoc esse conditionatum necessariò ens possibile comitetur, si non in actibus liberis saltem in effectibus necessariis.

5 ASSERTIO ergo sit. Possibile includit duo, alterum pro materiali, & alterum pro formali; claudit quidem pro materiali idemmet esse positiuum, & secundum omnes eius formalitates, quod esset, & quas haberet in statu actualitatis, quando in tali statu existeret; tunc autem in actualitatis statu ens positiuum esset, & haberet omnes suas formalitates simpliciter, hoc est, actualiter existentes; nunc verò in statu possibilitatis ens ipsum est, & habet easdem formalitates solum secundum quid, id est, non repugnantes ad existendum: claudit autem pro formali denominationem desumptam à potentia factiua Dei, qua illud esse positiuum, quod non repugnat, possibile, seu factibile formaliter denominatur. Hæc sententia sic explicata est expressa D. Thomæ q. 3. de potentia art. 5. ad 1. vbi ait, *hoc ipso, quod quidditati esse, (hoc est existentia) tribuitur, non solum esse, sed ipsa quidditas creari dicitur; quia anteaquam esse habeat nihil est, nisi fortè in intellectu creantis*, quem sequuntur omnes Thomistæ, Herueus quodlibeto 11. q. 1. Soncinas 9. metaph. q. 4. Capreolus fatetur hanc esse securiorem sententiam, VValdensis lib. 1. doctrinalis fidei, cap. 8. Fonseca 4. metaph. cap. 2. q. 4. sect. 4. Hurtado cum multis suprà sect. 1. §. 5. & 6. Auersa tomo 1. metaph. q. 8. sect. 2. Arriaga disput. 1. metaph. sect. 1. Carleton disp. 4. metaph. sectione 1. & 2. copiosissimè P. Suarez disp. 31. metaph. sect. 2. qui num. 3. ait, non potuisse in mentem alicuius Doctoris Catholici venire, quod essentia creaturæ ex se, & absque efficientia liberæ Dei sit aliqua vera res, aliquod verum esse reale habens esse distinctum ab esse Dei.

Ac primum possibile pro materiali includere ipsum 6
ens, quod postea in statu actualitatis existit secundum omnes illius formalitates, sic monstro; possibile includit pro materiali id, quod absolutè denominatur possibile; sed ens ipsum, quod modo est, verbi gratia, Petrus secundum formalitates animalis rationalis, & Petri, & alias omnes, quas nunc habet, ab æterno denominabatur possibilis, nunc enim non potest actu esse aliquid, quod non fuerit ab æterno possibile: ergo possibile includit pro materiali ipsum ens, quod postea existit, & secundum omnes formalitates illius. Deinde possibile claudere materialiter ens, non quidem, quod sit simpliciter, scilicet, actualiter, sed quod sit tantum secundum quid, scilicet, per non repugnantiam, sic ostendo. Petrus fuit ab æterno possibilis; & tamen non fuit ab æterno simpliciter, scilicet, actualiter, sed tantum fuit per non repugnantiam, & secundum quid, vt docet fides: ergo possibile non claudit ens, quod sit simpliciter, & actualiter, sed quod sit tantum per non repugnantiam, & secundum quid, scilicet, quod non repugnet existere. Porrò autem includere pro formali denominationem desumptam à potentia effectiua Dei, sic probatur: possibile vt sic formaliter claudit denominationem aliquam, qua id, quod non repugnat fieri, possibile, ac factibile denominatur, sicut visibile vt sic formaliter claudit aliquam denominationem, qua color denominetur formaliter visibilis; sed à potentia factiua Dei id, quod non repugnat fieri, denominatur formaliter possibile, seu factibile, sicut color à potentia visiua denominatur visibilis: ergo possibile vt sic formaliter claudit denominationem quandam desumptam à potentia factiua Dei.

Obiiciat autem quis primò, illa inter se distinguun- 7
tur, quorum vnum habet aliquid in sua essentia, quod non habet aliud; sed ens existens habet in sua essentia aliquid, quod non habet ens possibile, habet enim exercitam existentiam, quam ens possibile non habet, cum non existat: ergo ens possibile, & ens existens non est idemmet ens, sed inter se distinguuntur. Respondeo, habere aliquid in sua essentia, & non habere illud in sua essentia simul, scilicet, pro eodem tempore, esse manifestum indicium distinctionis realis inter rem illam, quæ habet, & rem, quæ non habet, quia eadem res non potest aliquid habere, & non habere simul, nempe pro eodem tempore, sicut non potest simul esse, & non esse; habere autem aliquid in sua essentia pro aliquo tempore, & non habere illud in sua essentia, non quidem pro eodem tempore, sed pro alio tempore diuerso non esse indicium distinctionis realis inter rem illam, quæ habet, & rem, quæ non habet; nam cum eademmet essentia rei possit esse pro vno tempore, & non esse pro alio tempore; ideo eadem res potest pro aliquo tempore, in quo est, habere aliquid in sua essentia, & non habere illud pro alio tempore, in quo non est; res ergo actualis pro tempore, quo est, habet actu in sua essentia aliquid, scilicet, existentiam exercitam, quam non habet res possibilis, non quidem pro eodem tempore, in quo ipsa est; pro tunc enim res, quæ nunc dicitur possibilis, habet etiam in sua essentia exercitam existentiam; sed pro alio diuerso tempore, in quo res illa possibilis non est, sed tantùm potest esse; ac proinde ex eo non sequitur rem actualem, & rem possibilem esse distinctas, sed posse esse eademmet rem.

Obiiciat

8 Obiiciat secundò, ens, & non ens verè differunt inter se; sed res actualis, & existens verè est, atque ita est ens, res verò possibilis verè non est, atque ita est non ens: ergo res actualis, & possibilis verè differunt inter se. Respondeo, rem vt purè possibilem includere in recto ens illud, quod non repugnat esse à parte rei; in obliquo verò includere carentiam existentiæ: vnde res purè possibilis secundum id præcisè, quod dicit in obliquo est non ens, scilicet, carentia entis, & distinguitur à re existente; secundum verò id, quod includit in recto est ens, quod non repugnat existere; cum autem ens, quod non repugnat existere non distinguatur ab ente, quod postea existit, vt iam suprà ostensum est: ideo res possibilis specificatiuè, & in recto non distinguitur ab ipsa re postea existente, sed est ipsamet res.

9 Obiiciat tertiò, ab æterno est res possibilis, & tamen ab æterno non est res existens, vt docemur fide: ergo res existens reipsa separatur, ac proinde distinguitur à re possibili. Respondeo, rem vt possibilem formaliter, & reduplicatiuè esse ab æterno, id est, ab æterno esse potentiam Dei, à qua veluti à forma res denominatur possibilis; rem verò ipsam, quæ est possibilis materialiter, & specificatiuè non esse actu ab æterno, sed tantùm esse non repugnantiam ad existendum; hoc autem modo etiam res existens, & actualis fuit ab æterno non repugnans ad existendum; ac proinde res possibilis non separatur, nec distinguitur à re existente.

10 Obiiciat quartò, res vt existens pro hoc instanti, A, habet esse determinatum, quia iam non potest non existere determinatè in tali instanti; res verò vt possibilis existere in eodem instanti, A, non habet esse determinatum, cum sit indifferens ad existendum, & non existendum in illo: ergo res vt existens habet aliquid, quod non habet res possibilis pro eodem instanti, A, sed res eadem non potest aliquid habere, & non habere pro eodem instanti: ergo res actualis, & possibilis non est eadem res, sed res actualis distinguitur à re possibili. Respondeo, in hoc instanti reali, A, in quo res aliqua verè producitur, esse duo instantia rationis cum fundamento in re, aliud prius, in quo concipitur causa potens causare, & non causare præcisè, aliud posterius, in quo concipitur eius effectus; eadem ergo res potest habere absolutè esse determinatum pro instanti rationis posteriori, & non habere illud esse absolutè præcisè pro alio instanti rationis priori; actus enim liber amoris Dei, quem in hoc instanti elicio, pro instanti rationis posteriori, in quo existit, est determinatus ad existendum formaliter, & pro alio priori instanti rationis, in quo voluntas concipitur vt indifferens præcisè, actus ille præcisiuè non est determinatus absolutè, sed indifferens ad essendum, & non essendum, alioquin realis actus in eo instanti reali non esset liber: vnde licèt res existens in instanti A, habeat esse determinatum absolutè, & illud non habeat res vt possibilis pro eodem instanti reali; cum tamen hoc sit pro diuersis instantibus rationis, nam res existens habet pro instanti posteriori esse determinatum, & res possibilis non habet pro alio instanti priori præcisiuè tale esse determinatum, quæ sunt instantia rationis diuersa; idcirco non sequitur rem existentem esse reipsa distinctam à re possibili, sed potius esse specificatiuè idem omnino cum illa.

11 Hic autem obseruo primò, rem possibilem ea præcisè ratione esse idem cum re actuali, qua ipsa res, quæ dicitur possibilis, verè est; vnde cum res, quæ erat possibilis, de facto fit actualis, iam res illa possibilis simpliciter est idem cum re actuali, quia iam simpliciter, & actualiter existit, & ita identificatur simpliciter cum seipsa actualiter existente; cum vero res possibilis non producitur, nec fit de facto actualis, tunc res illa possibilis non est idem simpliciter cum re actuali, sed tantùm secundum quid, id est, potest esse idem cum illa, quia cum res illa possibilis non sit actualis, sed possit esse, non identificatur simpliciter, sed potest identificari cum seipsa vt actuali, nec inde sequitur rem possibilem, quæ non existit, specificatiuè esse distinctam simpliciter à re actuali, cum non sit idem simpliciter cum illa; nam sicut vt vna res sit idem cum alia simpliciter, requiritur, quod ipsa simpliciter sit, ita etiam vt simpliciter distinguatur ab illa, requiritur, quod ipsa etiam in suo genere sit simpliciter; res autem purè possibilis non est simpliciter, sed tantùm secundum quid, scilicet, potest esse, & ideo nec est idem simpliciter cum re actuali, nec distincta ab illa simpliciter; est tamen idem cum re actuali in potentia, & secundum quid; quia potest esse actualis, & identificari cum ipsa. Obseruo secundo, rem possibilem solùm dicere aptitudinem ad essendum; rem verò in potentia dicere prædictam aptitudinem, & simul carentiam essendi; ac proinde creatura existens est absolutè possibilis, quia tunc retinet aptitudinem ad essendum, non vero est in potentia, quia non habet carentiam essendi.

12 Ex dictis infero, ens tantum actu existens esse verè ens simpliciter: ens vero, quod est solum in potentia, non esse ens simpliciter, sed tantùm secundum quid. Ita expressè D. Thomas 1. p. quæst. 5. art. 1. ad 1. vbi sic ait, *Secundum hoc simpliciter aliquid dicitur ens, secundum quod discernitur ab eo, quod est in potentia tantum*, quem sequuntur omnes auctores à nobis relati suprà, numero 5. ergo ens tantum in potentia secundum D. Thomam, & ferè omnes Philosophos non est ens simpliciter: & ratio est manifesta; quia id, quod est existens in potentia tantum, non est existens simpliciter, creatura enim ab æterno est existens in potentia; & tamen ab æterno iuxta fidem non est simpliciter existens, & id, quod est peccans lethaliter in potentia tantum, non est simpliciter peccans lethaliter; homo enim existens in gratia est peccans lethaliter in potentia, & tamen tunc non est peccans lethaliter simpliciter; & esse merens vitam æternam in potentia tantum, non est merens simpliciter vitam æternam; peccator enim est merens vitam æternam tantum in potentia, quia habet potentiam ad tale meritum cum carentia illius; & tamen non est merens vitam æternam simpliciter, & sic de aliis: ergo id, quod est ens tantum in potentia, non est simpliciter ens.

CAPVT II.

An existentia creata ab essentia eiusdem rei actuali à parte rei distinguatur?

13 SVppono existentiam increatam non solum à parte rei, imò nec ratione distingui ab essentia increata Dei, quia cum de conceptu formali naturæ diuinæ vt sic sit nobilior modus essendi; hic autem sit existere à se sine dependentia ab alio, ideo de conceptu formali essentiæ diuinæ est existere à se independenter ab alio; ac proinde existentia increata, nec per rationem distinguitur ab essentia increata Dei: controuersia tamen est, an existentia creaturæ ab eius essentia actuali specificatiuè accepta dissideat à parte rei?

14 Communis, satisque celebris sententia Thomistarum est existentiam creaturæ ab eius essentia actuali specificatiuè accepta à parte rei ante omnem operationem intellectus distingui, siue realiter, vt res à re, siue tantum ex natura rei, vt modus ab ipsa re. Ita Caiet. 1. p. quæst.

quæst 3.art.4.& de ente,& essentia,q.11.§ tertia ratio, Capreolus in 1.dist.8.q.1.art.1. Ferrara 1.contra gent. cap.52. Soncinas 4.metaph. quæst.12. Bañez 1.p.q.3. art.4.Ægidius dist.2.quæst.4.art.1. Aquatius quæst.4. Iauellus tractatu de transcendentibus cap.4. Masius lib.2.de transcendentibus cap.8. Bagn.1.part.quæst.3. art.4. dub. 2. Zumel, Molina 1.p.quæst.3.art.4. disp.2. Aluertinus de prædicamento substantiæ disp.2. q.1. Fonseca 1.metaph. lib.4. cap.2. quæst.4. sectione 1. huius sententiæ præcipuus auctor habetur S. Thomas 1.p. q.3. artic.4. 2. contra gentes cap.52. de ente, & essentia, cap.5. & alibi, qui tamen non expressit distinctionem proprie realem, sed absolutè intendebat constituere discrimen inter ens creatum, & increatum distinguendo in ente creato, non autem in Deo essentiam, & existentiam, ad quod rationis distinctio sufficit; Caietanus vero vult hanc sententiam ab aliis auctoribus antiquioribus emanasse, vt Platone Alpharabio, Auicenna, Algazele, Boëtio, Hilario Alberto, & aliis, sed hi solum voluerunt existentiam non necessariò conuenire creaturis; Scotistæ vero cum Scoto voluisse videntur in 3.dist.6.q.1. essentiam,& existentiam distingui formaliter à parte rei & Sotus 2. phys. q.2.Henricus,& alij.

15 Dicendum tamen absolutè est,essentiam, & existentiam creatam vniuersaliter in omnibus rebus non distingui, nec realiter,nec modaliter, nec formaliter absolutè à parte rei, sed existentiam, per quam res actu est,non esse aliud, quam ipsam entitatem essentiæ positam in actu.Ita Alens.7.metaph.textu 22. Dur. in 1. distinct.8.q.2. Gabriel in 3.dist.6. q.2. Aureolus apud Capreolum in 1.dist.8. q.1. Gregorius in 2.dist.6.q.1. Suarez disp.31.metaph.sect.1.& 2.Valentia 1.p.disp.1. q.3. puncto 4. Pereira 6, Physic. cap.4. Alarcon 1.part. tract.6. disp.1.c.2. Ruicius primo Physic. tract.1.q.4. Murcia lib.1. Physic. disput.5. q.4. Hurtado disput.8. metaph. sect.4.num.38. Arriaga disp.2 metaph.sect.3. num.52. Ouiedo hic controuersia 1. part.2. Heruetus quodlibeto 7.quæst.9.Vasquez 3.part.tomo 1.disp.72. Auersa 1.metaph q.8.sect.6.& 7.Carleton disputatione 5.metaph.sectione 1.& 2. & alij plures tam Theologi,quam Philosophi,quibus subscribo, quæ sententia,quæ pluribus posset ostendi,duplici tantum ratione monstranda est.

16 Probatur primò,id,quod est terminus realis actionis Dei vt sic præcisè est existens,sed essentia Angeli, v.g. per seipsam præcisam ab alio modo distincto existentiæ est terminus actionis realis Dei : ergo essentia Angeli per seipsam vt præcisam ab alio modo distincto, ac superaddito existentiæ est verè existens : ergo existentia Angeli non est modus distinctus à parte rei ab eius essentia, sed est ipsamet essentia. Vtraque consequentia est euidens. Maior est nota, quia actio realis Dei terminatur formaliter ad esse extra puram possibilitatem, & extra causas : ergo terminatur ad esse actuale, & existens : ergo id, quod est terminus actionis realis Dei vt sic præcisè est existens. Minorem autem sic probo : Angelus verè terminat actionem creatiuam Dei, qua verè creatur, sed non terminat illam secundum modum aliquem existentiæ distinctum à parte rei ab ipsa essentia, talis enim modus, si daretur, pendet ab essentia vt à subiecto, in quo sustentatur, vt aduersarij concedunt; ac proinde nequit creari : ergo terminat Angelus actionem creatiuam Dei per suam actualem essentiam, vt distinctam ab illo modo superaddito existentiæ : ergo essentia Angeli per seipsam vt præcisam à modo existentiæ distincto,est formaliter terminus realis actionis, scilicet,creationis Dei.

17 Respondent primò, aduersarij, rem secundum esse essentiæ præcisè non produci, sed esse ab æterno ingenerabilem,& incorruptibilem;ac produci autem secundum esse existentiæ, quod habet contingenter in tempore;ac proinde per suam essentiam in ratione essentiæ præcisè non esse terminum actionis Dei, nec existere, sed id tantum habere per esse existentiæ ab ea distinctum. Sed impugnatur primò, ex dictis,quia Angelus verè creatur à Deo; sed non creatur eius existentia,si ab essentia distinguatur, erit enim modus,seu forma pendens ab ipsa essentia Angeli, vt à subiecto, quod creationi repugnat:ergo creatur Angeli essentia secundum esse actuale existetiæ distinctum ab illa existentia: ergo res etiam secundum esse existentiæ verè producitur. Impugnatur secundò,ad hominem,per actionem, ac productionem realem humanitatis Christi aliquid esse humanitatis producitur; sed non producitur esse existentiæ humanitatis;nam in eorum sententia Christi humanitas existit per esse existetiæ Verbi diuini,quod est improducibile : ergo producitur esse essentiæ ipsius humanitatis:ergo iam res secundum esse essentiæ distinctum ab existentia producitur. Dices, produci per eam actionem vnionem humanitatis cum existentia verbi. Sed contrà, ipsa vnio, cum etiam sit vnita existentiæ verbi,sicut humanitas,etiã existet,sicut humanitas ipsa, per existentiam verbi : ergo talis vnio non producitur secundum esse existentiæ : ergo producitur tantum secundum esse essentiæ.Impugnatur tertiò,à priori;omne ens reale,vel est ens per essentiam, vel ens per participationem;sed essentia qua modo constat Angelus Michaël per seipsam,vt distinctam ab existentia illa superaddita,est aliquod ens reale, non enim est ens rationis: ergo essentia talis Angeli per seipsam, vt distinctam ab illa existentia vel est ens per essentiam, vel ens per participationem : atqui essentia illa Angeli, vt distincta ab existentia per seipsam non est ens per essentiam, cum non sit Deus, cuius proprium est esse per essentiam: ergo essentia illa, vt distincta ab existentia est ens per participationem;ergo participatum, atque productum à Deo:ergo res etiam secundum esse essentiæ,vt distinctum ab illa existentia distincta verè producitur.

Respondent secundò, in quauis re creata esse duplex esse actuale, aliud esse actuale essentiæ, aliud esse actuale existentiæ Angelum autem terminare actionem creatiuam secundum suam essentiam, vt præcisam ab existentia : id verò solum sequi Angelum per suam essentiam præcisè esse actu secundum esse actuale essentiæ;non verò secundũ esse actuale existentiæ,quousque per modũ alium existentiæ comproductũ,eiusq;essentiæ superadditum actu existat Sed impugnatur:per id aliquid existit, per quod primo discernitur ab eo, quod est tantũ in potentia;sed Angelus per esse actuale essentiæ, per quod terminat formaliter actionem creatiuam Dei, vt præcisum à quouis alio modo distincto existẽtiæ discernitur primo ab eo,quod est tantũ in potentia:ergo Angelus per esse actuale essentiæ,per quod terminat actionem creatiuam Dei, præciso quouis alio modo, verè existit:ac proinde existentia non est modus distinctus ab essentia.Consequentia est euidens.Minor est satis perspicua : quia per id discernitur primo aliquid ab eo,quod est tantũ in potentia,per quod est primo in actu;nam esse tantum in potentia est formaliter habere negationem actus, quæ quidem negatio actus primo,ac formaliter destruitur per ipsum actum, sicut priuatio lucis primo,ac formaliter destruitur per ipsam lucem;ac proinde sicut per id, quo primo aliquid constituitur in actu, discernitur primo ab eo, quod est tantum in potentia ; atqui per esse actuale essentiæ, per quod Angelus terminat actionem creatiuam Dei, præciso quouis alio distincto, Angelus est primo in actu; actio enim creatiua terminatur necessariò ad ens in actu, vt ipsi etiam fatentur: ergo Angelus per esse actuale essentiæ, per quod terminat actionem creatiuam Dei, præciso quouis alio distincto, discernitur primo ab eo, quod est in potentia

18

potentia tantum. Maior autem primi syllogismi probatur primò, ex verbis expressis D. Thomæ, qui 1.p.q.5. art.1.ad 1.sic ait, *Secundum hoc simpliciter aliquid dicitur ens, secundum quod primo discernitur ab eo, quod sit in potentia tantum:* atqui ens simpliciter non est aliud, quam ens existens, vt ostendi numero 11. ergo iuxta D. Thomam eatenus aliquid est existens, quatenus primo discernitur ab eo, quod est in potentia tantum. Probatur secundò, eadem maior, rem formaliter existere est formaliter esse extra suas causas, & ideo existentia dicitur quasi extra sistentia, quia per illam res extra suas causas sistit, vt docet insignis Mag. Bañez 1.p. q.3. art.4. dub.1. sed per id, quo aliquid primo discernitur ab ente tantum in potentia, est formaliter extra causas; cum per id formaliter desinat esse intra illas: ergo res per id formaliter existit, per quod discernitur primo ab eo, quod est tantum in potentia. Portò autem rem formaliter existere esse solum rem esse formaliter extra causas, sic monstro. Ens formaliter existere, vel est esse extra causas absolutè, vel esse extra illas tali modo, scilicet, per se, vel in alio, nihil enim aliud potest assignari, explicari, aut concipi, in quo ratio existentiæ consistat, sed existere formaliter non est esse extra causas tali modo, scilicet, per se, vel in alio; nam esse per se est formaliter subsistentia, & esse in alio, vt in subiecto, est formaliter inhæsio; subsistentia autem, & inhæsio, etiam in contraria sententia distinguuntur à parte rei ab existentia; & ideo esse per se, & esse in alio distinguuntur vere ab existentia, ac proinde ens formaliter existere non est esse extra causas tali modo, scilicet, per se, vel in alio: ergo ens formaliter existere est solùm esse extra suas causas absolutè.

19 Respondent tertiò, existentiam esse id, per quod res est extra causas, non quidem radicaliter, & remotè, sed formaliter, & proximè: Angelum autem per esse actuale essentiæ præciso modo distincto existentiæ terminare actionem creatiuam Dei, & ita esse extra causas remotè, & radicaliter, non verò formaliter, & proximè, quo vsque illi adueniat esse distinctum existentiæ; & ideo Angelum per esse actuale essentiæ, quod creatur, non existere simpliciter, sed tantùm per aliud esse superadditum existentiæ. Sed impugnatur primò, per id res proximè, & formaliter est extra causas, per quod formaliter, & proximè desinit esse in potentiâ; sed natura, ac essentia Angeli per esse actuale essentiæ, per quod formaliter terminat actionem creatiuam Dei, desinit proximè, & formaliter esse in potentia: ergo talis natura per esse actuale essentiæ præcisè est proximè, & formaliter extra causas; ac proinde per illud præcisè existit. Consequentia est euidens, maior notissima, quia rem esse in potentia est formaliter esse intra causas; sed res est proximè, & formaliter extra causas per id, per quod formaliter, & proximè desinit esse in potentia, seu intra causas: ergo per id est res formaliter, & proximè extra causas, per quod formaliter, & proximè desinit esse in potentia. Minorem autem primi syllogismi sic monstro. Essentiam Angeli esse in potentia est formaliter per se fieri à Deo, & esse de facto sub carentia actus: ergo per id, per quod proximè, & formaliter talis essentia desinat esse sub carentia actus, desinit esse formaliter, & proximè in potentia; atqui per id, per quod proximè, & formaliter res est in actu, desinit formaliter, & proximè esse sub carentia actus, sicut per id, per quod formaliter, & proximè aër est cum luce, desinit formaliter, & proximè esse sub carentia lucis: ergo per id, per quod res formaliter, & proximè est in actu, desinit formaliter, & proximè esse in potentia: tunc sic; sed essentia Angeli per esse actuale essentiæ, præciso quouis alio distincto, est proximè, & formaliter in actu, nam cum creatio realis Dei terminetur necessariò ad ens in actu, eo modo aliquid est ens in actu, quo terminat actionem creatiuam Dei; essentia autem Angeli secundum esse essentiæ præcisè terminat formaliter actionem creatiuam Dei, nam modus alter superadditus non creatur, vt suprà ostendi numero 16. & 17. ac proinde essentia Angeli per esse actuale essentiæ, præciso quouis alio, est proximè, & formaliter ens in actu: ergo essentia, ac natura Angeli per esse actuale essentiæ, præciso quouis alio à se distincto, formaliter, & proximè desinit esse in potentia; ac proinde per illud proximè, & formaliter est extra causas, & existit.

Confirmatur: sine vrgente ratione non est à parte 20
rei distinguendum esse actuale existentiæ ab esse actuali essentiæ, per quod Angelus, v.g. terminat creationem Dei; atqui nulla ratio vrget ad distinguendum tale esse existentiæ ab esse actuali essentiæ: ergo esse actuale existentiæ non distinguitur ab esse actuali essentiæ; ac proinde res per esse actuale essentiæ non remotè, & radicaliter, sed proximè, ac formaliter extra suas causas existit. Consequentia est euidens. Maior patet, quia entitates frustra, & sine causa multiplicandæ non sunt. Minorem autem sic probo: ideo in opposita sententia esse actuale existentiæ debet distingui à parte rei ab esse actuali essentiæ, quia esse actuale existentiæ est dependenter à causa efficiente, & contingenter, & in tempore, & ratione illius non verificantur de re propositiones æternæ veritatis, quæ omnia non conueniunt essentiæ, quæ in ratione essentiæ est independenter a causa efficiente, necessario, & ab æterno, & ratione illius verificantur de re propositiones æternæ veritatis; at licèt hæc omnia verè conueniant esse actuali existentiæ, non conueniunt essentiæ vt possibili, conueniunt tamen esse actuali essentiæ eodem prorsus modo, ac ipsi existentiæ; nam esse actuale essentiæ est dependenter à causa efficiente, cum verè terminet actionem creatiuam Dei, vt iam ostendi, & est etiam contingenter, cum potuerit absolutè tale esse actuale essentiæ non creari à Deo, & actu non esse in ratione essentiæ, & etiam est in tempore, cum tale esse actuale essentiæ in tempore producatur, & non verificantur de re ratione illius propositiones æternæ veritatis, cum esse actuale essentiæ ante rerum procreationem non fuerit absolutè ab æterno, sed tantùm futurum sub conditione, quod Deus illud producere vellet, quo pacto etiam fuit ab æterno futurum sub conditione eadem esse actuale existentiæ: ergo rationes istæ non probant esse actuale existentiæ reipsa distingui ab esse actuali essentiæ: igitur cum ratio alia non assignetur, nulla ratio vrget ad distinguendum reipsa esse actuale existentiæ ab esse actuali essentiæ.

Probatur secundò, principaliter: nulla est ratio pro- 21
bans existentiam distinctam à parte rei ab actuali essentia, quæ non probet etiam in entitate illa superaddita existentiæ fore distinguendam reipsa existentiam, per quam illa entitas existit, ab essentia talis entitatis; sed existentia, per quam illa entitas superaddita existentiæ verè existit, non distinguitur reipsa ab essentia talis entitatis: ergo eodem modo existentia absolutè non distinguitur à parte rei ab essentia. Tenet consequentia. Minor patet, quia si in illa entitate existentiæ superaddita existentia, per quam ipsa existit, esset alia entitas reipsa distincta ab essentia ipsius entitatis: De hac secunda entitate existentiæ superaddita idem inquiram, an, scilicet, existentia, per quam ipsa existit distinguatur reipsa ab eius essentia? atque ita vel dandus est processus in infinitum entitatum existentiæ, vel deueniendum ad aliquam entitatem existentiæ, in qua existentia, per quam ipsa existat, non distinguatur reipsa ab eius essentia: hoc ergo potest dici de prima illa entitate existentiæ superaddita, scilicet, quod existit per seipsam: ergo in entitate superaddita existentiæ existentia, per quam ipsa existit, non distinguitur reipsa ab essentia actualis entitatis. Ma-

ior primi syllogismi constabit sigillatim ex sequenti capite ; illam verò nunc in ratione aduersæ sententiæ principaliori sic probo : ratio præcipua, qua contraria sententia probat existentiam absolutè reipsa distingui ab essentia rei actuali , est , quia eadem est specificatiuè essentia actualis,& possibilis ; existentia autem exercita distinguitur reipsa ab essentia possibili , cum ista exercitè non existat ; ac proinde etiam talis existentia debet reipsa distingui ab essentia actuali ; atqui hæc etiam ratio omnino probat eodem modo in entitate illa superaddita existentiæ distingui reipsa existentiam exercitam , qua ipsa existit , ab essentia talis entitatis , nam eadem est specificatiuè essentia illius entitatis superadditæ possibilis, & actualis : nam ipsamet essentia talis entitatis , quæ modo est actualis , fuit antea possibilis ; existentia autem exercita distinguitur reipsa ab essentia illius entitatis possibilis , cum talis essentia possibilis exercitè non existat ; ac proinde etiam existentia exercita distinguitur reipsa ab essentia actuali talis entitatis superadditæ : igitur ratio probans existentiam absolutè distingui reipsa ab essentia rei actuali , eodem modo probat existentiam , qua entitas existentiæ superaddita existit, distingui reipsa ab essentia talis entitatis.

22 Dicat vlterius Neotericus quidam aduersæ partis sectator ; existentiam exercitam creaturæ nec esse,nec concipi posse vt possibilem , quia de eius essentia , & conceptu formali est actu , & in exercitio absolutè existere , sicut homo non potest esse , aut concipi sine rationalitate , quia de essentia , ac de conceptu formali hominis est rationalitas ; ac proinde cum essentia illius entitatis superadditæ existentiæ exercitæ non sit indifferens , vt sit possibilis, aut existens , sicut essentia alterius rei, verbi gratia, essentia Angeli , sed sit determinatè essentialiter existens ; ideo existentia exercita non distinguitur reipsa ab essentia ipsius Angeli.Sed impugnatur euidenter ; res illa est verè possibilis , & in potentia , quæ potest absolutè fieri à Deo, & nondum est facta ; sed existentia hæc exercita Petri, quæ modo est, ab æterno poterat fieri à Deo, vt per se constat,& nondum erat facta,vt fides docet : ergo hæc existentia exercita Petri, quæ modo est, fuit ab æterno possibilis,& in potentia. Confirmo,entitas existentiæ, quam potest absolutè habere Angelus possibilis nunquam futurus est verum ens reale , non enim est ens, rationis , sed omne ens reale vel est actu existens , vel possibile:ergo talis entitas existentiæ, quam potest habere Angelus possibilis nunquam futurus , vel est existens,vel est possibilis;sed non est existens,cum Angelus nunquam futurus sit,vt suppono:ergo talis entitas existentiæ est verè possibilis. Vrgeo : vt Deus vellet absolutè creare existentiam exercitam Petri,prius cognoscit talem existentiam, quia nihil volitum, quin præcognitum ; sed in illo priori rationis ante volitionem creandi non cognouit Deus existentiam Petri, vt actu existentem , quia talis existentia actu non existit ante volitionem Dei creandi illam : ergo in illo priori cognoscit Deus talem Petri existentiam vt possibilem: igitur sicut essentia Angeli secundum se est apta vt sit possibilis, & vt sit actu existens,ita essentia illius entitatis superadditæ existentiæ est secundum se apta,vt sit possibilis,& vt sit actu existens;ac proinde non est maior ratio ad distinguendam existentiam Angeli ab essentia ipsius Angeli, quam ad distinguendam existentiam illius entitatis existentiæ superadditæ ab essentia talis entitatis.

23 Hinc infero primò,tot esse existentias inter se distinctas,quot sunt inter se distinctæ essentiæ;& causas omnes essentiæ esse etiam causas existentiæ ; & effectus omnes essentiæ esse etiam effectus existentiæ,& è conuerso , quia cum idem sint reipsa essentia actualis , & existentia , omne id , quod conuenit essentiæ actuali, debet conuenire existentiæ,& econtrà.Infero secundò, creaturam non esse reipsa compositam ex essentia , & existentia, quia ad compositionem, quæ à parte rei intercedit , requiritur necessariò inter partes distinctio realis, aut ex natura rei , quæ inter essentiam actualem, & existentiam non reperitur. Infero tertiò, nec essentiam esse reipsa perfectiorem existentia , nec existentiam essentia;quia reipsa sunt eadem res,res autem non est perfectior seipsa.

CAPVT III.

Aduersantia argumenta instantur , ac diluuntur.

COntrariæ sententententiæ sectatores plurimis argumentorum telis conantur nostram opinionem euertere,quæ contra ipsos retorquentur, & non minorem vim habent, quare illa omnia in hoc cap. explicabimus, instabimus, ac diluemus.

Obiectio prima ex auctoritate desumitur ; ac primum Arist. 5.metaph.cap.8. text.15.ait essentiam esse causam existentiæ ; sed non est causa suiipsius : ergo iuxta Arist. existentia distinguitur ab essentia,& 7.metaph. cap.11. docet, in rebus à materia separatis esse non distingui ab eo,quod est , distingui verò in rebus, quæ concernunt materiam : ergo saltem in rebus materialibus existentia distinguitur ab essentia. Deinde D.Thomas 1.p.q.3.artic.4. tradit existentiam creaturæ respectu essentiæ esse, veluti actum respectu potentiæ; sed actus , & potentia distinguuntur à parte rei inter se,nulla enim res potest esse actus suiipsius : ergo iuxta D. Thom. existentia creata distinguitur ab essentia, & 2.contra gentes cap.52. & 53. art, in Angelis distingui ipsum esse ab eo,quod est ; sed id, quod est, est essentia : ergo esse, seu existentia distincta est ab essentia. Postremò Ecclesiæ Patres non pauci in illud Exodi 3. *Ego sum, qui sum* , asserunt in eo distingui Deum à creatura , quod Deo suum esse conuenit per essentiam,esse verò creatum non conuenit per essentiam,sed contingenter creaturæ : ergo sentiunt , quod esse Dei est ipsi essentiale,& indistinctum ab ipso Deo ; esse verò creaturæ esse accidentale illi , & distinctum ab ipsa creatura. Respondeo, Aristot. in eo loco solum dicere formam , scilicet , animam esse causam existentiæ animalis , causam videlicet non efficientem , sed formalem ; sicut enim forma dicitur causa formalis essentiæ compositi , quia est dignior , ac principalior pars essentiæ talis compositi , quæ formaliter per seipsam talem essentiam componit , ita eadem anima dicitur causa formalis existentiæ totius compositi , quia est dignior , ac nobilior pars existentiæ totius compositi , quæ formaliter per seipsam talem existentiam constituit. In secundò , autem loco solum dicit Arist. in abstractis à materia , id est , à subiecto , vt sunt albedo , nigredo , &c. esse formale non distingui ab eo,quod est,quia id, quod abstractè est , est albedo , & esse formale , per quod est,est etiam ipsa albedo ; in rebus autem habentibus materiam, id est, in formis accidentalibus , vt sunt connotatiuè in subiecto , v. g. album , nigrum , distingui esse formale ab eo , quod est; nam id , quod est album est subiectum albedinis , esse vero formale , per quod est album , est ipsa albedo, quæ reipsa distinguitur à subiecto;non autem loquitur Arist. de esse existentiæ , per quod res est extra causas, nec illud ab essentia distinguit. Ad D. Thomam Respondeo , in primo testimonio comparare existentiam creatam ad essentiam , vt actum ad potentiam , non quidem physicam , sed tantum Logicam , sicut comparatur res existens ad seipsam vt possibilem ; ac proinde 24

proinde talem existentiam ab essentia non distinguit. In secundo autem testimonio S. Doctor per esse Angeli solum intelligit esse subsistentiæ, & ideo illud ab Angelo distinguit. Porrò esse subsistentiæ intelligere constat ex eo quod ipse cap. 56. docet esse, quod inuenitur in substantia Angeli, esse complementum ipsius substantiæ, quod quidem tantùm conuenit subsistentiæ, qua omnis substantia completur: & idcirco D. Thomas cap. 51 distinguit esse Angeli ab esse Dei, ex eo, quod Deus sit suum esse subsistens, secus Angelus: loquitur ergo Doctor Angelicus ibi non de esse existentiæ, sed solùm de esse subsistentiæ Angeli, quod verè ab essentia ipsius Angeli discriminatur. Ad Ecclesiæ Patres dico, solum in eo Deum à creatura distingui, quod Deus est ens per essentiam, creatura vero per participationem, id est, Deus est necessariò & à se independenter ab omni alio, ita vt non possit non existere; creatura verò existit contingenter, & dependenter ab alio ita, vt possit non existere, quæ omnia saluantur, licèt existentia creata sit essentialis, & indistincta re ipsa ab essentia rei actuali; quia sicut essentia actualis est actu contingenter, ac dependenter à Deo, ita etiam existentia, quæ identificatur cum ipsa.

25 Obiectio secunda: in Deo iuxta communem omnium Theologorum sententiam dantur duæ scientiæ distinctæ, alia simplicis intelligentiæ, alia visionis, quæ quidem distingui non possunt, nisi per obiecta diuersa; sed scientia simplicis intelligentiæ cognoscit essentias creaturarum; scientia verò visionis cognoscit earum existentias: ergo essentiæ creaturarum diuersificantur reipsa ab earum existentiis; aliàs si essentiæ creatæ non differerent ab existentiis scientia simplicis intelligentiæ cognosceret essentias, & existentias creaturarum, & scientia visionis cognosceret etiam earum existentias, & essentias; ac proinde non essent in Deo distinctæ scientiæ.

26 Dicat autem quispiam, primò, tam scientiam simplicis intelligentiæ, quam scientiam visionis in Deo respicere tanquam obiectum essentias, & existentias creatas tamen sub diuersis statibus, nam scientia simplicis intelligentiæ respicit essentias, & existentias earum rerum, vt sunt in statu possibilitatis; scientia verò visionis respicit illas, vt sunt in statu actualitatis, & prout reduplicat talem statum; atque ideo diuersum habere obiectum scientiam simplicis intelligentiæ, ac scientiam visionis, & idcirco has scientias esse diuersas, sed impugnatur; res prout vt in statu actualitatis, & prout reduplicat talem statum; non dicit aliquam formalitatem, seu modum, qui iam non sit etiam in ipsa re, prout est in statu possibilitatis: ergo licèt scientia visionis respiciat res prout sunt in statu actualitatis, & scientia simplicis intelligentiæ respiciat ipsas res prout sunt in statu possibilitatis, non pertingit scientia visionis aliquam formalitatem, seu modum ex parte obiecti; quem etiam non pertingat scientia simplicis intelligentiæ: ergo non habent diuersa obiecta.

27 Dicat secundò, rem possibilem connotare carentiam, ac negationem existentiæ creatæ, quam non connotat res existens; atque ita scientiam simplicis intelligentiæ, quæ terminatur ad res possibiles, aliquid saltem negatiuum respicere, quod non respicit scientia visionis, quæ solum terminatur ad res existentes; & ideo discriminari inter se scientiam visionis, & scientiam simplicis intelligentiæ. Sed impugnatur: scientia simplicis intelligentiæ respicit res possibiles vt sic præcisè; sed res possibilis præcisè non dicit carentiam, ac negationem existentiæ: ergo scientia simplicis intelligentiæ non respicit carentiam, & negationem existentiæ. Consequentia tenet cum maiori. Minor autem sic primo probatur; si Angelus, v.g. iuxta sententiam communem existeret diuinitus ab æterno, ille Angelus non solum esset existens, & obiectum scientiæ visionis, sed etiam esset possibilis, & obiectum scientiæ simplicis intelligentiæ, vt omnes fatentur; & tamen ille Angelus nunquam connotaret carentiam, & negationem existentiæ, cum semper existentiam habuisset: ergo res vt possibilis præcisè non connotat carentiam existentiæ. Probatur secundò, eadem minor: possibile vt sic formaliter est ens non repugnans existere, quod Deus producere potest, vt capite 1. ostendimus; sed præcisa carentia, & negatione existentiæ potest concipi ens positiuum non repugnans ex se existere, & quod Deus possit producere, totum enim hoc est commune rei existenti, & non existenti: ergo præcisa carentia, & negatione existentiæ potest concipi res vt possibilis præcisè; hæc autem res possibilis sic concepta, si à Deo producatur, erit verè actu existens, si non producatur, erit actu carentia, & negatio illius, & tam negatio rei existentis, quam ipsa res existens est obiectum scientiæ visionis, cum tam vna, quam alia actualiter in suo genere verè existat; quod non spectat ad scientiam simplicis intelligentiæ, quæ tantum ipsam rem existentem, & negationem illius, vt possibilem pertingit: igitur obiectum nullum respicit vna scientia siue positiuum, siue negatiuum, quod altera non respiciat.

28 Dicat tertiò, rem vt existentem connotare decretum Dei producendi illam; rem verò possibilem præcisè non connotare tale Dei decretum illam producendi; ac proinde aliquid saltem in obliquo includere ens existens, quod est obiectum scientiæ visionis, quod nulla ratione includit ens possibile, quod est obiectum scientiæ simplicis intelligentiæ, & idcirco has scientias habere diuersa obiecta. Sed impugnatur: illa connotatio, quæ modo est in re existenti, antea etiam erat possibilis, & illud decretum liberum producendi rem, quod nunc est in Deo, antea erat virtualiter possibile; sed scientia simplicis intelligentiæ terminatur ad omne id, quod est possibile: ergo scientia simplicis intelligentiæ cognoscit etiam, & respicit illam connotationem, quæ est in effectu, & illud decretum liberum Dei connotatum in obliquo saltem vt possibile: ergo nihil videt ex parte obiecti scientia visionis, quod non cognoscat etiam scientia simplicis intelligentiæ tam in recto, quam in obliquo. Deinde actus liber vt existens tantum connotat decretum Dei parandi suum concursum indifferentem voluntati ad quos actus ipsa voluerit; sed actus ille liber vt possibilis connotat etiam idem decretum, nam sine illo non posset à voluntate produci liberè: ergo nihil dicit nec in recto, nec in obliquo actus ille liber existens, qui est obiectum scientiæ visionis, quod non dicat etiam actus idem vt possibilis, qui est obiectum scientiæ simplicis intelligentiæ: igitur istæ scientiæ in Deo non habent diuersa obiecta; ac proinde non distinguuntur inter se, vel dicendum est scientiam simplicis intelligentiæ respicere tantum essentias creaturarum, & scientiam visionis respicere earum existentias, & existentias creatas à parte rei discriminari ab essentiis.

29 Respondeo ergo primo, hoc argumentum instari contra aduersarios in entitate illa superaddita existentiæ, quam ponunt ipsi; nam scientia simplicis intelligentiæ cognoscit essentiam illius entitatis, & scientia visionis videt existentiam, per quam existit talis entitas; sed hæ scientiæ tendunt ad obiecta diuersa: ergo in illa entitate existentiæ superaddita, existentia ipsius reipsa diuersificatur ab ipsiusmet essentia, quod ipsi negant. Deinde dico scientiam simplicis intelligentiæ, & scientiam visionis easdemmet obiecti formalitates respicere vt obiectio conuincit; atque ita ex parte obiecti has scientias inter se non

non dissidere; sed tantum distingui ex parte diuersi modi tendendi ad illud: etenim sicut apprehensio, qua apprehendo Petrum existere, & iudicium, quo etiam cognosco eundem Petrum existere, respiciunt idemmet obiectum, scilicet, Petrum existere, tamen diuerso modo idem obiectum respiciunt, nam apprehensio concipit, sed non iudicat, nec affirmat Petrum existere; iudicium verò concipit, iudicat, & affirmat existere Petrum; & ideo ex diuerso modo concipiendi sunt cognitiones diuersæ: ita similiter scientia simplicis intelligentiæ, & scientia visionis in Deo respiciunt creaturam existere, scilicet, essentiam, & existentiam illius; ac proinde respiciunt idem obiectum, tamen diuerso modo cognoscunt illud; nam scientia simplicis intelligentiæ concipit creaturam existere, sed non iudicat, nec affirmat ipsam existere, sed tantùm iudicat hoc, quod est creaturam existere esse possibile: scientia verò visionis ita concipit, vt etiam iudicet, & affirmet creaturam existere; ac proinde scientia simplicis intelligentiæ, & scientia visionis ex diuerso modo concipiendi sunt diuersæ; inde etiam alia diuersitas oritur, nam cum scientia simplicis intelligentiæ tantum iudicet ex parte modi essentias, & existentias rerum esse possibiles, ac factibiles, tendit ad suum obiectum modo directiuo, & practico; scientia verò visionis, cum ex parte modi affirmet essentias, & existentias rerum simpliciter esse in actu, tendit ad suum obiectum modo omnino speculatiuo, & ideo etiam ex hoc capite ex diuerso modo tendendi istæ scientiæ distinguuntur, licet vtraque essentiam, & existentiam indiscriminatim ex parte obiecti respiciant.

30 Sed vrgeat quis, scientia simplicis intelligentiæ iudicat obiectum esse non repugnans, & non iudicat esse existens: ergo ens non repugnans non est idem cum ente existente, sed distinctum ab illo: ergo scientia simplicis intelligentiæ, quæ respicit ens non repugnans, & scientia visionis, quæ respicit ens existens habent diuersa obiecta. Respondeo, scientiam simplicis intelligentiæ iudicare obiectum esse non repugnans non absolutè, sed tantum conditionatè, scilicet, quod si sit ens, homo, verbi gratia, erit non repugnans, nec ens chimericum; hoc autem modo nempe conditionatè etiam cognoscit obiectum esse existens, scilicet, quod si sit ens, homo, verbi gratia, erit existens; ac proinde eadem ratione cognoscit ens non repugnans, & ens existens, & ita ens non repugnans non distinguitur ab ente existente; scientia verò visionis iudicat obiectum esse non repugnans, & existens absolutè; & ideo scientia simplicis intelligentiæ, & scientia visionis diuerso modo cognoscunt idem obiectum; illa quidem concipit illud sub ratione non repugnantis, quod est idem, ac iudicare illud existere conditionatè, si fuerit: hæc verò concipit illud sub ratione existentis, quod est idem, ac concipere, illud existere absolutè. Obserua ens purè possibile non esse virtualiter existens conditionatè, id est, sub conditione physicè distincta ab illo, scilicet, si Deus velit, vt ostendi supra num. 4. esse verò formaliter existens conditionatè, id est, sub conditione logicè, & per rationem ab ipso distincta, scilicet, si fuerit in ratione essentiæ, vt constat ex dictis.

31 Obiectio tertia, si essentia, & existentia, v. g. hominis esset idem, totum id, quod conueniret homini ratione essentiæ, etiam conueniret illi ratione existentiæ: sed aliquid conuenit homini ratione essentiæ, quod non conuenit ipsi ratione existentiæ: ergo existentia hominis non est idem reipsa cum eius essentia. Minor probatur: propositiones æternæ veritatis, v. g. homo est animal, homo est rationalis conueniunt homini ratione essentiæ, quia ab æterno homo est animal rationale; & tamen non conuenit illi ratione existentiæ, quia ab æterno homo in ratione animalis absolutè non existit: ergo aliquid conuenit homini ratione essentiæ, quod non conuenit illi ratione existentiæ. Sed primum hoc argumentum contra aduersarios instatur in entitate illa superaddita existentiæ, nam isti entitati superadditæ conuenit aliquid ratione suæ essentiæ, quod non conuenit ratione suæ existentiæ, nam propositio hæc æternæ veritatis, existentia est ratio formalis existendi, conuenit tali entitati ratione suæ essentiæ, quia ab æterno illa entitas est essentialiter ratio formalis existendi, & non conuenit illi ratione existentiæ; quia talis entitas in ratione formali rationis existendi ab æterno non existit: ergo existentia illius entitatis superadditæ distinguitur reipsa ab ipsiusmet essentia, quod inficiantur ipsi. Respondeo ergo, illas propositiones æternæ veritatis, scilicet, homo est animal, homo est rationalis eatenus præcisè homini conuenire ratione essentiæ ab æterno, quatenus ipse homo ab æterno habet essentiam animalis rationalis; cum autem homo ab æterno non habeat absolutè essentiam animalis rationalis, sed tantùm conditionatè, scilicet, quod si fuerit homo, habebit necessariò essentiam animalis rationalis, ideo propositio illa æternæ veritatis, scilicet, homo est animal rationale, conuenit ab æterno homini ratione essentiæ tantum conditionatè, id est, quod si fuerit homo, erit necessariò animal rationale; hoc autem modo, scilicet, tantum conditionatè etiam conuenit ipsi homini ratione existentiæ, nam re vera idem est dicere, si fuerit homo, erit animal rationale, ac dicere si extiterit actu homo, necessariò existit actu animal rationale; atque ita totum id, quod conuenit homini ratione essentiæ, conuenit etiam illi eodem modo ratione existentiæ; & idcirco existentia hominis non distinguitur reipsa ab essentia illius.

Sed vrgeat quis: ergo etiam hæc propositio est 32
æternæ veritatis; homo simpliciter est existens, sicut ista homo simpliciter est rationalis, nam vera erit semper hæc conditionalis, si sit simpliciter homo, erit simpliciter existens, sicut hæc etiam necessariò est vera, si sit simpliciter homo, erit simpliciter rationalis. Respondeo, in rigore metaphys. si illa propositio (homo est simpliciter existens) conditionatè tantum intelligatur modo prædicto, esse propositionem æternæ veritatis, sicut illa secunda propositio (homo est rationalis) vt argumentum conuincit; tamen quia ex communi modo loquendi propositio ista, homo est simpliciter existens, facit sensum non conditionatum, sed absolutum, scilicet, quod homo de facto exercitè existat, quod non est necessarium, sed contingens, ideo propositio illa non est necessaria, aut æternæ veritatis; quia verò secunda illa propositio, homo est rationalis, ex communi vsu loquendi facit sensum conditionatum, scilicet, quod si sit homo, erit rationalis, quod est necessarium, ideo talis propositio est necessaria, & æternæ veritatis.

Obiectio quarta: eadem est specificatiuè essentia pos- 33
sibilis, & essentia actualis; sed existentia exercita distinguitur reipsa ab essentia possibili: ergo etiam reipsa distinguitur ab essentia actuali. Consequentia est euidens. Maior patet ex cap. 1. Minor autem sic probatur, res, quæ reipsa separatur ab alia, distinguitur reipsa ab illa; cum res nequeat separari à seipsa; sed existentia exercita separatur reipsa ab essentia possibili; nam ab æterno fuit essentia possibilis; & tamen non fuit ab æterno eius existentia exercita cum illa tunc non extiterit, vt docet fides: ergo existentia exercita distinguitur reipsa ab essentia possibili. Sed instatur hoc argumentum contra aduersarios in illa entitate existentiæ superaddita comparando existentiam talis entitatis ad ipsiusmet essentiam,

vt

vt supra monstratum est numero 16. & 17. Deinde Respondeo, eãdem esse specificatiuè, & in recto essentiam possibilem, & essentiam actualem; existentiam autem exercitam non distingui ab essentia possibili sumpta tantum in recto, & specificatiuè pro essentia illa quæ potest esse; non vero pro carentia existentiæ, quam essentia ipsa, vt in potentia est formaliter connotat, vel includit in obliquo, & consequenter assero existentiam exercitam non separari re ipsa ab essentia possibili specificatiuè, nam licet ab æterno sit essentia possibilis vt sic formaliter, & reduplicatiuè, hoc est forma illa, scilicet, potentia Dei, à qua essentia ipsa possibilis formaliter denominatur, tamen non fuit ab æterno essentia possibilis materialiter, & specificatiuè, id est, ipsa essentia, quæ poterat fieri à Deo, non fuit actu ab æterno, sed tantum fuit ab æterno non repugnans reipsa esse; hoc autem modo etiam existentia ipsa exercita fuit ab æterno non repugnans reipsa esse; atque ita sicut fuit ab æterno essentia per non repugnantiam, scilicet, potuit esse, ita fuit ab æterno eius existentia etiam per non repugnantiam, scilicet, potuit esse, & sicut ab æterno non fuit actu, & simpliciter existentia, ita nec fuit actu, & simpliciter essentia: ac proinde existentia creata non separatur, nec distinguitur reipsa ab actuali rei essentia.

34 Obiectio quinta, res non potest esse sub contradictorio suæ essentiæ, quia esse rem est habere essentiam; non potest autem res habere essentiam contradictoriam talis essentiæ, atque ita nec potest esse res sub contradictorio suæ essentiæ; sed res. v. g. homo quando fuit possibilis, fuit sub contradictorio existentiæ, quia tunc non existebat: ergo existentia non est eius essentia; ac proinde dissidet ab essentia. Sed hoc etiam Argumentum potest instari in essentia, & existentia illius entitatis superadditæ, quam existentiam distinctam appellant. Deinde dico, rem possibilem non esse vere sub contradictorio suæ existentiæ, quia res, quandiu est purè possibilis, non potest dici, quod est, sed tantum potest esse, & absolutè non est, nec habet essentiam, nec existentiam, atque ita est contradictorium illius essentiæ, & existentiæ, scilicet, carentia ipsius: Vnde sicut licet tunc sit contradictorium essentiæ, quia tamen reipsa non est, non dicitur esse sub contradictorio essentiæ, ita similiter licet tunc contradictorium existentiæ, quia tamen reipsa non est, sed potest esse, non dicitur esse tunc sub contradictorio existentiæ; ac proinde non sequitur, quod existentia creata non sit ipsa rei essentia, cum non magis res sit possibilis sub contradictorio existentiæ, quam sub contradictorio suæ essentiæ, vt monstratum est; in hac autem materia magna æquiuocationis occasio est, quod ita loquimur de essentia possibili, ac si verè esset, cum tamen verè non sit, sed tantum potest esse, vel non repugnet ad essendum, quod semper præ oculis cautè habendum, vt omnis obiectio facilè diluatur.

35 Sed vrgeat quis. Quia rationalitas non distinguitur ab essentia hominis, numquam est verum dicere, homo non est rationalis; Sed aliquando est verum dicere, homo non est existens; ergo existentia distinguitur ab essentia hominis. Respondeo, ex communi vsu loquendi, hanc propositionem, homo est rationalis, semper facere sensum conditionatum, scilicet, quod si fuerit homo, erit rationalis; cum autem semper sit verum, quod si fuerit homo, erit animal rationale, semper est vera illa propositio, homo est rationalis, & eius contradictoria, aut contraria semper est falsa, scilicet, homo non est rationalis: at vero hæc propositio, homo est existens, ex vsu communi loquendi facit semper sensum absolutum, scilicet, quod homo actualiter, & absolutè existat; cum autem homo non semper actualiter existat absolutè, ideo illa propositio, homo est existens, aliquando est falsa, & eius contraria, seu contradictoria est vera, scilicet, homo non est existens, si autem vtraque propositio sumeretur in sensu conditionato, sicut numquam potest dici, homo non est rationalis, quia sub conditione, quod sit homo, necessario est rationalis; ita numquam posset dici, homo non est existens, quia sub conditione, quod verè sit homo, necessario est existens; ac proinde sicut rationalitas non distinguitur ab essentia hominis, ita nec ab ea distinguitur hominis existentia.

Obiectio sexta, id quod non distinguitur reipsa ab essentia rei, non conuenit illi contingenter, sed necessario; sed existentia conuenit rei non necessario, sed contingenter, quia essentiæ rei aliquando conuenit existere, aliquando non existere: ergo existentia rei distinguitur reipsa ab eius essentia. Sed hoc etiam argumentum potest instari in contraria sententia, in essentia, & existentia illius entitatis superadditæ, quam appellant distinctam existentiam, vt discurrenti facile constabit. Deinde dico, id, quod non distinguitur ab essentia rei, non posse conuenire contingenter physicè ipsi rei, id est, quod Physicè sit essentia talis rei sine illo; posse tamen conuenire tali rei contingenter logicè, hoc est, quod talis rei essentia potest absolutè non esse, & consequenter non esse id, quod est de essentia illius, & intellectus imperfectus concipit talem rem possibilem, quæ verè non est, ac si esset aliquo modo, sine eo, quod reipsa est de entitate illius: existentia ergo creata non conuenit essentiæ rei contingenter physicè, quia phæsicè numquam est essentia rei sine existentia ipsius identificata cum ipsa, nec potest esse physicè sine illa; conuenit vero existentia creata essentiæ rei contingenter logicè, quia quando res est purè possibilis sicut non est eius essentia, nec etiam est eius existentia simpliciter: ex quo intellectus imperfectè concipit essentiam possibilem, quæ verè non est, sed potest esse, ac si esset aliquo modo sine existentia, cum verè non magis sit essentia, quam existentia; ac proinde existentia ab essentia ipsa non distinguitur. 36

Obiectio septima, essentia conuenit rei independenter à causa efficiente, cum sit ingenerabilis, & incorruptibilis; & tamen existentia conuenit illi dependenter à causa efficiente, cum verè producatur: ergo existentia reipsa distinguitur ab essentia. Deinde existentia creata est esse receptum, cum sit limitatum, & finitum: aliàs si non esset receptum, non esset finitum, & limitatum. Cum ab eo, in quo recipitur tale esse, suam finitatem, & limitationem accipiat; sed non est aliud subiectum, in quo recipiatur existentia, nisi essentia: ergo existentia est esse receptum, & ita distinguitur ab ipsa essentia, cum res recipi non possit realiter in seipsa. Sed hoc argumentum etiam instari potest in prædicta entitate superaddita existentiæ. Deinde dico, essentiam non esse ingenerabilem, & incorruptibilem, sed dependere à causa efficiente, sicut pendet ipsa existentia, vt clarè probaui suprà, num. 17. & ita hac ratione non distingui existentiam ab essentia, & solum posse dici, essentias rerum esse ingenerabiles, & incorruptibiles in esse possibili; physicè tamen & realiter tam essentias, quam existentias esse corruptibiles. Ad illud aliud Respondeo, sicut esse existentiæ Angeli non est receptum in alio vt in subiecto, sed tantum ab illo, vt à causa efficiente, & hoc sufficit, vt sit finitum, & limitatum; ita similiter licet esse existentiæ non sit receptum in essentia tamquam in subiecto, sed potius sit ipsa essentia, cum tamen sit receptum, & dependens à Deo, vt à causa efficiente, hoc sufficit, vt sit finitum, & limitatum; ac proinde existentia creata est esse finitum, & limitatum, & adhuc non est esse distinctum, nec receptum in essentia. 37

Obiectio octaua, essentia, qua res est hodie, & cras in ratione essentiæ est eadem; & tamen existentia, qua 38

res existit hodie, & existentia, qua res existit cras, sunt inter se diuersæ : ergo existentia distinguitur ab essentia Minor patet. Rem existere hodie non est idem, ac rem existere cras, cum possit res hodie existere absque eo, quod existat cras; sed rem existere hodie est existentia, qua hodie existit, & rem existere cras est existentia, qua existet cras : ergo existentia qua res existit hodie, non est existentia, qua ipsa res existit cras. Minor etiam primi syllogismi constat ex eo, quod eadem est essentialiter res, quæ est hodie, & res, quæ est cras, nec enim per fluxum temporis essentialiter mutatur: ergo eadem est essentia, quam habet hodie, & essentia, quam habet cras. Sed hoc argumentum instatur hoc modo. Hominem viuere vita radicali hodie non est viuere vita radicali cras ; cum possit hodie viuere radicaliter absque eo, quod viuat cras : ergo vita radicalis, qua homo viuit hodie est reipsa diuersa à vita radicali, qua idem homo viuit cras; & tamen essentia hominis hodie, & cras est eadem: ergo vita radicalis hominis distincta est reipsa ab eius essentia, quod est manifestè falsum, cum homo per suam essentiam viuat radicaliter. Respondeo ergo, sicut effectus formalis rationalitatis est tantum esse rationale absolutè, esse vero rationale hodie, vel cras est effectus durationis, qua rationalitas durat hodie, & cras; ita similiter effectum formalem existentis est esse existens, & extra causas absolutè ; esse vero existens hodie, & cras esse effectum durationis, qua existentia durat hodie, & cras : vnde ex eo, quod rem existere hodie non sit idem, ac rem existere cras, non sequitur, quod res hodie, & cras habeat existentias diuersas, sed tantum quod habeat diuersas durationes; ac per consequens, non infertur, quod existentia distinguitur à rei essentia, quæ est vna, & eadem, sed tantum quod duratio distinguatur à tali essentia, quod nos hac ratione concessimus in Phys. disp. 28. cap. 2.

39 Obiectio nona. Sicuti rem existere est formaliter esse extra causas, ita substantiam subsistere est formaliter independere à subiecto inhæsionis, & sicut res per suam essentiam actualem est extra causas, ita substantia per suam essentiam substantialem est independens à subiecto inhæsionis; atqui substantia per suam essentiam substantialem non subsistit, sed per modum subsistentiæ à se distinctum, vt infra ostendam : ergo etiam res non existit per suam essentiam actualem, sed per alium modum existentiæ ab ea distinctum. Dices substantiam per suam essentiam tantum esse radicaliter, & incompletè independentem à subiecto inhæsionis, fieri vero ab illo independentem formaliter, & completè per modum distinctum; atque ita per illum subsistere. Sed contra. Ergo etiam res per suam essentiam actualem erit radicaliter, & incomplete extra causas; completè vero, & formaliter per modum distinctum existentiæ, per quem existet. Respondeo, substantiam eatenus esse vnde independentem à subiecto inhæsionis in ratione substantiæ, quæ directè opponitur accidenti; cum autem substantia per suam essentiam præcisè non sit completa in ratione substantiæ, alioquin humanitas Christi non posset compleri, & terminari per Verbum diuinum; ideo substantia per suam essentiam præcisè non est complete independens à subiecto inhæsionis, sed hoc aduenit illi per modum distinctum substantiæ; rem vero eatenus esse existentem extra causas, quatenus est terminus creationis, seu actionis Dei; vt sic enim opponitur directè enti in potentia ; cum ergo res. v. g. Angelus per suam essentiam actualē præciso quouis alio modo distincto sit completè terminus creationis Dei, nam ille modus, etsi esset non crearetur, sed educentur vt iam ostendi; ideo res per suam essentiam præcisè est extra causas existens, & non per modum distinctum existentiæ.

Obiectio decima, humanitas Christi existit per existentiam verbi, alioquin non existeret in verbo, vt dicunt Ecclesiæ Patres ; sed si existentia ab eius essentia non distingueretur, humanitas per suam essentiam existeret, & non per existentiam verbi; quia quod res habet per suam essentiam, non potest ab alio recipere: ergo existentia reipsa distinguitur ab essentia. Deinde, in Eucharistia perit facta consecratione existentia, qua accidentia existebant in pane; & tamen manet eorum essentia: ergo existentia accidentium distincta est ab eotum essentia. Respondeo humanitatem Christi existere per propriam existentiam creatam, & non per existentiam verbi diuini, de quo in Theologia; dicitur autem humanitas existere in verbo, quia terminatur, & sustentatur, vt à supposito, ab ipso verbo, licet non existat per existentiam verbi ; sicut accidens dicitur existere in substantia, quia sustentatur, vt à subiecto ab ipsa substantia, licet non existat per existentiam substantiæ. Ad illud aliud. Respondeo facta consecratione Eucharistica manere accidentia cum propria eorum existentia, quomodo enim possunt sine existentia existere? ex eo autem, quod iam non maneant in subiecto, solum sequitur, quod destruatur vnio inhæsiua, qua antea substantiæ inhærebant; non vero sequitur, quod non sit post consecrationem existentia; qua sunt absolutè extra causas, vt per se liquet; ac proinde non probatur existentiam debere distingui ab eorum essentia. 40

CAPVT IV.

Quonam pacto per rationem essentia, & existentia creata dissideant?

41 MOnstrauimus essentiam, & existentiam creatam à parte rei non distingui; nunc inquirimus an, & quomodo per rationem distinguantur? in primis certum est essentiam, & existentiam creatam per rationem aliquo modo distingui, quod nullus Theologorum vnquam inficiatus est, vt aduertit Suar. disp. 31. metaph. sect. 6. num. 16. licet in modo explicandi hanc distinctionem plures dissideant. Videntur censere aliqui essentiam, & existentiam ratione ratiocinata ex parte obiecti distingui : Sed hoc reputo improbabile; quia essentia actualis secundum se præcisè concepta est formaliter existens, cum vt sic formaliter sit extra causas: ergo non potest concipi formaliter ex parte obiecti essentia actualis specificatiuè non concepta etiam existentia ; ac proinde non distinguitur obiectiuè per rationem rationatam essentia actualis ab existentia. Opinantur alij, essentiam, & existentiam distingui ratione ratiocinata, non quidem adæquatè, & mutuo, vt nuper ostendi, sed tantum inadæquatè, & non mutuo; quia licet essentia actualis non possit concipi non concepta existentia, potest tamen concipi existentia, non concepta essentia actuali. Sed hoc etiam aperte est falsum; quia essentia est quædam formalitas apta ad existendum, vt ostendi disp. 2. cap. 1. sed eo ipso, quod concipiam existentiam, concipio ex parte obiecti formalitatem aliquam aptam ad existendum : ergo eo ipso, quod concipiam existentiam, concipio etiam essentiam : ergo nec inadæquatè distinguitur obiectiuè per rationem existentia rei ab eius essentia.

42 Sed dicat aliquis, existentiam non posse præscindi ab essentia ipsius existentiæ, posse vero præscindi ab essentia præcipua rei : v.g. ab essentia hominis potest præscindi eius existentia. Contra: existentia, vt sic non potest præscindi ab essentia vt sic, vt iam ostendi: ergo nec existentia humana potest præscindi ab essentia humana. Patet, quia ita se habet existentia vt sic ad essentiam vt sic, sicut existentia humana ad humanam essentiam : Ergo si existentia vt sic non potest præscindi ab

ab essentia vt sic, nec existentia humana poterit præscindi ab humana essentia. Fateor ergo, quod sicut in homine potest præscindi existentia vt sic à ratione talis existentiæ, scilicet, hominis, ita in illo potest præscindi existentia vt sic à ratione talis essentiæ, scilicet, hominis; quia existentia vt sic non identificatur formaliter cum tali essentia, sicut non identificatur formaliter cum tali determinata existentia. Addo tamen, quod sicut existentia vt sic non potest præscindi obiectiuè ab essentia vt sic; ita talis determinata existentia, scilicet, humana non potest ex parte obiecti præscindi à tali determinata essentia, scilicet, humana; ac proinde, quod nullo modo præscindatur per rationem obiectiuè essentia ab existentia.

43 ASSERTIO ergo sit. Essentia, & existentia creata tantùm per rationem ratiocinantem distinguuntur ex parte modi concipiendi, quatenus intellectus noster ex parte modi apprehendendi cum fundamento aliquo verè concipit existentiam per modum actus, & essentiam per modum potentiæ. Ita sentire videntur Suarez suprà sectione 13. Hurtado disputatione 8. metaphys. sectione 4. numero 53. & 69. Fonseca 4. metaphys. capite 2. quæstione 4. sectione 1. Iandunus 4. metaphys. quæstione 3. Auersa 1. tomo metaphys. quæstione 8. sectione 8. Arriaga disputatione 2. metaphys. sectione 4. eamque attribuit Fonseca Durando in 1. distinctione 8. quæstione 2. Gabrieli, Herueo, & aliis. Hæc tamen assertio sola sui explicatione probatur. Essentia creaturæ secundum se est apta ad existendum, & non existendum, & ita aliquando non habet existentiam, sed tantùm est apta existere, & aliquando habet existentiam, per quam actualiter existit; ex hoc fundamento noster intellectus concipit existentiam creaturæ, vt quid aptum ad habendum in se existentiam; atque ita concipit illam per modum potentiæ ad existentiam; & etiam concipit existentiam, vt dantem formaliter essentiæ ipsum existere; atque ita concipit illum per modum actus respectu essentiæ; & ex hoc præcisè modo concipiendi diuerso essentia, & existentia creata formaliter distinguuntur, & non alia ratione, vt constat ex dictis.

Hinc infero primò formaliter, & ex modo concipiendi perfectiorem esse existentiam, quam essentiam rei creatæ; quia illa formaliter est actus, hæc vero tantum est potentia, & perfectior est ex genere suo actus, quam potentia. Infero secundò, esse in re creata aliquam compositionem formalem ex essentia, & existentia ex parte modi concipiendi cum fundamento in re; quia res, quæ constat ex potentia, & actu habet compositionem, vt per se liquet; sed formaliter, & ex modo concipiendi cum fundamento in re essentia se habet, vt potentia, & existentia se habet vt actus, & res ipsa creata concipitur, vt constans ex essentia, & existentia, tanquam ex potentia, & actu: ergo formaliter, ac ex modo concipiendi cum fundamento in re res creata habet compositionem ex essentia, & existentia. Infero tertiò, in Deo non reperiri ex parte modi concipiendi cum fundamento in re hanc compositionem formalem ex essentia, & existentia; quia ideo talis compositio cum fundamento in re reperitur in creatura, quia essentia creaturæ secundum se est apta ad existendum, & non existendum, & aliquando non existit, sed tantum potest existere; & ideo potest concipi vt potentia ad existentiam, & existentia, vt actus respectu illius, vt diximus numero 41. & 43. Sed essentia Dei non est apta ad existendum, & non existendum, nec potest aliquando non existere, cum semper necessario, ac per essentiam existat; atque ita noster intellectus non habet fundamentum in re, vt essentiam Dei concipiat per modum potentiæ, & eius existentiam per modum actus respectu illius: ergo in Deo non est compositio formalis ex modo concipiendi cum fundamento in re ex essentia, & existentia. Alia apud Suarez, Auersam, Hurtado, Arriagam, & alios videri possunt. Et hæc de tractatu primo, de ente reali in communi dicta sint satis. 44

TRACTATVS SECVNDVS.

De variis entis realis diuisionibus.

IN superiori tractatu egimus de ente reali in communi, ac simul de ente reali creato, iam verò de variis entis realis diuisionibus in particulari tractamus: ens autem creatum diuiditur in decem suprema genera, quæ communiter prædicamenta vocantur, videlicet, in substantiam, quantitatem, qualitatem, relationem, actionem, passionem, vbi, durationem, situm, habere. Immediatius verò ens creatum partitur in substantiam, & accidens, & postea accidens in illa nouem genera accidentium dissecatur; de quibus omnibus serie prædicamentali Metaphysicus disceptat; Aristoteles vero, & ferè iam omnes eius interpretes ea omnia tradunt partim in Logica, quæ agens de arte syllogistica, & de modo argumentandi tradit ea, in quibus suas argumentationes, & syllogismos conficiat, partim in physica, quæ differit de corpore naturali, generabili, & corruptibili, eiusque affectionibus, vt de actione, passione, vbi, duratione, & de qualitate iterum in libris de generatione, & corruptione, & tandem in libris de anima, de corpore animato, & de eius passionibus, quæ nos etiam imitantes eodem ordine de illis copiosè egimus in Logica, & in Physica (& cum otiosum sit actum agere) iterum ea non inculcabimus, sed quæ supersunt breui calamo percurrentes nostris disputationibus explicabimus.

DISPVTA

DISPVTATIO V.

De substantia.

ARISTOTELES lib.5. metaph. cap.8. & lib.7. cap.8.ex professo differit de substantia creata,& de accidenti illi opposito, illam diuisit in primam, & secundam substantiam, istud in illa nouem genera accidentium. De substantia, quantitate, relatione, qualitate, habitu, situ, & quando egimus in Logica à disp.19. vsque ad 29. in Physica de actione, & passione disp.23.& 24.de vbi disp.26. de duratione disp.28. in libris de anima de corpore animato, & de passionibus animæ, quæ omnia locis assignatis videri possunt; cum verò substantia sit nobilitate prior,& præcipuum, ac perfectissimum membrum, in quod ens creatum diuiditur, de ea nonnulla breuiter addam, & postea de accidenti in communi, ne series Aristotelica omnino inuertatur.

Tria capita continebit. In primo inquiro, quid sit substantia, & quotuplex? In secundo, qualis sit diuisio in primam, & secundam substantiam? In tertio, quod sit supremum genus prædicamenti substantiæ?

CAPVT I.

Quid sit substantia & quotuplex?

1 SVbstantia tripliciter vsurpatur. Primò, pro quauis essentia rei, & hoc modo ratio substantiæ etiam conuenit accidenti, cum veram essentiam habeat. Secundò, pro eo, quod accidentibus substat, id est, quod stat per se, & sustentat accidentia: sic eam explicuit D.Isidorus lib.2. etym. cap.2.6. & in hac acceptione ratio substantiæ non conuenit Deo, qui non substat accidentibus. Tertiò, iuxta D. Augustinum lib.7. de Trinitate, cap.4. sumitur substantia pro eo,quod substitit in se, & opponitur accidenti, cuius nunc rationem formalem amplius explicamus.

2 Censent P.Hurtado disput.10. metaphys. sect.4. & Carleton ibidem, disp.7. sect.2. cum aliis recentioribus, substantiam vt sic formaliter esse id, quod est de primo conceptu rei, per quod differt ab accidenti, quod est de secundo rei conceptu; cum enim accidens semper præsupponat aliud, in quo sit, scilicet, substantiam, conceptus accidentis supponit conceptum substantiæ; ac proinde conceptus accidentis est secundus, & conceptus substantiæ est primus; & idcirco substantia est id, quod est de primo conceptu rei. Sed impugnantur: forma equi, v. g. non est de primo conceptu, sed de secundo; cum enim talis forma præsupponat materiam, in qua sit, conceptus formæ supponit etiam conceptum materiæ, atque ita conceptus materiæ est primus, & conceptus formæ equinæ est secundus; & tamen forma equi est substantialis: ergo substantia vt sic non rectè definitur esse id, quod est de conceptu primo. Dices, substantiam esse id, quod est de primo conceptu adæquato; forma autem equi est de primo conceptu adæquato; nam licet conceptus inadæquatus formæ supponat conceptum inadæquatum materiæ, tamen conceptus adæquatus equi, in quem ingreditur ipsa forma equi, est primus, & non præsupponit alium. Sed contrà, etiam quantitas est de conceptu illo, quo concipitur hoc concretum, scilicet, quantum; qui quidem conceptus, cum alium non præsupponat, & sit totalis, est conceptus primus adæquatus: ergo substantia vt sic formaliter non est id, quod est de primo conceptu adæquato.

Dices præterea, substantiam esse id, quod est de primo conceptu adæquato entis per se, equus ergo, de cuius conceptu est forma equi est ens per se: quantitas vero, de cuius conceptu est forma quantitatis est ens, non per se, sed per accidens, & ideo formam equi esse substantiam, formam verò quantitatis non esse substantiam. Sed contrà, inquiram ego, quare forma equi constituat cum materia prima ens per se, secus verò forma quantitatis? non aliam rationem reddis, nisi, quod forma equi est substantialis, non verò quantitas; sed ecce circulum apertum committis, nam ideo dicis formam equi esse substantiam, quia est de conceptu entis per se, scilicet, equi; nunc autem ideo asseris equum esse ens per se, & conceptum equi esse conceptum entis per se, quia forma equi est substantialis: ergo circulum committis, & principium petis. 3

Opinantur alij, substantiam vt sic formaliter esse id, quod est de essentia, & constitutiuo formali entis simpliciter, scilicet, leonis, vel equi, &c. ideo autem dicunt leonem, vel equum esse ens simpliciter, quia variatis accidentibus, quæ experimur, manet semper idem leo,vel idem equus. Sed impugnatur: nam sicut variatis accidentibus manet idem compositum ex materia, & forma equi, scilicet, idem equus; ita variatis omnibus accidentibus manet idem compositum ex materia, & forma quantitatis, scilicet, idem quantum: ergo sicut equus est idem ens simpliciter, ita etiam quantum erit ens simpliciter: igitur vel forma quantitatis, quæ est de formali constitutiuo quanti, est substantialis, vel nulla est ratio,cur forma equina, quæ est de formali constitutiuo equi, sit substantialis; aliàs rationem assigna, quare equus sit ens simpliciter potius,quam istud concretum,scilicet, quantum. Dices, equum, vel, leonem esse ens simpliciter ex acceptione communi; sed aduertas quæso, nam rationem philosophicam huius acceptionis inquiro, alioquin non philosophicè, sed vulgariter traderetur ratio substantiæ; cum autem in hac sententia ratio illa non reddatur, non rectè iuxta illam explicatur, quid sit substantia? 4

ASSERTIO sit. Substantia vt sic formaliter est id, quod est in supposito per se,nimirum,independenter à subiecto inhæsionis; in hoc omnes concordant, etsi in vocibus discrepent. Probatur breuiter: hic definitur substantia in tertia acceptione, videlicet, vt directè opponitur accidenti iuxta superius dicta n.1. ergo ratio formalis substantiæ debet esse directè opposita rationi formali accidentis; atqui accidens vt sic formaliter est id, quod est extra suppositum, ac dependet à subiecto inhæsionis, vt omnes vnanimiter fatentur: ergo substantia vt sic formaliter est id,quod est in supposito per se, hoc est, independenter à subiecto inhæsionis; hanc auctoritatem longiùs prosequuti sumus in dialectica disp.24. cap.3. 5

Sed quærat quis, quare forma equi, v. g. sit in supposito per se independenter à subiecto inhæsionis, secus vero forma quantitatis. Respondeo, aliquid esse per se, id est, esse positiuè independens ab alio, vt à subiecto inhæsionis, nihil aliud esse, quam quod, licet in subiecto sit, cum illo tamen non constituat ens per accidens; forma autem equi cum materia non constituit ens per accidens,nam, cum natura sua sit quid incompletum, intendit constituere aliud totum completum; ac proinde totum illud, quod cum materia constituit, non est per accidens, sed intentum, ac per se: forma verò quantitatis est quid in seipso radicaliter completum, & solum deest illi inhæsio, vt completur, formaliter, atque ita quantitas non intendit constituere cum subiecto aliquod totum magis completum, sed tantùm intendit illi vniri, & inhærere, quod est eius complementum formale; ac proinde talis forma 6

quantitatis

quantitatis cum subiecto non constituit vnum totum per se intentum, sed tantum vnum resultans per accidens; & idcirco forma equi est per se independenter à subiecto inhæsionis; secus verò forma quantitatis; recognosce dicta in Logica disp. 21. cap. 3. & in Physicis disp. 9. cap. 3. num. 22.

7 Hinc infero primò, materiam primam, formam præcipuam, v.g. formam equi, ignis, aëris, &c. vnionem inter illas, subsistentiam, & vnionem subsistentiæ cum natura habere veram rationem substantiæ, & propriis etiam gaudere subsistentiis. Ita communiter recentiores, P. Hurtado tum in Physicis, tum in metaph. disp. 10. sect. 2. Carleton disp. 7. metaph. sect. 2. Arriaga disp. 4. metaph. sect. 10. num. 76. & 77. Suarez disp. 28. metaph. sect. 1. disp. 32. sect. 4. & in 3. p. disp. 27. sect. 5. Ouiedo hic controuersia 6. puncto 4. Lugo disp. 12. de incarnatione sect. 5. num. 61. Henao de empyrologia lib. 2. exercitatione 8 sect. 8. Probatur manifestè; quia omnia sunt de formali constitutiuo suppositi, & in supposito, v. g. Petri, vel Christi sunt per se independenter à subiecto inhæsionis. Secundò, materia vt distincta à quouis alio est substantia, cum sit ab alio independens: ergo etiam ei correspondet propria subsistentia distincta à subsistentia cuiuslibet alterius. Tertiò, si materia subsisteret per formæ subsistentiam, diceretur materia assumi à forma, sicut in Christo dicitur assumi à verbo, quod est absurdum: ergo hæc omnia non solùm per se existunt, sed gaudent propriis subsistentiis.

8 Infero secundò, cum eisdem recentioribus, actionem, qua substantia producitur, non esse in sua entitate substantialem, sed accidentalem, quia non est per se in supposito; actio enim productiua huius suppositi, nempe hominis, non est de formali constitutione suppositi, cum ea actione variata in hominis conseruatione, idem suppositum, scilicet, homo persistat. Ita Hurtado suprà sect. 3. Carleton, Henao, Balthasar Tellum, & communiter omnes.

CAPVT II.

Qualis sit diuisio substantiæ in primam & secundam substantiam.

9 SVbstantia, quam ex Aristot. longius explicuimus in Dialectica disp. 21. cap. 1. in primam, & secundam dissecatur. Prima substantia est substantia singularis, quæ alteram non supponit, vel dicit respectum rationis ad aliam magis communem, quæ de illa prædicetur: substantia secunda est substantia vniuersalis, quæ dicit respectum rationis ad singularem, de qua potest prædicari: hic non diuiditur ratio aliqua substantiæ vt sic præcisa à substantia prima, & secunda: nam eo ipso quod talis ratio substantiæ esset abstracta, esset substantia secunda: nam esset substantia vniuersalis; atque ita diuisum adæquatè conuerteretur cum vno membro diuidenti, quod non leue diuisionis est vitium: solum ergo in hac diuisione duplex acceptio substantiæ declaratur, & idem fieri posset in quantitate, qualitate, & aliis prædicamentis; alia enim est quantitas, seu qualitas prima, scilicet, singularis, & alia est quantitas, seu qualitas secunda, scilicet, vniuersalis, & sic de aliis, hoc autem facile est, & parui momenti; de diuiso, & diuisione in primam, & secundam substantiam egimus in Dialectica loco allegato; nunc restat breuiter exponendum, qualis sit illa diuisio an vniuoca, an ve analoga?

10 Ratio dubitandi est. Quia secundæ substantiæ sunt verè substantiæ, & ponuntur in recta linea prædicamentali. Secundò, sunt realiter identificatæ cum primis, quia exclusis istis pereunt illæ. Tertiò, conuenit illis substare aliis, sicut, & primis; ait enim Boëtius lib. de duabus naturis; *genera, & species subsistunt tantum, individua vero non tantum subsistunt, sed etiam substant.* & fauere videtur D. Thom. 1. p. q. 29. art. 7. ad 4. & clarius in 1. dist. 23. q. 1. art. 1. ad secundum & dist. 26. q. 1. art. 1. ad 4. vbi ait, *Subsistentiam, & essentiam per prius esse in generibus, & speciebus, quam in individuis secundum Boëtium:* Ergo dicendum est substantiam vniuocè diuidi in primam, & secundam.

11 Arbitror tamen dicendum cum communi sententia, diuisionem substantiæ in primam, & secundam esse analogam. Ita Aristot. in præsenti D. Thom. quæst. 9. de potentia art. 2. ad 6. Boëtius lib. 1. de duabus naturis, Albertus Magnus tract. 2. cap. 3. Caietanus, Sotus, Iauellus, 5. metaph. q. 7. Conimbricenses cap. de substantia, quæst. 2. art. 2. conclus. 3. Suar. disp. 36. metaph. sect. 2. Complutenses in logica disp. 12. q. 2. Ioannes à Sancto Thoma ibidem, quæst 15. art. 2. Franciscus Alphonsus disp. 16. de substantia sect 4. & alij quamplures. Probatur primo, nam prima substantia prius est substantia, & substat, quam secunda: ergo ratio substantiæ & substandi per prius conuenit primæ substantiæ, quam secundæ. Antecedens probatur. Quia illi prius conuenit subsistere, & substare, cui prius conuenit operari; sed substantiæ singulari prius conuenit operari, vt docet Arist. in principio Metaph. ergo. Secundo ea ratio substantiæ diuiditur ab Arist. in præsenti, quæ principaliter conuenit primæ præ secunda: nam prima substãtia est principaliter, & maximè substantia, nam vt docet D. Thomas, quæst. 9. de potentia art. 1. ad 4. *nihil subsistit, nisi individua,* & art. 2. ad 6. ait, *quod cum diuiditur substantia in primam, & secundam, non est diuisio generis in species,* & infrà, *Vnde magis est diuisio analogi, quam generis:* Ergo cum prima substantia sit maximè substantia perprius illi conuenit subsistere, & substare accidentibus, quam secundæ: ergo prædicta diuisio magis erit analoga. Consequentiam probo, quia exercitium actuale subsistendi in se, & substandi accidentibus primario conuenit substantiæ singulari; nam iuxta Philosophum actiones sunt singularium. Deinde conuenit secundis substantiis ratione primæ, neque enim substantiæ secundæ subsisterent, nec substarent accidentibus in actu exercito, nisi continerentur in primis, vt fatentur omnes: ergo aptitudo tam ad subsistendum, quam ad substandum accidentibus realiter in actu exercito principalius conuenit primæ substãtiæ præ secunda: & consequenter prædicta diuisio erit analogi in analogata attributionis, nam res significata per hæc verba, aptam *subsistere, & substare in actu exercito*, propriè connenit primæ substantiæ & deinde attribuitur secundæ.

12 Sed obiicies aptitudo subsistendi, & substandi accidentibus est de intrinseco conceptu primæ, & secundæ substantiæ: ergo talis aptitudo est conceptus communis, & vniuocus vtrique substantiæ. Antecedens constat ex dictis, nam secunda substantia sola ratione dissidet à prima; sed rationis distinctio non sufficit ad constituendam analogiam, cum ratio substantiæ realiter, & verè vtrique conueniat; vt albedini, v. g. conuenit esse extensam ratione quantitatis; & tamen non conuenit analogicè, sed vniuocè: ergo similiter secunda substantia vniuocè dicetur de prima. Consequentia est manifesta; nam sicut Petrus, & homo à parte rei sunt idem, & conueniunt vniuocè, ita prima, & secunda substantia in exercitio subsistendi, & substandi realiter sunt idem: ergo etiam conueniunt vniuocè.

13 Respondeo primam, & secundam substantiam sola ratione distingui, illam tamen sufficere ad prædictam analogiam adstruendam, sicut & sufficit ad constituenda diuersa prædicamenta: nam prædicta aptitudo subsistendi in se, & substandi accidentibus perprius conuenit

uenit substantiæ singulari, & quasi extrinsecè attribuitur secundæ; nam omnia munera, quæ realiter exercent singularia, attribuuntur secundis substantiis ratione identitatis, quam habent cum illis confusè cognitis, quia prima substantia est subiectum secundæ, & secunda substantia prædicatum essentiale primæ, cum qua connectitur per rationem nostram: Vnde sicut sanum intrinsecè conuenit animali, & extrinsecè reliquis attribuitur ratione connexionis, aut attributionis; Ita aptum subsistere, & substare accidentibus intrinsecè conuenit primæ substantiæ, extrinsecè vero secundæ, ac proinde talis diuisio analoga potius, quam vniuoca appellanda est.

14 Ex dictis facilè fit satis rationi dubitandi in initio positæ: nam prima substantia est maximè substantia, quam secunda; ideo enim homo sustentat accidentia, quia Petrus illa sustentat. Ad Boëtium, Respondeo illum loqui ex sententia Platonis, qui putauit, genera, & species esse quasdam formas substantiales separatas, & denudatas ab accidentibus, quod vt ridiculum multoties impugnauimus. De mente vero sancti Thomæ clarè constat, interdum vero, vt inquit Suarez, suprà num. 19. videtur æquiuocè vti, nomine subsistentiæ, propriè enim significat actualem modum existendi per se, seu terminum naturæ subsistentis, vt latè ostendam disputatione sequenti capit. 1. aliquando vero significat naturam & essentiam, quæ est radix talis modi subsistendi, vt suprà insinuauimus, & in dialectica disp. 21. cap. 3.

CAPVT III.

Quod sit supremum genus Prædicamenti substantiæ.

15 EXplicabo iam conceptū substantiæ, vt contra accidens distinguitur, oportet inuestigare supremum genus huius prædicamenti, & pro dubij decisione præmitto primo, primum subiectum, & primam radicem accidentium vsurpari posse dupliciter. Primo, in actu exercito, & vt sic est quodlibet singulare substantiæ, nam cum actiones iuxta Aristotelem sint singularium, necessarium est, quod actio recipiendi accidentia exerceatur à singulari aliqua substantia. Secundo, in actu signato, & est formalitas illa substantiæ, seu prædicatum, cui per intellectum attribuimus receptionem eorum, quæ in substantia recipiuntur, vt cum distinguimus per rationem animal, & rationale, attribuimus receptionem, & productionem sensationis animali, &
17 receptionem & productionem ratiocinationis rationali sicut in actu supernaturali per intellectum vitalitatem tribuimus potentiæ vitali, & supernaturalitatem habitui.

16 Præmitto secundo, substantiam diuidi in completam, & incompletam. substantia completa est alia, quæ est adæquatè apta suppositari, vt natura Angelica, humanitas, & huius generis alia. Substantia incompleta est illa, quæ licet sit in supposito: non tamen est adæquatè apta suppositari, sed vel tantum est apta inadæquatè, vt sola materia vel sola forma, vel sola vnio, aut est ipsa ratio, qua natura suppositatur, vt subsistētia, vel vnio subsistentiæ; istæ autem substantiæ, scilicet cōpleta, & incompleta, plures alias habent subdiuisiones. Primo enim substantia completa diuiditur in spiritualem & corpoream: spiritualis in varias species Angelorum: corporea in corruptibilem, & incorruptibilem: incorruptibilis in varias species cœlorum, & Planetarum: corruptibile in viuens, & non viuens: non viuens in elementale, & mixtum: & vnumquodque illorum in varias species: viuens in sensibile, & insensibile: insensibile, quod est planta in arborem, & herbam; & quælibet ex his in varias species: sensibile quod est animal, in hominem & brutum; denique brutum in varias species: homo in Petrum, & Ioannem, & reliqua indiuidua: sic fit descensus à supremo genere vsque ad indiuidua; ascensus verò econtrà ab indiuiduis vsque ad supremum genus, v. g. Petrus, homo, animal, viuens, sensibile, corruptibile, incorruptibile, corpus, substantia, de qua quæritur an sit supremum genus huius prædicamenti.

Assero primò, rationem primi entis non esse supremum genus prædicamenti substantiæ. Probatur primò, nam differentiæ debent esse extra rationem generis; sed differentiæ non sunt extra rationem primi entis, cum omnes illas transcendat, & vltima sit formaliter ens, sicut prima: ergo. Secundò, quia species debent conuenire in genere, tanquam in ratione simpliciter vna; sed ratio entis non est simpliciter vna, sed multiplex, cum imbibatur in omnibus suis differentiis: ergo ratio primi entis non potest esse supremum genus substantiæ. Tertiò, quia genus, vt passim docetur, est pars Metaphysica, scilicet, hominis; sed ratio transcendens non est pars speciei, scilicet, hominis, nam præter se deberet habere alteram compartem, quæ non esset ens: ergo ratio transcendens non potest sortiri rationem generis. Vltimò: nam primum ens, vel esset supremum genus in actu exercito, vel in actu signato: non in actu exercito; nam sola singularia sunt prima entia in actu exercito; cum sola illa recipiant, vel producant accidentia; singularia autem non possunt esse supremum genus prædicamenti substantiæ; quia genus debet esse præcisum à differentiis: non etiam in actu signato; quia ratio primi entis transcendit differentias: ergo sub nulla consideratione ratio primi entis potest esse supremum genus prædicamenti substantiæ. 17

Dices, supremum genus prædicamenti substantiæ esse substantiam completam physicè, & metaphysicè. Sed contrà. Primò, quia id est proprium indiuidui vt talis. Secundò, quia cum supremum genus ordinetur per se ad componendas species inferiores cum earum differentiis, non potest esse completum metaphysicè, sed pars: ergo esse genus. Tertiò, qui talis substantia metaphysicè completa, etiamsi non ordinetur ad compositionem metaphysicam, tamen quodlibet genus, vt tale, ex se est contrahibile per differentias ad componendas species, vt ex se constat, genus enim, & species, quæ sunt substantiæ incompletæ constituunt hominem, & indiuiduum: ergo vt tale est incompletum metaphysicè, & consequenter non potest esse supremum genus prædicamenti substantiæ. 18

Assero secundo, supremum genus prædicamenti substantiæ est substantia completa exigens ex natura sua subsistentiam. Ita communiter Recentiores. Probatur, quia omnes substantiæ completæ conueniunt in hoc, quod est esse radicem subsistentiæ: quia omnis substantia est apta suppositari; sed non est alia ratio vniuersalior in substantia: ergo genus supremum substantiæ erit formaliter exigere subsistentiam. Confirmatur. Hæc ratio non transcendit differentias, quia differentiæ corporis, viuentis, sensibilis, & rationalis rectè concipiuntur, quin concipiatur exigentia subsistentiæ, quia omnes antiqui Philosophi cognouerunt has omnes differentias absque vlla notitia subsistentiæ: ergo hoc, quod est exigere subsistentiam, erit genus generalissimum respectu omnium substantiarum completarum, maximè cum non cognoscatur aliud genus superius, in quo possint conuenire. 19

Dices. Ratio formalis accidentis physici realis transcendit omnes differentias accidentis: ergo & ratio formalis substantiæ. Consequentia probatur, quia sicut ratio formalis substantiæ est exigere subsistētiam, ita 20

ita ratio formalis accidentis realis est exigere inhærentiam: ergo sicut hæc exigentia transcendit differentias, ita & illa. Respondeo, negando consequentiam, & do disparitatem: nam de ratione formali cuiuslibet differentiæ accidentis realis est tribuere aliquem effectum formalem constituentem subiectum, differentia enim albedinis ex se habet constituere subiectum coloratum, & petere inhærentiam, & hæc differentia transcendit differentias accidentis; at verò differentia substantiæ, scilicet, rationale sufficienter constituitur in esse talis per exigentiam ratiocinationis, quin expresse concipiatur subsistentia, & sic de aliis, quin vnum imbibatur in alio. Instabis adhuc: homo inquantum rationalis petit personalitatem; sed personalitas est subsistentia: ergo inquantum rationalis petit subsistentiam, & consequenter transcendens erit. Respondeo, hominem inquatum rationalem non petere personalitatem, sed naturam, aut humanitatem, quomodo sumitur in Cantico Diui Ambrosij, & Augustini, *Tu ad liberandum susceperus hominem, non horruisti Virginis vterum:* & in hoc sensu subsistentia non est de essentia hominis, nisi vt est natura subsistens.

DISPVTATIO VI.

De subsistentia.

Ex capita continebit. In primo, aliorum placita circa formalem rationem subsistentiæ refelluntur. In secundo, vera sententia proponitur, & defensatur. In tertio, an subsistentia distinguatur à parte rei à natura? In quarto, an subsistentia sit modus, an verò res? In quinto, an natura propriam retinens subsistentiam possit per alienam trahi? In sexto, quædam dubiola elucidantur.

CAPVT I.

Aliorum placita circa formalem rationem subsistentiæ refelluntur.

1 EXplicatis acceptionibus nominis substantia, & eius ratione formali constitutiua, oportet acceptiones huius nominis subsistentia, quæ non solùm est præcipua passio, & proprietas substantiæ, sed etiam terminus, & complementum ipsius explicare, videlicet, quid hæ voces natura, subsistentia, suppositum, suppositalitas, persona, aut personalitas, ac hypostasis significent: natura est essentia substantialis, quæ est apta compleri, ac suppositari; subsistentia complementum quoddam ipsius naturæ, per quod ipsa per se existit; suppositum est natura, vt iam vltimo completa, & incommunicabilis alteri, siue talis natura sit, siue non sit intellectualis; persona est suppositum includens naturam intellectualem: vnde à Boëtio lib. de duabus naturis sic definitur, *Persona est rationalis naturæ individua, id est, incommunicabilis substantia*; personalitas est totalis subsistentia intellectualis naturæ, per quam fit talis natura, vt completa alteri incommunicabilis; atque ideo subsistentia totalis absoluta, quam concedunt communiter Theologi in Deo, non est suppositalitas, aut personalitas, quia licèt reddat naturam diuinam simpliciter subsistentem, tamen non reddit illam incommunicabilem, sed potiùs communicabilem Patri, Filio, & Spiritui sancto. Hypostasis Græcè idem olim sonabat, quod substantia, & ideo verebantur Ecclesiæ Patres in Deo tres hypostases, ne viderentur admittere tres substantias; iam verò hypostasis communi vsu pro suppositio, aut subsistentia, & præsertim pro persona, aut personalitate vsurpatur, de quo copiosè Didacus Ruiz de Montoya tract. de Trinitate, q. 29. art. 1. & 2. disp. 31. & 32. & Carleton disp. 8. metaph. sect. 2. Hurtado disp. 11. metaph. sect. 1. nouissimè Henao de suppositio lib. 2. exercit. 8. per totam, & his circa vsum vocum breuiter prælibatis de ipsa ratione formali subsistentiæ disseramus.

Suppono primò, subsistentiam non esse accidens 2
quoddam naturæ: tum quia suppositum ex omnium sententia est ens per se, quod non esset si eius subsistentia esset accidens: tum etiam, quia alias humanitas Christi secundum se præcisè esset substantialiter completa; atque ita non posset vniri per se substantialiter cum Verbo, quod etiam est completum; nam vnum ens completum non potest vniri per se substantialiter cum alio. Suppono secundò, subsistentiam non esse indiuiduationem naturæ: tum quia indiuiduatio non distinguitur à parte rei à natura vt ostendi late suprà disp. 3. cap. 2. numero 1. subsistentia autem à natura dissidet reipsa, vt dicam cap. 4. tum etiam quia natura humana Christi habet indiuiduationem creatam, quia vt creata est indiuidua, & singularis; & tamen non habet creatam subsistentiam, vt docet fides. Suppono tertiò, subsistentiam non esse ipsam existentiam substantiæ, vt senserunt Capreolus in 3. dist 5. quæst. 3. art. 3. ad 1. & ad 3. Aureoli, Iauellus 7. metaphys. quæstione 17. tum quia existentia non distinguitur reipsa ab essentia actuali substantiæ, vt monstraui disputatione 4. cap 2. subsistentia autem ab illa à parte rei differt, vt loco citato ostendam: tum etiam quia Christi humanitas, vt præcisa à verbo existit, cum verè sit extra causas; & tamen non subsistit. His suppositis alias circa essentiam subsistentiæ principaliores sententias afferam, & confutabo.

Censent aliqui subsistentiam formaliter esse id, per 3
quod vltimo natura in suo esse completur. Hæc sententia vera est, sed diminutè rem explicat: etenim omnes fatentur subsistentiam complere naturam dando illi aliquam perfectionem; sed adhuc quærimus, quænam sit illa perfectio, quam subsistentia præstat ipsi naturæ, per quam formaliter illam complet. Vnde sic arguo: subsistentia complet, & terminat naturam, non quidem quantitatiuè, nimirum addendo aliquam indiuisibilem quantitatem, vt punctum terminat lineam; sed complet illam formaliter, scilicet, dando illi aliquam particularem, ac formalem perfectionem vltimam in suo esse: ergo vt exactè explicetur ratio, ac effectus formalis subsistentiæ non solum debet explicari, quod illa perfectio, quam naturæ dat sit vltima, sed etiam quænam sit talis formalis ac particularis perfectio; atqui dicendo præcisè subsistentiam esse id, per quod completur natura, solum explicatur, quod perfectio subsistentiæ sit vltima perfectio naturæ, non vero, quænam sit talis formalis, ac particularis perfectio: ergo per id non explicatur exactè, sed diminutè ratio, & effectus formalis subsistentiæ. Confirmatur; quia inhæsio non solum habet complere accidens in suo esse quomodocumque, sed complere illud dando ipsi aliquam particularē formalitatem, seu perfectionem, ergo ex eo præcisè, quod quis dicat inhæsionem esse id, per quod accidens in suo esse completur; non explicaretur exactè, sed diminutè ratio, & effectus formalis inhæsionis; sed subsistentia non complet quomodocumque naturam, sed complet dando illi aliquam particularem formalitatem, ac perfectionem: ergo ex eo præcisè, quod quis dicat subsistentiam esse id, per quod completur natura in suo esse, non exactè, sed diminutè explicatur ratio, & effectus formalis subsistentiæ.

Arbitrantur alij; subsistentiam vt sic formaliter esse 4
id, per quod completur substantia in ratione operandi, id est, fit principium proximè, & completè aptum ad operandum. Ita nonnulli recentiores qui, cum aliorum

modos reiiciant, in alium nec plausibilem, nec probabilem delapsi sunt: vnde aduersus illos sic arguo: Subsistentia ideo complet naturam in ratione operandi, quia complet illam in ratione essendi: ergo prius est formaliter in subsistentia complere naturam in suo esse, & posteriùs complere illam in principio operandi; atqui essentia, ac ratio formalis subsistentiæ est præcisè id, quod est prius formaliter in illa, essentia enim est primus conceptus rei: ergo essentia, & ratio formalis subsistentiæ est complere naturam in suo esse, non verò complere illam in principio operandi. Confirmatur: ex eo quod intelligatur substantia, vt omnino in suo esse completa, & incommunicabilis alteri, quouis alio præciso, concipitur, vt subsistens, concipitur enim vt suppositum, quod est subsistens necessariò, sed tamen vt sic formaliter non concipitur vt principium operandi: ergo ratio formalis subsistentiæ non est complere naturam in principio operandi.

5 Multi tenent subsistentiam vt sic formaliter esse id, per quod natura ita est in se, vt non sit in alio, scilicet, nec tanquam in subiecto, in quo sustentetur, nec tanquam in composito, quod constituat: ex quo inferunt primò, naturam totalem, scilicet, Angelicam, aut humanam, verbi gratia, verè subsistere, quia in alio non est, sed tantùm in seipsa. Secundò, substantias partiales, videlicet, materiam, formam materialem, & vnionem non subsistere, quia semper in alio sunt, scilicet, in composito, quod constituunt. Tertiò, animam rationalem in statu separationis subsistere, quia vt sic non est in alio, sed in seipsa: in statu verò coniunctionis ad corpus non subsistere, quia est in alio, scilicet, in humano composito, quod cum materia constituit; ac proinde animam rationalem, cum in resurrectione coniungitur corpori, amittere modum illum subsistentiæ, per quem separata per se stabat. Ita recentiores ingenioli, quibus patrocinatur Vasquez tomo 1. in primam partem, disp. 32. c. 4. licèt fortè non in omnibus hanc sententiam tueatur.

6 Hæc tamen opinio impugnatur primò, natura totalis, verbi gratia, Angelica, vel humana verè subsistit, vt ipsi aduersarij admittunt; atqui si subsistentia esset formaliter id, per quod natura ita est in se, vt non sit in alio, etiam vt in composito, quod constituit, natura totalis, scilicet Angelica, vel humana verè non subsisteret: ergo subsistentia vt sic formaliter non est id, per quod natura ita est in seipsa, vt non sit in alio, etiam vt in composito, quod constituit. Consequentia tenet cum maiori. Minor verò sic ostenditur: natura totalis, scilicet Angelica, vel humana verè est in alio, videlicet in supposito naturali, vt in composito, quod cum subsistentia constituit: ergo si subsistere vt sic formaliter est ita esse in se, vt non sit in alio, vt in composito, quod constituit, natura totalis, scilicet Angelica, vel humana verè non subsistit.

7 Dicat verò quis, naturam totalem, v.g. naturam Angelicam esse tantum in supposito proprio, quod ipsa cum sua subsistentia petit connaturaliter constituere; hoc autem non est naturam esse in alio, sed in se; ac proinde natura Angelica, licèt sit in proprio supposito, non est in alio, sed in seipsa; ac per consequens verè subsistit. Sed contrà, etiam materia prima est in composito proprio, quod ipsa petit cum sua forma substantiali connaturaliter constituere: ergo materia prima non est in alio, sed in seipsa; & consequenter verè subsistit, quod ipsi renuunt admittere; vel ergo concedant naturas partiales, etiam dum sunt in composito connaturali subsistere, vel negent subsistere naturas totales, quod est absurdum.

8 Impugnatur secundò, principaliter: portio aquæ, quæ antea separata subsistebat, etiamsi coniungatur cum alia portione aquæ, verè subsistit; & tamen est in alio, vt in compotio, quod cum alia portione aquæ constituit: ergo subsistere formaliter non est ita esse in se, vt non sit in alio, vt in composito, quod constituit. Consequentia est euidens. Maior patet: quia portio illa aquæ eundem modum essendi seruat coniuncta cum alia portione aquæ, quem habebat separata; sed cum separata erat habebat modum essendi per se, ac subsistendi: ergo etiam coniuncta seruat eundem modum essendi per se, ac subsistendi; ac per consequens etiam coniuncta subsistet. Minor etiam primi syllogismi liquet ex se.

Dicat aliquis primò, portionem aquæ, quæ ab aliis separata subsistebat, quando sub alia aqua coniungitur, tam ipsam, quam aliam portionem aquæ, cum qua continuatur, amittere proprios modos subsistentiæ, & alium modum acquiri, qua tota illa portio aquæ ex vtraque resultans verè subsistat. Sed contrà, si hoc esset verum, toties aqua totius maris, & omnes partes illius amitterent propriam subsistentiam, & aliam acquirerent, quoties guttula aliqua etiam minutissima admittur, vel additur ipsi mari, tunc enim tota aqua maris vel desinit, vel incipit esse in alio, tanquam in composito, quod cum illa guttula constituit; id autem est incredibile, ridiculum, & absonum: ergo cum portio aquæ alteri portioni coniungitur, non amittunt hæ portiones aquæ proprias subsistentias, quas antea habebant. Deinde, cùm ignis in hoc instàti A, aggenerat, ac sibi continuatiuè coniungit alterà partem ignis, hæc actio aggeneratiua pendet à priori ab aliqua subsistentia ignis aggenerantis in ipso instanti, nam subsistentia requiritur ex parte principij à priori ad operandum, vt c. 6. quæsito 2. ostendam; sed actio illa aggeneratiua ignis non pédet à priori in tali instanti A, à subsistentia aliqua, quæ ex coniunctione ignis aggenerati cum alio igne aggenerante resultat, hæc enim subsistentia non esset prior, sed posterior actione aggeneratiua, cum ad eam consequeretur; atque ita actio aggeneratiua non potest pendere à priori ab illa: ergo actio aggeneratiua pendet à priori in hoc instanti A, à subsistentia, quam antea habebat ignis aggenerans, cum non sit alia, à qua à priori in tali instanti dependeat: igitur in eodem instanti A, in quo ignis aggenerans cum igne aggenerato coniungitur, adhuc perseuerat in illo eademmet subsistentia, quam antea habebat. 9

Dicat secundò, portionem aquæ, etiam cum alia coniunctam retinere propriam subsistentiam, quam antea separata habebat, atque ita verè subsistere, quia licèt sit in alio, scilicet, in composito integrali, non tamen est in alio, vt in composito essentiali, quod tantùm destruit rationem subsistentiæ. Sed vt verum fatear inconsequenter procedit hæc solutio; quia aduersarij huius sententiæ sectatores, ideo præcisè dixerunt subsistere esse rem non esse in alio, quia verbum, *subsisto*, iuxta germanam, & propriam eius significationem, quam ex Latinis desumpserunt, significat aliquid sistere in seipso, ita vt vlterius ad aliud non progrediatur, at si natura sit in alio, vt in composito integrali, quod constituit, æquè non sistit in se, sed vlterius progreditur ad aliud, ac si esset in alio, vt in composito essentiali, vt per se constat: ergo natura ex eo, quod sit in alio, vt in composito integrali, æquè non erit subsistens, ac si esset in alio, vt in composito essentiali, vel si admittis naturam existentem in alio, vt composito integrali subsistere, etiam teneris admittere verè naturam subsistere, licèt sit in alio, vt in composito essentiali. 10

Dicat tertiò, subsistentiam dare formaliter eo modo, quo potest, ipsi naturæ non esse in alio; cum autem subsistentia, etsi materialis, & corporea possit indiuisibiliter esse in toto essentiali, potest dare naturæ non esse in alio, vt in composito essentiali. & ideo illud formaliter præstat: ipsa verò subsistentia aquæ, v. g. cum non possit, quia corporea est, & materialis esse indiuisibiliter 11

biliter in toto integrali, ſed tantùm diuiſibiliter tota in toto, & pars in parte, non præſtat naturæ non eſſe in alio, vt in compoſito integrali, ſed illud ipſi permittit. Sed contrà, ſubſiſtentia aquæ, verbi gratia, ex eo, quod corporea ſit, ſolum habet, quod recipiatur diuiſibiliter in hac aqua, cuius eſt ſubſiſtentia, tanquam in toto integrali; at verò ex eo quod ſit corporea, non habet, quod poſſit continuari, & vniri cum altera ſubſiſtentia alterius aquæ aduenientis: ergo non eſt contra rationem ſubſiſtentiæ corporeæ huius aquæ, quod ita iſtam aquam reddat ſubſiſtentem, vt hæc aqua durante tali ſubſiſtentia non poſſit continuari cum alia aqua, & ſi continuetur, illa ſubſiſtentia debeat amitti, & alia acquiri, ſicut in eorumdem ſententia eo ipſo, quod materia, quæ eſt vnita cum forma equi, ſimul diuinitus vniretur cum alia forma ſubſtantiali, tota equi ſubſiſtentia periret, & alia aduenirent illi compoſito, quod ex vna materia, & forma duplici reſultaret: igitur ſicut non eſt contra rationem ſubſiſtentiæ corporeæ, quod ita reddat naturam ſubſiſtentem, vt non ſit in alio, vt in compoſito eſſentiali, ita non eſt contra rationem ſubſiſtentiæ, licet corporea, & extenſa ſit, quod ita etiam reddat naturam ſubſiſtentem, vt non ſit in alio, vt in compoſito integrali, ac proinde non erit ratio, quare corporea ſubſiſtentia det naturæ non eſſe in alio, vt in compoſito eſſentiali potius, quam non eſſe in alio, vt in compoſito integrali; atqui non audes admittere ſubſiſtentiam corpoream dare naturæ non eſſe in alio, vt in compoſito integrali, ſed id abſurdum, & incredibile reputas: ergo non eſt ratio cur dicas ſubſiſtentiam dare naturæ non eſſe in alio, vt in compoſito eſſentiali. Multa alia argumenta poſſunt huic ſententiæ opponi, quæ gratia breuitatis prætereo.

12 Opinantur alij ſubſiſtentiam vt ſic formaliter eſſe id, per quod natura vt formaliter terminata, & completa alteri in eo genere omnino incommunicabilis redditur. Sed impugnatur: quia ideo natura vt terminata eſt omnino incommunicabilis alteri per ſubſiſtentiam, quia per ſubſiſtentiam eſt omnino completa in ſuo eſſe: ergo prius eſt in ſubſiſtentia naturam complere in ſuo eſſe, & poſterius illam incommunicabilem reddere: ergo hoc poſterius non eſt ratio formaliſſima ſubſiſtentiæ; patet ex dictis ſuprà num. 5. Deinde natura totalis, v. g. Angelica eſt verè ſubſiſtens; atqui ſi ratio formalis ſubſiſtentiæ eſſet rem omnino incommunicabilem reddere, natura Angelica non eſſet ſubſiſtens, quia hæc quacumque ſubſiſtentia terminetur, ſaltem diuinitus eſt alteri communicabilis, ſcilicet, ſuppoſito increato, vt infrà videbimus: ergo ratio formalis ſubſiſtentiæ non eſt rem omnino incommunicabilem reddere. Poſtremò: etiam albedo ita complet ſubiectum in ratione albi, vt reddat illud omnino incommunicabile alteri, à quo in tali ratione albi vlterius compleatur: & inhæſio etiam ita complet accidens in ratione accidentis, vt reddat illud omnino incommunicabile alteri, à quo vlterius compleatur in eadem ratione accidentis; & tamen non rectè dicitur eſſentia, ac ratio formalis albedinis eſſe reddere ſubiectum, vt affectum omnino incommunicabile alteri in ratione albi, nec eſſentia, ac ratio formalis inhæſionis eſſe reddere ſubiectum, vt affectum ipſa inhæſione incommunicabile alteri in ratione accidentis, ſed alia propria, & particularis formalitas, ac perfectio albedinis, ſiue inhæſionis exprimitur, quando eius eſſentia explicatur: ergo ſimiliter licèt ſubſiſtentia reddat naturam ſubſtantialem, vt affectam ipſa ſubſiſtentia, omnino incommunicabilem alteri in ratione ſubſiſtentiæ, non rectè dicitur hoc præcisè eſſe ratio formalis, & eſſentia ſubſiſtentiæ, ſed explicari debet alia propria & particularis formalitas, ac perfectio, in quo ſita ſit ſubſiſtentiæ ratio.

CAPVT II.

Vera ſententia proponitur, & defenſatur.

MIhi ſemper in hac re vera, & plauſibilis viſa eſt illa ſententia, quæ aſſerit ſubſiſtentiam vt ſic formaliter eſſe rationem illam, per quam formaliter proximè, & completè natura ſit à poſteriori independens ab alio, vt à ſubiecto inhæſionis. Vbi obſerua, ſicut in accidenti eſt duplex dependentia à ſubiecto inhæſionis, alia à priori, ſcilicet, actio eductiua accidentalis, vt paſſio eſt, per quam accidens fit dependenter à ſubiecto; alia à poſteriori, ſcilicet, vnio inhæſiua, quæ ad illam conſequitur, & per illam accidens eſt neceſſariò vnitum, & affixum ſubiecto; ita ſimiliter in ſubſtantia, verbi gratia, natura Angelica eſſe duplicem independentiam a ſubiecto inhæſionis; aliam à priori, ſcilicet, actionem creatiuam, per quam ſubſtantia illa fit independenter à ſubiecto inhæſionis, & vt opponitur dependentiæ à priori, ſcilicet, actioni eductiuæ; aliam à poſteriori, per quam iam completè, & proximè natura eſt à tali ſubiecto independens, & excludens dependentiam à poſteriori, ſcilicet, vnionem inhæſiuam, cui talis independentia directè opponitur; hæc autem independentia à poſteriori eſt à ſubſiſtentia; ac proinde ſubſiſtentia eſt ratio illa, per quam proximè, & completè natura eſt à poſteriori independens à ſubiecto inhæſionis, vt latiùs explicui diſp. 3. Phyſ. c. 1. Probatur: ſubſiſtentia vt ſic formaliter eſt complementum ſubſtantiæ in propria ratione, vt omnes diſcrepante nemine admittunt; ſed propria ratio ſubſtantiæ eſt eſſe per ſe, id eſt, eſſe poſitiuè independens ab alio, vt ſubiecto inhæſionis vt monſtraui in Logica diſp. 20. de ſubſt. cap. 3. ergo ſubſiſtentia vt ſic formaliter eſt complementum ſubſtantiæ in ratione poſitiuè independentis à ſubiecto inhæſionis: igitur ſubſiſtentia eſt id, per quod completè ſubſtantia eſt independens à ſubiecto inhæſionis. Hanc ſententiam amplexantur nobiles Philoſophi, Conimbricenſes lib. 2. de anima cap. 1. quæſt. 2. artic. 2. Carleton diſp. 8. metaph. ſect. 5. Arriaga diſp. 4. metaph. ſect. 8. numero 64. P. Hurtado diſput. 11. metaphyſ. ſect 7. Suarez diſput. 34. metaphyſ. ſect. 4. 5. & aliis, Auerſa 1. tomo metaphyſ. quæſt. 18. ſectione 6. Henao idem affirmat libro 2. ſect 9. quibus ſubſcripſere recentiores non indocti. 13

Hæc autem opinio, quam dicta diſp. 3. Phyſ. cap. 1. latè explicui, ac defendi, adeo poſtea eſt quibuſdam recentioribus inuiſa, vt totis viribus fuerint illam labefactare conati, nam cum natura Angelica, v. g. ſecundum ſe præciſo quouis alio modo ſubſiſtentiæ ita ſit independens à ſubiecto inhæſionis, vt repugnet etiam diuinitus eſſe dependens ab alio, inquiunt ſe non poſſe cognoſcere qua ratione talis natura poſtea per ſubſiſtentiam ipſi aduenientem poſſit conſtitui independens à tali ſubiecto inhæſionis, à quo antea per ſuam præcisè eſſentiam independebat; ac proinde ſubſiſtentiam non reddere ſubſtantiam independentem à ſubiecto inhæſionis. 14

Miror tamen hos Neotericos aliàs ingenioſos, & doctos doctrinam non intelligere, quæ in aliis rebus habet euidentes inſtantias, & ratione manifeſta probatur; etenim natura humana per ſeipſa, vt præciſa ab intellectu iuxta opinionẽ cõmunem ita eſt rationalis, vt repugnet etiam de potẽtia Dei abſoluta eſſe irrationalis; & tamẽ poſtea per intellectũ diſtinctũ ipſi aduenientem fit proximè, & completè rationalis: quia natura rationalis ſecundum ſe præcisè cum non ſit vltimò completa in propria ratione tantum eſt remotè, & non completè rationalis, quod ſufficit vt ita ſit rationalis, vt repugnet etiam 15

de potentia Dei absoluta esse irrationalis: hoc tamen non obstante postea per intellectum in sua ratione completur, & fit completè, & proximè rationalis. Deinde, natura Angelica, v. g per seipsam præcisè ita est incommunicabilis naturaliter alieno supposito, vt repugnet etiam diuina virtute esse illi naturaliter communicabilem; & tamen in sententia communissima talis natura per subsistentiam distinctam illi aduenientem redditur proximè, & completè incommunicabilis naturaliter alieno supposito, quia natura illa Angelica secundum se præcisè, cum non sit vltimo completa in propria ratione, solum est incompletè, & remotè incommunicabilis naturaliter alieno supposito, quod sufficit, vt ita sit naturaliter illi incommunicabilis, vt potentia absoluta repugnet fieri communicabilis tali supposito naturaliter; hoc tamen non obstante relinquitur locus, vt per subsistentiam postea fiat completè, & proximè ipsa natura incommunicabilis naturaliter supposito alieno: ita ergo similiter licet natura Angelica per seipsam præciso modo subsistentiæ ita sit independens à subiecto inhæsionis, vt repugnet etiam de potentia absoluta esse dependens ab illo, adhuc potest per subsistentiam ipsi aduenientem fieri proximè, & completè independens à tali subiecto inhæsionis, quia talis natura Angelica secundum se præcisè, cum non esset in propria ratione completa, solum erat remotè, & incompletè independens à subiecto inhæsionis, quod sufficit vt ita sit independens, vt repugnet etiam de potentia Dei absoluta esse ab illo subiecto dependens; ea tamen non obstante locus relinquitur, vt postea talis natura per subsistentiam compleatur, vt sit completè indedependens à subiecto inhæsionis, atque ita subsistens.

16 Hinc rationem apertam colligo ad demonstrandum naturam Angelicam, verbi gratia, secundum se solum, ac præcisa subsistentia non esse completè, sed tantùm incompletè independentem à subiecto inhæsionis; ac proinde posse fieri completè independentem ab illo per subsistentiam. Arguo sic: substantia in ratione substantiæ directè opponitur accidenti in ratione accidentis; sed accidens in ratione accidentis est positiuè dependens à subiecto inhæsionis: ergo substantia in ratione substantiæ est positiuè à subiecto inhæsionis independens; ergo sicut ea ratione, qua aliquid est accidens, & dependens à subiecto inhæsionis, ita ea ratione, qua aliquid sit substantia erit à subiecto inhæsionis independens: tunc sic: Sed natura illa Angelica secundum se solam præcisa subsistentia non est completè substantia, sed tantùm incompletè, quia subsistentia, à qua est præcisa, est complementum substantiæ, vt omnes admittunt: ergo natura Angelica secundum se solam præcisa subsistentia non est completè, sed tantùm incompletè independens à subiecto inhæsionis; ac proinde poterit reddi completè independens per subsistentiam. Arbitror, si principiis communibus de substantia, & accidenti standum sit, hanc esse metaphysicam demonstrationem.

17 Obiiciant autem primò, per id, per quod natura proximè fundat carentiam dependentiæ à priori, fundat etiam proximè carentiam dependentiæ à posteriori à subiecto inhæsionis: sed natura Angelica per creationem præcisè subiecta subsistentia fundat proximè carentiam dependentiæ à priori, vt nos fatemur: ergo etiam per talem creationem præcisè fundat proximè carentiam dependentiæ à posteriori: ergo natura Angelica, vt creata præcisè est independens proximè à subiecto inhæsionis, etiam à posteriori: & tamen talis natura, vt purè creata, non est subsistens: ergo esse subsistentiæ non est esse independens proximè à posteriori à subiecto inhæsionis. Tenet discursus. Maior, in qua sola est difficultas, sic probatur; quando vna res est necessariò connexa cum alia, per id, per quod aliquid fundat negationem vnius, fundat etiam negationem alterius, v.g. quia intellectus habet necessariam connexionem cum anima rationali, per id, per quod formaliter aliquid fundat carentiam, ac negationem animæ rationalis, fundat etiam negationem eius intellectus: item quia quantitas habet connexionem cum re materiali, per id, per quod formaliter aliquid fundat negationem rei materialis, fundat etiam negationem quantitatis. Deinde, quia habitus charitatis habet necessariam connexionem cum gratia, per id, per quod peccatum lethale fundat formaliter negationem gratiæ, fundat etiam formaliter negationem habitus charitatis; atqui dependentia à posteriori à subiecto inhæsionis habet necessariam connexionem cum dependentia à priori ab eodem subiecto: ergo per id, per quod aliquid fundat proximè carentiam dependentiæ à priori, fundat etiam carentiam dependentiæ à posteriori.

Respondeo, quando vna res habet necessariam connexionem cum alia in eadem ratione, id, quod formaliter fundat negationem vnius, fundat etiam formaliter negationem alterius, verbi gratia, quia calor intensus habet necessariam connexionem cum igne in eadem ratione, scilicet, in ratione calefactiui, id, quod fundat negationem ignis vt calefactiui, fundat etiam negationem caloris intensi; quando verò vna res habet necessariam connexionem cum alia, non in eadem, sed diuersa ratione, id, quod formaliter fundat negationem vnius, non fundat negationem alterius, v. g. calor vt octo habet necessariam connexionem non in eadem, sed in diuersa ratione cum intensa siccitate; & tamen per id, per quod fundatur negatio caloris vt octo, scilicet, per frigus, non fundatur formaliter negatio siccitatis, sed per aliud, scilicet, per humorem: intellectus ergo habet connexionem cum anima rationali in eadem ratione, scilicet, in ratione intellectiui, nam anima secundum se est intellectiua radicaliter, & fit per intellectum intellectiua formaliter in ordine ad eandem intellectionem: item quantitas habet connexionem cum materia in eadem ratione, scilicet, in ratione impenetrabilis, nam materia secundum se est impenetrabilis radicaliter, & per quantitatem fit impenetrabilis proximè, & formaliter in ordine ad eandem impenetrationem. Deinde habitus charitatis, & gratia habent connexionem necessariam in eadem ratione, scilicet, in ratione principij actus charitatis, nam gratia est principium radicale, & habitus est principium formale in ordine ad eundem actum charitatis; ac proinde idemmet, quod fundat formaliter negationem animæ rationalis, aut materiæ, aut gratiæ habitualis, fundat etiam formaliter negationem intellectus, aut quantitatis, aut habitus charitatis; at verò dependentia à priori à subiecto inhæsionis, & dependentia à posteriori ab eodem subiecto habent necessariam connexionem inter se non in eadem ratione, sed in diuersa, nam accidens dependere à priori à subiecto inhæsionis est fieri, & educi ex illo excludendo influxum creatiuum, quod nullo modo nec radicaliter, nec formaliter, nec remotè, nec proximè habet per dependentiam à posteriori, nam accidens pendere à posteriori à subiecto est vniri necessariò ipsi excludendo directè subsistentiam, ac perfectatem; ac proinde licèt dependentia à priori, & dependentia à posteriori à subiecto inhæsionis inter se necessariò connectantur; non tamen connectuntur in eadem, sed in diuersa ratione; & id circo per id, per quod natura fundat proximè negationem à priori, scilicet, per creationem non fundat proximè negationem dependentiæ à posteriori, sed per alium modum superadditum subsistentiæ, qui necessariò etiam in diuersa ratione cum tali creatione cõnectitur; 18

atque

atque ita natura, vt præcisè creata est independens à priori, non verò à posteriori, cum à subsistentia præscindatur.

19 Sed insurgant. Intellectus, & voluntas habent inter se necessariam connexionem solùm in diuersa ratione; & tamen id, quod fundat negationem intellectus, fundat etiam negationem voluntatis: ergo licet dependentia à priori, & dependentia à posteriori habeant tantum inter se necessariam connexionem in diuersa ratione, id, quod formaliter fundat negationem dependentiæ à priori, fundat etiam formaliter negationem dependentiæ à posteriori. Minor probatur, quia lapis, qui fundat negationem intellectus, fundat etiam negationem voluntatis. Respondeo, intellectum, & voluntatem licet inter se non habeant in eadem ratione connexionem necessariam, sed in diuersa, habere tamen cum vno tertio, scilicet, cum anima rationali necessariam connexionem in eadem ratione, nam anima rationalis est intellectiua, cum qua in eadem ratione connectitur intellectus, & simul volitiua, cum qua in eadem ratione connectitur voluntas: lapis ergo fundat negationem animæ rationalis, quatenus intellectiuæ, & volitiuæ; ac proinde fundat negationem intellectus, qui in eadem ratione habet connexionem cum anima vt intellectiua, & voluntatis, quæ in eadem ratione habet connexionem cum anima, quatenus volitiua.

20 Verum vrgeant. Etiam natura Angelica, vt præcisè creata fundat negationem accidentis, quod habet necessariam connexionem in eadem ratione cum dependentia à priori, & cum dependentia à posteriori; sicut anima rationalis cum intellectu, & voluntate, quia sicut talis anima secundum se petit intellectum, & voluntatem, ita accidens secundum se petit dependentiam à priori, & dependentiam à posteriori: ergo natura illa vt præcisè creata fundat negationem dependentiæ à priori, & dependentiæ à posteriori; sicut eadem ratione lapis fundat negationem intellectus, & voluntatis. Respondeo, lapidem fundare negationem animæ rationalis adæquatè, scilicet, quatenus est radix intellectus, & voluntatis, & ideo fundare etiam negationem intellectus, & voluntatis; naturam vero Angeli, vt præcisè creatam, cum vt sic formaliter, non sit completè, & adæquatè substantia, sed tantùm incompletè, & inadæquatè, quia præscindit ab eius complemento, scilicet, subsistentia, fundat negationem accidentis, non quidem completè, & adæquatè, sed incompletè & inadæquatè, id est, fundare negationem accidentis, quatenus est radix dependentiæ à priori, quæ cum creatione illa opponitur, non verò quatenus est radix dependentiæ à posteriori, quæ directè opponitur cum subsistentia, sed petit talis natura inferre necessariò subsistentiam, per quam fundet iam negationem accidentis complete, & adæquatè, ac proinde natura, vt præcisè creata fundat negationem dependentiæ à priori, non verò dependentiæ à posteriori.

21 Obiiciant secundò, principaliter: natura totalis, verbi gratia, Angelica per seipsam præciso modo subsistentiæ fundat omnino negationem partis, quia est totum: ergo fundat omnino negationem formæ: ergo fundat omnino negationem accidentis: ergo fundat omnino negationem inhæsionis: ergo est omnino independens à subiecto inhæsionis; & tamen natura illa secundum se præcisè non est subsistens: ergo esse subsistens non est esse independens à subiecto inhæsionis. Confirmant: natura diuina vt præcisa à relationibus est omnino independens à subiecto inhæsionis, cum omnino repugnet inhærere; & tamen vt sic non est subsistens, quia à subsistentiis præscindit: ergo subsistere non est independere à subiecto inhæsionis. Respondeo, naturam Angelicam, v. g. eatenus fundare negationem partis, quatenus illa est natura totalis; illa autem natura secundum se præcisa subsistentia, non est natura totalis proximè, & completè, sed incompletè, & remotè, nam subsistentia totalis, à qua præscinditur est complementum naturæ totalis in ratione naturæ totalis, sicut subsistentia partialis est complementum naturę partialis in ratione naturæ partialis; ac proinde natura illa Angelica præcisa subsistentia solum remotè, & incomplete fundat negationem partis, & consequenter solum remotè fundat negationem inhæsionis, & remotè, ac incompletè tantùm est independens à subiecto inhæsionis, & ideo non est subsistens, quia per subsistentiam fit independens completè, & proximè à subiecto inhæsionis. Ad confirmationem facilè dico, naturam diuinam vt præcisam à relationibus habere subsistentiam communem absolutam, vt multi Theologi tenent, & P. Suarez tomo 1. in 3. p. disp. 11. sect. 3.

Obiiciant tertiò, eo modo substantia fundat carentiam inhæsionis, quo accidens fundat negationem subsistentiæ; sed accidens per seipsum præcisè fundat proximè negationem subsistentiæ, nam in Eucharistia accidentia per seipsa sine vlla inhæsione carentiam subsistentiæ proximè fundant: ergo etiam substantia per seipsam præcisa subsistentia fundat proximè carentiam inhæsionis: ergo per seipsam, & non per subsistentiam est proximè à subiecto inhæsionis independens. Respondeo, accidens in Eucharistia non per seipsum præcisè, sed per modum perfectitatis accidentalem, quem habet, fundare complete, & proximè carentiam subsistentiæ, quia per illam perfectitatem accidentalem modo eminentiori, & supernaturali completur accidens in ratione accidētis, hoc est, in ratione fundantis carētiam subsistentiæ, sicut in tali ratione idem accidens per inhæsionem completur modo cōnaturali; ac proinde substantia non per seipsam præcisè, sed per modum subsistentiæ fundat proximè carentiam inhæsionis. 22

Multa alia in Physicis disp. 3. c. 1. proposui, & dilui; quid ergo insultant Neoterici, cum omnia eorum argumenta, aliaque plura facile soluta sint, nec aliud possint obiicere, quod resoluendo ligulas non soluatur, etsi alia argumenta apud Suar. Carleton, Hurtado, & Auersam locis suprà citatis videri possint, quæ solui etiā facilè poterunt ex solutionibus à nobis exhibitis. Colligo etiam ex dictis in hoc cap. materiam, formam substantialem, etiam materialem, ac vnionē earum, quamlibetque substantiam veram habere in seipsis subsistentiam, vt apud citatos Auctores videri potest, & nos etiam diximus in Physicis dicta disp. 3. cap. 2. & 3. 23

CAPVT III.

An subsistentia distinguatur à parte rei à natura.

HÆc quæstio aliis terminis proponi solet, scilicet, quid addat suppositum supra naturam: si subsistentia reipsa à natura distinguatur, aliquid suppositum addit, sin autem nihil reipsa addit supra illam; in hac re tres adinuenio sententias. Prima sententia est suppositum nihil addere supra naturam, nec ab illa distingui à parte rei, sed tantùm per rationem, quatenus natura per modum abstracti, suppositum verò per modum concreti à nobis concipitur. Ita Durandus in 1. dist. 34. q. 1. num. 15. Henricus quodlibeto 4. quæst. 4. & videtur consentire Aureolus in 3. dist. 1. q. 1 ex Philosophis Æmilius Acerbus lib. 2. quæst. peripat. q. 1. assert. 1. licet assert. 3. & 4. concedat motum positiuum subsistentiæ Durandi sententiam defendere videtur Caietanus 1. p. q. 5. art. 1. Secunda sententia est, suppositum non addere supra naturam aliquid reale positiuum, vel modum aliquem distinctum ex natura rei ab illa, sed tantùm aliquid negatiuum, scilicet, duplicem 24

negationem, nempe negationem dependentiæ actualis ab alio, & negationem aptitudinis naturalis ad dependendum, aut existendum in alio, à quo sustentetur. Ita Scotus in 3. distinctione 1. quæst. 1. & distinctione 6. quæst. 1. & quodlibeto 19 art. 3. & alibi sæpè, sequuntur Scotum, Bassolis, Mairon, Gabriel in 3. distinct. 1. Ochamus, & Marsilius quæst. 1. Ioannes de Neapoli in quodlibetis quæst. 4. & consentit Molina 1. p. q. 29. art. 2. disp. 3. Rada part 3. controuersia 1. art. 1. at vero Lichetus in 3. distinctione 1. quæst. 1. eandem sententiam probabilem reputat. Sed tamen & Scotum excusare conatur, & oppositam sententiam magis approbat, insuper S. Thomas 3. part. quæst. 4. art. 2. ad 2. ait, naturæ humanæ in Christo non deesse aliquid spectans ad perfectionem humanæ naturæ, sed additum esse aliquid supra humanam naturam, per quod indicare videtur nullum esse modum, qui perficiat naturam substantialem, sed illum solum admittunt aliqui in natura substantiali corporea ex materia, & forma composita. Tertia sententia est, suppositum addere supra naturam aliquid positiuum, quod ab illa à parte rei distinguatur, scilicet, ipsam subsistentiam. Hanc sententiam expresse tenet D. Thomas multis in locis 2. contra gentes cap. 52. & 53. 3. part. quæst. 2. art. 3. & quæst. 17. art. 1. & 1 p. quæst. 3. art. 3. Bañez 1. p. quæst. 3. art. 2. dub. 1. Capreolus 3. p. quæst. 4. art. 2. dub. 4. conclusione 2. asserens eam esse Thomistarum, Caietanus 3. p. quæst. 4. art. 1. & de ente, & essentia, & est communior Theologorum in 2. distinct. 3. & in 3. distinct. 2. vbi docent potuisse verbum assumere naturam Angelicam, in quo supponunt distinctionem naturæ à supposito in Angelis; ex recentioribus Suarez disp. 34. metaph. sectione 2. num. 20. & sect. 3. num. 9. Vasquez tomo 1. in 3. part. disputatione 31. capite 6. Valentia tomo 4. disp. 1. quæst 4. puncto 2. Albertinus de prædicamento substantiæ cap. 3. quæst. 7. Hurtado disp. 11. metaph. sectione 3. & 4. §. 39. Arriaga disp. 4. metaph. sect. 11. numero 90. Carleton disp. 8. metaph. sect. 3. Ouiedo hic controuersia 6. p. 2. Auersa tomo 1. mutaph. quæst. 18. sectione 2. Henao exercitatione 8. sect. 1.

25 ASSERTIO sit. Subsistentia est aliqua entitas positiua distincta à parte rei à natura, quam quidem entitatem suppositum suprà ipsam naturam addit. Ita Auctores tertiæ sententiæ, & tribuitur Aristoteli 7. metaph. cap. 11 textu 41. & 3. de anima cap. 4. textu 9. vbi ait, *In rebus materialibus distingui quod quid est ab eo, cuius est*, etsi de immaterialibus contrarium teneat. Et probatur etiam verbis D. Thomæ 3. p. q. 2. art. 3. vbi ait, *In omnibus rebus, in quibus inuenitur aliquid, quod non pertineat ad rationem speciei, secundum rem differunt natura, & suppositum, sicut maximè apparet in iis, quæ ex materia, & forma sunt composita.* Et inferiùs, *& quod est dictum de supposito, intelligendum est de persona in creatura rationali, vel intellectuali:* Sentit ergo S. Doctor, naturam, & suppositum inter se distingui realiter non solum in substantiis materialibus, sed etiam in substantiis intellectualibus. Hæc assertio naturali ratione conuinci non potest, cum subsistentia sola fide nobis innotescat, & ideo ex mysterio Trinitatis, & incarnationis probanda est. Primò, quia in Deo est vna essentia, & natura diuina, & tria supposita constituta, & distincta per tres subsistentias personales: ergo vltra naturam datur subsistentia terminans naturam, & simul cum illa constituens suppositum: illa enim diuina natura propter suam infinitam fœcunditatem indiget triplici illa subsistentia ad explendum suam capacitatem: ex quo licebit arguere in creatis, & ostendere naturam substantialem habere subsistentiam, per quam illa terminetur ad existendum incommunicabiliter, cum nec in Deo concipi possit ratio incommunicabilitatis, nisi per relatiuam oppositionem. Secundò, ex mysterio incarnationis; Verbum diuinum per vnionem hypostaticam re vera assumpsit naturam humanam, vt fides docet ex illo ad Hebræos 2. *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit*; & tamen re vera non assumpsit subsistentiam, quia non assumpsit personam: ergo subsistentia creata naturæ re vera distinguitur ab ipsa natura, alioquin si subsistentia esset identificata cum natura creata, impossibile esset Verbum assumere naturam, & non assumere subsistentiam; atqui fide sancitum est, Verbum diuinum assumpsisse naturam humanam, & non subsistentiam ei naturaliter debitam, cum natura illa humana Christi Domini terminata fuerit per subsistentiam Verbi diuini, & ita factum est, quod Christus Dominus sit vna persona habens personalitatem, & subsistentiam diuinam, & non humanam, habens tamen duas naturas diuinam, & humanam: ergo ex conceptu suo natura quælibet substantialis habet subsistentiam, per quam terminetur, & proximè, completè, ac incommunicabiliter subsistat.

Dicat verò quis primò, ex sententia Durandi, naturam, & suppositum distingui per rationem, & hoc sufficere, vt dicatur verè Verbum assumpsisse naturam, & non assumpsisse suppositum, vel subsistentiam. Sed contrà, vnio hypostatica non est reipsa præcisiua vnius formalitatis realis ab alia, cum qua reipsa identificata est, vt omnes concedunt; sed vnio hypostatica attingit, & vnit physicè Verbo naturam humanam: ergo attingit etiam, & vnit Verbo physicè omnem realem formalitatem, quæ cum tali natura re vera identificata est; atqui vnio hypostatica non attingit physicè, nec vnit Verbo subsistentiam creatam naturæ humanæ, vt Concilia, & Patres docent: ergo subsistentia creata naturæ humanæ non est cum illa identificata, sed à parte rei distincta ab ipsa natura humana. 26

Dicat secundò, ex sententia Scoti, Verbum per vnionem hypostaticam non assumpsisse subsistentiam, vel suppositum creatum, quia licet naturam creatam assumpserit, supra quam creatum suppositum nihil positiuum addit, tamen non assumpsit naturam cum negatione actualis dependentiæ ab alio, quæ quidem in ratione suppositi includitur, etenim natura Christi humana post assumptionem actualiter dependet ab alio, scilicet, à supposito Verbi, à quo sustentatur. Sed contrà, quando vna res ita est coniuncta cum alia, vt ab illa separata possit naturaliter conseruari ex vi eiusdem actionis, qua modo conseruatur, nullo alio addito, à quo physicè dependeat, tunc talis res licet cum alia vnita, non pendet actu ab illa, v.g. quia anima rationalis ita est coniuncta cum materia, vt separata ab illa possit naturaliter conseruari ex vi eiusdem actionis, qua modo conseruatur, nullo alio addito, à quo physicè dependeat, ideo talis anima etiam quando est coniuncta materiæ, non pendet in essendo ab illa; atqui iuxta principia Scoti natura humana Christi ita est vnita Verbo diuino, vt si ab illo separaretur posset naturaliter conseruari ex vi eiusdem actionis, qua nunc à Deo conseruatur, nullo alio addito, à quo ipsa natura physicè dependeret, nam solum adderetur quædam negatio, vt inquit Scotus, à qua ens positiuum reale, qualis est natura Christi physicè pendere non posset, ens enim non pendet physicè à non ente: ergo iuxta principia Scoti natura humana etiam quando post assumptionem est vnita Verbo, non pendet actu à Verbo: ergo etiam post assumptionem retinet talis natura negationem actualis dependentiæ ab alio; ac proinde est suppositum creatum, vel si hoc renuit Scotus admittere, ne Conciliis contradicat, tenetur fateri suppositum creatum addere supra naturâ entitatem aliquam subsistentiæ, quam non assumpserit Verbū diuinū. 27

Dicat

28 Dicat tertiò, negationem dependentiæ ab alio, quam ſuppoſitum includit, ſolum eſſe negationem vnionis cum alio ſuppoſito, cum autem natura Chriſti poſt aſſumptionem à Verbo diuino, non habeat negationem vnionis cum alio, eſt enim vnita cum Verbo, ideo non habet rationem creati ſuppoſiti. Sed contrà, impoſſibile eſt, quòd natura humana habeat vnionem per ſe cum Verbo, & quod non deſit illi aliqua entitas ſubſtantialis poſitiua ſubſiſtentiæ ab ea diſtincta, quæ ipſi naturaliter deberetur; ſed aſſeris naturam humanam habere vnionem per ſe cum Verbo: ergo debes aſſerere deeſſe ipſi naturæ aliquam entitatem ſubſtantialem poſitiuam ſubſiſtentiæ ab ea diſtinctam, quæ ei naturaliter debetur. Probatur maior: duo entia naturaliter completa non poſſunt per ſe vniri inter ſe, hac enim ſola ratione natura Petri, & natura Pauli non poſſunt per ſe inter ipſas copulari; ſed ſi naturæ humanæ Chriſti nulla deſit entitas poſitiua ſubſtantialis ſubſiſtentiæ, quæ illi naturaliter debeatur, ipſa natura erit in ſeipſa ſubſtantialiter ens completum, ſicut ipſum Verbum: ergo impoſſibile erit, quod talis natura vniatur per ſe cum Verbo.

29 Confirmo: loquutiones, quibus Concilia, & Patres ſerio, & grauiter, magnaque verborum ponderatione, & ſancti Spiritus aſſiſtentia definiunt, licet verbum diuinum naturam humanam aſſumpſerit, ibi non manere in Chriſto eius ſubſiſtentiam creatam, ſed potius fuiſſe conſumptam, quis imprudens audeat dicere eſſe nugatorias, & ridiculas; atqui ſi ſubſiſtentia creata naturæ non eſſet entitas ab ea diſtincta, ſed tantum negatio vnionis cum alio ſuppoſito, ſcilicet, cum ſuppoſito verbi, omnes illæ loquutiones eſſent nugatoriæ, & ridiculæ, idem enim eſſet dicere (cum verbum ſibi vniuit, & copulauit naturam, ibi non manſiſſe eius ſubſiſtentiam,) ac dicere: cum natura fuit vnita verbo diuino, non fuit non vnita cum ipſo verbo, quod eſt nugatorium, & ridiculum: ergo ſubſiſtentia naturæ creatæ non eſt negatio vnionis cum alio, ſed entitas poſitiua ab ea diſtincta; ſicut enim in Diuinis perſonalitates ſunt aliquid poſitiuum, quia Diuinæ perſonæ non conſtituuntur negationibus, ita in creatis, & conſequenter Verbum diuinum aſſumens naturam humanam, & eam ſibi vniens, natura humana non vnitur tantum negationi realiter à verbo diſtinctæ: ergo ſicut natura diuina ſubſiſtit, & redditur incommunicabilis per aliquid poſitiuum diſtinctum virtualiter, ita natura humana redditur incommunicabilis per aliquid poſitiuum diſtinctum realiter, quod eſt ſubſiſtentia, quam Patres adſtruunt ex diuinis, & cum ſit participatio diuinæ ſubſiſtentiæ, & deſumatur ex eadem perſonæ definitione, quæ iuxta omnes creatæ, & increatæ perſonæ conuenit: ergo ſubſiſtentia nullo modo poteſt eſſe negatio vnionis cum alio.

30 Obiiciat autem quis primo, Si ſubſiſtentia eſſet entitas diſtincta à natura, natura humana Chriſti ſine tali ſubſiſtentia connaturali, eſſet violenta, quia careret entitate illa ſubſiſtentiæ, quam appeteret; ſed natura humana non eſt in Chriſto violenta: ergo ſubſiſtentia non eſt entitas diſtincta à natura. Secundo, verbum aſſumpſit totam eſſentiam hominis; ſed hoc eſſet falſum, ſi ſubſiſtentia diſtingueretur à natura, quia non aſſumpſit talem entitatem ſubſiſtentiæ, quæ etiam eſſet de hominis eſſentia: ergo ſubſiſtentia non eſt entitas à natura diſtincta. Tertio, ſubſiſtentia eſt independentia à ſubiecto inhæſionis; ſed hæc independentia non diſtinguitur reipſa ab ipſa natura ſubſtantiali, quæ per ſe ipſam eſſentialiter eſt independens à ſubiecto inhæſionis: ergo ſubſiſtentia non diſtinguitur à natura ſubſtantiali.

31 Hæc autem facilè diluo: ad primum Reſpondeo naturam humanam Chriſti non appetere naturaliter ſubſiſtentiam creatam, quando habet aliam longè excellentiorem ſubſiſtentiam in creatam, quæ eſt incompoſſibilis cum illa, & ideo licèt careat ſubſiſtentia naturali, non eſſe in Chriſto violentam; eſſet autem in ſtatu violento, quando ex ablatione alicuius perfectionis naturalis ipſi naturæ creatæ debitæ, non ſupppleretur per aliquid æquale, vel maioris perfectionis; cum vero perſonalitas, & ſubſiſtentia diuina ſit longè perfectior, cum natura creata terminatur, & ſubſiſtit per illam, non ſolum non eſt violenta, ſed multo perfectiori modo terminata, & actuata. Ad ſecundum dico, Verbum diuinum non aſſumpſiſſe totam eſſentiam hominis, id eſt, totum id, quod illud quidditatiuè conſtituit, ſiue formale ſit, ſiue materiale, nam etiam ſubſiſtentia creata hominem quidditatiuè ſaltem pro materiali conſtituit; & tamen ipſa non eſt aſſumpta à Verbo, cum non aſſumpſerit hominem, nec perſonam, aſſumpſiſſe vero totam hominis eſſentiam, hoc eſt, totum id, quod hominem pro formali quidditatiuè conſtituit, homo enim pro formali ex ſola humana natura, quæ eſt apta perſonari, quidditatiuè coaleſcit, quæ quidem tota fuit aſſumpta à Verbo diuino; cum autem communiter id, quod pro formali conſtituit rem, dicatur eius eſſentia, ideo ſimpliciter dicitur Verbum totam eſſentiam hominis aſſumpſiſſe, etiamſi non aſſumpſerit creatam ſubſiſtentiam, quam importat pro materiali. Ad tertium ſatis conſtat ex dictis ſuprà capit. 2. & ex his, quæ diximus in Phyſica diſp. 3. c. 1. & 3.

Sed quærat quis an ſubſiſtentia Angeli ab ipſa Angeli natura à parte rei diſtinguatur? Cenſeo diſtingui cum eiſdem authoribus ſupra enumeratis num. 25. pro tertia aſſertione. Primo, quia natura etiam Angelica, ſicut & humana potuit aſſumi, & terminari à Verbo Dei, alioquin non rectè Paulus ad Hebræos ſecundo, miſericordiam Dei erga Abrahæ poſteros commendaret dicens; *nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit*, ideſt, non ſibi hypoſtaticè vniuit naturam Angelicam, ſed humanam: ſignum ergo euidens eſt ſubſiſtentiam Angeli reipſa ab eius natura diſtingui. Secundo probatur: anima rationalis etiam, vt ſeparata aſſimilatur in modo exiſtendi Angelis, & tamen etiam vt ſeparata ſubſiſtit per ſubſiſtentiam à ſe diſtinctam; cum in triduo fuerit anima rationalis Chriſti ſeparata à materia, & terminata per Verbum; ac proinde etiam Angeli ſubſiſtent per ſubſiſtentias diſtinctas. Verum aliquis inquirat, an de potentia abſoluta dari poſſit aliqua ſubſtantia creata adeo perfecta, ac excellens, quod non habeat ſubſiſtentiam à ſe diſtinctam? Ego quidem nullam apertam rationem implicationis inuenio, quare non ſit poſſibilis ſubſtantia quædam creata, ita nobilis, & excellens, vt per ſe ipſam ſubſiſtat, & non per ſubſiſtentiam diſtinctam? & ita ſentire videtur Ariſtoteles 7. Metaph. textu 41. dum dixit; *in primis ſubſtantiis (id eſt, ſpiritualibus, & vniuerſalibus) idem eſſe id, quod eſt, & id, quo eſt, videlicet naturam, ac ſuppoſitum*: ergo non repugnat aliqua ſubſtantia creata ſpiritualis, & intellectualis, à qua ſubſiſtentia realiter non diſtinguatur. Nec etiam inuenio rationem implicationis, quare non ſit poſſibilis vnio hypoſtatica verbi cum quauis ſubſtantia poſſibili quantumcumque excellenti, & perfecta, quod indicat quamuis naturam ſubſiſtere per diſtinctam ſubſiſtentiam; vnde cum pro vtraque parte æqualis ſit ratio nihil in hac re definio. 32

CAPVT IV.

An subsistentia sit modus; an vero res.

33 NObiles quidam Neoterici sequuti Caietanum 3. part. quæst. 4. artic. 2. dixerunt subsistentiam esse quandam realitatem reipsa à natura substantiali distinctam. Ita P. Hurtado disp. 11. metaph. sect. 5. num. 50. Arriaga ibidem, disp. 4. num. 93. Carleton disp. 8. metaph. sect. 22. num. 6. Fonseca 5. metaph. cap. 8. q. 4. art. 2. Rada 3. p. controuers. 1. art. 1. Henao suprà citatis multis sect. 4. num. 23. Alij opinantur subsistentiam esse modum ex natura rei distinctum à natura substantiali, ita Suarez disp. 34. metaph. sect. 4. num. 33. Vasquez 3. p. disp. 31. cap. 6. Cardinalis Lugo disp. 12. de incarnatione cap. 7. num. 83. Medina 3. p. quæst. 4. art. 2. Valentia punct. 2. Auersa tomo 1. metaph. q. 18. sect. 6. & plures alij recentiores quibus subscribo, & pro intelligentia,

34 Suppono, modum vt sic formaliter esse quandam entitatem, cuius tota essentia in actuali exercitio informationis consistit, id est, quod ita essentialiter aliquod subiectum informat, vt non possit esse in potentia subiectum aliquod informandi; in hac omnes conueniunt communiter. Probatur: modus iuxta communem omnium sententiam in eo distinguitur à re, quod res potest saltem diuinitus separari à subiecto, quod informat; modus verò nec de potentia absoluta à subiecto, quod informat, separari potest; sed hoc non alia ratione potest saluari, nisi quia tota essentia modi in actuali exercitio informationis consistit: ergo modus est illa entitas, cuius essentia tota consistit in actuali exercitio informationis. Confirmatur: necessariò admittendæ sunt aliquæ entitates, ac formæ, quarum tota essentia in actuali exercitio informandi consistat, nam si hæc forma informaret subiectum per aliam entitatem, & formam à se distinctam, & hæc per aliam formam, & ista per aliam, daretur processus formarum in infinitum, quod reputatur absurdum; sed has formas, ac entitates, quarum tota essentia in actuali exercitio informationis consistit, modos communiter appellamus, & eas per ipsum actuale exercitium informandi ipsis essentiale sufficienter diuersificamus à rebus, quibus tale exercitium informandi non est essentiale: ergo modus vt sic formaliter est illa entitas, seu forma, cuius tota essentia consistit in actuali exercitio informandi.

35 ASSERTIO sit. Subsistentia non est entitas realis, sed modus quidam substantiæ; atque ita non realiter, sed tantùm ex natura rei dissidet ab illa. Ita Auctores citati num. 34. pro secundo modo dicendi. Probatur: cum solum ex mysterio incarnationis colligatur subsistentiam distingui à parte rei à substantia, illa solum distinctio debet admitti, quæ sufficiat ad tale mysterium saluandum, alia enim distinctio sine fundamento erit: atqui ad saluandum mysterium incarnationis, scilicet, quod Verbum assumpserit naturam, & non assumpserit eius subsistentiam, sufficit distinctio tantum ex natura rei subsistentiæ à natura, qua dissidet modus à re: ergo tantum est admittenda distinctio ex natura rei subsistentiæ à natura, vt modus dissidet à re; ac proinde subsistentia est modus naturæ, quæ vere est res. Confirmo: modus est illa entitas, quæ per seipsam essentialiter subiectum informat, vt ostendi num. 34. Sed subsistentia creata per seipsam essentialiter subiectum informat; cum enim non implicet dari entitas aliqua subsistentiæ, quæ per seipsam essentialiter, & non per vnionem à se distinctam naturam informet, illa de facto datur, nam hæc sufficit, vt monstraui, & entitates sine causa multiplicandæ non sunt, quæ multiplicarentur sine causa, si subsistentia per aliam entitatem vnionis à se distinctam, & non per seipsam essentialiter subiectum informaret: ergo subsistentia, quæ de facto datur est modus. Vrgeo; quia ita se habet subsistentia in substantia, ac inhæsio in accidenti; sed inhæsio accidentis semper est modus: ergo etiam in substantia est modus eius subsistentia.

Obiiciat autem quis primò, modus est illa entitas, 36
per quam aliquid ex se indifferens determinatur in ordine ad aliud; sed per subsistentiam non determinatur aliquid ex se indifferens in ordine ad aliud, quia natura substantialis ex se non est indifferens, sed potius determinata ad subsistendum, nec per subsistentiam respicit aliud, sed sistit in seipsa: ergo subsistentia non est modus. Secundò, ideo visio albedinis non videt albedinem per modum à se distinctum, quia ex se est determinata ad videndum albedinem, & nulla ratione est indifferens; sed similiter substantia ex se est determinata ad subsistendum, & nulla ratione est indifferens: ergo non subsistit substantia per modum aliquem subsistentiæ; ac proinde subsistentia non est modus, sed res. Tertiò, arguit Hurtado: Verbum diuinum, cum non possit modificare naturam, non potest supplere effectum formalem modi; & tamen supplet effectum formalem subsistentiæ creatæ: ergo subsistentia creata non est modus, sed res.

Verùm iis facilè occurritur. Ad primum dico: illam 37
definitionem modi esse à quibusdam recentioribus inuentam; communis enim schola non requirit ad rationem modi, quod sit entitas, per quam aliquid ex se indifferens determinetur in ordine ad aliud; nam in satis communi sententia, existentia est modus distinctus ab essentia actuali; & tamen essentia actualis non est ex se indifferens, sed potius determinata ad existendum, nec determinatur per existentiam in ordine ad aliud, sed fit existens in seipsa: solum ergo est de ratione modi, quod tota eius essentia adæquatè in exercitio informationis consistat, vt ostendi num. 34. hoc autem conuenit subsistentiæ, vt probaui num. 35. ac proinde licet per subsistentiam natura non determinetur ad aliud ipsa subsistentia est modus. Ad secundum dico, si aliquid probat, probare etiam subsistentiam non esse rem distinctam à parte rei à substantia, nam visio albedinis, quia ex se est determinata ad videndam albedinem, non videt illam per medium, nec per rem à se distinctam: si ergo substantia secundum se est etiam determinata ad subsistendum, nec per modum, nec per rem distinctam à se subsister, sed tantùm per seipsam. Dicendum itaque substantiam secundum se præcisè esse determinatam tantum incompletè, & remotè ad subsistendum, & ideo per modum distinctum subsistentiæ proximè, & completè ad subsistendum determinari; visio verò albedinis ex se est proximè, & completè determinata ad videndam albedinem, & ita non eget modo distincto, per quem illam videat. Ad tertium dico, sicut licet Verbum Dei non possit informare naturam, sicut subsistentia creata, quæ est verè forma, potest altiori modo per modum termini eius informationem supplere, ita licet Verbum non possit modificare, sicut subsistentia, potest tamen modo eminentiori supplere eius modificationem, vt constat etiam in causalitatibus causarum secundarum, vt multoties dictum est tum in Physica, tum in libris de anima.

Hinc infero contra nonnullos recentiores, vt Va- 38
lentiam 3. part. disput. 1. quæst. 3. puncto 5. §. *si autem*, Hurtadum disp. 11. metaph. sect. 8. num. 102. Arriagam ibidem disp. 4. sectione 13. num. 103. Carleton disp. 8. metaph. sect. 8. qui omnes probabile reputant subsistentiam creatam posse de potentia absoluta terminare alienam naturam; non vero posse creatam subsistentiam etiam inspecta diuina potentia alienam naturam

turam terminare. Ita Pater Suarez disp. 34. metaphys. sect. 4. n. 37. Vasquez 3. p. disp. 25. c. 2. n. 12. citans pro hac sententia S. Thomam 3. part. q. 3. art. 1. in corpore, Durandum in 3. dist. 1. q. 5. Caietanum in commentario, Paludanus eadem dist. quæst. 1. ac alios Recentiores Thomistas contra Ochamum, Gabrielem, Scotum, & alios, quos ibidem refert numer. 11. Cardinalis Lugo disputat. 12. de incarnat. section. 7. numer. 88. quibus alij Recentiores ingenioſi adstipulantur, & omissis variis rationibus, quæ communiter afferri solent, & satis firmæ non sunt, hæc ratio ex supradictis conficitur: modus ex proprio conceptu suo est illa entitas, & cuius tota essentia in actuali exercitio informationis consistit, id est, quod tantum possit ob imperfectionem sui informare subiectum, quod natura, & essentia sua actu informat, vt ostendi num. 34. sed subsistentia creata est modus naturæ, quam ex natura sua informat, ac subsistentem reddit, vt probaui numer. 35. ergo tota essentia subsistentiæ creatæ consistit in actuali exercitio informandi istam naturam, cuius est modus; ac proinde aliam naturam non poterit etiam diuinitus informare; alioquin si, cum informat naturam propriam posset informare alienam, non consisteret tota essentia subsistentiæ in actuali exercitio informandi, sed aliquam potentialitatem haberet, quod est contra essentiam modi, vt iam diximus: nobiles tamen Philosophi, & Theologi probabile reputant, oppositum, quæstiones enim de possibili multum habent de diuinatione.

CAPVT V.

An natura propriam retinens subsistentiam possit per aliam terminari.

39 COmmunis Theologorum opinio fert, naturam creatam, dum propriam retinet subsistentiam non posse etiam de potentia Dei absoluta per subsistentiam alienam, scilicet, per subsistentiam aliquam increatam simul terminari, ita Scotus in 3. dist. 1. q. 2. §. ad quæstionem igitur, Durandus in 1. distinct. 1. quæst. 3. ad 2. Capreolus in 3. dist. 1. Caietanus 3. part. quæstion. 3. artic. 6. Henricus quodlibeto. 6. q. 7. Suarez 3. part. disputat. 14. section. 1. Vasquez ibidem disp. 33. cap. 1. qui omnes scriptores, quos ipsi viderint, hoc asseruisse testantur; in ratione vero implicationis reddenda non omnes conueniunt, vt ex dicendis constabit.

ASSERTIO tamen sit: natura creata propriam subsistentiam retinens potest de potentia Dei absoluta simul per subsistentiam increatam diuinitus terminari. Hanc sententiam, inquit Suarez vbi supra, se audisse à doctis viris doceri, & reuera non posse conuincente ratione impugnari, quam etiam sapientissimi Recentiores tam Theologi, quam Philosophi amplexantur, Cardinalis Lugo disputat. 12. de incarnatione sect. 6. Arriaga disputat. 4. metaphys. section. 13. numer. 118. Ouiedo hic controuersia 6. part. 5. numer. 8. Hurtado disp. 11. metaphys. section. 7. Carleton disp. 8. metaph. section. 6. & 8. Probatur ratione: totum id de potentia Dei absoluta dari potest, quod non implicat; sed non implicat naturam creatam propriam habentem subsistentiam simul per subsistentiam aliam increatam terminari, ergo de potentia Dei absoluta natura creata simul cum subsistentia propria potest per alienam increatam terminari. Minor probatur: id tantum implicat, ex quo sequuntur duo contradictoria; sed ex eo, quod natura creata retinens propriam, subsistentiam per alienam Verbi subsistentiam terminetur, non sequuntur duo contradictoria, alias contradictionem assigna: ergo non implicat, &c.

Probatur secundo à paritate aliarum rerum, nam in 40
Physicis ostendimus, duas formas de potentia Dei absoluta posse informare eandem materiam, eundem effectum posse produci per duplicem actionem totalem, idem corpus in diuersis locis collocari, & alia similia: ergo similiter eadem natura creata terminata per propriam subsistentiam poterit diuinitus per alienam increatam terminari: quæ in hoc implicatio? imo nec apparet repugnantia in eo, quod eadem natura simul terminetur duabus, aut pluribus subsistentiis alienis. Sic præter citatos sentit Vasquez disput. 29. num. 6. nam posito, quod subsistentia aliena possit terminare aliam naturam, nulla specialis hac in re est difficultas maior, quam quod natura simul terminetur à duabus subsistentiis propriis, & admittunt omnes, qui docent posse eandem numero naturam simul à tribus diuinis personis assumi, vt cum D. Thoma 3. part. q. 3. in corpore docent Alensis 3. part. q. 2. membro 4. Diuus Bonauent. in 3. dist. 1. art. 1. q. 3. Gabriel in 3. distinct. 1. quæst 1. artic 3. dub. 3. Ocham in 3. distinct. 7. q 1. artic. 3 Henricus quodlibeto. 6. q. 7. Capreolus in 3. dist. 1. q. 1. artic. 1. & alij plurimi, vt apud Theologos videri potest.

Dicat aliquis primo, naturam, quæ est vltimo com- 41
pleta in suo esse, non posse vlterius in suo esse compleri nam si vlterius in suo esse compleretur, antea non esset vltimo completa; naturam autem per propriam subsistentiam compleri vltimo in suo esse, ac proinde naturam completam per propriam subsistentiam non posse vlterius compleri simul per aliam, alias per subsistentiam propriam esset vltimo completa, & non esset vltimo completa, quæ est contradictio manifesta. Sed contra: natura diuina completur per subsistentiam Patris, tanquam per propriam subsistentiam, & tamen potest simul compleri, & terminari per aliam, scilicet, per subsistentiam Filij, ac Spiritus sancti: ergo licet natura creata compleatur per propriam subsistentiam, poterit saltem diuinitus simul compleri per verbi subsistentiam. Dices: naturam diuinam per subsistentiam Patris compleri tantum inadæquatè, & ideo posse simul compleri per subsistentiam filij, ac Spiritus sancti; naturam vero creatam compleri per propriam subsistentiam adæquatè; & ideo non posse simul compleri per subsistentiam Verbi. Sed contra: quando dicis naturam creatam per subsistentiam propriam compleri adæquatè, vel intelligis compleri tantum per illam adæquatè naturaliter, ita vt non possit vlterius per aliam naturaliter compleri, & tunc non implicabit, quod natura illa cum propria subsistentia possit saltem supernaturaliter per alienam terminari; sicut ex eo, quod corpus Christi per vbicationem propriam, quam habet in cœlo, sit in loco completè, & adæquatè naturaliter, solum sequitur, quod non possit esse simul in alio loco supernaturaliter, cum existat simul in Eucharistia: si vero intelligis: naturam creatam per subsistentiam propriam esse completam adæquatè etiam supernaturaliter, petis aperte principium, nam naturam illam esse completam adæquatè supernaturaliter est idem, ac non posse vlterius per aliam subsistentiam compleri; sed dicis, ideo naturam creatam retenta subsistentia propria non posse per aliam terminari, quia per subsistentiam propriam est completa adæquatè supernaturaliter: ergo ideo dicis, naturam creatam retenta propria subsistentia non posse per aliam terminari, quia retenta propria subsistentia non potest per aliam terminari: ergo petis principium.

Dicat secundo naturam aliquam esse per se, & esse 42
simul in alio esse virtualiter contradictoria, ac per consequens implicare, naturam autem per subsistentiam esse per se, per alienam vero esse in alio; & ideo implicare naturam simul habere subsistentiam propriam,

&

& terminari per alienam. Sed contra: esse naturam per se, & esse in alio vt in subiecto inhæsionis sunt virtualiter contradictoria; esse vero per se, & esse in alio vt in supposito alieno nullo modo sunt contradictoria, sed natura per propriam subsistentiam est per se, & per subsistentiam alienam est in alio, non quidem vt in subiecto inhæsionis, sed tantum vt in supposito alieno: ergo naturam habere propriam subsistentiam, ac simul terminari per alienam nullo modo sunt inter se contradictoria, ac per consequens non implicat. Consequentia est euidens cum minori: maiorem autem sic probo; esse naturam in alio, & vt in supposito alieno est formaliter naturam esse per se per subsistentiam supernaturalem, & alienam, quia est subsistere per illam; subsistere autem est esse per se; sed naturam esse per se per propriam, & naturalem subsistentiam, ac simul esse per se per subsistentiam alienam, scilicet, supernaturalem non sunt vllo modo contradictoria: ergo esse naturam per se per propriam subsistentiam, & esse in alio tantum, vt in supposito alieno nullo modo sunt contradictoria. Minor probatur: non est maior contradictio in eo, quod eadem natura possit simul esse per se per propriam, & naturalem subsistentiam, & esse etiam per se per aliam subsistentiam supernaturalem, non propriam, quam in eo, quod idem corpus sit localiter præsens per vbicationem naturalem, & propriam, ac simul etiam sit localiter præsens per vbicationem supernaturalem, ac non propriam, sed idem corpus potest de potentia Dei absoluta esse localiter præsens per vbicationem supernaturalem, & non propriam; idem enim Corpus Christi habet vbicationem propriam, & naturalem in cœlo, & aliam supernaturalem, & non propriam in Eucharistia: ergo eadem natura potest diuinitus esse per se per propriam ac connaturalem subsistentiam, ac simul esse, per se per aliam subsistentiam supernaturalem, & non propriam.

43 Dicat tertio, naturam per propriam subsistentiam subsistere in se hoc est in se ipsa sistere; sistere autem in se est vlterius non progredi, atque ita natura, quæ in se sistit per propriam subsistentiã, non progreditur ad existendum in alio per subsistentiam alienam, alioquin talis natura in se ipsa sisteret & non sisteret, quæ sunt contradictoria. Sed contra: subsistere naturam in aliquo non est sistere in illo, ita vt diuina virtute vlterius non possit progredi: Ergo licèt natura per propriam subsistentiam subsistat in se, non ita sistit in seipsa, vt diuina virtute vlterius non possit progredi ad subsistendum in alio per alienam subsistentiam. Consequentia tenet. Antecedens sic ostenditur: natura humana Christi subsistit in Verbo diuino; & tamen non ita sistit in ipso Verbo diuino, vt non possit vlterius progredi ad subsistendum diuinitus in alio etiam supposito, scilicet, in Patre, & Spiritu sancto, vt aduersarij fatentur, & videre est apud D. Thomam adductum à Suar. tom. 1. in 3. p. disp. 13. sect. 1. & alios, quos recenset: ergo subsistere in aliquo, non est ita sistere in illo, vt non possit vlterius progredi.

44 Dicat quartò naturam Christi Domini, quæ subsistit in verbo, ita etiam sistere in illo, vt non possit vlterius progredi ad subsistendum in alio supposito Patris, aut Spiritus sancti, sicut natura per propriam subsistentiam ita sistit in se, vt vlterius non possit progredi ad subsistendum in alio supposito, scilicet, in supposito alieno, eadem enim omnino in vtroque ratio militat. Ita Scotus, Bonauentura, Richardus, & alij relati à Suarez suprà, quamuis quidam Recentiores cum formidine acquiescant. Sed contra: natura diuina verè subsistit in supposito Patris; & tamen non sistit in illo, sed progreditur ad subsistendum in supposito filij: ergo etiam natura humana, licèt subsisteret in supposito Patris, non ita sisteret in illo, vt non posset vlterius progredi ad sistendum in supposito filij: ergo de facto natura humana Christi, licèt subsistat in Verbo, non ita sistit in illo, vt non possit vlterius progredi ad subsistendum diuinitus in alio supposito Patris, aut Spiritus sancti.

Dicat quintò, subsistentiam Patris æterni, & subsistentiam filij diuini esse subsistentias connaturales, & proprias diuinæ naturæ; atque ita per quamlibet illarum naturam Dei subsistere, ac sistere in seipsa; cum autem non implicet eandem naturam sistere in seipsa per plures subsistentias, vt ostendimus numero 42. sicut nec esse in loco per plures vbicationes, ideo non implicat naturam diuinam subsistere per subsistentiam Patris, & per subsistentiam filij; at verò cum hæ subsistentiæ diuinæ non sint propriæ, sed alienæ respectu naturæ humanæ, natura humana per subsistentiam Patris non subsisteret, nec sisteret in se ipsa, sed in tali supposito alieno, scilicet in Filio, alioquin in Patre sisteret, & non sisteret, quod implicat. Sed contra: natura diuina per subsistentiam Patris subsistit in seipsa; sed non subsistit in seipsa vt præcisa à Paternitate, vt per se constat, semper enim natura diuina secundum se præcisè est communicabilis; ac proinde in seipsa vt sic præcisè non est subsistens relatiuè, ac incommunicabiliter: ergo subsistit in seipsa, vt includente etiam ipsam Paternitatem. Est euidens consequutio: tunc sic: sed natura diuina vt includens etiam Paternitatem est hoc suppositum proprium determinatum Patris: ergo natura diuina per subsistentiam Patris tantum subsistit in hoc supposito proprio determinato Patris; atqui natura diuina non sistit in hoc supposito proprio determinato Patris: ergo licèt natura humana per subsistentiã Patris subsistat in hoc supposito determinato, scilicet, in Patre, non sistet in illo; ac proinde poterit simul diuinitus vlterius progredi, & subsistere in alio supposito, scilicet, in filio. Tenet apertè discursus; hæc vltima minor, quæ sola eget probatione, sic monstratur: naturam aliquam sistere in aliquo supposito, in quo subsistit, est formaliter non progredi vlterius ad subsistendum in aliquo supposito distincto realiter ab illo; sed natura diuina ita sistit in hoc supposito proprio, ac determinato Patris, vt progrediatur vlterius ad subsistendum in alio supposito proprio determinato distincto realiter ab illo, scilicet, in supposito filij, aut Spiritus sancti: ergo natura diuina non sistit in hoc supposito proprio determinato Patris. Deinde confirmatur eadem minor; sicut respectu naturæ humanæ hoc suppositum alienum determinatum, scilicet, suppositum filij diuini est aliud, atque distinctum suppositum ab hoc supposito alieno determinato, scilicet, supposito Patris, ita respectu naturæ diuinæ hoc suppositum proprium determinatum, scilicet, suppositum filij diuini est aliud, atque distinctum suppositum ab hoc supposito proprio determinato, scilicet, supposito Patris; sed naturam humanam sistere in hoc supposito alieno determinato, scilicet, supposito Patris est non progredi ad subsistendum in supposito alieno filij; qua hoc est aliud, & distinctum suppositum ab illo: ergo naturam diuinam sistere in hoc supposito proprio determinato Patris esset non progredi ad subsistendum in supposito proprio filij, cum hoc etiam sit aliud, & distinctum realiter ab illo; atqui natura diuina ita subsistit in supposito proprio determinato Patris, vt etiam progrediatur ad subsistendum in alio supposito determinato filij: ergo natura diuina non sistit in supposito Patris, in quo subsistit. 45

Obiiciat quis: Concilia, & Patres definiunt ex eo, quod subsistentia Verbi terminet naturam humanam Christi, non manere in illa subsistentiam creatam: sed si eadem natura posset simul propria, & aliena subsistentia terminari, non esset ratio, cur in natura humana 46

Christi

Christi propria non maneret subsistentia, ex eo, quod illa terminaretur per subsistentiam verbi: ergo eadem natura non valet simul terminari propria, & aliena subsistentia, & ideo ex eo, quod Christi humanitas per alienam verbi subsistentiam terminetur, debet necessario carere subsistentia propria. Respondeo licèt de potentia Dei absoluta possit eadem natura propria simul, & aliena subsistentia terminari; secus vero ex natura rei, quia posita subsistentia verbi, diuini in natura humana, iam talis natura est formaliter subsistens, quod quidem præstare debebat creata subsistentia, ac proinde talis subsistentia creata vt superflua repellenda est.

47 Sed vrgeat: licèt sit in natura humana Christi scientia supernaturalis infusa, qua ipsa natura est formaliter cognoscens res naturales, datur etiam ex natura rei scientia naturalis ad easdem res naturales cognoscendas, nec vlla cognitio ex istis est superflua: ergo si semel non repugnat eadem natura propria simul, & aliena subsistentia terminari, licèt natura humana Christi sit formaliter subsistens per supernaturalem, & increatam subsistentiam verbi, poterit simul ex natura rei habere subsistentiam naturalem, per quam naturaliter subsistat, nec ista superflua erit. Respondeo quando duæ formæ, vel quasi formæ differunt in se formaliter in propria ratione, licèt simul sint in eodem subiecto, vel natura, nullam earum esse superfluam, quia quælibet præstat aliquid formaliter in illa ratione, quod non præstat alia; quando vero duæ formæ non differunt in propria ratione formaliter, sed tantum entitatiuè, & materialiter in ordine ad aliquod subiectum, vel naturam, si simul in tali natura sint, vnam illarum esse naturaliter superfluam; & ideo forè expellendam; scientia ergo supernaturalis infusa, & scientia naturalis Christi Domini circa idemmet obiectum naturale differunt inter se formaliter in propria ratione scientiæ: differunt enim in euidentia, & certitudine, quæ sunt de ratione formali scientiæ, nam scientia supernaturalis infusa formaliter euidentior, & certior est scientia naturali; ac proinde licet vtraque hæc scientia sit in eodem subiecto, nulla illarum est superflua, & ideo vtraque de facto inuenitur in humanitate Christi: subsistentia vero increata, & subsistentia creata respectu naturæ humanæ non differunt formaliter in propria ratione formali subsistentiæ. nam subsistere consistit in indiuisibili, cum consistat in hoc, quod est esse naturam independentem à subiecto inhæsionis, in quo non potest esse magis, aut minus formaliter; atque hoc æque præstatur formaliter per subsistentiam creatam, ac per subsistentiam increatam, cum longè tamen maiori perfectione entitatiua per increatam subsistentiam, quam per creatam; illa enim est in sua entitate infinitè perfectior ista: & ideo subsistentia increata, & subsistentia creata non formaliter, sed tantum entitatiuè, & materialiter differunt in propria ratione subsistentiæ respectu naturæ humanæ: vnde stante vna subsistentia ex istis in aliqua natura, alia subsistentia in eadem natura superflua erit, & non admittenda ex natura rei; & idcirco, quia in natura humana Christi est subsistentia increata verbi, non datur ex natura rei in illa alia subsistentia creata.

48 Deinde Concilia, & Patres colligunt ex sacra Scriptura has propositiones esse veras, scilicet, *hic homo* (signato Christo) *est Deus æternus omnipotens*, &c. At vero si in natura Christi essent simul duæ subsistentiæ, videlicet, increata Verbi, & creata propria ipsius humanitatis, tales propositiones non essent veræ, sed falsæ, nam sicut si tempore consecrationis essent simul sub accedentibus panis substantia Christi & substantia panis, illa verba, *hoc est corpus meum*; non essent vera, quia cum prolata sint supra accidentia illa panis, quæ cernimus, pronomen illud, *hoc*, solum caderet supra substantiam, cuius sunt propria illa accidentia, scilicet, supra substantiam panis; non vero supra substantiam illam, cuius talia accidentia non sunt propria, scilicet, substantiam Christi, & ita verba illa efficerent hunc sensum (hæc substantia panis est Corpus Christi) quod est falsum; ita similiter, si in natura Christi essent simul subsistentia increata Verbi, & subsistentia creata propria ipsius naturæ humanæ, verba illa, *hic homo*, signato Christo, *est Deus, omnipotens*, &c. non essent vera, quia cum prolata sint supra humanitatem, quam per propria accidentia cernimus, pronomen illud demonstratiuum, *hic homo*, caderet supra suppositum, cuius propria esset illa humanitas, scilicet, supra suppositum creatum, non vero supra suppositum, cuius non esset propria, sed quasi aliena humanitas illa, scilicet, suppositum diuinum, & ita verba illa efficerent hunc sensum (suppositum creatum est Deus, æternus, omnipotens, &c.) quod est falsum; & ideo Concilia, & Patres ex sacra Pagina deduxerunt, in Christi humanitate non esse duas subsistentias, aliam increatam, & aliam creatam, sed tantum subsistentiam Verbi, modo hæc habeat oppositionem cum illa, modo non habeat. Alia apud citatos authores videri possunt, hæc sufficiant pro philosophico instituto.

CAPVT VI.

Quædam dubiola elucidantur.

HIc plura occurrunt quæsita, quibus magis natura, ac munus subsistentiæ declaratur, quæ breuiter in hoc capite proponam, & declarabo. 49

Inquiro primo, an substantia possit esse de potentia Dei absoluta sine subsistentia? Certum est non posse naturaliter esse sine illa, cum sit præcipua passio illius. Plures Recentiores sapientissimi, vt Cardin. Lugo disp. 12. de Incarnat. sect. 7. num. 93. Albertus de prædicamento substantiæ disp. 3. q. 4. Hurtado disputat. 11. metaphys. sect. 9. num. 123. Arriaga disput. 4. metaphys. section. 1. num. 135. Quiedo hic controuersia. 6. part. 6. Carleton disput. 8. metaphys. section. 11. nouissimè Henao in Empyreolog. lib. 2. exercitatione 8. section. 2. num. 14. qui plures adducit, affirmant posse naturam diuinitus esse sine omni subsistentia. Arbitror tamen, non posse naturam, seu substantiam etiam de potentia absoluta esse sine subsistentia aliqua. Ita Suarez disp. 34. metaph. section. 6. numer. 25. Fonseca 5. Metaphys. cap 8. q. 6. section. 5. ad 4. Scoti, & adducit D. Thomam in 3. distinct. 3. q. 3. & alij plures. Hæc sententia sic probatur ab aliquibus, quia, scilicet, substantia necessario fundat proximè negationem inhæsionis, cum non possit esse talis substantia, & non habere talem negationem: sed fundat proximè talem negationem inhæsionis per subsistentiam, vt supra ostendi. cap. 3. & in physicis disputat. 3. capit. 1. ergo substantia necessario debet habere subsistentiam. Sed hæc ratio non est conuincens; nam sicut natura rationalis fundat necessario proximè negationem naturæ irrationalis, & fundat illam proximè connaturaliter per intellectum, per quem proximè completur in ratione rationalis, & tamen iuxta communem sententiam potest natura rationalis esse diuina virtute sine intellectu, & fundare proximè per se ipsam, non quidem connaturaliter, sed diuinitus, & præternaturaliter talem negationem naturæ irrationalis; ita similiter licet substantia fundet proximè necessario negationem inhæsionis, & illam fundet proximè connaturaliter per subsistentiam, poterit tamen de potentia

Dei

Dei absoluta conseruari sine subsistentia, & fundare negationem inhæsionis per seipsam proximè, non quidem connaturaliter, sed tantùm diuinitus, & præternaturaliter.

50 Probatur ergo Assertio nostra alia ratione, nimirum, quia substantia non potest etiam de potentia Dei absoluta habere inhæsionem, vt omnes fatentur, aut modum existendi in alio oppositum eius subsistentiæ; atqui si substantia posset diuinitus esse sine omni subsistentia, posset diuinitus habere modum inhærendi, aut existendi in alio, scilicet, in subiecto oppositum eius subsistentiæ, sicut, quia accidens potest de potentia absoluta esse sine inhæsione, potest de potentia absoluta habere modum perfectatis oppositum tali inhæsioni; eadem enim in vtroque ratio esset: ergo substantia non potest esse diuinitus sine subsistentia, & multo minus hæc sine illa, cum sit modus, cui essentiale est modificare rem, cuius est modus, vt diximus num. 35. Hinc ratio dubitandi posita suprà num. 51. diluitur, iam enim apparet implicatio, & ratio discriminis, quare natura non possit esse sine subsistentia, licèt accidens possit esse sine inhæsione, quia, scilicet, accidens ita inhæret, vt sit capax oppositi modi perfectatis, vt demonstrat exemplum Eucharistiæ: substantia verò ita subsistit, vt non sit capax modi oppositi inhæsionis, seu inhærendi, aut essendi in subiecto, vt omnes admittunt, & nos disp. 20. Logicæ c. 3. ostendimus.

51 Inquiro secundo, an subsistentia per se requiratur in natura ad operandum? Duobus modis potest intelligi, quod subsistentia requiratur ad operandum. Primò, mediatè, & à posteriori, quia, scilicet, vt quid posterius, & consequutum requiritur ad aliquid, quod ad operationem immediatè requiratur, & hoc modo certum est subsistentiam necessariò requiri, vt substantia aliqua operetur, nam subsistentia, vt quid posterius necessariò consequutum requiritur ad hoc, vt sit entitas ipsa substantiæ, quæ immediatè ad ipsius operationem desideratur. Secundò, immediatè, & à priori, ita vt in actu primo, ante ipsam naturæ operationem debeat necessariò præsupponi subsistentia, qua natura ipsa non solùm in ratione substantiæ, sed etiam in ratione operatiuæ proximè compleatur, & in hoc sensu inquirimus, an subsistentia requiratur ad operandum? negant aliqui. Ita Vasquez 3. part. disp. 21. cap. 3. cum aliis.

52 Arbitror tamen: subsistentiam à priori, & antecedenter requiri ex parte naturæ ad operandum. Ita communiter omnes, & P. Suarez disp. 34. metaph. sect. 7. num. 10. qui asserit esse communem Theologorum, & D. Thom. 1 p quæst. 39. art. 5. ad 1. & quæst. 49. artic. 1. ad 3. sequitur Cardinalis Lugo disp. 12. de incarnat. sect. 7. Arriaga, Hurtado, Carleton, Auersa, & ferè omnes recentiores, adducit etiam pro ea Ioannem Episcopum, qui in Concilio Florentino, vt probaret non essentiam, sed Patrem generare, asseruit actiones iuxta communem Philosophorum scholam, suppositorum esse, hoc est, subsistentium. Probatur: ita se habet subsistentia ad substantiam, sicut vnio inhæsiua ad accidens, nam sicut accidens per vnionem inhæsiuam completur in ratione accidentis, ita per subsistentiam completur substantia in ratione substantiæ; sed vnio inhæsiua requiritur à priori, vt accidens operetur: ergo subsistentia requiritur etiam à priori, vt operetur substantia. Minor probatur: quando calor ignis, verbi gratia, efficit calorem in alio passo, vnio inhæsiua, qua calor productus vnitur suo passo, non fit ab ipso calore genito, sed ab alio calore generante, vt est apud omnes in confesso; sed si vnio inhæsiua accidentis, verbi gratia, caloris non requireretur à priori, vt tale accidens, verbi gratia, calor operaretur, non esset ratio, cur calor genitus non efficeret suam vnionem inhæsiuam cum passo, sicut potest efficere vnionem inhæsiuam alterius caloris cum suo subiecto, quæ est eiusdem speciei cum illa: ergo vnio inhæsiua requiritur à priori vt accidens operetur.

Dicat verò quis primò, vnionem à priori requiri, vt accidens operetur, quia est dependentia à priori accidentis à subiecto; subsistentiam verò non esse dependentiam à priori substantiæ, sed tantùm quid necessariò consequutum à posteriori ad illam; & ideo non requiri à priori subsistentiam, vt substantia operetur. Sed contrà: si aliqua ratione vnio inhæsiua esset dependentia à priori accidentis à subiecto, maximè, quia esset causalitas materialis erga ipsum accidens; atqui vnio hæc non est causalitas materialis erga ipsum accidens; sed actio inhæsiua præcisè, ad quam talis vnio consequitur à posteriori, sicut subsistentia non est causalitas erga substantiam, sed quid necessariò consequutum à posteriori ad illam, vt latè ostendi in Physica disputatione 19. ergo vnio inhæsiua non est dependentia à priori accidentis à subiecto: sed tantùm à posteriori, sicut subsistentia non est independentia à priori, sed tantùm à posteriori ipsius substantiæ. 53

Dicat secundò, vnionem inhæsiuam accidentis, verbi gratia, caloris cum suo passo non fieri à calore generante, sed ab ipso calore genito, sicut subsistentia substantiæ fit ab ipsa substantia, cuius est subsistentia; atque ita vnionem inhæsiuam non requiri à priori, vt operetur accidens, sicut non requiritur subsistentia, vt operetur substantia. Sed contrà: ergo etiam quando corpus est vltimo organizatum, atque dispositum, vt creetur ibi anima rationalis, vnio huius animæ rationalis cum illo corpore organizato non fit ab homine generante, sed tantùm ab ipsamet anima, quæ creatur; nam sicut per se non requiritur à priori vnio cum subiecto, vt fórma accidentalis operetur, & ideo potest illa efficere vnionem suiipsius cum suo subiecto, ita non requireretur à priori vnio formæ rationalis cum subiecto, seu materia, vt operetur, & idcirco poterit ipsa efficere vnionem suiipsius cum tali materia: ergo homo à suis. Parentibus non generaretur vllo modo substantialiter, quia nec materia, nec forma nec vnio illius ab illis generaretur; hoc autem est absurdum: ergo dicendum est vnionem, vel alium modum æquiualentem requiri, vt forma tam accidentalis, quam substantialis possit operari, vt forma effectum aliquem: ergo etiam substantia à priori requiritur, vt natura aliqua substantialis possit operari. 54

Hinc oritur ratio à priori; esse est propter operari, id est, in esse fundatur posse operari: ergo in esse completè fundatur posse operari completè, sed substantia non habet esse completè sine subsistentia, hæc enim est complementum illius: ergo non habet posse completè operari sine subsistentia: ergo hæc in actu primo requiritur ad operandum. Dices: naturam efficere subsistentiam sine alia priori subsistentia, ne detur processus in infinitum: ergo subsistentia non requiritur ad operandum à priori. Respondeo, cum natura efficit suam subsistentiam tendere ad complendum seipsam, & ideo non debere ante illam actionem supponi completam per subsistentiam, quando verò alias res producit non tendere per eam actionem ad seipsam complendam, sed ad complendas alias res, & ideo debere supponi completam per suam subsistentiam. Ex dictis colligo si natura diuinitus conseruaretur sine omni subsistentia, non posse sine alio nouo miraculo operari, quia deesset conditio per se requisita ad operationem. 55

Sed petis an subsistentia concurrat ad operationes naturæ subsistentis, vt principium, & ratio agendi, an verò tantùm vt conditio? Censeo primò, cum communi sententia Doctorum: subsistentiam non esse principium influens, nec partialiter in operationes 56

naturæ

naturæ ſubſiſtentis. Probatur primò, quia ſine fundamento talis actiuitas operandi tribueretur ſubſiſtentiæ, quæ tantùm eſt terminus, & complementum naturæ; per quem vltimò terminatur, & ſiſtit in ſeipſa: ergo præſupponitur natura completa, & cum omni requiſito ex parte principij ad operandum: ergo non conſtituitur potens ad operandum per ſubſiſtentiam, cum ipſa natura cum ſuis prædicatis ſit ſufficiens principium, & potens efficere ſuas operationes, imo & accidentia, quæ in ſubiecto exiſtunt, non in ſubſiſtentia, ſed in ipſa natura recipiuntur: ergo ſignum eſt ſolam naturam concurrere efficienter ad operationes naturæ ſubſiſtentis. Probatur ſecundò, quia operationes Chriſti Domini adæquatè procedebant ab eius natura humana, & nullo modo à ſubſiſtentia, eo quod ſubſiſtentiam propriam non habebat; ſed ſubſiſtentia Verbi diuini non habebat peculiarem influxum effectiuum in operationes humanitatis, quia iuxta commune Theologorum proloquium, operationes Trinitatis ad extra ſunt omnino indiuiſæ, id eſt, nulla operatio fit ab vna perſona, quæ non fiat ſimul ab omnibus diuinis perſonis: ergo perſona Verbi non influebat per ſuam ſubſiſtentiam efficienter in operationes humanas Chriſti Domini: ergo ſimiliter in aliis hominibus natura eſt principium adæquatum operandi.

57 Dices: Subſiſtentia diuina Patris iuxta probabilem opinionem complet, ſeu conſtituit in recto naturam diuinam in ratione principij generandi filium: ergo ſubſiſtentia etiam creata poteſt complere principium operandi naturæ ſubſiſtentis. Reſpondeo, naturam diuinam vt virtute diſtinctam à perſonalitate diuina Patris non eſſe principium generandi filium diuinum, ſed ipſam perſonalitatem, per quam principium formale, & principiatum realiter diſtinguuntur; in natura verò creata res aliter ſe habet, cum ſubſiſtentia ſit modus diſtinctus à natura: reſpectu verò operationum ad extra natura diuina non conſtituitur in ratione principij ad operandum per perſonalitates, ſed per ſeipſam: ergo multo minus natura creata poteſt compleri in ratione principij operandi per ſubſiſtentiam creatam, cum ſit modus imperfectus illius.

58 Cenſeo ſecundò, etiam cum communi Doctorum: ſubſiſtentiam eſſe conditionem per ſe requiſitam ex parte naturæ ad operandum. Primò probatur: quia forma accidentalis prius natura intelligitur inhærens ſubiecto, quam operetur, quia operari ſequitur ad eſſe: ergo ſimiliter ſubſiſtentia prius natura intelligitur exiſtens, quam operetur. Conſequentia patet à paritate; quia ſicut ſe habet in accidenti inhærentia, ita perfeitas in ſubſtantia. Secundò, quia natura diuina prius intelligitur ſubſiſtens per tres ſubſiſtentias, quam operetur ad extra: ergo & natura creata prius intelligitur ſubſiſtens, quam operans. Tertiò, quia ſecundum Theologorum, & Philoſophorum axioma, actiones ſunt ſuppoſitorum: ergo ſubſiſtentia ſaltem ſe habet, vt conditio antecedens operationem, quatenus complementum ipſius naturæ, cui vt principio formali, & vt quo tribuuntur actiones, vt latiùs Theologi in materia de incarnatione.

59 Inquiro tertiò, quænam ſit cauſa materialis, & efficiens ſubſiſtentiæ. Reſpondeo, cauſam materialem eſſe naturam, in qua eſt, & ex cuius potentia educitur; & recipitur, vt præcipua ipſius paſſio; cauſa efficiens eſt etiam ipſa natura, quia efficit omnes ſuas paſſiones, vt monſtratum eſt in phyſica diſputat. 17. cap. 4. quemadmodum enim res aliæ per emanationem producunt ſuas paſſiones, & proprietates, ita natura producit ſubſiſtentiam; cauſam formalem nullam habet ſubſiſtentia, niſi vnionem ſui cum ſubiecto, hanc autem vnionem ad corpus non producit anima, quia non eſt paſſio illius, ſicut ſubſiſtentia. Dices: accidens non facit ſuam inhærentiam, licèt ſit eius paſſio: ergo nec ſubſtantia efficit ſuam ſubſiſtentiam, licèt ſit eius paſſio, & proprietas. Nego conſequentiam, quia vnio extrahit accidens ad aliam rationem compoſiti: ſubſiſtentia vero non extrahit ſubſtantiam ad aliam rationem compoſiti, ſed illam tantum complet in propria ratione ſubſtantiæ; eſſentiæ verò ſolùm efficit paſſiones illas, quæ illam complent in propria ratione, & ad aliam rationem non extrahunt illam.

Inquiro vltimo: quid ſuppoſitum eſſentialiter in- 60
cludat. Cenſeo ſuppoſitum creatum includere eſſentialiter, & in recto naturam, & ſubſiſtentiam. Dices: ergo in diuinis non ſunt tria ſuppoſita, cum ibi non ſint tres naturæ, & tres ſubſiſtentiæ, ſed tantùm ſubſiſtentiæ tres & natura vna. Nego tamen conſequentiam, quia vt tria ſuppoſita ſint, ſufficit, quod id, quod ſuppoſitum includit magis explicitè, ſit triplex realiter, licèt totum id, quod ſuppoſitum eſſentialiter claudit in recto, reipſa non multiplicetur, ſuppoſitum autem magis explicitè dicit ſubſiſtentiam, quam naturam, & ideo ſufficit, quod ſint in Deo tres ſubſiſtentiæ, licèt ſit vna natura, vt abſolutè, & ſimpliciter dicantur in Deo eſſe tria ſuppoſita diuina; ſicut è contra licèt Deus includat eſſentialiter in recto naturam, & ſubſiſtentiam, & in Deo ſint tres ſubſiſtentiæ, non dicuntur vlla ratione tres dij, ſed vnus tantum Deus, quia natura diuina, quam Deus magis explicitè dicit eſt tantum vna.

Sed obſeruare oportet id, quod modo diximus, ſci- 61
licet, ſuppoſitum includere eſſentialiter, & in recto ſubſiſtentiam, & naturam, intelligendum tantum eſſe de ſuppoſito connaturali, verbi gratia, de Petro, in quo cum præciſa natura non intelligatur aliquid completum, nec ſuppoſitum, ſed tantùm quædam entitas incompleta, ſcilicet, ſubſiſtentia petens complere naturam, & cum illa conſtituere rationem ſuppoſiti, ideo ſuppoſitum ipſum connaturale non ſolùm ſubſiſtentiam in recto, ſed ſubſiſtentiam, & naturam eſſentialiter, & in recto includit; id autem non eſſe intelligendum de ſuppoſito non connaturali naturæ, verbi gratia, Chriſti Domini, in quo cum ad naturam humanam ſupponatur aliquid completum, ac verè ſuppoſitum, ſcilicet, ipſum Verbum diuinum, ſicut in albo ſupponitur ad albedinem aliquid completum, ſcilicet, ipſum ſubiectum; idcirco tale ſuppoſitum non connaturale, ſcilicet, *hic homo Chriſtus*, non dicit in recto ſubſiſtentiam, & naturam, ſed tantùm dicit in recto ſuppoſitum Verbi, & in obliquo humanam naturam, ſicut album dicit tantùm in recto ſubiectum, & in obliquo albedinem; atque ita ſicut album eſt ſubiectum habens albedinem, ita homo in Chriſto Domino eſt ſuppoſitum habens naturam humanam; quod præ oculis habendum eſt, vt rectè doctrina Theologica de communicatione idiomatum in Chriſto Domino intelligatur. Videatur Suarez 3. part. diſputatione 35. ſectione 1. verſu ad primam Reſpondetur: an autem ſubſiſtentia ſit de eſſentia hominis, quæſtio eſt de modo loquendi; homo enim ſumi poteſt pro natura humana, ſeu humanitate, & hoc modo ſubſiſtentia non eſt de eſſentia hominis, quia Verbum diuinum non aſſumpſit ſubſiſtentiam, ſed humanitatem, vel prout homo ſignificat naturam ſubſiſtentem, & in hoc ſenſu, ſeu reduplicatiuè, vt conſtituit hoc complexum, ſeu ſuppoſitum eſt de eſſentia hominis, ſicut albo, vt albo eſſentialis eſt albedo: vt diſputatione quinta, capite 3. numero 20. adnotaui. Hæc ſatis pro noſtro inſtituto de ſubſiſtentia.

DISPVTATIO VII.

De accidenti in communi.

DVo capita continebit. In primo inquiro, in quo ratio formalis accidentis in communi consistat? In secundò, an accidens sit vniuocum, seu analogum respectu suorum inferiorum.

CAPVT I.

In quo ratio formalis accidentis in communi consistat?

1 SAtis communis est inter Dialecticos diuisio accidentis in prædicamentale, & prædicabile; de hoc egimus in Dialectica disp. 15. quatenus prædicato essentiali contraponitur; hic agendum de accidenti physico prædicamentali, & vt est secundum membrum, in quod ens creatum diuiditur, & contraponitur substantiæ, à qua realiter distinguitur; accidens autem aliud est physicum, & perfectum, quod potest inhærere subiecto per inhæsionē distinctā ab omni substātia, vt quantitas calor, &c. quod ita afficit substantiā, vt ab illa separatum possit existere saltem de potētia Dei absoluta. Aliud est Logicū quod tantùm logicè, & ex modo cōcipiendi valet inhærere alteri: alterū est accidēs modale, & imperfectū, quod inhæret subiecto per seipsū, & ita afficit substantiā, vt sine illa nequeat existere adhuc de potentia Dei absoluta, vt motus, vbicatio, præsētia, & alia huiusmodi, quæ omnia ita subiecto inhærent, vt sine vnione superaddita recipiātur, vt passio, quæ per seipsā immediatè recipitur in passo, nam passionis nō datur passio, modi enim non per vnionē superadditā, sed per seipsos immediatè vniūtur subiectis, etsi alij sint, qui per passionē superadditā recipiātur, vt creatio in cōmuni sententia, & præsentia localis, immediatè tamen per seipsos vniuntur subiectis, hac obseruata differentia, quod illi modi, qui seipsis vniuntur, siue per passionē superadditam, dicūtur inhærere; illi vero, qui seipsis vniuntur, & non per passionē superadditā, dicūtur adhærere subiecto. Tandem tam inhæsio, quā adhæsio est duplex, vna actualis, altera aptitudinalis; actualis est ipsū exercitiū actuale inhærēdi, seu adhærendi. Aptitudinalis est aptitudo ad inhærēdum, seu adhærendum; Et modo inquiritur, quæ sit ratio formalis, & essentialis constituens accidens prædicamentale in ratione accedentis.

2 ASSERTIO sit. Accidēs vt sic formaliter est id, quod non repugnat naturaliter esse in alio, vt in subiecto inhæsionis. Ita Arist. 4. metaph. text. 2. & 7. metaph. text. 2. D. Th. ibid. lect. 10. & 3. p. q. 77. a. 1. ad 2. & in 4. dist. 12. q. 1. art. 1. gloss. 1. ad 2. Capreolus in 1 dist. 42. q. 1. art. 3. Ferr. 4. contra gent. c. 75. Iauel. Caiet. de ente, & essentia c. 7. q. 15. Henricus quodl. 4. q. 9. Zanar. 7. metaph. q. 1. Fons. Suar. disp. 37. metaph. sect. 2. Complut. in Logica disp. 11. dub. 3. Hurtado, Arriaga, Carleton, Franc. Alph. in Log. disp. 14. sect. 1. n. 9. Auersa citatis multis tom. 1. metaph. q. 21. sect. 2. Ioan. Canonic. 1. Phys. q. 4. art. 3. Ægidius, Herueus quodl. 11. q. 29. VVald. tom. 2. c. 76. & 78. expressè Trid. sect. 13. *Remanentibus duntaxat accidentibus sine subiecto*, & mille alij. Probatur: esse aliquid in alio, vt in subiecto inhæsionis est ita esse in eo; vt cum eo vnum per se non constituat, sed vnum per accidens, & ideo forma substantialis materialis, licèt à materia vt à subiecto dependeat, quia tamen cum illa vnum per se, non per accidens constituit, non est in illa, vt in subiecto inhæsionis; sed accidens vt sic formaliter est id, quod naturaliter non repugnat ita esse in subiecto, vt cum illo ens per accidens constituat, hoc enim conuenit omni accidenti tam reali, quam modali, & per id differt accidens essentialiter ab omni substantia: ergo accidens vt sic formaliter est id, quod naturaliter non repugnat esse in alio, vt in subiecto inhæsionis: Porrò autem omne accidens, non verò substantiam cum subiecto constituere ens per accidens dictum est in physica disp. 9. cap. 3. num. 22.

Obiiciat quis. Accidens vel esset id, quod actualiter est in subiecto inhæsionis, vel quod est aptum esse in illo, sed accidēs vt sic formaliter non est id, quod actualiter est in alio, vt in subiecto inhæsionis: nam accidens reale, v.g. quātitas non habet essentialiter inhærere actu subiecto, cum absq; tali inhęsione existat in Eucharistia, nec accidens vt sic formaliter est id, quod est aptum esse in subiecto inhęsionis; nam accidens modale, v.g. vbicatio non habet physicā potentiā, & aptitudinē ad inhæsionem; sed est essentialiter ipsa actualis inhæsio, cum per seipsū essētialiter subiecto inhæreat: ergo accidēs, vt sic formaliter nulla ratione est id, quod est in alio, vt in subiecto inhæsionis. Resp. de essentia accidētis realis, vt realis esse habere physicam aptitudinem, & potentiam ad inhæsionē, & de essentia accidētis modalis vt modalis esse includere in se essentialiter ipsā actualē inhęsionem, scilicet, vnionem inhæsiuā; vtrique autem cōpetere non repugnare esse in alio, vt in subiecto inhæsionis; vtrumque enim positiuè fundat talem negationē repugnantiæ ad inhærēdum, accidens quidem reale propter aptitudinem quam habet ad inhæsionem; accidens verò modale propter vnionem inhęsiuā, quā includit, & ideo accidens vt sic esse id, quod non repugnat inhærere. 3

Verùm aliquis inquirat, an de ratione accidentis sit non solùm habere connaturaliter vnionē inhæsiuā cum subiecto, quæ dicitur dependētia à posteriori à subiecto inhæsionis, sed etiam habere actionē inhęsiuā, per quam fiat, quia dicitur dependentia à priori ab eodem subiecto inhæsionis? Negant recentiores quidam propter actionem creatiuam quantitatis, quæ in ipsorum sententia est accidēs, & tamen non fit ex subiecto. Arbitror tamen ego de ratione accidentis adæquatè accepti esse, & vniri necessariò subiecto inhæsionis, & ab illo à posteriori dependere per vnionem inhæsiuam; ac etiā fieri, ac dependere à priori ab eodem subiecto inhæsionis per actionem inhæsiuā; ratio est, quia accidens vt sic formaliter, & substantia vt sic formaliter directè, & adæquatè opponuntur; atqui substantia vt sic habet independentiam à priori, & independentiam à posteriori à subiecto inhæsionis, item in substantia essentialiter repugnat fieri ex subiecto inhæsionis, ac vniri illi inhæsiuè, vt omnes fatentur: ergo accidens vt sic formaliter habet vtramque dependentiam à priori, & à posteriori à subiecto inhæsionis, vnde sicut nullum est accidens, quod pendeat inhæsiuè à subiecto à priori, id est, quod fiat ex subiecto inhæsionis, quod etiam non pendeat inhæsiuè à subiecto à posteriori, id est, quod etiam non vniatur cum illo tanquam subiecto inhæsionis: Ita similiter econtrà, nullum potest esse accidens, quod pendeat inhæsiuè à posteriori à subiecto, illique inhæsiuè vniatur, quod etiam non pendeat à priori inhæsiue ab illo, & ex illo fiat vt ex subiecto inhæsionis propter mutuam connexionem naturalem, quam dependentia à priori, & dependentia à posteriori habent inter se, & idcirco actio creatiua non est accidens distinctum ab agente, & termino, sed ipsa volitio substantialis, & increata Dei, vt dixi in Physica disp. 24. cap. 2. 4

Dubitari etiam potest: an de potentia Dei absoluta possit accidens reale esse per se per modum aliquem realem positiuum perfectatis? Censeo: posse accidens esse per se per modum positiuum perfectatis accidentalem, secus verò per modum perfectatis substantialem. Hanc sententiam amplexatus sum in Physicis disp. 3. c. 1. n. 10. quam sequūtur peritiores Theologi, & Philosophi, Suar. tomo 3. in 3. p. disp. 56. sect. 2. Vasq. ibid. 5

ibid.disp.194.c.2. Valent.3.p.q.77.punct.1. Card.Lugo disp.12.de incarnat.sect.7.n.94. Auersa suprà q.21. sect.2.3 & 4. D.Th.in 4.dist.12.q.2.art.1.& 3.p.q.78. art.1.ad 4. Carleton,Arriaga,Hurt.& alij plures:ac primum posse diuinitus accidēs esse per se probatur:quia non magis repugnat accidens esse per se, quam creari; sed diuinitus potest creari,vt patet in Eucharistia:ergo etiam poterit diuinitus esse per se. Item independentia à priori à subiecto est naturaliter coniuncta cum independentia ab eodem subiecto à posteriori,vt in substantia conspicimus; sed accidens in Eucharistia independentiā habet à subiecto:ergo habet etiam independentiam à posteriori,scilicet,modum perfeitatis,saltem accidentalē,quo indepēdenter à subiecto cōplētè existat. Deinde, accidens non posse esse per se per modum perfeitatis substantialem, Probatur,quia non minus repugnat accidenti esse per se per modū positiuū substantialem substātiæ,vel perfeitatis, quam repugnat substātiæ (etsi diuinitus possit omni substantia expoliari) esse in alio,vt in subiecto per modū positiuum accidentalē inhæsionis,vel inexistētiæ,nam in hoc vlla ratio discriminis potest assignari;atqui substantiæ omnino repugnat esse etiā diuina virtute in alio vt in subiecto per modū inhæsionis,seu inexistētiæ accidētalis,vt omnes fatentur,& nos latè ostēdimus in Logica disp.2.de substantia,c.3. ergo repugnat etiā de potētia Dei absoluta esse accidens per se per modum aliquem subsistentiæ, vel perfeitatis substātialis;ex quo manifestè fit accidēs non posse assumi, aut terminari per Verbum,cum perfeitas Verbi diuini sit substantialis, de quo in Theologia.

6 Hinc infero primò,actualē inhærentiā esse de essentia accidentiū modaliū,quæ seipsis vniūtur,& recipiūtur in subiectis. Ratio est manifesta,nam passio,seu receptio,cum sit modus subiecti recipiētis seipsa illi vnitur,& etiam passio,seu receptio seipsa recipiatur,& non per aliam receptionē, ne detur processus in infinitum: ergo seipsa inhæret actualiter, & consequenter inhærentia actualis est de essentia huius accidentis modalis. Infero secundò,de essentia eorū accidentiū modalium, quæ seipsis vniuntur,& recipiūtur in subiectis per passionem superadditā esse inhærentiā partim actualem,& partim aptitudinalem.Probatur;nam vnio per quam accidens reale vnitur suo subiecto,vnitur immediatè per seipsam,& recipitur per seipsam per vnionē radicalem, seu actionē generatiuā,vt ostendimus in phys. disp.19. talis enim inhærētia actualis coalescit ex tali vnione ad subiectum,& ex passione,per quam in illo recipitur;sed prædicta accidentia vniuntur actu per suam entitatē,& & essentiam,& recipiūtur actu per passionē distinctam: ergo essētia eorū accidentiū coalescit ex inhærētia partim actuali,& partim aptitudinali. Infero tertiò,de essentia eorū accidentiū modaliū, quæ ex natura sua non petūt recipi in subiecto nō esse inhærentiā actualē,nec aptitudinalem,sed solùm adhærentiā actualē,vt creatio Angeli,animæ rationalis,materiæ primæ,quantitatis in Eucharistia,& alia,ratio est,quia inhęrētia est vnio accidentis cū subiecto,à quo ipsū accidēs depēdet per passionē;sed creatio non pēdet à subiecto per passionē,maximè,cū in mea sentētia sit volitio immanēs ipsius Dei, vt ostēdimus in phys.disp.24.ergo repugnat illi inhærētia,& ad summū in sētētia cōmuni erit adhęsio actualis termino producto, quem afficit vt modus illius.

CAPVT II.

An accidens sit vniuocum, seu analogum respectu suorum inferiorum.

7 ACcidēs comparari potest ad Physicū,& Logicum. Deinde Physicum ad reale, & modale, completum,& incompletum, & reale ad omnia realia, & modale ad omnia modalia, & tandem completum ad omnia completa,& incompletum ad omnia incōpleta. De quibus omnibus præsens procedit difficultas, in qua plura,& varia sunt auctorum placita, difficile tamen iudiciū ferre,de illis tamē quid sentiendū aperio breuiter.

8 Quidam dixerunt,accidens reale,vt abstrahit à completo, & incompleto esse analogum transcendentiæ,& attributionis;accidens verò completum esse vniuocum ad nouem genera accidentium. Ita Magister Soto in c.4.anteprædicamentorum q.2.ad 1. vbi docet,accidens esse vniuocum ad nouem genera accidentium,non tamen esse genus,Iauellus 7.metaph.q.1.ad 3.& alij plures recentiores. Alij aiunt, accidens prout comprehendit Physica,& Logica accidentia esse analogum attributionis; accidens verò physicum esse vniuocum,& genus respectu omniū accidentiū physicorū,ita sentire videtur Suar.disp.39.metaph.sect.3.n.13.& 15. vbi ait accidēs esse aliquo modo vniuocum respectu omnium accidentiū physicorum; claritatis, & breuitatis causa.

9 Assero primò, accidens vt abstrahit à completo, & incompleto non est vniuocum,sed analogum. Conueniunt in hoc communiter auctores,quia est eadem ratio,ac de ente completo,& incompleto,imo & de substantia.Probatur,ratio accidentis abstracta à completo, & incompleto formaliter imbibitur in differentiis suorum inferiorum:ergo ratio accidentis sic abstracta non est vniuoca,sed analoga.Consequentia tenet,nam differentiæ sunt diuersæ. Antecedens probatur:ratio, seu conceptus accidentis consistit formaliter in aptitudine ad efficiendum subiectum;sed hæc aptitudo transcendit omnes differentias omnium accidentium realium, seu modal um:ergo ratio accidentis vt sic præcisa non est vniuoca sed analoga. Minor probatur, quia omnes differentiæ accidentales sunt etiam accidentia: ergo ratio accidentis omnes illas differentias continet, nam sicut qualitas vt sic formaliter afficit subiectum tribuendo illi suum effectum formalem, scilicet, reddendo quale,ita differentiæ talis qualitatis tribuunt subiecto suos effectus formales,scilicet,reddendo subiectum taliter quale,videlicet,calidum,vel frigidum:ergo sicut genus supremum qualitatis afficit subiectum,ita similiter differentiæ talis qualitatis; & consequenter talis ratio non omnino eadem,sed etiam diuersa erit,vtpote inclusa in vltimis differentiis, cum ab ipsis perfectè non abstrahant, nisi secundum conceptus magis, vel minus explicitos,vt ostēdimus in Logica disp.dub.19. c.3 cum non remaneant aliæ differentiæ, à quibus abstrahat: ergo talis ratio accidentis erit analoga.

10 Vrgetur amplius argumentum in accidentibus modalibus,v.g.in præsentia circumscriptiua, in qua datur ratio præsentiæ vt sic,& ratio talis præsentiæ,sic arguo: sicut ratio præsentiæ vt sic seipsa reddit subiectū præsens,sic etiā differentia præsentiæ circunscriptiuæ seipsa reddit subiectum taliter prędens tribuendo illi suum effectū formalē sine vnione superaddita,vt ostendi c.prędcedenti n.1.& 7.ergo non solùm ratio præsentiæ vt sic, sed etiam differentia talis prędentiæ afficit seipsa subiectum: ergo ratio præsentiæ transcendit differentias inferiorum;& consequenter ratio accidentis vt abstrahit à completo, & incompleto non erit vniuoca, sed analoga.

11 Assero secundò, accidens prædicamentale completum prout comprehendit omnia accidentia Physica,& Logica est analogum attributionis,& non vniuocū. Ita D.Th.in 1.dist.25.q.1.art.2. Caiet. de ente,& essentia, c.1.q.15.Soncinas 4.metaph.& 12.q.47. Alens.lib.5. metaph. text.33. Vasquez 1.p.disp.114.num.6.& 3.p. disp.128. n.18. Fonseca 4. metaph. cap.7. q.2. sect.4. Rubio in Logica de accidenti num.74.Suarez ex parte disp.39.sect.3.num.12.Ioannes à S.Thoma in Logica q.14.art.4.Franc.Alphonsus in Logica disp.14.sect.2. Auersa tom.1.metaph.q.21.sect.10.Probatur primò,ex

D. Thom. loco suprà allegato, vbi ait, *quod quæcumque non conueniunt in vno genere generalissimo, non potest de eis aliquid vniuocè dici*; sed nouem genera accidentium sunt genera generalissima, vtpote diuersa prædicamenta: ergo nihil de eis vniuocè dici potest, & consequenter accidens in communi, vt comprehendit omnia accidentia non potest esse vniuocum, sed analogum. Secundò, ex eodem Angelico Doctore, si accidens completum esset vniuocum ad nouem genera, esset genus ad illa, & consequenter non essent genera suprema, sed subalterna, quod est contra Philosophum, qui accidens distinxit in nouem genera accidentium; omne autem, quod est vniuocum adæquatè diuiditur in genus, speciem, differentiam, proprium, & accidens, vt passim docet Angelicus Doctor 1. contra gent. cap. 32. *Omne, quod de pluribus vniuocè prædicatur vel est genus, vel species, vel differentia, vel proprium, vel accidens*; sed si accidens esset vniuocum, à fortiori esset genus, quidquid reclament alij: ergo accidens completum, vt comprehendit omnia accidentia tam Physica, quam Logica, non est vnus aliquis conceptus superior ad nouem prædicamenta, sed immediatè per ipsos modos illa constituentes redditur completum; vnde sicut ens statim à principio est substantia, quantitas, vel qualitas, ita accidens statim à principio est quantitas, vel qualitas, &c. & cum illi modi, quibus accidens completur sint essentialiter diuersi, nullo modo accidens completum potest esse vniuocum respectu illorum omnium, sed analogum.

12 Probatur etiam ratione, quia hoc nomen, *accidens*, est commune omnibus nouem prædicamentis accidentium, vt ex consensu omnium Philosophorum suppono, sed ratio significata per illud est simpliciter diuersa in singulis prædicamentis, eadem verò secundum proportionem: ergo accidens prædicamentale est analogum. Minor probatur; quia accidentia physica afficiunt subiectum propriè, & physicè per verum, & physicum nexum cum subiecto; accidentia vero Logica impropriè, & per similitudinem extrinsecè ornando subiectum, sicut enim accidétia se habét intrinsecè ad subiectum illud per veram vnionem ornando, ita accidentia Logica, vt sunt vestes, & arma ornant hominem, quem cooperiunt, per quandam similitudinem, & applicationem: ergo ratio participata non est simpliciter eadem, sed diuersa, & consequenter analoga. Confirmatur, quia quædam accidentia modalia afficiunt subiectum per actualem inhærentiam immediatè per seipsos, seu per passionem superadditam, vt diximus suprà n. 1. & 6. sed accidens modale transcendit omnes differentias accidentium modalium, cum non sit aliquis modus realis communis nouem prædicamentis accidentium, quo accidens vt sic taliter reddatur completum, & à differentiis separabile: ergo accidens vt sic non potest esse vniuocum, sed analogum respectu omnium accidentium realium, & modalium. Confirmatur secundò, quantumuis accidens sit vnum nomen, ratio tamen participata est diuersa, nam in accidentibus Physicis significat aptitudinem accidentium realium ad efficiendum subiectum; in modalibus verò significat affectionem actualem intrinsecam, & essentialem, quæ est diuersa: ergo ratio participata per nomen accidens est diuersa, & consequenter analoga.

13 Sed obiiciat quis primò, ratio accidentis completi respectu nouem prædicamentorum accidentium est eadem in omnibus accidentibus: ergo ratio accidentis completi est vniuoca respectu omnium horum prædicamentorum. Antecedens probatur: nam omnia hæc prædicamenta æqualiter sunt accidentia. Secundò, si aliquid obstaret vniuocationi, maximè, quia omnia illa accidentia dicerent ordinem ad substantiam; at talis ordo esset æqualis in omnibus, nam actus vitales in ratione talium dicunt ordinem ad principium viuens, & tamen omnes conueniunt vniuocè in ratione actuum vitalium: ergo, &c. Tertiò, quia accidens completum respectu nouem generum prædicamentorum non est analogum attributionis, quia ratio accidentis completi non est in vno simpliciter, & in aliis secundum quid, sed est simpliciter, & æqualiter in omnibus; non est analogum proportionalitatis, quia accidens completum non significat similitudinem aliquam proportionum existentium in singulis prædicamentis; nec tandem est analogum transcendentiæ, nam accidens in communi est extra omnes differentias accidentium. Quartò, quia ratio accidentis potest concipi sine quantitate, qualitate, & aliis; & similiter differentiæ propriæ horum accidentium possunt concipi, quin ratio accidentis concipiatur. Vltimò, quia eodem modo comparatur accidens in communi ad accidentia particularia, ac comparatur substantia in communi ad substantias particulares; sed substantia completa in communi est vniuoca, & genus ad substantias particulares: ergo & accidens completum in communi est vniuocum, & genus ad nouem genera accidentium.

Hæc obiecta sic diluo. Ad primum, dico tam accidens completum physicum, quam accidens completum Metaphysicum transcendere vltimas differentias, & ita non posse esse vniuocum; in calore, verbi gratia, non solùm ratio accidentis, aut qualitatis inuoluit totam entitatem physicam caloris, sed etiam differentia, per quam contrahitur ad esse caloris; quia sicut ratio accidentis, & ratio qualitatis dicuntur de tota entitate physica caloris, sic etiam differentia, per quam constituitur in esse caloris: ergo sicut ratio acidentis vt sic transcendit differentias, sic etiam ratio accidentis physici completi transcendit differentias; atque ita nunquam poterit esse vniuoca, & genus, quod essentialiter repugnat rationi transcendenti. Ad secundum Respondeo, in accidentibus non posse dari æqualem ordinem ad substantiam, nam accidentia realia afficiunt substantiam aptitudinaliter, quæ ratio non potest competere accidentibus modalibus; modalia verò per seipsos actu afficiunt subiectum; & consequenter non potest esse æqualitas in omnibus illis accidentibus in ordine ad substantiam, quam afficiunt. Ad tertium Respondeo, in accidenti duas rationes considerari posse, vnam accidentis communis, alteram accidentis modalis, & vtramque posse à suis inferioribus præscindi, verbi gratia, potest quantitas, vel qualitas expressè concipi, quin expressè concipiatur aptitudo ad afficiendum subiectum, & similiter potest concipi actio, aut passio, quin expressè concipiatur actualis affectio subiecti, & sic de aliis: ergo poterit ratio accidentis realis à suis inferioribus præscindi, & ratio accidentis modalis à suis inferioribus, quælibet tamen ratio ex illis imbibitur formaliter in differentiis suorum inferiorum, vt iam ostendimus suprà numero nono & decimo, ex quo manifestè patet ad quartum, & magis fore analogum attributionis, aut proportionalitatis, quam vniuocum. Ad vltimum, constat ex dictis in Logica disputatione decimanona, capite primo & secundo, & ratio discriminis est manifesta; nam de ratione cuiuslibet differentiæ accidentis realis est tribuere aliquem effectum formalem subiecto; differentia enim albedinis ex se habet constituere subiectum taliter coloratum; cum autem non tribuat subiecto talem effectum nisi per inhærentiam, necessarium est, quod de ratione formali illius sit petere inhærentiam, & hæc exigentia semper transcendit omnes differentias accidentis; at vero differentia substantiæ, qualis est, *rationale*, sufficienter

14

constitui

constituitur in esse talis per exigentiam ratiocinationis, quin vllo modo concipiatur expressè subsistentia, & ita exigentia subsistentiæ non transcendit differentias substantiæ, sicut exigentia inhærentiæ accidentis.

15 Ex dictis in hoc tractatu colliges hanc diuisionem accidentis in nouem genera suprema accidentium esse adæquatam, nam Philosophus ens creatum diuisit in decem suprema genera, quæ prædicamenta vocantur; immediatius verò in substantiam, & accidens, & hoc in nouem genera accidentium, vt ex Principe Aristotele omnes vnanimiter acceperunt, & expressè tradit D. Damascenus in sua dialectica cap. 36. vbi hæc decem prædicamenta distinxit dicens, *Sciendum est autem vnumquodque horum generum summum genus esse*, & post pauca, *horum porrò decem prædicamentorum, hoc est, summorum generum vnum duntaxat substantia est, reliqua nouem accidentia*: ergo ex præfata diuisione ab Aristotele tradita, & ab omnibus Philosophis recepta infertur à fortiori illam esse adæquatam, & sufficientem, hæc tamen genera suprema non constant ex genere, & differentia, nec propriè sunt diffinibilia, sed tantùm sunt simplices conceptus; de reliquis verò prædicamentis copiosè suis locis disceptauimus, vt in prologo huius tractatus adnotauimus.

Et hæc de hoc secundo Tractatu, & de variis entis realis diuisionibus dicta sint satis.

TRACTATVS TERTIVS.

De ente rationis.

CVM contrariorum, seu oppositorum eadem sit ratio, & disciplina iuxta Philosophum, eadem scientia, quæ agit de ente reali, debet agere de ente rationis, quod illi aduersatur, vt opposita iuxta alia sibi opposita magis eluceścant, vnde cum Metaphysica differat de ente reali in communi, etiam de ente rationis debet necessariò agere, & inuestigare an detur; quæ sit eius formalis ratio; quomodo; & à quibus causis efformetur, & quas species saltem in communi contineat; quæ omnia breuiter sequenti disputatione explicabimus.

DISPVTATIO VIII.

De existentia, natura, causis, & speciebus entis rationis.

QVINQVE capita continebit. In primo inquiro, an detur ens rationis? In secundo, in quo consistat essentia entis rationis. In tertio, per quas potentias, & actus conficiatur ens rationis. In quarto, an ens rationis fabricetur, aut cognoscatur à Deo. In quinto, ens rationis diuiditur, & quomodo fiat ostenditur.

CAPVT I.

An detur ens rationis?

1 ENs rationis tripliciter vsurpatur. Primò, effectiuè pro eo quod physicè, vel quouis alio modo fit, seu producitur mediatè, vel immediatè ex cognitione, ac directione rationis, quo sensu ipsi actus intellectus, & voluntatis, & artificiosus motus manus in pingendo, & scribendo, & omnia alia opera, quæ ex directione artis fiunt dicuntur effectiuè ab intellectu procedere. Secundò, subiectiuè, seu inhæsiuè pro eo quod rationi, scilicet intellectui inhæret, qualis est, quæuis cognitio intellectus, scientia, habitus, species intelligibilis, & aliæ cognitiones, quæ quouis modo sunt in intellectu tanquam in subiecto. Tertiò, obiectiuè quod tantùm habet esse obiectiuè in intellectu per fictionem ipsius rationis, ac intellectus illud confingentis, vt sunt omnes res, quæ intellectui obiiciuntur, & præsentantur, & solùm habent esse in intellectu, dum illi obiiciuntur, & cognitione intellectus cessante statim desinunt esse: vnde si actus intellectus producatur, qui supra se reflectat, has tres species complectetur, vt enim producitur, erit effectiuè ab intellectu, vt recipitur subiectiuè, obiectiuè tandem vt repræsentatur, & est obiectum suiipsius; ens rationis primo, & secundo modo acceptum impropriè dicitur tale, & verè, & proprium ens reale, & ideo de illo non disquirimus in præsenti, ens autem rationis tertio modo acceptum nomine entis rationis effertur, ac proinde de eo inquirimus, ao verè detur, & quæ sit ratio formalis illius.

Partem negantem defendunt Balles quæst. 10. Physicæ, Mayon, & alij, quos refert Araujo 3. metaphys. quæst. 1. articulo 2. sed concors omnium Philosophorum, & Dialecticorum, ac Theologorum sententia est, dari sæpè ens quoddam rationis medium inter ens reale positiuum, & ens reale negatiuum, & ab vtroque distinctum, quod tantum habeat esse obiectiuè per formalem cognitionem, ac fictionem intellectus, quatenus ita est obiectum illius, vt non possit esse nisi obiectiuè in intellectu illud confingente, ita Aristotelis, D. Thomas, Caietanus, Scotus, Durandus, Ochamus, & alij quos referunt Conimbricenses, & sequuntur in Logica quæst. 6. P. Suarez disp. 44. metaph. c. 7. quæst. 6. sect. 4. suffragantur Complutenses disp. 2. de ente rationis quæst. 1 fusè Ioannes à S. Thoma quæst. 2. art. 1. P. Hurtado disp. 9. metaph. sect. 2. Rubio de ente rationis quæst. 2. Auersa quæstione 5. de ente rationis sect. 1. Franciscus Alphonsus disputatione 12. Logicæ Lerma libro 2. de ente rationis quæstione 1. Arriaga disp. 6. metaph. sect. 2. Carleton disp. 13. de ente rationis sect. 4. 2

Probatur duplici testimonio D. Thomæ, Primum, opusc. 52. c. 1. vbi ait, *Tunc effici ens rationis, quando intellectus nititur apprehendere quod non est, & ideo fingit illud ac si ens esset.* Secundum, prima p. q. 16. art. 3. vbi dicit, *quod ens rationis dicitur, quod cum in re nihil ponat, & in se non sit ens, formatur tamen, seu accipitur vt ens in ratione.* Idem habet 5. metaph. sect. 9. ex quibus testimoniis apertè colligitur dari entia rationis per fictionem nostri intellectus. 3

4 Probatur etiam ratione efficaci. Ens rationis medium inter ens reale positiuum, & ens reale negatiuum, & ab vtroque distinctum est illud, quod ita est obiectiuè in intellectu, vt extra illum, nec positiuè, nec negatiuè valeat existere, sed datur aliquid quod ita sit obiectiuè in intellectu, vt nec positiuè, nec negatiuè valeat existere extra illum: ergo datur ens rationis medium inter ens reale positiuum, & ens rale negatiuum, & ab vtroque distinctum. Consequentia est euidens, maior ab omnibus debet admitti. Minor autem sic probatur; quando ego, verbi gratia, concipio equum esse rationalem est obiectiuè in meo intellectu equus rationalis, & tamen talis equus rationalis non potest vlla ratione extra intellectum existere, nec positiuè, quia non est ens reale positiuum, cum duo contradictoria includat, scilicet rationale, & irrationale, nec etiam negatiuè, cum non sit carentia, & negatio alicuius entis realis positiui: ergo datur aliquid quod ita sit obiectiuè in intellectu, vt nec positiuè, nec negatiuè possit existere extra illum. Confirmatur: in prædicto casu illa mea cognitio concipit, ac respicit ex parte obiecti positiuè equum aliquem rationalem, scilicet vel verum; & realem, vel tantum rationis, & fictum, sed non respicit ex parte obiecti equum rationalem verum, & realem, cum iste dari non possit, vt per se constat; ergo respicit ex parte obiecti equum rationalem tantum, rationis ac fictum, ergo datur ex parte obiecti aliquod ens rationis omnino distinctum ab ente reali. Confirmatur secundò, ens rationis per se est scibile, ergo intelligibile, quia scibilitas est quædam specialis, & perfecta intelligibilitas; ergo datur ens rationis. Tertiò, experientia constat cognosci negationes, & priuationes, sed non cognoscuntur vt in se sunt, quia in se nihil sunt: ergo cognoscuntur, ac si aliquid essent, sed illud esse non habent à parte rei: ergo in intellectu obiectiuè, quod est ens rationis. Quartò, hæc propositio est vera, animal est genus; ergo de animali enunciatur aliquid, non aliquid reale; ergo enunciatur aliquod prædicatum per rationem solum conueniens, quod est ens rationis; ergo datur ens rationis.

5 Dicat autem quispiam primò, intellectum nostrum cum in aliquibus experiatur veram, ac realem rationem equi, & in aliquibus etiam veram, ac realem rationalitatem illa intentionaliter inter se saltem confusè connectere, & concipere in vero equo rationalitatem realem ac veram, quam in homine deprehendit, ac proinde, quando dicit equum esse rationalem totum quod est obiectiuè in isto actu intellectus esse reale, licèt per extrinsecam denominationem, à prædicta cognitione illa prædicat secum impossibilia intentionaliter connectente ens rationis extrinsecè ac formaliter denominetur. Sed impugnatur: Prædicta cognitio non solùm ex parte obiecti concipit, ac prædicat positiuè, de equo rationalitatem, sed etiam vnionem identitatis ipsius equi cum tali rationalitate, quia enunciat equum esse idem cum rationali, prædicat (inquam) vnionem identitatis vel realem, & veram, vel tantum rationis, & fictam, sed non concipit, nec prædicat talis cognitio de equo vnionem identitatis cum rationalitate veram, & realem, cum talis vnio, & identitas repugnet à parte rei existere: ergo concipit, ac prædicat positiuè ex parte obiecti vnionem identitatis rationis tantum, ac fictam equi cum rationalitate, ergo datur obiectiuè ens rationis distinctum ab ente reali.

6 Dicat secundò, intellectum nostrum sicut in aliquibus experitur & cognoscit veram, ac realem rationem equi, & in aliquibus veram, ac realem rationalitatem, ita etiam in aliquibus experiri, seu cognoscere veras, ac reales vniones identitatis inter eorum prædicata, v. g. inter ens, & substantiam, inter substantiam, & corpus, inter corpus & viuens, inter viuens & rationale, inter rationale & animal, inter rationale & Petrum, & sic inter alia plura, quæ veram ac realem vnionem identitatis participant, & ideo non solùm prædicare de vero equo confusè veram ac realem rationalitatem, quam in aliis experitur, sed etiam vnam aliquam vnionem identitatis, scilicet hanc vel illam confusè ex illis, quos in aliis rebus concipit, ac proinde non tantùm equus, & rationalitas, sed etiam vnio identitatis, quæ ibi concipitur est realis, ac per consequens totum quod est obiectiuè in illo actu intellectus est reale & solùm prædicto modo per extrinsecam denominationem, ac cognitionem ens rationis appellatur.

Sed impugnatur: illa cognitio concipit, ac respicit ex parte obiecti non quidem vnionem identitatis vtcumque, sed vnionem identitatis equi cum rationalitate, & qua equus, & rationalitas sint idem; atqui vnio identitatis equi cum rationalitate, & qua equus, & rationalitas sint idem, non est vera, ac realis, cum implicet omnino verè à parte rei existere; ergo talis vnio identitatis, quam ex parte obiecti respicit illa cognitio, est tantùm vnio rationis, & ficta, ac proinde datur obiectiuè ens rationis confictum distinctum ab ente reali. Consequentia est euidens cum minori. Maior sic probatur: talis cognitio illud concipit, ac respicit ex parte obiecti, quod ipsa quantum est ex se, & vi sua prædicat, ac iudicat formaliter de equo; atqui cognitio illa quantum est ex se, & vi sua prædicat, ac iudicat de equo vnionem identitatis ipsius equi cum rationalitate, & qua sint equus, & rationalitas, cum enunciet equum esse rationalem, quod non est aliud, quam esse idem cum rationali: ergo illa cognitio concipit, ac respicit ex parte obiecti vnionem identitatis equi cum rationalitate, & qua equus, & rationalitas sint idem. 7

Obiiciat quis, contra nostram assertionem. Ens rationis nullas habet causas sui esse: ergo ens rationis non est factibile, nec possibile. Antecedens probatur, remota causa efficiente, remouentur aliæ, sed nulla causa est efficiens; ergo. Secundò, ens rationis antequam cognoscatur non est, sed quod non est, non est cognoscibile; ergo nec ens, quia id, quod in actu secundo intelligitur, debet in actu primo præsupponi intelligibile; sed ens rationis, antequam actu cognoscatur, non præsumitur intelligibile, ergo nec habens esse, obiectum autem non fit intelligibile per ipsam cognitionem intellectus, sed per actionem intelligentis, quæ illi præsupponitur. Tertiò, si daretur ens rationis, concedi deberet dari genus sine speciebus, & passiones sine essentia, quod est absurdum. Sequelam sequi; sic probo: totum esse entis rationis est cognosci, sed potest cognosci gradus genericus entis rationis, verbi gratia, gradus vniuersitatis, qui inuenitur in quinque prædicabilibus absque eo, quod actu cognoscantur propriæ rationes vniuscuiusque, & consequenter posset cognosci vniuersale sine prædicabili: ergo actu dantur genus sine speciebus & propriæ passiones sine essentia. 8

Respondeo ad primum ens rationis non habere causam efficientem directam, & per se, cum per se non sit ens, & ideo non fit per actionem realem, aut emanationem, sed fit secundum quid ad similitudinem entis realis, quatenus ex operatione intellectus res aliter ac in se sunt concipientis; vt ostendi n. 3. dicitur resultare quoddam ens fictum, quod tantum habet esse obiectiuè in intellectu. Ad secundum respondeo ens rationis non esse prius intelligibile, quam actu cognoscatur, quia eius essentia consistit in actuali 9

actuali cognitione, quando autem actus est de essentia entis potentia ad illam actum non antecedit in tali entitate, vt constat in Deo, in quo actu intelligere est eius essentia, ideo non antecedit potentia ad intelligendum. Ad tertium dico, transeat sequela, quia prædicata superiora possunt cognosci sine inferioribus, & essentia sine passionibus, quia inferiora non sunt de essentia superiorum, nec essentia passionum, vel è contra, & in entibus rationis militat maior ratio, quia in eis idem est esse, & cognosci, ex quo solum sequitur, quod licet species non possit esse sine genere, & passio sine essentia, benè tamen genus sine specie, & essentia sine passione, quia licèt superiùs sit de essentia inferiorum, non tamen inferiùs de essentia superioris.

CAPVT II.

In quo consistat essentia entis rationis.

10 RAtio assertionis posita supra num. 3. Videtur quidem pluribus illam sententiam demonstrare, sed re vera non demonstrat, cum possit apertè instari, vt ex dicendis constabit, vnde opposita opinio, quæ negat ens rationis, distinctum ab ente reali, & asserit ens rationis vt sic formaliter tantum esse denominationem extrinsecam desumptam ex intellectu cognitione prædicata aliqua realia secum impossibilia intentionaliter connectente, hæc (inquam) opinio valde probabilis est apud aliquos recentiores, & antiquos, & haut difficiliter posset defendi; quam sequuti sunt plures commemorati à Suarez supra num. 2. Durandus dist. 29. quæst. 5. Scotus, Oña, quibus fauere videtur Diuus Anselmus in Menolog. capit. 12. verum quia sententia, quam supra numer. 3. explicui affirmans dari posse ens rationis confictum distinctum ab omni ente reali, communior & aptior est ad multa alia, tam in Philosophia, quam in Theologia explicanda, ideo illam vt probabiliorem amplector.

11 ASSERTIO tamen sit, dari potest ens rationis distinctum ab ente reali, quod non est aliud, quam id, quod ab intellectu concipitur verè esse, cum re vera non sit ens, quod est esse quiddam fictum, seu diminutum, resultans in rebus, dum sunt in nostro intellectu, vt videre est in natura humana abstracta per intellectum à singularibus, quia in tali natura comparata ad ipsa singularia resultat habitudo quædam, & relatio rationis, quæ est ens rationis, quæ est ens rationis, cum illi non conueniat vt est à parte rei, sed prout ab intellectu concipitur apta ad singularia referri. Hanc sententiam tenet Aristoteles, Diuus Thomas, Ioannes à S. Thoma, Hurtado, Carleton, Arriaga, Franciscus Alphonsus, & cæteri à nobis relati supra assertione præcedenti num. 2. & 3. & amplius authoritate Diui Thomæ probatur in primo distinctione 2. quæstione prima, articulo 3. vbi ait. *Quod ens rationis consequitur ex modo intelligendi rem, quæ est extra animam, & huiusmodi sunt intentiones, quas ad inuenit noster intellectus.* Vbi pro eodem reputat in ente rationis effici, adinuenire, apprehendi, & consequi ex modo intelligendi, ergo ens rationis formaliter erit ille actus, qui respicit non ens sub ratione, & modo entis, & hoc erit fingere, & formare ens rationis, & habere esse obiectiuè in intellectu.

12 Probatur assertio quoad duas partes, & prima licèt iam supra monstrata sit, amplius vrgetur: ens rationis nihil aliud est, quam illud, quod nullum aliud habet esse, quam obiectiuum in intellectu, sed ante intellectum dantur denominationes, tam intrinsecæ, quam extrinsecæ, vt esse parietem album ab albedine, & visum à visione, ergo ens rationis non potest esse extrinseca denominatio: maior est certa, minor probatur, quia omnes istæ denominationes, vt Deum esse creatorem, parietem esse album, & visum, dantur ante intellectum, vel etsi nullus esset intellectus possibilis ergo esse harum denominationum non est obiectiuè in intellectu: Secundo, quia controuersum est apud Authores, an extrinseca denominatio formaliter sit ens rationis, quia non consistit illud in sola denominatione cogniti, quia potest hæc cadere supra entia realia, quæ etiam denominantur cognita, vt probabilis opinio fert, imo & priuationes, & negationes, vnde licèt actus intellectus attingens obiectum ad modum entis in obiecto ponat extrinsecam denominationem cogniti, tamen esse ens rationis non est illud, sed reddere illud cognitum, cum re vera illud non sit dando illi esse fictum. Ergo ens rationis non habet formaliter esse fictum, seu obiectiuum per hoc, quod reddatur cognitum, *vt quod* sed per hoc quod respicit non ens sub ratione entis illud in intellectu confingendo, quod formaliter non est sola extrinseca denominatio.

Secunda etiam pars probatur ex prima, quia semel 13
concesso, quod ens rationis non consistit in extrinseca denominatione, colligitur manifestè esse aliquid fictum resultans in rebus ex operatione intellectus, concipiendo verè esse ens, cum re vera non sit ens; ens rationis formaliter est ens quoddam fictum per actum intellectus, sed ens fictum est id, quod ab intellectu concipitur verè esse, cum re vera non sit ens; ergo ens rationis est id, quod ab intellectu concipitur verè esse cum re vera non sit ens. Minor probatur, ens fictitium est id supra quod cadit hoc, quod est fingere, sed fingere cum sit formaliter concipere aliquid verè esse cum re vera non sit ens, cadit supra id, quod concipitur verè esse, cum re vera non sit ens: ergo ens fictum vt sic formaliter est id, quod concipitur verè esse cum re vera non sit ens.

Dices: denominatio extrinseca, per quam res actu 14
cognita denominatur nullum esse habet nisi obiectiuè in intellectu; ergo denominatio extrinseca est ens rationis. Secundò, Deus ex tempore denominatur creator, sed non denominatur creator à relatione reali in ipso existente, nihil enim reale ex tempore potest Deo aduenire; ergo denominatur creator à relatione rationis; ergo relatio rationis est denominatio extrinseca. Tertiò, ens rationis est illud, cuius totum suum esse est obiici intellectui, sed hoc nihil est aliud quam denominatio extrinseca cogniti aliter ac est in se; ergo in hac consistit ens rationis. Minor probatur, actui obiici intellectui nihil aliud est, quam terminare cognitionem, sed cognoscendo rem aliter ac in se est attingit quodammodo ipsum nihil; ergo in tali esse cognito consistit ens rationis, & consequenter in extrinseca denominatione.

Præmitto pro solutione obiectionis duplicem esse 15
denominationem vnam intrinsecam prouenientem à forma intrinsecè existente in ipsa re denominata vt albedo, quæ intrinsecè denominat parietem album, quia existit in illo, alia est extrinseca denominatio quæ sumitur à forma existente in alio subiecto, vt visio, quæ denominat parietem visum, non existit in ipso pariete, sed in ipso vidente: modo ad primum respondeo illud esse cognitum, quod est denominatio extrinseca potiùs esse formaliter, & subiectiuè in intellectu, quam obiectiuè, quia est solùm actu intellectus extrinsecè positus in obiecto, & per illum actum, quo res denominatur cognita, nondum res est obiectiuè in intellectu nisi per alium actum reflexum cognoscatur, qui est ens rationis; hoc autem discrimen notandum est inter entia rationis, quod quædam habent fieri in rebus, quæ sunt extra intellectum, vt relatio

creatoris ad creaturas, & habet fieri in ipsa creatione, id est, in reali relatione creaturarum ad Deum, & solum petunt, intellectum pro causa efficiente. Alia vero sunt entia rationis, quæ solum habent fieri in ipso intellectu, seu in aliqua eius operatione, vt sunt relationes generis, speciei, & alia; quia esse genus, aut speciem solum habent per intellectum, & ipsa sunt fundamentum prædictarum specierum, id est relationum rationis; denominationes cogniti, semper fiunt per actum reflexum, vt infrà magis patebit: ex quoad secundum constat, Pater enim non denominatur creator à relatione rationis, quæ in illo fingitur, sed à reali relatione creaturarum ad ipsum Deum, qui per suam substantiam, & actum diuinum terminat creaturarum relationem, quæ antecedit omnem relationem rationis.

16 Ad tertium Respondeo, quod si denominatio sumatur formaliter vt pertinet ad ordinem nominum, est ens rationis, quod est commune ad denominationem extrinsecam, si vero denominatio sumatur fundamentaliter, seu materialiter, vt pertinet ad ordinem rerum, datur à parte rei, & solum est fundamentum entis rationis. Ad vltimum dico præcisè obiici intellectui non sufficere ad ens rationis, sed est occasio vt res attingatur ab intellectu aliter ac est in se, ex quo non resultat ens rationis, seu illud esse fictum, quod habet quodammodo rationem obiecti, & in illo esse ficto, & non in illa attingentia passiua, essentia entis rationis consistit vt infrà magis explicabo.

17 Obiiciat quis principaliter primo, si daretur ens rationis distinctum ab en reali positiuo, & negatiuo, obiectiuè in intellectu eatenus daretur, quatenus intellectus illud cognosceret, & intelligeret, vt omnes fatentur; sed intellectus non potest actu cognoscere, & intelligere ens rationis distinctum ab ente reali positiuo, & priuatiuo: ergo dari non potest ens rationis distinctum ab ente reali positiuo, & priuatiuo; minor probatur; si intellectus per aliquem actum cognitionis, posset actu intelligere ens rationis distinctum ab ente reali, tale ens rationis antequam intellectus eliceret illum actum cognitionis esset intelligibile ab intellectu, quia intellectus antequam eliceret talem cognitionem entis rationis esset intellectiuus respectu illius, & intellectiuum, & intelligibile sunt correlatiua sed ens rationis distinctum ab ente reali, antequam intellectus eliciat actum cognitionis circa illud non est intelligibile ab ipso intellectu, quia intelligibilitas fundatur in aliquo esse, ens autem rationis anteactum intellectus nullum habet esse, cum totum esse illius sit cognosci ab intellectu, ac proinde ante omnem actum intellectus ens rationis non est vllo modo intelligibile; Igitur intellectus non potest actu intelligere ens rationis distinctum ab ente reali.

18 Dicat, quis ante actum intellectus ens rationis non esse actu, esse tamen possibile, quia licèt actu non fingatur, potest tamen confingi, quod sufficit, vt ante intellectus actum sit intelligibile. Sed contra, intelligibilitas obiectiua fundatur in aliquo esse, vel actuali, vel possibili, vel positiuo, vel negatiuo, intelligibilitas enim est passio entis atque ita ideo est aliquid intelligibile, quia est aliquo modo ens positiuum, aut negatiuum saltim possibile; ergo vt aliquid sit intelligibile prius ratione debet esse aliquomodo ens positiuum, vel negatiuum saltem possibile: atqui ens rationis ab ente reali distinctum prius ratione quam sit intelligibile nullo modo est ens etiam possibile quia illud esse possibile esset tantum esse fictibile ab intellectu, quod est esse intelligibile, à quo in illo priori præscinditur; ergo ens rationis distinctum ab esse reali non est intelligibile, ac proinde nec potest intelligi, nec habere esse in intellectu obiectiuè.

Respondeo ad obiectionem num. 14. positam, ens, 19
quod sit independenter à cognitione nostri intellectus prius ratione habere aliquid esse, quam sit intelligibile à nostro intellectu, quia eius primaria ratio & essentia non est fieri, seu cognosci à tali intellectu, sed posse existere à parte rei, ad quod ratione nostra consequitur, quod possit ab intellectu cognosci, & intelligi, tale autem est ens reale, & ideo priùs ratione est ens, quam sit intelligibile à nostro intellectu, ens verò quod formaliter resultat per cognitionem intellectus non priùs habere esse in seipso, quam sit intelligibile à nostro intellectu, quia primaria eius formalis ratio, & essentia est ab intellectu intelligi, & confingi, tale autem est ens rationis, quod per intellectus cognitionem resultat, & ideo ens rationis non priùs ratione debet habere esse, quam sit intelligibile ab intellectu confingente, sed eatenus est actu, quatenus actu intelligitur, & confingitur, & eatenus est possibile, quatenus est cognoscibile, & intelligibile, seu fictibile, vnde intelligibilitas entis realis debet necessariò fundari in aliquo esse, quod à ratione intelligibile præscindit aliquo modo, hæc enim intelligibilitas est illius passio, intelligibilitas verò entis rationis respectu intellectus fingentis non debet necessariò fundari in aliquo esse, quod præscindat à tali ratione intelligibilis, seu fictibilis, hæc enim intelligibilitas, ac fictibilitas non est passio, sed essentia, & ratio formalis talis entis, quod per seipsum formaliter intelligibile, ac fictibile est, sicut enim ens reale per seipsum formaliter, ac primariò est aptum existere à parte rei, ita ens rationis per seipsum formaliter, ac primariò est aptum existere in intellectu obiectiuè & fictè, quod est esse intelligibile, atque fictibile, alia verò intelligibilitas, qua ipsum ens rationis fictibile, aut fictum in ratione talis posset reflexè, ac verè cognosci, fundatur in ipso ente rationis ficto, & dici potest passio illius.

Obiiciat secundò, principaliter, si aliqua ratione 20
posset dari ens rationis ab ente reali distinctum, maximè, quia cum intellectus cognoscit equum esse rationalem, seu habere vnionem identitatis cum rationali, concipit ex parte obiecti vnionem identitatis realem, & non fictam; atqui in eo casu intellectus per eam cognitionem non cognoscit vnionem identitatis realem & non fictam; ergo non potest dari ens rationis ab ente reali distinctum. Maior probatur: cognitio illa, qua intellectus iudicat equum habere vnionem identitatis, cum rationali, non est vera, sed falsa; vt per se constat, sed si talis cognitio conciperet ex parte obiecti vnionem identitatis non realem, sed confictam, non esset falsa, sed vera; ergo cognitio ista concipit ex parte obiecti vnionem identitatis realem, & non fictam. Minor ostenditur, illa cognitio est vera, quæ est conformis obiecto, sed illa cognitio, si tantùm concipiat ex parte obiecti vnionem fictam inter equum, & rationale esset conformis obiecto, quia affirmaret esse vnionem fictam inter equum, & rationale & verè esset inter illa talis vnio identitatis ficta, imo diuina cognitio etiam cognosceret esse talem vnionem identitatis confictam ab intellectu creato inter equum, & rationale, & perfectè cum suo obiecto conformaretur, ergo cognitio illa si tantum conciperet ex parte obiecti vnionem identitatis confictam, non esset falsa, sed vera. Respondeo, cognitionē illam, licèt ex parte obiecti correspondeat illi, vnio identitatis, ficta tamen ex parte modi concipiendi, concipere, ac prædicare de equo vnionem identitatis realem, & veram cum rationali, cum autem hæc vnio realis identitatis non sit inter equum, & rationale, ideo non esse veram, sed falsam talem cognitionem.

Sed

21 Sed insurgat aliquis. Cognitio, qua quis cognoscit Angelum in hac vita, non est falsa, sed vera, quia concipit id, quod est in Angelo ex parte obiecti, licèt cognoscat illum aliter, ac est ex parte modi, scilicet per modum inuenis pulchri alati, sed cognitio illa, equus est rationalis, licèt concipiat equum aliter ac est ex parte modi, concipit tamen id quod verè est ex parte obiecti vt tu asseris, ergo talis cognitio non est falsa, sed vera. Respondeo dupliciter posse per aliquam cognitionem, cognosci rem aliter ac est ex parte modi concipiendi, primo ex eo præcisè, quod concipiatur ipsa res per speciem, & similitudinem alterius, hoc modo concipitur à nobis Angelus aliter ac est, scilicet per speciem, & similitudinem iuuenis pulcherimi alati, & tunc cognitio non est falsa, quia nec ex parte modi concipit obiectum esse aliquid, quod verè non sit: verbi gratia in prædicto casu non concipit Angelum esse iuuenem pulchrum alatum, etiam ex parte modi, sed tantum concipit habere aliquam similitudinem, & analogiam cum iuuene pulchro alato, per cuius speciem Angelus ipse cognoscitur. hoc autem totum est verum, & ideo illa cognitio est vera. Secundo ex eo, quod ita concipiatur ex parte obiecti id, quod re ipsa est, vt ex parte modi videatur concipi, & iudicari absolutè de illo aliquod, quod re ipsa non est, hoc modo noster intellectus, per prædictam cognitionem concipit equum esse rationalem, licet ex parte obiecti concipiat, ac iudicet equum habere vnionem identitatis confictam cum rationali, vnionem identitatis confictam cum rationali, quam tunc habet, tamen ex parte modi concipiendi videtur concipere ac iudicare esse vnionem identitatis veram ac realem equi cum rationali, tunc autem talis cognitio non est vera, sed falsa quia saltem ex parte modi ponit aliquid in obiecto, & de illo aliquid prædicat, quod vere in illo non est, id est enunciat de equo veram, ac realem vnionem identitatis cum rationali, quæ verè non est, neque esse potest in illo, quod tantum ad formalem falsitatem desideratur?

22 Verum vrgeat, cognitio illa equus est rationalis, licèt quantum est ex se, & vi sua ex parte modi videatur concipere, & prædicare de equo vnionem identitatis, realem, tamen ex parte obiecti tantum concipit, non quidem vnionem realem, sed tantum vnionem fictam, vt tu asseris: ergo eodem modo, licèt ipsamet cognitio quantum est ex se, & vi sua ex parte modi videatur concipere, & prædicare vnionem identitatis huius equi, cum rationalitate, tamen potest dici, quod ex parte obiecti tantum concipit talis cognitio, non quidem vnionem identitatis huius equi cum rationalitate, sed vnionem aliam realem in aliis rebus repertam, & ita instatur apertè argumentum supra factum num. 5. pro nostra sententia, & ideo nulla apparet ratio ad illa entia rationis media inter ens reale positiuum, & ens reale negatiuum adstruenda, fateor difficultatem, ideo superius numer. 6. obseruaui rationem illam communem non esse demonstratiuam; sed posse instari, oppositamque sententiam esse valde probabilem. Respondeo tamen cognitionem illam, quę quantum est ex se, & vi sua concipit, ac iudicat aliquid ex parte modi, illud etiam ex parte obiecti concipere, & iudicare, si non implicet, secus si repugnantiam inuoluat ista cognitio, *equus est rationalis*, quantum est ex se, & vi sua ex parte modi concipit, & iudicat esse in equo vnionem identitatis ipsius cum rationali, quæ quidem vnio, & identitas equi cum rationali non repugnat dari vera vel ficta, quæ enim apparet repugnantia in hoc, cum intellectus ex parte obiecti confingat? nulla sanè; & ideo talis cognitio concipit ex parte obiecti vnionem identitatis equi cum rationalitate saltem confictam: item cognitio quantum est ex se, & vi sua ex parte modi concipit, ac iudicat esse in equo vnionem realem ipsius cum rationali, hæc vero vnio, seu identitas realis equi cum rationalitate inuoluit repugnantiam, quod posset dari ex parte obiecti, cum omnino impossibilis sit, & idcirco talis cognitio licet quantum est ex se, ex parte modi videatur concipere vnionem realem identitatis equi cum rationalitate, non tamen concipit illam ex parte obiecti, sed tantum vnionem confictam, quæ in re tam ardua, & difficili ratio disparitatis sufficiet.

23 Obiiciat tertio principaliter, ens rationis ab ente reali distinctum non potest esse obiectum intellectus: ergo non potest dari obiectiuè in intellectu, ac per consequens, nec fingi: antecedens probatur, obiectum intellectus causat cognitionem realem sui, sed ens rationis ab ente reali distinctum non potest causare cognitionem realem sui, etenim esse fictum non valet producere ens reale; ergo ens rationis non potest esse obiectum intellectus: Confirmatur: si tale ens rationis esset obiectum alicuius actus intellectus, ipsum esset causa actus, quo cognosceretur, vt iam ostendi, & ipse actus intellectus esset etiam causa ipsius entis rationis, cum illud confingeret, ergo inter actum intellectus, & ens rationis mutua daretur causalitas, quod repugnat: vrgetur, si ex actu intellectus confingente ens rationis obiectiuè resultaret, ipse actus intellectus vtpotè causa illius entis rationis esset prior illo; ergo in illo priori esset actus sine obiecto, cū ens rationis tantum deberet esse obiectum illius, atqui actus intellectus in nullo priori potest dari sine obiecto, cū sit ordo essentialis ad illud ergo ex actu intellectus non potest resultare ens rationis; respondeo non repugnare quod aliquod fictum causet aliquid reale non per se ipsum, sed per realem aliquam actionem, & rationem agendi illius, & ideo ens rationis posse per speciem realem sui causare eius cognitionem realem. Ad primam confirmationem, dico tantum repugnare mutuam causalitatem inter duas causas physicas agentes per se ipsas, secus vero inter vnam causam physicam influentem per rationem agendi à se distinctam, qualis est ens rationis agens physicè cognitionem sui per realem speciem impressam sui distinctam à se ipso, & inter causam intentionalem confingentem, qualis est actus intellectus respectu entis rationis, quod confingit, in hoc enim nulla apparet implicatio quare id repugnet, vt per se liquet. Ad secundam confirmationem respondeo actum intellectus si aliquo modo sit causa entis rationis conficti, esse tamen priorem illo prioritate à quo, non vero in quo, & ideo in nullo priori potest actus ille concipi sine suo obiecto, scilicet sine ente rationis per illum cognito, sicut cognitio increata paterna, est principium Filij Diuini, & est prior à quo, seu origine, quam ille, & tamen in nullo priori concipitur paterna cognitio non supposito filio.

24 Hic autem inquirat quis per quasnam species intellectus determinetur ad cognoscendum ens rationis. Censeo quod sicut ad cognoscendam substantiam pro prima vice determinatur intellectus imperfectè per species accidentis; postea vero posita tali imperfecta cognitione substantiæ fit in illo connaturaliter alia species substantiæ propria, scilicet, quæ illam, & non accidens repræsentet, ita similiter ad cognoscendum ens rationis pro prima vice intellectus determinatur imperfectè per species entis realis, postea vero posita tali cognitione entis rationis in intellectu resultat in illo connaturaliter alia species entis rationis propria, scilicet quæ illud repræsentet, & non ens reale, quo ipsum perfectè cognoscitur.

CAPVT

CAPVT III.

Per quas potentias, & actus conficiatur ens rationis.

25 OMnes qui in denominatione extrinseca constituunt ens rationis consequenter docent per quamlibet potentiam illud efformari posse, non solum intellectiuam, & volitiuam, sed etiam per imaginatiuam, imo & per sensus externos: vt autem clarius in hac re procedamus, notandum est potètiam intellectiuam hoc speciale habere, vt possit reflectere suprà suos actus, vt communiter docent omnes cum Diuo Thoma opus. 48. tract. 1. cap. 1. quod non est intelligendum de reflexione propria, quando scilicet actu distincto reflectitur supra suos actus, sed etiam de impropria, quando scilicet per eundem actum aduertit ad suum obiectum.

26 Suppono ens rationis tantum fieri per actum, qui ponat, ac iudicet obiectum esse aliter ac est in se, ita Diuus Thomas, Caietanus, Pater Hurtado, disp. 19. metaphys. sect. 5. Arriaga disputat. 6. metaphys. sect 3. Complut. de ente rationis quæst. 4 Auersa de ente rationis quæst. 5. sect. 6. Vallius, Lorma de ente rationis quæst. 1. & 2. Ioannes à Sancto Thoma quæst. 2. de ente rationis ar. 4. Franciscus Alphonsus disp. 12. de ente rationis sect. 6. Suarez disp. 54. metaphys. section. 1. Carleton disp. 15. Logicæ section. 2. Herice 1. parte disp. 8. capit. 1. num. 1. & est communis, & probatur manifestè: ens rationis cum sit aliquid fictum, solum fit per actum fingentem, sed actus fingens non est ille, qui concipit seu apprehendit præcisè obiectum aliter ac est in se, etenim actus cognitionis, qua cognosco Deum esse bonum non est fingere, quia licet concipiat entitatem spiritualem Dei aliter ac est in se id est non per speciem rei spiritualis, sed per speciem alterius rei materialis, non tamen concipitur per talem actum esse Deum aliter ac est in se, cum non concipiam, nec dicam esse materialem, ac proinde ad hoc vt actus sit fingens non sufficit quod concipiat obiectum aliter ac est in se; id est per speciem, ac similitudinem alterius rei; sed requiritur quod concipiat, ac dicat obiectum esse aliter ac est in se: ergo ens rationis tantum fit per actum, quo ponat, dicat, aut concipiat obiectum esse aliter ac est in se, & hoc fortasse intendunt Diuus Thomas, Caietanus, & cæteri initio commemorati, quos refert, & sequitur supra Suarez n. 6. quo posito.

27 Inquiro an entia rationis fiant per actus potentiæ externæ sensitiuæ; multi partem affirmatiuam tuentur vniuersaliter asserentes omnem denominationem extrinsecam esse ens rationis, ac proinde denominationem rei vi æ, auditæ, odoratæ, & alias similes, quæ à sensuum externorum actibus resultant entia rationis esse, & ita fieri ens rationis per actum etiam potentiæ externæ sensitiuæ, Ita communiter plures ex recentioribus, illorum fundamentum est, quia istæ denominationes, quas extrinsecas appellamus, ponunt aliquid in obiecto non reale; ergo rationis, cum autem tales denominationes non solum resultent ex actibus intellectus, sed etiam ex actibus potentiarum externarum, sequitur, vniuersaliter ens rationis fieri posse per actus potentiæ externæ.

28 Arbitror tamen ens rationis non posse resultare, ac fieri per actus potentiæ externæ sensitiuæ. Ita authores citati num. 23. Suarez supra sect. 2. num. 11. Probatur: ex eo, quod visus videat colorem præcisè resultat denominatio coloris visi. sed hæc est realis, & non rationis: ergo non resultat ens rationis. Probatur maior: idem est formaliter potentiam visiuam videre colorem, & colorem videri, vel visum esse à potentia visiua, sicut idem est, ego amo Deum, ac Deus amatur à me, & solum est differentia penes vocem actiuam, aut passiuã, sed potentiam visiuam, videre colorem non est denominatio rationis, sed realis sumpta formaliter à reali forma visionis, ergo colorem videre, vel visum esse à potentia visiua est etiam denominatio realis sumpta ab eadem reali forma visionis, & non denominatio rationis. Secundo, ens rationis non resultat nisi cognoscatur, quia eius fieri non est aliud, quam cognosci, aliàs si physicè fieret, non esset ens rationis, sed ens reale, sed per actum potentiæ externæ sensitiuæ, verbi gratia, per visum oculi, non cognoscitur ens rationis, cum ens rationis non sit color, aut lux, ad quæ tantum potentia visiua terminatur, ergo per actum potentiæ sensitiuæ non resultat eus rationis: Tertio, ens rationis non potest fieri per actum cognoscentem obiectum sicuti est, quia ens rationis tantum habet esse obiectiuè in intellectu vt communiter aiunt, id autem quod cognoscitur sicuti est in se, non habet esse tantum obiectiuè in intellectu sed etiam in se, ac proinde id, quod concipitur per actum concipientem obiectum sicuti est, non fit ens rationis; atqui omnis cognitio sensitiua externa, cum sit clara, & intuitiua cognitio, cognoscit obiectum sicuti est, ergo per illam non potest fieri ens rationis: si autem fieret, non deberet ens rationis appellari, sed potius ens visus, ens auditus, & sic de aliis.

Hinc infero omnes alias denominationes extrinsecas, quæ à forma reali purè physica desumuntur, verbi gratia denominationes agentis, dextri, sinistri, &c. & illas, quæ ex cognitione intellectus formaliter resultãt, verbi gratia, denominationes cogniti, generis, speciei, subiecti, prædicati, antecedentis, & consequentis, & alias similes, valde probabile est esse verè, & propriè denominationes reales, & nullo modo entia rationis. Ita sentire videtur suprà Suarez Franciscus Alphonsus, Carleton, & plures ex recentioribus; Probatur, quia eodem modo natura per cognitionem rationis denominatur cognita, genus, & species, & causa denominatur agens per actionem, sicut color per visionem sensitiuam denominatur visus, & per cognitionem diuinam denominatur cognitus, quia tamen extrinsecæ sunt visio sensitiua, & cognitio diuina ipsi colori denominato, quam cognitio creata est extrinseca naturæ obiectæ, & actio transiens est extrinseca causæ, quam denominat, atque ita denominatio visi à potentia sensitiua, & cogniti à Deo sunt denominationes reales extrinsecè prouenientes formaliter à visione sensitiua, & à cognitione diuina, & nullo modo entia rationis vt de visione sensitiua ostendi n. 25. & de cognitione diuina ex se liquet, cum diuina cognitio non efficiat entia rationis, vt sequenti capite ostendam, ergo denominationes extrinsecæ, etiam illæ, quæ prouenium à rationis cognitione sunt in horum sententia denominationes reales, & nullo modo entia rationis; vnde hæ denominationes non ponunt aliquid reale in obiecto denominato intrinsecè, id est quod inhæreat illi, ponunt tamen in illo aliquid reale extrinsecè, hoc est quod respiciat illud, & terminetur ad ipsum, nec aliquid ad extrinsecam denominationem requiritur, quo oppositum fundamentum euertitur; De secundis verò intentionibus generis, speciei, prædicati, subiecti, & alia; aliter in Logica sum loquutus disp. 1. cap. 2. & disp. 8. cap. 2. cum potius habeant rationem relationis, vt esse genus, vniuersale, & similia, vt etiam ibidem docet ipse Suarez, & recentiores suprà enumerati. 29

Inquiro secundò, an ens rationis fieri possit per actus sensus interni P. Suarez, vbi suprà num. 18. sentit posse ens rationis fieri per potentiam imaginatiuam 30

tiuam humanam, quia poteſt aliquid impoſſibile, ſcilicet chimeram, apprehendere. Arbitror cum communi ſententia, & recentioribus num. 23. per nullum ſenſum internum ens rationis fieri poſſe, quia ens rationis tantùm fieri poteſt per actum, quo dicatur, vel cognoſcatur rem eſſe aliter ac eſt in ſe, vt oſtendi num. 23. ſed per actus cuiuſcumque ſenſus interni non dicitur, nec cognoſcitur obiectum aliter eſſe ac eſt in ſe: ergo. Confirmatur, nam ſenſus interni, ſicut, & externi cognoſcunt ſua obiecta per ſpecies prouenientes ex ſuis obiectis, vt oſtendam libris de anima, ſed huiuſmodi ſpecies non poſſunt aduenire ſenſibus ab entibus rationis, ergo nec poſſunt efficere ens rationis. Minor eſt certa quoad priorem partem, quia cum ens rationis nihil ſit, nullam actionem poteſt habere, per quam producat tales ſpecies in potentiis ſenſitiuis. Secunda pars probatur, quia ſenſus interni non poſſunt vti ſpeciebus propriis vnius entitatis realis ad cognoſcendam aliam omnino diſtinctam, hoc enim proprium eſt ſolius intellectus, nec vti poſſunt ſpeciebus plurium obiectorum: ergo non poſſunt conficere ens rationis.

31 De imaginatiua vero multi docent ex D. Thoma 1. parte quæſtione 12. artic. 9. ad ſecundum, vti poſſe ſpeciebus plurium obiectorum: *aliquæ* (inquit) *ſunt potentiæ cognoſcitiuæ, quæ ex ſpeciebus, primo conceptis alias formare poſſunt ſicut imaginatio ex præconceptis ſpeciebus montis & auri format ſpeciem montis aurei.* & dato hoc caſu, quòd imaginatio vti poſſit ſpeciebus plurium obiectorum ad cognoſcendum vnum quaſi compoſitum ex illis, adhuc non poſſet imaginatio fingere ens rationis. Secundo ex eodem de veritate q. 21. his verbis, *nomen intellectus ſumitur ex hoc quod intima rei cognoſcit, eſt enim intelligere, quaſi intus legere, ſenſus enim, & imaginatio ſola accidentia exteriora cognoſcunt; ſentit ergo Diuus Thomas intellectum ſolum ſua ſagacitate intima rei penetrare, imaginatiuam vero hominis ſolum phantaſmata, & varias imagines rerum, ac monſtroſas combinationes formare poſſe.*

Probatur etiam ratione, nam in tali caſu non poſſet vti talibus ſpeciebus ad cognoſcendum ſubſtantiam montis aurei, & hyrcocerui, ſed ſolum ad cognoſcenda accidentia montis, & auri, hyrci & cerui, taliter vt ex eis coaleſcat figura hyrcocerui, & magnitudinis montis colore aureo circumfuſa: quod non eſt ens rationis: ergo imaginatio non confingit ens rationis cum concipit illa extrema vt poſſibilia; etſi modo ſolum concipiat exiſtentiam, quam haberent, ſi de facto ponerentur in rerum natura, ſenſus enim tam interni, quam externi non concipiunt, nec percipiunt differentias temporum, vt libris de anima latius, explicabo; hoc autem totum non eſt fingere, quia fingere eſt concipere non ens, ad inſtar & ſimilitudinem entis, cum re vera non ſit ens, & ſolum habeat eſſe obiectiuè tantum in intellectu illud confingente, atque ideo imaginatio valde materialiter, & remotè poteſt efficere aliquod ens rationis chimericum, quia pro hoc ſtatu imaginatiua hominis operatur cum intellectu, & ab eo eleuata efficit cum illo, quod ſola non valet, & in hoc ſenſu eſt verum quod dicitur *latius patet ens imaginabile, quam ens poſſibile*; ergo imaginatiua ſeu phantaſia vna cum intellectu poteſt aliqua entia chimerica effingere, licet non poſſit apprehendere, nec cognoſcere ipſam fictionem.

32 Hinc infero primò ens rationis poſſe fieri per appetitum ſenſitiuum, nec rationalem, quia per eorum actus non dicitur obiectum aliter eſſe, ac eſt in ſe quod ad formandum ens rationis deſideratur. Infero ſecundo imaginatiuam aliorum animalium entia etiam chimerica facere non poſſe, probatur, quia licet ſomnient vt videmus in canibus, qui in ſomnis latrant, & cum imagines vident in pariete depictas ex capite leonis, corpore capræ, & pedibus equi, fugiunt, ſi proſequuntur, ergo tunc aliquid huiuſmodi imaginatione ſibi formant, in his tamen omnibus ens rationis non formant, ſed ſolum externam earum rerum figuram concipiunt, quæ non eſt ens impoſſibile, cum illam pictor penicillo aſſequatur, ergo, &c.

Inquiro tertiò, per quem actum intellectus ens 33
rationis efformetur; non inquiro an ens rationis fiat per intellectum, hoc enim affinitum eſt ſuprà cap. 1. ex teſtimoniis Diui Thomæ, & ex ipſa generali ratione, ſed ſolùm per quem actum intellectus ens rationis efficiatur. Cenſeo ens rationis radicaliter fieri per apprehenſionem complexam falſam, & fieri formaliter per falſum iudicium, per apprehenſionem verò incomplexam nulla ratione fieri: probatur apertè ex dictis; ens rationis tantùm fit per actum, quo dicitur, aut concipitur rem eſſe aliter ac eſt, vt monſtraui num. 23. ſed per apprehenſionem complexam falſam dicitur, ac concipitur radicaliter, per iudicium falſum dicitur, & concipitur formaliter rem eſſe aliter ac eſt, per apprehenſionem verò incomplexam ſolum poteſt apprehendi obiectum aliter ac eſt, non verò poteſt concipi obiectum eſſe aliter ac eſt, cum in illa nulla ſit ratio iudicij; ergo per apprehenſionem complexam radicaliter, & per iudicium falſum formaliter poteſt fieri ens rationis, non verò per apprehenſionem incomplexam. Confirmatur: nam relatio, quam dicit pro formali prædicatum, & ſubiectum, antecedens, & conſequens eſt ens rationis in communi ſententia, ſed talis relatio reſultat ex iudicio, & aliqualiter ex diſcurſu, ergo ens rationis formaliter reſultat ex actu iudicij, & partim etiam ex diſcurſu. Antecedens probatur, nam relatio ſubiecti dicit formaliter habitudinem formæ, ſed à parte rei non datur talis habitudo, & relatio formaliter; ergo hoc ens rationis reſultat ex actu iudicij conferentis ſubiectum ad prædicatum. Minor probatur; prædicatum vt diſtinguitur à prædicabili, & dicit actum eius non datur ante iudicium, quia ante iudicium non concipitur animal vt exercens effectum prædicati: ergo relatio rationis inter ſubiectum, & prædicatum reſultat ex actu iudicij. Similiter probatur de tertia operatione intellectus, ſcilicet de diſcurſu, & ex illo aliqualiter reſultare ens rationis probatur: nam licèt antecedens prout eſt in potentia illatiua & conſequens prout eſt in potentia inferibile, poſſunt reſultare ex actu iudicij; tamen relatio antecedentis, & conſequentis, vt actu inferentis, ſolùm actu cognoſcitur per diſcurſum; ergo antecedens, vt actu inferens, & conſequens, vt actu illatum ſolùm cognoſcuntur per diſcurſum; at illa relatio eſt ens rationis, ergo etiam per diſcurſum poſſunt fieri entia rationis.

Ex his inferes intellectum noſtrum indigere aliquo 34
actu comparatiuo, vt per illum formaliter fiant entia rationis: colligitur ex his, quæ etiam infrà dicemus diſputatione 8. cap. 4. de vniuerſali Logico, & ex Diuo Thoma primò perihermen. lectione 10. vbi ſic ait, *Quod per huiuſmodi entia rationis format intellectus ſecundum quod comparat eas ad res, quæ ſunt extra animam*; idem docet de potentia art. 11. *quod relationes rationis aliæ ſunt quas intellectus inuenit, & attribuit rebus intellectis, aliæ verò, quæ conſequuntur modum intelligendi, & primas quidem relationes ratio adinuenit conſiderando ordinem eius, quod eſt in intellectu ad res, quæ ſunt extra; aliæ verò conſequuntur ex eo, quod intellectus intelligit vnum in ordine ad aliud:* ergo omnes intentiones formantur per aliquem actum comparantem, nomine autem actus comparatiui non ſolùm intelligimus comparationem compoſitam, ſeu iudicatiuam pertinentem ad ſecundam operationem intellectus, ſed quamcumque cognitionem, quæ cum

connotatio

connotatione de ordine ad aliud concipitur, qualis est simplex apprehensio complexa, quæ comprehendit hãc rationis relationem per ordinem ad terminum saltem radicaliter, vt ostendi num. 28. ratio positionis est, nam ens rationis, vel est relatio, vel aliqua negatio, si primum, debet comparatiuè apprehendi in ordine ad terminum. Vt cum concipio Romam ad instar Toleti comparatiuè, concipio Romam non absolutè sed connotatiuè seu cum aliqua relatione: si secundum, debet concipi ad instar entis, quod etiam est concipi cum comparatione ad alterum; ergo ens rationis, siue sit relatio, siue negatio, indiget aliquo actu comparatiuo modo explicato.

35 Sed obiciat aliquis, etiam per apprehensionem simplicem, & incomplexam posse fieri ens rationis, nam ens rationis est illud, quod tantum habet esse obiectiuè in intellectu, sed cum quis simpliciter & incomplexè apprehendit chimeram, v. g. equum rationalem talis chimera tantum habet esse obiectiuè in intellectu apprehendente, cum realiter non possit existere: ergo tunc chimera est ens rationis, ac proinde etiam per apprehensionem simplicem, & incomplexam fit formaliter ens rationis. Respondeo apprehensionem simplicem, & incompleeam chimeræ solum repræsentare formaliter essentiam chymeræ, scilicet ens tantum possibile per fictionem, sicut apprehensio simplex, & incomplexa entis realis solum repræsentat formaliter essentiam entis realis, scilicet ens possibile verè & realiter, atque ita chimera in illo intellectu, illam simpliciter, & incomplexè apprehendente tantum habet esse quoddam possibile per fictionem, quod præcisè ab illo apprehenditur; hoc autem esse possibile per fictionem, id est esse fictibile habebat chimera in seipsa antequam ab intellectu incomplexè apprehenderetur vt constat, atque ita chimera non habet aliquid esse per intellectum, illam simpliciter, & incomplexè apprehendentem habere, quod ipsa non non habet; & ideo chimera non fit formaliter ens rationis per apprehensionem illam simplicem incomplexam, sed per complexam, & solum radicaliter vt supra dixi.

36 Infero secundo, ens rationis non necessario fieri per actum reflexum, sed potest optimè fieri per actum directũ. Probatur manifestè, plures sunt relationes rationis, quæ non habent pro ratione fundandi denominationem extrinsecam cogniti, sed immediate fundat illas intellectus supra ipsam entitatem realem, qualis est relatio creatoris, quæ præcisè fundatur in ipsa creatione, quæ terminatur ad obiectum, secundum quod habet esse cognitum, vt relatio vniuersalitatis, & generitatis, sed resultant per actum directum; Et confirmatur, nam talis cognitio, qua ipsum ens rationis denominatur cognitum reflexè vt quod, supponit ens rationis formatum, siquidem super ipsum fertur tamquam super terminum cognitum: ergo talis cognitio reflexa non primo format ipsum ens rationis, sed supponit formatum, & quasi speculatur ipsum iam factum, sicut quando Angelus, vel Deus intelligit hominem syllogizare, aut propositionem formare non propterea dicimus Deum syllogizare, vel enuntiare, & tamen intelligit, quasi in actu reflexo, & signato ipsum syllogismum & propositionem: ergo non solum resultat ens rationis ex actu reflexo denominante ipsum obiectum cognitum, sed ex ipso actu directo concipiente ad instar entis, cum reuera non sit ens.

37 Inquiro quartò, an per actum voluntatis ens rationis fieri possit. Scotus in primo dist. 45. quæst. vnica docet posse per voluntatem fieri entia rationis, sicut per intellectum, & probat à paritate, nam sicut intellectus efficit ens rationis, eo quod cognoscit ordinatè, quæ in se ordinata non sunt, ita voluntas potest ordinare ea, quæ ordinata non sunt, vtpotè voluntas potest amare vt vtile ad aliquem finem, quod re vera, & in se non est vtile, sicut, & potest amare, vt bonum quod in se non est, vt experientia constat, ergo voluntas potest ordinare ea, quæ ex se non sunt ordinata, ac per consequens efficere ens rationis.

Censeo cum communi sententia voluntatem non 38
posse formare ens rationis: ita Suarez supra, Rubio, Vasquez, Arriaga, Franciscus Alphonsus, Hurtado, Lorma, Auersa, Complutens. Carleton disputat. 16. section 1. Ioannes à sancto Thoma, & communiter omnes. Probatur, voluntas non potest dare esse enti rationis; ergo nec illud causare; Antecedens probatur, causa non dat aliter esse effectui, nisi ponendo illud in rerum natura physicè, aut intentionaliter, sed voluntas neutro modo potest ponere in rerum natura ens rationis, non physicè, vt patet, non intentionaliter, quia poni aliquid intentionaliter præsens in rerum natura est, fieri intentionaliter præsens per actum voluntatis, quia hoc est repræsentari per actum, sed voluntas non est repræsentatio obiecti, sed pondus voluntatis in illud: ergo per voluntatem nullo modo potest fieri ens rationis. Confirmatur primo, quia voluntas supponit ad entia obiectum ad quod fertur, vt ex se constat, sed ens rationis non supponit obiectum, cum illud tantum habeat esse in quantum cognoscitur à potentia: ergo. Confirmatur secundo, ens rationis dicitur illud cuius esse totum est obiectiuè esse in potentia à qua causatur, vt ex hucusque dictis constat, sed nullum ens esse potest obiectiuè in voluntate, quia esse obiectiuè in potentia est obiici, seu repræsentari potentiæ, quod alienum est à voluntate, cum cognoscitiua non sit, & ens rationis formaliter consistat in cognosci: ergo nullo modo per voluntatem ens rationis fieri potest, cum voluntas in sua operatione necessario præsupponat actus intellectus, & in illud solum obiectum fertur quod ei ab intellectu proponitur: ergo ex modo suo tendendi inuenit obiectum factum ac proinde illud non facit.

Dices ex aliquorum sententia, potest voluntas ferri 39
in incognitum; ergo potest fingere, & efficere ens rationis, antecedens est falsum, sed demus illud argumentandi gratia, tunc sic, in hoc casu voluntas fertur in bonitatem quæ vera non datur, nec habet esse ab intellectu, cum illam non cognoscat: ergo habet esse à voluntate illam amante, ergo bonitatem, quæ re vera non est, amat; ergo fictam; ergo potest efficere ens rationis; sed respondetur, voluntatem non posse ferri in bonitatem, quæ re vera non est sine præuia cognitione intellectus, nam obiectum voluntatis est bonum verum, vel apparens, at in illo casu bonitas non esset vera, quia non datur, nec apparens, quia non apparet, per cognitionem; ergo non potest esse obiectum voluntatis, & si aliquando posset ferri in bonum, sine hac præuia cognitione (quod ego diffiteor) deberet esse bonum verè reale, non vero fictum, quia hoc non habet rationem boni donec illi tribuatur, seu proponatur ab intellectu. Ad rationem Scoti Respondeo, discrimen esse magnum inter intellectum, & voluntatem, quod intellectus in illa, quæ ordinat, causat talem ordinationem, non vero voluntas, cum non causet, nec ponat aliquid, sed pondere quodam feratur in bonitatem obiecti, hoc autem magis explicabitur in libris de anima.

Sed inquirat quis vltimo, an fiat formaliter ens ra- 40
tionis per iudicium tantum quo concipitur aliquid esse quod est impossibile, vt cum dicitur *homo est irrationalis*, an vero fiat formaliter ens rationis per iudicium falsum, quo concipitur aliquid esse, quod verè non est, licèt realiter esse possit, vt cum dicitur Petrus currit, non currente Petro; Censeo, tantum per primum actum iudicij, non vero per secundum fieri formaliter

ens

ens rationis, ratio eſt quia ens rationis eſt illud, quod tantum habet eſſe obiectiuè in intellectu, id eſt quod non eſt ens extra illum, ſed cum dicimus Petrum currere, non currente Petro: ille curſus Petri non habet tantum eſſe obiectiuè in intellectu, ſed etiam eſt extra illum, nam ille curſus realiter, & extra intellectum eſt ens, cum ſit aptus realiter exiſtere, quod ad veram rationem entis realis ſufficit, vt ſupradictum eſt, & amplius dicetur in Metaphyſica; ergo ille curſus Petri non eſt ens rationis, ac proinde per tale iudicium falſum non fit formaliter ens rationis, videantur Hurtado, Arriaga, & Carleton diſp. 16. ſect. 4. cap. 15.

CAPVT IV.

An ens rationis fabricetur, aut cognoſcatur à Deo.

41 HÆc difficultas magna ex parte Theologica eſt, ſed quia multum conducit ad dignoſcendam naturam entis rationis, ideo à recentioribus de illa in præſenti agitur, eam pertractant D. Thom. variis locis, Magiſter Soto, Suar. diſp. 54. met. ſect. 21. Vaſq. p. diſp. 118. c. 4. Cananenſis, Molina 1. p. q. 28. art. 2. diſp. 3. Fonſeca 4. met. c. 2. q. 6. Valentia, Arrubal, P. Hurtado diſp. 19. met. ſed Arriaga diſp. 6. met. ſect. 4. Complut. diſp. 2. de ente rationis, Ioan. à S. Thom. q. 2. art. 5. Hueſca q. 5. de ente rationis ſect. 4. Lerma de ente rationis q. 5. Valius de ente rationis q. 1. Franc. Alphonſ. diſp. 12. ſect. 9. & Carleton diſp. 16. Logicæ ſect. 6. & communiter omnes recentiores, Dialectici, & Theologi videantur in ſuis locis: ſed in hac re duo ſunt examinanda breuiter. Primum an Deus poſſit efformare entia rationis independenter ab intellectu creato. Secundum an ſaltim entia rationis à noſtro intellectu fabricata cognoſcere poſſit.

42 Quatuor de hac re inuenio ſententias, prima tenet Deum ex ſe, & omnino independenter ab intellectu creato entia rationis cognoſcere, & effingere poſſe, ita Enriquez, quodl. 1. q. 1. & in ſumma art. 868. quæſt. 15. Cananenſis 1. p. q. 28. art. 2. diſp. 2. Molina 1. p. q. 28. art. 2. diſp 3. Valent. 1. p. q. 14. punct. 7. Fonſeca 7. met. cap. 8. q. 2. ſect. 14. pro prima ſententia. Gilius tom. 1. lib. 2. tract. 6. c. vlt. Ægidius Luſitanus tom. 1. in 1. 2. q. 6. art. 10. Secunda ſententia affirmat Deum, nec facere, nec cognoſcere entia rationis, etiam fabricata, à noſtro intellectu, ita Vaſquez 1. p. diſp. 118. cap. 4. & plures ex eius ſectatoribus. Tertia ſententia docet Deum cognoſcere entia rationis non ex ſe primario, ſed vt facta, vel factibilia à nobis, ac per conſequens ea ipſa facere dependenter ab intellectione creata quam cognoſcit facere entia rationis, ita Suarez diſp. 54. ſect. 2. num. 19. Arrubal 1 p. diſp. 54. ſect. 2. Quarta ſententia eſt Deum non cognoſcere entia rationis niſi dependenter ab intellectione creata, & nullatenus ea efficere. Hanc tenet Pater Herize prima part diſputatione 8. Faſolis 1. part. quæſtione 14. articulo 9. diſputatione 2. Ruiz diſputatione 17. cap. 2. Pater Hurtado diſp. 19. metaph. ſect. 6. Arriaga diſp. 6. metaphyſ. ſect. 5. Rubio hic num. 17. Franciſcus Alphonſus diſp. 12. ſectione 9. colum. 1. & 2. Merinero citatis multis diſp. 3. de ente rationis q. 6. n. 11. ſed claritatis
43 gratia,

Sit prima aſſertio, Deus ex ſe, & ſine ordine ad intellectum creatum non poteſt efformare entia rationis, nec illa cognoſcere, ita auctores ſecundæ, tertiæ & quartæ ſententiæ. Probatur, ens rationis tantum fit per actum illum, quo dicitur, ſeu concipitur rem eſſe aliter ac eſt in ſe, vt oſtendi ſuprà cap. 2. num. 9. ſed intellectus diuinus non poteſt dicere, ſeu concipere rem aliter ac eſt in ſe, cum ei falſitas repugnet: ergo non poteſt fieri ens rationis per intellectum Dei, alias conciperet rem aliter ac eſt in ſe, & conſequenter fingeret, & poſſet illi ſubeſſe falſum. Confirmatur primò, maxima imperfectio eſſet in intellectu diuino cognoſcere rem aliter ac eſt in ſe, & obiectum abſolutum, tanquam relatum, negatio tanquam formam abſolutam, obiectum impoſſibile, tanquam poſſibile, ſed in Deo non datur, dative poteſt imperfectio, ergo non poteſt efformare ens rationis, quia omnia cognoſcit, vt ſunt in ſe, vt parietem eſſe viſum, non vero relatum ad oculum, ſed tantum viſionem terminari ad parietem, ſimiliter cognoſcit hominem eſſe animal rationale, non vero referendo ſubiectum ad prædicatum, ſed intuendo connexionem eſſentialem, & identitatem horum extremorum, ergo Deus in ſuo intellectu non efformat entia rationis. Confirmatur ſecundò, ſi Deus faceret ens rationis deberet cognoſcere rem aliter ac eſt in ſe à parte rei, ſed nulla cognitio rei aliter ac eſt in ſe dari poteſt in Deo; ergo nec poteſt efformare ens rationis. Minor probatur, nam ens rationis formaliter fit per cognitionem attingentem rem, quæ non eſt ac ſi eſſet, ſed hoc repugnat diuinæ cognitioni, vt ſuprà multoties dictum eſt, ergo abſolutè Deus non poteſt facere entia rationis, nec cognoſcere illa independenter, & ſine ordine ad intellectionem creatam.

ASSERTIO ſecunda, nec intellectus Angelicus, nec Beatus poteſt efficere entia rationis. Probatur, quia Angelus, ſeu quilibet Beatus intuens clarè diuinam eſſentiam cognoſcit res clarè, & ſecundum ſuas proprias differentias: ergo illas, vt ſunt in ſe clarè intuendo poſſunt formare ens rationis, cum ens rationis, vt ex ſuperioribus conſtat non reſultet formaliter ex mera denominatione cogniti, quæ nec Deo, nec Angelis ex ſe repugnet, ſed ex eo quod per aliquem actum intellectus res concipiatur à parte rei, aliter ac eſt in ſe, ſed Angeli, ac intellectus videntis Deum cognoſcunt res, vt ſunt in ſe (loquor de illis rebus, quarum habent euidentiam) ergo intellectus Angelicus, ac Beatus non poſſunt efformare talia entia rationis, reſpectu vero rerum, quas imperfectè cognoſcit Angelus, qualia ſunt myſteria reuelata, & ſupernaturalia, quæ virtute naturali intueri non poſſunt, & circa quæ non habent lumen ſupernaturale vt ſunt Angeli mali, concedi poſſe à tali intellectu Angelico res abſtractiuè cognoſcente, & per diſcurſum poſſe fieri illa entia rationis, ſiquidem per alienas ſpecies, & conceptus concipit res, non vt ſunt in ſe, ſed aliter, vt cognoſcere Deum per ordinem, & habitudinem ad creaturas formando diſtinctionem inter ipſas, & Deum: ergo in iſtis, & aliis caſibus poſſet intellectus Angelicus efformare entia rationis, manet ergo nunc controuerſia, an ens rationis confictum per actum intellectus creati ſaltim poſſit indirectè cognoſci à Deo; cenſet Vaſquez Deum nec indirectè, & ſecundario poſſe cognoſcere ens rationis. 44

ASSERTIO tertia: Deus cognoſcit entia rationis à nobis efformata quantumcumque ſint chimæra, ſeu figmenta, ita auctores primæ, ſecundæ, tertiæ & quartæ ſententiæ, & eſt communis inter Dialecticos, & Theologos contra Patrem Vaſquez prima parte, diſputatione 118. capite ſecundo & tertio, & probatur auctoritate Diui Thomæ prima parte, quæſtione decimaquarta, articulo nono, vbi docet perfectiſſimè cognoſcere actus noſtros quibus machinamur & fingimus prædicta entia rationis, & colligitur manifeſtè ex illo Sapientiæ 8. *Scit verſutias ſermonum, & diſſolutiones argumentorum, ſigna, & monſtra ſcit antequam fiant*, & vt inquit Regius Vates Pſalmo 102. *Ipſe cognoſcit figmentum noſtrum* ex 45

ex Diuo Thoma 1. part. quæstione 4. articulo 9. vbi ait, quæcumque igitur possunt per creaturam fieri, vel cogitari, vel dici, & etiam, quæ ipse facere potest omnia cognoscit Deus, & ex Psalmo 93. Et qui finxit oculum non considerat? & qui docet hominem scientiam non intelligit? ergo cum nos disputamus de chimæris, Deus cognoscit de quibus obiectis est disputatio, similiter Deus nouit actum, qui fingit relationem in Deo fictam, vt differt ab actu fingente hyppocentaurum; ergo nouit illos vt terminantur ad obiecta, ergo obiecta ipsa ficta cognoscit Deus secundario, quin ipse fingat, nam sicut non errat repræsentando aliorum errores, ità nec fingit cognoscendo fictiones aliorum, quia non fertur in hæc obiecta, nisi vt facta, vel ficta ab intellectu humano.

46 Probatur ratione primò, si propter aliquam rationem Deus non cognosceret entia rationis à nostro intellectu formata, maximè quia ille efformaret cognoscendo, sed hoc non sequitur; ergo. Minor probatur, ens rationis non resultat per illam cognitionem, qua ens, rationis cognoscitur, vt *quod*, & vt terminus cognitus, quia vt sic solum redditur cognitum denominatiuè, sed quando Deus cognoscit entia rationis, à nobis efformata supponit iam illa ante existere, ergo solum illa reddit extrinsecè cognita, & vt *quod*, dependenter à nostro intellectu non vero illa formaliter, & per se efformat, nam id quod cognoscitur vt existens extra potentiam propriam non potest habere esse ex vi talis potentiæ, nam ens rationis non potest esse extra potentiam formantem, & fingentem cum debeat esse essentialiter in intellectu illud obiectiuè fingente, ergo quãdo Deus illud cognoscit non est cognitio formatiua entis rationis, sed cognoscitiua formati, & ita cognoscit illud vt pendens à nostro intellectu, non vero à diuino intellectu. 2. Probatur, ad diuinam cognitionẽ spectat cognoscere quidquid, quomodocumque cognoscibile est, vt D. Th. docet suprà art. 9. sed materia entis rationis est aliquid cognoscibile, scilicet, esse aliquid à nostro intellectu fictum, vt est relatio subiecti ad prædicatũ, antecedẽtis ad consequens; sed illa Deũ non cognoscere esset maxima imperfectio, seu ignoratia; ergo licèt Deus non efformet syllogismũ, nec enũtiet propositionẽ, cognoscit tamẽ materiã syllogismi, & propositionis, nõ solum quando actu intellectus syllogizat, sed ab æterno etiã si nullus daretur intellectus, vel nunquam talia figmenta existant, sed sufficit quod illa sint possibilia. 3. Probatur apertè, qui perfectè comprehendit cognitionẽ alicuius obiecti primario, necessario cognoscit saltim secũdario eius obiectum, v.g. qui cõprehendit cognitionẽ albedinis, cognoscit necessario saltim secũdario ipsam albedinẽ, atqui Deus directè ac primario comprehendit cognitionem creatã, qua fingitur, & cognoscitur ens rationis, talis enim cognitio in seipsa formaliter est ens reale, quod totum à Deo comprehenditur; ergo Deus necessario comprehendit, seu cognoscit saltim secundario, & indirectè ens rationis à nobis efformatum.

47 Dicat vero quis cum P. Vasquez, Deum cum cognoscit cognitionem creatam, qua confingitur ens rationis solum cognoscere extrema realia impossibilia, in quibus fundatur ens rationis, non vero cognoscere ipsum ens rationis, quia cognitio illa creata, qua ens rationis confingitur tantum dicit ordinẽ ad illa extrema realia, non vero ad ipsam chimæram, siue ens rationis. Sed impugnatur: nã cognitio creata habet essentialẽ ordinem ad obiectum, quod cognoscit, sed cognitio creata, qua confingitur ens rationis non tãtum cognoscit extrema realia impossibilia, sed etiã cognoscit ipsam chimæram, seu ens rationis, quia nulla alia ratione illud potest cõfingere, quam cognoscendo ipsum; ergo talis cognitio habet etiam ordinem essentialem ad ens rationis; ergo Deus comprehendens cognitionem illam creatam ad omnem ordinem essentialem, quem ipsa habet, cognoscet etiam ordinem ad ens rationis, ac proinde saltim secundario cognoscit ipsum ens rationis. Confirmatur, non potest clarè cognosci nostrũ intellectum fingere aliquam chimæram, & agere de ente rationis, nisi secundario cognoscatur ipsa chimæra, seu ens rationis; sed Deus clarissimè cognoscit nostrum intellectum fingere, & agere de ente rationis: ergo Deus secundario cognoscit ens rationis.

Sed obiiciat quis 1. contra primam assertionem, essentia entis rationis consistit in cognosci, sed Deus cognoscit ens rationis, ergo Deus efformat ens rationis. Confirmatur, ens rationis nihil aliud est quam cognoscere non ens, ad modũ entis, sed quando Deus cognoscit meã fictionẽ cognoscit ibi mea figmẽta ad modum entis, quia apprehendendo meam fictionẽ, facit meum figmentũ esse præsens suæ cognitioni; ergo dat illi esse obiectiuè, quia esse obiectiuè est esse præsens ad cognitionem, & hoc modo noster intellectus facit entia rationis, ergo. Respõdeo ens rationis non cõsistere precisè in cognosci denominatiuè, nã hoc cõmune etiã est ad ens reale, sed in cognosci consecutiuè; id est quando ex ipso cognosci consequitur, quod non est esse & habere vt ens, quando vero consequitur denominatio cogniti, non facit ens rationis, sed formaliter supponit, & vt tale cognoscitur à Deo; Ad confirmationem dico Deum cognoscere meam fictionem secundario, seu præsuppositiuè, & mediatè vt formatum, & contentum in meo intellectu, non vero primario, & independenter à meo intellectu, seu formaliter, vt sæpius monstratum est. 48

Obiiciat secundò Vasquez, Deus cognoscit omnia obiecta eo modo, quo cognoscibilia sunt ex D. Thom. art. 9. vt monstraui n. 40. cognoscit enim Deus omnia quæcunque sunt quocunque modo sunt, sed entia rationis ex se non habent propriã intelligibilitatem, sed solum cognoscuntur ad modum entis realis: ergo hoc etiam modo cognoscuntur à Deo. Confirmatur primò, non dedecet diuinam perfectionem attingere non ens ad modum entis, & tamen iudicat tale ens esse fictum: ergo format ens rationis, quia illud constitit non tam in iudicio, quam in cognitione exprimẽte non vero ad instar entis, nam vt ostendi n. 28. per simplicem apprehensionem formamus entia rationis: ergo licèt Deus iudicet non esse verum ens, poterit formare ens rationis, maximè si in illo simplex apprehensio ponatur. Confirmatur secundò, cum perfectione diuini actus stat, Deum cognoscere priuationes, & creaturas non existentes, & de illis affirmat non esse entia, & ex vi talis cognitionis, illæ priuationes, & entia redduntur cognita, & tale esse cognitum non est ens reale: ergo est ens rationis: ergo formatur à Deo. 49

Respondeo Deum cognoscere quæcumque cognoscibilia sunt, eo modo, quo cognoscibilia sunt ex parte rei cognitæ, non vero ex parte modi cognoscendi primario, & per se, alias Deus cognosceret per discursum. Dicimus ergo quod licèt ens rationis cognoscatur cognoscibilitate aliena ex parte rei cognitæ, & vt est in nostro intellectu, at cognitio diuina non format illud, sed formatũ à nostro cognoscit, seu denominat. Ad primã confirmationẽ dico nõ repugnare Deo ens rationis ex eo, quod simul apprehendat, & iudicet, sed quia non potest apprehendere vnum ad instar alterius, & quasi connotatiuè, sicut nos, sed cognoscit vt sunt extrema entis rationis, & vt à nobis efformata. Ad secundã cõfirmationem respõdeo intelligere priuationes per formam oppositã, qua priuatur, non vero ad instar formæ oppositæ. Vnde res possibiles, & negationes cognoscit per suã essentiã, & dũ apprehẽdit, quæ nõ sunt, vel sũt impossibilia, ipsas negationes, & priuationes apprehendit per formã negatã, at vero vt figmẽta, & vt entia rationis apprehẽdit vt à nobis formata, nõ vero à se, & de illis à nobis sic formatis affirmat esse impossibilia: sed de his latius de materia de sciẽtia Dei, de cognitione possibiliũ. 50

Obiiciat

51 Obiiciat quis tertiò, intellectus Dei non poteſt formare ens rationis vt oſtendi ſuprà n.38. ſed ſi cognoſceret ſaltem ſecundario ens rationis, tale ens rationis efformaret, vel conſeruaret iam factum ab intellectu creato: ergo Deus nec indirectè, ac ſecundario poteſt cognoſcere ens rationis. Minor probatur: ille intellectus format, vel conſeruat ens rationis, in quo aliquod obiectum habet eſſe tantum obiectiuè ita, vt non poſſit eſſe extra illum, ſed ſi intellectus Dei cognoſceret ens rationis, tale obiectum haberet eſſe tantum obiectiuè in intellectu Dei, ita vt non poſſet eſſe extra illum: ergo ſi intellectus Dei ens rationis ſaltim ſecundario cognoſceret, efformaret, vel ſaltim conſeruaret ipſum ens rationis. Reſpondeo tunc aliquem intellectum efformare, vel conſeruare ens rationis, quando eius obiectum ea ratione, qua ab illo cognoſcitur non poteſt eſſe extra illum, intellectus autem Dei ſolum cognoſcit ens rationis eſſe confictum ab intellectu creato, quod in hac ratione conficti verè eſt extra intellectum Dei, ſed in intellectu creato confingente, ac proinde intellectus Dei, licèt hoc modo ens rationis cognoſcat, nec fingit, nec efformat ens rationis, ſed factum cognoſcit.

52 Obiiciat quartò, contra eandem ſecundam aſſertionem, ens rationis, v. g. chimæra ab æterno habet eſſe obiectiuè in intellectu Dei, cum per ſe talis chimæra ab æterno cognoſcatur ab ipſo Deo, & tamen ab æterno nec fuit, nec eſſe potuit, etiam fictitiè extra illum, cum nulla creatura fuerit, nec potuerit eſſe ab æterno, à quo illud ens rationis confingeretur; ergo chimæra, ſeu ens rationis habet ab æterno eſſe tantum obiectiuè in intellectu Dei; ergo fit, & formatur ab ipſo Deo, vel ſi non poteſt à Deo efformari, nec etiam poteſt à Deo cognoſci. Reſpondeo diuinũ intellectum cognoſcere ab æterno ens rationis ſolum, vt poſſibile, ſeu fictibile, ab intellectu creato, quod habet ipſum ens rationis in ſeipſo ante cognitionem Dei, & ideo Deum licet ab æterno cognoſcat ens rationis, quod tunc à nulla creatura poteſt cognoſci, non conficere tale ens rationis.

53 Obiiciat vltimo, ens rationis includit eſſentialiter duo prædicata cõtradictoria eſſe ſimul inter ſe coniuncta, ſed Deus non poteſt vlla ratione cognoſcere duo prædicata contradictoria eſſe ſimul inter ſe coniuncta, hoc enim tantum poteſt concipi cognitione confuſa, non vero cognitione clara, qualis eſt cognitio Dei; ergo Deus non poteſt cognoſcere ens rationis. Reſpondeo Deum non poſſe cognoſcere ſua explicita cognitione duo prædicata contradictoria eſſe ſimul inter ſe coniuncta vnione ſeu entitate reali, poſſe vero cognoſcere clarè eſſe illa coniuncta vnione identitatis chimærica, & conficta ab intellectu creato, in hoc enim nulla eſt implicatio, ens autem rationis ſolum continet duo prædicata contradictoria vnita inter ſe vnione identitatis rationis, non vera, ſed tantum ficta ab intellectu creato, ac proinde Deum poſſe rectè cognoſcere ens rationis à noſtro intellectu fabricatum.

Caput Vltim.

Ens rationis diuiditur, & quomodo fiat oſtenditur.

54 Vulgariter diuiditur ens rationis in negationem, priuationem, & relationem, quam diuiſionem, vt ſatis communem afferunt, ac defendunt Suarez ſuprà ſect.3. & 4. Conimbr. in Logica q.6. Lorma lib.2. de ente rationis q.6. Auerſa q.5. de ente rationis ſect.7. Ioan. à S. Thom. q.2. art.2. Franc. Alph. diſp.12. ſect.2. Carleton diſp.18. Logicæ per totam, Arriaga diſp.6. metaph. ſect.5. P. Hurt. diſp.19. met. ſect.4. Merinero diſp.3. Logicæ q.3. Vallius 1. p. de ente rationis q.2. illam ex Ariſtoteli, & Diuo Thoma haurientes, ſed aliis ex Diuo Thoma placet in duo membra diuidi, quæſt.21. de veritate artic.1. ſcilicet in negationem, & relationem vel è contra, nam ſub negatione ſubintelligitur priuatio, ſeu aliis terminis diuidi poteſt ens rationis, in ens rationis poſitiuum, & in ens rationis negatiuum, ita, vt ens rationis poſitiuum ſit illud, in quo concipitur aliquid eſſe, ens aliquod poſitiuum, quod verè non eſt, ens vero negatiuum ſit id, in quo aliquid concipitur non eſſe illud, quod verè eſt, & aliæ plures poſſunt ſubdiuiſiones fieri, vt diſcurrenti conſtabit, pro maiori tamen intelligentia tam negatio, quam priuatio tripliciter ſumi poteſt.

Primò igitur negatio ſumi poteſt pro quocunque non eſſe, & appellatur & ſimplex, ſeu pura negatio, vt non homo, non ſedens, & omnes termini infiniti. Sumitur pro remotione entitatis, ſeu formę in aliquo ſubiecto abſtrahendo tamen ab eo, quod habeat, vel non habeat aptitudinem ad talem formam, & hoc modo apprehendit, tam negationes, quam priuationes propriè dictas. Tertiò, ſumitur negatio ſtrictè, & propriè pro carentia formæ in ſubiecto inepto ad illam recipiendam, vt equus habet negationem rationalitatis, & vna ſpecies alterius, & negatio in hac acceptione opponitur priuationi propriè dictæ, quæ eſt carentia formæ in ſubiecto apto nato ad habendam formam. 55

Priuatio ſimiliter tripliciter ſumitur. Primò generaliter quando ſubiectum caret forma, quæ quidem nata eſt haberi ab aliquo, ſed ipſum ſubiectum non eſt aptum ad habendam illam, vt planta, quæ nata eſt non habere viſum; bene tamen animal & priuatio in hac acceptione coincidit, cum ipſa acceptione negationis. Secundò ſumitur priuatio magis propriè, vel quando ſubiectum caret forma, quam licèt ipſum non poſſit habere, nata eſt tamen ab aliquo ſui generis haberi, vt viſus in talpa, quæ licèt communiter non poſſit ab illa haberi, poteſt tamen haberi ab aliis animalibus ſui generis. Tertia tamen acceptio priuationis eſt quando ſubiectum caret forma, quam ipſum natum eſt habere, & hæc acceptio opponitur tertiæ acceptioni negationis, & tam negationes, quam priuationes ſi ſumantur pro carentia, ſeu non eſſe formæ dantur à parte rei, vt cæcitas in Petro, non quia à parte rei habent aliquam entitatem, vt notauit Diuus Thomas, ſed quia à parte rei ſunt remotiones, ſiue carentiæ entitatis, ſeu formæ, vt longius apud Complutenſes, & Franciſcum Alphonſum Scotum, Caietanum, Molinam, Suarez, Vaſquez, Rubio, Murcia Hurtado, Arriaga, Conimbricenſes, Carleton ſuprà videri poſſunt. His poſitis non eſt facilè ſufficientiam huius diuiſionis explicare, quidam enim dicunt ens rationis prius diuidi in illud, quod habet fundamentum in re, & in id, quod non habet fundamentum in re, & primum diuidi in illa tria membra, ſecundum vero vagari per omnia prædicamenta, alij docent non dari ſpeciem determinatam entis rationis, quia chimæra omnino, impoſſibile, & repugnans, eſt ens rationis, ſimiliter ſpatium imaginarium, vt vacuum, quod fingimus, & multa alia entia rationis, de quibus infra, & apud citatos auctores. 56

Dicendum eſt cum Diuo Thoma citato loco de veritate quæſt.21. art.1. ens rationis immediatè diuidi in duo membra, ſcilicet in negationem, & relationem *id, quod eſt* inquit, *rationis non poteſt eſſe niſi duplex, ſcilicet negatio, vel relatio.* Vbi ſub nomine communi negationis, negationes, & priuationes ſtrictè ſumptas intelligit; ergo licèt prædicta diuiſio immediatè ſit in duo membra, æquiualet tamen in communi in tria, quia negatio continet in ſe priuationem. Probatur etiam ratione: nam intellectus noſter poteſt entia 57

rationis fingere in quouis prædicamento, potest enim fingere substantiam aliquam, scilicet, equum rationalem & etiam in illa ponere quantitatem confictam; item fictam qualitatem, relationem, actionem, passionem, & sic de reliquis, vnde sicut ad Metaphysicam pertinet primario agere de ente reali vt sic, & de ente reali speciali, ita ad eandem secundario spectat agere de ente rationis vt sic, ac de ente rationis speciali, id est quod fingitur speciale, quia iuxta Philosophum oppositorum eadem est disciplina, cum opposita iuxta sibi opposita magis elucescant.

58 Hinc infero scientiam quamlibet particularem, quæ primario agit de aliquo ente reali particulari agere etiam secundario de particulari ente rationis, quod tali enti reali aduersatur, v. g. quia primario attinet, ad logicum agere de ente reali logico, scilicet de modo sciendi reali, attinet ad illam agere de ente rationis logico, scilicet de modo sciendi ficto cum fundamento, sicuti quia ad Theologiam spectat agere primario de Deo vero, spectat etiam ad illam secundario agere de Deo ficto, & falso, & sic de aliis, & ratio est quia tam opponitur ens rationis logicum cum ente reali logico quam ens rationis vt sic cum ente reali vt sic, sed ad Metaphysicam, ad quam primario attinet agere de ente reali, vt sic, attinet etiam secundario agere de ente rationis vt sic, propter oppositionem, quam hoc ens habet cum illo: ergo propter similem oppositionem, quam habet, v. g. ens rationis logicum cum ente reali logico ad logicam, ad quam primario attinet agere de hoc, spectat etiam secundario agere de illo, hoc autem ens rationis, vel est positiuum, vel non positiuum, si non positiuum est negatio, id est negans formam, si positiuum solum potest esse relatio non secundum rationem existentiæ, sed vt dicit meram termini extrinsecam attingentiam, & vt sic concipitur ad aliud cum negatione existentiæ in alio nisi tantum obiectiuè in intellectu; ac proinde ens rationis, quod supra obiectum formale logicæ statuimus esse relationem, vnde ens rationis immediatè in negationem, & relationem diuiditur: indirectè vero, & immediatè in alia plura.

59 Sed inquirat quis quomodo negatio sit aut fiat formaliter ens rationis? negatio secundum se præcisè non est ens rationis, quia verè negatiuè datur absque intellectus fictione, vt cæcitas, & surditas, nec etiam negatio Angeli est ens rationis formaliter, quando præcisè cognoscitur negatiuè, id est negando esse Angelum, quia iste actus verus est & non fingit, imo etiam si negatio concipiatur positiuè tantum ex parte modi, videlicet per speciem, & similitudinem entis positiui non fit formaliter ens rationis, quia quando cognoscimus Deum in hac vita, illum, etsi spiritualem concipimus per speciem, & similitudinem rei materialis, tamen non confingimus ens rationis, restat ergo vt tunc tantum sit negatio entis rationis formaliter, quando concipitur vt talis negatio esse aliquid positiuum, scilicet aliqua qualitas, & hæc cognitio est fingens, ac proinde ei ex parte obiecti respondet aliquod ens rationis confictum, quod dicitur ens rationis formaliter, negatio vero secundum se, quia præbet fundamentum ad hanc fictionem vocatur ens rationis fundamentaliter, & idem de priuatione, & relatione dicendum est.

Hinc etiam colligo denominationes extrinsecas, de 60
quibus suprà cap. 2. n. 26. & disp. 1. cap. 3. v. g. esse formaliter agens, esse formaliter visum, cognitum, creatorem & alias similes secundum se ante opus intellectus non esse entia rationis formaliter, quia vere sine fictione existunt, nec fieri entia rationis formaliter, quando concipiuntur extrinsece denominare subiectum, quia hæc cognitio non est confingens, nec etiam esse formaliter entia rationis, si concipiantur ex parte modi per speciem, & similitudinem formæ, ac denominationis intrinsecæ, quia etiam cognoscimus Angelum per speciem, & similitudinem iuuenis pulchri alati, & tamen non confingimus ens rationis formaliter: sunt autem denominationes extrinsecæ entia rationis formaliter quando noster intellectus concipit denominationes illas extrinsecas esse verè intrinsecas per se, quas formaliter applicat rebus denominatis, & talis applicatio ad formam denominatam non est realis, sed rationis, quia visio nihil ponit in pariete, ex ipsa vero applicatione resultat aliquod ens rationis confictum, quod dicitur ens rationis formaliter, ipsæ vero denominationes extrinsecæ secundum se ante opus intellectus, quia aliquod præbent fundamentum, vt intellectus tale ens rationis confingat, vocantur entia rationis fundamentaliter, in quo præcisè sensu intelligendi sunt illi, qui asserunt dari entia rationis ante actionem intellectus, scilicet non formaliter, sed tantum fundamentaliter, vt sunt Molina 1. p. q. 24. art. 1. disp. 2. Canariensis ibidem, Fonseca 5. metaph. c. 5. q. 4. & alij plures, qui apud citatos auctores n. 28. videri possunt.

Et hæc de tertio tractatu de ente rationis, ac vniuersa Dialectica, Physica & Metaphysica magnis nostris per viginti annos in Academia Salmanticensi vigiliis, vtinam pari iuuentutis fructu elaborata dicta, sint satis, ad laudem & gloriam Dei ac Virginis Mariæ sine labe originalis peccati conceptæ.

Si quid autem in rerum naturalium expositione minus consonum instituto Ecclesiæ Romanæ dictum fuerit, eius correctioni libens summitto & non dictum volo.

INDEX

INDEX RERVM ET VERBORVM, QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR.

Prior numerus paginam denotat, posterior est marginalis.

A

Accidens.

ACCIDENS non producit physicè, & immediatè substantiam, absque concursu immediato alterius subsantiæ. pag.376. num.19.

Accidentia, quæ sunt passiones subsantiæ, præcisè, verosimilius est, fieri, & resultare immediatè ab ipsa subsantia. 379.n.35.

Accidentia quæ tantum habent connexionem non mutuam cum essentia subiecti qualia sunt propria primo, & tertio modo directè, & simpliciter ad quartum prædicabile non pertinent. 138.n.4.

Accidentia cum quibus essentia subiecti habet tantum connexionem non mutuam qualia sunt propria secundo modo non spectant simpliciter, & directè ad quartum prædicabile. 138.n.5.

Accidentia propria, quæ habent mutuam connexionem naturalem, cum subiecto qualia sunt propria perfectissima: quarto modo directè & simpliciter ad hoc prædicabile spectant. 139.n.8.

Accidentia habent propriam vbicationem distinctam re ipsa ab vbicatione subsantiæ. 441. numero 39.

Actio.

Actio eductiua & passio ratione ratiocinata præscindente vnam formalitatem ab alia non distinguuntur. 413.n.18.

Actio eductiua & passio, ratione ratiocinante, hoc est ex diuerso modo concipiendi cum fundamento in ipsa re distinguuntur. 414.n.20.

Actio eductiua seu motus nec in termino, nec in agente, quod à patiente distinguitur, sed in sola materia passo ac subiecto mobili, quod ad generationem & eductionem præexistit intrinsecè, recipitur. ibid.n.24.

Actio aductiua sumit speciem ac diuersitatem specificam ex termino ad quem. 415.n.28.

Actio eductiua etiam ab agente speciem, ac diuersitatem specificam desumit. ibid. n.29.

Actio eductiua etiam ex passo speciem ac diuersitatem desumit, non vero ex termino *à quo*. 416.n.32.

Actio eductiua etiam si nihil sit intrinsecum, *à quo* extrinsecè & arguitiuè speciem ac diuersitatem desumat, potest esse diuersa in specie propter diuersum tantum modum tendendi formalem & specificum. 416.n.33.

Possunt multiplicari etiam numero actiones pro multiplicatione numerica agentis, subiecti vel termini. 416.n.34.

An sicut eadem numero actio potest oriri à duplici agente partiali, ita etiam possit terminari ad duos terminos partiales. ibid.n.36.

Actio eductiua vere à parte rei distinguitur ab agente & termino. 411.n.9.

Actio eductiua, & passio non distinguuntur à parte rei 413.n.17.

Actio creatiua non est distincta à parte rei ab agente & termino. 420.n.10.

Actio creatiua distinguitur reipsa à termino, & est ipsa volitio Dei, qua ipse vult absolutè, & efficaciter esse rebus communicare sine dependentia à subiecto. 421.n.13.

Actus.

Dispositio artificiosa actus ad suum obiectum, non distinguitur reipsa ab entitate ipsius actus, sed tantùm ratione. 37.n.80.

Dispositio artificiosa vnius actus respectu alterius, qua vnus actus est prior, & alius posterior, quasi natura, & causalitate, præcisè non est etiam reipsa distincta ab entitate actuum. 37. num.81.

Dispositio artificiosa, qua vnus actus est prior, & alter posterior in duratione reali, reipsa distinguitur ab entitate actuum tanquam modus à re. 37. num.82.

An dentur actus violenti & quomodo sint contra inclinationem rei. 339.n.14.

An in solis potentiis, an etiam in subsantia animæ actus immediatè reperiantur. 574.n.19.

Vnus actus præcisè (nisi nimis intensus sit) non efficit habitum secundùm rationem habitus, sed secundùm rationem dispositionis. 695. numero 22.

Actus non potest, etsi millies repetatur, efficere aliquem habitum intensiorem seipso; atque ita si actus remissior sit, vel æquè intensus cum habitu, licèt magis, ac magis multiplicetur, non valebit naturaliter intendere physicè talem habitum, 696.n.25.

Affirmatio.

Affirmatio est qualitas propositionis hypotheticæ. 9. num.17.

Agens.

Agens non potèst vlla ratione agere in distans, si in spatio intermedio aliquid non operetur. 472. num.2.

Agens naturale potest operari effectum in passum distans, si aliquid per medium sine interruptione agat, quod ad effectus distantis physicam productionem conducat. 474.n.13.

Alienatio.

Alienatio termini explicatur. 11.n.17.

Amor.

Amor efficax, & odium efficax de eodem obiecto, etiam sub diuersis rationibus non possunt esse simul. 668.n.44.

Ampliatio.

Ampliatio termini, quid. 11.n.14.

Ampliatio triplex. ibid. n.15.

Anima.

Anima non solum mediis potentiis, sed etiam per seipsam immediatè solum partialiter actus vitales producit. 611.n.7.

Non repugnat dari duas animas, vel duas alias res dissimiles in specie, & æquales in perfectione essentiali. 552.n.5.

Anima rationalis verè, & propriè est humani corporis forma, quæ non assistat præcisè, sed actuet, ac informet ipsum corpus, & cum illo vnum per se constituat. 614.n.2.

Anima rationalis, & intellectiua est verè spiritualis. 623.n.26.

an Anima rationalis extensiuè ex partibus integrantibus componatur. 627.n.46.

Anima rationalis non est diuinæ mentis particula. ibid. n.51.

Anima rationalis ex semine non propagatur, nec à parentibus producitur. 628.n.52

Anima rationalis ab Angelis non producitur, nec creatur. ibid.n.53.

Animæ rationales non fuerunt à Deo extra corpora creatæ, & postea, in corpora abiectæ, sed à principio in corporibus productæ. ibid. n.54.

Animæ rationalis immortalitas monstratur. 698. num.1.

Status separationis non est Animæ rationali præternaturalis, nec violentus, sed consentaneus, & iuxta naturam ipsius. 701.n.17.

Quædam dubiola de Anima separata elucidantur. 703.n.24.

Anima rationalis separata habet naturaliter alias perfectiores species, quas non habuit intra corpus, inditas à solo Deo, vt auctore naturæ, quibus clarè, & intuitiuè in seipsis modo quasi Angelico res naturales cognoscit. 703. numero 27

Anima rationalis in statu separationis potest seipsam mouere localiter. 704.n.30.

Appellatio.

Quid sit appellatio termini. 11.n.18.

Nomina numeralia apposita substantiuis appellant formale, & materiale significatum illorum. ibid. num.19.

Apprehensio.

Simplex apprehensio incomplexa habet incomplexam veritatem, nullam vero falsitatem habere potest. 228.n.4.

Simplex apprehensio complexa potest complexam veritatem, & falsitatem habere inchoatiuè, & imperfectè, & secundum quid. 229.n.7.

Simplex apprehensio non habet in se formaliter veritatem, aut falsitatem complexam completè simpliciter, ac perfectè. 229.n.11.

Aptitudo.

Aptitudo, & non repugnantia ad essendum in multis non datur à parte rei ante opus rationis in natura secundùm se, nec est contracta in indiuiduis. 74.n.30.

Argumentatio.

Argumentatio duplex, scilicet Enthymema, & Syllogismus. 2. §.3.

Quid sit argumentatio. 21.n.56.

Varij modi argumentandi explicantur. ibid.

Ars.

Ars non potest per se & per veram efficientiam opera naturæ conficere. 344. n.46.

Ascensus.

Ascensus quid. 10.n.10.

Assensus.

Præcipua causa assentiendi principiis non est inductio, sed lumen naturale intellectus cum habitu principiorum, & notitia ipsorum terminorum. 242.n.20.

Assensus præmissarum physicè & effectiuè non influunt in assensum conclusionis, sed tantùm extrinsecè formaliter. 256.n.17.

B

Bonum.

Bonum alteri conueniens, ac etiam bonum amabile est formaliter passio entis. 730.n.56.

C

Cadix.

Cadix & Irun termini Hispaniæ. 3.n.1.

Causa, Causalitas.

Causalitas, qua materia aut forma causat formaliter, & intrinsecè compositum non est ipsamet entitas materiæ, aut formæ, sed vnio formalis, qua materia formæ & forma materiæ copulatur. 334. num.19.

Datur in rerum natura aliqua causa à qua omnia creata dependent, atque causantur. 355.n.8.

Causa, quæ in essendo ab altero non dependet, sed omnia oriuntur ab illa, non pendet etiam ab alio in operando. 356.n.10.

Omnis causa creata à causa increata, in essendo & in operando dependet. 356.n.12.

Causa prima non concurrit cum secunda, illam physicè prædeterminando, & præmouendo ad opus, sed solum immediatè per seipsum Deus, concurrit iuxta propriam causæ creatæ naturam, suum generalem concursum attemperando. 364. numero 20.

Qua ratione causa prima cum secunda, siue necessaria, siue libera concurrat ad suos effectus. 364. 365.366. n.21. & seqq.

Aliquæ causæ possunt seipsas ad aliquorum effectuum indiuiduationem determinare, ad illos videlicet qui sunt necessariò connexi cum illis causis, & ab illis sunt inseparabiles. 368. numero 43.

Causa principalis est illa, quæ concurrit ad effectum sub aliqua ratione & formalitate illius, causa verò instrumentalis est ea, quæ ad effectum concurrit sub nulla ratione, ac formalitate ipsius. 374.n.11.

Causalitas materialis erga formam non est vnio materiæ cum ipsa forma. 386.n.4.

Cauſalitas materialis erga formam, eſt ipſa actio actiua talis formæ, quæ quatenus eſt ab agente eſt actio, & cauſalitas agentis, quatenus vero eſt in materia eſt materializatio, ſeu qualitas materialis. 387. num. 8.

Cauſa exemplaris non phyſice & ſtricte influit in exemplatum, ſed ad illud directiuè concurrit. 392.num. 23.

Vide *Exemplar.*

Actio cauſæ efficientis, quatenus eſt propter finem non eſt formaliter finalizatio, & cauſalitas cauſæ finalis. 399.n.22.

Cauſalitas finalis eſt complacentia in bonitate finis connotata actuali exiſtentia effectus, qui ex illa fit. 397.n.25.

Cauſa finalis ſtricte, & phyſice non influit in ſuum effectum, ſed tantum metaphoricè, & intentionaliter inclinando affectiuè operans ad effectum producendum. 398.n.28.

Vt cauſa phyſicè in effectum influat, requiritur neceſſario quòd exiſtat. 401.n.1.

Cauſa libera vt ſic præcisè ac formaliter eſt prior ſuo effectu prioritate reali *à quo*, & prioritate rationis *in quo*. 402.n.5.

Cauſa neceſſaria vt ſic præcisè ac formaliter non eſt prior ſuo effectu prioritate *à quo* nec reali nec rationis. 402.n.6.

Cauſa neceſſaria vt ſic formaliter non eſt prior ſuo effectu prioritate *in quo*, nec reali nec rationis. 402. num. 8.

Cauſæ phyſicæ non poſſunt mutuo ab inuicem cauſari, in eodem genere cauſæ, ſcilicet non poſſunt ſe inuicem efficere, nec ſe inuicem materialiter cauſare, 403.n.11.

Cauſæ phyſicè non poſſunt mutuo ab inuicem cauſari etiam in diuerſo genere cauſæ, ſcilicet non poteſt vna cauſari ab alia in genere cauſæ efficientis & alia cauſari ab illa in genere cauſæ materialis. 404.n.16.

Non poſſunt naturaliter dari duæ cauſæ phyſicæ in actu ſecundo, totales eiuſdem numero effectus. 406.n.28.

Duæ cauſæ finales in actu ſecundo totales dari naturaliter poſſunt reſpectu eiuſdemmet actus, ſeu effectus. 406.n.35.

Chriſtus,

Chriſtus Dominus in quantum homo, & ex humana carne, & anima rationali ſubſiſtens, vere ponitur in prædicamento ſubſtantiæ. 165.n.17.

Cognitio.

Cognitio humana quæ verſatur circa concluſionem fit ex alia præexiſtente cognitione 240.n.8.

Nulla cognitio Dei vel Angeli fit ex præexiſtente alia cognitione. 240.n.10.

Cognitio reuelata fidei diuinæ non fit ex præexiſtente alia cognitione. 240.n.11.

An cognitio euidens poſſit cum actuali eiuſdem obiecti fide, & opinione cohærere? 654.n.24.

Quid ſit cognitio quidditatiua, quid intuitiua, & in quo ratio comprehenſionis conſiſtat. 658. num. 42.

Complacentia.

Complacentia, & diſplicentia non poſſunt eſſe ſimul de eodem obiecto, & ſub eadem ratione formali: poſſunt verò ſimul eſſe ſub ratione formali diuerſa. 668.n.42.

Complacentia ſimplex poteſt eſſe cum odio efficaci eiuſdem obiecti, & etiam amor efficax cum diſplicentia. 668.n.43.

Compoſitio.

Compoſitio ex genere & differentia non eſt realis actualis. 110.n.43.

Compoſitio ex genere & differentia eſt tantum compoſitio rationis cum fundamento in re; per rationem vero eſt appellanda vera compoſitio, minor omni compoſitione reali 110.n.45.

Compoſitum.

Compoſitum ſubſtantiale re ipſa à partibus vnitis hoc eſt, à materia, forma & vnione non diſtinguitur. 332.n.3.

An compoſitum à partibus vnitis ſaltem ratione ratiocinata noſtra diſſideat. 333.n.8.

Compoſitum ſubſtantiale an poſſit creari. 333. numero 9.

Concretum.

Concretum de concreto primò intentionaliter verè prædicatur affirmatiuè, tam prædicatione accidentali, quam eſſentiali. 101.n.33

Continuum

Continuum actu & formaliter eſt compoſitum ex partibus determinatis actu & formaliter diſtinctis. 451.n.2.

in Continuo tam permanenti, quam ſucceſſiuo quænam indiuiſibilia inueniantur. 452.n.10.

Continuum tam permanens, quàm ſucceſſiuum ex infinitis partibus proportionalibus, ac infinitis punctis indeterminatis conſtat. 453.n.17.

Continuum non componitur ex ſolis finitis indiuiſibilibus quæ omnino indiuiſibilia ſunt 454. numero.27.

Contradictoria.

Contradictoriæ non poſſunt eſſe ſimul veræ, nec ſimul falſæ 12.n.5.

Contraria.

Contrariæ in materia neceſſaria, & impoſſibili, non poſſunt eſſe ſimul veræ, neque falſæ. 12.n.5.

Conuerſio.

Conuerſio quid. 15.n.23.

Couerſio eſt triplex. ibid,n.24.

Ad bonam conuerſionem quænam obſeruanda. ibid. n.27.

Copula.

Copula quid. 7.n.7.

Corpus.

Ens aut Corpus naturale completum de prædicamẽto ſubſtantiæ, quod ab aliis ens, aut corpus mobile dicitur, eſt obiectum attributionis Phyſicæ, non quidem intrinſecum, & ex intentione ſcientiæ, ſed tantum extrinſecum, & ex intentione ſcientis. 285. num. 2.

Diuinitus dari poteſt poteſt corpus aliquod completum, ita ſimplex, vt careat compoſitione materiæ & formæ. 335.n.22.

In quo corpus naturale differat à Mathematico. 338. num. 13.

Creare.

Eadem res etiam de potentia abſoluta non poteſt ſimul creari & educi. 428.n.67

Creatura.

Creatura vt cauſa principalis non poteſt aliquid creare ſeu ex nihilo aliquid producere, ſed virtus creatiua, principalis ſoli Deo competit. 425. n. 36.

D

Definitio.

QVid, & quotuplex definitio, & quas leges habeat. 19.n.5.

Demonſtratio.

De ſubiecto demonſtrationis debet ante illam præcognoſci eſſe eſſentiæ poſſibilis habentis eſſe verum, eſſe reale poſſibile & non fictum 246.n.9.

De ſubiecto ante demonſtrationem non debet præcognoſci eſſe actualis exiſtentiæ. 246.n.10.

Nulla demonſtratione debet præcognoſci an ſit paſſionis. 246.n.12.
De principiis eſt prænoſcendum ante demonſtrationem eſſe vera illa principia notiſſima, & per ſe nota, ſcilicet quodlibet eſt, vel non eſt, aliquid ſimul eſſe, & non eſſe impoſſibile eſt. 247. numero 14.
Ante aliquam particularem demonſtrationem, non eſt neceſſariũ ſemper præcognoſcere actu principium eſſe verum, ſed ſufficit, vt habitualiter præcognoſcatur. 247.
Demonſtratio perfectiſſima conſtat formaliter ex præmiſſis immediatis, primis, & per ſe notis. 255. num.7.
Demonſtratio aliqua etiam perfecta non conſtat formaliter ex propoſitionibus ac præmiſſis immediatis, primis, ac per ſe notis. 255. numero 8.
Omnis demonſtratio conſtat ſaltem virtualiter ex propoſitionibus immediatis, primis, ac per ſe notis. 215.n.9.
Perfectiſſima ſcientia, ſeu demonſtratio non eſt de ſingulari, atque ita demonſtrationi perfectiſſimæ præmiſſæ debent neceſſario eſſe de ſubiecto vniuerſali. 261.n.50.
Demonſtratio etiam perfecta, quæ aliquid mediate ſolum de ſubiecto demonſtrat, poteſt eſſe de ſubiecto ſingulari, atque ita talis demonſtrationis præmiſſæ non ſunt neceſſario de ſubiecto vniuerſali. 26.numero 51,
Poteſt dari ſcientia, ac demonſtratio de ſingulari, qua aliquid etiam immediatè demonſtratur de ipſo, atque ita, talis demonſtrationis præmiſſæ non ſunt neceſſario de ſubiecto vniuerſali. 261.n.52.
Præmiſſæ demõſtrationis perfectiſſimæ ſunt principia propria 262.n.56.
Præmiſſæ demonſtrationis perfectiſſimæ conſtant ex prædicato per ſe 1. & 2. modo, & hoc ſolum contendit Ariſt. 263.n.5.
Præmiſſæ cuiuſque demonſtrationis non neceſſario conſtant prædicato per ſe 1. & 2. modo. 263. numero 6.
Demonſtratio propter quid perfectam generat ſcientiam. 267.n.17.
Demonſtrationis præmiſſas ac ſcientiam propriè & ſtrictè conſtare neceſſario, ac inferri ex præmiſſis euidentibus. 271.n.20.

Dens.

Dentes animantur, ac viuunt. 565.n.16.

Deſcenſus.

Deſcenſus quid. 10.n.10.

Deus.

Deus non ponitur in prædicamento ſubſtantiæ directè, & per ſe. 164.n.14.
Deus habet eſſentialem connexionem cum creaturis poſſibilibus, & ad eas relatione tranſcendentali refertur. 351.n.44.
Eſſentialis connexio cum creaturis poſſibilibus nullam arguit in Deo imperfectionem. 352. numero 48.
Deus non ſolum remote, & mediate ſcilicet conſeruando cauſas creatas, ſed etiam immediate & proximè cum illis phyſicè influendo ad omnes effectus cauſæ ſecundæ neceſſario concurrit. 357. numero 3.
Deus non eſt cauſa actus mali ſub ratione mali, ſed ſolùm ſub ratione entis, vel (quod idem eſt) non eſt cauſa per ſe actus mali, ſed tantum permiſſiuè, entitatiuè, & per accidens. 370.n.53.
Deus per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ cognoſcit poſſibilia actu, & cathegorematicè 433. numero 33.
Solus Deus non eſt adæquatum obiectum principale attributionis metaphyſicæ, neque intrinſecum, ſeu ex intentione ipſius ſcientiæ; nec extrinſecum, ſeu ex ordine, ac intentione ſcientis. 709. numero 21.

Dialectica

Dialectica docens eſt verè & proprie ſcientia 39. numero 4.
Dialectica vtens ſecundum materiale præcisè quod includit, aliquando eſt ſcientia, aliquando non eſt ſcientia. 39.n.6.
Dialectica vtens ſecundum formale præcisè quod includit, eſt verè, & propriè ſcientia. 39. numero 8.
Dialectica etiam ex parte, eſt verè, & proprie ſpeculatiua. 45.n.29.
Dialectica non eſt vna ſimplex qualitas, & indiuiſibilis, ſed ex pluribus habitibus reipſa inter ſe diſtinctis compoſita. 47.n.35.
An de Dialectica docente & vtente, eodem modo loquendum ſit in omni parte Dialecticæ, ſiue demonſtratiua, ſiue topica ſeu probabili, aut ſophiſtica. 38.n.3.
An Dialectica ſit eſſentialiter, an accidentaliter practica vel ſpeculatiua. 46.n.32.
Dialectica non eſt omnino à Philoſophia diſtincta ſed pars quædam illius, nimirum Philoſophia rationalis. 51.n.6.
Dialectica habitualis non eſt neceſſaria ſimpliciter ad alias ſcientias etiam perfectè adquirendas. 52. numero 11.
Dialectica etiam naturalis actualis, hoc eſt, cognitio logica data de bonitate illationis non eſt ſimpliciter neceſſaria ad omnem cognitionem ſcientificam comparandam, ſed aliquis aſſenſus ſcientificus, poteſt haberi ſine illa. 52.n.12.
Actualis dialectica artificialis non eſt abſoluta, & ſimpliciter neceſſaria ad alias ſcientias etiam exactè, atque completè acquirendas. 53.n.14.
Actualis dialectica artificialis neceſſaria eſt omnino ad alias ſcientias breuiter, ordinate & ſi neerrore addiſcendas. 53 n.15.
Dialectica habitualis non influit phyſicè in actus aliarum ſcientiarum. 54.n.21.
Dialectica actualis ſolum directè concurrit, non vero phyſicè influit in actus aliarum ſcientiarum ſecundum ſe. 54.n.22.
Dialectica actualis non etiam phyſicè influit in artificioſam diſpoſitionem actuum aliarum ſcientiarum in ordine ad ſua obiecta ſecundum materiale præcisè quod hæc diſpoſitio artificioſa includit. 55. numero 23.
Dialectica actualis non influit effectiue, & phyſicè in diſpoſitionem artificioſam actuum aliarum ſcientiarum ſecundum formale, quod talis artificioſa diſpoſitio includit. 55.n.24.
Dialectica actualis non influit effectiuè, & phyſicè in diſpoſitionem illam artificioſam quam habent actus præmiſſarum inter ſe. 55.n.25.

Differentia.

Differentia in eſſe vniuerſalis non conſtituitur per ordinem & reſpectum ad ſpeciem quam conſtituit ipſa differentia. 132.n.37.
Differentia formaliter conſtituitur vniuerſalis per ordinem ad inferiora ſpeciei humanæ, non vero per ordinem ad hoc & illud rationale. 132. numero 38.

Diminutio.

Quid sit diminutio termini. 11.n.17.

Disputatio.

Disputatio omnis scholastica nititur inter tres modos 1.§.1.
Primus modus quis. ibid.
Quis secundus, & tertius. 1.& 2.§.2.

Diuisio.

Quid, & quotuplex diuisio sit, & quas conditiones petat. 20.n.11.& seqq.

Doctrina.

Propositio illa Philosophi; omnis doctrina, & disciplina ex præexistenti alia fit cognitione, intelligenda est de cognitione intellectuali discursiua, scilicet de cognitione quæ ex alia, seu per quam ratio de vno in aliud procedit. 240.n.6.

Duratio.

Duratio est forma quædam absoluta qua, res, quantum est ex se, est proximè apta, vt sit prius, simul aut posterius, respectu alterius rei, solum conditionatè. 464.n.5.
Omnis duratio creata rei permanentis ab ipsius existentia & tempore extrinseco verè à parte rei distinguitur. 464.n.9.
Duratio creata cuiuslibet rei etiam permanentis, ac indiuiduæ est reipsa diuisibilis & successiua. 469. n.36.

E

Effectus.

INdiuiduatio effectuum refundi debet in causam primam. 369.n.44.
Idem effectus valet à duabus causis physicis totalibus in actu secundo, diuinitus proficisci. 408.n.43.

Ens.

Ratio entis completi communis ad omnia entia completa in particulari est propriè, & strictè genus. 160.n.7.
Ens naturale determinatum essentialiter coalescit ex determinata forma, & ex determinata materia, non verò ex hac vel illa materia indeterminatè. 318. num.7.
Quid ens naturale sit, & qua ratione differat à natura. 338.n.10.
Ens vt sic præcisum ab ente spirituali, & substantia vt sic præcisa à substantia materiali, & spirituali, & quælibet alia ratio sub hac præcisione est obiectum formale solius metaphysicæ. 706.n.6.
Ens per accidens, ac ens rationis sunt obiectum formale metaphysicæ. 707.n.13.
Obiectum formale adæquatum, ac totale metaphysicæ est ens reale tam per se, quam per accidens, & ens rationis omnino præcisum, ac entia omnia realia in particulari tam per se, quam per accidens, spiritualia completa, & etiam entia rationis conficta ad modum rerum spiritualium. 708.n.15.
Ens reale sumptum pro eo, quod habet realem essentiam, est id, quod non repugnat existere. 713. n.2.
In sententia communi admittente præcisiones obiectiuas, ratio entis est formaliter transcendens omnem differentiam, ac formalitatem positiuam cuiusque rei. 714.n.8.
Supposita sententia illorum, qui obiectiuas præcisiones inficiantur, & solum formales admittunt, ratio entis non est formaliter transcendens omnem formalitatem ac differentiam. 716.n.14.
Ens vt sic habet aliquas passiones veras in communi. 717.n.22.
Ens vt sic non habet passiones reales ab illo ex natura rei distinctas. 717.n.22.
Ens vt sic etiam iuxta opinionem communem non habet passiones à se distinctas formaliter & parte obiecti, sed tantum habet illas à se distinctas ex parte modi concipiendi. 718.n.23.
Quid sit ens possibile, & quomodo ab actuali differat. 731.n.1.

Enthymema.

Enthymema ex quibus constet. 2.§.3.

Essentia.

Essentia diuina sub ratione essentiæ à Deo concepta non est exemplar Dei ad efficiendas creaturas. 391. num.13.

Exemplar.

Exemplar, ac idea, ad cuius imitationem res fit est per se, & à priori causa formalis illius. 389.n.3.
Exemplar Dei ad efficiendas res creatas non est conceptus obiectiuus regulariter, ac de facto, id est ipsæ res possibiles, sed conceptus formalis, scilicet earum cognitio, quasi reflexè cognita ab ipso Deo. 391.n.14.
Exemplar creati artificis nempe hominis non est cognitio rei factibilis, sed ipsa res ipsi obiecta, ad cuius similitudinem aliam operatur. 392. num.18.

F

Falsitas.

FAlsitas propositionis est qualitas illius. 8.n.11.

Finis.

Sola complacentia in bonitate finis est ratio formalis proxime in actu primo, causandi finaliter. 395. num.11.
Bonitas finis est ratio obiectiua, ac remota causandi finaliter, cognitio verò illius, nec est ratio proxima, nec remota, sed tantùm conditio necessaria ad finalizandum. 396.n.16.
An sola complacentia finis, an etiam amor absolutus ac desiderium eiusdem finis sit etiam ratio formalis proxima finalizandi respectu electionis mediorum. 396.n.19.
Complacentia finis non causatur à fine, alia verò omnia scilicet amor, ac desiderium, finis, electio mediorum, ipsa media, adeptio finis, & delectatio in ipsa adeptione propriè causantur à fine. 399. num.35.
Quæ agentia operentur propter finem, & quotuplex finis sit. 399.n.40.& seqq.

Forma.

Forma substantialis corporea, veram, licèt non ita perfectam, habet subsistentiam, qua verè & propriè subsistat. 298.n.29.
An sola forma substantialis sit tota entis naturalis quidditas, an verò etiam materia cum illa ens naturale essentialiter componat. 318.n.5.
Forma substantialis physicè & à priori non causat materiam primam, sed solùm est quædam conditio, & complementum à posteriori naturaliter requisitum

tum, vt materia prima existat. 319.n.14.
Omnis forma substantialis corporea educitur ex materia. 320.n.19.
Non tot sunt in materia formæ substantiales, quot sunt ex parte ipsius formæ gradus, seu prædicata essentialia. 322.n.28.
Formæ substantiales elementorum non manent in mixto. 322.n.30.
In nullo viuente etiam in homine datur ex parte materiæ forma aliqua substantialis corporeitatis, ratione cuius ipsa materia compleatur in ratione corporis, ac proximè susceptiui formæ viuentis, aut rationalis. 323.n.32.
Forma entis artificialis nihil est aliud quam naturalis figura, seu localis dispositio, distantia seu approximatio partium, qua ipsæ iuxta regulas artis rectè coordinantur & disponuntur. 343.n.39.
Forma intrinseca non est verè causa formalis nec respectu materiæ quam informat, nec respectu compositi quod constituit. 389.n.2

G

Genus.

AGgregatum, seu compositum, ex natura, & secunda intentione consideratis secundum sua essentialia non est definitum in definitione Generis. 108.n.34.
Definitum in definitione Generis est secunda intentio in concreto, vt denominat naturam, vel ipsa natura vt subest secundum intentioni secundum materiale, & formale quod includit. 109. num.36.
Ad formandum conceptum genericum sufficit vna species actu existens cum potentia logica aliarum specierum possibilium 119.n.26.
Genus vt est totum potentiale plures exigit species ad sui perfectionem, & conseruationem. 119. numerd 28.

H

Habitus.

HAbitus supernaturales, verbi gratia, habitus charitatis, vel habitus luminis gloriæ nullam habent in actu primo rationem vitæ. 500. numero 36.
In intellectu non potest dari habitus ad hoc, vt positis præmissis assentiatur conclusioni. 684. numero 23.
In intellectu etiam non datur habitus distinctus ab speciebus ad eliciendum assensum principiorum, seu præmissarum, siue euidentem, siue probabilem. 684 n.24.
In intellectu etiam non datur habitus ad ipsas apprehensiones simplices præmissarum. 684. numero 25.
Non vacat probabilitate, in voluntate non dari habitus naturales distinctos ab speciebus impressis excitantibus cognitiones, quæ voluntatem inuitent ad exercitium suorum actuum. 686. numero 35.
Habitus solum concurrit mediatè, & formaliter ad actus, scilicet excitando apprehensiones veri, aut boni, quæ per se ipsas formaliter ac immediatè ad illius obiecti assensum, aut amorem, intellectum, aut voluntatem inuitant. 692.n.6.
Idem habitus simplex, ac indiuisibilis sine vlla etiam additione noui modi realis extenditur ad diuersos actus in individuo, & ad diuersa obiecta materialia sub eadem ratione specifica formali. 693. numero 10.
Habitus naturales, qui iuxta communem sententiam ex contrariis actibus progignuntur sibi mutuo contrariantur. 696.n.27.
Quibus modis habitus acquisitus corrumpatur. 696. num. 29.

I

Indiuiduatio.

QVodnam sit principium formale intrinsecum indiuiduationis cuiusque rei. 724.n.29.
Indiuiduatio effectus tam necessarij, quam liberi non prouenit extrinsecè ex circunstantijs locis, temporis, ac similibus, sed tantum ex voluntate Dei determinantis causam ad operandum talem effectum in particulari. 724.n.30.

Indiuiduum.

Aliqua indiuidua incompleta formaliter dari possunt generi immediata, quæ ipsi immediatè subiiciantur. 117.n.15.

Infinitum.

Infinitum cathegorematice secundum essentiam & secundum intensionem non potest dari naturaliter à parte rei 428.n.5.
Non potest dari naturaliter infinitum cathegorematice, secundum quantitatem & secundum multitudinem in rebus corporeis. 429.n 6.
Non potest dari naturaliter in aliquo determinato tempore infinitum cathegorematicè secundum multitudinem in rebus spiritualibus. 429. numero 7.
De potentia Dei absoluta dari potest infinitum sincathegorematice in quouis genere etiam secundum essentiam. 430.n.12.
Infinitum cathegorematice secundum essentiam implicat à Deo produci. 430.n.14.
De potentia Dei absoluta dari potest infinitum cathegorematice secundum extensionem, intensionem, ac multitudinem. 431.n.16.

Intellectio.

Ratio formalis intellectionis in sola qualitate præcisa actione consistit. 641.n.26.
Intellectio creata diuinitus rectè potest effici à solo Deo, extra omnem intellectum, & in subiecto extraneo v. g. in lapide collocari. 640. numero 42.
Etiam respectu obiecti præsentis, & proportionati datur verbum in intellectu. 648.n.52.
In omni intellectione datur verbum. 646. numero 53.
Verbum mentale non est obiectum intellectionis, in quo prius cognito res obiectæ cognoscantur. 649. n. 55.
Intellectio vt connaturaliter connotat actionem, qua fit, est formaliter verbum. 649.n.56.

Intellectus.

Intellectus, vt eius operationes bene dirigantur, indiget directione logica. 1.in præf.
Intellectus positis præmissis claris, & euidentibus rectéque dispositis necessitatur quoad exercitium ad assentiendum conclusioni. 258.n.30.
Intellectus noster non potest ex parte obiecti creati præscindere vnam formalitatem ab alia, quæ cum illa reipsa identificata sit. 631. numero 18.

Intellectus noſter valet obiectiuè præſcindere inter formalitates aliquas increatas. 634. numero 28.

Iudicium.

Iudicium eſt conceptus quidam, & qualitas ſimplex, qua aſſertiue, & indiuiſibiliter concipitur vnio inter ſubiectum, & prædicatum. 648. num.10.

Iudicium formaliter non conſiſtit in apprehenſione ſubiecti cum habitudine ad prædicatum, & alia ſimul apprehenſione prædicati cum relatione conuenientiæ, vel diſconuenientiæ ad ſubiectum. 651.n.6.

Iudicium formaliter non conſiſtit in tribus apprehenſionibus, alia ſubiecti ſecundum ſe, alia prædicati ſecundum ſe, alia vnionis, & copulæ inter ſubiectum, & prædicatum. 651. numero 7.

Iudicium formaliter non eſt qualitas quædam propriè, & ſtrictè compoſita ex tribus illis apprehenſionibus ſubiecti, copulæ & prædicati. 651. num.9.

L

Lac.

LAc, & ſemen anima non informantur, nec viuunt. 565.n.18.

Libertas.

Libertas voluntatis eſt ea facultas, quæ poſitis omnibus requiſitis ad agendum poteſt agere. 669 num.4.

Libertas formalis in actu ſecundo eſt accidentalis quædam connotatio, qua actus voluntatis connotat potentiam liberam à qua egreditur, quæ quidem potentia ſi neceſſaria reddatur, ipſe etiam actus reddetur formaliter neceſſarius. 671. num.17.

Linea.

Linea, & ſuperficies ſunt ſpecies verè, & propriè quantitatis continuæ. 179. num.7.

Locus.

Locus non eſt vera ſpecies quantitatis continuæ eſſentialiter diſtincta à ſuperficie. 180. numero 10.

Idem corpus poteſt diuinitus eſſe ſimul in duobus locis adæquatis & diſcontinuis circumſcriptiuè. 443.num.54.

Logica.

Logica vtens, vt vtens ſecundum materiale quod dicit, non eſt ſcientia, & vt denominatur per formale. 39.num.7.

Logica ex parte eſt verè, & propriè ſcientia practica. 43.num.23.

M

Materia.

IN ente naturali reperitur quoddam ſubſtantiale ſubiectum ſub omni forma ſubſtantiali ſemper ſtabile perſeuerans, nulli alij ſubiecto innitens, quod dicitur materia prima. 290.num.2.

Materia prima exiſtit per propriam exiſtentiam diſtinctam ab exiſtentia formæ. 291.num.9.

Materia prima ſecundum ſe veram & propriam habet ſubſiſtentiam, quà verè & propriè etiam intrà compoſitum ſubſiſtit. 297.num.16.

Materia prima omni forma ſubſtantiali denudata naturaliter non exiſtet, ſed potius naturaliter deſtruetur. 301.num.3.

Materia prima poteſt de potentia abſoluta omni forma ſubſtantiali denudata in rerum natura conſiſtere. 301.num.9.

Materia prima cum eodemmet influxu, quó conſeruatur ſub forma, poteſt abſque omni forma ſubſtantiali, ſine alio ſpecialiori concurſu diuinitus conſeruari. 302.num.14.

Potentia receptiua vel paſſiua ſaltem remota, eſt de eſſentia, & conceptu formali materiæ primæ. 304. num.7.

Materia prima per ſuam entitatem eſſentialem immediatè & adæquatè, & non per potentiam aliam receptiuam ab ipſa diſtinctam recipit formam ſubſtantiam. 304.num.8.

Materia per ſe ipſam immediatè, & adæquatè, & non per potentiam paſſiuam ab ea diſtinctam patitur, ſuſtentat, & cauſat formam meterialem ſubſtantialem. 305.num.4.

Materia prima eſt pura potentia reſpectu actus formalis, quem nullo modo includit. 306. numero 20.

Materia prima in ſua eſſentia dicit aliquem actum entitatiuum. 307.num.23.

Materia prima, ſecundum ſe primariò habet appetitum innatum amoria ad formam ſubſtantialem ſecundum ſe, hoc eſt, amat, & appetit hanc, vel illam formam ſubſtantialem indeterminatè, & in illam iam poſſeſſam ſub ratione formæ ſubſtantialis habet etiam primariò appetitum delectationis & gaudij. 308. numero 30.

Materia prima, prædita forma ſubſtantiali materiali habet ſaltem ſecundariò appetitum innatum abſolutum deſiderij, ad formam rationalem ſub ratione formæ rationalis, & in ea iam poſſeſſa, etiam vt rationali, ſaltem ſecundariò gaudet, & delectatur. 308.num.31.

Materia prima prædita forma rationali non appetit aut deſiderat abſolutè, ſed tantum conditionatè formam materialem. 308.num.33.

Materia prima cæleſtis & materia prima ſublunaris ſpecie differunt. 310.num.5.

Omnes ſublunares materiæ primæ huius vniuerſi ſunt eiuſdem ſpeciei. 311.num.16.

Materia prima, eſt verè ingenerabilis, & incorruptibilis tametſi verè creabilis, & annihilabilis ſit. 313.num.2.

Materia prima non eſt operatiua effectuum, qui eius paſſiones non ſint, atque ita cum forma aquæ phyſicè non efficit aquam, nec cum forma ignis, phyſicè producit ignem. 314.numero 8.

Materia prima ſecundùm ſe præciſe non eſt cognoſcibilis, hoc eſt, non eſt per ſe digna cognoſci. 315.num.12.

Materia prima non poteſt naturaliter habere duas formas ſubſtantiales diuerſas, etiam non ſubordinatas, nec duas eiuſdem rationis, ſed vna tantùm forma ſubſtantiali contenta eſt. 324. num.38.

Cur materia prima dicatur etiam naturaliter creata, cum ipſa compoſita ſit & eius partes vniantur per veram vnionem, qua generatur. 333. num.12.

Metaphyſica.

Quod in Metaphyſica ſit obiectum principale attributionis. 708.n.17.

Metaphyſica eſt ſcientia, & vna, non vero ſimplex, ſed compoſita ex pluribus habitibus particularibus. 711.n.31.

Metaphyſica non eſt practica, ſed ſpeculatiua ſimpliciter. 711.n.32.

Metaphyſica eſt omnium ſcientiarum digniſſima, ac excellentiſſima ſimpliciter, licet ſecundum quid ſuperetur ab aliis. 712.n.36.

Metaphyſica eſt certior ſimpliciter aliis ſcientiis naturalibus, illiſque euidentior eſſentialiter non verò gradualiter. 712.n.37.

Medium

Quod medium debeat aſſumi ad concluſionem inferendam. 24.n.25.

Memoria.

Memoria eſt potentia cognoſcitiua. 617. numero 39.

Memoria ſenſitiua in animalibus perfectis diſtinguitur realiter ab æſtimatiua. 617.n.40.

Modalis.

Modalis propoſitionis eſſentia, qualitas, & quantitas. 16.n.1.& ſeqq.

Æquipollentia, & oppoſitio modalium de dicto particulari. 17.n.9. & ſeqq.

De dicto communi. 18. numero 15. & ſequentibus.

Modalium propoſitionum conuerſio ibid. numero 21.

Modus.

Modus propriam habet vbicationem diſtinctam ab vbicatione rei. 441.n.40.

Motus.

Motus localis, quo res aliqua ſe mouet, non eſt vita in actu ſecundo, nec eſt vitalis formaliter, ſed tantum illatiue, ſeu arguitiue, quatenus motus eſt ſignum vitæ. 561. numero 42.

Motus non eſt vera ſpecies quantitatis continuæ. 181.n.16.

Qua ratione motus ab actione & paſſione differat. 411.n.6.

Supernaturaliter recte poteſt eadem res moueri contrariis motibus. 418.n.44.

Naturaliter non valet eadem res contrariis ſimul motibus moueri. 418.n.45.

N

Naturæ.

NAtura humana ante intellectum à parte rei non habet aliquam vnitatem formalem poſitiuè communem omnibus indiuiduis, ſed illa vnitatem communem accipit ab intellectu. 71. numero 19.

Natura humana conſiderata ſecundum ſe, hoc eſt ſecundum ſuam propriam rationem ex ſuis principiis intrinſecis nec eſt vniuerſalis, nec ſingularis ſed indifferens ad vtramque vnitatem. 72. numero 24.

Natura humana, quamuis à parte rei non habeat aliquam vnitatem formalem poſitiuè communem indiuiduis, rectè tamen dicere poſſumus habere vnitatem quandam ſimilitudinis, ſeu conformitatis ad indiuidua, non quidem ſumendo vnitatem pro indiuiſione excludente diuiſionem rerum, ſed pro conuenientia quadam excludente rerum diſſimilitudinem. 73.n.26.

Quid natura & eius definitio explicatur. 337. numero 1.

1. Nomen natura vſurpatur pro mente diuina omnium rerum naturalium creatrice. 337. numero 1.
2. Pro eſſentia cuiuſque rei 337.n.1.
3. Pro vniuerſitate rerum. 337.n.1.
4. Pro collectione omnium cauſatum naturalium. 337.n.1.
5. Pro viuentis ratione ſeu natiuitate. 337. numero 1.

Natura creata propriam ſubſiſtentiam retinens poteſt de potentia Dei abſoluta ſimul per ſubſiſtentiam increatam diuinitus terminari. 753. numero 30.

Negatio.

Negatio eſt qualitas propoſitionis hypotheticæ. 9. num. 17.

Nomen.

Nominis definitio. 6.n.1.

O

Obiectum.

OBiectum adæquatum intellectus ſunt omnia entia poſitiua, & negatiua, realia, & ficta. 629. num.5.

Quod ſit obiectum intellectus, & quomodo cognoſcatur. 628.n.2.

Omiſſio.

Metaphyſicè poſſibilis eſt pura omiſſio interior libera abſque omni actu. 678.n.55.

Oppoſitio.

Quid & quotuplex oppoſitio ſit, & quas leges obſeruet. 12.n.1.& ſeqq

Oratio.

Oratio quomodo definiatur à Toleto 7. numero 5.

Orationis ex Ariſtotele, & aliis Doctoribus definitio. ibid.

Oratio alia perfecta, alia imperfecta: alia non enuntiatur, alia enuntiatur. ibid.n.6.

P

Phantaſia.

PHantaſia realiter diſtinguitur à ſenſu communi 614.n.20.

Philoſophia.

Philoſophia naturalis ſimpliciter eſt verè ſcientia. 285.n.3.

Philoſophia naturalis eſt ſpeculatiua ſimpliciter. 286. num.4.

Philoſophia naturalis non eſt vna qualitas ſimplex, ſed ex pluribus reipſa inter ſe diſtinctis habitibus vere compoſita. 286.n.5.

Priuatio.

An dari possit regressus de priuatione ad habitum. 317.num.13.

Potentia.

Nulla potentia physica siue actiua siue passiua respicit aliquam rationem communem à singularibus abstractam, sed respicit actiones particulares vt particulares. 349.num.31.

Potentia obedientialis aquæ, verbi gratia, respectu gratiæ est quædam capacitas, quam necessario connotato supernaturali imperio, ac eleuatione Dei, habet formaliter per suam entitatem aqua ad efficiendam gratiam. 381. numero 7.

In qualibet re creata est potentia obedientialis ad producendum quemuis supernaturalem effectum imperatum à Deo. 382.num.11.

Potentiæ virtuales, ac materiales humanæ in toto composito, scilicet in materia & anima rationali immediatè recipiuntur. 570.num.3.

Potentiæ vitales sumunt speciem ab essentiis, ex quibus naturaliter emanant 576.num.2.

Potentiæ specificantur ab actibus, quos possunt elicere. 577.num.6.

Potentiæ non sumunt speciem ab obiectis materialibus. 577. n. . . .

Potentia speciem desumit ab obiecto formali. 577. num.10.

An necessariò potentia vnam rationem formalem ex parte obiecti pertingat. 577.num.12.

Potentiæ sensitiuæ externæ à parte rei distinguuntur inter se. 581.num.29.

Potentiæ sensitiuæ internæ scilicet sensus, & appetitus à potentiis rationalibus, scilicet intellectu & voluntate, à parte rei distinguntur. 581. num.30.

Sensus internus, & appetitus inter se, & intellectus, & voluntas etiam inter se reipsa distinguuntur. 581. num.31.

Potentia æstimatiua in brutis, seu animalibus perfectis realiter distinguitur à phantasia, & consequenter à sensu communi. 616. num.3.

Potentiæ sensitiuæ externæ, nullum possunt habere habitum in ordine ad suos actus. 681. num.5.

Potentia loco motiua etiam hominis nullam potest habere facilitatem, & habitum in ordine ad motum localem. 681.num.8.

Non dantur plures nec pauciores prædicabilium species, quam illæ quinque vulgatæ, atque ita diuisio vniuersalis in illas est adæquata. 143. num.2.

Prædicamentum.

Ad prædicamentorum distinctionem ex genere suo sufficit distinctio rationis, seu formalis ex modo nostro concipiendi. 166. num.22.

Præfinitio.

Præfinitio Dei absoluta, qua præuidit actum voluntatis, futurum, si ei hæc, & illa media libera donentur, non euertit, sed conseruat creatæ voluntatis libertatem in ordine ad actum præfinitum. 674. num.32.

Præmissæ.

Veritas præmissarum non attingitur necessario per *D. I. Episc. Calagurrit. Curs. Philosoph.* assensum conclusionis, sed multiplex esse potest assensus scientificus conclusionis, qui solum veritatem conclusionis non vero veritatem præmissarum formaliter ex parte obiecti cognoscat. 238. num.18.

Præmissæ demonstrationis sunt necessario euidentiores, & clariores conclusione. 253.num.32.

Præmissæ demonstrationis sunt etiam certiores conclusione. 253.num.35.

Præmissæ ex quibus obiectiuè sequitur in demonstratione conclusio, præcognoscendæ sunt tanquam veræ ante conclusionem. 247.num.19.

Præcisio.

Non potest noster intellectus naturam obiectiuè præscindere ab eius singularitatibus. 78. numero 10.

Non potest natura, seu formalitas creata à differentiis etiam specificis ex parte obiecti præscindi. 80.num.22.

In Deo aliqua formalitas increata potest ab alia etiam obiectiuè præscindi, verbi gratia, essentia diuina à relatione, & relatio Dei ab eius essentia. 85.num.40.

In creatis datur ex parte actus, ac modi concipiendi vera præcisio formalis vnius formalitatis ab alia. 86. num.47.

Vide *Vniuersale.*

Principium.

Prima principia per se nota nobis, & à natura, vt quodlibet est, &c. & per inductionem. 240. num.9.

Prima principia non possunt probari à priori, benè tamen à posteriori. 241.num.18.

Notitia primorum principiorum per inductionem adquisita, seu per experientiam non est discursiua. 242.num.21.

Habitus primorum principiorum est reipsa distinctus à potentia intellectiua. 242. num.25.

Principia entis naturalis sunt ea, quæ nec ex sese mutuò, nec ex aliis, sed ex ipsis cætera esse oportet. 287.num.3.

Tria tantum sunt principia entis naturalis in fieri, nempe materia, forma & priuatio. 288. numero 8.

Duo tantum sunt principia entis naturalis in facto esse, scilicet materia & forma. 289. num.20.

Priuatio.

Priuatio formæ idemmet habet formaliter in esse priuatiuo quod forma formaliter habet in esse positiuo. 315.num.3.

An priuatio sensu aliquo percipiatur. 316. numero 6.

Cum materia prima dicitur esse priuata forma, an talis priuatio includat carentiam talis formæ, an solùm carentiam vnionis materiæ cum ipsa formæ. 316.num.7.

An forma, & priuatio illius opponantur immediatè. 316.num.10.

Quomodo priuationes differant inter se. 316. numero 12.

Productio.

Potest aliquid tanquam causa moralis se secundo producere. 426. num.48.

Potest eadem per diuinam potentiam eleuari ad se secundo physice producendam. 426.num.59.

Propoſitio

In omni propoſitione tria reperiuntur, ſcilicet ſubiectum, prædicatum, & copula. 3.n.2.
Propoſitio quid. 7.n.7.
Propoſitionis diuiſio in ſimplicem ſeu categoricam, & in compoſitam ſiue hypotheticam. ibidem.
Quatuor in ſimplici propoſitione inueniuntur. ibidem.
Propoſitionis ſimplicis materia ibidem numero 8.
Forma. ibid.n.9.
Quantitas. ibid.n.10.
Propoſitionis ſimplicis qualitas. ibidem numero 11.
Quænam ſit propoſitio vera ibid.
Quæ falſa. ibid.
Propoſitio compoſita ſeu hypothetica quadruplex ibid.n.12.
Eiuſdem materia triplex. ibid.n.13.
Illius forma. ibid.n.14.
Quantitas. ibid.n.15.
Qualitas. ibid.n.16.
Propoſitionis modalis eſſentia, quantitas, qualitas. 16. n.1.& ſeqq.
Propoſitio, ſeu cognitio circa obiectum contingens non poteſt de vera in falſam mutari. 225. numero 27.
Propoſitio etiam ſingularis de futuro contingenti abſoluto, eſt in ſe determinate vera, vel determinatè falſa. 230.n.15.
Propoſitio ſingularis de futuro contingenti conditionato eſt modo vel determinate vera, vel determinate falſa. 233.n.27.
Vna propoſitio, aut cognitio non poteſt eſſe formaliter verior alia. 251.n.18.

Q

Quantitas.

ESſentia quantitatis non conſiſtit in actuali extenſione. 177.n.21.
Ratio formalis, & eſſentia quantitatis non ſubſiſtit in ratione menſuræ actiuæ actualis, nec aptitudinalis, id eſt, vt fundamentaliter apta vt aſſumatur ab intellectu ad res materiales menſurandus. 177. numero 23.
Ratio formalis, & eſſentia quantitatis, non eſt diuiſibilitas. 177.n.25.
Ratio formalis, & eſſentia quantitatis non conſiſtit in impenetrabilitate. 177.n.26.
Corpus eſt vera ſpecies quantitatis continuæ. 179. num.6.

R

Relatio.

DAntur in creatis relationes reales prædicamentales. 188.n.7.
Relationes reales creatæ proprium genus relationis conſtituunt. 189.n.12.
Relatio primi generis non diſtinguitur reipſa ſed tantum ratione à fundamento & termino. 195. numero 8.
Relatio quæ fundatur in actione aut paſſione non eſt entitas aut modus reipſa diſtinctus à fundamento, termino & ratione fundandi. 200. numero 35.
Relatio quæ in actione fundatur verbi gratia Paternitas non eſt formaliter ipſamet generatio, ſed ſolum ſubſtantia genitoris vt exiſtens, connotata exiſtentia ſubſtantiæ genitæ. 200. numero 38.
Omnis relatio prædicamentalis ſiue mutua ſiue non mutua terminatur non ad relatiuum ſed ad abſolutum. 202.n.45.
Relatio prædicamentalis ſumit ſuam ſpecificationem, tam à termino quam à fundamento formaliter ſumptis, à fundamento extrinſecè tanquam à principio, à termino vero tanquam à complente ſeu terminante. 203.n.53.

Reſolutio.

Reſolutio per aſcenſum & deſcenſum aperitur. 10. num.9.

Reſtrictio.

Reſtrictio termini, quid. 11.n.16.
Quadrupliciter accidit. ibid.

S

Sanguis.

SAnguis, qui in viuente reperitur verè animatur, ac viuit. 563.n.3.

Sciendi modus.

Quid modus ſciendi ſit, & quas contineat ſpecies. 19. n.1. & ſeqq.

Scientia.

Noſtra Scientia non fit ab illa Auicennæ intelligentia. 269.n.5.
Ad rationem ſcientiæ ſtrictè ſumptæ pro cognitione diſcurſiua clara & euidenti, euidentia eſt eſſentialiter neceſſaria. 270.n.15.
Ad eſſentiam ſcientiæ ſub vniuerſaliori ſignificatione non pertinet eſſentialiter euidentia. 270. numero 17.
Vnitas, & diſtinctio numerica ſcientiarum, ſicut, & aliorum accidentium, ex vnitate vel diuerſitate ſubiecti materialis, & formalis deſumenda eſt. 272. num.2.
Vnitas ſpecifica, ſeu diuerſitas ſpecifica ſcientiæ dedeſumitur ab vnitate, ſeu diuerſitate ſpecifica obiecti formalis. 272.n.3.
Vnitas generica, aut diuerſitas ſcientiarum ſumitur non præcisè ex obiecto, ſeu ſubiecto. 272. numero 5.
Scientia ſubalternata cum tali modo ſubalternationis hoc eſt accipiendo principia demonſtrandi ſuas concluſiones,& proprietates eſt vera ſcientia & demonſtratio. 276.n.13.
Scientia & opinio eiuſdem rei poſſunt in eodem intellectu naturaliter reperiri per motiuum, & medium diuerſum. 656.n.38.

Senſus.

Non dantur ſenſitiui appetitus externi, qui externis ſenſibus correſpondeant. 618.n.28.
Senſus internus non cognoſcit carentias, ſeu negationes. 613.n.14.

Signum.

Signum quid, & quotuplex. 3.n.6

Signum naturale quid ſit. ibid.
Quid ſignum ad placitum. ibid.
Quid ſignum inſtrumentale. ibid.
Quid formale. ibid.

Species.

Quid ſpecies ſubiicibilis. 115.num.1.
De ratione ſpeciei ſubiicibilis eſt, quod generi immediatè ſubiiciatur. ibid.
An eius definitio ſit eſſentialis, an deſcriptiua. ibid. num.2.
Per quemnam actum rationis ſpecies conſtituatur ſubiicibilis. ibid.num.4.
An ſpecies fiat formaliter ſubiicibilis per cognitionem abſtractiuam. ibid.
An per cognitionem comparatiuam. ibid.
An ſpecies vt ſubiicibilis ſit formaliter prædicabilis ac vniuerſalis. 116.num.8.
Species ſubiicibilis ſubalterna, & ſpecies ſubiicibilis infima ſunt eiuſdem omnino rationis in ratione ſpeciei ſubi cibilis. ibid. num.12.
An ſpecies in vnico indiuiduo & genus in vnica ſpecie poſſit conſeruari. 118.num.23.
Quænam ſit formalis ratio ſpeciei prædicabilis. 121. num.1.
Definitio quæ tradit ſpeciem prædicari in quid de ſolo numero diſtinctis eſſentialiter diſtinguit ſpeciem à genere. ibid.num 6.
An ad ſpeciem prædicabilem plura indiuidua poſſibilia requirantur. 122.num.9.
Species impreſſa, & habitus naturalis nullam habet rationem vitæ in actu primo. 560. numero 34.
Species impreſſa eſt quædam virtus, & qualitas vicaria obiecti, eius vice complens phyſicè potentiam in ratione principij proximi, & cum ea etiam concurrens ad ipſius obiecti cognitionem efficiendam. 586.num.20.
Species impreſſa in genere cauſæ efficientis concurrit ad cognitionem obiecti. 587.num.28.
In viſu, & auditu dantur ſpecies impreſſæ ad ſua obiecta cognoſcenda. 589.num.3.
In olfactu, gnſtu, & tactu non dantur naturaliter ſpecies impreſſæ. 590.num 7.
In ſenſibus internis dantur ſpecis impreſſæ. 590. num.9.
In intellectu creato tam humano, quàm Angelico dantur neceſſariò ſpecies intelligibiles ad ſua obiecta cognoſcenda. 591.num.12.
Ad actum etiam iudicij, qui ſupponit apprehenſionem, & ad actum concluſionis, & diſcurſus, qui ſupponit præmiſſas, ſpecies aliqua impreſſa neceſſaria requiritur. 562.num.20.
Non datur de facto ſpecies impreſſa, qua Deus clarè videatur. 595.num.13.
Implicat etiam Diuinitus dari ſpeciem intelligibilem ad videndum clarè Deum. 598. n.25.
Species impreſſæ materiales ſunt etiam in repræſentando diuiſibiles ita, vt cuilibet indiuiſibili obiecti diſtinctum ſpeciei indiuiſibile correſpondeat, à quo repræſentetur. 601. n. 2.
Species poſſunt intendi, ac remitti, & ſuſcipere magis ac minus. 602. n. 4.
Species impreſſa non habet contrarium. 602. numero 6.
Species intelligibiles obiectorum non fiunt ab intellectu, ſed tantùm à Deo auctore naturali ſupplente defectum cauſæ creatæ, ſcilicet obiecti, quod illas debeat efficere. 602. n. 9.
Species impreſſæ ſpirituales hominis recipiuntur in ſola anima rationali, & ſpecies intentionalis brutorum etiam in ſola anima ſubiectantur. 603. num.12.
Species materiales hominis nec in ſola anima rationali, nec in ſola materia, ſed in vtraque vt in vno ſubiecto adæquato recipiuntur. 603.n.13.

Spiritualis.

In quonam formalis ratio rei Spiritualis, & materialis conſiſtat. 621. n. 11.
De potentia Dei abſoluta dari poteſt ſubſtantia aliqua Spiritualis completa, quæ ex materia ſpirituali, & forma, id eſt, ex potentia paſſiua ſpirituali, & actu eſſentialiter componatur. 626. n.40.

Subalterna.

Propoſitiones ſubalternæ in materia naturali ſunt neceſſariò verè: in materia verò impoſſibili ſunt neceſſariò ſimul falſæ. 13. n. 5.

Subcontraria.

Subcontrariæ propoſitiones in materia naturali, & impoſſibili non poſſunt etiam ſimul veræ, nec ſimul falſæ eſſe. 13. n. 5.

Subſiſtentia.

Aliorum placita circa formalem rationem ſubſiſtentiæ refelluntur. 745. n. 1.
Vera ſententia proponitur, & defenſatur. 747. numero 13.
An ſubſiſtantia diſtinguatur à parte rei à natura. 749. num. 24.
An ſubſiſtentia ſit modus, an verò res. 752. n. 33.
An natura propriam retinens ſubſiſtentiam poſſit per aliam terminari. 753. n. 39.
An ſubſtantia poſſit eſſe de potentia Dei abſoluta ſinè ſubſiſtentia. 755.n.49.
An ſubſiſtentia per ſe requiratur in natura ad operandum. 756. n. 51.
An ſubſiſtentia concurrat ad operationes naturæ ſubſiſtentis, vt principium, & ratio agendi, an verò tantùm vt conditio. ibid. n. 56.
Quænam ſit cauſa materialis, & efficiens ſubſiſtentiæ. 757. n. 59.
Suppoſitum creatum includit eſſentialiter, & in recto naturam, & ſubſiſtentiam. ibid. n. 60.
An ſubſiſtentia ſit de eſſentia hominis. ibid.n 61.
Subſiſtentia vt ſit formaliter eſt ratio formalis, per quam natura proximè & connaturaliter non eſt in alio, vel non dependet ab alio tanquam à ſubiecto inhæſionis. 294. n. 2.

Subſtantia.

Subſtantiæ Angelicæ directè, & per ſe collocantur in prædicamento ſubſtantiæ. 164. n. 13.
Subſtantia in eſſe ſubſtantiæ prædicamentalis formaliter non conſtituitur per non eſſe in alio, ſeu per negationem. 169. n. 17.
Subſtantia non conſtituitur in eſſe ſubſtantiæ prædicamentalis per conceptum ſubſtandi accidentibus. 169. n. 20.
Conceptus proprius conſtitutiuus ſubſtantiæ vt conſtituit hoc prædicamentum eſt formaliter conceptus ſubſiſtendi in ſe, & exiſtendi per ſe, & quatenus eſt radix ſubſiſtentiæ independenter à ſubiecto inhæſionis. 170. n. 23.

Subſtantia aliqua poteſt immediatè & adæquatè efficere accidentia. 379.n.40.
Subſtantia ſæpe non efficit immediatè accidens, ſed medio alio accidenti, quod accidens illud immediate, & adæquate producit. 380. numero 42.
Subſtantia ſpiritualis, Angelus vel anima rationalis habet veram vbicationem definitiuam independenter ab omni corpore, cui coexiſtat. 440. numero 33.
Subſtantia realis corporea per ſe, ac ratione ſui, & independenter ab alio extrinſeco, veram habet vbicationem circumſcriptiuam. 441. numero 38.
Subſtantia vel res corporea, non eſt obiectum formale Metaphyſicæ. 705.n.2.
Subſtantia immaterialis completa, ſcilicet, diuina, & Angelica non eſt vlla ratione obiectum attributionis totale ipſius metaphyſicæ. 710. numero 24.
Quid ſit ſubſtantia, & quotuplex. 742. numero 1.
Qualis ſit diuiſio ſubſtantiæ in primam, & ſecundam ſubſtantiam. 743.n.9.
Quod ſit ſupremum genus prædicamenti ſubſtantiæ. 744.n.15.

Summula.

Summula quid. 2.§.3.

Suppoſitio.

Suppoſitio quid & quotuplex. p. 9. numero 1. 2. & ſeqq.

Syllogiſmus.

Syllogiſmus ex quibus conſtet. 2.§.3.
Documenta quædam communia circa ſyllogiſmum. 21. & 22.n.1. & 2. & ſeqq.
Syllogiſmi vis & firmitas quibus fundetur principiis. 22.n.2.
Materia ſyllogiſmi duplex. ibid.n.6.
Forma ſyllogiſmi quid ſit. ibid.
Syllogiſmi modus. ibid.
Figura, & artificium. ibid.
Syllogiſmorum figura triplex. ibid.
Syllogiſmi imperfecti ad perfectos quo pacto reducantur. 23.n.10.&.ſeqq.
Quid ſit ſyllogiſmus expoſitorius. 24. numero 22.
Quid ſyllogiſmus obliquus. ibid.n.24.
In ſyllogiſmo claro, euidenti, ac demonſtratiuo non requiritur neceſſario cognitio directa nec iudicatiua, nec apprehenſiua de bonitate illationis ad aſſenſum ſcientificum concluſionis eliciendum. 236. num. 9.
Syllogiſmus probabilis etiam conſtat ſaltem virtualiter ex præmiſſis, ac propoſitionibus probabilibus, immediatis, primis, ac per ſe notis. 255. numero 10.

T

Tempus.

TEmpus non eſt vera ſpecies quantitatis continuæ 180.n.13.
Implicat etiam per diuinam potentiam rem aliquam exiſtere extra cauſas, & non eſſe in aliquo tempore, & determinata duratione, ſiue reali ſiue imaginaria. 442.n.45.

Terminus.

Terminus vnde dictus. .n.13
Apud Antiquos quid ſignificet. ibid
Deus putabatur. ibid.
Terminus quid apud peripateticos. ibid.
Terminus propoſitionis qui. ibid.n.2.
Termini variæ definitiones. ibid.n.4.
Eius quidditas. ibid. n.6. & ſeqq.
Termini variæ diuiſiones. 4.n.10.
Terminus mentalis quid ſit. ibid.
Terminus vocalis quid. ibid.
Quid terminus ſcriptus. ibid.
Termini mentalis diuiſio in conceptum intuitiuum. & abſtractiuum. ibid.n.15.
Eiuſdem diuiſio in conceptum directum, & reflexum, ibid.
In conceptum item non vltimatum, & vltimatum. ibid.
Terminus vocalis, ſeu ſcriptus, alius communis, alius ſingularis. 5.n.16.
Termini diuiſio in determinatum & confuſum. ibid.
Terminus Vniuocus, Æquiuocus, & Analogus ibidem num.17.
Terminus tranſcendens & non tranſcendens. ibidem num.18.
Terminus abſolutus, & connotatiuus. ibidem numero 19.
Terminus concretus, & abſtractus ibidem numero 20.
Terminus cathegorematicus & ſyncathegorematicus. ibid.n.21.
Terminus complexus quis dicatur. 6.n.25.
Quis incomplexus. ibid.
Terminus copulatiuus, & non copulatiuus ibidem num.26.
Terminus primæ intentionis quis ſit. ibid.
Quis ſecundæ intentionis. ibid.
Termini impertinentes quinam ſint. ibidem numero 27.
Et qui pertinentes. ibid.
Quædam terminorum proprietates explicantur. 11. num.14.

Tranſcendentia.

In quonam ratio vnius tranſcendentalis formaliter conſiſtat 719.n.1.
In quo ratio formalis veri tranſcendentalis conſiſtat 728.n.45.
In quo ratio boni tranſcendentalis formaliter ſita ſit 729.n.51.
An ens reale formaliter omnem rei formalitatem tranſcendat. 714.n.6.

V

Vacuum.

NOn poteſt naturaliter dari in rerum natura vacuum etiam per breue tempus. 449. numero 90.

Vbicatio.

Vbicatio qua res eſt in hoc loco reali, diſtinguitur à parte rei ab ipſa re locata & à loco reali.

reali. 437.n.20.
Modus vbicationis distinctus à re locata non est vera transcendentalis relatio ad locum realem, nec etiam ad spatium imaginarium. 438.n.26.
Vbi seu vbicatio est modus quidam distinctus per quem res dicitur esse alicubi, id est, est ratio per quam res est, quantum est ex se proxime apta ad distandum ab alia, vel coexistendum illi, si fortè alia res existat, à cuius possibilitate, & existentia præscindit. 439.n.30.
Repugnat etiam per diuinam potentiam rem aliquam esse, & nullibi esse. 441.n.43

Vegetans.

Anima vegetatiua est, illa, quæ est principium vegetationis, scilicet nutritionis, qua totum coaugmentatur, ac nutritur. 604.n.2.
Anima vegetatiua triplex. ibid.
In anima vegetatiua tria elucent munera. ibidem.
In anima vegetante tres sunt facultates, videlicet nutritiua, augmentatiua, & generatiua. ibidem.

Verbum.

Verbum qua ratione ab Aristotele definiatur. 7. num.3.

Veritas.

Veritas propositionis est qualitas illius. 8. numero 11.
Formalis veritas cognitionis consistit formaliter in ipsa actus entitate, ac repræsentatione, connotata etiam purè vt termino, entitate obiecti. 222. num.14.
Veritas cognitionis formaliter, & quoad denominationem non est ipsi cognitioni essentialis, sed accidentalis. 224.n.19.

Verum.

Verum transcendentale, quod est passio entis realis, est formaliter ipsum ens, vt conformabile intrinsecè, ac positiuè cum conceptu proprio suiipsius id est, vt connotans actu, vel aptitudine cognitionem intellectus, qua ipsum cognoscatur sicuti est in se. 728.n.46.

Vita.

Duplex datur vera & stricta ratio vitæ, alia intentionalis, & alia physica. 554.n.3.
Quænam, & quotuplex sit formalis ratio viuentis. 553.n.1.
Quibus conueniat formaliter ratio vitæ in actu primo. 559.n.31.

Vnguis.

Vngues, & capilli etiam animantur forma viuentis. 565.n.17.

Vnio.

Duplex in composito naturali datur vnio, alia partialis intrinsecè recepta, in sola materia, & terminata ad formam, & altera compartialis intrinsecè recepta in forma, & terminata ad materiam, ex quibus vnio totalis resultat. 328. num.23.
Vnionis existentia & essentia declaratur. 325. numero 1.
Vnio inter materiam & formam ab ipsis reipsa distinguitur ex natura rei, & ante intellectum. ibid. num.6.
Vnio formæ substantialis corporeæ cum materia reipsa distinguitur ab actione generatiua. 327. num.16.
Quænam vnio sit receptio, & quæ sit informatio. 329.n.28.

Vnitas.

A parte rei datur ante opus rationis vnitas formalis minor numerali. 67.n.6.
Vnitas formalis, & numerus in eodem indiuiduo realiter identificantur. 69.n.11.
Inter vnitatem formalem, & numericam non datur illa distinctio media inter realem, & rationis, quæ appellatur distinctio formalis, seu ex natura rei. ibid.n.12.
Vnitas formalis & numerica in eodem indiuiduo solum virtualiter, & distinctione rationis ratiocinatæ distinguuntur. 70.n.16.

Vniuersale.

Vocibus, & conceptibus vniuersalium verè, & simpliciter correspondent naturæ. 62.n.29.
Naturæ vniuersales, & communes non sunt à parte rei separatæ à singularibus. 62.n.30.
Non datur à parte rei ante operationem intellectus vna natura communis, & positiuè vniuersalis. 63. num.32.
Non datur à parte rei ante opus intellectus natura aliqua vniuersalis negatiuè. 64.n.34.
Natura in priori statu possibilitatis antequam actu in singularibus reipsa existat vel cognoscatur, non est propriè vna communis, & vniuersalis. 64. num.35.
A parte rei, & independenter à consideratione nostri intellectus non datur formaliter vniuersale, sed vniuersalitas, à qua natura denominatur vniuersalis. 75.n.33.
Vniuersalitas pro fundamento seu vniuersali metaphysico est ipsa natura denominata, non verò ipsa ratio denominans, & consistit in vnitate præcisionis & aptitudinis nondum relatiuè sumpta. 76. num.38.
Vniuersalitas logica, seu secunda intentio logicalis suppositа pro fundamento vnitate præcisionis cum aptitudine ad essendum in multis addit respectum rationis sine actuali inclusione inferiorum, in quo vniuersalitas logica consistit. 76. numero 39.
Vniuersalia non sunt perpetua secundum essentiam positiuè. 96.n.3.
Vniuersalia sunt perpetua secundum essentiam negatiuè, nec habent in se principium suæ corruptionis aut generationis, & consequenter sunt ingenerabilia, & incorruptibilia. 97.n.4.

Vnum.

Vnum, verum, & bonum sunt formaliter passiones entis vt sic ab illo, & adinuicem condistinctæ; res verò, & aliquid non sunt passiones illius, sed idem formalissimè cum ipso ente. 718.n.24.
Vnum vt sic formaliter claudit in suo conceptu formali

mali pro materiali ens positiuum, & pro formali negationem realis diuisionis per modum priuationis. 721.n.12.

Vox.

Voces significant res. 218.n.29.
Voces exprimunt conceptus. ibid.n.30.
Voces naturaliter,& per accidens significant,aliquando ipsos conceptus. ibid.n.31.
Voces non significant ad placitum ac per se conceptus, sed solas res. ibid.n.32.

Voluntas.

Obiectum formale adæquatum voluntatis est bonum, & malum. 662.n.5.
Voluntas ex duobus mediis, quæ bona, & vtilia sint, potest pro sua libertate eligere vnum æquè vel minus bonum, ac vtile in ordine ad finem alio æquè vniuersali,vel vtiliori relicto. 664.n.13.
Voluntas potest pro suo libito diligere bonum aliquod æquè efficaciter, vel inefficacius propositum, & bonum aliud æquè efficaciter, vel efficacius cognitum reiicere. 665.n.21.
An possit voluntas ferri in incognitum. 666. numero 27.
An de potentia Dei absoluta possit voluntas ferri in incognitum, ita vt Deus ad actum amoris suppleat diuinitus defectum cognitionis.ibid.n.32.
In voluntate dantur duo affectus erga bonum. 668. num.41.
In voluntate circa malum duo alij similes reperiuntur affectus. ibid.
Quomodo actus voluntatis inter se opponantur.ibid. n.42.& seqq.
Libertas voluntatis est ea facultas, quæ positis omnibus requisitis ad agendum potest agere. 669.n.4.
Hæc libertas est formaliter in sola voluntate, & tantùm radicaliter in intellectu. 670.n.7.
Ad actum liberum voluntatis non præcedit necessario in intellectu quoddam imperium, quod explicatur per istam vocem, *fac hoc*. ibid. numero 8.
An stante iudicio indifferenti in intellectu circa aliquod obiectum possit de potentia Dei absoluta voluntas necessitari ad amandum tale obiectum. ibid.n.10.
Hæc libertas est duplex;alia libertas contrarietatis, seu quoad speciem; alia contradictionis, seu quoad exercitium. 671.n.14.
An libertas in actu secundo sit essentialis actibus voluntatis. ibid.n.15.
Libertas actualis voluntatis non est denominatio extrinseca sumpta formaliter ab ipsa potentia libera, sed entitas actus connotata præcisè ipsa potentia libera vt termino. 673.n.28.
Libertas non est modus accidentalis distinctus, ac resultans in actu volitionis libero. ibid. numero 29.

FINIS.

Y corbis,obex,rumex,limax,traduxi.

Y Larix con fpecus,y con penus.

Specus fpecus,de la quarta declinacion, es del genero maſculino,ô femenino. Obſcio. lib.3

Eſt fpecus in medio fluis,et vimine dęſus. Pe rorfpecus fpecoris,es del genero neutro. Y rigio Hic fpecus,horrendum,et,ſcęui miracula dicię, monſtranter. lib.7

Y Valerio maximo. Mitto os cretenſium. Rex nono quoq;anno in quodam prætilio, et veteſ ta religione conſecratũ fpecus, ſcedere ſolebat. cap.3

Penus,i,y penus,us de la 4.gunda,y quarta declinacion,es d.l genero maſculino,ô femenino Plauto.

Nam niſi penus annus hodie conuenerit. Perſa

Lucilio,Magnapenus parua ſpatio cõſumpſerunt.

penus,penoris es,del genero neutro. Oratio-

Exceo: La vocal que antes tiene,como, Troyas,
Phaetra tenebre. En la proſa la vocal comunta,y liquida
Deus. Sera breue,en verſo es indifferente.
Meus. Vocal antes de vocal,la damos breue,
Eius. En filio,filio ay,R,fera larga,
Hebant. Genitiuo:y datiuo de la quinta,
Dei. la,E,antes de,I la tienen larga,
Spetci. En res,fpes,y fides fera breue.
Illius. los genitiuos eius,en la proſa,
Vnius. la,I es larga,y en verſo larga,o breue.
Educo. Alius fera largo,breue,Aleerius.
depono. E,de,Se,di compuefios ſeran largas,
ſeduco. En ditimo,y diferus fera breue,
Dilligo. Es la,Re,breue ſacan largo.
Repono. Refero,por imporrar,o auer diſtancia,
Relinquo El,A,la pro alargan los 2atinos,
Los Griegos la dan breue,donde quiera,

Gigno haze genui,genitum,
Sperno,haze,ſpreui,ſpretum,
Sterno,por allanar,
Straui,ſtratum,la plaze,
Mas contemnoſiempre haze,
En ſi,tum,menoſpreciar.
Apono,ponis,por poner,
Poſui,poſitum,daremos,
A lino,linis,diremos,
Que lini,litum,ha de hazer.
Cano,cecini,cantar,
Y cantum,en el ſupino,
Sus compueſtos de continuo,
Cinui,centum an de dar.
Los verbos que en po vemos acabados,
En,pſi,y en,ptum,nos hazen,como carpo,
Rumpo,rupi,ruptum,ſtrepo,ſtrepui,ſtrepitũ
Coquo,coxi,coctum,cocer,
A linquo,liquis,dexar,
Liqui ſolole an dedar,
Compueſto,lictum,ha de hazer,
Quæſiui,quæſitum,quæro,
Gero,geſſi,geſtum,traer,
Fero,tuli,latum,ha de hazer,
Triui,tritum,trillar,tero.
A fero,ſeui,ſatum,dar ſolemos
Mas ſus compueſtos,hazen,ſeui,ſitum,
Que enxertar,culcibar,ſembrar denueſtrũ,

liui,leui,

Contino.
Concinui.
Concentum
Carpo,
Carpſi.
Carptum,
Serpo,
Serpſi.
Sin ſupino.
El Maeſtro
Mártinez ſeloquito en ſu
Arte.

Fodio,fodi,foſſum,cauar,
Sapio,por ſaber,ſapiui,
Pario,peperi,partum,tibi,
Por parir,ô por ganar.
Quatio,quaſſi,quaſſum,cuſſi,cuſſum.
Hazen todos ſus compueſtos ut,excutio,
Los vêrbos que en lo,ſon acabados,
En lui,y en ,ultum hazen.Sacaremos.
A volo,que haze volui,ſin ſupino,
Con antecello,excello,y præcello,
Molui,molitum,da molo,
Alo,alui,altum,criar,
Y alitum le pueden dar,
Suſtuli,ſublatum,tollo.
Pello,echar,pepuli,pulſum,
Y fallo,fefelli,falſum.
Percello,perculi,perculſum.
Vello,arrancar,velli,vulſum,
Sallo,ſalar,ſalli,ſalſum,
Mo,ũi,itum,tremo,tremui,ſin ſupino,
Como,aſeitar,comſi,comtum,
Emo,comprar,emi,emtum,
Demo,quitar,demſi,dentum,
Promo haze promſi,promtum,
Premo,preſsi,apremiar,
Y preſſum,en el ſupino,
Sumo,tomar,de contino,
Sumſi,ſumtum,ceſſe dar,

Profilio.
Profilui.
Profultum.
ô profiliui.
Profilitum.
Exillio.
Exillui.
Exultum.
O exiliui.
Exilitum.
vereo,
verui,veritũ.
De aqui ſale
Paravereos.
vereris.
veritus ſui.
Si huuiera
blandio,is,
habia de ha-
zer,blandiui.
itum. De don
de ſale bladi-
tus ſum vel fui
Para bladios

De los preteritos,
Icio,y farcio en,ſi,y en,tum,
Con ſepio,y ſarcio dará,
Hautio,por ſacar,haru.
A donde quiera,hauſi hauſtum.
Sentio,ſenſi,ſenſum,ſallo,ſalui,ſaltum,
Los compueſtos de Salio,en ſilui ſultum,
Y en,ſiliui,ſilitum,hazer pueden.
Y mudan la,a,en,i,en todas partes,
Venio,veni,ventum,veneo,veniui,venum.

Regla para dar preteritos,y Supinos a los verbos deponentes.

A los verbos en,or,fingimos voz actiua,
Vt vereo,vereor,del qual formamos,
El preterito,y ſupino para ellos,
Sacanſe eſtos pocos deſta regla,
Fruor,gozar,haze fruitus,
Y proficiſcor,profectus.
Adipiſcor,haze adeptus,
Obliuiſcor dara oblitus,
Reor,penſar.haze ratus,
Fateor,faſſus,ha de hazer,
Patior,paſſus,padecer,
Daras á nanciſcor,nactus.
Metior,menſus,por medir.
Y comminiſcor,commentus,

Y Los verbos que en ple
Aboleo,aboleui,abolitũ,
Cieo,ciui,citum,ſus com
Los verbos que acabaren
En,vi,y en,tum,nos haz
Caueo,caui,cautũ,faueo,
Flaueo,liueo,paueo,ſin ſ
Conniueo,conniui,conni
Audeo,auſus,ſoleo,ſolitu

De la tercera co

Bibo,bibi,bibitum,giub
Scabo,ſcaui,lambo,la
Nubo,nupſi,nuptum,
Los verbos que en,umb
En,ui,y en,itum,hazen ſ
Dico,,dixi,dictum,vinc
Duco,duxi,ductum,ico,
Parco,peperci,parcitum
El verbo que en,ſco,fu
En,ui,y en,tum,hara,co
Sciſco con ſus cõpueſtos
A noſco,noui,notum,le
Agnoſco,agnoui,agnitu
Cognoui,cognitum,paſc
Compeſco,compeſcui,di
Adiſco,didici,poſco,pep
Carecen eſtos quatro de
Conquiniſco,conquexi,

De los preteritos:

es de docui:dedoctu. Sacarle algunos que nogar
dan esta regla,como le dize en sus lugares.

La filaba,que el simple nos doblare,
el compuesto la pierde donde quiere.

Ay verbos limples que doblan la filaba en el
preterito,que es tener vna filaba mas que en la le
gũda persona del presente:como Mordeo,mordes,q
momordi, y ſi le cõpone pierde la primera filaba,
como:Remordeo es,remordi,pondeo es,dispõ
di,despondeo es,despondi. Y assi los demas.

No,do,Poico,dixe,y repungo.

Aunque se componga,no la pierden.

Estos verbos doblan la filaba, y aunque se com
pongan no la pierden,como,as haze, fecit, infecit, as
infecit. Praeteo,as,praeterii,do das,dedi,pendo, as
Pefundedi,circundo,as,circundedi,polco,is,po
polci,conpolco,com popolci. Repolco,repopol-

De la quarta conjugacion.

La quarta haze en,iui,y en,itum,
Sepelio,sepeliui,sepultum,
Singultio,singultiui,singultum,
Vincio,atar,vinxi,vinctum.
Sancio,por establecer,
Sanxi,sanctum,muy bien haze,
Amicio,cubrir,le plaze,
Amixi;amictum,hazer.
Aperio,operio,ûi;ertum,
Comperio,comperi hallar,
Y compertum,deue dar.
Reperio,reperi,reper-tum,

Audio.
Audiui.
Auditum.
Eo.is.
iui,itum.
Queo,is.
Quiui.
Quitum.

De los preteritos:

En serui:sertum,hazen estos tales,

Los compuestos de sero:que significan co
sas tocantes à la agricultura:como: sembrar:
cultiuar:plantar:enxertar hazen el preterito
seui:y el supino:situm:como consero:conseui
consitum:insero:inseui:insitum:y si significan
cosas diferentes:hazen el preterito serui: y el
supino sertum:como desero: desamparar: de
serûi:desertum: Dissero platicar:disserûi: Di-
sertum:consero:andar a las manos:ô trauar ba
talla:conserûi:consertum:insero: haze inseui
insitum:ô inserûi:insertum.

Verro:verri:a de dar:
Verri:versum:por barrer:
Pero:uro:a de hazer:
usi:ustum:por quemar.
So:siui:situm:pero inuiso:incesso:
Hazen en:si:solo:y sin supino.
Pinso:pinsui:pistum:mayor:
Y pinsum:tambien:pinsitum:
peto:petiui:petitum:
Por pedir:siempre à de dar.
Plecto:herir:plexi:plexum:
Flecto:flexi:flexum:doblar:
Pecto:pexi:pexum:peinar:
Necto,enlazar,nexi,nexum,
Mitto,embiar,misi,missum,
Soluo;pagar,solui,solutum:
Voluo,boluer.volui,volutum:
Metio,sexi,mesui,mensum:

faceſſo.
faceſsiui,
faceſsitũ,
laceſſo.
Laceſsiui
laceſsitũ
arceſſo.
arceſsiui.
arceſsitũ.

y supinos.

Figo, clauar,fixi,fixum.
Pango,pepegi pactum.
Haze spargo sparsi,sparsum.
Frigo,freyr frixi,frixum.
Frango.quebrar,fregi,fractum.
Pungo,pupugi,punçar.
Y punxi,punctum deue dar
Tango,tocar.tetigi,tactum.
Lego:leer:legi:lectum.
Prodigo:gastar.prodegi.
Dego:viuir:haze degi.
Negligo:neglexi:neglectum.
Mergo:anegar:mersi:mersum.
Diligo:dilexi:dilectum.
Intelligo:intellexi:intellectum.
Tergo:limpiar,tersi,tersum.
Traho:traxi por traer:
Y tractum en el supino.
Veho:lleuar de contino
Vexi.:vectum à de hazer.
El verbo que en spicio:y Licio acaba
Haze en:exi:y en:ectum donde quiera.
Elicio:sacar:elicui:elicitum.
Rapio:arrebatar:rapui:raptum.
Iacio:arrojar:ieci:iactum.
Meio:orinar:minxi:mictum.
Capio:tomar:cepi:captum.
Fugio,huir:fugi:fugitum.
Cupio:desear:cupiui:cupitum.
Facio:hazer:feci:factum.

surgo.
surrexi.
surrectum.

Prodigo.
dego
sin supino.

aspicio.
aspexi.
aspectum
despicio.
despexi.
despectum
allicio.
alexi.
allectum.
illicio.
illexi.
illectum.

De los preteritos:

Verbos incoatiuos, como, Aluedco, mi-
tesco y aunque faltan de otros verbos,como te-
pesco ardesco,por la ambogia, que puede auer
en esta oracion,y en las de los demas verbos inco
atiuos,domus ardit la casa de ardio,por que no se
puede saber ſi se ardio ò comenco a arder. Y an
ſi dixeremos,la casa comenco a arder,pero no
se ardio toda. Se ha de dezir,domus,cepit arder
fed non tota arsit. A de entender de que todos
los verbos,que no tienen preterito
no tienen supino.

y supinos de los verbos.

Texo,texis,por texer
Texui,textum,nos dara,
Mas verto,vertis hara.
Verti,versum,por boluer.
Sterto,stertui,roncar,
Sin supino,tiene de ir,
Viuo,vixi,victum,viuir,
Sisto,stiti,statum parar.
Los verbos que acabaremos en,ão,
En,ûi,y en,utum,hazen como,Polluo;
Ruo,rui,ruitum.haze sus compuestos.
En,utum,daran siempre,en el supino.
Fluo,fluxi,fluxum,struo,struxi,structum.
Situm,metuo,luo,pluo,y los verbos,
Que en,gruo,nuo.acaban todos estos,
Hazen en,ûi,solo sin supino.

polluo.
pollui.
pollutum.
obruo.
obrui.
obrutum.

De la primera

se junta como homo, humus, y por esso no quit que se cometa la figura final esa en la medida de los versos. En los quales algunas vzes tiene fuerça de letra como en Virgilio.

Quien ant (nam in culta videt) homines ne, træ ne; por que se mide assi.

Qui ene: ant nim: cultavi, det homines ne fe: træne: donde en det homines el, h, letra, y l, e, larga, por que se le siguen dos consonantes, y es menester aduertir esto en otros versos donde se hallare.

Diuidense las letras en vocales, y consonantes as vocales son las que por si hazen silab, y suenan, y son cinco, A, E, I, O. V. de las quales se componen los cinco diptongos Latinos, ae, como musae, oe, como coelum, au, como audio, eu como Europa. Ei como omneis. Y los Griegos tienen otro diptongo, como Harpiya[illegible]se diptongo, de dis que quie[illegible]thongos sonido, por que[illegible]cion suenan dos silabas, y[illegible]el verso vale por vna sila[illegible]cinco vocales, tan[illegible]

assi por que no hazen silaba sin vocal.

De las consonantes estas siete son semivocales. L, M, N, R, S, X, Z, Y estas ocho son mudas. B. C, D, F, G, P Q, T. De las vocales la, I, y la V. son consonantes, quando hieren en la vocal que esta despues, como iuuenis, iuuentus, iuuo, venio, ventus, venter, vena, y otros muchos.

La, L, es liquida, como, recludo, y la R, como pharetra, Terebro, latebra, y esto precediendo la muda.

La, V, despues de la, Q, es liquida, como quis, qui, quæ, quod, coquo, linquo, y en otras muchas partes, y llamase liquida por que pierde algo de su pronunciacion.

Y tambien lo es despues de la .G si se le sigue. A. como lingua, oæ, como linguæ, y en la medida del verso se lee linga lingæ, perdiendo la. V. la qual no se pierde en ambiguus, a, um, irrigmus, a, um, exi[illegible]ua, exiguum.

[illegible]la, V, despues de la, S, es liqui[illegible]guus, exig[illegible]e, si se sigue despues de ella, A[illegible]Tambie[illegible]adeo, suad[illegible]y en la medida de[illegible]day se pier[illegible]como en si[illegible]o, y Guis. Y lo mis-

Dedi, Dedi, Dabi, bui, lui, Cidi, Edi,
Afligi, de fligo juntaremos,
Preterito doblado entrambas breues,
En cæcidi, y Pepedi seran largas.
Supino de dos silabas es larga
La prim. y de ellas como Notum.
Statum, datum, ratum, seran breues,
Satum, item, quietum litum, citum,
Supino que tres silabas tuuiere,
Quita vltima del preterito [illegible]tum, muda:
La silaba del medio tiene largo.
Los otros que hazen itum, todos breues,
Y todos los en utum seran largos,
Los compuestos de Ruo, dan os breues,
La vltima quantidad del simple guarda
El compuesto, aunque mude alguna letra.
Lepo tiene la. E. breue. Y pelleo la commue[illegible]

[illegible]
[illegible]
[illegible]



protestantica

1578